PAULLI G.F.P.N. MERULAE COSMOGRAPHIAE GENERALIS LIBRI TRES:...

Paulus Merula, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
6 F
15

Ser dep. I° piano
Magazzino Rossi

Digitized by Google

37.6.F.15

Paulli G. F. P. N. Merulæ

COSMOGRAPHIÆ GENERALIS

LIBRI TRES.

Digitized by Google

Digitized by Google

Paulli G.F.P.N. Merulæ

COSMOGRAPHIÆ GENERALIS

LIBRI TRES:

37.6.F.16

Item

GEOGRAPHIÆ PARTICVLARIS

[redacted]

Quibus EVROPA in genere; ſpeciatim HISPANIA, GALLIA, ITALIA, deſcribuntur.

Cum tabulis Geographicis æneis multo quam antehac accuratioribus.

AMSTERODAMI,
Apud Henricum Hondium.
cIↃ IↃc XXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Jnlustr. Potentissimisque Dominis,

OPTIMIS MAXIMISQVE

FOEDERATARVM PROVINCIARVM

BELGICÆ ORDINIBVS;

Simulque

Nobilissimis, Amplissimis, Doctissimis Viris,

EORVMDEM

CONSILIARIIS FIDELISSIMIS;

Dominis ſumma mihi obſervantia colendis,

PAVLLVS G.F.P.N. MERVLA

D. D.

A quo tempore Studijs, quæ momenti majoris ſeriaque, tractandis animum adplicare cœpi, VIRI MAGNI, præter Iuriſ-prudentiam, quæ præcipue in oculis & mente ſemper fuit, incredibile, quantum mihi, liberum & effrenem amanti curſum, placuerit Πολυμάθεια quædam, & varia Rerum Divinarum Humanarumque, ſi non plena ſolidaque, certe aliqua, quæque Inſtituto primario juvando atque exornando

* ſatis

ſatis eſſet, cognitio. Aevum namque hoc noſtrum, quod ſane doctum, delicatum, ſubactique judicij, pluris eos meritiſsimo cenſere animadvertebam; qui, quum primas inter Theologos, Iuriſ-conſultos, Medicos obtinerent, latiſsimos reliquarum diſciplinarum campos ingreſsi, nonnullam etiam rerum aliarum notitiam indefeſſo labore ſibi comparant; de ijs, quæ nunc hæc, nunc illa in ampliſsimis Procerum Reip. litterariæ Comitiis movebantur, diſſerere auſi. Sic animatus, Coſmographiæ quoque, Mundique cum Aetherei, tum Elementarii Secreta rimari ſum adgreſſus; eam præcipue ob cauſſam, quod poſt abitum V. CL. Iuſti Lipſii in celeberrimam hanc Academiam vocatus, conatum hunc meum magno mihi adjumento futurum aliquando viderem. Quum infinita collegiſſem, ſuetiſque Adverſariis, qui meus eſt mos, adſcripſiſſem; viſum quibuſdam, neſcio quo obcęcatis de mea induſtria errore, hortari me, ut quæ potiora huius generis ducerem, publici facerem uſus. Renitens aliquamdiu, conſciuſque, nihil à me grande præſtari poſſe, tandem perſuaderi me paſſus, quod petebar, ſum auſpicatus; iactoque bono & artificioſo, ut mihi quidem videbatur,

debatur,

debatur, fundamento ædificium, animo diu conceptum, exſtruere cœpi. In eo dum ſedulus eſſem, demandatam à Vobis ſuſcepi Hiſtoriæ Bellicorum Tumultuum, quibus hodieque concutitur adfligiturque miſerum in modum BELGICA, ſermone Latino deſcribendæ Provinciam. Quum totum fere Munus illud requireret hominem; ſegnius procedebant, quæ ab eo videbantur aliena; &, cum alijs, hoc Opus; quod nihilominus, ne quid paterentur, qui me ad ſcribendum ſuis precibus ſæpius invitarant, ex abrupto filo detrimenti, erat abſolvendum. Suffuratus igitur ſubinde nonnihil temporis, quod delato Hiſtoriographi titulo fuerat conſecrandum, quodque cum publicæ Functioni, tum veſtris peculiariter debebatur mandatis, hucuſque tandẽ quidquid eſt, perduxi. Vlterius perrexiſſem, ſequentiaque, quæ apud me jam adfecta, dediſſem: ſed quum ad meam poſtulationem ante pauculos dies decreveritis, ut Partes Hiſtoriæ Belgicæ, quibus ante biennium Coronidem impoſui, typis vulgarentur, inq. manus emitterentur eorum, qui Res noſtras, penitius fideliuſque ex publicis Actis repræſentatas, averent cognoſcere; conſultum hic ſubſiſtere putavi,

Digitized by Google

tavi. Agnoſcent interim hic,ſcio , ſumentque,ſpero,ex delineatis nobiliſsimis,quas offero , Regionibus Exempla Methodoſque alij, qui reliquas minus operoſas & intricatas publicandi flagrabunt deſiderio. Vobis, VIRI MAGNI, hoc mearum de Coſmographicis Commentationum Volumẽ figo,dico,ſacro; Vobis, quibus obſtrictus jam illud in luminis auras produxi ; Vobis, qui , ut veſter Merula æterniora jam moliatur & promat,amotis,quæ remorabantur, obſtaculis , volentes libenteſque permittitis; Uobis,qui veſtra fama Regiones,quas hic depingo, cum incredibili Mortalium omnium ſtupore impletis. DEVS OPTIMVS MAXIMVS Conſilia veſtra magis magis proſperet ; ſuamq; ijs gratiam,quod,uti evidentiſsima docent indicia, hactenus fecit , adfundere pergat. Valete VIRI MAGNI. Lugduni Batavorum, 8. Eidus Iulij CIↃ IↃ CV.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORI MEO
S. dico.

OCTENNIVM *jam est, amicissime Lector, quum qui Praxin meam anno* XCII *excuderat, suis me litteris interpellaret, rogaretque, ut Chartarum Thesaurum, quem Idiomate nostro concinnatum paullo post vulgarat, in Latinum verterem sermonē. Erat ille, cui non facile quid, quod in mea quidem erat potestate, denegandū putabam. Thesaurum mihi transmissum lego, scribendi modū examino, Chartas perlustro. Paucis dicā:* Πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, πολλὰ δὲ λυγρά. *Non parum ego hic ibi desiderabam. Nec omnia: Chartis plerisque, praterquam quod eßent nimis exigua, & non sat fide notationis, Gradus videbam deesse Longitudinis & Latitudinis; quibus deficientibus, ego hac talia nullius censere consueram momenti. Rescribens igitur, laboris potius, quod flagitabat, esse respondi, quam ingenij; & ab meis studijs esse prorsus alienum, fœtus novorum hominum Jure Latinitatis donare. Quum instaret, eo tandem me scriptis litteris deduxit, ut Chartas pro meo arbitrio emendatas, suisque Gradibus exornatas, petitus ex propria officina coloribus declararem. Quod non gravatim feci. Caussas habuit suas (quum jam mecum esset conventum)* V. CL. *Petrus Bertius suscipienda, quam renueram, versionis: quam non infeliciter, quibusdam adjectis, perfectam in vulgus edidit. Opus igitur magnis viribus adgressus, quum in suas distribuissem partes, illud mihi, solita insistens Methodo; Fundamentum posui, quod in fine locatum Prima Partis. Singulas rursum in minora Segmenta vocaui; quemadmodum qua sequuntur, quaque tribus Prima, quam dixi, Partis libris, singulisque Secunda subscripta sunt Synopses, plene planeque docent. Quum aliquantum essem progressus, demandata mihi est ab Inlustrißimis Fœderatarum Regionum Ordinibus Provincia scribenda Latina Lingua Historia Belgica.*

ca. Sic nonnihil morarum injectum est Orbis Delineationi. Ne vero Impressori, omisso Instituto, detrimenti quid crearetur; licet alio tractus, pergebam nihilo-minus: sed, quod ingenue fateor, tardo gradu. Excussis variorum scriniis, multa mihi Veterum Novorumque Monimenta erant legenda: multa in futurum usum hinc inde enotanda: cum multis difficultatibus depugnandum. Nam incredibile est, quantum mihi laboris obortum in committendis variorum, eorumque in hoc studio stadioque ætate nostra Principum, delineationibus. Vnus hoc, alius illud de Loco, qui præ manibus erat discutiendus, tradebat: Alius unum eumdemque locum hic: alius, immenso abiens intervallo, illic ponebat: hunc quidam cis, nonnullus trans flumen statuebat; erant &, qui ne vastorum quidem Montium, latarumque Vallium habebant rationem. Stupebam, ut specialius quid dicam, ingens inter VV. CLL. *Abrahamum Ortelium & Gerardum Mercatorem (alios minorum gentium insuperhabeo) in Bruttiis, Magna Græcia, Calabrisque designandis, dissidium. Consulebam identidem Strabonem, Plinium, Pomponium Melam, Stephanum, alios; sed in illis tantas sæpenumero tenebras, tamque intricatas deprehendebam ambages; ut, perspectis iis, incertior multo, quam fueram, plerumque discederem. Nam quis ignorat potiora diuturnitate temporis mutata; Regionesque, Vrbes, Opida, Pagos, Flumina, Montes, Valles, & quidquid, præter hæc, talium, alias olim, quam quibus jamnunc nota, appellationes habuisse? Nihil certius, nihil exploratius. Ptolemæum frequenter adibam; sed fastidium movebant non pauca. Animadvertebam plurima Magno Auctori scripta esse ab auditu, & ex aliorum, qui sæpe fallunt, quorumque, quum quæ visa narrant, verba nonnumquam non bene capiuntur, fide: eamque ob caussam ipsius Geographica, ex alieno concinnata relatu, maleque & inemendate scripta, innumeris deformata esse erroribus; multa item, quæ aliis nominatissima, negligenter in iis omissa; multa sequiorem nacta stationem, & extra verum locata situm; multa dubiam*

adepta

adepta nomenclaturam; infinita non suis tributa Populis vel Regionibus: plurima denique cum ab alijs, tum ab seipso & alibi-dictus dissentientia. Probetur hoc, quis petit? Tædium Lectorem necaret. Vnam Italiæ (quæ præter patriam vix alia ipsi, transmisso Magno Mari, vicinior) Regionem inspice Picenum: ibi duorum, qui nobilissimi, Fluviorum, Metauri & Isauri nullam facit mentionem: Idem in Gallia Cis-Padana Padi Fluminis Caput ad Larium describit Lacum: quod vere, sensu docente, meisque oculis id testantibus, in Vesulo Monte: Idem in Tabulis Ansanum, Samnitium Opidum, cis Sarum in Frentanis collocare videtur: in pictura vero trans eumdem Amnem in Pelignis. Tanto scilicet Ptolemæus certiora suis elucubrationibus expressit, nobisque reliquit, quanto cuiusque rei meliores habuit testes: tanto autem incertiora, quanto peiores: ideoque subinde vel ex alijs, cum antiquioribus, tum recentioribus: vel ex membranis castigandus, supplendus, transformandus: Nec suis carebat mendis Antonini, vel cuiuscumque censendum, Itinerarium: in quo emaculando suoque nitori restituendo egregiam posuerunt operam cum alij, tum vel maxime Abrahamus Ortelius, Vir monstris ex terrarum Orbe emoliendis plane natus, & Hieronymus Surita, Cæsar-Augustanus, quo in hoc argumento Hispania numquam habuit feliciorem. Hinc factum, quod majore cum fructu illud usurparim: commissum cum amplissima Tabula Itineraria, quæ ductu Joannis Molleri, diligentissimi Typographi, auspicijs autem Viri Nobilissimi, Marci Velseri, II-Viri Reip. Augustanæ, ex illustri Peutingerorum Bibliotheca in lucem prodijt. Plus habet illa in recessu, quam frons pollicetur. Licet infinita ibi sint depravata & turbatioris ordinis; tamen comparata cum Antoninianis (quibus & hinc medicina non semel per me petita) nullo negocio possunt corrigi, & ad sua revocari castra: quod non infeliciter à me factum in Gallia Italiaque, res ipsa docebit. Procurrit hæc Tabula ab Occidentali Oceano per Continentis totius longitudinem ad Orientalem usque: singula notans loca: nec non locorum, industria stupenda,

distan-

distantias & intervalla. Totum complectitur, quantus quantus est, Antoninum; alterumque tantum, & amplius, adponit; si Civitates, Vrbes, Opida, Pagi, Fluvij, aliaque talia diligenter examinentur: digna certe, quæ sedulis Doctorum, non magistellulorum, manibus teratur. Quo pacto autem in minores partes posset dividi, & libri instar edi; monstrabo fortean in singulario opere. Nam ad eius illustrationem animavit me aliquoties suis litteris optimus Velserus, & pervicisset jam, nisi ad graviora fuissem avocatus. Tantum igitur difficultatum, scopulorum, Syrtium, de quibus jam verba feci, tantopere meum animum consternavit; ut, quod initio proposueram, mutare fuerim coactus. Decreveram totum Terrarum Orbem rimari, & qua, quæ hic dantur, Methodo proponere: sed deterruerunt me partim (verum fatebor) negocium inuolutum laborque difficilis; Terra etiam, quod curiosius ipsam scrutarer, minante nonnumquam exterminium, cui facile succubuissem, perpetua conflictans cum invalitudine, gravissimoque Lienis adfectu: partim tanta Scriptorum omnium inter se discordia & serrarum reciprocatio; tanta quorumdam socordia; tam denique frequentes eorumdem navi & maculæ. Quæ igitur universim ad Mundum, Sphæramque Cælestem & Terrestrem pertinere visa, largitus; explicatis Europæ Generalibus Provincias tres adposui; Universi huius extra controversiam Ocellos, quibus Latinus hodie in usu est, licet corruptus, Sermo; quæque omnium Antiquorum Novorumque monimentis maxime præ cæteris nobilitatæ; Hispaniam dico, Galliam, Italiam; mihi, quam reliquæ, notiores. Hispaniam ex probatissimis delineavi Scriptoribus: Galliam pleramque ipse quidem vidi, & ad Itineraria non infida peragravi; sed fidelibus solidiusque dandæ symbolas suas liberaliter contulit Vir Nobilissimus Josephus Scaliger: Italiam ipse quoque adivi; &, Leandro Alberto usus comite, majore cum fructu. Quod in tribus ego, conentur in reliquis alij: sic tandem plenam exactamque (absit arrogantia) habituri sumus Geographiam. Ne autem vos mei, quibus aliquando in Gallijs, Italia,

lia, Germania, Anglia innotui, ignoretis, quis hodie, qualisque sim: Batavus, Dordraci natus, Lugduni vivo, XLVII. fere annorum: decem, si superstites, fuissem; quinque jamnunc sum; sex; si DEVS adspirat, futurus post semestre liberorum pater. DEO totus fido; quod videri volo, esse studeo; omnibus optime cupio, singulis decenter: prodesse nitor cunctis; proprium perpetuumque habens nocere nemini, bonos amare, malos tolerare, minoribus indulgere, cedere majoribus, pares ferre: morosam gravitatem nihil moror; effrenem levitatem detestor; hilarem in pectore virtutem veneror: mei semper similis, si fortuna blanditur, non tollor; si mutat nutatue, non mutor: DEVM precatus, contingat mihi, quod expedit, non quod volo: meorum satagens sua suis relinquo: non credo, quidquid audio: non dico, quidquid scio: non facio, quidquid possum. Fallam vult necessitas, vel fallar? patior potius, quam faciam scelus: bono sæpe malum vincens, ratusque seipsum vincere, summam esse Victoriam. Humilia sector: ne sit, unde gravi præcipiter lapsu. Syrtes, saxa, vadaque forensia fugiens, turbasque & Honorum, qui sæpe oblati, inania aversatus, Historiographum ago Jnlustrium Ordinum Fœderatarum Provinciarum, & in celeberrima Batavorum Academia Ordinarium Historiarum Professorem; Præfectura quoque decoratus ab amplissimis ejusdem Academiæ Curatoribus Bibliothecæ, post excessum nobilissimi Iuvenis Jani Dusæ. Meam, quod restat, legendo scribendoque vitam procudo: memor, eam sine Litteris mortem esse: hominemque nihil, aut certe perparum scire: immane enim quantum esse, quod nescit. Præter Cosmographica hæc, & quædam quæ minoris rei, dedi jam Praxin Provincialis apud Batavos Curiæ Civilem: Ennij, antiquissimi Poëtæ, fragmenta; Tragicam Historiam Angeli Merulæ, Magni mei Patrui: daturus brevi, à quibus in præsentia calent præla, Κυνηγετικά, Statumque cum Religionis, tum Politicæ Gubernationis: quibus inde succedent, si ab DEO vita mihi, Historia cum Belgica, tum

Gel-

Gelrica ; Συγχρονισμὸς eorum , quæ proximis centum annis in Orbe Christiano contigerunt ; Διατριβὴ de Lingua Gallica Antiquitate , Mutatione , Dialectis : adfecta omnia , & fere effecta , Reliqua suo parebunt tempore. Vale amicissime Lector.

STRA-

STRABO

ΓΕΩΓΡΑΦΙΚΩΝ Libro I.

Geographiam dignum Philosopho Argumentum, Primosque qui Geographiam attigerunt, Philosophos fuisse, notans.

Τῆς τοῦ Φιλοσόφου πραγματείας εἶναι νομίζομεν, εἴπερ ἄλλην τινά, καὶ τὴν ΓΕΩΓΡΑΦΙΚΗ'Ν. Οἵ τε γὰρ πρῶτοι θαῤῥήσαντες αὐτῆς ἅψασθαι, τοιοῦτοί τινες ὑπῆρξαν. Ὅμηρός τε καὶ Ἀναξίμανδρος ὁ Μιλήσιος, καὶ Ἑκαταῖος ὁ πολίτης αὐτοῦ, καθὼς καὶ Ἐρατοσθένης φησί· καὶ Δημόκριτος δὲ, καὶ Εὔδοξος, καὶ Δικαίαρχος, καὶ Ἔφορος, καὶ ἄλλοι πλείους· ἔτι δὲ οἱ μετὰ τούτους Ἐρατοσθένης τε καὶ Πολύβιος, καὶ Ποσειδώνιος, ἄνδρες Φιλόσοφοι.

SYNOPSIS *Præsentis Voluminis.*

VOLVMINIS COSMOGRAPHICI, quod Lectoribus in præsentia offertur, duæ sunt Partes:

- **PARS I.** Prior, quæ tribus absolvitur Libris: quorum
  - Vnus, Generalis, agit de *Mundo:* Lib. I.
  - Duo, Speciales, continent *Sphæram*
    - *Cælestem:* Lib. II.
    - *Terrestrem:* Lib. III.
- **PARS II.** Posterior, cui quatuor sunt Libri: quorum
  - Primus, EVROPAM delineat in Genere Lib. I.
  - Tres Reliqui, Particulares, complectuntur Provincias, quîs Latinus in usu Sermo,
    - HISPANIAM: Lib. II.
    - GALLIAM: Lib. III.
    - ITALIAM: Lib. IV.

PAVLLI G. F. P. N. MERVLÆ
COSMOGRAPHIÆ
PARS I.

Qua ad amplam hanc mortalium sedem regia sternitur via.

LIBER I.
DE MVNDO.

CAPVT I. *Mundi Diffinitio.*

VNIVERSVM hoc, quod ob mentis humanæ sacraria magis, quam oculorum aciem obversatur, ab Elegantia perfecta & absoluta Puritate Græcis ΚΟΣΜΟΣ, quod illi nomen primus dedit Pythagoras, dicitur: Latinis MVNDVS. [*Mundus unde dictus.*] Is Plinio Naturalis historiæ lib. 11. cap. 1. *cujus circumflexu teguntur cuncta.* [*Quid Plinio.*] Apuleio, admirandam omnibus machinam depingenti, *qui societate Cæli & Terræ constat, & eorum Naturis, quæ utrinsque sunt.* [*Apuleio.*] Aristoteli περὶ κόσμου definitur ab Caussis quidem, ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις, ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένη: à Partibus vero; σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. [*Aristoteli.*] Consonant Chrysippi illa: σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τούτοις φύσεων· ἢ τὸ ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων σύστημα, καὶ ἐκ τῶν ἕνεκα τούτων γεγονότων: [*Chrysippo.*] Aliis apud Suidam; σύστημα ἐκ στοιχείων καὶ ἀνθρώπων, &c. Operosior in eo describendo Apuleius: *Mundus est,* inquit, *ornata ordinatio*, DEI *munere, Deorum recta custodia: cujus cardinem, sic enim dixerim Centrum, robustum & immobilem, genitrix atque altrix animantium omnium habet Tellus: supernis omnibus, ut videri potest, Aeris liquiditate ad modum tegminis, septis & opertis. Vltra Deorum Domus est, quod vocamus Cælum: quod quidem divinis corporibus onustum videmus, ignibus pulcerrimis & perlucidis Solis & Lunæ & reliquorum Siderum, cum quibus fertur per orbem, dierum noctiumque curriculis, agens Stellarum choros intermino lapsu, finem nulla ævi defectione factura.* [*Apuleio describenti.*] His explicandis non immorabor, ad potiora properans. Singula patebunt ex sequentibus.

CAP. II.

Mundi Caussa Efficiens, DEVS.

Mundus ab DEO creatus, Christianis.

DEI hoc opus confitemur Christiani cum Mosche, Geneseos cap. I. & II. Davide Propheta, Psalmo VIII. vers. 4. & XXCIX, 12. Schelomone, Proverbiorum XVI, 4. Ieschahhia XL, 12. & seq. XLV, 7, 12, 18. Paullo, Epistola ad Romanos, XI, 36. & ad Colossenses, I, 16. Auctore denique Epistolæ ad Hebræos, I.10. Certe Mosche, eruditus quidem omni sapientia Ægyptiorum, ut de illo testatur Ambrosius lib. I. ἑξαημέρ. cap. II. non persuasus tamen ab humana prudentia, sed à Spiritu Sancto & ipsa Veritate edoctus, tamquam testis divini operis, sic scribit: בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ, *In principio creavit* DEVS *Cælum & Terram.* בראשית inquit, quum nihil adhuc esset, sed jam primum Creationem inchoare statuisset, quæ ab æterno fuerat, Divina Majestas. Ecclesiast. XVIII, I. Alij *Principium* hoc de Filio DEI, non de ipso Creationis momento capiunt; quorum curiosa pietas vix est ut careat periculo. Alij alio modo exaudiunt hanc vocem. Videndus omnino præter alios Basilius I. Homilia τῆς ἑξαημέρου. ברא אלהים Creavit DEVS; DEVS, qui menti humanæ, suis ratiocinationibus indulgenti, νοῆσαι χαλεπὸς, φράσαι δὲ ἀδύνατος, ut cum Mercurio Trismegisto loquar; DEVS, qui Sibyllæ apud Iustinum Philosophum & Martyrem,

ὑπερμεγέθης, ἀγένητος,
Παντοκράτωρ, ἀόρατος, ὁρώμενος αὐτὸς ἅπαντα,
Αὐτὸς δ' οὐ βλέπεται θνητῆς ὑπὸ σαρκὸς ἁπάσης.

DEVS, unitrinus, Pater, Filius, Spiritus Sanctus, ut clare docent Propheta Psalmo XXXIII, 6. & Apostolus ad Colossenses I, 15. Vnde, ut pie nonnulli volunt, usus Mosche vocabulo אלהים, indicans recte plures Personas creatrices, adposito tamen singulari ברא, ut unitas essentiæ significetur. Trinitatis notam sunt etiam qui latere volunt in primis tribus primæ vocis characteribus, & integra sequente בראשית & ברא. ב enim Filium designare ajunt, qui בן Hebræis, per quem venitur (nam litterarum ordinem in utraque voce etiam observant) ad agnitionem Patris; ר Spiritum Sanctum, qui רוח iisdem, quique nexus mutui inter Patrem & Filium amoris; א denique Patrem, qui אב. Explicant planius Mosche verba David Psalmo, quem jam indicavi, Ioannes Euangelista I, I. & seqq. & alij. Quod autem in Symbolo Apostolico Pater dicatur Creator Cæli & Terræ; fit aut ratione ordinis, aut ministerij, seu qualiscumq; differentiæ caussa. Patri enim primæ Personæ primum opus tribuitur, Creatio: ut Secundæ, Filio, Redemtio secundum; Spiritui Sancto, Personæ Tertiæ, tertium opus Sanctificatio: quum tamen tria hæc totius Trinitatis opera.

Ab Eodem, sed obscurius, Orpheo.

Veram hanc & sanam de Rerum omnium Creatore Confessionem, proxime sequuti, Orpheus, Archelaus, Sophocles, Plato, Antisthenes, Menander, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Archedemus, Posidonius; & apud Latinos Ovidius & Servius. Orpheus, quod de illo testatur Lactantius lib. I. de falsa religione cap. V. DEVM Verum, Magnum, πρωτόγονον appellavit; ante Ipsum nihil fuisse genitum, ab Ipso omnia esse generata fassus. DEVM Ἑνὸς titulo facit alibi insignem poeta doctissimus, ut paulo post audiemus.

Pythagoræ.

Pythagoras suam hac de re sententiam sic concipit apud Iustinum:

Εἴ τις ἐρεῖ; Θεός εἰμι, παρὲξ ἑνὸς, οὗτος ὀφείλει
Κόσμον ἴσον τούτῳ στήσας εἰπεῖν, ἐμὸς οὗτος.
Κοὐχὶ μόνον στήσας εἰπεῖν, ἐμὸς: ἀλλὰ κατοικεῖν
Αὐτὸς ἐν ᾧ πεποίηκε. πεποίηται δ' ὑπὸ τούτου.

Archelao.

Archelaus, si quæ scribit Stobæus lib. I. φυσικ. ἐκλογ. vera, τὸν κόσμον συστῆναι notat ὑπὸ Θεοῦ καὶ ἐμψυχίας.

Sophocli.

Sophocles apud Clementem Alexandrinum προτρεπτ. πρὸς Ἕλλην. & Cyrillum contra Iulianum, disertis verbis sic ait:

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστιν Θεὸς,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε, καὶ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίας.

& quæ alia ibi.

Plato

Plato Aristonis F. Atheniensis, apud Diogenem Laertium lib. III. adserit δύο τῶν πάντων ἀρχὰς, Θεὸν (Quem idem, teste Lactantio lib. I. *Fabricatorem Mundi* vocat) καὶ ὕλην. DEVM appellat Νοῦν & Αἴτιον; Materiam vero agnoscit ἀσχημάτιστον καὶ ἄπειρον; & ex illa fieri addit συγκρίματα; eamque, quum aliquando temere & inordinate moveretur, ab DEO in locum unum coactam; hujusmodi autem οὐσίαν in quatuor στοιχεῖα conversam, Πῦρ, ὕδωρ, Ἀέρα, Γῆν; ex iis τὸν κόσμον καὶ τὰ ἐν αὐτῷ nata. Et paulo post idem vult, τὸν Θεὸν αἴτιον εἶναι τῆς ὅλης γενέσεως; τὸ δὲ κράτος τῆς γενέσεως τὸ ἄριστον αἴτιον; τὸν δὲ κόσμον συνεστάναι ἐκ Πυρὸς, ὕδατος, Ἀέρος, Γῆς: Ἐκ Πυρὸς quidem, ut Visibilis sit Mundus; ἐκ Γῆς, ut solidus; ἐκ δὲ ὕδατος καὶ Ἀέρος, ut ἀναλόγου & proportione non vacet; ex omnibus denique ut Perfectus & fere Immortalis. Ipse Plato in Timæo; οὕτω δὲ πυρός τε καὶ Γῆς, inquit, ὕδωρ Ἀέρα τε ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ θεὶς, καὶ πρὸς ἄλληλα καθ' ὅσον ἦν δυνατὸν ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον ἀπεργασάμενος: quæ sic interpretatur M. Tullius de Vniverso: *Ita contigit ut inter Ignem & Terram Aquam* DEVS *Animamque* (*Aerem* ita vocat Latine) *poneret, eaque inter se compararet & proportione conjungeret.* Imo Timæus Platonis totus in eo est, ut DEVM probet hujus Vniversi parentem, pulcerrimique operis molitorem, fabricatorem, effectorem. Idem Plato apud Stobæum lib. I. ἐκλογ. φυσ. cap. XIII. tria ponit Rerum principia; τὸν Θεὸν, τὴν ὕλην, τὴν ἰδέαν, ὑφ' οὗ, ἐξ οὗ, πρὸς ὅ. ὁ δὲ Θεὸς, inquit, νοῦς ἐστὶ τοῦ κόσμου; ἡ δὲ ὕλη τὸ ὑποκείμενον γενέσει καὶ φθορᾷ; ἰδέα δὲ οὐσία ἀσώματος ἐν τοῖς νοήμασιν, καὶ ταῖς φαντασίαις τοῦ Θεοῦ. Exstat etiam Magni Philosophi locus in Epinomide: κόσμον, ait, ἔταξε λόγος, ὁ πάντων θειότατος; Verbum, ὁ λόγος ille, qui est omnium Rerum divinissimus, mundum ordinavit: quæ de Filio DEI Platonem loquutum esse statuunt magni viri; præsertim quum idem Philosophus Hermiam, Erastum & Coriscum in Epistolis moneat, ut sancte venerentur & omni studio atque pietate colant, τὸν τῶν πάντων Θεὸν, ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τοῦ τε ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα Κύριον: illum omnium DEVM, ducem & auctorem præsentium & futurorum: per quem Pater ὑπέστησε τὰ πάντα καὶ σώζει πάντας; καὶ δι' οὗ οἰκονομεῖ τε καὶ βραβεύει. hausit hæc proculdubio divinus Philosophus ex historia Sacra. Profectus enim in Ægyptum, legit ibi, & plene, parum aberat, cognovit, ut scribunt Clemens Alexandrinus & alii, Mosche & aliquot Prophetarum scripta: quorum tamen doctrinam & veritatem, metu impeditus, &, quæ recens adhuc erat in omnium animis, Socratis calamitatem ob oculos habens, profiteri contra receptam publice πολυθείας opinionem, non fuit ausus. Videndus omnino Justinus in exhortat. ad Gentes. Platoni.

Antisthenes Atheniensis, quamvis multos Deos populares agnosceret, unum tamen dixit naturalem, id est, summum totius Artificem. Legendus Lactantius. Antistheni.

Menander sane DEVM Vniversi Creatorem his versibus profitetur: Menandro.

—— τὸν ὄντα κύριον πάντων ἀεὶ
Καὶ πατέρα, τοῦτον διὰ τέλους τιμᾶν μόνον
Ἀγαθῶν τοσούτων εὑρετὴν καὶ κτίστορα.

Iam Zenon Mnaseæ F. Citticus περὶ οὐσίας libro, item περὶ ὅλου: Cleanthes περὶ ἀτόμων; Chrysippus α. φυσικῶν in fine: Archedemus περὶ στοιχείων, & Posidonius β. φυσικοῦ λόγου, Diogene Laertio scribente lib. VII. duo volunt esse Rerum omnium Principia, τὸ Ποιοῦν καὶ τὸ Πάσχον: hoc quidem esse τὴν ἄποιον οὐσίαν τὴν ὕλην; illud vero τὸν ἐν αὐτῇ Λόγον τὸν Θεὸν (hoc omnino notandum, VERBVM DEVM agnoscunt Vniversi Efficientem. quam prope absunt ab Rege Propheta, qui canit: *Verbo Domini Cæli firmati sunt!*) τοῦτον γὰρ ὄντα ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἕκαστα (*qui per quatuor infusus Elementa gignit Vniversa*, inquiet mox Grammaticus Servius non Grammatice) Vnum DEVM esse, eum κατ' ἀρχὰς καθ' αὑτὸν ὄντα τὴν πᾶσαν οὐσίαν δι' Ἀέρος εἰς ὕδωρ convertisse; tum genuisse primum quatuor Elementa, Πῦρ, ὕδωρ, Ἀέρα, Γῆν. Quin & Zenon, apud Theodoretum sermone IIII. ad Græcos Infideles, propius ad veritatem accedit; DEI, primi omnium Auctoris, nomen non celat: τὸν Θεὸν, ait de illo, quem laudavi, καὶ τὴν ὕλην ἀρχὰς ἔφησεν εἶναι. Et de eodem Stobæus lib. I. φυσικ. ἐκλογ. Ζήνων, inquit, Μνασαίου, Κιτιεὺς, ἀρχὰς τὸν Θεὸν καὶ τὴν ὕλην, στοιχεῖα δὲ τέσσαρα ἔφησε. Zenoni, Cleanthi, Chrysippo, Archedemo, Posidonio.

Ovidius, Lactantio teste, in principio præclari operis, sine ulla nominis dissimulatione, ab DEO, quem *Fabricatorem Mundi*, quem *Rerum Opificem* vocat, Mundum fatetur instructum. Sic enim canit I. Metamorph. Ovidio.

Ante Mare & Terras, &, quod tegit omnia, Cælum,

(obscure Plinius, Mundum diffiniens, proprietatem hanc, quæ parti tantum convenit, tribuit toti)

Vnus erat toto Naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles:
Nec quidquam, nisi pondus iners: congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.

& paullo post: *Hanc* DEVS, *& melior litem Natura diremit.*

(an recte *Naturam* in Rerum Creatione nominet cum Epidecto Ovidius, postea dicendum)

Nam Cœlo Terras, & Terris abscidit Vndas,
Et liquidum spisso secrevit ab Aere Cœlum.

Deinde: *Sic vbi dispositam Quisquis fuit ille Deorum,*

prudenter Ovidius, horrendis, ut plerique tum in Rep. Romana, immersus de Deo opinionibus: non solum veritus, ne in re tam insigni Hunc pro Illo Deum nominando, alia, quam quæ ab Senatu comprobata erat, religione lectorem illigaret, ut innuit Agellius lib. II. Noct. Attic. cap. XXVIII. sed & formidans ne DEVM, cujus jam meminerat, parum grato nomine indicaret. Sic enim de DEO Ἀγνώστῳ, & de cujus certo nomine dubitabant, ne errore aliquo laberentur, veteres Romani cautim loquebantur. QVISQVIS ES, ut videre est apud eumdem Ovidium VI. Fastor. Plautum Rudente Act. I. Sc. IV. Virgil. IV. Æn. Plin. II. Nat. histor. cap. VII. & alios,

Congeriem secuit, sectamque in membra redegit.

Et: *Sic onus inclusum numero distinxit eodem*
Cura DEI.

Item: *His quoque non passim* MVNDI FABRICATOR *habendum*
Aera permisit.

Denique: *Sanctius his Animal, Mentisque capacius altæ*
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus Homo est: sive hunc divino Numine fecit
Ille OPIFEX RERVM, MVNDI MELIORIS ORIGO.

& quæ multa ibi alia de admirando DEI opificio & pulcra Mundi structura. Non possum non adponere superiorum, & SERVI sententiam; cujus de DEO Vniversorum Genitore, ad Virgilium, qui mox erit laudandus, hæc sunt verba: *Quatuor sunt Elementa, Terra, Aqua, Aer, Aether; &* DEVS: *præter hæc nihil est aliud: & hoc* τὸ Πᾶν *Mundum non possumus dicere. Nam Mundus non est Totum. Ergo* DEVS, *est quidam Divinus Spiritus, qui per quatuor infusus Elementa gignit Vniversa*: & quæ multa ibi notatu digna. *(Servio.)*

Apuleio. Apuleius etiam Mundum describit ornatam ordinationem, DEI munere.

Quam divine divini vates & Philosophi! quam non Christiani Christiane! *Quod si, quæ Natura ducente senserunt,* (ait Lactantius, quem dixi, loco) *in perpetuum defendissent: eamdem, quam Nos sequimur, Doctrinam, comprehensa Veritate, tenuissent.* Alij Efficientem non DEI nomine ostendunt; sed vel Μονάδος, vel Ἑνὸς, vel Αὐτοῦ, vel Νόος, vel *Spiritus* & *Mentis*, vel φύσεως, vel Ἀγαθοῦ Δαίμονος, vel denique Ποιοῦντος appellatione obvelant; qui sane non longe fuerunt à Veritate (ut de Virgilio testatur Lactantius) quam fere professi, quos nominavi, Vates & Philosophi; vere profitemur nos Christiani. Accedunt igitur, qui deinceps sequuntur, proxime. Clemens enim Alexandrinus στρωματ. λογ. ε. supremum illud Numen nomen non unum habere, sed varie ab varijs appellari scribit: ἤτοι Ἕν, ἤτ' Ἀγαθὸν, ἢ Νοῦν, ἢ αὐτὸ τὸ Ὄν, ἢ Πατέρα, ἢ Δημιουργὸν, ἢ Κύριον. Quid si, ἢ Αὐτὸν, ἢ τὸ Ὄν?

Ab μονάδι, Mercurio Trismegisto. Μονὰς Rerum omnium Principium dicitur Mercurio Trismegisto apud Stobæum lib. I. Φυσικ. ἐκλογ. cap. XIII. ἡ γὰρ Μονὰς, inquit, οὖσα πάντων ἀρχὴ καὶ ῥίζα, ἐν πᾶσιν ἐστὶν ὡς ἂν ῥίζα καὶ ἀρχή· ἄνευ δὲ ἀρχῆς οὐδέν· ἀρχὴ δὲ ἐξ οὐδενὸς, ἀλλ' ἐξ αὐτῆς.

Ab Ἑνὶ, Musæo. Τὸ Ἕν hic nominant Musæus & Orpheus. Ille quidem, docente Laertio in Proœmio, docet ἐξ Ἑνὸς τὰ πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς ταυτὸν ἀναλύεσθαι.

& Orpheo. Orpheus vero Musæi (ut notat Clemens Alexandrinus στρωματ. λόγ. α.) discipulus, apud eumdem Clementem προτρεπτ. πρὸς Ἕλλ. sic non solum περὶ Ἑνὸς, verum etiam Αὐτοῦ (quæ vox κατ' ἐξοχὴν Deo, majore jure, convenit, quam Pythagoræ, quam alijs) canens:

Εἷς

Εἰς δ' ἐς' αὐτογλυῆς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκ).
Ἐν δ' αὐτοῖς Αὐτὸς περιίσσεται: ἐδέ τις Αὐτὸν
Εἰσορᾷ θνητῶν, Αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.

Τὸν Νῦν, ut Efficientem edit Anaxagoras Clazomenius, Hegesibuli F. πάντα χρήματα γεγονέναι ὁμῦ: Νῦν δ' ἐλθόντα αὐτὰ διακοσμῆσαι, canit in operis sui principio; & de eo testatur Timon Phliasius in Sillis. Meminerunt Diogenes Laertius lib. II. Plutarch. de Placitis Philosophorum, Aristoteles de Physica auscultat. Scribit etiam Cicero de Natura Deorum, Anaxagoram *primum omnium rerum descriptionem & modum* MENTIS *infinita vi ac ratione designari & confici* voluisse: in eo non vidisse, *neque motum Sensui conjunctum & continentem in Infinito ullum esse posse, neque Sensum omnino, quo non ipsa Natura pulsa sentiret.* Clemens Alexandrinus προτρεπτ. πρὸς Ἕλληνας: Ἀναξαγόρας ὁ Κλαζομένιος καὶ ὁ Ἀρχέλαος Ἀθηναῖος τὸν Νῦν ἐπιστησάτην τῇ ἀπειρίᾳ. Quæ Clementis indicant Archelaum etiam hic sequutum præceptorem suum (notant Strabo lib. Geograph. XIIII. Diogenes Laertius in Archelai vita, & Suidas, in voce Ἀναξαγόρας, emendatior à me in Commentario ad I. Annalium EnnI) Anaxagoram. Addam Platonis illud in Timæo Locro de Anima Mundi: Τίμαιος ὁ Λοκρὸς, inquit, τάδε ἔφα, δύο αἰτίας εἶμεν τῶν συμπάντων; Νόον μὲν, τῶν κατὰ λόγον γιγνομένων, ἀνάγκαν δὲ, τῶν βίᾳ κατὰ τὰς δυνάμεις τῶν σωμάτων. Quem autem Νόον vocant Anaxagoras, Archelaus, Plato; eum Ἐπίνοιαν appellat hac in re Heraclitus, qui apud Stobæum I. φυσικ. ἐκλογ. cap. XXV. Mundum dicit ortum ὐ κατὰ χρόνον, ἀλλὰ κατ' ἐπίνοιαν.

Ab Νῦ, Anaxagora. — Archelao. — Platoni. — Heraclito.

Sequitur Virgilius, cujus de Summo DEO, omnium Rerum opifice, quem *Spiritum* ac *Mentem* (Νῦν Anaxagoras & Archelaus, Ἐπίνοιαν Heraclitus) nominat, hæc sunt verba:

Ab Spiritu vel Mente Virgilio.

Principio Cælum ac Terras, Camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque Astra
SPIRITVS *intus alit; totamque infusa per artus*
MENS *agitat Molem & magno se corpore miscet.*

Spiritum eo loco Probus improbe interpretatur ad VI. VirgilI Eclogam non Efficientem Vniversi DEVM, sed ejus Materiam *Aerem*, & confirmando, quod sentit, advocat hoc EnnI:

Quoi par Imber & Ignis Spiritus & gravi Terra.

quum *Spiritus* ibi non *Aer*: sed conjunctim *Ignis Spiritus*, qui Homero μένος πυρὸς, *Vis ignis.* Melius Servius ad locum Virgilij jam indicatum: *Quatuor sunt Elementa, Terra, Aqua, Aer, Aether; & Deus: præter hæc nihil est aliud.* DEVS *est quidam divinus Spiritus, qui per quatuor infusus Elementa gignit Vniversa.* Et paullo post ubi Virgilius: Spiritus intus alit; *Divinus*, ait, *& est unum, sive Mentem dicat, sive Animam, sive Spiritum. Intus alit, Vegetat & in æternitate custodit, quia missus est, & nulla pars Elementi sine* DEO *est.*

Ὑπὸ φύσεως procreatum esse Mundum scribit apud Stobæum Epidectus, lib. I. φυσικ. ἐκλογ. Ad cujus opinionem respexit fortasse an Ovidius, hoc versu:

Ab φύσει, Epidecto.

Hanc DEVS *& melior Litem Natura diremit.*
Nam Cælo Terras & Terris abscidit Vndas.

Stultum est & impium, ut eleganter docet Ludovicus Vives lib. I. de Veritate Fidei Christianæ, de Mundi Creatione ex Legibus Naturæ statuere: quum Creatio Naturam antecesserit: tum enim Natura est condita, quando & Mundus: nec aliud est Natura, quam quod jussit DEVS, alioqui minister esset DEVS Naturæ, non Dominus. Φύσεως igitur appellatione DEVS, qui ejus, ut omnium, etiam est Conditor, exaudiendus.

Magi (Persis illi erant, qui Ægyptiis προφῆται; Assyriis χαλδαῖοι: Gallis Δρυΐδαι, καὶ Σαμαναῖοι; Bactris & Celtis φιλόσοφήσαντες; Indis Γυμνοσοφισαὶ; alijs φιλόσοφοι βάρβαροι, quemadmodum scite scribit Clemens Alexandrinus στρωματ. λογ. πρωτ. quique apud Persas Deorum vacabant cultui; preces illis, vota, sacrificia obferebant, de Deorum substantia & generatione disserebant, qui denique quæcumque Deorum essent, tractabant) δύο εἶναι ἀρχὰς tradunt, Ἀγαθὸν Δαίμονα καὶ κακὸν Δαίμονα; & quod illi quidem nomen sit Ζεὺς καὶ Ὡρομάσδης; huic vero Ἅδης καὶ Ἀρειμάνιος; apud Aristotelem primo de Philosophia libro, Hermippum primo de Magis, Eudoxum ἐν τῇ περιόδῳ, Theopompum octavo τῶν φιλιππικῶν. Εὐδαίμων Generans, qui procreat omnia & conservat: Κακοδαίμων Caussa est Corrumpens, quæ abolet eadem & labefactat.

Ab Ἀγαθῷ Δαίμονι, Magis Persarum.

& Manichæi quamvis Christiani.

Magos ſequuti multo poſt Manichæi, qui anno Chriſti CCXXC. aut circiter ,n-ſi xerunt, ab orthodoxa fide deviantes, duos eſſe Deos: alterum Bonum, Creatorem & Auctorem rerum bonarum, qui nominatus illis φῶς, à quo creata volunt pleraque, alterum vero Malum, pari potentia; à quo Conjugium, Imperia & omnia mala orta dicunt. σκότος & ὕλη illis hic vocatus. Sed horum μανίαν refutat Epiphanius copioſe lib. II. Tom. II.

A ποιῶν, Zenoni, Cleanthi & alus.

Ποιῶν denique hic agnoſcitur Zenoni, Cleanthi, Chryſippo, Archedemo & Poſidonio; quorum in re tam præclara paulo ante indicavi ſuffragia.

Belliſſimæ igitur Fabricæ Parens & Auctor DEVS: Moſche quidem, Prophetis, Apoſtolis, Chriſtianis denique verus ille; Orpheo, Pythagoræ, Archelao, Sophocli, Platoni, Antiſtheni, Menandro, Zenoni, Cleanthi, Chryſippo, Archedemo, Poſidonio, Ovidio, Servio, quem ipſa Natura obſcurius ob oculos ponebat; Triſmegiſto denique, Muſæo, Orpheo iterum, Anaxagoræ, Archelao, Platoni, Heraclito, Virgilio, Epidecto, Magis, Zenoni, aliiſque, qui ſecretiore μονάδος, Ἑνός, Αὐτοῦ, Νοός, *Spiritus* & *Mentis*, Φύσεως, Ἀγαθοῦ Δαίμονος & Ποιοῦντος velo obductus. Nam quamvis varia ab varia virtute DEO nomina, res tamen una (craſſius cogor loqui) DEVS, qui vere Μονάς, vere τὸ Ἕν, vere Αὐτός; qui quum eſt à ſeipſo, ut ſit, accipit à nullo; à quo uno, quum omnibus vere ſit Νοῦς, Spiritus, Naturæ Dominus, Ἀγαθὸς Δαίμων, quique ſolus quæcumque ſunt fecit, Omnia; non à ſeipſis ſunt & conſtant: qui ſolus menſus eſt pugillo Aquas, ſolus Cœlos palmo ponderavit, ſolus adpendit tribus digitis Molem Terræ. Οὐ δὲ γάρ ἐστιν, ὃ μὴ τὴν αἰτίαν τοῦ εἶναι ὁ Θεὸς παρέχεται. Κἀκεῖνο ἕνεκεν τὰ πάντα; κἀκεῖνος αἴτιον ἁπάντων καλῶν.

CAP. III.

Varia variis Creandorum materia.

Mundus creatus ex Nihilo, Christianis.

CHRISTIANI Spiritus Sancti doctrinam, ab Moſche ſcriptis mandatam, amplexi Mundum conſtanter adſirmamus factum *ex Nihilo*. בראשית ברא אלהים *In principio creavit* DEVS. ברא Creare, Interpretum omnium conſenſu, ſoli DEO convenit, qui vel ex Nihilo facit, id quod prius non erat; vel ex præjacente, ut ſic loquar, materia novo modo, ſingulari conſilio & ſtupenda potentia condit & exhibet, cui condendo & exhibendo nulla creatura par. Duplex illa vocis notio paſſim in Sacris literis. Turbat hoc Philoſophos, qui Axioma illud ſuum, *Nihil ex nihilo creari* mordicus tenent, τὴν ὕλην ingenitam adſtruentes, hoc argumento uſi: Si Materia prima facta, factam neceſſe eſt eſſe vel ex Se vel Aliunde. Nam ex Nihilo Nihil. Ex Se autem non fit, eſſet enim antequam fieret, & οὐκ ἔστιν αὐτό τι ἑαυτοῦ αἴτιον, inquit de illis Clemens Alexandrinus στρωμ. λογ. ηʹ. Multo minus, Aliunde. Sic enim non eſſet Prima. Axioma ſatis validum, quod tamen exaudiendum de Potentia creata, non enim poteſt Nihil ſe creare ex Nihilo: non vero de Creatore, qui ex Nihilo poteſt creare, & vere creavit, Omnia. Legendus Auguſtinus lib. III. de Trinitate. Quod Senſus non capit, credat hic Fides. Πίστει νοοῦμεν, inquit Auctor Epiſtolæ ad Hebræos XI, 3. κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι.

contra Veterum Philosophorum opinionem.

quæ refutata.

Ex Nihilo creata primo Cælum & Terra: id est, (aliis alia sentientibus)

Quæ creavit DEVS ex Nihilo? את השמים ואת הארץ *Cælum & Terram*. Alij alio modo capiunt. Chryſoſtomus *Cæli Terræque* nomine ſignificari ſcribit totum hunc Mundum corporeum; quaſi Moſche conſilio prudenti voluiſſet ſummatim ante oculos ponere univerſum hoc Mundi opificium; deinde per ſex dies particulatim explicare; quidque ſingulis diebus ab DEO ſit factum, enarrare. Notat illud hac de re ſuffragium Auguſtinus lib. II. cap. III. contra Manichæos, & lib. XI. de Civit. Dei cap. XXXIII. Notat, inquam, non probat. Nam lib. XII. Confeſſion. cap. VII. *Cælum* exponit Naturam Angelicam; *Terram* Materiam Informem, ut duo totius Entis creati extrema: illud quidem ſummum & prope Deum, qui Angelus; hoc vero infimum & prope nihil, quæ Materia prima. Idem Auguſtinus, parum ſibi in re tam magna conſtans, volumine I. de Geneſi contra Manichæos, tam *Cæli*, quam *Terræ* appellatione putat indicari Materiam primam, ex qua omnia quidem conſtant Corpora; ſed primo & principaliter, quæ primo nominantur, *Cælum* & *Terra*.

Plerique

Plerique nomine *Cœli Cœlum* interpretantur, quod *Empyreum* indigetari vulgo solitum, addentes creatum illud mox Angelis fuisse repletum: *Terræ* verò Materiam primam informem omnino, cui tamen inerat quædam ad formas futuras potentia, adumbratam *Terræ*, *Aquæ* & *Abyssi* quasi coloribus; quod quæ sua virtute & qualitate ad Omnium formas erat in Potentia, singulorum nominibus non incommode potuerit insigniri. Hujus mentis fuerunt Theodoretus quæst. XI. & XIV. super Genesin, Basilius homiliis II. & III. ad Genesin, Beda in suo Hexaëmero, Alcuinus, Rabanus, Magister Sententiarum; eosque sequuti, Scholastici Theologi, item Nicolaus de Lyra, Magister Historiæ Scholasticæ, & alij. Nonnulli quos lubens, ab validissimis motus argumentis, sequor, nomine *Cœli* intelligunt non unum duntaxat Cœlum Empyreum, sed universum Corpus cœleste, cunctos orbes complectens, perfectos quod ad substantiam, numerum, ordinem, magnitudinem, figuram, partium denique densitatem & raritatem; sine luce tamen, motu & distinctione Siderum, quæ mox addita. Vidend. Basilius homilia II. super Genesin. *Terram* autem exaudiunt Ambrosius, Theodoretus, Chrisostomus, Beda alijque cum Græci tum Latini, quod nomen ipsum præ se fert verum *Terræ* (quam initio, לפנים, id est, *prius & ante alia* fundatam canit Propheta Psalmo CII. 26.) Elementum; intra quod quum plurimum reliqua tria Elementa contineantur, docente eleganter Basilio homilia II. existimandum cum *Terra* simul *Aquam, Aerem* & *Ignem* facta, quod bene censent idem Basilius, Damascenus lib. II. cap. V. & Beda loco sæpe indicato.

Corpus Cœleste universum.

& verum Terræ Elementum.

cum tribus reliquis.

Terræ autem, quam cum *Cœlo* ante alia omnia crearat DEUS, qualis? Spiritui sancto, והארץ היתה תהו ובהו: Latino Interpreti *Inanis & Vacua*; alijs *Solitudo & Inanitas*; *Inculta & vacua*; *Vanitas & Nihil*; *Ociosum & Indigestum*; *Desolata & Inanis*; Septuaginta, Ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, *Invisibilis & Incomposita*; Paraphrastæ Onkelo, צדיא וריקניא *deserta & vacua*. תהו res bruta, stupens, attonita Hebræis, qui vocem hanc etiam referunt ad tenebricosam & deformem terræ faciem, eam ob caussam, quod intendentes in illius cognitionem attonitos reddat. בהו ex vi vocis inchoatio & rudimentum Formæ. Si enim verbum verbo reddendum, sonat *In eo est*; adeo ut præter Subjecti potentiam, quæ jam erat inchoata, in eo Forma etiam esset intelligenda. Vult igitur his verbis Mosche *Terram* in principio fuisse sine Luce, sine ullo ornatu & decore, vacuam fuisse (ut Ionathæ habet paraphrasis) hominibus, animantibus, plantis; non distinctam in montes, valles, campos; non eminuisse supra Aquas, sed ijs omni ex parte opertam; talem denique, ut vere posset appellari materia invisibilis & informis, Sapient. XI, 18. utque merito חשך *Tenebræ* fuisse dicantur על־פני תהום *super facies Abyssi* חשך enim quasi Privatio (Peripateticis celebre rerum creandarum Principium) Formarum, quæ singulis propriæ & ad futurum ornatum necessariæ, mox erant addendæ. על־פני *super facies*, vel *superficies*: ut, indicante Cajetano, designetur utrumque hemisphærium obscurum fuisse, tenebrosum, altissimis aquis obrutum. תהום *Abyssus*, quam Basilius diffinit copiosam aquam, ad cujus fundum non facile penetrari potest deorsum versus: Augustinus vero ad Psalmum XLII. profunditatem impenetrabilem & incomprehensibilem, dici fere solitam in aquis; quibus altitudo, quæ penetrari usque ad fundum non potest.

Inane tamen & Vacuum.

sine Luce & ornatu.

ורוח אלהים *Et Spiritus Domini, Sanctus*, ut unanimi consensu tradunt Patres & Græci & Latini; non *Ventus*, ut vult adversus Hermogenem Tertullianus; non *Aer*, ut Theodoretus quæst. VIII. super Genesin; non *Vis*, *Impetus*, & *Efficacia* quædam vitalis & fœcunditatis plena, Aquis impressa ab DEO; quæ mens Chrysostomo Homilia III. in Genesin: nam nimis absurda Cajetani metaphora per *Spiritum Domini*, *Angelos* exaudientis.

מרחפת *erat, ferebatur, volitabat, motabat se, flabat*, ut Onkeli & Ionathæ paraphrases sonant; ad verbum *incubabat*, ut docent Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis super Genesin, Diodorus Episcopus Tarsensis, & apud Basilium ad hunc locum Syrus quidam vir magnus: Elegante metaphora. Sicut enim Aves ovis incubant, ut calefaciendo & calore quasi animando pullos excludant: ita Spiritus DEI incubabat Aquis, ut ista Corpora, quæ animanda & formanda erant, vivificaret. Hoc enim Spiritus Sancti officium.

על־פני המים *super facies Aquarum*; Has ad Mundi generationem & originem pertinere, Stoicorum fuit sententia, quæ apud Senecam lib. III. Natural. quæst.

cap. XIII. Quanta verò fuerit tunc temporis Aquarum profunditas, quanta vis & copia, docent præter alios Beda & Cajetanus.

Talis igitur Christianorum de Rerum ex Nihilo primordiis, Spiritu Sancto docente, doctrina.

Materiam V- nam alii, aliam alij statuunt:

Philosophi veteres Materiam Rebus omnibus advocant aliam alij: quorum veritatis fere adsertores obferunt se, qui ὕλην & *Chaos* nominant. ὕλη diffinitur, Primum unicuique Subjectum, ex quo fit aliquid; & in quod, postquam quod factum corrumpitur, ultimum abit & resolvitur. *Chaos* autem, ab Græca voce χέω, nihil aliud illis, quam limus & fusilis materia, non diversarum naturarum, sed unius simplicis & individuæ substantiæ & formæ, habens in se virtutem seminariam Rerum omnium, quas formaturus erat inde DEVS. Vnde sequitur creata mox omnia matris suæ indolem, alia magis, minus alia, retulisse, ac pondus aliquod obtinuisse, quo ad medium inclinarent, suamque sympathiam tum ad Terram, tum inter se mutua quasi incubatione contactu & sensu veluti, hodieque, exercerent, ut latius hæc Gerardus Mercator in suo Atlante.

ὕλην,

ὕλην Rerum omnium principium statuunt Ægyptij Philosophi, Zeno, & alij.

Ægyptij Philosophi,

Ægyptij apud Manethum in Naturalium Epitome, & Hecatæum I. de illorum Philosophia libro, volunt ἀρχὴν μὲν εἶναι τὴν ὕλην, εἶτα τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακεκρίσθαι, καὶ ζῶά τινα ἀποτελεσθῆναι.

Zeno,

Zeno Citticus Mnaseæ F. Cratetis auditor, à quo Stoicorum secta initium sumsit, τὸν Θεόν, ut Caussam Efficientem (quem paullo ante τὸν Ποιοῦντα dixit) καὶ τὴν ὕλην, ut Materiam (quam supra τὸ Πάσχον indigetavit) Rerum principia adserit: Theodoreto scribente sermone IV.

Qualitatem ὕλῃ addunt, Plato, Xenocrates, Anaxagoras, Archelaus.

Plato,

Plato, apud eundem Theodoretum, τὴν ὕλην σωματοειδῆ dixit esse, & ἄμορφον καὶ ἀνείδεον, καὶ ἀσχημάτιστον, καὶ ἄποιον παντελῶς. Qui potuisset felicius παραφράζειν Mosce illa תהו ובהו? Adscribit deinde divinus Philosophus ὕλην hanc omnia paullo post παρὰ τοῦ Πεποιηκότος accepisse. Πεποιηκὼς ibi Platoni, qui eidem paullo ante Θεός. De hac autem Platonis opinione & M. Tullius Academic. quæst. IV. *Plato*, inquit, *ex Materia omnia in se recipiente*, (erat enim, ut dixi, בהו, habens in se sua virtute quidquid producendum) *Mundum esse factum censet à* DEO *sempiternum*. Apud eundem tamen quatuor Elementa agnoscit, lib. I. de Nat. Deorum. *Quibus enim oculis*, ait, *intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi à* DEO *atque ædificari mundum facit? quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui ministri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem obedire & parere voluntati Architecti Aer, Ignis, Aqua, Terra, potuerunt?* Priore loco considerat Plato Materiam illam informem & indigestam ὕλης Molem; posteriore verò, quæ ex prima illa Materie sunt digesta: hic demcipem quasi hujus Vniversi, ibi vero caussam principem.

Xenocrates,

Xenocrates Karthaginiensis, teste Theodoreto, Sermone quarto, ἀέναον τὴν ὕλην, ex qua omnia sunt facta, dixit.

Anaxagoras,

Anaxagoras (quemadmodum de eo scribit M. Tullius lib. II. Academic. quæst.) *Materiam infinitam dixit esse, ex qua omnia gignerentur: eamque, particulas similes inter se minutas, eas primum confusas, postea in ordinem adductas à Mente divina.* Augustinus lib. de Civitate Dei VIII. cap. II. *Anaxagoras*. ait, *ejus* (Anaximenem designat) *auditor, harum rerum omnium, quas videmus, effectorem divinum Animum sensit & dixit ex infinita Materia, quæ constaret similibus inter se particulis, rerum omnium genera, pro modulis & speciebus proprijs, singula fieri, sed Animo faciente divino.* Eleganter autem meminerunt & Cicero & Augustinus ex sententia magni Philosophi, *Particularum inter se similium minutarum.* Hinc enim apud alios Anaxagoræ ὁμοιομέρεια, *similium partium natura*, vel *partium similitudo.* Lucretius lib. II. de Rer. Natura:

Nunc & Anaxagoræ scrutemur ὁμοιομέρειας,
Quam Græci memorant.

Et paullo post:

Principium Rerum quam dicit ὁμοιομέρειαν:
Ossa videlicet è pauxilleis atque minuteis
Ossibu'; sic & de pauxilleis atque minuteis
Visceribus viscus gigni; Sanguenque creari
Sanguinis inter se multeis coëuntibu' gutteis;

Ex au-

Ex aurique putat miceis consistere posse
Aurum; & de terreis Terram concrescere parveis;
Sic ignem inter se parveis coëuntibu' nasci
Ignibus; exigueis Humorem humoribus esse.
Cetera consimili fingit ratione putatque.

Sic Justinus λογ. παραινετ. πρὸς Ἕλλ. Ἀναξαγόρας, inquit, ὁ Κλαζομένιος ἀρχὰς τῶν πάντων τὰς ὁμοιομερείας εἶναι ἔφη. Servius item ad illud Virgilij IV. Aeneid.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.

Secundum Anaxagoram, inquit doctus Interpres, *qui dicit ὁμοιομέρειαν, id est, membrorum similitudinem esse in rebus creandis, id est, ex ossibus, ex sanguine, ex medullis. Nam omnia pro parte sui transeunt in procreationem.* Anaxagoras tamen ad VI. Virgilij Eclogam Rerum materiam ponit in *Igne*.

Auditorem habuit Anaxagoras Archelaum; qui non dubium quin ejusdem cum præceptore fuerit sententiæ de Materia Infinita: certe *etiam ipse* (scribit de eo Augustinus) *de particulis inter se similibus* (sic enim legendum) *quibus singula quæque fierent, ita Omnia constare putavit, ut inesse etiam Mentem diceret, quæ corpora similia, id est, illas particulas conjungendo & dissipando, ageret omnia.* Hic tamen apud Plutarch. περὶ τ̃ ἀρεσκ. & Diogenem Laertium lib. II. præter Ἀέρα ἄπειρον, adserit δύο εἶναι αἰτίας γενέσεως, θερμὸν καὶ ψυχρόν. Idem apud Justinum Martyrem, λογ. παραινετ. πρὸς Ἕλλ. Ἀέρα ἄπειρον, & quæ circa eum sunt, Πυκνότητα καὶ Μάνωσιν, Omnium Rerum principia agnoscit. De Archelao, ut & Anaxagora, legendus etiam Ioannes Stobæus lib. I. ἐκλ. φυσικ. cap. XIII. — Et Archelaus.

Chaos Rerum Materiam suggerunt Hesiodus & Ovidius. — Chaos; Hesiodus.

Ille in Theog. Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἀθανάτων.

Hic vero lib. I. Metamorphoseos: — & Ovidius.

Ante Mare & Terras, &, quod tegit omnia, Cælum,
Unus erat toto Naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos.

quod quid sit, subjicit: —— *rudis indigestaque moles,*
Nec quidquam nisi pondus iners:

תהו ובהו, ait Spiritus sanctus per Mosche; Ὕλη, inquit Plato σωματοειδὴς, ἄμορφος, ἀνείδεος, ἀσχημάτιστος, ἄποιος παντελῶς. Pergit Ovidius:

——*congestaque eodem*
Non bene junctarum discordia semina rerum.

Elementa primitus volunt Rebus omnibus initium dedisse multi Philosophi; eaque Unum vel Plura. Circa Unum versatos lego non paucos.

Anaximenes Eurystrati F. Milesius, Anaximandri auditor, apud Plutarch. de Philosophorum Placitis, ἀρχὴν τῶν ὄντων Ἀέρα censet: ἐκ γὰρ τούτου τὰ πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς αὐτὸν ἀναλύεσθαι. Testatur hoc de eodem Justinus Martyr λογ. παραινετ. πρὸς Ἕλλ. τρίτος Ἀναξιμένης, inquit, καὶ οὗτος ἐκ τ̃ Μιλήτου ὑπάρχων, Ἀέρα τ̃ παντὸς ἀρχὴν εἶναι λέγει, ἐκ γὰρ τούτου τὰ πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς τοῦτον πάντα ἀναλύεσθαι φησίν. videndus & Stobæus lib. I. Physic. Eclog. cap. XIII. Qualis autem hic *Aer* Philosopho? Notant alij. M. Tullius in Lucullo de Anaximene: *Infinitum Aera esse dicit, ex quo omnia gignerentur.* Et lib. I. de Nat. Deor. *Anaximenes Aera Deum statuit, eumque gigni, esseque immensum & infinitum, & semper in motu.* Augustinus lib. VIII. de Civitate Dei, cap. II. *Iste* (Anaximander) *Anaximenem discipulum & successorem reliquit, qui omnes Rerum caussas Infinito Aeri dedit: nec Deos negavit, aut tacuit; non tamen ab ipsis Aerem factum, sed ipsos ex Aere ortos credidit.* Diogenes Laertius lib. II. ex mea emendatione: οὗτος, ait de Anaximene, ἀρχὴν Ἀέρα εἶπε τὸν ἄπειρον. Archelaum etiam apud Plutarchum, Diogenem Laertium, & Justinum ejusdem esse mentis, paullo ante docui. — Rerum Omnium Principium, Aer, Anaximeni. — Isque Infinitus.

Suffragatur Præceptori suo Diogenes Apollothemidos F. Apolloniates. M. Tullius I. de Nat. Deor. *Quid Aer, quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem sensum habere potest, aut quam formam Dei?* Sed qualis *Aer*? Theodoretus λόγῳ δ. περὶ ὕλης καὶ κόσμου, hoc indicat, apud quem Philosophus scribit Στοιχεῖον esse τὸν Ἀέρα, Κόσμους ἀπείρους, & Κενὸν ἄπειρον; τὸν δ' Ἀέρα πυκνούμενον καὶ ἀραιούμενον γεννητικὸν εἶναι τῶν κόσμων: οὐδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος — Diogeni Apolloniati.

Terram rarefque, & Rationis compos.

μὴ ὄντος γίνεσθαι, ὐδ' εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι. Hunc Aerem *compotem Rationis (* ut Caussæ Efficientis*)* idem dicit apud Augustinum de Civitate Dei lib. VIII. cap. II. *Diogenes quoque Anaximenis alter auditor, Aerem quidem dixit Rerum esse Materiam, de qua omnia fierent: sed eum esse compotem divinæ Rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset.* Apud Stobæum lib. I. φυσικ. ἐκλογ. Α'έρα ἄπειρον Principium rerum ponit.

Ignis. Heraclito.

Heraclitus Βλύσωνος F. Ephesius, apud Diogenem Laertium lib. IX. Plutarch. lib. I. περὶ τ̃ Α'ρεσκοντ. & Justinum παραινετικῷ λόγῳ πρὸς Ε'λλ. arbitratur τὰ πάντα ἐκ Πυρὸς συνεστάναι, καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεσθαι. Idem apud Theodoretum λόγῳ δ. putat, Ε'ν εἶναι τὸ Πᾶν, ἀκίνητον καὶ πεπεράσμενον: ἀρχὴν ἢ τὸ Πῦρ ἐσχηκέναι. Eandem huius Philosophi sententiam aperiunt M. Tullius lib. IV. Academicarum quæst. & III. de Natura Deorum, ubi: *Sed omnia vestri, Balbe, referre solent ad igneam vim, Heraclitum, ut opinor, sequentes, &c.* Et Vitruvius lib. II. cap. II. *Heraclitus Ephesius,* inquit, *qui propter obscuritatem Scriptorum à Græcis Σκοτεινὸς est appellatus, Ignem principium Rerum posuit.* Gradus rerum notat ab Heracliti mente Plutarch. lib. I. περὶ τῶν Α'ρεσκ. Ignem crassissimis particulis præditum Terram fieri; deinde Terram, quum ab Igne laxatur, Aquam; hanc verò exhalantem & extenuatam, Aerem. Plutarchi verba sunt: ὅτι τὸ παχυμερέστατον τ̃ Πυρὸς, εἰς αὐτὸ συστελλόμενον, γίνεται Γῆ. ἔπειτα ἀναχαλωμένη Γῆ ὑπὸ τ̃ Πυρὸς, Υ'δωρ ἀποτελεῖται: ἀναθυμιώμενον δὲ Υ'δωρ Α'ὴρ γίνεται. Heracliti opinionem varie refutat Lucretius lib. I. de Rerum natura.

Certis gradibus.

Hippaso.

Huius autem cum Heraclito sententiæ fuisse Hippasum Metapontinum notant Clemens Alexandrinus προτρεπτ. λόγῳ πρὸς Ε'λλ. & Theodoretus sermone IV. Stobæus Physic. Eclog. I. c. XIII.

& Stoicis.

Hos sequuti Stoici *Ignem*, apud August. lib. VIII. de Civit. Dei cap. V. id est, *corpus unum ex his quatuor Elementis, quibus visibilis hic Mundus constat, & viventem & sapientem & ipsius Mundi fabricatorem, atque omnium, quæ sunt in eo, eumq. omnino Ignem Deum esse putaverunt.* De his multa M. Tullius lib. II. de Nat. Deor. & IV. Academic. quæst.

Aqua, Thaleti.

Thales Milesius, *qui,* teste cum aliis Lactantio lib. I. cap. V. de falsa religione, *unus è septem Sapientum numero fuit, quique primus omnium quæsisse de rebus naturalibus traditur: Aquam esse dixit, à qua nata sunt Omnia: Deum esse Mentem quæ ex Aqua cuncta formaverit* (fere est ut putem ab Magno Philosopho lectum illud Spiritus Sancti: ורוח אלהים מרחפת על־פני המים, *Et Spiritus* DEI *incubabat super facies Aquarum) Ita Materiam omnium posuit in Humore: principium caussamque nascendi posuit in Deo.* Sic M. Tullius lib. I. de Nat. Deor. *Thales Milesius, qui primus de naturalibus rebus quæsivit, Aquam dixit esse initium Rerum: Deum autem eam Mentem, quæ ex Aqua cuncta fingeret.* Augustinus lib. VIII. cap. II. *Ionici generis princeps Thales Milesius Aquam putavit Rerum esse principium, & hinc omnia Elementa Mundi, ipsumque Mundum & quæ in eo gignuntur, existere.* Videndi idem, ejusdem lib. cap. V. Seneca lib. III. Natur. quæst. cap. XIII. Vitruvius lib. II. cap. II. & in Proœmio lib. VIII. Servius ad VI. Virgilij Eclogam, Justinus Martyr λογ. παραινετ. πρὸς Ε'λλ. Stobæus lib. I. Ε'κλογ. φυσικ. cap. XIII. Eundem designat Lucretius lib. I.

——— *aut Humorem quicunque putarunt*
Fingere Res ipsum per se.

& sex reliquis Sapientibus.

Thaleti sex reliquos Sapientes consensisse primos, notat Tullius IV. Acad. quæst.

Terra, Xenophani.

Et fors an Hesiodo.

Xenophanes apud Theodoretum λογ. δ. *Terram* opinatur omnium Rerum initium; Sic enim canit: Ε'κ Γῆς γὰρ τάδε πάντα, καὶ εἰς Γῆν πάντα τελευτᾷ.
Apud Stobæum lib. I. φυσικ. ἐκλογ. cap. XIII. Υ'λην ponit, διὰ τ̃ πλῆθος. Fuit ejus fortean mentis & Hesiodus in Theogonia:

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόενθ' ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτῃ.

& quæ sequuntur. Neminem tamen Physicorum τὴν Γῆν Rerum principium pronunciasse testatur Aristoteles lib. I. τῶν μετὰ τὰ φυσ. Lucretius certe nonnullos fuisse innuit lib. I. ubi inter alia: ——*Terramve creare*
Omnia, & in Rerum naturas vortier omnes.

Succedunt, *qui,* ut Lucretij verbis utar lib. I. de Nat. Rerum:

——*conduplicant primordia Rerum,*
Aera jungentes Igni, Terramque Liquori:
Et qui quatuor ex Rebus posse omnia rentur,
Ex Igni, Terra, atque Anima procrescere & Imbri.

Terram

Terra & Aqua, Homero.

Terram & *Aquam* committit Homerus apud Probum ad VI. Virgilij Eclogam, hoc versu,

> Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Solam tamen *Aquam* videtur agnoscere apud Stobæum φυσικ. ἐκλογ. lib. I. cap. XIII.

> Ὠκεανός θ' ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Aer & Terra, Euripidi.

Aerem & *Terram* inducit apud eundem Probum Euripides.

Ignis & Terra, Parmenidi.

Ignem & *Terram* ponit Parmenides Pyreris F. Eleates, Xenophanis auditor, qui apud Diogenem Laertium lib. IX. adfirmat δύο εἶναι στοιχεῖα, Πῦρ καὶ Γῆν; *Ignem* quidem δημιουργοῦ τάξιν ἔχειν; *Terram* vero ὕλης. De eodem legendus & Theodoretus λογ. δ. *Igni* & *Terra* tertium quid addit Pherecydes, Badyos F. Syrus, Pittaci auditor, χρόνον: quemadmodum de eo scribit Probus ad VI. Virg. Eclogam: *Consentit & Pherecydes*, inquit, *sed diversa adfert Elementa*: Ζῆνα μὲν, inquit, καὶ χθονίην καὶ χρόνον, *Ignem, Terram, ac Tempus significans*; Ζῆνα *esse Aethera, qui regat Terram, qua regatur Tempus, in quo universa pars moderetur.* Confirmat illa Diogenes Laertius lib. I. docens servari adhuc Pherecydis Syri libellum, quem scripsit de Rerum principiis, cujus initium erat, Ζὰς μὲν καὶ χρόνος εἰς ἀεὶ, καὶ χθονίη. χθονίῃ δὲ ὄνομα ἐγένετο Γῆ, ἐπειδὴ αὐτῇ Ζὰς γέρας διδοῖ.

Ignis, Terra, Tempus, Pherecydi.

Quatuor Elementa, Athamani. Xenophani. Empedocli. (qui tamen addit Amicitiam & Dissidium.)

Quatuor Elementa Rerum omnium primordia volunt Πῦρ, ὕδωρ, Ἀέρα, Γῆν, Athimas apud Clementem Alexandrinum στρωματ. VI. Xenophanes Colophonius apud Diogenem Laertium lib. IX. (hic tamen, teste Probo, *Terram* solum & *Aquam* prodit; scribente vero Theodoreto, ἐκ τῆς Γῆς tantum φῦναι ἅπαντα εἴρηκεν) & Empedocles Agrigentinus apud Lucretium lib. I. Athenagoram in Apologia, M. Tullium lib. IV Academic. quæst. Servium ad VI. Virg. Eclogam, & alios: qui tamen, ut notant Clemens Alexandrinus προτρεπτ. πρὸς Ἕλλ. Justinus Martyr παραινετικ. λογ. πρὸς Ἕλλ. & Diogenes Laertius lib. VIII. Elementis addit *duas primarias Potentias Amicitiam* atque *Dissidium*, Φιλίαν καὶ Νεῖκος, quarum altera uniendis, altera distrahendis inserviat Elementis; ὧν ἡ μὲν ἐστι ἑνωτική, τὸ δὲ διαιρετικόν. Versus, quibus Philosophus suam de Compositione tam speciosa sententiam aperuit, quique sparsim apud varios & minus emendate leguntur, castigo & connecto in meo ad Annales EnnI Commentario: vbi etiam doceo, Poetam, quem dixi, & Lucilium in hac classe collocandos.

Ennio, Lucilio.

Quinque Elementa, Aristoteli.

Aristoteles Nicomachi F. Stagirites philosophatur, præter στοιχεῖα quatuor, quintum etiam esse, ex quo Αἰθέρια consistunt, ἀλλοίαν δὲ αὐτοῦ τὴν κίνησιν εἶναι; κυκλοφορικὸν γάρ, scribente Diogene Laertio lib. V. Quæ planius notantur ab Theodoreto sermone IV. Illustrio in ejus vita & Justino Martyre, qui in Appendice Confutationis quarundam Græcarum opinionum, sententiam magni Philosophi docte refellit.

Quatuor primæ Qualitates, Zenoni.

Sunt qui quatuor primas Qualitates, Calidum, Frigidum, Humidum, Siccum, statuunt Rerum omnium principia. Zeno Eleates Pyrrheti F. vult Naturam omnium Rerum γεγενῆσθαι ἐκ Θερμοῦ καὶ Ψυχροῦ; καὶ Ξηροῦ καὶ Ὑγροῦ, teste Diogene Laertio libro IX. Eo forte respicit Ovidius lib. I. Metamorph.

> *Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno*

(Intelligit Chaos & primam Rerum creandarum massam)

> *Frigida pugnabant Calidis; Humentia Siccis;*
> *Mollia cum Duris; sine Pondere habentia Pondus.*

Duæ primæ Qualitates, Archelao.

Archelaus parum constans, nunc hoc, nunc illud sentiens, ut paulo ante dixi, apud Plut. περὶ τῶν Ἀρεσκ. & Diogenem Laertium lib. II. adserit δύο εἶναι αἰτίας γενέσεως Θερμὸν καὶ Ψυχρόν. De *Calore* & *Frigore* Vniversi caussis, multa Bernardinus Telesius lib. I. de Rerum Natura, cap. I. & seqq.

Elementa & Frigidum, Stratoni.

Strato, notante Stobæo lib. I. φυσικ. ἐκλογ. Στοιχεῖα nominat & Ψυχρόν, *Elementa* & *Frigidum*. Idem apud alios nullum agnoscit Mundi Molitorem, sed cum suapte natura, vi ac potestate, qualis nunc est, talem ab omni æternitate fuisse censet.

Infinitum, Anaximandro.

Τὸ Ἄπειρον statuunt Anaximander & Melissus. Ille enim Milesius Praxiados F. vult omnium Rerum principium esse τὸ Ἄπειρον, non diffiniens Ἀέρα, ἢ ὕδωρ, ἢ ἄλλο τι: ut scribunt M. Tullius IV. Academic. quæst. Augustin. lib. VIII. de Civitate Dei, cap. II. Justinus Martyr παραινετ. λογ. πρὸς Ἕλλ. Diogenes Laertius lib. II. Adeundi & Aristoteles lib. I. de Physic. Auscult. Plut. de Placit. Philosoph. M. Tullius de Natur. deor. Euseb. in Præpar. Euangelica.

Melisso

& Melisso.

Melisso vero Ithægenis F. Samio placet τὸ Πᾶν ἄπειρον esse καὶ ἀναλλοίωτον καὶ ἀκίνητον, teste Diogene lib. IX. De eo M. Tullius in Lucullo, & Theodoretus sermone IV.

Finitum & Infinitum, Philolao.

Philolaus Pythagoreus, si Stobæo fides, lib. I. Eclog. Physicæ τὸ Πέρας agnoscit, καὶ τὸ Ἄπειρον; *Finitum* & *Infinitum.*

Atomi, Leucippo.

Occurrunt ultimo loco, qui *Atomos* Rerum principia imaginantur. Inter eos primi loci Leucippus Eleates, qui Zenonis fuit auditor. Hic enim censuit Ἄπειρα esse omnia, καὶ εἰς ἄλληλα μεταβάλλειν; & universum istud κενὸν esse καὶ πλῆρες σωμάτων: Mundos autem fieri, τῶν σωμάτων εἰς τὸ κενὸν ἐμπιπτόντων καὶ ἀλλήλοις περιπλεκομένων, &c. Quæ fusius explicantur apud Diogenem Laertium lib. IX. M. Tullium IV. Academic. quæst. Stobæum lib. I. Physic. Eclog. cap. XIII. & alios.

Democrito.

Ab Leucippo eruditus Democritus Milesius; qui, scribente eodem Diogene, lib. IX. Universi hujus semina affirmat Ἀτόμους καὶ Κενὸν: *Atomos* autem & magnitudine & numero esse Infinitas, ferrique ἐν τῷ Ὅλῳ δινουμένας, atque ita πάντα τὰ συγκρίματα gignere, Πῦρ, Ὕδωρ, Ἀέρα, Γῆν. Videndi & Tullius in Lucullo & Theodoretus sermone IV.

Epicuro.

Stultitiæ suæ hæreditatem, ut utar verbis LactantI, Democritus reliquit Epicuro; de cujus opinione M. Tullius lib. I. de Finibus, Plutarchus περὶ τῶν Ἀρεσκ. τοῖς φιλ. Theodoretus sermone IV. Diogenes Laertius lib. X. Augustinus de Civit. Dei, lib. VIII. cap. V. Servius ad VI. Virg. Eclog. Justinus παραινετ. λογ. πρὸς Ἕλλ. Scripsit hæc ipse Epicurus lib. II. περὶ Φύσεως, & in μεγάλῃ Ἐπιτομῇ.

Metrodoro.

Eiusdem mentis Metrodorus Chius apud Theodoretum & Stobæum, quum Rerum initia facit Ἀδιαίρετα (sic & vocat Atomos: quod ita sint exigua, ut nec sectionem ullam nec divisionem admittant) καὶ Κενὸν.

Diophanto.

Horum de Principiis Rerum sententias sequutus Diophantus Syracosius, secta Pythagoreus, teste Theodoreto, sermone sæpe laudato.

Lucretio.

Epicureos esse se cum multis aliis sunt professi Lucretius & Virgilius. Ille quidem lib. I. ubi non paucis versibus canit totam hanc Rerum naturam duabus ab initio rebus constare *Corporibus* & *Inani*, in quo Corpora sita, & per quod huc illuc

Virgilio.

feruntur ac moventur: Virgilius vero Ecloga VI. qua Materiam Universi penit sub persona Sileni duplicem *Inane* & *Corpora*: ubi legenda omnino quæ scribit Interpres ejus Servius, docte satis & eleganter.

Quibus ser[...]am int[...] se re[...] rocantibus. eo [...]ventor.

Finem his faciam cum magno Philosopho lib. I. Physic. Ζητοῦντες οἱ κατὰ φιλοσοφίαν πρῶτοι τὴν Ἀλήθειαν, καὶ τὴν φύσιν τῶν Ὄντων, ἐξετράπησαν. In Rerum Principiis notandis plerique Philosophi magnas

—— fecere ruinas,

Et graviter magni magno cecidere ibi casu,

ait Lucretius. Quanta autem inter omnes dissensio? Conciliari forte possent aliquo modo, sed cui bono? Veritatem hic nos docet ipsa Verbi DEI Veritas, cujus lucem

Ab DEO creatum esse quidquid in Rerum natura;

in tantis tenebris si sequamur, nunquam aberrabimus. *Ab* DEO, *qui Invisibilium maximus, omnium visibilium maximus est Mundus*, inquit Augustinus libro de Civitate Dei XI. cap. IV. *Sed Mundum esse conspicimus*, DEVM *esse credimus. Quod autem* DEVS *Mundum fecerit, nulli tutius credimus quam ipsi Deo. Ubi eum audivimus? nusquam melius, quam in Scripturis sanctis, ubi dixit Propheta ejus:* In principio fecit DEVS Cœlum & Terram. *Numquid nam ibi fuit iste Propheta, quando fecit* DEVS *Cælum & Terram? Non. Sed fuit ibi Sapientia* DEI, *per quam facta sunt omnia, quæ in Animas etiam sanctas se transfert, Amicos* DEI *& Prophetas constituit, eisque opera sua sine strepitu intus enarrat.* Et paulo post: *Ex his unus erat iste Propheta, qui dixit & scripsit:* In principio fecit DEVS Cœlum & Terram: *qui tam idoneus testis est, per quem* DEO *credendum sit, ut eodem Spiritu* DEI, *quo hæc sibi revelata cognovit, etiam ipsam Fidem nostram tanto*

ex Nihilo.

ante prædixerit. Et quæ alia apud doctissimum Theologum. DEVS igitur est, qui ex Nihilo cuncta creavit: ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, inquit Paullus Apostolus epistola ad Romanos, cap. XII. in fine.

CAP. IV.

Cap. IV.

Ordo Rerum ab Deo *Sex Dierum spatio creatarum.*

QVUM Devs prima Mundi Corpora, eaque, ut dixi, indigesta & tenebrosa, ex Nihilo creasset, ab opere cœpto non cessavit, sed Creatis jam ornatum conciliaturus primo die, sublatis Tenebris, Lucem addidit; secundo & tertio Confusionem ab Aquis removit & Terra; reliquis diebus, quæ לפנים prius & ante omnia crearat, quibusque ornandis & digerendis triduum impenderat, Cœlum porro Stellis, Aërem Avibus, Piscibus Aquam, Animantibus denique Terram complevit. Ordine de singulis hoc capite pauca dicam. Cœpit Decor ille ab Creatorum jam Corporum, ut decebat, præstantiore, quod Cœlum: huic duplex additum ab Deo ornamentum, *Lumen* & *Motus*; illud nominatur ut principem obtinens locum; hic subiicetur, ut quod propter illud. *Lumen* per se sensibus omnium est notum; *Motus* non nisi doctis per *Lumen*. De *Luce* igitur primo die facta sic Spiritus Sanctus: *Dixit* Devs, יהי אור, *Fiat Lux*; *& facta est Lux*: quo respiciunt Paullus epist. II. ad Corinthios, IIII, 6. & Auctor Epist. ad Hebræos XI, 3. *Lux* magnis Philosophis prima qualitas activa primi Corporis, id est, Cœli: non tamen intra illud contracta, sed ad omnes res corporeas effusa: quum ejus beneficio fit in Inferioribus, quidquid fit ab Cœlo. Creanda sane erat, ut per eam, quemadmodum notant Basilius, Damascenus, Beda & alij, conspicua fierent & manifesta omnia Dei opera, eaque non modo humanis oculis cernerentur, sed cernerentur cum voluptate: quum ejus auxilio varietas & pulcritudo rerum omnium appareat; ut canit Auctor lib. IIII. Esdræ, cap. VI, 40. Certe auferatur *Lux*; omnia in tenebris ignota jacebunt, nec fieri poterit, ut proprium & inditum divinitus demonstrent decorem. Quid in rebus corporatis ad adspectum *Luce* jucundius? quid ad recreandum animos lætius? quid ad rerum usum commodius? Ad Mundi sane ornatum nihil esse pulchrius; ad percipiendam rerum omnium, cum primis cœlestium, cognitionem nihil esse adcommodatius; ad repræsentandum denique res spirituales & divinas nihil aptius, quotidiana docet experientia. Quid dicam de adsiduo ejus & numquam cessante munere distinguendi tempora, dies & noctes. Quæ pluribus prosequuntur cum alij, tum Dionysius de Divinis nominibus cap. IV. & de cœlesti Hierarchia cap. XV. Fuit autem Lux illa primo die creata (quo Cœli loco, an in Oriente, Meridie vel Occasu; videndi Bonaventura II. Sentent. dist. XIII. art. I. quæst. 2. Hugo lib. I. de Sacrament. part. I. cap. 29. Magist. Sent. dist. XIII. lib. II. Ægidius part. I. ἑξαημέρ. cap. XVI. Cajetanus, & alij) non alia, quam quæ postea Lux Solis, corporea & sensibilis (ut uno calculo volunt Patres, tam Græci quam Latini, & omnes prope Theologi, ex quibus præcipue consulendus Boneventura II. Sent. distinct. XIII.) primo quidem triduo (primam enim distinxit & diffinivit dierum nostrorum trinitatem, quod quo modo factum ostendunt, serram inter se reciprocantes, hinc Basilius II. Homilia super Genesin, & Damascenus lib. II. de fide Orthodoxa, cap. VII. inde Augustinus lib. I. ad Genesin cap. XI. & XVI. Beda in ἑξαημέρ. Thomas I. part. quæst. LXVII. art. 4.) informis & imperfecta, vel potius quod diffusior minoris claritatis, producta scilicet secundum communem lucis naturam: quarto vero die perfecta & in unum Solis corpus conglobata, datis illi non modo speciali & determinata ad particulares effectus, distinguendaque Dierum & Noctium tempora, virtute: verum etiam, quæ jam habet, magnitudine, figura & pulcritudine. Legendi Dionysius loco, quem laudavi, eumque sequuti Thomas part. I. quæst. LXVII. art. 4. & quæst. LXX. art. I. Dionysius Carthusianus ad cap. I. Genes. art. 9. & firmis, quæ dixi, probans argumentis Benedictus Pererius in Genes. lib. I. doctissime refutans alia sentientes. Ambrosius enim Catharinus suo in Genesin Commentario *Lucem*, quæ primo die creata, non aliam quidem fuisse notat, quam Solis, eamque perfectam æque ac nunc est; Solem adfirmans & reliquos Planetas primo die factos: sed, quod quarto die Stellæ inerrantes conditæ, Moschen per ἀνακεφαλαίωσιν mentionem tunc simul fecisse insigniorum Astrorum, ostendendo numeris omnibus absoluto Cœli ornatui.

Rerum initio creatarum primo ornatum Cœlum Luce.

ut Dei opus fieret manifestum omnibus & conspicuum.

Eaque corporea & sensibilis.

primo Triduo informis & diffusiore, postea in Solis corpus conglobata.

quidquid sentiant Ambrosius Catharinus.

Beda, Hugo, Lyranus, Tostatus.

Beda in suo ἑξαημέρ. Hugo de S. Victore lib. I. de Sacrament. Mag. Sent. lib. II. Nicolaus Liranus & Tostatus in Commentariis suis ad Genes. alijque arbitrantur, primam illam *Lucem* non fuisse Solem, sed corpus quoddam lucidum ad similitudinem densæ lucentisque nubis in superiore parte mundi; quod in orbem quarto die conversum, & recepto in se Sole, Dierum & Noctium cœpit efficere vicissitudines. Contra eos consulendus Thomas part. I. quæst. LXVII. art. ult.

Theodoretus.

Theodoretus ad Genes. quæst. XIIII. & XVI. docet, *Lucem*, quam primo die creavit DEVS, fuisse splendidissimam, quamque simul confertam nec hominum nec animalium visus potuisset sustinere; éamque ob caussam quarto die fuisse in Solem, Lunam, Sidera dispertitam.

Greg. Nazianzenus, Basilius.

Gregorius Nazianzenus in oratione de Novo die Dominico, & Basilius sexta in Genesin Homilia, memoriæ produnt, primo die productam esse naturam *Lucis*, purissimam, sinceram, immaterialem; (miraculum hoc, *Lucem*, quæ Accidens, ab omni separate materia) quarto autem die factum esse Solis corpus, futurum deinceps primogenitæ *Luci* instar vehiculi.

Damascenus, Hugo.

Damascenus lib. II. de Fide Orthod. cap. VII. & Hugo Annot. in Genesin cap. VI. mutuati suam sententiam ex Gregorio Nysseno in Homilia super ἑξαήμερ. existimant, *Lucem* illam fuisse Elementum Ignis, qui nihil aliud, quam *Lux*.

Augustinus.

Mirum autem videri debet, Augustinum, virum alioquin acerrimi judicii, lib. XI. de Civitate Dei, cap. VII. ambigere, utrum *Lux* illa fuerit Corporalis an Spiritualis; paullo post autem cap. IX. ut & lib. I. ad Genesin cap. III. & lib. XII. Confessionum cap. IX. & XVI. (suffragantibus illi Eucherio in Commentario ad Genesin, & Ruperto lib. I. de Trinitate ejusque operibus cap. X: refellente vero Bonaventura Sententiarum secundo, distinct. XIII.) membrum posterius amplexum, argumentando censere nomine *Cœli*, quod initio creatum, significari Naturam Angelicam; *Lucis* autem voce, primo die factæ, confirmationem insinuari & oonsummationem Angelorum in gratia; per divisionem autem *Lucis* & *Tenebrarum* indicari segregationem Angelorum, qui boni, ab malis.

Eucherius, & Rupertus.

Secundo die Aquæ Inferiores ab Superioribus divisæ Firmamento.

Sed enarrandis horum suffragiis & enervandis laboratum ab aliis. Pergo ad opus secundi Diei, quod his verbis delineat Spiritus Sanctus: Dixit DEVS. יהי רקיע בתוך המים ויהי מבדיל בין מים למים בתוך *Fiat Firmamentum in medio Aquarum & dividat Aquas ab Aquis.* *Firmamentum* nunc κατ' ἐξοχὼ pars Corporis Cœlestis, Octavus orbis, in quo Mosche scribit Genes. I, 17. Stellas ab DEO positas, inerrantes; de eo dicam lib. II: Aliquando Corpus ex octo Cœlis, octavo nimirum & septem Planetarum orbibus; appellatione æqualiter in omnes quadrante; & hinc quod Mosche in opere quarti diei scribat DEVM factos Solem & Lunam collocasse in Firmamento: Nonnunquam totum illud Spacium, quod pellis seu cortinæ instar circum Terram expansum & diffusum.

Non quod supra Planetarum orbes.

Firmamenti vox, si prima notione capiamus, huic loco nón congruit. Nam fuerint Aquæ supercœlestes (quod tamen secus esse parebit ex sequentibus) quæ constituant in Corpore cœlesti Nonum orbem; non video tamen, quo pacto Octavus orbis Aquas illas dividat ab Inferioribus, quæ inter Elementa secundum, interpositis cum septem Planetarum cœlis, tum Elementis Igne & Aere. Dividere enim quid proprie dicitur illud, quod, nihil interjecto, medius est dividendis terminus.

non item quod constat ex pluribus Cœlis.

Neque magis *Firmamenti* vocabulum, si multorum Cœlorum complexionem illud esse dicamus, conveniet. Nam omnes cœlos secundum ipsorum substantiam בראשית in principio, vel לפנים ante omnia alia, conditos antea probavi. Deinde inter omnes Cœlorum orbes nullus est, qui vere disterminet Aquas supra Octavum Cœlum imaginarias ab Inferioribus, quæ Terræ adhærent; ne quidem Lunæ, quum inter ejus orbem & Aquas terrestres Elementa sint constituta Ignis & Aer.

Sed quod circum Terram & Aquas expansum Aeris appellationem sortitum. Aer quar Firmamentum.

Restat igitur, ut *Firmamentum* secundo die factum, exaudiamus totum illud spacium circum Terram expansum, quod obsidet & implet *Aer*, nomen *Firmamenti* nactus, non quod Corpus sit firmissimum (videmus enim tenuem esse admodum Aerem, instabilem & perpetua jactari agitatione) sed quia interstitium & terminus firmissimus atque immutabilis, qui Superiores Aquas in sublimiore sui parte generari solitas (eas enim intelligendas mox dicam) segreget ab Inferioribus, quæ sub se. Hujus sunt mentis Augustinus lib. II. de Genesi ad litt. cap. IIII. & X. Thomas

parte

parte I. quæst. LXVIII. Durandus II. Sentent. distinct. XIV. Rupertus lib. I. de Trinitate ejusque operibus cap. XXII. Augustinus Eugubinus fusissime in sua Cosmopœia, Cajetanus & Benedictus Pererius in Genesin.

Acceptum ita *Firmamentum* eleganter Hebraica voce רקיע vocatur *expansio* vel *extensio*, ab רקע *extendere*. *Aer* enim extenditur circum Aquas Inferiores, tamquam cortina vel tabernaculum; scribentibus & utentibus רקיע voce Prophetis, Davide, Psalmo CIV, 3. & Ieschahhia cap. XL, 22. Apud quos notandum obiter *Cœlum* pro *Aere* positum: quemadmodum aliis etiam Sacræ Scripturæ locis *Aer* usurpatur non solum pro Cœlo Sidereo, sed & Aereo: inde Cataractæ *Cœli*, id est *Aeris*, dicuntur apertæ ad obruendas aquis terras, Genes. VII, 11. inde DEUS scribitur *Cœlum*, id est *Aerem* operire nubibus, Psalmo CXLVII, 8. inde *Cœli*, id est *Aer*, dare rorem suum, apud Zachariam VIII, 12. Sed notius hoc, quam ut pluribus probetur.

Firmamentum id est Aer quod Hebræis רקיע.

Cœlum pro Aere.

Firmamentum hoc vocatur paullo post, Genes. I, 8. & alibi, ab DEO שמים, quasi quis dicat, *ibi Aquæ*, שם enim *ibi*, מים *aquæ*; quod nulli in Universo rei magis conveniens, quam *Aeri*; in cujus regione superiore ingens est & perennis aquarum ad pluvias terris subministrandas generatio. Hieronymus Epistola XXCIII. ad Oceanum.

Firmamentum vel Aer cur שמים.

In hoc Firmamento volare scribuntur Aves ab Mosche Genes. I, 20, ut in sequentibus notabo. Legendus Beda in expositione operis quinti diei.

Aves in *Firmamento*, id est, *Aere*.

Quum igitur totum illud spacium, quod inter Terram & Lunæ Cœlum interfusum, aquea materia plenum & densis vaporibus crassisque nubibus obductum esset, Ecclesiast. XXIV, 6. Iob. XXXVIII, 9. pars materiæ nebulosæ tenuior & levior, secundo die, infinita DEI potestate, abiit in *Aerem*, qui secundum substantiam quidem suam cum reliquis cœlis jam antea creatus erat, sed secundo die vicem finitoris adeptus, qui Aquarum molem in duas partiretur partes; quarum levissima tum temporis supra Aerem in præparatum sibi locum migravit, gravior autem circum Terram subsedit; factus hoc die non simpliciter, sed ut esset *Firmamentum* & tamquam intergerius paries, munusque susciperet Aquas dividendi ab Aquis.

Firmamentum id est Aer, quo modo vero sit factum.

Ex iis, quæ dixi, perspicuum, quales hic *Aquas* intelligendum; alteras quidem, quæ Terræ proxime adhærent; alteras vero quæ in superiori Aere (*media Aeris regio* Philosophis dicitur) Solis, vapores ex Terra & Aquis Inferioribus quasi exugentis & ad pluvias præparantis, potentia generantur. Augustin. lib. XI. de Genesi ad litt. cap. XI. Has notant cum Iob cap. XXVI, 8. tum Schelomo Proverb. VIII, 28. ubi Sapientia dicit se adfuisse DEO, שחקים, τὰ ἄνω νέφη, *nubes* (nam improprie vertit Latinus interpres *Aethera*) firmanti & fontes aquarum (cœlestium) libranti, inque excelso aere suspendenti.

Designantur hic Aquæ quæ in Terra, quæque in Aere.

Hæ *Cœli* non semel appellatione veniunt in sacris litteris, ut videre est apud Moschen Genes. VII, 11. Ieremiam II, 13. LI, 16. Malachiam III, 10, & alibi.

Hæ nubibus illigatæ & stupendum in modum suspensæ adsidue prædicant DEI potentiam. Iob XII, 15. XXVI, 8. Plinius XXXI. Nat. hist. cap. I.

Has ad DEUM laudandum invitant David Psalmo CXLVIII, 4. & Triumviri hymno, quem inter ignes Babylonicos canebant, vers. 60. utrimque *Cœli* nominantur ex proprietate vocis ibi Hebraicæ, quæ caret Singulari; quod moneo ne quis Aquas imaginetur ibi potius supra Cœlos, septem, inquam, Planetarum orbes Cœlumque octavum: quam Aerem, quem etiam Cœlum dici jam probavi. Videndus omnino Benedictus Pererius ἑξαημέρου diligentissimus enarrator.

Origenis, *Aquas Superiores* Bonos, *Inferiores* autem Malos interpretantis Angelos, opinionem refutant Epiphanius in Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, Basilius, recte tamen, Homil. III super Genesin, Hieronymus epistola ad Pammachium, & Rupertus lib. I. de operib. Sanctiss. Trinit. cap. 23.

Sequius statuentibus Origene.

Augustinus lib. XIII. Confessionum cap. 32. *Superiores Aquas* intelligit Spirituales, *Inferiores* Corporales; recantans seque corrigens lib. II. Retractationum, cap. 6. qui aliam suam sententiam, timidius indicat lib. priori de Genesi contra Manich. cap. II.

Augustino.

Iustino Martyri ad XCIII. quæstionem Orthodoxorum, Philoni, Iosepho, Basilio Homilia III. super Genes. Theodoreto quæst. XI. Gennadio & Severiano in Catena citatis, Ambrosio lib. II. ἑξαημέρ. Augustino lib. XI. de Civit. Dei cap. ult. lib. II. de Genesi & in Dialogo LXV. quæst. 27. Bedæ lib. de natura rerum, aliisque stat *veras & naturales aquas* esse supra Cœlum Sidereum, quod ordine Octavum.

Iustino, Philone, Iosepho, Basilio, Theodoreto, Gennadio, Severiano, Ambrosio, Augustino variante, Beda.

Bonaventura, Ægidio, Nicolao Lyrano, Tostato, Caietano.

Bonaventuræ denique II. Sent. distinct. XIIII. Ægidio II. parte operis, quod scribit in ἑξαημερ. cap. 14. & seqq. alijsque Scholasticis Theologis; item Nicolao Lyrano, Tostato, Cajetano sedet *Aquas Superiores* esse Nonum Cœlum, quod Crystallinum vulgo indigetatur; *Firmamentum* autem vel Octavum Cœlum tantum, vel ipsum & simul reliquos Planetarum orbes.

Sed duo posteriorum placita pensatius ponderanda sese offerent libro primæ partis secundo.

Die Tertio Aquæ segregatæ a Terra. Terra apparet & vestitur omni herbarum arborumque genere.

Succedit opus diei Tertij. Ait Spiritus sanctus: *Dixit* DEVS, יקוו המים מתחת השמים אל־מקום אחד ותראה היבשה, *Congregentur Aquæ quæ sub Cælo sunt in unum locum & appareat arida:* Et paullo post: תדשא הארץ דשא עשב מזריע זרע עץ פרי עשה פרי למינו אשר זרעו בו על הארץ, *Germinet terra germen herbam seminificantem semen arborem fructus facientem fructum speciei suæ, cujus semen in ea super terram.*

Tria fiunt die Tertio: Jubet DEVS Aquas in vnum abire locum; Terram apparere; omnes Herbarum Arborumque species prodire.

singulis sapienter.

Primo præcepto naturalis ab eo die vis & propensio cœpit esse Aquis, jam ante omnia cum Cœlo & Terra creatis, ad decliviora defluendi, manendique in locis humilioribus. Iob. XXXVIII, 10, 11. Basilius Homil. IIII. in ἑξαημέρ. Ab eo die currere cœpit Aqua, Fontes labi in fluvios, Lacus dirivari in Maria, ipsa Aqua se præcedere, urgere, sequi, Ambrosio scribente in ἑξαημέρ. Terramque circumdare: unde Eam nonnulli volunt apud Hebræos passive dictam ab Currendo. ארץ enim vocata ab רוץ currere; quod in ea & circa eam currant Aquæ, quod in ea & per eam Aquæ fluant & refluant.

sua & propria.

Secundo vero Terra, initio cum Cœlo creata, (nam hoc die factam sentiunt Augustinus lib. I. de Genesi ad litt. cap. XIII. & lib. I. de Genesi advers. Manichæos, cap. XII, libro denique de Genesi imperfecto, cap. X, Magister Sent. Hugo de S. Victore, lib. I. de Sacrament. Bonaventura, alijque; male: quum DEVS non dixerit יהי *Fiat*, sed תראה *appareat*, ne amplius obruta lateret aquis: alia argumenta alio indicavi loco) suos ostendere cœpit Montes, suas Valles & Campos: ita ab sapientissimo Numine fundatos; ut neque illi, semel ascendere jussi, descendant terramque operiant; neque hi, semel depressi, consurgant. David Psalmo CIV, 8 & 9. Quo modo autem Aqua prius universam obducens Terram tertio die in unum redacta fuerit locum, notant varie Augustinus lib. III. de Genesi ad litteram cap. XII. Beda in ἑξαημέρ. Basilius, Ambrosius, Catharinus, Pererius ad hunc locum, Thomas part. I. quæst. LXIX. & alij.

indole tributa.

Tertio denique mandato omnes Herbarum & Arborum species non tam caussaliter, ut vult Augustinus lib. V. de Genesi ad litteram cap. 4. quasi DEVS tunc terris indiderit naturalem vim & potestatem generandi efferendique quæ dixi; quam actu ipso ex terra, auxilio DEI supernaturali productæ; in perfecto statu, cum quod proxime ab DEO creatæ, tum propter incredibilem nascentis Terræ bonitatem (unde non absurde quidam censent ארץ Hebræis appellatam ab רצה quod est prompto esse animo ad benefaciendum) suavissimæ ad gustum, hominisque victum & usum adcommodatissimæ: ita etiam ut haberent semen, unde possent aliæ generari. Tunc enim unumquodque perfectum est, quum generare potest sibi simile, ut docet Aristoteles IIII. Meteororum.

Quarto die Cœlum Sideribus ornatum & impletum.

Ad quæ die Quarto creata venio: *Dixit* DEVS, ait, suggerente Spiritu sancto, Mosche, יהי מארת ברקיע השמים להבדיל בין היום ובין הלילה והיו לאתת ולמועדים ולימים ושנים & quæ sequuntur; *Sint Luminaria in expansione Cælorum; ad dividendum inter Diem & inter Noctem; & sint in signa & tempora & dies & annos.*

Hac DEI dictione Astris, quæ, partes Cœli densiores, lucem habentes & transmittentes, una cum Cœlis quo ad materiam, figuram, magnitudinem & densitatem suam, in principio בראשית, fuerant factæ, quarto demum die forma data est, quæ *Lux*; quum DEVS partes illas crassiores ipsa luce compleret: datus item proprius (nam non idem est omnibus) *Motus*; datæ denique peculiares singulis *Vires.* Videndi Philo de Mundi opificio, & Pererius Commentariorum ad Genesin lib. I.

Die Quinto Aqua Piscibus, Avibus Aer.

Sequitur opus diei Quinti; de quo sic Mosche: *Dixit etiam* DEVS: ישרצו המים שרץ נפש חיה ועוף יעופף על־הארץ על־פני רקיע השמים *Producant Aquæ reptile animæ viventis, & volatile volet super terram super faciem extensionis cœli.*

Hoc

Hoc jussu Aquæ produxerunt non caussaliter & potentialiter, ut ita loquar cum Augustino lib. III. de Genesi ad litteram, cap. IV. sed actu & re ipsa: crassiores quidem, species infinitas Piscium (qui, omnium Animantium varias ob caussas imperfectissimi, cur *Reptilia* vocentur, notat Bonaventura II. Sentent. distinct. XV.) tenuiores autem & nebulosæ, quales sunt Vapores & Nubes, varia Avium genera: Rupertus lib. I. de oper. Trinit. cap. L. Augustinus loco paullo ante laudato, cap. III. Thomas parte I. quæstione LXXI. art. I. Eugubinus in Cosmopœia; contra diffinientibus Cajetano, Catharino, & Hieronymo Vuilelmio lect. XXII. in ἑξαήμερ. quibus cum alia, tum locus Geneseos cap. II, 19. haud bene discussus persuaserunt, Aves non ex Aëre, Aquis, inquam, tenuioribus; sed Terra factas. Priorem sane sententiam tuetur admirabilis illa inter Aves & Pisces cognatio: sive quis spectet locum, qui vel his vel illis naturalis & quasi Domicilium; utrumque enim & Aer & Aqua corpus est transparens, humidum, facile cedens: sive conformationem utriusque generis Animantium; utrique inest levitas & agilitas; quæ pinnæ Piscibus, Avibus sunt alæ; his pennæ, quæ illis squammæ; nec his nec illis aures (quarum vicem quidam subeunt meatus) vesica, mammæ, lac: Aristoteles II. de part. animal. cap. XII. & lib. III. cap. VIII. libro denique III. de histor. animal. cap. XX. Sunt item Pisces volantes in mari Atlantico; sunt passim Aves natantes; ut non immerito Aves pisces aërii, Pisces aves aquatiles dici possent, utrisque cauda cursum dirigentibus.

Opus restat diei Sexti, qui ultimus. Illud suis coloribus sic delineat nobis Spiritus Sanctus: *Dixit quoque* DEUS; תוצא הארץ נפש חיה למינה בהמה ורמש וחיתו־ארץ למינה *Producat terra Animam viventem ad speciem suam & Iumentum & Reptile, & Feram terræ secundum speciem suam.* Deinde: נעשה אדם בצלמנו כדמותנו וירדו בדגת הים ובעוף השמים ובבהמה ובכל־הארץ ובכל־הרמש הרמש על הארץ *Faciamus Hominem in imagine nostra secundum similitudinem nostram, & dominetur in pisces maris & in volatile cœli & in jumentum & in omnem terram & in omne reptile reptans super terram.* Die denique Sexto Terra Animalibus & Homine.

Duo igitur Sexto die DEUS, Terram ornaturus & suos illi incolas tributurus, fecit opera; *Animalia Terrestria & Hominem.*

Terrestrium indicantur hic tria genera: בהמה omnia domestica magis & familiaria homini, quales Equi, Boves & similia; רמש quæ vox comprehendit tam quæ nullos habent pedes, ut Serpentes, quam quæ habent, breves tamen & exiguos, ut Formicæ & Lacertæ; חיתו ארץ denique animantes omnes non solum agrestes, quæ fere hominis imperium aversantur, ut sunt Leones, Pantheræ, Tigres; sed quorum flecti potest natura, ut Cervi, Lepores, & alij: de quibus plene Aristoteles lib. I. de historia Animal. & Plato in Politico. Animalium Terrestrium varia genera.

Postremo loco fecit *Hominem* DEUS ad Imaginem & Similitudinem Suam; non verbo imperiali, inquit Tertullianus II. adversus Marcionem, ut cetera; sed familiari manu, nova quadam ratione & oratione singulari, præmissa cum blandiente tum plena consilij & deliberationis voce (de qua lectu digna Chrysostomus & Basilius in Genesin, Gregorius lib. IX Moralium cap. XXIII. Ambrosius lib. VI. ἑξαήμερ. cap. VII. Augustinus lib. XVI. de Civit. Dei cap. VI. Cyrillus I. advers. Julianum, Theodoretus quæst. XX. Rupertus lib. II. de Trinit. eiusque operibus, in principio, & alij) נעשה, *Faciamus*; ut tam multo ante sciret Sanctissimæ Trinitatis mysterium in Se primo patefactum: Se, quamvis post omnia factum, Omnium tamen esse Finem, qui Destinatis potior & præstantior; in omnia se potestatem ab DEO accepisse, (quam pulcre diffundunt David Psalmo VIII, 7, 8, 9. Ecclesiast. XVII, 3. Basilius in Genesin, Ambros. lib. VI. ἑξαημέρ. cap. VI.) etiam post peccatum, infinita DEI bonitate (Geneseos VII, 2.) Vt item disceret Se esse μικρόκοσμον, partem ipsius Vniversi potissimam, & in Se uno conspici quidquid in Rerum natura admirandum, quidquid magnum, quidquid pulcrum: Habere Se quod Est cum Inanimis commune; vitam cum Stirpibus; Sensum Motumque cum Animantibus; Mentem & Intelligentiam cum Angelis; Imaginem cum suo Creatore, Animam scilicet Sanctitatis participem, Rationis compotem, Sapientiæ, Justitiæ, Libertatis, Divinæ Gratiæ, Æternæ Beatitudinis, omniumque DEI Donorum capacem. Origenes lib. I. περὶ ἀρχ. cap. VI. Victorinus disputation. adversus Arrium, Gregorius Nyssenus Homil. de Creatione Hominis, Basilius Homil. X. Eucherius lib. I. Commentariorum in Genes. Theodoretus quæstione XX. in Genes. Rupertus lib. II.

Homo factus DEI manu.

adhibita quasi deliberatione.

Omnium Finis, præditus summa in res creatas potestate.

μικρόκοσμος, gerens secum quidquid in rerum natura.

de Trinitate & ejus operib. cap. III. & V. Bernardus Sermone XIIII. in Psalmum XCI. Thomas part. I. quæstione XCIII. Magister Sententiarum. II. distinct. XVI. Lippomanus in Cathena, Eugubinus, Oleaster, Pererius, & alij in Genesin. Vt denique cognosceret, Se, quum constet non ex solo *Corpore*, quasi *Anima* φανταστικὸν quid esset & commentitium, ut volunt Dicæarchus Messenius apud Sex. Empiricum libro Hypotyposeon & non alienus ab eo ipse Sextus cap. XXII. libri contra Mathematicos: non item ex sola *Anima*, quasi *Corpus* vehiculum esset *Animæ*, vel vestis instar, ut Platoni placet I. Alcibiad. & Dialogo de Morte, Auctori imperfecti operis in Mathæum, Homil. XXV. & Georgio Veneto in libris Problemat. Sacræ Scripturæ; sed ex *Anima* & *Corpore* simul, ut qui sanioris doctrinæ sentiunt; Se, inquam, ita compositum, vinculum esse & nexum totius Vniversi, Se consociare res Incorporeas cum Corporeis, Immortales cum Mortalibus: Omnia quodammodo Se esse, quum omnia intelligat, Se quamvis nudum & inermem, Ratione tamen vestitum & Ingenio armatum Sibi munimentum non in Corpore, ut alijs Animantibus, sed in Animo positum esse: Se ut concludam, æstimata bene bonitatis divinæ indulgentia, in deliciis suo Creatori præ quod reliqua Creata, fuisse. Seneca lib. II. de Beneficiis, cap. XXIX. & Lactantius lib. II. de Opificio Dei.

vinculumque, quum constet ex Animа & Corpore.

Rerum Incorporearum cum Corporeis, Mortalium cum Immortalibus.

Talis igitur creatus *Homo* quam fœde lapsus, quam horrendum suo lapsu degeneravit à primo illo, qui perfectissimus erat, statu! Obediens DEO, Sapiens, Innocens suo lapsu factus Insipiens, Inobediens, Nocens; Nocentior in Posteris; imo Lupus, non alijs tantum, in Liberos, Parentes, Fratres armatus sæpe sævius, quam in hostem; sed & Sibi, potiorem sui portionem & istam divinæ particulam auræ morti & interitui (quo quid crudelius?) statuens obnoxiam: quam insaniam insaniverunt Stoici, Epicurei, alijque Philosophi, quos recensent Aristoteles lib. I. de Anima, Plutarch. lib. IV. Placit. cap. VII. & Theodoret. lib. V. Græcan. Affect. eosque sequuti Lucretius lib. III. de Rer. Nat. Seneca, ut patet ex epist. ad Lucilium & Consolatione ad Martiam, Plinius lib. VII. Natural. historiæ. O Saxa stolida!

Sed qui fœde lapsus, horrendum in modum degeneravit.

O curvos in Terram Homines! Cælestium inanes!

Cogor clamare cum Antidamo vetere scriptore: *Fabre compactum Animal, Hominem, quis ferat sic esse pecuatum? quis averruncasset tam arietinas (fatuas & insulsas) hominum mentes?* Fulgentius de prisco sermone.

CAP. V.

Mundum Vnum esse & Finitum.

OMNIA, quæ hactenus commemoravi, ita ab Architecto sapientissimo collocata & disposita; ut Vnum, idque Finitum & Rotundum constituerent Corpus; & Cuncta, quæ Ejus & in Illo, amico quodam consensu inter se consonarent.

Mundus Vnus tantum & omnia comprehendens:

Vnum tantum esse Mundum, eumque omnia comprehendentem adserimus, qui sanioris judicii, cum Thalete, Pythagora, Empedocle, Ecphanto, Parmenide, Melisso, Heraclito, Anaxagora, Platone, Aristotele, Zenone, tota Stoicorum secta, bonaque Peripateticorum parte. Videndus, præter Diogenem Laertium, Plutarchum & alios, Stobæus I. ἐκλογ. φυσικ.

Rationes; I.

Rationes quis quærit? Dicam de DEO nostro, quod, in Vnitate Mundi stabilienda, de Vno illo absolutissimo Exemplari, divinus Philosophus in Timæo; quod de æterna & infinita rerum Natura Plinius lib. II. Nat. hist. cap. I. Vnus DEVS Vnum tantum esse voluit Vniversum, in quo, tamquam in clarissimo speculo, Potentia, Sapientia, Bonitas ejus manifestissime conspicerentur.

II. Deinde, omne Corpus Simplex movetur certo, & quem totius Naturæ princeps determinavit, Motu: si plures essent Mundi; indubitatum omnino, Motum hunc confusum iri, quum Terra unius Mundi moveretur ad Terram & Centrum alterius; unde quam fœda commistio sequeretur Corporum Simplicium, nemo non videt.

III. Tertio, perfectæ & absolutæ elegantiæ (nam nomen hinc illi apud Græcos & Latinos) non potuisset videri, nisi omnia in admiranda ejus machina (quæ sua magnitudine & forma naturarum omnium & specierum satis est capax) fuissent quasi

conclusa.

conclusa. Frustra enim fit per Plura, quod potest per Pauciora. *Totus*, inquit Plinius lib. II, cap. I, in *Toto, imo vero Ipse Totum*.

Valeant igitur Anaximander, Anaximenes, Aristarchus, Xenophanes, Leucippus, Democritus, Epicurus, multique eos sequuti; (de quibus Diogenes Laertius in Philosoph. vitis, Plutarch de Philosoph. Placitis, Clemens Alexandrinus, Iustinus Martyr, Stobæus I. ἐκλογ. φυσικ. & alij) qui immanissimi totius Physicæ corruptores, suis plaudentes commentis, innumerabiles nobis Mundos conati sunt fingere. Quidquid obloquantur philosophi.

Neque solum Vnus ex Saniorum mente Mundus, sed Vnus ille etiam Finitus est & Certus: quæ sententia Meliorum hodie; olim etiam Homeri Iliados ο, Ocelli Lucani, Platonis in Timæo, M. Tullij Ciceronis, Apulei, & aliorum: contra quos Infinitum, id est, Altitudinis & Longitudinis dimensionibus non constantem, ausi statuere Seleucus Erythræus, Heraclides Panticus, Peripatetici, & alij. Diogenes etiam & Melissus τὸ πᾶν quidem voluerunt ἄπειρον, τὸν δὲ κόσμον πεπεράσθαι. Mundus Finitus.

Si Infinitum esset excellens illud Corpus, qui posset circumagi finito tempore? qui circulante rotari motu (quem scimus reditum ab eodem in idem punctum) si infinita esset punctorum distantia? si lineæ protractæ ab centro in infinitum abirent? Scite meo judicio Plinius *Finitum* dixit, sed *Infinito similem*; *Certum, similem Incerto*: quo modo? *Finitus* quidem; habet enim in se certa spacia Motus ac Temporis: *Infinito* autem est *similis*, si tam vasta Mundi moles cum interioribus corporibus, quorum etiam difficilis enumeratio, vel intimo potius committatur, cum universa, inquam, Terra, quæ instar puncti ad reliqua. Iam vero *Certum* produnt certi Motus, qui finito temporis spacio revolvuntur; certi Ortus, Occasus, Limites; certæ deniq; surgentium cadentiumque siderum vices: *Similem Incerto* docent Motuum, quos dixi, dissimilitudo & diversissimæ Apparitiones. Sufficit sane Vnus ille, isque Finitus & Certus, qui omnes in Sui, suique Creatoris rapiat admirationem: absolutus adeo, ut absolutior meliorque (quamvis acerrimis telis pro maiore quantitate, plenitudine, duratione, & accidentali rerum naturalium perfectione pugnent Philosophi) fieri non potuerit. Nam è contraria parte quis validis evincet argumentis, substantialem hanc rerum perfectionem esse potuisse perfectiorem? quis partium cum ipsius Mundi, tum rerum, quæ in eo, meliorem ordinem, concinniorem dispositionem, decentiorem omnium inter se proportionem & cohærentiam? quis præstantiorem totius Vniversi gubernationem? Iam quæ reliqua obstrepuntur; Majorem quidem, Pleniorem, Æterniorem facere potuit potentissimus DEVS; sed sapientissimus noluit. Quur? Hoc me, hoc omnes latet: mihi pijsque, scio, omnibus abunde est in Vno hoc, quod pulcerrimum certe, Opificio, quo divinum illud Numen ejusque gloriam laudibus gratiisque venerunt. Extera Mundi non indagemus: Non enim nostra interest, neque nostræ capit Mentis conjectura, ut cum Plinio loquar. Furor est profecto, furor egressum quasi Mundo velle quid amplius adfingere. Disputent cum Stoicis, Peripateticis, alijsque, extra Mundum *Infinitum* esse *Vacuum*, quibus ad stabiliendum illud *Vacuum* magis vacuæ Mentes. Scrutemur quæ ad pedes nobis. Nam quotusquisque nostrum est, qui vires Herbarum, qui naturas Animalium similiaque, qui denique se probe perfecteque novit? Hic Ingeniornm acumina & virtutes exerceamus. Mensuram alicujus rei numquam aget, qui sui nesciat: Mens hominis numquam videbit, quæ Mundus ipse non capit: Mundum ut superscandat Animi cogitatio nefas, prohibetur & per Naturam, & per Religionis Leges; Exodi XXXIII.

Rationes variæ. — Infinito tamen similis. — Certus. — Incerto similis — Perfectissimus. — Extera Mundi non indaganda.

CAP. VI.

Mundum esse Rotundum.

VNVS igitur & Finitus; quin & Rotundus. Fecit enim DEVS Vniversum hoc forma sphærali, & ut bene Plinius lib. II. natur. historiæ cap. I. in speciem orbis absoluti globata. Consentiunt hic cum Platone, Aristotele & tota Stoicorum schola plerique qui deinceps sequuti. Quid ni? Perfectissimo, & quod in se contineret omnia, Corpori forma debebatur prima, omniumque capacissima. Plutarchus de Placitis Philosophorum. Quod Mundo Rotunda Forma.

varie probatur.

Docent Rotunditatem varia. Præter consonans apud Latinos ipsi Rei Nomen (*Orbis* enim dicitur hoc Vniversum; *Orbes* item omnes Vniversi portiones, Plinius lib. II. cap. II. & alij) *Motus circularis*; quo sic circumagitur, ut omnes partes pariter distent ab Centro. Deinde *Horizontes* seu *Finitores*, qui deprehenduntur ejusdem ubique magnitudinis. Consulendus omnino Plato in Timæo. Accedent, Formæ tali probandæ, in Partium, Cœli Terræque, cum quibus hic ejusdem naturæ Totum, explicatione alia.

Mundus nonnullis ὠοειδής.

Fuerunt qui Vniversum hoc Ovali figura, ὠοειδῆ esse voluerunt; inter quos, ut notat Plutarchus de Placitis Philosophorum, primi loci Σαγχωνιάθων, Tyrius Philosophus, antiquissimus, quod memoriæ prodit Suidas, rerum Phœniciæ scriptor, qui vixit circa Troiana tempora, ab Philone Biblio in Græcam linguam translatus. Eo respicit M. Terentius Varro in Logistorico, qui inscribitur Tubero, sive de Origine humana, apud Probum Grammaticum: *Cælum*, inquit, *est testa; item Vitellum, ut Terra: inter illa duo Humor, quasi Ilcinus clusus Aeri, in quo Calor*. Innuit hoc & Proclus in Timæum; cui τὸ ὀρφικὸν ᾠὸν καὶ τὸ τοῦ Πλάτωνος ὄν, eadem. Hinc initiati Orgijs Liberi Patris Ovum in suis Sacris colebant, ut nimirum ex terete forma & pene sphærali undecunque clausa & intra se vitam includente. Mundi totius simulacrum cognosceretur. Plutarch. in Symposiacis, Microbius lib. VII. Satur. cap. XVI.

Certe si Mundus figuræ esset planæ, vel angularis, vel alius: partim sequerentur quæ fieri nequeunt; quum enim Mundi superiora sine ulla intermissione moveantur, necesse esset nonnulla Loca relinqui vacua, & Corpora nonnulla sine Locis: partim evenirent quæ Sensui nostro adversantur; Nam Planetæ reliquaque Sidera in hac Orbis parte nobis essent propinquiora, quam illa, &, quod æque absurdum, in parte propinquiore majora, in remotiore vero minora nobis apparerent.

Cap. VII.

Creta omnia admirandis inter se Concentibus consonare.

Summa Rerum Mundi discordium Concordia docetur ab

LICET autem Mundus compactus siet ex rebus quodammodo contrariis & inter se dissidentibus: omnia tamen sapientissimus Architectus ita temperavit; ut ea rerum repugnantia, vires suas vicissim frangendo & se aliquatenus corrumpendo, non solum exitio non esset Mundo, sed etiam saluti & ornamento. Quæ ingeniis discrepant & summis viribus inter se quasi dimicant, Opificis supremi moderatione ad bonum Vniversi tuendum mutuo & concordi fœdere conspirant. Altiora non petam sufficiat si quod volo probatum fuerit & Elementorum & Hominis indole.

Elementorum natura.

Illa igitur & animo & oculis contemplatus quis non miretur eorum concordem dicam discordiam, an discordem concordiam? *Aqua* humida est & frigida; prior qualitas propria illi, in posteriore participat cum *Terra:* hæc frigida est proprie, sicca naturam *Ignis* refert: *Igni* in caliditate convenit cum *Aere:* qui in humido quid aliud quam *Aqua?* Addo ex Pythagoræorum doctrina, *Ignem Aere* duplo subtiliorem esse; triplo mobiliorem *Aqua*, duplo acutiorem: *Aerem Aqua* duplo acutiorem, triplo subtiliorem, quadruplo mobiliorem: *Aquam* vero duplo *Terra* acutiorem, triplo subtiliorem, quadruplo mobiliorem: quamvis autem *Ignis* in his sit subtilis, mobilis, acutus: Aer subtilis, mobilis, obtusus: *Aqua* mobilis, obtusa, corporea; Terra denique obtusa, corporea, immobilis: tamen (ô admirabilem collocationem!) inter Ignem & Terram ea lege Aerem & Aquam esse interjecta; ut, quemadmodum se habet Ignis ad Aerem, sic Aer ad Aquam, Aqua ad Terram; rursum sicut Terra ad Aquam, sic Aqua ad Aerem, Aer ad Ignem. Divine Boetius Pythagoreos imitatus:

Tu numeris Elementa ligas, ut Frigora Flammis,
Arida conveniant Liquidis, ut purior Ignis
Evolet, ut mersas deducant pondera Terras.

Nec minus eleganter alio loco:

Hac Concordia temperat æquis
Elementa modis: ut pugnantia

Vicibus

Viribus cedant Humida Siccis;
Jungantque fidem Frigora Flammis;
Pendulus Ignis surgat in altum;
Terraque graves pondere sidant.
Iisdem caussis Vere tepenti
Spirat florifer annus odores;
Aestas Cererem fervida siccat;
Remeat pomis gravis Autumnus;
Hiemem defluus irrigat Imber.
Hæc temperies alit & profert
Quidquid vitam spirat in Orbe:
Eadem rapiens condit & aufert
Obitu mergens orta supremo.

Jam quid dicam, omnia Elementa, quod præstantissimorum Philosophorum scripta loquuntur, in Omnibus reperiri; in inferioribus quidem fæculenta & crassa; in Superioribus pura & nitida: supra Cœlos vivida & omni ex parte benefica? *Terra* nobis stabile firmamentum omniumque seminum matrix; in Cœlis densitudo, conspicua maxime, si Solem, si Lunam, si reliqua Sidera intueamur: in Angelis firma DEI subsellia, in Archetypo omnium firmissima & fœcundissima natura. *Aqua* nobis, quæ lavat & purificat omnia; in Cœlis, quæ defluvio suo Terram irrigat; in Angelis, quæ docet & mundat; in Opifice, quæ Peccata nostra abluit, quæ nos regenerat, collustrat, pascit. *Aer* nobis quo respiramus, videmus, audimus, odoramur: in Cœlis, inferioribus quidem, translucens natura; superiore vero, spacium ubi resonant suavissimi Beatorum concentus; in Angelis vitalis flatus & aura tenuis; in Opifice summa & perfectissima vita, spiritus ille, quo spirans in omnes dat omnibus ut sint, ut vivant; ille, inquam, quo Sanctis suis loquitur, & opera sua suaque mysteria intus sine murmure enarrat. *Ignis*, qui hic calefacit & urit, in Cœlo Sol lucens, qui calore suo recreat inferiora; in Angelis fervidus est erga nos homines amor; in Archetypo Ignis ille idealis, ut sic loquar, & spirituale Lumen. Involuti esset negocij hic recensere, quam amice conveniat *Terra* cum Luna: *Aqua* cum Mercurio & Saturno; *Aeri* cum Iove & Venere; *Igni* cum Sole & Marte. Quin quidquid Rerum Natura habet Compositorum, mira suavitate in Elementis conquiescit: Lapides indole sua *Terram* imitantur; Metalla quamvis, ut vult Hermes, ex omnibus constant, potissimum tamen ex *Aqua* conflata naturam ejus sapiunt, testibus Timæo Locro, Platone, Aristotele, Abubachere, Avicenna, Alberto Magno, & aliis; *Aeris* indolem Planetæ mentiuntur, nam nisi sub dio non pullulant, non coalescunt, cognatum sibi *Aerem* semper petunt, putrescunt nisi subveniat *Aqueus humor*; ex quo in *Aerem*, ex hoc rursus in *Aquam* amicissima vicissitudo & commutatio. *Igni* denique naturam repræsentant Animalia, quibus inde, DEO disponente, vita: ut non immerito Maro, quamvis specialius:

Igneus est olli vigor, & cœlestis origo.

Quæ dixi exaudiri velim de fortiore *Elementorum* interventu. Nam vix quid in hac mole, ad quod emoliendum non conveniant mirifico quodam consensu omnia *Elementa*; alia tamen aliis validius & operosius.

Homo jam prodeat, nobilissima DEI creatura: In eo nihil non. Est, ut quidquid Inanimorum; Vivit, ut omne Stirpium genus; Sentit & Movetur, ut omnia animalia; Mente præditus est & Intelligentia, ut Angeli; ad Imaginem denique creatus est sui Creatoris, Animam, ut paullo ante dixi, nactus, quæ Sanctitatis particeps, quæ Rationis compos, quæ Sapientiæ, Justitiæ, Libertatis, divinæ Gratiæ, æternæ Beatitudinis, omnium DEI Bonorum capax. Quod in eo Rotunda Mundi figura; docet, præter Caput, Orbis ab Vmbilico per extremitates diductarum manuum pedumque circinatus. Numquid quatuor Mundi possidet Elementa? Paret hoc cum in quinque *Sensibus*; *Visus* enim respondet Igni, Aeri *Auditus*, *Olfactus* & *Gustus* Aquæ, Terræ *Tactus*: tum in quatuor *Humoribus*, quos Galenus Medicorum princeps etiam Elementa vocat: *Sanguis*, qui calidus & humidus ex Corde oritur, Aeri suffragatur; *Pituita*, quæ humida & frigida ex Cerebro manat, Aquæ; *Bilis atra*, quæ frigida & sicca ex Splene trahit ortum, Terræ; *Flava* denique, quæ ex Iecore arida & calida, Igni.

Et Hominis Indole: in quo quidquid in Rerum natura.

rotunda Mundi Figura.

Elementa.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Igni. Legendus omnino Platonis Timæus; ubi ſpecioſiſſimum τοῦ μικροκόσμου διαζωγράφημα ad vivum depingitur per ſingulas partes & Animi & Corporis. Quam vero concors Homini cum Planetis reliquiſque Sideribus conſpiratio! Hæc enim, admirandus cum Sideribus conſenſus; tamquam Miniſtri Opificis Summi, qui Rerum omnium origo, vi quadam occulta, quam DEVS indidit, in Inferiora, Hominem præcipue, qui Mundi typus, varia creduntur Platoni, Plotino, aliiſque Academicis operari. Recipit, inquiunt, Anima in deſcenſu ab Saturno vim Ratiocinandi, Intelligendi, Speculandi; ab Iove Agendi vires & in Praxin deducendi; ab Marte Animoſitatis ardorem; ab Sole Imaginandi, Sciendi, Opinandi potentiam; ab Venere Concupiſcentiam & Deſiderij motum; ab Mercurio Interpretandi, Pronunciandi, Penetrandi vigorem; ab Luna denique unde Generare, unde Augere queat: Deinde ab Saturno putant Philoſophi influere Prudentiam; ab Iove Iuſtitiam: ab Marte Robur, & Fortitudinem; ab Sole Caritatem & Amorem; ab Venere Spem: ab Mercurio Fidem: ab Luna Temperantiam: Præterea Saturnum volunt iidem trahere homines ad ſublimiora & quæ præſtantiora; ad divinam ſcilicet & ſecretiorem Philoſophiam, occulta Naturæ myſteria, facultatem omnia congregandi & æterna & quæ tempore pereunt; Iovem facere, ut homines condendis & ſervandis legibus, ſubminiſtrandis quæ æqua, Subjectis alta pace & tranquillitate gubernandis invigilent; ab Marte vim inſtillari & deſiderium cœpta ad finem moliendi; Solem dare fœtum & vitam; Venerem præſtare leporem, feſtivitatem, amorem, quo agitati ardua cum delectatione perficiamus; Mercurium reddere promptos, acutos, ſolertes, cum ad omne opus, tum ad veritatem indagandam, adquirendam eloquentiam, gloriam conciliandam; Lunam denique, quæ Planetarum proxime nobis abeſt, varios concinnare motus. Non quod Planetæ ſint fontes horum omnium aut domini; ſed quia exiſtimentur humana corpora & vires, virtute ab ſupremo Numine ſibi inſita, ſic comparare, ut quæ dicta facile ſuſpiciant. Iis enim qui male conciliati nocent omnia, & cedunt in malum. Nam mala proveniunt potius occulto DEI iudicio ex mala Recipientis diſpoſitione, quam, ut nonnulli temere credunt, ex influentium malitia. DEVS omnia quæ fecerat, vidit eſſe valde bona: Cui igitur bono conviciis lacerabimus quæ bene ab illo creata? quur Saturni Sidus ut Malorum omnium columniabimur mare; concinnare illud clamantes Mortalibus ſub ſe natis exilia, dolos, proditiones, carceres, damnationes, perfidiam, pertinaciam, iram, odium, metum, dolorem, funera, luctum, orbitates, furta, & id genus alia? facere veſpillones, pollinctores, mogos? Quur Martis planetam adſeremus in quacunque Cœli parte, mala majora hic, ibi minora ſemper minitari? Quur alios aliorum criminum faciemus reos? Exeſto Albumaſar Aſtrologus cum octo libris, quos ſcripſiſti de magnis Conjunctionibus, Annorum revolutionibus & eorum profectionibus; exeſto Alcabitius cum Iſagoge ad Iudicia aſtrorum vel ad ſcrutanda Stellarum magiſteria, exeſte denique cum Iulio Firmico Materno, alij Mathematici & Poetæ, quorum ſtulta de his commenta ab auribus omnium, ut monet Auguſtinus, procul ſunt repellenda. Magnam toti cœlo facit injuriam, qui ibi, tamquam in ampliſſimo Senatu, Scelera facienda cenſet decerni. Non poſſum quin exclamem.

Quam falſo accuſant Superos, ſtultique queruntur
Mortales! etenim noſtrorum cauſſa malorum
Ipſi Nos ſumus; & ſua quemque vecordia lædit.

& concors cum ſignis conſpiratio. Iam in quibus cum Signis duodecim Homini conveniat, malim intelligat Lector Manilij Mathematici. quam meis verbis. Sic enim canit:

Accipe diverſas hominis per Sydera partes,
Singulaque in proprijs patentia ſigna figuris;
In quis præcipuas toto de corpore vires
Exercent. Aries Caput eſt ante omnia princeps;
Sortitur cenſuſque ſui pulcerrima Colla
Taurus; Et in Geminis æquali Brachia ſorte
Scribuntur connexa Humeris; Pectuſque locatum
Sub Cancro eſt; Laterum regnum Scapulæque Leoni;
Virginis in propriam deſcindunt Ilia ſortem;
Libra regit Clunes; & Scorpius Inguine gaudet;

Centauro

Centauro Femora accedunt; Capricornus utrisque
In Genibus; Piscesque Pedum sibi jura poposcit.

Cap. VIII.

Mundum aliquando cœpisse.

EX ijs quæ dixi, manifestum, Mundi conditionem, non, ut utar Augustini verbis, *in tempore*, sed *cum tempore* cœpisse: quemadmodum cum sacro DEI verbo docent unanimi consensu, non solum Christiani (quorum omnium instar acutissimus hac in re, quem laudavi, Augustinus lib. XI. de Civit. Dei, cap. IV. & VI, item lib. XII. Confessionum) verum etiam vetustiores ante Aristotelem (quod ipse fatetur) Philosophi. Hi enim, ut & divinus ille Plato, ejusque discipuli, Probus, Possidonius, Plotinus, Seneca, Alexander Aphrodisiensis, Philo, omnesque fere Stoici, quum viderent solidas deesse Æternitati confirmandæ demonstrationes; maluerunt retinere traditam ab Majoribus suis sententiam, Mundum scilicet cœpisse; quam sequius quid de eo statuere. Nam, ut ipse Plato perquam eleganter, credibile est, Majores majorem & certiorem rerum divinarum cognitionem habuisse. Quum enim essent ab DEO orti; cognati quasi fuerunt illi; & propiores, quam nos, solidiora didicerunt. Scire certe & credere, Mundum ab aliquo temporis initio cœpisse, facit ad DEI partim Bonitatem, ne ignoremus quem ad modum se voluerit nobis communicare; partim Magnitudinem, ut intelligamus, Quid & Quantum sit, quod potest. Potentiam enim quis unquam expendisset in Æternitate? Abscondisset illa proculdubio & quasi obruisset Auctoris tanti vires; neque unquam quis, quantus DEUS per se esset, quid, quantum, quatenus, quo modo singula fecisset, per obscuram illam Aeternitatem dextre & uti res flagitabat, judicare potuisset. Originem sane Mundi nobis ob oculos ponit ejus Progressus, quo non aliter quam hominem vel populum aliquem videmus eum adolescere. Docent, qui rudes quomdam & impoliti, Mores hominum quotidie cultiores. Quam enim parum ab hinc tria annorum millia discriminis inter homines & feras? Habebant in Speluncis, solitarij fere, sine Rege, sine Lege; erecta paullatim Tentoria ex arborum ramis; hinc ventum ad Casas & Tabernacula; inde confieri cœperunt Pagi, & sensim Opida. Docent certi Ortus Auctusque, nobis Scriptorum beneficio notissimi, Nationum; quas, si æternus Mundus, æternas fuisse necessario dicendum. Docent denique, quæ quotidie in Ædificiis, Victu, Vestitu, innumeris aliis, nova prodeunt Inventa; quasi Mundus, ut homo provectioris ætatis, pluribus indies vitæ instrumentis indigeat, qui olim, ut puer & pauciorum annorum, facile se quocunque modo tolerabat. Nam absurdum dicere, infinities eadem reperta infinities concidisse: nationibus, apud quas illa vigebant, sublatis, partim incendiorum injuria, vi partim eluvionum: postea vero rursum usu & ingenio reparata. Quasi vero immanissimis etiam casibus non superfuerint, qui secum Literas Artesque & Inventorum memoriam conservatam vel exercerent ipsi, vel posteris traderent. Iactura facile fit Ædificiorum & Divitiarum; non facile Inventorum humani Ingenij.

Mundus cœpit cum Tempore.

non Christianis solum.

sed & antiquissimis Philosophis.

quod ut homines creamus, DEI interest.

Ortum docent varia.

Alijs Mundus est æternus, alijs nimis antiquus. Æternus Epicureis fere, male Magistrum sequutis, & Peripateticis omnibus; Aristoteli (qui videndus I. & VIII. Physicorum) suffragantibus. De quibus consulat Lector Plutarchum II. περὶ τῶν ἀρεσκόντ. τοῖς φιλοσ. Diogenem Laertium in Democriti & Epicuri vitis; Diodorum Siculum lib. I. de antiq. gest. fabul. Lucretium lib. I. V. & VI. de natur. rerum: Galenum de Marasmo; M. Tullium lib. II. de Divinat. & I. de Nat. Deor. Plinium lib. II. natur. histor. cap. I. & alios. Rationes (si tamen tale nomen illis competat: Nam quid possunt, ut cum Origine loquar, adversus veritatem ipsam adducere, quod non ineptum, invalidum & falsum coarguatur?) quas illi ex ipsius Mundi Natura, Motu, Gubernatoribus, ipso denique Opifice, & aliunde, opinioni suæ stabiliendæ adferant, prudens prætereo; refutas plene & docte ab Hannibale Rosselo Calabro (qui præcipuus Ocelli Lucani, Vniversum hoc & Interitus expers & Ortus adserentis, oppugnator) lib. V. in Pœmandrum Mercurij Trismegisti, Comment. II. cap. II.

Aliis Mundus æternus.

Francisco

Francisco Georgio Veneto Cantici de Harmonia Mundi I. Tomo I. cap. IX. & seqq. Iacobo. Milichio in II. Plinii natural. histor. librum; Nicolao Selneccero Enarratione in cap. I. Genes. & aliis. Adeundus & Philo de Mundo.

Aliis antiquus nimis, ut Chaldæis.

Aliis, ut dixi, nimis antiquus. Chaldæos adserere vulgo non puduit, habere se Siderum rerumque cœlestium scientiam, non minus quam quadringenties septuagies mille annorum observationibus comprobatam: quum interim non solum Callisthenes, expeditionum Alexandri Magni socius, excussis Babylone cum cura & diligentia secretissimis, quæcunque reperiri poterant, eorum monimentis, didicisse scribatur apud Porphyrium, observationes rerum cœlestium, quæ omnium erant vetustissimæ, non amplius fuisse quam mille nongentorum annorum; verum etiam Hipparchus & Ptolemæus Antiquitatem Astronomicæ sapientiæ non altius repetant, quam ab temporibus Nebucad-netzaris Chaldæorum regis, quem circa XXXIX. Olympiadem Iudæorum calamitates nobilitarunt.

Aegyptiis.

Ægyptij, fingentes innumera Mundi sæcula, jactant apud Diodorum Siculum, Pomponium Melam, Diogenem Laertium & alios, ex quo cœperunt innotescere, quater cursus suos vertisse Sidera; bis Solem occidisse, unde nunc oritur: Reges Ægyptiorum partim ex Dijs, partim ex hominibus ad novissimum regem Ptolemæum, Cleopatræ patrem, supra septuaginta annorum millia regnasse in Ægypto; postquam autem rationem Siderum comprehenderunt, amplius quam centum annorum millia numerari. Iidem, apud Plinium lib. XXXV. nat. hist. cap. XIII. gloriantur artem pingendi sex millibus annorum apud se floruisse, priusquam ea transiret in Græciam. Narrat apud Cyprianum de Idololatria & Augustinum lib. XII. de Civit. Dei, cap. X. Sacerdos quidam Ægyptius Alexandro Magno, in sacris Ægyptiorum Litteris & Annalibus, omnium Regnorum tempora subtiliter adnotata contineri, in ijs tradi, regnum Assyriorum quinque annorum millia excessisse; Persarum autem & Macedonum Imperium plusquam octo annorum millibus diffiniri. Commemorat alius, apud Platonem in Timæo, Sacerdos Soloni, Athenas novem millibus annorum ante ejus ætatem fuisse conditas. Vt non fero portentosam gentis, quæ ad stuporem mendacia fingere & fabricare solita, nugandi de mutatis quater Siderum, bis Solis cursibus licentiam: sic quodam modo ferendam censeo, nominantem quamvis vix ferenda annorum millia. Antiquissimus enim Ægyptiorum annus bimestris fuisse legitur apud Censorinum; qui deinde ab rege Pisone quadrimestris factus; postremo ab alijs ad tredecim menses & dies quinque productus. Varro item, Diodorus Siculus, Plinius & alij nunc trimestres, nunc menstruos agnoscunt eorum annos.

Indis.

Indorum apud Plinium lib. VI. natur. histor. monimenta, ab Libero Patre, qui primus iis arma intulit, ad Alexandrum Magnum Reges numerant centum quinquaginta tres; per annos sexies mille, quadringentos & duos; tresque, ne quid justo desit calculo, menses: quum tamen Liberum Patrem, Iehoschuhha Hebræis imperânte, floruisse accuratissimi notent Chronographi.

& aliis.

Prætereo Eudoxi & Aristotelis figmenta, confirmantium, Zoroastrem, qui Astronomiæ perhibetur parens, sex annorum millibus ante Platonis fuisse obitum. Certe æqualem fuisse Zoroastrem Nino regi; à quo ad Platonis mortem paullo plures mille septingentis annis, memoriæ produnt Diodorus Siculus, Iustinus, alijque scriptores.

Tempus creatæ Machinæ certum per se; incertum quoad Momentum.

Tempus igitur illud creati ab DEO Mundi ex Nihilo certum per se; incertius autem, si momentum ejus ab hominibus quærendum. Nam *Arenam Maris, Pluviæ guttas, Sæculi dies quis dinumeravit?* inquit Ecclesiast. cap. I. ubi Nicolaus Lyranus; *Annos Mundi cognitos haberi* notat, *ratione quadam probabili, non tamen certitudine infallibili.* Variant, ut videre est cum apud Sixtum Senensem lib. V. Bibliothecæ sanctæ, tum apud Michaelem Etzingerum in Regnorum Mundi Pentaplo, mirum in modum Chronographi. Varietatis quatuor indicat caussas Benedict. Pererius in Genes. lib. I. & VII. Collectiones auctoritas sacræ Scripturæ suffultas, & Meliorum, qui inter peccantes vel defectu vel excessu medij, calculos sequutus, censeo factam admirandam hanc Mundi machinam ante annos quinquies mille, quingentos, sexaginta, aut circiter: at quo anni tempore vix ausim dicere. Vernum, & in eo mensem Martium, communibus suffragiis edunt, post Virgilium II. Geor. Theologi omnes & Eccle-

eiusq; diem.

Ecclesiastici Scriptores; in ipso die notando variantes. XIIX Martij nominant Strabus & Rabanus ad XII. caput Exodi, Glossa interlinearis ad cap. XXXV. Geneseos, Beda libro de ratione temporum cap. XXVIII. XL. & alibi. XXIII. Martij diem edit apud Bedam initio libri de sex Mundi ætatibus, communis Patrum consensus in Synodo Palæstina, quam mandatu Victoris Papæ congregavit Theophilus Episcopus Cæsariensis. XXV. denique mensis ejusdem notant, Eusebius in omnimoda historia, Athanasius respondens ad quæstionem XVII. Antiochi, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi XIIII, Leo Papa sermone IX. de Passione Domini, Gregorius Nazianzenus oratione in Novam Dominicam, Isidorus lib. V. Etymolog. cap de Temporibus, Damascenus lib. II. de Fide Orthodoxa, cap. VII. Qui omnes varia probandis suis sententiis adscribunt argumenta, quæ longum esset & tædiosum hic recensere. Autumni tempore conditum Mundum volunt Hebræorum plurimi, & inter eos Iosephus lib. I. Antiq. Iudaic. Adsentiunt illis Nicolaus Lyranus ad cap. VII. Genes. Tostatus ad cap. ejusdem libri I. quæstione XXI. & priore parte Defensorij cap. XIIII. Benedictus Pererius lib. I. in Genesin. validis suam mentem argumentis firmans, refutato ibidem docte Gerardo Mercatore; qui, sequutus fortean AEsculapium & Anubium, initio suæ Chronologiæ, unus Mundum mense Iulio conditum opinatur; scrutari conatus etiam in suo Atlante fere ipsius diei momentum, quum adserit in nocturnum tempus primam rerum creationem incidisse. Legendi omnino hic Cælius Rhodiginus Lect. Antiq. lib. I. cap. VIII. Ioannes Lucidus lib. I. cap. II. de Temporum emendatione, & alij.

Quid DEVS fecerit ante conditum Mundum.

Sed, inquiet Impius, si Mundo initium Ortus; DEVS, in quo motum æternum esse prædicant Philosophi, quid moliebatur rerum ante novam Molis hujus conditionem? quod habuit, quo reciperetur, domicilium? quur non antea multis sæculorum millibus Mundum protulit? quur non post? quibus Ministris vel cultoribus est usus? num Ocio torpebat? num loco carens nusquam erat? si nusquam, a quo, quo pacto, quo loco genitus? O homo; nefas mihi, tibi, omnibus, Caussas scrutari, quibus magni Numinis voluntas ad agendum velut adducta. *Scrutator Majestatis*, inquit Sapiens, *opprimetur ab Gloria*. AEterno DEO nihil prius; nihil posterius; omnia illi sunt præsentia, atque adeo τὸ Ἔστι vix illi congruit, ut Plato adfirmat in Timæo. Agebat, ut cum magno viro propius accedam, DEVS ante Mundum, & sine Mundo, quod nunc cum Mundo; in sua felicitate seipso contentus, plenus bonorum omnium, ab æterno constituerat Mundum procreare, atq; ea condere quibus suam communicaret beatitudinem; sed tunc, non antea, nec post; quur? quia sic illi visum. Non hoc sufficit? Ante Mundum factum communicatio fuit Sapientiæ inter DEVM Patrum, Filium & Spiritum Sanctum æterna. Quid præter ea respondeam, non habeo. Ingenij hic, cum Augustino, vela lubens contraho.

CAP. IX.

Mundum Finem habiturum.

Mundum periturum.

Varia loquuntur, inter alia,

Senium ipsius

SI igitur initium habuerit hoc, quod videmus: necessum est habiturum quoque sit Finem, qui Initio oppositus. Interiturum Opus hoc, est opus. Probant, ut illustrissima Sacræ Scripturæ testimonia sileam, Mundum corruptioni obnoxium, ejus Partes; quas, numquam & nusquam non, stupendum in modum videmus alterari, in peiorem plurimum conditionem. Veterascunt Omnia, Psalmo CII, 27. & in senilem quasi vergunt ætatem, fiuntque minora & in pejus ruunt, Esdras lib. IIII. cap. V. vers. 52. & seq. Mundo senescente, Rerum atque Hominum passim jam decrementa, inquit Varro apud Agellium lib. III. noct. Attic. cap. X. spectantibus eodem Virgilio lib. I. Georgic. & Plinio lib. VII. natur. histor. cap. XVI. ut Argumenta fere non defuerint nescio quibus, apud Ælianum lib. VIII. Var. histor. cap. XI. Mundum sensim & sine sensu, suo quasi senio periturum adserentibus, utque non immerito nonnulli Universum hoc adsimilarint Homini; florentis illi & marcescentis ætatis nomina tribuentes D. Hieronymus Homilia I. super Euangelist. *Sicut in Iuventute viget Corpus, forte & incolume manet Pectus, torosa*

Cervix, plena sunt Brachia; in annis autem ſenilibus Statura curvatur, Cervix exſiccita deponitur, frequentibus ſuſpiriis Pectus urgetur, Virtus deficit, loquentis Anhelitus verba intercipit (ſic enim legendum) *nam etſi languor deſit, plerumque ſenibus ipſa ſua Salus ægritudo eſt: ita Mundus in annis prioribus, velut in juventute, viguit, ad propagandam humani generis prolem robuſtus fuit, ſalute corporum viridis, opulentia rerum pinguis: At nunc ipſa ſua ſenectute deprimitur, & quaſi ad vicinam mortem moleſtiis crebreſcentibus, crebrius urgetur.* Sic D. Ambroſius libro de bono mortis cap. x. *Defecit multitudine generationis hoc ſeculum tanqum vulua generantis, & tamquam ſeneſcens creatura; robur juventutis ſuæ, velut jam marceſcente virtum ſuarum vigore, deponit.* Voluit idem D. Cyprianus tractatu I. contra Demetr. *Canos videmus in pueris, capilli deficiunt, antequam creſcant, nec ætas in ſenectutem deſinit, ſed incipit a ſenectute: & in ortu adhuc ſuo ad finem nativitas properat: ſic quodcunque nunc naſcitur, mundi ipſius ſenectute degenerat, ut nemo mirari debeat, ſingula in Mundo cœpiſſe deficere, quum totus ipſe jam Mundus in ſenectute ſit & in fine.* Idem: *Illud primo in loco ſcire debes, ſenuiſſe jam Mundum; non illis ſtare viribus, quibus prius ſteterat: nec vigore & robore eo valere, quo antea prævalebat.* Et paullo poſt: *Putasne tu tantam poſſe ſubſtantiam ſeneſcentis rei exiſtere, quanta prius potuit, novella adhuc & vegeta juventute pollere?*

& Morbi:

Suis etiam morbis & languoribus conflictari docentes. Origines tractatu XXIIX. in Matthæum: *Sicut ægrotant corpora ante mortem eorum, qui vim non extrinſecus patiuntur; & quemadmodum in omnibus per infirmitatem fit via ad ſeparandum animam a corpore ſuo: ſic talis ac tanta creatura Mundi, quum corrumpi cœperit, quaſi initium habens & finem, neceſſe eſt ante corruptionem, ut langueat.* D. Ambroſius cap. XXI. in Lucam: *Quia in occaſu ſeculi ſumus, precedunt quædam ægritudines Mundi; ægritudo Mundi eſt fames, ægritudo Mundi eſt peſtilentia*, & quæ ibi alia.

quidquid obganniant Philoſophi, veteres.

Quibus tamen, non recte, reclamant, Ariſtoteles lib. II. Meteoror. qui *ridiculum* putat *ob parvas leveſque mutationes. Mundi totius permutationem adſerere, indeque Univerſi cladem colligere; quum Terræ magnitudo nihil profecto ſit ad univerſum Cælum, id eſt Mundum:* & Columella, qui lib. I. & II. de re ruſtica, contra Veterum ſententiam, *ſenecta corripi Terram* negat.

Serrum hic inter ſe reciprocantes.

Quod ad veterum Philoſophorum hac de re ſententias; eorum quibuſdam Mundus, ut natus, ſic periturus; quod cenſent Epicurus, Stoici, Anaximenes, Anaximander, Anaxagoras, Archelaus, Democritus, Leucippus, Empedocles, Lucretius: aliis natus quidem, ſed permanſurus, ut placuit Platoni ejuſque diſcipulis: nonnullis, ut non natus, ſic nec periturus, quæ mens Xenophanis, Parmenidis, Meliſſi, Philolai; Ariſtæi Ocelli: de quibus omnibus videndi Lucretius lib. v. & VI. Plutarchus περὶ τῶ Ἀρεσκόντ. τοῖς φιλοσόφ. Iuſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Ioannes Stobæus lib. I. Eclog. cap. XXIV. Notat univerſim paucis verbis Arnobius lib. II. adverſus gentes: *Mundum quidam ex ſapientibus exiſtimant, neque eſſe natum, neque ullo tempore periturum; immortalem nonnulli, quamvis eum conſcribant eſſe natum & genitum: tertiis collibitum dicere eſt, & eſſe natum & genitum, & ordinaria neceſſitate periturum.* Rabini etiam quidam Mundum volunt perpetuo duraturum, ex Geneſeos cap. IIX. verſibus poſtremis: *Nequaquam ultro maledicam Terræ propter Homines. Senſus enim & cogitatio humani cordis mala ab adoleſcentia ejus, neque poſt hac percutiam ultra omnia viventia, quemadmodum feci. Deinceps quamdiu erit terra, ſementis & meſſis, friguſque & æſtus, æſtaſque & hyems, dieſque & nox non ceſſabunt.* Sed ſtulte hoc eos inde colligere notat Hieronymus ab Oleaſtro. Nam Pactum illud ad modum interitus referendum. Non enim amplius per diluvium Mundus eſt peritus. Eleganter Eucherius libro I. in Geneſin: *Ipſum ſignum in Aqua & Igne oſtenditur; quia ex parte eſt cæruleus* (loquitur de arcu cœleſti) *& ex parte eſt rubicundus: quia utriuſque judicii teſtis eſt, unius videlicet facti & alterius faciendi. Quod teſtamentum poſuit* DEVS *inter ſe & homines & omem animam vivam; ne perdat eam diluvio, arcum qui apparet in nubibus.* Et ſane quid ſibi vellent verba illa כל־ימי הארץ *omnibus diebus terræ?* an non ſubindicant hos Terræ dies aliquando ceſſaturos, ut locum dent diebus Cœli; quibus futuri nos ut Angeli; propius DEVM agnituri, in ejus Sapientia nos oblectaturi, ejuſque præſentia fruituri! Dion Pruſieus Sophiſta, cognomento Chryſoſtomus, ut Suidas teſtatur, librum conſcripſit, εἰ φθαρτὸς ὁ κόσμος, quem temporis injuria nobis ſuſtulit.

Interitus imminet ex æterno DEI decreto:

Periturus autem Mundus æterno DEI decreto & libera ejus voluntate. Fruſtra enim eſt Galeotus Marcius cap. XXV de doctrina promiſcua, Exuſtionis cauſſam referens ad Octavam Sphæram, & Cancrum atque Capricornum loca ſenſim commutatu-

mutaturos. Frustra Chaldæi, qui Exstionem futuram statuunt in Signorum Cœlestium Astrorumque, quæ natura calidissima, concursu; Berosius apud Senecam, & ipse Seneca lib. III. cap. XXIX. natural. quæst. Frustra denique Aristoteles, qui libro I. Meteororum, magnas illas vicissitudines insinuat per *κατακλυσμὸν* seu Mundi hyemem & *ἐκπύρωσιν*, Mundi æstatem: statuens eas certis annorum curriculis & Siderum trajectionibus contingere: colligens inde, negato interitu, durationem Mundi sempiternam: quam sententiam Eusebius tribuit etiam Heraclidi & Empedocli; Stoicis item Athenagoras. Videndi & Iulius Firmicus lib. II. Astrolog. & Censorinus de die Natali.

Quibus partibus? Non difficile solum sed & periculosum aliquid hic diffinire. De Inferioribus his certum: quid de Superioribus? כי שמים inquit Iesahiahas cap. LI. כעשן נמלחו *Nam Cæli, sicut fumus, sunt consumti.* Hiob cap. XIV. vers. 12. *Homo, quum dormierit, non resurget,* עד בלתי שמים *usque ad non Cælos;* עד דלית שמיא, *donec non sint Cæli,* ut habet Paraphrasis Chaldaica; &, ut LXX. Interpretes; *ἕως ἂν ὁ οὐρανὸς οὐ μὴ συῤῥαφῇ, quousque Cœlum non consutum sit:* id est, *donec atteratur Cælum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.* De omnibus simul, ipsa in Euangelio Veritas, Christus apud Euangelistam Lucam cap. XXI, 33. *ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι.* Sic Petrus Apostolus Epistola posteriore, cap. III. vers. 7. *οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ τῷ αὐτοῦ λόγῳ τεθησαυρισμένοι εἰσὶ, πυρὶ τηρούμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως καὶ ἀπωλείας τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων*, Deinde vers. 10: *ἥξει δὲ ἡ ἡμέρα κυρίου ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ, ἐν ᾗ οἱ οὐρανοὶ ῥοιζηδὸν παρελεύσονται, στοιχεῖα δὲ καυσούμενα λυθήσονται, καὶ γῆ καὶ τὰ ἐν αὐτῇ ἔργα κατακαήσονται*, & quæ alia ibi sequuntur. Accedit probandæ Superiorum corruptioni, & adserendo interitui, *Cœli, Solis, Lunæ,* quæ futura dicitur, *innovatio*, Iesahiah. cap. XXX. LXV. & LXVI. Ioannes Apocalyps. cap. XXI. Petrus Epistola, quam laudavi, cap. III. vers. 13. *Stellarum casus de Cælo*, Iesahiah. cap. XXXIV. Esdr. cap. IIII, 24. Ioann. Apocalyps. VI. & similia. Omnia Elementa exurenda & ipsos etiam Cœlos Superiores, opinantur, Theophylactus ad cap. VIII. Epistol. ad Romanos, Augustinus & Ludolphus ad Psalmum CII. Alij duo Elementa consumenda putant, duo relinquenda, cujus mentis Beda. Sunt qui incendio corrumpendam Mundi machinam censent secundum partes, quæ diluuio fuerunt demersæ; ut (quemadmodum etiam videre est apud D. Petrum Epist. II. cap. III. 5. 6. 7. & Augustinum XX. de Civit. Dei cap. XVIII.) Illuvio atque Exustio sibi invicem quasi respondeant. Primasius Augustini discipulus ad cap. I. Epistolæ ad Hebræos, Anselmus Cantuariensis in cap. XII. ejusdem Epistolæ. Augustinus, parum sibi constans hac in re, non modicam partem Inferiorum Orbium una cum Superioribus expertem futuram exustionis, tradit lib. XX. cap. XIIX. Epictetus denique Mundum conflagraturum, etiam ipsos Deos, ait apud AElianum lib. III. cap. XIII. Variæ historiæ. Quibus partibus, incertum.

Quo modo? Igne, ut ex multis jam Sacræ Scripturæ locis didicimus. Quali? Materiæ & corporis compote, qui nec fumo cariturus, ut putat Augustinus Anconitanus Commentar. in Matthæum. Vnde venturo? Cœlitus pluviæ instar, ab ipso DEO, ut innuere volunt nonnulli regium Prophetam, Psalmo XI, 6. quemadmodum & alias ad punienda hominum scelera factum legimus. Geneseos cap. XIX, 24. Iechezkel cap. XXXIIX. 22. & alibi. Persuasum hoc de Igne & Veterum non paucis, ut Sibyllæ (mihi tamen suspectæ & suppostitiæ) lib. III. Oracul. apud D. Augustinum lib. XIIX. de Civitate Dei, cap. XXIII. Hystaspi apud Iustinum Martyrem, Apolog. II. Sophocli apud eundem, libro de Monarch. Innominato Poetæ, apud Clementem Alexandrinum, *τῷ πέμπτῳ τῶν στρωματ.* M. Tullio lib. II. de Natura Deorum, Ovidio lib. I. Metamorph. Lucana lib. VII. belli Pharsal. Senecæ lib. de Consolat. ad Marciam, Plinio lib. VII. natural. histor. cap. XVI. Quod Igne, certum.

Cui fini? Vt renovetur in meliorem faciem; Cœlo non amplius movendo, Elementisque mutabilitate, cui nunc subjacent, & qualitatibus corruptibilibus, quibus nunc sunt prædita, cariturus. Augustinus lib. XX. de Civit. Dei cap. XVI. Primasius in Apocalypsin, Hieronymus non uno loco, Thomas IIII. Dist. XLVII. quæst. 2. & opuscul. LX. cap. ult. Ludolphus Garthusianus ad Psalmum CII. Respicit huc Seneca in Octavia vers. 386: Vt renovetur.

——— ——— ∪∪∪ ——— nunc adest Mundo Dies
Supremus ille, qui premat genus impium

Cœli ruina, rursus utstirpem novam
Generet, renascens melior: ut quomdam tulit
Iuvenis tenente regna Saturno poli.

certo & determinato tempore.

Quando denique? incerto quidem nobis, certo tamen & determinato Divinæ Præaestinationi tempore. Non est puræ Creaturæ, γνῶναι χρόνους ἢ καιροὺς, inquit Christus Actor. 1, 7. οὓς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ. Adeundi Augustinus lib. XIIX, quem sæpe citavi, de Civit. Dei, & Epist. LXXIIX. ad Hesych. item in Psalmum VI. Primasius in Apocaliypsin. Hoc dicere licet, nostra hæc tempora Fini vicina. Sumus enim Nos, εἰς οὓς, ut ait Paullus Apostolus 1. Corinth. cap. X. 11. τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησεν: & quibus, ut Ioannes 1. Epist. cap. II. ἐσχάτη ὥρα ἐστί; illa quæ ab Christi adventu cœpit adesse, ut exponunt Ambrosius in dict. cap. X. & Augustinus lib. VIII. quæst. & Epist. LXXX. ad Hesych. Facit certe crebrior incertitudinis metusque Diei hujus inremissi commendatio hominibus excitandis, ut pie vivant, fugiant vitia, Virtutes amplectantur. Consulendi D. Chrysostomus Homilia XXI. super Matthæum, XXXIII. & XXXVIII. in Ioannem, XXXIV. & XLIIX. operis Imperfecti, Basilius Homilia II. in Psalmum VII. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi Mystag. XV. Nyssenus Oratione in VI. Psalm. Hilarius lib. IX. de Trinitate, & in Psalmum CXIIX. & Canone XXVI. in Matth. Ambrosius lib. V. de Fide cap. VIII. & ad Psalm. CXIIX. Serm. III. & XII, Leo Serm. V. de Iejunio, D. Gregorius in Homiliam Erunt Signa, & D. Bernardus Serm. III. de Vigilia Nativitatis, & Epist. LXIV. Sancti horam Adventus Domini diligimus; &, ut prope sit, votis omnibus desideramus: detestati non solum eos, qni, corto & diffinito tempore eam vel prope esse vel longe, putare non verentur; quales Abbas Ioachim, teste Thoma, Arnoldus de Villa nova apud Antoninum Archiepiscopum, Vbertinus a Casali de septem statibus Ecclesiæ, Telesphorus Eremita libr. de magnis Eccles. tribulationibus, Nicolaus Cusanus, Petrus Halyacensis in tractatu de Concordia Astron. veritatis, Ioannes Picus Mirandulanus, Franciscus Meletus, & alij; contra quos legendus Hieronymus Vielmius lect. VI. in cap. 1. Geneseos: verum eos etiam, qui Diei certitudinem pronunciare scribuntur ausi ex Astrorum concursu; quæ mens cum Chaldæorum, AEgyptiorum, Pythagoreorum, Stoicorum & aliorum, quos refutat AEgidius Columnius Rom. tractatu de Prædestinat. cap. II. tum eorum, qui hac in re confugere soliti ad Hebræorum, de sex millibus annorum, ex quodam Helia, non Thesbite deliria; quæ oppugnant Genebrardus in Chronic. & Hieronymus Magius lib. III. de exustione Mundi, cap. XVI. Concludam cum D. August. lib. XVIII. de Civit. Dei cap. LII. DEVS *omnium de hac re calculantium digitos resolvit, & quiescere jussit. Quod enim Apostolis quærentibus noluit indicare, nec alijs revelabit unde omnes illi, qui tempus hoc voluerunt numerare; hactenus falsiloqui sunt inventi.*

CAP. X.

Mundum ob varias caussas esse factum.

Mundus factus primario propter DEVM;

FECIT autem DEVS Vniversum hoc, primaria quidem intentione (ut distincte notem caussas δημιουργικάς) *propter Seipsum*: secundario vero, *Hominis caussa*. *Propter Seipsum: Vniversa*, inquit Schelomon Proverbiorum XVI, 4. *propter Semetipsum* (eo pertinent verba Aristotelis in Diffinitione Mundi, διὰ θεόν, apud me libri hujus cap. I.) *operatus est Dominus*; hoc est, quia ita placebat, utque in ijs ejus gloria plene elucerct, Psalmo XIX. 1. & ab falsorum Deorum turba notis evidentissimis discerneretur, Ieremias, cap. X. 11. non, quod Rabini volunt, cum alias ob caussas motus, tum ut domum haberet inhabitandam. Mundo enim non indigebat (ut scribit Lactantius, verba faciens de ejus conditione) DEVS, qui ab æterno fuerat sine Mundo: ideoque bene dicitur, Mundum etiam produxisse *Hominis caussa*, qui tamen propter DEVM, ad quem omnia referenda. Paullus scribens ad Corinthios, priore Epistola, cap. III, 22. πάντα ὑμῶν ἐστιν, inquit, εἴτε κόσμος, εἴτε ζωή, εἴτε θάνατος, εἴτε ἐνεστῶτα, εἴτε μέλλοντα, πάντα ὑμῶν ἐστιν: ὑμεῖς δὲ χριστοῦ, χριστὸς δὲ θεοῦ. Ad quem locum distincte Augustinus *Superiora* nominat, *AEqualia*, *inferiora*; *Superiora*, *ad per-*

secundario, Hominis caussa:

ad perfruendum, *ut* DEVS *ipse*, inquit, *Æqualia*, *ad convivendum*, *ut Angeli*, *qui & jam nobis serviunt & in vita æterna nos eis æquales erimus*; *Inferiora*, *ad utendum eorum servitio*. Necesse igitur hoc erat, ut, quum DEI præsentia conspectui non pateret humano, saltem ex rerum conditarum magnificentia & pulcritudine tantus artifex penitissime cognosceretur, nosque, tamquam gradibus quibusdam, in ejus eveheremur notitiam. Quamvis enim hæc omnium mentibus naturaliter est insita (ut gravissimi Philosophi nusquam non docent) tamen, proh dolor, horrendum in modum obfuscata est & obruta. Egebamus adminiculis. Manifestant in admiranda hac rerum mole tanti Numinis Æternitatem, Caussarum inter se cohærentium series, & ordinariæ Luminarium Cœlestium revolutiones; Potentiam, Specierum conservatio & perpetua in generatione Similitudo; Sapientiam, Dispositio sive σύστημα, non Totius tantum, sed & omnium ejus Partium: Iustitiam, administratio singulorum prudentissima; Munificentiam, nobis concessus gratis omnium usus; alia alias divinæ Majestatis docent proprietates. Τὰ ἀόρατα αὐτοῦ, ut Paullus ait Epist. ad Romanos cap. 1, 20. ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Diffundunt hæc D. Paulli paullo fusius magni Primitivæ Ecclesiæ Patres & Antistites. Origenes in suo Commentario: *Virtus* DEI, inquit, *sempiterna ex conjecturis cognoscitur Creaturarum*: *Virtus est*, *qua regit omnia*: *Divinitas*, *qua replet Universa*. *Ex hoc ergo inexcusabiles fiunt*: *quia quum*, *manifestante* DEO, *cognoverunt* DEVM: *non*, *ut dignum est*, *coluerunt* DEVM. Chrysostomus in eundem Paulli locum: *Cognitionem Sui* DEVS *Hominibus ab initio indidit*, *Mundi creatione in medium proposita*; *ut possit Sapiens*, *Rudis*, *Scytha*, *Barbarus*, *ex ipso adspectu eorum quæ oculis subjecta sunt*, *pulcritudinem edoctus ad* DEVM *conscendere*. Ambrosius Commentario ad eamdem Epistolam. *Ex ipsa*, ait, *cœli fabrica iratus illi* DEVS *videtur*. *Idcirco enim tam pulcra Astra condidit*, *ut ex iis*, *quantus & quam admirabilis Creator eorum est*, *possit agnosci & solus adorari*: *unde scriptum est in libro Sapientiæ*: *A magnitudine Creaturæ Creator earum poterat agnosci*. *Quod notum est* DEI, *ait Paullus*, *manifestum est illis*: *notitia* DEI *manifesta est ex Mundi fabrica*. *Vt enim* DEVS, *qui natura invisibilis est*, *etiam ex visibilibus possit sciri*, *Opus factum est ab Eo*, *quod opificem visibilitate sua manifestaret*, *ut per certum Incertum posset sciri*: *ut per hoc*, *quod ceteris impossibile est*, *ille esse* DEVS *omnium crederetur*, *qui hoc opus fecit*. *Per Naturalem ergo Legem reum facit genus humanum*. *potuerunt enim id per Legem Naturæ adprehendere*, *fabrica Mundi testificante*, *auctorem* DEVM *solum diligendum*. Augustinus Sermone LV. de Verbis Domini: *Interroga*, inquit, *Mundi ornatum*, *Cœli fulgorem*, *dispositionemque Siderum*. *Solem Diei sufficientem*, *Lunam Noctis solatium*; *interroga Terram fructificantem Herbis & Lignis*, *Animalibus plenam*, *Hominibus exornatam*; *interroga Mare quantis & qualibus Natatilibus plenum*; *interroga Aera*, *quantis Volatilibus vigeat*; *interroga omnia*, *& vide si non sensu tuo tamquam tibi respondent*, DEVS *Nos fecit*. *Hæc & Philosophi nobiles quæsierunt*, *& ex Arte Artificem cognoverunt*. *Itaque pulcritudo Creaturarum*, *confessio earum est*: *ista pulcra mutabilia fecit*, *qui est Incommutabilis Pulcer in Seipso*. Habuit proculdubio magnus vir, quum illa scriberet, vel in oculis, vel in mente saltem, Hiiobi verba cap. XII, 7. *Nimirum interroga Iumenta*, *& docebunt te*: *& Volatilia cœli*, *& indicabunt tibi*. *Loquere terræ*, *& respondebit tibi & narrabunt Pisces maris*. *Quis ignorat*, *quod omnia hæc manus Domini fecerit?* & quæ sequuntur. Cyrillus denique Dialogo de Trinitate, lib. IIII. *A magnitudine*, ait, *& pulcritudine Creaturarum congruenter & ipsarum conditor spectatur*. Mercurius etiam Trismegistus lib. V. Dialogo V. scribit, DEVM totius expertem invidiæ per singulas Mundi particulas ubique splendere, atque adeo se notum præstare: ut non intelligere modo, sed manibus etiam ipsis liceat attrectare; undique nostris cum oculis obversari, se passim objicere, suamque inculcare imaginem. Plato item X. de L L. multis rationibus probat DEI præsentiam ubique in Creatis patere. Videndus idem in Epinomide & Plotinus Ennead. quintæ lib. V. cap. IV. Galenus denique in histor. Philosoph. notat habere nos providentiam & agnitionem DEI ex pulcritudine & magnitudine Opificiorum ejus visibilium. Nihil enim ab eo factum frustra; sed omnia, quæ pulcra sunt, monstrant sapientem Opificem. Hinc Euripides:

Ἀστέρες ἐν οὐρανῷ ποίκιλμα τέκτονος σοφοῦ.

Vt non immerito Universum hoc nobis sit, tamquam Liber (quemadmodum non ineleganter aiebat Antonius Ægyptius Abbas, de quo lib. VIII. Tripart. hist. cap. I.)

ut: si non alio modo.

saltem ex creatæ Molis adspectu.

DEVM esse sciret & crederet:

tamquam ex magno Libro.

cui, quot res creatæ, tot sunt folia; quæ quotidie volvenda revolvenda; ut DEI Sapientiam, Potentiam, Bonitatem, quamtum homines adsequi possumus, cognoscamus, & discamus magnum ejus & *admirabile nomen in universa Terra*, Psalmo VIII, 9. *Haudquaquam ergo*, ut ait Damascenus lib. I. cap. I. *nos deservit* DEVS *omnimoda Sui circumfusos ignorantia; quinimo cunctis cognitio (quod* DEVS *sit) ab ipso naturaliter insita est atque ingenita.* Et cap. III. *Cognitio, quod* DEVS *sit, nobis natura insita est atque ingenita.* Merito hic reprehendantur illi Eidolorum cultores, & vani sint homines, *οἷς παρῆν Θεοῦ ἀγνωσία, καὶ ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν οὐκ ἴσχυσαν εἰδέναι τὸν Ὄντα, οὔτε τοῖς ἔργοις προσέχοντες ἐπέγνωσαν τὸν τεχνίτην: Ἀλλ' ἢ Πῦρ, ἢ Πνεῦμα, ἢ ταχινὸν Ἀέρα, ἢ κύκλον Ἄστρων, ἢ βίαιον Ὕδωρ, ἢ Φωστῆρας Οὐρανοῦ πρυτάνεις κόσμου Θεοὺς ἐνόμισαν. ὧν εἰ μὲν τῇ καλλονῇ τερπόμενοι, ταῦτα Θεοὺς ὑπελάμβανον, γνώτωσαν πόσῳ τούτων ὁ Δεσπότης ἐστὶ βελτίων, ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης ἔκτισεν αὐτά*: & quæ alia Sapientiæ cap. I.

CAP. XI.

Mundum ab DEO *gubernari.*

Non solum quidquid est DEVS creavit;

NEQVE solum DEVS quæ partim videmus, partim credimus, ex Nihilo fecit; condita Luce, qua vteremur; discrimine inter hanc & Tenebras posito; constituta ad stuporem omnium Firmamento, terminatis, Aere iterjecto, Aquis: indita Terræ vi, qua proferrent Fructus, unde quidquid Vita donatum aleretur; dato Herbis Arboribusque Semine; Aquis Piscium omnis generis copia repletis; ornata Terræ facie Volucribus, Bestiis, Iumentis, Reptilibus; formato denique ad imaginem suam Homine: verum etiam facta omnia ab se benigne conseruat, sapienterque gubernat.

Sed creata etiam conservat & gubernat.

Testantur Viri DEI, David Psalmis XXIII, I. XLV, 7. LXXII, 8. CIV, 27, 28. CVII, 23, & seq. CXLV, II, 13. CLXVII, 5. Schelomo Proverb. XXI, I. & seq. Auctor libri Sapientiæ, cap. XI, 27. XIV, 3. Hiiob. cap. XXVIII, 24. XXXIV, 13. XXXVII, 5. & seqq. Iesahiahas XLVIII, 17. & seqq. Auctor Epistolæ ad Hebræos cap. I, 3. Ipse Cristus apud Mathæum Euangelistam VI, 26. & X, 29, apud Ioannem cap. V, 17. Sentiunt hoc nobiscum Socrates, Plato (qui tamen metu quodam variat) eorumque discipuli & alij majorum gentium Philosophi. Accedit Mercurius Trismegistus, qui Dialogo II, Actionem DEI nominat potestatem insuperabilem; scribens DEVM non esse ociosum, alioquin ociosa fore omnia; cuncta siquidem plena esse DEO. Canit magnus ille naturæ scrutator, Manilius, DEVM

—— *Infusum Cœlo, Terraque, Fretoque,*

retro-poetas sequutus; quorum illa: —— *Iovis omnia plena.*

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem.

Et: *Iuppiter est, quod cumque vides, quocumque moveris.*

Planissime Boetius de Consolatione Philosophiæ:

O qui perpetua Mundum ratione gubernas.

Rationes.

Quid ni? Est enim DEI optimi, optima producere, productaque adducere ad perfectionem; Perfectio autem uniuscuiusque rei in Fine consistit: Vt igitur Divinæ Bonitatis interest, Res ad Esse producere, ita plane & ad ipsorum Finem adducere, quod est Gubernare. Iam vero quis Rebus, quæ conditæ, regendis moderandisque aptior, quam qui condidit; cui natura earum cognita & perspecta; à quo sunt illis Initia, Progressus, Finis? qui attribuit cuique Vires, quibus se tuerentur, actionesque exercerent sibi utiles & necessarias ad Vitam, Vigorem, Valentiam? cui ut Sapientissimo, non deest, regendi Scientia; non Voluntas, ut Optimo; non, ut Maximo, Vis & potestas, quæ illi immensa, & interminata? Verus ille Pan, quem diversis modis formabat, divina semper mysteria typis ænigmatum obvelans, Antiquitas. Cornua in Capite duplex Imperium (pro Regno enim Cornu accipi solitum, probat Hieronymus in Prophetiam Habacuc) denotabant in & Superna & Inferna; Barba prolixior infinitam significabat Virtutem, & in ima quæque protensam; Fistula septem Calamorum Harmoniam totidem Planetarum indicabat; Virga in manibus, Potestas erat, qua cuncta credebatur moderari; Ridens (sic enim fingebant) innuebat sempiternam suam Felicitatem; *νεβρίδα* stellatam in Pectore gerebat, quia

Gubernat autem Omnia;

Etiam minima;

bat, quia omnium Stellarum concursum atque vim unica pelle, unicoque nutu continere dicebatur; Deliciari faciebant in Echo, quæ vox resonans, Verbo enim DEVS Mundum fabricavit & fabricatum voce gubernat. Gubernat autem universim. Quemadmodum, enim nihil quod non ab DEO creatum; ita quod illius Gubernationi non obtemperet, nihil. Eousque porrigit se Gubernationis imperium, quousque extenditur ejus finis: Bonitas divina, quæ Gubernationis finis, omnia complectitur, ita etiam ejusdem Gubernatio. Vt nihil est, in quod non cadit DEI Bonitas; sic nihil in quod non ejusdem Gubernatio. Stulte dictum ab nonnullis apud Ezechielem Prophetam cap. IX. vers. 9. *Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt*; quum Davide canente Psalmo XXIV, *Domini est Terra & plenitudo ejus, Orbis terrarum & Vneversi qui habitant in eo.* Intuetur & tuetur Omnia divinum illud Numen, etiam quæ nobis minimi & loci & precij. Falsus M. Tullius, quum II. de natura Deorum ait, *Magna Deos curare, Parva negligere*. Falsus Aristoteles, qui in libello περὶ κόσμου (si modo ejus est) DEVM facit similem magno Persarum Regi, Xerxi, Cambysi vel Dario, qui ipse per se maxima & pulcerrima Regni obeat munia; minora & sordidiora mandet aliis; indignum arbitratus tantum Principem manus ollæ, aut scopis, aut strigili admovere. Falsus denique Plinius, DEI quasi misertus, quod tanta cum premat Regni moles, quod tanta molestia. Male sane agitur cum pietate Numinis, quoties humana infirmitas ad DEVM transfertur. Nam quid quæ adferuntur ad DEVM? DEO nihil majus, nihil minus: Omnia DEO curanti & gubernanti Magna; Omnia Mundi (quod appellatio clamat) apud DEVM munda. Magnus olim habitus Schelomo, quod disputarit ab Cedro Libani usque ad Hyssopum, quæ exit de pariete, quodque disserverit de Iumentis, Volucribus, Reptilibus & Piscibus: viluitne has ob res ejus Sapientia? Vilueruntne Aristoteles & Theophrastus; quorum ille de Animalium, hic de Plantarum natura disputavit? Hermes sapientissimus, Siderum, Lapidum & Herbarum singularem scripsit concordiam. Sapientes illi fuerunt, non quod singularia, sed quod Rerum species & universalem naturam speculati. Rerum gradus, ut aliæ aliis ad regimen sint digniores, ab Homine sunt, non ab DEO; qui vult, nihil despiciens, nihil vili pendens, nihil sua cura censens indignum; qui potest, solus omnibus sufficiens.

non immediate solum, sed & mediate;

Non absurdum tamen credere, DEVM mediate etiam, mutuatitia quasi opera, quæcunque sunt gubernare, & Cœlestia & Terrena; non Necessitate, sed Voluntate sua bona & libera. Carere enim posset iis, si vellet; quum solo suo nutu perfecerit, quod voluit. Quas per se absque Instrumentis res creavit; non advocata aliunde ope, regere potest & tueri. Movemus hodie post Archimedem Automata nostra sine Ministris Miselli nos; non poterit DEVS? Vt tamen evidentior esset Naturæ concinnitas, Ministris quasi voluit uti magnus ille Rex: quum regiæ etiam humanitus conveniat dignitati, per ministros multa exsequi; ut Ministrorum ordine clarior reddatur dignitas. In Gubernatione duo consideranda; cum ejus Ratio, quæ nihil aliud quam Providentia; tum Rationis exsequutio, quæ proprie Gubernatio. Gubernationis Ratione DEVS omnia immediate gubernat; Rationis exsequutione quædam, alijs mediantibus, & (sic loqui liceat) coaccedentibus.

cum Cœlestia;

per Angelos;

Cœlestia igitur contemplemur. Concors fuit Platonicorum, Peripateticorum, Stoicorum, aliorumque sententia, Orbes ibi, non sua vi, (quam hic agnoverunt nonnulli, Stratonem Sampsacenum, Theophrasti discipulum, sequuti) sed divina ratione & potentia moveri ab Intelligente aliqua Natura. Innuit hoc etiam divinus Philosophus in Timæo; ubi, metu quodam DEVM Mundi gubernatorem facere non ausus, (Calamitatem enim, quæ Socratem, talia palam contra receptas de DIs opiniones fassum, adflixerat, horrebat) dicit Κόσμον esse ζῶον ἔμψυχον ἐννοῦν τι, ὅτι παρ' ἑαυτοῦ τρέφει): τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ Κόσμου ἐν Οὐρανῷ ponens. Qui vero se ciere posset Cœlum, quod Corpus simplex & omnibus suis partibus secundum substantiam uniforme; in quo nihil distincte quis signabit, quod moveat, quod moveatur? Edocti sanius solidiusque ministerium huc vocant Angelorum; qui (rationes enim addunt) nisi Cœlos moveant, quo modo cognoscentur? quo probabuntur; unde natura illorum deprehendetur? quod illorum erit munus? quo pertinebunt illa Davidis Psalmo CIII, 4. *qui facis Angelos tuos Spiritus, & Ministros tuos Ignem urentem*: & Danielis cap. VII, 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia adsistebant ei?*

Quidquid sit: præcedit DEI Cura, DEI Providentia, cui ministrare Angelos, certum & indubitatum. Divina mihi illa Dionysij Areopagitæ libro de Cœlesti Hierarchia, Augustini non vno loco, aliorumque Patrum & Theologorum; ita Deum Providentia sua hunc Mundum administrare, scribentium; ut Infima regat per Media; hæc autem per Summa; hæc denique per Spiritus: quibus DEI jussu, completo tempore, non amplius moventibus, nullus post Iudicij diem futurus est Motus Cœli: quod, si sua vi, sua Natura moveretur, numquam suo Motu posset privari, nisi miraculo quodam & violentia, careretque perfectione quæ naturaliter illi conuenit & debetur.

tum Terrena, per eosdem.

Ad Terrena nunc descendamus. Docemur & in his locum esse Angelis. Nunciant illi Nobis, faciuntque res omnino arduas & divinas. Daniel Propheta cap. XIIII, 15. Paull. I, Epist. ad Thessalonicens. cap. IIII, 16. Excubant pro Salute nostra, vias nostras dirigentes, defendentes nos & custodientes, ne quid adversi accidat, Genes. XLVIII, 16. Exodi XIV, 19. Baruch VI, 6. Mathæus cap. II, 13. Consolantur adflictos & mœstos, Lucas XXII, 45. sumuntque supplicium de Sceleratis, Exod XII, 29. IIII Reg. XIX, 35. Psal. XXXV, 5.6. Iesahiah. XXXVII, 36. Actorum cap. XII, 23. Infinita alia prætereo.

& homines.

Sunt & suæ Hominibus ipsis in Vniversi centro partes. Regit enim DEVS suo arbitrio Populos, Principum & Magistratus manu: pœnas sic exigit de Flagitiosis; sic Iudicia exercet; sic Pacem conservat publicam, falsos cultus prohibet, in mores nostros animadvertit. Et hinc videmus DEVM Principum rebus præsentius adesse; non, quasi splendore moveretur, propter eos, quum quivis illorum unus sit homuncio: sed quia in illis tam multa hominum millia continentur. Interea tamen Privatorum cura non minus tangitur, quam Principum. Examinet enim se suaque, qui in hominum numero vix homo; nusquam non deprehendet manifestissimam de se DEI curam. Non possum non detestari hic arrogantem C. Iulij Cæsaris apud Lucanum vocem.

——nunquam se cura Deorum
Sic premit, ut vestra vita vestraque saluti
Fata vacent; Procerum motus hæc cuncta sequuntur;
Humanum paucis vivit genus.

Specialiorem vero curam rerum creatarum mandatam etiam nonnullis uidemus. Sic enim genus humanum conjunctione Maris & Feminæ propagatur; sic Liberi Parentum opera educantur; sic Terra hominum labore culta fructificat.

Nihil hic dandum Fortunæ.

Quid plura? Valeant, qui, cæcitate, quam in Ingeniis suis gestant, ad Naturæ gubernationem translata, nulla ex caussa fieri opinati, quorum ipsi caussam non inveniunt; regnum Mundi DEO abrogatum tribuunt, cum Epicuro aliisque minoris classis, temeritati Fortunæ, quos merito perstringit Iuvenalis:

Nullum Numen habes, si sit Prudentia: sed te
Nos facimus Fortuna Deam, Cœloque locamus.

Qui sana illorum mens? Quid Casui & Fortunæ magis contrarium magisque inimicum, quam passim Ordinis invariabilis series? An non Vniversi nunc, quæ omni hominum memoria facies? Verissime Manilius:

Non aliam videre Patres; aliamve Nepotes
Adspicient.

Motus Cœlorum & Actiones sui semper similes; rerum Inferiorum species eodem semper modo procedunt. Nullus potest adfingi Naturæ Casus, nulla Temeritas; in qua tanta tamque perpetua constantia, tam certis omnia legibus descripta & constituta. Particulatim nonnumquam variat Natura, universim numquam. Nam una Caussa Particularis ab alia impediri potest; Vniversalis vero nullis est capax impedimenti.

Objectio.

Atqui objiciet quis illud Ecclesiast. cap. IX, II. *Vidi sub Sole, nec Velocium esse Cursum: aut Fortium Bellum; nec Sapientium Panem, nec Doctorum Divitias, nec Artificum Gratiam: sed Tempus Casumque in omnibus:* & inferet hinc, non Omnia DEI gubernationi vel immediate vel mediate esse subjecta. Sed sub Sole ea proprie dicuntur esse; quæ, ejus motu, generationis corruptionisque vices recipiunt: in quibus omnibus Casus quodammodo invenitur. Tempus & Casus ab Sapiente posita, inquit Vir Magnus, ut nos moneret, secundum Temporis ordinem rebus naturalibus defectus casua-

soluta.

casuales accidere: Age vero, si ex tenebris in hanc Mundi, nunquam antea conspecti, nunquam verbis tibi delineati, lucem progressus, considerares Cursus & Actiones rerum, an non exclamares cura consilioque teneri hæc omnia Principis, quo nihil sapientius, nihil melius, nihil potentius? Cœlos, Elementa, Animantes, Herbas, Plantas, omnia denique ordine procedere, omnia suos habere Cursus destinatos & certos? Gubernat igitur omnia DEVS, non solum Illa; sed Hæc etiam, quæ nostra, quæ nobiscum, quæ ad pedes nobis. Nam si Terras adspernatur; quo tandem miserum Hominum genus confugiet? quanta in calamitatibus erit adflictio? quid? quanta desperatio, si Rex Naturæ nos non exaudit, si est inexorabilis, si nulla gratia, nulla in nos caritate tangitur? Absit, absit, ut precibus nostris non moveatur, ut in Supremis sedeat ociosus, durus, indeprecabilis. Nihil enim Homini tristius accidere posset, vel acerbius.

PAVLLI G. F. P. N. MERVLÆ

COSMOGRAPHIÆ

PARTIS I.

LIBER II.

De potiore, quæ constans æternaque, Mundi parte.

CAP. I.

Quidquid supra Elementa, æternum est & constans. Cælum quid; unde dictum; jucundissimum in ejus contemplatione versari; Cæli Forma.

VNIVERSI, quod hactenus Diffinitionis & Caussarum coloribus delineavi, aliud est Constans & Æternum; aliud Inconstans & perpetuis obnoxium Mutationibus. Docet ex Platonicorum quorumdam mente Macrobius lib. I. in Somnium Scipionis cap. XI. *Alij*, inquit, *Mundum in duo diviserunt, quorum alterum facit, alterum patitur. Et illud Facere dixerunt, quod quum sit Immutabile, alteri caussam & necessitatem Permutationis imponit: Hoc Pati, quod per mutationes variatur. Et Immutabilem quidem Mundi Partem ab Sphæra, quæ Ἀπλανὴς dicitur usque ad globi Lunaris exordium: Mutabilem vero ab Luna ad Terras usque dixerunt. Et vivere Animas dum Immutabili parte consistunt: Mori autem, quum ad Partem ceciderint Permutationis capacem.* Et paullo post: *Ab Luna enim deorsum natura incipit Caducorum.* Superior Vniversi pars constans & æterna.

Constantiam illam, Æternitatem, &, ut ita loquar, Insenesciam adserunt ex Patribus, Dionysius Areopagita, Philo Iudæus, Didymus Alexandrinus, Ioannes Chrysostomus Constantinopolitanus Patriarcha, Basilius Magnus, omnesque cum Thoma Aquinate I. part. quæst. 66. Theologi, cum Aristotele plerique Peripatici, & in his Contarenus lib. V. Primæ Philosoph. Gab. Zerbus lib. VIII. Metaphys. quæst. III. Pernumia lib. II. Philosoph. & Eugubinus lib. X. de perenni Philosophia. Vidend. & Iamblicus in lib. de myster. Ægyptiorum seg. V. cap. V. Aristoteles tamen, ut notat Alexander Aphrodisiensis in I. de Cœlo & Mundo librum & I. Meteororum, Quidquid supra Elementa non absolute Passionum expers esse, dicere solitus. Vere: modo non exaudierit Passiones, quæ per transmutationem fiunt secundum Formam; ab hac enim divina Corpora procul absunt. Nam inter Empyreum Cœlum & Terram moventur omnia: Motus autem motæ rei passionem conciliat, ut docent

non contra dicente, quamvis hoc nonnullis videatur, Aristotele.

docent Physici. Sunt & quæ alienum recipiunt Lumen; quod pati esse extra omnem est controversiam. Alia item aliis ibi sunt puriora. Aristotele docente lib. I. Meteororum, quod tamen fit ratione non fæculentæ mistionis (ut observat cum Alexandro, loco quem dixi, Averroes Commentar. XV. in librum de Cœlo & Mundo) sed suarum partium collatione. Nam ab aliena materia Cœlum esse segregatum canit etiam Virgilius lib. VI. Æneidos:

——purumque reliquit
Æthereum sensum atque aurai simplicis ignem.

Superiora quodammodo prima sua natura per hominis lapsum destituta.

Sunt tamen qui Cœlum propter Hominis lapsum Corruptioni obnoxium, & prima illa excellenti natura destitutum, senioque quasi confectum colligant ex Paulli Apostoli verbis, cap. VIII. epistolæ ad Romanos, vers. 20: *Vanitati enim Creatura subjecta est, non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe: quia & ipsa Creatura liberabitur à servitute Corruptionis in libertatem gloriæ filiorum* DEI. *Scimus enim quod omnis Creatura ingemiscit & parturit usque adhuc.* Ad quem locum Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus: *Vanitati, id est, Corruptioni subjecta est*, inquit, *Creatura, videlicet Corruptibilis reddita propter te, o homo: nam quum mortale & patibile corpus susceperis, ideo Terra & sentes & tribulos protulit: & Cœlum Vetustate confectum Mutatione indiget. At quur alterius gratia Corruptibilis facta est Creatura? quia propter hominem omnem prorsus subiit Servitutem. Liberabitur igitur hæc Mundi structura, nec ipsa solum Libertate potietur, quin etiam, quod te inferius est, hac perfruetur. Et quemadmodum ipse, quum corruptibili permanente, servabit & ipsa Incorruptionem. Nam, ut adsolet Pater in Liberorum gratiam servos ornare; sic &* DEVS *hanc Mundi machinam in vestram laudem decorabit.* Ita & Petrus Longobardus Sententiarum libro IIII. distinct. XLVII. non obscure innuit, Cœlos post Adæ peccatum primæva fuisse destitutos perfectione; quod vero illis deest, pro Universi conflagrationem accessurum: quam ejus sententiam nonulli etiam Theologi communi plausu excipere non dubitarunt. Quidquid sit, Elementorum respectu, recte dicuntur Superiora illa æterna & constantia.

Partes Mundi æternæ *Cœlum & Stella.* Cœlum quid;

Æternæ igitur constantesque Mundi Partes sunt *Cœlum & Stella.* *Cœlum* vocatur, quidquid ab Luna sursum; totum illud expansum, quamtum quamtum est, quod elementarem regionem ambit & circum amplectitur.

Vnde dictum.

Sic appellatum ἀπὸ τῦ κοίλυ: Cavum enim, & cujus complexu teguntur cuncta. M. Terentius Varro apud Plinium lib. II. natural. histor. cap. IV. sic dictum vult, quod cælatum. Pictum enim veluti & inlustre, cum magnis istis Luminaribus Sole & Luna, tum splendentibus reliquorum Astrorum signis. Ejus mentis & apud Varronem lib. IV. de L. L. Ælius Gallus. antiquus Scriptor. Legendus & Isidorus lib. XIII. Etymolog. cap. IV.

Iucundissimum versari in Cœli contemplatione.

Vt in Vniversi, sic versari jucundissimum in Cœli contemplatione. Huic adfixi quasi fuerunt Stoici. Mundus enim ijs opus erat, quod undique perfectum; quod omnia undique complexum; in quo, quidquid in hac rerum natura: & censebant Hominem, qui μικρόκοσμος, natum ad Mundum imitandum contemplandumque. Consulendus Lucilius Balbus apud M. Tullium II. de natur. Deorum. Ardens hoc studium & sibi fuisse, clare loquitur Seneca in Octavia Act. II. Sc. I:

O quam juvabat (quo nihil majus parens
Natura genuit, Operis immensi artifex)
Cœlum intueri, Solis & Cursus sacros,
Mundique Motus, Solis alternas vices,
Orbemque Phœbes, Astra quem cingant vaga,
Lateque fulgens Aetheris magni decus.

Videndus idem Epistol. LXV. & Consolat. ad Elbiam cap. VIII, IX. & ult. Veras illas Oculorum delicias notat & Lactantius lib. VI. Diuin. Institut. *Aiunt multo esse præclarius*, inquit, *& Homine dignius, Cœlum potius quam Cœlata intueri; & hoc pulcerrimum opus intermicantibus Astrorum Luminibus, tamquam Floribus, adornatum, quam Picta & Ficta & Gemmis distincta mirari.*

Forma ejus rotundam, docent varia:

Rotundam ejus esse formam constat ex Vniversi natura & conditione, de qua superiore libro. Nam, ut specialius dicam de hac Vniversi parte; Corpori omnium
1 primo, capacissimo, perfectissimo figura conveniebat globosa; qua inter figuras nulla

nulla prior, capacior, perfectior. Omnibus hæc suis partibus vergit in se, passim
semetipsam concludit & continet.
Addo Cœlum quaqua versum æqualiter a Terra distare; Stellis distantias suas II.
ab hoc globo nusquam mutantibus; neque majoribus hic, minoribus ibi adparen-
tibus. Quod enim circa cardines Orientis & Occidentis subinde videantur nobis
majores; fit non ratione brevioris distantiæ, sed quod earum radij Vaporum, qui
nonnumquam Stellis Oculisque nostris intersistunt, injuria frangantur. Consulen-
dus Vitellio lib. IX. Opticæ.
Accedit Interiorum orbium (nam Supremus ἀκίνητος) natura. Gyrant omnes; III.
alij celeriore, tardiore Motu alij: Atque ad Motus hosce feliciter & sine impedi-
mento peragundos, nulla forma aptior, quam Sphærica, cui nihil quod asperum,
nihil quod offendat, nihil quod vel angulis vel amfractibus incisum.
Quid quod omne Corpus simplex & ὁμοιομερὲς, quale Cœlum, cujus omnes partes IV.
simplices & inter se simillimæ, figura etiam simplici includatur & ὁμοιομερεῖ?
Quin & formam hanc adserunt etiam non pauca sacræ Scripturæ loca. Ait Psal- V.
mo CIV. & vers. 2. David Propheta: *Qui extendit Cælum, veluti cortinam* (כיריעה, ὡσεὶ
δέῤῥιν, sicut pellem.) Sic Sapientia apud Schelomon. Proverb. VIII. vers. 27. *Quando
præparabat Cælos illic eram, quando describebat Circulum,* (חוג) *in superficie abyssi.* Eccle-
siast. I. vers. 5. *Et oritur Sol & occidit, & ad locum suum regreditur ubi oritur: vadit ad
meridiem & circuit* (וסוכב, καὶ κυκλεῖ) *ad Aquilonem subinde circumeundo* (כוכב כבב, ad
verbum, *circuiens, circuiens*; κυκλοῖ κυκλῶν) *pergit spiritus & ad circuitus suos* (סביבתיו,
ἐπὶ κύκλους) *revertitur.* Ecclesiastici cap. XXIV, 8: Γῦρον οὐρανοῦ ἐκύκλωσα μόνη, *Orbem
Cæli circuivi sola.* Sic denique Iesahiah. cap. XL. 22: *Sedens super globum* (חוג τὸν γῦρον)
Terræ & habitatores ejus, ut locustæ: extendens velut telam (כרק, ὡς καμάραν) *Cælos, &
expandit eos tamquam Tabernaculum* (באהל, ὡς σκηνὴν) *ad inhabitandum.* Respicit eo
Augustinus lib. II. de Genes. ad litt. cap. IX: *Non enim*, inquit, *Cælum esse rotundum,
pugnat cum eo quod est, habere ipsum similitudinem Tabernaculi, vel Cameræ. Cælum enim se-
cundum eam partem, quæ supra nos, de qua proprie loquitur Scriptura, habet similitudinem Ca-
meræ: superne continens & tegens hoc nostrum Hemisphærium: quare si Cælum non est sphæri-
cum, ex ea parte Camera est, qua Terram tegit; sin autem totum est sphæricum, utraque ex parte
Camera est. Nam sicut hæc pars Cæli, quæ nos tegit, est quasi Camera, respectu nostri Hemi-
sphærij; ita Cæli altera medietas, quæ tegit Antipodas, respectu adversi nobis Hemisphærij, Ca-
mera est. Nec obstat, quod ait David, Cælum extensum esse sicut pellem. Namque pellis potest
distendi & in planum, & in orbem; uti cernimus, in utre, pila, vesica.*
Absit igitur ut sequamur Iustinum, ubi respondet ad quæst. CXXX. Orthodoxo- quidquid con-
rum, Lactantium lib. III. Divinar. Institut. cap. XXIII. Chrysostomum Homil. XIV. tra Rotundi-
& XXVII. in Epistol. ad Hebræos, Ambrosium lib. I in ἑξαήμερ. Basilium Homilia I. tatem ab non-
super Genesin, Procopium Gazæum ad Genesin, & alios; non modo Cœlum ro- nullis dicatur;
tundum negantes; sed & ausos dicere, opinionem de Rotunditate Sacris adversari
Litteris: quod quam verum, docent, quæ dixi.
Certe si hac figura non esset præditum, si inquam esset εὐθύγραμμον, si vel ὀκτάε- quum alia
δρον, vel δωδεκάεδρον, vel εἰκοσάεδρον; si πυραμοειδὲς, si φακοειδὲς, si denique ᾠοειδὲς: seque- forma non
retur necessario vel angulosas exstantesq; Cœli partes sine loco volutari; vel in loco convenıat.
quidem volutari, sed qui nunc expletus, nunc, quæ eminebant motu abreptis, esset
vacuus. Ab Vacuo autem Natura abhorret. Nam licet sint, qui tantum Inanis extra
Mundum esse volunt, quantum Cœlo (quod natura, ut volunt, igneum) ad respiran-
dum sufficiat; Plato tamen, Aristoteles alijque, recte, nullum Inane admittunt.

CAP. II.

De Cœlo Empyreo.

COELUM autem vel est firmum & stabile; vel volubile circa Axem. Illud *Em-* Cœlum dupli-
pyreum solet indigetari; Mundi supremus terminus, Orbis summus (Psalmo ci modo con-
XIX, 7. Damascenus lib. II. de Fide Orthodoxa, cap. VI.) & amplissimus; sub- sideratur.
limior omni Cœlo Sydereo (Iesahiah. XIIII, 13.) nullo Mutui, nullique Passioni ob- Empyreum
noxius; quid.

noxius; subtilitatis summæ; totus lucens, non luce densa, quæ radios fundat,& quæ mortalium oculis visibilis, sed inenarrabili, ut inquit Basilius II. & III. Homilia in Genesin, & qualis perhibetur in Elemento Ignis, quod supra Aerem orbi Lunæ subsidet. Sic dictum, quasi ardens & ignitum; non re ipsa, sed quod, ut volunt magni viri, luce incomprehensibili perfusum, vel ab ipso unitrino DEO, qui in eo maxime conspicuus, inluminatum.

unde dictum.

DEI sedem. Hoc Cœlum ab omni hujus Mundi volubili statu secretum, omnium mortalium inaccessible conspectibus, Essentiæ divinæ quasi sedes & διαίτημα. Beda in ἑξαημ. Nam quamvis DEVS nullo loco aut indiget aut circumscribitur, sed ubique est: Cœlum tamen hoc veluti præcipuam suæ Majestati delegit arcem: ut ab iis, quos in Terra producturus erat, tanti loci dignitate & excellentia sanctius, diligentius, commodius observaretur; utque in memoriam fidelius vocarent habitantis Cœlum illud Potentiam, Virtutem, Providentiam & Bonitatem. Psalmo CIII, 19. Hiob XXXV, 5. Inde Prospicere dicitur, & videre filios hominum, Psalm. XIV, 2. XXXIII, 13. Hoc enim præparatum magno Numini ante omnia habitaculum, eodem Psalmo vers. 14. & CXIII, 5. CXXIII, 1. Iesaiah. LXVI, 1. Paullus ad Coloss. III, 1. Isidorus lib. VII. Etymolog. cap. I.

Angelorum. Hoc ornatum & distinctum novem Angelorum ordinibus, Basilius Homilia II. & III. in Genesin, Damascenus lib. II. de Fide Orthodoxa, cap. VI.

Christi incarnati. Hinc descendisse scribitur Christus, Iesaiah. XLV, 8. Ioannes Euangelist. III, 3. Huc adsumptus Filius DEI cum nostri Corporis pignore. Marc. XVI, 9. Luc. XXIV, 51. Ioannis III, 13. Actorum I, 10. Hoc aperto gloriam vidit DEI, & Filium hominis ab ejus dextra stantem Stephanus. Actor. VII, 55.

Iustorum & ante & post resurrectionem. Huc evolant Iustorum Animi Corpore soluti, nulla peccati labe contaminati. Basilius loco sæpe indicato. Hoc Corporibus Beatorum, magno die, terreno pulvere potenter eductis, æternamq; gloriam & immortalitatem indutis, domicilium futurum in omnia sæcula.

Variæ appellationes. Hoc in Sacris Litteris *Cœlum Cœli*, השמים שמים, Psalmo CXV, 16. Diodorus Episcopus Tarsensis, qui Chrysostomi fuit præceptor, in Catena Lippomani, Damascenus lib. II. de Fide Orthodoxa, cap. VI. Isidorus lib. VII. Etymolog. cap. I. *Cæli Cælorum*, שמי השמים, Psalm. CXLVIII, 4. Ecclesiast. XVI, 18. Cœlum illud *Tertium*, in quod raptum arcana verba, quæ non licebat homini loqui, audivisse se scribit D. Paullus Epistola II. ad Corinthios cap. XII. vers. 2. & seq. quemadmodum existimat Damascenus capite sæpe nominato; ut per primum intelligatur Aereum; per Secundum, Sydereum; per Tertium, Empyreum. Hoc *Regio viventium*, ארצות החיים, χώρα ζώντων, Psalm. CXVI, 9. *Terra viventium*, ארץ החיים, Psalm. CXLI, 6. *Terram* ἁπλῶς vocat Christus apud Mathæum Evangel. cap. V. 4. cum quod sicut inter Elementa Terra sit immobilis; ita inter Cœlos Hoc: tum quod, quemadmodum Terra nunc est domicilium hominum mortalem vitam viventium; ita post resurrectionem Cœlum hoc futurum sedes justorum hominum, beatam vitam ævo perpetuo degentium. Hoc putatur adumbrare *supra Firmamentum* ממעל לרקיע Ezechiel Propheta cap. I. vers. 26. & cap. X. vers. 1. per *Sapphyrum* (ספיר) *in similitudinem Throni* (כסא) ut color *Sapphyri* Lucis nitorem, *Throni* vero *similitudo* stabilitatem ejus & immobilitatem declaret.

Nonnullis ante omnia creatum. Hoc illud, quod nonnulli, ut cap. III. lib. I. indicavi, creatum volunt בראשית, *in principio*, Genes. I, 1. addentes creatum mox Angelis fuisse repletum. Beda in ἑξαήμερ. & apud eum D. Hieronymus. Videndi & Theodoretus quæst. XI. & XIV. super Genesin, Alcuinus, Rabanus, Magister Sententiarum, Nicolaus Lyranus, Magister historiæ Scholasticæ, Tostatus, Catharinus & alij. *aliis Increatum.* Æternum quid & increatum esse somniat Augustinus Eugubinus in sua Cosmopœia, & tractatu quem scripsit de naturis incorporeis, hoc est, Lucem esse & Claritatem quandam ex DEI essentia manantem; in qua DEVS est, & ad cujus participationem atque fruitionem & boni Angeli & viri Iusti admittuntur; addens hujus Lucis & Claritatis mentionem aliquotiens facere Sacras Litteras. Sed Paradoxum hoc novam viri alioquin docti opinionem docte refutat Benedictus Pererius libro I. Commentar. in Genesin, ad illa *Cœlum & Terram*.

Cognitum Veteribus. Hoc Cœlum scribit Damascenus cognitum fuisse Sapientibus hujus Mundi & memoriæ

memoriæ proditum: Vocari enim ab ipsis ἀνάστρον: quæ Moschis propria sunt, sua facientibus dogmata.

Supra Empyreum sunt qui locant *Cælum Trinitatis*; quod etiam magni viri dicunt esse nihil aliud, quam Virtutis Divinæ excellentiam, quæ continet & ambit omnia creata. Cœlum Trinitatis quid.

Cap. III.

Volvi Cœlos reliquos circa Axem, *cuius extremitatis* Poli.

HÆc de Firmo & Stabili Cœlo: sequitur quod Volubile. Volvi vero (circulatim, ut antea, ubi de Forma, dixi) creditur ita, ut admirabilis sit Harmonia & stupendus Corporum, quæ moventur, concentus; quemadmodum, præter alios, vult Plato, cujus hac de re sententiam Tullius in suo de Scipionis somnio recitat his verbis: *Quis hic, inquam, quis est, qui complet aureis meas, tantus & tam dulcis sonus? hic est, inquit ille, qui intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis, impulsu & motu ipsorum Orbium efficitur; & acuta cum gravibus temperans varios æquabiliter concentus efficit*, & quæ deinceps. Hac de re multa Macrobius lib. II. in Somnium Scipionis cap. I. & seqq. ubi docet, non solum Concentum quemdam effici motu Corporum Cœlestium; sed etiam quibus adminiculis repertus ille fuerit à Pythagora; quibus indiciis & rationibus possit ostendi; qui fiat, ut inter sonos cœlestis illius Concentus alius sit acutior, alius gravior; quodnam ibi melodiæ sit genus: quur denique sonus ille à nobis non audiatur. Sed quis non videt illa magni Philosophi figurate, non autem vere, accipienda: rebus cœlestibus ad suavissimam artem Musices (tamquam illi maxima cum Cœlo esset cognatio) accommodatis? Absurdum enim somniare veros sonos effici Corporum Cœlestium collisione. Dubitat hic Plinius lib. II. natur. histor. cap. III. *An sit immensus, & ideo sensum aurium facile excedens* (Macrobius lib. II. in Somn. Scip. cap. IV.) *tantæ molis rotantæ vertigine assidua sonitus, non equidem facile dixerim; non hercle magis, quam circumactorum simul tinnitus siderum suesvolventium orbes an dulci quidem & incredibili suavitate concentus, nobis qui intus agimus juxta diebus noctibusque tacitus labitur mundus.* Cœlum volvitur ἁρμονικῶς

Quidquid sit de Concentu illo; volvitur sane Cœlum, ut etiam quibusdam huic dictum fuerit Αἰθήρ: non, ut vult Anaxagoras, ἀπὸ τοῦ αἴθειν, quod ardeat; sed quod, juxta Platonem, aeri circumfusus semper currat. ἀεὶ θεῖ ἀέρα ῥέων; vel, quę mens Aristotelis, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, quod perpetua volubilitate rotetur. Adeundus Auct. libr. de Mundo ad Alexandr. cap. I. Cœlum quum Αἰθήρ.

Volvitur autem Cœlum circa Axem. *Axis* recta est Linea per centrum Sphæræ acta, & utramque περιφερείας extremitatem attingens: circa quam diurno motu ab ortu in occasum Cœlum universum rotatur. Geminus εἰσαγωγῇ εἰς τὰ Φαινόμενα: Τοῦ δὲ κόσμου σφαιροειδοῦς ὑπάρχοντος, Ἄξων καλεῖται, ἡ διάμετρος τοῦ κόσμου: περὶ ἣν στρέφεται ὁ κόσμος: quibus consimilia apud Proclum Gemini exscriptorem, Leontium & alios. Aratus Solensis ἐν Φαινομένοις. Volvitur circa Axem. qui quid. Gemino Proclo, & aliis; Arato.

> Αὐτὰρ ὅγ' οὐδ' ὀλίγον μετανίσσεται. ἀλλὰ μάλ' αὔτως
> Ἄξων αἰὲν ἄρηρεν, ἔχει δ' ἀτάλαντον ἁπάντη
> Μεσσηγὺς γαῖαν· περὶ δ' οὐρανὸς αὐτὸν ἀγινεῖ.

Et interpres ejus Germanicus Cæsar; nam M. Tullius hic perijt: Germanic.

> *Axis at immotus semper vestigia servat,*
> *Libratasque tenet terras, & cardine firmo*
> *Orbem agit extremum.*

Manilius denique: *Aera per gelidum tenuis deducitur Axis,* Manilio.

> *Libratumque regit diverso cardine Mundum:*
> *Sydereus circa medium quem volvitur Orbis,*
> *Æthereosque rotat cursus: immotus at ille*
> *In binas Arctos magni per inania Mundi*
> *Perque ipsum Terræ directus conspicit orbem.*

Puncta

Πόλοι vel Vertices: Puncta Axem terminantia vocantur πόλοι Græcis ἀπὸ τοῦ πολεῖν; Latinis, M. Tullio, Virgilio, Germanico, alijs *Vertices*, ab vertendo, quod in illis vertatur Cœlum, Servius ad 1. AEneid. Geminus: τὰ δὲ πέρατα τοῦ ἄξονος, Πόλοι λέγονται τοῦ κόσμου: quæ & apud Proclum, Leontium, aliosque.

quorum alter Boreus, alter Notius. Verticum, qui & *Cardines*, unus Βόρειος & Ἀρκτικὸς Græcis; Latinis *Septemtrionalis*; qui ad Boream spectans nobis semper est in aperto: alter apud Græcos Νότιος & Ἀνταρκτικὸς; apud Latinos Meridionalis, & Australis; nobis perpetuo latens & sub Horizonte depressus. Geminus: τῶν δὲ Πόλων ὁ μὲν λέγεται Βόρειος, ὁ δὲ Νότιος. Βόρειος μὲν ὁ διὰ παντὸς φαινόμενος, ὡς πρὸς τὴν ἡμετέραν οἴκησιν. Νότιος δὲ, ὁ διὰ παντὸς ἀόρατος, ὡς πρὸς τὸν ἡμέτερον ὁρίζοντα: ut & Proclus ceterique Græci. Sic Aratus:

> Καί μιν πειραίνουσι δύω Πόλοι ἀμφοτέρωθεν;
> Ἀλλ' ὁ μὲν οὐκ ἐπίοπτος, ὁ δ' ἀντίος ἐκ Βορέαο
> Ὑψόθεν ὠκεανοῖο.

M. Tullius Arati interpres:

> *Extremusque adeo duplici de cardine vertex,*
> *Dicitur esse Polus.*

Reliqua desiderantur. Germanicus Cæsar; alius ejus interpres:

> —— *Geminus determinat Axem,*
> *Quem Graî dixere* Πόλον: *pars mersa sub undas*
> *Oceani; pars celsa sub horrifero Aquilone.*

Accedat his Virgilius lib. 1. Georgic.

> *Hic Vertex nobis semper sublimis, at illum*
> *Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.*

Quibus uterque polus conspicuus. Sub Æquinoctiali sitis ambo Poli, æquabili in Horizonte situ, conspiciuntur, ut notant Geminus, Proclus & alij, idem testante nostrorum, qui loca illa navigarunt, fide.

Cap. IV.

De Circulis.

COELVM, ita circa Axem volubile, solemus imaginari vel Circulis insignitum, vel ijsdem diremtum.

Circulus quid. *Circulus* Macrobio lib. 1. in Somnium Scipionis cap. XV. *incorporalis linea, quæ ita mente concipitur, ut sola longitudine censeatur, latum habere non possit*. Mathematicis est figura in planicie, quam una includit linea; in cujus medio punctum, a quo omnes lineæ rectæ ad περιφέρειαν ductæ sunt æquales.

Quod numero. Circuli hic docendi gratia constituuntur decem, AEquator, Zodiacus, Coluri duo, Horizon, Meridianus, Tropici duo, totidem Polares. de quorum primi, quatuorque postremorum (qui nonnullis παράλληλοι) Adfectibus, quales sunt Ἐπιφάνεια καὶ κρύψις, Μέγεθος, Τάξις, Δύναμις, καὶ Διαστάσεις, multa generatim apud Geminum, Proclum & alios non contemnenda.

Eorum distributio. Decem autem Circulorum, alius est Major, alius Minor. Major qui Mundum in æqualia dispescit segmenta; estque vel Idem ubique, vel Alius alibi. Idem ubique intelligitur secundum Mundi vel Longitudinem, vel Latitudinem. Mundi Longitudo consideratur secundum ejus motum ab Ortu in Occasum, & inde in Ortum. Hic Circulus vel *Rectus* est vel *Obliquus*. *Rectus* is, qui æqualiter Polis interjacet; vocaturque *AEquinoctialis*,

Cap. V.

De Æquinoctiali.

Æquinoctialis quid. ÆQVINOCTIALIS est Circulus major, medio Sphæræ loco inter utrumque Mundi polum collocatus, & ab utroque æquali spacio disterminatus: Zodiacum in duobus punctis intersecans: in quibus quoties Sol convertitur, fit AEquinoctium omnibus terræ locis: unde & illi nomen; dies enim Noctibus adæquat.

adæquat. Græcis ἰσημερινὸς (*AEquidialem* nominant veteres Latini apud Glossographum & Festum) dicitur, qui Gemino, ὁ μέγιστος τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων, ὁ διχοτομούμενος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος, ὥστε ἡμικύκλιον μὲν ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι· ἡμικύκλιον δὲ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα· ἐφ' οὗ φερόμενος ὁ ἥλιος τὰς ἰσημερίας ποιεῖται, τήν τε ἐαρινὴν καὶ τὴν φθινοπωρινήν. Eadem apud Proclum, cujus & hæc: τῶν δὲ παραλλήλων ε κύκλων, μέγιστος μέν ἐστιν ὁ ἰσημερινός. Item: ὁ δὲ ἰσημερινὸς κύκλος καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην διχοτομεῖται ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος, &c. De eo sic Aratus in Φαινομένοις: — unde dictus Æquidialis apud veteres.

Μεσσόθι δ' ἀμφοτέρων, ὅσος πολιοῖο γάλακτος,
Γαίης ὑποστρέφεται κύκλος, διχάοντι ἐοικώς.
Ἐν δέ οἱ ἤματα νυξὶν ἰσαίεται ἀμφοτέρῃσι,
Φθίνοντος θέρεος, τοτὲ δ' εἴαρος ἱσταμένοιο.

Describit hunc Circulum Sol, quum occupat alterutrum AEquinoctij punctum, & diurno motu sub capitibus Arietis & Libræ revolvitur. — Quo modo describatur.

Vsus ab illo numerantur multigeneres; quorum principes: — Ejus Vsus.

I. Quod AEquinoctia distinguat: unum, quod verno, unde Vernum Latinis, Græcis ἰσημερία ἐαρινή: ut & Punctum, in quo fit, cœleste, Græcis τροπικὸν ἰσημερινὸν ἐαρινόν, Latinis Punctum AEquinoctij verni: alterum, quod autumnali fit tempore; Græci vocant ἰσημερίαν μετοπωρινήν, Latini AEquinoctium Autumnale: Punctum autem ejus cœleste, hi ab AEquinoctio indigetant Autumnali, illi μετοπωρινὸν τροπικὸν, appellant: illud quidem, Sole principium Arietis v. Eidus Martij; hoc autem Libræ initium occupante, XVII. Kal. Sept. solet contingere, aut circiter: sedem enim movere paullatim singulis annis, doctum ab aliis. — I.

II. Quod mensura sit Primi Mobilis. Nam quum CCCLX. sint illi partes; earum quindenæ singulis horis emergunt, occultantur autem totidem; totusque AEquator XXIV. horarum curriculo convertitur: quum autem æqualiter undiquaque disjunctus sit ab Mundi Polis; non dubium, quin & Primum Mobile eadem lege, eodem motu, eodem temporis spatio circumferatur. — II.

III. Quod regula sit Adscensionum rectarum & obliquarũ; dirigens, velut Canon, ἀνωμαλίαν Motus Zodiaci: cujus Signa nunc tardius nunc citius efferunt se propter obliquitatem Circuli; partibus AEquatoris una & eadem lege se vel evehentibus, vel occulentibus. — III.

IV. Quod Dierum tam Artificialium quam Naturalium diffiniat spacia. Licet enim Sol non solum quadripartitas Anni vicissitudines, sed etiam gratissimas Dierum Noctiumque vices efficiat: tamen, quum ingens sit in ejus motu ἀνωμαλία, ut inde diurna nocturnaque spacia non facile quis colligat, partesque Zodiaci inæqualiter exsurgant, omnibus autem AEquatoris partibus idem sit motus, fit, ut Dies Horasque distinguat non Zodiacus, sed AEquator: cujus ab hac constanti lege Partes, χρόνοι Græcis vocantur, id est Tempora. Nam quindenæ AEquatoris partes, ut dixi, horam unam emersu suo; singulæ partes quatuor horæ scrupula; singularum denique quadrantes unum horæ signant scrupulum. — IV.

V. Quod ab hoc Circulo non solum declinatio partium Eclipticæ (quæ λόξωσις & ἔγκλισις Ptolemæo) sed & Stellarum declinationes (quæ nihil aliud quam illarum distantiæ ab AEquatore versus alterutrũ Mundi Polorum) Locorumq; latitudine (id est intervalla ab Æquatore ad eorundẽ vertices in Meridiano collecta) numerantur. — V.

VI. Quod consideret & metiatur longitudinem totius Terræ & locorum particularium in diversis Terræ partibus. — VI.

VII. Postremo, quod hic Circulus pervestigare doceat duodecim Cœli Domicilia, quum Themata ad prognostica Astrologica conformantur. — VII.

Cap. VI.

De Zodiaco.

ITA se habet Circulus Major, qui idem ubique secundum Mundi Longitudinem, *Rectus*: sequitur *obliquus*, quem *Zodiacum* vocant.

Zodiacus Circulus est major & obliquus, solus latitudine præditus, ubique idem, XII. ferens signa, sub quo Planetæ perpetuo decurrunt motu. Latini, M. Tullius, Ovidius, Lucianus, Plinius, Macrobius, Festus Avienus & alij *Signiferum Orbem* — Circulus Zodiacus quid;

 appel-

Unde dictus.

appellant. Dictus ἀπὸ τῶν ζωδίων, ab Signis; quæ hic ex Stellis in Animalium effigies efformata. Pollux lib. IV. Ζῶα τὰ ἐν κύκλῳ, ἃ οἱ πολλοὶ ζώδια καλοῦσιν: ἀφ' ὧν καὶ ζωδιακὸν κύκλον. Aristoteles de Mundo, loquens de Zodiaco, κατὰ μέρος, inquit διῃρημένος εἰς δώδεκα ζωδίων χώρας. Alij ἀπὸ τῆς ζωῆς sic appellatum volunt, quod secundum Planetarum motum sub illo, rebus omnibus, DEO sic ordinante, vita: ut non immerito, quod ab eo Ortus Interitusque præcipuæ caussæ defluant, *Arx Mundi* Manilio nominetur lib. I. Astronomic.

Arx Mundi;

E quibus & ratio fatorum ducitur omnis:
Vt sit idem Mundi primum quod continet Arcem.

Cœli Flammæ.

Notus eidem ab appellatione *Cæli Flammarum:*

Hinc vicina Polis, hinc Cæli proxima Flammis.

Quid ni? quum sub ejus medio Ζώνη sit ἐκπυρουμένη; imo quum, ut simplicius loquar, per eum feratur Sol.

Mantica vel *Nitac* Arabice.

Zodiacus Arabibus *Almantica* seu *Nitac*. Auctor Alcabitzij: *Mantica est circulus, qui latus est in medio & in ligatura strictus: & habet significare Circulum Zodiaci.*

Quid Gemino & Proclo:

Geminus sic diffinit: Ζωδιακὸς λοξός ἐστι κύκλος, ὁ τῶν ιβ. ζωδίων: αὐτὸς δὲ ἐκ τριῶν κύκλων παραλλήλων συνέστηκεν: ὧν οἱ μὲν τὸ πλάτος ἀφορίζειν λέγονται τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου, ὁ δὲ διὰ μέσων τῶν ζωδίων καλεῖται; & quæ sequuntur. Similia apud Proclum, ejus ad litteram exscriptorem. Aratus Ζῴδιον κύκλον vocat. Sic M. Tullius ejus interpres:

M. Tullio.

Zodiacum hunc Græci vocitant, nostrique Latini
Orbem signiferum perhibebunt nomine vero:
Nam gerit hic volvens bis sex ardentia signa.

Senecæ.

Eleganter Seneca in Thyeste, Act. IIII. Choro:

Hic qui Sacris pervius Astris,
Secat obliquo tramite Zonas,
Flectens longos Signifer annos,
Lapsa videbit sidera labens.

Obliquus.

Dixi *Obliquum*, ab obliquo ejus situ. Quemadmodum enim Æquinoctialis æqualiter Mundi Polis interjacet; sic Zodiacus inæqualiter & oblique, cũ Sphæræ Mundi, tum AEquatori obductus; hic a Polis disiunctior, ibi propior. Virgil. I. Georgic.

—— & via secta per ambas
Obliquus qua se Signorum verteret ordo.

Ovidius lib. II. Metamorph.

Sectus in obliquum est lato curvamine limes.

Inflexus.

Manilius lib. I. Astronomic. *Inflexum* scribit *Orbem:*

Sic per tres gyros inflexus ducitur Orbis.

λοξός.

Λοξὸς κύκλον cum Aristotele & Ptolemæo vocant Græci, διὰ τὸ λοξῶς τέμνειν τοὺς παραλλήλους, inquit Geminus, & ex eo Proclus; apud quem tamen vox λοξῶς perijt. Hanc Obliquitatem primus deprehendit Pythagoras, licet sibi laudem illam Chius Oenopides adscribere conetur, ut testatur Ioannes Stobæus ἐκλογ. φυσικ.

Solus Latitudine præditus.

Latitudinem autem solus habet hic Circulus, (quum reliqui simplici perimetro circumscribantur) ut latiore spatio Planetas oberrantes ultra citraq; complecteretur, ne limitibus præstitutis excederent. Nam secundum ταῖς τῶν πλανήτων προσνεύσεσι est diffinitus. Macrobius lib. I. Somnium Scipion. cap. XV. ubi de decem Circis, *quorum unus est ipse Zodiacus, qui ex his decem solus potuit latitudinem hoc modo, quem referemus, adipisci.* Et quæ ibi alia. Veteres ab Solis itinere, quod in medio collocabant, ut dicam, Zodiaco Latitudinem hujus Circuli æstimabant, datis illi utrimq; sex gradibus. τὸ δὲ πλάτος, ait Geminus, ἐστὶ τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου μοιρῶν ιβ. ut & Proclus, alijque. Recentiores binos utrinq; adjecerunt ob majores Martis & Veneris, quam aliorum, ab Sole digressiones: ut Zodiaci hodie Latitudo concludatur XVI. gradibus, id est, octo utrimque ab medio Solis Circulo Zodiaci polos versus exporrigatur. Nam quanta Vagantium maxima in utramque partem πρόσνευσις vel Declinatio, tanta ejus Latitudo ponenda.

Quanta Quondam.

hodie.

Longitudinis principium ubi.

Longitudinis Zodiaci Principiũ, quamvis in Circulo non videbatur posse, ut nec Finis designari; statui tamen solet a plerisq; in Puncto Æquinoctij Verni; a quo multis populis Anni quomdam initium, sequutis Motus Solis, ejusque tunc temporis Effectiones.

Totum

Totum Zodiacum secare solemus in XII. Signa, duce Luna, quæ quotannis Zodiaco tredecies peragrato, Soli tardius procedenti duodecies & in XII. Cœli locis conjungitur. De his Signis in Stellarum dicam historia. *Sectus in XII. Signa.*

Medium Zodiacum dispescit orbita Solis, quæ Græcis inde ἡλιακὸς κύκλος; Ptolemæo, Gemino, Proclo, alijsque κύκλος διὰ μέσων τῶν Ζωδίων; *Via Solis*, Latinis, Macrobio & alijs *Ecliptica*; quod, quum in eo φωστῆρες conjungantur, Sol nobis obfuscetur; quum inter se opponantur, Luna deficiat. Dignus ille, qui ex Commentario in Somnium Scipionis, hac de re verba faciens, audiatur: *In Zodiaco Latitudinem signorum capacitas exigebat: quantum igitur spacij lata dimensio porrectis Sideribus occupabat, duabus lineis limitatum est: & tertia ducta per Medium* (διὰ μέσων τῶν Ζωδίων, inquiunt Græci) *Ecliptica vocatur; quia quum Cursum suum in eadem Linea pariter Sol & Luna conficiunt, alterius eorum necesse est evenire defectum; Solis, si ei tunc Luna succedat; Lunæ, si tunc adversa sit Soli: ideo nec Sol umquam deficit, nisi, quum tricesimus Lunæ dies est; &, nisi quintodecimo Cursus sui die, nescit Luna defectum: sic enim evenit, ut aut Lunæ contra Solem positæ ad mutuandum ab eo solitum lumen sub eadem inventus linea Terræ conus obsistat; aut Soli ipsa succedens objectu suo ab humano aspectu Lumen ejus repellat, &c.* Est igitur *Ecliptica* Circulus major, in medio consistens Zodiaco, eumque secundum Latitudinem partiens in duos æquales ambitus, octo graduum spacio diffinitos; quem motu suo, qui annuus, Sol, in uno tramite perpetuo incedens, efformat; in quatuor distinctum quadrantes ab quatuor Punctis Cardinalibus: quorum duo *Æquinoctialia* Latinis, ἰσημερινὰ Græcis, de quibus paullo ante dictum; totidem *Solstitialia* nobis, illis τροπικὰ dicuntur; quorum quod in ἡμικυκλίῳ Septemtrionali θερινὸν, id est, Solstitij Æstivi punctum, quod ex opposito χειμερινὸν, hoc est, Brumale, vocatur. Et hæc, ut illa, quemadmodum cap. V. dixi, suas mutasse sedes ostendunt magni viri. Ecliptica vero, ne usus ignoretur, docet exactissime Tempora, quibus Stellæ non solum Errantes, sed & Inerrantes, sint vel Septemtrionales, vel etiam Meridionales, oriantur & occidant. *Ecliptica.*

CAP. VII.

De Coluris.

HÆC de Circulis Majoribus, qui Iidem ubique secundum Mundi Longitudinem: succedunt explicandi, qui ejusdem naturæ, sed secundum Mundi Latitudinem. Tales sunt Coluri, qui in Polis ad Angulos rectos se mutuo bisecant. Zodiacum autem, vel potius Eclipticam, quadripartiuntur in AEquinoctiorum Solstitiorumque Punctis, pro quadripartita Anni vicissitudine. Nomen ijs ab Imperfectione: quod revera sint mutili; nam eorum ἄποδα tantum κέκρυπται, non κεκολόβωται; sed quia ea parte, qua nobis inutiles sunt, quasi mutili censeantur: alioquin τὰ ἄποδα illorum utilia sunt illis, qui ultra Capricornum habitant; ut quæ nobis utilia sunt, illis ea κόλουρα. Geminus: Κολοῦροι δὲ καλοῦνται διὰ τὸ μέρη τινὰ αὐτῶν ἀθεώρητα γίνεσθαι. οἱ μὲν γὰρ λοιποὶ κύκλοι κατὰ τὴν περιστροφὴν τοῦ κόσμου ὅλοι θεωροῦνται· τῶν δὲ Κολούρων κύκλων μέρη τινά ἐστιν ἀθεώρητα τὰ ὑπὸ τοῦ Ἀνταρκτικοῦ ὑπὸ τοῦ Ὁρίζοντος ἀπολαμβανόμενα. Γράφονται δὲ οὗτοι οἱ διὰ τῶν Πόλων, διὰ τῶν Τροπικῶν καὶ Ἰσημερινῶν σημείων, καὶ εἰς δ' μέρη ἴσα διαιροῦσι τὸν διὰ μέσων τῶν Ζωδίων κύκλον. Eadem apud Proclum, qui tamen, agens de κολούρεις, κολουρόπρος est & corruptior, supplendus & emendandus ex eo, quem solitus exscribere. Sic Macrobius lib. I. in Som. Scrip. cap. XV. *Præter hos*, inquit, *alij duo sunt* (Circi) *Coluri, quibus nomen dedit imperfecta Conversio. ambientes enim Septemtrionalem verticem; atque inde in diversa diffusi, & se in summo intersecant, & quinque Parallelos in quaternas partes æqualiter dividunt: Zodiacum ita intersecantes; ut unus eorum per Arietem & Libram, alter per Cancrum atque Capricornum meando decurrat: sed ad Australem verticem non pervenire creduntur.* Manilius lib. I. Astronom- *Coluri quod.*

Sunt duo quos recipit ductos a Vertice Vertex,
Inter se adversi, qui cunctos ante-relatos,
Seque secant, gemino coëuntes cardine Mundi;
Transversoque polo rectum ducuntur in Axem;

Tempora signantes anni, Cælumque per astra,
Quatuor in partes divisum mensibus æquis.

Quot. Reliqua ab docto poëta petenda.

Sunt igitur Coluri duo: *Æquinoctialis* & *Solstitialis*. Ille, qui ductus per Mundi seu Æquatoris Polos & Puncta Æquinoctialia (principia scilicet Arietis & Libræ) cum Æquatore quidem angulos rectos sphæricos, cum Zodiaco vero obliquos constituit: Hic, qui per Puncta Solstitialia (principia nimirum Cancri & Capricorni) & Polos Zodiaci atq. Æquatoris ductus, angulos format rectos sphæricos. *Usus.* Prior, ut usum aperiam, Æquinoctiorum, Verni & Autumnalis, puncta discernit: Solstitiorum vero, Æstivi & Brumalis, posterior; cujus & alia duo propria; prius quidem maximam Solis notare Declinationem, quæ est arcus hujus Circuli, principio Cancri & Æquatori inclusus; deinde fungi nonnumquam vice Meridiani. Succedit enim in qualibet diurna revolutione primi Cœli bis in locum Meridiani.

Cap. VIII.

De Horizonte.

Circuli Majores, Alij alibi. Dixi de Circulis Majoribus, qui Iidem ubique; postulor, ut exponam eos, qui Alij alibi. Sunt autem illi; *Horizon* & *Meridianus*. Græci: οἱ μεσημβρινοὶ καὶ οἱ ὁρίζοντες διάφοροί εἰσιν, καὶ ἄλλοι πρὸς ἄλλους; οὐ γὰρ καθ᾽ αὑτούς εἰσιν, ὥσπερ ἰσημερινός; ἀλλὰ πρὸς τὰς οἰκήσεις. Circulos hos pleriq; conjunctim explicant, quũ alter sine altero esse nequit. Omnis Horizon Meridianum suum recte secat; Poli omnis Horizontis sunt Puncta Orientis & Occidentis; Mundi sunt Poli omnium Meridianorum; ita omnis Horizon per Puncta Ortus & Occasus transit ut omnis Meridianus per Polos Mundi. Verba sunt Viri magni ad magnum Poëtam.

Horizon quid. Horizon igitur Circulus est Major, non Idem ubique, sed cuilibet loco proprius, qui totam Mundi Sphæram in æqualia duo dispertit hemisphæria; quorum hoc Superum, illud Inferum. Geminus & ex eo Proclus: Ὁρίζων, inquit, ἐστὶ κύκλος, ὁ διορίζων ἡμῖν τό τε φανερὸν καὶ τὸ ἀφανὲς μέρος τοῦ κόσμου; καὶ διχοτομῶν τὴν ὅλην σφαῖραν τοῦ κόσμου, ὥστε ἡμισφαίριον μὲν ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι, ἡμισφαίριον δὲ ὑπὸ γῆν. Sic Leontius de Sphæra: Ὁρίζων ὁ τέμνων τό τε ὑπὲρ γῆν ἡμισφαίριον, καὶ τὸ ὑπὸ γῆν.

Quotuplex. Horizontis duplex est divisio: priorem Astronomorum Schola mutuavit ab varia Polorum elevatione; vel, ut cum Macrobio loquar, lib. 1. in Somn. Scipionis cap. xv. ab diversitate circumspicientis habitantisque. Estque hic vel *Rectus* vel *Obliquus*.

Rectus. Obliquus. *Rectus*, qui utrumque Mundi Polum suo plano attingit: *Obliquus* ab cujus plano Poli distant; alter eleuatus, alter depressus. Ille unus tantum est, & cum Æquatore rectos constituit angulos, proprius Locorum, Asiæ, Africæ, Americæ: quæ Æquatori subjacent: Hic multifarie mutat, Terræ situ versus Mundi Polos mutante, Locorum peculiaris AEquatori non subjacentium. Cuilibet enim suus est Horizon, qui, quanto Polorum alter altius elevatur, tanto est obliquior. De hac varietate M. Tullius lib. II. de Divinatione: *Quum illi orbes*, inquit, *qui Cælum quasi medium dividunt, & adspectum nostrum diffiniunt, qui ab Græcis* Ὁρίζοντες *nominantur, a nobis Finientes rectissime nominari possunt, varietatem maximam habeant, aliique in aliis locis sint; necesse est ortus occasusque Siderum non fieri eodem tempore apud omnes. Obliquum autem vocant, quod cum Æquatore obliquos conformet angulos.*

Horizon Sensibilis. Alteram Horizontis distributionem petierunt Astronomi ab Hominis sensu & ratione; dixeruntque *Sensibilem* & *Rationalem*. Ille Terræ spacium est, rotundo diffinitum ambitu, quod cum plano & patenti campo oculorum acies, non læsa, non vitiata, non ab interjectu montium altiorumque locorum intercisa, circumscribit: proprie appellationem Horizontis sibi vindicans. ὁρίζων enim Græcis ἀπὸ τοῦ ὁρίζεσθαι, quod visum finiat ac terminet. De eo Geminus, & exscriptor ejus Proclus: Αἰσθητὸς μὲν ἐστιν ὁρίζων, ὁ ὑπὸ τῆς ἡμετέρας ὄψεως περιγραφόμενος κατὰ τὸν ἀποπερατισμὸν τῆς ὁράσεως. Hujus semidiametro Macrobius tribuit centum & octoginta stadia. Sic enim ait lib. 1. in Somnium Scipionis, cap. xv. *Hinc Horizon, quem sibi uniuscujusque circumscribit adspectus, ultra trecentos & sexaginta stadios longitudinem in se continere non poterit. Centum enim &*

octoginta

octoginta ſtadios non excedit acies contra-videntis: ſed viſus, quum ad hoc ſpacium venerit, receſſu deficiens in rotunditatem recurrendo curvatur; &c. Geminus & Proclus, quum ſcribunt hunc Circulum *ὀ μείζονα τὴν διάμετρον ἔχειν σταδίων δισχιλίων, non habere Diametrum majorem ſtadijs* CIↃ CIↃ. exaudiendi ſunt de Horizonte, non cujus terminus ab Oculorum conſtituitur acie, ſed qui ſenſibilem finit Cœleſtium Apparentiarum ſecundum longitudinem & latitudinem varietatem. *Rationalis* Horizon (quem & *Artificialem* nonnulli vocant, quod artis Aſtronomicæ beneficio ſit inventus) eſt Cœli ſpacium, rotundo, ut *Senſibilis*, ambitu diffinitum; quod mens colligit ratiocinando, unde nomen. Convexo globi terreni incumbens, circumquaque ad extremum uſque Cœlum pertingit: orbeſque Cœleſtes Mundo ὁμοκέντρους in æqualia dirimit hemiſphæria, unum ſupra, alterum infra nos. Geminus & Proclus: λόγῳ θεωρητὸς ὁρίζων, inquiunt, ἐστὶν, ὁ μέχρι τῆς τῶν ἀπλανῶν ἄστρων σφαίρας διήκων, καὶ διχοτομῶν τὸν ὅλον κόσμον. Hunc Meridianus ex alto demiſſus in duo partitur ἡμικύκλια; quorum quod ad Orientem Græcis ὁρίζων πρὸς ἀνατολὰς, quod ex adverſo πρὸς δυσμὰς dicitur: hic *Occidentis* apud Latinos, ille *Orientis Cardo*. Vtrumque ἡμικύκλιον varie rurſum diſparat Sol Oriens Occidenſque; quæ plenius apud alios. — Rationalis.

Horizontis Poli Puncta ſunt duo, unum quod in Cœlo directe & ad perpendiculum noſtris imminere capitibus imaginamur, ita ut recta linea ab Mundi centro per capitis noſtri verticem (unde & Verticale) ducta, in illud neceſſario deſinat. Vulgo *Zenith* vocatur: alterum huic oppoſitum ſub Horizonte latet, *Nadir*, indigetatum. — Horizontis Poli. Zenith. Nadir.

CAP. IX.

De Meridiano.

MERIDIANVS Circulus eſt major, non idem ubique, ſed cuilibet loco proprius, ductus per loci verticem (*Zenith capitis noſtri* dicunt alij) & Mundi πόλους: ad quem quum Sol primi Cœli motu eſt delatus, interdiu Meridies (unde & *Circulus medij dici* nonnullis) noctu media efficitur nox. Græcis μεσημβρινὸς, qui Gemino & Proclo, κύκλος, ὁ διὰ τῶν τοῦ κόσμου πόλων, καὶ τοῦ κατὰ κορυφὴν σημείου γραφόμενος; ἐφ᾽ οὗ γινόμενος ὁ ἥλιος τὰ μέσα τῶν ἡμερῶν καὶ τὰ μέσα τῶν νυκτῶν ποιεῖται. — Senſibilis. Rationalis.

Meridiani quo ad Senſum iidem fere permanent ad CCCC. Stadia; quo ad Rationis judicium, variato in Terræ convexo ſecundum longitudinem ſitu, ſtatim & perpetuo mutantur. Semper enim, Ortum ſive Occaſum verſus recta vel tantillum progredientes, novos adquirunt Meridianos. Nam tot ſunt Meridiani, quot Verticalium Punctorum diverſis Terræ partibus incumbentium verſus Ortum atq; Occaſum differentiæ. Infiniti igitur. Ex quibus patet, tendentes directe verſus alterutrum Polorum mundi, ſub uno perpetuum procedere Meridiano. Quæ dixi, ſic ſua lingua concipit Geminus: οὐ κατὰ πᾶσαν δὲ χώραν καὶ πόλιν αὐτὸς ἐστὶν μεσημβρινός; ἀλλὰ πρὸς μὲν τὴν αἴσθησιν σχεδὸν ἐπὶ σταδίους τριακοσίους ὁ αὐτὸς μεσημβρινὸς διαμένει; πρὸς δὲ τὴν ἐν τῷ λόγῳ ἀκρίβειαν, ἅμα τῷ τὴν τυχοῦσαν γίνεσθαι πάροδον, ἢ πρὸς ἀνατολὴν, ἢ πρὸς δύσιν, ἕτερος γίνεται μεσημβρινός. Κατὰ μὲν γὰρ τὴν πρὸς ἄρκτον καὶ πρὸς μεσημβρίαν πάροδον, κἂν μεταξὺ μύριοι στάδιοι ὑπάρχωσι, ὁ αὐτὸς μένει μεσημβρινὸς, κατὰ δὲ τὴν ἀπ᾽ ἀνατολῆς πρὸς δύσιν πάροδον διαφοραὶ μεσημβρινῶν. Neque aliter Proclus. Apud utrumque tamen τετρακοσίους pro τριακοσίους reponendum: quod de Proclo monet Nobiliſſimus Scaliger, doctiſſimo illo Commentario, quem ſcripſit ad Manilij Aſtronomica. Nam mutua eſt Horizontis & Meridiani ratio; reciprocaq; eſt utriuſque deſcriptio: alter ſine altero eſſe nequit, ut ſupra dixi. Geminus autem & Proclus Horizontis Senſibilis ſpacium τετρακοσίοις σταδίοις diffiniunt. Alij plura tribuunt huic Meridiano Stadia: Eratoſthenes IↃCC, & Ptolemæus IↃ. Ergo, inquit Scaliger, ex ſtadiaſmo Eratoſthenis intra LXXXVII. s. millia paſſuum non erit αἴσθησις κατὰ πάροδον, ex Ptolemæo intra LXII. s. Ex Proclo inter L. cujus ſententia meo judicio melior. Quare ex omnium illorum mente orbis per CLXXX. diviſus efficiet Meridianos CCCLX. — Geminus & Proclus emendati.

Vſus Meridianorum multifarij. I. Quod, utroque Hemiſphærio in duas pares partes ſecto, dies Noctesque in æqualia diſtingant ſpacia. — Vſus Meridi. I.

II. II. Quod cuivis Horizonti obliquo ad rectos angulos insistentes in sphæra obliqua vicem præstent Horizontis recti.

III. III. Quod Terræ locorumque in terra particularium Longitudinem & initient & finiant: quodq; Longitudinum diversarum discrimina contineant & patefaciant. Cujusque enim loci Longitudo spacium est duobus Meridianis inclusum: quorum unus Fortunatis incumbit insulis; alter Loci, quo de agitur, Vertici.

IV. IV. Quod in Meridianis, ut subjecto, numerentur & distantiæ Stellarum ab AEquatore, & Locorum Latitudines, Ptolemæo τὰ τῶν οἰκήσεων ἐγκλίματα, Poli denique exaltationes, Græcis ἐξάρματα: quarum quæ secundo tertioque loco nominatæ, non quantitate, sed solo differunt situ. Quo modo autem Poli Elevatio sit invenienda, cum ex Vmbrarum ratione, tum ex maximi diei quantitate, docent alij. Nam omnia huc congerere, &, fere dixerim, transcribere (Verba enim mihi præiverunt in Astronomicis non uno loco magni viri: fateor lubens, quod nolle solent alij) non mihi est animus.

V. V. Quod Imi Summiq; Cœli Cardines diffiniat: quorum qui superioris est Hemisphærij, μεσουρανία vel μεσουράνημα Græcis, Latinis *Culmen*, *Fastigium*, *Medium Cœli*: oppositus autem ὑπόγειον illis, his *Imum Cœli* vocatur.

VI. VI. Quod cum Horizonte quovis Recto vel Obliquo, quatuorque alijs Circulis Majoribus, totum Cœlum in XII. distinguat spacia, quæ vulgo *Cœli Domicilia* nuncupantur. Ex his Primum, Quartum, Septimum & Decimum, quod Cœli angulos occupent, Græcis κέντρα, Latinis *Cardines*, *Anguli* vulgo vocantur: In his Planetæ, inquiunt Astronomi, fertiliores. Secundum, Quintum, Octauum & Vndecimum, quod superioribus proxima, ἐπαναφοραὶ apud Græcos, apud Latinos *Succidentes* dicuntur. In his Planetas debiliores volunt. Tertium, Sextum, Nonum & Duodecimum, quæ Cardinibus & Succidentibus inclusa, ἀποκλίματα illis, his *Domus Declinantes* & *Cadentes* appellantur. Hic Planetæ majoris, ajunt, quam alibi debilitatis. Ne quis exspectet a me singulorum Nomenclaturas & Præsagia. Putent mihi hæc talia. Horresco legens; non enim tam sunt fabulosa, quam extremæ & perditissimæ impietatis. Meam hic mentem vide, ubi de Stellis.

CAP. X.

De Minoribus Circulis, & primo de Tropicis Cancri & Capricorni.

Minores Circuli qui. HISTORIAM absolvi Circulorum, qui Majores: succedit, quæ Minorum. *Minores* voco, qui Mundum in segmenta dividunt inæqualia. Minores sunt & appellantur, ut volunt; quod, a medio Sphæra versus extremos vertices *quur sic dicti.* sensim in contractiorem figuram abeunte, & se velut angustante, Circulos hos ab mediis, qui majores, disjunctos necesse sit fieri minores. Hos, ut Majores distribuūt *Eorum partes.* etiam in CCCLX. particulas; quæ tanto minores sunt Majorum Circulorum gradibus tantoq; minus cum in Cœlo tum in Terræ superficie spacium occupant, quanto a maximo Circuli ambitu atq; amplitudine, pro ratione distantiæ abeunt, cedentes quidem quantitate, sed maximorum Circulorum gradibus ἀνάλογοι. Proportio hæc quo modo invenienda sit, docet eleganter Victorinus Strigelius Epitome doctrinæ de Primo Motu, capite de Parallelis. Hos etiam scribunt totum Cœli convexum in *Munus.* in quinq; dirimere spacia; quæ, quod his, velut laxioribus fascijs, Cœlum cingatur, *Ζώνας* & *Cingulos* Astronomi vocant. Earum delineatio apud Vergilium I. Georgic.

Quinque tenent Cœlum Zonæ: quarum una corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab Igne est;
Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur,
Cærulea glacie concreta & nubibus atræ;
Has inter Mediamque duæ Mortalibus ægris
Munere concessa Divum, & via secta per ambas,
Obliquus quo se Signorum verteret ordo.

Videndus omnino de his Zonis Cœlestibus Macrobius lib. II. in Somnium Scipionis cap. VII. & VIII.

Sunt

Sunt autem Minores, ut Majores, vel Iidem ubique, vel Alij alibi. *Distributio Circulorum qui Minores.*

Prioris naturæ *Tropici*: quorum unus *Cancri*, alter *Capricorni*. Τροπικοὶ dicuntur, a tempore, quo τροπὴ, id est reversio fit Solis; vel quod, quum Sol eo pervenerit, in contrarium statum tempora mutentur. Contrarij status sunt AEstas & Hiems; Calor & Frigus. *Tropici.*

Tropicus Cancri (qui & *AEstivus*) Circulus est Minor, idem ubique; quem Sol, principium Cancri ingressus & diurno Primi Cœli motu conversus, describit. Limes est itineris Solaris versus Boream, & proximi ejus ad Nos accessus; ad quem delatus reflectit se & cursum dirigit in Meridiem oppositamque plagam. Geminus & Proclus θερινὸς τροπικὸς κύκλος ἐστὶν ὁ βορειότατος τῶν ὑπὸ τοῦ ἡλίου γραφομένων κύκλων κατὰ τὴν τοῦ κόσμου γινομένην περιστροφήν: ἐφ' οὗ γενόμενος ὁ ἥλιος, τὴν θερινὴν τροπὴν ποιεῖται: ἐν ᾗ μεγίστη μὲν πασῶν τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἡμέρα, ἐλαχίστη δὲ ἡ νὺξ γίνεται, μετὰ μέντοιγε τὴν θερινὴν τροπὴν οὐκέτι πρὸς τὰς ἄρκτους παροδεύων ὁ ἥλιος θεωρεῖται, ἀλλ' ἐπὶ τὰ ἕτερα μέρη τρέπεται τοῦ κόσμου, δι' ὃ καὶ κέκληται τροπικός. Hyginus Poëtico Astronomico: Θερινὸς τροπικὸς *appellatur ideo, quod quum Sol ad eum Circulum pervenit, AEstatem efficit eis, qui in Aquilonis finibus sunt; Hiemem autem eis, qui Austri flatibus oppositi. Præterea quod ultra eum Circulum Sol non transit, sed statim revertitur,* Τροπικὸς *est appellatus.* Perpetuo distat ab AEquatore versus Boream quantitate maximæ declinationis Solis, quæ hodie graduum XXIII, scrupulorum primorum XXVIII. & duarum fere quintarum. *Cancri.*

Tropicus Capricorni (Latini vocant *Hibernum & Brumalem*) Circulus est, ejusdem cum delineato jam indolis; quem Sol in principio Capricorni (quod maximi Solis a nobis recessus & digressionis ad Austrum remotissimæ terminus) constitutus diffinit, eodem ab AEquatore (quo superior ille) intervallo in Meridiem dissidens. Geminus & Proclus: χειμερινὸς δὲ τροπικὸς κύκλος ἐστὶν ὁ νοτιώτατος τῶν ὑπὸ τοῦ ἡλίου γραφομένων κύκλων κατὰ τὴν ὑπὸ τοῦ κόσμου γινομένην περιστροφήν, ἐφ' οὗ γενόμενος ὁ ἥλιος τὴν χειμερινὴν τροπὴν ποιεῖται, ἐν ᾗ μεγίστη μὲν πασῶν τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ νὺξ ἐπιτελεῖται, ἐλαχίστη δὲ ἡμέρα. μετὰ μέντοιγε τὴν χειμερινὴν τροπὴν οὐκέτι πρὸς μεσημβρίαν παροδεύων ὁ ἥλιος θεωρεῖται, ἀλλ' ἐπὶ τὰ ἕτερα μέρη τρέπεται τοῦ κόσμου, δι' ὃ κέκληται καὶ οὗτος τροπικός. Hyginus: χειμερινὸς τροπικὸς *a nobis Hiemalis, a nonnullis etiam Brumalis appellatus, ideo quod Sol, quum ad eum Circulum pervenit, Hiemem efficit his, qui ad Aquilonem spectant, AEstatem autem his, qui in Austri partibus Domicilia constituerunt.* *Capricorni.*

Cap. XI.

De Circulis Polaribus, Arctico & Antarctico.

TALES Minores, qui ubique Iidem; Alios alibi statuo *Polares*, sic a Polis dictos. De ijs eleganter & absolute Strabo: Οἱ Ἀρκτικοὶ μήτε παρὰ πᾶσιν εἰσὶ μήτε οἱ αὐτοὶ πανταχοῦ: ubi duo notat, neque omnibus esse Arcticos, neque passim eosdem; sed, ut dixi, Alios alibi: Non quidem omnibus: nam neque in recta sunt sphæra; neque in stante, quam μυλοειδῆ vocabant Veteres, qualis illis, quibus AEquinoctialis & Horizontem & Arcticum facit. Non vero passim ijdem, sed alij semper alibi. Mutantur enim pro Poli Exarmate, describunturque, non ut vulgus Mathematicorum opinatur, a Polis Eclipticæ, sed a puncto Sectionis, qua Meridianus & Horizon se secant mutuo. Circulus enim, qui Punctum Horizontis ad communem intersectionem Miridiani & Horizontis tangit, Arcticus est illius loci. Quum autem Horizontes mobiles sunt, eamdem naturam participant & Arctici: Alij semper sunt in alio Climate pro ratione Exarmatis sive Elevationis poralis: & quanta loci alicujus erit altitudo, in tantum a Polo distare Punctum illud, quod Arcticum describit, est necesse: quot habitationes, tot sunt Circuli Arctici; non inquam fixi (nam inculcandum hoc sæpius, contra recentiorum calculos) non ἀμετάπτωτοι; sed pro locorum differentia, Alij atque Alij: quo propius AEquinoctialem acceditur, eo minores fiunt hi Circuli: contra majores, quo longius ab ipso receditur: sub AEquinoctiali, id est, Sphæra Recta, nulli prorsus sunt (ut paullo ante dictum) Arctici. Hinc error deprehenditur illorum, qui in Sphæra Mobili (in fixa enim ad loci inclinationem facta locum habet) Circulum hunc adponunt; describentes illum a Puncto Poli *Polares.*

Poli Eclipticæ circum Polum Mundi. Non nisi in Sphæra dati Climatis locum habet. Stupenda fuit veterum Græcorum & Latinorum, quique eos sequuti sunt, Manilij, Hygini, Martiani Capellæ oscitantia: qui Sphæræ suæ Arcticum non ad inclinationem loci sui, sed ad Cnidium Clima descripserunt: male sequuti Eudoxum, qui Cnidius patria primus Astronomiam ex penetralibus Ægyptiæ Philosophiæ erutam ad populares suos Græcos eduxit. Quæ enim de Cnidio Climate scripsit Cnidius, non poterant ad omnia Climata referri; ab Græcis ad quævis Græca, ab Latinis Romanisque Scriptoribus ad quævis Italica, vel Romanum.

Arcticus,

Sunt autem hi Circuli, *Arcticus* & *Antarcticus*. Arcticus Circulus est Minor, Alius alibi, qui inter Circulos semper apparentes est maximus, totusque supra terram desumitur: in quo Astra posita neque occidunt neque oriuntur, sed per totam noctem circa Polum moveri cernuntur. Geminus & Proclus ejus exscriptor: Ἀρκτικὸς μὲν οὖν ἐστὶ κύκλος, ὁ μέγιστος τῶν ἀεὶ θεωρουμένων κύκλων, ὁ ἐφαπτόμενος τοῦ Ὁρίζοντος καθ' ἓν σημεῖον καὶ ὅλος ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβανόμενος: ἐν ᾧ τὰ κείμενα τῶν Ἄστρων οὔτε δύσιν, οὔτε ἀνατολὴν ποιεῖται; ἀλλὰ δι' ὅλης τῆς νυκτὸς περὶ τὸν πόλον στρεφόμενα θεωρεῖται. Et paullo post: ὁ μὲν γὰρ Ἀρκτικὸς κύκλος ἀφορίζει τὰ ἀεὶ θεωρούμενα τῶν Ἄστρων. Item: Ἀρκτικὸς κύκλος ὅλος ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεται. De eo recte Manilius lib. 1. Astronomic.

Circulus ad Boream fulgentem sustinet Arcton.

Nam tota Vrsa Major intra illum Arcticum, quem descripsit Eudoxus, (hujus enim Dogmata sequutus poëta, cum alijs, in Astronomicis) includitur. Et in Climate Alherum Orizon priores pedes Vrsæ præterradit. Geminus & ex eo Proclus οὗτος δὲ ὁ κύκλος ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένῃ ὑπὸ τοῦ ἐμπροσθίου ποδὸς τῆς μεγάλης ἄρκτου περιγράφεται.

Antarcticus:

Antarcticus Circulus est ejusdem cum Arctico naturæ; sed qui totus infra terram descriptus, in quo Astra semper nobis sunt invisibilia. Geminus & Proclus: Ἀνταρκτικὸς δὲ ἐστὶ κύκλος ἴσος καὶ παράλληλος τῷ Ἀρκτικῷ: καὶ ἐφαπτόμενος τοῦ Ὁρίζοντος καθ' ἓν σημεῖον: καὶ ὅλος ὑπὸ γῆν ἀπολαμβανόμενος: ἐν ᾧ τὰ κείμενα τῶν ἄστρων διὰ παντὸς ἡμῖν ἐστὶν ἀόρατα. Et paullo post: ὁ ἀνταρκτικὸς κύκλος τὰ μὴ θεωρούμενα τῶν ἄστρων ἀφορίζει. Et: Ἀνταρκτικὸς κύκλος ὅλος ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα κρύπτεται.

Cap. XII.

De Circulis, quorum in Sphæra nullus usus.

Minores Circuli, quorum in Sphæra nullus usus.

TANTVM de Circulis, Majoribus quidem sex, quatuor vero Minoribus; quibus in Sphæra, fixa, saltem & immobili, (repetendum enim hoc monent Arctici) solet esse locus. Sunt & alij, sed quorum nullus in Sphæra usus: quales Circuli ut vocant *Latitudinem*, per Zodiaci polos & Stellarum centra diffiniti; *Distantiæ locorum* per verticalia eorum puncta ducti; *Horizontis obliquitatis limites*; quales item quos Sol annuatim CXXCII. ultra citraque Æquatorem diurno motu describit; alijque Minores infiniti, ἀόρατοι; qualis denique ὁρατὸς ille, ὁ γαλαξίας, Lacteus Latine, quem tamen Veteres etiam in Sphæra Solida ponebant. Achilles: ὁ γαλαξίας ἐστὶν ὁ ἐν τῇ σφαίρᾳ κατακεχαρισμένος κηρῷ λευκῷ. De eo Geminus & Proclus: Λοξὸς δὲ ἐστι

Circulus Lacteus.

κύκλος (inter obliquos etiam nominatur Leontio & aliis) καὶ ὁ τοῦ γάλακτος. οὗτος μὲν οὖν μείζονι πλάτει λελόξωται τῷ τροπικῷ κύκλῳ. συνέστηκε δὲ ἐκ βραχυμερείας νεφελοειδοῦς: καὶ ἐστιν ἐν τῷ κόσμῳ μόνος θεωρητός. οὐχ ὥρισται δὲ αὐτοῦ τὸ πλάτος, ἀλλὰ κατὰ μέν τινα μέρη πλατύτερος ἐστὶν, κατὰ δέ τινα στενότερος, δι' ἣν αἰτίαν ἐν τῶν πλείοσαις σφαίραις οὐδὲ καταγράφεται. Quæ ejus sit Substantia, scribunt, præter Aristotelem, Averroes de Orbis substantia lib. 11. & Paraphrasi super Meteor. Alexander ibidem, & alij. Plene Situm ejus depingunt Ptolemæus in Almagest. lib. 11. cap. 11. & Manilius lib. 1. Astronomic. ubi inter alia, quod ὁρατὸς & oculis nostris conspicuus, sic canit:

Substantia.

Situs.

Nec quærendus erit, visus incurrit in ipsos
Sponte sua, seque ipse docet, cogitque notari.
Namque in cæruleo candens nitet orbita Mundo,
Ceu missura diem subito, Cœlumque recludens.
Ac veluti virides discernit semita campos,
Quam terit adsiduo renovans iter orbita tractu,

Inter

Inter divisas à callibus est via partis:
Vt freta canescunt sulcum ducente carina,
Accipiuntque viam fluctus spumantibus undis,
Quam tortus verso movit de gurgite vertex;
Candidus in nigro lucet sic limes Olympo,
Cæruleum findens ingenti lumine Mundum.

Et quæ ibi sequuntur. M. Tullius de Somnio Scipionis, ubi de hoc Circulo: *Erat autem is splendidissimo candore inter flammas Circulus elucens; quem vos, ut à Graiis accepistis, Orbem Lacteum nuncupatis.* Ad quæ verba sic scribit Macrobius lib. I. cap. XV: *Orbis hic idem quod Circus in Lactei appellatione significat. Est autem lacteus unus è Circis, qui ambiunt Cælum: & sunt præter eum numero decem* (de iis plene dictum.) *Solus ex omnibus hic subjectus est oculis; ceteris Circulis magis cogitatione, quam visu comprehendendis.* Caussas de Lacteo Circulo, Naturales quidem commemorat ibidem ex Theophrasto, Diodoro, Democrito & Possidonio Macrobius; Fabulosas vero ex varijs videre est, cum apud Grammaticos, & Mythologos, tum apud Philoponum in I. Meteror & Hyginum in Poetico Astronomic. Ovidius in Metamorph. Circulum hunc *Deorum iter* ad Iovis regiam appellat:

Est via sublimis Cælo manifesta sereno
Lactea nomen habet candore notabilis ipso.
Hac iter est Superis ad magni tecta Tonantis
Regalemque domum.

Cap. XIII.

De Cælorum Volubilium Numero.

Hæc de Cœlo Volubili, prout considerari solitum Circulis insignitum: ordo flagitat, ut idem proponam ab Globis & Circulis separatum. Huius historiam duobus includam capitibus, de numero & Motu Cœlestium Orbium; quæ scrutaturus, non incommode præmittam Augustini verba, quæ Sermone II. ad Psalm. XXXII. *Cæli*, inquit, *quo modo invicem superpositi sint, vel quot sint, quibus modis distincti, quibus incolis referti, & qua dispositione regantur, difficile dictu est atque explicatu, & per cælestem duntaxat sciri potest revelationem.* Ita est. Merebor ergo veniam, si non plene satisfecerim omnibus: quid enim possem, quum ne mihi quidem ipsi facere satis hic potuerim?

Quod igitur ad Numerum, D. Chrysostomus Homilia in Genesin IV. non dubitat adfirmare eos, qui Cœlos multos fabricantur, Sacræ Scripturæ & Doctrinis Ecclesiasticis adversari, suaque sequi commenta, suas inventiones: Moschen enim unum tantum Cœlum tradidisse, Firmamentum cognomine; Sacras litteras, quæ Cœlorum subinde mentionem faciunt, explicandas ex proprietate linguæ Hebraicæ, in qua *Cæli* nomen caret singulari numero. In magni viri jurare verba nuper nescio quem audaculum opinor voluisse; qui machinam Cœli totius unicam & continuam esse, minimeque Orbibus distingui, scripsit. Quid? Continuum? Si ita esset, & non potius contiguum; necessario uno & simplici motu circumduceretur, quemadmodum primo & secundo Cœli, & V. Metaphysic. ab Aristotele probatur. Chrysostomum sane, Philosophorum omnium & Theologorum calculis (dicam hoc pace tanti viri) contrarium, in bonam partem adnititur interpretari Thomas I. part. quæst. LXVIII. tamquam pius vir non damnaret eos, qui Corpus cœleste in multos dispescebant Orbes; sed qui extra Mundum hunc & Cœlos nobis adspectabiles, alios esse Cœlos, alios Mundos fabulabantur. Indicent de hac Thomæ pro Chrysostomo Apologia alij.

Numerus Orbium Cœlestium, D. Chrysostomo.

Iustinus Martyr, ubi respondet ad Quæst. LXVII. Orthodoxor. adserit revera duos tantummodo universim esse Cœlos, quorum apud Moschen I. Geneseos capite mentio; sed hos distingui in varia spacia, quæ interdum Scriptura etiam *Cælos* adpellat, ut quum D. Paullus dicit se raptum in Cœlum Tertium.

Iustino Martyri.

Theodoretus quæst. XI. in Genesin notat non credentem. Secundum esse Cœlum, semitam rectam transgredi; plures vero numerare conantem, fabulis adhærere, post-

Theodoreto.

re, postposita divini Spiritus doctrina.

Basilio.

Basilius Homilia III. in Genesin scribit, non duos tantum secundum Sacram Scripturam esse Cœlos: sed plures, certè minimum tres oportere statui; quum D. Paullus referat se raptum usque ad Cœlum Tertium.

Philastrio.

Philastrius, Burgensis Episcopus, qui floruit Theodosij Iunioris & Honorij, Imperatorum Orientis & Occidentis, temporibus, anno ab Christo nato CCCCXX. aut circiter, in Catalogo hæreseon commemorat hæresin quorundam de Cœlorum multitudine & diuersitate ambigentium: ipse vero sentire videtur, quanta sit Cœlorum multitudo, ex Sacris litteris esse incompertum, variantibus scilicet hac in re; quum duo Geneseos I. nominentur; tres Deuteronom. IX. 4. & II. epist. ad Corinth. XII. 2; sex denique Psalmo CXLVIII. 4.

Quidquid sit; nusquam Sacræ Litteræ certum Cœlorum produnt Numerum; numerosos tamen esse Cœlos, nusquam non eædem asserunt; ut etiam qui plures tribus agnoscunt, Scripturæ Divinæ nequaquam contradicant: nec peccent Philosophi, Astronomi eorumque sequuti dogmata Theologi, quoties asseverantius quid de Cœlorum Numero diffiniunt.

Antiquissimis ante Ptolemæum Philosophis.

Ægyptij Chaldæique supra Octavam Sphæram mobile nihil agnoscebant, quorum scita Plato, Aristoteles, Hipparchus, alijque sunt amplexi, ut passim illorum testantur scripta.

Ptolemæo, sequutisque cum Mathematicis.

Sed magnis Magistris sapientiores videri voluerunt in his talibus mox Successores. Videntes enim hi varia admodum in Cœlestibus φαινόμενα; Stellarum, quæ Fixæ, alias concitatiore, tardiore motu progredi alias; Apogæa Planetarum secundum Signorum ordinem mutari; Æquinoctia Solstitiaque diebus aliquot prævertere notata Veteribus tempora; λόξωσιν denique Eclipticæ maximam sensim decrescere: Ptolemæus posterioresq. Mathematici alium quasi quemdam Orbis Octavi motum ab Occasu deprehendentes in Ortum, Nonum cœlum addiderunt.

Alphonsinis denique.

Ante annos vero trecentos, & paucos qui excurrunt, Mathematici, præter duplicem Orbis Octavi motum, cum Raptus, tum ab Occasu ad Ortum, certa (sic enim loqui audent) obseruatione comperisse se jactitant Tertium ejusdem Orbis Motum, quem *Trepidationis* intrepide nominantes, Decimum exstruxerunt Cœlum: ut horum Numerus excreverit, additis Planetarum globis, ad decem Orbes Volubiles; quos dirimunt in Sphæram Ἄναστρον & Ἀστερωτήν: illi quidem Mobile cum Primum (cujus auctorem volunt Ptolemæum) tum Secundum (quod excogitatum ab Alphonsinis) tribuentes: huic autem Octavum Orbem, qui Stellas fert inerrantes; reliquosque septem, qui singuli singulos portant Planetas. Præterea, quum Ἄναστρος Sphæra Stellis careat, Characteribus quibusdam & Lineamentis utramque insignitam imaginantur; eaque certis locis & temporibus ab oculatissimis & qui acutissimo visu præditi, percipi posse (o deliramenta!) scribunt.

Characteres Sphærarum Decimæ, Nonæque.

De Cœlo Nono, quod *Aqueum* vulgo.

Quin & Nonum Cœlum nonnullis *Aqueum* appellatur, ab Aquis, quas ex aliquot Scripturæ locis, veras & naturales supra Cœlum Sidereum opinantur esse viri doctrina sanctitateque præstantissimi: adeo ut Augustinus etiam lib. de Genesi Imperfecto, & XI. de Civitate Dei, cap. vltimo, quum de istiusmodi Aquis, qua ratione supra Cœlum esse possent, multum disputasset: hanc tandem velut disputationis operosissimæ clausulam adjiciat: *Quoquo modo autem, & qualeslibet Aquæ ibi sint, eas esse ibi minime dubitemus: maior est quippe Scripturæ huius auctoritas, quam omnis humani ingenij capacitas*. Posse enim Aquas ibi consistere docet & argumentatur idem lib. II. de Genesi, cap. IIII. & Dialogo LXV. quæst. XXVII; ubi inter alia hæc: *Videmus enim quotidie Aquam tenuatam in vaporem tolli ad superiores partes Aeris; quæ si magis etiam magisque tenuaretur, celsiora quoque loca peteret. Quum igitur Physiologi doceant, omne Corpus in infinitum rarescere & dividi posse, etiam poterit in infinitum fieri levius, & ad quamcunque locorum sublimitatem sustolli: quocirca non videtur impossibile, Aquam eatenus attenuari posse, quo ad idonea sit etiam supra Cœlum promoveri.* Et indicia rei, quæ difficilis ad fidem, comprobandæ duo notare nititur Ambrosius lib. II. ἑξαημ. cap. I. unum quidem, quod nonnunquam ingens Aquæ vis, de Cœlo repente magno impetu descendens, in tantos imbres resolvatur, ut flumina & lacus subito compleantur, & vel ipsa exundent maria: alterum vero, quod frequenter Solem cernamus quasi madidum & rorantem; scilicet propter Aquarum Alimentum (de hoc Stellarum quasi potu, dicam infra)

Posse Aquas esse supra Octauum Cœlum argumentatur Augustinus.

Indicia rei incredibilis notat Ambrosius.

fra) de ejus ardoris temperiem attactum. Modum autem, quo consistunt ibi Aquæ, DEO tribuunt Beda & Petrus Longobardus, Cæli formæ Basilius. Beda enim in ἑξαήμερ. *Non est minus*, inquit, *facile Omnipotenti* DEO *tenere Aquas super Cælum sidereum, sive liquidas, sive modo crystalli conglaciatas atque concretas, quam (quod faciat quotidie) tenere Aquas in sublimi Aere suspensas, unde tantus fit Imbrium defluxus: quod loco miraculi prædicat Hiob de* DEO *cap.* XXVI. Qui ligat Aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. *Ipse enim est qui undas Rubri maris atque Iordanis in sublime erectas & murorum similitudine formatas fecit consistere.* Longobardus vero lib. II. Sentent. distinct. XIIII. *Si quem vero moveat, quo modo natura fluidæ & in imalabiles Aquæ, supra Cælum possint consistere, de eis scriptum esse meminerit:* Qui ligas Aquas in nubibus suis. *Qui enim infra Cælum ligat Aquas ad tempus vaporibus nubibus retentas; potest etiam super Cæli sphæram non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate Aquas suspendere, ne labantur. Quales autem & ad quid conditæ sint, ipse novit, qui condidit.* Basilius denique in Homilijs, modum, quo retineantur ibi Aquæ, Cæli formæ tribuens; faciem ejus extimam, contra præstantissimorum Philosophorum scita, planam fingit & æquam: quamvis qua concava, rotundam videamus: *Licet*, inter alia, *concava Cæli superficies sit rotunda non continuo tamen esse consequens & necessarium, ut convexa Cæli superficies sit etiam rotunda, sicut videre est in fornicibus & locis concameratis.* Quin usum & necessitatem aquarum supra Cœli Octavi spatia, cum alijs aperiunt Iustinus Martyr & Basilius: ille quidem respondens ad Quæstionem XCIII. Orthodoxor. ubi scribit, Terga Cœli esse Aquis tecta, secundum illud, *Qui tegis Aquis superiora eius:* earum vero duplicem esse usum: *alterum ad immensum tot tantorumque siderum ardorem, ne penitus omnia consumantur, sua refrigeratione mitigandum atque ac temperandum; alterum ut earum pondere deorsum Cælis urgeatur ac prematur deorsum, ne crebro ac violento ventorum impulsu* (ô Virum in Sacris admirandum, Physicis puerum!) *huc illuc agitetur.* Hic vero Homilia III. super Genesin: *Quum* DEUS, inquit, *infinitam prope vim ignei ardoris propter multiplices & ad plurima necessarios eius in Cælo & infra Cælum multifariam usus sisset, essetque suapte natura Ignis voracissimus suique fœcundissimus à minimus mire crescens initijs ne ob eam caussam Universi salus atque incolumitas periclitaretur, ex adverso maximam et infra supraque Cælum vim Aquarum opposuit, ut earum refrigeratione tantus Ignium ardor temperatus non solum non obesset Mundo, sed etiam prodesset plurimum.* Addenda his, quæ tradunt Theodoretus quæst. XI. super Genesin; Gennadius & Severianus in Catena ad Genesin citati. Innuit eundem usum Augustinus lib. XI. de Civitate Dei, cap. ult. *Sicut in Microcosmo, id est, Homine supra Cor, igneæ naturæ, locatum est Cerebrum frigidissimum; ita in magno Mundo supra Cælestes Ignes Aquæ sunt positæ.* Videndus idem lib. II. super Genesin ad litteram cap. v. & libro de Genesi imperfecto cap. VIII. Audiendus & hic Beda ex libro de Natura rerum, memoriæ prodens, quibusdam esse visum, *Aquas supra Cælum esse positas à* DEO; *ut earum ingenti copia è Cælis præcipitata in Terras generale totius Orbis Diluvium, quod* DEI *voluntate ac decreto aliquando erat futurum, effici posset;* verum sibi probabilius videri addens, *eas Aquas ad refrigerationem & temperationem ardoris siderium fuisse comparatas.* Iosephus lib. I. Iudaicarum Antiquit. cap. I. Aquas *ad Imbrium utilitatem Terræque irrigationem* ibi locatas refert. Alium usum indicat Cabalistæ apud Picum Mirandul. in Heptaplo. Consulendus & de triplici Aquarum Supercœlestium usu Stephanus Szegedinus in Locis Communibus, ubi de Aquis. Pergo. Aquas has formam tenuissimæ nebulæ repræsentare scribit Augustinus ad Orosium quæst. XVII. & lib. II. super Genesin ad litteram, cap. IV. ubi inter alia; *Quod si potest*, inquit, *Aqua, sicut videmus, ad tantas guttarum devenire atque extenuari minutias, ut super Aerem hunc vaporis induta faciem, feratur, & Aere levior emineat: quur non possit super illud levius Cælum, minutioribus guttis & leviore manere sustineri.* Contra quem tamen videndus Ægidius Columnius posterioris ἑξαημερ. cap. XIIII. Sunt qui Crystalli instar splendidas, solidatas, & quasi congelatas adserunt, unde & Cœlum Nonum ijs *Crystallinum*. Adeundi omnino Basilius in ἑξαημ. Bonaventura II. Sentent. dist. XIV. Ægidius, quem dixi, cap. XIIII. & seqq. ubi multa, Petrus Longobardus Sent. II. dist. XII. Nicolaus Lyranus, Tostatus, Cajetanus, & alij, non solum ad opinionem suam confirmandam trahentes Ioannis Evangelistæ locum ex Apocalyp. cap. XXII. I. sed & Philosophos veteres sequuti, credo, Empodoclem & Anaximenem, Crystallum in Cœlo esse adfirmantes, apud

Mundum quo supra Cælum sustineant Aquæ, tribuunt DEO Beda.

Et Petrus Longobardus,

Cœli formæ Basilius.

Aquarum supra octavum Cœlum usus & necessitas Iustino.

Basilio.

Theodoreto, Gennadio, Severiano, Augustino.

Incertioribus apud Bedam.

Ipsi Bedæ.

Iosepho.

Caballistis,

Szegedino.

Aquæ Supercœlestes quid Augustino.

Cœlum Crystallinum qui agnoscant.

Plutarchum lib. II. περὶ τ̃ Ἀρεσκ. τοῖς φιλοσ. ut & Iosephus lib. I. Antiq. Iudaic. cap. I. qui scribit, *secunda die Cælum super omnia collocatum, ipsumque, ab alys distinctum, in semetipso constitutum fuisse; eumque Crystallo circumdatum* (miremur hic infelicem sacratissimi Scriptoris Paraphrasten) *humidum & pluviale, ad utilitatem, quæ fit Terræ ex Imbribus, ab* DEO *congrue fabricatum*. Quidquid sit; Aquas illas, quarum in Sacris litteris mentio, quæ *Cæli* nonnumquam exprimuntur appellatione, quæ prædicare dicuntur DEI potentiam, quæ ad DEI laudem à pijs viris invitantur; longe alias esse, nec ullo modo Fixarum Sphæræ supervehendas, contra decentissimum Rerum ordinem optimamque Totius dispositionem, quum naturalis Aquarum locus sit infra Aerem Terræ proximus, & in prima Rerum creatione ad Omnipotentiam DEI & miracula non sit confugiendum; plenè docui lib. I. cap. IV.

Orbes Cœlestes revera octo.

Quid igitur de Cœlorum Numero statuendum? Quamvis Hypotheses Physicæ, quarum fundamento Cœlorum pluralitas exstruitur, alicujus videantur ponderis & momenti; Ajunt enim, Cujusvis Corporis Simplicis unum esse Motum per se: Omne Corpus, quod pluribus movetur Motibus, unum per se habere, alios per accidens; Inferiorem Sphæram moveri ab Superiore; Stellas moveri ad Sphæræ, cui inlocatæ sunt, motum: & similes; colligentes, inde supra Cœlum octavum, quod triplici, inquiunt, movetur motu duos alios esse Orbes: tamen revera Cœlestes Sphæræ sunt octô, quas oculis notare ac distinguere possumus; motuum quidem varietate, ut mox dicam, ac situ differentes, contigui tamen, & eo ordine dispositi, ne ullus alterius vicinioris motum impediat. Sunt illi septem Planetarum Orbes, & Siderum Fixorum Sphæra, quæ quam recte *Firmamentum* à quibusdam nominetur, patet ex cap. IV. libri I. Nonum, ut novum & commentitium, habendum; Decimum autem, ut ex Volubilium numero decimandum.

CAP. XIV.

De Motu Cœlestium Orbium.

Motus secundum Vulgus Cœli decimi, Noni,

HÆC de numero. non minus intricata res est de Motu: qui novos Orbes, Nonum & Decimum, commentis multiplex. Decimum Cœlum primum Mobile volunt; moveri autem super Mundi Polos ab Oriente in Occidentem, spacio naturalis diei, vel XXIV. horarum. Noni Cœli Motum faciunt duplicem; priorem quidem ad Motum Primi Mobilis, posteriorem autem ex se & sua natura. Vocant nonnulli *Augium Stellarumque Fixarum Motum*, alij *Motum defectionis*; quod omnes inferiores Sphæræ deficiant à perfectione primi Mobilis. Hunc super Eclipticam lineam & polos Zodiaci ab Occasu versus Ortum, quadraginta novem millium annorum spacio (dato ducentis annis gradu uno cum XXXVIII. fere minutis) completurum fingunt suam Revolutionem: dicuntque *Magnum annum platonis*; quem scripsisse ferunt, integra Revolutione ista completa, omnia in eodem futura statu, quo fuerant initio Revolutionis. O absurdam, ne dicam impiam, cujuscumque tandem ea sit, opinionem! quam explodit merito, & adversari Christianæ religioni, docet Augustinus lib. XII. de Civitate Dei cap. XIII. *Absit*, inquit, *ut nos ista credamus. Semel enim Christus mortuus est pro peccatis nostris: resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, & nos post resurrectionem semper cum Domino erimus, cui modo dicimus, quod sacer admonet Psalmus*: Tu Domine servabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum. *Satis enim istis existimo convenire, quod sequitur*: In circuitu impij ambulabunt, *non quia per Circulos quos opinantur, eorum vita est recursura, sed quia modo talis est erroris eorum via, id est, falsa doctrina*.

Octavi.

Octavæ Sphæræ, præter superiores duos, Motum tribuunt, quem indigetant *Trepidationis*, vel *Accessus & Recessus*: notantes eo Sphæram hanc à Septemtrione in Meridiem moveri super duobus Circulis parvis; quorum Poli quidem sunt capita Libræ & Arietis Nonæ Sphæræ, Semidiameter vero gradus IV. minuta XVIII. & secunda XLIII: motum autem compleri septem millium annorum spatio; solum hunc Octavæ Sphæræ esse proprium; ejusque ratione Stellas Fixas semper in temporibus (utar illorum verbis) æqualibus æque distare à capitibus Arietis & Libræ ejusdem primi Mobilis, sed motas videri nunc Orien-

Orientem, nunc Occidentem versus, interdum tardius, aliquando velocius; quum motas repererint uno gradu, Ptolemæus quidem centum, posteriores autem sexaginta annorum curriculo.

Iam quid dicam de diversissimo Planetarum motu? Singulis suas dant Sphæras: Sphæris varios, majores minoresque Orbes; Orbibus denique varios & dissimiles admodum Motus. Quibus commemorandis nec mihi, nec alijs ero molestus paucis dicam. Planetarum motus vulgo.

Omnis Motus vel *Rectus* est, vel *Orbicus*, ut cum Varrone loquar. *Rectus* vel est ascendens, sursum tendens; vel descendens, deorsum. Illo quidem moventur Levia, Ignis & Aer; diciturque *Motus à Medio*, id est Centro Terræ: Hoc vero Gravia, ut Terra & Aqua; *Motus* appellatur *ad Medium*, id est ad Centrum Terræ: *Orbico* omnia Cœlestia Corpora; *Motum* vocant *circa Medium*, id est Centrum. *Rectus* igitur Motus omnibus convenit, quæ intra Lunæ Sphæram & Centrum Terræ: & hinc quod Antipodes, non secus quam Nos, ad Medium, id est Terræ Centrum, natura ducente, tendant. Nam ut vere canit poeta, Motus Rectus: Rectus Ascendens, Descendens.

——*Cælum undique sursum.*

Orbicus Motus omnium Corporum est Cœlestium: cujus duo principes. Quamvis enim Orbes Cœlestes proprijs singuli videantur & dissimilibus agitari motibus; duos tamen tantum esse Astronomicæ docent observationes, docet Sensuum judicium. Vnum quidem simplicem, uniformem & regularem, quo quidquid Orbium Cœlestium ab Ortu in Occasum circa Mundi Polos ἀεὶ ὡσαύτως καὶ ἰσοταχῶς, Circulis Æquatori parallelis, spacio diei naturalis revolvitur. Antiquitas hunc Motum Octavo orbi, Nono Ptolemæus, Recentiores Decimo proprium consecrarunt. πρώτην φορὰν nuncupat Ptolemæus; alij νυχθήμερον appellant, quod diurni nocturnique temporis spacio, diem metiens naturalem, absolvatur. Est enim hujus Motus vices ac discrimina dierum noctiumque, cum motu Solis proprio, efficere, Stellas quotidie producere, & conspiciendas nobis exhibere, easque per Hemisphærium superius provolutas abducere rursus & abscondere: communis denique mensura reliquorum omnium est Motuum. Omnia enim Corpora secum rapit Inferiora, quæ quanto magis eo distant; tanto tardius eo motu moventur: quod potissimum apparet in Luna. Alterum vero, quem, Græci δευτέραν φορὰν, & πολυμερῆ, item εἰς τὰ ἐναντία, & εἰς τὰ ἑπόμενα; Latini *Motum Planetarum* vel *Secundorum Mobilium*; nonnulli *Motum* appellant *in Consequentia*. Eo Sphæræ, quæ Primo Mobili subjectæ, superiori Motui contranituntur, & ab Occasu in Ortum, εἰς τὰ ἑπόμενα, sub Zodiaco & circa polos ejusdem, non in parallelis, qui ab Æquatore æquabiliter disjuncti, tardius multo provehuntur, sed dissimiliter. Nam Planetarum illi, qui Terræ propiores, motu concitatiore feruntur, citiusque periodos conficiunt suas; contra, lentiore procedentes gradu, diffinita Zodiaci spacia tardius circumeunt, qui hinc remotiores. Est quando in medio velut cursu tardare videntur, & tamquam immoti subsistere, dicunturque στηρίζοντες; nonnumquam regredi, προηγητικοὶ nominati, hinc rursus accelerare curriculum, tamquam velocitate compensaturi prioris moræ defectum, vocanturque hic Græcis ὑπολειπτικοὶ. Nec eumdem semper tenere conspicimus tramitem; sed à media Zodiaci via nunc in Boream, nunc in Austrum evagari. Recedentes denique procul à Terra, ἀπόγειοι; rursus velut ex alto ad Terram se demittentes, περίγειοι nuncupantur. Vnde vero φαινομένων Cœlestium hæc ἀνωμαλία? An à Planetis, an aliunde? *Æquales sunt & regulares Orbium Cœlestium Motus; nobis tamen inæquales apparent*, ait magnus vir, *vel propter Circulorum Polos Mundi Polis diversos, circa quos convertuntur, ut sunt Poli Zodiaci, sub quo vagæ stellæ perpetuo versantur; vel quia Terra non est Centrum illorum Orbium, quibus vehuntur Planetæ & circumaguntur. Vnde quum ex Centro Mundi nos Motus illos consideremus; fit, ut quemadmodum majore mole aucti videntur nobis, quum ex propinquo eos contuemur; minores apparent, quum procul positos conspicamur: sic in circumferentijs Orbium æqualibus, ob diversam visus distantiam, motus inæquales, æqualibus temporibus, observemus.* Sententias eorum, qui φαινομένων, quæ dixi, caussas ex alijs hypothesibus exstruunt, prudens ne sim prolixior, prætereo.

Motus Orbicus.

Orbicus ab Ortu ad Occasum.

Ab Occasu ad Ortum.

Caussæ φαινομένης Cœlestium ἀνωμαλίας

Cap. XV.

Brevis Stellarum Descriptio, eaque tractata membratim & excussa

De *Cœlo*, cui in Constante Perpetuaque Totius parte priorem dederam locum, quod habui dicere, pro instituta mihi methodo, absolvi: succedit, cui alteram adsignaram stationem, *Stella*; cujus tam Inerrantis, non solum in Zodiaco, sed & extra eum, quam Errantis historiam aggrediar, si quædam universim præmisero.

Stella quid.

Stellæ partes putantur suorum Orbium densiores; eæque lucidæ, simplices, rotundæ; ad Orbium, quibus inlocata earum corpora, motus moveri solitæ; ut, Deo, disponente, per spacia Cœli divina & admirabili ratione decurrentes, efficiant vices Temporum gratissimas, & in natura Elementari primas temperent Qualitates, aliosque effectus gignant. Adeundus Lactantius lib. II. Divinar. Institutionum cap. V.

Densiores suorum Orbium partes.

Densiores suorum Orbium notavi *Partes*. Ideoq; quum ex mole constent coactæ quasi materiæ, & veluti lucis compactæ copia; Visui tamen, ut Orbes ipsi, non sunt perviæ.

Lucidæ.

Stellarum Lux insita.

Stellæ sua Luce calorem impertiunt inferioribus.

Esse *Lucidas* addidi. Lucem mistam hic agnosco. Stellæ enim cum proprio & congenito lumine (quod luce Solis imbecillius) lucent; tum alieno, quod illis ab Sole. Hic enim fons præcipuus (videantur infra quæ de Sole mihi scripta) & ὄχημα τοῦ πρωτογόνου φωτός, lucis suæ splendore non solum Inferiores se Planetas & Elementarem Orbem, verum etiam Superiores & Stellas omnes liberali suæ lucis demenso imbutas, radiorum reflexione collustrat & complet. Qualiscumque Lux Siderum statuenda; certa illam volunt esse magni Viri, qua, Deo sic ordinante, Astra calorem Inferioribus impertiunt: eam quum copiosiorem in se habet Sol, quam ceteræ Stellæ, potentiæ majoris esse solet ad calefaciendum. Peripateticorum est sententia, Cœlum per Lumen facere tam Calorem, quam Frigus, diversa tamen ratione: illum quidem per se, hoc autem per accidens. Nam præsentia Luminis facit Calorem, absentia vero Frigus: quo enim Lumen Solis, aut nullo modo aut tenuiter pertingit, inibi Frigus vigere ac roborari comperimus. Nam quod Stellas naturæ censeant Igneæ, dictasque, teste Fabio, quasi Ignis Stillas; & quum per se calidæ vaporibus ex aqua terraque sublatis & ad se tractis pasci, partim Stoici apud Ciceronem II. de nat. Deor. & Theodoretum lib. IIII. Græcanic. Affect. eosque secutus Plinius lib. II. nat. histor. cap. IX. partim Augustinus, scribente Magistro Sentent. Dist. XIIII. lib. II. Basilius Homilia III. in Genesin, Ambrosius lib. II. in ἑξαήμερ. & alij non pauci: validissimis eos Philosophi (inter quos principis mihi loci Benedictus Pererius in Genesin) confutant argumentis. Primo, Cœlum & Astra naturæ esse incorruptibilis: non igitur esse Ignea. Ignem enim, quum & materiam habeat & contrarium, non posse non obnoxium esse Corruptioni. Deinde, naturalem Ignis Motum esse sursum ferri: eo autem Astra perpetuo carere. Tertio, Si Astra essent Ignea; haud dubie futurum fuisse, ut jamdudum omnia deflagrassent, & ardore Siderum consumpta interijssent: quum tantus sit in Octavo Cœlo Stellarum numerus; quarum quælibet multis partibus Terra major: quibus si addantur Planetæ, esset sane Cœlestium Ignium supra Terram undique vis fidem superans, & quæ tolerari nullo pacto posset. Indignas, quæ refutentur, arbitror portentosas Philosophorum quorundam de natura Siderum opiniones, apud Plutarchum lib. II περὶ τῶν τοῖς φιλοσ. ἀρεσκ. cap. XIII. ut Thaletis, glebosa quidem existimantis esse, sed ignita Sidera; Diogenis, pumicosa & Mundi spiracula; Xenophanis, ex Ignitis Nubibus concreta; Heracliti & Pythagoræorum, unamquamque Stellam Mundum esse, Terram suam ambientem, putantium. Iam quod nonnulli addant, Sidera terrenis aqueisque humoribus ad se tractis ali (ἐκ τῆς ἐπιγείου ἀναθυμιάσεως, inquit Plutarch.) eorumque splendorem hoc modo accendi; puerilem esse opinionem & indignam Philosopho dixit Philosophorum princeps, Aristoteles l. II. Meteoror. Vapores enim ultra mediam Aeris regionem non subvehi: ibi coactos densatosque in pluvias resolvi, eoque, unde sublati fuerant, relabi. Et sane unde tot tantisque Sideribus perpetuo tantum pabuli & alimenti posset suppeditari? Quid! quantum mutationum singu-

Non sunt Igneæ naturæ.

Absurdæ Philosophorum aliquot opiniones de Siderum natura

Sidera humoribus attractis non pascuntur.

ſingulis momentis conciliarent Aſtris exſucti fœdiſſimis locis Humores? Abſit; ut hæc ſint vera. Valeant hæc talia ſentientes Homerus Iliados x. Heraclitus, Empedocles, Plato, Stoici apud Plutarchum, Diogenem Laertium, Macrob. I I. in Somn. Scip. cap. x. & I. Saturnal. cap. XXIII. & alios, Plinius lib. II. nat. hiſtor. Latinique poetæ, Virgilius lib. I. Æneid. ubi Servius & Lucanus lib. I. & VII. belli Pharſalici, Seneca in Hippolyto, Choro Act. II. Claudianus lib. II. de rap. Proſerp. Errant toto Cœlo. Nam Errorem vere nominat Marius Victorinus Commentario in Geneſin.

Simplices dixi. Formatæ enim creduntur ex Orbium ſuorum ſimpliciſſima & puriſſima materia: quæ denſata primum & contracta ad certam Cœli ſui regionem, deinde Collectionis abſolutæ beneficio in ſolidiorem orbem conglobata. Stellæ Simplices.

Rotunda Stellarum Corpora docent cum Sphærica Solis Lunæque figura in Eclipſibus; tum φαινόμενα. Nam intuentibus, ex quacumque terreni globi parte, Globoſæ apparent: quod non fieret, ſi vel eſſent planæ, vel ἀσχεδίας, vel alius figuræ. Rotundæ.

Ai Orbium, quibus inhærent, *Motus moveri* ſolitas adſcripſi. Non enim moventur Stellæ per ſpatium Cœleſte proprijs per ſe Motibus; ut voluerunt, non ſolum Stoici, quod patet ex Ariſtotele lib. II. de Cœlo, text. 43. & ſeqq. & M. Tullio lib. II. de natura Deorum: ſed etiam Scriptores Eccleſiaſtici, Iuſtinus Martyr reſpondens ad quæſt. XVIII. Orthodoxor. Origenes lib. V. contra Celſum, & lib. I. περὶ ἀρχῶν VII. Chryſoſtomus Homilijs VI. XII. & XIII. Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus Catalogo Hæreſ. Procopius Gazæus ad cap. I. Geneſ. Legendus & Auguſtinus lib. II. de Geneſ. ad litteram cap. X. verum accidentarijs ad Orbium, quibus infixæ, Motus; ut pars ad Totius, ut Clavus, dicis cauſſa, ad Rotæ motum. Conſulendus præter alios Macrobius lib. I. ad Somnium Scipionis cap. XVII. Nam cuivis globoſo Corpori duo tantum conveniunt Motus proprij: κύλισις quam volutationem dicere licet; & δίνησις, quæ nihil aliud quam in gyrum converſio. Stellæ igitur, quæ Corpora globoſa, ſi primarijs & proprijs agitarentur motibus, vel huc illuc volutarentur, vel in gyrum converterentur. Sed nec volutantur; nam loca quæ in Orbibus ſuis obtinent numquam mutant nec gyrantur; circumactas enim eam, quam ſemel nobis oſtenderunt, faciem numquam variare, quod in Luna perſpicuum, videmus. Accidit, quum Motus Diurnus fiat XXIV. horarum ſpacio, ſi Stellæ non æqualiter cum Orbibus ſuis moverentur, Orbes certe vel perrumpi & diſſecari, vel rarefieri neceſſe eſſet. Stellænamque velocius motæ finderent ſuos Orbes. Non eſt autem rationi conſentaneum, inquit Philoſophus II. Cœli text. 45. ut Stellarum velocitates & magnitudines Orbium eandem habeant rationem. Nam una Stella ad aliam non habet eam in velocitate proportionem, quam unus Orbis habet ad alterum. Vnde fit, ut ipſa pari velocitate cum ſuo Orbe nequaquam moveatur: Orbis enim, ut bene Hannibal Roſſelus ad Pymandrum Mercurij lib. IV. Comment. V. quæſt. I. ad Orbem in velocitate proportionem habet; non autem Stella ad Stellam. Sic enim Stella, utpote Mercurius, qui eſt in Orbe majori, velocior eſſet alia Stella, nimirum Luna, quæ eſt in Orbe minore. Quod ſi Orbes ſuos mutuo commutarent, utpote ſi Mercurius in Lunæ orbem migraret, & è diverſo Luna in Mercurij; tunc Luna velocior eſſet Mercurio, idque propter Orbem Mercurij, in quo conſiſteret. Ex quo perſpicuum eſt, Stellas ex ſe nullum Motum habere, niſi eum tantum, quem Orbis ipſe. Moventur ad Orbium motum motus.

Amplius dico. Si Stellæ Sphærarum ſuarum ſpacia proprijs motibus ferrentur; ſequeretur, Cœlum eſſe Corpus fluidum, labile, ſolidioribus facile cedens, vel aquæ vel aeri ſimile: quæ ab natura Cœleſtis corporis & dignitate videntur aliena; præſertim quum Hiobi cap. XXXVII. Scriptura Sacra doceat, *Cœlos eſſe ſolidiſſimos, & tamquam ex ære conflatos:* quod innuit & Homerus lib. XXI. Iliados:

ἵεσθ' ὄλυμπόνδε διὸς ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ.

Quid plura? Multi quum ad Motus, qui Stellis eſſe poſſent proprij, ſtabiliendos rationes phyſicas animadverterent deeſſe; Vitam ijs & Animas eaſque intelligentes, cum ad alia peragunda, tum ad motus, quos dixi, conficiendos tribuere ſunt auſi: multi inquam, non ſolum Pphiloſophi veteres, ut Pythagorei, Platonici, Ariſtotelici, Stoici: videndi omnino Plato in Epinomide, Ariſtoteles lib. II. de Cœlo, text. 13. & 61. Philo lib. de Opificio Mundi, de Somnijs, de Gigantibus; Lucibus Stoicus Non ſunt Animatæ.

 apud

apud Ciceronem de Natur. Deor. Averroes lib. I. Cæli, & libro de substantia Orbis: Avicenna lib. v. Naturalium, & alij) verum etiam Ecclesiastici Scriptores: inter quos primum ducit agmen Origenes tomo I. Comment. in Ioannem, & lib. I. περὶ ἀρχῶν, cap. VII. & Homilia postrema in librum Numerorum. Ab Origenis opinione non omnino videntur abhorrere Aureolus apud Capreolum II. Sentent. Scotus lib. II. Sentent. Distinct. XIIII. quæst. I. Thomas quæst. de Anima, art. VIII. opusculo de Angelis, cap. II. lib. II. contra gentes, cap. LXX. & Cajetanus ad Psalm. CXXXV. vers. 5. D. Augustinum, quum pressius quæstionem hanc de Vita Sensuque Stellarum examinaret, in consilii quasi trivio fuisse, probant, quæ ab illo scripta lib. II. de Genesi ad litteram, cap. XVIII. Enchiridij cap. XVIII. libro de Immortalitate Animæ cap. XV. lib. VI. de Musica, cap. XIV. lib. XIII. de Civitate Dei, cap. XVI. libro denique I. Retractationum, cap. XV. Certe, opinionum hanc animus adversatus, contrariam sententiam amplectitur; utpote quæ probabilior, quæ sanior, quæ Doctrinæ Theologicæ convenientior. Nam Astra non esse Animata, non Vita, non Intellectu prædita, censent recte Basilius Homilia III. in Genesin, & Comment. Psalm. XLIX. Ambr. lib. II. ἑξαημ. cap. IV. Hieronymus epist. LIX. ad Avitum, & lib. XIII. Comment. in Iesahih. Cyrillus Archiepisc. Hierosolymitanus lib. II. contra Iulianum, Ioannes Damasc. lib. II. cap. VI. Quorum omnium instar sit, Christianus ille Cicero L. Cœlius Lactantius, qui falsam Superiorum opinionem varijs argumentis confutat lib. II. Divinar. Instit. cap. V. cujus inter alia verba sunt hæc verissima: *Inest Sideribus Ratio; sed Dei est illa Ratio, qui fecit & regit omnia, non ipsorum Siderum, quæ moventur.* Ab DEI nutu pendet quidquid in Rerum natura: hic solus omnia gubernat & dirigit, mediate & immediate, ut primo libro plene dixi. Frustra sunt igitur, qui Stellas putant Animatas: magis autem, qui tamquam vita, Sensu, Ratione præditas colunt, ut Deos. Pythagoras apud Diogenem Laertium Solem, Lunam & reliqua Sidera Deos esse judicat, quum in illis superet calor, qui Vitæ auctor. Plato in Epinomide, jubet Astra in Deos cœlestes à nobis honorari & coli. Idem in Cratylo, docet Astra fuisse primos Deos à priscis existimatos. Et sane cui non, ostensa Solis, Lunæ, Astrorum pulchritudine commemoratisque tot tantisque commoditatibus, quas ex illis perpetuo percipit genus humanum, facile persuaderetur Stellas tanquam Deos colendas? In errorem hunc prolapsi non modo Gentiles, sed etiam populus DEI, qui (quamvis præmonitus, & contra lapsus horrendos præmunitus ab Ductore Doctoreque suo Mosche; ne, quæ DEVS in ministerium cunctis sub Cœlo gentibus crearat, coleret, Deuteronom. cap. IV, 19) quod Solem adoraret Orientem, quod Lunæ tamquam Cœli Reginæ sacrificaret, quod omnem Cœli militiam veneraretur, quam graviter à Prophetis objurgatus? Nimius essem si reprehensionum instituerem commemorationem. Divine Leo Romanus Præsul, Homilia II. de Nativitate: *Absit ab animis Christianis*, inquit, *impia superstitio prodigiosumque mendacium: ultra omnem modum distant à Sempiterno Temporalia, ab Incorporeo Corporea, à Dominatore Subjecta; quæ etsi mirandam habent pulcritudinem, adorandam tamen non habent Deitatem Illa ergo virtus, illa est Sapientia, illa est colenda Majestas, quæ Vniversitatem Mundi creavit ex nihilo, & in quas voluit formas atque mensuras terrenam cælestemque substantiam omnipotenti ratione produxit. Sol & Luna & Sidera sint commoda utentibus, sint speciosa cernentibus: sed ita, ut de illis gratiæ referantur Auctori; & adoretur* DEVS, *qui condidit; non Creatura, quæ servit.* Et Homilia VII. *Adduntur*, ait, *& illi, qui totam humanæ vitæ conditionem de Stellarum pendere effectibus mentiuntur; & quod est aut divinæ voluntatis aut nostræ, indeclinabilium dicunt esse Deorum: quæ tamen ut cumulatius noceant, spondent posse mutari, si illis, quæ adversantur, Sideribus supplicetur. Vnde commentum ipsum sua ratione destruitur: quia si prædicta non permanent, non sunt Fata metuenda; si permanent, non sunt Astra veneranda. De talibus institutis etiam illa generatur impietas, ut Sol inchoatione diurnæ lucis exsurgens, à quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur*, & quæ multa ibi sequuntur.

Non Dinino honore adoranda.

CAP.

Cap. XVI.

Astrologia quatenus licita.

FInes denique, Stellas præcedentis Capitis initio describens, indicavi: gratas ut Temporum vices efficiant; primarias temperent in Elementari natura Qualitates; aliosque effectus, Deo disponente, gignant. Genesis cap. I. 14. *Fiant Luminaria in Firmamento Cœli, & dividant Diem ac Noctem* (להבדיל בין היום ובין הלילה) *& sint in Signa, & Tempora, & Dies, & Annos* (והיו לאתת ולמועדים ולימים ושנים) Sic Psalmo CVI. 19. *Fecit Lunam in tempora* (למועדים) *Sol cognovit Occasum suum.* Quorum illa, *Sint in Signa,* varias ab varijs acceperunt interpretationes. Nonnulli referunt ad Signa Festorum; quæ, ut Pascha, Succhoth, Novilunia & alia, ab Iudæis annuatim celebrabantur, quorumque observatio ex Lunæ pendebat & computabatur cursu atque revolutione: Multi ad XLVIII. Siderum Imagines, de quibus postea, Plerique ad Signa naturalium effectuum: utriusque, dico, notionis Tempestatum & Valitudinum, Annorum vel fertilium vel sterilium, & similium Prognostica: Sunt denique, qui sacratissimam magni Numinis vocem trahere non verentur ad Astrologicam Divinationem, qua ex Siderum observatione futura rerum Eventa præsciri prædicique posse volunt.

Ad quid Stellæ creatæ

Variæ Verborum Sint in Signa interpretationes; I. II. III. IV.

Duorum, quos nominavi primitus, interpretationi locus vix esse potest; ut quæ artiore Cœli Terræque spacio, quam par est, & divinæ vocis mens flagitat, coercetur: Horum quidem, quod Effectuum Naturalium prænotiones non tam sint in Stellis Fixis, quam Errantibus; quodque Signorum XLVIII. formatura & nomenclatio (quarum hodie usus) ab hominum sint ingenijs; Illorum vero, quod unam solum In Mundi centro gentem respiciat. Nam ad quid in æterna constantique illa Totius sede lex erat scribenda Festis, quæ summam subitura essent Inconstantiam; quæque, quum venisset τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου (Galat. IV, 4.) non amplius essent futura; Festis, inquam, unius, ejusque populi, cujus ob ingratitudinem aliaque flagitia Status esset aliquando exterminandus? Reliquorum quos deinceps adscripsi opinio, Priorum quidem admittenda; Posteriorum vero, quod prava, pestifera, exsecrabilis, prorsus est proscribenda, odijsque premenda capitalibus.

Locus nec II.

Admittenda. III.

Reijcienda. IV.

Priorum, dixi admittendam; modo parce, salvoque, qui magno Numini debetur, Honore, & intemerata fiat illud ejus reverentia. Particularem enim rerum Cœlestium notitiam DEUM sibi soli servasse, tam est certum, quam quod certissimum. Solus ille novit vires & operationes Stellarum: *Ille multitudinem Sidereum numerat,* לכלם שמות יקרא, πᾶσιν αὐτοῖς ὀνόματα καλῶν) *omnes impositis nominibus, vocans,* Psalmo CXLVII, 4. *Ille educit in numero militiam eorum, &* (לכלם בשם יקרא πάντας ἐπ' ὀνόματι καλέσει) *omnibus istis indidit nomen præ amplitudine virium, prout fortis est robore, adeo ut quidquam non desit.* Ieschahh XL, 26. Nomina Stellis audimus hic imposita: non dubium, quin à proprietatibus, quas solus perfecte sapienterque novit, qui potenter eas condidit: ut eadem Oda merito exclamet Propheta: *Magnus Dominus noster, Magna Virtus ejus, & Sapientiæ ejus non est numerus.* Non enim solum Sol, Luna, Stellæ Lucem toti Rerum naturæ, quod oculi quotidie testantur, præbent; discrimina facientes Diei & Noctis; Laboris item Quietisque diffinientes intervalla, Genes. I, 19. 20, 21, 22, 23. Psalm. CIV, 19. & CXXXVI, & 7, 8, 9: sed etiam adgenita quadam Influentia secundario variant & gubernant quodammodo Inferiora; excitantque certas Inclinationes virtute, qualem illorum Naturæ DEUS indidit, inditamque conservat. Prudenter Aristoteles I. Meteoror. dixit, Mundum hunc Elementarem Superiorum motibus esse contiguum; ut ejus inde Virtus aliquo modo posset gubernari. A qua sententia non abhorret D. Augustinus lib. III. de Trinitate, cap. IV. adserens Corpora crassiora locorumque inferiorum per subtiliora, ut quæ potentiæ penetrantioris, ordine quodam regi. Clarius autem lib. V. de Civitate Dei, cap. VI. ubi inter disceptandum cum Mathematicis hæc inter alia profert, *Non usquequaque absurde dici potest, ad solas Corporum differentias adflatus quosdam valere Sidereos, Sicut in Solaribus accessibus & decessibus videmus etiam ipsius anni tempora variari; & Lunaribus incrementis atque decrementis augeri*

Interpretatio III. quo modo admittenda. Particularis rerum cœlestium notitia DEO servata.

Influentiæ Siderum, an & quo modo sint.

geri & minui quædam genera rerum; sicut Echinos & Conchas & mirabiles Æstus Oceani, non autem & Animi voluntates (notandum hoc) *positionibus Siderum subdi.* Placent mihi versus illi, qui in Palatio vetere Pragensi:

Sidera Corporibus præsunt Cœlestia nostris,
Influxuque regunt cuncta Elementa suo:
Cogere sed nequeunt Animam Ratione fruentem;
Namque sub Imperio solius illa DEI *est.*

Suspiciamus veneremur mirificum Artificem, qui sursum & deorsum pulcre disposuit omnia, ut suavissimo concentu inter se respondeant. Non adimendum, quod Ratio naturalis admittit; non improbandum, quod probant Sacræ Litteræ; quæ testantur DEUM hæc nostra regere clementer per Superiora. Hoschebhæ cap. II. vers. 21. *Erit etiam die illo ut exaudiam* (אֶעֱנֶה, ἐπακούσομαι) *Ichovæ; exaudiam Cœlos, & ipsi exaudiant Terram, & Terra exaudiat frumentum & mustum & oleum, & ipsa exaudiunt Izreëlem.* Audimus hic DEI voluntatem præcedere; ut intelligamus ab ea primario cuncta pendere; nihil in nos posse Astra, absque ejus nutu. In ejus enim conspectu omnes Viæ nostræ, Psalm. CXIX, 168. Ille vitæ nostræ vena, Psalm. XXXVI. 10. Omnes capilli nostri sunt ab eo numerati; nullus inde decidit absque DEI voluntate, Matth. X, 30. Lucæ XXI, 7. XXI. 18. Commendemus Nos, Viam, & Vitam nostram DEO; & ipse faciet, Psalm. XXXVII, 5. Clamemus cum regio Propheta, Psalm. XXXI, 16. *In manu tua sunt tempora nostra;* Vita & status Rerum nostrarum universus penes te est: à te dependet, non ab Astris, non aliunde. Nil timeamus nobis à Signis Cœli, Irmejæ cap. X, 2. Sciamus Angelos vitæ nostræ comites & custodes: militemus bonam militiam, retinentes fidem & bonam Conscientiam, Paullus Apost. epist. 1. ad Timoth. I, 19. & Auctor Epist. ad Heb. XIII, 18. Quin & Sol, Luna, Stellæ agitantes, adficientes, variantes, Elementa, Plantas, Animantia, Signa recte dicuntur, & revera deprehenduntur esse Tempestatum in regione Elementari, aliarumque Varietatum in Inferioribus Corporibus. Meminit ipse Christus apud Matthæum, cap. XVI, 2. *Facto vespere dicitis, Serenum erit; rubicundum est enim Cœlum: Et mane, Hodie Tempestas: rutilat enim triste Cœlum: Faciem ergo Cœli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis.* Huc igitur pertinent tot tantis viris, Arato, Virgilio, Plinio, Festo Avieno, alijsque observata, tam feliciter, non tamen tam vere, ut ipsi volunt, Prognostica ex φαινομένοις Solis, Lunæ, Stellarum; Nautis præcipue Agricolisque inservientia: quæ Christianis etiam non inlicita, modo metæ serventur. Sunt enim Physicæ τηρήσεις, aliæ prorsus à Prædictionibus ἀποτελεσματικοῖς & prohibitis. Temporū electio ad initiandum aliquod opus, alijs conceditur, in alijs improbatur. Conceditur seminaturis: planteturis; ligna, ne teredine perforentur, vel infestentur carie, in ædificia struenda cæsuris: venas pertusuris: ijs denique qui morbis medicinas facturi, aliaque auspicaturi. Volunt hoc illa, que paullo ante ex Augustini libro de Civitate Dei V. cap. VI. laudavi; *Non usquequaque absurde dici posse, ad solos Corporum differentias adflatus quosdam valere Sidereos:* ut &, quæ ejusdem, ad Ianuarium scribentis: *Non autem,* inquit, *quisquam sapiens arbitretur, Observatores Temporum reprehendendos; qui dicunt; Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est,* &c. *vel si qui forte alij naturales effectus circa motum aeris & humoris ad variandas Temporum qualitates ex Siderum ordinatissima conversione notati sunt; de quibus dictum est, quum conderentur; ut sint in Signa & Tempora, Dies & Annos.* Improbatur autem observatio Temporum, si quis uxorem ducturus, quid vel empturus vel vendirurus, aliumve contractum celebraturus, & alia talia meditans. Irridet Augustinus, & merito, lib. V. de Civitate Dei cap. VII. *O stultitiam,* inquit, *singularem! eligitur dies, ut ducatur uxor. Credo propterea quia potest in diem non bonum, nisi eligatur, incurri, & infeliciter duci.* Superstitiosos hic fuisse Romanos legere est apud Festum, lib. XII. de verb. signif. cujus hæc: *Nonarum, Iduum, Kalendarum posteri dies nuptijs alieni habentur.* Additur absurda ratio: *Quoniam hi dies decreto Pontificum Atri iudicati sunt; quod quotiescunque Romani Duces belli gerendi gratia his diebus supplicaverunt, male rem publicam gessere.* Mensem etiam Maium nuptijs inauspicatum fuisse Romanis existimatum, scribit Plutarchus quæst. Romanar. LXXXVI. Hinc notum vulgo Proverbium, *Mense Maio malas nubere.* Ovidius V. Fast.

Nec Viduæ tædis eadem, nec Virginis apta
Tempora; quæ nupsit, nec diuturna fuit.

Sidera Signa Tempestatum aliarumque varietatum. (margin note)

Prognostica sicut Christianis, & quomodo licita. (margin note)

Temporum electio quando concedenda; (margin note)

Quando improbanda (margin note)

Hac

Hac quoque de caussa, si te Proverbia tangunt,
Mense malas Maio nubere, *Vulgus ait.*

Docet idem lib. Fastor. II. Conjugium etiam vitandum Parentalibus, quæ Februario mense celebrabantur; & lib. III. diebus Festis Saliorum. Contra tempus, quod Eidus Iunias sequitur, Conjugijs canit aptissimum idem poëta lib. Fastorum VI. Dies alij, qui nuptijs contrahendis vitabantur, recensentur ab Macrobio lib. I. Saturnal. cap. XV. Quid hic Nos? Potioris sint nobis momenti monita Augustini, quæ in Decreto Gratiani, 26. quæst. 7. *Non observetis dies qui dicuntur Aegyptiaci, aut Kalendas Ianuarij, in quibus Cantilenæ quædam, & Comessationes, & ad invicem dono donantur; quasi in principio anni, boni fati augurio: aut aliquot Menses, aut Tempora, aut Dies, & Annos; aut Lunæ Solisque cursum: quia qui & has & quascumque Divinationes, aut Fata, aut Auguria observat aut attendit, aut consentit observantibus, inutiliter, sine caussa, magis ad sui damnationem, quam ad salutem tendit; sive per quosdam numeros litterarum & Lunæ, per Pythagoricam Necromantiam Aegrotantium vitam vel mortem, vel prospera vel adversa futura inquirunt, sive qui attendunt somnalia scripta & falsa, Danielis nomine intitulata; & Sortes, quæ dicuntur Sanctorum Apostolorum, & Auguria Avium, aut aliqua pro domo facienda, aut propter conjugia copulanda*, &c. Quid ni? Adscribit in fine caussam: *Dicit enim Apostolus*, inquit, *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis; in nomine Domini nostri Iesu Christi facite: in quo vivimus, movemur, & sumus.* Et sermone LXIII: *Omnium corda fidelium non dubitant nullis Mundi partibus, nullisque temporibus Providentiam abesse divinam; nec de Stellarum potestate, quæ nulla est, secularium negociorum pendere profectus, sed æquissimo & clementissimo summi Regis arbitrio cuncta disponi.*

Quid amplius? Generales ὐρανόθεν Influxuum Operationes, eorumque vires, quas in Inferiora hæc fieri per Cœlestium Corporum Lumen, Motum, Calorem comperimus, non est temere negandum adsequutos aliquo modo veteres Philosophos, & nos hodie adsequi posse; sed adspirante mentem & ingenium DEO. Particularis autem harum rerum notitia soli DEO est servata: Addo peccare largiter, & agere scelestè, qui eam rimantur; & omnes ingenij nervos explicant, ut hæc Divinæ Majestati prærogativa extorqueatur. Tales sunt mendacissimi Mortalium Astrologi, Chaldæi, Mathematici, Genethliaci, Iudiciarij, Planetarij vulgo vocati; quos non parum in opinione vanissima confirmat Origenis auctoritas, vocem DEI sacrosanctam (Genes. I, 14.) sic exaudiendam existimantis, ut refert Eusebius lib. VI. de præparat. Euangel. cap. IX. Ait enim, Astra ab DEO posita in Cœlo, ut per varios adspectus & conjunctiones præsignificarent, quæ consequentibus temporibus, tum universe tum sigillatim, euentura essent; non tamen ea efficerent. Itaque Cœlum esse dixit, velut quemdam Librum, in quo DEUS depinxit atque descripsit quæcumque in toto mundani ævi decursu suo quæque tempore futura. Id ut probet Origenes, citat librum, cui titulus erat *Narratio Ioseph*; qui apud multos olim magnæ & auctoritatis & fidei. In eo Iacob Patriarcha filios suos inducitur alloquens in hunc modum. *Legi in Tabulis Cœli quæcumque contingent vobis & filijs vestris.* Ejusdem mentis fuit Plotinus Origenis condiscipulus, ut patet ex Opere, cui titulus, *Utrum Stellæ aliquid agant*, & libro de Fato cap. VI. ubi notat, hunc etiam Stellarum esse usum, ut qui illas suspiciant & quasi litteras considerent, qui nimirum hujusmodi litteraturam noverunt, futura legant; ex ipsis figuris comparatione quadam Analogica eorum significationem & intellectum solerter indagantes.

Generalis Cœlestium Influxuum notitia ab Hominibus sciri potest: particularis soli DEO servata.

Astrologorum Errores & Mendacia.

Sed infirmissimum esse quis non videt emendicatum illud ab Origine patrocinium? Damnat certe passim detestandum hoc & fanaticum hominum genus potentibus infidum, sperantibus fallax (sic enim Tacito dicitur lib. I. Historiar.) Sacra Scriptura: Exodi XXII, 18. Levit. XIX, 31. XX, 6, 27. Num. XXIII, 23. Deuter. XIIX, 10. Samuel. XXIIX, IIII. Regum, XVII, 17. XXI, 6. Ieschah. II, 6. XLIV, 25. XLVII, 12. & seqq. Irm. X, 2. ubi De Hieronymus, Michææ V, 11. Actor. Apost. XIX, 19.

damnanant, Sacra Scriptura.

Damnant, cum Concilia, Toletanum I. in adsertione Fidei contra Priscillianistas, & Bracarense I. cap. IX. & X. tum Canones, 26. quæst. 2. c. Illos Planetarios, &c. sed & illud, &c. extuarum, de Sortilegijs.

Concilia & Canones,

Damnant non solum Iura & Imperatorum Constitutiones, l. artem. C. de malefic. & Mathematic. l. Mathematicos, 10. C. de Episcop. aud. Paull. V. Sent. tit. XXI. in Inscrip. & §. 3. & tit. XXIII. §. magicæ artis. Ruffin. tit. XV. Collat. legis

Iura, honorum Principum Constitutiones laudatæ Reipublicæ.

Mosaic. I. ἐκλογ. 39. περὶ μαθηματικῶν : sed & optimæ laudatissimæque Respublicæ. Roma certe quoties pulsi, cum cura notat CL. V. Iustus Lipsius ad II. Annalium Taciti.

Primitiva Ecclesia.

Aversata semper Astrologiam, ut artem Magicam, vetitam & damnatam primitiva legitur Ecclesia, scribente præter alios Epiphanio, libro de Mensuris & ponderibus : adeo ut qui deviarant ad illicitas has artes, non reciperet, nisi publice Confessio Reconciliatioque intervenirent. Orationem sæpe cum admiratione legi; quam, enarrato LXII. Psalmo, habuit D. Augustinus pro Mathematico, qui Erroris sui veniam ab Ecclesia publice petebat. Digna, quæ audiatur. *Iste*, inquit, *ex Christiano & fideli pœnitens redit; & territus potestate Domini, convertitur ad misericordiam Domini: seductus enim ab Inimico, quum esset fidelis, diu Mathematicus fuit; seductus seducens; deceptus decipiens; illexit, fefellit, multa mendacia loquutus est contra* DEVM, *qui dedit hominibus potestatem faciendi quod bonum est, & non faciendi quod malum est. Iste dicebat, quod adulterium non faciebat voluntas propria, sed Venus; & homicidium non faciebat voluntas propria, sed Mars; & iustum non faciebat* DEVS, *sed Iupiter: & alia multa sacrilega non parva. Quam multis eum putatis Christianis nummos abstulisse? Quam multi ab illo emerunt mendacium? quibus dicebamus*, Filij hominum usquequo gravi corde; ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Modo, sicut de illo credendum est, horruit mendacium, & multorum hominum interitum: se aliquando à Diabolo sensit illectum; convertitur ad* DEVM *pœnitens. Nostis in Actibus Apostolorum esse scriptum, cap.* XIX. *quia multi perditi, id est, talium artium homines & doctrinarum nefariarum sectatores, omnes Codices suos ad Apostolos contulerunt: & incensi sunt libri tam multi, ut pertineret ad Scriptorem æstimationem eorum facere, & summam pretij conscribere. Hoc utique propter gloriam* DEI; *ne tales etiam perditi desperantur ab illo, qui novit quærere quod perierat. Perierat ergo iste; nunc quæsitus, inventus, adductus est, portat secum Codices incendendos, per quos fuerat incendendus: ut, illis in ignem missis, ipse in refrigerium transiret. Ante Pascha enim cœpit petere de Ecclesia Christi medicinam: sed quia talis est ars, in qua exercitatus erat, quæ suspecta esset de mendacio atque fallacia: dilatus est, ne tentaret, & aliquando tamen admissus est, ne periculosius tentaretur.*

Patres.

Detestati sunt Mathematicorum prædatorias prædictiones, ut meras nugas & quisquilias, non modo quorum doctissimos legimus ad Genesin Commentarios, in primis, Basilius Homilia VI. & Augustinus lib. II. ad litteram, cap. II: verum etiam alij, ut Eusebius de præpar. Euangel. VI. cap. 9. & XIV, 4. Chrysostomus & Gregorius in cap. II. Matth. idem Augustinus de Doctrina Christiana, cap. XXI. & seqq: & lib. V. de Civit. Dei, Cyrillus lib. X. contra Iulianum; & alij, quos longum esset enumerare.

Philosophi denique.

Riserunt ut futilem, ab omni fide vacuam, suos decipientem (Iesahh. XLVII, 10.) & in contemtissimis habuerunt gravissimi Philosophi, Socrates, Pythagoras, Plato, Democritus, Aristoteles, Eudoxus, Panætius Stoicus, Archelaus, Cassander, Scylax Halicarnassæus apud M. Tullium II. de Divinatione; & non postremi habendus loci Phavorinus apud Agellium, lib. XIIII. cap. I. Legendus & Persius Satyra VI, 15.

Solus DEVS habet futurarum rerum Præscientiam

Quid ni? Solus enim DEVS certam habet futurarum rerum præscientiam: Iesah. XLI, 23. Xenophon in libro de Dictis Socratis (quod etiam notat Eusebius lib. XIV. de præparat. Euang. cap. IV.) scribit, Socratem dicere solitum, cognitionem futurarum rerum, quæ in potestate DEI sunt, non esse hominibus procurandam: neque enim posse homines eas res cognoscere; nec DEO gratum esse, si quæ ille occultavit, ea mortales velint nimis studiose curioseque rimari. Ignorat homo quid sibi, quid alijs futurum, Schelom. Proverb. XXVII, 1. Ecclesiastis VIII, 7. X, 14. Quam multa passim hujus classis apud Aristotelem: Futurorum contingentium non esse certam & diffinitam veritatem: Quæ per accidens quæque raro contingunt, non posse scientia comprehendi: Particularium & Corruptibilium Effectuum caussas proximas & proprias esse particulares & corruptibiles; ob idque ad perfectam eorum cognitionem non satis esse cœlestes & universales Caussas contemplari? Quis cogitabit quid velit DEVS? Sapient. IX, 13. Quis cognoscet sensum Domini? quis ejus Consiliarius? Iesah. XL, 13. Paull. epist. ad Romanos, XI, 34. I. ad Corinth. II, 16. Quo modo enim certa prædicet Astrologus ex Astris, quorum non novit vires,

res, defluxus & effectus? Cui quæso plene cognita Cœli natura? cui Cœlestium Orbium compertus ad amussim Numerus & Ordo? cui subtiliter explorata Motuum varietas, Astrorum lux, magnitudo, potestas? Fatetur hic ignorantiam suam ipse Philosophorum flos Aristoteles, de Cœlo, text. 17, 60, 61. Quæ in Terra & ad pedes, nemo digne potest æstimare; inveniuntur quæ in prospectu cum labore: & quis absolute quæ in Cœlis sunt investigabit? Sapient. IX, 16. Quam autem multa, quæ in Cœlo, non videntur, vel videntur non clare, vel visa mutantur & controvertuntur? Quis certi quid sibi polliceatur ab Arte, quam tot Philosophorum digladiationes tanta certaminum rabie & atrocitate incertant? Acerrimis telis alter alterum oppugnant; non solum quidquid ejus artis (si ita dicenda) suspectum reddentes, sed quantum in se est evertentes: quorum vanitatem suis coloribus, ut aliorum, graphice delineat Cornelius Agrippa. Miror ego Astrologos (quid ni enim de his dicam, quod de Haruspice M. Porcius Cato, apud M. Tullium II. de Divinatione?) quum alter alterum videt, fallacis artis & imposturarum, quibus miseros homines deludunt, conscios, posse risum continere: quota enim quæque res evenit ab his prædicta? aut si evenerit quidpiam: quid adferri potest, quur non casu id evenerit? βλακεννόμιον apud Alexandrinos vectigal erat quod Astrologi persolvebant; sic nominatum ab stultitia: quæstus enim dicebatur fieri ex ingeniosa stultitia; & Astrologos consulere homines, non nisi stulti & temetarij. Præposterum hominum genus, futura se præscire jactantium; quum præteritorum obliti præsentia insuper habent; alienarum satagunt, suarum rerum ignari! Et noverit Astrologus omnia: non posse tamen futura divinare, validissimis octo rationibus convincit doctissimus vir Benedictus Pererius lib. II. in Genesin, cap. III.

Astromatiæ incertitudo.

βλακεννόμιον.

De Genitura vero sit alicuius agendum: quis non intelligit difficillimum esse Temporis, quo quis natus, haberi momentum; & istius momenti constellationem Siderumque adspectum? Audiamus prosequentem hæc fuse Basilium Homilia VI. super Genesin: *Genethliacæ artis inventores, quum in temporis amplo spacio complures figuras suam ipsorum scientiam fugere percepissent, in augustum admodum temporis contraxere mensuras, ut minutissimo quoque & subitaneo articulo, quale est quod Apostolus dicit,* In momento temporis, in ictu oculi, *plurimum differentiæ sit inter nativitatem & nativitatem. Ut is quidem, qui hoc in momento genitus est, futurus sit Rex Civitatum populorumque Princeps, locupletissimus, præpotens: is autem, qui natus est temporis sequentis momento, pauper quidam sit futurus, aut mendicus circulator, vel præstigiator, ex ostijs ostia permutans, quotidiani consequendi caussa victus. Quamobrem eo orbe, qui Signifer appellatur, duodecim in partes diviso: quum in triginta dierum spacio partem Sol eius globi transeat duodecimam, quem inerrantem appellant, triginta in portiones singulas illas duodecim partes secuerunt: tum singulis portionibus illis in sexaginta minuta divisis, minuta hæc singula rursum in alia sexaginta modo simili divisere. Posito igitur enixu eorum, qui in lucem eduntur, videamus obsecro si hanc exactissimam temporis divisionem Auctores hi sibi valeant conservare. Nam simul ac editus pusio est, mas an femella sit, obstetrix exploras: tum vagitum exspectat infantis, nimirum indicium vitæ ejus qui natus recens est. Quot hoc tempore vis sexagesima præterisse minuta? Dicet Obstetrix deinde Chaldæo partum, qui editus est: quot minutissima momenta vis, interea dum obstetrix loquitur, prætercurrisse, præsertim si forte fortuna fuerit non in conclavi mulierum Chaldæus ille præsens, sed in ædium atrio aut vestibulo, tempus horamque repenens. Et quum eum, qui diffinturus est diligenter tempus ac horam, exploratoria nimirum horarum percipere oporteat instrumenta, sive diurna sint sive nocturna: quot minutorum hoc quoque tempore, quæso, prætervolat præteritque examen? Compertam enim eam esse stellam, qua tempus horaque sit exploranda, non solum quanta in parte sit duodecima, sed etiam quam juxta duodecimæ portionem partis, in quotoque minuto sexagesimæ eorum, in qua subdivisa sunt singula sexagesima illa prima, necesse est. Atque hanc tamen adeo tenuem subtilemque temporis inventionem quamquam attingere nequeunt singulis in stellis faciendam esse necessario dicunt, ut qualem ad cœlo adfixas stellas ipsæ dispositionem habitudinemve haberent, quadisq; ipsarum esset inter sese figura, quum in lucem ederetur fœtus, compertum sit tandem ac exploratum. Quæ quum ita sint: si fieri non potest, ut tempus illud exactissime quisquam attingat, variatione que vel breuissimi temporis fiat, ut tota via penitus aberretur; deridendi profecto non mediocriter esse videntur, tam ij qui studio hujus induserunt artis, quam in ratione rerum nusquam esse constat; quam illi qui hiantes ab illorum ore pendent intenti; perinde quasi omnia illi scire possint quæ ipsis sunt eventura. Hominum enim istorum elegantes sententiæ, sapientesque rationes per similes sunt aranearum telis, in quas si culex,*

Genethliacorum doctrina contemtui habita, Basilio.

culex, si musca, si quidpiam aliud inciderit invalidis hisce bestiolis simile, irretitum retinetur: sin validiusculum irruperit animal, inbelles illas perrumpit telas atque demolitur.

Gregorio.

Gregorius etiam Homilia Epiphaniæ, captans occasionē ab adparente, quam Magi viderant in Oriente, nato Christo, Stella, sic contra Mathematicos, adducto in medium Geminorum Iacob & Esau, qui nati simul erant, exemplo; scribit: *Certe quum Iacob de utero egrediens prioris fratris plantam manu teneret; prior perfecte nequaquam egredi potuit, nisi & subsequens inchoasset: & tamen quum uno tempore eodemque momento utrumque mater fuderit, non una utriusque vitæ æqualitas fuit. Sed ad hæc solent Mathematici respondere; quia virtus constellationis in ictu punctis est. Quibus e diverso nos dicimus; quia magna est mora nativitatis: si igitur in ictu puncti constellatio permutatur; necesse jam erit, ut tot dicant fata, quot sunt membra nascentium.*

Ambrosio.

Sic Ambrosius, multis contra Mathematicos differens, lib. IV. ἑξαημ. cap. IV. inter alia; *Nonnulli*, inquit, *Nativitatum tentarunt exprimere qualitates: qualis sit unusquisque qui natus sit: quum hoc non solum vanum, sed & inutile sit quærentibus, impossibile pollicentibus.* Et non multo post: *Redemti sunt Apostoli & congregati ex peccatoribus: non utique nativitatis suæ hora, sed Christi eos sanctificavit adventus & hora Dominicæ passionis redemit a morte. Latro damnatus capite, ille cum Domino crucifixus, non beneficio nativitatis suæ, sed fidei confessione ad Paradisi æterna transivit: Ionam in mare non vis nativitatis, sed dissimulatio divinæ præceptionis præcipitavit & offensa. Petrum de carcere imminente morte perimendum Angelus Christi, non stellarum series liberavit. Paullum cæcitas convertit ad gratiam; & percussum a vipera turbatumque naufragio, non remedia nativitatis, sed devotionis merita servaverunt. Quid de illis dicimus qui eorum precibus quum fuissent mortui resurrexerunt: utrum illos sua nativitas, an Apostolica gratia suscitavit?*

Avicennæ,

Avicenna lib. ultimo primæ Philosophiæ negat Astrologis esse credendum in divinatione futurorum, quod ipsi nec puncta cœlestia teneant, neque naturas rerum Inferiorum plane necessarias ad faciendum judicium de rebus futuris perspectas habeant; neque nitantur demonstrationibus, sed probationibus oratorijs & poeticis.

Cœli in XII Domicilia divisio, horror.

Horrendum Natalitijs diebus Cœlum in XII. domos dividere: in earum prima qualitates Animæ rimari; in secunda Fortunam vel æquam vel iniquam; in tertia conscientiæ arcana; in quarta Patris ejus qui in lucem editus, statum: horendum augurari ex quinta domo, an & quales futuri Nato Filij; ex sexta quibus Morbis & quamdiu Natus sit conflictaturus, ex septima qui se habiturus erga dissimilem sibi Sexum; ex octaua quo Mortis genere periturus: horrendum denique nonam domum Nati Peregrinationibus consecrare: decimam Matris statui, Natique Honoribus, Potestati, Famæ, undecimam Amicitijs & Vestimentis: duodecimam Inimicitijs, Carceribus & similibus.

Omnia pendent ab DEO.

Non facta, non hominum vitæ pendent ab Astris, ut vult cum alijs Manilius: non inde, sed a DEO cœlitus omnia speranda & exspectanda. Ambrosius lib IV. ἑξαημ. cap. VII. *Quum*, inquit, *ante dies paucos esset sermo de pluvia, quæ fore utilis diceretur; ait quidem: Ecce Neomenia dabit eam; & quamvis cupidi essemus Imbrium, tamen hujusmodi adsertiones veras esse nolebam. Denique delectatus sum quod nullus Imber effusus est; donec precibus Ecclesiæ datus manifestaret, non de initijs Lunæ sperandum esse, sed de providentia & misericordia Creatoris: quo exemplo, & vanitas istius Astrologiæ confutata est, & efficacia Christianæ pietatis visque religiosarum precum re ipsa comprobata.*

Impium Astris imputare Mala.

Non Nos Astris, non Astra Nobis, sed Vtrisque dominatur DEVS. Quid magis impium, quam quæ mala eveniunt, Astris imputare, præstantissimis DEI Creaturis? Audi Augustinum lib. de Confeer. IV. *De Cælo tibi dicis*, inquit, *inevitabilem caussam peccandi accidere, & Venerem hoc fecisse, aut Saturnum, aut Martem: scilicet ut homo sine culpa sit, caro & sanguis & superba putredo; culpandus sit autem Cæli & Siderum Creator & ordinator? Et quid est iste, nisi DEVS noster, suavitas & origo justitiæ; qui reddit unicuique secundum opera sua? Quum ergo hæc ita se habeant, satis perspicuum est puto, secundum Catholicos atque priscos illos Philosophos, res humanas: casu & fortuna aut stellarum fato non gubernari.*

Quid creatum ab DEO, bonum.

Videndus & Plotinus Ennead. II. lib. III. cap. II. DEVS quidquid crearat, vidit esse valde bonum: (טוב מאד) oculatiores illi viderunt Stellas noxias, flagitiosas, malorum influxuum; statuentes in sacratissimo cœlestiū Corporum senatu scelera facienda decerni.

Detestanda Genethliacorum audacia.

O Impios, qui quæ solius DEI sunt, Astris tribuunt; qui nos liberos natos Siderum servos faciunt. Nos autem? Patiamur. Sed (horresco referens) eo progressa est perniciosissima horum audacia, ut Christum etiam Astris adligarint: quem alij, exstructa Genesi, docere non verentur Passionem suam & Mortis genus: alij Prophetam fuisse blaterant & tot inclaruisse miraculis, quod nascens habuerit adscendens Geminorum sidus (quis feret dete-

hoc, idque Saturno Mercurioque sub Aquario junctis in nona Cœli domo. Quid detestabilius & magis exsecrandum? Iam quod Astrologos vera prænunciare nonnumquam sciamus, & audiamus quotidie, fit hoc, ut plenius docet Pererius l. II. in Genesin cap. v. vel Dæmonum, quibus futura sæpe nota, instinctu, quo non raro homines aguntur ad divinandum, Augustino scribente lib. v. de Civit. Dei cap. VII. & lib. II. de Genesi ad litteram, cap. XVII: vel ex occulta divinæ Providentiæ dispositione, ut videre est apud eundem August. lib. IV. & VII. Confes. & de doctrina Christiana cap. XXII. & XXIII: vel ob stultam Consulentium credulitatem; vel denique per singularem quamdam sagacis ingenij solertiam, multiplicem rerum humanarum peritiam, & exquisitam negociorum quibus occupati, studiorum quibus dediti, ingeniorum quibus pollent, morum denique quibus consulentes prædit, notitiam & observationem. Quamvis lubrica (verbis utor Phavorini, laudante Agellio lib. XIV. noct. Attic. cap. I.) & ambagiosa conjectatione nitentes, inter falsa atque vera pedetentim quasi per tenebras ingredientes eant, & aut multa tentando incidant nonnumquam imprudentes in veritatem; aut ipsorum, qui eos consulant, multa credulitate ducente perveniant callide ad ea, quæ vera sunt: tamen omnia, quæ aut temere aut astute vera dicunt, præ ceteris quæ mentiuntur, pars ea non sit millesima. Mendaciorum vendunt plerumque miseris hominibus plaustra. Bene M. Tullius lib. II. de Divinat: *Quid plura?* inquit, *quotedie refelluntur Chaldæi: quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum: ut mihi permirum videatur quemquam exstare, qui etiam nunc credat ys, quorum prædicta quotidie videat re & eventis refelli.* Astrologi prædicunt vel bona vel mala: si bona, profecto Christianæ pietati convenientius est exspectare illa à DEO, quam ab fallente plerumque lingua Astrologi; si mala, multis sane modis eorum ignoratio melior est, quam scientia, ut Cicero etiam disputat. Præstat semper in timore DEI esse & orare; quam discruciari futurorum eventuum metu. Soli Numine divino adflati prædicunt futura particularia, inquit Ptolemæus tractatu centum sententiarum, sent. I. à qua lux quintæ ibidem sententiæ: *Potestis, qui sciens est multos Stellarum,* inquit, *effectus avertere, quando naturam earum noverit, aut si ipsum ante illorum eventum rite præparauerit: unde manauit illa multorū sermonibus trita sententia, Sapiens dominabitur Astris.* Latinis etiam proverbium fuit, ut notat Donatus in Hecyram Terentij, *Sapientem divinare;* quod ex conjecturis prudenter conlatis verum colligere nonnumquam soleat non solum de præteritis, verum etiam de futuris. Valeant igitur abutentis divinissimo Astrorum, quæ DEI sunt organa, exercitu Mathematici: (nam de prudentioribus non mihi verba) valeant Planetarij, sordidos & illiberales per fas nefas quæstus facientes: valeant Genethliaci, elevantes se adversus DEI scientiam, & omne quod geritur in Seculo referentes ad ortus Stellarum & occubitus, ut inquit Hieronymus Comment. in cap. I. Sophoniæ; salutem aliis, ut idem ad cap. XLVII. Ieschah. promittentes, sua ignorantes supplicia; fatis aliorum pernoscendis operam dantes, sibi quid serus vesper sit adlaturus ignari; loquentes vani, quod insipientes opinantur; ait Augustinus sermone VI. de Epiphan. ubi Artem hanc (si nomen hoc mereatur) vocat non inscite stultitiam sacrilegam, & indoctam Doctrinam; ut & genus Fornicationis Animæ, 26. q. 2. c. illud Sufficiat quod Varro gravissimus ævi superstitiosissimi & arti fallacissimæ nimisquam deditus auctor, scribat, ex Astrologiæ sinu superstitionum omnium profluxisse vanitates. Sufficiat quod Augustinus lib. II. quæst. Veter. & Novi Test. quæstione XVI, Astrologos dicat esse inimicos Veritatis: quod lib. III. quæst. XVIII. Astrologiam carpat, ut inimicam Legi divinæ: monens inventam eam esse ab astutia & subtilitate Diaboli; nihil tam adversari Christianis, quam Mathematicis adhibere curam; hanc artem omnibus modis fugiendam; Curiosos ejus hostilibus in DEUM esse animis; numquam esse sine solicitudine: semper suspensos exspectare, quod minime certum sciunt: quod idem ad Ianuarium scribens, Mathematicorum deliramenta cum detestatione deridenda clamet. Sufficiat denique, quod Picus Mirandulanus, non solum genere sed & doctrina nobilissimus, validissimis probet argumentis, ut & alij fecerunt, Artem hanc non Hominum sed malorum Dæmonum esse inventum. Immortalem sane magnus vir meretur laudem; qui adversus Astrologos scripsit tanta copia, ut vix ullum prætererit argumentum, tanta efficacia, ut ne acerrimi quidem Astrologiæ propugnatores eam ab adductis Pici rationibus umquam sint saluaturi.

Quare aliquando Vera prædicant Astrologi.

Astrologia non est necessaria.

Viri DEI prædicunt particularia.

Conclusio contra Astrologos eorumque ματαιοτεχνίαν.

Cap. XVII.

Stellarum Distributio; Stellis Fixis unde Nomen; Numerus an certus; Classes secundum Magnitudinem.

Stellarum distributio. Fixis unde nomen;

Quis illis Motus.

HÆc de Stellis universim: ad singulariorem Siderum considerationem viam nobis pandet Distributio.

Stellarum aliæ *Fixæ* sunt, aliæ *Errantes*. *Fixæ* (quas & *Inerrantes* vocant docti Scriptores) dici volunt Astronomi: non quod immobiles consistant, sed quod tardissimus, & qui fixam fere mentitur stationem, earum, immutabilibus semper à se invicem spacijs, sit in octava sphæra, cui omnes inhærent, motus. Ptolemæus certe ijs, quæ Aristillides, Timochares & Hipparchus observarant, cum quæ ipse perceperat, commissis; Stellas centum annorum spatio gradum unum animadvertit conficere. Aevo nostro Copernicus examinatis, quæ consideraverant Veteres, ijsque ad φαινόμενα quæ ipse notarat, comparatis; deprehendit Stellas annorum LXXII. curriculo gradum unum emetiri; quolibet anno, L. scrupula secunda; singulis diebus, VIII. scrupula tertia & X. quarta; integram vero conversionem vicies quinquies annorum millibus, octingentis & sedecim absoluturas.

Numerus, Philosophis antiquis.

Chrysippo.

Ptolemæo & aliis.

Numerum inire Fixarum nonnulli tentarunt. Periti apud Plinium lib. II. Nat. histor. cap. XLI. LXXII. (sunt qui LII. rectius proculdubio, ut minor sit eorum ab aliis dissensio, legunt, duabus denarij notis expunctis) Signa facientes cœlestia, notant mille sexcentas, effectu visuve insignes. Chrysippus his multo pauciores. sequentibus paullo plures: nimirum CIϽ. LVIII. τῶν μὲν οὖν ἀπλανῶν, inquit, ἀστέρων ἀκατάληπτον εἶναι τὸ πλῆθος, τὰ δὲ πλανώμενα ταπεινότερα τῶν ἀπλανῶν. τετάχθαι δὲ τὰ μὲν ἀπλανῆ ἐπὶ μιᾶς ἐπιφανείας, ὡς καὶ ὁρᾶται, τὰ δὲ πλανώμενα ἀπ' ἄλλης καὶ ἄλλης φορᾶς. Ptolemæus, Hipparchus, eosque sequuti effigies XLVIII. formantes, mille viginti duas numerare se profitentur, visu notabiles; non negantes interim alias esse non paucas, forma minimas, luce claritateque nostris oculis indiscrete conspicuas. Stellæ mihi non infinitæ, sed innumerabiles. Testatur non uno loco Sacra Scriptura eas ab homine numerari non posse. Genes. cap. XV, 5. XXII, 17. XXVI, 4; Deuteron. I, 10. X, 22; Iirmias cap. XXXIII, 22; Nahum III, 16; Paullus epist. ad Romanos cap. IV, 18. & alibi. Veteres etiam Philosophi negant Siderum Inerrantium numerum à mortalibus iniri posse; legendi Plato in Timæo: Aristoteles lib. de Mundo ad Alexandrum, & lib. II. de Cœlo text. 61; Seneca lib. VI. Nat. Quæst. cap. XVI. Vnius enim DEI stellas putare, David Psalmo CXLVII, 4. Nam quis credat omnes videri posse? Quanto quisque acutius intuetur, tanto plures videt; oculis lynceis & acerrime cernentibus aliquas semper occuli omnino censendum: quæ mens est Augustini lib. XVI. de civit. Dei, cap. XXIII. Quot etiam alius cœli plagæ ἡμῖν ἄσεργα, & nostros fugientia visus Sidera: ut Manilio utar. Videndus Macrobius lib. I. in Somnium Scipionis cap. XVI. Qui loca australia sæculo nostro navigarunt, multas supra vulgo notas, & inter eas aliquot primæ magnitudinis & lucidissimas ibi se conspexisse adfirmant.

Sacræ Scripturæ innumerabiles Stellæ.

Classes Stellarum secundum Magnit.

Qui porro certum Siderum numerum deprehendisse se volunt, eadem in sex secundum Magnitudinem Classes distribuerunt. Primæ Magnitudinis vocarunt quarum Diametros apparens est Scrupulorum octo; Secundæ, sex; Tertiæ, quatuor; Quartæ, trium; Quintæ, duorum; Sextæ denique, Scrupuli unius. Primæ Stellas recensent XV; quarum tantam tradunt molem, ut Terra sint vastiores centies septies cum undecim sexagesimis quartis. Secundæ, XLV; Terram superantes octogies fere septies. Tertiæ, CCVIII; septuagies bis cum triente fere Terra immaniores, Quartæ, CCCCLXXIV; Terram excedentes quinquagies quater & ejusdem semisse, vel paullo amplius. Quintæ, CCXVI; Terram tricies semel vincentes. Sextæ denique L; Terra majores decies octies, & paullo amplius. His addunt Ἀμαυροὺς IX, Νεφελοειδεῖς V. De Siderum Magnitudine plura Ptolemæus lib. V. Plinius lib. II. nat. histor. cap. XI. Macrobius lib. I. in Somn. Scip. cap. XVI. Vitell. Optic. lib. X. proposit. LIX.

Cap.

Cap. XVIII.

De Signis Cælestibus universim.

Fixorum divisio.

Signa.

FIxorum Siderum alia σύνθετα, alia ἀσύνθετα: hæc quæ non eo collocata modo, ut Configurationem faciant: unde & Græcis ἀμόρφωτα, quorum nulla ἀστροθεσία: illa vero, quæ ex pluribus sibi vicinis composita certas constituunt Imagines. Græci vocant ἀστερισμοὺς; Ἄστρα nonnullis nominantur, Ἄστρον volentibus esse σύστημα τῶν ἀστέρων, signum ex Stellis coactum, quod tamen non est perpetuum: Σχήματα Ptolemæus appellat; & Μορφώσεις idem lib. IV. Τετραβίβλου, cap. περὶ τῶν μὴ νεμίμων γαμων: *Signa* Lucretius, Virgilius, Horatius, Ovidius, Plinius, alij: Manilius & Hyginus *Formas* & *Corpora*: *Constellationes* non inepta voce dicuntur vulgo.

Nomina Signis imposita.

ante aliquot secula.

Nomina Signis his indita ex notarum rerum vel figurarum similitudine. Nam absit, ut credamus hæc talia purissimis locis immorari. Consilium hoc non nuperum, neque quod χθὲς καὶ πρώην natum, sed ex veterum Astronomorum doctrina desumtum. Πλειάδες, Ὑάδες, Ὠρίων, Ἀρκτοῦρος nominantur ab Homero & Hesiodo: & quæ non ab Arato, quem floruisse constat circa Olympiadem CXXIV; annis ante Christum natum fere CCC? Quin & in historia Sacra, quæ Monumentorum omnium antiquissima, Nominum Astris impositorum fit mentio. Hijobi cap. IX, 9. *Faciens Arcturum* (עש) *Oriona* (כסיל) *& Hyadas* (וכימה) *& plagas Australes* (וחדרי תמן) Græci; ὁ ποιῶν Πλειάδα, καὶ Ἕσπερον, καὶ Ἀρκτοῦρον, καὶ ταμιεῖα Νότου. *Arcturum* vertunt plerique; Aben-Hezra putat esse Ἄρκτον & Ἄμαξαν: videtur esse generalius quid, Stellarum congregatio, ab עוש *Congregare*, nulli Formæ convenientius, quam Ursarum Majoris Minorisque cum implexione Draconis; quæ juxta Polum Arcticum. Sic ejusdem Hijobi cap. IV, 19. *Conterent eos, donec fuerit Arcturus* (לפני־עש) Rabbi David in libro Radicum vertit, *Omni tempore, quo Arcturus movet*, id est semper. Hieronymus: *consumentur, velut à tinea.* Ibidem cap. XXXVIII, 32. *Numquid producis Luciferum in tempore suo, & Arcturum* (ועיש) *cum filijs ejus* (id est minoribus Stellis) *duces eos?* Hieronymus: *Et Vesperum super filios terræ consurgere facies.* כסיל secundum Hieronymum *Orion*, ab inconstantia; juxta quosdam, quod ejus ortus tempestatibus Orbem varie turbet. Sic Ieschah. XIII, 10. *Quia Stellæ Cælorum & Oriones eorum* (וכסיליהם, Hieronymus, *& Splendor eorum*) *non expandent lumen suum.* Sunt qui Ὑάδας seu *Suculas*, voce non abludente, censent esse; quod fortean voluit & Rabi-Ionah, quum Arabice סהיל scribit appellari, כימה apud Hijobum vertit Hieronymus *Hyadas*; Rabi-Ionah σύστημα vult esse Stellarum, quod Arabice אלתריא, Græcis Ἀρκτοῦρος, quemadmodum & vocem hanc interpretatur Hieronymus Hamos cap. V, 8. Aben-Hezra in Hijobi cap. XXXVIII, 31. memoriæ prodit כימה antiquis esse septem Stellas in fine Arietis (non in Ariete, sed in Tauri sunt dorso) ex quibus sex conspicuæ, à Latinis *Septemtriones* dici solitas, sibi vero videri Stellam esse magnam (primæ est magnitudinis) quæ Oculus Tauri sinister חדרי תמן *interiora penetralia*: *Ταμιεῖα Austri*, id est, Astra Meridionalia; sic dicta, quod occultentur & non videantur ab his, qui nostrum habitant hemisphærium. Celebrat Vir Sanctus DEUM conditorem Astrorum: tam quæ Meridionalia, nostros fugientia vultus, quam Septemtrionalia, nostris obversantia perpetuum oculis. Quæ omnia probant novum nequaquam esse commentum, Stellas in certas effigies partiri. Plinius lib. II. natur. histor. cap. VIII. scribit, Signis primum nomina posuisse Cleostratum; quod an verum, alijs investigandum relinquo.

עש עש quid. **כסיל** **כימה** **כימה** **חדרי תמן**

Cap. XIX.

Signorum in Zodiaco Syllabus; multiplex distinctio, Situs, Præfectura.

Signa Zodiaci XII.

in minores partes dividuntur.

SIGNORVM alia in Zodiaco; alia extra eundem. Ibi sunt duodecim, quæ Ζώδια Græcis (causam alias indicavi) & δωδεκατημόρια, quod partes sint lati Circuli duodecimæ. Eorum quodque dispescitur in XXX. gradus; qui additi conficiunt CCCLX: horum quilibet tribuitur in minutias Primas LX; Primæ in partes abeunt Secundas; hæ in totidem Tertias; Tertiæ in Quartas, & sic deinceps. Signorum autem Zodiaci nomina sunt hæc: Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Ordine suo sic describit Manilius lib. I:

Nomina.

Aurato princeps Aries in vellere fulgens,
Respicit admirans adversum surgere Taurum,
Summisso vultu Geminos & fronte vocantem.
Quos sequitur Cancer, Cancrum Leo, Virgo Leonem.
Æquato tum Libra die cum tempore noctis
Attrahit ardenti fulgentem Scorpion astro.
In cujus caudam contentum dirigit arcum
Mistus Equo volucrem missurus jamque Sagittam.
Tum venit angusto Capricornus sidere flexus.
Post hunc inflexam defundit Aquarius Vrnam
Piscibus adsuetas avide subeuntibus undas.
Quos Aries tangit claudentes ultima Signa.

Operæprecium committere hæc cum descriptionibus, partim M. Tullij in Aratum, ejusque fratris Q. Ciceronis, partim Senecæ in Thyest. Choro Act. IIII. & undecim Scholasticorum Poëtarum, quæ leguntur in Appendice Virgiliana, Iuliani, Hilasij, Palladij, Asclepiadei, Eusthenij, Maximiani, Vitalis, Basilij, Asmeni, Vomani, Euphorbi; nam Pompeiani, qui duodecimus, carmen perijt.

I. Aries.

I. *Aries*, Κριὸς; *Signorum Princeps* Manilio & Palladio, Asclepiadeo *Astrorum ductor*, *Nubigenum Iuvenum vector* Maximiano, *Dux gregis* Vomano, *Corniger* Vitali, *Proditor Helles* Hilasio, *Laniger* & *Celer* Festo Avieno; *contorta cornua* imponit Cicero. Quamvis in Circulo nihil primum, nihil postremum; primus tamen plerisque nominatur: quod, ut nonnulli volunt, incipiente illo die, qui primus omnium Vniverso illuxit, in medio Cœli, quod quasi Mundi Vertex, fuerit, scribente Macrobio lib. I. in Somnium Scip. cap. XXI. Tendens ad Occasum, caput ad Ortum convertit. Occidit à primis pedibus; exoriens caput tenet infra Triangulum collocatum, inquit Hyginus. Stellas habet XIII; extra formam V. Nota ejus ♈, Arietis referens caput cornutum.

II. Taurus.

II. *Taurus*, Ταῦρος; *Corniger* M. Tullio, Festo Avieno & Vitali, *Iuvencus* Asmeno, *Florum prænuncius* Q. Ciceroni, *Europæ Vector* Basilio, *Proditor Europæus* Hilasio. Spectat Ortum. Aversus τῇ ἀποτομῇ oritur & occidit. Stellarum est XXXIV. Extra formam adsident XI. Character ejus ♉, Caput bubulum. Bene Manilius lib. I. Astronom.

Pleiades Hyadesque fieri pars utraque Tauri.

Nam *Hyades* τὸ βούκρανον huic Signo efficiunt: *Pleiades* vero circumcæsuram vel ἀποτομὴν, qua Taurus finit. Est enim, ut & Equus ἡμίτομος: unde male Manilius Tauro Clunes tribuit; imprudentius cum Plinio Vitruuius Caudam, quum tamen hic eumdem paullo ante inchoatum καὶ ἡμιτελῆ fecisset. Paucis dicam de utrisque distinctius.

Pleiades, unde dictæ Græcis.

Πλειάδες, quæ Musæo Atlantis, (unde & *Atlantides* apud Virgilium lib. I. Georgic.) & Pleiones; Pherecydi apud Athenæum Lycurgi filiæ: dicuntur vel à Pleione matre, ut vult Ovidius lib. V. Fastor. ἀπὸ τοῦ πλεῖν, quod ortu suo navigationis tempus indicent; Servius ad I. Georgic. Videndus & Vegetius lib. IV. de re militari cap. XXXIX. vel ἀπὸ τοῦ πλείστου, quasi πλείονες, quod plures simul, Isidorus lib. III. cap. LXX. Sic D. Gregorius in Hijob. lib. XXIX. cap. XXVII. *Pleiades*, inquit, *Stellæ* ἀπὸ τοῦ πλείστου, *id est, à pluralitate vocatæ sunt; ita vicinæ sibi & divisæ sunt conditæ, ut & si-*

& simul sint, & tamen conjungi nequaquam possint; vel denique ὅτι πλησίον ἀλλήλων, ut in Aratum Theo. notat. Latinis *Vergiliæ*, (Agell. lib. XIII. noct. Attic. cap. IX.) quod verno tempore oriantur, Bassus Comment. ad Germanicum Arati Paraphrasten; Servius ad lib. I. Georgic. Isidor. lib. III. cap. LXX. *Athoraie* nonnullis, corrupta voce Arabica. אלתוריא Rabi-Ionah putat esse σύστημα Stellarum, quod Hebræis כימה apud Hijobum cap. IX, 9. Legenda quæ notavi cap. præcedente. Numero sunt (inter Tauri finitionem corporis, inquit Hyginus, & Arietis Caudam) septem: sex cum alijs contendit esse Proclus. Sed nulla ἐναντίωσις: nam *Septem dici, Sex tamen esse solent*, ait Ovidius; ut & Aratus ἐν Φαινομένοις:

Vergiliæ Latinis.

Athoraie Arabice.

Numerus.

Ἑπτάπορoι δὴ ταί γε μετ' ἀνθρώπους ὑδέονται,
Ἓξ οἶαι περ ἐοῦσαι ἐπόψιαι ὀφθαλμοῖσιν,
Οὐ μέν πως ἀπόλωλεν ἀπευθὴς ἐκ Διὸς ἀστήρ.

Eduntur ab eodem ejusque interpretibus nomina:

Nomina.

——— ἑπτὰ δ' κεῖναι ἐπιρρήδην καλέονται,
Ἀλκυόνη, Μερόπη τε, Κελαινώ τ', Ἠλέκτρη τε.
Καὶ Στερόπη, καὶ Τηϋγέτη, καὶ πότνια Μαῖα.

Earum splendidissima perhibetur Maia, scribente Servio ad VIII. Æneidos, ut non immerito Epitheto decorata; πότνιας, ut jam auditum ex Arato, *Sanctissimæ* Ciceroni, *Formosæ* Germanico & Festo Avieno: sic enim apud hunc non *famosa* legendum. Quidquid sit de Numero, certe nihil aliud sunt, quam Ἀστέρων συστροφή. Nam ὀλίζωνες, ut eas vocat Nicander, ἤλιθα φορέονται, καὶ

Minimo conglobatæ spatio.

——— οὐ μάλα πολλὸς ἁπάσας
χῶρος ἔχει. ———

inquit Aratus; & quasi in se jacent confertæ & conglobatæ, ut minimum spacium occupent. Et hinc *Sidus paruo glomerabile*, Manilio lib. IV. ubi de Tauro. *Densos* eorum *greges* nominat Seneca in Medea, Act. I. Choro:

Sic cum Sole perit Sideribus decor,
Et densi latitant Pleiadum greges.

Spissum ignem tribuit Propertius lib. III. Eleg. IV:

Quur serus versare boues & plaustra Bootes,
Pleiadum spisso quur coit igne Chorus?

adeo ut propter συνδρομὴν hanc putatæ Veteribus Choream, quod notat Hyginus, ducere: quam capta Troia, deseruisse, & ab Sororum exsultantium consortio se subduxisse fingitur Electra; ne lascivire videretur in publico luctu. Hinc *Chorus Pleiadum* non solum apud Propertium, ut jam audiimus, sed & apud Horatium lib. IV. Carminum, Ode XIV:

Chorea.

Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster, Pleiadum choro
Scindente nubes. ———

Proclus Comment. quem in Opera & Dies Hesiodi scripsit, Πλειάδας Sphærarum Inferiorum Animas esse nugatur; quod Κελαινώ Saturni, Στερόπη Iovis, Μερόπη Martis, Ἠλέκτρα Solis, Ἀλκυόνη Veneris, Μαῖα Mercurij, Ταϋγέτη denique Lunæ. Absurdiora addunt nonnulli, alias cum suis Planetis, alias cum alijs Dijs rem habuisse; quod indicat Ovidius lib. IV. Fastorum:

Animæ Inferiorum Sphærarum.

Concubitus.

Pleiades incipient humeros relevare paternos,
Quæ Septem dici, Sex tamen esse solent.
Seu quod in amplexus Sex hinc venere Deorum,
Nam Steropen Marti concubuisse ferunt.
Neptuno Alcyonen: & te formosa Celeno;
Maiam, atque Electram, Taygetenque Iovi.
Septima mortali Merope tibi Sisyphe nupsit:
Pœnitet: & facti sola pudore latet.

Vt concludam, Athenæus lib. II. docet Πλειάδας ab Æschylo, Pindaro, Simonide, Πελειάδας, id est Περιστεράς, *Columbas* etiam nominari. Sufficiat audisse Simonidem: Ἔπικτο δ' Ἄτλας ἑπτὰ ἰοπλοκάμων φίλαν θυγατέρων τὰν (Μαῖαν) ἔξοχον εἶδος. αἳ καλέονται Πελειάδες οὐράνιαι. Neque alio respicit Homerus, quum in descriptione Scyphi Nestorei Πελειάδας, *Columbas*, Iovi canit Ambrosiam pocillari; Πλειάδας intelle-

Πελειάδες etiam vocatæ quondam.

intellegens. Quod autem ab harum circumvolutione descriptus olim quibusdam Græciæ populis annus, πλειὼν inde solet appellari; quemadmodum videre est apud Theon. in Aratum.

Hyades, unde dictæ.

Ὑάδες, quæ in capite Tauri, Musæo Atlantis & Æthræ, nonnullis Erechthei, quibusdam Cadmi filiæ; dictæ censentur, vel ab vnico fratre Hya, quem ab Leæna laniatum sic scribuntur deflevisse, ut ab eo nomen sortitæ, & Astris ob pietatem inlatæ, Eustath. in Homeri Iliad. σ. vel ἀπὸ τοῦ ὕειν, quod ortu suo prænuncient pluvias, M. Tullius II. de Nat. Deor. *Has Græci Stellas Hyades vocitare consueverunt à pluendo.* Ovidius v. Fastor.

Ore micant Tauri septem radiantia flammis;
Navita quas Hyades Graius ab Imbre vocat.

Et hinc *Tristes* Horatio lib. I. Carminum, Oda III. Vel ab littera Υ, quam ordine suo situque formant. Eustath. in Iliados σ: Αἱ δὲ Ὑάδες, ἐπὶ τοῦ Ταύρου κεῖνται κεράτων: ἢ διὰ τὸν ἀδελφὸν Ὑάντα οὕτω κληθεῖσαι; ἢ διότι τῷ Υ στοιχείῳ παρεμφερεῖς εἰσιν. Vbi & Ὑάδες dicuntur Βάκχαι καὶ Δωδωνίδες. Sunt enim etiam, qui Hyades putant appellatas ab Hye Baccho, cujus perhibentur fuisse nutrices; Apollodorus lib. III. Latinis *Suculæ*, notantibus Servio ad I. Georgic. & Isidoro lib. III. Etymolog. cap. LXX. Rationem nominis notant Agell. lib. XIII. cap. IX. & apud eum Tiro Ciceronis libertus, quamquam falsam: *Succulæ* Servio ad finem I. Æneid. à succo. *Sidus Palilicium* olim Romanis, ab Vrbis Natali die, teste Plinio lib. XVIII. natural. histor. cap. XXVI. De Numero parum convenit inter Veteres. Duas Thales Milesius putavit, quarum una Borealis, Australis altera; Tres Euripides in Phaëthonte; Quatuor Achæus: Quinarium numerum tuentur Musæus & Hesiodus; Senarium edit Proclus; Septenarium denique Aratus ejusque Interpretes, item Ovidius v. Fastor. & Hyginus in Astronomic. agnoscunt. Vere cum Musæo Hesiodus (neque enim plures quinque) cui hæc illarum nomina:

Suculæ, Latinis.

Sidus Palilicium.

Hyadum Numerus.

Nomina.

Φαισύλη, ἠδὲ Κορωνίς, ἐϋστέφανός τε Κλέεια.
Φαιὼ θ' ἱμερόεσσα, καὶ Εὐδώρη τανύπεπλος;
Νύμφαι, ἃς Ὑάδας καλέουσιν φῦλ' ἀνθρώπων.

Oculus Tauri.

λαμπαδίας.

Alijs alio modo nominantur. Certe inter Hyadas, quæ Orionis clypeo proxima, الدبران Arabibus; *Oculus Tauri*, nobis ab situ vocatur; λαμπαδίας Græcis ab insigni splendore: est enim primæ magnitudinis.

III. Gemini.

III. *Gemini*, Δίδυμοι; *Fratres* Iuliano, *Tyndaridæ* Palladio & Basilio, *Sidus geminum* Asclepiadio, *Spartana Soboles*, *Prolesque Tonantis egregia* Festo Avieno, *Ledæ Soboles* Eusthenio, *Proles duplex Iovis* Maximiano & Asmenio, *Pares* Vomano, *Geminum Astrum* Columellæ. Occasum spectant. Occidunt directi à pedibus; exoriuntur inclinati ut jacentes: juncti quasi vinculo, quod *Virgula* Manilio lib. IV. & *Linea*, ut etiam Firmico in Myriogenesi partium, Græcis γραμμή: Stellis fulgent XIIX; extra formam illis VII: quæ pedes illorum præcedit, Πρόπους Græcis vocatur, ut notant Geminus, Proclus, Hyginus: ὁ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, secundæ magnitudinis Arabibus, راس الجوزا ראש אלגוזי *Caput geminorum*. Alter geminorum dicitur Ἡρακλῆς, alter Ἀπόλλων; Arabice *Abracaleus* & *Aphellan*, vocibus fere Græcis. Nam corrupte vulgo *Abracaleus* & *Avellar*. Nota II, corpuscula duo, consertis & brachijs & cruribus.

Πρόπους.

IV. Cancer.

IV. *Cancer* (à quo multis olim numerandi Signa Zodiaci initium: Cicero Arati sequens ordinem:

AEstifer est pandens ferventia Sidera Cancer)

καρκῖνος; *Nepa torrida flammis* Maximiano; *Aquatile Signum* nominat Iulianus, *Aquarum Alumnum* Asmenus; *fervida Brachia* tribuit illi Palladius, *torridum ignem* Eusthenius; *adustum* canit Vitalis, *Sole perustum* Basilius, *AEstus comitem* Vomanus, *AEstiferum* Tullius, *calentem* denique Euphorbus. Ortum spectat. Occidit & oritur posteriore corporis parte. Stellis insignitus XIII; extra formam IV. Duæ quæ in dorso ὄνοι Græcis apud Proclum & alios, magnitudinis quartæ; Latinis *Aselli*, quod notat Plinius lib. XIIX. cap. ultimo: quæ vero non procul inde νεφελοειδής, nubeculam referens, συστροφή; Græcis φάτνη, quemadmodum indicant Asterismi, Geminus & Proclus; *Præsepe* Latinis, Plinius ibidem. ejus Character ♋, depravati ut vult Scaliger, Cammari figura.

Aselli.

Præsepe.

V. *Leo*,

V. *Leo*, Λέων, אלאסד الاسد; *Flammiferum* facit Avienus, *Æstiferum* Maximianus; *Tremulam quatiens è corpore flammam* est apud Ciceronem: alij alijs ab Animalis natura petitis notant Epithetis. Occasum spectat. Capite occidit & oritur. Sideribus distinctus XXVII; extra formam VIII. Illorum, quod clarum & primæ magnitudinis in ejus corde, Καρδία Λέοντος ab loco Græcis appellatur, testibus Gemino & Proclo, *Cor Leonis* Βασιλίσκος in Asterismis Hipparchi, *Regulus*, quod sub ea natis, notante Proclo, regiam plurimum adferant Astrologi indolem, abjectissimæ licet fortunæ: quod in extrema cauda, ἐπ' ἄκρας τῆς οὐρᾶς inquit Hipparchus, itidem ab loco οὐρὰ Λέοντος, *Cauda Leonis* dicitur; Arabibus ذنب الاسد דנב אלאסד. & hæc primæ classis Stella. Inter eas quæ circa Leonem ἀμόρφωτοι, ἡ μεταξὺ τῶν ἄκρων τοῦ Λέοντος καὶ τῆς Ἄρκτου νεφελοειδὴς συστροφὴ καλουμένη, ait in Asterismis Hipparchus, Πλόκαμος. Βερενίκης crinem, ut Plinio (imprudenter eam Meridionalibus formis adscribenti) lib. II. cap. LXX. vocatur, designat. Πλόκαμος item & συστροφὴ τοῦ πλοκάμου nominatur Ptolemæo Astronomo; vulgo *Trica*. Berenice, quum Ptolemæus Euergetes, frater idemque conjux, expeditionem satis periculosam adversus Assyrios susciperet, vovit, si salvus domum rediret, se crinem detonsuram: reverso, voti rea comam abscissam Veneri consecravit; in cujus templo quum postridie non appareret, Conon Mathematicus regis ferentis id ægre, gratiam per adulationem captans, inter Sidera sublatam ostendit. Carmen hac de re scripserat Callimachus, cui Euergetes propter singulare bonarum artium studium Numinis erat instar. Sed temporis injuria periit: quale fuerit, ostendit Catullus, qui Latinum fecit. Fragmentum Græci Poematis exstat apud Theonem Commentario in Aratum. Quum enim hic dixisset Stellas aliquot ad Virginis Sidus sparsas esse, quæ nomine carerent & ἀμόρφωτοι; addit: οἱ δ' ἠλακάτην αὐτοὺς λέγουσι. Κόνων δ' ὁ Μαθηματικὸς Πτολεμαίῳ χαριζόμενος Βερενίκης πλόκαμον ἐξ αὐτῶν κατεστήρισεν. τοῦτο καὶ Καλλίμαχός που φησιν,

> Ἠ δὴ Κόνων μ' ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
> Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

Quæ sic feliciter vertit Latinus ille:

> *Idem me ille Conon cœlesti lumine vidit,*
> *E Bereniceo vertice Cæsariem,*
> *Fulgentem clare: quam multis illa Deorum*
> *Levia protendens brachia pollicita'st.*

Character autem Leonis ♌, qui nihil aliud quam ejus cauda.

v. Leo. — *Cor Leonis. Regulus.* — *Cauda Leonis* — *Cæsaries Berenicis.*

VI. *Virgo*, Παρθένος: *Innubam* scribit Iulianus; *Sanctam* vocat Hilasius; *Almam* Palladius, Eusthenius, Euphorbus; *Iustam* Maximianus, Vitalis, Asinenius; *Piam* Vomanus: *Optimam* Basilius; *Atticam* Festus Avienus. Putatur Hesiodo Jovis & Themidis: Arato Astræi & Auroræ filia, cognomine *Iustitia*; alijs alia. Occidit capite prius, quam ceteris membris. Stellis describitur XXVI; adlocatis extra formam VI. Illarum, quæ ἐπὶ τῆς ἀριστερᾶς ἀκροχειρίου fulgida & primæ magnitudinis, Στάχυς Hipparcho in Asterismis, Gemino & Proclo dicitur; *Spica* Latinis apud Hyginum & Iulium Firmicum: unde & Virginem canit Asclepiadius, quæ *Spicea munera gestat*, sic Aratus,

> —— ἥ ῥ' ἐν χερσὶ φέρει Στάχυν αἰγλήεντα:

M. Tullius ejus παράφρασις.

> *Spicum illustre tenens splendenti Corpore Virgo.*

Arabica dictio, qua vocatur hodie Spica, corrupta est; emendanda fortean ex conjectura magni Scaligeri (cui vocum Arabicarum restitutionem acceptam lubens refero) الصماك אלצמאח Scribit idem in lib. V. Manill. Arabes etiam appellare Stellam hanc Ἀτρακτυλλίδα, hoc est *fusum*; tamquam *fusus* sit, non *Spica*, quod gestat Virgo: Nam אלעזל τὸ νῆθρον significare. Quæ ad dextram Virginis alam Stella Προτρυγητὴρ Græcis nominatur ut notant Asterismi, Proclus, Hyginus, alij; *Prævindemiator* Latinis: videndi Plinius lib. XVIII. nat. hist. cap. XXVI. & XXXI. Columella lib. XI. de re rust. cap II. apud quos τρυγητὴρ & *Vindemiator*. Nota Virginis ♍, Ala, quæ illi duplex. Fingitur enim, nomine nota *Iustitiæ*, scelera mortalium aversata in Cœlum evolasse.

VI. Virg. — *Spica* — *Prævindemiator.*

VII. *Libra*, Σταθμὴ nunc, quæ prius χηλαί: sub configuratione quomdam habita Scorpij, quem ob magnitudinē posteriores Astronomi in duo partiti sunt domicilia: alio

VII. Libra.

alio enim tendunt brachia; alio corpus, cauda, aculeus. Hinc quod χηλαὶ Scorpij in Libra consumantur, illæ pro hac sæpe leguntur positæ. *Momen* Manilio voce Lucretiana, *Momentum* nuncupatur Eusthenio, *Æquale Iugum* Euphorbo, *Trutina* Basilio. Stellarum est XIII. quarum quæ in medio jugo, de quo lances dependent, quæque in lance versus Virginis pedes; stellæ sunt secundæ Magnitudinis. Character ♎, Ζυγὸς ut Aristoteles vocat, *Iugum* cum *Ansa*, quæ λαβὴ Græcis, in qua Examen versatur.

VIII. Scorpius. VIII. *Scorpius*; Σκορπίος; *Cauda Animal quod dirigit ictum* Iuliano; *Chelæ minaces* Asclepiadio; *flagrante minax cauda* Lucano lib. I; *violentus acumine caudæ* Hilasio; *cauda timendus adunca* Eusthenio; *violenta cuspide sævus*; Maximiano; *nigrumque gerens in acumine virus* Vitali; *armatus veneno* Basilio; *gerens lethale venenum* Asmeno; *minitans ictu* Vomano; *cauda venenifer unca* Euphorbo. Occasum spectat. Oritur erectus. Occidit curvo corpore inclinatoque capite. Stellis delineatur XXI. adpositis extra formam III.

Cor Scorpij. Quæ secundæ magnitudinis in pectore, *Cor Scorpij* Latinis, Ἀντάρης Græcis, ut notat in Asterismis Hipparchus; Arabice dicitur קלב אלעקרב قلب العقرب.

Cauda. In extrema cauda positæ nomen ab loco; ubi etiam

Aculei. duæ, quas vocant Astronomi Scorpionis *Aculeos*. Nota ♏, quid velit notum.

IX. Sagittarius. IX. *Sagittarius*, Τοξότης; *Arcitenens* Festo Avieno; *Sagitti potens* Ciceroni ad Aratum. & ejus fratri Q. Tullio; *Sagittifer* Hilasio & Basilio; *Senex Chiron* Senecæ in Thyeste Act. IV. Choro, & Palladio, ex Theocrito cui γέρων χείρων; *Semifer Arcipotens* Maximiano; *Centaurus biformis* Vitali; *geminus Chiron* Asmeno; *Armatum arcu* facit Iulianus: *arcu pollentem* Asclepiadius; *arcuminacem* Euphorbus. Spectat ad occasum. Præceps occidit; oritur directus. Stellarum est XXXI.

Corona. Ante pedem ejus Stellæ sunt in rotundam formam digestæ, quas Coronam, ejus ut ludentis abjectam, putant, Hygino scribente. Signum ♐, quid signet est clarum.

X. Capricornus. X. *Capricornus*, Αἰγόκερος; *humidus Ægoceros* Lucano libr. IX; *Corniger Hircus* Iuliano; *Scissi gutturis Hircus* Asclepiadio; *Caper æquoris* Eusthenio; *Æquoris Hircus* Vomano; *Corniger æquoris alti* Asmenio; *Neptunia proles* Euphorbo. *gelidum* vocat Seneca in Thyeste; *aquosum* Maximianus; *setosam speciem* tribuit Avienus; *Corpus semiferum & os ferum* Cicero; *Pelagi procellam* hic nominat Vitalis. Spectat ad Occasum. Occidit præceps; oritur directus. Stellas habet XXVIII:

Cauda Capri. quarum quæ in radice Caudæ, magnitudinis tertiæ, nominatur Arabice דנב אלגדי ذنب الجدي *Cauda Capri*. Ejus nota ♑, extrema cauda Piscis convoluta, in quam hic Asterismus desinit.

XI. Aquarius. XI. *Aquarius*, Ὑδροχόος vel Ὑδροχεὺς; *Fusor aquæ* Iuliano: *Puer Armiger* Hilasio; *Iuvenis gestator aquæ* Palladio; *Vrnam Nimbiferi* nominat hic Asclepiadius: *Deucalionis aquas* Vomanus; *Auratam Vrnam* tribuit Avienus; *Troianus puer* dicitur Eusthenio; *delectusque Iovi puer* Asmeno; *Quisquis es* Senecæ, ab ritu, quo, dubitantes de certo alicujus numinis nomine, Romani Deos compellabant. Ortum spectat. Occidit & oritur capite prius, quam reliquis membris. Stellis fulget per se XXII, & cum effusa Aqua XLII: quarum quæ postrema in ore Piscis meridionalis, primæ magnitudinis, corrupta voce Arabica nuncupatur hodie *Fomahant*: quum sit, indicante mihi Scaligero,

Os Piscis. פום אלחות فم الحوت, *Os Piscis*. Est enim στόμα τοῦ ἰχθύος, τοῦ λεγομένου Νοτίου μονάζοντος; ut videatur ex Antiquorum mente: Sidus hoc referendum potius ad Piscem Meridionalem & Solitarium, quam ad Aquarij ἀστερισμὸν. χύσιν ὕδατος Græcis etiam ob amfractus Ἀπεδόνην fuisse dictam, docet, quamvis corruptus, Vitruvius lib. IX. cap. VII: *Arieti & Piscibus Cetus est subjectus, à cujus crista ordinate utrisque Piscibus disposita, est tenuis fusio Stellarum, quæ Græce vocatur ἑρμηδόνη*. Emendandum enim, magno monente Scaligero, Ἀρπεδόνη. Subscribit huic sententiæ Hesychius: Ἀρπεδόνη, inquiens, τῶν ἀμυδρῶν ἀστέρων χύσις. Obscuras, vel potius imbecillioris lucis, appellat: quod omnes sint vel quartæ vel quintæ magnitudinis; excludens, quæ ἐν στόματι τῶν ἰχθύος primæ classis; Piscis Notij formæ potius, ut dixi, adnumeranda.

Vrna. Stellæ porro quatuor, quæ Aquario in summa dextra Κάλπης Græcis, ut scribit Proclus: Latinis Vrnæ nomine sunt notæ. Character huius formæ ♒, Aquæ fusio, Ἀμόρφωτοι hic III.

XII. Pisces. XII. *Pisces*, Ἰχθύες *Supremos* nominat Palladius: *ultima Cæli Sidera* Seneca in Thyeste: *Postremam figuram* Vomanus; *Sidus Aquosum* Vitalis; quibus denique *Vltimus*

ordo

ordo datur ab Euphorbo. Ambo vocantur Βομβυκίαι; quod, quamvis corruptior, notat Festus Avienus. Alter Νότιος, alter Βόρειος appellatur: hic (proprio nomine nonnullis etiam χελιδονίας, quod in ejus μεταφρένῳ caput hirundininum ei adfingant Chaldæi; Vir magnus putat inde, quod, quum Sol in extremo est Pisce, Hirundo incipiat videri, quæ Veri præludit) inter Æquinoctialem & Æstivum Circulum Arcticum polum spectat; ille, in Zodiaco Circulo extremo collocatus, occasum respicit. Oriuntur & occidunt inferiore parte. Stellæ numerantur in hoc Signo xxxv; extra formam iv. Quæ a Piscium Caudæ partibus sitæ Græcis dicuntur Λίνοι, ut videre est apud Proclum; Latinis *Lineæ* & *Lineolæ*, quibusdam etiam *Lina*; legendus Hyginus. suntque in Austrina Linea Stellæ ix, in Septemtrionali v. Præfulgens autem Sidus, quod ἐν ἄκρῳ τῷ λίνῳ, inquit Proclus, Συνδεσμος Græcis; Arato σύνδεσμος ὑπουράνιος, M. Tullio & Festo Avieno *Nodus Cælestis*; significare volentibus, quod notat de Cicerone Hyginus, Nodum hunc non solum Piscium, sed totius esse Sphæræ. Nota ♓, Pisces duo aduersi, oppositis dossellis cum vinculo.

Lineæ.

Nodus.

Non autem omnibus his Signis eadem est cum Zodiaco latitudo. Alia arctiore describuntur, alia spacio latiore. Tauri pes extra Zodiacum protenditur: Piscium Australior extra eumdem multum procedit. Vt imprudenter, nobilissimus ille cum genere tum eruditione, Picus Mirandulanus lib. vii. contra Astrologos, quum didicisset Zodiaci fasciam in xii. patere gradus, scripserit unumquodque Signum xii. graduum habere latitudinem; diffiniens hanc secundum Signorum latitudines, non Planetarum, quod debebat, προσηκόντως.

Zodiaci Signis non eadem cum Circulo latitudo.

Quid verò dicam de varijs Signorum cum apud alios, tum apud Manilium lib. ii. differentijs? Distinguuntur I. κατὰ τὴν φύσιν. Nam alia Ἀῤῥενικά: alterna ab Ariete: alia Θηλυκά ut reliqua.

Variæ Signorum Zodiaci differentias faciunt. *I φύσις,*

II. Κατὰ τὸ Εἶδος. Alia namque Λογικὰ καὶ Ἀνθρωποφυῆ, ut Gemini; Virgo, Libra, Aquarius: alia Ἄλογα καὶ θηριόμορφα; quorum Ἥμερα quidem, Aries & Taurus; Ἀνήμερα verò, καὶ Ἄγρια, Leo & Scorpius. *II εἶδος,*

III. Κατὰ τὴν Συζυγίαν. Dicuntur enim Δίδυμα, Bina: quorum quædam Disjuncta, Paria Latinis, Græcis σύζυγα, ut gemini se respicientes; Pisces adversantes sibi: quædam Concreta καὶ συμφυῆ, quæ etiam Δίμορφα & διφυῆ, ut Capricornus & Sagittarius. *III συζυγία,*

IV. Κατὰ τὴν Σχέσιν πρὸς τὰς ὥρας. Hæc in triplici sunt discrimine: partim Communia & Media, Græcis Δίσωμα; non à forma, sed ab effectu, quem habent duplicem. Contingunt enim & præteriti temporis finem, & principium sequentis. Proclus: Δίσωμα, οὐχ ὅτι ἐκ δύο συνέστηκε σωμάτων· ἀλλ᾽ ὅτι μεταξὺ δύο ὡρῶν ἐστι. Τοιαῦτα δέ ἐστι τὰ πάντα τῶν τελευταίων ὡρῶν. Vt sunt Gemini, qui adfectum Ver & ineuntem AEstatem; Virgo, quæ AEstatis finem & Principium Autumni; Sagittarius, qui Autumnum relinquit, Brumam excipit: Pisces, quorum alter consummat Hiemem, alter Ver sufficit. partim Cardinalia seu Mobilia, quæ quatuor Zodiaci Punctis Cardinalibus proxime succedunt: quorum duo AEquinoctialibus contigua, Ισημέρινα ut Aries & Libra; duo Solstitialibus proxima, Τροπικά, ut Cancer & Capricornus. partim denique Firma seu Solida, Στέρεα, Cardinalibus proxima, ut Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius. *IV σχέσις πρὸς τὰς ὥρας,*

V. Κατὰ τὸ Κῶλον. Alia enim Ἀποστρεφόμενα, Auersa; ut Taurus qui oritur clunibus, Gemini qui pedibus, Cancer qui testudine: alia Δρομαῖα, Currentia; ut Leo, Sagittarius, Aries: alia Κάμνοντα, Fessa: Taurus, Libra, Capricornus: alia Ὀρθοστάδια vel Ὀρθοστάδιστικα, Recta: Virgo, Gemini, Aquarius: alia denique Κατεῤῥιμμένα; Cancer, Scorpius, Pisces. *V τὸ κῶλον,*

VI. Κατὰ τὸ ἔχειν πρὸς τὸν Τόπον. Alia enim Ἡμερινά, Diurna; ut Aries, Pisces; Sagittarius, Scorpius: Leo, Cancer: alia Νυκτερινά Nocturna; ut Taurus, Gemini; Virgo, Libra; Capricornus, Aquarius. *VI τὸ ἔχειν πρὸς τὸν τόπον,*

VII. Κατὰ τὴν Δίαιταν καὶ Βίον. Alia namque Χερσαῖα; ut Taurus, Aries, Leo, Scorpius: alia Ὑδατώδη; Cancer, Pisces: alia Ἐπαμφοτερίζοντα vel Ἀμφίβια; Capricornus, Aquarius. *VII δίαιτα καὶ βίος,*

VIII. Κατὰ τὸ Πλεονέκτημα ἢ Ἐλάττωμα. Nam quædam sunt Πολύγονα vel πολύσπορα vel πολύτεκνα; Cancer, Scorpius, Pisces: quædam Ἄγονα, Στεῖρα vel Στειρώδη: Virgo, Leo, Aquarius: quædam denique Ἐπίκοινα; Capricornus, Sagittarius, Aries, Libra, Gemini, Taurus. *VIII πλεονέκτημα ἢ ἐλάττωμα.*

IX.

IX σχηματισμός.

IX. Κατὰ τὸν Σχηματισμόν. Nam vel considerantur ut Hexagona: ut hinc Aries, Gemini, Leo, Libra, Sagittarius, Aquarius; inde Taurus, Cancer, Virgo, Scorpius, Capricornus, Pisces. Vel Tetragona: ut Aries, Cancer, Libra, Capricornus; Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius; Gemini, Virgo, Sagittarius, Pisces. Vel Trigona: Aries, Leo, Sagittarius: Taurus, Virgo, Capricornus: Gemini, Libra, Aquarius; Cancer, Scorpius, Pisces. Vel denique Opposita: Aries, Libra; Taurus, Scorpius; Gemini, Sagittarius; Cancer, Capricornus; Leo, Aquarius; Virgo, Pisces.

X κλῖμα.

X. Κατὰ τὸ Κλῖμα. Alia enim Ἀρκτικὰ & Septemtrionalia, quæ ἡμικύκλιον Zodiaci ab Aequatore in Boream vergens constituunt, quorum Vernalia, Aries, Taurus, Gemini; Aestiva, Cancer, Leo, Virgo: alia Ἀνταρκτικὰ Austrina, quæ oppositum in meridiem prominens; horum Autumnalia, Libra, Scorpius, Sagittarius; Hiemalia vero Capricornus, Aquarius, Pisces.

Signorum Zodiaci situs & ἀστροθεσίαι;

Nominum rationes:

Caussæ, quas ob in Cœlum relata Sidera.

Jam Situs & Ἀστροθεσίας singulorum indicant (utinam, qua diligentia, fide) Aratus in Phænomenis, Hipparchus in Asterismis, Arati Interpretes M. Tullius, Germanicus & ad eum Bassus, Festus Avienus, Leontius; item Hyginus in Astronomico Poetico & alij: Nominum rationes aperiunt cum alij, tum Franciscus Georgius Venetus Canticorum I. Tomi VI. cap. XVIII. & Hannibal Rossellus ad Pymandrum Mercurij lib. IV. Comment. XI. Quæst. I. cap. II. & seqq. Caussas denique quas ob in cœlum relata hæc, & alia quæ extra Zodiacum (ut simul hoc moneam) explicanda succedunt Signa, fabulosas (Fabulis tamen veritatem aliquo modo obvelari certum) varie commemorant Musæus, Hesiodus, Asclepiades, Mnaseas, Pherecydes, Hegesianax, Eubulus, Hermippus, Leon, Alexander, Diogenetes, Pisander, Sositheus Tragœdiarum scriptor, Conon Samius Mathematicus, & alij apud Hyginum; nec non Ovidius in Fastis & alibi Plinius lib. II. & XVIII. Galenus orat. suasoria ad artes, Firmicus lib. II. Lucianus in Astrolog. Scholiastes Apollonij lib. II. Plurimus autem in Astronomicis Mythologijs fuit Eratosthenes, quod indicant ex illo laudata ab Grammaticis. Aratus fuit parcior. Hesiodum enim imitans intra fabularum licentiam, ex rancidis Mythologijs multa circumcidit & amputat. Elegans hac de re est Epigramma apud Achillem Statium:

Ἡσιόδου τόδ' ἄεισμα καὶ ὁ τρόπος· οὐ τὸν ἀοιδῶν
Ἔσχατον, ἀλλ' ὀκνέω μὴ τὸ μελιχρότατον
Τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο. χαίρετε λεπταὶ
Ῥήσιες, Ἀρήτου σύγγονοι ἀγρυπνίης.

Numina Signis præfecta.

Singulis Signis singula Pythagorici Numina præficiebant, testibus Macrobio lib. I. in Somnium Scipionis, cap. XXI. & Marsilio Ficino lib. IV. Theolog. Platonic. Ex qua secta Manilius lib. II. Astronomicωn:

Lanigerum Pallas; Taurum Cytherea tuetur;
Formosos Phœbus Geminos: Cyllenie Cancrum,
Iupiter, & cum Matre Deum regis ipse Leonem:
Spicifera est Virgo Cereris; fabricataque Libra
Vulcano; pugnax Mavorti Scorpius hæret;
Venantem Diana virum sed partis equinæ;
Ast angusta fovet Capricorni sidera Vesta;
Ut Iovis adversum, Iunonis Aquarius astrum est;
Agnoscitque suos Neptunus in æquore Pisces.

Signis adsignatæ regionum tutelæ.

Signis item hisce Regionum tutelæ solent adsignari, varie tamen ab varijs; quod uno Arietis exemplo demonstrasse sufficiat. Subjiciunt enim huic Ægyptij Babyloniam, & Arabiam AEgypto conterminam; Ptolemæus Britanniam, Galliam, Germaniam, Basterniam Palestinam; Hipparchus τοῦ κριοῦ δεξιῷ ὤμῳ Thraciam τῷ εὐωνύμῳ Babyloniam τῷ στήθει Armeniam, ταῖς πλευραῖς Arabiam, τῇ ῥάχει καὶ τῷ νώτῳ Persida, Cappadociam, Mesopotamiam, Syriam, Rubrum mare, &c. Manilius lib. IV. absurdissima αἰτιολογίᾳ præficit Arietem Propontidi, quod à Poetis Hellespontum tranasse fingatur. De reliquis nugis silentium esto. Præest omnibus unus DEVS.

Signorum Zodiaci cum Collateralibus duorum in ortu & occasu conspiratio.

Quæ vero Signa Collateralia cum XII. Zodiaci vel oriantur vel occidant; exponunt Aratus, Cicero Germanicus & ad eum Bassus, Festus Avienus; item Hyginus in Astronomico Poetico, & alij.

CAP.

CAP. XX.

De Signis Septemtrionalibus.

TALIA in Zodiaco Signa: quæ extra eum duplicis sunt generis, vel Septemtrionalia, quæ ab latiore fascia in Septemtrionem; οἱ κατὰ τὸ βόρειον ἡμισφαίριον: vel Meridionalia, quæ in Meridiem recedunt; οἱ κατὰ τὸ νότιον Ἀστερισμοί. Septemtrionalia sunt hæc:

Signa extra Zodiacum duplicis generis:

I. *Vrsa Minor*, Ἄρκτος μικρὰ. Ἄρκτος olim ἁπλῶς, μικρὰ cœpit appellari: quum quæ hodie μεγάλη, nomen Ἁμάξης exueret. Κυνόσουρα dicitur ab una ex Idæis Nymphis, Jovis nutricibus: ut vult apud Hyginum Agloasthenes Naxicorum auctor. Aratus:

Septemtrionalia; I. Vrsa minor. Cynosura.

Οἱ τὴν μὲν Κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι;
Τὴν δ' ἑτέρην Ἑλίκην.

Interpres ejus M. Tullius; loquens de duabus Arctis:

Ex his altera apud Graios Cynosura vocatur;
Altera dicitur esse Helice.

Φοινίκη nuncupatur, quod eam, monstrante Thalete, ut memoriæ prodit Herodotus Milesius, Phœnices & Pœni rei navalis peritiores inter navigandum, scribente Hygino, sequantur. Stellas habet VII: quarum quæ tertiæ magnitudinis in extrema cauda, ἐπ' ἄκρας τῆς οὐρᾶς, inquit Hipparchus in Asterismis, Arabibus appellatur. الركبة אלרכבה, Ἅμαξα, *Plaustrum*; nam & hoc nomen huic Schemati nonnumquam imponitur ut videre est apud Aratum ejusque Interpretes: quod autem eadem Stella Mundi sit proxima vertici, *Polaris* vel *Polus* indigetari solet, ut notat Hyginus. Nulla enim totius Stellarum chori vero Poli loco vicinior.

Φοινίκη. Altukaba. Polus.

II. *Vrsa Maior*, Ἄρκτος μεγάλη. Olim hæc Ἅμαξα Græcis, stellarum tantum VIII; quod Plaustro non videretur absimilis. Homerus Iliados Σ,

II. Vrsa maior. Ἅμαξα olim.

Ἄρκτον θ', ἣν καὶ Ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν.

Veteres enim ex septenario numero duas, quæ pariles, inquit Hyginus, & maxime in uno loco, pro Bobus: quinque reliquas instar habebant Plaustri; proximum etiam Signum Booten, de quo post, nominantes. Ἄρκτος tamen Arato Ἅμαξα, non quod in ea Plaustri esset similitudo, sed quod non secus ac Plaustrum circa πόλον βόρειον, Boote agitante, versetur. In quo non mediocriter illum errare (quasi fortunæ rerum cœlestium ibi periclitarentur) scribit Hyginus. Posterioribus temporibus hujus Ἀστερισμὸς major est factus, & de Stellis VII, ut ait apud Hyginum Parmeniscus, constitutæ sunt ab Astronomis XXV. (paullo plures hodie numerantur) ita ut auctus hujus beneficio Ἄρκτον cœperit adsimulare: unde & qui Βοώτης quomdam, Ἀρκτοφύλαξ deinde dictus. Inter Stellas, quæ quadrangulum constituentium in sinistro latere spinæ dorsi versus collum adjacet, secundæ magnitudinis, Arabibus دبة דבה, Vrsa κατ' ἐξοχὴν vocatur: prima trium, quæ supra caudam, τῶν ἐπὶ τῆς οὐρᾶς ὁ πρῶτος, Arabibus *Alhaiot*, nonnullis *Alioze*: quæ vox adeo morbosa, ut ne Apollo quidem medicinam illi facere possit; ut nec quæ tertia secundæ magnitudinis ἐπ' ἄκρας τῆς οὐρᾶς eidem nobis genti *Bennenacx*. *Callisto* etiam fuit appellata; de qua, in Ἄρκτον mutata, multa fabulosa Hesiodus, Amphis Comœdiarum scriptor, Tegeates Historicus, alijque obscurioris auctoritatis apud Hyginum. Ἑλίκην etiam dictam constat ex multis auctoribus & Græcis & Latinis, quod in gyrum vortatur; Ἕλιξ enim circumvolutio: alijs tamen aliunde ab Thessaliæ vel Peloponnesi opido sic nominata. Certe quod Ἑλίκην hanc, ut præter Hyginum tradit Theon in Aratum, navigantes observarent Græci, Ἑλίκωπας vocat eos Homerus Iliad. α. Bene Aratus:

Dubbe. Alhaiot. Bennenacx. Callisto. Ἑλίκη. Græci Ἑλίκωπες.

——— Ἑλίκῃ γε μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ
Εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται, ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν.
Τῇ δ' ἄρα Φοίνικες πίσυνοι, περόωσι θάλασσαν.

Quæ sic vertit Ovidius lib. II. Fastor.

Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidonijs, Helicen Graia carina notat.

Et Germanicus (nam Cicero mutilior hic)

Hinc

Hinc Iovis altrices, Helice Cynosuraque fulgent.
Dat Graiis Helice cursus maioribus astris;
Phœnicas Cynosura regit.

III. Draco. III. *Draco*, Δράκων. Quam hic ob caussam in Cœlum translatus, & inter duas Vrsas vasto corpore (οἷη ποταμοῖο ἀπορρὼξ, Arato canente, *veluti rapido cum gurgite flumen* interpretante Tullio: *corporis sinu facto & in sphæram quasi complicato*, quemadmodum alij loquuntur) collocatus, fabulantur Pherecydes, Eratosthenes, aliique incertiores apud Hyginum; cui, ut & Germanico, dicitur *Serpens*. Stellarum apud antiquos est xv: numerantur hodie xxx; quarum ὁ ἐπάνω τῆς κεφαλῆς, tertiæ magnitudinis, *Rasaben*, Arabice scribitur à nonnullis appellari; quæ vox quid in hac constellatione velit, incertum راس ابن enim *caput filij*.

IV. Cepheus. IV. *Cepheus* κηφεὺς, quem (ἀμφοτέρας χεῖρας τετανυσμένον, ut canit Aratus, *porrectis patulis manibus* Germanico) Phœnicis filium, Æthiopum regem ostendunt apud Hyginum Euripides & alij. Stellarum est xii. Inter eas ὁ ἀστὴρ ὁ ὑπὲρ τὸν δεξιὸν ὦμον ἀπτόμενος, tertiæ magnitudinis, Arabibus الدرع אלדרע, *Humerus*.

V. Bootes. V. *Bootes*, Βοώτης, *Bubulcus*; cujus instar Ἅμαξαν, *Plaustrum* sequi videbatur. Ἀρκτοφύλαξ. Ὠρίων. Ἀρκτοφύλαξ cœpit dici, ut paullo ante monui, quum quæ Ἅμαξα, vii. quondam Stellarum, auctiore numero dotata, nomen adepta μεγάλης Ἄρκτου, cujus deinceps habitus est custos. Ὠρίωνες etiam nomine notus apud Theocritum, cujus ἐν ἡρακλίσκῳ hæc sunt:

Ἆμος δὲ στρέφεται μεσονύκτιον ἐς δύσιν Ἄρκτος
Ὠρίωνα κατ' αὐτόν. ———

Variæ de hoc commemorantur fabulæ, quas recensere longum esset: Petendas indico ex Hermippo, qui de Sideribus scripsit, & Petellide Gnosio historiographo, alijsque incertis, quos laudat Hyginus: qui hujus manum sinistram ita ab Arctico Circulo includi notat, ut neque occidere neque oriri videatur. Stellis hoc Signum hodie signant Astronomi xxiii; paucioribus olim. Vna illi extra formam primæ magnitudinis, ἡ μεταξὺ, inquit Hipparchus, τῶν μηρῶν, ἡ καλουμένη Ἀρκτοῦρος ὑπόκιρρος; (Ἀρκτοῦρος. Arabibus Alramech, alijs corruptius *Asimeth Aremeab*) unde tota forma sæpe *Arcturus*. *Inter Coxas* igitur Hipparcho: ibidem fere Vitruvio lib. ix. cap. vi, cujus hæc verba: *Colorata* (ὑπόκιρρος Hipparcho paullo ante) *item alia contra est Stella media genuorum custodis Arcti, qui Arcturus dicitur:* Ἀνὰ μέσον τῶν σκελῶν, *in medio Crurum*, inquit Geminus & ex eo Proclus. Aratus hanc Stellam *sub Arctophylacis zona* ponit;

ὑπὸ ζώνῃ δὲ οἱ αὐτῆς
Ἐξ ἄλλων Ἀρκτοῦρος ἑλίσσεται ἀμφαδὸν ἀστήρ.

Cicero sic vertit: ——*subter præcordia fixa tenetur*
Stella micans radijs, Arcturus nomine claro.

Germanicus: *Sed proprio tamen una micat sub nomine flamma,*
Arcturum dixere, sinus qua vincula nodant.

Videndus & Festus Avienus, qui hic mutilior. *In Zona* collocat Hyginus; *sub pectore* Manilius lib. i. *Arcturumque rapit medio sub pectore secum.*

VI. *Corona*, Στέφανος; *Grosiam* indigetant Manilius lib. i, Festus Avienus, & alij. Fabulis, quæ ex Creticorum Argolicorumque Scriptoribus alijsque apud Hyginum, Lectorem hic non morabor. Stellis coronatur hoc Σχῆμα viii: quarum quæ secundæ magnitudinis, Arabica voce nuncupatur الفتح *Alphetach*; *Alfelta* scribitur etiam Scaligero. De hac Manilius:

——*Nam Stella vincitur una*
Circulus in medio radians, qua proxima frontem
Gnosia desertæ fulgent monimenta puellæ,
Candidaque ardenti distinguit lumina flamma.

Ariadna. *Frontis* meminit Poeta, volens etiam hic κατηστερίσαι Ariadnam. Aratus de Corona:

——τὸν ἀγαυὸν ἔθηκε
Σῆμ' ἔμεναι Διόνυσος, ἀποιχομένης Ἀριάδνης.

VII. Hercules. VII. *Hercules*, ὁ ἐν γόνασιν, אלחאתי الجاثي; *Succiduum* appellat Avienus in Coronæ descriptione, id est, *Ingeniculatum*; cui & *Curvum Signum*, Lyram describenti: *Nixa Genibus species*, Manilio lib. i. Germanico, Ophiuchum pingenti, vocatur

Succiduis genibus lapsum & miserabile monstrum;

ejusque illustratori Basso, ubi de Equo dimidio, *Geniculator*. *Flexum Genu* Tullius nominat ad Aratum, ubi de Fide:

Atque inter Flexum genu, & caput Alitis hæsit.

Sic enim legendum, non *Flexum genus*; Emendationem rationibus firmarem si cum Grammaticis mihi res esset. Omnes autem proprie. Est enim Signum quod

——— ἐν γόνασι κάμνον
ὀκλάζοντι ἔοικεν,

inquit Aratus; *Imago*, vertit Cicero, quam Græci

Ἐν γόνασιν *vocitant, genibus quod nixa feratur.*

Absint, ut passim mihi, sic in hoc Signo monstrando fabulæ, quibus ex Eratosthene, Panyasi, Hegesianacte, Æschylo, alijs, commemorandis nimij sunt Hyginus, Bassus; Festus Avienus, cui Hercules ille cœlestis

Tempora deculcat maculosi prona Draconis.

Stellæ numerantur ejus hodie XXIX; una extra formam sita. Earum quæ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, tertiæ magnitudinis, راس الجاثي. ראס אלחאתי *Caput Procidui* vel *Ingeniculati*, dicitur Arabibus: quæ vero quatuor in sinistra manu, *Pellis Leonis* nonnullis appellatur, ut notat Hyginus.

VIII. Lyra, Λύρα, ut plerisque nuncupatur, χέλυς Arato & Avieno; Ciceroni *Fides*; *Fidicula* Firmico: Vulgus Corruptiore voce Arabica vocat *Alohore*; quam opinor factam ex Græca λύρα, præposito ab Arabibus articulo. Imprudenter sane lib. V. Manilius, ut bene notat Scaliger, aliam à Lyra Fidem facit. Lyræ *Cornua*, ut Manilius lib. I. nominat, vel ut Hyginus *Brachia* Ζυγώματα dicuntur ab Hipparcho, *Cacumina* Latinis *Pectines* ab Enarratore Germanici; cui etiam, ut & Hygino, reliquæ Signi partes appellantur *Humeri*, vel *Scapulæ*, *Fundus*, *Modulus*, *Tympanum*. Recentioribus *Vultur cadens* figuratur & dicitur. Fabulas de Lyra Sideribus adnumerata non recensebo, Lectorem, qui delectatur ijs, remittens ad Eratosthenem & alios ab Germanico & Hygino laudatos. Stellis insignitum hoc Signum X; quarum quæ in Lyræ tympano, vel in Vulturis capite, primæ magnitudinis, Arabice وجه πρόσωπον, *Facies*; Græcis ὁμωνύμως ὅλῳ τῷ ζωδίῳ Λύρα, inquiunt Geminus & Proclus προσαγορεύεται. VIII. *Lyra.* *Eius partes.*

IX. *Olor*, Κύκνος, plerisque. Ὄρνις apud antiquiores Græcos absolutiore voce, ut *Ales* apud Ciceronem propter ignotam historiam (unde & Αἰόλος ὄρνις Arato; varia enim de ea finguntur) teste Hygino, qui interim cum Manilio & Basso ridiculam indicat; ut nullam potius sit scire, quam talem imaginari in præstantissimis DEI creaturis. *Gallina* hodie indigetatur. Stellis fulget XVII. extra formam adsident duæ. ὁ ἐν τῇ οὐρᾷ Ὄρνιθος λαμπρὸς, secundæ magnitudinis, Arabibus ذنب الدجاجة דנב אלגדאגה *Cauda Gallinæ*, vocatur. IX. *Olor.*

X. *Cassiopeia*, Κασσιέπεια. Sedet apud Hyginum in Siliquastro. Mediam eidem dividit Circulus Lacteus. Pansis brachijs ab Astronomis figuratur, vel tamquam sortem suam miserans, filiamque deplorans. Aratus: X. *Cassiopeia.*

———ἠδ' αὔτως ὀλίγων ἀποτείνεται ὤμων
Ὀργυιήν· φαίης κεν ἀνιάζειν ἐπὶ παιδί.

Germanicus ejus Interpres:

Sic tendit palmas, ceu sit planctura relictam
Andromedam, merita non justa piacula matris.

Neque enim & hic fabulæ desunt Basso, Hygino, alijs ex Euripide & Sophocle: vel ob ἀμυδρότητα, ut tamquam atrata lugere videatur. Nam quum sit, canente Cicerone,

——— *Obscura specie Stellarum:*

plenilunio solet obscurari, quod indicat Aratus:

——— δαιμονίη προκυλίνδεται οὐ μάλα πολλή,
Νυκτὶ φαινομένη παμμήνιδι:

Quæ sic Avienus:

Sed nec multa tamen, quum Cælum lumine toto
Luna replet, tetram ut superet fax aurea noctem.

Stellarum est XIII; quarum quæ ἐν τῷ στήθει, tertiæ magnitudinis, *Scheder* vocatur Arabica voce corruptissima; cui ne ille quidem, qui omnibus, novit medicinam.

XI. Perseus.

XI. *Perseus*, Περσεὺς. De hujus consecratione videndi apud Hyginum & Germanicum Æschylus, Tragœdiarum scriptor, Euhemerus, alij. Κυνοσπασμένον illum nonnulli faciunt: qui, quod infelicius Aratum sequuti, Pulverem in Cœlo agnoscant, reprehenduntur ab Hygino: ipso, quod multa sæpe fœdiora, quamquam aliunde petita, imaginetur in locis purissimis, majore jure reprehendendo. Stellis claret XXVI; ἀριπφανεῖς sunt III. ὁ ἐν τῷ δεξιῷ πλευρῷ λαμπρὸς, secundæ magnitudinis, Arabice אלגנב الجنب *Latus* appellatur. Sinistra manu portat Caput Medusæ, unius ex Gorgonibus; in quo quæ secundæ Classis, Arabes vocant אלגול الغول. quod sonat δαιμόνιον id est γοργόνειον. Totum autem Caput constituentes ἀστέρες, ut scribunt Geminus & Proclus, Γοργόνειον καλεῖται· οἱ δ' ἐν ἄκρᾳ τῇ δεξιᾷ χειρὶ τοῦ Περσέως κείμενοι ἀστερίσκοι, πυκνοὶ καὶ μικροὶ, εἰς τὴν Ἅρπην. Falcem, καθαστερίζουσι.

Alcenib. Aigol.

Ἅρπη.

XII. Auriga.

XII. *Auriga*, Ἡνίοχος; *Aurigator*, Festo Avieno; *Agitator*, Basso; *Erichthonius*, Eratostheni & Germanico. Hunc namque Aurigam illum cœlestem fabulatur (Ἡνίοχος enim hic agnoscitur Arato, *Fabula* Avieno) apud Hyginum Eratosthenes quem dixi; & de illius nativitate putidissima narrat Euripides. Stellas habet XIV. ὁ ἐπὶ τοῦ ἀριστεροῦ ὤμου καλούμενος Αἲξ (inquiunt in Asterismis Hipparchus, & in Sphæris suis Geminus & Proclus) primæ est magnitudinis. *Capram* vocat Hyginus. Iisdem ἐπὶ τοῦ ἀριστεροῦ καρποῦ, vel, ut alij ἐν ἄκρᾳ χειρὶ, in summa sinistra manu formantur Ἔριφοι, *Hœdi*: quibus in Cœlum evehendis conquirunt fabulas apud eundem Hyginum Cleostratus, Tenedius, Parmeniscus, Musæus, alij. Meminit tam Αἰγὸς, quam Ἐρίφων Aratus, collocans quo dixi loco; cujus etiam interpretes legendi, Tullius, Germanicus, Avienus: qui omnes Hœdos canunt,

Αἲξ.

Capra.

Ἔριφοι, Hœdi.

——*Nautis inimicum Sidus in undis.*

XIII. Serpentarius.

XIII. *Serpentarius*, (sic vocat Bassus) ὀφιοῦχος; *Anguitenens* Ciceroni, Festo Avieno, alijsque Latinis scriptoribus, notante Hygino. Vulgus tamquam Arabica voce dicit *Alangue*, quam ex Latina scio corruptam, & convenire magis sequenti Constellationi Adsignantur Serpentario Stellæ XXIV; extra formam V. ὁ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, magnitudinis tertiæ, vocatur Arabice vulgo *Rasalangue*, dictione Arabico-Latina; وراس enim *Caput*. Adeundi de hujus Anguisque, de quo mox, Consideratione Hegesianax, Polyzelus Rhodius, Eratosthenes & alij incertiores, serram inter se, quis sit, reciprocantes, apud Hyginum.

XIV. Serpens.

XIV. *Serpens*, Ὄφις; quem tenet, & cui toto corpore visitur illigatus ὁ Ὀφιοῦχος. *Anguem* etiam vocant Latini. *Alangue* Arabice-Latine, meo judicio. Tribuuntur illi Stellæ XVIII.

XV. Sagitta. Alschaham.

XV. *Sagitta*, Ὀϊστὸς; אלשהם السهم, *Alschaham*, Arabice. Nam quod vulgo fertur *Alabance* corruptum est. Stellas habet V. De hac multa fabulose Hyginus ex Æschylo, Eratosthene & alijs.

XVI. Aquila. Vultur volans.

XVI. *Aquila*, Ἀετὸς; Arabice אלטיר الطير: *Vultur* etiam *volans* recentioribus. Hanc Cœlo beavit Ganymedis raptus, si fabulis fides. Adeundi Bassus Germanici illustrator, Hyginus & alij. Hæc, ut ex Arato canit Cicero:

——*grave mæstis*

Ostendit nautis perturbans æquora signum.

Eleganter etiam Festus Avienus:

Spumosum late mare subruit; omnia Cœli,
Omnia Terrarum mox flabra procacia verrunt.

In huius laudem carmen fecit Mœro poetria Byzantina; quod primus vulgavit nobilissimus vir Iosephus Scaliger ad Manilij I. Stellis pingitur IX; adsident extra formam VI. ὁ ἐπὶ τοῦ μεταφρένου λαμπρὸς, καλούμενος Ἀετὸς, κατ' ἐξοχὴν magnitudinis est secundæ.

XVII. Delphinus.

XVII. *Delphinus*. Δελφὶν دلفين Arabice voce Græca. Qua de caussa hic inter Astra collocatus, μυθικῶς notant ex Eratosthene, Artemidoro, alijsque Bassus & Hyginus. *Curvum* appellant Cicero & Avienus, cui & non ineleganter

——*breve signo corpus in Astris;*

quod apud Aratum ——Δελφὶς δ' οὐ μάλα πολλὸς.

Oceani Cœlique decus Manilio vocatur lib. I. Stellis notus IX; unde & *Musicum Signum* dici scribit ad Germanicum Bassus.

XVIII. *Equus*

XVIII. *Equus prior, Equuleus* vulgo: ἵππου προτομή Hipparcho in Asterismis, & ex eo Gemino & Proclo. Stellis obscurus satis quatuor. XVIII. *Equus prior.*

XIX. *Equus κατ' ἐξοχὴν*; ἵππος; *Pegasus* Germanico, Basso, Hygino; eidem Basso *Equus dimidius.* Est enim ἡμίτομος, ut *Taurus.* Aratus: XIX. *Equus.*

> Οὐδ' ὅγε τετράπος ἐστὶν· ἀπ' ὀμφαλίοιο γὰρ ἄκρου
> Μεσσόθεν ἡμιτελὴς περιτέλλεται ἱερὸς ἵππος.

Avienus:

> ——— *Non hinc Equus integer artus,*
> *Non quadrupes Cœlo sustollitur, at tenus alvo*
> *Erigitur, media iam cetera pone negantur,*
> *Et quatit ætherias primis modo cruribus auras.*

Fabulis de Equo in Cœlum elato commemorandis Lectori molestiam nolo facessere. Leguntur ex variis apud Avienum, Bassum & Hyginum. Stellarum est XX.

XX. *Andromeda,* Ἀνδρομέδα; Arabice مراة مسلسلة מראה מסלסלת, quasi *Mulier Catenata.* Quur Astris adscripta, notant Euripides & alij apud Hyginum & Bassum. Stellas habet XXIII. ὁ ἐν τῷ δεξιῷ ποδί, magnitudinis tertiæ *Alamac* appellatur. *Caput Andromedæ Pegasi,* inquit Hyginus, *ventri conjungitur. Eadem enim Stella,* secundæ magnitudinis, & *Vmbilicus Pegasi & Andromedæ Caput appellatur.* Vnde in Sphæra Veteri: XX. *Andromeda.* العناق

> ἵππῳ συνάπτουσ' Ἀνδρομέδα τὴν κρᾶτ' ἔχει
> τὴν αὐτὴν ἵππου γαστέρα κοινὸν ἀστέρα.

Et Vitruvius: *Lucidissima Stella finit ventrem Equi & caput Andromedæ.*

XXI. *Triangulus* (videndus Bassus ad Germanicum) Δελτωτὸν Arato. M. Tullius: XXI. *Triangulus.*

> *Et prope Conspicies parvum sub pectore claro*
> *Andromedæ signum, Δελτωτὸν dicere Graii*
> *Quod soliti, simili quia forma littera claret.*

Τρίγωνος in Asterismis; Arabice مثلث מתלת. Latera duo æqualia disparia sunt basi, quam *Sedem* vocat Manilius, lib. I. Sic Aratus:

> ——— τὸ δ' ἐπὶ τρισὶν ἰσάθμητον
> Δελτωτὸν πλευρῇσιν, ἰσαιομένῃσιν ἐοικὸς
> Ἀμφοτέρης· ἡ δ' οὔτι τόση. ———

Germanicus:

> *Tres illi laterum ductus, æquata duorum*
> *Sunt spacia, unius brevior.* ———

Festus Avienus; juvat enim hæc inter se committere:

> ——— *simile est latus istud utrumque:*
> *Porrigitur summum signo caput: angulus artat,*
> *Et gemini suprema jugi vicinia mordet.*
> *Tertia, quæ stantes sustentat linea ductus,*
> *Parcior, haud simili sese sub limite tendit,*
> *Et contracta modum gemina face flammigerarum*
> *Stellarum superat.*

Stellas habet IV. *Ternam lampadem* tribuit cum alijs Manilius: sed quæ in basi, media quartæ magnitudinis inter duas tertiæ obscurior est, viciniore splendore. In Cœlo positum ab Mercurio fabulantur supra Caput Arietis, ut hujus obscuritas illius luce, quo loco esset, significaretur: Bassus & Hyginus, apud quos alij, de hoc Signo alia.

Cap. XXI.

Signorum Meridionalium enumeratio.

SEPTEMTRIONALIBUS explicanda succedunt Signa Meridionalia, Νότια: Europæis non ita, ut quæ exposui, comperta: Sunt hæc, quæ Sancto viro Hiiobo חדרי תימן Ταμιεῖα, *Penetralia* vel *interiora Austri* vocantur, cap. IX: vers. 9. quod occultentur & nostros fugiant adspectus. Adeundi & Rabbini ad capitis XXXVII, versum 9. Fabulis & in horum enumeratione parcam; qui delectatur, petat ex Hesiodo, Aristomacho, Pindaro, Callimacho, Æschylo, Philarcho, Eratosthene, Athenæo, Q. Smyrnæo, Apollonij Scholiaste, Nigidio, Basso, Hygino & alijs. Catalogus igitur illorum hic est: חדרי תימן *Penetralia Austri.*

I. Cetus. Merkat. Baten-kaitos. Deneb-kaitos.

I. *Cetus*, Κῆτος; *Pistrix* Germanico, *Nereia Pistrix* Avieno. Stellarum est XXII, quarum quæ ἐπ' ἄκρας τῆς σιαγόνος, inquit Hipparchus, *super extremitate Mandibulæ*, tertiæ magnitudinis, Arabibus appellatur منكار מנכאר *Rostrum*: quæ in Ventre posita, secundæ magnitudinis, בטן بطن قيطوس קיטוס γαστὴρ τοῦ Κήτους: quæ denique ἐπ' ἄκρου τοῦ νοτίου οὐραίου tertiæ magnitudinis, ذنب قيطوس דנב יקטוס οὐρὰ κήτους.

II. Orion, Jeuze. Elgeuze. Algebar. Jugula.

II. *Orion* Ὠρίων, Arabice *Bellator* dicitur ab Rabbi-Abraham-Ben-Ezra, المحارب Arabibus جوزي etiam الجبار אלגבאר *Gigas*: *Jugula* Romanis, ut docent ex Plauti Amphitruonis Act. I. Scena I. M. Terentius Varro lib. VI. de LL. & Festus lib. IX. Vitiose legitur apud Bassum Germanici enarratorem; *Orion etiam Incola dici*: emendandum enim *Iucola*, ut Veteres loquebantur. Nota est cognatio litterarum C. & G, item O & V. ante L; quam pluribus docerem, si pueris hæc scriberentur. *Boœtis* quoque nomine insignis, ut indicat in suo Lexico Hesychius. Stellas habet XXXVIII. Quę ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ ὤμου λαμπρὸς, primæ magnitudinis, corruptiore Arabica voce *Bed-Algenze* vocatur. Quæ ἐν ἀριστερῷ ἀκροπόδι λαμπρὸς, κοινὸς ὕδατος, primæ magnitudinis,

Rigel elgebar.

Arabibus رجل الجبار רגל אלגבאר *Pes Gigantis*, id est, *Orionis*, unde manat Eridanus, ut (quemadmodum eleganter Catullus ex emendatione Iani Dousæ F.)

Proximus Eridano fulgeat Oarion.

Dextra *Clavam* (*Pedum* & κολλόροβον, atque etiam ῥόπαλον nominant alij) tenet, sinistra, *Clypeum*; *Calteo* cinctus, à quo dependet *Ensis*. Lucanus lib. I.

Ensiferi nimium fulget latus Orionis.

Situs ejus recentioribus paullo sequior, quam Priscis; qui è regione Vrsæ collocabant, ut videre est apud Aratum & Theonem. Sic Homerus:

Ἄρκτον θ' ἣν καὶ Ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν,
ἥτ' αὐτοῦ στρέφεται καί τ' Ὠρίωνα δοκεύει.

Manilius: *Arctos & Orion adversis frontibus ibant.*

Obsidet utrumque Hemisphærium, secundum longitudinem obtinens partes XVII; secundum latitudinem partes XXX: unde Manilius lib. I:

———*Caput Orion excelso immersus Olympo*

& in Sphæra Barbarica:

——*Orion magni pars maxima Cœli.*

III. Flumen.

III. *Flumen*, Ποταμὸς Alij, quemadmodum notat Hyginus, *Oceanum* volunt; quidam *Nilum*; plerique *Eridanum* vel *Padum* interpretantur. Ποταμὸς ὁ ἀπὸ τοῦ Ὠρίωνος non immerito apud Geminum & Proclum; quod illi ab sinistro Orionis pede fons siet & origo. Aratus:

Οἶον γὰρ κἀκεῖνο θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται
λείψανον Ἠριδανοῖο πολυκλαύστου ποταμοῖο.
καὶ τὸ μὲν Ὠρίωνος ὑπὸ σκαιὸν πόδα τείνει.

Alkarnar.

Stellis depingitur XXXVIII; quarum quæ postrema, primæ est magnitudinis; Arabica, sed quæ inemendatior, voce *Alcarnar* appellata. Hujus, ut mihi V. CL. mihique amicissimus, Petrus Plancius indicavit, nostri Nautæ diligenti crebraque dimensione Longitudinem esse deprehenderunt XLI. graduum, L minutorum; Latitudinem vero VI. graduum: unde necessario sequitur, nunquam in Ægypto visam fuisse Stellam hanc Ptolemæo; cui interim, ex inconsideratiore fortean, vel intellecta sequius indorum relatione, cumque sequutis hodie ejusdem longitudo graduum est XVII, minut. XVIII; latitudo vero LIII. graduum, minut. XXX.

IV. Lepus.

IV. *Lepus*, Λαγωὸς; Δασύπους Basso ad Germanicum; *Levipes* Ciceroni cognominatur. Stellis fulget XII.

V. Canis Maior. Alschare. Alhabor.

V. *Canis Maior*, Κύων: μέγας κύων Arato, Arabice الشاري اليمني *Alschare Aliemeni*, *Canis dexter*. De situ ejus Aratus:

———ἀμφοτέροισι Κύων ὑπὸ ποσσὶ βεβηκώς.

Cujus hic Canis dicendus, variant auctores apud Hyginum & Bassum Germanici interpretem: an *Orionis*, an *Isidis*, an *Cephali*. Pollux lib. V. cap 5. *Icarij* canem innuit fuisse. Adsentit Ovidius in Nuce:

Quid si non aptas solem fugientibus umbras
Finditur Icario cum cane terra, darem.

Σχήματ

Κύων. Ἀστροκύων Σολεχὴ. Σείριος.

Σχηματισμὸς ejus Stellis deſcribitur xx. ὁ ἐν τῷ στόματι, *in lingua*, vel *maxilla*, vel, ut alij, τοῦτο λαμπρότατος, ut utar Hipparcho, magnitudinis primæ, Græcis, quemadmodum volunt Geminus & Proclus, ὁμωνύμως ὅλῳ τῷ ζωδίῳ Κύων dicitur: Nonnulli Ἀστρόκυνον vocant; Σολεχὼ Ægyptij: Peculiariore voce Græcis appellatur Σείριος Aratus in φαινομένοις.

—— ἡδέ οἱ ἄκρῃ
Ἀστὴρ βέβληται δεινοῦ γένυος, ὅς ῥα μάλιστα
Ὀξέα σειριάει· καί μιν καλέουσ' ἄνθρωποι
Σείριον.

Stella omnium Stellarum fulgentiſſima, Soli ipſi claritate vix cedens: quam adſerunt in ſpeculo etiam meridie aquis impoſitis contra Solem cerni. Sunt & qui ſine ſpeculo vidiſſe ſe adfirmant. Quæ cauſſa, quod Sidus hoc Soli nonnumquam commodet ſuum nomen. Virgilius IV. Georgic.

Iam rapidus torrens ſitientes Sirius Indos
Ardebat cælo.

Tradit etiam Suidas Σείριον ab multis exponi τὸν Ἥλιον, id eſt, *Sirium Solem*. Tergo Canis adfulgent Stellæ XIV, quas mirum eſt nondum formam nactas. Sunt enim duæ ſecundæ magnitudinis, totidem tertiæ, ſeptem quartæ, una quintæ, duæ denique ſextæ. Sed exſpectatur beneficium illud & abſoluta meridionalium Conſiderationum illuſtratio ab V. CL. Petro Plancio. Ortu ſuo Signum hoc vehementiſſimos ciet calores & ampliſſimos edit effectus, ut docent cum alijs Plinius lib. II. natur. hiſtor. cap. 40. IX. 16. XIV. 18. Servius item ad lib. IV. Georg. & III. Æneid. Virgilianæ; res alioquin etiam inſenſibili nota. *Fervidum* appellat Cicero: *Flammigerum Aſtrum* Avienus, cui,

—— *plurimus ardor*
AEſtuat in mento, multus rubor imbuit ora.

VI. Canis Minor. Alſchere Alſchemiæ. Antecanis. Προκύων.

hujus Canis Occaſum ejus pruinæ gelidæ frugibuſque metuendæ excipiunt: Columella lib. XI. Plinius. XVII. Vnde & Sophocles in Nauplio κυνὸς ψυχρὰν δύσιν dixit. Ideoque & Oriens & Occidens, quod in utramque partem ſit vehemens, diligentiſſime ſolet olim hodieque obſervari, canente poſt Aratum & alios Manilio, lib. I. & II.

VI. *Canis Minor*, Προκύων, Quod ante Majorem Canem oriatur: *Minuſculus Canis* Vitruvio; Arabice الشاري السمالي *Alſchare Achemie*, *Canis ſiniſterior*. *Antecanis* Ciceroni nuncupatur, Aratum interpretanti:

—— *Et hic Geminis eſt ille ſub ipſis*
Antecanis, Graio Προκύων *qui nomine fertur.*

Poeta, quem Latinum facit hoc modo:

Ναὶ μὴν καὶ Προκύων Διδύμοις ὕπο καλὰ φαείνει.

Plinius dubitat an ea, quæ Προκύων vocatur, ſit Canicula; quia ſciebat Σείριον potius ita nominari. Μόρφωσις ejus, ſi id nomen mereatur, Stellas tantum habet duas: quarum quæ κατὰ τὸ ὀπισθίων magnitudinis primæ, totius Aſteriſmi appellatione nota, notantibus Gemino, Proclo, alijs.

VII. Argo. Markab.

VII. *Argo*, Ἀργώ; Arabibus مركب מרכאב *Navis*. Σχηματισμὸν ejus Stellis olim XXIII. diſtinctum fuiſſe ſcribunt Hipparchus, Hyginus, alij; addentes non totam inter Aſtra videri, (diuiſa enim pingebatur à puppi vel gubernaculo uſque ad Malum) ut quaſi moneret homines, etiam fractis navibus, in alto non eſſe de ſalute deſperandum. Recentiores Stellas illi tribuunt XLV. Hodie, Batavorum Argonautarum beneficio, corpus integrum Navis (remis, ut anguſtior pareret forma, projectis) eſt conſequuta; eodem fere Stellarum fulgens numero. Iis ego conſigno tres; quæ, extra σῶμα, ſecus Canis ὀπίσθια

(—— Κυνὸς μεγάλοιο κατ' οὐρὴν,

ut Arati verbis utar) in lineam ex poſtremo, quique ad puppim, malo adſcendunt; unam ſextæ, reliquas duas ſecundæ magnitudinis. Patiatur enim grata poſteritas, ut eas diviniſſimo conſecrem Inſtrumento; quo, à Plancio ſuo accepto, peritiſſimus Nauclerus Petrus Theodori F. Embdanus, ſedens ibi in corbe, vel, ut vocant nonnulli, galea, menſus eſt Siderum Meridionalium ſitus; ut ad fidem eos Plancio, quem ante diſceſſum fideliſſimum habuerat (ut & Vechterus quidam Gulielmi

F.) in Astronomia Doctorem, nobisque per illum communicaret. Mortuus in cœlo lustrando, Cœlum conscendit; & immortalem gloriam consequutus industriæ suæ hæreditatem transmisit suo magistro, à quo Meridionales Ἀστροθεσίας exactissimamque illarum descriptionem hujusmodi rerum avidi sibi polliceantur.

Canopus.

Porro *Canopus* (κάνωβος Græcis, cujus uberrima descriptio in navigatione Alberici Vespucij, cap. VI.) Stella fulgida, quæ plerisque hodie in uno Remorum, nostrorum consideratione locum est rursum adepta veterem, qui Gemino, Proclo, alijs ἐν πηδαλίῳ, *Gubernaculo*. Bene, liberius Aratum suum vertentes, & Cicero,

Inde Gubernaculum desperso lumine fulgens;

& Germanicus: *Puppis demisso tantum stat lucida Clavo;*

Πτολεμαῖος. Ἀστρ. Terrestris Stella.

Avienus etiam Puppim Argus *refulgentem & rutilam* agnoscit. Πτολεμαῖον vocatum hoc Sidus fuisse notat ad Germanici Eridanum Bassus; addens & *Terrestrem Stellam* dici: quod humillime appareat & circa terram esse videatur. Loca quibus cernitur commemorant Posidonius apud Strabonem lib. III. Plinius lib. II. cap. 70. Geminus libro de Apparentijs, Proclus de Sphæra. Cnidij sane diu ostentarunt Turrim, ex qua Eudoxus, illorum popularis, Canopum speculari solitus; magnaque eam veneratione dignati Σκοπὴν Εὐδόξου nominabant.

Βολίς.

Haud procul à Canopo Stella visitur, quartæ magnitudinis, cui Βολίδος vel *Lineæ* (nostrates *Dieploot* nuncupant) nomen nuper inditum. Βολὶς enim, vel, ut Lucilio vocatur, *Cataprorates*, illud est Nautis, quod demitti solet è navi explorandis & Fundi naturæ & Maris altitudini.

VIII. Hydra, Havia.

VIII. *Hydra*, Ὕδρος; Arato Ὕδρη; Arabice حوية חויה; *Anguis* Manilio lib. I. Stellarum est XXVI: quæ μετὰ τὴν κάμπην, *prope colli flexuram* (στείρη, prima scilicet, dicitur Arato & Festo Avieno, *Curvatura prima* Hygino) magnitudinis secundæ, Arabibus id est

Alphart.

singularis solet dici.

IX. Crater.

IX. *Crater*, Κρατήρ; القرمن vel الورد *almo gratus Iaccho* apud Manilium lib. I. Locus illi μέσση ὕδρας σπείρη, inquit Aratus; *in medio sinu*, Cicero. Stellis describitur VII. ὁ ἐν τῇ βάσει τοῦ Κρατῆρος, κοινὸς τοῦ ὕδρου, magnitudinis quartæ, vocatur Arabibus

Altes.

אלטאס الطاس.

X. Corvus.

X. *Corvus*, Κόραξ; *Phœbo sacer ales* Manilio lib. I; Ὕδρας πυμάτῃ ἐπίκειται, σπείρῳ κόπτοντι ἐοικώς; Arato; quem sic vertit Cicero:

Extremumque nitens plumato corpore Corvus
Rostro tundit. ———

Stellas habet VIII. ὁ ἐν τῇ δεξιᾷ πτέρυγι, magnitudinis tertiæ, Arabibus est

Algorab.

אלגראב الغراب ὁμωνύμως ὅλῳ τῷ ζωδίῳ.

XI. Centaurus.

XI. *Centaurus* Κένταυρος; *Chiron* cum alijs, tum Germanico; apud quem & *Sonipes*. De hoc Manilius Lib. I.

——— *duplici Centaurus imagine fulgens,*
Pars hominis tergo pectus commissus equino.

Stellis depingitur XXXIV. Tenet, ut quidam apud Bassum volunt, sinistra manu *Arma & Leporem*; dextra Θηρίον, & Θύρσον, id est *Vtrum vini plenum*, tamquam libaturus in *Sacrario*. unde lux Gemino & Proclo; Θηρίον inquiunt, ὁ Κένταυρος, καὶ θυρσολόγχος, ὃν κρατεῖ ὁ Κένταυρος καθ' ὕπαρχον.

XII. Fera.

XII. *Fera*, Θηρίον, Arato & Basso ad Germanicum: *Lupus* plerisque existimatur. *Hostiam* nominat Hyginus in *Aræ* explicatione, Stellis fulget XIX.

XIII. Ara.

XIII. *Ara*, Ciceroni, Manilio, Avieno, Firmico, Hygino; Θυτήριον Arato; Βωμὸς in Vetere Sphæra; *Sacrarium* Basso ad Germanicum, Θυμιατήριον Hipparcho, Gemino, Proclo; Λιβανωτὶς quibusdam: *Thuribulum* Germanico, Avieno, Vitruvio, Hygino, alijs; Arabibus

Almegerama.

אלמגראמה المجرامة, id est *Acerra*: *Pharus* nonnullis etiam dicitur, ut notat Bassus; nam sunt & Græci Scriptores, qui Φρυκτώριον vocarunt: *Lar* Alphonso. Stellarum est VII.

XIV. Corona Australis.

XIV. *Corona Australis* Plinio & Hygino, Στέφανος νότιος Gemino & Proclo; quibus notantibus à nonnullis Οὐρανίσκος dicitur: κηρυκεῖον secundum Hipparchum: Arabibus

Aclil.

אכליל اكليل *Corona*. Stellas habet XIII. De Στεφάνου asterismo sic canit Aratus:

Νειόθι τοξευτῆρος ὑπὸ προτέροισι πόδεσσι
Δινωτοὶ κύκλῳ περιηγέες εἰλίσσονται.

Quem vertens Cicero Stellas, Coronam hodie plectentes, *obscuras* canit & *sine nomine*; quam bene non video. Nam quæ Στέφανος alijs, Arato sunt Κύκλοι; & hinc inter-

interpretanti poëtam Germanico *sine honore Corona* nominatur. Felicius Aratea illa exprimit Manilius lib. I. ——*cui juncta feruntur*

Flexa per ingentes Stellarum lumina gyros.

Sic enim legendum censeo pro *flumina*. Non enim possum adsentiri Viro Magno, qui per Maniliana hæc censet exaudiendam χύσιν ὕδατος. Reclamat omnino commissio Ciceronis, Manilij, Germanici, Avieni, Hygini cum Arato. Alioquin *Aquæ Fusio* solet, quidquid volunt Geminus & Proclus, explicari cum Aquario, qui vere ὑδροχοεύς.

xv. *Piscis*, ἰχθύς; cognomine Νότιος Arato, Gemino, Proclo; *Australis* Ciceroni; *Notius* Hygino: *Major* Avieno; *Magnus* Basso, cui & hujus Nepotes (quis non rideat?) dicuntur *Pisces* qui in Zodiaco: *Capricorni piscis* quibusdam: Arabibus الحوت אלחות. Forma Piscis Sideribus insignita xi. quibus, ut in Aquarij historia monui, adnumerarim Stellam primæ magnitudinis, quæ postrema χύσεως ὕδατος in ore Piscis, Arabibus فم الحوت פום אלחות, quod non aliud quam στόμα τοῦ ἰχθύος, τοῦ λεγομένου scilicet νοτίου, μονάζοντος. Extra formam vi. μεταξὺ ὀπίσθια τοῦ ἰχθύος καὶ τοῦ τοξότου, ὑπὸ τῷ κερῷ. xv. *Piscis Notius.* Alchauth. Fom alhauth,

De Signis quæ hucusque commemoravi, paucis versibus, quamquam non eodem ordine (alius enim solet esse alijs) sic canit Ausonius: Signorum, quæ nota semper, Epilogus.

Ad Boreæ partes Arcti junguntur & Anguis;
Post has Arctophylax, pariterque Corona, Genuque
Prolapsus, Lyra, Avis, Cepheus & Cassiepeia,
Auriga & Perseus, Deltoton & Andromedæ astrum,
Pegasus & Delphinus, Telum, Aquila, Anguitenensque.
Signifer inde subest: bis sex & sidera complent.
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, & Vndam
Qui tenet, & Pisces. Post hos in partibus Austri
Orion, Procyon, Lepus, ardens Syrius, Argo,
Hydrus, Chiron, Turibulum quoque, Piscis & ingens,
Hunc sequitur Pistrix, simul Eridanique fluenta.

Fusius & felicius paullo Ioachimus Camerarius:

Signa vocant, quibus illa vides insignia templa:
Sed numerum denûm quater atque octo esse dederunt.
Vrsæ summa tenent Aquilonis frigora: per quas
Ingens, in morem fluvij, perlabitur Anguis;
Hunc subit Arctophylax; sed & hunc mox gemma Corona;
Inde Genu nixus; post quem Lyra; deinde Volucris;
Tum Cepheus; & Cassiepe; tum Vector; & ille
Falcatum extollens casa ensem Gorgone Perseus;
Hinc Deltoton; & Andromede; hinc stas Pegase; sed te
Delphin excipit; hunc Telum; hoc Aquila, Anguitenensque.
Signifer hæc sequitur declivi Circulus orbe:
In quo Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Chelæ, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.
At Notus undifero tenet hæc simulacra sub Axe:
Armatum Oriona; Canem, in quo Sirius ardet;
Quis Procionque; Lepusque; & Iasonis additur Argo;
Hydrusque; & Centaurus; & Ara, incognita nobis;
Tum Notius Piscis; Cetusque; ac Eridani unda.

Cap. XXII.

De Signis in Meridiana Cæli plaga noviter inventis.

QVAS, præcedente Capite, μορφώσεις Austrinas, xv. numero recensui, Veteribus æque ac Nobis fuerunt cognitæ; quæ sequuntur, nostrorum Argonautarum, qui, Duce Petro Theoderi F. Embdano, remotissima in Meridiem loca anno ab Christo nato cIↃ. IↃ. xcv. navigarunt, Cœlique ibi palatia fuerunt ausi conscendere, qua fieri potuit diligentia & fide sunt communicata. Eorum Longitudines & Latitudines meis his adscripsissem, ut accuratissima consideratione mensus est peritissimus Nauclerus, ni vulgaturum se propediem mihi pollicitus fuisset V. CL. Petrus Plancius: à quo Mathesin ille, & qua arte metiundum fideliter esset Siderum Austrinorum Longitudines, Latitudines, Declinationes, Elevationes & similia, didicerat. Sed utinam ejus progressa fuisset eo diligentia, ut in Corporum Meridionalium & formatura & nomenclatione nonnullam Naturarum, Virium, Effectorum, quæ ex Stellis, hubuisset rationem; & non tam quæ Siderum esset positura, quam quæ indoles, quis genius, quæ in hæc terrena per influentias (ut artis utar voce) operatio, spectasset. Quæ omnia quum religiose servata fuerint ab antiquis Astronomis in Septemtrionalium, reliquorumque, quæ illorum non negata oculis, nominatione: tota illa novorum Nominum ratio & impositio expediri felicissime potuisset *Oppositionis* benificio; uti me monuit, quum diligentius novum illud Cœlum contemplaretur, vir, cum optimus, tum doctissimus; & in Cœlestibus, si quis alius, versatissimus, meus quomdam Præceptor, Rodolphus Snellius. Inventi facile in remotissimo Meridie fuissent Ἀντάρκτων, dicis gratia, & μεγάλης & μικρᾶς, facile Ἀντιδράκοντες, facile ex Antithesi aliorum Asterismi; non quidem Forma, sed Viribus & Effectis, quibus Forma posterior. Nihil enim sæpe minus in Formis & Σχηματισμοῖς, quam quod nominantur; si Triangulus & Sagitta seponatur. Interim quæ invênta satis faciant; dum potiora certioraque exspectantur. Catalogus novorum Siderum hic est.

Quæ datato Stellis Numina sint consideranda.

Catalogus Novarum Formarum.

1. Columba.

I. *Columba Olivifera*, Περιστερὰ ἐλαιοφόρος; *Nohæ* cognominata, cujus Arcam vorsum videtur, rostro Ramum ferens, volitare. Ἀστερισμὸς Columbæ ipsi debetur Plancio, qui eam ante aliquot annos collocari curavit in globo Cœlesti Iacobi Florentii F. Langerani; & postea etiam posuit in suo Semi-Circulo Austrino, adpicto magnæ ejus Terrarum orbis delineationi. Constituunt autem eam Stellæ xi. quas, extra Canis Majoris formam Ptolemæo, ad posteriores ejus pedes Veneris esse naturæ scribit Alphonsus: Earum, quæ in dorso duæ secundæ sunt magnitudinis, Εὐαγγέλοι Ἄγγελοι, *Boni Nuncij*, jam cognominantur; ad alam dexteram *Placati Numinis*, ad sinistram *A'σεβέιας*, Diluvij tempore, *Aquarum*.

Boni Nuncii.

II. Aurata.

Nubeculæ Austrinæ.

Grus.

II. *Aurata*, χρυσόφρυς; *Dorado* Hispanis; Nostris *Zeebraesem* & *Vliegendevisch*. Sex descripta Stellis adnatat dextero Argus lateri, supra majorem Nubecularum: quæ non procul inter hunc Piscem & Hydrum (de quo mox) à Polo Antarctico, γαλαξίας vel viæ Lacteæ naturam referunt; Nautæ nostri nominant *Nubeculas Magellanicas*. Sex Informes hic ibi sunt adpositæ, quæ dabunt aliquando *Gruem*.

III. Hirundo marina.

III. *Hirundo marina* Plinio, χελιδὼν θαλάσσιος; nobis *ZeeZwaluwe*, Piscis genus, frequens in mari Atlantico. Stellarum est vii. Adhærens Argus lateri, Navem, quæ Piscis indoles inconsiderate videtur involatura.

IV. Chamæleon.

Tres Geminæ.

IV. *Chamæleon*; χ[illegible] versicolor ob timiditatem, ut docent Aristoteles, Plinius, alij. Stellas habet x. Caudam sinuosam faciunt tres Geminæ. Sub posterioribus Centauri pedibus, & cauda viperinis orbibus implicata contingens dexteram Hirundinis alam, Muscæ Indicæ inhiat. Nam Musca delectari & vesci scribunt Bellonius & alij: quamquam plerique Veterum nec cibo, nec potu, nec alio quam aeris alimento, vivere, memoriæ prodant.

V. Musca Indica.

V. *Musca Indica*, Μυῖα Ἰνδική, ἢ Ἀνατολική. Stellis signata quatuor quintæ magnitudinis, sub Cruce & in faucibus fere Chamæleontis posita periculum quod imminet, volatu fugiens, Chironis implorare videtur justitiam.

VI. *Crux*,

VI. Crux.

VI. *Crux*, Σταῦρος; *Cruzero* Hispanis, qui primi notarunt; Anglis *Crosiers*. Sub ventre collocata Centauri, supra Muscam, Stellis fulget quatuor; quarum quæ ἐν ἀκρότητι, secundæ est magnitudinis, reliquæ sunt tertiæ, etiam Ptolemæo sequentisque ævi Philosophis non invisæ: collocatæ Mathematicorum principi in posterioribus Centauri pedibus; sed deviantes ab sua & longitudine & latitudine, incuria proculdubio vel Exscribentium vel Typographorum.

VII. Triangulus Australis.

VII. *Triangulus Australis*, Τρίγωνος νότιος. Præjacens ungulis Chironis anterioribus inter Θυτήριον & Avem Paradisi, Stellis est insignita quatuor; quarum una secundæ, duæ classis sunt tertiæ, quibus interjacet quæ magnitudinis quintæ.

VIII. Avis Paradisi. Trigonus Notius minor.

VIII. *Avis Paradisi*, Ὄρνις ἰνδική; *Paradijs Voghel*; Lusitanis *Passoro de Sol, Soli avis*; Asiaticis *Manu-Codiata*. Sub Triangulo Stellas habet XII; inter quas & quintæ & sextæ magnitudinis una est obscura in Collo. Dorso gestat Τρίγωνον Νότιον μικρὸν, ex tribus Stellis quintæ classis.

IX. Hydrus Polaris. Nubecula minor. Oculus Hydri.

IX. *Hydrus Polaris*, Ὕδρος ἀνταρκτικὸς, quod Stella sit illi quintæ magnitudinis ἐν ἄκρᾳ τῇ οὐρᾷ, qua inter Meridionales nulla vero Poli Antarctici loco proprior. Nostri vocant *Water-slanghe*. Caput illi (Stellis variarum classium depictæ XV.) ad finem τοῦ ποταμοῦ (quem absorpturus videtur) τοῦ ἐξ ἀστέρων Ὠρίωνος (ut verbis utar ex vetere Sphæra) inde senis amfractibus caudam torquet Polum versus. Intra secundum Spiram apparet Nubecularum, de quibus dixi, minor. ὁ ἐν κεφαλῇ tertiæ magnitudinis, Ὀφθαλμὸς Ὕδρου *Oculus Hydri*; haud procul ab ea, quæ postrema Eridani, ἔσχατος τοῦ ποταμοῦ, vulgo *Alcanar* corrupte.

X. Pavus. Oculus Pavonis. Trigemini.

X. *Pavus*, Ταὼν, Superstans quartæ Ὕδρου ἀστέρι expansa cum fastu cauda, Stellis superbit XV: quarum quæ secundæ magnitudinis in capite *Oculus Pavonis*, Ὀφθαλμὸς ταῶνος; quæ vero quintæ classis ἐν καμπῇ τοῦ τραχήλου, Τρίδυμοι, *Trigemini* merito dicendi.

XI. Indus. Armillæ.

XI. *Indus*, Ἰνδὸς. Præsitus Pavoni, ἡμίτομος τὰ κατώπρα unam dextra minitabundus, tres decussatim sinistra gestans Sagittas. Stellas habet XII; quarum quæ quintæ magnitudinis in superiore dextri brachij parte tres sunt *Armillæ*, ψέλλια Græcis vel βραχιονιστῆρες: quibus Indorum gens solet ornari.

XII. Pica Brasilica.

XII. *Pica Brasilica* Gesnero & alijs, Κίσσα Βρασιλική: Indigenis ibi proprio dicta nomine *Toucan*, suo rostro minor. Βαλανηφόρος instat secundæ Hydri ἀστέρι. Stellis consignatur VIII; quarum quæ Rostrum fingunt, quæque in dorso reliquis interspersæ, tertiæ sunt magnitudinis.

XIII. Phœnicopterus. Oculus Phœnicopteri. Torquis.

XIII. *Phœnicopterus*, Φοινικόπτερος nobis dici posset *Roodtvleughel* Martialis lib. XIII.

Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis
Nostra placet: quid si garrula lingua foret?

Hispani vocant *Flamengo*. Expansis alis, rostro Piscem Notium, qua in arcum curvatur, appetit. Stellis fulget XIII; quarum quæ in capite secundæ magnitudinis (cujus classis duas alias habet, unam in dorso, in ala sinistra alteram) Ὀφθαλμὸς Φοινικοπτέρου; Par vero, quod in medio collo, περιτραχήλιον, *Collare* vel *Torquem* appello.

XIV. Phœnix. Symbola Μονάδος. Ἀϊδιότητος. Ἀνακαινώσεως.

XIV. *Phœnix*, Φοῖνιξ; Avis unica, rarenter visa; Aquilæ magnitudine, auro fulgens circa collum, cetera purpuram mentiens; roseis pennis cæruleam caudam distiguentibus, cristis faciem: caputque plumeo apice cohonestante. Nido casia turisque surculis exstructo odoribusque repleto, & caloris Solis accenso; surgente utrimque fumo, superstans; Stellis distinguitur XIV. Earum quæ supra collum tertiæ magnitudinis, Μονάδος; tres vero quæ quartæ magnitudinis in pectore Ἀϊδιότητος; unica denique quæ ejusdem classis paullo infra jugulum (ubi præsentiens moriendi tempus, rostro se vellicare dicitur, cruori eliciendo, unde per Vermiculum renascatur) Ἀνακαινώσεως mihi sunt Symbola.

Conclusio de signis.

Nihil Signorum restat. Concludam cum Manilio:

Hæc igitur magno divisas æthere sedes
Signa tenent Mundi totum deducta per orbem.
Tu modo corporeis similes ne quære figuras,
Omniaque æquali fulgentia membra colore,
Ignea designat species; atque Ignibus Ignes
Respondent, Media Extremis, atque Vltima Summis
Cernuntur; satis est, si se non omnia celant.

CAP.

CAP. XXIII.

De Planetis universim.

Planetæ quid.

HISTORIAM absolvi Inerrantium: succedit Errantium, qui Græcis πλανῆται. Sunt illi septem cœlestia Corpora, quæ certis discreta spacijs, inquit Plinius lib. II. natur. histor. cap. VI. terris proxima, præter motum primi Mobilis, quo ab ortu in occasum rapiuntur, peculiarem quamdam illique contrariam habent in proprijs orbibus conversionem.

unde dicti.

Nomen illis ἀπὸ τοῦ πλανᾶσθαι, quod Errare, unde Latinis *Errantia Sidera: ab errore*, inquit Macrobius; *ab incessu*, Plinius, *quum errent nulla minus illis. Erraticas Stellas* vocant Iulius Firmicus, Hyginus, alij; *Errones* Nigidius: Ἀλήτας etiam Græcorum nonnulli. Epigrammatarius:

Ἀπλανέες δ' ἑκάπερθε, καὶ ἀντιθέοντες Ἀλῆται
Ἀνδρομένης γενεῆς πᾶσαν ἄγουσι τύχην.

Motus.

Non autem, ut vulgo tinniunt, hæ voces sunt exaudiendæ. Sic enim dicuntur, non quod vago incertoque motu oberrent; sed quod vario & dispari circumferantur; de quo multa Macrobius lib. I. cap. XVIII. Vere Tullius lib. I. de Divin. *Planetæ verbo & falsis Grajorum vocibus errant; revera certo lapsu spacioque feruntur.* Explicatissime nuper de illis vir doctus; scribens eos progredi & retrocedere, occultari & aliquandiu delitescere; post operire se rursum, antecedere & consequi Solem; incitari & cursus vicissim veloces inhibere; tum ne moveri quidem, sed ad quoddam tempus velut insistere; à Solis itinere in Austrum alias, alias in Boream excurrere, & ad idem retorqueri; exactisque & confectis itineribus, pristinos eadem lege cursus constanter repetere.

Ordo Situsque. Anaximandro, Metrodoro, Crateti; Ægyptiis, Platoni;

Ordo Situsque Planetarum alijs alius, vt docet præter alios Macrobius lib. I. cap. XIX. Anaximander, Metrodorus Chius, Crates, Solem supremo ponunt loco; huic autem Lunam, Lunæ reliquos quinque subijciunt. Ægyptij, & qui eos sequitur Plato, Solem Lunamque reliquis omnibus inferiores agnoscunt. Platonis in Timæo verba sunt hæc: Σώματα δὲ αὐτῶν ἑκάστων (de Planetis loquitur) ποιήσας ὁ Θεὸς, ἔθηκεν εἰς τὰς περιφορὰς, ἃς ἡ θατέρου περίοδος ᾔει. ἑπτὰ οὔσας, ὄντα ἑπτά. Σελήνην μὲν εἰς τὸν περὶ γῆν πρῶτον, Ἥλιον δ' εἰς τὸν δεύτερον ὑπὲρ γῆς, Ἑωσφόρον δὲ καὶ τὸν ἱερὸν Ἑρμοῦ λεγόμενον; & quæ sequuntur. Idem innuit apud Platonem Timæus Locrus de Anima Mundi: ἁ μὲν ὦν Σελάνα ποτιγειοτάτα ἐοῖσα ἔμμηνον τὰν περίοδον ἀποδίδωτι: ὁ δὲ Ἅλιος μετὰ ταύταν ἐνιαυσιαίῳ χρόνῳ τὸν αὐτῷ κύκλον ἐκπλεῖ. Habet magnus Philosophus sententiæ suæ suffragatores, qui rationibus eam stabiliunt; inter eas hæc: Si Venus Mecuriusque infra Solem volverentur, necessario suo objectu atque interventu in Conjunctionibus Solis lucem terris adimerent & conspectum, ut fit, Luna Soli Terræque interposita; atqui numquam hoc accidit; ergo verisimile Venerem & Mercurium sedem suam in hac Vniversi mole Sole altiorem obtinere. Sed Platonem, & qui eum hic sequuti (inter quos & Aristoteles, si ejus sit qui de Mundo circumfertur) docte refutat Peucerus. Primo enim Veneris Mercurijque corpora tota æqualiter rara & lucida, Solis radios, si forte objiciantur, neque excludere à terra, neque impedire, quo minus in quamcumque partem libere spargantur; Lunam vero magna ex parte densam atque opacam radios Solis non solum excipere, sed & in Cœlum reflectere: Deinde Diametrum Veneris, quæ Mercurij major, ad Solis dimetientem, secundum Albategnium, esse subdecuplam, & vix centesimam posse tegere Solis partem; secundùm exactiorem obseruationem propemodum subquadruplam esse; Solis enim Apogæi Diametrum XXXI. scrupulorum esse, Perigæi XXXIII; Veneris Apogæi Dimetientem esse VII. scrupulorum in Perigæo constitutæ X; ideoque si Solem tegeret, quum quadragesimam ejus partem vix occultaret, talem occultationem fore insensibilem: Tertio denique, quod Venus ob remotiorem distantiam tantam Latitudinis παράλλαξιν non efficiat, ut Luna.

Aristarcho.

Aristarchus Samius qui ante Ptolemæum floruit annis CCCC, & qui ejus voluerunt esse Sectatores, adsumtis novis Hypothematis, Solem in medio Mundi sistunt immobilem, ut reliquorum orbium centrum; Soli Mercurium & Venerem circumdantes; supra Venerem orbem magnum, qui Terram cum

cum Elementis & Luna complectatur, constituentes; reliquis vero loca, quæ antiquitus obtinuisse existimati sunt, relinquentes. Audiendus hic Ptolemæus, qui in nona magnæ Compositionis sectione, sequutus Chaldæos, Dorotheum, Hipparchum, aliosque accuratioris notæ Astronomos, sub Octava Sphæra Saturnum, Iovem, Martem collocat; Soli medium inter Planetas locum adsignat; sub Sole Venerem, Mercurium, Lunam constituit: vere & recentiorum omnium calculis comprobate. Exprimitu hunc ordinem duobus versibus Manilius lib. 1:

Chaldæis, Dorotheo, Hipparcho, Ptolemæo, quibus veterus & recentioribus comprobatis.

Saturni, Iovis & Martis, Solisque; sub illis
Mercurius Venerem interagit Lunamque locatus.

Iam cujus singuli Naturæ, Coloris, Saporis; quanti Ponderis; cujus Fortunæ; quando aucti dicantur Cursu, Numero, Lumine; quando Combusti; & alia talia rimentur, quibus est otium majus, quibusque inlicitas artes futurus istius cognitionis usus.

Affectiones.

Adsignent etiam per me licet iidem sua Planetis Domicilia; Saturno Capricornum & Aquarium; Iovi Sagittarium & Pisces; Arietem & Scorpionem Marti; Leonem Soli; Veneri Taurum & Libram; Mercurio Geminos Virginem; Lunæ denique Cancrum.

Domicilia.

Doceant item Saturnum exaltari in gradu xx. Libræ; Iovem in xv. Cancris; Martem in xxviii. Capricorni; Solem in xix. Arietis; Venerem in xxvi. Piscium; Mercurium in xv. Virginis; in iv. Tauri Lunam.

Exaltationes.

Monstrent iidem denique Planetas cum Sole & Signis misceri quinque modis, ἐκ ἑξαγώνου, ἐκ τετραγώνου, ἐκ τριγώνου, ἐκ διαμέτρου, ἐκ συνόδου; omnium autem potentissimum adspectum esse τὸν ἐκ συνόδου, secundum ἐκ διαμέτρου; & ita deinceps. Ad potiora, mihi saltem, propero.

Adspectus.

Errantium alij sunt Φωστῆρες, Ἀστέρες alij. Prioris classis sunt *Sol* & *Luna*; posterioris reliqui; quorum alij Sole superiores, ut *Saturnus, Iupiter, Mars*; alij inferiores, *Venus* & *Mercurius*. Non hæc ab aliqua temeritate Distributio. In Septenarium quidem numerum unanimi consensu conspiratum à plerisque, non nostri tantum, sed ævi quoque prisci: unde Græcus Poëta vetus:

Distributio.

Ἑπτὰ πολυπλανέες κατ' ὄλυμπιον Ἀστέρες οὐδὸν
Εἱλεῦνται, καὶ τοῖσιν ἀεὶ κανονι(ε) αἰὼν,
Νυκτιφαὴς μήνη, στυγνὸς Κρόνος, Ἥλιος ἡδὺς,
Γαστιφόρος Παφίη, θρασὺς Ἄρης, εὔπτερος Ἑρμῆς,
Καὶ Ζεὺς δέ γενέθλιος, ἀφ' οὗ φύσις ἐβλάστησεν.
Οἱ δ' αὐτοὶ μερόπων ἐλόωσι βίον, &c.

& idem unico versu: Μήνη, Ζεὺς, Ἄρης, Παφίη, Κρόνος, Ἥλιος, Ἑρμῆς:
Antiquorum tamen multi *Solem* & *Lunam* (quod in his pecularius quid contemplarentur, ut suis locis docebimur) in numerum venire Errantium nolebant: sed κατ' ἐξοχὴν Φῶτα vocabant, ut videre est apud Theonem Ptolemæi Commentatorem. Hinc Aratus:

Οἱ δ' ἐπιμὶξ ἄλλοι πέντ' Ἀστέρες, οὐδὲν ὁμοῖοι
Πάντοθεν εἰδώλων δυοκαίδεκα δινεύονται.
Οὐκ ἂν ἔτ' εἰς ἄλλους ὁρόων ἐπιτεκμήραιο
Κείνων ᾗχι κέονται, ἐπεὶ πάντες μετανάσται.

Quæ ita reddit Festus Avienus:

Quinque itidem Stellæ, similis quibus haud sit imago,
Nec quas formarum doctus notet adfixarum,
Per bissena Poli volitant rutilantia Signa:
Nullus eas alio pacto deprendere certet:
Tam vaga per totam cunctis via defluit æthram.

Cicero lib. 1. de Natur. Deorum: *Deos enim cœlo esse dicit, quinque eos, qui in Stellis vagis nominantur: unum qui ex omnibus sideribus, quæ infixa Cœlo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus Deus; septimum Solem adjungit, octavamque Lunam.* Idem eodem libro: *Quid Solis numquidnam aut Lunæ aut quinque Errantium Siderum simile vidisti?* Propertius lib. iv. Elegia 1. ex emendatione Scaligeri ad lib. iv. Manilii:

Adspicienda via est cœli, versusque per Astra
Limes, & à Stellis quinque petenda fides.

Mani-

Manilius lib. III. Astronomicῶn:

Fata quoque & Vitas hominum suspendit ab Astris,
Quæ summas operum partes, quæ lucis honorem,
Quæ famam adsererent, quæ numquam fessa volarent:
Quæ quasi per mediam Mundi præcordia partem
Disposita obtineant Phœbum, Lunamque, vagasque
Evincant Stellas, nec non vincantur ab ipsa.
His Regnum Natura dedit, propriasque sacravit
Vnicuique vices, sanxitque per omnia, summam
Vndique ne Fati ratio traheretur in unam.

Sic Iulius Firmicus lib. I. cap. IV: *In quo Sol & Luna, quinque etiam Stellæ Erraticæ, quæ* πλανῆται *ab Græcis vocantur, certa ac diffinita semper agitatione discurrunt.* Sic Macrobius lib. I. in Somnium Scipionis, cap. XVII. *His illud adjiciendum est, quod præter duo Lumina & Stellas quinque, quæ appellantur Vagæ, reliquas omnes alij infixas Cælo, nec nisi cum cælo moveri.* Sic denique Iulius Hyginus in Poëtico Astronomico: *Reliquum est nobis de quinque Stellis; quas complures, ut Erraticas, ita* πλανῆτας *Græci dixerunt.* Sol igitur & Luna, principes, ut notat etiam Ptolemæus, Astrorum, & primariæ totius Vniversi Stellæ, φῶτα vocantur, Hebræis מארת, Paraphrastæ Chaldaico נהרין, φωςῆρες LXX Interpretibus, *Lumina* passim & *Luminaria* Latinis. Sol merito, quum omnium Siderum sit maximus, & ab eo augeantur minuanturque ceterarum Stellarum actiones, ejusque motus regula sit reliquorum: nec immerito Luna; quæ, quamvis, excepto Mercurio, omnium minima (quidquid, Augustino suffragante, scribat Basilius lib. I. de Genesi ad litteram, Lunam, contra Mathematicorum omnium calculos, post Solem maximum Cœli adserens astrum) oculorum tamen judicio vulgique existimatione censetur ceteris Planetis major; petere quoque solitis ab ea nonnullis gentibus temporum distinctiones, Ecclesiastici cap. XLIII, vers. 6, 7. 8. Vtrique vero meritissime talem dedit Antiquitas appellationem; cum quod illorum vires & effectus in Elementis, Metallis, Stirpibus, Animantibus, humanisque Corporibus, quam reliquorum, sint insigniores; tum quod gratissima vice Diem Noctemque inlustrent. Hæc enim præcipua Conditionis eorum fuit caussa, quemadmodum videre est apud Moschen Genes. I. vers. 14. & seqq. & Iirmeiam cap. XXXI, 35.

Sol & Luna quare φῶτα.

Cap. XXIV.

De Saturno, Iove & Marte.

I. Saturnus; Κρόνος. Φαίνων.

INTER Sphæras, quæ Planetis adsignatæ, supremam possidet *Saturnus.* Græcis Κρόνος: quod, inquit M. Tullius lib. II. de nat. Deor. Temporis Deum finxerint Veteres: dicitur ijsdem & Φαίνων, scribente præter Hyginum Aristotele de Mundo: ὁ τοῦ Φαίνοντος ἅμα καὶ Κρόνου καλούμενος κύκλος. Hebræis שבתי, propter septimum diem. Chaldæis *Moloch.* Ejus Stella similis illi, quæ in humero Orionis dextro, quemadmodum notat Hyginus. Gelidæ rigentisque naturæ, Plinio, lib. II, nat. histor. cap. VIII. Caussa apud Ptolemæum libro I. quadripart. cap. IIII. διὰ τὸ πλεῖστον, ὡς ἔοικεν, ἅμα τῆς τε τοῦ Ἡλίου θερμασίας τῆς καὶ τῶν περὶ τὴν γῆν ὑγρῶν ἀναθυμιάσεως ἀφεστάναι; quod, inquit, ab Solis calore, Terræque humiditate quam longissime distet. Terra major putatur nonagies semel cum octava parte. Motus, qui proprius illi, tardissimus. Cursum enim conficit annis XXX. Videndus Plinius capite, quod indicavi, octavo. Nota ejus ♄, *Falx*; quæ tribui Saturno solita, ut indicant Virgilius VII. Æneidos, Macrob. I. Saturn. cap. VII. Servius lib. II. Georg. Isidorus lib. VIII. Etymol. cap. XI. Et inde *Falcifer*, Ovidio I. Fastor. Martiali lib. XI. Epig. VII. Arnobio lib. III. adversus gentes.

שבתי. Moloch. Stella ejus qualis. Natura. Magnitudo. Motus. Nota.

II. Iupiter. Φαέθων. צדק. Raem-phai.

Iupiter secundum inter Planetas locum obtinet. Græcis Φαέθων. Aristoteles de Mundo: ἐφεξῆς δὲ ὁ τοῦ Φαέθοντος κύκλος, Διὸς λεγόμενος. Sic appellatus à Splendore: Solus enim, Φῶτος & Venere exceptis, umbram parit. Hebræis צדק, Iustitia. Chaldæis רעם פעם; βροντᾶος, βροντῶος Orpheo; Tonans, Tonitrualis Latinis. Auctor vitalis

vitalis & temperati caloris. Terram continet nonagies quinquies, & dimidiam fere partem. Zodiacum circumit annis fere XII, Plinio Hyginoque scribentibus, & experientia teste. Character ♃, *fulmen*; unde illi cognomina Κεραύνιος Orpheo, Hesychio, Phurnuto, Pausaniæ: Ἀργικέραυνος Pindaro; *Fulminator* Apuleio; *Fulgurator* in antiquis marmoribus; *Fulgur* Festo in Provorsum.

Magnitudo. Motus.

Character.

III. Mars. πυρόεις.

Marti tertius datus est locus. Πυρόεις Græcis ab igneo colore; vel ab effectu, quod urat & exsiccet. Aristoteles: εἴτ' ὁ Πυρόεις, ὁ Ἡρακλέους τε ὁ Ἄρεος προσαγορευόμενος. Hebræis מאדים, πυρόεις. Terram superat semel, & paullo plus una tertia. Duodecim percurrit signa duobus fere annis, Plinio & Hygino testibus. Fere, inquam. Cursus enim ejus Maxime inobservabilis, inquit Plinius lib. II. nat. hist. cap. XVII. utpote numquam stationem facientis. Nota ♂, *Clipeus cum Hasta*. Nam utrumque illi tribuitur. Ovidius:

מאדים. Magnitudo. Motus.

> *Bellice, depositis Clipeo paullisper & Hasta,*
> *Mars ades.*

Harmonia trium Planetarum ad Solem.

Tres, quos jam adumbravi, Planetæ perpetua lege sic in suis moventur Epicyclis, quemadmodum peritissimi observarunt Astronomi, ut motu suo quamdam erga Solem reverentiam præ se ferre videantur. Soli namque coniuncti ἀπόγειον Epicycli sui tenere depræhenduntur: ut veneratione tanti hospitis in extremos suæ ditionis fines abgressi, regi loco quasi cedant, ex intervallo mediocri mandata viresque ab eo accepturi: eidem ex diametro oppositos περίγειον obtinere videmus, & lugere quasi regis absentiam, illiusque reditum supplices expetere. Hanc etiam Stationum legum animadvertimus eosdem indesinenter servare, ut ab Sole trium Signorum intervallo digressus Saturnus, quem quadratum adspectum vocant, tamquam immobilis subsistere videatur; Iupitur eandem στηριγμοῦ φαντασίαν habeat in Trigono; Mars ultra Trigonum aliquot partibus.

CAP. XXV.

De Sole.

IV. Sol. Locus in Universo.

SOL Locum inter Planetas nactus est medium; numero, non spatio, cujus dimensione perspecta, ipse magis ab summo, quam ab ipso recedit ima postremitas, ait Macrobius lib. I. ad Somnium Scipionis, cap. XIX. *Quum enim*, addit, *Saturni Stella, quæ summa, Zodiacum* XXX *annis peragrat; Sol medius uno anno; Luna ultima uno mense, non integro: necesse est tantum interesse inter Solem & Saturnum, quantum inter unum & triginta; tantum inter Lunam Solemque, quantum inter duodecim & unum.*

Encomia Reliquorum Dux, Princeps, Moderator.

Dux, ut eleganter Macrobius ejusdem libri cap. XX, *Princeps, Moderator Luminum reliquorum. Dux*; omnes enim sui Luminis majestate præcedit: *Princeps*; nam ita eminet, ut quum talis solus appareat *Sol* vocetur: *Moderator* denique; quia cursus ceterorum & recursus certa spatii diffinitione moderatur. Planetarum enim Stationes ab Sole fieri censebant Veteres. Lucanus lib. X:

> —— *Sol Tempora dividit Anni;*
> *Mutat Nocte Diem; radiisque potentibus Astra*
> *Ire vetat; Cursusque vagos Statione moratur.*

Plinius lib. II. cap. XVI: *Percussa* (de Stellis loquitur) *in qua diximus parte & triangulo Solis radio inhibentur rectum agere cursum, & ignea vi levantur in sublime. Hoc non protinus intelligi potest visu nostro; ideoque existimatur stare: unde & nomen accepit Statio. Progreditur deinde ejusdem radii violentia & retroire cogit vapor repercussas.* Vitruuius lib. IX. Architect. cap. IV. *Ergo potius ea ratio nobis constabit, quod fervor, quemadmodum omnes res evocat & ad se ducit, eadem ratione Solis impetus vehemens radiis trigoni forma porrectus insequentes Stellas ad se perducit, & ante-currentes veluti refrenando retinendoque non patitur progredi, sed ad se cogit regredi & in alterius trigoni signum esse.* Huc pertinet Vartonis illud, Satyra, ὄνος λύρας:

> *Quam mobilem Divum lyram.*

(sic Mundum vocat, sequutus Orphea, Hymno in Apollinem, ubi Cœlum universum Apollinis cithara temperari canit.)

Sol harmoge
Quadam gubernans motibus dius veget.

Radii.

Ex quibus paret Radios esse Soli, tamquam Moderaminis, quod dixi, fræna: à quorum viribus & potentia Sol sæpe *Radiatus* Latinis; *radiatum* etiam *Lumen* illi tribuentibus. Attius in Phœnissis, citante Prisciano libro de versibus Comicis:

Sol qui micantem candido curru atque equis
Flammam citatis fervido ardore explicas,
Quam natum adverso augurio atque inimico omine
Thebis radiatum lumen ostendis tuum.

Ovidius in Metamorphos.

——Quid nunc Hyperione nate
Forma colorque tibi radiataque lumina prosunt?

Hinc Sol *Insigne radiatum Diei*, Lucretio lib. v. de rer. natura:

Propterea noctes hiberno tempore longæ
Cessant, dum veniat radiatum Insigne diei.

ἥλιος. Motus. ἅλιος.

Græcis Ἥλιος ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἱλεῖν, ab continua circumvolutione; nam perpetuo circumrotatur motu, quo Zodiacum lustrat spatio dierum CCCLXV, horarum sex: vel ἀπὸ τοῦ σέλατος, ut nonnulli volunt, à splendore, σ, ut sæpe fieri solet, in adspirationem converso. Doribus ἅλιος, nota Dialecto: quamquam Plato in Cratylo sic Solem huic genti dictum scribat, ἀπὸ τοῦ ἁλίζειν, quod exoriens in unum homines congreget. Hebræis חמה à calore, Hijob. cap. xxx. 28.

Lampas ardens. Candens Saxum. Gleba aurea. Ferrũ ignitũ. Nubes ignea. Rota accensa.

Solem *Lampadem* esse *ardentem* vel *candens saxum*, ausus olim dicere Anaxagoras, ut & Euripides eum sequutus in Phaethonte Tragœdia, *Glebam auream*; quemadmodum refert Sotion in Successionibus: quam ob caussam ille reus factus, & ab Cleone impietatis accusatus, defensusque à Pericle discipulo, talentis quinque & exsilio fuit ab Atheniensibus multatus. Sic Democritus & Metrodorus Solem *Ferrum ignitum* voluerunt; Xenophanes *Nubem igneam*; sunt & qui *Rotam accensam*; una in parte apertam, & inde flammas vomentem: narrantibus Diogene Laërtio in Philosoph. Viris, Augustino lib. XVIII. de Civit. Dei, cap. XLI. Theodoreto lib. IV. contra Græc. adfect. Ioanne Stobæo in ἐκλογ. φυσικ. & alijs.

Purissimus Ignis. Calidum & Frigidum. Sol quo modo Calidus accipiendus.

Possidonius lib. XVII. Cœlest. apud eundem Laërtium in Zenone Cittico, Solem ait *purissimum* esse *Ignem*; quod omnia Ignis peragat munera. Parmenides, eodem scribente, putat Solem, *Calidum* esse ac *Frigidum*; ex quorum commistione constat quidquid in rerum natura. *Calorem* sane Soli tribuit non uno loco Sacra Scriptura, ut videre est Psalmo XIX, 7. Ecclesiastici cap. XLIII vers. 7. & alibi. Calidus proprie Sol ab Effectis. Nam, quamvis per se non calidus (quod alij probant validis argumentis) calefacit tamen, vel per motum, quo ipse concutit, atterit, attenuat aerem, ut innuit Aristoteles lib. Meteor. & lib. II. de Cœlo text. 42: vel, quemadmodum solidius volunt alij, sua luce (ut & reliqua Astra) quæ quanto copiosior in Sole, quam in ceteris, tanto potentior illis Sol est ad calefaciendum.

Vnde Strepitum edat nonnullis Sol occidens.

Obiter adscribo, qui Lampadem, Saxum, Ferrum ignitum Solem statuerunt, caussam dedisse nonnullis fabulandi, eumdem, quum Oceano se mergit (nam & hoc scriptis mandant) strepitum edere & exstingui: quæ opinio veterum fuit Hispanorum, ut docent Cleomedes lib. II. & Possidonius apud Strabonem libro II. Cosmograph. à quibus dirivata ad alios, præsertim Poetas Latinos, qui de Solis se mergentis stridore multa.

An Fons omnis Lucis.

Solem ait Plinius lib. II. nat. histor. cap. VI. *Lumen non modo Lunæ* (de qua mox) *sed & cæteris Sideribus fænerari*: similem enim Astris omnibus esse naturam; manifestum autem Lunæ Lumen esse ab Sole; ideoque existimandum reliquas etiam Stellas inde Lumen accipere. Hugo item ad Genesin notat, soli Soli, ex Igne creato, propriam esse Lucem; ceteras Stellas ex aeria factas materia relucere potius quam lucere. Solem denique fontem esse omnis Lucis cœlestis, omniaque Astra Lucem, quam habent, omnem illi ferre acceptam, visum Heraclito, Lucretio, Avicennæ, Alberto Magno, Bedæ, alijsque Astrologis & Theologis. Sed dicendum non esse parem Lunæ ceterorumque Siderum rationem; neque vero simile, immensam illam cœlestium Ignium, qui in octava sphæra, reliquarum nobilissima, mirabili pulcritudine lucent, Choream ab Sole suum Lumen mutuari. Augustinus lib. II. de Genesi ad litteram, cap. XVI. ex Epistolæ prioris ad Corinthios cap. XV. manifesto

constare

constare scribit, disparem esse Siderum claritatem; & Astra, quibus diversiores vires & effectus, dissimilem etiam obtinere Lucis rationem. Stellas censendum lucere Lumine cum proprio, quod congenitum illis, Luce Solis imbecillius; tum alieno, quod ab Sole accipiunt Radiorum reflexione; sed dissimiliter, ut aliæ alijs magis sunt ὁμοιομερεῖς. Leucippus apud Laertium, contrariam superioribus ingressus viam, existimat Solem ab Sideribus, non ab Sole Sidera inflammari.

Deus, Sol

Philostratus refert Gymnosophistas Solem pro summo DEO coluisse. Pythagoras eumdem ut & Lunam reliquaque Sidera, Deorum adscripsit numero; quum in ijs superet Calor, qui vitæ auctor. Martialis lib. XII:

Martis alumna dies, roseam quo lampada primum
Magnaque siderij vidimus ora Dei.

Antiquum marmor:

DEO
SOLI INVICTO
P. POMPONIVS
CLITVS
EX VOTO

Organum Dei. Annus Dei.

Hinc Dorylao apud Censorinum de die Natali, cap. XIII. *Organum Dei*, Mundus: ipsi Censorino *Annus Dei*, Solaris. Hinc quę DEI propria, Soli tributa; *Omnia Videre & Audire*. Homerus Iliad. γ:

Ἠέλιός θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς, καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις.

Iovis Oculus. κοινὸν ὄμμα.

Iovis Oculum vocat Hesiodus; Pisidas; Τὸ κοινὸν ὄμμα, τὴν πανόπτειαν κόρην. Fuerunt olim (ut ex Veterum patet monimentis, sacrisque litteris, Deuteron. IV. & Sapient. XIII.) suntque hodie; qui Solem, tamquam Deum, cultu & veneratione dignantur. Neque mirum. Quid enim humanis oculis adspici potest inter quæ creata pulcrius? adeo ut in eo tabernaculum suum posuisse DEVM canat Rex Propheta Psalmo XIX, 6; addens de Sole: *Et ipse tanquam Sponsus procedens thalamo suo: Exultavit ut Gigas ad currendam viam; à summo Cœlo egressio ejus: Et occursus ejus usque ad summum ejus; nec est qui se abscondat à Calore ejus.*

Vis in Terrena.

Iam si quis penitius examinet, quanta Soli vis in terrena; qui potest, ut non, in summam divinissimæ Creaturæ rapiatur admirationem? Odorum, Saporum, Colorum, Calorumque, qui in fructibus, Varietates; Animalium quantitates qualitatesque; omnium Rerum Formas; diversas Terrenorum species, aliaque id genus infinita, Solis caliditate fieri certum est; adfirmantibus cum alijs, tum Diodoro Siculo lib. III. rerum antiquarum cap. XII. & Plinio lib. XXXIV. nat. hist. cap. XIV. Homines nimia Solis vicinitate siccati, scribente Vegetio lib. I. de re militari, cap. II. Sanguinis indigentes; Vulnera valde solent metuere: qui ab ejusdem ardoribus remotiores, sanguinis abundantia fretos nimis videmus in vulnera ferrumque præcipites. Lucanus de Orientalibus:

Quidquid ad Eoos tractus mundique teporum
Labitur, emollit gentes clementia Cœli.
Illic & laxas vestes & fluxa virorum
Velamenta vides.

Et de Septemtrionalibus:

Populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo: quos ille timorum
Maximus haud urget leti metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum est reditura parcere vitæ.

Magnitudo.

De Solis Magnitudine variæ leguntur apud Plutarchum lib. II. de Placit. Philosoph. cap. XXI. Macrobium lib. I. in Somnium Scipion. cap. XX, Diogenem Laertium, & alios, Philosophorum sententiæ. Heraclitus Ephesius & Epicurus tantum ajunt Solem, quantus apparet: pedalem tribuentes latitudinem. Anaxagoras majorem censuit Peloponneso. Anaximander Solis corpus æquale fecit Terræ; Orbem vero, in quo circumvehitur, septies vicies Terra maiorem; quod de ipso Sole notat Eratosthenes. Secundum Ptolemæum Sol major est Terra centies sexagies septies cum tribus octavis: cujus sententiam plerique sequuntur & varie stabiliunt Mathematici. Copernicus superioribus annis minorem deprehendit; ejusque corpus Terram superare centies sexagies bis, octava minus. Possidonius, nihil au-

ſus certi, Terram dicit multo multoque ſæpius multiplicatam Solis ſpacium efficere. Certe quantus ſit Sol, quantaque illi Lucis copia, ſi alia deeſſent argumenta, paret inde, quod ſolus præſentia ſua clariſſimum faciat diem, omnibus nocturnis tenebris diſcuſſis penitus & ſublatis; quod ne omnium quidem Aſtrorum ſimul præſentium lux conjuncta præſtare poteſt: Sole etiam præſentia ſua reliquorum Siderum præſtinguente & occultante claritatem. Non minus elegantes quam pie Ambroſius lib. IV. ἑξαημ. cap. VI. *Sivis*, inquit, *magnitudinem Solis non ſolum oculo mentis, ſed etiam corporis æſtimare; conſidera quanti Stellarum globi Axem Cœli videantur obtexere, & innumeris inſignire luminibus: non queunt tamen tenebras noctis & Cœli nubila detergere. Simul ut Sol ortus ſui ſigna præmiſerit, omnes Stellarum Ignes ſub unius Luminaris fulgore evaneſcunt: aperitur Aer, Cœlique facies purpuraſcente rubore perfunditur. Adhuc ſpirans exordium, & jam momentanea celeritate pleni luminis micat; & ſurgentis Solis prævia aura dulcis adſpirat. Similis Sol & Indis & Britannis eodem momento videtur, quum oritur: nec, quum vergit in occaſum, minor adparet Orientalibus, quam Occidentalibus; nec Occidentalibus, quum oritur, inferior, quam Orientalibus æſtimatur. Neque te moveat, quod tibi tanquam Orbis cubitalis videatur Solis, quum oritur: ſed conſidera, quantum interſit ſpacij inter Solem & Terras, quod adſpectus noſtri infirmitas ſine magno ſui tranſire non poteſt diſpendio.* Merito igitur exclamavit Eccleſiaſticus cap. XVII, 30. *Quid lucidius Sole?* Videndus etiam huc Dionyſius libro de Divinis Nominibus. cap. I. part. IV.

Diſtantia à Terra.

Sphæræ Solis Ἀπόγειον, Ptolemæi tempore, diſtabat à Terra mille ducentis & decem Semidiametris; Περίγειον, mille centum viginti duabus fere: hodie mutata ἐκκεντρότητι, ἀπόγειον diſtare deprehendunt Aſtronomi Semidiametris mille centum ſeptuaginta novem. Plura hac de Plinius lib. II. nat. hiſt. cap. XXI, Ptolemæus lib. V. Vitellio libr. X. Optices, & alij.

Declinatio.

Maxima hodie Solis obliquitas ſeu declinatio XXIII. graduum, XXVIII. ſcrupulorum. Ariſtarchus Samius, annis ante Ptolemæum quadringentis, deprehendit eam XXIII graduum LI ſcrupulorum, XX. ſecundorum; quantam & inveniſſe ſe notat Ptolemæus. Mahometes Aratenſis, anno poſt Ptolemæum IↃCCXLIV, graduum indicat XXIII, ſcrupulorum XXXV. Arzahel Hiſpanus CXC. annis poſt Albategnium, XXIII graduum, XXXIV ſcrupulorum. Prophatius Iudæus, CCXXX poſt Arzahelem anno, XXXIII graduum, XXXII ſcrupulorum. Dominicus Maria anno nati Redemtoris CIↃ CCCCXCI, graduum XXIII, ſcrupulorum XXIX. Wernerus anno Chriſti CIↃ IↃ XIV, graduum XXIII, ſcrupulorum XXVIII, ſecundorum XXX. Copernicus tandem non ita pridem maximam Solis Declinationem reperit graduum XXIII, ſcrupulorum XXVIII, & duarum quintarum unius ſcrupuli. Quæ docent ſenſim decreuiſſe regulari motu æqualitatem; & decreturam adhuc, donec adſequatur extremum diminutionis terminum, quem Copernicus ponit XXIII graduum, XXVIII ſcrupulorum; colligens poſt rurſus accreturam; ſtatuenſque maximam, quæ fieri poteſt, Solis obliquitatem XXIII graduum, LII ſcrupulorum minimam XXIII graduum, XXVIII ſcrupulorum; differentiam denique maximæ & minimæ XXIV. ſcrupulorum.

Iter.

Iter autem Soli in Ecliptica; quæ, ἡλιακὸς κύκλος Græcis dicta, Ptolemæo κύκλος διὰ μέσων τῶν ζωδίων, nihil aliud, quam circulus major in medio conſiſtens Zodiaci, eumque κατὰ πλάτος in duos dirimens æquales ambitus; ſex olim, hodie octo graduum ſpacio diffinitos: quem Sol in uno perpetuo tramite oblique incedens efformat.

Defectu Solis Verus.

Solis Defectus (ne de hoc etiam nihil dicam) alius verus & naturalis, alius prodigioſus. Verus, qui voce propria Eclipſis, eſt non privatio Lucis (Sol enim, Lux pulcerrima, Lucem perpetuo ſubminiſtrans, numquam Lucis patitur detrimentum) ſed excluſio tantum vel averſio radiorum Solis, quam facit Lunæ ſoliditas & denſitas; collocata enim inter Solem & viſum noſtrum in conjunctione radios, quos dixi, ſpargi prohibet, & in quaſdam Terræ partes pertingere. Contingit, quando Luna Soli conjungitur circa Novilunium. Inveſtigaſſe primus & prædixiſſe perhibetur Thales Mileſius, docentibus M. Tullio libro I. de Divinat. Plinio lib. II. nat. hiſt. Auguſtino libro de Civit. Dei VIII, cap. II. & Euſebio. Palamedes etiam Eclipſin, Caſtris Græcorum formidabilem, primus naturalem eſſe ſcribitur docuiſſe. Imperita enim multitudo anteaquam à Philoſophis Solis Lunæque Defectuum oſtenſa eſſet

esset ratio, videns præstantissima Sidera deficere & quasi languore dissolvi, lugere tristiaque suo luctu portendere putabat. Propertius lib. III. Eleg. IV, 56.

Aut quur Perrhabi tremuere cacumina Pindi,
Solis & atratis luxerit orbis equis.

Augustinus lib. III. de Civit. Dei cap. XV. *Quasi vero, si luctus ille Solis fuisset, non magis ideo credi deberet occisus, ipsumque scelus aversione etiam diurni luminis indicatum.* Excusset arcana sic opinantes συμπάθεια, quæ cœlestibus creaturis solet esse cum homine rebusque humanis: alioquin absurdum, Luctum Soli alijsque in Cœlo non rationalibus tale quid adfingere. Prodigiosus & ἀνάλογος Defectus is, qui à vaporibus & nebulis fit adeo spissis, ut visus intercipiatur, Solisque lumen appareat admodum debile. Talis accidit continuo totius pene anni pallore, quo Iulius Cæsar Dictator occisus, ut testatur Plinius lib. II. cap. XXX. De eo Virgilius lib. I. Georgic. Prodigiosus.

Sed tibi Signa dabit, Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque & operta tumescere bella.
Ille etiam exstincto miseratus Cæsare Romam,
Quum caput obscura nitidum ferrugine texit:
Impiaque æternam timuerunt secula noctem,

Ovidus lib. XV. Metamorph.

——— Solis quoque tristis imago
Lurida sollicitis præbebat lumina terris.

Tibullus lib. II. Eleg. III.

Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit,
Iungere pallentes nubilus annus equos.

Nullam enim Solis defectionem, qualem Servius Virgilij interpres & reliquum Scriptorum vulgus opinatur, in nostro hemisphærio visam anno, quo Cæsar crudeliter obtruncatus, docet calculus Astronomicus & subtilissime retro computata motuum cœlestium ratio. Talem item dicere liceat, qui contigit pendente ab arbore Crucis Christo. Nam eo tempore Sol contra naturam Lucem amisit, in medio Cœli, haud procul à capite Draconis; quum Plenilunium esset, quo Sol naturaliter deficere non poterat. Luna etiam quum, nisi ab Sole inluminetur, lucere nequeat, deficiente Sole, eodem hoc tempore in imo Cœli apud Antipodas lucem amisit, juxta caudam Draconis. Saturnus denique emergens supra horizontem adspectu quadrato malefico utrumque defectum & Solis & Lunæ adspexit. Terribilis igitur fuit tunc temporis Cœli facies. Ad prodigiosos huiusmodi Solis defectus pertinent non pauca Sacræ Scripturæ loca, quibus tales Cœlestium Corporum mœrores, ut ita dicam, & μεταφυσικαὶ obfuscationes ad vivum delineantur, ut videre est apud Ieschach. cap. XIII, 10. Ezech. XXXIII, 7, 8. Iohel. II, 10. III, 15. & alibi.

Fabulis de Solis Curru quatuorque Equis, quæ apud Ovidum, Tertullianum Cassiodorum, aliosque, Lectorem non morabor. Isidori, qui bonorum auctorum exscriptor multa nonnunquam paucis complectitur, verba adponam ex lib. XVIII. Originum: *Quadrigas Soli, Bigas Lunæ, Trigas Inferis, Sejugas Iovi, Desultores Lucifero & Hespero sacraverunt;* ubi mox singulorum causam exsequitur. Currus, Equique.

Sol *Sirii* appellatione videtur exaudiendus apud Virgilium, quum inquit lib. IV. Georgic. Sol. Sirius.

Iam rapidus torrens sitienteis Sirius Indos
Ardebat cœlo.

Scribit etiam Sudas Σείριον à multis exponi τὸν ἥλιον, id est *Sirium Solem.*

Solis nota ☉, quid velit, vident etiam pueri. Character.

Finiam, ἀνακεφαλαιούμενος quæ hactenus de pulcerrimo hoc Astro, in verbis Plinij, petitis ex lib. II. nat. histor. cap. VI. *Hunc Mundi esse totius Animum, ac planius mentem, hunc principale Naturæ regimen ac Numen credere decet, opera ejus æstimantes. Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras: hic reliqua Sidera occultat; hic vices temporum Annumque semper renascentem ex usu naturæ temperat: hic Cœli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat; hic suum lumen ceteris quoque Sideribus fœnerat: præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens; ut principi litterarum Homero placuisse in uno eo video.* Ἀνακεφαλαίωσις.

Cap. XXVI.

De Venere & Mercurio.

De Venere & Mercurio universim.

HÆc de Sole: ſequuntur *Venus* & *Mercurius*: *συνδρομοι, ἰσόδρομοι*, vel *ὁμόδρομοι τῷ ἡλίῳ*, ut Plato appellat: *quorum peculiaris ratio eſt, neque communis cum ſupradictis*, inquit Plinius lib. II. nat. hiſtor. cap. VIII. pluribus id confirmans cap. XVII. Quum enim tres ſuperiores Planetæ & Luna, ab Sole diſcedentes, nonnumquam per Quadratum vel per Trigonum diſtent; aliquando ex Adverſo cernantur: Veneri Mercurioque certæ ſunt metæ, quas ultra ab Sole non excurrunt. Nam Venus (cui, quam Mercurio, proprior cum Sole perhibetur copulatio: habet enim, ut alia ſileam, unum idemque cum eo ἀπόγειον) tamquam blanda œconoma citra quinquageſimum; Mercurius, qui Cancellarij inſtar in politica Cœli adminiſtratione, citra gradum triceſimum ſemper Solem comitantur: perpetuoq; circa eum verſantes, nunc accedunt tamquam mandata accepturi; nunc rurſus excurrunt, quaſi ſpeculandi gratia vias exploratum emiſſi; mox, ne longius ab rege evagentur ad Solem, quaſi revocati, recto curſu revertuntur. Iidem Planetæ, quemadmodum exactiſſimi notant Mathematici, in eo Solem, ceu regem ſuum, obſervant, quod quoties illi conjunguntur, ſemper in ἀπογείῳ vel περιγείῳ ſui Epicycli reperiantur: ſuaſque latitudines ita alternent, ut ab diverſis regi ſuo lateribus adſiſtant & miniſtrent. Nam ubi vel inclinatione vel reflexione ſua Venus verſus Septemtrionem evagatur; ibi Mercurius ijſdem latitudinum differentijs in contrariam diſcedit plagam, Auſtrum verſus; & econtra, permutatis ſemper vicibus.

Venus.

Venus itaque, quintam adepta ſtationem, Solem annuo fere ſpacio, nunc antecedit, ut dixi, nunc ſubſequitur: quam ejus naturam primus deprehendit Pythagoras, quemadmodum indicat Plinius lib. II. nat. hiſtor. cap. VIII. Antecedens, ut Sol alter diem maturans, docentibus Cicerone lib. II. de natura Deorum, Varrone lib. III. de ruſtica, cap. V, alijs, Φωσφόρος vel Ἑωσφόρος appellatur Græcis: Latinis, Lucifer; Hebræis, נגה; Chaldæis, שפרפרא. Subſequens autem, ut prærogans lucem vicemque Lunæ reddens, Ἕσπερος Græcis, unde Latinis *Veſper*, & Antiquioribus, Plauto in Amphitruone alijſque. quod notant Varro lib. V. de LL. & Feſtus lib. ult. de verb. ſignif. *Veſperugo*. Confunduntur tamen, ut legere eſt apud bonos ſcriptores, Veneris Sidus utroque tempore *Veſperi* vocabulo inſignitum. Horatio namque *Heſperus* pro *Lucifero* ſcribitur, libro Carminum II. Od. IX. ad Valgium:

Lucifer. Veſper. Vocum confuſio.

Tu ſemper urges flebilibus modis:
Myſten ademtum: nec tibi Veſpero
Surgente, decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.

Ita eſſe ſcribit Lactantius Statij interpres: *Lucifer & mane oritur & veſperi, equo mutato:* & poſt pauca: *Poſt autem quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, Equos ſingulis Sideribus: eumdem ergo Veſperum vult haberi; ut Horatius Veſperum pro Lucifero poſuit.* Sic autem Plautus *Nocturnus*, qui idem cum Heſpero, pro *Lucifero* capiendus:

Credo ego hac noctu Nocturnum obdormiſſe ebrium.

Magnitudo. Splendor.

Continere putatur Terræ globum centies ſepties. Sidus tanti fulgoris, ut radiis ſuis reddat umbras. De claritate ejus matutina, Tiberianus apud Placiadem:

Aureus ſubducit ignes
Sudus Ora Lucifer,

De veſpertina Papinius VI. Theb.

Sic ubi tranquillo pellucent Sidera ponto,
Vibraturque fretis Cœli ſtellantis imago,
Omnia clara nitent: ſed clarior omnia ſupra
Heſperus exercet radios; quantuſque per altum
Aethera, cæruleis tantus monſtratur in undis.

De

De utraque Seneca de morte Claudij

Qualis discutiens fugientia Lucifer astra;
Aut qualis surgit redeuntibus Hesperus astris.

Currus. Equi.

Tribuunt huic Planetæ quidam Currum; nonnulli Equos tantum, vesperi quidem fuscum, mane vero candidum: Tibullus lib. I. Eleg. IX, Pedo Albinavanus Elegia in Mœcenatis obitum, Ovidius in Fastis. Hinc *mutare* dicitur *equos*; Statius Papinius VI. Thebaidos:

Roscida iam novies cœlo demiserat astra
Lucifer; & totidem Lunæ prævenerat ignes
Mutato Nocturnus equo.

Desultorii.

Hinc *desultor* esse; quod alij notarunt: hinc denique *Desultatorios* habere perhibetur *equos*. Cassiodorus lib. III. Variar ad Faustum, de Circensibus: *Biga quasi Lunæ Quadriga Solis imitatione reperta est. Equi desultatorij, per quos Circensium ministri missos denunciant exituros, Luciferi præcursorias velocitates imitantur.* Isidorus lib. XVIII. Orig. *Quadrigas Soli, Bigas Lunæ, Trigas Inferis, Seiugas Iovi, Desultores Luciphero & Hespero sacraverunt.* Nota ♀. Speculum.

Character.

VI. Mercurius. Natura.

Mercurius infra venerem, Luna superior. Στίλβων Græcis apud Ciceronem, Marcianum, Apuleium. Hebræis כוכב ἀστήρ. Naturam ejus sic describit Ioannes Salisberiensis Policratici sui seu de nugis Curialium, lib. II. cap. XIX: *Mercurius vero talis est, qualem vicini Planetarum miserunt: quum & ipse convertibilis naturæ sit, potentioribusque cohæreat. Unde plerique eum præsulem Eloquentiæ opinantur, eo quod illa iuncta Sapientiæ plurimum prosit; Malitiæ societata noceat plurimum.* Innuit, cuicunque se conjunxerit Mercurius, cum eo vires suas communicare; & noxium fieri salutaremque, pro noxiæ vel salutaris stellæ adplicatione & adspectu. Hinc *Communis Stella* Apuleio de Mundo: *Nam quum omne Cælum simplici circumactu volvatur, nocte dieque distinctum, diversis mensurarum æqualitatibus separatum, quamvis una sphæra omnia concluserit; incrementis tamen globi sui decisioneq. luminis menstrua tempora Luna significat, & Cæli spacium Sol annua reversione conlustrat; eiusque comites amœnus Lucifer & communis Cyllenius stella, &c* Imprudeter enim genuina docti Scriptoris lectio à quibusdam ibi, tamquam falsa, solicitatur, substituta *Comi stella*. Hinc quod Poetis habitus *Minister Deorum*, notante Servio ad I. I. Georgic. quum inquit: *Sciendum sane, ut diximus, de Planetis quinque duos esse noxios, Martem & Saturnum: duos bones Iovem & venerem: Mercurius vero talis est, qualis ille, cui jungitur. unde etiam fingitur minister esse Deorum, quod eorum obtemperat potestati. Hinc est quod dicit:* In quos Cœli orbes erret Cyllenius ignis: *id est, utrum in Septemtrionalem aut in Australem partem inclinetur; aut cui Planetarum cohæreat, ut qua iratem Mercurij ex illo possis agnoscere.* Hinc denique, quod *Sermonis*, Galeno Pergameno in Suasoria, Macrobio lib. I. Sat. cap. XIX, Augustino lib. de Civit. Dei VII. cap. XIV. Horatij Commentarioribus in I. Car. Od. X; quod *Orationis*, Porphyrio in Physiologia; quod *Eloquentiæ*, veteri apud Salisberiensem Scriptori; quod *Pacis Bellique*, Ovidio V. Fastorum; quod *omnium negotiorum* habitus fuerit Deus, Festo lib. XI. de Verb. signif. Omninm Stellarum censetur minima. Anno vertente cum Sole circumagitur. Character ☿, Caduceus; de quo Servius ad IV. Æneid. Hyginus in Lyra, Phurnutus, alij. Hinc Mercurius Ovidio *Caducifer*; Arnobio libro tertio adversus gentes *Caduceator*. *Virga* dicitur Virgilio IV. Æneid. & Horatio I. Carm. Od. X. quam *torto Dracone conspicuam* facit Martialis lib. VII epig. LXXII. *Colubros* agnoscunt alij; unde Mercurius Arnobio lib. IV. *Gestator adfabilium Colubrarum.* Videndus Isidorus lib. VIII. Originum cap. XI, ubi elegans Mythologia.

Communis Stella.

Minister Deorum

Deus Sermonis, Orationis, Eloquentiæ, Pacis Bellique. Omnium Negotiorum.

Quantitas. Motus. Nota.

Cap. XXVII.

De Luna.

VII. Luna

LUNA restat explicanda, Sidus novissimum, Terrisque familiarissimum, & in tenebrarum remedium ab natura repertum; quo contemplantium oculis vicinius, eo magis eorundem multiformi sua ambage torquens ingenia; Magistra omnium, quæ in Cœlo pernosci potuerunt, propter Velocitatem ipsius motus unde

& Ptolemæus per Lunæ locum investigavit loca Stellarum Fixarum; & rursum per hæc vera Planetarum loca; quemadmodum varijs locis scribit Plinius.

Vnde dicta. Luna, quasi lucens una; ut Sol, quod solus; alijs quod luce luceat aliena; qua de re alibi

Cognomina. Σελήνη. De varijs cognitionibus, Dianæ, Lucinæ, Proserpinæ, Hecates & similibus, dixerunt alij: sufficiat monuisse Græcis Σελήνην vel ut alij, Σεληναίαν, quasi, σελαεννεαίαν vocatam ὅτι σέλας νέοντε καὶ ἔνον ἔχει ἀεὶ. Nam singulis mensibus ab Sole digrediens, velut novo lumine hausto conceptoque, sensim auget, aliasque atque alias induit formas; donec Soli ex diametro objecta orbe pleno refulgeat: inde vicissim ad Solem revertens, lumine deficiente, paullatim senescit, ac vice versa easdem figuras adquirit, donec radios Solis subiens prorsus ex oculis evanescat Hebræis appellatur ירח, quod motu suo respirationem præbeat rebus, quæ interdiu Solis ardore inaruerant.

ירח

Lumen illis à Sole. Lucet lumine non proprio, sed alieno, quod mutuatur à Sole: quamquam ipsa nativum quoddam habeat lumen & congenitum, sed exile & obscurum. Sententia hæc Orphei, Stoicorum & Pythagoræorum apud Laertium lib. VII. & VIII; Parmenidis; ut notat Eusebius lib. III. de Præparat. Euangelica, cap. XXXIII; Pisidæ in κοσμουργ. & quorum non? Sic Catullus Carmine Seculari:

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis:
Tu potens Trivia; & notho es
Dicta lumine Luna.

Sic Seneca Medea, Choro Actus I:

Quum Phœbe solitum, lumine non suo,
Orbem circuitis cornibus adligat.

Addam Willerami Abbatis, à me nuper editi, illud in Cantica Canticorum de Ecclesia Christi: *Siu thunket mir gelych therro* Auroræ; *Wanda siu* post tenebras infidelitatis *havet sich bekeret* ad verum Lumen: *unde thunket mir also sconà, so ther Mano*; *Wanda siu Wole weiz thaz siu thie* pulchritudinem Virtutum *von hiro selvero niet ne hazet, sunder von Godes genathan*; *niet te me than ther Mano ieht liehtes havet himo selvemo*, secundum Physicos, *noven* ex inlustratione Solis. Et hæc caussa, quur, quam ceteri Sororem, Æschylus & Euripides Filiam Solis Lunam nuncuparint. Chaldæi Lunam

Quo modo. proprij pepetuique Luminis compotem esse voluerunt, si fides Apuleio, libro de Deo Socratis. Lunam autem Lumen ab Sole per Penetrationem recipere, non per reflectionem, arbitratur Averroes: fretus cum auctoritate Avenpacis, tum ratione. *Nam* inquit, *si posteriore modo fieret illud; totius nostri hemisphæri universalis non fieret illuminatio: sed tanti duntaxat spacij, quanta Lunæ magnitudo*. Verum ita sentienti obstat, quod sic Luna semper plena videretur lumine. Dicendum potius, partes, quę in Lunæ περιφερείᾳ rariores esse & puriores; eamque ob caussam, quod perviæ, magis ab Sole inlustrari & nitere? quæ Centri, centroque propiores, densiores esse; &, quod opacæ, lumen obtusius admittere, quum ob soliditatem densiorem penetrare Solis radij nequeant. Hinc in Luna parent intuentibus Maculæ: de quibus tamen varie sentiunt

Vnde Luna maculosa.

De Maculis Lunæ varie varij. Philosophi, quemadmodum legere est cum apud alios, tum apud Averroem lib. II. Cœli, Comment. XLIX. & cap. II. de subst. orbis. Sunt enim qui contingere volunt illas ex corporis inter nos & Lunam interpositione, qua plena Lunæ claritas nobis avortitur. Alij apud eundem alia. Nonnulli Campos fabulantur Elysios. Plinius lib. II. nat. hist. cap. IX. dicit esse notas terreni humoris, ab Luna attracti. Theologorum ævo nostro quidam scribunt, indicia jam nunc esse Corruptionis Cœli, de qua non uno loco Sacra Scriptura. Verisimile autem maculas hasce, unde sint occasionem dedisse Thaleti Philosopho, sentiendi Lunam esse Terram nebula obvolutam, Anaxagoræ & Democrito Colles, Convallesque ibi somniandi; Pythagoræis, non solum Terram opinandi, sed habitari etiam ut hanc inferiorem: alijs omnia ibi, quæ apud nos inveniuntur, imaginandi. De quibus Plutarch. περὶ τ. τοῖς φιλοσοφ. ἀρεσκόντ. cap. XXIII. XXV. & XXX. Achilles Statius in Aratum, Ioannes Picus Comes Mirandulanus opere doctissimo & absolutissimo contra Astrologos. Et hinc Iuno apud Senecam in Hercule Furente Act. I:

Tellus

Tellus Gigante Doris excusso tremens
Supposita monstri colla terrifici levet,
Sublimis alias Luna concipiat Feras.

Innuit (quod & alij scribunt non solum de Leone, sed & ceteris monstris ἐκνέμοις & præter naturam) Nemeæum Leonem ex orbe Lunari decidisse, alium adversus fortissimum heroem emendicans. Epimenides:

καὶ γὰρ ἐγὼ γένος εἰμὶ Σελάνας ἠϋκόμοιο,
ἃ δεινὸν φρίξασ' ἀπεσείσατο θῆρα λέοντα
ἐν Νεμέᾳ ἄγεισ' αὐτὸν διὰ πότνιαν ἥραν.

Claudius de Tauro ab Hercule domito:

——*Taurus medio nam sidere Lunæ*
Progenitus, Dictæa Iovis possederat arva.

Idem de Dianæ curru: ——*Currum subiere jugales,*
Quos decus esse Deæ primi sub limine Cæli
Roscida fœcundis concepit Luna cavernis.

Quum ergo opaca sit Luna, lucem admittit inæqualiter, medietate tantum sui orbis vel paullo amplius; ea parte, qua ad Solem versa. Hinc varie nostris se oculis exhibet, modo nulla, alias dimidia, interdum plena. Formæ, quas Luna alias atque augendo diminuendoque induit, Græcis φάσεις atque Σχήματα dicuntur, varijsque appellantur nominibus. Species enim Crescentis, suaque Cornua Orienti obvertentis (Experientia apud Plinium libro II. nat. hist. cap. XIV. docente) quarto (tertio alijs, qui in sequentibus numeris etiam paullum evariant) mensis die dicitur κερατοειδὴς vel μηνοειδὴς falcata, in cornua quum cernitur curvata: Septimo die διχότομος vel ἡμίτομος, dimidia & æqua portione divisa; Vndecimo ἀμφίκυρτος, utrimque gibbosa & prætumida, quum aliquid deest integro orbi; decimoquinto πανσέληνος, plena: Senescentis autem suisque cornibus Occidentem spectantis effigies contrario ordine appellatur, decimonono die ἀμφίκυρτος: Vicesimosecundo iterum διχότομος; Vicesimosexto μηνοειδής: Tricesimo denique cum Sole Luna facit congressum, qui Σύνοδος Græcis & Νεομηνία; Latinis *Conjunctio, Coitus, Novilunium, Interlunium*; Virgilius & Plinius *Silentia Lunæ* vocant. Quæ dixi paucis sic notat Macrobius in Somnium Scipionis: *Luna dispensationibus septenarijs luminis sui vires sempiterna lege variando disponit. Primis septem diebus dimidiata semi-orbem ostendit; vocaturque dimidia. Secundis totum orbem complet, fitque Plenilunium. Tertijs rursus efficitur dimidia. Quartis fit coitus Lunæ cum Sole, quod Interlunium nominatur. Est enim tempus inter deficientem & nascentem Lunam, hoc est, tricesimus dies, in quo Luna non lucet. Nam quum Soli conjuncta sit ita obscuratur ut minime possit videri; sed eodem momento renascens, paullatim ab eo recedendo, videtur.* Adeundus & Plinius lib. II. natur. histor. cap. IX & lib. XVIII. cap. XXXIII. Caussas harum Formarum aperit erudite Vitellio libro IV. Opticæ, cap. LXXIV, & tribus seqq. Ob hanc igitur instabilitatem recte Ovidius XV. Metamorph.

Σχηματισμοί, Lunæ ad Solem.

Nec par aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest usquam: semperque hodierna sequente,
Si crescit, minor est; major, si contrahit orbem.

Et Horatius lib. II Carminum; Ode XI.

Non semper idem floribus est honos
Vernis: neque uno Luna rubens nitet
Vultu. quid æternis minorem
Consilijs animum fatigas?

Lunæ crescentis sic decrescentisque imaginem Σεληνίτην gestare, reddereque enim in dies singulos, scribunt Plinius lib. XXXVII, cap. X. ex Dioscoride, qui mutilior hodie illo loco, & Georgius Agricola lib. V. de natura Fossilium. De Quarta Luna singulare hoc legitur, quod, ex Genethliacorum doctrina & præceptis, illa nati Laboriosam acturi sint vitam, quemadmodum de Hercule prodit Eustathius. Tales apud Sudam Τετραδισταὶ vocantur, qui quarta Luna editi laboribus periculisque adsiduis, ut alteri Hercules, involvuntur. *Herculis Sidus* apud Florum I. hist. Rom. cap. XVIII, nihil aliud quam quarta Luna. Adagium ἐν τετράδι γεγένησαι ab alijs explicatur. Elegans plenæ Lunæ Encomium est apud Senecam Hippolito, Choro Act. II:

Σεληνίτης gemma.

Quarta Luna nati.

Luna pleno lumine fulgente, Stellarum, quæ proximæ nitor & decus evanescunt.

Pulcrior

Manilius lib. III. Aſtronomicω̃n:

Fata quoque & Vitas hominum ſuſpendit ab Aſtris,
Quæ ſummas operum partes, quæ lucis honorem,
Quæ famam adſererent, quæ numquam feſſa volarent:
Quæ quaſi per mediam Mundi præcordia partem
Diſpoſita obtineant Phœbum, Lunamque, vagaſque
Evincant Stellas, nec non vincantur ab ipſa.
His Regnum Natura dedit, propriaſque ſacravit
Vnicuique vices, ſanxitque per omnia, ſummam
Vndique ne Fati ratio traheretur in unam.

Sic Iulius Firmicus lib. I. cap. IV: *In quo Sol & Luna, quinque etiam Stellæ Erraticæ, quæ* πλανῆται *ab Græcis vocantur, certa ac diffinita ſemper agitatione diſcurrunt.* Sic Macrobius lib. I. in Somnium Scipionis, cap. XVII. *His illud adjiciendum eſt, quod præter duo Lumina & Stellas quinque, quæ appellantur Vagæ, reliquas omnes alii infixas Cœlo, nec niſi cum cœlo moveri.* Sic denique Iulius Hyginus in Poëtico Aſtronomico: *Reliquum eſt nobis de quinque Stellis; quas complures, ut Erraticas, ita* πλανῆτας *Græci dixerunt.* Sol igitur & Luna, principes, ut notat etiam Ptolemæus, Aſtrorum, & primariæ totius Vniverſi Stellæ, φῶτα vocantur, Hebræis מארת, Paraphraſtæ Chaldaico נהרין, φωςῆρες LXX Interpretibus, *Lumina* paſſim & *Luminaria* Latinis. Sol merito, quum omnium Siderum ſit maximus, & ab eo augeantur minuanturque ceterarum Stellarum actiones, ejuſque motus regula ſit reliquorum: nec immerito Luna; quæ, quamvis, excepto Mercurio, omnium minima (quidquid, Auguſtino ſuffragante, ſcribat Baſilius lib. I. de Geneſi ad litteram, Lunam, contra Mathematicorum omnium calculos, poſt Solem maximum Cœli adſerens aſtrum) oculorum tamen judicio vulgique exiſtimatione cenſetur ceteris Planetis major; petere quoque ſolitis ab ea nonnullis gentibus temporum diſtinctiones, Eccleſiaſtici cap. XLIII, verſ. 6, 7. 8. Vtrique vero meritiſſime talem dedit Antiquitas appellationem; cum quod illorum vires & effectus in Elementis, Metallis, Stirpibus, Animantibus, humaniſque Corporibus, quam reliquorum, ſint inſigniores; tum quod gratiſſima vice Diem Noctemque inluſtrent. Hæc enim præcipua Conditionis eorum fuit cauſſa, quemadmodum videre eſt apud Moſchen Geneſ. I. verſ. 14. & ſeqq. & Iirmeiam cap. XXXI, 35.

Sol & Luna ejusdem φῶτα.

Cap. XXIV.

De Saturno, Iove & Marte.

I. Saturnus; Κρόνος. Φαίνων. שבתי. Moloch. Stella ejus qualis. Natura.

INTER Sphæras, quæ Planetis adſignatæ, ſupremam poſſidet *Saturnus*. Græcis Κρόνος: quod, inquit M. Tullius lib. II. de nat. Deor. Temporis Deum finxerint Veteres: dicitur iiſdem & Φαίνων, ſcribente præter Hyginum Ariſtotele de Mundo: ὁ τοῦ Φαίνοντος ἅμα καὶ Κρόνου καλούμενος κύκλος. Hebræis שבתי, propter ſeptimum diem. Chaldæis *Moloch*. Ejus Stella ſimilis illi, quæ in humero Orionis dextro, quemadmodum notat Hyginus. Gelidæ rigentiſque naturæ, Plinio, lib. II, nat. hiſtor. cap. VIII. Cauſſa apud Ptolemæum libro I. quadripart. cap. IIII. διὰ τὸ πλεῖστον, ὡς ἔοικεν, ἅμα τῆς τε τοῦ Ἡλίου θερμασίας τῆς καὶ τῶν περὶ τὴν γῆν ὑγρῶν ἀναθυμιάσεως ἀφεστάναι; quod, inquit, ab Solis calore, Terræque humiditate quam longiſſime diſtet. Terra major putatur nonagies ſemel cum octava parte. Motus, qui proprius illi, tardiſſimus. Curſum enim conficit annis XXX. Videndus Plinius capite, quod indicavi, octavo. Nota ejus ♄, *Falx*; quæ tribui Saturno ſolita, ut indicant Virgilius VII. Æneidos, Macrob. I. Saturn. cap. VII. Servius lib. II. Georg. Iſidorus lib. VIII. Etymol. cap. XI. Et inde *Falcifer*, Ovidio I. Faſtor. Martiali lib. XI. Epig. VII. Arnobio lib. III. adverſus gentes.

Magnitudo. Motus. Nota.

II. Iupiter. Φαέθων. צדק. ...em-phaš.

Iupiter ſecundum inter Planetas locum obtinet. Græcis Φαέθων. Ariſtoteles de Mundo: ἑφεξῆς δὲ ὁ τοῦ Φαέθοντος κύκλος, Διὸς λεγόμενος. Sic appellatus à Splendore: Solus enim, Φαῦνις & Venere exceptis, umbram parit. Hebræis צדק, Iuſtitia. Chaldæis רעם פעם; βροντῶς, βροντῶος Orpheo; Tonans, Tonitrualis Latinis. Auctor vitalis

vitalis & temperati caloris. Terram continet nonagies quinquies, & dimidiam fere partem. Zodiacum circumit annis fere XII, Plinio Hyginoque ſcribentibus, & experientia teſte. Character ♃, *fulmen*; unde illi cognomina Κεραύνιος Orpheo, Heſychio, Phurnuto, Pauſaniæ: Ἀργικέραυνος Pindaro; *Fulminator* Apuleio; *Fulgurator* in antiquis marmoribus; *Fulgur* Feſto in Provorſum. Magnitudo. Motus. Character.

Marti tertius datus eſt locus. Πυρόεις Græcis ab igneo colore; vel ab effectu, quod urat & exſiccet. Ariſtoteles: εἶτ' ὁ Πυρόεις, ὁ Ἡρακλέους τε καὶ Ἄρεος προσαγορευόμενος. Hebræis מאדם, πυῤῥός. Terram ſuperat ſemel, & paullo plus una tertia. Duodecim percurrit ſigna duobus fere annis, Plinio & Hygino teſtibus. Fere, inquam. Curſus enim ejus Maxime inobſervabilis, inquit Plinius lib. II. nat. hiſt. cap. XVII. utpote numquam ſtationem facientis. Nota ♂, *Clipeus cum Haſta.* Nam utrumque illi tribuitur. Ovidius: III. Mars. πυρόεις. מאדם. Magnitudo. Motus.

Bellice, depoſitis Clipeo paulliſper & Haſta,
Mars ades.

Tres, quos jam adumbravi, Planetæ perpetua lege ſic in ſuis moventur Epicyclis, quemadmodum peritiſſimi obſervarunt Aſtronomi, ut motu ſuo quamdam erga Solem reverentiam præ ſe ferre videantur. Soli namque coniuncti ἀπόγειον Epicycli ſui tenere depræhenduntur: ut veneratione tanti hoſpitis in extremos ſuæ ditionis fines abgreſſi, regi loco quaſi cedant, ex intervallo mediocri mandata vireſque ab eo accepturi: eidem ex diametro oppoſitos περίγειον obtinere videmus, & lugere quaſi regis abſentiam, illiuſque reditum ſupplices expetere. Hanc etiam Stationum legum animadvertimus eoſdem indeſinenter ſervare, ut ab Sole trium Signorum intervallo digreſſus Saturnus, quem quadratum adſpectum vocant, tamquam immobilis ſubſiſtere videatur; Iupiter eandem στηριγμοῦ φαντασίαν habeat in Trigono; Mars ultra Trigonum aliquot partibus. Harmonia trium Planetarum ad Solem.

CAP. XXV.

De Sole.

SOL Locum inter Planetas nactus eſt medium; numero, non ſpatio, cujus dimenſione perſpecta, ipſe magis ab ſummo, quam ab ipſo recedit ima poſtremitas, ait Macrobius lib. I. ad Somnium Scipionis, cap. XIX. *Quum enim,* addit, *Saturni Stela, quæ ſumma, Zodiacum* XXX *annis peragrat; Sol medius uno anno; Luna ultima uno menſe, non integro: neceſſe eſt tantum intereſſe inter Solem & Saturnum, quantum inter unum & triginta; tantum inter Lunam Solemque, quantum inter duodecim & unum.* IV. Sol. Locus in Vniverſo.

Dux, ut eleganter Macrobius ejuſdem libri cap. XX, *Princeps, Moderator Luminum reliquorum. Dux*; omnes enim ſui Luminis majeſtate præcedit: *Princeps*; nam ita eminet, ut quum talis ſolus appareat *Sol* vocetur: *Moderator* denique; quia curſus ceterorum & recurſus certa ſpatii diffinitione moderatur. Planetarum enim Stationes ab Sole fieri cenſebant Veteres. Lucanus lib. X: Encomia. Reliquorum Dux, Princeps, Moderator.

—— Sol Tempora dividit Anni;
Mutat Nocte Diem; radiiſque potentibus Aſtra
Ire vetat; Curſuſque vagos Statione moratur.

Plinius lib. II. cap. XVI: *Percuſſa* (de Stellis loquitur) *in qua diximus parte & triangulo Solis radio inhibentur rectum agere curſum, & ignea vi levantur in ſublime. Hoc non protinus intelligi poteſt viſu noſtro; ideoque exiſtimatur ſtare: unde & nomen accepit Statio. Progreditur deinde ejuſdem radii violentia & retroire cogit vapor repercuſſas.* Vitruuius lib. IX. Architect. cap. IV. *Ergo potius ea ratio nobis conſtabit, quod fervor, quemadmodum omnes res evocat & ad ſe ducit, eadem ratione Solis impetus vehemens radiis trigoni forma porrectus inſequentes Stellas ad ſe perducit, & ante-currentes veluti refrenando retinendoque non patitur progredi, ſed ad ſe cogit regredi & in alterius trigoni ſignum eſſe.* Huc pertinet Varronis illud, Satyra, ὄνος λύρας:

Quam mobilem Divum lyram.

(ſic Mundum vocat, ſequutus Orphea, Hymno in Apollinem, ubi Cœlum univerſum Apollinis cithara temperari canit.)

Sol harmoge
Quadam gubernans motibus diis veget.

Radii.

Ex quibus paret Radios esse Soli, tamquam Moderaminis, quod dixi, fræna: à quorum viribus & potentia Sol sæpe *Radiatus* Latinis; *radiatum* etiam *Lumen* illi tribuentibus. Attius in Phœnissis, citante Prisciano libro de versibus Comicis:

Sol qui micantem candido curru atque equis
Flammam citatis fervido ardore explicas,
Quam natum adverso augurio atque inimico omine
Thebis radiatum lumen ostendis tuum.

Ovidius in Metamorphos.

—— Quid nunc Hyperione nate
Forma colorque tibi radiataque lumina prosunt?

Hinc Sol *Insigne radiatum Diei*, Lucretio lib. v. de rer. natura:

Propterea noctes hiberno tempore longæ
Cessant, dum veniat radiatum Insigne diei.

ἥλιος. Motus. ἅλιος.

Græcis Ἥλιος ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἱλεῖν, ab continua circumvolutione; nam perpetuo circumrotatur motu, quo Zodiacum lustrat spatio dierum CCCLXV, horarum sex: vel ἀπὸ τοῦ σέλαος, ut nonnulli volunt, à splendore, σ, ut sæpe fieri solet, in adspirationem converso. Doribus ἅλιος, nota Dialecto: quamquam Plato in Cratylo sic Solem huic genti dictum scribat, ἀπὸ τοῦ ἁλίζειν, quod exoriens in unum homines congreget. Hebræis חמה à calore, Hijob. cap. xxx. 28.

Lampas ardens, Candens Saxum, Gleba aurea. Ferrū ignitū, Nubes ignea, Rota accensa.

Solem *Lampadem* esse *ardentem* vel *candens saxum*, ausus olim dicere Anaxagoras, ut & Euripides eum sequutus in Phaethonte Tragœdia, *Glebam auream*; quemadmodum refert Sotion in Successionibus: quam ob caussam ille reus factus, & ab Cleone impietatis accusatus, defensusque à Pericle discipulo, talentis quinque & exsilio fuit ab Atheniensibus multatus. Sic Democritus & Metrodorus Solem *Ferrum ignitum* voluerunt; Xenophanes *Nubem igneam*; sunt & qui *Rotam accensam*; una in parte apertam, & inde flammas vomentem: narrantibus Diogene Laërtio in Philosoph. Vitis, Augustino lib. xviii. de Civit. Dei, cap. xli. Theodoreto lib. iv. contra Græc. adfect. Ioanne Stobæo in ἐκλογ. φυσικ. & aliis. Possidonius lib. xvii. Cœlest. apud eundem Laërtium in Zenone Cittico, Solem ait *purissimum* esse *Ignem*; quod omnia Ignis peragat munera. Parmenides, eodem scribente, putat Solem, *Calidum* esse ac *Frigidum*; ex quorum commistione constat quidquid in rerum natura. *Calorem* sane Soli tribuit non uno loco Sacra Scriptura, ut videre est Psalmo xix, 7. Ecclesiastici cap. xliii vers. 7. & alibi. Calidus proprie Sol ab Effectis. Nam, quamvis per se non calidus (quod alii probant validis argumentis) calefacit tamen, vel per motum, quo ipse concutit, atterit, attenuat aerem, ut innuit Aristoteles lib. Meteor. & lib. ii. de Cœlo text. 42; vel, quemadmodum solidius volunt alij, sua luce (ut & reliqua Astra) quæ quanto copiosior in Sole, quam in ceteris, tanto potentior illis Sol est ad calefaciendum. Obiter adscribo, qui Lampadem, Saxum, Ferrum ignitum Solem statuerunt, caussam dedisse nonnullis fabulandi, eumdem, quum Oceano se mergit (nam & hoc scriptis mandant) strepitum edere & exstingui: quæ opinio veterum fuit Hispanorum, ut docent Cleomedes lib. ii. & Possidonius apud Strabonem libro ii. Cosmograph. à quibus dirivata ad alios, præsertim Poetas Latinos, qui de Solis se mergentis stridore multa.

Purissimus Ignis. Calidum & Frigidum. Sol quo modo Calidus accipiendus. Vnde strepitum edat nonnullis Sol occidens.

An Fons omnis Lucis.

Solem ait Plinius lib. ii. nat. histor. cap. vi. *Lumen non modo Lunæ* (de qua mox) *sed & cæteris Sideribus fœnerari*: similem enim Astris omnibus esse naturam; manifestum autem Lunæ Lumen esse ab Sole; ideoque existimandum reliquas etiam Stellas inde Lumen accipere. Hugo item ad Genesin notat, soli Soli, ex Igne creato, propriam esse Lucem; ceteras Stellas ex aeria factas materia relucere potius quam lucere. Solem denique fontem esse omnis Lucis cœlestis, omniaque Astra Lucem, quam habent, omnem illi ferre acceptam, visum Heraclito, Lucretio, Avicennæ, Alberto Magno, Bedæ, aliisque Astrologis & Theologis. Sed dicendum non esse parem Lunæ ceterorumque Siderum rationem; neque vero simile, immensam illam cœlestium Ignium, qui in octava sphæra, reliquarum nobilissima, mirabili pulcritudine lucent, Choream ab Sole suum Lumen mutuari. Augustinus lib. ii. de Genesi ad litteram, cap. xvi. ex Epistolæ prioris ad Corinthios cap. xv. manifesto constare

constare scribit, disparem esse Siderum claritatem; & Astra, quibus diuersiores vires & effectus, dissimilem etiam obtinere Lucis rationem. Stellas censendum lucere Lumine cum proprio, quod congenitum illis, Luce Solis imbecillius: tum alieno, quod ab Sole accipiunt Radiorum reflexione; sed dissimiliter, ut aliæ alijs magis sunt ὁμοιομερῆς. Leucippus apud Laertium, contrariam superioribus ingressus viam, existimat Solem ab Sideribus, non ab Sole Sidera inflammari.

Deus, Sol

Philostratus refert Gymnosophistas Solem pro summo DEO coluisse. Pythagoras eumdem ut & Lunam reliquaque Sidera, Deorum adscripsit numero; quum in ijs superet Calor, qui vitæ auctor. Martialis lib. XII:

Martis alumna dies, roseam quo lampada primum
Magnaque siderij vidimus ora Dei.

Antiquum marmor:

DEO
SOLI INVICTO
P. POMPONIVS
CLITVS
EX VOTO

Organum Dei. Annus Dei.

Hinc Dorylao apud Censorinum de die Natali, cap. XIII. *Organum Dei*, Mundus: ipsi Censorino *Annus Dei*, Solaris. Hinc quę DEI propria, Soli tributa; *Omnia Videre & Audire.* Homerus Iliad. γ:

Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις.

Iovis Oculus. κοινὸν ὄμμα.

Iovis Oculum vocat Hesiodus; Pisidas; Τὸ κοινὸν ὄμμα, τὴν πανοπτείαν κόρην. Fuerunt olim (ut ex Veterum patet monimentis, sacrisque litteris, Deuteron. IV. & Sapient. XIII.) suntque hodie; qui Solem, tamquam Deum, cultu & veneratione dignantur. Neque mirum. Quid enim humanis oculis adspici potest inter quæ creata pulcrius? adeo ut in eo tabernaculum suum posuisse DEVM canat Rex Propheta Psalmo XIX, 6; addens de Sole: *Et ipse tanquam Sponsus procedens thalamo suo: Exultavit ut Gigas ad currendam viam; à summo Cælo egressio ejus: Et occursus ejus usque ad summum ejus; nec est qui se abscondat à Calore ejus.*

Vis in Terrena.

Iam si quis penitius examinet, quanta Soli vis in terrena; qui potest, ut non, in summam divinissimæ Creaturæ rapiatur admirationem? Odorum, Saporum, Colorum, Calorumque, qui in fructibus, Varietates; Animalium quantitates qualitatesque; omnium Rerum Formas; diversas Terrenorum species, aliaque id genus infinita, Solis caliditate fieri certum est; adfirmantibus cum alijs, tum Diodoro Siculo lib. III. rerum antiquarum cap. XII. & Plinio lib. XXXIV. nat. hist. cap. XIV. Homines nimia Solis vicinitate siccati, scribente Vegetio lib. I. de re militari, cap. II. Sanguinis indigentes; Vulnera valde solent metuere: qui ab ejusdem ardoribus remotiores, sanguinis abundantia fretos nimis videmus in vulnera ferrumque præcipites. Lucanus de Orientalibus:

Quidquid ad Eoos tractus mundique teporum
Labitur, emollit gentes clementia Cæli.
Illic & laxas vestes & fluxa virorum
Velamenta vides.

Et de Septemtrionalibus:

Populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo: quos ille timorum
Maximus haud urget leti metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum est rediture parcere vitæ.

Magnitudo.

De Solis Magnitudine variæ leguntur apud Plutarchum lib. XI. de Placit. Philosoph. cap. XXI. Macrobium lib. I. in Somnium Scipion. cap. XX, Diogenem Laertium, & alios, Philosophorum sententiæ. Heraclitus Ephesius & Epicurus tantum ajunt Solem, quantus apparet: pedalem tribuentes latitudinem. Anaxagoras majorem censuit Peloponneso. Anaximander Solis corpus æquale fecit Terræ; Orbem vero, in quo circumvehitur, septies vicies Terra maiorem; quod de ipso Sole notat Eratosthenes. Secundum Ptolemæum Sol major est Terra centies sexagies septies cum tribus octavis: cujus sententiam plerique sequuntur & varie stabiliunt Mathematici. Copernicus superioribus annis minorem deprehendit; ejusque corpus Terram superare centies sexagies bis, octava minus. Possidonius, nihil au-

ſus certi, Terram dicit multo multoque ſæpius multiplicatam Solis ſpacium efficere. Certe quantus ſit Sol, quantaque illi Lucis copia, ſi alia deeſſent argumenta, patet inde, quod ſolus præſentia ſua clariſſimum faciat diem, omnibus nocturnis tenebris diſcuſſis penitus & ſublatis; quod ne omnium quidem Aſtrorum ſimul præſentium lux conjuncta præſtare poteſt: Sole etiam præſentia ſua reliquorum Siderum præſtinguente & occultante claritatem. Non minus elegantes quam pie Ambroſius lib. IV. ἑξαημ. cap. VI. *Sivis*, inquit, *magnitudinem Solis non ſolum oculo mentis, ſed etiam corporis æſtimare; conſidera quanti Stellarum globi Axem Cœli videantur obtexere, & innumeris inſignire luminibus: non queunt tamen tenebras noctis & Cœli nubila detergere. Simul ut Sol ortus ſui ſigna præmiſerit, omnes Stellarum Ignes ſub unius Luminaris fulgore evaneſcunt: aperitur Aër, Cœlique facies purpuraſcente rubore perfunditur. Adhuc ſpirans exordium, & jam momentanea celeritate pleni luminis micat; & ſurgentis Solis prævia aura dulcis adſpirat. Similis Sol & Indis & Brittannis eodem momento videtur, quum oritur: nec, quum vergit in occaſum, minor adparet Orientalibus, quam Occidentalibus; nec Occidentalibus, quum oritur, inferior, quam Orientalibus æſtimatur. Neque te moveat, quod tibi tanquam Orbis cubitalis videatur Solis, quum oritur: ſed conſidera, quantum interſit ſpacij inter Solem & Terras, quod adſpectus noſtri infirmitas ſine magno ſui tranſire non poteſt diſpendio.* Merito igitur exclamavit Eccleſiaſticus cap. XVII, 30. *Quid lucidius Sole?* Videndus etiam huc Dionyſius libro de Divinis Nominibus. cap. I. part. IV.

Diſtantia à Terra.

Sphæræ Solis Ἀπόγειον, Ptolemæi tempore, diſtabat à Terra mille ducentis & decem Semidiametris; Περίγειον, mille centum viginti duabus fere: hodie mutata ἐκκεντρότητι, ἀπόγειον diſtare deprehendunt Aſtronomi Semidiametris mille centum ſeptuaginta novem. Plura hac de Plinius lib. II. nat. hiſt. cap. XXI, Ptolemæus lib. V. Vitellio libr. X. Optices, & alij.

Declinatio.

Maxima hodie Solis obliquitas ſeu declinatio XXIII. graduum, XXVIII. ſcrupulorum. Ariſtarchus Samius, annis ante Ptolemæum quadringentis, deprehendit eam XXIII graduum LI ſcrupulorum, XX. ſecundorum; quantam & inveniſſe ſe notat Ptolemæus. Mahometes Aratenſis, anno poſt Ptolemæum IↃCCXLIV, graduum indicat XXIII, ſcrupulorum XXXV. Arzahel Hiſpanus CXC. annis poſt Albategnium, XXIII graduum, XXXIV ſcrupulorum. Prophatius Iudæus, CCXXX poſt Arzahelem anno, XXIII graduum, XXXII ſcrupulorum. Dominicus Maria anno nati Redemtoris CIↃ CCCCXCI, graduum XXIII, ſcrupulorum XXIX. Wernerus anno Chriſti CIↃ IↃ XIV, graduum XXIII, ſcrupulorum XXVIII, ſecundorum XXX. Copernicus tandem non ita pridem maximam Solis Declinationem reperit graduum XXIII, ſcrupulorum XXVIII, & duarum quintarum unius ſcrupuli. Quæ docent ſenſim decreuiſſe regulari motu æqualitatem; & decreturam adhuc, donec adſequatur extremum diminutionis terminum, quem Copernicus ponit XXIII graduum, XXVIII ſcrupulorum: colligens poſt rurſus accreturam; ſtatuenſque maximam, quæ fieri poteſt, Solis obliquitatem XXIII graduum, LII ſcrupulorum minimam XXIII graduum, XXVIII ſcrupulorum; differentiam denique maximæ & minimæ XXIV. ſcrupulorum.

Iter.

Iter autem Soli in Ecliptica; quæ, ἡλιακὸς κύκλος Græcis dicta, Ptolemæo κύκλος διὰ μεσῶν τῶν ζωδίων, nihil aliud, quam circulus major in medio conſiſtens Zodiaci, eumque κατὰ πλάτος in duos dirimens æquales ambitus; ſex olim, hodie octo graduum ſpacio diffinitos; quem Sol in uno perpetuo tramite oblique incedens efformat.

Defectu Solis Verus.

Solis Defectus (ne de hoc etiam nihil dicam) alius verus & naturalis, alius prodigioſus. Verus, qui voce propria Eclipſis, eſt non privatio Lucis (Sol enim, Lux pulcerrima, Lucem perpetuo ſubminiſtrans, numquam Lucis patitur detrimentum) ſed excluſio tantum vel averſio radiorum Solis, quam facit Lunæ ſoliditas & denſitas; collocata enim inter Solem & viſum noſtrum in conjunctione radios, quos dixi, ſpargi prohibet, & in quaſdam Terræ partes pertingere. Contingit, quando Luna Soli conjungitur circa Novilunium. Inveſtigaſſe primus & prædixiſſe perhibetur Thales Mileſius, docentibus M. Tullio libro I. de Divinat. Plinio lib. II. nat. hiſt. Auguſtino libro de Civit. Dei VIII, cap. II. & Euſebio. Palamedes etiam Eclipſin, Caſtris Græcorum formidabilem, primus naturalem eſſe ſcribitur docuiſſe. Imperita enim multitudo anteaquam à Philoſophis Solis Lunæque Defectuum oſtenſa

esset ratio, videns præstantissima Sidera deficere & quasi languore dissolvi, lugere tristiaque suo luctu portendere putabat. Propertius lib. III. Eleg. IV, 56.

Aut quur Perrhæbi tremuere cacumina Pindi,
Solis & atratis luxerit orbis equis.

Augustinus lib. III. de Civit. Dei cap. XV. *Quasi vero, si luctus ille Solis fuisset, non magis ideo credi deberet occisus, ipsumque scelus aversione etiam diurni luminis indicatum.* Excuset arcana sic opinantes συμπάθεια, quæ cœlestibus creaturis solet esse cum homine rebusque humanis: alioquin absurdum, Luctum Soli alijsque in Cœlo non rationalibus tale quid adfingere. Prodigiosus & ἀνάλογος Defectus is, qui à vaporibus & nebulis fit adeo spissis, ut visus intercipiatur, Solisque lumen appareat admodum debile. Talis accidit continuo totius pene anni pallore, quo Iulius Cæsar Dictator occisus, ut testatur Plinius lib. II. cap. XXX. De eo Virgilius lib. I. Georgic. Prodigiosus.

Sed tibi Signa dabit, Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque & operta tumescere bella.
Ille etiam exstincto miseratus Cæsare Romam,
Quum caput obscura nitidum ferrugine texit:
Impiaque æternam timuerunt secula noctem,

Ovidus lib. XV. Metamorph.

——— *Solis quoque tristis imago*
Lurida sollicitis præbebat lumina terris.

Tibullus lib. II. Eleg III.

Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit,
Iungere pallentes nubilus annus equos.

Nullam enim Solis defectionem, qualem Servius Virgilij interpres & reliquum Scriptorum vulgus opinatur, in nostro hemisphærio visam anno, quo Cæsar crudeliter obtruncatus, docet calculus Astronomicus & subtilissime retro computata motuum cœlestium ratio. Talem item dicere liceat, qui contigit pendente ab arbore Crucis Christo. Nam eo tempore Sol contra naturam Lucem amisit, iu medio Cœli, haud procul à capite Draconis; quum Plenilunium esset, quo Sol naturaliter deficere non poterat. Luna etiam quum, nisi ab Sole inluminetur, lucere nequeat, deficiente Sole, eodem hoc tempore in imo Cœli apud Antipodas lucem amisit, juxta caudam Draconis. Saturnus denique emergens supra horizontem adspectu quadrato malefico utrumque defectum & Solis & Lunæ adspexit. Terribilis igitur fuit tunc temporis Cœli facies. Ad prodigiosos huiusmodi Solis defectus pertinent non pauca Sacræ Scripturæ loca, quibus tales Cœlestium Corporum mœrores, ut ita dicam, & μιζοφυσικαὶ obfuscationes ad vivum delineantur, ut videre est apud Ieschach. cap. XIII, 10. Ezech. XXXIII, 7, 8. Iohel. II, 10. III, 15. & alibi.

Fabulis de Solis Curru quatuorque Equis, quæ apud Ovidum, Tertullianum Cassiodorum, aliosque, Lectorem non morabor. Isidori, qui bonorum auctorum exscriptor multa nonnunquam paucis complectitur, verba adponam ex lib. XVIII. Originum: *Quadrigas Soli, Bigas Lunæ, Trigas Inferis, Sejugas Iovi, Desultores Lucifero & Hespero sacraverunt*; ubi mox singulorum caussam exsequitur. Currus, Equique.

Sol *Sirii* appellatione videtur exaudiendus apud Virgilium, quum inquit lib. IV. Georgic. Sol. Sirius.

Iam rapidus torrens sitienteis Sirius Indos
Ardebat cælo.

Scribit etiam Sudas Σείριον à multis exponi τὸν ἥλιον, id est *Sirium Solem.*

Solis nota ☉, quid velit, vident etiam pueri. Character.

Finiam, ἀνακεφαλαιούμενος quæ hactenus de pulcerrimo hoc Astro, in verbis Plinij, petitis ex lib. II. nat. histor. cap. VI. *Hunc Mundi esse totius Animum, ac planius mentem, hunc principale Naturæ regimen ac Numen credere decet, opera ejus æstimantes. Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras; hic reliqua Sidera occultat; hic vices temporum Annumque semper renascentem ex usu naturæ temperat: hic Cæli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat; hic suum lumen ceteris quoque Sideribus fœnerat: præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens; ut principi litterarum Homero placuisse in uno eo video.* Ἀνακεφαλαίωσις.

Cap. XXVI.

De Venere & Mercurio.

De Venere & Mercurio universim.

HÆc de Sole: sequuntur *Venus & Mercurius*; συνδρομοι, ἰσόδρομοι, vel ὁμόδρομοι τῷ ἡλίῳ, ut Plato appellat: *quorum peculiaris ratio est, neque communis cum supradictis*, inquit Plinius lib. II. nat. histor. cap. VIII. pluribus id confirmans cap. XVII. Quum enim tres superiores Planetæ & Luna, ab Sole discedentes, nonnumquam per Quadratum vel per Trigonum distent; aliquando ex Adverso cernantur: Veneri Mercurioque certæ sunt metæ, quas ultra ab Sole non excurrunt. Nam Venus (cui, quam Mercurio, proprior cum Sole perhibetur copulatio: habet enim, ut alia sileam, unum idemque cum eo ἀπόγειον) tamquam blanda œconoma citra quinquagesimum; Mercurius, qui Cancellarij instar in politica Cœli administratione, citra gradum tricesimum semper Solem comitantur: perpetuoq; circa eum versantes, nunc accedunt tamquam mandata accepturi; nunc rursus excurrunt, quasi speculandi gratia vias exploratum emissi; mox, ne longius ab rege evagentur ad Solem, quasi revocati, recto cursu revertuntur. Iidem Planetæ, quemadmodum exactissimi notant Mathematici, in eo Solem, ceu regem suum, observant, quod quoties illi conjunguntur, semper in ἀπογείῳ vel περιγείῳ sui Epicycli reperiantur; suasque latitudines ita alternent, ut ab diversis regi suo lateribus adsistant & ministrent. Nam ubi vel inclinatione vel reflexione sua Venus versus Septemtrionem evagatur; ibi Mercurius ijsdem latitudinum differentijs in contrariam discedit plagam, Austrum versus; & econtra, permutatis semper vicibus.

Venus.

Venus itaque, quintam adepta stationem, Solem annuo fere spacio, nunc antecedit, ut dixi, nunc subsequitur: quam ejus naturam primus deprehendit Pythagoras, quemadmodum indicat Plinius lib. II. nat. histor. cap. VIII. Antecedens, ut Sol alter diem maturans, docentibus Cicerone lib. II. de natura Deorum, Varrone lib. III. de rustica, cap. V, alijs, Φωσφόρος vel Ἑωσφόρος appellatur Græcis: Latinis, Lucifer; Hebræis, נגה; Chaldæis, שפרפרא. Subsequens autem, ut prærogans lucem vicemque Lunæ reddens, Ἕσπερος Græcis, vnde Latinis *Vesper*, & Antiquioribus, Plauto in Amphitruone alijsque. quod notant Varro lib. V. de L L. & Festus lib. ult. de verb. signif. *Vesperugo*. Confunduntur tamen, ut legere est apud bonos scriptores, Veneris Sidus utroque tempore *Vesperi* vocabulo insignitum. Horatio namque *Hesperus* pro *Lucifero* scribitur, libro Carminum II. Od. IX. ad Valgium:

Lucifer. Vesper. Vocum confusio.

Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademtum: nec tibi Vespero
Surgente, decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.

Ita esse scribit Lactantius Statij interpres: *Lucifer & mane oritur & vesperi, equo mutato:* & post pauca: *Post autem quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, Equos singulis Sideribus: eumdem ergo Vesperum vult haberi: ut Horatius Vesperum pro Lucifero posuit.* Sic autem Plautus *Nocturnus*, qui idem cum Hespero, pro *Lucifero* capiendus:

Credo ego hac noctu Nocturnum obdormisse ebrium.

Magnitudo. Splendor.

Continere putatur Terræ globum centies septies. Sidus tanti fulgoris, ut radiis suis reddat umbras. De claritate ejus matutina, Tiberianus apud Placiadem:

Aureus subducit ignes
Sudus Ora Lucifer,

De vespertina Papinius VI. Theb.

Sic ubi tranquillo pellucent Sidera ponto,
Vibraturque fretis Cæli stellantis imago,
Omnia clara nitent: sed clarior omnia supra
Hesperus exercet radios; quantusque per altum
Aethera, cæruleis tantus monstratur in undis.

De

De utraque Seneca de morte Claudij

Qualis discutiens fugientia Lucifer astra;
Aut qualis surgit redeuntibus Hesperus astris.

Currus. Equi.

Tribuunt huic Planetæ quidam Currum; nonnulli Equos tantum, vesperi quidem fuscum, mane vero candidum: Tibullus lib. I. Eleg. IX, Pedo Albinavanus Elegia in Mœcenatis obitum, Ovidius in Fastis. Hinc *mutare* dicitur *equos*; Statius Papinius VI. Thebaidos:

Roscida iam novies cœlo demiserat astra
Lucifer; & totidem Luna prævenerat ignes
Mutato Nocturnus equo.

Desultatorii.

Hinc *desultor* esse; quod alij notarunt: hinc denique *Desultatorios* habere perhibetur *equos*. Cassiodorus lib. III. Varior ad Faustum, de Circensibus: *Biga quasi Lunæ Quadriga Solis imitatione reperta est. Equi desultatorij, per quos Circensium ministri missos denunciant exituros, Luciferi præcursorias velocitates imitantur.* Isidorus lib. XVIII. Orig. *Quadrigas Soli, Bigas Lunæ, Trigas Inferis, Sejugas Iovi, Desultores Lucifero & Hespero sacraverunt.* Nota ♀. Speculum.

Character.

VI. Mercurius. Natura.

Mercurius infra venerem, Luna superior. Στίλβων Græcis apud Ciceronem, Marcianum, Apuleium. Hebræis כוכב ἀστήρ. Naturam ejus sic describit Ioannes Salisberiensis Policratici sui seu de nugis Curialium, lib. II. cap. XIX: *Mercurius vero talis est, qualem vicini Planetarum miserunt: quum & ipse convertibilis naturæ sit, potentioribusque cohæreat. Unde plerique eum præsulem Eloquentiæ opinantur, eo quod illa iuncta Sapientiæ plurimum prosit; Malitiæ societata noceat plurimum.* Innuit, cuicunque se conjunxerit Mercurius, cum eo vires suas communicare; & noxium fieri salutaremque, pro noxiæ vel salutaris stellæ adplicatione & adspectu. Hinc *Communis Stella* Apuleio de Mundo: *Nam quum omne Cælum simplici circumactu volvatur, nocte dieque distinctum, diversis mensurarum æqualitatibus separatum, quamvis una sphæra omnia concluserit; incrementis tamen globi sui decisioneq. luminis menstrua tempora Luna significat, & Cœli spacium Sol annua reversione conlustrat; eiusque comites amænus Lucifer & communis Cyllenius stella, &c* Imprudēter enim genuina docti Scriptoris lectio à quibusdam ibi, tamquam falsa, solicitatur, substituta *Comis stella*. Hinc quod Poetis habitus *Minister Deorum*, notante Servio ad I. I. Georgic. quum inquit: *Sciendum sane, ut diximus, de Planetis quinque duos esse noxios, Martem & Saturnum; duos bonos Iovem & venerem: Mercurius vero talis est, qualis ille, cui jungitur. unde etiam fingitur minister esse Deorum, quod eorum obtemperat potestati. Hinc est quod dicit:* In quos Cœli orbes erret Cyllenius ignis: *id est, utrum in Septemtrionalem aut in Australem partem inclinetur: aut cui Planetarum cohæreat, ut qualitatem Mercurij ex illo possis agnoscere.* Hinc denique, quod *Sermonis*, Galeno Pergameno in Suasoria, Macrobio lib. I. Sat. cap. XIX, Augustino lib. de Civit. Dei VII. cap. XIV. Horatij Commentatoribus in I. Car. Od. X; quod *Orationis*, Porphyrio in Physiologia; quod *Eloquentiæ*, veteri apud Salisberiensem Scriptori; quod *Pacis Bellique*, Ovidio V. Fastorum; quod *omnium negotiorum* habitus fuerit Deus, Festo lib. XI. de Verb. signif. Omninm Stellarum censetur minima. Anno vertente cum Sole circumagitur. Character ☿, Caduceus: de quo Servius ad IV. Æneid. Hyginus in Lyra, Phurnutus, alij. Hinc Mercurius Ovidio *Caducifer*; Arnobio libro tertio adversus gentes *Caduceator*. *Virga* dicitur Virgilio IV. Æneid. & Horatio I. Carm. Od. X. quam *torto Dracone conspicuam* facit Martialis lib. VII epig. LXXII. *Colubros* agnoscunt alij; unde Mercurius Arnobio lib. IV. *Gestator adfabilium Colubrarum.* Videndus Isidorus lib. VIII. Originum cap. XI, ubi elegans Mythologia.

Communis Stella. Minister Deorum. Deus Sermonis, Orationis, Eloquentiæ, Pacis Bellique. Omnium Negotiorum. Quantitas. Motus. Nota.

CAP. XXVII.

De Luna.

VII. Luna

LUNA restat explicanda, Sidus novissimum, Terrisque familiarissimum, & in tenebrarum remedium ab natura repertum; quo contemplantium oculis vicinius, eo magis eorundem multiformi sua ambage torquens ingenia: Magistra omnium, quæ in Cœlo pernosci potuerunt, propter Velocitatem ipsius motus unde

& Ptolemæus per Lunæ locum investigavit loca Stellarum Fixarum; & rursum per hæc vera Planetarum loca; quemadmodum varijs locis scribit Plinius.

Vnde dicta. Luna, quasi lucens una; ut Sol, quod solus; alijs quod luce luceat aliena; qua de re alibi

Cognomina. Σελήνη. De varijs cognitionibus, Dianæ, Lucinæ, Proserpinæ, Hecates & similibus, dixerunt alij: sufficiat monuisse Græcis Σελήνην vel ut alij, Σεληναίαν, quasi, σελασνοαίαν vocatam ὅτι σέλας νέον τε καὶ ἔνον ἔχει ἀεί. Nam singulis mensibus ab Sole digrediens, velut novo lumine hausto conceptoque, sensim auget, aliasque atque alias induit formas; donec Soli ex diametro objecta orbe pleno refulgeat: inde vicissim ad Solem revertens, lumine deficiente, paullatim senescit, ac vice versa easdem figuras adquirit, donec radios Solis subiens prorsus ex oculis evanescat. ירח Hebræis appellarur ירח, quod motu suo respirationem præbeat rebus, quæ interdiu Solis ardore inaruerant.

Lumen illis à Sole. Lucet lumine non proprio, sed alieno, quod mutuatur à Sole: quamquam ipsa nativum quoddam habeat lumen & congenitum, sed exile & obscurum. Sententia hæc Orphei, Stoicorum & Pythagoræorum apud Laertium lib. VII. & VIII; Parmenidis; ut notat Eusebius lib. III. de Præparat. Euangelica, cap. XXXIII; Pisidæ in κοσμοpγ. & quorum non? Sic Catullus Carmine Seculari:

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis:
Tu potens Trivia; & notho es
Dicta lumine Luna.

Sic Seneca Medea, Choro Actus I:

Quum Phœbe solitum, lumine non suo,
Orbem circuitis cornibus adligat.

Addam Willerami Abbatis, à me nuper editi, illud in Cantica Canticorum de Ecclesia Christi: *Siu thinket mir gelych therro* Auroræ; *Wanda siu* post tenebras infidelitatis *havet sich bekeret* ad verum Lumen: *unde thunket mir also scona, so ther Mano; Wanda siu wole weiz thaz siu thie* pulchritudinem Virtutum *von hiro selvero niet ne havet, sunder von Godes genathan; niet te me than ther Mano iehtlightes havet himo selvemo*, secundum Physicos, *noven* ex inlustratione Solis. Et hæc caussa, quur, quam ceteri Sororem, Æschylus & Euripides Filiam Solis Lunam nuncuparint. Quo modo. Chaldæi Lunam proprij peperuique Luminis compotem esse voluerunt, si fides Apuleio, libro de Deo Socratis. Lunam autem Lumen ab Sole per Penetrationem recipere, non per reflectionem, arbitratur Averroes: fretus cum auctoritate Avenpacis, tum ratione. *Nam* inquit, *si posteriore modo fieret illud; totius nostri hemisphærij universalis non fieret inluminatio: sed tanti duntaxat spacij, quanta Lunæ magnitudo*. Verum ita sentienti obstat, quod sic Luna semper plena videretur lumine. Dicendum potius, partes, quę in Lunæ περιφερείᾳ rariores esse & puriores; eamque ob caussam, quod perviæ, magis ab Sole inlustrari & nitere? quæ Centri, centroque propiores, densiores esse; &, quod opacæ, lumen obtusius admittere, quum ob soliditatem densiorem penetrare Solis radij nequeant. Vnde Luna maculosa. Hinc in Luna parent intuentibus Maculæ: de quibus tamen varie sentiunt Philosophi, quemadmodum legere est cum apud alios, tum apud Averroem lib. II. De Maculis Lunæ varie varij. Cœli, Comment. XLIX. & cap. II. de subst. orbis. Sunt enim qui contingere volunt illas ex corporis inter nos & Lunam interpositione, qua plena Lunæ claritas nobis avortitur. Alij apud eundem alia. Nonnulli Campos fabulantur Elysios. Plinius lib. II. nat. hist. cap. IX. dicit esse notas terreni humoris, ab Luna attracti. Theologorum ævo nostro quidam scribunt, indicia jam nunc esse Corruptionis Cœli, de qua non uno loco Sacra Scriptura. Verisimile autem maculas hasce, unde sint occasionem dedisse Thaleti Philosopho, sentiendi Lunam esse Terram nebula obvolutam, Anaxagoræ & Democrito Colles, Convallesque ibi somniandi; Pythagoræis, non solum Terram opinandi, sed habitari etiam ut hanc inferiorem; alijs omnia ibi, quæ apud nos inveniuntur, imaginandi. De quibus Plutarch. περὶ τ͂ τοῖς φιλοσοφ. ἀρεσκόντ. cap. XXIII. XXV. & XXX. Achilles Statius in Aratum, Ioannes Picus Comes Mirandulanus opere doctissimo & absolutissimo contra Astrologos. Et hinc Iuno apud Senecam in Hercule Furente Act. I:

Tellus

Tellus Gigante Doris excusso tremens
Supposita monstri colla terrifici levet,
Sublimis alias Luna concipiat Feras.

Innuit (quod & alij scribunt non solum de Leone, sed & ceteris monstris ἐκνόμοις & præter naturam) Nemeæum Leonem ex orbe Lunari decidisse, alium adversus fortissimum heroem emendicans. Epimenides:

καὶ γὰρ ἐγὼ γένος ἐμμὶ Σελάνας ἠϋκόμοιο,
ἃ δεινὸν φρίξασ' ἀπεσείσατο θῆρα λέοντα
ἐν Νεμέᾳ ἄγχισ' αὐτὸν διὰ πότνιαν ἥραν.

Claudius de Tauro ab Hercule domito:

——Taurus medio nam sidere Lunæ
Progenitus, Dictæa Iovis possederat arva.

Idem de Dianæ curru: *—— Currum subiere jugales,*
Quos decus esse Deæ primi sub limine Cæli
Roscida fœcundis concepit Luna cavernis.

Quum ergo opaca sit Luna, lucem admittit inæqualiter, medietate tantum sui orbis vel paullo amplius; ea parte, qua ad Solem versa. Hinc varie nostris se oculis exhibet, modo nulla, alias dimidia, interdum plena. Formæ, quas Luna alias atque augendo diminuendoque induit, Græcis φάσεις atque Σχήματα dicuntur, varijsque appellantur nominibus. Species enim Crescentis, suaque Cornua Orienti obvertentis (Experientia apud Plinium libro II. nat. hist. cap. XIV. docente) quarto (tertio alijs, qui in sequentibus numeris etiam paullum evariant) mensis die dicitur κερατώδης vel μηνοειδὴς falcata, in cornua quum cernitur curvata: Septimo die διχότομος vel ἡμίτομος, dimidia & æqua portione divisa; Vndecimo ἀμφίκυρτος, utrimque gibbosa & prætumida, quum aliquid deest integro orbi; decimoquinto πανσέληνος, plena: Senescentis autem suisque cornibus Occidentem spectantis effigies contrario ordine appellatur, decimonono die ἀμφίκυρτος; Vicesimosecundo iterum διχότομος; Vicesimosexto μηνοειδής: Tricesimo denique cum Sole Luna facit congressum, qui Σύνοδος Græcis & νεομηνία; Latinis *Conjunctio, Coitus, Novilunium, Interlunium*; Virgilius & Plinius *Silentia Lunæ* vocant. Quæ dixi paucis sic notat Macrobius in Somnium Scipionis: *Luna dispensationibus septenarijs luminis sui vires sempiterna lege variando disponit. Primis septem diebus dimidiata semi-orbem ostendit; vocaturque dimidia. Secundis totum orbem complet, fitque Plenilunium. Tertijs rursus efficitur dimidia. Quartis fit coitus Lunæ cum Sole, quod Interlunium nominatur. Est enim tempus inter deficientem & nascentem Lunam, hoc est, tricesimus dies, in quo Luna non lucet. Nam quum Soli conjuncta sit ita obscuratur ut minime possit videri; sed eodem momento renascens, paullatim ab eo recedendo, videtur.* Adeundus & Plinius lib. II. natur. histor. cap. IX & lib. XVIII. cap. XXXIII. Caussas harum Formarum aperit erudite Vitellio libro IV. Opticæ, cap. LXXIV, & tribus seqq. Ob hanc igitur instabilitatem recte Ovidius XV. Metamorph.

Nec par aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest usquam: semperque hodierna sequente,
Si crescit, minor est; major, si contrahit orbem.

Et Horatius lib. II Carminum; Ode XI.

Non semper idem floribus est honos
Vernis: neque uno Luna rubens nitet
Vultu. quid æternis minorem
Consilijs animum fatigas?

Lunæ crescentis sic decrescentisque imaginem Σεληνίτην gestare, reddereque enim in dies singulos, scribunt Plinius lib. XXXVII, cap. X. ex Dioscoride, qui mutilior hodie illo loco, & Georgius Agricola lib. V. de natura Fossilium. De Quarta Luna singulare hoc legitur, quod, ex Genethliacorum doctrina & præceptis, illa nati Laboriosam acturi sint vitam, quemadmodum de Hercule prodit Eustathius. Tales apud Sudam Τετραδισταὶ vocantur, qui quarta Luna editi laboribus periculisque adsiduis, ut alteri Hercules, involvuntur. *Herculis Sidus* apud Florum I. hist. Rom. cap. XVIII, nihil aliud quam quarta Luna. Adagium ἐν τετράδι γεγονὼς ab alijs explicatur. Elegans plenæ Lunæ Encomium est apud Senecam Hippolito, Choro Act. II:

[Margin notes: Σχηματισμοί, Lunæ ad Solem. — Σεληνίτης gemma. — Quarta Luna nati. — Luna pleno lumine fulgente, Stellarum, quæ proximæ nitor & decus evanescunt.]

Pulcrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno:
Quum suos ignes coeunte cornu
Iunxit, & curru properante pernox
Exserit vultus rubicunda Phœbe,
Nec tenent Stellæ faciem minores.

Simile Boetij illud:

Vt nunc pleno lucida cornu,
Totis fratris & obvia flammis,
Condat Stellas Luna minores.

Easdem Lunæ, pleno Lumine lucentis, vires expressit optime Claudianus his versibus:

Haud secus ac tacitam Luna regnante per Arcton,
Sidereæ cedunt facies, quum fratre retuso
Æmulus adversis flagraverit ignibus orbis.
Tunc iubar Arcturi languet; tunc fulva Leonis
Ira perit; Plaustro iam rara intermicat Arctos
Indignata regi; iam, caligantibus armis,
Debilis Orion dextram miratur inermem.

Magnitudo Lunæ. Lunæ Corpus Astronomi clarissimi, Ptolemæus quidem (cui omnes fere sequentes subscripserunt) Terra minus triceesies novies & unitate plus besse; Copernicus autem quadragies ter minus octava parte, deprehendisse se notant: ut falsa sint, quæ de Luna, maximum eam Cœli post Solem Astrum esse scribit ad cap. 1. Geneseos, & lib. 11. de Genesi ad litteram, cap. xvi. Basilius, quod antea monui. De Lunæ magnitudine eleganter Plinius lib. 11. nat. hist. cap. xi. & xiv.

Orbes. De Orbibus Lunæ Eccentricis, Concentricis, & Epicyclis abunde Ptolemæus alijque Mathematici.

Distantia Lunæ Nouæ & Plenæ maximam ab terreno globo distantiam Ptolemæus indicat LXIV. semidiametr. x. scrupul. Recentiores LXV. semidiatr. xxx. scrupul. Minimam LV. semidiam. VIII. scrupul. Lunæ vero ἡμιτόμου altitudinem maximam LXVIII semidiametr. xx. scrupul. minimam vero semidiatr. LII. scrupul. XVII. Consulendi hac de re, præter novitios, Plinius lib. 11. cap. xxi. Ptolemæus lib. v. mag. Composit. & propos. XVII. quinti Epit. Vitellio item lib. Optit. x, proposit. LIX.

Motus, quis; Luna non solum in Eccentrico Circulo movetur; sed motus sui aliam etiam habet lineam; quæ deflectit hinc ad Boream, inde ad Austrum ab Ecliptica, duobus eam intersecans locis, qui Nodi Latinis, Græcis Συνδεσμοι vocantur. Eorum unus ad Boreum latus, Ἀναβιβάζων, *Ascendens*, recentioribus *Caput Draconis*; alter ad Meridionalem plagam Καταβιβάζων, *Descendens*, *Draconis Cauda* dicitur. Zodiacum adsiduo motu (unde Arnobio libro 1. advers. gentes, Luna *in motu indesinens*, vel *indeses*: alterutrum enim substituendum in locum corruptioris ibi vocis *Indemnis*) perlustrat spacio dierum vigenti septem, horarum septem; additis scrupulis, primis quidem quadraginta tribus, secundis vero septem. Videndus Plinius lib. 11. cap. ix.

Quot dierum Ad Lunæ Cursum Veteres Tempus Menstruum metiri solitos, innuit Theodoretus de Provident. serm. 1. Τοῦ γὰρ μηνὸς ἐκ τῆς Σελήνης τὸ μέτρον λαμβάνομεν, ἐντεῦθεν γὰρ καὶ τῆς προσηγορίας μετέλαχεν. μήνην γὰρ ὀνομάζουσι τὴν Σελήνην. Idem alij notant ex Macrobio lib. 1. cap. xvi. Censorino de die Nat. & Aristophanis aliorumque Interpretibus.

Eclipsis. *Eclipsis Lunæ*, nihil aliud, quam defectus sive privatio luminis Solaris in Lunari corpore. Fit, quoties incidit in umbram, quam in oppositam ex diametro Soli partem jacit Terra: Tunc enim necesse est Lunam, quum alieno, id est, Solis lumine luceat, obtenebrari & ἔκλειψιν pati. Incidit autem, quoties lumine plena Soli opponitur in altero Nodorum, de quibus paullo ante dixi: si quidem exacte in ipsis Nodis, fit integra; sin extra Nodos, non longe tamen ab ijs digressa intra limites defectionum manens, particulatim digitis aliquot. Vsitatissima Mathematicis utor voce. Sunt enim Digiti, quæ & Vnciæ, nihil aliud quam duodecimæ Diametri Lunæ vel Solis partes. Extra Nodos & Defectionis metas Lunæ nihil accedit detrimenti. De Eclipsi, ejusque Caussis & Speciebus, quare item una altera diutius duret, multa Mathematici. Paucis Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. cap. xv. & Plinius lib. 11. cap. x. Sic

Luca-

Lucanus lib. I. Tempus & caussam Lunaris Eclipseos indicans:

—— cornuque coacto
Iam Phœbe toto fratrem quum redderet orbe,
Terrarum subita percussa expalluit umbra.

Plinius etiam lib. II. cap. XIII. ex Hipparcho docet, Lunæ defectum aliquando fieri quinto mense à priore; item contingere, utroque super Terram conspicuo Sidere: utrumque denique Sidus nonnumquam defectum pati solitum spacio XV. dierum. Quod verum esse, parebit aliquando ex meo Συγχρονισμῷ centum, qui proxime lapsi, annorum. In eo enim video annis ab Christo nato, supra sesquimillesimum, secundo, decimooctavo, & sequenti, tricesimoquarto, quadragesimoquarto, & alias, Eclipses accidisse Solis Lunæque intra spacium XV. dierum. Quo modo autem hoc fiat, perspicuis demonstrationibus aperiunt Ioannes Regiomontanus doctissima Epitoma in Almagestum, & Iacobi Zieglerus atque Milichius Commentarijs suis in Plinium. Existimabant Antiqui, quum Lunam deficere viderent, Carmine Magico solicitari, & sic rubore suffundi. Seneca Hippolyto Choro Act. II. Luna deficiens Carmine magico putabatur solicitari.

At nos solliciti lumine turbido,
Tractam Thessalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus.

Plinius: *Deliquio Solis & Lunæ veneficia arguente mortalitate, & ob id crepitu dissono auxiliante.* Opinionem hanc tam superstitiose imbiberant Athenienses, ut eos, qui veram Eclipsis caussam adferebant, tamquam impios, vivos exurerent, teste Plutarcho in Pericle. De Rubore autem, præter alios, Ovidius lib. II. Amor. Eleg. V: & ideo rubore suffundi.

Quale Rosæ fulgent inter sua Lilia mistæ,
Aut ubi cantatis Luna laborat equis.

Thessalis præcipue vis hæc & potentia tributa. Sosiphanes in Meleagro: ab Thessalis.

Μάγοις ἐπωδαῖς πᾶσα Θεσσαλὴς κόρη,
Ψευδὴς Σελήνης αἰθέριος καταιβάτις.

Seneca Medea, Act. IV: *Video Triviæ currus agiles;*
Non quos pleno lucida vultu.
Pernox agitat, sed quos facie
Lurida mæsta, quum Thessalicis
Vexata minis, Cælum freno
Propiore legit.

Lucanus passim lib. VI. Belli Pharsalici. Errores hujusmodi refutas eleganter, Quisquis es Antiquorum Vatum: quod refutatum.

Non illam, ut populi credunt, nigrantibus antris
Infernas ululans mulier prædira sub umbras
Detrahit altivago è speculo, nec carmine victa
Vincibilemque petit clamorem. Quippe per æthram,
Qua citimus limes dispescit turbida puris,
Inviolata meat: sed vasto corpore Tellus,
Quæ medium tenet ima polum, dum lumina fratris
Detinet umbriferis metis, tum Sidere casso,
Pallescit teres umbra rotæ: dum transeat axem
Aggerei velox tumuli, speculoque rosanti
Fraternas reparet per Cælum libera flammas.

Obiter hic superstitio notanda Veterum, qui soliti Lunæ deficienti æreorum vasorum tinnitu, tubarumque strepitu auxiliari, quemadmodum docent Tacitus lib. I. & Plutarch. in vita Æmilij. Sic Ovidius lib. VII. Metamorph. Lunæ deficienti quomodo succursum.

Te quoque Luna traho, quamvis Themesæa labores
Æra tuos minuant.

Tibullus lib. I. Eleg. VIII.

—— è curru Lunam deducere tentat;
Et faceret, si non æra repulsa sonent.

Manilius lib. I. Astronom. de Lunæ deliquio; quod non uno & eodem tempore ab omnibus conspicitur:

Vltimo

Vltima ad Hesperios infectis volveris alis:
Seraque in extremis quatiuntur gentibus æra.

Sic Seneca paullo ante in Hippolyto; & Medea Act. IV:

——sic face tristem
Pallida lucem funde per auras,
Horrore novo terre populos,
Inque auxilium Dictynna tuum
Preciosa sonent æra Corinthi.

Iuvenalis Sat. VI: *——nemo æra fatiget:*
Vna laboranti poterit succurrere Lunæ.

Martialis lib. XII. Epigram. LXII:
Dicet quot æra verberent manus urbis,
Quum secta Colcho Luna vapulat rhombo.

Alibi lego Indos Lunæ defectum & ruborem copioso fletu prosequi solitos; quod arbitrarentur, eam ab Sole ad sanguinis usque effusionem flagellatam. Lunam interdum deficere notant Scriptores, etiamsi nullam ab interposita terra patiatur obscurationem, hominibus apparens nigra vel sanguineo colore suffusa. Docet Xiphilinus in Vitellio: ταραχῆς οὖν καὶ κατὰ τοῦτο πολλῆς ἐν τῷ τοῦ Βιτελλίου στρατοπέδῳ οὔσης, ἐπηύξησεν αὐτὴν ἡ σελήνη τῆς νυκτὸς ἐκλιποῦσα· οὐχ ὅτι καὶ ἐσκιάσθη (καίτοι τοῖς θορυβουμένοις καὶ τὰ τοιαῦτα φόβον φέρει) ἀλλ' ὅτι καὶ αἱματώδης καὶ μέλαινα, ἄλλα τέ τινα χρώματα φοβερὰ ἀφιεῖσα ὤφθη. Quod autem cum hic & apud alios Scriptores, tum toties in sacris litteris Luna scribatur futura novissimo die, sanguinei coloris, ut Sol nigri; naturalem videtur habere caussam: eventurum illud propter calidæ fumidæque, terra eductæ, Exspirationis vim maximam, oculis nostris Siderumque globis intersitam; quæ conglomerata tales colores cœlestibus corporibus est obductura. Videndus omnino Aristoteles lib. I. & II. Meteoror. Intersitam, dixi; ne quis putet infici vaporibus ipsum Lunæ corpus. Nam quod cap. XV. scripsi Stellas humoribus ad se tractis non pasci: idem exaudiri volo de Luna: quod moneo, ne quem seducat Ptolemæus, qui diserte notat, Lunam ideo humectare, quod Terræ vaporibus sit vicinior; innuens non obscure Lunæ humiditatem & frigiditatem esse à Terra. Omnia supra Elementarem regionem æterna sunt; nihil obnoxium ibi corruptioni: quod abunde paret ex nostra Vniversi distributione.

Lunæ sanguineus color unde.

An humoribus ad se tractis pascatur.

Influxus.

De mirabilibus Lunæ Influxibus sic loquitur Ptolemæus lib. I. c. I: *Luna vero ut proxima terris manifeste in terrena influit: cum illa enim consentiunt & commutantur pleraq; omnia, & Animata & Inanimata: Ipsi Fluvij nunc augescunt, nunc decrescunt secundum lunarem splendorem: ipsa Maria impetu diverso, pro eo ac illa oritur aut occidit, feruntur. Denique Germina ac Animantes, aut omnino aut aliqua ex parte, cum Luna incrementa ac decrementa sentiunt.* Plinius lib. natur. histor. II, cap. XLI: *Lunari potestate Ostrearum Conchyliorumque & Concharum omnium corpora augeri aut rursus minui. Quin & Soricum fibras respondere numero Lunæ, exquisivere diligentiores: minimumque animal Formicam sentire vires Sideris, Interlunio semper cessantem.* Idem Plinius ejusdem libri cap. XCVII. adfirmat Lunam motus Marium caussam esse, qua de re lib. III. Hoc item notandum, quod *Luna Terras saturet; accedensque*, inquit idem cap. XCIX, *corpora impleat, abscedens inaniat: ideo cum incremento ejus augeri Conchylia, & maxime spiritum sentire quibus sanguis non sit. Sed & sanguine Hominem etiam cum lumine ejus augeri ac minui: Frondes quoque ac Pabula sentire, in omnia eadem penetrante vi.* Et hinc recte Luna Mercurio Trismegisto *Naturæ* dicitur *Miraculum*, inferiorem transmutantis materiam. Plura huc referenda ex M. Porcio Catone de re rustica, cap. XXXI. & XXXVII, M. Tullio II. de Divinatione, Plinio lib. XVI. naturalis historiæ, cap. XXXVIIII. & lib. XVIII, cap. XXXII. Agellio lib. XX. noct. Attic. cap. VII, Vitruvio lib. II. Architect. cap. IX, Vegetio lib. IV. de re militari, cap. XXXV.

Character.

Cornua.

Character Lunæ Mathematicis ☽. Est enim, ut utar Horatio, Carm. Secular. *Siderum Regina bicornis.* Pictores, Sculptores, ceterique Formarum exprimendarum artifices, Lunæ duo semper velut parvula cornua solent affingere: cujus moris meminit Claudianus, lib. II. de rapt. Proserp.

Hic Hyperionio Solem de semine nasci
Fecerat, & pariter Lunam; sed dispare forma
Auroræ Noctisque duces: cunabula Tethys
Præbet, & infantes gremio solatur anhelos,

Caru-

Caeruleusque sinus roseis radiatur alumnis:
Invalidum dextro portat Titana lacerto
Nondum luce gravem, nec pubescentibus alte
Cristatum radijs: primo clementior aevo
Fingitur, & tenerum vagitu despuit ignem;
Laeva parte furor vitrei libamina potat
Vberis, & parvo signantur tempora cornu.

Sic Lunae Cornua tribuuntur passim à Poëtis, Homero, Horatio, Ovidio, Lucano, Seneca, Statio, Solino, Marciano Capella, & alijs. A quibus fingatur talis.

Lunae porro varias ob caussas dare cum Homero, Manilio, Tertulliano, Isidoro, alijs, Bigas, & Equos; eosque cum Ovidio Niveos, cum incertis apud Isidorum tempore matutino Album, Atrum vespertino facere: Tauros ejus currui jungere cum Fulgentio: Boves cum Prudentio; Iuvencos cum Avieno; nunc Iuvencas, nunc Vaccas cum Ausonio; Cervos cum Claudiano, ob velocitatem in cursu perficiendo; Mulas denique, ratione sterilitatis, cum Antiquis apud Festum; non est hujus loci, non nostri instituti.

PAVLLI G. F. P. N. MERVLÆ

COSMOGRAPHIÆ

PARTIS I.

LIBER III.

De Inconstante, & quae perpetuis obnoxia mutationibus, universi parte.

Cap. I.

De Elementis universim

HACTENVS fixa mens haesit in altiore constantis aeternaeque τ̃ παντὸς Partis consideratione: delabenti sensim, & Lunae globum transmensae, offert se totius portiuncula (quid ni quod superest sic vocem, in Vniversi raptus admirationem?) inconstans & perpetuis obnoxia mutationibus, in Elementis, quae, ut eleganter Iacobus Carpentarius in Alcinoi def. mole minima, virtute sunt maxima.

Elementum Corpus est natura sua simplex, finitum, umbrosum, luce & lumine destitutum. Alij alio modo. *Corpus* esse scribunt Plato in Timaeo, & Aristoteles apud Alexandrum Aphrodis. in 1. Meteor cap. 1. text. 1. Thomas ad eundem librum, c. 11, Elementa negat Corpora; aliorum inquiens Corporum esse Elementa. *Simplex* dixi *sua natura*; cujus tamen praestantiam intueri mortalibus negatum. Elementa, quae nos appellamus, nostrisque videmus oculis, simplicia non sunt, non sunt pura (Marsil. Ficin. in Platon. Phileb. c. xx) Purum enim & simplicem Aerem quis ferret? *Aer purus*, inquit Albertus Magnus de Propriet. Element. lib. 1. tract. 1. cap. 11, *occidit: qua de caussa montes altissimos ascendentes Philosophi spongias aquis intinctas ante nares secum portabant; ut per has grossior esset Aer spiratus.* Nihilo magis pura nobis Aqua; diffusus est per eam Aer, ut mox dicam: quam multum autem admistum illi Elementum Quid; Corpus esse, Simplex.

 Terrae,

Terræ, ne sit insipida; saporis enim expertia per se notant Elementa Aristoteles de sens. & sens. c.v, Alexander Aphrodisiens. in lib. I. de Anima, c.XVI, Averroes ibidem, & alij. Terra denique quid dabit ex se, si in se nihil humoris habeat aquei? qui provomet nobis Flumina fontesque, quibus ab Aere, Terræ verrucas penetrante, solent esse scatebræ? qui vivent sub ea Talpæ, aliaque, si viscera ejus Aere destituantur? Nihil hic miseris, & quos peccata fecit impuros, puri. Cum dolore fatendum, Elementa, quo magis ab humano consortio recedant, eo esse puriora, simpliciora, levioraque, cum per se, tum ordinis habita ratione. Videndus Averroes lib. II. de Cœlo, text. 32. *Duobus enim modis*, ut scribit Albertus in II. Meteor. tract. I. cap. VII, *considerantur vel secundum suam formam; & sic sunt absoluta, suisque distincta formis & locis: alio modo secundum viam transmutationis ad invicem; & ita non sunt determinata in suis formis, nec in suis locis. Sic Vapor nihil aliud, quam Aqua alterata ad Aeris naturam; Nubes, Vapor alteratus ad naturam Aquæ.* Elementa sane, quibus utimur nos & fruimur, ex ipsis composita quasi sunt Elementis; & inde quotidie fiunt omnia; in eadem, tamquam principia sua, Philosophis, omnia redire solita. Vnde variæ varijs diffinitiones. Aristoteli μεταφυσικ. δ΄, Στοιχεῖον λέγεται, ἐξ οὗ σύγκειται πρώτου ἐνυπάρχοντος ἀδιαιρέτου τῷ εἴδει εἰς ἕτερον εἶδος: Speusippo in Platon. diffinit. & Simplicio I. de Cœlo, Elementum id ex quo primo quid componitur, & in quod ultimum compositum resolvitur: Averroi in Epit. Metaphysic. tract. I, ad quod res resolvitur ratione formæ: Joanni Grammatic. I. Physic. quod constituit rem, & fit compositi pars: Thomæ denique in I. Physic, l. IV. text. I. & II. de generat. & corrupt. l. III. cap. XVI, ex quo componitur res primo, & est in eo. Quo modo? Plene novit hoc admirandus omnium naturæ secretorum cognitor, DEVS: cæcutiunt hic homines, quorum alij ita misceri volunt Elementa, ut ex ijs tertium fiat; alij integra manere dicunt; alij denique, mediam ingressi viam, nec integra manere statuunt, nec penitus aboleri, frangi tamen & minui sic, ut integritas formæ abeat, retenta ipsorum veritate & potestate: fusius hæc prosequente Ioanne Pico Mirandulano Comite, de Element. c. II. *Dum mutantur*, inquit Chalcidius in Plat. Tim. *non mutant essentiam, sed qualitatem*, Aristoteles Elementorum circularem facit generationem, & facillimum esse motum Transmutationis: mutuam enim esse cognationem Ignis cum Aere, quum ambo calidi; Aeris cum Aqua, quum ambo frigidi; Aquæ ad Terram, quum utraque humida; Terræ ad Ignem, quum in utroque siccitas, de generat. & corrupt. summa II. cap. I. text. 25. Averroes etiam III. de Cœlo, text. 51. dicit, Elementorum alicujus partis corruptionem, esse generationem alterius. Legendus & Simplicius in lib. VIII. Physic. text. 36. *Finitum* addidi. Ejus esse naturæ Elementa, & undique vorsum dimensionem habere docet, qui Naturam felicissime rimatus est, Aristoteles lib. I. de Cœlo, text 44. & lib. III. text. 34, 36, & 52. Infinita tamen sunt quodammodo, quod in infinitum extensa; ut idem vult lib. III. Physic. cap. IV. tex. 43. & 46; ideoque non male negantur habere quantitatem determinatam Averroi lib. II. de Cœlo, text. 95.

Finitum.

Quomodo Infinitum.

Efficiens.

Elementa, ut universi cetera, fecit DEVS: qua de re copiose disserui, lib. I. cap. II. Averroes lib. II. de Cœlo, text. 104, & in VIII. Metaphysic. text. comment. 12. scribit Elementum omne secundum totum ingenerabile, secundum partes esse generabile: quod & legere me memini apud Ioan. Grammat. in I. Poster. cap. VIII. & Albertum Magnum in II. de Cœlo, tract. IV cap. XIX, aliosque antiquioris notæ. Veteres Theologi τὸ Πᾶν DEVM, ejusque μέρη vel (ut vocat Manilius lib. I. Astronomic.) artus, Στοιχεῖα facientes; hæc, quòd æternum scirent DEVM, ἀγέννητα censebant, sed κατὰ διαδοχὴν γενέσεως καὶ φθορᾶς unumquodque γεννητὸν, id est, κατὰ μέρος: Στοιχεῖα, dicis gratia, quæ in mistis, genita esse, sed ἀρχὰς Στοιχείων generationis expertes: Diversa enim Ἀρχὰς esse καὶ Στοιχεῖα, ut etiam memoriæ prodit ex Zenonis Cittici sententia Diogenes Laertius. Videndus omnino Alexander Aphrodis. principio Comment. in lib. II. Meteor.

Forma.

Elementa notat Albertus in II. de Cœlo, tract. II. cap. I, corpora rotunda per Accidens: locantur enim in rotundo: recta per Se: nam motus illis rectus. Vtrumque patet. Quæ Aeris sursum, & quo purioris altius feruntur: quæ Aquæ Terræque, linea recta deorsum. Iam Sphærica figura, quæ reliquis, ut libro I. cap. VI, ostendi, Elementis etiam conveniebat; quo commodissime unum ab altero contineretur:

Aqua

Aqua Terraque, quæ unum constituunt globum, ab ambiente & circumfuso Aere; hic ab Lunæ sphæra.

Totam Elementorum stationem ad initium usque ætthereæ regionis comprehendi scribunt Mathematici semidiametris Terræ CIV: & scrupulis XXXIV. In ea cuique suus adtributus locus. *Nam si omnibus esset idem, prohiberent se invicem in loco,* inquit Averroes lib. 21. de Cœlo, text. 53. Elementa certe sub Luna esse nulli negant; at in Cœlo, Physicorum nonnulli negabant: sed, ut disserit Marsil. Ficin. in Plat. Timæum cap. XXIV, isti audiant Metaphysicos, probantes Elementa per ideas suas esse in ipso mundi Opifice; esse inde in Anima Mundi per rationes suas; esse in Natura per semina; ergo & in Cœlo per virtutes, & sub Cœlo per formas. Adeundus ad majorem horum inlustrationem Franciscus Georgius Venetus de Harmonia totius mundi. Statio,

CAP. II.

Elementa tantum tria. Ignis non vere Elementum.

PLERIQVE & Antiquorum & Recentiorum, varijs rationibus quæ apud Platonem, Aristotelem, Galenum, Macrobium & alios, adducti, quatuor numero statuunt; duo *Ignem* & *Aerem*, recta linea sursum; totidem *Aquam* & *Terram*, deorsum tendentia. Sed revera tria tantum sunt. *Aer, Aqua, Terra*; ut optime multis argumentis probat vir acutissimus Hieronymus Cardanus, Medicus Mediolanensis, de Subtilitate lib. I. quem non compilabo: consulendi & Philosophi apud Aristotelem lib. I. Meteor. Alexander Aphrodisiensis. II. probl. XIV. & doctissimus ille Ioannes Picus, Comes Mirandulæ, de Elementis cap. III. Ignis enim qui putatur & Elementis connumeratur, nihil aliud est, quam Aer sub Lunæ convexo supremus, tenuissimus, purissimus, proxime accedens ad cœlestem illum beneque temperatum calorem, cujus vi & efficacia, DEO gratiam adfundente, materiam subministrantibus Aqua & Terra (videndus Aristoteles de Anima I, summa secunda, cap. V. text. 82.) cuncta generantur. Non existimandum Ignem istic actu flagrare. Supremus Aer, quod vicinior Sphæris cœlestibus perpetuo & velocissimo Corporum cœlestium motu calefiat, Ignis appellationem consuetudine quadam est nactus. Aristoteles: περὶ δὲ ταῦτα καὶ τὰ ἐχόμενα τούτων, ἀήρ τι καὶ ὃ διὰ συνήθειαν καλοῦμεν πῦρ· οὐκ ἔστι δὲ πῦρ. ὑπερβολὴ γὰρ θερμοῦ καὶ οἷον ζέσις ἐστὶ τὸ πῦρ. Certe Ignis Elementum Antiquis obscurum & incognitum fuisse, testatur Leo Hebr. de Amor. Dialog. II. Apud Moschen etiam in rerum creatarum commemoratione nulla fit Ignis hujus mentio: disertis verbis nominantur Terra & Aqua; Aerem autem magni Interpretes sentiunt non obscure indicari verbis: ורוח אלהים מרחפת על פני המים *Et spiritus Domini ferebatur super facies Aquarum.* De tribus Elementis & Calore cœlesti, quem ut Caussam Efficientem *Igneam* vocat *Vim* (ut & Stoici apud Ciceronem lib. III. de natur. Deorum; Homerus Πυρὸς μένος, *Ignis Spiritum* Ennius) Eleganter Ovidius lib. I. Metamorphoseos:

Elementorum Numerus.

Ignis non est Elementum.

Ignea convexi vis & sine pondere Cœli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce;
Proximus est Aer illi levitate locoque;
Densior his tellus, Elementaque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sui: circumfluus Humor
Vltima possedit, solidumque coercuit orbem.

Quod autem in superioribus aliquoties Ignis, ut Elementi, meminerim; feci, non indicans meam hac de re sententiam, sed Philosophorum recensens opiniones. Hic tandem locus flagitabat, ut quæ mea de hoc Elemento mens esset, aperte serioque pronunciarem. Aliter quidem existimarunt Veterum non pauci: sed fuerunt homines: & ut tales se probarent, in multis singularibus aberrarunt, ἀνταγωνιστὰς sibique reclamantes sæpe nacti. Amicus Socrates, amicus Plato, amici ceteri; sed amica magis Veritas, cujus apud Aristotelem lib. I. Tropicorum, tanta vis, ut propter eam etiam Philosophi, velint nolint, sibi contradicere debeant, & melius solidiusque edocti, pro quibus aliquando mordicus pugnarant, magnis animis rejicere.

Cap. III.

Elementorum Distributio. De Aere.

Elementorum Distributio. ELEMENTVM igitur in tribus consideratum vel Pellucidum est, vel Opacum. Pellucidum voco, quod, quia rarum lumini est pervium. Cujus generis duo *Aer* & *Aqua*: Thomas de natur. luminis opusc. 51.

Aer quid; Est autem *Aer* Elementum pellucidum, rarius Aqua; medium spacium, quod inter globum Lunæ & terram Aquamque, ut adsignatum sibi propriumque locum, occupans: Philo Iudæus de Mundi opificio.

Pellucidum esse. Pellucidum esse, id est, per medium sui lucem tramittere, nemo dubitat. Testantur nullius non oculi: qui, ni ita esset, non contemplarentur mirabilia DEI opera; non fruerentur jucundo Solis, Lunæ, Siderum, non aliarum rerum adspectu. Et rarior Aqua. Rariorem Aqua dixi. Docet res ipsa Raritatem ejus talem & Mollitiem; ob quam Veteres eum Iunoni consecrare erant soliti. M. Tullius II. de natura Deorum, Cœlum ex dictis Ennij & Euripidis, tum Augurum auctoritate, consensuque generis humani, Iovem esse tradit; Aerem autem, sicut Stoici disputant, inter Cœlum & Mare interjectum, Iunonem; quæ est Soror & Conjux Iovis, quod & similitudo est Ætheris, & cum eo summa conjunctio. *Effeminarunt autem eum*, inquit, *Iunonique tribuerunt, quod nihil est eo mollius.*

Unde dictus. Dictus, ut vult ex Platonis Timæo Isidorus lib. Etymolog. XIII. cap. VII. ἀπὸ τοῦ αἴρειν, *quod ferat terram, vel quod feratur:* ut idem Plato, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ῥεῖν, quod semper fluat; ut alij censent, ab α privativa particula & ὁράω, quod per se obscurus illuminetur à Stellis. Sed potius est, ut appellatus censeatur ab ἄημι, quod est spiro: Spirat enim Aeris beneficio quidquid habet vitam, & Pulmonem; aliudve Pulmonis vice, Aer, Corpus. spirabile viscus.

Vt Elementa reliqua, sic Aerem Lucretius, alijque apud Servium ad VI. Æneidos Physici corporeum esse probant, inde; quod Aves sustineat: sed hunc cedere vapori sulphureo: unde aves in hujusmodi locis ab Aere densiore, quo portari solent, desertæ concidunt, pondere; non odore, ut cum alijs scribit de Averno, Campaniæ lacu, Isidorus lib. Orig. XIII. cap. XIX.

Aer, Cœlum. Aer apud Veteres Scriptores, Lucretium lib. IV. de Rerum natura & Virgilium lib. I. & V. Æneidos, notante Servio, aliosque, ut & Latinos Sacræ Scripturæ Interpretes, sæpe Cœlum solet nominari. Isidorus lib. XIII, cap. IV: *Interdum & Cœlum pro Aere accipitur; ubi Venti & Nubes, Procellæ & Turbines fiunt;* *Lucretius,*

——Cœlum quod dicitur Aer:

Et Psalmus Volucres Cœli appellat; quum manifestum sit Aves in Aere volare: & nos in consuetudine hunc Aerem Cœlum appellamus, &c.

Diffusus per omnia. Diffusus autem Aer per omnia. Quod per Terram; docent respirantes Talpæ, & quæ sub terra vitam trahunt: vere Georgio Agricola scribente de Animalibus subterran. Nam adsentire non possum magno Cardano, notanti lib. X. Talpam adeo odisse Aerem; ut si cogatur in lucem egredi, brevissimo temporis spacio exanimetur. Et sane, quantum Aeris intra viscera sua terra cohibeat, indices sunt cum frequentes ejus motus propter spiritum intus agitatum atque conflictatum; tum Fontes & Flumina, quorum origo Aer, vel Terræ inclusus, vel intra poros ejus receptus; & in Aquam conversus. Quod vero per Aquam; ostendunt partim Pisces, de quibus Aristoteles lib. de natura Animal. VI. cap. XII, & de partib. Animal. III. cap. VI. & refutans Aristotelem, quod specialius de Balena, Delphino, Cete loquatur, Plinius lib. naturalis histor. IX. cap. VII: partim Vrinatores, qui nisi sub Aquis Aerem, per Aquas diffusum, haurirent, quo pacto viverent? In India Occidentali passim Vrinatores, venandis margaritarum ostreis intenti, per horam integram sub Aqua latitant. Colanus Vrinator Cataniæ: quæ urbs Siciliæ, sub Aqua ternis ac quaternis horis, veluti Piscis quidam, delitescebat.

Natura frigidus. Aer, etsi natura frigidus (quod recte sentiunt Stoici contra Aristotelem, qui natura sua calidum facit & humidum: consulendi omnino Cardanus sub initium lib. II.

lib. II. de Subtilit. & Iulius Scaliger, lectu digna ad locum illum differens) ut Elementa omnia; omnis enim Calor ab Cœlestibus est & à Luce: dividitur tamen vulgo in Calidum & Frigidum: Medius propter Caloris ἀντιπερίστασιν frigidus est: utrimque vero extremus, calidus; Superior quidem propter perennem motum Mundi & Cœlestium lucem; Inferior vero propter radiorum reflexionem à Terræ soliditate; Albertus Magnus de Passionibus Aeris. Hinc Physici tres (quinque Albertus lib. II. Meteor. tract. I. cap. III.) imaginari solent Aeris regiones, Supremam, Mediam, Infimam: scribentes in Aere Summo generari Cometas & Φάσματα, ut sunt Λαμπάδες, Βολίδες, Trabes, Trajectiones, Διάττοντες, Χάσματα; in Medio Fulmina, Παρήλια Παρασελήνια, Ἅλωες, Ἴριδες, Tonitrua, Ventos, Nubes, Pluviam, Nivem, Grandinem; in Infimo denique Ignem Fatuum, Rorem, Pruinam. Quorum fusior explicatio quum propria sit Physici, non Cosmographi; non hic ero prolixior: legendi Aristoteles de Meteor. Plinius lib. II. natur. histor. & alij. Multa paucis Isidorus lib. XIII. Originum, cap. VII, de Aere loquens: *Hic partim ad cœlestem, partim ad terrenam materiam pertinet. Nam ille subtilis, ubi ventosi ac procellosi motus non possunt existere, ad cœlestem pertinet partem* (nihil hic de Igne, Elemento) *iste vero turbulentior,* (intelligit ceterum & citeriorem) *qui exhalationibus humidis corporescit, Terræ deputatur; qui ex se multas species reddit. Nam commotus Ventos facit; vehementius concitatus, Ignes & Tonitrua; contractus, Nubila; conspissatus, Pluviam; congelantibus nubibus, Nivem; turbulentius congelantibus densioribus nubibus, Grandinem; distentus serenum efficit. Nam Aerem densum Nubem esse constat; Nubem rarefactam & solutam, Aerem.*

Aeris Divisio.

Illud addam, vetustissimos Theologos totum hoc Aeris spacium sub Plutonis constituisse potestate, & inibi domicilia quasi construxisse cum Inferis, ut Proserpinæ, Summano Diti, Manibus, Furijs, alijsque immundis spiritibus: tum quos merita videbantur ad loca superiora vocasse, Semideis & Heroibus. Marcianus Capella: *A medietate Aeris usque in Montium Terræque confinia Hemithei Heroesque versantur, qui ex eo quod Heram Terram veteres dixerunt, Heroes nuncupati; ibique Manes, id est, Corpori humano Præsules attributi qui parentum seminibus manaverunt. Denique hæc omnis Aeris ab Luna diffusio sub Plutonis potestate consistit, qui etiam Summanus dicitur quasi summus Manium. Hic Luna, quæ huic Aeri propior est, Proserpina nominatur. Verum illi Manes, quoniam corporibus eo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio, etiam post vitam hisdem corporibus delectantur, atque cum his manentes Lemures appellantur: qui, si vitæ prioris adjuti fuerint honestate, in Lares domorum urbiumque vertuntur; si autem depravantur ex corpore, Larvæ perhibentur ac Maniæ. Manes igitur hic tam boni, quam truces sunt constituti; quos ἀγαθοὺς καὶ κακοὺς δαίμονας memorat Graia discretio. In his etiam locis Summanes, eorumque præstites Mana & Manuana; Dij etiam, quos Aquilos dicunt: Item Furinaque & Mater Mania Intemperiaque & alij triptes Deorum degunt.* Isidorus Originum libro VIII. cap. ult. *Manes deos dicunt mortuorum, quorum potestatem inter Lunam & Terram adserunt; à quibus & Mane dictum existimant, quos putant ab Aere, qui manus id est rarus est, Manes dictos: sive quia late manant per auras, sive quia mites sunt immanibus contrario nomine hoc appellantur.* Et lib. V. cap. XXX: *Alij Mane existimant vocari à Manibus, quorum conversatio ab Luna ad Terram est. Alij putant ab Aere, quia manus id est rarus est & perspicuus.* Hinc *Dij Aerij* apud Arnobium lib. III. advers. gentes: *Possumus si videtur summatim aliquid & de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus Vicorum atque Itinerum Deos esse, ex eo quod Græci Vicos cognominant Λαύρας. In diversis Nigidius scriptis, modo tectorum domuumque custodes; modo Curetas illos qui occuluisse perhibentur ædibus Iovis aliquando vagitum Indigetes Samothracios, quos quinque indicant Græci, Idæos Dactylos nuncupari. Varro similiter hæsitans; nunc esse illos Manes; & ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum, nunc aerios rursus Deos & Heroas pronunciat appellari.* Videndus & Augustinus lib. VIII. de Civitate Dei, cap. XXII. & libro de Agone Christiano: cum quo sanctisque alijs viris valere jubeamus absurdam hanc & impiam Gentilium θεολογίαν.

Aer sub cuius potestate; & quibus in eo domicilia.

Cap. IV.

De Aqua.

Aqua quid. *Pellucidam esse.* DIXI de priore Pellucidorum, *Aere*: alterum ejus indolis Elementum, *Aquam* statui. Est ea Elementum pellucidum, humidum; Aerem densitate, Terram raritate superans. Esse Pellucidum, nemo, nisi qui temerandæ contradictionibus suis veritati natus, negat. Ostendit nobis hæc Aquæ, modo nimium non fuerit vel alta, vel crassa, turbatave terrenis fæcibus, διαφάνστα, quæ in imis resident fundis. Alioquin Vrinatoribus perluciditatem hanc apud Plinium lib. II. natur. histor. cap. XLII, testantibus suffragantur etiam qui gemmis quæritandis alijsve funditus extrahendis ævo nostro dant operam. Et quia Gemmarum mihi facta mentio: accedant & illæ probando, quod dixi. Quum enim manifestum sit, eas ex altero principaliter Elementorum, Terra vel Aqua, conflari certo certius esse tradunt Physici, non perspicuas ex terrea crassioreque substantia generationis materiem mutuari, pellucidas vero ex aqua præsertim consistere, suæque matris, quæ transparentior, indolem quasi referre. *Humidam.* Aquam etiam scribit Alexander Aphrodisiensis de sensu & sensato, sect. II, quod Ignis esca & pabulum dicatur, lumine facile inlustrari. Aquam non solum humidam esse & frigidam notant Aristoteles lib. II. de generatione & corruptione, cap. III. text. 16, Magentinus Metropolita Mitylenensis, & alij ad magnum Philosophum; Aere item humidiorem, Thomas II. de generat. & corrupt. lib. III, tex. 23: verum etiam omnibus humidis esse principium & fontem, docet idem Aristoteles lib. I. Metaphysic. cap. I. Iam quod Aqua Terra sit rarior, clamat res ipsa; quod longe densior Aere, etiam obscuro, tradit Alex. Aphrodis. lib. II. de Anima, cap. XXXIII.

Terra rariorem, Aere densiorem. *Vnde dicta.* Aqua quemadmodum censet Isidorus lib. XIII. Originum, c. XII. *quod æqua ejus superficies*; vel, quæ Latinorum, Thaletis sententiam cum apud alios tum Lactantium lib. I. de falsa religione, cap. V, sequentium mens, *quasi à qua nata sunt omnia.*

Aqua Terraque unum formant globum. Aquarum Terræque moles simul unum constituunt, ut postea dicam, globum; cujus una est superficies convexa, scribente cum alijs Strabone lib. III: Aquis interim Terræ faciem non superantibus; Terminus enim non violandus illis positus ab suo Creatore, ut canit Propheta regius Psalmo CIV. vers. 9, quo pertinent & quæ leguntur apud Iirmeiam cap. V. vers. 22, Hiiobum cap. XXXVIII, vers. 8, 9, 10. 11. Proverb. cap. VIII, vers. 29: sed vel circumdantibus, eodem Psalmo, vers. 6; vel medium quasi permanentibus, inque varias partes, velut frustra, divellentibus, nec non intra viscera illius, tamquam in utre, conclusis, Psalmo XXXIII, 7. Porro rotunditatem Aquæ, eamque propria sibi & adgenita indole sensim in tumorem adsurgere, specialius arguunt partim ejus partes, Guttulæ, quæ formam sphæricam plurimum adsimilare, & in parvos globari solent orbes; partim signum aliquod in littore positum, oculique in illud ex navis altius provectæ nunc prora nunc summo malo conjecti: nam quod hic contemplantibus obfertur, ibi negatur: notante Plinio lib. II. natur. histor. cap. LXV. ubi plura pro rotunditate argumenta.

Centrum Aquæ. Sunt qui duplex Aquæ centrum Gravitatis & Magnitudinis ponunt; multa de constituendi utrumque necessitate colligentes, sed quæ parum firma solidaque. Ptolemæus Centrorum diuersitatem probare non videtur, quum simpliciter scribit, Terram una cum undis circumfluis Globum constituere, illamque eminere extra Aquas, veluti cespitem ex palude; & una cum undis inflecti, & in globi speciem ad commune centrum inclinari. Vitruvius etiam lib. IX, Terram prodit in medio positam, & una cum mari in centri loco naturaliter esse collocatam.

Effecta. De varijs Aquarum Effectis Isidorus lib. XIII. Etymolog. cap. XII. ex nescio quo Scriptore (solet enim aliunde sua compilare) *Aquarum*, inquit, *Elementum ceteris omnibus imperat. Aquæ enim Cælum temperant; Terram fæcundant; Aerem exhalationibus suis incorporant; scandunt in sublime, & Cælum sibi vindicant: quid enim mirabilius Aquis in Cælo stantibus? Parum sit in tantam pervenisse altitudinem; rapiunt & secum Piscium examina; effusæ omnium in Terra nascentium caussa fiunt; Fruges gignunt; Arbores, Frutices, Herbasque producunt; Sordes detergunt; Potum cunctis Animantibus tribuunt.*

Aqua

Aqua omnis, licet gravitate suoque pondere ad lineam deorsum labatur, tamen non incommode partiri licet in *Motam* & *Quietam*. *Mota* currensque frigidior, melior, levior subtiliorque *Quieta* & *Stante*; cui contrariæ sunt Qualitates & Adfectiones, ut pluribus notat Albertus Magnus I Meteor. tract. I. cap. II. & lib. II. tract. III. cap. XX. *Mota* vel agitatur reciproce, cujus generis sunt Maria, quæ vi Siderum, imprimis Lunæ, trahuntur; vel uno tantum agmine perpetuo defluit, ad quam classem pertinent, Flumina, Fontes, & id genus alia. *Quieta* stagnans est, non nisi violentia ventorum agitari solita. Sic fere dividit Aquas Aristoteles lib. II. Meteor. cap. I. τῶν γὰρ περὶ τὴν γῆν ὑδάτων, τὰ μὲν ῥυτὰ πάντα πηγαῖα (*fontanæ*) τῶν δὲ στασίμων τὰ μὲν συλλεγμαῖα (*collectitia*) καὶ ὑποστάσεις (*subsidentes*) οἷον τὰ τελματιαῖα (*palustres*) καὶ ὅσα λιμναῖα (*lacustres*) πλήθει καὶ ὀλιγότητι διαφέροντα· τὰ δὲ πηγαῖα ταῦτα δὲ πάντα χειρόκμητα· λέγω δ' οἷον τὰ φρεατιαῖα (*puteales*) καλούμενα. Propter tria hæc Aquarum genera Tridentem Neptuno tribuit Antiquitas. Æschyli Scholiastes περμ. δεσμ. τρίαιναν δὲ λέγουσι κρατεῖν τὸν Ποσειδῶνα, ἢ διὰ τὸ τρίτον στοιχεῖον εἶναι αὐτόν· ἢ διὰ τὸ εἰς τρία διαιρεῖσθαι τὸ ὕδωρ. εἰς ποτάμιον, εἰς θαλάσσιον, καὶ εἰς λιμναῖον. Quur autem Neptuno? Per hunc enim veteres vim Maris significabant, M. Tullius lib. I. de natura Deorum ex Chrysippi sententia prodit; *Neptunum nihil aliud esse, quam Spiritum, qui Mare commovet*.

Divisio Aquæ in

Motam, quæ vel reciproca, vel perpetuo agmine fluit;

& Quietam.

Cap. V.

De Mari universim.

INTER Aquas primo se loco offerunt *Maria*. *Mare* nihil aliud, quam collectio reciprocantium Aquarum generalis, Isidoro scribente lib. XIII. Originum, cap. XIV. dicta eidem ab Amaritudine. Collectionem distiniens voco generalem: Nam Aqua, quæ dum spacio sex dierum emoliebatur omnia potenter ex nihilo DEUS, ante diem tertium universam undique terram operiebat, tertia die unum in locum est congregata; sic ut Terra apparuerit. Ita enim apud Moschen in descriptione operis tertij diei DEUS noster infinitæ potentiæ: *Congregentur* (יקוו) *Aquæ, quæ sub Cælo sunt ad locum unum* (אל־מקום אחד) *& appareat Arida* (היבשה) Addit deinde divinus Scriba: *Et factum est ita. Et vocavit* DEUS *Aridam, Terram; & Congregationem Aquarum* (ולמקוה המים) *appellavit Maria* (ימים) Quis quæso non legat hæc & alia ibi cum stupore? Sit oscitans hic, cui sensus omnis obstructus. Nam quis hic locus, qui Aquis totam Terram paullo ante obnubentibus, in ipsa Terra factus receptaculum? Quamvis superari suos hic captus & ingenia libere fateantur viri magni, dixerunt tamen aliquid. Augustinus lib. I. de Genesi ad litteram, cap. XII. & sequuti illum alij scribunt, Aquam prius fuisse rariorem tenuioremque, & instar materiæ nebulosæ terram operuisse; postea vero coactam valde densatamque minore eguisse loco. Quidam volunt Terram multis tunc partibus profunde subsedisse, alijs contra plurimis in sublime sublatis extumuisse; factasque esse magnas concavitates & valles profundas, quæ tantæ Aquarum moli constituta quasi vasa; luculenter hæc, ut nonnullorum est interpretatio, prosequente Davide, Psalmo CIV, versu 6. usque ad 9. Aristoteles etiam lib. I. Meteor. quum unum corpus globosum scripsisset ex Aqua Terraque constari; magnas simul Terræ concavitates fabricat, inque eas universum Aquæ Elementum dirivat. Basilius, Ambrosius, alijque ad cap. I. Genes. & Thomas parte I, quæst. LXIX. censent Aquam ante circumfusam toti Terræ, ita fuisse tertio die unum in locum coactam, ut in maximam elata sublimitatem altissime extumuerit. Quidquid sit; non absurdum, si dicamus peculiarem Aquis omnibus locum tertio die factum esse Oceanum, cum quo omnia Maria (uno Caspio copulam habente secretiorem) continuantur: consulendus Albertus Magnus II. Meteor. tract. III. cap. X. Quamvis enim videamus, tam diversa & tam longe dissita Aquarum loca in tot maribus, fluminibus, lacubus, & paludibus, ut etiam nonnulla nulla inter se communione jungi videantur; tamen locus ille, quem Aquis designat apud Moschen DEUS, nihil aliud quam Stationes hic ibi, ab habitabili terra separatæ; præcipue vero immensum illud spacium, quo reciprocat Oceanus, fluviorum omnium fontiumq; pater & princeps; Terram vel circumeundo, vel viscera ejus per venas, con-

Mare quid.

Collectio idem esse Aquarum generalem reciprocantium.

tubulos quosdam, canales & siphunculos, ingrediundo. De qua re plura suo loco Mare igitur generalis collectio Aquarum, quæ tertio die in unum congregata locum: neque interim Mare altius Terra; quod tamen voluerunt, perpensis Sacræ Scripturæ verbis, quæ modo laudavi, Theologorum non pauci; addentes Aquas in unum in locum collectas solo Dei præcepto mirandum in modum teneri: ne ad humiliora loca, quo naturaliter propendent defluentes, Terram universam operiant & obruant. Basilius Homilia iv. in ἑξαήμερ. cui adsentiunt Thomas part. 1. quæst. lxix. art. 1. & Catharinus Commentar. ad cap. 1. Genes. quod dixi, confirmare nititur adducto argumento maris Rubri, cum quo Sesostres Ægypti & Darius Persarum reges conjungere mare Ægyptiacum sunt conati: *quod sane*, inquit, *non tentassent, nisi mare Rubrum altius esse terra Ægypti compertum habuissent.* Memoria lapsus videtur, quod obiter monendum, in historiæ hujus commemoratione Basilius. Scribit enim Plinius lib. vi. nat. histor. cap. xxix, Reges, quorum memini, non mare Ægyptiacum, sed Nilum fluvium cum mari Rubro committere voluisse, incœpto autem destitisse metu exundationis, quum excelsius tribus cubitis Rubrum mare deprehendissent, quam Terram Ægypti; qua de re legendus & Strabo lib. xvii, qui eamdem narrans historiam, notat opus illud fere fuisse absolutum, derelictum tamen ab Dario 1. cui Libratores falso persuaserant, Rubrum mare Aegypto sublimius: Inde, si intermedius Isthmus intercideretur, periculum fore, ne tota Aegyptus ab mari obrueretur. Sunt etiam qui, prolatis in medium aliquot Sacræ Scripturæ locis, eamdem opinionem tueri volunt, Psalm. xxxiii, 7. lxix, 3. civ, 6. Ecclesiastici cap. xxxix, 22. Sed refelluntur sic sentientes docte nervoseque ab Philosophis & Mathematicis, quibus certa hic & indubia docentibus plane consentiendum. Non possum non suffragari hic viris magnis. Si quis dubitat terram, quæ apparet extra aquas, esse superiorem aquis, non tam eget ratione, quam adplicatione ad sensum. Cernimus enim motum Aquæ fieri semper locum vorsus decliviorem: quæ si altior esset Terra, profecto in eam, ut in locum humiliorem, necessario deflueret. Nam dicere Dei omnipotentia teneri Mare, ne defluat in Terram; ineptum est & puerilis inscitiæ, ponere sine caussa tantum & tam perpetuum miraculum. Quin & Sacra Scriptura videtur eam opinionem evertere; quum petentes ex Terra Mare dicat *Descendere* Psal. cvii, 33. Certe sine magno miraculo non potest Aqua, quæ natura sua gravior est Aëre, quæ fluxa, quæ labilis, ita consistere, ut partes ejus, quæ Terra sublimiores, ad eam non delabantur. Accedunt huc Mathematica argumenta, quibus paullo ante probavi Aquam esse rotundam, quibusque in sequentibus sum probaturus, ex Aqua & Terra unum conflari globum. Demonstrat & quotidiana, quod dixi, experientia. Si enim Mare altius esset Terra, pari ventorum aut remigum vi & impulsu eadem navis multo velocius ferretur, ad portum seu littus tendens; quam ex portu aut littore discedens: discedens enim ex littore adscenderet, & in arduum obnitens difficiliorem haberet progressum: contra ad littus accedens, tamquam per lubrica & declivia descendens magno impetu deferretur. Facit huc & illud, quod quo magis navis ex portu discederet, eo melius commodiusque ab iis, qui sunt in portu vel littore, cerneretur, utpote quæ magis ac magis semper in locum altiorem ascenderet; quod tamen contra evenit. Benedictus porro Pererius lib. 1. in Genesin docet, quo pacto testimonia Sacræ Scripturæ, quæ pro confirmatione sententiæ prædictæ solent adferri, sint accipienda. Pergo.

An Mare altius Terra.

Facta in Diffinitione Reciprocantium Aquarum mentione, moneor, ut de *Aestu* nonnihil dicam. *Aestus* dicitur Motus Maris, quo exundans fluit; &, exacta periodo, refluit. Species ejus; hinc *Aestus* specialiore notione, qui *Maris Accessus* aliis; Græcis πλήμη, πλημμύρα, πλημμυρίς; ἐπίβασις Straboni: inde *Recessus* vel *Reciprocatio*: Græcis παλίρροια, Homero κῦμα παλιρρόθιον, Apollonio πλημμυρὶς παλίνορσος, Theophrasto ἄμπωτις, Straboni denique ἄνεσις. Caussis ejus inquirendis operam maximam impenderunt maxima quomdam ævoque nostro ingenia; Heroibus etiam hanc curam suscipientibus. Est enim illa maris Reciprocatio admiratione dignissima, & res plane divina. Bene M. Tullius lib. iii. de Natura Deorum: *Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius? quid freto Siciliensi, quid Oceani fervore illis in locis,*

Aestus maris, Quid. Duplex.

Res Divina.

Europam Libyamque rapax ubi dividit unda?

Quid

Quid Aestus maritimi vel Hispanienses, vel Britannici, eorumque certis temporibus vel Accessus vel Recessus sine Deo *fieri num possunt?* Caussæ vero varijs variæ, quemadmodum videre est apud Plutarchum de Placitis Philosoph. Caussa variæ: Plato, notante Stobæo ἐκλογ. Φυσικ. lib. I. (videndus & ipse in Phædone) αἰωρεῖν τῶν ὑδάτων, suspendium adfert Aquarum; esse enim illud per quoddam Terræ foramen, Æstum circumferens, ac Mari tumorem concilians. I. Aristoteles & Heraclides apud eundem Soli caussam tribuunt: plerosque Spiritus moventi ac circumferenti: quibus ingruentibus quidem, propulsum Atlanticum mare intumescat, Aestumque efficiat; cessantibus autem, retractum subsidat, Aestumque revocet. II. Platonici (quorum sententiam sequitur etiam Strabo lib. I.) dixerunt Mare Animanti simile: Vt enim hoc spiritum emittit & retrahit; ita illud in se & ex se recurrenti quadam agitatione moveri. III. Videtur & hoc velle Vegetius lib. IV. de re militari, cap. XLII: *Elementum Pelagi tertia pars Mundi est, quod praeter ventorum flatum suo quoque spiramine motuque vegetatur.* Non procul hinc abeunt Physicorum nonnulli apud Solinum, qui totum Mundum Animal esse somniant, nares illi constituentes in penitissimis Oceani, quibus spiritum attrahat, attractumque emittat. IV. *Physici*, inquit, *autumant Animal esse Mundum, eumque ex varijs Elementorum corporibus conglobatum, moveri spiritu, regi mente: quæ utraque diffusa per membra omnia æternæ molis vigorem exerceant. Sicut ergo in Corpo illius commercia sunt spiritalia; ita in profundis Oceani nares quasdam Mundi constitutas, per quas emissi anhelitus vel reducti: modo insilent maria, modo revocent.* Alij apud Pomponium lib. III. depressos imaginati sunt Specus, in quos ingenti se mole vibrans Aquarum moles mergatur, & rursum meatuum repagulis pulsa exundet; quod agere spiritus sub Aqua conclusos Apollonius Tyaneus existimabat, ut lib. V. scribit Philostratus. V. Macrobius lib. II. in Somnium Scipionis: illum Maris motum ex eo esse putavit, quod Sinus Oceani Orientalis & Occidentalis mutuo concursu sese feriant, impetuque immaniore misceantur, *ex quarum collisione nascitur*, inquit, *famosa illa Oceani Accessio & Recessio.* VI. Lucanus animum hic despondens ignorantiam suam fatetur, veram caussam nescire se non invitus canens:

—— qua littus dubium, quod Terra Fretumque
Vindicat alternis vicibus: quum funditur ingens
Oceanus; vel quum refugis de fluctibus aufert
Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet,
Destituatque ferens; an sidere mota secundo
Tethyos unda vaga Lunaribus æstuat horis;
Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas,
Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera tollat:
Quærite quos agitat Mundi labor; at mihi semper
Tu quæcunque moves tam crebros caussa meatus,
Vt superi voluere, lates.

Vbi non oscitanter legenda, quæ de *Lunaribus horis.* Namque tam stupendo miraculo caussa princeps, Efficacia Motusque Corporum Cœlestium, cum primis illorum, quibus cognatio cum humidis, in quorum classe palmarium debetur Lunæ. VII. quæ vera. Hæc enim Humorum omnium, ut quæ citima Terris fertur, dominatrix, eos sua Virtute ciet movetque; non solum in Animalium, quod de Luna differens monui, sed aliarum etiam rerum corporibus. Luna variat Aestus diversitate sui Motus; Adeundi Ptolemæus II. quadripart. cap. XII, Plinius lib. II. natur. histor. cap. XCVII, M. Tullius lib. II. de Divinatione, Averroes in sua Paraphr. Ambrosius lib. IV: ἑξαημέρ. Sic Sillius lib. III. belli Pœnici:

Cymothoes ea regna vagæ, Pelagique labores
Luna movet; Luna, immissis per cærula bigis,
Fertque refertque Fretum, sequiturque reciproca Tethys.

Præter Veteres consulendi sunt & Recentiores, Albertus de Elementorum proprietatibus, Thomas de occultis Naturæ operibus, Thimon. II. Meteor. quæst. II. Picus Mirandula contra Astrologos III. cap. XV. Augustinus Niphus Suessanus super Enunciatum XXV, libri de nostrarum Calamitatum caussis tertij. Quemadmodum vero Luna varias in Motu vices sustinet; ita etiam dissimilibus vicibus agitantur Æstus. Nam Lunam sequentes bis inter duos ejus exortus adfluunt, bis refluunt, viceni-quaternis semper horis: hoc est, Maria singulis diebus naturalibus bis

bis inundant, bis recedunt: intumescentia, adscendente Luna supra Horizontem ortivum; relabentia vero ipsa ab meridiano cœli fastigio in occasum vergente: iterum exsurgentia, recedente subter ima cœli Luna, partemque meridianæ contrariam accedente; hinc subsidentia, donec iterum exoriatur. M. Terentius Varro lib. VIII. de Lingua Latina: *At in Mari, credo, Motus non habent dissimilitudines geminas qui XXIV. horis Lunaribus quotidie quater se mutant. at quum sex horis Aestus creverunt, totidem decreverunt rursum.* Vegetius lib. IIII. de re milit. cap. XLII: *In diversis regionibus diverso Lunæ crescentis minuentisque statu certis horis ista variantur,* &c.

II. Loci.

Vt item Luna non semper eodem tempore neque loco oritur; sed adsidue aliunde, quam pridie, prodit: sic nec Æstus statis horis recurrunt; sed illo tantum tempore, quo ipsa iter facit per cœli cardines. Plinius lib. II, cap. XCVII: *Nec unquam eodem tempore quo pridie refluit, ut ancillante sidere trahenteque secum avido haustu, maria, & adsidue aliunde quam pridie exoriente: paribus tamen intervallis reciproci, senisque semper horis non cuiusque diei aut noctis aut loci, sed æquinoctialibus.*

III. Luminis sui.

Hoc etiam notandum Lunam aliter Maria movere, quum plena; aliter, quum dimidiata. Maior enim vis lumini copioso, quam debili & velut exstincto. Plinius eodem capite: *Multiplex etiamnum lunaris differentia, primumque septenis diebus. Quippe modici nova ad dividuam æstus, pleni ore ab ea exundant, plenaque maxime fervent: inde mitescunt. Pares ad septimam primis: iterumque alio latere dividuo augentur. In coitu Solis pares,* &c. Hinc Cæsar lib. IV. de bello Gallico: *Eadem nocte accidit, ut esset Luna plena, qui dies matutinos æstus in Oceano maximos efficere solet.* Tacitus lib. I. Annalium: *Vitellius primum iter sicca humo, aut modice adlabente æstu, quietum habuit; mox impulsu Aquilonis, simul sidere AEquinoctij, quo maximo tumescit Oceanus, rapi agique agmen: & opplebantur terræ; eadem freto, litori, campis facies; neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia à profundis,* &c. Nota nostratibus Plenilunij tempore vox, *Sprinckz loedt*, quasi Aestus altius solito exsiliens. Non minus vere, quam eleganter Agellius lib. XIV,

IV Adspectu suo ad reliquas Stellas;

Oceanum, quasi Lunæ comitem, cum ea simul & senescere, & adulescere solere, ait. Configurationes quoque nonnullius hic momenti. Luna enim, si Venerem, dicis gratia, in idoneo adspectu respiciat, & humidas percurrat mansiones; Accessum Maris præter solitum auget; sin Martem, & siccas permeet, minuit.

V. Ratione adscensionis Signorum.

Obseruanda & hic adscensio Signorum. Luna enim si fuerit in Signis Rectarum Adscensionum, longiore tempore producit Aestus; quam si in Obliquarum. Hoc namque animadversum viris magnis, numquam Accessus Recessibus pares esse temporis duratione; nisi quum Luna in Signis Aequinoctialibus sine latitudine. Plinius paullo ante: *senisque semper horis non cuiusque diei, aut noctis, aut loci; sed æquinoctialibus* &c.

VI. Dominii in divers. Aquar. part.

Neque hoc silentio prætereundum, alias Aquarum partes magis vi luminis & radiorum corporis Lunaris adfici, quam alias; vel ob rectitudinem radiorum, vel vim quamdam aliam occultiorem.

VII. Altitudinis.

Quin & alia efficacia radios suos in Aquas demittit Luna, si Septemtrionalis; alia, si Meridionalis: hic enim Accessus auget in littoribus Meridianis; ibi in Septemtrionalibus. Plinius eodem capite: *Plane eadem Aquilonia & à terris longius recedente mitiores, quam quum in Austros digressa propiore nisu vim suam exercet.*

Aestus Effectus, commodi.

Effectus huius Aestus alios novimus & experimur commodos, alios incommodos. Illos quidem, quod Aquas purget, ne stantes & quietæ (docet hoc experientia) situ & putrefactione corrumpantur: quod item promoveat Navigantes; Nam, ut inquit

Incommodi.

Vegetius lib. IV. de re militari; cap. XLII, *hæc reciprocantis meatus abiguitas Cursum Navium secunda adjuvat, retardat adversa.* Hos autem, Inundationum & Perruptionum violentia. Nam tanta sæpe vi terris immittitur Oceanus; ut etiam vasta flumina retroagat, mergens abluensque spaciosos campos. Scribit hoc Pomponius Mela; clamantque tot multorum seculorum calamitates. Perruptiones testantur Insulæ numerosæ; quæ Continenti quomdam adhæserunt: Sicilia Italiæ, Cyprus Syriæ, Eubœa Bœotiæ, Taprobana Indiæ, aliæ alijs, ut videre est apud Strabonem lib. I. Georg. Ovidium XV. Metamorph. Senecam lib. VI, & Plinium lib. II. cap. XXCIIX. adeo ut nonnullis Mare videatur in eo totum esse, quo terras absorbeat, & omnia pontum faciat. Sed terminum illi posuit magnus & potens DEVS, qui apud Iirmeiam cap. V: *Me ergo non timebitis,* ait, *& à facie mea non dolebitis? Qui posui Arenam terminum Mari, præceptum sempiternum quod non præteribit: & commovebuntur & non poterunt: & intumescent fluctus ejus, & non transibunt illud.* Hic enim, ut inquit Hiiob. cap. XII, *Si continuerit Aquas, omnia siccabuntur; & si emiserit eas, subvertent Terram.* Hæc de

Aestu:

Aestu; super quo etiam consulenda Possidonij Disputatio; ab ijs quæ nobis hodie nota, non abhorrens, apud Strabonem libro III. extremo.

Mare, Salum. Salsedo Maris unde.

Mare porro *Salum* dicitur, vel ἀπὸ τῶ σαλεύειν, ut quidam volunt, quod fluctuet; vel ab Salsedine, quam sunt qui in ipsa creatione datam Mari notant. Anaximander censuit Mare salsum esse, quod ad ipsum flumina salsa magno numero confluant: Anaxagoras & Plato, propter venas Terræ salsas: Platonici, ob nonnullas Terræ partes, quæ in imo Maris salsas. Aristoteli lib. II. Meteor. visum hoc fieri, propter Sicci terrestris usti permistionem cum ejus aquoso humido. Anaximenes & Diogenes Solis Stellarumque actioni Salsedinem attribuerunt: dixerunt enim Mare initio dulce fuisse, postea actione Stellarum salsum evasisse. Plerique Philosophi Salsedinem putant ab Exhalationibus; quas virtute Solis & Stellarum ex Mari sursum evectas, decidentes rursum ejus aquis deinde permisceri volunt. Videndus omnino Averroes in Paraphr.

Non auget Mare recepta tot fluminum.

Quod autem Mare non augeat, quum tot flumina, tot in se recipiat fontes, variæ sunt apud Isidorum lib. XIII, cap. XIV. & alios caussæ. I. enim adcurrentes undas ejus vastitas non sentit; II. amarior ejus aqua dulces, quæ adfluunt, consumit: III. Nubes multum hinc Aquarum ad se attrahunt: IV. marinam Aquam partim auferunt Venti, partim Sol exsiccat: V. denique Mare per occulta quædam Terræ foramina percolatur, & ad caput amnium fontiumque revolutum recurrit. De postrema hac caussa nonnihil etiam ubi de Fluminum Fontiumque ortu.

Mare nihil fœdi patitur.

Plinius lib. II. natur. histor. cap. XCIIX, omnia Maria purgari notat Plenilunio; quædam etiam stato tempore; & circa Messanam & Mylas fimo similia exspui in littus purgamenta. Quur hoc? Nihil enim patiuntur fœdi, nihil inquinati; quidquid violentia perit tempestatum, id omne ad littus explodunt. Respicit eo Latinus suo Panegyrico: *Noster Pirata quidquid undecumque convexerat, id nobis sibique periturum in illam specus sui Charibdim congerebat. Charibdim loquor? quæ quum plena navigia sorbuerit, dicitur tamen eructare naufragia, & contortas fundo rates Taurominitanis littoribus exponere.* Certe Cadavera & alia quæque naufraga littoribus reddi, quotidie docemur, qui maris adcolæ. Superstitiosius hoc, quod Magi nefas crederent, exspuere in Mare, eoque ad humanas necessitates uti. Plinius de Tyridate Mago, quem ad se Nero acciverat: *Magus ad eum Tyridates venerat, Armeniacum de se triumphum adferens, & ideo provinciis gravis navigare noluerat; quoniam exspuere in Maria, alijsque mortalium necessitatibus violare naturam ipsam fas non putent.* Non igitur obscurum, quam ob caussam marinas (Aquis omnibus tribuunt purgandi vim alij scriptores) undas usurparit Antiquitas in Purgationibus, ut videre est apud Catullum de aversis incestisque Gellii Veneribus, Senecam in Hippolyto, Apuleium libro XI. Metamorph. Lactantium lib. V. Instit. Divinar. cap. XX. Et hinc, cum apud alios tum Iulium Obsequentem de Prodigijs, leguntur Hermaphroditi Aruspicum præcepto in Mare deportari quondam soliti; quod nullis nisi æquoris undis ejusmodi Portentum lavari & expiari posse arbitrarentur. Quin Maris undas medendis morbis adhibitas innuit Diogenes Laërtius, Euripidem scribens cum Platone profectum in Ægyptum, ibique ægrotantem marina curatione ab Ægyptijs Sacerdotibus sanatum: unde postea, tamquam accepti memor beneficij, Mari hoc Encomium posuit:

In Mare nefas exspuere, ex Magorum mente.

Marinarum Aquarum usus in Purgationibus.

Hermaphroditi in Mare deportati.

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

An mare gelu contrahatur.

Docet apud Macrobium lib. VII. Saturn. cap. XII, Disarius ab Avieno provocatus, Aquam marinam, quæ amaritudine sui aspera est, numquam gelu contrahi: Herodotum Historiarum scriptorem contra omnium fere, qui hæc quæsiverunt, opinionem scripsisse, mare Bosphoricum, earumque partium mare omne, quod Scythicum dicitur, gelu constringi & consistere: aliter enim esse, quam putatur. Nam non marinam Aquam contrahi; sed, quia plurimum in illis regionibus fluviorum est, qui in ipsa Maria se exonerant, superficies Maris, cui dulces Aquæ innatant, congelascere, &, incolumi Aqua marina, videri in Mari gelu, sed de advenis undis coactum. Fidem deinde testatur Ponti, in quo frustra quædam & prosiciæ gelidæ feruntur, contractæ de fluvialium undarum multitudine. Sunt qui hanc Disarij, marinam Aquam congelationis capacem negantis, disputationem rapiunt in controversiam: quod videant sequiora de Ponto scripta ab Ovidio:

Ipse vides certe glacie concrescere Pontum;
Ipse vides gelido stantia vina gelu;

Ipse

Ipse vides onerata ferox ut ducat Iacis
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.

In Ponti naturam, an hieme obduretur, curiosius numquam inquisivi: alioqui videri posset Ovidius talia de eo cecinisse, in littore, non in altum provectus; & ut Poëta homoque exsul, ut horribilis loci, in quem pulsus erat, delineatione misericordiam moveret cum aliis, tum Augusto principi. Certe vix esse, ut Maria (non loquor de Terræ vel infusis vel adluentibus) glacie concrescant; testamur qui adhabitamus; clamant & Argonautæ nostri, qui nuperrime per fretum Vaigarium, cui Nassouium nomen indiderunt, Sinarum regna congitantes, Septemtrionale Pelagus aliquoties, semel etiam ad xxc, & quod excurrebat, Altitudinis gradum navigarunt. Inciderunt quidem non raro, cum summo navium vitæque discrimine, in multam glaciem, sed terris adnavigantes, prope littora & portus; ut illa non tam videretur ex mari nata, marinæque planitus connata, quam ex littoribus ventorum vehementia & undarum impetu in altum provoluta, & ex frustris proficijsque in colliculos quasi constipata. Hinc est, quod in suis Diarijs passim notent; vento mutato, Mare nunc navigabile, nunc contra fuisse: hinc quod ubique littorea commemorent ab glacie pericula: hinc denique quod nullo non loco lineam à prora navigantes demittere potuerint, absque ullo obstaculo, ad explorandam Maris altitudinem; quod, si Mare congelatum fuisset, facere nequiissent. Frustra igitur Mare illud Glaciale dicitur; & ob glaciem, qua concretum non recte perhibetur, navigari posse negatur. Purum, etiam sub polo, Mare, media hieme; tempore verno, navigabile; æstate glacierum fragminibus, quæ vel terris calore Solis abrupta, vel ab fluminibus eructata, obsessum: præcipue ad littora & in fretis atque angustioribus locis. Hæc si vere de Septemtrionali prædicentur mari; ubi, remotissimo Sole, frigora necessario maxime penetrabilia: certe non injuria dici possunt de reliquis, quæ propiora Soli; cuius calor juvare solet Maris naturam, ne in glaciem Aquæ convertantur. Iam quod posteriorum temporum Scriptoris monimentis suis consignent, Mare ad aliquot milliaria subinde congelatum fuisse, arbitror ex auditu potius hoc illos tradere, quam quod viderint, & ita se res haberet: vel, si quid tale fuerit, de adventitia glacie exaudiendum. Nam quod toties illi suo tempore scribant factum; mirum ne semel quidem ævo nostro contigisse.

Maris Color. Mari certum & constantem non esse Colorem, sed pro Ventorum qualitate mutari, tradunt Physici; nunc enim flavum esse, nunc atrum, nunc viridem. Videndus Isidorus lib. XIII, cap. XIV.

Profunditas. Maria versus Austrum esse profundiora, quam quæ ad Septemtrionem, ajunt qui per utraque fecerunt huc illuc iter; quod non solum de Oceano, sed & de Mediterraneis exaudiendum, paret inde, quod, Græcis scribentibus, Pontus Ægæo, hoc Siculo, Siculum cedat Tyrrheno & Sardoo; quæ, ut etiam notat Aristoteles lib. II. Meteor. omnium (mediterranea intellegit, homo Græcus) profundissima. Abyssum (quæ Isidoro lib. XIII. Originum, cap. XX. profunditas Aquarum impenetrabilis) volunt nonnulli Mare Indicum, quod vere Austrinum. Vbi vero mensus Maris altitudinem Fabianus antiquus scriptor, nescio. Is enim apud Plinium lib. II, cap. CII, altissimum mare tradit esse XV. Stadiorum. Æquat ejus ratio mille nongentos septuaginta quinque passus: Passus mihi spacium, quod utriusque manus extensione completur; pedes quinos continens: *Vadem* idiomate nostro. Hoc certum, Altitudinem Maris diversam esse, quum tamen indiscreta dorsi ejus æqualitas, inquit Isidorus lib. XIII, cap. XIV; unde Æquor appellatum ab æquitate, ut censet M. Tullius; vel quia æqualiter sursum est, ut Isidorus. Nam quamvis Aquæ fluctuantes nonnumquam velut montes erigantur; tamen tempestatibus, quæ commoverant, sedatis positisque ventis, rursum adæquantur.

Maris navigantes experimur plerumque Rabiem, nonnumquam Malaciam, sæpe Pellaciam. Rabies. Rabiem, quoties commotum tempestatibus horrescit, cœloque confunditur; flantibus discorditer in perniciem nostram ventis, undisque longo per multa volumina tractu æstuantibus. Maris crudelitas ab Homero delineatur, Odyss. θ:

ὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ κακώτερον ἄλλο θαλάσσης
Ἄνδρα γε συγχεῦαι, εἰ καὶ μάλα καρτερὸς εἴη.

Quem

Quem Poëtæ locum Livius Andronicus apud Festum eleganter exprimit:

Namque nullum pejus macerat humanum,
Quamde Mare sævum. Vires quoi sunt magnæ;
Topper confrigent importunæ undæ.

Tria Græci Mala agnoscebant, *Ignem*, *Mare*, *Mulierem*. Indicat celebratum illis Trimetrum:

πῦρ καὶ θάλασσα καὶ γυνή; κακὰ τρία.

Hinc Medea, quum apud Senecam in cognomine sibi Tragœdia, Act. II, gloriata esset, scelere Flammas à se vinci & Mare; paullo post in ejusdem Choro cantatur *Majus Mari Malum*. Quin, docente Agellio lib. XV, cap. XXI, ferocissimos & immanes, alienosque ab omni humanitate, tamquam è Mari genitos, *Neptuni filios* dixit Antiquitas. Audaces igitur merito primi Nautæ; de quibus multa Oppianus Halieuticῶn 5, Propertius lib. III, Elegia de obitu Pœti, Seneca Medea, & alij. Sic Sophocles in Antiq. Act. II:

πολλὰ τὰ δεινά; κοὐδὲν ἀν-
θρώπου δεινότερον πέλει.
τοῦτο καὶ πολιοῦ πέραν
πόντου χειμερίῳ νότῳ
χωρεῖ περιβρυχίοισι
περῶν ὑπ' οἴδμασι. &c.

Malaciam (sic enim voce Græca Latini Scriptores Maris Molliciem nominant, ut legere est apud Cæsarem III. de bello Gallico, Senecam lib. IX. Epistolar. aliosque) experimur, quoties ferocitate deposita tranquillum plane se præbet, placatum & certum. Pellaciam denique, quoties nos ad navigandum sua tranquillitate pellectos fallit, erumpens in horrendas subito tempestates. Lucretius lib. II. de rer. natura:

Malacia.

Pellacia.

Infidi Maris Insidias, Viresque, Dolumque
Ut vitare velint, neve ullo tempore credant,
Subdola quum ridet placidi pellacia ponti.

Et lib. V:

Nec poterant quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.

Verum esse Senecæ illud docet experientia: *Noli huic tranquillitati confidere; momento Mare vertitur; eodem die, ubi luserunt Navigia, sorbentur.* Quisquis navigat tantum distat à Morte, quanta Navis est crassitudo: ad quod Anacharsis apud Laërtium Apophthegma adludit Iuvenalis in Satyris:

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quattuor, aut septem, si sit latissima rheda.

Oraculi instar mihi Carsilidis illud, interrogati, quid Mare, quid Nauta esset; eo nil infidelius, hunc fluctuum comitem pronunciavit.

Edit Mare Murmur, nostras quotidie percutiens aures; quod, ut Veteres etiam (consulenda Aristotelis Meteorologica) notarunt, ab Mugitu non absonum Taurino: unde Græci Neptunum μυκτὴν καὶ Ταύρεον vocarunt, Taurum illi immolantes. Solent antiqui, nosque hodie, ex hoc Murmure, si validius fuerit, Ventos augurari. Seneca in Agamemnone:

Murmur.

—— tum Murmur grave,
Majora minitans, collibus summis cadit,
Tractuque longo littus ac petra gemunt:
Agitata ventis unda venturis tumet.

Imitatus videtur M. Tullium; cujus, Aratum suum vertentis, hæc leguntur libro I. de Divinatione:

Atque etiam ventos demonstrat sæpe futuros
Inflatum Mare: quum subito penitusque tumescit,
Saxaque cana salis niveo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere voces;
Aut densus stridor quum celso è vertice montis
Ortus adaugescit scopulorum sæpe repulsu.

Est autem caussa Murmuris agitatio fluctuum, qui vel se impellunt & protrudunt, vel littoribus impinguntur: quorum Decimus omnium censeri solet Maximus; utroque cognomine insignis. *Maximus* vocatur ab Celso IC. in l. littus 96. D. de verbor. signif. restituendus Iavoleno, eodem tit. ad l. 112. μέγιστον κῦμα, Eclog. II, cap. XCV. Plenius *Hibernus fluctus Maximus* dicitur ab Iustiniano Imp. §. 3. Instit. de rer. divis. ubi Theophilo χειμέριον μέγιστον κῦμα. *Decimum* appellant Ovidius lib. I. Tristium, & XI. Metamorph. Valer. Flaccus lib. II. Lucanus lib. V, Seneca in Agamemnone, Sillius Italicus lib. XIIII. & alij. Latinis apud Festum nominatur *Decumanus*, propter Denarij numeri perfectionem. Græcis τρικυμία, notante Hesychio: qua voce usos lego Platonem in Euthydemo, Euripidem in Agamemnone, Aristidem in Themistocl. Lucianum ἐν τῷ περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, & alios.

Fluctus Maximus.

Decimus quisque.

Maria clausa.

Maria quemdam, ut indicant Plinius lib. II. nat. hist. cap. XLVII, & Vegetius lib. IIII. de re milit. cap. XXXIX, Clausa dicebantur ex die III. Eidus Novembr. usque in diem VI. Eiduum Martiarum. Vult hoc & Theodoretus de Provid. Serm. I: τοῦ μὲν γὰρ χειμῶνος λήγοντος, καὶ τοῦ ἔαρος ὑπολάμποντος, ἡνίκα πλείους τῶν ἀνθρώπων οἱ περὶ τὴν ἐργασίαν πονοῦσι, ὁδοιπορίαι τε καὶ ἐκδημίαι, καὶ ἀπὸ λιμένων ἀναγωγαί, καὶ θάλαττα ἐστορεσμένη, καὶ τῆς χειμερινῆς ἀπηλλαγμένη τραχύτητος, & quæ sequuntur. Sic Hesiodus ἔργ. καὶ ἡμερ. vetat post Virgiliarum occasum navigare. Caussam adscribit, quod eo tempore Mare, maxime infidum, tempestatibus facile soleat concitari:

Εὖτ' ἂν Πληϊάδες σθένος ὄβριμον Ὠρίωνος
Φεύγουσαι πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον,
Δὴ τότε παντοίων ἀνέμων θυίουσιν ἀῆται,
Καὶ τότε μηκέτι νῆας ἔχειν ἐπὶ οἴνοπι πόντῳ,
Γῆν δ' ἐργάζεσθαι μεμνημένος, ὥς σε κελεύω,
Νῆα δ' ἐπ' ἠπείρου ἐρύσαι πυκάσαι τε λίθοισι
Πάντοθεν, ὄφρ' ἴσχωσ' ἀνέμων μένος ὑγρὸν ἀέντων
Χείμαρον ἐξερύσας, ἵνα μὴ πύθῃ Διὸς ὄμβρος.

Clausi Maris aliquoties mentio apud Veteres Scriptores, M. Tullium ad Q. Fratrem, Cassiodorum lib. XII. Variar. cap. XXIV. & alios. Et lux hinc Horatio lib. I. Carminum, Ode IV, Suetonio in Claudii principis vita cap. XVIII, & Imperatoris Constitutioni, quæ est in l. civitas. C. de offic. Rector. provinc. Vt autem instante Clausum, sic exacta solutaque hieme Apertum dicebatur Mare. Hieronymus in vita Paullæ ad Eustochium: *Tandemque exacta hieme, aperto Mari, redeuntibus ad Ecclesias suas Episcopis, & ipsa voto cum eis ac desiderio navigavit.* Primitiæque Navigationis Dijs offerebantur. Apuleius lib. Milet. XI, ex persona Dianæ: *Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, æterna mihi nuncupavit Religio: quo sedatis hibernis tempestatibus & lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelago, rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei Sacerdotes.* Hodie numquam clauduntur Maria; fervent non minus hieme, quam æstate. Audaces hic omnia perpeti Belgæ, & inter eos loci principis Batavi; quibus in hac difficultate nihil difficile, nihil fere contra infida incertaque Maris arduum.

Aperta.

Possem hoc loco laudes celebrare Navigationum, cum Veterum, de quibus præclara multa notat Aristides in Oratione Isthmica; tum Recentiorum, in quarum notitiam quotidie stupentes & attoniti manu quasi peritissimorum Navarchorum deducimur; nisi ad præcipuum mihi institutum, Orbis Terrarum delineationem, serio sæpe me vocaret oratio. Hoc sane monitione censui non indignum, Majorum non minorem hic industriam fuisse, quam qui ævum hodie agitant. Priscos enim illos quæsiisse etiam & adiisse per Maria Terras remotissimas, docet Sacra Scriptura, commemorans Navigationes in Indiam non solum Arabum, ut videre est in Hijobi historia; sed & Regum cum Iehudæ, tum Israelis; Schelomonis, Ieboschaphati, Ochoziæ, aliorum; eorundem etiam non obscure (quod nonnulli volunt non postremæ classis Interpretes) expeditiones in eam Orbis partem, quæ Regum Castiliæ benificio superioribus annis rursum inventa, innuens: quum lib. II. Paralipomen. cap. III, 7. mentionem faciat *auri Parvaim.* sic enim ibi de Schelomone: *Et texit domum lapide precioso ad gloriam & aurum, aurum Parvaim,* זהב פרוים: & non semel *Ophiriani*; quod idem putatur cum Peruviano, non inamœna, ut censent, neque ingrata litterarum metathesi. Hiiob cap. XXVIII, 16, *non æstimabitur cum auro Ophir*

Priscorum, antequam innotescerent plene Romani, huc illuc Profectiones.

ro, Ophir (אופיר) *cum Onyche precioſo & Sapphiro.* Ieſahiah. cap. XIII, 11. *Precioſum faciam hominem præ Obrizo, & hominem præ maſſa auri Ophir*, מכתם אופיר. De his tamen & ſimilibus locis, quid ſentiam; quinta dicam mei operis parte. Teſtatur & Antiquorum hac in re diligentiam Strabo, notans lib. I. Homeri etiam ætate (floruit autem ille Regum Albanorum temporibus, Siluii, ut vult Caſſiodorus; Agrippæ, ut alij) navigatum in Indiam. Ad propiora nobis veniamus. Scribit Plinius lib. II. natur. hiſtor. cap. LXVII, ſuo tempore totum Occidentem ab Gadibus Columniſque Herculis, Galliarum circuitu, nauigatum: Septemtrionalem autem Oceanum maiori ex parte auſpicijs Augusti uſque ad Cimbrorum promontorium: inde ad Scythicam plagam immenſum Mare fuiſſe cum proſpectum, tum fama cognitum: ab Ortu ex Indico Mari partem totam in Caſpium vergentem Macedonum armis innotuiſſe, Seleuco & Antiocho regnantibus, circa Caſpium quoque multa Oceani littora fuiſſe explorata: & ſic totum fere Septemtrionem hinc illinc verſus Occaſum & Ortum eremigatum. Addit porro, alio latere Gadium ab eodem Occidente magnam meridiani ſinus portionem, ambitu Mauritaniæ, ſuo tempore navigari ſolere: majorem quidem ejus, & Orientis, partem victoriis Alexandri Magni fuiſſe luſtratam uſque in Arabicum ſinum; Hannonem Carthaginienſem circumvectum à Gadibus ad finem Arabiæ; contra Eudoxum Cyzicenum (de quo etiam Strabo libro II.) teſte Cornelio Nepote, quum Lathyrum regem fugeret, Arabico ſinu egreſſum Gades uſque fuiſſe perductum; Cælium quoque Antipatrum ſcribere, vidiſſe ſe, qui cum mercibus iter feciſſet maritimum ex Hiſpania in Æthiopiam: eumdem Nepotem tradere, Q. Metello Celeri, Galliæ Proconſuli, Indos ab Suevorum Rege dono datos, qui ex patria commercij cauſſa navigantes tempeſtatibus in Germaniam, neceſſario per Oceanum Orientalem & Septemtrionalem, fuerant abrepti.

Navigationes variorum florentibus Romanorum rebus verſus Occidentem, Septemtrionem.

Meridiem.

Orientem.

Hodie in omnes fere terrarum oras, & omni tempore, velis ventiſque ferimur: nihil tempeſtatum horretur, ne quid relinquatur intactum. Quum in Indiam ex Europa Navigatio mox poſt Alexandri Magni tempora increbuiſſet per Ægyptum, Strabone & Hieronymo notantibus; eaque aliquamdiu intermiſſa tandem, pace Terrarum orbi ab Auguſto principe parta, fuiſſet repetita; ut non obſcure, quæ jam ſcripſi, docent; Veneti, qui primi palmam Europæis, longa hæc ſtadia decurrentibus, eripuerunt, paullo ſupra noſtram ætatem mare Hadriaticum ingreſſi, devectique per Mediterraneum Alexandriam uſque, & hinc aliquantum terræ ſpacium emenſi, per ſinum Arabicum ad Indorum populos proficiſci cœperunt: hodie, quum via, quam dixi, ab Sultano Ægyptio alijſque infeſtior deprehendatur, Antiochiam (quam, Syriæ quondam metropolin, *Aleppo* vulgus nunc nominat) portati, tendunt per terreſtre CCCCL. milliarium iter Babylonem, Aſſyriæ urbem; hinc milliar. CCCCXXX. Balſaram; inde milliar. CC. Armuzam, quod, *Ormus* hodie, nobiliſſimum Perſiæ emporium: ubi, conſcenſis navibus, per ſinum Perſicum porro in quaſvis Indiæ regiones vehuntur. Quod iter maritimo Luſitanorum, de quo dicam, non ſolum brevioris compendij, ut res ipſa & milliarium docent computatio; delectabilius etiam, occurrentibus paſſim infinitis antiquarum urbium, veterumque, & quæ priſcis hiſtorijs ſcriptiſque nobilitata, locorum monimentis, præter novos indies populos, nouoſque populorum ritus; verum etiam commodius, offerente ſe quotidie recenti cibo potuque; tutius autem, ne cane quidem, ut ſic dicam, adlatrante: quum contra maritimum, cujus memini, quod flexuoſius, terreſtri Venetorum triplo ſit majus: tædioſius vero, cum quod nihil niſi cœlum ſalumque in oculos incurrant, tum quod continuo ſit depugnandum cum tempeſtatibus, quæ improviſæ & inopinatæ non raro ſolent imparatos opprimere; quodque fames plurimum levanda pane mucido, ciboque nonnumquam viliore, ſitis vero ſedanda potu aquæ fœtido vermibuſque infecto, eoque modice admodum adfuſo.

Navigationes Orientem verſus, per *Media terrarum*, Venetorum.

Luſitani, primos ad procul ſitas nationes monſtrante ſuis regia prole gradus, aliud in Indiam, & ad regna Sinarum iter non infeliciter ſunt moliti; circumnavigata commemorando ſeculis omnibus auſu tota Africa, luſtratiſque quæ Aequatori Tropiciſque ſubiectæ, terrarum oris. Hos ſucceſſu temporis ſequuti ſunt Angli, alijque populi: & anno CIↃ IↃ XCV, Octobri menſe, inſtructa Mercatorum quorundam auſpicijs quatuor navium claſſe, Batavi: qui Iavam inſulam circumvecti, potius quid

Per vaſta pelagi Meridionalis, Luſitanorum.

Anglorum.

Batavorum.

gerendum

gerendum ibi, quam quid gestum reversi docuerunt; armis, quibus gens illa nimium adsuevit, quam mercibus, expediundis promtiores.

Per Occidentem Christophori Columbi.

Versus Occidentem primus vastum hoc pelagus ingredi fuit ausus Christophorus Columbus Genuensis; qui, oblata varijs Principibus ad novas quærendum terras opera, sed à plerisque, qui rem nimis difficilem & nullius fructus arbitrabantur, rejecta: profectus tandem in Castiliam, Ferdinandi & Isabellæ mandatu, accepta paucarum navium classe, anno CIↃ CCCC XCII. Insulas in Sinu Americano positas,

Americi Vespucij.

Cubam, Hispaniolam, aliasque invenit. Ianua sic patefacta, suscepit hoc iter Americus Vespucius Florentinus, anno CIↃ CCCC XCVII; tanta cum laude, ut etiam terræ noviter repertæ suum imposuerit nomen. Hinc quum inter Lusitanos versus Orientem, Castellanos autem in Occidentem, pomeria suorum Principum promovere pro virili adnitentes, dissidium esset ortum; ne alteri alteris essent impedimento, novus ille orbis, auctoritate Alexandri VI. Pontificis & aliorum, in duas partes est distributus: scriptis legibus & conditionibus, ut quidquid instituta ab Atlantici maris insulis, quæ Hesperides solent dici, navigatione Orientem versus reperiretur, Lusitanorum esset; quidquid ad Occidentem, Castellanis cederet: sic horum benificio pernotuit America; illorum, Orientis pleraque & Moluccæ Insulæ, ita lucri studio lapsu temporis excurrentium, ut dicerentur etiam perrumpere in adjudicatam Castellanis portionem: quæ controversia decidi non potuit, nisi

Ferdinandi Magellani.

Ferdinando Magellano quasi judice. Hic enim Lusitanus, odio in Emanuelem suum Principem, ob non bene pensatam, quam illi navarat & effecerat, operam, exstimulatus, docens Moluccas ex facta distributione pertinere ad Castellanos; anno CIↃ IↃ XIX, auspicijs Caroli V. ad quærendum dimissus alia via Insulas, quas dixi, ita cursum suum temperavit; ut ex Hispania in Australiora cœli spacia ad gradum latitudinis LII. delatus, inde conversa ad Occidentem Solem classe, primus fretum, quod, nomen à primo lustratore nactum, inter Americam & immensa, quæ nondum explorata navigantibus, littora, tramensus, vastissimo denique maris tractu superato, in conspectu fere Moluccarum prœlio contra Barbaros cæsus, socijs suis præter Asiæ Africæque littora in patriam revectis, admirandique, & ab nemine mortalium tentati facinoris nuncijs, occasionem dederit gloriandi terræ globum ab se circinatum: quam post illos laudem proximis annis consequuti Franciscus

Francisci Dracij. Thomæ Candischij. Batavorum.

Dracius, & Thomas Candischius, Angli; & venantur hodie Batavorum nonnulli, velit DEVS, ut eventu secundo.

Per Septemtrionem.

Sic in omnium oculis & mente semper obversabatur Oriens, & in eo Moluccæ: ideoque quum obsessa essent illuc itinera hinc ab Lusitanis, inde à Castellanis; alijs

Casparì Cortesij.

inveniendis operam varij dederunt. Casparus Cortesius versus Septemtrionem anno CIↃ IↃ. pro Freto quod quærebat, fluvium invenit, ad LX. altitudinis gradum; & domum reversus, quum anno sequente, prosperioris successus spe, profe-

Michaelis Cortesij. Sebastiani Gabotti.

ctus eodem esset, perijt: cuius fatum sequutus non multo post Michael Cortesius, ejus frater. Sebastianus Gabottus Venetus, auspicijs Henrici VII. Angliæ regis, anno CIↃ IↃ VII, iter ad Moluccæos & Sinas quæsivit per Septemtrionem: sed detecto Bacalaorum tractu, æquorque permensus usque ad LXVII. altitudinis gradum, in Angliam reverti fuit coactus ab adventitia glacie, quæ in angustioribus locis marinis

Ioannis Verasani.

ibi aquis innatabat. Ioannes Verasanus anno CIↃ IↃ XXIV, nomine Francisci Galliarum regis, idem animo versans, ad caput Britannorum terram cum suis ingressus in

Sebastiani Gomezij.

cibum Barbaris est conversus. Ibidem frustra fuit anno CIↃ IↃ XXV. Sebastianus Gomezius Hispanus: qui, parum reportans gloriæ, Barbaros aliquot inde secum ab-

Hugonis VVilloughbæi.

duxit. Successerunt illis Angli: & inter eos primus Hugo Willougbæus, vir Equestris ordinis; qui, anno CIↃ IↃ LIII. repertis aliquot ad gradum LXXII. terris, frigore alisque incommodis cum suis periit. Eandem persequens viam triennio post Ste-

Stephani Borrovæi.

phanus Borrovæus Anglus, Insulas aperuit Galgojeviam, Novam Zemblam, alíasq;, depugnare coactus cum frigore, glacie, tempestatibus, alijsque calamitatum procel-

Martini Forbisserij. Arcturi Pettæi. Caroli Iackmani.

lis. Hos ejusdem gentis sequuti Martinus Forbisherius, Arcturus Pettæus, Carolus Iackmanus, & Ioannes Davisius: quorum primus, quum anno CIↃ IↃ LXXVI. ob glaciem parum præstitisset, sequenti Fretum invenit ad gradum LXI, quod an pervium, pernovisse nequivit; medij vero idem ad Orientem iter anno CIↃ IↃ XXC. moliti Novæ Zemblæ littora fecerunt, quam ante id tempus fuerant, notiora; postremus deniq;

anno

anno CIↃ IↃ XXCV, & sequente, patefecit borealiora Americæ, & oras Gronlandiæ: omnes, pleniore quæsitorum cognitione negata, ab glacie frigoribusque ad sedes suas repulsi. Ordo tandem in Borealis Neptuni genium inquirundi venit ad Batavos & Zelandos; qui anno CIↃ IↃ XCIV. auspicijs Ordinum Fœderatarum Provinciarum & Inlustrissimi Comitis Mauricij, Maris Præfecti, Septemtrionale hoc iter versus Scytharum Sinarumque regna mense Iunio Pentecostes die susceperunt. Quum ad Novam Zemblam (quæ Borrovæi, Pettæi & Iackmani periculis jam, non plene tamen, innotuerat) junctim secundo satis flatu pervenissent; naves Aemstelodamenses, quarum cura Gulielmo Barendsonio mandata erat, versus Polum ascendentes, Insulæ, quam dixi, littora ad LXXVI. usque gradum penitius, & quam umquam antea diligentius explorarunt; reliquæ Enckhusana una, altera Zelanda, quibus præerat Ioannes Hugonis F. Linschotanus, qui septennium jam apud Indos fuerat moratus, Fretum Vaigatium pernavigantes, in altum latumque pelagus sunt delatæ, ad confinia usque Obi, nobilissimi Tartariæ fluvij, &, ut nonnullorum erat conjectura, ad Promontorium fere Tabinum: sed quum harum Argonautæ sufficere putarent Oceanum Tartaricum se satis ad futuram navigationem rimatos; illarum vero, obstante, quæ aquis circa littora innatabat, glacie, ulterius ire nequirent; tertio mense reversi sunt incolumes. Anno deinde sequenti septem in eundem finem adornatæ fuerunt naves, quinque in Hollandia, duæ in Zelandia: quarum vectores eorundem, quos ante dixi, auspiciis, ductu vero variorum, inter quos primi loci Gulielmus, cujus jam memini, sublatis XIV. Kalendas Quinctilis anchoris, quum iterum prospero cursu Angustias Vaigatias superassent, ab Russis, quorum nonnullis omnia ibi cognita erant, visa & sulcata, didicerunt, inter alia, Fretum certo anni tempore ab Navigantibus transiri posse; quintidui ab eo itinere versus Boream Promontorium esse; quod transgressis occurrere, inclinans ad Eurum, ingens & spaciosum Mare. Sed quum alius alij mentis incerta, quæ ulterius in Ortum, Oceani Tartarici avorsarentur, Hollandiam repetentes Mosam quarto mense, favente DEO, sunt ingressi. Anno denique CIↃ IↃ XCVI. iterum cum duabus navibus, Mercatorum adparatu, eamdem nonnulli tentantes viam, quum, itinere III. Nonas Maij instituto, evecti essent ad gradum LXXX, minut. XI. in littora inciderunt (Insulæ dicam, an Continentis?) vasta & ampla, quæ Gronlandiæ putabantur ob viriditatem. Nam licet terra ibi, quocumque tandem nomine censenda, Polo vicinior, & eam ob caussam, ut vulgo persuasum hactenus, frigidior; gramen nihilominus herbasque deprehensa fuit producere voluntarias: & pascere cervos, aliaque id genus animantia, herbis vescentia: quum è diverso in Nova Zembla, gradu LXXVI. & ab Arctico versus Aequinoctialem Solisque viam remotius, omnia areant; campis passim canentibus a ursis, vulpibus, alijsque carnivoris bestijs omnia ibi infestantibus. Quinquagesimo sexto, postquam solverant, die, revecti ad LXXV. gradum, communibus suffragijs disiuncti; uni quidem versus Septemtrionem ad LXXX. gradum reversi, ob continuas tempestates Colam (Lapporum est opidum) salva navi remearunt: alteri vero post infinitas calamitates & inextricabiles fere periculorum ab feris, frigore, fameque casus, quum in Nova Zembla gradu altitudinis LXXVI. exstructo, ut poterant, tugurio, novem aut circiter menses hæsissent, relicta inter glaciales Oceani montes Navi, Navarchoque Gulielmo Barendsonio ibi defuncto, cum duobus lenunculis emensi æquor quadringentorum milliarium, Colam multis difficultatibus conflictati ad Navigationis venerunt socios; cum quibus in communem navem recepti, in Hollandiam anno CIↃ IↃ XCVII. Novembris initio revenerunt; quum nomina varijs Portubus Insulisque, de quibus suo loco, in singularum expeditionum memoriam reliquissent.

Ioannis Davisii. — *Batavorum per Septemtrionem Navigatio versus Orientem, Prima.* — *Secunda.* — *Tertia.*

Ad quid hæc omnia? ut doceam, nihil non, ut olim, sic etiam hodie vel navigari, vel posse saltem. Nihil dicam de Navigationibus Europæorum Mediterraneis. Ludus est hodie ire in Asiam, in Africam, alio. Ad Hesperidum Insulas delati, Orientem (nam in Occidentem, ad Americanos, velificari, tritius existimatur) petimus: nunc Eurum versus, Caput Bonæ Spei prætervecti; nunc Fretum Magellanicum, obversis ad Africum proris, transvecti. Quum autem immensius, flexuosius, mercibusque inimicius videretur hoc iter; emendicatus varie ad Orientales divitias aditus ab aspero duroque Septemtrione. An quid eo navigantibus versus Corum

Ἀνακεφαλαίωσις Navigationum.

ſus Corum pateat itineris, an quod ibi fretum, adhuc ignoratur: Nihil enim ab Corteſio, Gabotto, Veraſano, Gomezio, Willougbæo, Forbiſherio, Daviſio, alijſque certi. Verſus Boream patere per Anguſtias Vaigatias, vel potius ſupra ſumma Novæ Zemblæ littora indubitatum. Alterutra ſane neceſſe eſt via delatos fuiſſe tempeſtatibus in Germaniam Indos, anno ab V. C. ІϽC. XCI, quos ab Suevorum rege dono datos Q. Cæcilio Metello, Galliæ Proconſuli, notat Plinius. Anguſtias enim illas non ſemper ab glacie obſeſſas eſſe & obturatas iterata navigatione noſtrates didicerunt; cum ipſi, Auguſto menſe prorſum vorſumque tranantes, tum ex annuis inter Ruſſos Tartaroſque, illarum benificio utentes, commercijs. Sed tutiſſimum, pleniore altioreque mari decurrere, & Septemtrionaliora Nouæ Zemblæ littora circumnavigare ad LXXXII, aut circiter, altitudinis gradum. Difficile hoc? tentetur modo. Non obſtabunt Tenebræ; nam ut noctes ibi longæ, ſic longi etiam, & ex multis compacti diebus dies: non Glacies, quæ in alto & vaſto mari rarior, & prorſus ex proximis littoribus adventitia: non Frigus, quod eo loci deprehenſum mitius, quam gradu LXXVI, & circiter; intendi ſuetum & augeri non ob Poli vicinitatem, ſed nunc in his nunc illis locis ob glaciei, terris vel adhærentis vel abſciſſæ & cum marinis aquis miſtæ, copiam: non Vada, non Syrtes; omnia enim alta & profunda docuerunt promiſſæ paſſim ab Navarchis noſtris ad fundum lineæ: non Venti, qui, ut alibi, ſic iis in locis nunc adverſi nunc ferentes; niſi quod, quam alibi, vehementiores; Sol enim inde remotior vapores non facile conſumit, ſed magis eos elevans ventis præbet alimenta: non denique moleſtiam conciliabit Iter longum; quum enim ſub Aequinoctiali Longitudinis gradui tribuantur XV. milliaria, & progrediundo vel Meridiem vel Septemtrionem verſus ſemper minus, adeo ut loco, quem dixi, in gradum tantum tria computentur; quum item Promontorium Tabinum ſit ex Veterum mente gradu Longitudinis CLXXII; ſequitur paullo minus ducentis eſſe ab Nova Zembla uſque ad Promõtorium, cujus facta mihi mentio, milliaribus; quæ ferente vento confici poſſent paucorum dierum ſpacio; accedente Ruſſorum relatione, qui quintiduanum iter adſerunt ab Freto Naſſovio vel Vaigatio uſque ad Promontorium quoddam, quod non nominant, Tabinum proculdubio; & inde omnia vergere in Meridiem. Sed hæc ſufficiant; & putidi ſit ingenii, cui æmulatione dignus cenſeri ſolet in ſubeundis Navigationum periculis Aglas Areas; quem, ut legitur apud veterem Iuvenalis Commentatorem ad Satyram XIV, Apollinis, quum rogaretur quis fidem veræ Felicitatis impleſſet, Oraculum declaravit Feliciſſimum; ut qui numquam patrium agellum exceſſerat. Ita tamen huic ſtudio indulgendum; ne Cauſſa Navigationis προκαταρκτικὴ videatur eſſe Auri ſacra fames; neve verum ſit, quod ait Plinius lib. XXII. natur. hiſtor. *Mare navigare coegit Avaritia*; & Sophoclis illud in Scyriis;

Navigatio per Septemtrionem ad Scythas & Sinas non tam difficilis, ut exiſtimatur.

Quo modo indulgendum Navigationibus.

οἱ ποντοναῦται τῶν ταλαιπώρων βροτῶν,
οἷς οὔτε δαίμων, οὔτε τις θεῶν νέμων,
Πλούτου ποτ' ἂν νείμειαν ἀξίαν χάριν,
Λεπτῆς ἐπιῤῥέπουσιν ἐμπολὰς μακρὰς
Ἀεὶ παραῤῥίπτοντες οἱ πολύφθοροι.
Ἦς ὡς ἂν ἢ κέρδανον, ἢ διώλεσαν.

Nec non Alexidis in Commorientibus:

Ὅστις διαπλεῖ θάλασσαν, ἢ μελαγχολᾷ,
Ἢ πτωχός ἐστιν, ἢ θανατᾷ. τούτων τριῶν
Ἑνὸς τ' ἀποτυχεῖν τοὐλάχιστον οὐκ ἔνι.

Alioquin, ut eleganter Euripides in Philoctete;

Μακάριος ὅστις εὐτυχῶν οἴκοι μένει,
Ἐν γῇ δ' ὁ φόρτος, κ' οὐ πάλιν ναυτίλλεται.

Naves.

Porro Navigationes qualeſcunque conficimus benificio Navium; quarum, ut Veteres eas habuerunt, appellationes exſtant cum apud Nonium, Feſtum & alios, tum apud Agellium lib. X. noct. Attic. capit. XXV. Plene autem de ijs Lazarus Bayfius Iuriſconſultus libro de re Navali, & Lilius Gregorius Gyraldus de Navigijs: qui multa lectu digniſſima de hac materia collegerunt. Navium partes (præter quæ ornant, ut Acroteria, Tutela, Apluſtria, & id genus alia) ſunt vel Principales, puta ex quibus conſiſtunt, ut Carina, Prora, Puppis, Tabulata, & ſimiles; vel Adjuvantes, in quis

In quis primum dicunt agmen Malus, Antenna, Vela, quæ vere *Navium alæ, linum* ut eleganter Cassiodorus libro v. Variarum, *volatile, quidam spiritus currentium carinarum, prænuncia mercium, auxilia quieta Nautarum, quorum benificio conficiunt ociosi, quod à celerrimis avibus vix probatur impleri.* Velorum tria genera facit Pollux, & ex eo Isidorus, *Acation, Epidromon, Dolona.* Velorum Encomium.

Ne vero Vela vento gravida & turgentia Naves quovis pro libitu quasi abripiant, opus fuit Clavo: cujus in alto pelago Magistra & fidelis Monitrix, *Acus marina*, punctorum altero Magnete (qui & Σιδηρῖτις & ἡράκλειος λίθος, ut notat Plinius lib. natur. hist. xxxvi. cap. xvi.) temperata; & Pyxide (ne ab aere, vento, aliove incommodo, præsertim autem allio, cum quo summa illi discordia, infestetur) ad æquilibrium libere imposita. Inventor ejus avorum nostrorum memoria Flavius Melfius Neapolitanus; vir sane vel ob hoc unum benificium omni immortalitate dignissimus. Temperatur autem alterum Acus Punctum Magnete in eum finem, ut veram poli Arctici stationem, tamquam indice, perpetuo monstret. Sic enim adfrictum sequace quadam virtute semper eo se convertit; quocumque loco; die noctuque; cœlo & sereno & turbido; sive Stellæ appareant, seu minus. Qua vero fiat hoc ratione, ingenio humano censetur obscurum. Nam Magneticos sub Arctico polo montes imaginentur, & attractionem inde fieri contendant; quibus cerebrum alibi, quam in capite. Si Acus hoc modo temperata partes orbis Magnete abundantes naturaliter respiceret; potius apud nos in oppositam Arctico plagam se converteret; quum Magnetis copia major in Hispania & Ilua vicina Corsicæ Insula, quam in Septemtrionalibus locis; quumque præstantissimus & efficacissimæ potentiæ Magnes reperiatur in Æthiopia maxime commendari solitus, qui ad cœruleum colorem inclinat, qualis ibi in Zimiri arenosa regione; legendi Dioscorides lib. v. & Plinius, loco quem indicavi. Ἀῤῥήτῳ tribuendum hoc ἰδιότητι, & secretæ cuidam συμπαθείᾳ; quæ Magneti cum plaga Septemtrionali & Polo Arctico. Pachymerius ἐν προλεγομένοις εἰς φιλοσοφίαν: πῶς inquit, συμπαθεῖ (sic enim emendandum ibi, expuncta contrariæ notionis voce) μαγνῆτις τῷ τῆς Ἑλίκης ἄστρῳ. Punctum igitur Acus Marinæ, Magnete tactum, versus Polum trahitur. Quid autem sit, quod Magnes (cui hanc ob caussam natura sensum manusque quasi videtur dedisse) ferrum, cujus alioquin indomita fere & pugnax natura, trahat; quique propius admotum hoc ab illo contineatur, & quodam velut complexu cohæreat; ferram inter se reciprocant Philosophi. Anaxagoras Magnetem facit animatum: Aristoteles περὶ ψυχῆς α, τὸν λίθον, ait, ψυχὴν ἔχειν, ὅτι τὸν σίδηρον κινεῖ; Galenus περὶ στοιχ. β, φυσικὴν δύναμιν ἑλκτικὴν hic agnoscit; Clemens Alexandrinus fieri hoc censet, διὰ συγγένειαν; Gregorius, ἀῤῥήτῳ τῇ φύσεως βίᾳ; Cecropis absolute dicit, τὴν μαγνῆτιν ἐρᾶν τοῦ σιδήρου; Epicurus suis Atomis, velut uncis hoc adscribit; alij Philosophi, ἀποῤῥοίαις πνευματώδεσι: quæ omnia latius apud Plutarchum: Sunt &, inter quos Lucretius lib. vi, qui Magnetem ferrum appetere volunt, tamquam cibum, quo vitam sustentet & vires renovet; eoque modo lapides omnes vivere. quas opiniones refutare non hujus est loci. Acus marina.

Arenæ Maris.

Vt historiam Maris absolvam: Arenæ, quæ illi congenita, numerus infinitus, non re ipsa, sed nostra ignoratione. Quis enim numerabit, licet in se finitam numeroque circumscriptam? ut vere Archimedes in Psammit. Saniores Philosophi, ne absoluta quidem DEI potentia infinitam quantitatem, sive continuam, sive discretam, dari posse censent. Addo hic obiter Virgilium lib. x. Aeneid. ex interpretatione Servij, *Dorsum* appellare duriorem Arenam, quæ reciproco fluctuum meatu densata, & instar saxi durata: idque ab Nautis vulgo *Pulvinum* vocari. Nostri *Zee-banck* nominant, & triplicem illi statuunt ordinem. Dorsum. Pulvinus.

Iam vero Arenaceæ, quas in Littoribus passim contra Maris furias & Vndarum excursiones, est videre, moles; an ab humana sint arte & industria, an vero à Natura; quæstionis est. Prior mens non paucis, ijsque in rerum antiquarum cognitione versatissimis: qui succrevisse Majorum ævo illam Arenarum vim satione Caricis volunt, non sine monitore DEO. Placet mihi magis posterior sententia. Non enim video, quorum arte Montes tales surrexerint contra Maris impetum in Littoribus, quæ nulla noverunt hominum commercia, quibusque nulla Caricis satio; esse autem ibi, docent nos variorum Navigationes: non item video, quur, cum apud nos tum alios populos, hujusmodi longi multiplicesque Montium arenaceorum Arenarij Tumuli. Non ab arte, Sed Naturæ Rationes. I. II.

rum ordines, ubi exiguum; nulli interim, ubi periculum hodie maximum. Itane præstantissima moles has moliendi scientia nobis perijt, ut jam immanissimis sumtibus Aggeres terreos, palis valide inter se confibulatis firmatos, saxisque & alia materie saburratos, cogamur objicere Maris furoribus? eosque corruptos, exesos, haustos sæpe & absumtos, sine intermissione, reficere & mille modis corroborare? præsertim qua parte ad tria passuum millia Charybdis Scyllæque instar nobis Canina Silva, vulgo *Thontſ-boſch*: quem locum horrisonus murmurantis maris fremitus & tristes undarum fragores perpetuis quasi latratibus longe lateque circumsonant; continuatisque nullo non tempore adsultibus tundunt, convellunt, dissipant: cum summo sæpe totius Regionis & Incolarum discrimine. Et sane, ne procul à patria discedam, si ingeniosa nostrorum Avorum industria succreverint nuper isti Colles, unde quæso denominatio illorum Ptolemæi tempore in Germaniarum Capite, Lugduno? cujus posteriori parti Etymon ab Arenaceis istis Tumulis, quos Græcum Idioma (cujus tam studiosi Majores nostri semper fuerunt; ut, præter alia, infinitos habeamus hodieque ab Doribus Infinitivos; quod docere plenius, alius erit temporis) θῖνας, Hesychio & Hieronymo in cap. IX. Ieschah. & alijs notantibus, vocare solet.

Singularia quædam de Piscibus.

Iam hoc loco recensere Pisces, quibus in Mari Sedes sunt adtributæ, infinitum esset. Paucula dicam. Primum quidem, falsum esse, quod nonnulli volunt, totum Piscium genus esse Oviparum; nec ulla ex parte Viviparum. Pisces lego Viviparos, qui Pilosi, quique Cartilaginei. De Pilosis testatur Aristoteles lib. III de historia Animalium; ubi tradit, Pilos habere quæ Vivipara sunt; ideoque Vitulum Marinum parere Animal. habere enim Mammas & Lac, perfectumque generare Fœtum, idem scribit lib. I. ejusdem historiæ: & lib. VI. egressum in terram eniti, non secus ac homo, omni tempore, singulos, aut geminos, plurimum etiam tres, in littore, ut terrestre: mammis, quas geminas habet, educare prolem, moreque quadrupedum lac reddere, eamdemque circa duodecimum à partu diem in mare deducere. Plinius lib. IX. natur. histor. cap. XIII. *Quæ pilo vestiuntur*, inquit *Animal pariunt, ut Pristis, Balæna, Vitulus.* De Cartilagineis idem Plinius ejusdem libri cap. LI: *Torpedo octogenos fœtus habens invenitur; eaque intra se parit ova prætenera, in alium locum uteri transferens atque ibi excludens. Simili modo omnia quæ Cartilaginea appellavimus. Ita fit, ut sola Piscium & Animal pariant, & ova concipiant.* Basilius etiam Homilia VII. in Genesin duo facit Piscium Viviparorum genera, Cartilaginata scilicet, & Cetaria, *ut sunt*, inquit, *Delphini & Vitulus marinus.* Hoc primum esto. Alterum; æque falsum esse, quod suis scriptis mandat Basilius, cujus jam memini, Homilia in Genesin VIII. Pisces Memoria carere. Contrarium docet Experientia; & repugnat Ratio, qua probatur, quibuscumque Animantibus datus est Motus localis, quo necessaria vitæ quærerent & compararent, necessariam talibus fuisse Memoriam, ne motum vagum incertumque agerent. Vt merito Basilium refutarit Augustinus libro III. de Genesi ad litteram, capite VIII. Tertium, uberiorem multo & copiosiorem esse Piscium generationem, quam ceterorum animalium. Indicium, ingens Ovorum, quæ in ijs, copia. Et sic voluisse DEVM, innuit haud obscure Spiritus Sanctus apud Moschen Genes. I. usus in Piscium creatione verbo שרץ, quod *producere in multitudine & maxima copia*; *Producant*, inquit DEVS ישרצו, *Aquæ Reptile animæ viventis*; addita paullo post Benedictione *ut crescerent & multiplicarentur:* Thargum vertit per רחש, quod nihil aliud, quam *eructare, ebullire, scatere.* Celebrat & Propheta Rex Psalmo CIV, vers. 25, *Mare Magnum & spatiosum; ubi Reptilia, quorum non est numerus.* Quartum, Multiformiora, quæ in Humore gignuntur esse, scribente Aristotele lib. III. de generat. Animalium cap. XI, quam quæ in Terra. Humori enim naturam esse ad effingendum efformandumque habiliorem, quam Terræ. Confirmat & Plinius lib. IX. nat. hist. cap. II. qui quum notasset, quæ in Aquis plura esse & majora terrestribus, adscribit: *Caussa evidens est, humoris Luxuria: pleraque etiam Monstrifica reperiuntur perplexis, & in semet aliter atque aliter nunc flatu, nunc fluctu convolutis seminibus atque principijs; ut vera fiat Vulgi opinio, Quidquid nascatur in parte Natura ulla, & in Mari esse; præterque multa, quæ nusquam alibi.* Nusquam autem in formis Piscium variandis Natura magis deprehenditur ludere, (hac utar voce) quam in Arctoum Mari. Visitur ibi ab Navigantibus Hyæna, sive Porcus marinus; animal sane monstrosissimum.

I. Pisces Viviparos etiam esse.

II. Pisces non carere Memoria.

III. Piscium, quam cæterorum animalium, esse uberiorem generationem.

IV. Multiformiora, quæ in Aquis quam quæ in Terra gignuntur;

Ziphius

Ziphius, Bubonis habens caput, horrorem spectantibus incutiens: Equus marinus, quem Islandi *Hroshwalur* vocant, jubatus: exitium Piscatoribus adferens: Bos marinus, Islandis *Seenaut*, colore cineraceo: egressus aliquando mari in vicino littore pascitur: naso folliculus adhæret, cujus beneficio in aquis vivit; eo rupto, alijs bobus se non invitus coniungit: Vitulus denique, *Roslonger* eidem genti: quem gradi scribunt in maris profundo pedibus quatuor, sed brevissimis; pellemque habere durissimam, & quæ vix ullis ictibus potest perforari. Batavi etiam nuper, Arctoum pelagus sulcantes, prope Insulas, quas, gradu altitudinis LXXVII, ad Septemtrionaliora Novæ Zemblæ sitas, Orangias appellarunt, in arenam descendere & dimicare fuerunt coacti contra Belluas marinas; quæ vasto corpore bovisque magnitudinem excedentes, *VValrusschen* vulgo dicuntur: os habent leonina specie, pellem villosiorem, quatuor pedes, duos dentes ex parte oris superna prominentes, planos, duros, candentes. ut Elephantinis precio non cedant. Quintum, prodigiosiores Animalium moles in mari esse, quam in terra. Dubitationem omnem tollunt Balænæ: quas Basilius & Theodoretus scribunt, quum dorsa super aquas ecferunt, speciem ingentis insulæ præbere. Docet etiam Plinius lib. IX. natur. histor. cap. XXX, Balænas maris Indici quaternum jugerum esse; Pristes ducenum cubitorum; Anguillas trecenum pedum. Idem lib. XXXII, cap. I. Iubam laudat Regem Mauritaniæ, in voluminibus ad C. Cæsarem Augusti F. notantem, Ceros sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis, in Arabicum sinum intrare: cum quibus si committantur qui anno CIↃ IↃ LXXVIII, & non ita pridem iterum, in nostra littora Pisces ejecti, molis sane censendi erunt exiguæ. Strabo lib. XVI. Chelonophagos ait Testudinum marinarum testis tegi; adeoque eas esse magnas, ut vel in ijs navigent. Adstipulantur Plinius & Solinus. Ille lib. IX. cap. X: *Testudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, ut singularum superficies habitabiles casas integant; atque inter insulas Rubri præcipue maris navigent his cimbis.* Hic cap. Polyhistoris LVI; *Maria quoque piscationibus inquietant, marinasque Testudines capere gaudent; quarum tanta est magnitudo, ut superficies earum demos faciat, & numerosam familiam non arcte recipiet.* Aristoteles Magnitudinis Piscium caussam refert ad Regionum situs diversasque locorum indoles & ingenia. Addo hic Philosophos tradere, littoralibus hominibus, qui mari adcolæ crebrius Piscibus vescuntur, corpora plerumque esse excelsiora; contra qui sicca sibi & à mari remota loca legerunt, minora esse & depressiora. Hæc sufficiant. Nam apud alios alia. Aristoteles quinque Piscium genera ponit, lib. III. de Histor. Animalium cap. I. Σέλαχον, Ἀσέλαχον, μαλακὸν, μαλακόστρακον, & ὀστρακόδερμον. Plinius lib. IX, cap. XIIII, Piscium Species inquit esse LXXIV, præter crustis intecta, quorum XXX. species: Isidorus lib. XII, Etymolog. cap. VI. cunctorum Aquatilium Species numerat CXLIV. Nos Navigationum huc illuc beneficio multo plura, & fere dixerim infinita, novimus. Maria Reciprocantia, de quibus hactenus universim, vel Extima Terrarum amplectuntur, vel Interiora ingrediuntur. Prioris classis Oceanus; posterioris Maria sunt Interna

v. Vastiores Maris belluas quam Terra.

Marium Reciprocantium distributio.

CAP. VI.

De Oceano.

Oceanus quid.

OCEANVS proprie universa illa marinarum Aquarum moles, quæ extimas principum Terræ partium oras amplectitur. Inde Iuno apud Homerum Iliados ξ, Oceanum visura, petere primo scribitur:

——— πολυφόρβου πείρατα γαίης.

Hoc de eo potius, ut exploratissimum, non à nobis solum, sed & à Priscis dicendum erat; quam quod orbem ambiat, si de Ambitu intellexerint perfecto, quem, ut nos scimus, illi nescierunt. Nam versus Meridiem Oceanum Terram circumire per Fretum Magellanicum inter Africæ, Asiæ, Americæque Australiora, & lata Terræ adhuc incognitæ littora, docuerunt nos nuperæ cum Lusitanorum, tum Anglorum Navigationes. An autem idem possit Oceanus Septemtrionem versus, adhuc ignoratur. Certe si liceat; duplici Aquarum fascia duo vastissimorum marium annuli & coronæ inter se quasi colligantur; una quidem inter Europæ Africæque

Oceanum Terram ambire, nos didicimus.

Prisci nescientes, ausi tamen idem adfirmare.

cæque Occidentalia, Americæ vero Orientalia; altera inter hujus Occidentalia, Asiæ vero Orientalia. Quamvis verum illum circuitum ignorarint Veteres, ausi tamen fuerunt multa de ambiente Terram Oceano scribere; potius quod sic ex communi quadam hominum opinione suspicarentur, quam quod ipsa re & experientia cognitum id haberent. Legendi Aristoteles de Mundo ad Alexandrum, Q. Cæcilius Metellus & Cornelius Nepos apud Pomponium Melam lib. III. cap. V. Strabo libro I. Geograph. non recte citans isti sententiæ stabilendæ Homerum; & alij. Præivit ad hanc opinionem omnibus Orpheus in Hymnis:

Ὠκεανὸν καλέω πατέρ' ἄφθιτον αἰὲν ἐόντα
Ἀθανάτων τε θεῶν γένεσιν, θνητῶν τ' ἀνθρώπων;
ὃς περικυμαίνει γαίης περὶ τέρμονα κύκλον:
ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα.

Sic Dionysius Afer.

—— Ὠκεανὸς περιδέδρομε γαῖαν ἅπασαν.

Manilius lib. IIII. Astronom.

Ipsa natat Tellus Pelagi lustrata corona
Cingentis medium liquidis amplexibus orbem.

Seneca in Oedipo in fine Chori Actus II.

Lucida dum current annosi Sidera Mundi,
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet Orbem.

Oceanus quod complexu suo videatur Tellurem continere, Cyrillo *Terræ involucrum* dicitur: nonnullis *Mundi Baltheus*.

Vnde dictus.

Dictus autem Oceanus, Solino cap. Polyhist. XXVI. Isidoro lib. XIII. Originum: cap. XV, & alijs, ab ὠκὺς, quod sit citus; vel, ut idem Isidorus ex quo nescio Scriptore, quasi κυάνεος, à purpureo colore; quo, ut Cœlum nitere nonnullis putatur. Negat Herodotus lib. II. & IV. Oceanum: non quod mare nullum arbitretur, sed quod tum temporis nomen, nondum satis notum, parum probaret.

Oceani partes.

Oceano passim nomen ab varijs, quas abluit & amplectitur Orbis Terrarum partibus. Adeundi præter alios Solinus cap. XXVI, & Isidorus ejus Exscriptor lib. XIII. cap. XV. Nam qui citra Aequinoctialem inter Europam Africamque & Americam *Septemtrionalis*; qui vero ultra, inter Africam & Americam, *Australis*; qui Americam inter & Moluccas Insulas, *Occidentalis* (*Pacificum* Hodie vocant: quod non ita ut reliqua, exagitetur: alijs *Mar del Sur* nuncupatur) qui denique secus Sinarum littora, inter Moluccas & Africæ Orientalia, *Orientalis* vel *Eous* commode potest indigetari.

Septemtrionalis. Australis. Occidentalis. Orientalis.

Partes Partium. Septemtrionalis.

Septemtrionali varia à proximis Regionibus nomina *Atlanticus, Gaditanus, Hispanicus, Ibericus, Cantabricus, Aquitanicus, Gallicus, Britannicus, Caledonius, Germanicus, Cimbricus, Arctous, Petzorke, Sarmaticus, Tartaricus, Scythicus*, qui & *Barbaricus* Orosio lib. I. cap. II, qui, ut & Plinius lib. VI. Pomponius Mela lib. I. quique paullo ante laudati; non obscure innuunt, Veteribus plerorum appellationes non fuisse ignotas.

Australis. Occidentalis.

In *Australi* est *Aethiopicus*.

In *Occidentali*, *Magellanicus* & *Peruvianus*.

Orientalis.

In *Orientali*, denique *Sinensis* & *Mare Rubrum* vel *Erythræum*.

Alio modo admodum confuse, & (liceat illud in hac arena de Viro alioquin magno dicere) imperite dividit Albertus Magnus de Natur. Locor. distinct. III, cap. I. & sequente. De nonnullis autem horum specialius quædam occurrunt notanda.

Specialia quædam de Mari Atlantico.

Atlantici latissima priscis temporibus fuit appellatio. Strabo scribit Indiam desinere ad mare Orientale & ad Austrinum, Atlantici partem; vult idem Australe & Orientale latus in Atlanticum pelagus procurrere; ait & alio loco Atlanticum mare in se coire. Quod magis, testatur Sudas omnia Maria innavigabilia, *Atlantica* Veteribus vocari solita. M. autem Tullius in Somn. Scipionis, omnem Terram, quæ ab Europæis colitur, Alantico Mari (qui Oceanus appellatur) tradit circumfundi. Novit denique Herodotus duo tantum Maris universi nomina, scribens Atlanticum, Rubrum, & totum illud quod Græci navigant, unum esse: Caspium alterum: ut non immerito Zozimus ex Vetere proculdubio Scriptore Rhenum fluvium in Atlanticum mare noterse exonerare.

Quod

Quod ad *Britannicum*, docet Plinius lib. IV. cap. XVI, omnes olim Europæ in Septemtrionali Oceano Insulas *Britannicas* fuisse appellatas, idque nomen postea inter eas omnes maximæ, quæ prius *Albion* dicebatur, relictum; hinc Oceanum ibi longe lateque ab Insulis tam multis nomen habuisse. Hodie *Britannicus* Oceanus proprie, qui Galliam inter & Angliam; Nautis Nostratibus *Canale, Manche* Gallis, Anglis *Sease*. *Britannicus.*

Caledonius (ut ab Valerio Flacco vocatur: Δουκαληδόνιος Ptolemæo, hodie *Scoticus*) à Caledonijs Scotiæ olim populis, qui Silvam habebant Caledoniam, dictus. *Caledonius.*

Mare *Arcticum* appello, quod in subjectis Arctico polo locis. *Glaciale* nonnulli volunt & vocant ab glacie, cujus ex dulcioribus fluviorum aquis concretæ, & lapsu temporis calore Solis aeruptæ violenter Terris, immensa fragmina in ejus superficie ita fluitant, ut mobilium Insularum inter se concursantium speciem præbeant. Nam adstrictum esse ibi ipsum Mare, facilius dicitur, quam probatur: & rem sequius se habere, nobis jam innotuit Variorum in eas Oceani partes Navigationibus; ut supra etiam dixi. Qua Russiam attingit, Indigenæ vocant *Myrmanskoi-more*, quasi *Danicum* & *Norvegicum* Mare: Danos enim illi & Norvegos *Mowremans* appellant. *Arcticus.* *Scythicus.*

Scythicum Mare notat Plinius lib. VI. haustu dulce esse; Sale nimirum influentium amnium magnitudine superato. De *Caspio* (quod Scythici partem facit ibidem auctor, non ubique bonæ fidei) vero similiter hoc dici potest, non de Oceano Scythico: quem tamen, ne quid dissimulem, ut & reliqua Septemtrionalia, minoris Salsedinis, quam quæ versus Meridiem. Quum enim, ut alibi me monere memini, Caussa Salsedinis in Mari sit adustum quoddam terrestre undis admistum, quando ab ejus summo Vapores dulces vi Solis elevantur; non potest quin, quum debilior sit radiorum Solis in Septemtrionalibus reflexio, & infirmior elevatorum resolutio, partiumque dulcium consumtio, etiam minor sit Salsedo. Notat Albertus Magnus de nat. locor. dist. I. cap. IIII, generatim Aquam Oceani in summo dulciorem esse propter Aeris: in infimo turbulentam & salsam propter Terræ admistionem; in medio insipidam.

Mare *Rubrum*, ut Latini vocant, totum illud quod inter Africæ Orientaliora & Taprobanen Insulam, quæ hodie *Sumatra*. Rubrum dixerunt; alij Solis repercussu talem reddi colorem existimantes, quidam ab Arena Terraque, nonnulli, tali ipsius Aquæ natura, alij aliunde: ut notant Strabo lib. XVI, Plinius lib. VI, cap. XXIII. & alij. Nugas, quæ de rubra Aqua finguntur, testantur qui navigarunt. Recte Curtius lib. VIII. *Mare certe, quo adluitur, ne colore quidem abhorret à ceteris, ab Erythro rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere Aquas credunt*. Sileant igitur, qui fuco nobis hic mentiuntur Colores; Regẽ cum antiquis Scriptoribus agnoscant, qui ad hoc Mare regnasse perhibetur, à quo Græcis Ἐρυθραῖον &c. notante Pomponio Mela, ἐρυθρὰ θάλασσα. Partes ejus principes, *Persicum*, qua Persis propius: *Arabicum* qua radit Arabiam, ut volunt Herodotus lib. IIII, & Pomponius lib. III. Non hic loquor de internis Persico & Arabico: quæ sequenti capite dabuntur. Vtrumque tamen Arabicum, & quod Internum & quod Arabiæ Felicis exteriora lavat, est ex audiendum apud Strabonem lib. ult. ubi, frequentissimis ejus ad indos & Troglodytas navigationibus adeo Vectigal Aegypti Regibus auctum, est auctor ut Auletæ, Cleopatræ parenti, annua talenta duodecies millena & quinquaginta obvenirent. Illud etiam monendum, hoc Mare, qua Persiam & Arabiam perfundit, *Azanium* Plinio nominari lib. VI. cap. XXIV. Sunt & aliæ Maris Rubri partes: *Æthiopicum* Dionysio, qua Æthyopiam; *Indicum* Plinio, Melæ, Orosio, qua Indiam adluit. Lusitanis *Mar di India*. Latissimum igitur Mare Rubrum: ut recte Seneca in Troadib. Act. I. scripserit, Tigrim rubenti freto misceri, & Eustathius Indiam ad idem pertingere; immerito eam ob caussam reprehensi; hic ab Guilandino in suo de Papiro opere, ille ab Antonio Del rio in suo ad doctissimum Poetam Commentario. De Marinis hic Monstris Rufus eleganter in Periegesi ex Dionysio: *Rubrum.*

——fervent Erythræi marmora Ponti
Tota feris: hæc, ut rigidi iuga maxima montes
Nubibus attollunt, latus omne & terga tumescunt;
Instar in his rupis spinæ tenor arduus adstat,
Molibus in celsis scrupus quoque creber inhorret.

At ne

At ne quis rapidi ſubvectus gurgitis unda,
Hac in terga ſalis lembum contorqueat umquam,
Aut ſe Monſtrigenis, hoſtem licet, inferat æſtus
Fluctibus, immodice late patet oris hiatus.
Quippe feris antro panduntur guttura vaſto,
Protinus hac ipſas abſorbent fauce carinas,
Involuuntque ſimul mox Monſtra vorantia nautas.

Hinc & Pomponius lib. III. Profundum notat hoc Mare & Magnorum Animalium magis, quam cetera, capax.

Cap. VII.

De Internis Maribus, & primo de Mediterraneo.

Interna Maria quæ. INTERNA Maria vocari lego, commiſſis inter ſe bonorum Auctorum verbis, quæ ex vaſto Oceano per Freta, non uno loco, Terrarum penitiora ingrediuntur.

Mediterraneum quod &, Inter hæc principis loci, quod per Fretum Herculeum infunditur: procurrens inter Europam Aſiamque minorem, ſiniſtras; & Africam dextram; ab Occidente in Orientem, ad oras uſque Syriæ. Hinc κατ' ἐξοχὴν *Mediterraneum* dicitur; quod Terram, cognitam tunc temporis, quo appellationem hanc nactum, mediam quaſi ſecaret; ut videre eſt apud Iſidorum lib. XIII. Orig. cap. XVI. *ἡ εἴσω θάλασσα.* τὴν εἴσω θάλασσαν nominant Græci apud Salluſtium lib. I. Hiſtoriarum: cui, multiſque alijs Scriptoribus; *Noſtrum,* qui ad Mare illud cum alibi, tum in Italia floruerunt, *Noſtrum* nuncupatur; ut diſertim notant Pomponius Mela lib. I. cap. I, & Oroſius lib. I. cap. II. Ἑσπέριον Euſtathio ab Heſperia; *Heſperium.* quo nomine nota quondam, ut alibi docebo, Hiſpania, Italia, & Libya, quibus interfluit. *Africanum. Tyrrhenum.* *Africanum* Luitprando Ticinenſi, ubi Ianuenſem urbem ad mare Africanum conſtitutam ſcribit; *Tyrrhenum* Oroſio: συνεκδοχικῶς pro toto partem accipientibus, *Mar di Levante.* *Mar di Levante* vocant Hiſpani; quibus ut Oceanus Occidentem, hoc Orientem eſt vorſus. *Magnum.* Auguſtiſſimum vero Cognomen ejus *Magnum*: vel quod nullum majus ejus adcolæ noſſent, Oceanum pauciens ingreſſi; vel quod nullum Internorum majus, ut videtur velle Iſidorus lib. XIII. c. quod dixi; vel in quo & alia, ut poſtea etiam parebit, Maria, indicante Servio ad librum III. Aeneidos; vel denique quod omnes plagas terraſque medias interlueret, ut vult Oroſius lib. I. c. II. ſignans ſimul etymon Mediterranei. Hoc ſane nomine celebratur non ſolum apud Latinos, quorum verba, ne hic repetam, laudo ad XVII. Annalium EnnI; verum etiam paſſim in Sacris Litteris, præſertim Numerorum c. XXXIV, verſ. 6. & ſeq. *Et terminus Maris erit* הים הגדול *vobis Mare Magnum (*הים הגדול *& terminus iſte erit vobis terminus Maris. Iſte erit vobis terminus abſconditi (*צפון*, Aquilonaris) a Mari Magno deſcribetis vobis Hor-montem,* & alijs eodem capite locis Iehoſuah c. XV, verſ. 47. *Aſdod. filiæ ejus & villæ ejus; Hazzab filiæ ejus & villæ ejus uſque ad torrentem AEgypti & Mare Magnum (*הים הגדול; legitur & הגבול, *Mare termini) & terminum.* Propheta Rex Pſalmo CIV. verſ. 25: *Hoc Mare Magnum (*הים גדול*) latum manibus: ibi Reptile & non numerus.* Itali hodieque auguſtam hanc appellationem retinent anguſtiore loco, in parte Maris Ionij, qua Sinus eſt Tarentinus, *Mar grande.* quem *Mar grande* vocitant.

Maris Mediterranei partes; Oceanus igitur, ab Occaſu Solis per Fretum Gaditanum gremia Terrarum irrumpens, limen aperit, ut Solini verbis utar, Interni Aequoris, quod Mediterraneum dixi; cui progreſſus & longe lateque diffuſus, ut loquitur Pomponius Mela, vaſteque ſedentia littora abigens, *Majores quidem: Ægyptium. Gallicum. Africum.* Majores conſiderans partes, Aegyptum dat Aſiæ, Gallicum Europæ, Africum Libyæ; *Minores vero.* Minores autem intuens & partes quaſi partium (verba ſunt Solini, & ex eo Iſidori) varia à Provincijs, Inſulis, Populis & aliunde (quod & notat Servius ad III. Aeneid.) indit nomina; ut videre eſt apud Manilium lib. IV. Aſtronomic. Solinum Polyhiſtor. cap. XXVI, & Iſidorum lib. XIII, cap. XVI; quos ſemel hic, ne paſſim in ſequentibus cogar, laudo.

Ibericum. *Ibericum* Mare vocatur ab Iberia, ſic enim olim Hiſpaniam appellabant.

Balearicum. *Balearicum*: qua inſulas circumluit Balearicas, Majorem Minoremque; *Mallorca* & *Menorca* hodie.

Gallicum

Gallicum;
Gallicum ſpeciatim, qua Narbonenſem Galliam attingit, Solino; inter Baleares Inſulas & Sardiniam, Oroſio.

Liguſticum;
Liguſticum; qua Liguriam lambit, juxta Genuam, inquit Oroſius: hodie *Mar di Lione*, Leandro ſcribente.

Sardoum.
Sardoum; à Sardinia: quod, & ſequens, omnium profundiſſimum docet Ariſtoteles lib. II. Meteor. ut alias dixi.

Tuſcum, quod & Thyrrhenum, Inferum, Liburnum;
Tuſcum; à Tuſcia Italiæ regione: *Tyrrhenum* Græcis, à Tyrrheno Lydi fratre, vel à Tyrrhenis nautis quos in hoc mare ſe præcipitaſſe tradunt Dionyſius Afer in Periegeſi, Pomponius Mela & Oroſius. *Inferum* Latinis, apud Solinum; reſpectu Hadriatici, quod Superum, ut ex ſequentibus parebit *Liburnum* M. Tullio; impropriè: eſt enim Liburnia Illuridis regio, ad mare Superum. Leandro *Mar Toſco*: *Mer de Marſeille* Vincentio Lupano in Tacitum.

Siculum, quod & Auſonium;
Siculum; ab nobiliſſima Maris hujus Inſula, Sicilia, Ariſtoteli, de Mundo: olim *Auſonium*, ut notat Strabo lib. II. Siculi ſuam θάλασσαν vocabant γλυκεῖαν, dulcem; quum Maria plurimum ſalſa; Iocantes, non ἀληθινολόγοι; propter dulces cibos, qui hoc mari ipſis advehebantur; qua de re videndus Euſtathius, Athenæi ibi tranſſcriptor.

Argolicum.
Argolicum; quod ad Peloponneſum Ptolemæo; hodie, ut vult Nicolaus Sophianus, *Golfo de Napoli*; vix poteſt.

Corinthium, quod & Alcyonium;
Corinthium; à Corintho, florentiſſima quomdam Peloponneſi urbe, ut ſcribit Solinus. *Alcyonium* mare, Straboni: *Golfo de Patras*, Sophiano: *Ripa d'Oſtria*, Nautis ut notat Dominicus Marius Niger.

Creticum; Carpathium;
Creticum; ab Creta: hodie *Mar di Candia*.

Carpathium; ab Inſula Carpatho, quæ ad Orientale Cretæ promontorium.

Pamphylium. Cyprium.
Pamphylium; à Pamphylia Aſiæ Minoris regione. Emendandus hic Solinus, c. XXVI.

Cyprium; ab Iuſula maris Mediterranei famoſiſſima.

Aſiaticum;
Aſiaticum; Solino ab Aſia, ſive Minor illa ſit exaudienda, quam Propriam vocabant Veteres; ſive Maior.

Syrium;
Syrium: ab Syria, florentiſſima quomdam Majoris Aſiæ parte, quam in quinque portiones dividit Euſtathius, cuiuſque undecim numerat nominatque regiones Plinius:

Phœnicium; Tyrium.
A quarum una Phœnice, *Phœnicium*, apud Solinum;

Ab urbe vero Phœniciæ celeberrima, & orbis olim Emporio, Tyro; *Tyrium* apud eundem.

Mediterranei. Venetias verſus torti. partes: Ionium, quod &
Eadem hæc Aquarum Internarum moles, ſui Curſus fere medio, verſus Circium inter extrema Italiæ & Epirum provoluta, *Ionium* vocatur ab Ionia, quam regiunculam in ultimis Italiæ oris facit Solinus: vel ab Ionio Illuriorum Rege, ejus, à quo Hadria urbs condita fertur, filio, ſcribentibus Theopompo, quem Apollonij Interpres, & Autothepo, quem Tzetzes ad Lycophronem citant, quibus ſuffragatur & Solinus in Polyhiſtore, cujus jam memini; vel ab Ionibus, ut cenſet Archidamus apud eoſdem Interpretes, in trajectu Maris ibi ſubmerſis. Fabulas (quamquam & quæ dixi non prorſus ab ijs intaminata) puto narrare; qui denominatum volunt ab Ionio, Dyrrachij filio, quem interfectum Hercules eo loci in mare perhibetur dejeciſſe; ejus mentis Appianus: magis vero, qui ab Io Inachi filia, quæ ex Dodona, ut quidam ſcriptis audent mandare, profugiens, Mare illud trajecit. Prometheus apud Aeſchylum:

> Χρόνον δὲ τὸν μέλλοντα πόντιος μυχὸς
> (Σαφῶς ἐπίστασ᾽) Ἰόνιος κληθήσεται,
> Τῆς σῆς πορείας μνῆμα τοῖς πᾶσι βροτοῖς.

Cronium & Rex Sinus, cuiuſque portio Epiroticum;
Cronium enim & *Rea Sinus* antea dicebatur, ut teſtantur antiqui Scriptores (inter quos lego & Apollonium) notante in Lycophronem Iſacio. Pars ejus *Epiroticum*: ab Epiro, Græciæ regione, florentiſſimo quondam Pyrrhi regno, apud Servium ad lib. III. Aeneid.

Hadriaticum, quod & Hadriacum, Hadrianum, Hadria,
Inde verſus Corum ſe fundens, Italiæque lavans ſuperiora, vocatur *Hadriaticum* ab Hadria opido in finibus Piceni, quod, Romanorum olim Colonia, VII. millibus paſſuum diſtat à mari: *Hadriacum* Lucano, libris de bello Pharſalico: *Hadrianum*, M. Tullio ſcribenti ad Atticum, & oranti contra L. Piſonem: *Hadria*, ſimpliciter Straboni, Senecæ, Tacito, Melæ, alijs; ſic Plutarchus in Camillo: Τὴν μὲν γὰρ Βό-

ρειον θάλασσαν, Ἀδρίαν καλοῦσιν ἀπὸ Τυῤῥηνικῆς πόλεως Ἀδρίας: τὴν δὲ πρὸς νότον κεκλιμένην, ἀντικρυς, Τυῤῥηνικὸν πέλαγος. Sed opidi inglorij titulum indignatus hic Neptunus, nomen exoravit ab Vrbe magna & potente; dictus hodie *Golfo di Venetia*. *Superum* etiam Latinis; quod, si Inferum (hodie, ut dixi, *Mar Tosco*) spectetur, Orientalius; vel, ut alij, Arctico polo vicinius; ubi pars Mundi putatur superior. Pertinet huc jocus Crassi apud Ciceronem lib. III. de Oratore: *Hæc autem, ut ex Apennino fluminum, sic ex communi Sapientiæ jugo doctrinarum facta divortia: ut Philosophi tamquam in Superum mare Ionium defluerent, Græcum quidem & portuosum: Oratores autem in Inferum hoc Tuscum & Barbarum, & scopulosum atque infestum laberentur; in quo etiam ipse Vlysses errasset.* Mare Hadriaticum, ut ventis & tempestatibus obnoxium damnat Horatius lib. I. Carmin. Oda XXXIII; & lib. III. Odis III, IX. & XXVII. iracundum, inquietum, atrum faciens; ducemque illi turbidum jungens Africum. Hinc Seneca in Thyeste:

——— *sævo rapidus freto*
Ventosi tumor Hadriæ.

Superum.

Pars Hadriatici *Illuricum* ab Illurico, quæ longe lateque patens Geographis Europæ regio; meminit ex quorundam mente Apostolus epistola ab Romanos, cap. XV. ubi tamen malim ipsam regionem intelligere. Pars item *Dalmaticum* ab Dalmatia, quæ Illurico conregionalis.

Cuiusque partes, Illuricum.
Et Dalmaticum.

Eadem Aquarum Maris Mediterranei vis ulterius ad Cretam Insulam, torto in Septemtrionem latere, per Orientaliora Græciæ littora & minorem Asiam, amfractibus magnis & vasto recessu, infusa, nobilissimas adlambens Insulas (videndus omnino Ammianus lib. XXII.) *Aegæum* vocatur *Pelagus*. In Etymo nimium quantum variatur. Paucis indicabo, ne vel quid Lector desideret, vel ad potiora properantem hæc talia morentur. Plutarchus in Theseo, Hyginus fabula XLIII, & Festus lib. I. nominatum scribunt ab Aegæo Thesei patre, qui in id se præcipitasse perhibetur: Pherecydes, ab Neptuno, qui & Ægæus: Festus iterum, ab Aegæa Amazonum regina, quam volunt in eo perijsse: idem tertium, ut & Varro lib. VI. de LL. ab Insulis, quæ in hoc mari crebræ procul adspicientibus species Caprarum videntur. Plinius lib. IV. nat. hist. cap. XI. quem sequitur Isidorus lib. XIII, cap. XVI. unam Insularum figura Capræ prodit: quæ Homero dicitur Ægas, Neptuno sacra, spectris infestior, teste Nicocrate. Artemidorus dictum censet, à Promontorio Aeolidis, quod Αἶγα nuncupabant adcolæ: Ἀκρωτήριόν ἐστι, inquit, Αἰολίδος, ὃν Αἶγα οἱ ἐπιχώριοι ὀνομάζουσιν. ἀφ' ἧς καὶ τὸ πέλαγος τὴν ταύτην ὀνομασίαν προσείληφεν. Plura huius formæ Promontoria scribit Scholiastes Apollonij in librum I. Solinus in Polyhistore ab Antandro, Asiæ Minoris opido, Capræ speciem referente, vocatum putat: Isacius in Lycophronem opinatur appellatum, quod Αἰγὸς instar valde lasciviat fluctibus; alioquin Αἶγας dicere solent Dores fluctus illos, qui Latinis Decumani, Maximi. Sunt denique, qui dirivant ἀπὸ τοῦ Αἰγίζειν: solet enim naves subvertere, & in brevia vada impellere, auctore Periegete, maxime circa Cycladas, ubi potissimum naves suetum adfligere & αἰγίζειν, ut ait Hesychius. Hæc de Etymo. Ipsum Mare *Aegon* etiam nominatur. Valerius Flaccus lib. I. Argonautic.

Mediterranei versus Tanais ostia se flectentis partes. Aegæum, quod &

——— *quanto fremitu se sustulit Aegon*:

Et lib. IV. ——— *nec tantas quamvis Tyrrhenus & Aegon*
Volvat aquas. ———

Aegon.

Statius Papinius V. Thebaidos;

——— *quas spumifer adsilit Aegon.*

Eidem & *Aegeon* eodem libro:

Dijs Pelagi, ventisque & Cycladas Aegeoni
Amplexo. ———

Aegeon.

Sive Deus ibi marinus sit intelligendus, seu ipsum Mare. Vtriusque enim notionis vox apud Eustathium; cujus hæc: Αἰγαίων ἐπιπαρδμως ἐνάλιος θεός, καὶ τὸ περὶ τὰς Κυκλάδας πέλαγος. *Mare Græcum* Thucydidi & Polyæno. Europæis hodie *Archipelago*, voce Græca: Turcis *Mare Album*. Romani totum hoc mare duobus nominibus olim appellabant, teste Plinio lib. nat. hist. IIII, cap. XI, *Macedonicum* quidquid ejus Macedoniam & Thraciam attingebat; *Graciense* quidquid Græciam. Ægæi quoque partes *Myrtoum, Icarium, Euboicum*. *Myrtoum*, Μυρτῷον πέλαγος, Ptolemæo circa

Græcum, Archipelagus. Album. & in quo Macedonicum. Graciense. Myrtoum.

circa Cariam, Asiæ Minoris regionem; Castaldo *Mar di Mandria*: Straboni vero, Pausaniæ, Plinio, Orosio, Melæ, inter Peloponnesum & Atticam. Nomen illi à Myrtilo Mercurij filio, quem in id deturbatum ab Oenomao volunt Solinus & Isidorus: vel, ut verius sentit Plinius, ab exigua insula, non procul à Carysto Eubœæ opido sita. *Icarium* Varroni, Ptolemæo, Ovidio II. de arte amandi, Manilio lib. IV. Senecæ in Oedipo Choro Act. IV, & alijs, ab Icari nota fabula: Andrætæ Tenedio in navigatione Propontidis, ab una Cycladum, quæ & Macris & Icarus: hodie *Mar di Nicaria*, Castaldo scribente. *Euboicum* ab Eubœa insula; *Euboicus Sinus* Livio; cui, ut & Valerio lib. I. Dict. Factorumque memorabilium cap. VIII, & Orosio lib. VI. cap. XV. *Cœla* quoque vocatur: Ptolemæo οἰτῖ⁀ κόλπ⁀: Hodie *Golfo de Negroponte*. Plautus *Persicum* indigetat *Portum*, apud Festum, quod in eo Classis Persarum stetisse dicatur non procul a Thebis. Horatius lib. I. Carminum, Ode XIIII. Brutum, bellum Civile reparantem monens loca naufragijs infesta non temere tentanda, ubi ait, Icarium. Euboicum, quod & Euboicus Sinus, Cœla, οἰτῖ⁀ κόλπ⁀, Persicus Portus.

Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas,

Aegæum mare notat, de quo Dionysius Afer:

ὁ γάρ οἱ κείνῳ ἐναλίγκια κύματ' ὀφέλλει:

maxime circa Cyclades. Virgilius lib. III. Aeneid.

——*sparsasque per æquor*
Cycladas, & crebris legimus freta concita terris.

Exstat Ἀνθολογ. διαφόρ. ἐπιγραμμ. libro III. cap. XXII, elegans Antipatri Carmen, cujus hoc initium:

Πᾶσα θάλαττα, θάλαττα: τί Κυκλάδας, ἢ στενὸν Ἕλλης
Κῦμα, καὶ ὀξείας ἠλεὰ μεμφόμεθα?

Aegæo, gracilescente paullatim Mari, succedit *Hellespontus*; angustiæ minus mille passuum Pomponio (septem stadia habet Plinius, quæ septingentos septuaginta quinque passus faciunt) inter Sestem Europæ & Abydum Asiæ oppida (*Bogaz ossar* hodie Turcis, ut notat Alexander Sardus) à quibus *Sestiacum* & *Abydi Fretum* Ausonio. *Hellesponti Claustra* nominat antiquus Poeta, non dubito quin Ennius, in Medea apud Varronem lib. VI. de LL. *Stretto de Gallipoli* Italis à Callipoli Thraciæ Chersonnesi opido: Gallis *Bras de S. George*, Belgis vero *S. Joris Arm*: ab Troadis opido, quod hodie D. Georgio sacrum, Πιτάνη Ptolemæo. Nomen ab Helle Virgine, quæ perijsse fingitur in hoc maris tractu. Ovidius in Epistola Leandri: Hellespontus; qui & Sestiacum & Abydi Fretum; Hellesponti Claustra.

Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent,
Vixque manet portu tuta carina suo.
Hoc mare quum primum de Virgine nomina mersa
Quæ tenet, est nactum, tale fuisse puto.
Est satis amissa locus hic infamis ab Helle;
Utque mihi parcat, nomine crimen habet.
Invideo Phrixo, quem per freta tristia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ovis.

Hinc Παρθενόκτητον πέλαγ⁀ Lycophroni; Παρθένιον Nazianzeno. Hic ex Asia in Europam contra Græcos, constrato in navibus ponte (quod hodie non solemus mirari) exercitum traduxit Xerxes Persarum rex. Ennius meus lib. XIII. Annalium: Vergisidium. Virgineum.

Pontibus instratis coniunxit littora Xerxes,
Isque Hellesponto pontem contendit in alto.

Lycophron Alexandra:

Ἀλλ' αὐτὶ πάντων Περσέως ἕνα σπορᾶς
Στελεῖ γίγαντα, τῷ θάλασσα μὲν βατὴ
Πεζῷ ποτ' ἔσαι; γῆ δὲ ναυσθλωθήσεται
Ῥήσσοντι πηδοῖς χέρσον.

Quo videndi, quos citant alij: præter, qui ex professo: Aeschylus in Persis, Isocrates Panegyrico, Virgilius in Culice, Plutarch. περὶ ἀοργησίας, Iuvenalis Sat. X, Ammianus lib. XXII. Arnobius lib. I. advers. gentes, Ioannes Tzetza Chiliade I. historia XXXII.

Inde rursus modice se laxans & semiorbe, inquit Ammianus, turgescens altrinsecus, lataque aperiens terrarum devortia, facit *Propontidem*, inter Thraciam & Bithyniam; Propontis.

L 2

Bebrycium olim Mare;

thyniam; à qua, Bebrycia quondam, *Bebrycium Mare* legitur appellatum apud Tzetzam: Italis *Mar di Marmora*, ab Insula Proconneso; ea enim Marmoris (quod ab urbe vicina, Cyzicenium) ferax, non hodie tantum, ut indicat Bellonius, sed & avorum nostrorum memoria, quod docet Curopalates Græcus Scriptor, *Marmora* dicta: unde cognominis illi Propontis.

Bosporus Thracius, qui &

Hæc mox stringitur, & in paucula stadia coartatur, fitque *Bosporus Thracius:* dictus ab Io Inachi filia, quæ formam Bovis induta, Mare hoc loco trajecisse fingitur. Interpres Apollonij ad lib. II. Argonautic. Βόσπορος ὀνομάζεται διὰ τὸ δοκεῖν τὴν Ἰὼ βοῦ οὖσαν διαπορεῦσαι τὸ ἀπὸ Βυζαντίου καὶ Καλχηδόνος διάστημα: & paulo post: ἢ διὰ τὸ πάντας τοὺς στενοὺς πορθμοὺς Βοσπόρους καλεῖσθαι. Prometheus apud Aeschylum:

> Ἔσται δὲ θνητοῖς εἰς ἀεὶ λόγος μέγας
> Τῆς σῆς περείας Βόσπορός τ' ἐπώνυμος,

Chalcedonius. Byzantii Portus. Fauces Propontidis. Os Ponti. Fretum Mysium;

Bosporus Chalcedonis Herodoto; ab urbe adjacente, quæ hodieque *Chalcidona*, Turcis vero *Caltitiu*: *Byzantij Portus*, Incertioribus apud Stephanum ab urbe, quæ nunc Constantinopolis, olim Byzantium: *Fauces Propontidis* Manilio lib. IV. Astronomic. Στόμα Πόντου Εὐξείνου Pindaro; *Fretum Mysium* Arriano, quod tamen magis convenit Hellesponto. huic enim proxima Mysia & Minor & Maior. Græcis hodie *Laimon*; Turcis *Bagazin*, ut notat Petrus Gyllius, qui plene Bosporum describit: Italis *Streto de Constantinopoli*. Bosporum Darius Hystaspis filius, Xerxis pater, rex Persarum, copias militares, facto ex Navibus ponte, traduxisse commemoratur, cum apud alios tum Herodotum lib. IV. Angustum enim ibi Mare: quinque Stadia (quæ singula CXXV. passuum) edunt Strabo & Pomponius Mela; Plinius in fine lib. V. nat. hist. quingentos passus, suspecta numeri scriptura; reponendus fortean IↃ CXXV: hoc satis constat, hodieque, alituum cantus canumque latratus utrimque audiri, & fere vocis humanæ esse commercia; manente inter duos orbes, Europam Asiamque, colloquio; nisi id ipsum auferunt venti, inquit Plinius lib. natur. historiæ VI, cap. I.

Pontus Euxinus, qui &

Hoc modo multis amfractibus fractum mare, mitescens jam in æquoream se pandit faciem, &, quantum potest cadere sub adspectum, late diffusum & longe, *Pontum* aperit, qui Εὔξεινος Græcis, *Euxonius* Orosio lib. I. cap. II. quomdam, scribentibus Plinio, Solino, Isidoro, alijs, Ἄξενος, *Inhospitalis*, ob immanem adcolarum crudelitatem & inhospitalitatem; vel, ut Theophilus tradit, latronum frequentiam; quæ expugnata fingitur ab Hercule, expurgata latrocinijs regione & hominum ibi animis ceterarum gentium commercio aliquantulum emollitis. Ποντικὸν Πέλαγος Plutarcho in vitis Pompei & Eumenidis, Ptolemæo & Iornandi: *Mare Cimmerium* Herodoto & Orosio, ab Cimmerijs populis, qui adhabitabant; *Caucaseum*, Apollonio lib. IIII. à Caucaso monte inter Pontum hunc & Mare Caspium, *Mare Boreale* Herodoto lib. IIII. quia superioribus, quæ nominavi, ad Boream: *Maurum* Græcis Nautis; *Maurethalassa*, quasi *Mare Nigrum* Turcis; *Mar Maiore* Italis. Situm sic depingit Ammianus Marcellinus lib. XXII: *Omnis ejus velut insularis circuitus littorea navigatio, viginti tribus dimensa millibus stadiorum, ut Eratosthenes adfirmat, & Hecatæus, & Ptolemæus, aliique hujusmodi cognitionum scientissimi scitatores; in speciem Scythici arcus nervo coagmentati Geographiæ totius adsensione formatur. Et qua sol Oceano exsurgit Eoo, Paludibus clauditur Mæotidos: qua declinat in vesperum, Romanis provincijs terminatur: unde suspicit sidus Arctoum, Homines alis linguis & moribus dispares: latus ejus Austrinum molli devexitate subductum.* Mare hoc dulcius, quam cetera, ex multitudine fluminum, Isidorus lib. XIII. cap. XVI, ex Sallustij historijs. Sic Seneca in Medea Act. II:

Euxonius. Ἄξενος olim. Deinde etiam Ponticum mare. Cimmerium. Caucaseum, Boreale. Eius Situs, Sapor.

> *Quodcumque placidis flexibus Phasis rigat;*
> *Pontusque quidquid Scythicus à tergo videt,*
> *Palustribus qua maria dulcescunt aquis.*

Rationem reddit Ammianus, cujus jam memini. Verba, quod lectu digna, adscribam: *Omnis autem circumfluo ambitu Pontus & nebulosus est, & dulcior æquoribus ceteris & vadosus; quod concrescit aer ex humorum spiramine sæpe densatus & irruentium undarum multitudine temperatur, & consurgit in brevia dorsuosa; limum globosque aggerente multitudine circumvenientium fluentorum.* Piscosus admodum est Pontus: cujus rei caussæ: cum quod, præter Phocas, Thynnos & Delphinos, eosque non grandes & innoxios, belluas majores non patiatur, ut cum alijs Isidorus notat; notum au-

Piscium abundantia,

tem Majoribus Minores esse plerumque escam, hosque ab illis devorari: tum quod ex vastiore pelago pisces minorum gentium eo, tamquam in tutum quemdam secessum, confluant ad profundendos fœtus, aquarum adlecti partim suavitate, partim tranquillitate. Ammianus loco jam indicato: *Et constat ab ultimis Nostri finibus maris agminatim ad hunc secessum pariendi gratia petere Pisces; ut aquarum suavitate salubrius fœtum educant, in receptaculis cavis, quæ sunt ibi densissima, securi voracium belluarum: nihil enim in Ponto huiusmodi aliquando est visum, præter innoxios Delphinas & parvos.* Aelianus lib. IX. cap. LIX. Ἰχθύες ὅσοι ποταμὸν γείτονα τῇ θαλάττῃ συντρόφως κέκτηνται, ἢ καὶ λίμνην τινά, ὅταν μέλλωσι τίκτειν, ἐκνήχονται τῆς ἅλμης, καὶ τῶν κυμάτων τὸ ἄκλυστον ὕδωρ προαιρούμενοι, καὶ παραπλεόμενον ἀπὸ τῶν πνευμάτων καὶ τυπτόμενον ἥκιστα. Ἀγαθὴ γὰρ αὐτοῖς ἡ τῶν ὑδάτων εἰρήνη λοχείαν ὑποδέξασθαι, καὶ φυλάξαι ἀσινῆ τι καὶ ἀνεπιβούλευτα τῶν ἰχθύων τὰ βρέφη: τῇ τε ἄλλῃ, καὶ μέντοι καὶ διὰ τὴν τῶν θηρῶν ἐρημίαν καὶ σπάνιν. Φιλοῦσι δέ πως τήνδε τὴν ἐλευθερίαν ἔχειν αἵ τε λίμναι καὶ οἱ ποταμοί· ἔνθεν τοι καὶ πολλοῖς ἰχθύσιν εὐθηνεῖται ὁ Εὔξεινος Πόντος. Θηρία γὰρ τρέφειν οὐκ ἔμαθε. Φώκην δ' εἴποις τρέφει καὶ δελφῖνας βραχίστους· τῶν δ' ἄλλων ἁπάντων οἱ τῇδε ἰχθῦς ἐν σκέπῃ εἰσί. Color

Iam quod Color Aquæ Ponticæ albus, de quo caussisque Aristoteles in Problemat. sect. XXIII, Theocritus Eidyll. XXIII, ἀφόεντα vocat. In Ponto Peninsula est nobilissima, quæ Taurica vel Scythica Chersonesus; de qua alibi suo loco. Ad Occidentaliora (ubi & pars Ponti *Hylæum mare*, ab Hylæa, Tauroscytharum regione) Isthmi, *Carcinetes* visitur *Sinus*, Ammiano & Pomponio Mela sic nominantibus, καρκινίτης Ptolemæo; κερκινίτης Arriano; καρκινῖτις Straboni, inemendatius; nam ab opido, quod *Carcina* hodieque ad ostia fluviorum Hypacyris & Gerrhi. Strabo lib VII, sinum hunc *Tamyracen* vocat à Promontorio, quod in eum ab Occasu Ortum versus procurrit. Periplum Euxini Ponti scripsit eleganter & docte Arrianus. Ponti Pars Hylæum mare. Carcinetes Sinus, qui & Tamyraces s

Succedit postremo *Mæotis Palus*, ab Mæotis populis apud Ptolemæum & Pomponium Melam, qui hodie Tartarorum pars. Fretum ejus ad Orientaliora Peninsulæ littora Bosporus Cimmerius vel Mæoticus, ter mille passuum latitudine. Ab Scythis vocatur hæc Palus, ut notat Tzetza. Καρπαλοὺκ; & ut Plinius, *Temerinda*, addens hac voce *Matrem Maris* (ut eam etiam nominat Dionysius Alexandrinus) designari, quod perpetuo agmine defluat, numquam recurrens, aquas quasi subministrans absque intermissione subsequentibus, Euxino, Propontidi, Aegæo, Magnoque Mari. Hinc est, quod Lucanus libro III. de bello Pharsalico canat, imminui laudem immissi in terras ab Hercule, scissis montibus, Oceani; quum Mare Mediterraneum quibusdam videretur non tam oriri ex Oceano, quam ex Mæotide Palude, & Ponto Euxino, semper decurrentibus in Propontidem, & hinc porro in Pelagi Interni vastiora. Verba ejus hæc: Mæotis Palus quæ & καρπαλοὺκ, Temerinda

> *Quaque fretum torrens Mæotidas egerit undas*
> *Pontus, & Herculeis aufertur gloria metis,*
> *Oceanumque negat solas admittere Gades.*

Sed vero similius, quod indicat Abrahamus Ortelius, nuper maximo reip. litterariæ detrimento nobis sublatus, vocem quæ apud Plinium, mere Germanicam esse, eaque significari *Maris Finem*, quum *Meer* Mare, *Inda* Finis, *Et* vero sive *Het* articulus sit, qui in vocis capite metathesi litterarum, quod non infrequens apud Germanos, scribitur. Non male. Nam Mari Mediterraneo, per fretum Herculeum immisso, Finis in Mæotide, ut quidem oculi nostri testantur. Caspio enim secretior est cum superioribus copula, ut jam parebit. Vera & genuina vocis scriptura forte *Tesmerinda*, ut sit quasi *Das Meers Enda*, ut Majores nostri pronunciabant. Hodie *Mar Zabach* à Circassis (sic Tartari Turcæque vocant Sarmatiæ Asiaticæ populos, qui Plinio *Zigæ*, Stephano ζυγοὶ) nominatur: Italis *Mar della Tana*, ab Tanai fluvio, qui duobus ostijs huc influit: item *Mar bianco*, Mare album Palus hæc non altior quinque: &, ubi profundissima, septem ulnis; habetque in ambitu septingenta, vel, ut alij, nongenta millia passuum. Videndi Polybius lib. IIII. & Strabo lib. II. Ego scio circuitum ejus usque ad insulam in ostio Tanais esse centum nonaginta aut circiter milliar. Germanicorum, quorum singula XXXII. statuunt stadia. De Frigore Mœotico legendus Strabo lib. VII. dicitur adeo indurari gelu, ut vehicula super eam adcolæ ducant. Lucanus lib. II. belli Pharsal. ubi de gentibus ad bellum civile excitandis:

——quas tenet æquore denso
Pigra Palus Scythici patiens Mæotica plaustri.

Non adeo mirum. Mitiores tamen hiemes ibi, quam apud nos, quum Palus hæc ad gradus Altitudinis XLVIII, XLIX, L. & LI. Auctores tam Romani, quam Græci externa: & quæ de quarundam Regionum malis atque incommodis auditu tantum intellexerant, intendere & verbis solent mirum quantum exaggerare: quod exemplis adductis probare, hominis sit ocio bono non bene utentis.

Caspium; An pars Oceani.

Quæ commemoravi, Maribus conjungam non immerito *Caspium*; quod cum Euxino per occultos Cuniculos unum. Affirmate loquor. Alioqui pars sit Oceani Scythici, nec ne; diversa Veterum sententia. Ajunt Dionysius de situ orbis, Manilius lib. IV. Astronom. Plinius lib. VI. nat. histor. cap. XIII, Pomponius Mela lib. III. cap. V, Orosius lib. I. cap. II, Basilius ad cap. I. Geneseos, & alij. Notat etiam Strabo lib. XI. Patroclem nobilem Scriptorem in ea fuisse sententia, ex India navigari posse ad Hircanos. Negat Herodotus lib. I. scribens Caspium alterum ac per se ipsum, Mare esse. Ejusdem mentis Aristotelis lib. II. Meteoror. cap. I. Hos alij multi sequuti quorum princeps Ptolemæus in sua Geographia accuratioris locorum cognitionis benificio. Ipse Strabo, nisi, ut notavit Vir magnus, planis expressisque verbis falsam subdidisset sententiam, potuisset absque negocio ex prioribus persuadere Lectori, credidisse se littoribus circumseptum Caspium exitu carere. Sic enim ait: κύκλῳ δὲ περὶ τὴν θάλατταν. Sed mox omnia corrumpit, & in aliam imprudens trahitur opinionem, illis præcipue verbis: πρὸς τὸν Ὠκεανὸν τὸν πληρουῦντα τὸν Κάσπιον. Illud verum, Aquas Oceani Caspium excipere subterraneo meatu, & exonerari occultis sub terram alueis & cryptis in Euxinum. Quum enim maxima flumina Caspium influant (inter quæ ab Septemtrione, Rha, hodie *Volga*; & Rhymnus, *Iaick*; ab Ortu, Iaxartes, *Chesel*; à Meridie, Oxus, *Abiamu*; ab Occasu denique alia non pauca) necesse sane fuit infusa, præsertim quum marinas stationes Flumina naturaliter adpetant, aliqua exire. Nam qui recipiendis quotidie tot fluminum aquis alveus hujus maris suffecisset; hodieque sufficeret? Quæ igitur labuntur in Caspium voragine quadam subterranea ex illis carceribus recipiuntur in Pontum: qui etiam terræ conclusus per Hellesponti & Abydenorum freta in Archipelagum; inde per mediam Europam & Africam ad Herculeum fretum, qua patet exitus, decurrit. Mare Caspium, ut delineat Pomponius lib. III, in tres sinus diffinditur: contra os ipsum & alvei fauces, in Hyrcanum, ubi Georgiani: ad sinistram versus Septemtrionem in Scythicum, qua parte Zibierairorum & Zagataiorum sunt Hordæ: ad dextram vel oram meridianam, qua nobilissima urbs Tauris, in eum, quem proprie & totius nomine Caspium à Caspijs ibi populis appellant; Parthis hodie à proximo opido *Bacau*. Georgianis *Chelucelam*. Aristoteles Caspium & Hyrcanum lib. II, Meteorolog. duo Maria numerat; quum unius rei duo sint nomina. Plurimis alijs nominibus (quod & Plinius scribit) ab adcolis appellatum: Rhutenis & Tartaris hodie *Chunalinsko-morie* vocatur: Mauris *Bohar Cursun*, id est mare clausum, indicant quæ dixi; *Georgiam* dicitur ab Georgianis, qui quondam Iberes & Albani Asiæ populi: Ab alijs *Mare de Sala*, ab opido Tartariæ cognomine; Item *Therbestam* alijsque modis pro vario gentium idiomate vel regionibus illi adpositis, ut se observasse scribit ex tabulis & scriptis peregrinationibus V. CL. Abrahamus Ortelius.

Eius Partes, & varia Nomina.

Magnitudo.

Variatur inter Auctores de Maris hujus magnitudine: inter eos Herodotus in Clio longitudinis esse tradit quindecim dierum cursu navis, quæ remis utatur; latitudinis, ubi spaciosissimum est, dierum octo. Fidendum magis, qui quotidie transmittunt, Mercatoribus, non amplius duodecim diebus universum expleri ambitum testantibus. In eo Mari Pisces, ut prodit Iulius Cæsar Scaliger de Subtilitate adversus Cardanum, exercitat. LI. capiuntur Siluri, & Moroni; quos, vulgari nomine sic appellatos, non audet Glanios vel existimare vel negare: præterea Caniculæ, canino prorsum capite, cauda, pedibus: adhæc Piscis teres totus sine capitis expressa figura, longitudine circiter pedum quatuor: ex quo ad lucernarum usum exemtus adeps vices præstat olei, frequenti mercatu expetitus.

Pisces rariores.

Cap. VIII.

De reliquis Internis Maribus.

Præter Mediterraneum illud (quod optimò jure Magnum, quum si commissio fiat, reliqua non tam Maria, quam Sinus, censenda) & alia sunt Interna, quæ per sua Freta terras irrumpunt ex Oceano; Orientali quidem, *Persicum* & *Rubrum*; Septemtrionali vero, *Balticum*.

[Persicum.] *Persicum* inter Persiam est, unde illi nomen, & Arabiam Felicem: primo Sinus (ut & multis habetur) quem inter Promontorium Asoborum (hodie *Cabo Mochandan*) & Armuziam (*Ormus* nunc, nobilissimum in Insula ferace Emporium) excipit Fretum, quod vulgo *Basora*: mox Mare, quod etiam Plutarcho in vita Luculli *Babylonium*, ab urbe Mesopotamiæ versus Caurum illi adlocata, quam *Bagdet* hodie dicunt, ad Euphratem. *Mar Elcatif* & *Mesendin* vulgo nominari testantur Tabulæ Geographicæ. *Tumach-cama* ab Mesopotamijs vocari, ab aliis item *Bein elnaharin*, scribit vel fingit potius Thevetus; quem non in Geographicis tantum, sed & alijs familiariter aliquando Parisiis novi, & mecum alij, fluxissimæ fidei. Semel hoc dicendum erat, Lector: ne, si passim non laudem, à me negligentia factum arbitrere.

[Rubrum.] *Rubrum* id (specialiore notione, καταχρηστικῶς) Europæis hodie, quod olim *Arabicus Sinus*, Plinio scribente lib. nat. historiæ II, cap. LXVII & sequente; inter Arabiam Felicem & Africam. Sinus primo, ubi ad dextram *Aden* urbs, olim Arabia: deinde Fretum, quod nostro tempore *Babelmandel*. hinc Mare, quod ab adcolis hodie *Mar di Mecha*, ab Arabiæ Felicis urbe, quæ μοχύρα Ptolemæo; ab alijs *Mar Rosso*. Sunt qui scribunt appellari etiam *Tohar-Corsun*, Mare clausum; quod Caspio verius convenit. Thevetus, nisi, quod plerumque solet, nugas (quibus hoc lucratus, ut nusquam fidem mereatur) vendat, ab Arabibus vocari notat *Zocoroph* vel *Beharzocoroph*; ab alijs *Zahara*. ים־סוף mare Caricosum passim in Sacris litteris: סוף enim Iunci genus, crescentis in extremitatibus Maris vel Fluminis: unde ים־סוף Mare Caricis, quod eo Iunci genere abundet. Stephano βέζχα dicitur. De Persico & Arabico Internis junctim Manilius lib. IV. Astronomic.

Altera sub medium Solem duo bella per undas
Intulit Oceanus Terris. Nam Persica fluctus
Arva tenet, titulum Pelagi prædatus ab ysdem,
Qua rigat ipse, locis; latoque infunditur Orbi.
Nec procul in molles Arabas, Terramque ferentem
Delicias, variaque novos radicis odores,
Leniter adfundit gemmantia littora Pontus,
Et Terræ Mare nomen habet.

[Balticum, quod & Morimaruza, Amalchium, Suevicum, Pigrum, Sinus Venedicus, Codanus.] *Balticum* (ut appellat Xenophon; vel, ut alij, *Baltæum*, unde *Belts* hodie, præcipue prope Insulam Langlandiam, ubi *Lagnus Sinus* Plinio lib. nat. histor. IIII, cap. XIII.) id mihi; quod angustiore primum & sinuoso ore Caput Cimbricæ Chersonnesi prægressum, factis aliquot Danorum Insulis, per Sundam, nobilissimum Daniæ Fretum (ubi quomdam Βεννιτοι Ptolemæi) infunditur versus Orientem; inter hinc Germaniæ, Prussiæ, Lituaniæ, Livoniæ, Russiæque, inde Gothiæ & Sueciæ littora: *Morimaruza* Philemoni; *Amalchium* Hecatæo apud Plinium; *Suevicum* à populis, qui adhabitant; *Pigrum* nominat Tacitus, quod non, ut bene Ortelius, veluti cetera Maria, moveatur. Nam Aestus ejus, quod etiam qui quotidie navigant, testantur, vix deprehenditur. *Venedicus Sinus* eidem ab Venedis populis; *Codanus* Plinio lib. IV, cap. XIII, & Pomponio Melæ lib. III. Germanis *Oost-Zee*: quod Oceano versus Ortum: Rutenis *Wareczkovic-morie*. Excurrens porro in duo brachiæ dispescitur: faciens à sinistra; inter hinc Sueciam & Boddiam, inde Finlandiam Sinum prius *Finnicum*, *Finnisch-zee*; [Finnicus.] post, freto discriminante, *Boddicum*, *Bodner zee*: à dextra inter Finlandiam [Boddicus.] & Livoniam alium, qui item *Finnicus*. Alia minorum gentium prætereo:

[Album.] *Album*, quod Arctoum Pelagus Terris immittit inter Russiam, Moscovitarumque & Lapporum fines: ad cuius interiora Fanum D. Nicolai, quo plerumque cum

 Mosco-

Moſcovitis commercia facturi Mercatores noſtri adpellunt. *Witte-zee* Batavis, qui plurimum hoc Mare navigant, appellatur.

Mar Vermejo. Illud etiam non magni præ ceteris momenti, quod inter Americam & Mexicanam primis luſtratoribus *Mar Vermejo* nominatum.

Cap. IX.

De Euripis.

Euripus quid. MARIBVS Reciprocantibus addiderim *Euripos.* Εὔριπος, inquit Sudas, πέλαγος στενὸν· ἢ τόπος ὑδατώδης μεταξὺ δύο γαιῶν, τουτέστι Βοιωτίας, καὶ Ἀττικῆς. ἑπτάκις δὲ τῆς ἡμέρας τὸ ἐκεῖσε ὕδωρ τρέπεται. Deſcribit mare, quod inter Atticam & Eu- Euboicus. bœam, *Euboicus Euripus* alijs, nonnullis *Chalcidicus* ab urbe Chalcide, Italis *Strecho de Negroponte*; ſic enim illis hodie Eubœa dicitur. Fluxus eius ac Refluxus. De eo ſic Pomponius Mela lib. II. cap. VII. *Mare rapidum, & alterno curſu ſepties die ac ſepties nocte, fluctibus invicem verſis, adeo immodice fluens; ut ventos etiam ac plenis velis navigia fruſtretur.* Strabo tamen lib. IX, Plinius lib II. cap. XCVII, & alij (quibus adſcribendus fortean & Sudas) tantum die ac noctu ſimul ſepties fluere contendunt. Sic Seneca in Hercule Oetæo, Act. II. Sc. I. profugè:

Euboica tellus, vertice immenſo tumens,
Pulſatur omni parte; Phryxeum mare
Scindit Caphareus: ſervit hoc Auſtro latus;
At quæ nivoſi patitur Aquilonis minas,
Euripus undas flectit inſtabilis vagas,
Septemque curſus flectit & totidem refert,
Dum laſſum Titan mergat Oceano jubar.

Antiphilus Bizantius quodam Epigrammate ſenarium prodit numerum:

Εὐβοικοῦ κόλποιο παλιρροίη τι θάλασσα,
　Πλαγκτὸν ὕδωρ, ἰδίοις ῥεύμασιν αὐτίπαλον,
Ἠελίου καὶ νυκτὶ πεπαγμένον, ἐς τρὶς ἄπιστον
　Ναυσὶν ἔσσον πεμπτὰς χεῦμα δανειζόμενον,
Θαῦμα βίου. θαμβῶ σε τὸ μυρίον, οὐδὲ μαθεῖν
　Σὴν σθένω. ἀρρήτω ταῦτα μέμηλε φύσει.

Alium alij. Ab omnibus, niſi mens mea me fallit, certus numerus poſitus pro incerto. Livius lib. XXXVIII veritatis, quam ſuperiores, convenientius, *Fretum ipſum,* inquit, *Euripi non ſepties die, ſicut fama fert, temporibus ſtatis reciprocat; ſed temere in modum venti nunc huc nunc illuc, verſo mari, velut monte præcipiti devolutus torrens, rapitur.* Videndus & Thucydides lib. VI. Cauſſam huius Fluxus & Refluxus quum nequiſſet adſequi Euripo mutabilius. Ariſtoteles, mœrore contabuiſſe ſcribitur ab Iuſtino Philoſopho & Martyre Admonitor. ad Gentes, & Gregorio Nazianzeno oratione I. in Iulianum Apoſtatam. Hinc certe Proverbium, ut *Euripo* dicatur *mutabilius*, quidquid inſtabile. Aeſchines κατὰ Κτησιφῶντος, Calliam mutabiliorem eſſe notat Euripo, cui vicinus. Eleganter & Plato in Phædone: πάντα τὰ ὄντα ἀτεχνῶς ὥσπερ ἐν Εὐρίπῳ ἄνω καὶ κάτω στρέφεται. καὶ χρόνον οὐδένα ἐν οὐδενὶ μένει. Ariſtoteles Ethic. IX. cap. VI. οὐ μεταρρεῖ ὥσπερ Εὔριπος. Committit & eleganter M. Tullius oratione pro Mur. cum Euripi fluxu & refluxu inconſtantiam populi & incertam Comitiorum rationem. Inſtabilis enim Euripus; & inde inter ἀδύνατα apud Senecam in Hercule Oetæo, Act. II. Sc. III:

　　— *prius*
Exſtinguet ortus, referet occaſus, diem:
Pax ante fida nivibus & flammis erit:
Et Scylla Siculum junget Auſonio latus:
Priuſque multo vicibus alternis fugax
Euripus, unda ſtabit Euboica piger.

Euripus Tauromintanus. *Euripus Taurominitanus* Plinio lib. II. cap. XCVII. illa maris reciprocatio, in quam delabi ferunt Charybdim; quæ, verticoſum mare inter Siciliam & Italiam in freto Mamertino, *Garofaro* dicitur hodie, Fazello & Aretio notantibus. Exaudiendus de eo Sene-

eo Seneca in Epistolis, *Charybdis an respondeat fabulis, perscribi mihi desidero: & si forte observaris (dignum est autem quod observes) fac nos certiores, utrum uno tantum vento agatur in vortices, an omnis tempestas mare illud contorqueat; & an verum sit, quidquid illo freti turbine arreptum est, per multa millia trahi, & circa Taurominitanum littus emergere.*

Euripos quatuor, vastissimis Insulis interpositis, sub Arctico polo comminisci fuit ausus Minorita quidam Anglus Oxoniensis, Mathematicus, ut scribit in suo Itinerario Iacobus Cnoxen Buscoducensis: eosque tanto impetu versus Voraginem, quæ ad Euriporum concursus, (ubi & Rupem sub ipso Polo nigram statuit, cujus ambitus XXXIII circiter leucarum) rapi, ut naves semel ingressæ vento retroagi non possint: neque unquam tantum ibi ventum esse, ut molæ frumentariæ circumagendæ sufficiat. Alia ejus prætereo. Hunc sequuti temere sunt alij; inter quos Giraldus Cambrensis libro de Mirabilibus Hiberniæ; qui addit, ad Voraginem hanc omnes undique ab remotissimis orbis partibus marinos fluctus, tamquam ex condicto, confluere, & in secreta Naturæ penetralia se transfundentes quasi in Abyssum vorari; naves hac forte transeuntes tanta rapi & attrahi fluctuum violentia, ut eas statim irrevocabiliter vis voracitatis absorbeat. Additur, ne quid desideremus ad plenam loci stupendi cognitionem, Ostiorum, quæ singulis Euripis, numerus: septem illi, qui freto Aniano obversus; quinque, qui Septemtrionaliora Novæ Zemblæ respicit, ea autem propter angustiam & celerem cursum numquam congelari; tria, qui Groenlandiæ vicinus; quatuor denique, qui proxime succedit: omnibus vero Ostijs initia describuntur ad gradum LXXVIII. Belle mehercules. Tam adseveranter de his disserunt, quasi vel ibi nati educatique, vel eo delati suis oculis omnia fideliter & diligenter notassent; Rupem etiam mensi. Si loco tam mirando nati; non video, quibus adminiculis quarumque Aquarum benificio venerint ad nos, tantam ὑπερφυσικὴν nunciaturi; quum Fluctus ex quatuor Orbis partibus, ut dicunt, eo se rapientes tanta vehementia obnitantur, & ventus ibi numquam tam validus, ut molæ versandæ (qui vero navi huc inde contra Fluctus reluctantes promovendæ?) sufficiat. Sin eo delati, magna certe prærogativa munitos fuisse necesse fuit, quod adeuntes horrida, tetra & inaccessa loca, non fuerint cum navibus, ut omnibus evenire volunt, absorpti; at placidissime portati ita Rupi adhæserint, ut non solum ejus colorem cognoscere, verum & magnitudinem metiri potuerint. Sistebat, credo, terribilis ille Aquarum raptus; dum ibi docenda nos illi discebant: ne scilicet quid quod uspiam in rerum natura nesciremus. Sed abesto jocus, & vana vanis relinquamus. Quisquis fuit primus hujus commenti auctor, amicus fuit non Veritatis, sed Platonis. Hic namque, quum excogitare non valeret veram Fluxus Refluxusque Maris caussam, in Phædone somniavit, χάσμα esse μέγιστον, καὶ διαμπερὲς τετρημένον δι᾽ ὅλης τῆς γῆς; ejus mentionem facere Homerum.

τῆλε μάλ᾽ ᾗχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον

alibi vero Homerum aliosque Poëtas hoc χάσμα Τάρταρον appellare; ad hiatum denique illum omnes fluvios, atque adeo totum Aquarum corpus universæ Terræ circumfusum, confluere, & ex eo Aquas omnes vicissim effluere; sursumque ad nos motas, deorsum autem ad Antipodas Rheumatibus effusionem facere. Sed hanc Platonis (cuius Eloquentiam & Orationis flumen magis sæpe mirari venerarique soleo, quam Philosophiam) opinionem, quod absurda esset & omni careret ratione, merito refutat Aristoteles lib. II. Meteor. cap. II; cujus Argumenta legenda. Docuerunt & hæc falsa esse, nuper Argonautæ nostri; qui ad LXXX. Altitudinis gradum delati, nullas Aquarum versus loca, quæ ad perpendiculum Polo subjacent, attractiones, quales fœde finguntur, deprehenderunt; quum tamen initium attrahendi in pictis ad illorum mentem tabulis scribatur ad gradum LXXVIII. Alioquin videri sub ipso Polo habitationes esse commodiores, quam quæ aliquot inde gradibus propiores Aequinoctiali, jam dixi; & dicam plenius, ubi ad istorum locorum historiam mea me deduxerit Methodus.

Eurip: sub Polo Arctico.

an finti

CAP. X.

Cap. X.

De Aquis perpetuo defluentibus.

Aquæ perpetuo decurrentes.

SVFFICIANT hæc de Aquis, quæ reciproco motu agitantur; historia succedit earum, quæ perpetuo defluunt: eo numero sunt *Fontes*, *Fluvii*, *Rivi*, *Torrentes*, & id genus aliæ; quæ gravitate sua per declivia feruntur, donec tandem in mare se exonerant.

Fons. Fluvius. Rivus. Torrens.

Fons Isidoro lib. XIII. Originum, cap. XXI, caput aquæ nascentis: quasi fundens aquas. *Fluvius* perennis aquarum, quæ in unum alveum ex varijs fontibus collectæ, decursus; *Flumen* ipsa aqua; *Gurges* altus in eo locus. *Rivus* fluviolus perennis, natura & arte coactus; sic dictus, quod derivetur ad irrigandum, id est inducendum aquas agris. *Torrens* fluentum non perenne; quod æstate exsiccari solitum, augeri vero solutarum nivium aut ingruentium imbrium accessione: à torrendo, ut idem Isidorus notat, laudans hoc Pacuvii:

Flammeo vapore Torrens torret.

Amnis.

Amnis fluvius nemore ac frondibus redimitus; ab amœnitate Isidoro: alijs ab ambiendo: unde & Tiberim à quibusdam Amnem volunt appellatum, quod, docente Varrone, Romam ambiret; falso. Numquam enim ambijt Vrbem, sed adluit: nisi Ambire viro docto non totum circumire, sed partem tantum.

Aquarum decurrentium generatio.

Veterum Philosophorum, qui alioquin Physicæ in dias luminis auras efferendæ singularem navarunt operam, illa semper fuit, estque hodie opinio; decurrentes jugiter aquas generari ab Aere vel Vapore calido & humido; quem, adiuvante loci natura, per Terræ poros receptum, & in ejusdem cavernis coactum, ibi volunt in Aquam ab circumstante Frigore sensim converti. Multas enim ajunt passim esse sub terra concavitates; in quas, quum natura non patiatur Vacuum, Aerem per meatus & poros necesse est ingredi; qui condensatus loci frigore in Aquam abit: ideoque Fontes esse perennes & perpetuos, quum caussa sit illis perpetua, Aere Frigoreque, à quibus generantur, numquam deficientibus. Seneca: *Sub terra quidquid est, quod illum in Aquam convertat, id semper est umbra perpetua, frigus æternum, inexercitata densitas: semper ergo præbebit perennes caussas Fontibus.* Hæc Aristotelis (qui contradicendi studio sæpe totus in Antiquorum Placitis, quamvis ea bona solidaque, convellendis) lib. II. Meteor. cap. II; hæc, qui eum sequuti, (videndi Seneca lib. III. nat. quæstionum, Georgius Agricola de ortu & causs. Subterran. I, Antonius Galatæus de fluminum origine, & alij) de generatione decurrentium perpetuo Aquarum mens; cui enervandæ non pauca.

Non ab Aere intra Terræ venas recepto.

Vt alia omittam: qui quæso fieri potest, ut Aer sive Vapor, intra Terræ Venas receptus, tanta corrumpatur celeritate, quanta fluunt Aquæ? Nam si vel momento μεταμόρφωσις illa fieret, quidquid in rerum natura est, Aeris, quem suapte natura scimus rarissimum; numquam ad eam Aquarum, quæ vel uno die fluunt, molem emoliendam sufficeret; neque altissimi Oceani gurgites, si vacuarentur, tantam Aquarum vim caperent. Certe infinita Fluviorum multitudo, quæ tot jam sæculis infinitam Aquarum copiam in Oceanum infundit, jampridem elementarem hanc Mundi partem Aquis obruisset, ac Cœlestes orbes attigisset; quum vel continui quadraginta dierum imbres tantas olim eluviones effuderint, ut Aquæ Montes altissimos, cubitis quindecim superarent.

Sed ab Oceano Terræ meatibus percolato.

Divinior itaque, & naturæ legibus consentanea magis, hac de re sententia Philosophorum; qui decurrentes Aquas ab Oceano, Terræ meatus quibus percolatur, subeunte; & nunc in planis patentibusque campis coacto, nunc versus editissimorum montium juga (quo modo, consulendus Iulius Cæsar Scaliger de Subtilitate, exercit. XLVI.) per concavas speluncarum altitudines variasque terrarum (sua etiam gravitate prementium) venas exiliente: sicque rursus, unde venerat, refluente derivari censuerunt; & inde esse, quod Maria (quum quæ data recipiant, receptaque mox reddant) nec augeant, nec minuantur. Sic Plato, Philo de Mundi opificio, Seneca lib. III. Nat. quæst. cap. IX, & nostri temporis alij: subscribentes arcanis Hebræorum Dogmatibus. Ecclesiastes cap. I: *Omnia flumina intrant in mare; & mare non redundat:*

redundat: ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant: quibus consona Homeri illa, de Oceano loquentis:

Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,
Καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.

Hæc ut paucis dicam, *Aquas omnes à Mari & ad Mare*, signant. An absurde, & contra Naturæ Decreta? Suffragatur, quod nos docet Experientia, non paucas esse Aquas: quæ, quamvis dulces, æstum tamen Oceani sequuntur. Fontem Gadibus indicat Plinius lib. II. motibus Oceani consentientem: alium in Tenedo (Insula est in Hellesponto, nomen hodieque retinens) semper à tertia noctis hora in sextam ab æstivo solstitio exundantem: contra Timavum amnem Insulam in mari parvam; & in ea Fontes calidos, pariter cum æstu maris crescentes minuentesque. Aliam à Percolatione notans hujus rei caussam Seneca, prodit suam hic (ut & alibi sæpe) in rebus Physicis infantiam. Festiva sunt ejus verba: *Quemadmodum*, inquit, *quartana ad horam venit; quemadmodum podagra ad tempus non respondet; quemadmodum purgatio, si nihil obsistit; statum diem servat; quemadmodum præsto est ad mensem suum partus: sic Aquæ intervalla habent, quibus se retrahant, & quibus redeant; quædam autem intervalla, quia minora sunt, ideo notabilia; quædam majora, & minus certa.* Et hoc, quod de Percolatione dixi, juvat: in Alpheum Peloponnesi fluvium olim casu delapsa, longissimo Maris intervallo in Arethusa Syracusarum fonte, qui in Sicilia, postea fuisse reperta. Quo modo? benificio Percolationis. Dicere enim Alpheum, prope Elidem civitatem ortum, non se consociare Pelago; sed subter mare Ionium defluere, & in Arethusam erumpere; supra fidem est: & tamquam rem omnino fabulosam agnoscit Strabo lib. VI; ut & non obscuris indiciis Virgilius lib. III. Æneidos, Ovidius lib. V. Metamorph. Seneca in natur. quæst. Pomponius Mela lib. II, & si qui alij; contra Oraculum, quod citat Pausanias lib. I, Moschum Pindarumque Poetas, & Timæum Philosophum; quos sequuti Plinius lib. II. & Lucianus in Marinorum Deorum Dialogis: ut, quum de Sicilia erit sermo, videbimus.

Sed objiciet quis forte; quum omnium defluentium Aquarum origo sit ab Oceano, eoque salso: qui fiat, ut pleræque sint dulces; nonnullæ autem bituminatæ, sulphuratæ, aluminosæ, nitratæ, alijsque saporibus imbutæ percipiantur: quum item natura sua omnes fere cum matre frigeant, unde tantus non paucis Ardor?

Naturalem Qualitatem, id est, Dulcedinem conciliat Aquis generatim Percolatio, de qua dixi; eo majorem semper, quo ductus Percolationis longior, & locus Eruptionis à Mari remotior. Vnde Aquis Dulcedo.

Sapores ceteros aliaque Accidentia infundunt; partim Terrarum, quibus percolantur Aquæ, natura & genius: partem variæ primarum Qualitatum permistiones, & Influentiarum, ut artis utar voce, concursus. Nam in confesso est apud omnes, Aquas Subterraneas per Venas currentes, earum rerum naturam easque Qualitates imbibere, quas perfluunt: sive Herbæ latentes fuerint; seu Metalla, ut Aurum, Argentum, Aes, Ferrum, Plumbum, Cuprum, Argentum vivum, Auripigmentum vel Arsenium, Sandaracha; seu Lapides, ut Gemmæ, Saxum Calcarium, Marmora, Arena; seu Succi concreti, ut Sulphur, Bitumen, Alumen, Chalcitis, Nitrum, Sal, Viscum; seu diversa Terrarum genera, ut Creta, Argilla, Marga, Ampelitis, Pignitis, Sinopis, Ochra; seu denique infecti Halitus & Vapores. Vnde alij Sapores.

Quod quædam Aquæ cum hominibus tum alijs animantibus Salutiferæ, quædam Morbidæ, quædam etiam Lethales: faciunt & Herbarum, quæ latent vel ad juvandum vel ad nocendum, potentia; & Metalla, quibus perlabendo attactis affrictisque vis inest occulta, stupendorum effectuum generatrix.

Salutiferas quis quærit? *Albulæ* Aquæ, teste Isidoro, juxta Romam vulneribus medentur: *Fons Ciceronis* in Italia scissuras oculorum sanat, & sauciationes: in Sardinia etiam calidi Fontes, qui oculis medicinam adferunt; exceptis eorum, qui furti se alligarunt: horum enim facinus cæcitate detegitur: *Lechnus* Arcadiæ fons Abortus fieri non patitur. *Zama* fons, apud eundem Isidorum, in Africa canoras facit voces. Aquæ Salutiferæ.

Morbidas indicandum? Meminit Seneca Fontis, qui furere facit bibentes: Alius, qui Phreneticos. Isidoro scribente, in Chio insula Fons, quem qui bibunt fiunt hebetes: in Æthiopia fonte rubro qui bibunt, fiunt Limphatici. His adcensuerim illas, quæ bibentibus Strumas in collo generant: fit illud (ut Iulio Cæsare Morbidæ.

Scaligero

Scaligero de Subtilit. adversus Cardanum utar) ab Aqua è nivibus liquefactis; quæ multum terrestris & crudi continet. Crudum repugnat resolutioni: Gutturis hæret musculis & glandibus terrestre, quod propter aqueum sese insinuavit, ibique concretum durescit. Idcirco qui ad Alpes habitant & Pyrenæos atque in Arvernis, hoc patiuntur. In locis autem frigidioribus nives rarius ac serius solvuntur: & quæ solvuntur, pusillo temporis spacio cedunt alijs cito subituris. Celsus, quem alij sequuntur, Aquam Frigidam Strumas excitare scribit ἁπλῶς. Sed non omnis Frigida gignit hoc malum. Nullos enim hujusmodi Tumores novit Asia, nullos Africa, nullos potissima pars Europæ: quibus omnibus tamen Aquæ frigidissimæ. In Germania familiare hoc perexiguo Alpium tractu; ubi qui nascuntur, nemo caret eo malo: quod etiam de ea parte agri Taurini, quæ *Valdocca*, id est vallis Anseris appellatur, notat Vir nobilissimus quem dixi. Ego ex Italia reversus in Alpibus vidi strumosissimos, & ad loquendum incredibile, quam ineptos. Legendus & de Caussa Strumas generante Albertus Magnus II. Meteor. tract. III. cap. XIX.

Lethales.

In nos armatas & Lethales quis avet novisse? Seneca dicit esse quosdam fontes, qui bibentes venenando occidant. In Beroso Taurorum colle tres apud Plinium feruntur fontes; sine remedio, sine dolore mortiferi. In Arcadia, ut scribunt Plinius & Vitruvius (ex quibus Isidorus emendandus) juxta Nonacrin Aqua profluit è saxis, *Styx* appellata: quæ potata necat illico.

Alijs modis commodæ, vel incommodæ.

Ab alijs alia capiuntur Commoda & Incommoda. Apud Senecam fons est, qui memoriam confert: alius qui oblivionem inducit; quem in Bœotia ponit Isidorus: cui & in Sicilia duo Fontes, quorum unus fœcundat sterilem, alter contrariæ naturæ. Nominat idem Aquas in Campania, quæ sterilitatem fœminarum, & virorum insaniam abolere dicuntur. Iterum apud Senecam, fons *Salmacis* in Caria libidinem incendit: *Cizici* fons contra, apud Isidorum, Veneris tollit amorem.

Aquæ Colorem mutantes.

Quod epotæ quædam insignes corporibus adferant mutationes, sine tamen corruptione naturæ: Caussa proculdubio manat ab varijs Terræ, quam perlabitur, qualitatibus; quibus colores nunc hos nunc illos efficiundi vis inest. Plinius lib. II. nat. hist. cap. CIII: *In Falisco omnis Aqua potata candidos boves facit; in Bœotia amnis Melas oves nigras; Cephisus ex eodem lacu profluens albas; rursus nigras Penius; ruffasque iuxta Ilium Xanthus, unde & nomen amni. In Ponto fluvius Astaces irrigat campos; in quibus pastæ nigro lacte equæ gentem alunt.* Seneca de natur. quæst. *Quibusdam fluminibus vis inest mira: alia enim sunt; quæ pota inficiunt greges ovium: intraque certum tempus, quæ fuere nigræ, albam ferunt lanam; quæ albæ venerant, nigræ abeunt. Hoc etiam in Bœotia amnes duo efficiunt: quorum alteri ab effectu Melas nomen est; uterque ex eodem lacu exeunt diversa facturi. In Macedonia quoque, ut ait Theophrastus, est flumen, ad quod qui facere albas oves volunt, adducunt; quod ut diutius potavere non aliter quam infectæ mutantur: at si illis lana fuerit opus nigra, pullis paratus gratuitus infector est: ad Penium eundem gregem adpellunt. Auctores habeo, esse in Galatia flumen, quod idem in omnibus efficiat. Est in Cappadocia, quo poto equis nec ulli præterea animali, color mutatur & spargitur alba cutis.*

Frutices proferentes, & Oleas.

Quod in quibusdam, ut de Rubro Mari notat Plinius, Oleæ nascantur & frutices virentes; facit Aquarum spissitudo, quæ aliquid pingue & naturalis seminis seu caloris continent.

Oleosæ.

Quod quidam fontes oleo perfusi; facit Bitumen pinguius, quod oleum in se habere extra omnem est controversiam. Tales; in Scotia, haud procul urbe regia; in Saxonia, prope Brunsvicum; alij alibi: ut mirum non sit, mandatum scriptis ab Arriano, ad Alexandri tabernaculum Fontem Olei (totum ex oleo, absit ut credam) prorupisse: ab alijs vero, idem Augusti principatu Romæ contigisse.

Lapidescentes.

Quod quædam Aquæ injecta corpora agglutinent & indurent, facit limi copia & viscosa earum natura. Quemadmodum enim Pulvisculus Puteolanus, ut est apud Senecam, si aquam attingit confestim fit Saxum; sic contra sunt Aquæ quæ si solidum contingant, hærent & adfiguntur. Et adscribit ille constare quosdam esse Fontes, qui ligna injecta in lapideam substantiam convertunt, & ex hujusmodi lapidibus optimas fieri cotes. Exempla alia subministrant alij. Memoriæ prodit Plinius, in Ciconum flumine lignum dejectum lapideo cortice obduci. De eo Ovidius in Metamorph.

Flumen habent Cicones: quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Apud

Apud eundem Plinium, in flumine Silari ultra Surrentum non Virgulta modo immersa, sed & folia lapidescunt; alias salubri aquæ ejus potu. Similem omnino vidi in Arduenna silva juxta Malmundarium, quamvis lapidescentem, potui tamen aptum; qui in lacunas & incilia ductus instar tophi coalescit, ex quo camini & fornaces fieri solent. In Alliensi fonte Arvernorum ligna, calamos, quisquilias lapidescere, trium horarum spacio, docet in suo universæ naturæ Theatro Ioannes Bodinus, testis oculatus. Refert in suis Mineralibus Albertus Magnus, inventum esse suo tempore ramum Arboris in portu Lubecensi, in quo erat avium nidus una cum pullis, conversis omnino in lapidem paullulum subrufum & durum. Addam huc; in Hungaria rivulum esse, in quem ferrum injectum Cuprum redditur: In Marsida Phrygiæ fonte, quod scribit Isidorus, Saxum crescere.

Non obscurum igitur, quod quidam fluvij trahant Metalla, per quæ fluunt. Auriferi sane gemmiferique, ut de alijs sileam, celebrantur Ister, Hermus, Pactolus, Hebrus, Tagus, Hydaspes, Ganges, & alij; de quibus simul Seneca in Hercule Oetæo, Act. II. Choro: Metallifera.

Cupit hic gazis implere famem:
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Istri; nec tota sitim
Lydia vincit; nec, quæ Zephyro
Subdita tellus, stupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum;
Nec si totus serviat Hebrus:
Ruraque dives cingat Hydaspes;
Intraque suos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.

Sic Claudianus: *Non Tartessiacis illum satiaret arenis*
Tempestas preciosa Tagi; non stagna rubentis
Aurea Pactoli, totumque exhauserit Hermum:
Ardebit majore siti.

De his universim Seneca. lib. de Consolatione ad Marciam: *Quid lapidum gemmarumque fulgor, & inter rapidorum torrentium arenas aurum interfluens!*

Dicendum & hic nonnihil de Colorum, Saporumque varietate, & Ardore. Quod Diversicolores; facit varians etiam passim in coloribus Terra. Notat Cardanus Aquam candidam ad secundum à Glauca Misenæ opido lapidem; rubeam Raderæ, Misenæ fluvij juxta Radeburgum; viridem in Carpatho monte, juxta Neusolam; cœruleam Blavæ, inter Feltrium & Tarvisium; nigerrimam Alteræ, fluvij Saxoniæ, ubi in Visurgim se exonerat. Referunt & alij vix credibile in Idumæa fontem esse (cui cognomen *Iob* tribuitur ab Isidoro) tribus mensibus turbidum, tribus sanguineum, tribus viridem, tribus denique limpidum. Diversicolores.

Sunt & quæ bibentes inebriant: caussa est, quod multum spirituum ex sulphureis meatibus contineant: quos certum est fumis replere cerebrum. *Lyncestis* aqua, quæ vocatur *Acidula*, vini modo temulentos facit; ut & alij in Paphlagonia, & in agro Caleno; notante Plinio lib. II. Multos etiam in Germania & Heluetia fontes hausi, vini semper sapore fluentes: Incolæ *Saurbrun* appellant, ab acido sapore. In Boemia, prope opidum, quod *Bieln* indigetant, distans à Ponte (*Brugts* vulgo) milliare, fons esse dicitur; cujus Aqua matutino tempore utuntur pro Vino adusto. Aristoteles adfirmat in Sicilia fontem esse acetosum; quo indigenæ utuntur pro Aceto: in Scythia amarum esse, cujus defluxus amnem etiam proximum eodem inficit sapore. Semper-saporis voce paullo ante sum usus. Nam me latet caussa, unde apud Plinium fonti cuidam in Andro, (Insula Cycladum principe, nomen hodieque retinente) in templo Liberi Patris talis sapor Nonis solum Ianuarij. Ludebat olim sæpe in his & talibus ad obcæcandum hominum animos humani generis hostis Diabolus. Poterant & hoc astu quodam templi Antistites: ut ad *Ἀλῶα* sive *Ἀμβρόσια*, Bacchi festa (quæ, docente Aristophanis Interprete, in *γαμηλιῶνα*, qui Latinorum Ianuario respondebat, incidebant) majorem hominum multitudinem, vana tractam superstitione, adlicerent; locoque, suis commodis invigilantes, majorem conciliarent religionem. Inebriantes.

M Ardor,

Ardentes. Ardor, ut mihi vero videtur simile, multis aquis fluentibus non aliunde, quam à perpetua jactatione; qua in interioribus Terræ visceribus per abrupta loca longissimasque cataractas eæ feruntur. Satis enim constat, quæcumque violenter agitantur, præsertim si temporis longinquitas comitetur, mirum in modum incalescere. Indignam censeo solidioris scientiæ Philosopho sententiam; fieri hoc ab aliquo Igne subterraneo, eoque sulphureo. Ignis consideretur natura. Non potest ille diu vivere, non vigere, in subterraneis: conclusus artius angustiusq; constipatus exstinguitur, nisi eruptioni detur locus: ut vivat vigeatque, quærit semper libertatem, apertum aërem, superiora & homogenea sibi loca: ubi supra Aerem non aliquis actu Ignis, sed primigenius ille cœlestis Calor. An quæ hujusmodi Ignium Eruptiones alicubi (argumentum enim subministret & exemplum nobilissima regio, Mundi ocellus) in Italia hodie? ubi tamen paullo minus sexaginta calidarum Aquarum fontes notarunt naturalium ibi rerum scrutatores: quorum etiam scripta (ne nos contra vulgus hic sentientes dejuvent) nusquam ignes fontibus, fontesve ignibus commisceri loquuntur. Deinde quum Ignis quidquid Aqueum exsiccet, Aqua vero quidquid igneum exstinguat, simulac alterum alteri dominari possit: proculdubio paullatim vel tam violenta Flammarum vis Aquas perlabentes exsiccasset, Terramq; suis deflagrationibus in cineres redegisset; vel tam inexhausta Aquarum, tot seculis adfluentium, copia iam pridem Ignes illos subterraneos exstinxisset. Nam non credendum tam æquales esse Igni Aquæque sub terra vires, tamq; concordem discordiam; ut vel ille non consumat percolantem, vel hæc incalfacientem non suffocet. Fieri non potest. Et sane quis unquam vidit, vel fando audivit, Aquas ferventes erumpere ex Vesuvio Italiæ, ex Ætna Siciliæ, alijsque alibi; ut vere possit dicere, fervorem illum ab Ignivomis esse Montibus? Quin, quod argumentum etiam non insuper habendum, Aquas in Helvetia alijsque in locis gustavi ferventes, quæ prorsus erant insipidæ; ut plane mihi persuaderent calorem inditum sibi non ab Sulphure; cujus indolem noveram, liquidis facile saporem suum communicare.

Mirabiles Aquarum quarundam vires. Quædam enim Iam quod nonnullis Aquis Miracula potius tributa, quam singularia Qualitates: unde nisi ab magno illo & potente DEO? Valeant, qui rationes alias excogitant. Feliciter enim hoc agere solideque, homini non dicam difficillimum, sed *ἀδύνατον* omnino. Cæcutimus hic mortale genus.

Calent & Frigent. Sunt quæ per minima & dilucida intervalla calent & frigent. Fons apud Garamantas, indicantibus Augustino lib. XXI. de Civit. Dei, & Isidoro lib. XIII. Orig. qui in die tam frigidus, ut bibi non possit; nocte tantæ caliditatis, ut tangi nequeat. Plinius lib. V. nat. histor. cap. V: *Vltra eum Deserta; Matelgæ, oppidum Garamantum; itemque Debris, adfuso fonte, à medio die ad mediam noctem aquis ferventibus, totidem horis ad medium diem rigentibus.* Ejusdem ingenij fons Iovis Hammonis celebratissimus: de quo idem Plinius; item Diodorus, Solinus, Arrianus, Pomponius Mela, & alij. Sic Lucretius:

Est apud Hammonis fanum fons luce diurna
Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur.

Ovidius lib. XV. Metamorphos.

——— *medio tua corniger Hammon*
Vnda die gelida est, ortuque obituque calescit.

Caussam post Lucretium tentat indicare Pontanus in Meteoris;

Caussa quidem vel certa subest: nam frigora noctis
Intus alunt Ignes, nocte & vapor æstuat intus;
Vnde fluunt calidi noctis per tempora rivi:
Luce autem quum Sol Terras populatur, & ardens
Exhalat vis; tum venæ recreantur hiantes,
Vnde redit gelidus sua per vestigia torrens.

Sollicitari nolite Viri magni Manes, quod hic dissentiam. Si enim Frigoris nocturni, calores sub terra constringentis & augentis: vel Aestus diurni, eosdem, ut Frigori detur locus, dispergendo minuentis, Ἀντιπερίστασις caussa sit tantæ Mutationis: qur non idem fit in alijs Fontibus cum calentis Libyæ, tum aliarum regionum? An quod alibi non tantus Aestus? atqui in Libya non tantum Frigus. Et vero demus Ἀντιπερίστασιν Calorum nocturno, Frigorum vero diurno tempore caussam esse; quod

quod in Subterraneis passim fieri novimus: illud velim scire, an ab ea duo illa summe contraria; Mutatio, inquam, illa violentissima tam brevi temporis spacio: nocte enim dicunt adeo calere, ut tangi; die tantopere frigere, ut bibi nequeat. Experimur quotidie Contrasistentiam (hac enim voce utar) Aquarum qualitates tantillo tempore alternantem, omnia operari moderata; non tantas inducere Metamorphoses. Aliud igitur latet, quod me, quod, scio, latet multos; uni DEO, qui creatarum à se Rerum novit Vires & ingenia, manifestum. Miranda non minus, quæ sequuntur.

Inflammant & Extinguunt.

Sunt enim quæ inflammant & exstinguunt. Fons apud Augustinum, loco à me laudato, & Isidorum, in Epiro, qui accensam facem exstinguit, exstinctam accendit. Scribitur & à Plinio fons in Dodone Iovis, quum sit gelidus, immersas tamen faces exstinguere; si exstinctæ admoveantur, accendere. De eo Lucretius lib. VI. de natur. rerum:

Frigidus est etiam Fons, supra quem sita sæpe
Stuppa jacit flammas, concepto protinus igni;
Tedaque consimili ratione accensa per undas
Conlucet, quocumque natans impellitur auris:

Et caussam audet scribere:

Nimirum quia sunt in aqua permulta vaporis
Semina, de terraque necesse est funditus ipsa
Ignis corpora per totum consurgere fontem,
Et simul exspirare foras, exireque in auras;
Non tam viva tamen, calidus queat ut fieri fons.

Quid illud? Ignis ex Fontis fundo consurgit ad superiora, & foras exit; qui quidem stuppam, qui tedam accendat; non tamen Fontis aquam sensim calefaciat. Si tantarum virium Ignis, ut perrumpens Aquæ molem tanti miraculi sit effector: qui potest, ut Aquam paullatim non reddat calidam? Si contra tam debilis potentiæ, ut ab imis penetrans in auras Aquam non mutet; qui fit, ut non exstinguatur, sed ita vires adquirat eundo, ut libertatem nactus accendat vel Stuppam virginem, vel exstinctam tedam? Aliud hic, longe aliud; quod uni DEO clarum humanis oculis videri nequit.

Abundant & Deficiunt.

Quin & miraculo mihi Iudææ quidam Rivus; quem notat Isidorus Sabbatis omnibus siccari solitum.

Prædicentes.

Sed & nonnullæ; quæ quid futurum prænunciant. In Monte Anthracio Fontem novit Plinius, qui summe plenus & redundans anni fertilitatem significabat; subsidens caritatis indicium: in Reatino vero agro Fontem *Neminiæ*; qui, alio atque alio loco exoriendo, mutationem Annonæ Incolis præaugurabatur.

Rhenus Castitatis Iudex.

Mirabile quod de Rheno nostro commemorat Antiquitas, eum Castitatis fuisse Indicem & Iudicem. Aiunt enim, Celtarum Infantes intra sinum suum conjectos, si læsa matris pudicitia essent suscepti, fluvium hunc, tamquam impuri lecti vindicem, rapidis vorticibus suffocare; quos autem legitimo & impolluto matrimonio natos noverat, in portum placidis aquis solitum efferre. Sed hodie talia pericula in recens natis neque, & prudenti consilio, audentur; neque, edoctis meliora saniora que qui adhabitant, adeuntur.

Matrona prædatrix.

Quod autem de Matrona (qui Celtas à Belgis dirimit, hodie *Marne*) perhibetur, esse ejus fati, ut quotidie prædam aliquam ad mare secum conripiat: hoc facile de omnibus majoribus fluviis dixerim.

Fluviorum quorundam absorptio.

Monendum & illud hoc loco, Fluvios quosdam in cavernas & antra Terræ devolvi & absorberi: quærentes contra montana, quibus liberior cursus prohibetur, per subterranea progressum: &, ubi, in remotissimis sæpe locis, planiora rursus deprehendunt, repetito nomine erumpentes. Tales, indicante Plinio, *Lycus* in Asia, *Erasinus* in Argolica, *Tigris* in Mesopotamia. De postremo Seneca in Nat. quæst. *Age,* inquit, *quum vides Tigrim in medio itineris siccari, & non universum averti: sed paullatim, non apparentibus damnis, minui primum, deinde consumi: quo illum putas abire, nisi in obscura terrarum? utique: quum videas emergere iterum, non minorem eo, qui prior fluxerat.* De prioribus Ovidius lib. XV. Metamorph.

Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu
Exsilit procul hinc, alioque renascitur ore:
Sic modo quum bibitur, tacito modo gurgite lapsus
Redditur Argolicis ingens Erasinus in undis.

Talis item, ut alios hoc loco prætercam, *Anas* in Hispania, hodie *Rio Guadiana*; qui infra Castra Vnelliana (*Medelino* vulgo) se condit, progressusque per meatus quosdam subterraneos ad decem circiter milliaria erumpit rursus paullo supra opidum *Villarta*.

Fluvij sacri.

Ex Fluviis porro tanta rerum omnium abundantia terris adjacentibus subministratur, tam multa bona, tam infinitæ proveniunt mortalibus utilitates; ut eos sacros habuerint Prisci, vel Ovidio teste libr. II. & VIII. Metamorph. eorumque Fontes & Capita Dis sacrarint, & magna semper veneratione fuerint dignati. Seneca Epistola XLI: *Magnorum Fluminum Capita veneramur; subita ex abdito vasti Amnis eruptio Aras habet: coluntur Aquarum calentium fontes: & Stagna quædam vel opacitas vel immensa altitudo sacravit.* Servius ad Eclogam I: *Omnibus Aquis Nymphæ sunt præsidentes.* Ælianus ποικιλ. ἱστορ. lib. II. cap. XXXIII: Τὴν τῶν ποταμῶν φύσιν καὶ τὰ ῥεῖθρα αὐτῶν ὁρῶμεν. ὅμως δ' οἱ τιμῶντες αὐτοὺς καὶ τὰ ἀγάλματα αὐτῶν ἐργαζόμενοι, οἱ μὲν ἀνθρωπομόρφους αὐτοὺς ἱδρύσαντο, οἱ δὲ βοῶν εἶδος αὐτοῖς περιέθηκαν.

Inque eorum nonnullis nefas natare.

Quin & nefas habebant in quibusdam natare. Tacitus lib. XIV. Annal. *Iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit: quia fontem Aquæ Martiæ ad urbem deductæ nando incesserat; videbaturque potus sacros & cærimoniam loci loto corpore polluisse: sequutaque anceps valitudo iram Deûm adfirmavit.* Plinius lib. VIII. natur. histor. de Clitumno: *Pons terminus Sacri Profanique. in superiore parte navigare tantum, infra etiam natare concessum.*

& navigare.

Quæ innuunt in quibusdam etiam navigare non licuisse: & plenius loquuntur ejusdem Plinii, quæ de Lacu Vadimonis: *Nulla in hoc navis (sacer enim est) sed innatant Insulæ.*

Adorabant fluvium transeuntes manusque lavabant.

Addo fluvium aliquem transituros adorare, manusque lavare solitos. Hesiodus lib. II:

Μηδέ ποτ' ἀενάων ποταμῶν καλλίρροον ὕδωρ
Ποσσὶ περᾶν, πρίν γ' εὔξῃ ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα,
Χεῖρας νιψάμενος πολυηράτῳ ὕδατι λευκῷ.

Fluvij Cornigeri.

Quia Fluvij, ut Theocritus canit, θεῶν γένος. Quod autem Ælianus paullo ante βοῶν εἶδος; alij Taurorum speciem fluminibus tribui solitam scribant: varie varij interpretantur illam Veterum consuetudinem. Festus, quod sint atrocia, ut Tauri: Acron ad lib. IIII. Carm. Horat. Odam XIV, quod mugiant: alias etiam caussas indicant Interpretes Græci, Hesiodi quidem ad Ἀσπίδα: ἤγουν (inquit in illa ταῦρος ἐννοσίγαιος) διὰ τὸν τῶν κυμάτων ἦχον, ὡς ταῦροι γὰρ μυκῶνται· ἢ ὅτι ταυροκέρανός ἐστιν· ἢ ὅτι ταῦρος Ποσειδῶν ἐν πόλει Βοιωτίας, διὰ τὸ ταύρους θύεσθαι αὐτῷ, καὶ μάλιστα ἐν Ὀγχηστῷ. διὰ τοῦτο καὶ ταυροκράνους τοὺς Ποταμούς: Sophoclis vero Trachiniis: οἱ Ποταμοὶ ταυρόκρανοι διατυποῦνται· ἢ ὅτι μυκηθμῷ εἰσι παραπλήσιοι περὶ τὰς ἐκβολάς· ἢ ὅτι σχίζουσι τὴν γῆν, ὡς οἱ βόες· ἢ διὰ τὸ τὰς νομὰς παρὰ τοὺς Ποταμοὺς εἶναι.

CAP. X.

De Aquis natura sua Quietis.

Aqua Quieta.

SIc se habet Aqua moveri solita: species altera erat Quieta. Stantem Aquam ita appello, quæque non nisi Vento agitatur. Hic in genere monendum Aquam Currentem meliorem, leviorem & subtiliorem esse Stante; hanc autem Illa calidiorem ab Solis radijs, in unam eamdemque totos dies fixis, suasque vires infundentibus: idèoque Stantem Plantis magis conducere, quam Currentem, legendus Albertus Magnus lib. I. Meteoror. cap. XI. & lib. II. tract. III. cap. XX, nec non de Veget. & Plant. VII. tract. I. cap. III.

Ejus Species.

Species Aquæ Quietæ, *Lacus*, *Stagnum*, *Palus*, & similes: quæ, ut Flumina, passim in hoc Globo: quemadmodum suis locis parebit.

Lacus.

Lacus locus profundus vel receptaculum, in quo Aquæ perpetuæ ibidem natæ; Varroni, Lacuna magna, ubi Aqua contineri potest. Ab voce Græca λάκκος: Isidoro, quasi Aquæ locus.

Lacibus

Lacibus quibuſdam ſingulariæ ſunt Qualitates ab ijſdem cauſſis, quas in Aquarum perpetuo decurrentium hiſtoria aperui.

In Æthiopia Lacum eſſe ajunt neſcio qui apud Iſidorum, quo perfuſa corpora velut oleo niteſcant. In Suevia juxta Cœnobium cui *Degere* lacus nomen eſt, Aquas vidi Oleo perfuſas. Oleoſi.

Clitorius Italiæ lacus, inquit Iſidorus, Vini tædium parit. Vini tædium adferens. & Libidinem.

Bœotiæ quidam lacus, eodem ſcribente, furialis eſt: de quo qui biberit ardore libidinis exardeſcit.

In *Velino* lacu (qui hodie *Lago de Terni*, vel *Lago de pie de Luco*) dejectum lignum lapideo, quod notat Plinius, cortice obduratur. Sic in Cappadocia, inquit Vitruvius, lacus eſt, in quem pars arundinis ſi demiſſa fuerit, & poſtero die exemta, invenitur lapidea; pars autem, quæ extra lacum manſerat, in ſua permanet proprietate. Lapideſcentes.

Notat Iſidorus in Troglodytis lacum eſſe; qui ter in die fit amarus, deinde toties dulcis. Saporem mutans.

Quod nonnullis innatent gravia, & ad fundum in alijs ire ſolita; facit Bitumen & multa Pinguedo, quæ in Aquis gignitur à pinguibus Terræ, quæ tenax, lenta, picique non abſimilis, venis; ex quibus ſcaturiunt vel per quas labuntur. Scribit Seneca libro VII. natural. Quæſt. quoſdam eſſe lacus, qui natandi imperitos ferant: item in Syria Stagnum eſſe, in quo lateres natant, & mergi projecta non poſſunt; licet ſint graviora. Loquuntur poſteriora de *Aſphaltite* (cui nomen ἀπὸ τοῦ ἀσφάλτου, quod Bitumen) Syriæ lacu; in quo, ut ſcribit varijs locis Plinius, & ex eo Iſidorus, nihil mergi poteſt, quod animam habet. De eo ſic ſcribit ex Trogi Pompei lib. XXXVI. Iuſtinus: *In ea regione lacus eſt, qui propter magnitudinem & aquæ immobilitatem Mortuum Mare dicitur. Nam neque Ventis movetur, reſiſtente turbinibus Bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur: neque navigationis patiens eſt, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur, nec materiam ullam ſuſtinet, niſi quæ alumine illinatur.* Sic Solinus cap. Polyhiſt. XXXVIII: *Aſphaltites gignit Bitumen: Animal non habet: nihil in eo immergi poteſt. Tauri etiam Cameliqne ibi fluitant.* Nos ibi novimus admiranda DEI Opt. Max. judicia; ut ſuo loco dicam. Gravia portantes.

Eſt in Carnia lacus, qui ſingulis annis Meſſem, Piſcationem & Venationem præbet. Adcolæ *Zircknitzerſee* nominant ab opido *Zircknitz*, quod in ejus ora ſitum. Straboni, locus hic an lacus dicam? vocari putatur λούγεον, in Pannonia deſcriptum. Delineat Georgius Wernherus in aureo iſto libello de admirandis Hungariæ Aquis. Mire varians.

In Helvetia haud procul Lucerna in editiſſimo monte lacus eſt *Pilati* cognomine, anguſtus admodum & Palus verius, quam Lacus: in quem quæ de induſtria injiciuntur maximas ciere tempeſtates, omniaque undis opplere adfirmant, qui ſæpe tentarunt & experti: quæ vero caſu incidunt nihil adferre periculi; quaſi Lacus humano ſenſu intelligeret, culpa carere quod fit caſu. Capit res fidem; quod pacatum irritare auſos, mox capitali fuiſſe adfectos ſupplicio ob inlatam adcolis calamitatem commemorent Lucernates. Irritari nolens.

Stagnum nihil aliud quam locus, in quo Aqua reſes perpetuo ſtat; plurimum hieme colligi, æſtate vero ſiccari ſolita. Nomen illi apud Servium ad I. Aeneid. & Iſidorum lib. XV. à ſtando; vel, ut Varro innuit, quod Græce στεγνόν. Vtrumq; Etymon indicat Feſtus, qui corruptior; emendandus facile ex ſuperioribus. Ὕδωρ στάσιμον vocat Dioſcorides. Neque Stagna ſuis carent vel virtutibus, vel vitijs. Dicis gratia: Stagnum, inquit Solinus, *Pentaſium* ſerpentibus noxium, hominibus ſalutare: *Gelonium* Siciliæ ſtagnum, Iſidoro ſcribente, tetro odore proximantes abigit. Stagnum.

Palus paullulum Aquæ in altitudinem & palam latius diffuſæ, ait Varro lib. IV. de LL. Iſidoro lib. XV. Orig. cap. XIII. à Pale Dea Paſtorali; vel quod paleam, id eſt pabula nutriant jumentorum. Et his ſecretiorem ineſſe ſæpe potentiam loquuntur vel *Reatinæ Paludes*; quibus Iumentorum ungulæ perhibentur indurari, apud Iſidorum: in earundem exitu Saxum creſcere notat Plinius. Palus.

Cap. XI.

De Terra.

Terra quid.

HÆc de Pellucidis Elementis: ſequitur Opacum, *Terra.*

Terra Elementum eſt opacum; quod, ut legere eſt apud Hyginum, Iſidorum, alios, in media Mundi regione collocatum, omnibus partibus æquali paſſim intervallo diſſidens, centrum obtinet Sphæræ: dicta, quod ſuperiora ejus noſtris pedibus terantur. Latinis etiam *Humus*; quod interiora ejus humeant, cum aliunde, tum ab Oceano percolante; unde eduxi paullo ante Fontes, Flumina, aliaſque id genus Aquas: alioquin ſua natura & indole eſt Arida; qua voce ſæpe nota Sacris Litteris, יבשה, יבשה, יבשת, Geneſ. cap. I. verſ. 9. & 10, Pſalm. xcv, 5. Ieſchah xliv, 3. Ezech. xxxvii, 2. *Tellus* appellatur, quod quæ ad umbratilem hanc & acerbam vitam tranſigendam homines inde tollamus. Multis alijs Nominibus & Cognominibus (aliarum Dearum non abſurde ad hanc, ut ſcribit Varro apud Auguſtinum lib. vii. de Civitate Dei, cap. xiiii, revocatis) nuncupabatur. Ops cum alias ob cauſſas, tum quod opera noſtra fiat melior, vel potius, quod miſeris nobis & calamitoſis, Deo ſic diſponente, ferat opem; perituris, niſi ſic ordinarie opitularetur. Varro lib. iv. de LL. (videndus idem apud Auguſtinum) *Terra, Ops*: inquit, *quod hic omne opus ad vivendum. Et ideo dicitur Ops-Mater; quod Terra nutriat. Hæc enim Terris gentes omnes peperit, & reſumit denuo.* Sic Macrobius Terram notat nominatam *Opem*, quod ejus ope vitæ humanæ alimenta quærantur; vel ab Opere, per quod fructus frugeſq; naſcantur. Feſtus denique, *Opis*, ait, *dicta eſt Conjux Saturni; per quam volunt Terram ſignificari; quia omnes opes humano generi Terra tribuit.* Δημήτραν à Platone alijſque Philoſophis & Poetis vocari ſcribit Theodoretus lib. iii. curat. Græc. ὡς δὴ μητέρα (alijs Δημήτηρ, quaſi γῆ μήτηρ, legendus Cicero lib. ii. de nat. Deor.) καὶ τροφὸν οὖσαν, τῶν ἐν αὐτῇ διαιτωμένων ἁπάντων. Orpheus:

Humus. Arida. Tellus. Ops. Δημήτηρ.

Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα.

Rerum omnium Principium. Mater. Mater Magna.

Hinc eſt quod nonnullis ea fuerit habita *Rerum omnium Principium*, Xenophani, Heſiodo, alijs, ut libro primo monui. Hinc quod *Mater*: nam ſcribente Varrone, plurima parit; Cognomine etiam honorata *Magna*, apud Latinos veteres; cuius effigiem ſic deſcribit Varro apud Auguſtinum: *Eamdem dicunt Matrem Magnam, quod Tympanum habeat, ſignificari, eſſe Orbem Terræ, quod Turres in Capite, Oppida; quod Sedes fingantur circa eam, quum omnia moveantur, ipſam non moveri; quod Gallos, huic Deæ ut ſervirent, fecerunt, ſignificat eos, qui ſemine indigeant, Terram ſequi oportere, in ea quippe omnia reperiri; quod ſe apud eam jactant, præcipitur, qui Terram colunt, ne ſedeant, ſemper enim eſſe quod agant; Cymbalorum ſonitus, ferramentorum jactandorum, ac manuum & cujuſque rei crepitus in colendo agro, quid ſit, ſignificat, quod ferramenta illa erant ideo ex ære; quod antiqui colebant eam ære, anteaquam ferrum eſſet inventum. Leonem adjungunt ſolutum ac manſuetum; ut oſtendant eſſe nullum genus Terræ tam remotum, ac vehementer ferum, quod non ſubigi colique conveniat.* Quin *Mater Deorum hominumque* Priſcis dicebatur. Orpheus:

Mater Deûm Hominumque.

Γαῖα, θεῶν μήτηρ μακάρων, θνητῶν τ' ἀνθρώπων.

Apollonius libro iii. Argonautic.

Γαῖα, θεῶν μήτηρ, ὅσσον σθένος ἐστὶν ἐμοῖο.

Plinius lib. ii. natur. hiſt. *Sequitur Terra, cui uni rerum Naturæ partium eximiæ propter merita Cognomen indidimus maternæ venerationis. Nos naſcentes excipit, natos alit, ſemel editos ſuſtinet, & ſemper noviſſime complexa gremio, jam ab reliqua natura abdicatos, tum maxime, ut Mater operiens. Veſta* Varroni, quod veſtiatur herbis; vel quod vi ſua ſtet, ut canit Ovidius in Faſtis:

Veſta.

Stat vi Terra ſua, vi ſtando Veſta vocatur.

Cicero dirivat ab Græcis; *Ea enim eſt*, inquit in libris de Natur. Deor. *quæ ab illis Ἑστία dicitur: Vis autem eius omnis ad aras & focos pertinet.* Alij volunt Hebrææ eſſe originis nomen, compoſitum ex אש, quod Ignis, & יה quod unum ex nominibus Dei. Ῥέα ἀπὸ τοῦ ῥεῖν eadem Terra nominatur; quod rebus omnibus affluat. *Ceres*

ab Græca

ab Græca voce Γῆρυς; ita enim prius, ut quidam censent, appellabatur. Hesychius: Ἀχερὼ ἡ Ὀπις, καὶ Ἑλλὴ, καὶ Γῆρυς, ἡ Γῆ, καὶ Δημήτηρ, ἡ αὐτή: Ciceroni non inconvenienter à Creando vel Gerendo, lib. III. de natura Deorum. *Proserpina* Varroni apud Augustinum, Terra; quod fruges inde proserpant. Efficiens & Materia Terræ.

Fecit, ut alia omnia, & hanc DEVS; & fecit ex Nihilo: quod pluribus explicatum libro primo.

CAP. XII.

De Forma Terræ.

IN Forma Terræ describenda variatum olim, ut videre est cum apud alios, tum apud Plutarchum περὶ τ. τοῖς φιλοσόφ. ἀρεσκ. Leucippo putabatur τυμπανοειδής; Heraclito, σκαφοειδής; Anaximandro, κυλινδροειδής; Democrito, κοῖλος; Empedocli & Anaximeni, ὁμαλός; Alijs etiam πυραμοειδής; Nonnullis, κυβοειδής: quorum omnium opiniones doctissime refutant non solum Veteres, sed & Recentiores. Fuerunt & qui Terrarum orbem in formam litteræ Græcæ ω effigiarunt; ut extremum lineamentum, quod O litteram ambit, Oceanum referat designetque; quem ζωστῆρα κόσμου, *Mundi Baltheum*, quidam dixerunt, ut Probus Grammaticus testatur. Forma Terræ varia variis:

Terra, non σφαῖρα, quæ ubique ὁμαλή; sed revera σφαιροειδής; habens εἰσοχὰς καὶ ἐξοχάς: quæ tamen in tanta mole vix deprehenduntur; ut non immerito *Pilæ similis* Ovidio, quaqua vorsum rotundam adsimilans figuram, circumfluo mari præcincta globosum constituens corpus & unam superficiem. Sed vere σφαιροειδής:

Formam hanc cum circumfusis Aquis habere Terram, ostendit partim Universi, cui Partes omnes amica quadam concordia consentiunt, rotunditas; de qua ego alibi: deinde (quid enim evidentius?) Lunæ Defectio, in qua ejus umbra non quadrangula, non triangula, non multiangula; sed absoluta rotunditate cernitur. Evincunt idem alia non pauca cum secundum Longitudinem, tum Latitudinem. Illius quidem habita ratione: I. Solis, Lunæ, Stellarum non eodem Ortus, non eodem Occasus omnibus tempore. Prius enim inlucescunt habitantibus ad Orientem, inde qui ad Occidentem. II. Eclipses, quæ, licet eædem, alijs tamen horis in Oriente videntur, alijs in Occidente; circuitu globi scilicet eas nunc his detegente, nunc illis occulante: ut nobili apud Arbela Alexandri Magni victoria Luna defecisse noctis hora quinta prodita est, quæ Karthagine secunda, ut est apud Ptolemæum lib. I. cap. IV. Sic Solis Defectum, C. Vipsanio Poplicola Aproniano & C. Fonteio coss. anno ab V.C. IↃ CCCXII, factum pridie Kal. Maias Campania hora diei inter septimam & octavam sensit; Corbulo Dux in Armenia inter horam diei decimam & undecimam prodidit risum: quemadmodum memoriæ tradit Plinius lib. II. c. LXX. natur. histor. III. Variantia Noctium Dierumq; diversis Terræ locis Initia & spacia. Sidera enim non simul omnibus in conspectum veniunt; sed paullatim evehuntur successione quadam & serie, apparentque Orientalibus prius, deinde occidentalibus post evictum superatumque Terræ tumorem, qui inter utrosque eminens Occidentalibus objiciebatur, & stellas ab eorum conspectu diutius abscondebat. Secundum Latitudinem; inæqualia Poli Ἐξάρματα sive Elevationes. Hæ namque nonnullis in locis sunt nullæ; ut exempli gratia, in Insulis Moluccæis, media Taprobana, Insula D. Thomæ; quæ sub Æquinoctiali, ideoque Poli sunt illis in Finiente: Alibi Majores, ut Syene (quæ Aegypti urbs Ptolemæo, hodie *China*, ut notat Niger) 23½, quia sub Cancri Tropico; Alexandriæ 31-0; in Rhodo 36-0; Romæ 41-50; Venetijs 45-0; Dordraci (quæ urbs Hollandiæ primaria & metropolis, carissima mihi patria) 52-30. Alibi rursum, sed alio modo, nullæ; ubi scilicet Polus ad perpendiculum verticibus imminet.

[Margin: Docent diversa; in Genere, I. II. — In specie, secundum Longitudinem, I. — II. — III. — Secundum Latitudinem.]

Suffragantur huic sententiæ principes Philosophi; cum primis Plato in Timæo, Aristoteles lib. II. de Cœlo, text. 104, & lib. I. Meteoror. & tota Stoicorum schola. Sic M. Tullius lib. de natura Deorum II: *Eademque ratione Mare, quum supra Terram sit, medium tamen Terræ locum expetens, conglobatur undique æqualiter, neque redundat unquam, neque effunditur.* Strabo lib. III: Ὑποκείσθω δὴ σφαιροειδὴς ἡ γῆ, σὺν τῇ θαλάττῃ, μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἐπιφάνειαν ἔχουσα τοῖς πελάγεσι. Manilius etiam lib. I. Astronomic Sentiunt idem Philosophi, aliique Scriptores;

nomic. multis Terræ rotunditatem adſtruit; quæ brevitati ſtudens, lubens prætereo. Homerus idem videtur ſenſiſſe; quum Terram Ἀπείρονα, id eſt σφαιροειδῆ, dixerit; propter orbicularem figuram, initio pariter ac fine carentem: ut exponunt Heraclides, Euſtathius, & Ioannes Grammaticus Ariſtotelis enarrator. Sic Numa Pompilius, ſecundus Romanorum Rex, Terram Pilæ forma credens eſſe, quemadmodum Sex. Pompeius Feſtus notat, Aedem Veſtæ rotundam conſecravit, ut ſui simili templo Dea coleretur.

Confirmat Sacra Scriptura.

Quæ dixi non obſcure confirmat Sacra Scriptura. Hæc enim ſæpe Terram nominat תבל orbem. Propheta Rex Pſalm. IX, 9: *Et ipſe judicabit orbem* (תבל) Idem Pſalmo XXIV. I. *Domini Terra & plenitudo ejus: orbis* (תבל) *& habitantes in eo.* Legend. & Pſalm. XLVIII, 7, 9, L, 12, LXXVII, 19. LXXXIX, 12, XCVI, 13. Nach. I, 5. Sic Ieſahiah. cap. XXXIV, I. *Accedite Gentes ad audiendum, & Populi attendite: audiat Terra & plenitudo ejus; orbis* (תבל) *& omnia germina ejus.* Auguſtius Schelom. Proverbior. cap. VIII; ubi Sapientia: *Ludens in Orbe Terræ* (בתבל ארצו) *& delectationes meæ in filÿs hominum.* Quin &, ne quis dubitationi locus relinquatur, Ieſahiah. cap. XL, 22. *Qui ſedes ſuper globum Terræ* (על-חוג הארץ) *& habitatores ejus ut Locuſtæ.*

Non obſtant Montes & Valles.

Terra igitur eſt rotunda, huc illuc in æquabilem tumorem adſurgens. Nam excelſi Montium vertices, decliveſque Vallium deſcenſus cum totius Terræ vaſtitate commiſſi inæqualitatem nullam pariunt aut diverſitatem; habentque ſe in hac mole Montes altiſſimi verrucarum inſtar in manu; Valles autem, etiam profundiſſimæ, ut rimæ in magno globo. Quod magis: Inæqualitas, ſi ita appellanda, Montiumque & Vallium diſtinctio mirum eſt quam faciat ad decorem, ornatum, commoditatem Terræ. Ejus enim benificio temperatior Aeris ſalubritas, lætior Frugum Herbarumque fertilitas, major rerum omnium maturitas; franguntur Maris impetus; Ventorum furor refrænatur; Fontes Fluminaque verſus decliviora provomuntur, & ad varia longinquaque loca decurrunt. Eleganter Rupertus lib. I. de Trinitate & ejus operibus, cap. XXXIV: *Quid opus erat,* inquit, *eidem Aridæ id eſt, Terræ, ut aſcenderent Montes, & deſcenderent Campi in locum, quem fundaſti eis? Hic plane illud ſciendum eſt: quia ſi Terra æqualis ubique jaceret; non levior, quam in Mari, ventorum tempeſtas in ea regnaret. Nam ſolet & nunc in locis illis, qui Montibus carent, videlicet maxime in Libya, tempeſtas, non minus quam in Pelago, turbare foris deprehenſos quoſcumque iam Pedites, quam equo ſedentes. Etenim ubi per loca æqualia & nuda Ventus coortus arenam humo excitavit, magna ui agitat ora oculoſque implet; & ita progreſſum inceſſumque impedit, ut in nullo Mari Maius fiat naufragium. Quid ſi nulli uſquam Montes aſcendiſſent ſi cuncta in planum Terra deſcendiſſet? Si, ubi paullulum Ventus currere licet, tantas vires brevi colligunt: quid poſſent, ſi nullum in toto Mundo haberent repagulum? Ergo nec iſtud magnificis* DEI *laudibus deeſſe debuit, quod aſcendunt Montes & deſcendunt Campi in locum, quem ille fundavit eis: fundavit, inquam, videlicet ut neque Montes, ſemel aſcendere juſſi, deſcendant; neque Campi, ſemel depreſſi, conſurgant. Quum ita Terræ fundatur Abyſſum, quæ ſicut Veſtimentum amictus ejus erat, diſpulit; eadem ipſe potentia competens Aquarum ſubſidium large diffudit, &c.*

An Montium Valliumque Diſtinctio ante Diluvium.

In memoriam hic inducor ſtultæ quorumdam Opinionis, exiſtimantium, Terram ante Diluvium, totam æqualiter rotundam fuiſſe, nulla celſiorum humiliorumque Locorum inæqualitate; poſt Diluvium autem hanc, quam in Terra conſpicimus, Montium Valliumque diſtinctionem inductam fuiſſe. Adverſatur manifeſto Sacra Scriptura: quæ Geneſ. cap. VII, docet Aquas Diluvij quindecim cubitis omnes Terræ Montes ſupergreſſas. Propheta David Pſalmo LXXVI, 5. Montes nominat æternos. Sapientia etiam apud Schelomon. Proverb. VIII, demonſtrandæ ſuæ Antiquitati, dicit ſe fuiſſe, priuſquam in prima rerum creatione, Montes gravi mole conſiſterent.

Vnum Centrum Terræ Aquæque commune.

Aquam porro, cum qua Terram ſphæricum dixi conſtituere corpus, ſua natura conglobari & habere κυρτότητα, ſuperioribus demonſtravi; ideoque ejus nihil hic repetendum: illud autem hinc perſpicuum; Terram ſimul & aquam uni Centro inniti, iiſdem concludi Verticibus; dehiſcentes Terræ partes Aqua ſubeunte atque explente.

Cap. XIIII.

De Fine creati Terrarum Orbis.

> Terræ Dominatio Dei, usus autem hominum.

Terræ totius dominium, jus & gubernatio Dei Creatoris est propriè; usus vero hominum, maxime Piorum Iustorumq;, Injustorum autem & Impiorum usurpatio est & abusus. Psalm. XXIV, 1: *Domini est Terra & plenitudo ejus: orbis Terrarum, & universi qui habitant in eo.* Et CXV, 16: *Cælum Cæli Domino; Terram autem dedit filijs hominum.* Item XXXVII, 9. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt Terram:* & paullo post: *Mansueti autem hæreditabunt Terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Ius illud Potestatemque sibi perpetuo servatam notat ipse Deus, apud Iesahiah. cap. LXVI. his verbis: *Cælum, Sedes mea: & Terra, Scabellum.* Si in Scabellum à Deo occupata: facile quisquis es intellegis, sanctam esse habendam; neque vel verbo vel facto temerandam: quo pertinet Iesu Christi monitum apud Mathæum cap. V, *Neque per terram jurabitis.*

Terra igitur vel in Terra Sedes hominum; ut inibi crescerent & multiplicarentur, eamque replerent & subjicerent; Piscibus Maris, Cœli Volatilibus, omnibusque Terræ Animantibus dominando, Geneseos cap. I, vers. 26. & 27, & cap. VIII. vers. 17.

> Sedes hominibus ante Diluvium angustior.

> Post Diluvium augustior.

Sedes hæc initio angustior finibusque descripta contractioribus. Terra enim primo cœpit habitari, ubi in Syria Damascenus Ager: inde itum, non admodum remote, versus Orientaliora; ubi Vrbem Cainus condidit, indito filij Henoch nomine, Genes. cap. IV, 16, 17. Augustiora, prolatis longe lateque Pomœrijs, facta sunt omnia post Diluvium: quo, ob hominum intemperantiam & contaminata per impiarum mulierum consortium matrimonia, terribili cataclysmo cuncta Terrarum inundarant, universumque genus humanum horrendum in modum perierat; Noæo cum Vxore, tribus filijs Iapheto, Schemo & Chamo, eorumque Conjugibus servato. Ab his horumque posteris divina providentia, in diebus Peleg (פלג Dividere est) ex Schemi posteritate, divisus est totus Terrarum orbis, missis huc illuc in omnes Mundi partes Colonis: His omnium Gentium origines debentur: Hi Majores nostri & Progenitores. Cyprianus in libro de Sina & Sion adversus Iudæos (suppositicius tamen mihi semper visus hic liber, Cypriani nomen, ut Lectorem invitet, præferens) & Augustinus tract. IX. & X, in Euangel. Ioannis, tradunt, si nomen Adam Græce scribatur, quatuor constare litteris; à quibus quatuor voces incipiunt, significantes quatuor Mundi partes, Ἀνατολή, Oriens; Δύσις, Occidens: Ἄρκτος Septemtrio; μεσημβρία Meridies: quod Adami posteritas per omnes Orbis plagas esset dispergenda. Sed acutum hoc magis censeo, quam verum. De propro seminato ab his humano genere Terraque habitatoribus completa, scribunt universim Iosephus & Epiphanius. Ille quidem lib. I. Antiquit. Iudaicar. Iapheto septem fuisse filios: horum sedes, à Tauro & Amano montibus incipientes, pertinuisse in Asiam ad amnem usque Tanaim; in Europa usque Gades: Chami vero filios Syriam, & regionem Amano Libanoque montibus hærentem obtinuisse: quidquid ejus ad Mare vergit occupando, & Oceanum usque ditionis terminos proferendo: Schemo denique filios fuisse quinque, eosque Asiam usque ad Oceanum Indicum incoluisse; ab Euphrate propagandæ ditionis initio facto. Epiphanius vero (& ex eo Zonaras) libro II. contra hæreses in refutatione Errorum ab Manichæis satorum; Noæum, velut hæredem Mundi ab Deo constitutū, tribus filijs suis divisisse universum Mundum sub sortem missum, & unamquamque partem juxta sortem singulis distribuisse: Schemo quidem primogenito (falsum hoc, ut mox monebo) sortem cecidisse à Perside & Bactris usque in Indiam, usque ad regionem Rhinocorurorum sitam; hanc esse in medio inter Ægyptum & Palæstinam: Chamo obtigisse terram ab Rhinocorurorum regione usque ad Gadira in Meridiem: Iapheto denique sorte fuisse adsignatum quidquid spectat in Aquilonem, à Media usque ad Rhinocoruros.

> Orbem Terrarum partiti inter se Noæi filij & posteri.

> Iaphetus filiorum Noæ natu maximus.

Ordiar igitur ab Iapheto, unde & Sacra Scriptura; ut qui primogenitus. Nam maximum hunc esse natu; Schemum medium; minimum vero Chamum: Schemum

mum autem primo loco nominari Electionis & Benedictionis prærogativa, multis argumentis contra Epiphanium loco paullo ante laudato, & Aurelium Augustinum lib. VI. de Civitate Dei cap. III. aliosque probare, non est vel hujus loci vel mei instituti. Illud in præsentia Lectori suffecerit: quod Chamus sit postremus Noæi filiorum, apparere ex cap. Genes. IX. vers. 24: ubi dicitur Noæus resciviſſe, quæ in se admisisset Chamus filius ipsius natu minimus: Schemum vero non esse liberorum Noæi natu maximum: ex eo constare, quod liberos cœperit tollere Noæus, quum annum ageret quingentesimum; cujus anno postea sexcentesimo terras occupavit Diluvium, ut docent quæ leguntur Genes. V, 32, & VII, 6: biennio autem post diluvium Schemum genuisse Arpacschad, tum quum annum ageret centesimum, ut scribitur Genes. cap. XI, 10. ideoque nondum centum fuisse annorum ipso Diluvij tempore; ex eo denique sequi, natum ipsum Schemum, biennio post annum patris quingentesimum; & necessario relinqui, Iaphetum liberorum Noæi natu maximum sive primogenitum, & patris anno quingentesimo fuisse procreatum: postremo convinci hinc versum 21. c. X. Genes. ולשם ילד גם הוא אבי כל בני עבר אחי יפת הגדול sic esse vertendum; *Ipsi quoque Schemo nati sunt liberi, qui parens est generis Hebræi, & frater Iapheti librorum Noæ natu maximi*: non ut vulgo; *De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheti majore.* Alia huic rei probandæ argumenta prætereo. Ad rem nostram.

Iapheti porro in hac Terrarum mole.

Iaphetus (יפת) maximam totius orbis partem obtinuit; occupatis Maris Magni vel Mediterranei Insulis, & tota Europa, cum maxima Asiæ parte. Quod futurum præsciens Noæus, bene feliciterque illi precatur, Genes. cap. X. vers. 27, his verbis: יפת אלהים ליפת וישכן באהלי שם: Septuaginta Interpretes sic convertunt: Πλατύναι ὁ Θεὸς τῷ Ιαφὴθ, καὶ κατοικησάτω ἐν οἴκοις τοῦ Σήμ; *Dilatet* DEVS *Iaphetum, & habitet in Tabernaculis Sem:* innuens amplissimas ab hoc filio suo regiones occupandas esse, eumque inserendum quasi in Semi fratris familiam. Et sane factum illud. Non enim solum receptus fuit in partem bonorum Semi, missis in Asiam Africamque Colonis; verum etiam locum adeptus est singulari benificio, in Ecclesia & Domo

Iapetus Europæorum parens.

DEI: notus, ut primus Europæorum parens, Græcis Latinisq; Scriptoribus; qui de eo multa confinxerunt mendacia, prorsus quæ legantur indigna; petita ex Satanæ, qui vera falsorum adspersione solet, quantum potest, obscurare, & paullatim supprimere, scrinijs & officina. Illud non absurdum neque oscitanter excogitatum, unum ex Iapheti filijs fuisse Prometheum; ab eo hominem ex limo Terræ fictum; Ignemque Iovis ad homines ex Cœlo delatum: hanc fortean ob caussam: quod ex ipsius sermonibus doctrina de Creatione πρωτοπλάστου ad Gentes emanarit: quodque veram Sapientiam, quæ est radius Lucis divinæ, Doctrinam nimirum de DEO, Præcepta de Moribus, & Leges Motuum cœlestium alijs tradiderit. Vnde ab Hesiodo nominatur;

Ἰαπετιονίδης πάντων πέρι μήδεα εἰδώς.

Eius Filiis

Iapheti genus sic proponit Spiritus Sanctus Genes. X, 2. *Filij Iapheti: Comer, & Magog, & Madai, & Iavan, & Tubal, & Meschec, & Tiras.*

Gomer.

Gomer, גומר, pater *Gomeritarum*, qui populi Asiatici, Iudæis ad aquilonem siti. Horum auxilia Gogo rei contra DEI populum adducenda recenset Iechezkel cap. XXXVIII, vers. 6. *Gomer & universa agmina ejus, domus Togorma, latera Aquilonis* (ירכתי צפון) *& totum robur ejus, populique multi tecum:* ubi *latera Aquilonis* indicant, quas habuerint regiones. Non abludit ab Gomeritis *Cimmeriorum* appellatio; quos circa Mæotidem Paludem & Bosporum Cimmerium (sic ab his cognominatum, ubi & opidum *Cimmerium* Straboni, Plinio, alijs) & circa Colchidem locant Herodotus lib. IIII, & Ptolemæus lib. V: quosque cum Georgijs juxta mare Caspium nominat Plinius. Ab his ortos volunt nonnulli *Cimmerios* Campaniæ circa Baias apud Strabonem, & *Cimbros* Germaniæ populos Septemtrionales apud eumdem, à quibus *Cimbrica Chersonesus*, quæ nunc Holsatiam, Iutiam, aliasque ditiones complectitur. Plerique Iosephum sequuti ab Gomero progenitos volunt *Comeritas*, quos postea Græci Galatas dixerunt. Atque Græcis Galatæ sunt Galli; à quibus profecti ij, qui Delphos spoliarunt, & postea in Asia haud procul Troade consederunt, dicti sunt Gallogræci, & Galatæ Asiani, qui Phrygiæ partem maiorem occuparunt, ut suo loco dicam. Refutandis, quæ de gentium Originibus, cum in Biblicis Indicibus nullo judicio

scripta,

scripta, tum sub Berosi, qui nuper nobis ab audaculo quodam obtrusus, nomine vulgata leguntur, tempus non teram, Lectoremque non morabor. Vana sunt ibi omnia putidaque; & quod Berosum illum supposititium ejusque Commentatorem attinet, mendaciorum plaustra meræque Viterbiensium nugæ.

Gomero tres fuerunt filij, ut eodem capite vers. 3. docemur: *Porro filij Gomer Aschenaz, Riphath, Togorma.* Qui tres habuit liberos.

Aschenaz, אשכנז: LXX. Interpretibus, Ἀσχανάζ. Ab eo populi Asiatici, in Medorum regnis conlocati, vel certe Medis finitimi; quod manifestum ex Iechezkelis cap. L. vers. 27. ubi Aschenaz commemorantur alijs Gentibus, ad Medorum regna pertinentibus. Sic enim ibi scriptum: *Levate signum in terra, clangite in Gentibus, significate super eas Gentes, annunciate contra illam Regibus Ararat, Menni, Aschenaz.* Agitur de Excidio Babylonis;& Medis eorumque socijs & auxiliarijs, in quis Aschenazei, per quos Chaldæorum imperium esset exstirpandum. Iosephus Aschenaz appellari scribit ab Græcis *Rheginos*; Eusebius dissentiens Gentes ait esse *Gothicas*; ætatis nostræ Iudæi *Alemannos* vocant Aschenazim: omnes levibus usi conjecturis, de quibus alias. Sunt etiam, qui volunt ab Aschenaz denominatam cum *Ascaniam* Asiæ Minoris regionem, cujus meminit Homerus β & ν Iliados, ubi & *Ascania* Palus, ex qua fluvius *Ascanius* Troiæ vicinus, Ptolemæo & Straboni: tum *Sicaniam*, quæ hodie Sicilia apud Solinum & alios. Quin & quidam *Hassiam* hinc dirivant, & *Saxoniam* ob vocum similitudinem. Aschenazum:

Riphath, ריפת, secundus Gomeri filius. Ab hoc qui descenderint, historia sacra non docet. Iosephus lib. I. Antiquit. Iudaicar. cap. XI. & D. Hieronymus putant nomen hunc dedisse *Riphatais* (vel, ut Mela lib. I. *Riphatibus*) qui postea Paphlagones nuncupati. *Riphæos* etiam Montes nominant Ptolemæus, Mela, & alij, in Sarmatia & Scythia: qui quamquam ibi nulli, videntur tamen ab Riphath appellationis originem invenisse. Riphatum;

Togorma תוגרמה, tertius. Ab eo genus ducunt *Togormæi* populi Asiatici; Iudæis ad Aquilonem; qui Syriæ Asiæque Regibus paruerunt. Nam Ezechieli cap. XXXVIII, vers. 6. Togormæi, Iudæorum respectu, ירכתי צפון, *Latera Aquilonis* describuntur inter eos, quos Gogus Syrarum Gentium dux, secum adversus Israelitas trahit ad bellum. Conjectura est, Togormæos fuisse, qui deinde *Cappadoces*. Sic enim Iechezkel cap. XXVII. versu 14: *De domo Togorma Equos, Equites & Mulos* (פרדים) *adduxerunt ad forum tuum.* habet enim Cappadocia Mulas, quæ pariant, ut notat Theophrastus, quod ibi sit animal sui generis, quemadmodum scribit Plinius lib. VIII. natur. histor. cap. XLIV. Alij volunt Togormam progenitorum esse Populorum Armeniæ, quorum Reges *Tigranes*; quibusque opida non pauca Τιγρανοκέρται, quas Appianus lib. de bellis Mithradaticis & alij Græce scribunt sonare *Tigranopoles*, κέρτα enim Parthorum lingua πόλις, docente Stephano; apud quos denique fons nobilissimi fluvij *Tigris*. Alij, inter quos Zonaras, litteris mandant ad Togormam referre genus *Tigranaos*, qui deinde *Phryges* dicti. Nonnulli Togormæos *Tartaros* interpretantur; alij *Turcas*, & inde hodieque Iudæis Turcarum Imperatorem *Togar* nominari. Alijs Togorma censetur *Germania* quod Chaldæus interpres Iechezkelis illa cap. XXVII, vers. 14, quæ paullo ante laudavi, sic reddiderit: *Gomer & omnis exercitus ejus, provincia Germamia.* (מדינת גרממיא, proprie *regio Germamaja*) *fines Aquilonis.* Priorum conjecturæ ex vocis tantum similitudine sunt natæ: posteriori nullus locus, quod nihil commercij potuerit esse Germanis cum Tyrijs, tanto terrarum intervallo dissitis. Interim quid apud Chaldæum Paraphrastem גרממיא fateor, nondum liquet, & ampliandum hic censeo. Est quidem apud Plinium *Germanicopolis*, quæ & *Booscæte*, & *Helgas*, Asiæ Minoris urbs; est item *Germanicia*, Galatiæ, scribente Paullo Diacono; tertia denique ejusdem nominis, ut indicat Ptolemæus, in Syria juxta Amanum Montem: sed, quod nomina illarum recentiora, ut alibi probabo, nihil ad Togormæos. Incertior illorum divinatio, quibus Togormæi *Moscovitæ*, qui & Albi Russi. Pergo incœpta paullo ante prosapia. & Togormam;

Magog, מגוג secundus Ipheti filiorum. Ab hoc populus Cœlesyriæ, *Magog*. Plinius lib. V. natur. histor. cap. XXIII. in Syriæ descriptione: *Nunc interiora dicuntur. Cœle habet Apamiam, Marsya amne divisam ab Nazerinorum Tetrarchia. Bambycem, quæ alio nomine Hieropolis, vocatur; Syris vero Magog.* Notat disertis verbis Magog II. Magog.

Cœle-

Cœlesyriæ populum: quem Gentium illarum fuisse primum, arguit nomen Græcum *Hierapolis*, sacra augustaque Syrorum urbs: cujus, vel regionis potius, principem vocat Iechezkel *Gogum* cap. XXXVIII, vers. 1: *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog. & terram Magog principem Capitis Meschec & Tubal.* Imperat summus ille Imperator; Propheta se convertat ad Gogum, qui habitabat regionem Magog, summusque regnator erat Meschec & Tubal. *Magog* enim regionem apud Prophetam denotare, paret (ut bene docteque notat Matthæus Beroaldus Chronici sui libro. IIII, cap. VI, qui, quod lubens agnosco, magnus & certus mihi dux fuit ad explorandum veras Patrum istorum migrationes) ex Hebraica voce המגוג. ה enim illud Emphaticum proprijs Virorum nominibus numquam præjicitur; Locorum, frequenter. Gog igitur rex trium populorum Magog, Meschec, Tubal. Indicat hoc & alius Prophetæ locus cap. XXIX: *Tu autem fili hominis, vaticinare adversus Gog; & dices, Hæc dicit Dominus* DEVS: *Ecce ego super te Gog, principem capitis Meschec & Tubal.* Sic in Apocalypsi cap XX. vers. 8. nominantur Gog & Magog excitandi ab Satana adversus Civitatem sanctam: *Gog* enim ibi Reges & Principes, capitales populi DEI hostes, *Magog* autem, qui auxiliares illis ad injuriam & vim faciendam. Iosephus, ne aliorum sententias prætercam, & sequutus eum Zonaras, ab Magogo *Magogas* deducunt; quos Græci Scythas Νομάδας & Ἁμαξοίκους nominant. Alij; *Massagetas* & *Getas* hinc trahunt.

III. Madai. *Madai*, מדי, natu tertius, nomen dedit *Medis* Imperij Babyloniorum eversoribus, qui passim in Sacris Monimentis appellatione מדי significantur: lib. II Regum, capite XVII, 6. Ieschahih. cap. XIII, 17. Iirmeiæ cap. XXV. 25. & LI, 11, 25. Danielis cap. VI. 8. 12, 15. VIII, 20. IX, 1.

IV. Iavan. *Iavan*, יון Hinc *Iones*, qui postea cum alijs gentibus concesserunt in nomen Græcorum. Quæ caussa; quod, quum Ieschahih. cap LXVI, vers. 19, יון, Interpretes Septuaginta dixerint Ἑλλάδα: quod apud Iechezkel cap. XXVII. vers. 19. vox יון, Latino Interpreti versa sit *Græcia*, ijsdem vero Interpretibus Ἑλλάς: quod in Prophetia Ioelis cap. III. vers. 6. יונים ijsdem sint Ἕλληνες, Latinis *Græci*: quod denique Alexander Magnus Danieli cap. VIII, 21. מלך יון, Septuaginta dicatur βασιλεὺς Ἑλλήνων, Latino Interpreti *Græcorum Rex*; & cap X, vers. 20. שר־יון Septuaginta ἄρχων τῶν Ἑλλήνων, Latino *Princeps Græcorum*. Nondum me pœnitet conjecturæ, *Ianum* Latinis eundem esse, qui Hebræis יון: &, quum Iapheto pars orbis, quæ Europa hodie, sorte obtigisset, esse verisimile Iavano (κατὰ συναίρεσιν, Iano) quidquid sequentibus sæculis Græciæ, Italiæ, vicinarumque Regionum innotuit appellatione, fuisse adsignatum. Græci, qui multo post tempore sequuti, quum putarent Progenitorem suum nominatum ab Hebraica voce יין quæ illis οἶνος, Iavanum suo Idiomate Οἴνωτρον; Terram vero, quam imperio regebat, eam præcipue quæ in Italia Sedes illi regia, Οἰνωτρίαν; Incolas Οἰνωτρίους appellarunt. Videndi Dionysius lib. I. Antiquitat. Romanar. Virgilius lib. I. Æneidos, & ibi Servius. Non immerito igitur Ianus *Antiquissimus Divum*, respectu Italiæ, apud Iuvenalem, Satyra VI. *Deorum Deus*, Salijs apud Macrobium lib. I. Saturnalior. cap. IX; ubi etiam *Mundus*, ut & Incertioribus apud Arnobium lib. III, advers. gent. & Augustinum lib. VII, de Civit. Dei, cap. VII, VIII, & IX; *Mundi Sator*, Martiali lib. X. epigr. XXVIII: fingiturque jure primus in Italiam Colonias duxisse, scribente Dionysio Halicarnass. lib. I. Antiquit. Roman. primus Diis Templa fecisse, Ritus instituisse Sacrorum, à Xenone apud Macrobium loco laudato; Aes signasse, eidem Macrobio cap. VII; primus Navigia, tumultuarios pontes & alia invenisse, ut notat Dracon Corcyræus apud Athenæum lib. XV. Δειπνοσοφιστ. Bifrons denique pingitur cum ob alia, tum quod duorum esset Populorum progenitor, Græcorum Latinorumque; quibus initio multa fuerunt communia, in primis Lingua: nam in Latina Græcæ non pauca vestigia. Clamant & aperte Græcam originem non solum, in ipsa Italia, Magna Græcia: sed infinitæ etiam locorum opidorumque passim appellationes.

Iavani progenies sic nobis describitur eodem capite X, vers. 4. *Filij autem Iavan* Cui quatuor fuerunt liberi. *Elischa, Tarschisch, Kittim, Dodanim.*

Elischa. *Elischa*, אלישה, posteri videntur occupasse Insulas Maris Mediterranei. Persuadet Propheta Iechezkel cap. XXVII, 7. *Hyacinthus & Purpura de Insulis Elischa* (מאיי אלישה: Septuaginta Interpret. ἐκ νήσων Ἐλισαὶ) *facta sunt operimentum tuum.* Quid moverit Chaldæum

Chaldæum Paraphraſten, ut pro אלישה verteret איטליא, nondum video. Sic enim ait: *Byſſus & varia tinctura de Aegypto fuit tibi velum, ut eſſet tibi in ſignum. Hyacinthus & purpura* ממדינת איטליא, id eſt, *de provincia Italia, fuit operimentum tuum.* Intelligit certe Iechezkel *Cyclades* Aegæi maris Inſulas: è quibus, ut ſuo loco dicam, Purpura prioribus ſæculis, multo antea quam Tyrijs, Getulis, alijſque nota eſſet, petebatur. Inſulæ igitur Maris Mediterranei peculium Eliſchæ nepotum, quorum etiam nonnulli, Magnum emenſi Mare, Fretumque inter Africam Europamque pervecti, videri non incommode poſſunt ad Inſulas illas Fortunatas, quas ab Eliſcha ſuo Græci *Campos Eliſeos* nuncuparunt, profecti: quorum longinquam à primis ſedibus navigationem in majus deinde poſteri, falſa veris admiſcentes, extulerunt. Nomen *Eliſchæ* manſiſſe videtur aliquibus non ſolum in *Aeolo*, qui Ventorum, id eſt Inſularum in Mari Ægæo, Rex celebratur: ſed & in Aeolide, quæ regio Minoris Aſiæ ad Orientaliora Maris, quod dixi, *Hul* Hebræis hodieque. Quin Strabo notat *Aeoles* habitos olim omnes populos extra Iſthmum, præter Athenienſes & Megarenſes. Sunt etiam, qui volunt ab Eliſcha ἠλεῖαν, Peloponneſi regiunculam apud Strabonem, quæ ἦλις Ptolemæo; Græcoſque omnes Ἕλληνας denominatos.

Tarſchiſch, תרשיש, dedit nomen *Tarſenſibus*, qui Tarſum Cilicum metropolin incolunt. Tarſchiſch. Pſalmo. LXXII. verſ. 10. *Reges Tarſis* (מלכי תרשיש) *& Inſulæ munera offerent;* ubi Chaldæus Paraphraſtes, מלכיא דטרסים, *Reges Tharſenſium*, id eſt, Cilicum & conregionalium populorum. Sunt etiam, qui putant *Karthaginienſibus* originem hinc eſſe, quum credo viderent Septuaginta Interpretes illa Ieſchahih. XXIII. 1. הילילו אניות תרשיש, *Vlulate Naves Tarſis*, vertere, ὀλολύξατε πλοῖα Καρχηδόνος, *Vlulate Navigia Karthaginis:* Iechezkelis item cap. XXVII, 13: *Seba & Deda & Negociatores Tarſis*, סחרי תרשיש; dicere, Σαβὰ καὶ Δαιδὰν καὶ ἔμποροι Καρχηδόνιοι: Iirmeiæ denique verba cap. X, 9: *Argentum involutum de Tarſis* (מתרשיש) *adfertur, & aurum de Ophir.* Chaldæum Paraphraſten interpretari מאפריקא, *Africam.* Sed quam late pateat vox תרשיש, & quo modo ſint, quæ ex Prophetis citantur, accipienda, doctiſſime docet Matthæus Beroaldus, quem paullo ante laudavi. Porro *Tarſchiſch*, vel ut alij, *Tubalis* Nepotes putantur fuiſſe *Sepharad* & *Sarphad:* & ab illo quidem *Heſperia*, quam nunc Hiſpaniam dicimus; ab hoc vero *Gallia*, denominatæ: quæ, ut ambigua & parum explorata, in medio relinquenda cenſeo.

Kittim, כתים, tertio loco inter filios Iavani: qua voce non tam ejus filius, quam Kittim. ab filio deſcendentes deſignantur: quos Interpretes Septuaginta nunc Κιτιαίους, nunc χεττιείμ, retento Hebraico vocabulo, nominant. *Kittimos* eſſe Italos, Romanos, illiſque confinales populos (ubi & *Caieta*, quidquid fabulantur Poetæ & ex ijs alij, vetus nomen tueri putatur) docent varij variarum, quæ paſſim in Sacra Scriptura, Prædictionum eventus. Et hinc Interpretes ſemper Gentes illas in animo oculiſque quaſi habuerunt. Numeror. cap. XXIV, 24. *Venient in Trieribus*, כתים, *de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt.* Chaldæus Paraphraſtes, ne quis dubitet de Romanis exaudienda: *Et naves venient ab Romanis*, מן רומאי, *& adfligent Aſſyriam* &c. Iechezkel XXVII, 6: *Quercus de Baſan dolaverunt in remos tuos; & tranſtra tua fecerunt tibi ex Ebore Indico, & Prætoriola de Inſulis* כתים, Latin. Interp. *Italiæ*; Chald. Paraphraſt. ממדינת אפליא *de Provincia Apuliæ*, quæ Italiæ pars. Daniel denique cap. XI, 30: *Et venient ſuper eum Trieres, &* כתים, Latinus Interpres, *Romani*, (quos & Hebræi ipſi atque Rabbini ibi cenſent intelligendos) *& percutietur, & revertetur, & indignabitur contra teſtamentum ſanctuarij, & faciet: reverteturque, & cogitabit adverſum eos, qui dereliquerunt teſtamentum Sanctuarij.* Nonnulli per כתים intelligunt cum Italis Romaniſque etiam *Macedonas.* Nam, vaſtator Tyri, Alexander Magnus educitur apud Ieſchahih. cap. XXIII, ex terra כתים: Idem lib. I. Machab. cap. I. ſcribitur egreſſus ex terra כתים. Sic Philippus & Perſeus Macedoniæ principes, quos vicerunt Romani, Reges nominantur *Cethæorum* lib. Machab. eodem, cap. VIII. Ad hæc, Macedoniæ partem Μακετίαν (in cujus poſterioribus latere videtur nonnihil vocis כתים) fuiſſe dictam, ſcribunt Stephanus & Heſychius; idemque nomen paullatim totam regionem accepiſſe, refert Euſtathius in Dionyſium; unde & ipſi populi nunc Macedones, nunc Μακέται, apud eundem Stephanum in Geographico Lexico, vel *Macetes*, ut eos vocant Auſonius, & Vegetius lib. III, de re militari, cap. XXII. Ioſephus כתים vult eſſe Cyprum, ſcribens veteris appellationis

vestigium ibi servari in urbe Κιτίῳ: quam veteres Tabulæ mihi monstrant ad Euroaustrum in Sinu, quem faciunt duo Promontoria Throni & Dades: recentiores vero opidum *Chiti* nominant ad Promontorium Occidentalius; quod Dades olim, ut dixi, hodie ab ipsa urbe, *Capo Chiti*. Est tamen, ne quid dissimulem, ubi vetus quomdam, si Tabulæ Geographicæ non fallant, Κίτιον, & nunc fere (nam paullo versus Septemtrionem & Mediterranea) opidum *Chidia*: sed plenius hæc in mea Cypro. Alij simpliciter כתים interpretantur Κήτιδος, regionis apud Ptolemæum in Cilicia: Incolas. Quidquid sit, כתים non solum Cyprij, Macedones, Itali, Romani (Sudas in voce Λατῖνοι, *Ceteos* in Italiam ductos indicat ab Latino Telephi filio) sed omnes, quæ Hebræis Transmarinæ Gentes, videntur explicandi.

Dodanim vel Rodanim. *Dodanim*, דודנים, capite Genes. x, posteri à quarto Iavani filio, qui lib. I. Paralipom. cap. I. vers. 7. nunc דודנים, nunc vero רודנים nuncupantur: utramque lectionem vel scripturam arripientes, posterioris vocis vestigium indicant in celeberrimo Galliæ fluvio *Rhodano*; & qui non tam longe profectos רודנים volunt *Rhodios* interpretantur: prioris vero putant exstare in antiquo Provinciæ, quæ deinde Epirus appellata, nomine. Eam enim *Dodonam* olim vocatam ex Dionysio & Thrasybulo; Incolas autem *Dodonæos* ex Plinio Stephanoque constat. Satis certum, fuisse in Chaonia, quæ Epiri pars, *Dodonam* urbem, cui propinquum erat Nemus *Dodonæum*, ubi *Dodonæus* Iupiter, in templo sibi cognomine colebatur. Legendi Strabo lib. v. Pomponius Mela lib. II, Solinus in Polyhist. Stephanus, Ascon. Pædianus, Hyginus, & alij.

v. Tubal. *Tubal*, תובל, quintus filiorum Iavani. Huius Posteri *Tubalæi* (sic enim Latine vocentur) conjungitur Populis Meschechæis; ut docent, quæ paullo ante scripta mihi ex Iechezkelis cap. XXXVIII. & seq. ubi de Magogæis: connumerati apud eundem Prophetam cap. XVII & XXXII non solum ijs, quos dixi, sed & Assyrijs, Ælamitis, Edomitis, Sidonijs, alijsque ad Aquilonem Asiæ incolis: cum quorum plerisque pertinebant ad Imperium Gogi, quo nomine Reges complectitur Sacra Scriptura Asiaticos & Syriacos. *Tubalæi* igitur populi Asiatici; non Europæi. Quod addo, non sine caussa. *Tubalæos* enim Iberos vel Hispanos censet esse Iosephus: & accedunt alij; quum audiant in Hispania Bætica opidum esse, quod *Setubal* hodie, vetus nomen præferens. Zonaras *Iberes* ab eo deducit, qui in Asia Chalybibus vicini, iuxta Mæotidem Paludem, apud Pomponium Melam: Alij *Italos* arbitrantur; nulla ratione. Interpretes Chaldæus, Septuaginta, Latinus, quum ignorarent quarum gentium progenitor esset *Tubal*, nomen passim ejus retinuerunt.

vi. Meschec. *Meschec* משך. Ab hoc qui prognati; & progenitos fuisse sub Imperio Gogi, id est Regum Asiaticorum & Syrorum, testantur quæ dixi. Sic Chaldæus Paraphrastes, vertens Querimoniam Davidis profugi, Psalmo cxx, vers. 5. *Heu mihi, quia peregre ago in Meschec* (משך) *habito in tabernaculis Cedar*; satis indicat populum hunc Asiaticis conscribendum, & vicinum Arabiæ: Sic enim explicat; *Hei mihi, quoniam peregrinatus sum cum Asiaticis* (עם אוסאי) *habitavi in tabernaculis Arabum* (דערבאי) Male Septuaginta: οἴμοι, ὅτι ἡ παροικία μου ἐμακρύνθη: quos sequutus Interpres Latinus; *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est*. Vicini igitur fuerunt Arabibus Cedræis: quibus nomen ab Cedro Ismaelis filio, ut legere est Genes. xxv, 13. Cedræos Nabatæis finitimos facit Plinius lib. nat. histor. v, cap. XI. Alij ob vocis adfinitatem ad Meschec referunt *Mysos*: alij *Moschos*, Ammiano Marcellino notos; quos hodie *Moscovitas* indigetamus; præsertim quum Septuaginta Μοσὸχ dixerint. Alij denique quod in Cappadocia, scribentibus Iosepho, Eutropio, Suda, urbs *Mazaca* (cuius Incolæ; μάζυες, Herodoto; Ptolemæo & Ammiano, μάζικες; Stephano, μάζεις; μάζηκες, Oppiano; *Mazaces* denique Lucano lib. IIII. belli Pharsalici, Claudiano Panegyrico I. in consulat. Stiliconis & Aurelio de venatione) quodque in finibus Cappadociæ & Colchidis *Moschij* montes & populi ab Apollonio lib. II. Argonautic. celebrentur; *Cappadoces* ab *Meschec* ortos tradunt.

vii. Tiras. *Tiras*, תירש, postremus Iapheti filiorum nominatur. De huius posteris nihil ex Sacra Scriptura certi: ideoque remotiora ab alijs videntur petijsse loca. Iosephus putat *Thracas* ab eo dictos: apud quos etiam, notante Ptolemæo, Ἀθύρας fluvius, quem *Atiram* scribunt Plinius & Pomponius Mela. Sic in Sarmatia Europæa fluvius est Τύρας Ptolemæo, τύρης Herodoto, *Tyra* Plinio, Τύρις Hesychio; hodie *Nester*; cuius ostium inter Istrum & Borysthenem fere medium. Sunt qui *Tyrum*

Phœni-

Phœniciæ urbem nonnulli *Thyrreniam* Italiæ regionem; quidam *Turingos* Germaniæ populos hinc deducunt. Alij *Thuras* apud Plinium, vel *θύριον*, ut Ptolemæus, vel *θυρίαν* ut Strabo notat, Messeniæ, quæ Peloponnesi australior regio, urbem hinc trahunt. Neque innotatum abit quibusdam *Thurium*, quæ Magnæ Græciæ apud Ptolemæum & Stephanum urbs, in Sinu Tarentino: ubi & *Thuria* fons. Alia prætereo: malens, vetere formula, N. L. usus, sententiam hic suspendere; quam temerariam pronunciare.

De *Iapheti* liberis dixi: succedunt *Schemi* secundo-geniti, cujus progeniem sic describit Sp. Sanctus: *Filij Schemi Hhelam, & Aschur, & Arpacschad, & Lud, & Aram.* Hos notat Zonaras, ut universim hoc præmoneam, loca Armeniæ, vicina Euphrati fluvio, id est Syriam, Persiam & reliquum Orientem occupasse, usque ad Oceanum Indicum: quod an verum, docebunt dicenda. Schemi Filii:

I. *Hhelam*, עילם: Septuaginta Interpretibus Αἰλάμ, pater fuit *Hhelamitarum* (Ἐλυμαίους appellat Iosephus) à quibus originem ducunt Persæ; qui, constituta Monarchia, nomen hoc obscurarunt. Est apud Danielem Prophetam, cap. VIII. in principio, Schuschan Castrum in regione *Hhelam*: *Ego Daniel*, inquit, *post id quod videram initio, vidi in visione mea, quum essem* בשושן הבירה אשר בעילם המדינה, *in Schuschan metropoli, quæ in Hhelam provincia; vidi autem in visione, esse me super portam Vlai.* Sic Ieschach. cap. XXII, 6: *Et Hhela in sumsit Pharetram* &c. Lucas Euangelista in Actis Apostolorum cap. II. 9: Πάρθοι, καὶ Μῆδοι, καὶ Ἐλαμῖται &c. *Elymaeos* describit Strabo lib. XVI. Apud Plinium etiam *Elamitæ* in Arabia Felice, Maris adcolæ; ubi & opidum ejusdem nominis. Xenophon denique in Historia Cyri, Persarum regis, mentionem facit Tribus *Elamidos*. I. Hhelam;

II. *Aschur*, אשור, nomen dedit Asserijs, condita Metropoli Ninive, Genes. x, 11; quam gloriam historiæ prophanæ tribuunt Nino. II. Aschur;

III. *Arpacschad* ארפכשד, Quidam quum in ארפכשד viderent latere Thema, à quo deducuntur כשדים *Chaldæi*, hos nulla Scripturæ Sacræ auctoritate sunt ausi ab eo dirivare; sequuti Iosephum; qui addit Χαλδαίους dictos olim Ἀρφαξαδαίους. Alij *Susiorum* quorum regio *Susiana*, patrem arbitrantur. III. Arpacschad:

Arpacschadi posteritatem sic docet Spiritus Sanctus, Genes. x, 24: *At vero Arpacschad genuit Schelach de quo ortus Hheber. Natique sunt Hheber Filij duo: nomen uni Peleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra; & nomen fratris ejus Ioktan. Qui Ioktan genuit Almodad, & Scheleph, & Chatzar-maveth, & Ierach, & Hadoram, & Vzal, & Diklah, & Hhobalez, & Abimael, Scheba, & Ophir, & Chavila, & Iobab: omnes isti filij Ioktan.* Hi notantur ibidem Regiones obtinuisse, quæ sunt à Messa pergentibus ad Sephar, montem Orientalem. Iosephus censet eos invasisse omnia, quæ sunt à Cophene flumine Indiæ (de quo alibi) usque ad Assyriam. Alij Indiam habuisse scribunt. Benedictus Arias Montanus in Adparatu Biblico specialiora rimatus, ab *Almodad*, אלמודד, *Themeotes* deducit, Sarmatiæ Asiaticæ populos, apud Ptolemæum & Pomponium Melam: à *Scheleph*, שלף, *Selebios*: à *Chatzarmaveth*, חצרמות, *Sarmatas*: ab *Iarach*, ירח, *Ariam* & *Arachosiam*: ab *Hadoram*, הדורם, *Hircaniam*: ab *Vzal*, אוזל, *Oxiam Bactrianam*, cujus cultoris *Oxij* Ptolemæo: ab *Dicklah*, ודקלה, *Scythiam* intra Imaum: ab *Hhobalez* עויל, *Bolitas*, sive *Obolitas* intra Caucasum & Paropanysum Montes: ab *Abimael*, אבימאל, *Imaenses* sive *Imaos*; apud quos mons nobilis Imaus: ab *Scheba*, שבא, *Sacas*, Ptolemæo & Pomponio notos. Sed dirivandi potius hinc *Sabæi* Indici; quorum meminit Dionysius de Situ Orbis:

Eiusque posteritas & ditiones. Almodad: Scheleph. Chatzarmaveth, Iarach, Hadoram; Vzal, Dicklah. Hhobalez; Abimael Scheba,

τῇ δ' ἤμισοι ναίουσι Σάβαι, καὶ Ταξίλοι ἄνδρες.

Nam *Sabæi*, Persis proximi ab Abrahami filio orti. De his idem Dionysius:

Πρῶτα Σάβαι, μετὰ τοὺς δ' Πασαργάρδαι, ἄγχι δ' Τάοκοι.

Ophir אופיר, appellationem dedit Regioni *Ophir*; ex qua Schelomo Rex, instructa & missa classe, singulis triennijs magnam auri vim petebat; ut legere est lib. III. Regum, cap. IX, 26, & lib. II. Paralip. cap. IX. Auri *Ophyriani* mentio apud Hijobum, cap. XXII, 24: Davidem Psalmo XLV, 10; & I. Paralipom. XXXIX, 4. ut quidem Hebraica tinniunt: obscurior enim apud Interpretes & Græcos Septuaginta, & Latinos. Vbi autem *Ophir*, & quod hodie Regioni nomen, variatur. Iosephus eam in India ponit. χρυσοῦ γῆν suo tempore nominatam scribens: suffragatur illi Marius Niger, *Auream* putans *Chersonnesum*; quæ cum illa Iosephi eadem. Gaspar Varrerius, Ophiriana Pomœria proferens, non solum *Chersonnesum* existimat esse, sed

omnem

omnem etiam oram, quæ *Pegusiis, Malacca, Sumatra* continetur. Sed Regiones hasce ab auro non esse fœcundas, didicimus plene cum ex Lusitanorum, tum Nostratium navigationibus. Vatablus Insulam arbitratur, quæ *Hispaniola* hodie. Postellus, Goropius Becanus, Arias Montanus, Michael Neander, & alij *Peru* interpretantur, κατὰ μετάθεσιν. Sunt quidem ibi copiosissimæ Auri venæ: sed quis credet, tam longinquas prouincias tunc temporis, tanto Pelagi periculosissimi intervallo separatas ab Erythræo mari, petitas? cui persuadebitur, Populos istos, si jam tum cum ijs agi cœperit, tam parum frequentium commerciorum benificio didicisse, ut pro Hominibus immanes Belluas in posteris reliquerint? Mitigari solent, & ad comitatem revocari ferociores immitium nationum mores, aliorum, qui humaniores, aditu & consuetudine. Fieri hoc facile quotidiana docet experientia. Sævissimos tamen fuisse, & efferatissimæ vitæ illorum plerosque, deprehensum ab ijs, qui primi Terras eorum ante centum aut circiter annos ingressi. Matthæus igitur Beroaldus Chronici sui lib. IIII. cui cum Abrahamo Ortelio subscribo, censet, quamuis timidior, *Ophir* esse Africæ regionem, quam *Zaffalam* hodie dicunt vel *Cephalam*; quæ aurifera admodum, teste Ioanne Baroso: nihil etiamnum, ut Lusitanorum peregrinationes loquuntur, præter Aurum Mercatoribus exteris communicans, quum ibi sint Aurifodinæ fertiles facilesque effossu. Accedit, quod in Indica sua navigatione memoriæ prodat Thomas Lopezius, Zaffolenses habere libros, patria lingua scriptos, in quibus legitur, Schelomonem Regem tertio quoque anno Aurum hinc tulisse. Potest & illud probare regionem horum esse *Ophir*, vel saltem *Peruanam* non esse; quod Sacræ litteræ tradant ex *Ophir* etiam, præter Aurum, Ebur Schelomonem petijsse. At in Peruana Elephantem nemo adhuc dixit, scripsit, pinxit. Quidquid sit: ab *Ophir* dictum nonnulli volunt Aurum *Obrizum*, quasi *Ophirizum*, ab *Ophir* petitum: quod ita describit Plinius lib. XXXIII. natur. histor. cap. III: *Auri experimento ignis est, ut simili colore rubeat, quo Ignis; atque ipsum Obrizum vocant.*

Chavilia, *Chavila*, חוילה, qui duodecimus Ioktanis filiorum, posteros Indiam omnem & Gangeticas Regiones possedisse judicat post alios Arias Montanus, cujus sæpe memini: ut, qui ab *Iobab*, יובב, postremo liberorum, Novi Orbis partem; quæ *Parias* vocata, auro margaritisque abundans.

IV. Lud. IV. *Lud.* לוד, quartus ordine Schemo natus: à quo, ut notant Eusebius & Zonaras, *Lydi*, Minoris Asiæ populi, bellicæ virtutis laude quomdam præsignes. Legendi Ieschah. cap. LXVI, 19. & Iechezkel cap. XXVII, 10.

V. Aram, V. *Aram*, ארם, postremus inter Schemi filios. Varios ab eo populos in Asia, præsertim Syria, scribente Hieronymo, fuisse disseminatos, paret ex variis appellationibus. Nam cognominati leguntur: *Aram Naharaim*, ארם נהרים, id est fluminum, vel Interamnis, ut Ammianus loquitur, Græcis μεσοποταμία; quod media inter Euphratem & Tigrin; Deuteronom. XXIII, 4. & Iudicum cap. III, 8: *Aram Padna*, ארם פדנה; Genes. XXXIII, 18, XLVIII, 7. & alibi; hæc eadem videtur fuisse cum *Aram Naharaim*, aut certe ejus pars: *Aram Damasci*, ארם דמשק; lib. II. Schemuel. cap. VIII, 6, & Ieschah, cap. VII, 8: *Aram Mahachah*, ארם מעכה; lib. I. Paralip. cap. XIX, 6. *Aram Sobah*, ארם צובה: eodem cap. XIX, & lib. II. Schemuel. Alia prætereo. Plinius, ut & hoc addam, lib. VI. natur. histor. cap. XVII, scribit *Scythas* olim *Aramæos* fuisse nuncupatos. Alij, quos inter Arias Montanus, ab *Aram Armenios* dirivat. *Arama* etiam Palæstinæ locus, Iehoschuhhæ libro, cap. XIX, 36.

eiusque filii. Arami posteritatem sic legimus Genes. cap. X, 23. *Filij Aram: Hhutz, & Chul, & Gether, & Mesch.*

Hhutz, A primo *Hhutz*, עוץ, Regio dicta *Hhutz*; cuius incola Hijobus, ut scribitur in ejus historia cap, I, I. adcensa Syriæ vel Arabiæ, quæ Scenitis, cujus pars Idumæa apud Iirmeiam Lamentat. cap. IV, 21, vergens ad Chaldæam & Sabæam: quarum Incolæ Hijobi bona deprædantur; c. I, 15 & 17, Iosephus & Zonaras ajunt *Hhutz* condidisse *Traconitiden* & *Damascum*, quæ inter Palæstinam & Cœlesyriam.

Chul. *Chul*, חול. Ab ejus posteris, quod censet Arias Montanus, *Aeolis* occupata, Asiæ Minoris regio in littore Maris Ægæi: Hieronymus *Chul Armeniorum* stirpem opinatur.

Gether. *Gether*, גתר. Ab hoc qui prognati locis insedisse putantur eidem Montano, quæ postea *Aetolia* appellatione innotuerunt: Nonnullis *Getuli* & *Getæ* cũ vicinis *Massagetis* & *Samogetis* hinc trahuntur. Zonaras *Bactrianos* condidisse censet *Getherum*: cujus etiam mentio lib. I Paralip. c. I.

Mesch. *Mesch*, מש, *Misiorum* parens, ut vult Montanus; voce non abludente: quos Iuvenalis, inquit, *Mesos* vocat. Iosephus *Messanorum Arabum* progenitorem putat.

Sic se habuit in Terræ distributione *Schemi* Posteritas: sequitur *Chami*; cujus hæc propago, Genes. x, 6: *Filij autem Chami: Cusch, & Mitzraim & Put, & Cenahhan.* Chami filij.

1. *Cusch* כוש. Ab eo *Cusch*, *Arabia*; hinc Cananææ, inde Ægypto finitima. Paret ex Plinij lib. 11. natur. hist. cap. x1: partim quod *Cusch* & *Mitzraim* in Sacris litteris non uno loco jungantur, ut omnino vicinas sibi regiones duo fratres videantur sortiti: *Mitzraim* quidem, quæ post *Aegyptus*; *Cusch* vero, quæ confinalis illi ad Sinum Arabicum. Alij nunc infeliciorem Septuaginta versionem, nunc vero nugas & putida Iosephi mendacia, quæ leguntur lib. 11. cap. x, sequuti, ab Cuscho notant originem Aethiopiæ Gentibus, quæ in ultima ora Africæ ad Nili fontes. Hinc ubi כוש, & ab eo dirivata in Sacra Scriptura, vertentibus, semel gnaviter deceptis, semper in oculis & mente fuerunt *Aethiopia*, ejusque Incolæ; quum respiciendum ijs fuisset ad *Arabiam* & *Arabas*. Sic, dicis gratia, Tzippora *Cuschæa*, הכושית, Rhehuelis Midianitarum Sacerdotis filia, quam Mosche uxorem ducit, Exod. cap. 11: *Aethiopissa* male ijs vertitur, Numerorum cap. xii, 1. Sic Zerach *Cuschæus*, הכושי Midianitarum Rex male *Aethiops* vocatur, quum *Arabs*: 11. Paralipom. cap. xiiii, 9. sic כוש, id est *Arabia*, subsidia submittens populo Dei, male dicitur *Aethiopia* apud Iesahh. cap. xx, 5: Nam quid auxilij potuisset sperari & exspectari populo Dei ab gente tam remota, & cui sedes sub alio cœlo? Sic denique Sephaniæ cap. 11, 12. *Chusæi*, כושים, *Arabes* interfecti gladio Domini male scribuntur nonnullis *Aethiopes*. Quid quod Nebucad-nezar, ut paret ex Iecekzkel. cap. xxix, 10 xxx, 6; & Iirmeiæ cap. xxv, *Chusæos*, כושים, subegerit: quis autem umquam legit ingressum *Aethiopiam*? quis aliquem ejus auspiciis in remotissimas terras missum? Victoriarum ejus limitem statuunt Prophetæ Syenen, postremam Aegypti oram; legenda quæ scribuntur apud Iechezkelem cap. xxx, 6. & Iirmeiam cap. xxv.

Genus Cuschi tale Genes. x, 7: *Filij autem Cusch: Seba, Cha-ila, & Sabtha & Rahhema, & Sabteca. Filij Rahhema: Scheba & Dedan. Porro Cusch genuit Nimrod.* &c. eiusque liberi.

Seba, סבא (alius ab שבא *Scheba*, qui decimus Ioktanis; alius item ab שבא *Scheba* filio Rahhemæ; de illo dixi, de hoc postea dicturus) nomen dedit סבאים *Sebæis* felicem Arabiam ad Sinum Arabicum colentibus; de quibus Plinius lib. vi. natur. histor. cap. xxviii. Apud Iesahih. cap. xliii, 3, & xlv, 14. *Cusch*, *Seba* סבא & *Mitzraim*, id est, interior *Arabia* (male *Aethiopia* vertitur) *Sebæi* & *Aegyptus* junguntur ob sedium vicinitatem. Mentio apud Davidem Psalmo lxxii, 10. *Chavila*, חוילה (alius ab eo, qui Ioktanis filius) *Chavilæorum* pater; quibus prope Scheba versus Sinum Persicum fuerunt sedes, pertinentes usque ad Ismaelitas, deserti Pharan aliorumque in Arabia Petræa locorum incolas, uti constat ex Geneseos capitis vigesimiquinti versu decimooctauo, & lib. 1. Schemuel. cap. xv, 7. Iosephus, eique suffragantes alij, *Chavilæos* Africæ faciunt populos, qui sequentibus sæculis *Getuli*; nonnulli *Indos*: falsissime, & omnino contra Sacræ Scripturæ auctoritatem. *Sabtha*, סבתה: ab hoc *Sabthai*, Arabiæ felicis incolæ; quo loco Metropolis *Sabbatha* collocatur Ptolemæo. Iosepho Σαβαθηνοὶ (qui Græcis Ἀσταβαρεῖ) nominantur; sed ubi sint, non adscribit: an ad Astaboram fluvium habitantes? Est & *Sabatha* urbs xxx. stadijs ab Seleucia Mediæ distans apud Zosimum; quæ Plinio *Sabata*. Alia item Metropolis Aethiopiæ; cui Ptolemæus lib. iiii. tribuit Longitudin. 68-20; Latitud. 12-20. Hinc confirmatiores facti, qui *Sabthæ* posteros in Aethiopiam ultra Atlantem emoverunt. *Rahhema*, רעמה: ab eo populi Arabiarum incolæ, vicini Schebæis. Conjunguntur enim apud Iechezkel. cap. xxvii, 21. *Carmaniam* hinc dictam putat Montanus. Filij Rahhemæ *Scheba* & *Dedan*. *Scheba*, שבה, *Schebæorum* pater ad Sinum Persicum vergentium: quos nobilitarunt apud Græcos Latinosque partim Aurum, Tus, Gemmæ, quibus abundabant, Iesahih. cap. lx, 60. Iirmeiæ cap. vi, 20, Plin. lib. vi, cap. xviii. natur. historiæ; partim Prædæ & Latrocinia, Hijob cap. 1, 15. Plin. ibidem. שבה, *Schebæ* Regina potens & dives (quæ recte respectu Iudææ βασίλισσα dicitur Νότου, *Austri Regina*, Matthæi cap. xii. 41, & Lucæ cap. xi, 31.) magna pompa venisse scribitur ad audiendam Schelomonis sapientiam. Iosephus male *Aethiopes* ab hoc *Scheba* natos adserit: quem oscitanter alij sequuntur. Nam si Aethiopes *Schebæi*, qui tam procul dissiti potuerunt infestare Hijobum? *Dedan*, דדן. ab eo populus *Idumææ*, uti liquet ex Iechezkele cap. xxv, 15. & Iirmeia cap. xlix, 8. Sunt qui Iosephi delirijs adhærentes parum considerate statuunt parentem esse nescio cujus gentis in

Seba. Chavila; Sabthai; Rahhema, (huius Filij) Scheba & Dedan.)

Aethiopia Occidentali. Quod si verum; non video, quo præmio vel lucro excitati, infinitis Terrarum spacijs superatis, ad Mercatum venerint Tyriorum: Venisse enim eo cum Tapetibus discimus ex Iechezkele XXVII, 15. & 20. *Dedanijs Palmyrenam* regionem, Ptolemæo notam, in qua Alsadanus mons magnus, adsignat Montanus.

Sabteca, *Sabteca* סבתכא quintus filiorum Chusi, cui genti nomen suum impartierit, non docet Sacra Scriptura.

Nimrod. *Nimrod* נמרד postremo loco nominatur inter Chusi liberos. Hunc discimus Genes. x, 10. primum Babilone cœpisse regnare, deinde vero longius Imperij fines protulisse.

II. Mitzraim. II. *Mitzraim*, מצרים Septuaginta *μισραΐμ*. Ab eo *Mitzraim*: qui postea ab Ægypto Danai fratre, ut nonnulli volunt, *AEgyptij*; Chusæis, id est, Arabibus (non, ut male vertunt, Aethiopibus, quemadmodum antea plene dixi) contermini; Iesahih. cap. XVIII. I. non obscuris indicijs innuente, ubi *πλοῖα* Aegypti, quod parte mei Operis IIII. docebo. Hodie nomen perseverat. Aegyptum enim Arabes & Turcæ *Mizri* & *Mizra* dicunt. Latere videtur & Hebraica nomenclatura in *μύαρα*; qua, vitiose fortean, Aegyptus appellatur apud Stephanum.

Cuius progenies. De hujus progenie sic Moschæus Genes. cap. x. 13. *At vero Mitzraim genuit Ludim, & Hhanamim, & Lehabim, & Naphtuchim, & Patrusim, & Casluchim; de quibus egressi sunt Pelischtim & Caphtorim*: omnes non tam generis auctores, quam populi ab ipsis auctoribus orti. Videntur hi reliquam Africæ ab Aegypto oram incolis complesse, & sedes quæsitum profecti longius. Rara enim eorum, imo nulla, mentio; præterquam Pelischtim, & Caphthorim qui conregionales populo DEI terras occuparunt.

Ludim. *Ludæorum*, לודים meminit Iirmeias cap. XLVI. 9, & alibi; ubi non satis proprie Latinus Interpres vertit *Lidos*, qui Asiæ Minoris populi, à לוד quarto Schemi filio. Montanus *Libyos* ab *Ludim* dirivat: & ab *Hhanamim*, ענמים, *Troglodytas*; alij Pentapolitanos circa Cyrenaicum, & Anaitas in Aethiopia: ab *Lehabim*, להבים, idem Montanus *Libyos Cyrenaicos* sive *Libyes Aegyptios*: ab Naphtuchim, נפתוחים, *Africam minorem*, & huic subjacentes *Numidas*; alij *Naphtutas* in Numidia & *Lusitanos*: à *Patrusim*, פתרוסים, *Petrosos* unde *Arabiæ Petrææ* nomen, cujus Metropolis *Patras*; nonnulli *Pelusiacos* ad Nilum: ab *Casluchim*, כסלחים, *Sarracenorum* gentem. Accessissem facile Magno viro, si solidioribus argumentis sua probasset. *Pelischtim*, פלשתים *Philistim* Latino Interpreti, Septuaginta nonnumquam *Ἀλλόφυλοι*, quasi externi generis homines, Latinis Geographis *Palæstini*; oram Cananææ maritimam tenuerunt, quæ vergit in Aegyptum. Eorum frequentissima in Sacris Libris mentio. Fines *Palæstinorum* describuntur in Iehoschuhhæ historia cap. XIII, 3. Origo fuisse videtur illis ab *Capthoraus*, uti colligere est ex Iirmeiæ cap. IIII, 4. & Amosi cap. IX. 7. *Caphtorim*, כפתרים, sedes ubi fuerint, docemur ex Deuteronom. cap. II, 23: *Hhevæos quoque, qui inhabitabant Chatzerrima Hhazzam usque Caphtorai*, כפתרים *qui prodierunt è Capthore* מכפתר *perdiderunt, & inhabitant loca illorum*. Septuaginta, eisque fidens Latinus male *Cappadoces* & *Cappadociam* vertunt; ut & Chaldæus Paraphrastes קפוטקיא & מן קפוטקאה.

(Marginal notes: Lehabim, Naphtuchim. Patrusim, Casluchim. Pelischtim, Caphtorim.)

III. Put. III. *Put*, פוט, pater *Putæorum*, quos Ægyptiorum socios innuit Iechezkel cap. XXVII. 10. ut & Iirmeias XLVI. 9. ubi Septuaginta & Latinus pro פוט *Libyam* & *Libyes* reddiderunt. Alij *Numidas*; alij *Mauritanos* interpretantur, apud quos Ptolemæus l. IIII. & Plinius lib. V. natur. historiæ cap. I, *Phtuth* fluvium nominant. Hunc *Phaethontem* quidam augurantur, quem cognitione motuum cœlestium claruisse, & inusitatos ardores ex Astris prædixisse, canit, tecta Fabularum involucris Veritate, Antiquitas.

IIII. *Cenahham* כנען regioni *Cenahhan* nomen à se dedit; quam postea Filijs Israel, ex Aegypto reducibus, DEVS singulari benificio adtribuit.

IIII. Cenahhan. Cuius posteri. De Posteris ejus Moschæus Genes. cap. x. 15: *Cenahhan autem genuit Tzidonem primogenitum suum, & Chetæum, Iebusæum quoque, & Emoræum, & Girgasihæum, & Chivvæum, & Hharkæum, & Sinæum, & Arvadæum, & Tzemaræum, & Chamathæum.* Sic enim Latine possunt commode verti. Populorum, qui ab his descenderunt, passim in Biblijs mentio.

Tzidon. Cheth. Iebusi. Hemori, Girgaschi. *Tzidon* צידן *Σιδων* Interpretibus LXX, parens *Sidoniorum*; quibus *Sidon*, *Σιδων*, nobilissima Phœniciæ urbs, ad Mare Magnum vel Mediterraneum habitata; *Said.* hodieque, ut Marius Niger & Gulielmus Postellus notant: *Chet*, חת, *Χετταῖος* (qui condidisse scribitur Hebron, ubi Abraham habitavit) *Chetæorum*: *Iebusi*, יבוסי, *Ιεβουσαῖος* (qui Gabea & Ierusalem, antiquis Iebus, tenuit) *Iebusæorum*: *Hemori*, אמרי, *Ἀμορραῖος*, *Hemoræorum*: *Girgaschi*, גרגשי, *Γεργεσαῖος*, *Girgaschenorum*

Chivvi

Chivvi. Hharki. Sini. Arvadi. Tzemari. Chamathi.

Chivvi, חוי, Εὐαῖος, tenuit Sichem, Gazam & Mizphe, Genes. cap. XXXIV, Deuteronom. cap. II. & Iehoschuh. cap. XI. *Hharki*, ערקי, Ἀρουκαῖος, perhibetur auctor *Arces* opidi, quod è regione Tripolis, ad radices Montis Libani. *Sini*, סיני, Chaldæo Paraphrasti evarianti אנתוסאי, Septuaginta Ἀσενναῖος, Incola fuisse videtur Deserti *Sinai*. *Arvadi*, ארודי, Ἀράδιος, *Arado* Insulæ, cujus mentio apud Iechezkel. cap. XXVII, 8. in deploratione excidij Tyri, dedit nomen: alij ferunt in finibus Iudææ & Arabiæ Petrææ urbem condidisse. *Tzemari*, צמרי, Chaldæo צלמוראי, Σαμαραῖος, nomen, quod mihi vero simile, imposuit urbi צמרים; *Tzemaraim* in Tribu Beniamin, cuius mentio cap. Iehoschuhhæ XVIII, 22. & II. Paralipom. cap. XIII, 4. *Chamathi*, חמתי, Ἀμαθὶ Septuaginta, Latinis *Emath* vel *Hemath*, regionem occupavit Ituræ, quæ limes Terræ promissæ, qua vergit Damascum versus, ad Trachonos montes, ut sentiunt & probant ex Numerorum capite XXXIV, 8; Iehoschuh. XIII, 5; lib. I. Paralipom. cap. XVIII, 10. & Iirmeiæ cap. XLIX, 23. Zieglerus & Beroaldus contra Iosephum & D. Hieronymum; qui *Emath* putarunt esse Antiochiam, cognomine Epiphaniam, & pertinuisse ad Tribum Nephthali. Zonaras etiam arbitratur *Emath* auctorem esse urbis *Amathæ*, Macedonibus habitatæ; cujus nomen Ptolemæus Epiphanius in *Epiphaniam* commutavit: hinc autem ortos Macedonas, qui *Emathij*; quorum campos nominat, ut alij addunt, Lucanus lib. I. belli Pharsalici.

Progenitores nostri contractius primo habitantes aucti sensim ulteriora petierunt.

Sic igitur partiti sunt inter se Terram hanc, hominibus, ut dixi, ab DEO datam ad inhabitandum, Noæi filij nepotesque; quum frustra moliti essent Turrim Babylonicam, à Terra Sennaar locisque vicinioribus digressi versus omnes Orbis partes: ulteriora semper, quum sensim augerent, petentes. Nam quidquid uspiam terrarum occupatum in prima illa distributione fuisse, ut nonnulli censent, nequaquam existimandum. Crediderim facile proximis primisque à Divisione annis in omnes Orbis regiones, præsertim Orientalem & Occiduam, ut reliquis temperatiores, fuisse procursum; quamdiu Terra fuit: at primis istis (ut sic loquar, nam & multi sic volunt) momentis ad extrema vel Septemtrionis itum, vel Meridiei; nemo mihi persuaserit, nisi probandis suis validissima in medium protulerit argumenta. Sic sentio: Loca quæ vel immigratu ob interjacentes Marium vastitates erant difficilia, vel habitatu ob nimietatem Frigorum Calorumve molestiora, tardius, & non nisi urgente summa necessitate, fuisse adita & inventis antea habitatisque addita. Quod etiam de illa Orbis parte velim dictum, quam hodie Americam ab Inventore dicimus. Scribunt quidem viri docti Ophirum & Iobabum Ioktanis filios eo profectos; sed scribunt tantum, non probant. Primi, quos enumeravi, Coloni contractius, quam multi diffiniunt, habitarunt: sed copiosiore adaucti prole perpetuo remotiora quæsiverunt loca. Sic tandem enavigatum & ventum (ab Occidentalioribus, quæ notiora nobis, sumamus exemplum) versus Africum, in eam, cui Americæ nomen nuper inditum; versus Zephyrum, in Britannias; Corum Circiumque versus, in Islandiam & alias Arctoi maris Insulas. Et quum progrediundo in Globi huius vel Latitudinem vel Longitudinem, nihil amplius occurreret occupandum; reversum est quasi ad priora loca & Progenitorum sedes. In hoc migrandi remigrandique studio principem facile tenuerunt locum Nationes, quæ Septemtrionem versum concesserant. Hæ namque non semel coactæ leguntur, sortitione facta, numerosiorem partum, suorum partem, extrudere; & ad nova quærendum domicilia, patrijs relictis sedibus, animare. Caussas habebant nunc has, nunc illas; in primis, ut jam innui, fœcunditatem suorum nimiam. Nam Aere fruentes hi populi saluberrimo, & constipato per frigus externum intus calore, generandis liberis aptissimi in maximam sæpe excrescebant multitudinem: cui alendæ, quum proprias terras animadverterent ob horrorem Cœli steriliores non sufficere; suis nulla difficultate aliarum Regionum instillabant amorem: qui facili negocio ubertatem persuasi atque aeris temperiem, avitum solum mutantes, extorres se passim per alias gentes, velut examina, diffundebant. Sic Germani, Marcomanni, Gotthi, Heruli, Rugij, Langbardi, & qui non? Italiam invaserunt; Cimbri, Franci Sugambri ejusque prænominis alij, Nortmanni, Galliam; Tungri, Nervij, Atrebates, Eburones, Veromandui, Condrusi, Verocasses, Cæresi, Pæmanni, Vbij, & alij, Trans-Rhenanas Provincias; Triboci, Mediomatricum agros; Batavi, propinquiora Oceano, versus Rheni ostia; Carpi & Suevi, Pannoniam; Vandali,

Septemtrionalium Gentium remigrationes.

Catti, Alani, Hispaniam. Aliorum in alias Regiones inruptiones prætereo. Nam hæc omnia suis locis plenius. Paucis multa generatim Tertullianus libro de Anima: *Invenimus*, inquit, *apud Commentarios etiam Humanarum Antiquitatum paullatim humanum genus exuberasse, dum Aborigines vel vagi, vel extorres, vel gloriosi quique occupant Terras: ut Scythæ, Parthicas; ut Menidæ, Peloponnesum; ut Athenienses, Asiam; ut Phryges, Italiam; ut Phœnices, Africam: dum solemnes Nationum migrationes, quas μετοικίας appellant, consilio exonerandæ popularitatis, in alios fines examina gentis eructant. Nam & Origines nunc in suis sedibus permanent; & alibi amplius gentilitatem suam fœneraverunt.* Et de Pallio: *Transvolavere redundantium gentium examina; Scythæ exuberant Persas; Phœnices in Africam eructant; Romanos Phryges pariunt; Chaldæum semen in Aegyptum educitur; dehinc, quum inde transducitur, Iudæa gens est.*

Migrationes nullam insignem corporibus varietatem attulerunt. Falsum enim esse.

unoculos.

Homines aversis post crura plantis.

utriusque sexus.

Octonorum in pedibus digitorum.

capitibus caninis.

singulorum crurum, & latorum pedum.

sine Capite. sine Voce.

Plantarum cubitalium.

sine Naribus. sine Ore.

Cauda villosa. Auribus ad pedes usque propendulis. bisulcis Linguis.

Per Migrationes autem, de quibus hactenus, & has modo, modo illas, etiam ad remotissima, profectiones, qui paullatim promigrarunt à Progenitoribus suis evariarunt quidem, pro natura genioque locorum; sed ita, ut semper principes, quibus corpus humanum constituitur, partes retinuerint. Falsa sunt enim, quæ apud Plinium lib. VII. natur. histor. cap. II, & Augustinum lib. de Civitate Dei XVI, cap. VIII. (qui tamen non Scriptorum laudat nomina, sed maritimam Carthaginis plateam; ubi musivo opere multa monstra erant picta) scribunt Herodotus & Aristeas Proconnesius; esse ad Septemtrionem, haud procul ab ipso Aquilonis exortu, *Arimaspos*, uno oculo in fronte media insignes; cum Gryphis adsidue circa Metalla bellantes: quæ Beton, esse supra Anthropophagos Scythas in magna quadam Imai montis convalle regionem, cui nomen Abarimon; in eaque silvestres vivere homines, aversis post crura plantis, eximiæ interim velocitatis; passim cum feris vagantes, non alio spirare cœlo, ideoque ad finitimos reges non pertrahi, neque etiam ad Alexandrum Magnum pertractos: quæ Calliphanes, esse supra Nasamonas, confinesque illis Machlas, *Androgynos* (Latini *Semimares* vocant) utriusque naturæ, eosque inter se vicibus alternis coeuntes & gignere & parere; atque, ut adjicit Aristoteles, dextram mammam ijs esse virilem, lævam muliebrem. Commentitia sunt, quæ apud eosdem tradit Megasthenes, esse in monte, cui nomen Milo, homines aversis plantis, octonos digitos in singulis pedibus habentes: quæ Ctesias, esse in multis montibus genus hominum, capitibus caninis, pro voce latratum edere, unguibus armatum, venatu & aucupio vesci; alios item homines, qui *Monosceli* Græcis dicti, singulis cruribus: miræ pernicitatis, eosdemque *Sciopodas* (*Vmbripedes* quidam vertunt) vocari, quod per majorem æstum in terra resupini jacentes umbra se pedum protegant. non longe eos ab Troglodytis abesse; rursumque ab his Occidentem versus esse quosdam sine cervice, oculos in humeris habentes; & *Choromandas* sine voce stridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis: quæ Eudoxus, in Meridianis Indiæ locis Plantas esse viris cubitales; feminis adeo parvas, ut *Struthopodes* appellentur. Nugæ; quæ scriptis mandant ibidem Megasthenes, cujus jam memini, gentem esse inter Nomadas Indos narium loco foramina tantum habentem, anguium modo loripedem, vocari *Syrictas*; ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gangis *Astomorum* gentem reperiri, sine ore, corpore toto hirtam, vestiri frondium lanugine, halitu tantum viventem & odore, quem naribus trahant, nullum illis cibum, nullum potum, tantum radicum florumque varios odores & silvestrium malorum, quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus, graviore paullum odore haud difficulter exanimari: quæ Duris, nasci in quibusdam Indiæ locis homines cauda villosa, pernicitatis eximiæ; alios auribus ad pedes usque propendulis, quæ tegendis corporibus sufficiant: quæ denique Diodorus lib. III. de fabulosis Antiquorum gestis, homines esse nescio qua Insula bisulcis linguis. ait enim Iambolum quemdam Mercatorem cum Conservo captum ab Æthiopibus maritimis, navim ingredi fuisse jussum, & versus Meridiem navigando pergere, donec ad Insulam quamdam Felicem pervenisset: hunc enim Aethiopibus fuisse morem antiquissimum, ut duos alienigenas expiationis gratia illuc mitterent singulis annis: Iambolum post quatuor menses ad Insulam appulisse, & in ea homines invenisse benignos, corpore agili & robusto; ossibus instar nervorum flexibilibus; linguam ijs datam ab natura in inferiore parte scissam, ut ab radice duplex esse videretur; ita autem varia uti loquela, ut non solum voce hominum loquerentur,

rentur, ſed Avium etiam diverſarum imitarentur cantus; &, quod admirabilius, una cum duobus hominibus perfecte ſimul loqui, reſpondendo & diſputando; unam enim illos dare linguam uni, alteram alteri. Buttubata Nævij; & quæ, mihi ſaltem, nullius dignationis. Quid non auſi quomdam in hiſtoria mendaces Græci? Impunita fuit illis vanitas, & nihil non excogitandi licentia. Non habebant qui veritatem contra putidiſſima illorum mendacia ſcriptis tuerentur; & poſt unam alteramque ætatem ſumma tribuebatur commentis illorum fides. Certe Mercatores noſtrorum temporum nullas non adierunt Terras, nulla non viderunt loca: at hujuſmodi monſtra naſci uſpiam, illorum nuſquam loquuntur Ephemerides. Confecit, credo, cum reliquis Hercules. Sed ſerio. Hominum ſæpe nata fuiſſe Monſtra, hodieque ex vehementi Concipientis imaginatione (nam ex cœleſti, ut Abincenna vult lib. XVIII. de Animalibus, impreſſione; vel fato, quod cenſet Vlpianus in l. quæret aliquis. D. de verb. ſignif. vel caſu, quemadmodum putat Ariſtoteles lib. II. Phyſicorum, edi, parum mihi probatur) naſci in ſingulis quibuſque gentibus, non nego: at in univerſo genere humano quædam gentium eſſe Monſtra, pernego. Omnia hominum genera, quæ perhibentur eſſe, eſſe credere non eſt neceſſe, præſertim quum contrarium adſerant experimenta. Accedit huc, quod, quæ (de nonnullis hoc velim dictum) Veteres putarunt eſſe monſtroſas hominum ſpecies; nos, certiora edocti, didicimus eſſe, cum alia Animalia, tum præcipue varia Simiarum genera; *Cynocephalos*, quos *Canicipites* interpretatur Auguſtinus: *Cercopithecos*, vel Caudatas Simias: *Sphingas*, animalia vulgaribus Simijs non abſimilia, niſi quod majora, geminis à pectore mammis propendulis, muliebri facie, in Æthiopia naſci ſolita, docilia, ut ſcribit Solinus, ad feritatis oblivionem. De ipſa certe Simia meus Ennius in Annalibus:

Simia quam ſimilis turpiſſima beſtia nobis.

Fecit ſimilitudo, ut Antiquitas putarit eſſe homines, ſibique (ô craſſos & non tolerandos errores!) congeneres.

Monſtra naſci, quo modo.

Monſtroſi paſſim homines, monſtroſæ nuſquam gentes.

Evariarunt igitur homines qui huc illuc profecti, ab ſuis progenitoribus; non quidem violente, ut alias formas, quales jam delineavimus, induerint; ſed pro locorum, quibus inſederant, genio; cum in alijs, ut Coloribus, Ingenijs, Ritibus, Morbis & ſimilibus, quæ ſuis locis explicantur; tum in Statura & Linguarum Dialectis, de quibus hic in genere pauca.

Evariatio in hominibus non violenta, ſed moderata, cum in aliis, tum in

Quod ad Staturam: proceriores alijs videmus eſſe, & auguſtioris formæ plerumque Septemtrionaliores. Faciunt hoc ibi, cum abundantia ſanguinis (docente Vitruvio lib. VI. Architect. cap. I.) tum cohibitus intus ab frigore circumſtante Calor (de quo Ariſtoteles lib. II. de Part. Animal. cap. VI.) qui in Regionibus ab Septemtrione remotioribus diſſipatur, meatibus uſquequaque hiantibus. Quo modo tamen & calidas habitantibus regiones corpora nonnumquam in molem adoleſcant: notat ex Ariſtotele alijſque Hieronymus Magius lib. Miſcellaneor. I, cap. V. & alibi forte dicam. Sunt qui vaſtiora multo, paſſim & univerſim, quomdam, quam hodie, perhibent humana fuiſſe corpora. Legerant enim, quæ de Corporibus humanis ſenſim, & ſine ſenſu decreſcentibus ſcripſerant Eſdras lib. IV. cap. V; Homerus Iliad. ε, ubi de Aenea ab Diomede vulnerato, & libro XII. ubi de Ajace & Hectore, eoque reſpiciens Virgilius lib. Aeneid. XII, ubi de Turno; item quæ Lucretius lib. II. de natur. rerum; Plinius libro natur. hiſtor. VII, cap. XVII; Agellius lib. III. Noct. Atticar. cap. III; & Iuvenalis Satyr. XV. Viderant ijdem Arma Veterum ab hujus ævi hominibus vix tractari: gradus Cochlearum antiquarum hodie difficillime ſuperari poſſe; neminemque reperiri, qui Pyramidis Aegyptiacæ; ejus quæ maxima eſt, gradus queat aſcendere. Hominum, qui quomdam ævum agitarunt, longitudinem & robur; Noſtrorum autem hodie brevitatem & impotentiam, ad quam paullatim ventum, facile tamquam Mundi ſeneſcentis, & qui brevi interiturus, argumenta concedo: ſed nimium illum generatim hic ibive in corporibus vel Exceſſum vel Defectum, id eſt, fuiſſe, vel eſſe Giganteas vel Pygmæas gentes, ægrius admitto. Exorbitat (ſic loquar) hic pro incomprehenſibili ſua ſapientia ſummus opifex: ſed raro, & in paucis. Nota ſunt, quæ de Goliath Sacræ litteræ: de Pallantis cadauere Martinus Polonus in Chronicis, & Galeotus Martius de doctrina promiſcua cap. XXXVI. de Muliere quadam Cælius Rhodiginus lib. II. Antiquar. Lect. cap. VI; de Iohanne ejus nominis Octavo, Arkulei Dinaſta, Nicolao Kyethenio

Statura.

Proceriores quondam fuiſſe homines univerſim.

non tamen, ut fuerint Gigantes.

qui quam paſſim rariores.

henio Sparnewoudano, & Zelanda quadam Hadrianus Iunius in Batavia; de Mediolanensi Iulius Cæsar Scaliger; de Pedemontano quodam M. Antonius Delrio ad Oedipum Senecæ: de multis simul Hieronymus Magius libro Miscellan. I. cap. IV. deque aliis alij, vt Pausanias in Atticis, Herodotus lib. I, Philostratus lib. V, Plinius lib. natur. histor. VII. cap. XVI & XX, Solinus cap. V, Polyhistor. & XIV, Glycas parte IV. ad Anastasij imperium, Zonaras Tom. II, August. lib. IX de Civitate Dei, cap. XV. & XXIII, Nicephorus lib. XII. Ecclesiast. histor. cap. XXXVII, Saxo Grammaticus in Præfat. histor. Danicæ, Hector Boëthus Scoticæ Historiæ lib. II. memoriæ prodiderunt. Et ego (vt αὐτόπτης, cui magna solet esse fides, testem etiam faciam) Belgam (Antverpianum se ferebat) in Galliis, anno CIↃ IↃ LXXXIII, vidi novem pedes altitudine excedentem; quem audivi paulo post, quum magna pecuniæ vi conquisita in patriam pararet reditum, ab viarum obsessoribus obtruncatum. Sed rariores vt dixi, sunt huiusmodi formæ, & paucorum hominum: non totarum gentium. Monendum hoc loco succurrit, Ioannem Lucidum lib. I. de Emendat. Temp. cap. IIII. scriptis prodere, Adamum etiam fuisse non solum Gigantem: sed omnium Gigantum, qui fuerint umquam, maximum, ex libro Iehoschuhhæ cap. XIIII, 15: sed docte & neruose refutatur à Benedicto Pererio lib. IV. in Genes. quæst. III, qui addit, non ibi significari Adamum primum omnium hominum parentem, sed alium: illum enim perfecta corporis statura fuisse creatum. Atqui obiiciet quis, Giganteas Gentes nominari Genes. cap. VI, 4. ubi Mosche sic scribit: *Gigantes autem* (Hebr. הנפלים; Chaldæo Paraphrasti, גבריא; Septuaginta γίγαντες) *erant super terram*, & quæ sequuntur: Gigantes enim ibi נפלים dici, ab נפל *cadere*; quod caderet, ut Rab. Abraham interpretatur, cor videntis illos. Nominari ab Latino Græcisque Interpretibus fateor; designari in Hebræo textu & ab Chaldæo Paraphraste diffiteor. נפלים ibi, non qui insolita statura; sed, ut bene notant ad laudatum à me caput Geneseos, Gennadius Archiepiscopus Constantinopolitanus, Theodoretus Cyri Episcopus, Io. Damascenus Monachus, alij; qui feri, audentes, robusti: unde & Chaldaice גבריא: nam גבור fortis, potens, robustus. Adposite Chrysostomus: γίγαντας, ἐξένην πλάσιν, οὐ δὲ ξένην μορφὴν; ἀλλὰ τοὺς ἥρωας, τοὺς πολεμικοὺς, τοὺς ἰσχυρούς. נפלים, qui superbi, qui fortissimi, ut censet Augustinus in Psalmos XXXII & XXCVII, qui inexpugnabiles, rebelles, contumaces, scribentibus D. Hieronymo & ejus discipulo Philippo Presbytero in Hijobum lib. II. cap. XXVI: *Gigantes appellat Scriptura Divina homines superbos, rebelles & contumaces, ut fuit ille Nemroth Gigas, Venator contra Dominum. Diabolus quoque & sui, translato nomine, Gigantes propter superbiam nuncupantur.* Eleganter & Macrobius lib. II. Saturnaliorum cap. XXVI: *Quid aliud fuisse* (Gigantes) *credendum est, quam hominum quamdam impiam gentem, Deos negantem, & ideo existimatam Deos pellere de cælesti sede voluisse: horum pedes in Draconum volumina desinebant; quod significat, nihil rectum, nihil eos superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna vergente:* de Pedum significatione consulendi Petrus Crinitus lib. II. de honesta disciplina, cap. XI. & Georgius Fabricius ad Romanum Martyrem Prudentij; nonnihil & Ego ad I. Annalium Ennij. נפלים denique vel γίγαντες illi; qui, DEI desertores, quidquid rerum divinarum, quidquid cœleste insuperhabentes, Naturæque duci reluctantes, ut Terra nati, quæ Terræ sapiunt & somniant. Confirmat hoc Etymon, cum apud Hebræos; נפלים enim dirivati ab *Deficiendi* vel *Desciscendi* verbo, ut accipitur lib. II. Regum, cap. XXV, II, & Iirmejæ cap. XXXVII, 13: tum apud Græcos; Sic enim Orpheus:

> οὕς καλέουσι Γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν
> οὕνεκα γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος οὐρανίοιο.

Cui consonans Homerus in βατραχομ. dixit γηγενέων ἀνδρῶν ἔργα Γιγάντων. בני ארעא, *Terræ filios*, etiam nominare videtur Chaldæus Paraphrast. ad cap. Proverbior. XXI, 16. Sic enim ibi: *Homo errans de via Intellectus, in concione* רפאים, *Manium* (id est *Mortuorum*. Latinus Interpres, Septuaginta sequutus, *Gigantum*; Chaldæus בני ארעא *cum filijs Terræ*) *requiescet.* Atqui urget quis, Giganteas gentes non tantum nominari, sed & designari Numeror. cap. XIII, 33. Nam ita Exploratores eo loco: *Populus, quem vidimus, procera staturæ est: ibi vidimus monstra quædam filiorum Henak de genere Giganteo* (מן־הנפלים; Chaldæus Paraphrast. ית גיבריא; Septuaginta τοὺς γίγαντας) *quibus comparati, quasi Locustæ videbamur.* Neque hic Giganteæ gentes. Populus, quem viderant Explo-

Aliud quid in Sacra Scriptura sonuunt.

Exploratores, proceræ ſtaturæ erat præ Iſraelitis; qui Ægyptiorum iam indolem ex ducentorum & ſedecim annorum convictu & conſuetudine induerant: quemadmodum ſæpe gens una, ut dixi, procerior altera; adeo ut Romani legantur apud Cæſarem Gallis ob brevitatem fuiſſe deriſui: ſed erat inter Chaananitas, alioquin proceros, familia Enakæa, cui auguſtior ceteris forma propria erat, & quaſi hæreditaria. Nationes igitur Giganteæ, id eſt monſtroſæ magnitudinis, nuſquam: & eſſe hodie in America Auſtrali, quos *Patagonas* ab immanitate Pedum Victores Hiſpani nominarunt, malo ſimpliciter credere nudis quorundam, inter quos Gomaras Hiſtoriæ Indicæ cap. xci. adſeverationibus, quam, an res ſic ſe habeat, periculoſa peregrinatione experiri.

ut nuſquam Gigantes, ſic nec Pygmæi.

Vt autem nuſquam Gigantes, ſic nuſquam Pygmæi, homines monſtroſæ brevitatis (Græci vocant ἀνθρωπάρια μικρὰ, Νάνους, Σκωπαίους & Σπιλπωνας) quibus πυγῶν, id eſt; Cubitus, ſeſquipedem capiens vel digitos xxiv, nomen, ut Euſtathius Homeri Interpres notat, indidit. Iuvenalis poeta, ut homunciones faceret magis ridiculos. Pygmæam cohortem pede uno non eſſe altiorem dixit. Nuſquam, inquam, vel fuerunt, vel ſunt. Auſi tamen eos ſtatuere varij varijs locis. Ariſtoteles, Philoſtratus & Ammianus in Æthiopia Troglodytarum Regionem ijs adſignant; ibique in Terræ cavernis, formicarum inſtar, volunt degere: Strabo etiam Homerum interpretatus ad meridiem Terræ Pygmæos agere ſcribit. Scholiaſtes ejuſdem in Aegypto penita ponit: Plinius, nunc hos nunc illos ſequutus, lib. vii. natur. hiſtor. cap. ii. & lib. iv. cap. xi. collocat in Thracia ad Geraniam; lib. v. cap. xxix. in Aſia ad Eudonem Cariæ fluvium; lib. vi. cap. xxx. in Aethiopia; ejuſdem libri cap. xix. in Praſiorum Montanis, quæ ſunt in India: Mela in Arabia Interiore fuiſſe memoriæ prodit: Paullus Iovius lib. de Moſcovitic. Legat. ultra Iapones ſtatuit; & magis ad Simias, quam Homines (argumentum hoc, quo quis facile perſuaderetur eſſe Pygmæos) accedere docet. Quidam ævi noſtri locum ijs dant ſub Polo Arctico. Albertus Magnus lib. i. Animal. cap. iii. ait eſſe homines ſilveſtres, & nonnihil humanæ naturæ, quo ad primos motus deliberativos, obtinere; ſed cap. xxi. omnem ijs rationis ſcintillam adimit. Peperit primus Pygmæos, & ὀρνιθομαχίαν (cum Gruibus enim pugnare dicuntur) Homerus, cujus Iliados γ ſunt hæc:

quamquam ab varijs hic ibi collocentur.

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν, ὄρνιθες ὥς.
Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρὸ,
Αἵτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ ταίγε πέτονται ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων,
Ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι.

& Latino Sacræ Scripturæ Interpreti nominentur.

Peperit, inquam, primus & finxit Homerus. Pygmæorum quidem meminit Latinus Sacræ Scripturæ Interpres apud Iechezkel. cap. xxvii, 11: *Filij Arvad & virtus tua ſuper muros tuos undique, & Pygmæi in turribus tuis fuerunt.* Sed ipſi Prophetæ dicuntur גמדים: quos Chaldæus Paraphraſtes vertit קפוטקאי, *Cappadoces*; Septuaginta μῆδοι. גמדים Latinis *Gammadei.* Fortean genuina Scriptura fuit גמלים, ut ſint *Gammalei.* Γάμαλα urbs Stephano Γαυλανίτιδος, quæ Egeſippo Syriæ regio: *Gamalam* urbem Iudeæ in poteſtatem ſuam redegit Titus Veſpaſiani Imperatoris filius, ſcribente Suetonio: Plinius etiam *Gamalen*, urbem Phœniciæ, terra abſorptam ſcribit lib. ii. natur. hiſt. cap. xci. Si quis piaculum putet mutare quid in textu Hebraico, per me licet legat apud laudatos auctores Γάμαδα. Latinus autem Interpres גמדים *Pigmæos* vertit, quod גמד *Cubitus brachij & menſura Cubiti*, Iudic. cap. iii, 16; unde גמד *Cubitalis*: Septuaginta μῆδοι interpretantur, quod poſteriores Hebraicæ vocis ſyllabæ ab illa gente non prorſus abludere viderentur: ut hinc ſuſpicio mihi naſcatur, Scripturam vulgarem probam eſſe & germanam. Quam autem ob cauſſam Chaldæus Paraphraſtes *Cappadoces* Gammadæis ſubſtituerit, nondum liquet: niſi forte populi fuerint inter ſe Conregionales; & notiores poſiti pro Confinalibus, quorum nomen, abſorpta Terræ motu Metropoli, erat exſtinctum. Non inficiandum interim quoſdam hic ibi valde breves reperiri. Notus Canopas, homuncio ille duorum pedum & palmi; Iuliæ, Neptis Auguſti, cura & amor, apud Plinium lib. vii, cap. xvi. Notus apud Suetonium in Auguſto cap. xliii. adoleſcentulus Lucius bipedalis, ac vocis immenſæ. Notus Aegyptius ille perdici ſimilis, apud Nicephorum lib. Eccleſiaſt. hiſtor. xii, cap. xxxvii. Celebrat Diophantum quemdam,

Atomos

Atomos etiam ſua brevitate vincentem, Lucilius lib. II. Græcor. Epigrammat. tit. XXXII. εἰς λεπτοὺς:

Ἐξ Ἀτόμων Ἐπίκουρος ὅλον τὸν κόσμον ἔγραψεν,
Εἶναι τοῦτο δοκῶν, Ἄλκιμε, λεπτότατον.
Εἰ δὲ τότ' ἦν Διόφαντος, ἔγραψεν ἂν ἐκ Διοφάντου,
Τοῦ καὶ τῶν Ἀτόμων πουλύ τι λεπτοτέρου.
Ἢ τὰ μὲν ἀλλ' ἔγραψε συνεστάναι ἐξ Ἀτόμων ἄν,
Ἐκ τούτου δ' αὐτὰς, Ἄλκιμε, τὰς Ἀτόμους.

Alios alij commemorant. Ipſe nonnullos utriuſque ſexus vidi inter miniſteria Principum; non ſolum Nanos, ſed & mire graciles, vociſque gravis & ſonoræ. Hi non ſolum naſcuntur, ſed etiam fiunt ab Mangonibus; quorum hac in re artem ſic deſcribit Longinus, in eo, quem περὶ ὕψους edidit: τὰ γλωττόκομα, ἐν οἷς οἱ Πυγμαῖοι Νάνοι τρέφονται, οὐ μόνον κωλύει τῶν ἐγκεκλεισμένων τὰς αὐξήσεις, ἀλλὰ καὶ συνάγει διὰ τὸν περικείμενον τοῖς σώμασι δεσμόν.

Evariatio, quæ in Linguarum Dialectis accidit.

In ſtatura quo modo & quatenus evariatum hodie à Priſcis illis, Progenitoribus noſtris per varias Migrationes, docui: ſequitur, ut de Linguarum Dialectis nonnihil dicam. Inciderat Linguarum confuſio in annum ab Diluvio centeſimum & primum: quam ſequuta ſtatim, DEO, qui volebat totum orbem Colonis ſenſim impleri & latiſſime coli, ſic ordinante, ipſa Terræ Partium Diſtributio. Cauſſam quis quærit tam memorabilis, vel miſeræ potius, commutationis? Aliam nemo dabit homo, quam hominum Inſolentiam tunc temporis, & DEI contemtum. Teſtatur ipſa Veritas. Vnus fuerat, idemque omnibus ſermo ab initio mundi ad annum uſque CIƆ IƆ CC, & qui excurrebant: qua tempeſtate id inter ſe miſelli agitare cœperunt; ut, obſcurata DEI gloria, ſuum æternarent nomen. Quid factum? Soluta fuit & oppreſſa mirando DEI judicio, ejuſque nutu ſimplici (Origenes Angelorum operam huc advocat) furialis illa & luctuoſa conſpiratio, Linguarum confuſione & inſolentium vocum novitate. Sic tunc temporis intellectum, non eſſe modo ſtulta, ſed & impia maledictaque conſilia, quæ obfuſcandæ DEI gloriæ & perfectiſſimæ, ſupremæque divinæ voluntatis rationi enervandæ cocta explicantur. Manebit perpetuum; & amentiſſimam Structorum ſuorum temeritatem immortalitati commendabit miſerum & infelix Babylonis nomen: non in una tantum Syria cognitum, ſed ubique gentium, ubique locorum. Quid relatum laudis tam imprudenter cœptis? Babel, venit Confuſio. Gloriam Operis tanti molitores, DEI ſecuri, ſomniabant & venabantur: ſed juſta DEI, qui videt, audit, judicat omnia, modiſque juſtiſſimis gubernat, vindicta ſummi dedecoris & ignominiæ numquam delendæ facti ſunt hæredes. Quum qui eodem antea ſermone fuerant uſi, jam autem alienas atque adeo inſolitas ederent voces, inexſpectato perculſi miraculo, ſimul agere non poſſent: facto quaſi graviſſimo ſchiſmate, ad ſolennem diſceſſionem neceſſe fuit venire, ſinguloſque ijs ſe conſociare, à quibus intelligi poterant.

Numerus Primigeniarum poſt Hebraicam, Linguarum incertus.

Quot autem natæ tunc Linguæ, quis dicet? Nemo hercle, nemo. Fruſtra Euphorus, fruſtra Scriptores alij, Gentes & Linguas auſi dicere LXX. quo argumento? quod in Geneſi ſcriptum cap. XLVI, Animas ex Iacob LXX. in Ægyptum deſcendiſſe. Quæ Analogia inter hos & Principes Linguas? De Numero (quem minorem, quam Euphorus ceterique edunt, fuiſſe cenſeo) non laboremus: hoc certum, primigenias illas poſt Hebraicam multas Dialectos, Migrationum huc illuc ope, peperiſſe;

Innumeræ Linguarum Dialecti.

quemadmodum in ſingulis arguunt Litterarum numerus, ſeries, poteſtas; ordo ſcribendi; Origines Vocum, Verborum Radices & Themata; Inflectendi formulæ & Analogia; aliaque id genus infinita.

Tres Principes Linguæ: Hebraica.

De Tribus obiter dicam. Nam poſtulant hæc alium locum. *Hebraica*, quæ, ut prima & quaſi parens, ſuo loco manſerat incorrupta, pura, ſyncera, propagines fuerunt, *Chaldaica, Arabica, Samaritana, Aethiopica*, veteres *Medica, Perſica, Armenica, Aegyptia, Punica*: quibus tanta inter ſe adfinitas, ut rara ſit vox in una, quæ non in aliarum aliqua, leni inflexione.

Græca.

Græca lingua non in Hellade ſola legitur quomdam habita; verum etiam, farcta paſſim adventitijs vocibus (ut ſuis locis docebimur) in Epiro, Peloponneſo, Illurico, Macedonia, Thracia, Aſia Minore, Syria, Cilicia, Aegypto, Italia, quæ inde *Magna Græcia*, Gallia (nam nemo non novit Maſſiliæ floruiſſe; & Druidas, Gallorum Sacerdotes, ea in rebus divinis uſos) Helvetia (quod ex Cæſaris paret Ephemeridibus de Bello Gallico) Germania Superiore

periore & Inferiore (quod vocum fere Myrias clamat) Ad contractiores limites vocata principes novit præter quæ *Communis*, *Atticam*, *Ionicam*, *Doricam*, *Aeolicam*; & his adnumerari solitas, *Chalcidicam*, *Bœoticam*, *Cypriam*, *Pamphilicam*, *Siculam*, *Rheginam*, *Cretensem*, *Tarentinam*, *Rhodianam*, *Lacedæmonicam*, *Argivam*, *Laconicam*, *Libycam*, *Macedonicam*, *Syracusanam & Thessalicam*, principibus conformes & in sermone convenientes. Priores enim ex adnumeratis quatuor Atticismum expressisse, non quidem omnino, sed ex parte, satis docent Herodotus, Demosthenes, Libanius Sophista, alijque: reliquas undecim ad Doriensium proxime accessisse Dialectum, in nonnullis tamen differentes fuisse, testatur Corinthus: *Thessalicam* denique ad Ionum simul & Dorum idioma pertinuisse Trypho adfirmat. *Latina* Lingua, quæ nobis nunc in usu, non est vere primigenia, sed ab ea prognata. Varias enim passa est mutationes. Nam veluti sæcula quædam sunt, ut Rerum omnium, sic Sermonis. Prima, quam *Cascam* vel *Priscam* vocare licet, quæque haud absimilis Doricæ fuisse dicitur, vetustissimis Italiæ populis usurpata sub primis, quicumque illi fuerint, Regibus. Ejus reliquiæ quædam, ne ignoremus qualis fuerit, servantur hodieque apud Grammaticos Varronem, Festum, & alios; cum in quibusdam, inconditis sane parumque intellectis, Saliorum Antiquorumque Vatum Carminibus, tum singularijs aliquot Dictionibus: quemadmodum nulli non notant Critici; &, si quid mihi, quomdam etiam insaniam illam insanienti, inter eos loci, ego ad librum I. Annalium Ennij. Expurgatior facta *Latina* nomen adquisivit; ab Latino rege, quod nonnulli volunt. Qualis illa; conspici potest, cum aliunde, tum ex fragmentis Regiarum Legum, & sensim duodecim Tabularum; nec non Inscriptione C. Duilii Cos. quæ hodieque, sed mutila, Romæ visitur; posita anno ab V. C. CCCCXCIV. Et hæc cultior reddita ab Romanis; merito *Romana* nomen nacta: quam, varie tamen Poetæ, Historiographi, Oratores, aliis alij, prioribus posteriores, semper felicius, cum primis Ennius (qui merito ditasse Linguam Latinam, & nova rerum vocabula finxisse ab Horatio canitur) maxime coluerunt. Interpsit postremo loco *Mista*: quam, aucto Imperio & Libertate amissa, condiderunt cum ipsi Cives Romani; tum varij Populi, in Ius Civitatis & usum Romanæ Linguæ (nam illud benificij loco habebatur) admissi. Hi enim sua verba suasque loquendi proprietates admiscuerunt. Latina.

Ab ingenti, quæ varijs in Linguis, Dialectorum, ut alibi dicam fusius, numero, memoriæ, ni fallor, produnt; Timosthenes quidem, Dioscuriadem Colchorum urbem nunc desertam, quomdam adeo claram, ut in eam trecentæ nationes, quæ dissimilibus utebantur Linguis, descendere fuerint solitæ: Plinius vero lib. VI. natur. histor. cap. V, Romanos ibi negocia gessisse per centum triginta Interpretes; Mithradatem autem Ponti Regem, solum Mortalium, XXII. Linguis fuisse loquutum, nec subjectarum gentium ullum hominem per Interpretem appellatum ab eo, annis quinquaginta sex, quibus regnavit. Nam trecentas Linguas Dioscuriadem, quæ Primigeniæ dici poterant, aliquando audivisse; Mithradatem vero XXII. ex Primigenijs loquutum fuisse; credant alij, non ego. Si quis me, dicis gratia, audiat loqui Belgice, Germanice, Gallice, Hispanice, Italice: an vere dici merebor Multilinguis? Callens Hebræam, Græcam, Latinam, sum Trilinguis; quod Primigeniæ; quamvis hodie, præsertim Latina, non parum evariarint: accedente Germanica, etiam cum infinitis suis Dialectis, inter quas Belgica, quatuor vere teneo: si comitentur Gallica, Italica, Hispanica: quinque; quod qui unam, reliquas fere noverit, juvante præcipue Latina: quum denique nec Anglica nec Scotica desint, quod hæc ab illa parum abeat; sex. Essent tamen hic, qui, Suffeni sibi, inita Hebraicæ, Græcæ, Germanicæque Dialectorum ratione, Linguarum supra triginta cognitionem jactarent. Ita nos vana titillat gloria. unde Multarum Linguarum apud nonnullos mentio.

Quemadmodum autem pars Infelicitatis humanæ magna fuit Linguarum Confusio: ita nostris temporibus Donum vere divinum, totum fere Terrarum orbem Tribus, quæ in Cruce Christi consecratæ, Linguis denuo conjungi; atque harum cognitione non ea modo, quæ ad mutua hominum commercia, quæque ad adquirendum Sapientiam humanam pertinent: sed Pietatem & quidquid ad DEUM, ubertim innotescere. Satis enim constat maximum esse per universam Europam Latinæ Græcæque Linguarum usum: Hebraicæ vero, &, quæ adfinis illi, Arabicæ per totam Asiam Africamque. Arabica sane, quod bene notat Gulielmus Trium Linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ latissimus usus. Arabica Lingua.

Postellus omnibus Mahumedicæ superstitionis cultoribus nota est & familiaris: pateтque latius hodie, quam ulla alia. Possidet quidquid est Asiæ, etiam Moluccæas Insulas. Habet Africam totam, ut dixi, præter Nubianam Regionem. In Europa tenet Græciam, Macedoniam, Thraciam, Daciam, Hungariæ partem, Serviam, non exiguam Pannoniæ Superioris portionem. Ejus benificio versari licet sine Interprete cum Mauris, Ægyptiis, Syris, Persis, Turcis, Indis, (quod nuper etiam Nostrates experti) &, ut compendio dicam, cum omnibus Totius Incolis; Europa sane tanto ceteris æstimanda felicior; quod, quum locis aliis Sapientiæ studiosi singulas tantum Linguas addiscant, in ipsa Tres, quas dixi, excolantur: Subit animum meum hoc loco, quod admiratione semper censui dignissimum; quum quidquid olim, exceptis quæ plane perierunt, quidquid hodie Linguarum fixum possideat in hoc globo domicilium, Principes illas, quibus caussa nostri Capitis in Cruce fuit signata, certa sede, quod illa luce clarius, carere. Scilicet exturbatæ quasi sunt sua Possessione, ut deinceps possiderent omnia. Nam Trigam illam ab infinitis Scriptorum ingeniis, adspirante DEO, mirum in modum excultam Christus, accepto in gentes omnes à Patre cœlesti Imperio, suæ Civitati suoque Regno consecravit. Trigæ tam felicis ope, præterquam quod fores, illarum clave, nobis aperiantur omnium Disciplinarum & Artium (nam nulla Lingua labore propter seipsam digna, si nihil aliud quæratur) Religio Christiana quovis terrarum propagatur, Ovesque fideles Linguarum confusione dolenter dispersæ divinis auspiciis ad unum Pastorem, Animæ pro Suis prodigum, inque unum, & id æternum Ovile convehuntur; &, submota ex animis hostilitate, ad sanctam Societatem conciliandam, fovendam, magisque & magis confirmandam animantur: quo tandem unus DEVS, qui creavit omnia per Filium cum Spiritu Sancto, qui ab utroque procedit, una quasi Lingua, unoque ore ametur, colatur, invocetur. In hac enim Triga *Labium* illud *electum* (שפה ברורה) quod Populis daturum se pronunciavit DEVS apud Sophanjah cap. III, 9. ut invocarent omnes Nomen suum, sibique servirent uno humero.

Tres Principes Linguæ, quum nihil videantur possidere, possident omnia.

CAP. XV.

Terra medium obtinet Mundi Locum, estque Centrum Vniversi.

Terra in universi Medio.

EFFICIENTEM Materiam, Formam & Finem creati Terrarum Orbis indicavi: succedit quærendum illi in hac mole Subjectum, locusque monstrandus. Terræ Medium Vniversi tribuendum esse varia docent φαινόμενα, Stellarum Fixarum Ortus & Occasus, Aequinoctia, Dierum augentium & deficientium vices, Eclipses & Vmbræ.

non magis ad Ortum; *non ad Occasum.* *non ad Polorum alterutrum.* *non Medio sublimior.* *non humilior.*

Non est magis ad Ortum. Sic enim surgente Sole orientia nobis, ut Ortui vicinioribus, majora viderentur; Occidente vero, ut remotioribus, minora. Deinde Tempus ab ortu ad Meridiem non esset æquale Tempori, quod ab Meridie ad Occasum: Nam priores sex horæ Diei essent, Sole subito verticem superante, brevissimæ; posteriores, spacio quod ad Occasum percurrendum majore, longissimæ: Sed nihil tale adparet; ergo non Ortum magis. Neque etiam ad Occasum: evenirent enim omnia prædictis contraria. Non etiam magis accedit ad alterutrum Polorum. Nam si ad Arcticum; in omni ortu & Occasu Vmbræ essent Septemtrionales: sin ad Antarcticum, ad Meridiem Vmbræ vergerent, & Oriente & Occidente Sole: Neutrum autem fit; ergo nec in has partes inclinare Terram, dicendum. Non item medio est sublimior: sic enim, Horizonte Aequinoctialem non secante, pars Mundi dimidia supra Terram non adpareret; neque sex Signa, neque Aequinoctialis dimidium: unde & Noctes semper majores haberemus Diebus. Sin medio humilior; ijs, quæ dixi, contingerent contraria; quum majus supra Terram esset hemisphærium. Si igitur sit nec ad latera, nec supra, nec infra: sequitur esse & in Medio, & Centrum Vniversi. Pluribus hæc apud Cleomedem lib. I. de Mundo, & Ptolemæum lib. μεγαλ. συντάξ. I. cap. IV. Probant naturalem hunc Mundi situm & Sacra Scriptura; *Sursum* adsignans cœlo, Terræ *deorsum*. Deuteron. cap. IV, 39: *Et*

Docent & Terræ situm; Sacra Scriptura.

39: *Et scito hodie, & reducito ad cor tuum; quia Dominus ipse* DEUS *in Cælis desuper* (ממעל) *& super Terram deorsum* (מתחת) *& non sit alius.* Proverb. XXV, 3: *In altitudine* (לרום) *Cælorum & in Terræ profunditate* (לעמק) *& cordis Regum non est investigatio:* ubi LXX Interpretes; Οὐρανὸς ὑψηλὸς, γῆ δὲ βαθεῖα; *Cælum excelsum, Terra autem profunda.* Rex etiam Propheta eundem situm volens exprimere, sic canit Psalmo CIII, 11: *Quoniam secundum altitudinem* (כגבה, LXX Interpret. κατὰ τὸ ὕψος) *Cæli super Terram, roborata est misericordia ejus super timentes eum.* Qui enim posset esse maxima inter Cœlum Terramque distantia: nisi Terra in medio Mundi esset posita? Loquuntur & Philosophi aliique Scriptores. Sic Eratosthenes:

Philosophi aliique Scriptores.

> Αὐτός μὲν μιν ἔτετμε μεσηγέα πάντη ὄλυμπον
> Κέντρου ἀπὸ σφαίρας. διὰ δ' ἄξονος ἐρήρειστο.

Parmenides περὶ τοῦ ὅλου:

> Πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ
> Μεσσόθεν ἰσοπαλὲς πάντη. τὸ γὰρ οὔτε τι μεῖζον,
> Οὔτε γε βαιότερον πελάειν χρεών ἐστι τῇ, ἢ τῇ.
> Τοιοῦτόν γε τὸ ὂν μέσσον τε καὶ ἔσχατον ἴσχει.

Cicero lib. II. de Nat. Deorum: *Nec vero hæc solum admirabilia, sed nihil majus, quam quod ita stabilis est Mundus, atque ita cohæret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius: omnes enim partes ejus undique medium locum capessentes nituntur æqualiter; maxime autem corpora inter se juncta permanent, quum quodam quasi vinculo circumdata colligantur: quod facit ea natura, quæ per omnem Mundum omnia Mente & Ratione conficiens funditur, & ad medium rapit & convertit extrema, &c.* Manilius lib. I. Astronomic. de Terra:

> *Imaque de cunctis mediam tenet undique sedem.*

Plinius lib. II. natur. histor. cap. V: *Hujus vi suspensam cum quarto Aquarum Elemento, librari medio spacio Tellurem: ita mutuo complexu diversitatis effici nexum; & levia ponderibus inhiberi, quo minus evolent; contraque gravia, ne ruant, suspendi levibus in sublime tendentibus, &c.*

Sed suffragata Rationibus, quas indicavi, validissimis Sacrarum Litterarum Philosophorumque auctoritas ita tutari Veritatem hac in re nequivit, ut interea quomdam non fuerint, hodieque desint, qui ausu magno vimque Rerum naturæ facientes oppugnatum illam irent. Inter eos Aristarchus Samius: qui Terram Medio Mundi immotam orbique peculiari inclusam intra Martis & Veneris sphæras collocat, suisque & proprijs circumagi motibus, circa Solem in Medio Mundi immotum, Stellarum instar finxit. Ejus Hypotheses ad suas Demonstrationes adsumsit superioribus annis Nicolaus Copernicus.

Sunt qui universi Medio Terram exturbant.

Terra porro in Medio Mundi, infimo Universitatis loco, fixa & immota quiescit. Probant Physicorum Dogmata. Unius Corporis, quod Simplex, unus tantum isque Simplex est Motus: Terra Corpus est Simplex: Ergo Motus unus, qui Simplex, illi convenit. Porro Simplicium Motuum unus Rectus est, alter Circularis: Rectum aut Sursum tendere videmus, aut Deorsum: Terræ autem Partibus, ijsque, quæ ex Terra constant, Rectus competit Motus, quod planum ab experientia, deorsum ad Medium, quo delatæ conquiescunt: Ergo idem competit Terræ Motus: non Circularis. Quod enim de Parte, prædicatur idem de Toto. Sane si Terra moveretur; vel Recto necesse esset eam ferri Motu, vel Circulari: Si Recto, quum sit omnium gravissima, celeritate sua quidquid gravium reliquorum anteuorteret, & Animantia ceterasque res sibi innixas destitueret, inque aere pendentes relinqueret: Si Circulari Motu ageretur diurnaque conversione circa Axem ab Occasu in Ortum, vel sola vel cum primo orbe, volveretur; singulis diebus multa acciderent absurda, & quæ experientiæ contraria. Nam quis non animadvertit, quum Motus hic futurus concitatissimus & Celeritas insuperabilis, qua XXIV. horarum curriculo terrenus orbis totus in gyrum esset contorquendus, subitam illam concitatamque vertiginem collectioni & cohæsioni, quæ Rebus necessaria nascentibus, obfuturam? Quin si sic Terra rapiatur, Animantia, quæ ejus superficiei insistunt, qui manebunt inconcussa? in altum projecta quo pacto, quo decidere videmus, relabentur? μετέωρα denique, ut Nubes; item volitantia in Aere, ut Aves, quando ferri deprehenderemus ad Ortum? Omnia Terræ circumactu

Terram in Mundi Medio immotam probant variæ Rationes.

O 2 prævor-

prævorterentur longoque relinquerentur intervallo: si circa Axem Mundi tanta pernicitate Terra rotaretur. Quibus & quæ solent adserri alia, bene pensitatis, sequitur Terram quiescere; non moveri.

Docent Sacræ Litteræ.

Quietem firmant & Sacræ, quis optima spectatissimaque fides, Litteræ. Divinissimum illud Psalmorum volumen, non uno loco. Psalm. XXIV, 2: *Quia ipse super Maria* (על־ימים; LXX Interpretes, ἐπὶ θαλασσῶν) *fundavit* (יסדה; LXX, ἐθεμελίωσεν) *eam, & super Flumina* (על־נהרות, ἐπὶ ποταμῶν) *firmavit eam* (יכוננה: LXX, ἡτοίμασεν αὐτήν; Chaldæus Paraphrastes, אתסנתה, *confirmavit eam*) Sic LXXV, 4: *Liquefacta est Terra, & omnes Habitatores ejus: Ego direxi* (Chaldæus אתקבת, *firmavi*) *Columnas ejus*. (עמודיה; LXX. τοὺς στύλους αὐτῆς) Psalmo XCIII, 1: *Dominus regnavit, Celsitudinem induit, induit Dominus fortitudinem; accinxit se: etiam firmabitur* (תכון; LXX Interpr. ἐστερέωσε, *firmavit*) *orbis, ne nutet* (Hebr. בל־תמוט; οὐ σαλευθήσεται, *non commovebitur*, LXX Interpr.) Psalmo CIV, 5: *Fundavit* (יסד: LXX, ὁ θεμελιῶν) *Terram super Bases ejus* (על־מכוניה; LXX. ἐπὶ τὴν ἀσφάλειαν αὐτῆς, *super stabilitatem suam ne nutet* בל־תמוט; οὐ κλιθήσεται) *in seculum & in seculum*. Psalmo denique CXXXVI, 6: *Expandenti* (LXX Interp. τῷ στερεώσαντι, *firmanti*) *Terram super Aquas: quoniam in seculum Misericordia eius*. Sic Schelomo Ecclesiast. 1, 4: *Generatio vadens, & generatio veniens; & Terra in seculum stans*: עמדת, LXX, ἕστηκε, *stetit*. Paralipomen. cap. XVI, 30: *Parete à faciebus eius omnis Terra, & firmabitur Orbis, ne nutet*; Hebr. אף־תכון תבל בל־תמוט. Solem autem, quem qui Terræ tribuunt Motum, volunt Quiescere, moveri canit. Propheta Psalmo XIX, 6. *Et ipse tamquam Sponsus egrediens* (יצא; LXX, ἐκπορευόμενος) *de Thalamo suo; gaudebit, ut potens, ad currendum viam* (לרוץ־ארח, δραμεῖν ὁδὸν) *ab extremo Cælorum egressio ejus* (מוצאו: LXX, ἔξοδος αὐτοῦ; Chaldæus Interp. in hanc sententiam: *Et ipse mane sicut Sponsus, qui egreditur velut de Thalamo suo desiderabili, & in dimidio diei lætabitur, ut Gigas, qui pervenit, ut currat viam occasus sui sub vespera.*) Notum etiam, connumerari Miraculis; quod DEVS Solem voluerit consistere. Iehosuah. cap. X; 12: *Tunc loquutus est Iehosuah Domino, in die, qua tradidit Dominus Emorræum coram filiis Israel; & dixit in oculis Israel: Sol in Gibbon exspecta* (דום, *sile*; Chaldæus Paraphrast. אוריך: LXX Interp. στήτω) *& Luna in Valle Aialon*.

Testantur Philosophi, aliique Scriptores.

Nec alius mentis summi Philosophi, magnique Scriptores; Plato in Phædro & Phædone (nam non obstat locus in Timæo: ibi enim loquitur non ex sua, sed Timæi Locri, qui Pythagoricus erat, mente; frustra se ad eruendam conciliationem torquentibus Proclo, Alcinoe, Iamblicho, Diogene Laertio, & Nuperorum non paucis) Aristoteles lib. II. de Cœlo, cap. XIII. & XIV, & ibi Lucilius Philaltheus; Ptolemæus lib. I. Almagest. cap. V. & seq. M. Tullius lib. I. de nat. Deor. Manilius lib. I. Astronomic. Plinius lib. II. nat. hist. Macrob. lib. I. in Somnium Scipionis cap. XXII, Alfragan. Differ. IV, Ioannes Sacrobust. cap. I. Sphæræ; & in eum Capuanus & Clavius. Adscribam polita illa elegantissimi Poetæ Ovidii ex libro VI. Fastorum:

Terra Pilæ similis, nullo fulcimine nixa,
Aere subjecto tam grave pendet onus.
Ipsa volubilitas libratum sustinet Orbem;
Quique premat partes angulus omnis abest.
Quumque sit in media rerum regione locata,
Et tangat nullum plusve minusve latus:
Ni convexa foret, parti vicinior esset,
Nec medium Terræ Mundus haberet onus.
Arte Syracusia suspensus in aere clauso
Stat globus, immensi parva figura Poli:
Et quantum à summis, tantum secessit ab imis
Terra, quod ut fiat, forma rotunda facit.

Terra quare Vesta Veteribus.

Et hinc Terra Veteribus Latinis *Vesta*; quod vi stet & quiescat: Idem poeta:

Vi stat Terra sua, Vi stando Vesta vocatur.

unde Terræ Stabilitas.

Caussa vero Stabilitatis & Firmitatis est Naturalis Terræ gravitas; quæ quum summa sit, suopte pondere petit infimum Mundi locum, hoc est, Centrum; in quo locata naturaliter quiescit. Ab naturali, inquam, gravitate nata Terræ מכונה, Ἀσφάλεια, Stabilitas illa, quæ celebratur Psalmo CIV, 5; hæc autem ab uno DEO. Hic enim;

enim; de quo ſanctiſſimus Vir Hijobus, cap. XXVI, 7. *Extendens Aquilonem ſuper Vacuum; ſuſpendens* (תלה; Chaldæus Paraphraſt. זקף, *ſublevat*, LXX. Interpret. κρεμάζων) *Terram ſuper Nihilum* (Hebr. על־בלימה; LXX, ἐπὶ μηδενός; Chaldæus Paraphraſtice, רסמיך לה על־מיא מדעם, *ſuper Aquas, nullo ſuſtinente eam*) Falleris ô homo, alia pulcerrimæ machinæ moliens fundamenta, alia fulcra: fruſtra ſi quæ DEVS fecit facitque quotidie metiaris ex ijs, quæ poteſt homo. Exclamemus cum Davide Pſalmo laudato: *Quam magnificata ſunt opera tua Domine! omnia in ſapientia feciſti.* Et paullo poſt: *Lætabitur Dominus in Operibus ſuis.* Cum his enim quæ decantantur Orbis miracula, cum his ſuperba Regum Palatia, cum his denique quidquid humanorum Operum & Iuventorum non venit committendum. Parva ſunt omnia præ his, nulliuſque rei. Ea divinis Operibus eſt indoles; ut milleſimum etiam intuito novam ſemper pariant delectationem: quum è diverſo natura ſit humanorum, quam etiam fuerint precioſa, quam egregia, quamque artificioſe fabrefacta, ut ſemel iterumque contemplato plerumque adferant faſtidium. Quis igitur non erumpat in illud regii Prophetæ, Pſalmo XCIII, *Delectaſti me Domine in factura tua: in Operibus manuum tuarum exſultabo?*

Sic autem Terra in Vniverſi quieſcit medio, ut tota Aere circumfundatur. Tibullus cum alibi, tum lib. IV. Eleg. I: Terra circumfunditur ab Aere.

Nam circumfuſo conſiſtit in Aere Tellus.

Claudianus de quarto Conſulatu Honorii:

Et qui perpetuo Terras ambitque vehitque,
Nec premat incumbens oneri, nec ceſſerit Aer.

Vbi quaſi Pendere, abſque Motu, videtur. Plinius lib. II. nat. hiſtor. cap. LXV: *Sed quid hoc refert, alio miraculo exoriente? Pendere ipſam ac non cadere nobiſcum, ceu ſpiritus vis Mundo præſertim incluſi, dubia ſit: aut poſſit cadere, Natura repugnante; & quo cadat, negante. Nam ſicut Ignium ſedes non eſt niſi in Ignibus; Aquarum niſi in Aquis; Spiritus niſi in Spiritu: ita Terræ, arcentibus cunctis, niſi in ſe locus non eſt.* Ovidius non modo VI. Faſtor. ut paullo ante vidimus, ſed & lib. I. Metamorph. in eoque quaſi pendet.

Nec circumfuſo pendebat in Aere Tellus.

Sic Manilius libro I. Aſtronomic.

Nec vero tibi Natura admiranda videri
Pendentis Terræ debet, quum pendeat ipſe
Mundus, & in nullo ponat veſtigia fundo:
Qua caderet, ſubeat Cælum, rurſuſq; reſurgat.
Quod patet ex ipſo motu, curſuque volantis:
Quum ſuſpenſus eat Phœbus, curſumque reflectat
Huc illuc, agiles & ſervet in æthere metas:
Quum Luna & Stellæ volitent per inania Mundi,
Terra quoque æthereas leges imitata pependit.
Eſt igitur Terra mediam ſortita cavernam
Aeris, & toto pariter, ſuſpenſa profundo,
Nec patulas diſtenta plagas, ſed condita in orbem
Vndique ſurgentem pariter, pariterque cadentem.

In Vniverſi igitur medio quieſcit. Moveri tamen adſerunt; in Mundi quidem Centro, Heraclides & Ecphantus Pythagorici, apud Plutarchum lib. III. cap. XIII; Nicetas Syracuſanus apud Ciceronem lib. II. Academicar. Quæſt. Cleanthes Samius apud eundem Plutarch. libello de forma, quæ viſitur in orbe Lunæ: circa Centrum autem, extra Medium, alij: Philolaus circa Ignem, ſub Zodiaco, inſtar Solis & Lunæ; quemadmodum idem docet Plutarchus: Ariſtarchus Samius inter Martis & Veneris Sphæras; qui Solem collocat, ut Centrum, in Totius medio. Et ſententiam de Terræ Motu Patrum noſtrorum memoria conati ſunt defendere Cælius Calcagninus libro de perenni Terræ Motu, & Nicolaus Copernicus de Revolutionibus: quorum argumenta probabilia cenſuit Pontus Thyardeus in eo qui de Vniverſitate: videtur etiam idem voluiſſe Gemma Friſius in Præfatione Tabularum Bergenſium Ioannis Stadij, qui in hanc quoque propendebat opinionem. Fuerunt item multi Veterum, qui Terram in medio σαλεύεσθαι, ac circumjecto humore portari crediderunt, velut grande aliquod & grave navigium. Eius ſententiæ auctor Moveri Terram, nonnulli volunt. quidam fluctuare circumjecto mari.

 putatur

putatur Thales apud Aristotelem lib. II. de Cœlo text. 78. Thaleti favere videtur non vno loco Sacra Scriptura. Psalmo XXIII, 2: *Quia ipse super Maria* (על־ימים, ἐπὶ θαλασσῶν *fundavit eam*, & *super flumina* (על־נהרות, ἐπὶ ποταμῶν) *firmavit eam*. Et Psalmo CXXXVI, 6: *Qui firmavit Terram super Aquas*, על־המים, ἐπὶ τῶν ὑδάτων. Sequuntur hanc sententiam Auctor Libri III. Esdræ, cap. ult. & Iustinus Martyr in responsione ad Quæstionem Orthodoxorum CXXX. Sic Virgilius in Aetna:

Quacumque immensus Terræ se porrigit orbis
Extremique maris curvis agitatur ab undis.

Sic enim Veteres Editiones. Sed ubi in Sacris Litteris Terra *fundata* vel *firmata* dicitur *super Aquas* vel *Flumina*, notandum Cavernas esse Terræ, Meatus, & Poros; per quos Maria in penitissima ejus Viscera ingrediuntur; unde egressa Fontium Fluminumque sunt caussæ: ut Terra quasi Aquis innatare, & super Aquas passim fundata videatur, quemadmodum alibi dixi. Alij alio modo exponunt: videndi Basilius & Chrysostomus apud Euthymium in expositione Psalmi XXIII. Merito igitur Thaletis opinionem, ante Senecam libro VI. nat. quæst. cap. VI, refutat Aristoteles loco, quem nominavi, ubi & nonnullas aliorum Veterum sententias commemorat de caussa Firmitatis & Stabilitatis Terræ, quas prudens prætereo. Nam, ut concludam, Terra in medio Totius, cujus est Centrum, quiescit.

Cap. XVI.

De Terræ Quantitate.

Terra quomodo immensa globositas.

TERRARVM Orbis per se, καθ' αὑτὴν, & cum Sole Lunaque comparatus vastus sane est & immensus; cum Vniverso vero, præsertim autem cum octava sphæra, si committatur, quid aliud, quam Punctum? Quod Terræ sensibilis sit ad Solem Lunamque quantitas, ostendunt evidentissime Sideris utriusque Parallaxes; quæ neutri contingerent, nisi globus hic suam, eamque conspicuam, utriusque comparatione haberet magnitudinem. Ex umbra etiam, quam in oppositam Soli partem Terra semper ejaculatur, colligi, quod dixi, quodammodo posse, plene demonstrant alij.

Ambitus Terræ quantus.

Ambitum Terrestrem Veteribus varie diffinitum, varijs locis apud Aristotelem, Ptolemæum, Cleomedem, Strabonem, Plinium, Macrobium, & alios lego. Eratostheni, quem Strabo sequitur, & Veterum plerique, Auctor item de Sphæra, stadiis 250000; Posidonio, 240000; Hipparcho, 277000; Dionysodoro, 264000; Plinio, 252000; Ptolemæo denique, 180000. Vnde tanta varietas? quod hi majoribus, minoribus illi fuerint usi stadiis. Nam uni gradui terrestris Circuli maximi tribuenda juxta rationem, Eratosthenis quidem, 694 cum quatuor nonis; Posidonij vero, 666 cum duabus tertiis; Hipparchi, 774; Dionysodori, 733 cum tertia parte; Plinii, 700; Ptolemæi denique, 500: sic Diameter seu crassitudo Terrenæ molis Eratostheni stadiorum est 79545; Posidonio, 76363 cum duabus fere tertijs, Hipparcho, fere 88132; Dionysodoro, 84000; Plinio, fere 80182; Ptolemæo, ferme 57273. Sed Eratosthenis Posidonij & Ptolemæi, ut in hac re principum, rationes paullo fusius in sequentibus explicabuntur. Hodie Geographi plerique uni gradui (numerus autem 360) Terrestris Circuli tribuunt milliaria XV. Germanica; Italica vero LXII: sicque Globi totius ambitum statuunt milliar. Germanic. 5400; Italicorum 22320: Diametrum Germanicor. 1718, Italicorum autem 7556 cum quatuor undecimis. Quæ Veterum Recentiorumque de Terrenæ Machinæ magnitudine parum consentientes inter se Opiniones satis confirmant esse verum, cum ipsius summi Numinis verba apud Virum sanctum Hijobum cap. XXXVIII, 18: *Numquid intellexisti usque ad Latitudines Terræ?* עד־רחבי־ארץ; *indica mihi, si nosti totam ipsam.* tum quod Ecclesiasticus exclamat initio sui libri: Ἄμμον θαλασσῶν, καὶ σταγόνας ὑετοῦ, καὶ ἡμέρας αἰῶνος τίς ἐξαριθμήσει? ὕψος οὐρανοῦ καὶ πλάτος γῆς, *Terræ Latitudinem*, καὶ ἄβυσσον, καὶ σοφίαν τίς ἐξιχνιάσει? Innuunt neminem prorsus tam exactam adsequutum cognitionem tantæ rei, ut eam acu tetigisse dici potuerit. Raritas scilicet & difficultas inculcatur ipsissimæ Veritatis, hac de re feliciter eruendæ, mortalibusque communicandæ.

Propor-

Proportionem etiam Quantitatis & Diſtantiæ, quæ Soli, Lunæ, Terræque inter ſe, pulcerrime monſtrat ex Parallaxium atque Apparentium Solis, Lunæque diametrorum obſervatione, Nicolaus Copernicus libro quarto Revolutionum, via & ratione Geometrica. Notat enim Lunæ ſilentis ac plenæ maximam à Terra diſtantiam ſexaginta quinque partium cum ſemiſſe; Dimidiatæ vero ſexaginta & octo, qualium ſemidiameter Terræ eſt una; Solis autem apogei ſimilium partium mille, centum ſeptuaginta novem. Monſtrat deinde Terram Luna quadrageſies ter fere majorem: eademque Solem centies ſexageſies bis; ita ut Sol major exiſtat Luna ſex millies nongenties trigeſies octo. Vtrius autem Terræ an Aquæ moles ſit major, aperit docte Ioannes Bodinus in ſuo Naturæ Theatro.

Proportio Terræ cum Sole & Luna.

Tanta igitur Terra: ſed collata cum Toto imprimis autem cum octavo Orbe, Particulam eſſe & στιγμιαῖαν, inſtarque Puncti, loquuntur illuſtria, quæ Philoſophi paſſim, præſertim Ptolemæus lib. 1. μεγ. συντάξ. cap. v, notant φαινόμενα. Primo, quod ex quavis orbis Terreni parte Magnitudines Diſtantiæque Stellarum iiſdem temporibus æquales ſimileſque ubique cernantur. Deinde, quod Gnomones & Centra Armillarum ſphæricarum, quocumque Terræ loco ponantur, tantumdem, quantum in vero Terræ centro, valeant: conſerventque conſiderationes & circumductiones Vmbrarum adeo regulares & conſentientes Hypotheſi Apparentiarum, ac ſi re ipſa in medio Terræ puncto collocarentur. Tertio quod Horizon ubique dividat totum Cœlum in æquales portiones. Nam quod dari poteſt momentum, quo non ſex Zodiaci ſigna ſupra Horizontem emineant, & noctu cœlo ſereno cernantur? quod, quo non totidem infra lateant; continuo Cœli circumactu alijs quidem ſignis productis, alijs autem è regione ſub occaſum devolutis. Sane ſi Terræ magnitudo alicuius eſſet momenti ad Cœlum, tantum ex Centro educta undiquaque ſuperficies cœlum in æqualia diſpeſceret Hemiſphæria; reliquæ à quacumque ſuperficiei parte extenſæ, idem in ſegmenta dirimerent inæqualia: nec dimidius ſemper appareret Zodiacus; ſed portio dimidio Zodiaci multo minor exſtaret; major Terræ ſoliditate excluſa ac contecta deliteſceret. Quarto quod Vmbræ æquinoctialis Orientis & Occidentis Solis conſtituant unam rectam lineam, perinde ac ſi jacerentur in planum per Centrum Terræ tranſmiſſum. Hæc omnia non fierent, ſi Cœli reſpectu Terræ magnitudo ſenſibilis aut alicuius eſſet quantitatis. Et hinc recte Ptolemæus pro Centro Vniverſi ſemper uſurpat τὴν ὄψιν τ͂ ὁρώντων; nec ſuperficiem Terræ diſcernit ab ejus intimo. Accedit his quod quidam adfirment, unum in Cœlo gradum cuiuſcumque maximi Circuli milliaria complecti Germanica (de Communibus loquor) 570581; qualium quindecim unus terreni alicuius Circuli gradus in Terræ ſuperficie occupat: Vnum vero ſcrupulum gradus Cœleſtis, 9509 explere milliaria.

Terra quomodo Punctum.

Hæc omnia ſi certa & explorata: quis non videt Terram Cœli ratione inſtar cenſendam Puncti? In hoc Puncto, vel in ejus potius medio, nemo non collocatus homo, ut nuſquam non, numquam non opera contempletur Dei; cujus ille εἰκὼν, ut eſt in Sibyllinis, νόον ὀρθὸν ἔχουσα; cujus παράδειγμα ἐν εἰκόνι μικρῇ; μικρόκοσμος ille, in quo uno, quidquid in Vniverſo.

Terræ Puncto inlocatus homo, cui fini.

Terra, inquam, Punctum: cui tamen poſt Devm quid non debemus? Recens in lucem editos, Vitamque incertam, brevem, precarioque datam, & citato curſu properantem victuros ſuſcipit, ſuſceptas educat & nutrit; variaque tentantes geſtat uſque ad Mortem: cui ut Ligna Igni, Ariſta Falci, nemo non homo natus, ſedente ſemper & paſſim in primis quaſi labris anima: at Morte confectos eadem benigno ſinu, ut communis mater, recipit, receptos ſervat in Iudicii diem. Hic quã inquieta quam tumultuoſa nobis univerſim, publice privatimque, vita; cujus initium Cæcitas poſſidet, progreſſum Labor, Dolor exitum, Error omnia. Hoc Punctum Potentiæ noſtræ Campus; Dominationis noſtræ Sedes, noſtræ Materia Gloriæ.

Huic Puncto nihil non debet homo.

Sunt hic, qui Numina nobis terreſtria, & Divi nobiſcum habitantes, Imperatores, Reges, Principes. Hic in noſtrum nonnullos primas tenet Monarchia; ſub ditione quoſdam habet Ariſtocratia; dominatur plurimis Democratia: multos exagitant Tyrannides, Oligarchiæ, & Ochlocratiæ; vexant etiam non paucos Anarchiæ. Hic qui gubernant ſuis, ſed quæ, magna licet, ferenda eſſent, vitijs; qui gubernamur, noſtris quæ majora, quæ pluria, laboramus.

In hoc Puncto guberna-mus & gubernamur.

Hic Iudices jus pervortunt, adfuſo mentibus illorum ab ἀνομίᾳ, προσωποληψίᾳ, δωροφα-

Peccant Iudices, Advocati, Procuratores.

δωροφαγία, veneno. Hic Advocati, Procuratores, alijque forenſes homines canina freti facundia, clamoſi fori vendunt jurgia: ibique Clientes, ut Vulturij quidam & immanes feræ, pro virili deglubunt, exſucto etiam ſanguine, extractiſque medullis; quibus depauperatis poſt crudeles torturas ſero faventes, calore quodam & impetu abrepti, ſeu agendum ſeu ſcribendum, contumelijs laceſſunt Adverſarios, inopiaque preſſi muniendarum Allegationum, ad effrenatam deflectunt conviciandi licentiam: inſano denique foro litibus eorum longe lateque mugiente, primas tenent partes qui linguæ fremitu impudentiſſimi, qui ab alijs allegata noverint novis opinionibus enervare, qui inventas bene leges ambiguis interpretationibus ad ſua figmenta adaptare.

Theologi; Hic quid non ſcitur, quid non diſcitur ad faſtum, ad quæſtum? Theologi ſacro DEI verbo vim facientes, inſana quadam ſapientia miras & deploratas movent quæſtiones, abſurdas pravaſque fabricant opiniones, intricatis verbis alienum ſenſum ſcripturis obducunt; paratiores ventilare, quam examinare; ingenium in non neceſſarijs labyrinthis exercentes, ætatemque jurgijs perpetuis & prodigioſis contentionibus terentes.

Iuriſconſulti; Hic Iuriſconſulti pernicioſiſſima Iuris Naturalis inculcamus Axiomata: Vim vi repellendam eſſe, Frangenti Fidem frangendam; Fallentem fallere non eſſe fraudem; Culpam cum Culpa compenſare fas eſſe; Volenti non fieri Iniuriam; Permiſſum contrahentibus ſe decipere; Tanti rem eſſe, quanti poteſt vendi; Licere ſibi conſulere cum alterius etiam detrimento; & ſimilia. Hic Ius Gentium infelici fœcunditate Bella, Cædes, Servitutes peperit; Civile vero infinita diſſeminavit in omnes homines Litigia, ingenioſa Avaritiæ Præcepta, & mille rapiendi formulas; prætereo Opinionum maria, Conſiliorum Silvas, Cautelarum procellas, quibus Advocatorum inſtrui ſolent & nutriri nequitiæ.

Medici; Hic Medici Artem callentes & colentes non tam beneficam, quam veneficam, difficilem ſcilicet & fallacem, quaque nulla inconſtantior, ſæpe plus male habentibus pericli concinnant, quam ipſi morbi; ſumtuoſis exitieſiſque miſtionibus divinam ſcientiam non niſi caſum & conjecturam facientes; illudque in omnem curant eventum, ut nemo laborans, niſi propria culpa, vel ſaltem naturæ inopia malitiave morbi, periiſſe; nemo, niſi ſuo benificio ſuaque peritia fideque reſtitutus videatur.

Hiſtorici; Hic Hiſtorici quam varia diverſaque de ijſdem tradunt: narrantes quæ argumento ſuo inſtitutoque maxime conducunt, ceteris diſſimulatis, præteritis, extenuatis: verboſa novitate nugas elegantes & monſtroſa mendacia ad recreandum lectorem effutientes; nonnumquam Veritati nonnihil adfabulantes, plerumque vero eidem metu, ſimultate, odio corrupti detrahentes; non quod eſt, ſed quod volunt, quodque jubet adfectus, ſcribentes.

Critici; Hic Critici (ſæpe temerarij Adoleſcentes, ſimileſque Adoleſcentum Senes; raro viri, ſerij, germanique) proprium habentes pervolitare & pervolutare omnia, certatim Libros effundunt magna mole Commentarios, Adverſaria, Adnotationes, Scholia, Obſervationes, Animadverſa, Caſtigationes, Diſquiſitiones, Miſcellanea, Centurias, Syntagmata, Conlectanea, Catalecta, Additiones, Appendices, Veriſimilia, Conjecturas, Præcidanea, Spicilegia, Lectiones Varias, Succiſivas, Novas, Antiquas, & quaſi nihil prætermiſſuri Nov. Antiquas; inficiunt ſæpe induſtria quadam audaci quod ſanum; quod receptum cum novis & commentitijs commutant; quidquid lubet, tamquam priſtinum nitorem reconciliaturi, inducunt: ſaucium, lacerum, mutilum, depoſitum, corruptum, male adfectum nihil non pronunciantes; oſtentando ingenio: plurimum non correctores, ſed corruptores bonorum Auctorum, vulnera facientes, dum mederi ſe credunt: interea paſſim Litterarum apices, Voculas, Tropulos, & ſimilia, tamquam res magni momenti, plerumque ſectantes; Fluctus in ſimpulo excitantes; invecti ubique (ſolennis enim & ἐπιδήμιος huic ordini morbus, præter Pruriginem, Litigium) in viros ignotos, ijs ſæpe multo & meliores & doctiores.

Aſtronomi; Hic Aſtronomi, tamquam è Cœlo nuper delapſi, magna temeritate pro libitu Veteres & Recentiores fabricant nunc hoc nunc illo numero ſphæras & orbes cœleſtes; diſſerunt de Siderum menſuris, motibus, figuris, imaginibus, numeris

& con-

& concentibus; dumque Cœli ſcrutantur plagas, non ſpectant quod ante pedes.

Hic Aſtrologi, bene conſtitutis rebuſpublicis peſtilentes, Principibus infidi, credentibus fallaces, vaniſſimis vaticinijs nunc alijs Coniugium, Subolem, Amicos, Vitam, Salutem, Honores, Magiſtratus, Potentiam, Opes, Victoriam pollicentur; alijs, arte ſcelerata, prædicunt Orbitates, Clades, Exſilia, Dedecora, Mortes: præpoſterum hominum genus, Futura ſe præſcire qui gloriantur, Præteritorum & Præſentium miſeræque ſuæ Sortis ignari. Aſtrologi;

Hic Geometræ de Punctis, Lineis, Superficiebus adhuc diſputant; veramque Circuli Quadraturam adhuc quærunt, Priorum præceptis numquam adquieſcentes in maximam aguntur nova ſemper rimandi inſaniam. Geometræ;

Hic Optici Lucem quærentes in Tenebras deviant; Rebuſque ipſis amiſſis de Vmbris diſceptant: Intervalla docentes longis intervallis quæ maxime diſcenda relinquunt. Optici:

Hic Coſmographi pugnant adhuc de Limitum, Longitudinum, Latitudinum, Diſtantiarum, Climatum veritate; dumque Terram immenſam, Maria magna, Regionum & Inſularum ſitus, Gentium origines rituſque rimantur, aliena avidius perveſtigantes, ſeipſos ignorare diſcunt; & admiratum euntes quæ non ſua, ſe in periculoſiſſimam ſui præcipitant ignorantiam. Coſmographi;

Hic Arithmetici de Rebus futilibus, frigidiſſimis inquam & inſenſatis numeris, magna contentione jurgantur. Arithmetici;

Hic Muſici aliorum animis effeminandis conducuntur pluris, ut deſinant, quam ut canant; Auditorum aures venenata quadam & dulci numerorum varietate, veluti Sirenes, adſonante læta vocum ſonorumque laſcivia, corrumpentes: præſertim ſi comitetur Chorearum licentia: qua permiſſa, fit ut Matronæ quidem ſervatum diu decus amittant; infelices autem Virgunculæ diſcant quod ſatius fuerat ignorare: multi denique per inconditos geſtus monſtroſumque pedum ad molles pulſationes ſtrepitum famam perdant & pudorem. Muſici:

Hic unum hoc agunt Dialectici, ut altercando & perpetuis digladiationibus explicandam veritatem vel obſcuriorem reddant, vel amittant; gloriaque in convicijs & tumultu poſita, non tam victoriam appetant, quam certamen. Dialectici;

Hic Rhetores magna Prooemiorum, Inſinuationum, Figurarum, Colorum, aliorumque id genus Artificiorum, captandæ benivolentiæ & Auditoribus perſuadendis, excogitata mole, quod rei veritate nequeunt, Orationis fuco & damnifica loquacitate conantur efficere: in eo ſæpe toti, ut alios inepte cavillentur, & in innocentes tyrannidem quamdam uſurpent, noxiaque eloquentia totas Reſpublicas evertant: Verum ampullis inſaniſque declamationibus Bonorum tranquillitatem, quantum in ſe eſt, perturbantes, homineſque, quo volunt, dicendo ſeducentes. Rhetores;

Hic Poetæ quid agunt? fabulis ſuis nunc ut adulatores blandiuntur, nunc Satyrici mordent & accuſant: inque omnes dentati, Lucianos mere exprimunt; à carpendis alienis moribus numquam ſibi temperantes; in aliena vitia acutiores, quam in ſua. Poetæ.

Quam autem hic abſurdæ de Magno Numine, de Anima, de Summo Bono conceptæ quomdam à Philoſophis, & utinam hodie non conciperentur, opiniones? Diagoras Mileſius & Theodorus Cyrenaicus nullum prorſus eſſe DEVM, non erubuerunt dicere: Epicurus eſſe quidem, ſed nulla inferorum cura tangi: Protagoras eſſet nec ne, ſciri non poſſe: Antiſthenes multos Deos populares eſſe; ſed unum naturalem, ſummum Totius artificem. Alcmæon Solem, Lunam, reliquaque Sidera Deos dixit. Quod ad Eſſentiam Divinam: Thales Mileſius Νῦν τῦ Κόσμυ opinatus eſt DEVM; à quo quidquid in Vniverſo ex Aqua formatum: Cleanthes & Anaximenes τὸν Α᾿έρα: Archelaus Α᾿έρα καὶ Νῦν; ὐ μλώ τοι κοσμοποιὸν τὸν Νοῦν: Anaxagoras Νῦν κόσμον ποιὸν: Democritus Νῦν ἐν πυρὶ σφαιροειδεῖ: Diogenes & Oenopides τὴν τῦ κόσμυ ψυχὴν: Pythagoras Μονάδα καὶ τ᾿ Α᾿γαθὸν, τῦ Νοὸς φύσιν: Poſidonius Πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες, ὀυκ ἔχον μὲν μορφὴν, μεταβαλλὸν δὲ εἰς ὃ βύλεται: Speuſippus τὸν Νοῦν ὔτε τῷ Ενὶ ὔτε τῷ Α᾿γαθῷ τ᾿ αὐτὸν; ἰδιοφυῆ δὲ: Critolaus & Diodorus Tyrius Νῦν ἀπ᾿ Αἰθέρ⟨ος⟩ ἀπαθῦς: Heraclitus τὸ περιόδικον: Zeno Stoicus Νῦν κόσμον πύρινον: Mneſarchus τὸν Κόσμον, τὴν πρώτην οὐσίαν ἔχοντα ἐπὶ Πνεύματ⟨ος⟩: Abſurdæ hic Opiniones. de Deo.

Boethus

Boethus Αἰθέρα: Parmenides τὸ ἀκίνητον πεπερασμένον σφαιροειδές: Melissus τὸ Ἓν καὶ Πᾶν καὶ μόνον, ἀΐδιον καὶ ἄπειρον; Xenophanes denique quidquid esset DEVM voluit.

Anima. Animam autem, præstantissimam μικροκόσμου portionem, & divinæ particulam auræ, Crates Thebanus Nihil esse, ausus est aliquando dicere. Eorum qui quid esse sunt fassi: Hipparchus, Parmenides & Leucippus censuerunt πυρώδη: Stoici Πνεῦμα νοερὸν, θερμόν: Democritus πυρώδες Σύγκριμα ἐκ τῶν λόγων θεωρητικῶν, σφαιρικὰς μὲν ἐχόντων τὰς Ἰδέας, πυρίνην δὲ τὴν δύναμιν. ὅπερ σῶμα εἶναι: Heraclitus φυτοειδῆ esse: Hippo ἐξ Ὕδατος constare: Xenarchus Peripateticus alijque ejus sectæ τὴν κατὰ τὸ εἶδος τελειότητα καὶ ἐντελέχειαν esse, καθ' ἑαυτὴν οὖσαν ἅμα καὶ μετὰ τοῦ σώματος συντεταγμένην: Epicurus κρᾶμα, mistionem rerum quatuor, Igneæ, Aereæ, Spiritalis, & quartæ nomine carentis; qua Sentiendi vim, τὸ αἰσθητικὸν, indicat: Anaxagoras, Anaximenes, Archelaus, Diogenes Apolloniates, Critias, M. Terentius Varro, Ἀεροειδῆ sunt Animam opinati: Hesiodus, Thales, Anaximander Terreum quid dixerunt: Empedocles & Circias Sanguineum quid voluerunt: Hippocrates Medicus Spiritum tenuem, qui per Corpus diffusus: Asclepiades Carnem cum Sensuum exercitio: Zeno Citticus, Dicæarchus, Alexander Aphrodisæus Animam composuerunt ex quatuor Elementis: Cleanthes, Antipater, Posidonius, Galenus Complexionem dixerunt calidam: Chrysippus & Heraclitus Animam vocarunt Lucem: Critolaus quintam Essentiam dixit: Xenocrates moventem se Numerum: Ægyptii vim quamdam in omnia corpora transmeantem: Chaldæi Virtutem absque determinata forma, omnes exteras suscipientem: Aristoteles nova voce appellavit Ἐντελέχειαν: Zoroastes, Hermes Trismegistus, Orpheus, Pythagoras, Eumenius, Ammonius, Plutarchus, Porphyrius, Timæus & Plato Animam dixerunt divinam quamdam Substantiam, totam & individuam, toti & cuique Corporis parti præsentem; ita productam, ut ex sola Agentis Virtute, non ex Materia dependeat: Eumonius Episcopus Animam ait esse Substantiam incorpoream in Corpore factam: M. Tullius, Seneca, Lactantius quid sit Anima, fatentur se ignorare. Quam autem de Sede ejus controvertitur? Ea Hippocrati in Cerebri Ventriculis: Democrito, Platoni, Aristoteli, alijsque nobilioribus Philosophis in toto Corpore: Erasistrato circa Membranam Epicranidem: Stratoni in Superciliorum interstitio: Epicuro in toto Corpore: Diogeni in arteriato Cordis Ventriculo: Stoicis, Chrysippo, Bedæ ad Marium scribenti in toto corde ac Spiritu circa Cor versante: Empedocli in Sanguine: Galenus cuivis Corporis particulæ suam Animam esse ait. Eamdem, quum omnium fere Nationum Sapientissimi, omnes fere Philosophi, in quibus sana Mens fuit, plerique denique Scriptores Animam dixerunt Immortalem; Zeno, Democritus, Epicurus, Cleanthes, Lucretius, Seneca, Plinius cum Corpore interituram scripserunt: Pythagoras & Plato Immortalem dixerunt; sed egressam corpus ad sui generis naturam avolare: Stoici, mediam inter hos viam ingressi, Animam censuerunt Corpus relicturam; ita tamen, ut quæ nullis prædita Virtutibus infirmior, una cum illo emoriatur; heroica autem & Virtutibus ornata ad sublimiores sedes evolet.

Summo Bono. De Summo denique Bono quam hic à Philosophis varie desceptatum? In Voluptate posuerunt Epicurus, Aristippus, Eudoxus & Philoxenes: in eadem comitante Honestate, Dinomachus & Calipho: in Primigeniis Naturæ Carneades & Hieronymus Rhodius: in Virtutibus earumque Connexione Pythagoras, Socrates, Ariston, Empedocles, Democritus, Zeno Citticus, Cleanthes, Hecaton, Posidonius, Dionysius Babylonius, Antisthenes, Stoici omnes: Indolentiam illud esse censuit Diodorus: Fortunam Theophrastus: eamdem, sed cum Primigeniis Naturæ Virtutibusque conjunctam, Aristoteles: Scientiam Herillus: multique Socratici: Speculationem hic imaginantur Peripatetici: Vnionem Plato ejusque sectatores: Sapientiam Bias Prienæus; Prudentiam Bion & Borysthenes; utramque Thales Milesius: Omnium Rerum Vacationem M. Tullius. Agentem bene ab Summo Bono proxime abesse dixit Pittacus Mityleneus.

Regnum hic possident Vitia. Quam vero fœdis hic domi forisque vivitur & inquinatis moribus? Pauci bene, multi male faciunt: bene; insolenter & laboriose: male; crebro, sine duce, sine magistro.

Ἀστοργία. Hic ἀστοργία regnat, & Vincula inter Parentes & Liberos, inter Coniuges, Cognatos,

gnatos, Adfines diſrupta jacent: Parentes ſe ſuaque Officia Liberis negant; Liberi Amorem, Obedientiam, Gratitudinem Parentibus: inter ſe diſſentiunt, pulſis Amore, Fide, Ἐπιείκεια Conjuges: exſulante φιλαδελφία, rara Fratrum hic Concordia; Odijs certant reliqui.

Hic Benificijs adfecti Ingratitudinis ſe conſtituunt reos. Ingratitudo;

Hic Liberalitati antiſtant ex una Prodigentia; profundens omnia in Luxum, reſ- Prodigentia; que non neceſſarias, Pomparum inanitatem, ſplendorem Veſtium, monſtra Conviviorum, & ſimilia: ex altera parte, malorum omnium radix, Avaritia: ſibi canens, Avaritia; nemini benefaciens, poſſeſſos horrenda inflammans habendi rabie, victuque eoſdem defraudans: Opes cumulans quocumque modo, fuerit etiam cum aliorum diſpendio & jactura. Hic nullus ædificationibus ſtatuitur modus: rupes abſcindun- Inſanum in res non neceſ- tur; complentur valles; aguntur in planum montes; ſaxa perforantur; excavantur ſarias ſtudium. Terræ viſcera; flumina deducuntur; Maribus Maria junguntur; exhauriuntur lacus; paludes exſiccantur; coercentur æquora; profunda petuntur Maris; novæ fiunt Inſulæ, aliæque reſtituuntur Continenti; Labyrinthi, Pyramides, Coloſſi, Obeliſci, aliaque inſana opera, omnia ad ſtultam opum oſtentationem, fabricantur. Hic Metallici majore ſtudio præcipitant ſe in Terræ penetralia, quam ad Cœleſtia feruntur: ad Inferos vivi deſcendentes, magna Nuturæ ruina, in ſedibus Manium quærunt divitias; vim Terræ facientes, ejuſque viſcera extrahentes, ut auro pauci fulgeant, argento ſint ſplendidiores, digitis geſtent gemmas; attritis multorum manibus, ut unus niteat articulus.

Hic multi, quæ DEUS largitus eſt, non contenti, aliena attrectant, fraudibus Rapacitas. Contractus fœdant, Vſurarum vi medullas oſſibus tenuiorum exturbant; rapinis & expilationibus immoderatis alios inquietantes.

Opes hic quantæ quales inexplebilem multorum aviditatem non ſaturant; majo- Habendi cupido; res perpetuo (nam ſemper avari egent) maximis expetunt votis, omnem animi tranquillitatem mille curis dilaniantes. Hic Mercatoribus, qui numquam habendi fructu felices, ſemper quærendi cupiditate miſerrimi, proprium eſt & perpetuum mentiri, peierare, fallere; dignas ſupplicio fraudes ſtruere; contra jus faſque Monopolia exercere; nullam lucrandi rationem turpem inlicitamque æſtimare; Monetam intendere, remittere; mores inquinare: nullum Animæ, Corporis, Fortunæ periculum, modo lucrum adfulgeat, excludere; tandem autem (in bonos nulla mihi Satyra) magno ære alieno conflato, proſtituta fide ſolum vertere, & Creditores fraudare.

Hic (quum Naturæ Communis vinculum ſuaderet modum adhibendum Iracun- Inclementia, diæ; remittendum Offenſiones; Injuriaſque, etiam veras, condonandum) Phalaride crudelius multi ſæviunt, ſæpe etiam in innocentes; juſtas pœnas nimium exaſperant; ingentes Irarum motus concipiunt; pœnitenda ſæpe & pudenda decernunt; Vindictam bonum clamantes, Vitaque ipſa jucundius, nuſquam magis memoria valentes. Hic Venena propinantur in auro, Aconita poculis offeruntur gemmatis, in mutuam perniciem omnes excogitantur machinæ, Majores prædam rapiunt Minores. Hic Ditiorum ambiuntur Amicitiæ, Pauperum cognatio non numeratur.

Hic infracta Veritate, niveo Animi Candore, prudentique Simplicitate potiora Mendacia, ducuntur, hinc prodigioſa Mendacia, Nocendi cupiditas, impudentes Obtrecta- Nocendi Cupiditas, tiones, fœda Convicia, Calumniæ forenſes, audax & ſceleroſa Perfidia; inde ina- Obtrectationes, nis & inſolens Iactatio, inconſtans Vanitas, Adſentatio denique Simulandi Diſſi- Convicia, Calumniæ, mulandique docta. Perfidia,

Hic (quum fideliter, conſtanter, diligenter cuique quod ſuum, proprium, quod- Iattatio, Vanitas, que neceſſarium eſſet curandum) inrumpitur in alieni Muneris functionem; tan- Adſentatio, tum ocij ab re ſua putatur, aliena ut curari queant; πάρεργα & inutilia tractantur bo- πολυπραγμοσύνης; næ rerum bene gerendarum occaſiones negliguntur.

Nitimur in Vetitum hic ſemper, cupimuſque negata: & (quum retinenda paſ- Inconſtantia. ſim omnibus in rebus & actionibus eſſet Conſtantia, Æquabilitas, & Animi Firmitas) Vortumnos induimus; Euripo mutabiliores nunc ad levem Inconſtantiam, nunc ad ſtultam Pertinaciam, αὐθέκαστοι & arefacto rubo præfractiores, mirum Pertinacia: quam prono lapſu, declinamus.

Hic (quum, mutato nonnumquam Vitæ ſtatu, Adverſa patienter & modera- Impatientia: te to-

te toleranda; Dolor, si forte vinci non potis, temperandus; & auxilium in rebus adflictis ab uno DEO, Calamitates nostras, quæcumque sint, vel mitigaturo, vel, si expedit, aversuro, esset exspectandum; castiganti murmurantes, qui non irascuntur? imputantes illi, quod ab alijs derideantur; quod immites & malignæ de se voces in Vulgus spargantur; quod, omnium rerum egeni, pauperie premantur; quod capitalia in se Odia exerceantur: quod mari terraque tam sævis sæpe iactentur periculis; quod terrore metuque toties concutiantur; quod denique varijs supplicijs mactentur.

Gloriæ Cupiditas; Hic præ laudandis quantam moliuntur multi Dedecorum molem? Mira nos habet Auræ popularis fames, Famæque aviditate præcipites ferimur; humillimi quique, ubi alia accesserimus, Superbia & Ambitione sumus immodici.

Otium; Hic alij pallent ex studijs; alij res fugiunt laboriosas, & præter propter vitam vivunt; otioque & desidia torpent, indigentes nasturtio.

Arrogantia; Hic Animis fidunt homines, hic Annis; adgenitamque Infirmitatem non agnoscentes, obcæcati sibi blandiuntur, suaque admirantur; Dotes Animi Corporisque, Sapientiam, Potentiam, Doctrinam, Formam, Fortunam, tamquam perpetuas sibi & proprias, arroganti persuasione magni pendunt; majoresque, quam revera sunt, somniant: alios, quibus (ut quidem oculis judicioque sæpe fallentibus videtur) talia negata, despicientes.

Superbia. Hic quidquid humile, quidquid modestum in Verbis, Gestu, quacumque Actione detestati, cristas plerique tollunt, fastu superbiunt, scurrantur, inepte semper nescio quid grave secum cornicantur, ampullas & sesquipedalia projiciunt verba.

Voracitas: Hic, quum Gulæ numquam satis, Temperantiam plerique ridentes, insana luxuria palatis ad fastidium usque multa Ferculorum genera, multaque Obsoniorum instrumenta & condimenta conquirunt, & in Ebrietatis castris nomina profitentur; diligentem Voracitati, Crapulæ, Heluationi, curandæque Cuti daturi operam, & omni Luxuriæ Corpora mancipaturi.

Impudicitia; Hic Castitatem, cum communem, tum conjugalem, exosi, blandas & perniciosas æstimant magni Pestes; vagas spurcasque sectantur Libidines; Adulteria committunt: Stupris sese contaminant, infra Pecudum conditionem dejecti; ab Incestu non abhorrent, obscænis sermonibus aliorum aures offendunt; quamvis ad summa divinaque nati, in tota tamen vita molles & voluptuarij; &, verbo dicam, nihili, toti luxu diffluentes, omnis amentiæ socij, omniumque scelerum mancipia; in quorum animos, ut in cœnosam cloacam, omnia prorsus confluxerunt flagitia.

& Nulla non. Beatus mihi quis. Hic, ut multa paucis complectar, novissimam jam Mundi videmus ætatem, Virtutum sterilem, Vitiorum fœcundam: ideoque Beatus in hoc puncto, qui hoc agit, ut bene dicat, agat, sapiat; qui vivit, ut post vivat, Seipsum superans, contemnens Solum, Cœlum suspiciens: Beatus, cui, Sorte sua contento, edoctoque Castitatem periclitari in Delicijs, in divitijs Humilitatem, Pietatem in multis Negocijs, in Loquacitate Veritatem, Virtutes omnes in hoc nequam Seculo, cui, inquam, magnus ille DEVS suus DEVS, in quo, cum quo Vno Omnia; cui persuasum, non esse, qua eundum, nisi per Christum; non esse, quo eumdum nisi ad Christum: Beatus denique, cui, Socias Vitæ Virtutes, Gloriam autem Mortis nacto Comitem bono jure cum Synesio datum exclamare:

Τί γὰρ ἀλκὰ, τί δὲ Κάλλος,
Τί δὲ Χρυσὸς, τί δὲ Φάμα,
Βασιλήϊοί τε Τιμαί,
Παρὰ τὰς ΘΕΟΥ μερίμνας;
Ο῾ μὲν ἵππων εὖ διώκοι.
ο῾ δὲ τόξον εὖ τιταίνοι,
Ο῾ δὲ θημῶνα φυλάσσοι
Κτεάνων, χρύσιον ὄλβον.
Ε῾τέρῳ δ᾽ ἄγαλμα χαίτη
Καταειμένη Τενόντων.
Πολύυμνος δ᾽ ἐκεῖνος εἴη
Παρὰ κούροις, παρὰ κούραις,

Α᾽μαρύγμασι

Ἀμαρύγμασι προσώπων·
Ἐμὲ δ᾽ ἀψόφητον εἴη
Βιοτὰν ἄσημον ἕλκειν,
Τὰ μὲν ἐς ἄλλους ἄσημον,
Τὰ δὲ πρὸς ΘΕΟΝ εἰδότα.

Cap. XVII.

De Circulis.

SIc finis esto tandem ijs, quæ Terræ consentiunt, vel absolute, per Caussas: vel quodam modo, per Subjectum & Adjunctum: offerunt se, Methodo flagitante, Dissentanea, quæ duplicem Terræ pandunt Divisionem; priorem, Adjunctorum respectu; posteriorem, Partium. Adjuncta voco, quæ Terræ accidunt ratione vel Superiorum, vel inferiorum: Partes vero, partim Continentem Hemisphærij, intermedio primo Meridiano, tam Eoi, quam Occidui; partim Insulas, & Oceani & Maris Mediterranei. Respectu Superiorum Terra dividitur in Circulos. Terræ Divisio in Circulos.

Hos si quis, ut CL. V. Rudolphus Snellius judicat, *Animam Geographiæ* vocitarit, nihil aberraverit à Vero. Ab his enim, tamquam primis principijs, quidquid est Geographiæ dependet. Sine his Errorem perpetuo trahit comitem aliosque in crassas & fallaces præcipitabit tenebras, quicumque delineare Terram, ejusque Partes, Partiumque Partes aggreditur. Hinc ortæ Refutationes & Disputationes cum aliorum, tum Strabonis, Plinij, Ptolemæi contra Eratosthenem, Megasthenem, Hipparchum, Marinum, Posidonium, aliosque veteres Geographos: quorum quidam in Longitudine, quidam in Latitudine, nonnulli in utraque describenda turpiter sunt hallucinati. Circulorum commendatio & necessitas.

Astronomos autem imitantur in Circulorum notatione Geographi. Quibus enim illi Corpus Cœli finitum quidem, sed infiniti simile, distinguunt Circulis; ijsdem etiam hi Terram. Illi, media inter Mundi Polos regione, Circulum ducunt, quem Sol Æquinoctij die suo motu notat; duobus deinde alijs Zodiaci λοξότητα terminant, eosque Tropicos vocant, quod illic Solis fiant Conversiones: idem faciunt in Terra Geographi; quod, quo tempore Sol in ea incidit loca, nullam faciat Vmbram. Astronomi Meridianis & Finientibus Cœlum redimitum fingunt propter Ortus & Occasus Siderum, item ad Dierum Noctiumque Medietatem diffiniendam: idem multo majore jure potuerunt Geographi. Nam in Cœlo nec Dies, neque Nox; sicque nec Ortus neque Occasus: accidunt autem quæ dixi Terræ, Corpori denso & opaco, quodque lucido oppositum Vmbram projicit. Ad Molem igitur Terræ suas in Partes diducendam, Cœli Circulis fuit opus; quos ab Astronomis sumunt Geographi, suisque Terræ Dimensionibus adplicant. Circulos Geographus imitatur ab Astronomo.

Circulum autem quemque in CCCLX, Partes; Partem porro quamlibet in LX. Scrupula partiri solent: numeris istis delectati, quod multas exactas caperent Divisiones, & ad quamplurimos essent compositi, ideoque cum illis ad primos reduci possent: quod magno sæpe compendio & emolumento numerantibus. Circulorum Partes.

Denique ex Circulis, Circulorumque segmentis, Anticipationes Ortuum & Occasuum, Longiorum Contractiorumque Dierum Æstivorum Hibernorumque dependet: quæ discrimina pro segmentis Circulorum Horis diffiniuntur. Anticipationes Ortuum & Occasuum ex Circulis dependet.

De Circulis quædam dicam separatim, quædam junctim. Separatim inquam. Nam Circulorum alij ad Æquatorem sunt Paralleli, alij in Polis se secantes: Illi *Longitudinis*, μήκους; hi *Latitudinis*, πλάτους appellantur. Nomina hæc placuerunt: quod, ut in sequentibus parebit. plus Terrarum Veteribus cognitum esset inter Occasum & Ortum, quam inter Meridiem & Septemtrionem. Ibi enim Gradus numerabant CLXXVII; hic vero LXXX. Pertinet huc Strabonis locus lib. II: ἐκ τοῦ λόγου τῶν Παραλλήλων τῶν πρὸς τὸν ἰσημερινὸν δῆλον, ὥστε πλέον ἢ διπλάσιόν ἐστι τοῦ Πλάτους τὸ μῆκος, &c. Ex aliorum deinde sententia, confirmandis quæ dixerat, Chlamydi Terram comparat: λέγεται δὲ καὶ χλαμυδοειδὲς, inquit, τὸ σχῆμα· πολλὴ γὰρ συναγωγὴ τοῦ Πλάτους πρὸς τοῖς ἄκροις εὑρίσκεται, καὶ μάλιστα τοῖς Ἑσπερίοις, τὰ καθ᾽ ἕκαστα ἐπιὸν τῶν ἡμῶν. Manent hodie Circulorum Distributio.

Nomina, quamvis æqualitas utrimque Graduum CCCLX. Rotundus enim terrenus hic Globus. Præmissis igitur quibusdam de Circulorum natura specialioribus; mox de ijs junctim agam, & loca dimetiendi rationem aperiam.

Cap. XVIII.

De Circulis Longitudinis.

Longitudo Terræ quanta Ptolemæo.

LONGITVDO Terræ inter Ortum est & Occasum porrecta: quam Ptolemæus lib. I. cap. XII, habitatæ Terræ graduum esse scribit 177-15. Nam ab Insulis Fortunatis (ubi hodieque Longitudinis principium ex Veterum mente, qui ultra has vastum & perpetuum mare imaginabantur; nullas reperiri amplius Insulas, aut sicubi essent, desertas tamen rati) ad Euphratem usque notat 72-0; ab Euphrate autem ad Seram 105-$\frac{1}{2}$: *quanta hodie:* Hodie, prolatis pomœriis, Longitudinis spacium gradus complectitur 180: qui ab infero Hemisphærio & peregrino, ut Manilius vocat, orbe duplicati Terræ circuitum ostendunt graduum esse 360; qui per 15 multiplicati terrenæ molis ambitum edunt Germanicorum Milliar. 5400, ut antea dixi.

Mensuranda in Æquinoctiali, aut circiter. Inchoandam ab Occidente versus Ortum suadet duplex Ratio.

Longitudinem Æquinoctiali aut Circulo ad Æquinoctialem parallelo mensus est Ptolemæus, & sequuti illum alij; initio sumto ab Insulis, quas jam nominavi, quæque hodie Canariæ dicuntur ab una omnes, progressu autem facto versus extrema Indiæ Orientalis. Rationes vero, quod ab Occasu Longitudinem inchoarint Ortum versus variæ: inter quas principis loci duæ: prior, quod Occidentaliores Terræ partes, partim Herculis (fertur enim hoc) expeditione; partim Phœnicum navigationibus habuerint magis exploratas; *I.* Facilis enim erat navigatio per Mare Magnum Gades usque, ab Gadibus autem in vastum Oceanum: posterior, *II.* quod Planetarum hic esset motus εἰς τὰ ἑπόμενα, hoc est, ab Occasu in Ortum & Cardinem oppositum; in primis Solis & Lunæ, quorum Defectus indices sunt Longitudinis. Quum enim Eclipsis una eademque omnibus cernatur populis eodem momento: tamen non omnibus eadem est ab Ortu & Occasu. Lunæ Defectus qui apud Arbela hora noctis V, visus est Karthagine II. Solis autem, qui in Armenia inter horam diei X & XI, in Campania inter VII & VIII conspectus: quod fieri nullo modo potuisset, si locis nominatis eadem fuisset longitudo, & æqualis ab Ortu vel Occasu distantia. Cognita autem Horarum Differentia, quam Subductione non difficile est indagare, Longitudo inter ea Loca, ubi Defectus notati sunt & observari negocio facili, Proportionis Geometricæ regula potest inveniri. Nam quum Æquinoctialis (cui Partes sunt, ut dixi, 360) mensura sit diei, qui ex XXIV constat horis: si 360 dividantur per 24 quotum dabunt 15 partes Æquinoctialis, quibus unam horam metimur. Loca igitur, quorum differentia hora una, distant partibus quindecim; quorum duæ, dissident triginta; quorum denique tres horæ, ut in exemplo de Karthagine & Arbelis, abeunt inter se gradibus quadragintaquinque; & sic de alijs dicendum. Iam si Horis horaria cohæreant Scrupula; quatuor unum constituunt gradum; si plura, si pauciora, Proportio rem expedit. Porro Partes etiam ad Horas, contraria via, itidem Proportione, solent redigi, ut lib. VI. cap. I. Ptolemæus Arbelæ Longitudinem 80-0 esse prodidit, Karthaginis vero, lib. IIII. cap. III, 34-50: differentia est 36-10: dicendum igitur quindecim Partes esse mensuram unius Horæ; ergo 36 $\frac{1}{6}$ esse horas 2 $\frac{37}{90}$, id est 2-24′-40″.

Longitudinem quomodo invenerint, Eratosthenes.

Partes Maioris Circuli diffinivit Eratosthenes 697 $\frac{2}{9}$ stadijs, pro quibus vulgo usurpant 700 Stadia. Quum enim, ut ejus hac de re mentem explicat Cleomedes, Alexandriæ Latitudo deprehenderetur 31--0; Syenes vero 23-50. (urbes hæ potissimum placuerunt; quod quamproxime ejusdem essent Longitudinis: Differentia enim 1 grad. 30. minut.) at Viatores hoc terrestre Intervallum 5000 stadijs fuissent dimensi: conclusit Philosophus: Si 7-12 (hæc enim Latitudinis differentia) sunt 5000 Stadia; ergo totus Ambitus Terræ, hoc est 360 Partes sunt 250000 Stadiorum; singulæ vero 694 $\frac{4}{9}$. Et hæc quidem Eratosthenis ratio (ut, quod res est, fateamur) laudanda plurimum. Primus enim Terræ Ambitum diffinire, & Circuli Partes ad Terrestria spacia adcommodare fuit conatus: non tamen quod sequutus est,

est, consequutus fuit visus Posterioribus. Sed numquam quid inventum & perfectum simul. Artibus sua sunt Initia & Incrementa, Aetas adulta, Senium. Successit enim Posidonius: qui, Terram eadem ratione, sed inter alia mensus loca, maximum Orbis Ambitum 240000 Stadiis diffinivit hoc modo. Canopum (qui, ut libro II. dixi, Veteribus Ἀστὴρ λαμπρότατος πρὸς μεσημβρίαν ἐπὶ τῷ πηδαλίῳ τῆς Ἀργοῦς) & Rhodi & Alexandriæ observavit, quum motu Mundi ad Meridianum devectus esset: Hic Rhodi quidem Horizontem tangens tantummodo, statim vertigine Mundi abripitur; (εὐθέως κατὰ τὴν στροφὴν τοῦ κόσμου καταδύεται) Alexandriæ vero ad Signi quadrantem (τετάρτου ζωδίου) altus conspicitur sub Meridiano Circulo: at Intervallum inter Rhodum & Alexandriam ex communi opinione 5000 habetur Stadiorum: Quum igitur omnes Circuli similes sint, si ex Terræ Centro duas rectas educi fingamus, alteram per Canopum in Rhodo, alteram per eundem in Alexandria; segmentum terrestris Circuli se habebit ad suum Totum, quemadmodum Pars Cœlestis: at segmentum 7½ est $\frac{1}{48}$ Totius, ut constat Divisione Partium 360 per 7½; erit igitur & Intervallum Terrestre 5000 Stadia inter Rhodum & Alexandriam; itidem $\frac{1}{48}$ ambitus terrestris: totusque Ambitus Stadiorum 240000. Ptolemæus denique lib. I. cap. III, quum aliquid in Hipparcho, Eratosthene, Posidonio desideraret, per Astrolabia & σκιοθήρας Polorum Ἐξάρματα & Eclipses diversis locis exactius observavit; observatas contulit, & per Geometricam doctrinam Triangulorum καὶ πλάτη καὶ μήκη, Latitudines & Longitudines, emendavit; tandemque per rectissima quam potuit itinera deprehendit, unam partem 500; universum autem Ambitum 180000 Stadijs diffiniri. Et hæc quidem Æquinoctialis terrestris Mensura est. Longitudines autem non solo Æquinoctiali; sed etiam περιφερείαις ad Æquinoctialem parallelis metiri solemus: ut in ijs locis, quæ ab Æquinoctiali alterum Polorum versus vergunt. Quum autem Terra propter figuram rotundam & globosam, quæ sibi ubique similis, paullatim à medio Polos versus artatur & contrahitur; necesse est, ipsas quoque περιφερείας artari & imminui: quumque omnes in 380 Partes distinguantur, Partes etiam singulæ pro ratione Circulorum solent minui. Geographi igitur Tabulam Geometricis rationibus & demonstrationibus efformarunt huiusmodi: Ptolemæus.

Tabula exhibens quot Germanica Milliaria, nimirum XXXII. *Stadiorum, singulis* 360 *Partibus Circulorum Longitudinis, & ad Aequinoctialem parallelis, respondeant:*

Gradus	Milliar.	Scrupul.	Gradus	Milliar.	Scrupul.	Gradus.	Milliar.	Scrupul.	Gradus	Milliar.	Scrupul.	Gradus	Milliar.	Scrupul.	Gradus	Milliar.	Scrupul.
I	14	59	XVI	14	25	XXXI	12	51	XLVI	10	25	LXI	7	16	LXXVI	3	38
II	14	50	XVII	14	21	XXXII	12	43	XLVII	10	14	LXII	7	3	LXXVII	3	22
III	14	[illegible]	XIIX	14	16	XXXIII	12	35	XLIIX	10	2	LXIII	6	48	LXXIIX	3	7
IV	14	58	XIX	14	11	XXXIV	12	26	XLIX	9	50	LXIV	6	34	LXXIX	2	52
V	14	56	XX	14	6	XXXV	12	17	L	9	38	LXV	6	20	XXC	2	36
VI	14	[illegible]	XXI	14	0	XXXVI	12	8	LI	9	36	LXVI	6	6	XXCI	2	21
VII	14	53	XXII	13	54	XXXVII	11	59	LII	9	14	LXVII	5	52	XXCII	2	5
VIII	14	51	XXIII	13	48	XXXIIX	11	49	LIII	9	2	LXVIII	5	37	XXCIII	1	50
IX	[illegible]	48	XXIV	13	42	XXXIX	11	39	LIV	8	49	LXIX	5	22	XXCIV	1	34
X	14	46	XXV	13	36	XL	11	29	LV	8	36	LXX	5	8	XXCV	1	18
XI	14	43	XXVI	13	29	XLI	11	19	LVI	8	23	LXXI	4	53	XXCVI	1	3
XII	14	42	XXVII	13	22	XLII	11	9	LVII	8	10	LXXII	4	38	XXCVII	0	47
XIII	14	37	XXIIX	13	15	XLIII	10	58	LVIII	7	57	LXXIII	4	23	XXCIIX	0	31
XIV	14	31	XXIX	13	7	XLIV	10	47	LIX	7	43	LXXIV	4	8	XXCIX	0	16
XV	14	29	XXX	12	59	XLV	10	36	LX	7	30	LXXV	3	53	XC.	0	0

CAP. XIX.

De Latitudinis Circulis.

Terræ Latitudo quæ, quanta, quondam.

TERRÆ Longitudinem explicavi: Latitudinem voco, quæ inter Æquinoctialem & Mundi Vertices porrecta: quam Ptolemæus versus Septemtrionem ad LXIII. usque gradum extendit; termino in Thule Insula, quæ fuit ultima cognitarum Veteribus ad Boream Terrarum, constituto; versus Meridiem autem ad gradum usque XVII, præfixo termino in Prasso, Agysimbæ Æthiopum regionis Promontorio; ideoque tota Terræ Latitudo Veteribus visa fuit graduum LXXX, hoc est Milliar. CIϽ CC. Prorogarunt hæc Pomœria centum ab hinc annis quoquovorsum: illuc quidem, ultra Æquinoctialem, ad gradum LV, ubi Fretum Magellanicum, Lusitani & Castellani: huc vero, citra Æquatorem, Franci, Angli, & nuperrime summa cum gloria, evecti ad LXXXI. Altitudinis gradum quodque excurrebat, Batavi.

hodie.

Quia vero gradu Latitudinis Australis LV, pernavigantibus Fretum, quod dixi, ad sinistram sese vasta aperuerit Terra, quæ hodieque incognita; compertumque satis sit Nostratium Navigationibus, ultra gradum Latitudinis Borealis LXXXI. vastum adhuc sese pandere Pelagus; non male cum Recentioribus Terræ Latitudinem finiemus ad utrumque Polum, gradu XC; qui numerus per Quaternarium multiplicatus Factum dabit CCCLX, si Latitudo spectetur, gradus; quibus per XV auctis provenient Germanica 5400: sicque Latitudine Longitudineque æqualibus; certum erit, quod monui sæpe, Terrenam hanc molem esse plane rotundam.

Latitudinis initium ubi.

Quemadmodum autem Longitudinis initium sumitur ab Meridiano per Fortunatas ducto; numeratur tamen in Æquinoctiali & Circulis illi Parallelis: sic Latitudo ab Æquinoctiali numeratur in Meridiano.

Latitudo quid.

Est itaque Latitudo segmentum Meridiani, quod inter Æquatorem & Punctum Verticale; σημεῖον κατὰ κορυφὴν vocant Græci Scriptores. Est autem tanta cujusque loci Latitudo, quanta Poli Altitudo; ut Vnius, notitia sit vtriusque. Vt autem Solis Lunæque Defectus Longitudinis, ita Poli ἔξαρμα Latitudinis est index. Ἔξαρμα Poli varijs modis indagari potest: partim Stellarum observatione, Solisque Æquinoctiali, vel etiam Solstitiali, aut Brumali Meridie; partim ex Vmbris Meridianis. Quæ enim loca umbras habent æquales, æqualiter ab Aequinoctiali distant. Ὃν λόγον εἴρηκε, inquit Strabo lib. I. de Eratosthene, τοῦ ἐν Μασσαλίᾳ γνώμονος πρὸς τὴν σκιάν, τὸν αὐτὸν καὶ Ἵππαρχος κατὰ τὸν ὁμώνυμον καιρὸν εὑρεῖν ἐν τῷ Βυζαντίῳ φησίν. Massilia igitur & Bizantium æque ab Aequinoctiali distant: unde & Ptolemæus Massiliæ & Bizantio latitudinis Partes 43-6 attribuit, huic cap. XI. libri III, illi cap. X. libri II. Quibus porro inæquales sunt Vmbræ, dissident ab Aequinoctiali inæqualiter; majores Vmbræ Altiorem, Minores Humiliorem habent Polum. Strabo in fine libri II: Ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ ὁ γνώμων λόγον ἔχει πρὸς τὴν ἰσημερινὴν σκιάν, ὃν ἔχει τὰ πέντε πρὸς ἑπτά (Vitruvius tamen lib. IX. cap. VIII. 5 ad 3) Καρχηδόνος δὲ νοτιώτεροί εἰσι χιλίοις καὶ τριακοσίοις σταδίοις, καὶ Ἀλεξανδρείας δὲ νοτιώτεροι. εἴπερ ἐν Καρχηδόνι ὁ γνώμων λόγον ἔχει πρὸς τὴν ἰσημερινὴν σκιάν, ὃν ἔχει τὰ ἕνδεκα πρὸς τὰ ἑπτά. Sic in Rhodo rationem habet Vmbilicus (sic enim vocat Plinius lib. VI. cap. ult. & alibi) ad umbram Aequinoctialem; quam habent 7 ad 5: Tarenti; quam 11 ad 9: Romæ; quam 9 ad 8: Anconæ; quam 36 ad 35: Venetijs æquatur Gnomoni: apud Nos paullo major, quam 10 ad 13: ceterisque locis omnibus aliæ alio modo Vmbræ Gnomonum Aequinoctiales inveniuntur disparatæ.

Ejus index. Poli Elevatio quomodo investigetur.

Cap. XX.

De Locorum Dimensionibus.

HÆc de Circulis separatim: flagitat ordo, ut quædam de ijs junctim dicam, & Locorum inde ducam Dimensiones. Loca, de quorum Intervallis est quæstio, vel versus eundem vergunt Polum; vel, Æquinoctiali intermedio, diversos; alter Borealem, Australem versus alter. Quæ eundem habent Polum; vel una Dimensione dissident, vel duplici. Vna quidem, quum sola differunt vel Latitudine, vel Longitudine. *Locorum Intervalla dimetiendi ratio:*

In sola Latitudine discrepantibus, si Locorum, quæ proposita, Latitudo minor à majori fuerit subducta; Reliquus, Latitudinis est Differentia: quum autem Gradibus singulis respondeant Milliaria quindecim Germanica, quatuor vero Minutis Vnum; Gradus Differentiæ per quindecim multiplicati, Minuta vero per quatuor divisa, numerum ostendunt Milliar. Germanicorum, & Distantiam Locorum quæsitam. *si sola Latitudine differant;*

In ijs quæ sola dissident Longitudine; inventa, Subtractionis benificio, Longitudinis Differentia, cum gradibus communis utrique loco Latitudinis ingrediundum ante omnia Tabulam, quæ, ut cap XIIX vidimus, perscripta habet Milliaria Gradibus cœlestibus extra Aequinoctialem in proposita Latitudine respondentia. Deinde Gradus inibi oblatos (quos, docendi gratia, vocemus Inventum Prius) multiplicari necesse est per Differentiam Longitudinis. Si Gradibus communis Latitudinis Minuta, præsertim plura, adhæserint; milliaria sequentis Gradus ab Invento Priore sunt subtrahenda; Reliquum hic appellemus Inventum Posterius. Hinc veniendum ad Proportionum regulam; ubi primum numerum semper esse oportet 60; Medium semper Inventum Posterius, Tertium denique Minuta adhærentia: Productum ex Regula Proportionum à Priore Invento subtrahendum, Reliquum per Differentiam Longitudinis multiplicandum; Factus ostendet Distantiam quæsitam: ubi 60 Secunda unum Minutum, & 60 Minuta Milliare Germanicum unum constituunt. *si Longitudine sola:*

Talis ratio dimetiendi loca, quæ una dissident dimensione, vel Latitudine, vel Longitudine: operosius paullo negocium hoc si duplici differunt, id est utraque. Hic subducenda Minor Latitudo à Maiore; Differentiæ dimidium Minori addendum; Totus ex illis Parallelus erit Longitudinis; cum quo Tabula Longitudinum consulenda; ubi se offerunt Milliaria uni Parti congruentia: Dehinc Numerus hic per se multiplicatus Factum edit Quadratum Longitudinis: Post Differentia Latitudinum multiplicanda per quindecim, & si scrupula adhæserint dividenda per quatuor: illic Factus; hic Quotus dabunt Milliara Latitudinis: Totus illorum erit Quadratum Basis; cuius radix ostendet Distantiam quæsitam. *si utraque?*

Iam si datorum Locorum alter Latitudinem habeat Borealem, alter Australem: inprimis quærenda utriusque Intervalli Differentia; Longitudinis quidem, Minore Longitudine subducta ex Majore; Latitudinis vero, coniuncta utriusque Loci Latitudine. Hic Situs considerandus; utrum Loca sint sita sub æqualibus, & quæ eodem spacio utrimque ab Æquarore dissident Parallelis, an inæqualibus. Si æqualibus: in alterutro numeranda Longitudinis Differentia: sin inæqualibus; dimidium Latitudinis Majoris adpositum Minori Latitudini demonstrabit Parallelum; qui huic instituto aptus & idoneus. Cum eo Parallelo Gradus uni ejus Gradui respondentes depromendi ex Tabula, cujus memini, reliquumque peragundum, ut in præcedentibus monui. *si Locorum alter Borealis, alter Latitudinis sit Australis.*

Exempla singulorum, ne sim adscribendis ijs prolixior, sunt cum apud alios, tum Petrum Appianum, Casparum Peucerum, Victorinum Strigelium.

Cap. XXI.

De Amphiscijs, Heteroscijs, Periscijs.

HÆc de Circulis, & Separatim & Iunctim, tam Latitudinis, quam Longitudinis: quos accidere dixi Terræ, ratione Superiorum, id est, Cœlestium: jam Inferiorum respectu, Terra dividitur in portiones & Majores, & Minores. In illas quidem, caussa vel Vmbræ, in Ἀμφισκίαν, Ἑτεροσκίαν & Περισκίαν; vel Aeris Temperiei, in *Zonas:* in has autem, ob Horas variantes, in *Climata*.

Terra respectu umbræ vel est Ἀμφίσκια.

Ἀμφίσκια Terra dicitur, ubi Gnomones sive Vmbilici Meridianam Vmbram & Meridiem & Septemtrionem Versus projiciunt; illam, quum Sol decurrit Septemtrionale Zodiaci latus; hanc, quum Austrinum: tale Terræ spacium, quod duobus inclusum Tropicis.

vel Ἑτερόσκια.

Ἑτερόσκια vocatur, ubi Gnomones alteram tantum Vmbram meridie projiciunt: Septemtrionalem, ut apud Nos; Austrinum apud eos, qui ultra Brumalem Solis Cursum habitant: tale illud Terræ spacium, quod est à Tropicis usque ad LXVII. Parallelum.

vel Περίσκια.

Περίσκια denique appellatur, ubi Vmbra in Orbem agitur & gyratur; quod accidit illi Terræ portioni, quæ inclusa LXVII. Parallelo: ubi scilicet Arcticus Circulus æqualis, vel major est Tropico, ut cum Strabone loquar: qui videndus lib. II. extremo; ut & Cleomedes lib. I, Macrobius lib. II. in Somnium Scipionis cap. VII; & alii.

Cap. XXII.

De Zonis: primo universim; deinde an & quomodo habitentur Intemperatæ.

Terra ob Aeris Qualitatem vel est Æstuosa.

AB Aeris Temperie Terra distinguitur in quinque Zonas: Latini *Cingulos, Fascias, Plagas, Circulos* (hæc enim unius Rei plura Nomina) nuncupant.

Aeris Qualitas vel est Æstuosa, vel Temperata, vel denique Frigida. Æestuosa quidem Plaga ijs, quibus Sol supra verticem ad perpendiculum ipso Meridie consistit. Zona Torrida καυματώδης vocatur. Torretur enim perpendicularibus Solis radijs; ut Terra duobus Tropicis inclusa, Gradibusque XLVII comprehensa. Intelligit Seneca in Hercule Oetæo, Act. III. Sc. *Pro lux acerba.* Sic enim ibi Hercules:

> *Video nitentem Regiam clari Aetheris,*
> *Phœbique tritam flammea Zonam rota.*

vel Temperata.

Temperata, Ἔυκρατος, ubi nimirum, ut cum Poeta loquar,

> ——————— *mista est cum Frigore Flamma;*

ijs, quorum Verticem Sol ita non accedit, ut eam torreat: nec tantum abest, ut perpetuo gelu rigeat. Talis Terra, quæ à Tropicis est usque ad LXVII usque utrimque Parallelum: quæ tamen tota Plaga non æquabiliter temperata est; sed vel calidior, vel frigidior, ut propius vel longius à Tropico abest. Legendus omnino Macrobius lib. II. in Somnium Scipionis, cap. VII. Dixi autem, utrimque. Est enim Temperata duplex: Aquilonaris, quæ inter Cancri Tropicum & LXVII Parallelum versus Arctos, Austrina vero, quæ à Capricorni Tropico usque ad LXVII Parallelum versus Polum Antarcticum.

Vel denique Frigida.

Frigida denique, quæ, quum Sol ibi plurimum à Vertice remotus, perpetuo riget gelu & æterno premitur rigore: LXVII, vel, ut distinctius alij, LXVI gradu scrupulisque XXXI. Latitudinis & Polis utrimque inclusa. Duplex & hæc: Arctoa, sub Arctico polo; & quæ huic sub Antarctico opposita.

Zonarum quinque Typum in manu circumfert.

Zonarum Discrimen Probus Grammaticus scribit è Manu sumi posse, si lævam contra ora nostra, in Ortum Solis versa, digitis expansis introspexerimus. Vbi enim

enim Pollex est, ibi Zonam ait esse Arcticam, quæ & Septemtrionalis: nimio rigore inhabitabilem: Pollici proximo digito Temperatam nostram, quam Australem nominat, indicari: Medium digitum Aequinoctiali adustæ & inhabitabili respondere: Quartum alteram Temperatam ostendere, quam Hiemalem nominat, quod Sol in eam inclinans nobis Hiemem relinquat: sicut in nostram ascendens Aestatem aperit, Diesque longiores facere solet: Digitum denique Minimum Quintam Zonam referre, Notiam & Australem dictam, ob gelu perpetuum, sicut Septemtrionalis nostra, inhabitabilem.

De Zonis M. Tullius Somnio Scipionis: *Cernis eamdem Terram quasi quibusdam redimitam & circumdatam Circulis: è quibus duos maxime inter se diversos, & Cæli verticibus ipsis ex utraque parte subnixos obriguisse pruina vides; Medium autem illum & Maximum Solis ardore torreri: duo sunt habitabiles: quorum Australis ille, in quo qui insistunt adversa nobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus; hic autem alter subjectus Aquiloni, quem incolitis, cerne quam tenui vos parte contingat,* &c. Sic Virgilius lib. Georgic. I: De Zonis scribentes non discrepant M. Tullius. & Virgilius.

Quinque tenent Cælum Zonæ: quarum una corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni;
Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur,
Cærulea glacie, concretæ atque imbribus atris;
Has inter mediamque duæ Mortalibus ægris
Munere concessæ Divûm.

Cingulos Cicero Terræ, Virgilius Cœlo adsignant; docentes non discrepantia; sed consona eademque. *Natura enim Cæli hanc (* inquit Macrobius lib. II. in Somn. Scip. cap. VII*) in diversis Terræ partibus Temperiem Nimietatemque distinxit: & qualitas vel Frigoris vel Caloris, quæ cuilibet Aetheris parti semel inhæsit, eamdem inficit partem Terræ, quam despicit ambiendo. Et quia has diversitates, quæ certis finibus terminantur, Cingulos in Cælo vocarunt, necesse est totidem Cingulos & hic intelligi* &c. Et sane μεταφορικῶς illa Virgilium scripsisse notat Servius; addens proprie Zonas in Terra dici. Operæprecium & hic audire Tibullum lib. IV. Eleg. I: aliique.

Et quinque in partes totus disponitur Orbis:
Atque duæ gelido vastantur Frigore semper;
Illic & densa Tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore;
Sed durata riget densam in glaciemque nivemque;
Quippe ubi non umquam Titan superegerit ortus:
At Media est Phœbi semper subjecta calori,
Seu propior Terris æstivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces;
Non ergo presso Tellus consurgit aratro;
Nec Frugem Segetes præbent, nec Pabula Terræ;
Non illic colit Arva Deus, Bacchusve, Ceresve;
Nulla nec exustas habitant Animalia Partes:
Fertilis hanc inter posita est interque Rigentes,
Nostraque & huic adversa solo pars altera nostro;
Quas similis utrimque tenens Vicinia Cæli
Temperat; alter & alterius vires necat Aer;
Hic placidus nobis per Tempora labitur Annus.

Et quæ sequuntur alia de commoda Temperatarum habitatione. Sic Ovidius lib. I. Metamorph.

Utque duæ dextra Cælum totidemque sinistra
Parte secant Zonæ; quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura DEI: *totidemque Plagæ tellure premuntur:*
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu;
Nix tegit alta duas; totidem inter utramque locavit,
Temperiemque dedit, mista cum Frigore Flamma.

Eleganter & Marcianus Capella lib. VI: *Orbis Terræ in quinque Zonas, sive melius Fascias dico, pro rerum diversitate discernitur: quarum tres Intemperies multa ob Contrario-*

rum nimietatem relegavit: Nam duæ Axi utrimque confinales algore immenso & frigoribus desertionis caussas, pruinis urgentibus, præbuere: Media vero flammis & anhelis ardoribus torridata propinquantes Animantium inurit accessus. Aliæ autem duæ, vitalis Auræ halitu temperatæ, habitationem Animalibus indulserunt; quæ quidem per totius rotunditatem Telluris incurvæ tam supernum Hemisphærium, quam inferius ambierunt. Legendus &, præter alios, Macrobius lib. II. in Somnium Scipionis, cap. V.

Hæc de Zonis universim. Solet autem in earum historia moveri Quæstio; num, ut Temperatæ, sic etiam Intemperatæ sint Hominum habitationi commodæ. De Torrida prius agam.

Zonam Torridam, quamvis habitari negarint olim plerique.

Habitari negarunt olim Thales, Pythagoras, Aristoteles, Hipparchus, Artemidorus, Posidonius, Eratosthenes, Ovidius, Strabo, Plinius, Pomponius Mela, Macrobius, Marcianus Capella, alijque Latini & Græci Scriptores; ut nonnullorum verba jam indicarunt. Iis ex lib. II. Sententiar. ubi de Paradisi situ, addiderim, qui avorum nostrorum temporibus floruerunt, Scotum, Durandum & alios. Accedunt & specialius de Tropico Capricorni loquentes, Petrus Cameracensis XII. Quæst. Astronomi & Rupertus Linconiensis Compendiosus de Sphæra. Ejusdem classis esto & Albatignius Astronomus, qui suo de Siderum motu opusculo scribit sub Aequatore temperatam quidem esse regionem, neminem tamen ibi habitare. Et hodie nondum adeo victoria est potita Veritas, ut desint, qui Veterum sententiam suis etiam calculis eant comprobatum. Omnia namque hominum commercia Torridam ob immanes Solis, perpendiculares ibi radios proverberantis, ardores & nimios æstus avorsari; inde enim Siccitatem provenire; hinc Aquarum inopiam; Aquarum denique benificio & subsidio destitutos vitam agere non posse.

Avorum nostrorum memoria multi.

hodie etiam negent non pauci; ob varias rationes.

tamen contrarium adseruerunt Philosophi quidam olim.

Sed rem aliter habere se primus, non dicam deprehendit (nam, ut de alijs sileam, Plato in Timæo & alijs locis suam Atlantidem, quam sub Torrida locat, facit, vel, si quis ita malit me loqui, fingit, temperatam admodum & incolis rebusque omnibus ad Vitam bene commodeque agendam necessariis divitem) sed, ni fallor, disertis verbis tamquam indubitatum docuit princeps in hoc Studiorum stadio Ptolemæus; quemadmodum apud eum est legere, de locis quidem Aequatori subjectis lib. I. Cosmograph. cap. V; Tropicis autem, libro de Sphæræ dispositione. Subscribunt Hali Rhodoan Astronomus, Nicolaus alijque ejus Interpretes. Neque sequior hic mens Avicennæ, Alberto Magno de natura Distinct. I. cap. VI. & seq. Thomæ Argentinensi libro Sententiarum II, ubi de Paradiso, Contareno Cardinali libro II. de Elementis, Clavio Comment. in Sacrobosci Sphæram.

hodieque adserunt viri Magni;

ob insignem Temperiem, cujus Caussæ, Communes quidem,

Hodie habitari Zonam Torridam exploratissimum. Variæ Temperiei sunt caussæ: quarum quædam toti Zonæ communes, quædam speciales. Communes mihi sunt: Aquarum ibi Cœlestium copia & Nocturnum Frigus. Has priore loco aperiam, reliquas mox explicaturus.

Aquarum Cœlestium copia.

Quod ad Aquas Cœlestes: ut animadversum sæpe ideoque compertissimum scribitur ab ijs, qui loca Zonæ Torridæ supposita annos aliquot habitarunt, numquam majorem ibi vim Nubium glomerari, numquam ex Nubibus vel resoluris validiores Pluviarum incursus fieri, vel congelatis plus Nivium, ubi tamen solet, cadere, quam quum Sol maxime vicinus & verticalis, habens scilicet efficaciam potentissimam Vaporibus in mediam Aeris regionem subvehendis: ediverso Cœli convexa numquam ibi esse sereniora, numquam minus varia; quam Sole versus alterutrum Tropicorum maxime remoto. Dicis gratia: Peruani, qui Polum respiciunt Antarcticum, Solem habent remotissimum, quum mensibus Maio, Iunio, Iulio & Augusto Tropicum Cancri perambulans, Europæis est proximus; quo tempore Cœli tractus ibi purus, liquidus, liberque, & vix ullis mutationibus obnoxius; suppressis item fontibus, fere est, ut areant fluvii: contra quum ab Octobri usque ad Decembrem revisit Sol ad Capricornum, Aer sensim mutat, fitque paullatim caliginosus & turbidus, hic pluvius, ibi nivalis: simulac denique ab Ianuario usque ad adultum Martium suum iter flectit à Capricorno versus viam mediam, & perpendicularibus lancinat radiis Peruanos, quos dixi; redeunt immanes aliquotque mensium Pluviæ; à quibus aucta Terras ibi inundant, &, ut Ovidio utar,

Exspatiata ruunt per apertos flumina campos;

adeo ut Diluvium pene facies rerum sit ibi multis in locis. Quid enim dicam (ut

novus

novus ille nobis Orbis in exemplum veniat) de *Parana*? Hic (Europæis *Rio de la Plata* dictus, quasi *Argenteus*) tam immanis, ut Confluentes etiam Nilum. Gangen & Euphraten facile sua magnitudine vincat. Qui adcolunt, simulac animadvertunt minacem, alveo quasi relicto, increscere, in suas se conjiciunt scaphas, quas *Cancas* dicunt; mansuri inibi ad tris menses, donec iterum subsidens in locum suum revertitur. Quid de *Magdalena* fluvio? Hic, inter fanum D. Mariæ & Carthagenam in Oceanum se exonerans, optimo jure gaudet *Magni* (dicitur enim nobis *Rio grande*) cognomine. Auctus enim & cum auctu ingressus ad aliquot milliaria mare, Vires servat & Colorem. Quid denique de Amazonum fluvio, qui quibusdam *Marannon*, nonnullis *Orgliana*, fluviorum ibi merito rex? Sub Iudice adhuc lis est; utrum, pluviis aquis tumidus, fluviis sit adsensendus, an vero Maribus connumerandus internis. si quod illi vastum ostium, fretum esset angustius, nullam res haberet controversiam. Hæc de Aquis Cœlestibus: quod ad Nocturnum Frigus; Sole remoto, non tantum Aer ibi, quod passim naturaliter fieri solet, abunde XII. horarum spatio (hoc addo, ne ignoremus maximi hic momenti esse æqualitatem Dierum & Noctium) perfrigeratur: verum etiam, quæ conlectæ sursumque diurnis æstibus evectæ, & ab Sole post occasum destitutæ in Aere restiterunt, Exhalationes maxima copia, nocturno Frigore circumventæ densatæque largissimo eoque frigidissimo rore Terram conspergunt, & imbuunt Pluviarum instar: quumque novus Sol exoriens nec Frigus, quod Aeri impressum, subito discutere atque evincere; nec, qui Terræ Rebusque nascentibus adspersus, Rorem evestigio exhaurire potis sit & consumere; fit, ut totum post mediam noctem & matutinum ante meridiem tempus sufficiat corporibus refrigerandis, alijsque rebus, quantum flagitat necessitas, inrigandis & reficiundis. Quod eo magis fit, quum etiam accedat celerior Solis in Aequatore Motus. Licet enim ejus Radij bis anno sint illic perpendiculares, & in seipsos reflectantur; non tamen tam diu eidem infiguntur loco, ut alius Calor alium inveniat. Solis namq; Circulus ibi est extensus, rectoque fere cursu recedit ab Aequinoctiali; quem rursum Sol non adit, nisi interpositis quatuor minimum signis: magno sic interveniente tempore inter Solis calorem, quem accedendo, quemque facit idem regrediundo.

Nocturnum Frigus, & æqualitas Dierum Noctiumque.

Celerior Solis Motus, & concitatior Cœli vertigo,

Hæc de Caussis Temperiei Communibus. Sed, quum objicere quis posset, quæ dicta sunt sequius habere se, nunc his nunc illis in locis, neque universim esse vera: alias enim alijs plagis esse sub eodem etiam Climate, eodemque tempore, ferventiores; alias Aquis abundare, destitui alias: in alijs Homines esse fusci, in alijs coloris albi; in quibusdam Corpora hominibus esse, ut nobis, boni habitus; in nonnullis plane alius esse naturæ, Capita dura quidem, sed exsucca, flaccida Cerebra, Capillos crispos, Sensus hebetes ac stupidos, minuta, arida, contorta omnia; quod alias docebimur: unde dicemus hanc variationem sub Zona Torrida procedere, si ab Aquarum copia, Nocturno Frigore, alijsque Caussis omnia ibi sint temperata, & per Temperiem læti perfectique Corporum habitus? Specialiores quærendæ sunt Caussæ, quæque non omnibus Torridæ Zonæ incolis generatim conveniunt. Tales meo judicio censeri possunt Oceani vicinitas, & Terrestrium Aquarum copia, Regionis situs & Montium altitudo, Ventorum proprietas, & si quæ aliæ. Oceanus natura frigidus, proculdubio mirum in modum Aestus Zonæ Torridæ nimios temperat; præsertim ubi profundior, quam ut ab Radiis Solaribus incalescat. Docet alioquin hoc Experientia, Mare non solum Terra frigidius esse: verum etiam Loca Mari adposita magis, quam Mediterranea, algere. Idem pronunciavero de Locis, quæ, quamvis procul à Mari, magnis tamen latisque rigantur Fluminibus, quæ Fontibus scatent largissimis, quæ tumidos habent Torrentes, altas Paludes, Lacus denique profundos. Nam, ut semel dicam, Aquarum natura & indoles est, Frigefacere. Iam Temperiem his, quam illis, sub eodem etiam Climate locis majorem conciliat ipse Regionis alicuius cum genius, tum situs. Loca alta & montosa docent quod volo. Summa certe Montium, qui sub Zona (cujus veram naturam scrutor) frequentissimi, cacumina algent; pertingunt enim plurimum ad mediam Aeris regionem: Valles & Intermontia fervent; Nam infixi ijs Solares radij condensantur ob angustiam, & majores adquirunt vires: Media denique sunt temperatiora; quod utrimque participent. Nec minus nunc hæc nunc illa Zonæ hujus loca speciatim juvat & recreat Ventorum Proprietas. DEUS enim, qui sapientissimus

Speciales autem,

Oceani vicinitas,

Internarum Aquarum copia.

Regionis genius & situs.

Ventorum proprietas.

Rerum

Rerum omnium conditor, ſingulari ſua providentia Regioni, quam continuo curſu peragrat Sol, & ſuo æſtu ſenſim vaſtaturus videbatur, præter alia, quibus incommoda huiuſmodi averruncarentur, Ventos adtribuit, temperata Frigora præ ſe quaſi agentes, fervoremque Solis ſua natura mirifice temperantes.

Objectio ſoluta.

His omnibus non obſtat, quod quidam volunt, inter duo calidiſſima nullum eſſe Temperamentum. Nam duo Tropici (hos enim deſignant) numquam ſimul ſint calidiſſimi; quum numquam ſimul eodem tempore Solis habeant præſentiam. Sole enim Capricorni Solſtitium occupante, non dubium, quin temperatior ſit ſub Cancro habitatio: ut contra ſub Capricorno, quum Cancrum perambulat. Receſſus Solis efficit Frigus, ut Calorem Acceſſus.

Temperatiſſima ſub Aequatore habitatio.

ſub Tropicis moleſtior,

præſertim ſub Capricorno.

Porro ſi quæ dicta bene perpendantur, & in ſuas portiones Torrida diducatur, diffiniendum erit ſub Aequatore commodiſſime jucundiſſimeque, & tamquam in terreſtri Paradiſo (quem hic quidam auſi ponere) vitam homines transſigere. Inter Avicennam & Albertum, magnos in Philoſophia Viros, hanc video diverſitatem; quod Habitationem ibi cenſeant, ille quidem omnium temperatiſsimam, ἁπλῶς & ſimpliciter; hic autem eamdem, ſed habito Tropicorum reſpectu. Sub Tropicis autem dicendum moleſtius, quam ſub Aequinoctiali, habitari. Nam loca, quæ ijs ſubſunt, majores habent dies, quam quæ ſub Æquatore: deinde Solis ibi declinatio ſecundum gradus Latitudinis non cito variatur. Aegrius denique paullo ſub Capricorni, quam ſub Cancri Tropico; ob peculiarem ijs in locis Caloris cauſſam. Nam Solis illic oppoſitum eſt Augis, & ideo major ejus ad Terram propinquitas; unde ardentior Aeſtus. Franciſcus tamen Capuanus de Manfredonia huic Solis vicinitati præter Radii perpendicularem incidentiam (utar ejus verbis) non multum ad Caloris productionem tribuit.

Zonam Torridam habitari loquuntur quotidianæ Navigationes.

Sed quid Rationibus, quid Argumentis, quid indicio Cauſſarum opus in re tam manifeſta, quaque nobis hodie Navigationum variarum benificio nihil certius? Loquuntur edita nuper ab Navarchis Hiſpanis, Anglis, Gallis, Noſtratibus, qui ſuis viderunt oculis, ſcripta, Populos innumerabiles in locis, quæ Zonæ Torridæ ſubdita agere, neque incommode, ut hactenus creditum; non ſolum littoreis, verum etiam mediterraneis. Sub Aequatore conjacet Aſiæ (præter Moluccæas, & adlocatas ijs *Borneo* & *Ceiram*) Inſularum nobiliſſima Taprobana (*Sumatra* dicitur Indigenis) quam Pomponius Mela lib. III. ex Hipparchi teſtimonio primam ait partem alterius orbis, Auſtrini ſcilicet; Plinius lib. VI. nat. hiſtor. cap. XXII. frequentiſſimæ tradit habitationis; Noſtrates Incolis notant refertiſſimam. Sub eodem in Africæ littoribus (nam mediterranea parum innotuerunt) Orientalioribus quidem *Melinde* cum alijs; Occidentalioribus autem eſt celebratiſſimum illud magni Viri ſcriptis regnum *Manicongo*, & objecta fluvio S. Dominici Inſula Divo Thomæ ſacrata. Sub eodem denique in America, hinc quidem ampliſſimus *Caribanorum* tractus; inde vero auriferæ *Peruanorum* Terræ. Et quæ non loca ſub Tropicis? De ijs quæ ſub Cancri, nimis omnia nota. Teſtantur mille Ephemerides. Quum vero ſub Capricorno moleſtior, quam alibi, ſit habitatio; degunt tamen ibi in America *Tonoupinambaultij*, *Toupinikini*, & alij; ſubjacet illi Inſula D. Laurentij, *Madagaſcer*; alia prætereo.

Obſtacula, quæ, quo minus eo veniri poteſſet ex Veterum ſententia, impediebat, remota; ut Montes, Aeſtus nimius, Oceanus.

Nuſquam autem, quod hic addendum, Montes ab ijs, qui noſtris temporibus peragrarunt, qui navigarunt omnia, reperti; quibus, in media Torrida collocatis, incredibilem ineſſe vim Magnetis, magna temeritate ſunt fabulati Veteres, trahentis ad ſe avidiſſime carnem humanam: ideoque Temperatam alteram nobis omnino eſſe inacceſſam. Nihil occurrit tale per totam Torridam navigantibus. Nuſquam etiam hodie Aeſtus obeſt; & ne perpendicularis quidem Radius in ſe reflexus adeo ſubeuntes infeſtat, ut minus expedita ſit Navigatio. Nuſquam denique Auſtrinum orbem ita ab hoc Noſtro intercipit Oceanus (quod crediderunt nonnulli) ut in eum pervenire non liceat. Quæ quanta ſint futilitate chartis mandata, clamant etiam Variorum ævi priſci navigationes. Nam ſi ſub Zona Torrida ſæviret intolerabilis Aeſtus; ſi Temperatam alteram vaſtior, iniquior, & arte nulla ſuperandus Oceanus ab noſtra diſiungeret; qui potuerunt, notante Plinio lib. VI. natur. hiſtor. cap. XXII, Oneſicritus, Claſſis Alexandrinæ Præfectus, hinc eo penetrare, inde autem in noſtrum hunc orbem; qui ad Claudium Imperatorem quatuor, principe

Veterum nonnulli nulla noverunt Obſtacula vel impedimenta.

principe Rachia, Legati; qui Eudoxus Lathuri regis tyrannidem fugiens, Arabico sinu egressus per vastissimum pelagus, ut Cornelius Nepos apud Plinium lib. II. cap. LXVII adfirmat, Gades usque pervehi; qui contra Hanno, quod idem Plinius docet ejusdem libri capite LXIX, Fretum transiens Gaditanum immensum illud Aequor emetiri, & Arabiam feliciter contingere; Solinus habitantibus sub Zona Torrida ætatem annosam tribuit, & prope ultra mortalium fragilitatem extendi Vitam ait. Pomponius Mela scribit lib. III. supra Aegyptum Meroenos esse, quorum pars *Macrobij* nominantur; quod ipsorum vitæ spacium nostram ætatem, inquit, dimidio superet: Meroenos autem intra Cancri Tropicum & Aequatorem esse, Ptolemæus est auctor: Plinius denique lib. II. nat. hist. cap. XVI, nihil habitari in Terris adserit, quam quod Zodiaco subjacet; scimus autem terminos Obliquitatis Zodiaci esse Parallelos Tropicis: ut ex Plinij mente sub Ardore unica sit Mortalium habitatio, quibus contraria idem, ante scriptorum parum memor, tradit ejusdem libri capite LXXII.

Longa sub Aequatore vita.

Sed sufficiant hæc de Intemperatis ob Solis præsentiam: Reliquas ob ejusdem absentiam æterno damnatas Frigore, unde & nomen illis, & perpetuis horridas tenebris, non secus ac Torridam; esse inhabitabiles, Antiqui Scriptores, quorum ante mentio mihi facta, tradiderunt. Ejusdem mentis, prolatis in medium non frivolis (ut, nisi argumenta in contrarium hodie essent, prima lectione videntur) rationibus, est Albertus Magnus cap. de natura locorum VIII; existimans inter alia omnibus his, quibus dies ad mensis spacium, Sole hic Cancrum, ibi Capricornum tenente, extenditur, in hieme habitationem ob molestissimum frigus negari. De Frigida, quæ sub Arcto, certiora doceri possunt; quam de Opposita. An enim quæ sub Polo Antarctico habitetur, nondum satis exploratum: quum nihil adhuc ultra LVII, aut circiter, Latitudinis Australis gradum innotuerit. Ejusdem tamen esse naturæ vero simile est cum hac nostra. De qua ut quid dicam; cum primis notandum Latitudinem commodæ Habitationis juxta Polum certam non esse neque diffinitam. Ea enim, quum Sol, ad cujus præsentiam omnia referenda, Cancrum perambulat, major; minor autem, quum Capricornum. Quid enim virium habere potest obliquitas Radiorum, quos Sol longe amotus illuc projicit? Quemadmodum fortean (putandum enim Regulas, quæ generales paullo ante indicatæ, nonnihil subinde exceptionis admittere) sub Zona Torrida nunc his, nunc ijs locis per Solis præsentiam aut molesta sit, aut etiam nulla habitatio: quæ, Sole rursum abeunte, permittitur: ita etiam usu venit sub Zonis Frigidis: ut hiberno tempore, Sole Calorem ijs aliquot menses negante, Loca multa vel sint inhabitata, vel moleste habitentur; æstivo autem Temperiem ab ejusdem Solis quali-quali Calore recuperantia habitantes admittant. Docuerunt nos nostrates nuperis suis versus Septemtrionaliora navigationibus, in nova Zembla (insula est, cujus ab Aequatore initium ad gradum Latitudinis LXX; finis vero ad LXXVII) se in rudera quædam Tuguriorum incidisse, Navigiorum invenisse fragmenta, Pedum denique humanorum majoris minorisque ætatis vidisse vestigia; quum tamen totos illos septem menses, quibus in Insula fuerant conclusi, continuas ibi hominum nusquam deprehenderint Habitationes: ut dubium non sit, quin per æstatem & longiores dies ibi, quæ dixi, fuerint ædificata ab Russis, Lappis, vicinisque populis, Ursorum aliarumque Ferarum venatui operam datum eo ex Continenti Asia Europaque proficisci solitis. Frigus igitur, quod ex longa Solis absentia locis Polo proximis, caussa princeps est, quod pauciens & fortean non habitentur. Frigus autem illud intendi suetum, in alto quidem Pelago ab ipsius Aquæ, quam Frigidam novimus natura: acrius autem in Terris ab Nivibus, quæ ijs insulæ non facile liquescunt; & Glacie, quam ex dulcioribus & Mediterraneis Aquis generatam flumina solent trudere, & in Oceanum provomere: ubi non tam alta petunt maria, quam littoribus adhærescunt. Hinc nostri, quod alibi dicere me memini, subpolare parum abfuit Pelagus sulcantes, semper littoralia ab Glacie commemorant discrimina. Nulla Nix, rara in alto ibi Pelago Glacies. Nive conspersæ jacent Insulæ: Nives, quum Sol Horizontem nostrum scandit, præsertim autem quum Cancrum premit, liquefactæ generant Aquas dulces; quæ cum Aquis Naturalibus versus Oceanum delapsæ, & in Glaciem ob excellens ibi Frigus conversæ immanissimos Terris ibi potius, quam mari

Zonæ Frigidæ parum habitantur:

cum ob Frigus;

quo se nonnihil remittente, Habitatio conceditur.

Frigus sub Polo unde:

tum ob longas Tenebras.

mari liberiori, conciliant algores. Ob Frigus ergo rarum arbitror, ut illa loca habitentur; eo magis, quod & Tenebrarum aliquot Mensium accedat incommoditas. Quum enim Sol in Meridianis Signis, præsertim Capricorno, Cursum suum conficit, diu abest, Noctemque Locis, quæ sub Polo nostro, sex mensium relinquit: augentibus etiam Tenebras continuas Vaporibus frigidis: quum non solum Radij Solis halitus ex Aquis elevent, nihil tamen eorum, quod infirmiores, consumant, verum etiam immodicum ipsius Regionis Frigus Aerem frequenter spisset, reddatque tenebrosum, & ipsum perpetim convertat in Aquam. Et hinc merito Aquosa plerumque sub Polis loca. Nam Maria magis ibi, quam Terræ: adeo ut sint, qui perpetuam Aquarum generationem ijs locis statuant; providente scilicet Natura, quod illic ob vicissitudinis temporum penuriam incommodum fuisset vivere, etiamsi Terra fuisset. Naturam tamen eamdem non negaverim, ut alijs, sic illis etiam locis aliquando ὑπερφυσικά quædam moliri: non quidem Voraginem illam Platonicam cum quatuor suis Euripis, quos emovi inde, quum de Arctoo Pelago scriberem; sed loca, quæ Polo vicina (quis hoc credat?) temperatiora, quam quæ aliquot inde gradibus versus Cancri Tropicum. Discimus ex nostrorum Argonautarum Diarijs, majorem esse Temperiem gradu Latitudinis LXX, quam LXXVI. & circiter. Loquuntur enim in Insula quadam, in quam gradu LXXX. & minut. XI. delati fuerunt, omnia virere, & Animantia herbis pascentia vivere; quum contra in Nova Zembla, ubi ad gradum LXXVI. diu morati, omnia arerent, & Vrsis, Vulpibus, aliisque carnivoris feris essent infamia. Caussa forte (divinare mihi liceat) quod Nova Zembla intensiore feriatur & infestetur frigore, quam Insula, cujus memini. Huic enim remissius est proculdubio; quod sola, magnoque intervallo ab Continente dissita, proprio tantum & simplici quasi algore laboret, ex propria vel nive vel glacie collecto: illi autem acrius est & penetrabilius; quod, Freto satis angusto interjecto, Continentem Terram habeat valde vicinam, ex cuius copiosa nive glacieque Frigus illud Zemblanum nimium quantum augetur: præsertim si vehementius ab Meridionali plaga consurrexerint venti, qui sæpe brumaliores ibi, quam si aliunde. Quidquid sit, docet duarum Insularum inter se commissio, non plane fabulosa esse, quæ leguntur apud Pomponium Melam & Plinium, locis haud procul à Polo nostro distantibus Riphæos esse Montes; ad eosque degere Arymphæos populos nudis capitibus, vesci Baccis, Nemora pro Domibus habitare, Moribus vero præditos justissimis & pientissimis. Nam qui possent nisi loco paullo amœniore? Si tamen ibi quædam talia; certe sunt rara. Censendum enim pleraque frigoribus illic aduri, squallere, horrere, nebulisque caligare: accedente, quod non postremi loci censendum, & hoc argumento; quod grandia pusillaque Animalia, ut plurimum hirsuta quæque ad frigoris acumen tolerandum apta, sapientissimus Naturæ artifex DEVS in hæc destinavit loca, de quibus recte dixero, quod de Cimmerijs vicinis Poeta:

& nimiam Aquarum Copiam.

Temperies quibusdam sub Polo locis unde.

Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι· οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν.

Patet igitur ex ijs, quæ dixi, omnes Zonas habitationis esse patientes; non solum Temperatas, quod extra omnem semper fuit controversiam; verum etiam intemperatas, earum autem Aestuosam magis, quam Frigidas.

Zonarum Incolæ Vmbrarum ratione

Ἀμφίσκιοι, Ἑτερόσκιοι, Περίσκιοι; Situs respectu. Περίοικοι, Ἄντοικοι,

Zonarum autem, id est, Terræ totius, Incolis varia Veteres indiderunt Nomina: partim Vmbrarum ratione; Nam Aestuosam Ἀμφίσκιοι, Temperatas Ἑτερόσκιοι, Frigidas denique colunt Περίσκιοι: videndi Cleomedes lib. I. κυκλικῆς θεωρίας μετεώρων, Strabo lib. II. extremo Geograph. & alij; legenda & quæ cap. XXI. scripsi: partim vero Situs respectu & mutuæ comparationis; alij enim sunt. Περίοικοι, alij Ἄντοικοι, alij denique Ἀντίποδες: de quibus omnibus multa disserit V. CL. Ioachimus Vadianus doctissimis suis in Pomponii Melæ lib. I. Castigationibus. Περίοικοι (non male quis Latine dixerit *Circumcolus*) appellantur, qui in eadem degunt Zona, sub eodem Parallelo & Meridiano; sed oppositis Hemisphærijs, interjacente Verticibus illorum Mundi Polo: id est, qui æqualem ejusdem Partis Latitudinem, Longitudinem semicirculo differentem, habent: Hi eadem fruuntur Cœli constitutione: Anni tempora pariter agunt; medium autem Diem & Noctem horis vident contrarijs. Ἄντοικοι, qui in diversis & positis è regione Zonis, intercedente Verticibus Aequatore, sub eodem Meridiano, sed non ijsdem Parallelis, æqualiter tamen ab Aequi-

Aequinoctiali remotis, habitant; Latitudine obsiti; Longitudine pares: His Nox & Dies communes; sed opposito tempore Aestas & Hiems. Ἀντίποδες (Ἀντίχθονες etiam ab contraria, quam inhabitant, Terra vocantur) sunt, qui ex Diametro secundum rectissimam Lineam, per Terræ Centrum trajectam, Partes colunt oppositas: Pedes obversos invicem habentes (unde & *Adversipedes* Glossarium vetus interpretatur) hoc est, qui eumdem Meridianum & Horizontem, sed diversos Parallelos, æqualiter tamen ab Aequatore remotos, obtinent; ac distant inter se medietate Circuli Maximi, nempe gradibus CLXXX. Hi nihil habent commune; non Anni tempora, non Dies, non Noctes: illis exceptis, qui sub Aequinoctiali sunt siti. Nam omnia illis, præter Diem & Noctem, quas alternatim habent, sunt communia. Exempla suppeditant Sphæræ Terrestres & Tabulæ Geographicæ. Ἀντοικοὶ & Περίοικοι vario respectu Ἀντίποδες dicuntur. Nos Ἀντοίκων nostrorum Περιοίκοις Ἀντίποδες sumus; nostri Περίοικοι Ἀντοίκοις nostris sunt Ἀντίποδες. Marcianus Capella lib. VI. (ignoranter dicam, an imprudenter?) quæ Περιοίκων sunt Antipodibus tribuit, & Περιοίκους Antipodas nominat. Antipodes autem Veterum quidam esse, quidam non esse, tradiderunt. Esse scripserunt; absolute quidem, Strabo lib. I. Geograph. Cleomedes lib. I, Manilius lib. I. Astronomic. Pomponius Mela lib. I, Plinius lib. II. nat. hist. cap. LXVII, & lib. VI, cap. LXVI, Solinus in Polyhist. & alij: quorum argumēta cum alibi, tum apud Lactantium lib. III. Divinar. Instit. cap. XXIII, & Augustinum lib. XVI de Civitate Dei, cap. IX: restricte vero & cum exceptione quasi, M. Tullius lib. VI. de republ. Macrobius lib. I. in Somnium Scipionis, Marcianus, & inter recentiores Albertus Magnus cap. XII. de Natura Locorum; censentes, quum quidem sint, Commercia tamen cum illis Nobis, & Nobiscum Illis omnino denegari: partim propter immensam Oceani, qui interjacet undique per circuitum circa Terræ globum quantitatem, & insuperabilem Locorum distantiam; partim propter intolerabiles Aestus, & nimios Solis sub Zona Torrida, quæ, si ad Antipodes eundum, peragranda esset, ardores. Non esse voluerunt varijs argumentis Lactantius & Augustinus: dignus uterque qui audiatur. Illius loco, quem indicavi, verba sunt hæc: *Quid illi, qui esse contrarios Vestigijs nostris Antipodas putant; num aliquid loquuntur? aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum Vestigia sint superiora quam Capita? aut ibi, quæ apud nos jacent, inversa pendere? Fruges & arbores deorsum versus crescere? Pluvias & Nives & Grandinem sursum versus cadere in terram? Et miratur aliquis Hortos pensiles inter septem mira narrari, quum Philosophi & Agros, & Maria, & Vrbes, & Montes pensiles faciant?* Philosophos deinde, qui contrarium adserebant, salse carpit: in multa, inquiens, incidere ridicula; quum semel aberrarint, constanter in stultitia perseverare, & vanis vana defendere; interdum joci caussa Philosophari; sæpe prudentes & scios Mendacia defendenda suscipere, ut Ingenia sua in malis rebus exerceant & ostentent. Augustinus autem cap. jam nominato, *Quod vero & Antipodas esse fabulantur*, ait, *id est homines à contraria parte Terræ, ubi Sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcare Vestigia, nulla ratione credendum est. Neque hoc ulla historica cognitione didicisse se adfirmant; sed quasi ratiocinando conjectant, eo quod intra convexa Cæli Terra suspensa sit, eundemque locum Mundus habeat & infimum & medium; & ex hoc opinantur alteram Terræ partem, quæ infra est, habitatione hominum carere non posse.* Et post pauca: *Nimis quam absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam Partem, Oceani immensitate trajecta, navigare ac pervenire potuisse: ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum.* Videndus idem lib. Categoriar: cap. x. Condonandum utrique, Theologiæ sacraria penitius, quam Philosophiæ ingressis; magis autem alteri. Lactantius enim risu jocoque sanam de Antipodibus opinionem prosequitur: nihil validi contra adferens: Augustinus vero eamdem rejicit, non levem ob caussam; ne cogeretur fateri, illos de genere Adæ primi hominis non esse; quum jam, ut audivimus, præjudicasset Cicero, & sequuti illum alij, nullum hinc ad eos esse aditum. Sed Antipodas esse tam certum est, ut negari non possit, & insensatus audiret meritissimo, qui diversum sentiret. Hinc ad illos, illinc huc Viam esse compertissimum hodie nobis; etiam non paucis Antiquorum: quod docent variarum Navigationum & Expeditionum exempla; quæ in præcedentibus fusius sunt commemorata. Iam qua via venerint in oppositum nobis Orbem primi homines, quod capere non potuerunt Antiqui, quæram, ubi ad Americæ delineationem & historiam erit deventum.

Ἀντίποδες.

An sint.

Cap. XXIII.

De Climatibus.

Terræ Distributio in Climata.

HÆc de Terræ Divisione, Inferiorum respectu, in Partes Majores, caussa vel Vmbræ; vel Aeris Temperiei: succedit Distributio in Partes Minores, Horarum variantium ratione, in Climata scilicet.

Clima quid.

Clima Terræ spacium diffiniunt, duobus Parallelis comprehensum; cujus finis Diem Solstitialem dimidia hora majorem habet, quam initium: unde paret, quotum aliquod Clima fuerit ab Aequatore; tot semihoris maximum ejus diem superare Diem Aequinoctialem.

Numerus Climatum secundum Veteres.

De Numero Climatum utrimque (nam quod de Septemtrionalibus, idem de Meridionalibus judicium esse debet) variant Scriptores. Auctor Sphæræ vetustissimam distinctionem sequutus, septem Climata recenset. Nam ultra Septimum Prisci vel non putarunt Habitationem esse commodam, vel ob longinquiorem Distantiam adire Loca, quæ ulterius posita, & explorare nequierunt. Eorum hæc est Tabula:

Tabula Climatum secundum Partitionem Veterum:

	Climata.		Longitudo Diei æstivi		Latitudo Climatum		Intervalla Climatum		Miliaria Germanica
			Hor.	Scr.	Grad.	Scr.	Grad.	Scr.	
Primum	Per Meroen	Principium	12	45	12	45	7	45	116 15
		Medium	13	0	16	40			
		Finis	13	15	20	30			
Secundum	Per Syenem	Principium	13	15	20	30	7	0	105 0
		Medium	13	30	24	15			
		Finis	13	45	27	30			
Tertium	Per Alexandriam	Principium	13	45	27	30	6	10	92 30
		Medium	14	0	30	45			
		Finis	14	15	33	40			
Quartum	Per Rhodum	Principium	14	15	33	40	5	20	80 0
		Medium	14	30	36	24			
		Finis	14	45	39	0			
Quintum	Per Romam	Principium	14	45	39	0	4	30	67 30
		Medium	15	0	41	20			
		Finis	15	15	43	30			
Sextum	Per Borysthenem	Principium	15	15	43	30	3	45	56 15
		Medium	15	30	45	24			
		Finis	15	45	47	15			
Septimum	Per Riphæos Montes	Principium	15	45	47	15	3	15	48 45
		Medium	16	0	48	40			
		Finis	16	15	50	30			

ex sententia Ptolemæi.

Ptolemæus Terram habitatam versus Septemtrionem ab Aequatore XXIX Parallelo finit: quorum priores vigintiquinque tanto Intervallo distinguit, quanto Horæ quadrante Maxima dies adcrescit; reliquos quatuor minus adcurate ampliore aliquanto spacio secludit, & Vmbrarum Meridianarum differentias adnotat. Hoc Spacium universum, si initium ab Veteribus constitutum retineatur in XV Climata (etsi Ptolemæus alibi retineat Climatum numerum, ab Antiquis traditum) diduci potest hoc modo:

Tabula

Tabula Climatum ex Ptolemæo.

Paralleli	Climata			Longitudo Diei Aestivi H or	Scr.	Latitudo Climatū Gr.	Scr.	Intervallum Gr.	Scr.
I		Sub Æquatore		12	0	0	0	—	—
II		Per Iaprobanam		12	15	4	15	—	—
III		Per Sinum Avalitum		12	30	8	25	—	—
IV	Primum Clema	Per Meroen	Principium	12	45	12	45		
V			Medium	13	0	16	27	7	29
VI			Finis	13	15	20	14	—	—
VII	Secundum	Per Syenem	Principium	13	15	20	14		
VIII			Medium	13	30	23	51	7	26
			Finis	13	45	27	40	—	—
IX	Tertium	Per Inferiorē Ægyptum	Principium	13	45	27	40		
X			Medium	14	0	30	22	5	38
			Finis	14	15	33	18		
XI	Quartum	Per Rhodum	Principium	14	15	33	18	—	—
XII			Medium	14	30	36	0	5	17
			Finis	14	45	38	35	—	—
XIII	Quintum	Per Hellespōtum	Principium	14	45	38	35		
XIIII			Medium	15	0	40	56	4	30
			Finis	15	15	43	5	—	—
XV	Sextum	Per medium Pontum	Principium	15	15	43	5		
XVI			Medium	15	30	45	1	3	46
			Finis	15	45	46	51	—	—
XVII	Septimum	Per ostia Borysthenis	Principium	15	0	46	51		
XVIII			Medium	16	45	48	32	3	9
			Finis	16	15	50	0	—	—
XIX	Octavum	Per Australissima Britanniæ	Principium	16	15	50	0		
XX			Medium	16	30	51	35	2	50
			Finis	16	45	52	50	—	—
XXI	Nonum	Per Tanaidis ostia	Principium	16	45	52	50		
XXII			Medium	17	0	54	1	2	10
			Finis	17	15	55	0	—	—
XXIII	Decimum	Per mediam Britanniam	Principium	17	15	55	0		
XXIV			Medium	17	30	56	0	1	0
			Finis	17	45	57	0	—	—
XXV	Vndecimum	Per parvæ Britanniæ Austr.	Principium	17	45	57	0		
			Medium	18	0	58	0	1	0
			Finis			59	0	—	—
XXVI	Duodecimum	Per mediā parvæ Britanniam		18	30	59		1	0
XXVII	Decimum-tertium	Per Borealia parvæ Brit.		19	0	61		1	0
XXVIII	Decimum-quartum	Per Insulas Ebudas		19	30	62		1	0
XXIX	Decimum-quintum	Per Thulen Insulam		20	0	63		1	0

Nostra ætate, quum & maxima Solis Declinatio mutata sit, & plurima ad LXXII. usque Lat. gradum, & ultra versus Sept. loca in notitiam venerint: alia Climatū notatio fuit excogitata; cujus exemplum apud Glareanū est, sed obscurius: in quo Primus ordo Habitantium passim continet Nomina, Vmbrarum ratione: Secundus, Climatum numerum, quæ XIX: Tertius, Parallelorum, qui universim XXXIX: Quartus Horas habet cum Partibus; proceditur autem ab Horis XII. ad medium annum: Quintus explicat quot gradibus quivis Parallelus ab Aequatore distet, donec perventum fuerit ad XC usque gradum: Sextus, Septimus, & Octavus Vmbrarum in Gnomonibus rationem exhibent; quorum qui primo descriptus loco Aestivam

 indicat,

indicat, qui ſecundo Aequinoctialem, qui tertio Vmbram Hibernam, uſque ad xxv. Parallelum; nam ultra deficiunt Vmbrarum rationes propter propinquitatem, docente Ptolemæo, nimis anguſtam: Nonus denique Loca notat, per quæ Paralleli meant.

Habitantium Nomina.	Climata.	Paralleli.	Horæ cum Partibus.	Elevatio Poli vel Diſtantia Parallelorum ab Aequatore.	Gnomorum umbræ: Aeſtiva.	Aequinoctialis.	Hiberna.	Loca, per quæ ſcribuntur Paralleli.
		I	12	0	27 1/2	0	27 1/2	Per mediam Africam.

AEQVATOR.

Sub Aequatore habitantibus; Sole bis ſingulis annis ad verticem veniente, primaque contingente Arietis, Libræ, Cancri & Capricorni Puncta, quatuor ſunt Solſtitia: Alta duo, totidem Ima. His item duæ Aeſtates, quum Sol ad vertices accedens in alterutro Punctorum eſt Aequinoctialium, vel prope duæque Hiemes quum ad Tropicos deflectens in primis eſt Punctis Cancri vel Capricorni vel circiter. His quadruplices in anno ſunt Vmbræ. Quum enim Sol in alterutro verſatur Punctorum Aequinoctialium tempore matutino, Vmbra jacitur illis verſus Occidentem; veſpertino, in Orientem: Meridie Perpendicularis eſt; quum in Signis Septemtrionalibus, verſus Auſtrum; quum in Auſtralibus, in Septemtrionem. His denique oriuntur occiduntque Stellæ quæ juxta Polos.

Amphiſcii Sex debentur Paralleli.

		II	12 1/4	4 1/4	21 1/3	4 1/2 1/12	32	Per Septemtrionaliora Taprobanæ.
	I	III	12 1/2	8 1/2 1/12	16 1/2 1/3	8 1/2 1/3	37 1/12 1/12	Per Avalitum Sinum.

Inter Aequatorem & Tropicum Cancri degentibus eadem contingunt, quæ ſub Aequinoctiali.

		IV	12 1/2 1/4	12 1/2	12	13 1/3	44 2/3	Per Adulicum Sinum.
	II	V	13	16. min. 27	7 1/2 1/4	17 1/2 1/4	51	Per Meroen.

TROPICVS CANCRI.

Qui ſub Tropico Cancri morantur ſemel Solem, cuius Diei hora in primo Puncto Cancri, habent verticalem, Vmbramque perpendicularem.

Heteroſcii inter Tropicum Cancri & Gradum Latitudinis Borealis LXVII (ubi vulgo

		VI	13 1/4	20 min. 14.	3 1/24	22 1/2	58 1/2	Per Napatam Libyæ urbem, Reginæ Candacis ſedem.
	III	VII	13 1/2	23 m. 51. Scr. 20	0	27 1/2	65 1/12	Per Syenem Aegypti; hodie *China*.
		VIII	13 1/24	27 minut. 40	3 1/2	31 1/12	54 1/2 1/3	Per Ptolemaida Aegypti.
	IV	IX.	14	30 minut. 22	6 1/12	35 1/12	83 1/4	Per inferiora Aegypti.
		X	14 1/4	33 minut. 18	10	39 1/2	93 1/12	Per mediam Phœniciam.
	V	XI	14 1/2	36	12 1/12 1/12	43 1/2 1/12	103 1/3	Per Rhodum.
		XII	14 1/24	38 1/2 1/12	15 2/3	47 1/12	114 1/2 1/3 1/12	Per Smyrnam, Ioniæ opidum, nomen retinens.
	VI	XIII	15	40 minut. 56	18 1/2	52 1/2	127 1/12	Per Strat. quæ poſtea Hadrianop. Macedon. urbs. hodie *Fr.caſtro.*
		XIV	15 1/4	43 1/4	20 1/12	55 1/12 1/12	144 1/4	Per Maſſiliam.
	VII	XV	15 1/2	45 minut. 1	23 1/4	60	155 1/12	Per Portum Galitiæ, qui D. Sebaſtiano ſacer.
		XVI	15 1/2 1/4	46 minut. 51	25 1/2	63 1/12 1/12	174 1/2	Per fontes Danubii.
	VIII	XVII	16	48 minut. 42	27 1/2	67 1/12	188 1/3 1/12	Per Ingolſtadium.
		XIIX	16 1/4	50 minut. 16	29 1/12 1/16	71 2/3	210 1/3	Per Montem Regium vulgo *Koninceberg*, in Francunia.
	IX	XIX	16 1/2	51 1/12	31 1/2 1/12	75 1/2 1/12	229 2/3	Per Coloniam Agrippinenſem

deſcri-

(describitur Circulus Arcticus) Parallelos habitant viginti & sex

Qui inter Tropicum Cancri & Gradum, Latitudinis LXVII, quum Solem numquam habeant in Vertice, semper Vmbras jaciunt in Septemtrionem.

	XX	16 ½¼	52 minut. 16	33 ½	79 ½⅓	253 ⅙	Per Holland. Metropolin Dordracum Patriam mihi carissimam
X	XXI	17	54 minut. 1.	34 ½⅓¼	82 ½⅓¼	278 ½¼	Per Stetinum Pomeraniæ opidum.
	XXII	17 ¼	55	36 ¼	85 ⅓	304 ½	Per Bullæum Britanniæ, hodie [illegible]
XI	XXIII	17 ½	56	37 ⅓	88 ½⅓	335 ¼	Per mediam Britanniam.
	XXIV	17 ½¼	57	39 ½	92 ½⅓⅓	372 ⅔	Per Camolodurum Britanniæ.
XII	XXV	18	58	40 ½	96 ·	419 ⅓	Per australes partes Hiberniæ.
	XXVI	18 ½	59 ½	Hic umbræ Rationes deficiunt.			Per medium Hiberniæ.
XIII	XXVII	19	61				Per Septemtrionaliora Hiberniæ.
	XXIIX	19 ½	62				Per Ricinam Ebudarum Insularum unam; hodie [illegible]
XIV	XXIX	20	63				Per Thylen.
	XXX	21	64 ½				Per Roemsdalium Norvegiæ.
XV	XXXI	22	65 ½				Per Heklam Islandiæ montem.
	XXXII	23	66				Per intimum recessum Sinus Bodici versus Finmarciam.
XVI	XXXIII	24	66 ½	Periscion primus			Per insulam *Heylichlandt* ad Norvegiæ Occidentał.

Periscion, quorum ad grad. Latit. LXVI. aut circiter estimatum, septem sunt Paralleli.

Hic habitantibus, quum Sol in primo Puncto Cancri, Dies est XXIV horarum, & momentum quasi pro Nocte: quum autem in Capricorni, Nox XXIV horarum, momentum pro Die.

Hic vulgo CIRCVLVS ARCTICVS.

	XXXIV	Mensis unus	67 ½				Per *[illegible]* Lapporum opidum ad ad mare Album.
XVII	XXXV	Menses duo	69 ½				Per Fretum Nassovium & Ordinum Insulam.
	XXXVI	Menses tres	73 ½				Per Promontorium Novæ Zemblæ *Langhe nes*.

Eorum, qui inter LXVII gradum & Polum Mundi Arcticum, Horizon intersecat Zodiacum in duobus Punctis æquidistantibus à principio Cancri, portioque Zodiaci intercepta semper relinquitur supra Horizontem: in qua quamdiu Sol, dies illis continua sine Nocte: ut si intercepta portio fuerit ad quantitatem unius Signi, dies erit unius Mensis sine Nocte; si ad duorum, totidem erit Mensium, & sic deinceps.

XIIX	XXXIIX	Menses quatuor	78 ½				Per Magnum Sinum Novæ Terræ in Arctoo Mari: nostrates vocant *[illegible]*.
	XXXIX	Menses quinq;	84				Per Arctoum Pelagus.
XIX	XXXX	Menses sex	90				Per Arctoum Pelagus.

POLVS ARCTICVS

Hic manendi loca sortitis (si qui tamen sient) Horizon est Æquator; qui quum intersecet Zodiacum in duas partes æquales, quarum una relinquitur supra, altera infra; quum Sol superiorem medietatem à principio Arietis usque ad finem Virginis decurrit, Dies est sex Mensium; quum inferiorem à principio Libræ ad finem Piscium, Nox totidem.

Simile Schema construi nullo negocio potest & ultra Aequatorem, saltem ad gradum usque Latitudinis Australis LVI (quum ulteriora nondum innotuerint) ductis per certa Asiæ, Africæ Americæque loca Parallelis, hoc modo:

Habitantium nomina	Climata	Paralleli	Horæ cũ Partibus	Elevatio Poli Australis vel Distantia Parallelorum ab Aequatore	Gnomonum umbræ: Aestiva,	Aequinoctialis,	Hiberna.	Loca per quæ ducuntur Paralleli.
Amphiscij sex possident in hoc Globo Parallelos		I	12	0	$27\frac{1}{2}$	0	$27\frac{1}{2}$	Per mediam Africam.
		II	$12\frac{1}{4}$	$4\frac{1}{3}$	$21\frac{1}{3}$	$4\frac{1}{2}\frac{1}{12}$	32	AEQVATOR. Per Sinum Taprobanæ Palimbanum; vel Promontorium Africæ *Trimiera*; vel Caput Album Peruanæ.
	I	III	$12\frac{1}{2}$	$8\frac{1}{2}\frac{1}{12}$	$16\frac{1}{2}\frac{1}{3}$	$8\frac{1}{2}\frac{1}{3}$	$37\frac{1}{2}\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	Per medium Iavæ Majoris; vel *Zaire* urbem Africæ, ad Lacum Fluviumque cognominem; vel Caput D. Augustini in Brasilia.
		IV	$12\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	$12\frac{1}{2}$	12	$13\frac{1}{3}$	$44\frac{2}{3}$	Per Promontorium Insulæ D. Laurentii *Natalitium*. vel *Debian* urbem Africæ ad lacum jam nominatum: vel Sinum ibidem in Angola *de duas Sierras*; in Brasilia vero per Sinum omnium Sanctorum.
	II	V	13	16. min. 27.	$7\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	$17\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	51	In Africa per Sinum de *Tanbinde*; in America apud Margaritas per fluvium, cui κατ' ἐξοχὴν nomen à Brasilia.
		VI	$13\frac{1}{4}$	20. minut. 14.	$3\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	$22\frac{1}{2}$	$58\frac{2}{3}$	TROPICVS CAPRICORNI. In Africa hinc per Desertum *Iajo*, inde per Septentrionalissimum ostium Fluvii *Cuama*, in America per fluvium Spiritus Sancti.
Heteroscij inter Tropicum Capricorni & gradum Latitudinis Australis LXVI ½ (ubi vulgo Circulus Antarcticus) Parallelos possident	III	VII	$13\frac{1}{2}$	23 m. 51. Scr. 20	0	$27\frac{1}{2}$	$65\frac{1}{2}\frac{1}{3}$	In Africa per Caput *das Correntas*; in America apud Toucupinam, baultios per Insulam S. Laurentii.
		VIII	$13\frac{1}{4}\frac{1}{2}$	27 minut. 40	$3\frac{1}{2}$	$31\frac{1}{2}\frac{1}{3}$	$54\frac{1}{4}\frac{1}{8}$	In Africa per *Medaos de Ouro*; in America per opidum quod S. Annæ sacrum, ad fluvium Argenteum, vel *de la Plata*.
	IV	IX.	14	30 minut. 22	$6\frac{1}{2}\frac{1}{3}$	$35\frac{1}{2}\frac{1}{12}$	$83\frac{1}{4}$	In Africa per Terram de *Natall*; in America per fluvium *Mart. Sousa*.
		X	$14\frac{1}{4}$	33 minut. 18	10	$39\frac{1}{2}$	$93\frac{1}{12}$	In Africa per Sinum *Fremozam*; in America apud Morpianas per Confluentes Nigri & Argentei
	V	XI	$14\frac{1}{2}$	36	$12\frac{1}{2}\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	$43\frac{1}{2}\frac{1}{12}$	$103\frac{1}{3}$	Sequentes Paralleli ducuntur per Americam. Vndecimus igitur per medium ostium Fluvii Argentei, vel *dela Plata*.
		XII	$14\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	$38\frac{1}{2}\frac{1}{12}$	$15\frac{2}{3}$	$47\frac{1}{4}\frac{1}{3}$	$114\frac{1}{2}\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	Per ostium fluvii S. Annæ.
	VI	XIII	15	40 minut. 56	$18\frac{1}{2}$	$52\frac{1}{2}$	$127\frac{1}{2}\frac{1}{3}$	Per Sinum *Siafundo*.
		XIV	$15\frac{1}{4}$	$43\frac{1}{4}$	$20\frac{1}{2}\frac{1}{3}$	$55\frac{1}{2}\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	$144\frac{1}{4}$	Per Caput *Aracifes*.
	VII	XV	$15\frac{1}{2}$	45 minut. 1	$23\frac{1}{4}$	60	$155\frac{1}{12}$	Per medium ostium Fluvii *de Camarones*.
		XVI	$15\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	46 minut. 51	$25\frac{1}{2}$	$63\frac{1}{2}\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	$174\frac{1}{6}$	Per Promontorium, quod vulgo *Punta Raso*.
	VIII	XVII	16	48 minut. 32	$27\frac{1}{2}$	$67\frac{1}{2}\frac{1}{3}$	$188\frac{1}{2}\frac{1}{12}$	Per Septemtrionaliores Insularum, quæ vocantur *Accricam*.
		XIIX	$16\frac{1}{4}$	$50\frac{1}{4}$	$29\frac{1}{2}\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	$71\frac{2}{3}$	$210\frac{1}{3}$	Per Meridionalius Fluvii S. Iuliani ostium.
	IX	XIX	$16\frac{1}{3}$	$51\frac{1}{12}$	$31\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	$75\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	$229\frac{2}{3}$	Per ostium Fluvii *Gallegos*.
		XX	$16\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	52 minut. 16	$33\frac{1}{2}$	$79\frac{1}{12}$	$253\frac{1}{2}$	Per Promontorium, quod vulgo *Cabo de Sciado* in Freto Magellanico ad Mare Pacificum.
	X	XXI	17	53 minut. 1	$34\frac{1}{2}\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	$82\frac{1}{2}\frac{1}{12}$	$278\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	Per ipsum Fretum Magellanicum.
		XXII	$17\frac{1}{4}$	55	$36\frac{1}{4}$	$85\frac{1}{3}$	$304\frac{1}{2}$	In Terra, quam vulgo vocant Incognitam, cuiusque littora vix innotuerunt: per Confluentes Fluviorum, quos primi repertores indigetarunt *Grande* & *del Fuego*.
	XI	XXIII	$17\frac{1}{2}$	56	$37\frac{2}{3}$	$88\frac{1}{2}\frac{1}{3}$	$335\frac{1}{4}$	Per ostium Fluvii *da Pescaria*.

viginti

Viginti & ſex.		XXIV	$17\frac{3}{4}$	57	$39\frac{1}{2}$	$92\frac{1}{3}$	$372\frac{2}{3}$	Sequentes omnes Paralleli per ignota verſus Auſtrum loca meant. Faxit Deus, ut quæ porro reſtant exploranda, nobis magnorum Regum & Principum auſpicijs, quibus ultra medietatem Occidui Hemiſphærij jam ventum, innoteſcant, ſicque occaſionem habeamus non ſolum Auſtrales illos Theſauros Naturæque inibi miracula inſpiciendi, verum etiam ſtupendum illud Numen Nomenque indies magis & magis meritiſſimis laudibus cumulandi. Cujus rei cauſſa. Tacito ſuſpendo Vota labello.	
	XII	XXV	18	58	$40\frac{2}{3}$	96	$419\frac{1}{2}$		
		XXVI	18½	59½	Hic umbrarum Rationes deficiunt.				
	XIII	XXVII	19	61					
		XXIIX	19½	62					
	XIV	XXIX	20	63					
		XXX	21	64½					
	XV	XXXI	22	65½					
		XXXII	23	66					
Periſciorum ſeptem Paralll.	XVI	XXXIII	24	66½					
		XXXIV	Menſis unus	67½					
	XVII	XXXV	Menſes duo	69½					Hic vulgo CIRCVLVS ANTARCTICVS.
		XXXVI	Menſes tres	73⅓					
	XIIX	XXXVII	Menſes IIII	78⅓					
		XXXIIX	Menſes V	84					POLVS ANTARCTICVS.
	XIX	XXXIX	Menſes ſex	90					

De Terræ, reſpectu Adjunctorum, Diviſione dixi: ſequitur, quæ ratione Partium. Hujus Explicationem priuſquam opere meo reliquo adgrediar, haud abs re fore duxi, aliorum ſequutus conſuetudinem, Voces quaſdam Geographicas, quæ paſſim in ſequentibus occurrent, præter jam indicatas, notare: priore quidem loco, quæ Maris; poſteriore, quæ Terræ Maris ſunt *Fretum* & *Sinus*. *Vocum Geographicarum Syllabus.*

Fretum anguſtiſſimum Pelagus eſt inter duas Continentes: ab Aquarum fremitu nonnullis: vel, ut Iſidorus lib. XIII. Etymolog. cap. XVIII ratiocinatur, quod ibi ſemper Mare ferveat: Πορθμὸς Græcis: Θαλάττης Αὐλῶν Polluci: Belgæ vocant *Hooffden*; quod duo utrimque Capita Continentis & Promontoria excurrant: quod autem ſtrictius ibi & anguſtius Mare, Galli dicunt *Eſtroit*, Itali *Stretto*, Hiſpani *Eſtrecho*. Fretorum alia primos in hoc globo ducunt ordines, alia ſecundos: illa Oceani, hæc Maris ſunt Mediterranei. Oceani ultra Æquatorem duo ſunt nobiliſſima, quæ Antarcticas terras, quales quales ſint (nondum enim plene innotuerunt) ſeparant à Continente; ab America quidem Auſtraliore, Magellanicum; ab extremis autem Africæ, id quod inter Caput Bonæ Spei & Regionem Pſittacorum, priore multo latius: liceat enim & hanc ibi Maris anguſtiam Fretis adcenſere. Totidem, tamquam nominatis oppoſita, cis Aequatorem, quæ Arcticas disjungunt ab eadem Continente: ab Aſia quidem, Vaigatium, quod hodie Naſſovium à Principe Mauritio Naſſovio, vel ſi quod aliud ulterius; ab America vero Septemtrionaliore (auguror enim hoc ex Partium orbis poſitu) id, quod ab Inventore primo Daviſium cœpit audire, nondum plene perluſtratum; non dubito quin pervium vir audax nunciaſſet, niſi ab glacie fuiſſet repulſus. Quemadmodum ex Oceano, quem Auſtralem dixi cap. VI, per Magellanicum Fretum in Occidentalem (Pacificum quidam appellant) pervium eſt iter; per id vero, quod Capiti Bonæ Spei adfremit, ex eodem in Eoum: ſic citra Aequinoctialem ex Oceano Septemtrionali per Vaigatias Anguſtias in Eoum quem dixi, tranſitus patet; per Daviſias autem in Oceanum, cujus memini, Occidentalem. Priora, numquam ab glacie obſeſſa, ſemper ſunt pervia hinc inde: fluctus enim Magellanici freti ſemper ab Oriente in Occidentem ferri, ideoque tranſitum ex Occidente in Orientem negari falſo nonnulli ferunt, ut alibi ex nuperis Navigationibus docebo. Poſteriora, ab glacie plerumque obſtructa, non niſi æſtivis anni temporibus, Sole Tropicum Cancri ſcandente, penetrari poſſunt. Naſſovium enim gradu altitudinis Borealis 69½; Daviſium autem 67 aut circiter. De Naſſovio certum eſt: Noſtrates enim Argonautæ bis prorſum vorſum navigarunt; Ruſſi autem ſingulis tranant annis. De Daviſio (ni futurum ita, falſus dicar Augur) docebit ſuo

Magellanicum. *Bonæ Spei.* *Vaigatium.* *Daviſium.* *Commiſſio quatuor principum inter ſe Fretorum.*

tempore audax Iapeti genus. Hæc de principum Fretorum inter se commissione obiter, & hic potius, quam nusquam. Quatuor his adnumerarim Britannicum & Herculeum; de quibus, ut & de alijs, quæ varijs locis in Mari Mediterraneo, suis dicam locis.

Sinus.

Sinus Isidoro lib. XIII. Etymolog. cap. XVII, dicitur maior Maris Recessus: alijs Aqua Terris se insinuans: Græcis κόλπος, qua notione & *Gremium* Plinio lib. IIII. natur. histor. cap. X, Pomponio lib. II. Geogr. cap. III, alijs: Ab Græca voce Italis Hispanisque *Golfo*; Gallis *Goulfe*. Belgis Natiuis vocatur *Inham*. Nam *Golve* Fluctus nobis vel vnda. Sinus, ut Freta, vel Oceani sunt, vel Maris Mediterranei: Ab utroque Sinus in omnes Mundi partes, Europam, Scythiam, Asiam, Africam & Americam, quin & in Insulas, innumeri: quibus quum nomina ab Locis vicinis, vel Regionibus vel opidis; earum descriptiones variasque nomenclaturas, ubi Methodus me poscet, designabo.

Tales sunt Voces Geographicæ Maris: Terræ dicuntur *Isthmus*, *Promontorium*, *Regio*, & similes.

Isthmus. Bimaris.

Isthmus angusta est terra inter duo Maria. Hinc *Bimaris* quod Epitheton convenit non solum Peloponnesiaco, sed reliquis etiam omnibus; ut & quæ de eodem apud Ovidium in Epistola Medeæ,

Quique Maris gemini distinet Isthmos aquas;

quæque apud Lucanum lib. I. belli Pharsalici,

qualiter undas
Qui secat, & geminum gracilis mare separat Isthmos.
Nec patitur conferre Fretum.

Γῆ ἀμφιθάλασσος nonnullis.

Promontorium.

Promontorium, Ἄκρα Græcis, mons in Mari prominens, Isidoro libro decimo quarto, capite VII, & quædam Terræ ad Littus extuberatio. Quum passim multa: nullum tamen nobilius, quam quod in extrema Africa, cui à Bona Spe nomen est inditum.

Regio. Tractus. Plaga. Terra.

Regio, χώρα, ab Rego; quod, priusquam Provinciæ fierent, Regiones ab Regibus regerentur; *Tractus* quibusdam; nonnullis *Plaga*; non indoctis etiam Scriptoribus *Terra*, specialiore notione; unde *Terra Italia*, apud Lucretium libro primo de natura rerum, & Agellium libr. I. noctium Atticar. cap. I; *Terra Latium*, apud Ennium libr. I. Annalium; *Terra Sicilia* apud Catonem in Originibus, cujus verba recitat Agellius lib. III. cap. VII; *Terra* denique *Thracia*, apud eundem Ennium, laudante Varrone; me vero in meo ad doctum poetam commentario emendante.

Regnum.

Regnum, βασιλεία, quod Regionibus Regi parentibus continetur. Regis nomen in Terris Imperij primum fuit, scribente Sallustio in Conjuratione Catilinaria.

Satrapia.

Satrapia, vox Persica, Plinio lib. VI, cap. XX, regio quæ ab uno administratur Præfecto. Herodotus Νέμος vocat, quod peculiares illi leges.

Provincia. Regiones devictæ quomodo in Provinciæ formam redigi solitæ.

Provincia Regio porro, vel procul, victa & bello adquisita, ut scribunt Hegesippus, Donatus, Isidorus, & alij. Regionem autem victam in Provinciæ formam redigendi ratio apud Veteres Romanos talis erat: Senatus populi Romani, acceptis ab Imperatore de superatis hostibus & Regione in potestatem adducta, litteris; secum de victis consultabat, & quid fieri placeret, per SC Imperatorem admonebat; decem aut quinque Legatis Senatoribus ad eum missis, ut ex eorum sententia de hostibus hostiumque Regione statueret. Imperator, mandatis acceptis, aut ex certa Senatus, si ita placuerat, voluntate, aut de communi Legatorum sententia, victis hostibus ignoscebat, vel Regionem illorum in Provinciæ formam redigebat. Ignoscere dicebatur; si liberos relinqueret, si suis uti Legibus, suosque creare, more patrio, Magistratus permitteret: in Provinciæ vero formam redigere; quum, ademtis vel immutatis Legibus, eos omnino Magistratui Romano, quotannis ab Vrbe mittendo, subjiceret; & Vectigalia Conventusque constitueret. Quemadmodum autem Imperatores aut Duces exercituum Romanorum nomina sibi sumebant ex Regnis vel Provinciis: sic etiam ipsas sæpe Provincias subjugatas nomen suum ferre volebant: quod Opidis quoque evenisse docebunt in sequentibus exempla.

Territo-

Territorium, apud Ciceronem & alios, universitas Agrorum, inquit Pomponius I.C, intra cuiusque Civitatis fines: dictum, quod maxime teratur; vel à Terrore, quo Iudex utitur in Iure dicundo. Ejusdem cum eo notionis *Diœcesis*; quæ tamen vox nunc fere usurpatur pro eo tractu, in quem jus suum exercet Episcopus. *Territorium. Diœcesis.*

Vrbs ab orbe; quod, ut post Varronem vult Isidorus, in orbem antiquitus fierent Vrbes: vel, ut idem, ab Vrbo, Aratri parte, quo Muri describebantur; hoc quo modo quibusque ritibus, saltem in Latio, fieri solitum, explicant Varro libro IV. de LL, Plutarchus in Romulo, Dionysius lib. I. Antiquit. Roman. Livius libro I. ab V.C, Isidorus lib. XV. Originum, cap. II, Servius ad Aeneidem Virgilianam, & alij. Quemadmodum autem Ἄστυ proprie de Athenis; de Alexandria vero Ægypti, Πόλις: sic Vrbs per Antonomasiam, inquit Quintilianus lib. VIII. Oratoriarum Institut. cap. II, de Roma; quum cetera dicantur Opida. *Civitas* conlecta Civium multitudo. *Opidum* Ciceroni, Varroni, Festo, Isidoro, alijs, ab Ope; munitur enim Opis & auxilij caussa; vel quod opus eo sit ad vitam tuto & absque periculo transigendam; vel quod Opere muniantur Mœnia, quo munitius sit opidum; vel denique ab Oppositione Murorum contra vim & incursiones hostium. Opidorum originem sic indicat Isidorus lib. XV, capite jam indicato (proculdubio ex libro M. Tullij I. de Gloria; innuente, ex Verrio Flacco, Festo lib. XIII. de Verbor. Significat.) *Homines*, inquit, *primum, tamquam nudi & inermes, nec contra belluas præsidia habebant, nec receptacula frigoris & caloris; nec ipsi inter se homines ab hominibus satis erant tuti. Tandem naturali solertia speluncis silvestribusque tegumentis Tuguria sibi & Casas virgultis arundinibusque contexuerunt; quo esset vita tutior, nec ijs, qui nocere possent, aditus esset. Hæc est origo Opidorum; quæ, quod opem darent, idcirco Opida nominata dixerunt.* Vrbes Nomina, cum aliunde, tum ab Conditoribus sumere solitas, testatur Caput Orbis, Roma; quam sic, non Romulam, dixit Romulus, ut, quemadmodum scribit ex Festo Paullus Diaconus, ampliore vocabuli significatu prosperiora suæ Patriæ ominaretur: Item ab ijs, per quos erant vel amplificatæ, teste Vegetio lib. IV. de re militari Prologo; vel restauratæ, quod notat D. Hieronymus principio sui Chronici, de Helenopoli. Exempla suppeditat Isidorus lib. XV. Orig. cap. I. De Vrbe, Opido, Civitate sic eleganter M. Tullius I. de Republ. *Quam quum locis manuque sepsissent, ejusmodi conjunctionem tectorum Opidum vel Vrbem appellarunt, delubris distinctam spatiisque communibus. Omnis ergo populus, qui est talis cœtus multitudinis, qualem exposui, Civitas est.* *Vrbs. Ἄστυ. Πόλις. Civitas. Opidum. Opidorum origo: urbibus unde Nomina.*

Municipium urbs erat, quæ Civitatis Romanæ gaudebat Privilegijs. Municipiorum duo erant genera; quædam, quæ omnia, quorum memini, Priuilegia habebat præter Suffragii lationem; quædam, quæ Civitatem ipsam cum Suffragio obtinuerant. De priore genere Servius, *Municipium*, inquit, *id genus hominum dicitur, qui, quum Romam venissent, neque Cives Romani essent; participes tamen fuerunt omnium rerum ad Munus fungendum una cum Romanis Civibus, præterquam de Suffragio ferendo, aut Magistratu capiendo.* Sic Festus lib. XI de verbor. signific. *Municipes erant, qui quum ex alijs Civitatibus Romam venissent (*hoc est; ut docti Viri interpretandum censent, *Civitate donati essent) eis non licebat Magistratum capere, sed tantum Muneris partem.* De posteriore genere Agellius lib. XVI Noct. Attic. cap. XIII. *Municipes sunt Cives Romani ex Municipijs suo jure & legibus utentes, Muneris tantum cum Populo Romano honorarij participes: à quo Munere capessendo appellati videntur, nullis alijs necessitatibus adstricti, neque ulla Populi Romani lege, quum numquam Populi eorum fundus factus esset.* His sua erant in suis Municipijs Sacra quæ *Municipalia* dicebantur, de quibus sic Festus: *Municipalia Sacra vocantur, quæ ab initio habuerunt ante Civitatem Romanam acceptam, quæ observare eos voluerunt Pontifices, & eo more facere, quo fecissent antiquitus.* De Municipibus Vlpianus IC. lib. I: *Municipes aut Nativitas facit, aut Manumissio, aut Adoptio: & proprie quidem Municipes appellantur Muneris participes, recepti in Civitatem, ut Munera nobiscum facerent.* In Municipijs porro, quemadmodum Romæ, tres Ordines fuisse, Decuriones, Equites & Plebem; Consilia publica duo, Senatus & Populi; Magistratus item, Dictatorem, Duumviros, Quatuorviros, Censores, Ædiles & Quæstores; Sacerdotes denique Flamines Municipiorum: ex Decurionum etiam ordine Decemprimos legi solitos, qui, ut scriptum est apud Hermogenianum, Tributorum exactioni ita præerant, ut, si quæ detrimenta Fiscus mortuorum caussa contraheret, ipsi suis sumtibus resarcirent: plene notant ex varijs Scriptoribus in Antiquitatum Romanarum historia alij. *Municipium. Municipiorum duo genera. Sacra Municipalia. Ordines tres in Municipiis. Magistratus, Sacerdotes. Decemprimi.*

Colonia

Colonia.

Colonia Isidoro urbs, quæ ob Indigenarum inopiam novis Cultoribus impletur; vel aliunde deportatis Opidanis nova exstruitur. De ijs sic Agellius loco jam indicato, ubi eas committit cum Municipiis: *Sed Coloniarum alia necessitudo est. Non enim veniunt extrinsecus in Civitatem, nec suis radicibus nituntur, ut Municipia; sed ex Civitate quasi propagatæ sunt, & Iura Institutaque omnia Populi Romani, non sui arbitrij, habent.* Magis igitur Coloniarum, quam Municipiorum, conditio obnoxia erat minusque libera; potior tamen & præstabilior propter amplitudinem & majestatem Populi Romani: cujus, ut scribit Onuphrius Panuinius, Coloniæ quasi parvæ quædam erant effigies.

Mos deducendi Colonias.

Deducendi Colonias mos ab Romulo; primo Romanorum rege, institutus, frequentissimus deinde perseveravit apud Romanos. Nam, ut late scribit Dionysius Halicarnass. lib. II. Antiquit. Romanarum, hostibus victis agrique & regionis parte multatis, in agris captis vel novas urbes condebant; vel in antiquitus conditas, veteribus colonis alio migrare jussis, eum novorum ex urbe Civium per III Viros, ad id creatos, deducebant numerum, qui agro capto colendo sufficere posset. Hi in Coloniam deducti evestigio novam instituebant reip. administrandæ rationem, Romanæ plane similem.

Coloniarum Leges.

Coloniarum Resp. in Legibus Legumque Curatoribus posita erat. Leges vel à Populo Romano accipiebant, vel ipsæ sibi per Senatum aut Populum condebant. Legum Curatores vel Magistratus erant, vel Sacerdotes: hi Divinarum; illi Humanarum.

Sacerdotes.

Sacerdotes erant Pontifices & Augures; quorum sæpe mentio in antiquis marmoribus.

Magistratus.

Magistratus, ut Decuriones, Duumviri, Quatuorviri, Ædiles, Quæstores creari soliti ex Colonis. Quum enim, ut Romæ Senatores erant & Populus, in Colonijs essent Decuriones & Plebs; ex Decurionibus singulis annis duo vel Quatuorviri Iuri dicundo creabantur, pro Coloniæ quantitate. Hi Consulum erant instar Romanorum. Creabatur & Aedilis, qui Viarum, Aedificiorum publicorum, Annonæ, & locandorum Redituum; item Quæstor, qui Aerarij publici curam habebat: in reliquis omnibus more, legibus & institutis Romanis vivebant. Censores etiam in Colonijs erant, ibique Censum agebant, uti constat ex non uno Livii loco.

Patroni.

Leguntur & fuisse Coloniarum Patroni: sic Bononienses in Antoniorum Clientela fuisse prodit Suetonius in Augusti vita cap. XVI; Lacedæmonios in Claudiorum, idem in Tiberio cap. VI; Puteolanos in Cassiorum, M. Tullius in Philippicis; alios in aliorum fuisse tutela loquuntur alij Scriptores & vetusta Lapidum Monimenta.

Præfectura.

Præfecturæ erant Opida Italiæ, in quibus qui habitabant nec suis Legibus, ut Municipes, vivebant; nec ullis de suo corpore Magistratus creare poterant, ut Coloni; sed à Magistratibus Roma missis regebantur ijs Legibus, quas Romanus Magistratus dixisset: qui quum Præfectus diceretur, eam ob caussam appellabantur Præfecturæ. De ijs Festus lib. XIV de verb. signif. *Præfecturæ hæ vocantur in Italia, in quibus & ius dicebatur, & Nundinæ agebantur: & erat quædam earum Respublica; neque tamen Magistratus suos habebant: In quas Legibus Præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent: Quarum genera fuere duo: alterum, in quas solebant ire Præfecti decem, Populi suffragio creati; & erant hæc opida, Capua, Cumæ, Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteoli, Acerræ, Suessula, Atella, Calatia: alterum, in quas Prætor Vrbanus quotannis Præfectos ex legibus mittebat, ut Fundi, Formiæ, Cære, Venafrum, Allifæ, Privernum, Anagnia, Frusino, Reate, Saturnia, Nursia, Arpinum, & alia complura.* Exemplum in Capua, quam nominat Festus, apud Livium lib. XXVI; ubi inter alia, post varias in Senatu de Vrbis victæ statu disceptationes, sic inquit: *Ceterum habitari tantum, tamquam Vrbem, Capuam, frequentarique placuit: nullum corpus Civitatis, nec Senatus, nec Plebis Concilium, nec Magistratus esse. Sine Consilio publico, sine Imperio; multitudinem nullius rei inter se sociam ad consensum inhabilem fore: Præfectum ad jura reddenda Roma quotannis missuros.*

Earum Ordines.

Illud satis constat ex varijs Veterum Auctorum scriptis, in Præfecturis tres fuisse Ordines, Summum, Medium, Infimum: Summum Ordinem Conventum dici solitum; Medium Equitum; Tertium fuisse Populi vel Plebis:

Magistratus.

Magistratus inibi fuisse duplices; alios Roma mitti, alios è Præfectura creari solitos: qui Roma mittebantur, Præfectos appellatos, jus dixisse; qui è Præfectura creabantur, ut Aediles & Quæstores, publicæ alicui curationi præfuisse. Præfectos Festus Quatuorviros aut Sexviros dictos tradit. Nominantur & à Cicerone lib. III de Nat. Deor. Sexprimi in Præfecturis; qui fortean Decemprimis Municipalibus respondebant.

Occurrit

Forum.

Occurrit etiam frequenter apud Geographos aliosque Scriptores in Locis, Opidis præcipue, designandis *Fori* vocabulum. *Fora* in Italia & Provincijs erant, partim ubi Prætores juris dicundi caussa Conventum habebant, partim quæ Nundinationis gratia erant instituta. De utraque Vocis notione ex Festi lib. VI. de Verbor. signif. Paullus Diaconus in rutis cæsis: *Forum sex modis intelligitur. Primo Negociationis locus, ut Forum Flaminium, Forum Iulium, ab eorum nominibus, qui ea Fora constituenda curarunt.* Et paullo post: *Tertio, quum is, qui Provinciæ præest, Forum agere dicitur; quum Civitates vocat, & de controversiis eorum cognoscit.* Ad posteriorem respicit etiam Nonius Marcellus, quum inquit, Fora fuisse Loca, *in quibus jus dicebatur.*

Legio.

Legionis etiam nomen Opida sæpe gerere leguntur. Quum enim Augustus Imperator bellis civilibus confectis, & pace cum Populo Romano terra marique parta, rerum potitus esset; multas militum Legiones legit, easque certis auctoramentis habuit mercenarias; quæ certis stationibus ad Imperii Romani limites contra barbaras nationes, earumque incursiones, dispositæ; &, vel Fluviorum, ut Rheni, Danubii, Euphratis magnitudine, vel montibus asperrimis, vel desertis & imperviis locis munitæ, paullatim in Opida vel vicos degenerarunt: quemadmodum passim in reliquo meo Opere videbimus. Legionibus huiusmodi (nam & hoc in genere monendum hic) nomina erant ex varijs caussis: ab Ordine, quo unaquæque earum in aliquo loco constituta fuerat, ut Prima, Secunda, Tertia, Decima, Vicesima; quumque sæpe fieret, ut duæ vel tres varijs in locis constitutæ, omnes Primæ vel Secundæ, vel Tertiæ appellarentur, visum est eas inter se cognominibus distinguere, ut una quidem esset Prima Adjutrix, alia Prima Minervia, alia, dicis gratia, Prima Parthica. Vel ab Nominibus vocabantur eorum, qui eas instituerant; ut Augusta, Claudiana, Galbiana, Flavia, Vlpia, Trajana: vel à Provincijs devictis; ut Parthica, Scythica, Gallica, Arabica, Hispanienses: vel ab locis, in quibus primo institutæ manserunt; ut Italica, Fretensis, Cyrenaica: vel ab Nominibus Deorum Dearumque, quibus earumdem auctores erant addicti; quales Minervia, Apollinaris, Veneria: vel denique ab alijs Eventibus; ut Gemina, Adiutrix, Martia, Victrix, Fulminatrix, Rapax, Alauda, Primigenia, & id genus aliæ.

Emporium.

Emporium locus Mercatus, vel Nundinarum, ἀπὸ τῦ ἐμπορεῖν. Talis Barne Mesopotamiæ Municipium, de quo sic loquitur Ammianus lib. XIV: *Refertum*, inquit, *Mercatoribus opulentis; ubi annua solennitate prope Septembris initium ad Nundinas magna promiscuæ fortunæ convenit multitudo; ad commercanda, quæ Indi mittunt, & alia plurima vehi terra marique consueta.*

Castellum. Vicus. Pagus.

Porro *Vici, Castella, Pagi* sunt ij, inquit Isidorus lib. XV. cap. II. *qui nulla dignitate Civitatis ornantur; sed vulgari hominum conventu incoluntur, & propter parvitatem sui majoribus civitatibus attribuuntur. Castellum* apud M. Ciceronem & Cæsarem, Opidulum muro cinctum. *Vicus* locus pluribus Villis domibusve rusticis coagmentatus, spacio aliquantulo ab Vrbe remotus, nullis mœnibus circumdatus; dictus Isidoro ab vicinis tantum habitatoribus; vel quod Vias habeat tantum sine Muris; vel quod vice sit Civitatis. Dicitur & *Pagus*, ἀπὸ τῶν πηγῶν: circa Fontes enim habitare gaudent Rustici, ut facilis sit aquatio, inquit Festus. Plura de his apud Aldum Manutium lib. II. Quæsitorum, Epist. VIII.

Silva. Saltus. Nemus. Lucus. Roborarium. Arbustum. Tesqua.

Silva, quæ ὕλη, id est, materia lignisque abundat. *Saltus* densior silua & opacior; in qua æstivare pascique solent feræ, quod, ut notat Isidorus, arbores ibi saliant in altum: videndus & Ælius lib. II. significationum, quæ ad ius pertinent, apud Festum. *Nemus* locus arboribus consitus, amœnus, ut Festus scribit, virens, opacitate umbrosa, frigore gratus. *Lucus* densa intactis arboribus Silua, Numini alicui consecrata, eamque ob caussam incidua: dicta Seruio per antiphrasin, quod non luceat; vel, ut censet Isidorus, quod Soli lucem detrahat; idem & ab collucendo dirivat, quod crebra ibi lumina lucerent ob religionem cultumque Gentilium. *Roborarium* Agellio lib. II. cap. XX: septum è robusteis tabulis, intra quod Cervi & Feræ includuntur. *Arbustum* locus amœnitatis vel utilitatis gratia arboribus consitus. *Tesqua* Accio, Ciceroni alijsque, inculta, deserta, inhospita, aspera, difficilia loca; ipso situ silentioque religionem & horrorem incutientia. Varroni quasi Tuesca à tuendis sacris.

Campus. Ager.

Campus amplum Terræ spacium, à Capiendo, ut vult Varro: vel, ut Isidorus, ab Græca voce χαμαί, humi. *Ager*, quod, ut cum M. Terentio Varrone censet Ælius

Donatus,

Pascuum. Pratum. Donatus, in eo multa agenda. *Pascuum*, ubi pecora pascunt. *Pratum*, in quo ad percipiendum fructum falce duntaxat opus est; quod sine ope, ut scribunt Varro & Columella lib. II. de re rustica cap. XVII, paratum sit. *Arvum.* *Arvum* Varroni I. de re rustica, cap. XXIX, & Festo; quod aratum necdum satum est: Seges quod aratum & satum.

Mons. *Mons* tumor, inquit Isidorus lib. XIV. Orig. cap. VIII, terrarum altissimus; quasi eminens: Ejus partes *Iugum* vel *Cacumen*: *Supercilium* eminentior montis vertex; *Dorsum* vel *Clivus*, montis latus; *Radix*, vel, ut Cæsari alijsque dicitur, *Pes*; quam vocem hac notione multi populi in suo idiomate agnoscunt. *Collis.* *Collis* minor mons à colendo Varroni; quasi Collum, Isidoro. *Tumulus.* *Tumulus* Isidoro mons brevis, quasi tumens tellus. *Vallis.* *Vallis* planicies duobus lateribus inclusa, hinc inde montibus vallata: *Valles* vocat Isidorus humilia loca, quasi vulsa; hinc *Convallis*, Vallis undique montibus circumdata. *Rupes.* *Rupis*, quæ & *Petra* vel *Cautes*, præruptum & inaccessum saxum, à rumpendo: ejus extremitas *Crepido*. *Scopulus.* *Scopulus* mons saxeus vel rupes è mari eminens, cujus acumen *Murex*. *Fauces.* *Fauces* Isidoro angustorum locorum aditus inter arduos montes ab Faucium similitudine. Sed minutiora sunt hæc, quam ut diutius immorer.

Populis, Regnis, Provinciis suos destinavit DEVS Angelos; quasi Præsides. Vnum, quod huic loco non male convenit, adscribam; DEVM Providentia sua singulari singulis Ecclesijs, Populis, Regnis, Provincijs suos speciatim Angelos, à quibus custodiantur, adsignasse: quod ex cap. Iehos. V, 13. Danijel. X, 13, & alijs Sacræ Scripturæ locis colligunt Patres, Clemens Romanus lib. II. Recognit. Clemens Alexandrinus lib. VI. Stromat. Theodosius Orat. X. in Danijel. D: Isidorus lib. I. de Summo Bono cap. II; & ex Philone atque Nazianzeno Arethas in I. & II. cap. Apocalyps. Quin, antea quam caperentur ab Tito Romanorum principe Hierosolymæ, auditam vocem, quæ testabatur migrare Numen urbis, memoriæ produnt non modo Tacitus lib. IV. Histor. sed & Iosephus lib. VI. de bello Iudaico, & Nicephorus lib. III. Histor. Eccles. cap. IV. Gentiles, qui Sacrarum Litterarum lectionem non omnino avorsabantur; veram mentem non adsequuti, ut alia multa, sic sacrosanctam illam de Angelorum præsidio sententiam inibi animadversam plane pervorterunt; *Genii Locorum.* quosdam Genios commenti Provinciarum, Vrbium, Coloniarum; ut testatur Tertullianus libro de Idololatr. & legere est apud Symmachum in libello ad Theodosium Imperatorem, *Varios*, inquit, *Custodes urbibus Mens Divina destribuit; ut Anima Nascentibus; ita Populis Fatales Genij dividuntur.* Eo pertinent Poetæ illa:

Dodone tibi Iupiter sacrata est;
Iunoni Samos & Mycenæ diti;
Vndæ Tænaros Aequorisque regi;
Pallas Cecropias tuetur arces;
Delphos Pythius Orbis umbilicum;
Creten Delia Cynthiosque colles,
Faunus Mænalon, Arcadumque silvas,
Est tutela Rhodos beata Solis;
Gades Herculis humidumque Tybur,
Cyllene celeri Deo nivosa;
Tardo gratior æstuosa Lesbos:
Aetnææ Cererem nurus frequentant;
Raptam Cyzicos ostreosa Divam;
Formosam Venerem Cnidos Paphosque,

Sic Ovidius lib. III. Fastorum:

Pallada Cecropiæ, Minoia terra Dianam,
Vulcanum Tellus Hypsipilæa colit,
Iunonem Spartæ, Pelopeiadesque Mycenæ,
Pinigerum Fauni Mænalis ora caput:
Mars Latio venerandus erat.

Seneca in Agamemnone, Act. I: Choro:

Ades ô magni
Soror & Coniux consors sceptri
Regia Iuno: tua te colimus
Turba, Mycenæ: tu sollicitum
Supplexque tui Numinis Argos
Sola tueris.

Tertul-

Tertullianus in Apologet. cap. x. Genios hosce vocat *Proprios*; nonnullos enumerans cap. xx : *Vnicuique*, inquit, *Provinciæ & Civitati suus est Deus: ut Syriæ, Astarte; ut Arabiæ, Disares; ut Norici, Belenus; ut Africæ, Cælestis; ut Mauritaniæ, Reguli sui*: & paullo post: *Crustuminiensium, Belventinus; Narniensium, Vividianus; Asculanorum, Ancaria; Volsiniensium, Narsia; Ocriculanorum, Valentia; Sutrinorum, Nortia; Faliscorum in honore est pater Curis*. *Patrios Deos* nominant hos Genios Cicero orat. pro Sestio, Virgilius lib. I. Georgic. Silius Italicus lib. IV. de bello Pœnico, & alij. Hujusmodi Genii sæpe occurrunt in antiquis monimentis: *Genius Coloniæ*, in Inscriptione quadam Neapolitana & Tarraconensi; *Genius Coloniæ Puteolanorum*, in alia Neapolit. *Genius Conventus Asturicensis*, in alia Tarraconensi: *Genius Loci* in duobus lapidibus Cantharopoli, opido Nechari in Germania. Credebant autem Veteres Genios tales urbes expugnandas vel sponte deserere, vel solenni prece evocatos alio migrare. De spontanea desertione Virgilius lib. II. Aeneid.

Patrii Dii.

Genii urbes suas expugnandas deserebant.

Excessere omnes adytis, Sacrisque relictis
Dii, quibus Imperium hoc steterat.
Peritura Troia perdidit primum Deos.

Petronius Arbiter:

Æschyli Scholiastes: λέγεται γὰρ ὅτι, ὅταν ἔμελλε πορθηθῆναι ἡ Τροία, ἐφάνησαν οἱ θεοὶ τοῖς Τρωσὶν, ἀπολόμενοι ἐκ τῶν ναῶν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν. Solennis Evocationis ritus ab Sammonico Sereno lib. v. rerum reconditarum ex Furio scriptore prisco refertur apud Macrobium lib. III. Saturnal. cap. IX : exemplum autem est apud Livium lib. v. ab V. C. ubi de Vejentium oppugnatione. Ne vero contra Romam ab hostibus Tutelaris Romæ Deus evocaretur, Romani verum ejus nomen ignotum esse vulgo volebant. Plinius lib. XXVIII. nat. histor. cap. II : *Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat in Oppugnationibus ante omnia solitum à Romanis Sacerdotibus evocari Deum, cujus in tutela id opidum esset: promittique illi eumdem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultumve. Durat in Pontificum disciplina id Sacrum: constatque ideo occultatum, in cujus Dei tutela Roma esset, nomen, ne qui hostium simili modo agerent.* Legendi & Solinus in Polyhistore, Plutarchus ἐν Αἰτίοις, Servius ad librum I. Georgic. Ab hujusmodi etiam Genijs & Diis Topicis orta Veteribus Consuetudo, ut qui primum ingrederentur aliquam Regionem vel Vrbem, ad eamve ex intervallo aliquo reverterentur, religiosa prosequerentur salutatione; cuique loco suum Genium arbitrati præesse. Scholiastes in Apollonij II: τοὺς ἐπιδημοῦντας ἔθος ἦν ἐν τῇ ἀλλοδαπῇ θύειν θεοῖς ἐπιχωρίοις καὶ ἥρωσι. τοῦτο φασὶ καὶ Ἀλέξανδρον ποιῆσαι τὸν Μακέδονα ἐν Ἰλίῳ. Exempla huic ritui probando multa congerunt ex Plauto Bacchid. Act. II. Sc. I, Stich. Act. v. Sc. II; Virgilio VII. Æneidos; Ovidio I. Fastorum; Seneca Agamemn. Act. IIII. Sc. I; Claudiano de raptu Proserpinæ; & alijs, Antonius Muretus in Variis Lectionibus, Barnabas Brissonius lib. I. de Antiq. Roman. Formulis, M. Antonius Delrio in Agamemnon. Senecæ. Sufficiant hæc: pergam ad Partem Operis mei secundam; si memoriæ & intellegentiæ juvandæ subtexuero præcedentium Librorum Tabulam.

Vel solemniter evocati alio migrabant.

Tutelaris Romæ Numinis nomen ignorabatur.

R BRE.

BREVIARIVM
PARTIS I.

Libri I.

De VNIVERSO agitur vel

- *Generatim, de*
  - *Creatione. Hic perpendenda*
    - *Diffinitio. Quid sit Mundus.* Cap. I.
    - *Caussa: quarum alia*
      - *Ante rem, ut*
        - *Efficiens.* DEVS *quidquid est creavit.* II.
        - *Materia, quæ*
          - *In Principio quidem Nihil,* III;
          - *Deinde vero Chaos quoddam, id est, Materia prima informis omnino, cui tamen inerat quædam ad Formas futuras suscipiendas Potentia. Videndum hic,*
            - *Quo ordine sex Dierum spatio* DEVS *ex Chao singula potenter eduxerit.* IV.
            - *Quo modo singula ordine creata in unũ, idq; Finitum coaluerint.* V
      - *Cum Re, quales sunt*
        - *Forma. Est illa vel in*
          - *Figura ipsa. Mundus enim plane rotundus.* VI.
          - *Concentu, quo Creata omnia mirandum in modum inter se consonant.* VII.
        - *Finis, respectu*
          - *Sui. Creata enim hac Moles, ut,*
            - *quemadmodum Tota in tempore cœpit:* VIII.
            - *sic Partes ejus Inferiores, quum magna Dies advenerit, pereant.* IX.
          - *Aliorum. Mundus enim creatus, ut primario propter* DEVM, *sic secundario Hominis caussa; quo ex creata Molis adspectu* DEVM *esse sciret & crederet, tamquam ex Magno Libro.* X.
  - *Gubernatione.* DEVS *enim non solum quidquid est creavit, sed creata etiam conservat & gubernat, omnia, etiam Minima, non immediate solum, sed & mediate.* XI.

Libri II.

- *Speciatim. Vniversi aliud hic est*
  - *Cõstans & æternũ, ut*
    - *Cœlum; cujus nomine donamus quidquid ab Luna sursum est; ut est totum istud expansum, quantumquantum est, quod Elementarem Regionem ambit & circumamplectitur.* Cap. I. *Estque vel*
      - *Firmum & Stabile; ut Empyreum,* DEI *& Beatorum Geniorum sedes & διάστημα; nonnullis ante omnia creatum, alijs increatum; Veteribus etiam cognitum Ἀνάστρα appellatione.* II.
      - *Volubile circa Axem; quem terminantia Puncta dicuntur* Πόλοι *Græcis,* Vertices *Latinis, &c. Vide ad litteram* A.
    - *Stella, quæ nihil aliud quam densior Orbis Cœlestis pars.* B.

Libri III.

  - *Inconstans & perpetuis obnoxium Mutationibus; ut Elementa.* C.

A Volubile circa Axem. Hic consideranda Cæli huius

- *Puncta, quæ Græcis* Πόλοι, Vertices *Latinis, quorum alter* Boreus, Notius *alter* *Cap.* III,
- *Distributio. Est enim vel*
  - *Circulis insignitum.* De *Circulis dicta*
    - *Vniversim, ubi de Circuli Diffinitione, & aliis* IV.
    - *Speciatim. Est enim vel*
      - *Maior. Hic in Aequalia segmenta Mundum partitur. Estque vel*
        - *Idem ubique. Hic intelligitur secundum Mundi vel*
          - *Longitudinem; quæ consideratur secundum Mundi Motum ab Ortu in Occasum; & inde in Ortum. Est autem vel*
            - *Rectus, ut* Aequinoctialis, *æqualiter Polis interiacens.* V.
            - *Obliquus,* λοξὸς, Zodiacus, *inæqualiter inter Polos locatus.* VI.
          - *Latitudinem. Hi Circuli in Polis ad Angulos rectos se mutuo bisecant: Zodiacum autem vel potius Eclipticam quadripartiuntur in Aequinoctiorum Solstitii & Brumæ Punctis, pro anni quadripartita vicissitudine. Vocantur autem* Coluri, *hoc est,* mutilati; *quorum alter est*
            - *Aequinoctialis*
            - *Solstitialis*
            - *uterq; ab loco nomen sortitus* VII.
        - *Alius alibi. Estque vel*
          - Horizon; *cuius duplex Divisio*
            - I. *quæ mutuata ab varia Polorum elevatione. Est enim*
              - *Rectus,*
              - *Obliquus*
            - II. *ab hominis sumta sensu & ratione. Hic vel*
              - *Sensibilis.*
              - *Rationalis.*
            - VIII.
          - Meridianus IX.
      - *Minor. qui Mundum dividit in segmenta inæqualia, Minores sunt in duplici discrimine. Alii in Sphæra*
        - *usum præstant. Hic Minor Circulus est vel*
          - *ubique Idem, ut Circulus* Tropicus
            - Cancri, *ubi Solstitium est;*
            - Capricorni, *ubi Bruma.*
            - X.
          - *Alius alibi;* Polaris. *Mutatur enim pro Poli exarmate. Estque*
            - Arcticus,
            - Antarcticus.
            - *Nam describuntur a Puncto sectionis, qua Meridianus & Horizon se secant mutuo.* XI.
        - *nullius sunt usus, quales sunt cum aliis, tum* Lacteus Circulus XII.
  - *Globis & Circulis diremtum. Huius Historiam duobus includo capitibus; quorum*
    - I. *de* Numero *Cælestium Orbium, qui varius; vere octonarius* XIII.
    - II. *de eorundem* Motu XIIII.

B. De Stellis agam vel

- *Generatim; hic quæram*
  - I. *Stellarum Descriptionem. cap.* XV.
  - II. *An Astrologia & quatenus licita.* XVI.
- *Singulatim. Singulariorem Siderum considerationem pandet Distributio. Sunt enim alia*
  - *Fixa, vel Inerrantia in Cœlo Stellifero vel Firmamento. Hæ describuntur mihi quatenus*
    - Ἀσυνθετα. *Hic explico, quis illis Motus: quis Numerus, quæ secundum Magnitudinem Classes.* XVII.
    - Συνθετα, *id est, ut Signa constituentia & μορφώσεις. De quibus in*
      - *Genere. Nomina Signis non nuper imposita, sed ante aliquot secula.* XIIX.
      - *Specie. Alia enim*
        - *In Zodiaco, ut* Aries, Taurus, Gemini, *&c.* XIX.
        - *Extra Zodiacum: quorum alia*
          - *Septemtrionalia.* XX.
          - *Austrina. Hæc duplicis generis, Alia quæ*
            - *Veteribus æque ac Nobis cognita.* XXI.
            - *Nobis nuper innotescere cæpta.* XXII.
  - *Errantia, id est Planeta, singuli in suis Orbibus; qui extimo, id est Stellifero, sunt citeriores. De his item in*
    - *Genere, unde dicti, quis Motus, quis Ordo, Situsque, quæ Adfectiones, Domicilia, Exaltationes, Adspectus, Distributio.* XXIII.
    - *Specie. Sunt enim vel*
      - Φωστῆρες, *Tenebras discutientes, & umbras facientes, ut*
        - Sol, *in Planetas medius.*
        - Luna, *Terris citima:*
      - Ἀστέρες; *quorum alij Sole sunt*
        - *Superiores*: Saturnus, Iupiter, Mars:
        - *Inferiores*: Venus, Mercurius.
      - *His in Vniverso talis ordo Situsque*
        - Saturnus, Iupiter, Mars, XXIV.
        - Sol, XXV.
        - Venus, Mercurius, XXVI.
        - Luna, XXVII.

LIBRI III.

C. Inconstans & perpetuis obnoxium mutationibus, ut Elementum: de quo

- Vniversim; de
  - Diffinitione; Corpus esse Simplex, Finitum, Vmbrosum, Luce & Lumine destitutum Cap. I.
  - Numero. Tria tantum esse, quum Ignis non sit Elementum. II.
- Particulatim. Est enim Elementum vel
  - Pellucidum; quod, quia rarum, lumini est pervium, ut
    - Aer. III.
    - Aqua; de qua in
      - Genere: Quid, unde dicta; unum formare cum Terra Globum; quod eius Centrum; quæ Effecta; Divisio. IV.
      - Specie. Est enim vel
        - Mota. Hæc vel
          - reciproco motu agitatur; ut Maria; quorum explicantur hic
            - Communes Adfectiones, ut Diffinitio, Aestus, Salsedo, congelatio, color, Profunditas, & similia. V.
            - Species, ut sunt
              - Oceanus. VI.
              - Mediterranea,
                - Maiora. VII.
                - Minora. VIII.
              - Euripi. IX.
          - uno tantum agmine perpetuo defluit; ut Fons; Fluuius, Rivus, Torrens, X.
        - Quieta, ut Lacus, Stagnum, Palus. XI.
  - Opacum, Terra, De qua quædam
    - Generalia præmittuntur, ut quæ consentiunt illi vel
      - Absolute; quales Caussæ, vel
        - Ante Rem, ut Efficiens, Materia, XII.
        - Cū re, ut
          - Forma. Est enim, ut Totum, σφαιροειδὴς, XIII.
          - Finis. Terræ dominium DEI; usus hominum: XIV.
      - Modo quodam, ut sunt
        - Subiectum. Locus. Terra Centrum Vniversi. XV.
        - Adjunctum. Quantitas. Terra ad Cœlum, instar Puncti; ad Nos immensa Globositas, XVI.
    - Specialia explicantur, ut variæ Divisiones, ratione vel
      - Adiūctorū. Ea voco, quæ Terræ accidunt ratione
        - Superiorum vel Cœlestium in Circulos; quorū describuntur
          - Necessitas & Partes. XVII.
          - Species; De his
            - Separatim, Sunt enim
              - Lōgitudinis. XIIX.
              - Latitudinis. XIX.
            - Iunctim. Hic de Locorum Dimensionibus. XX.
        - Inferiorum. Hic Terra dividitur in Portiones
          - Maiores, respectu
            - Vmbræ, in Ἀμφίσκιας, Ἑτερόσκιας, Περίσκιας. XXI
            - Aeris Temperiei, in Zonas. XXII
          - Minores, horarum variantium ratione, in Climata. Hic Corollarij loco describuntur voces Geographicæ.
      - Partium. Terra distribuitur ratione nō nostræ Scientiæ, sed Essentiæ. Est enim vel
        - Continens, Hæc primo Meridiano, qui per Canarias ducitur, dividitur in Hemisphærium
          - Eoum, quod veteribus cognitū. Hoc in latus dividitur
            - Boreum; cuius Partes statuo
              - EVROP. PARS II.
              - SCYTHIAM PARS. III.
            - Austrinū huius
              - ASIAM PARS. IV.
              - AFRIC. PARS. V.
          - Occiduum, quod iam ante C. annos detegi cœpit: AMERICA dicitur ab Inventore. PARS. VI.
        - Insula maris tam Oceani, quam Mediterranei PARS. VII.

FINIS PARTIS I.

PAVLLI G.F.P.N. MERVLÆ

COSMOGRAPHIÆ

PARTIS II,

Qua suis coloribus Europa delineatur,

LIBER I.

DE EVROPA universim.

Cap. I.

Methodica Orbis Terrarum Distributio.

Orbis Terrarum Duas Partes, Asiam & Europam faciunt Veteres;

quorum alij Africam sub Asia,

TERRAM Adjunctorum respectu distribui, flagitat ordo, ut quo modo Partium ratione dividatur, aperiam. Terrarum Orbem Veteres, quibus non ita, ut nobis hodie, innotuerat, nunc in Duas Partes, nunc in Tres sunt partiti. Qui in Duas, Asiam & Europam, alios Africam comprehendisse lego sub Asia, alios sub Europa. Sub Asia quidem complectuntur Scriptor Antiquissimus Eratosthenes, de quo M. Terentius Varro lib. 1. de Re Rustica, cap. II; *Primum quum Orbis Terræ divisus sit in duas Partes ab Eratosthene, maxime secundum naturam, ad Meridiem versus, & ad Septemtriones; Et sine dubio, quoniam salubrior pars Septemtrionalis est quam Meridiana, & quæ salubrior, illa fructuosior; dicendum magis Europam fuisse oportunam ad colendum, quam Asiam, ibique Italiam; primum, quod est in Europa, secundo, quod hac temperatior pars est, quam interior; nam intus pene sempiternæ hiemes:* & ipse Varro lib. 1. de Lingua Latina: *Vt omnis,* inquit, *natura in Cælum & Terram divisa est: sic Cælum in Regiones, Terra in Asiam & Europam. Asia enim iacet ad Meridiem & Eurum: Europa ad Septemtriones & Aquilonem.* Respicit eo Silius Italicus lib. 1. Belli Pœnici:

Aestivo Libye torquetur subdita Cancro,
Aut ingens Asiæ latus, aut pars Tertia Rerum.

Sub

Sub Europa vero locant Africam, præter Isocratem in Panegyrico, Incertiores cum apud Sallustium in Bello Iugurthino, *In divisione Orbis Terræ plerique in Parte Tertia Africam posuere: pauci tantummodo Asiam & Europam esse, sed Africam in Europa*; & Lucanus lib. IX. Belli Pharsalici;

alij sub Europa complectuntur.

Tertia Pars rerum Libye, si credere fama
Cuncta velis; at, si ventos Cœlumque sequaris,
Pars erit Europæ; neque enim plus littora Nili,
Quam Scythicis Tanais, primis à Gadibus absint:

tum apud Augustinum lib. XVI. de Civitate DEI cap. XVII, & Orosium lib. I. cap. II. Quasi Sallustius etiam ejusdem fuisset sententiæ, canit apud Ausonium Pontius Paullinus:

Europamque Asiamque, duo vel Maxima Terræ
Membra: quibus Libyam dubie Sallustius addit
Europæ adjunctam, possit quum Tertia dici.

In tres partes distributio quondam maxime celebris, Europam, Asiam, Africam vel Libyam. Videndi Aristoteles variis locis, Plinius cum alibi, tum lib. III Proœmio, Ptolemæus, Strabo initio lib. XI, Mela lib. I. cap. I, Orosius quem dixi lib. I. cap. II, Festus Avienus in Orbis Terræ descriptione, & qui non? Tripartitam hanc Orbis Terrarum Distributionem primum per Chorographiam ostendisse Divum Augustum, scribit Incertus Auctor Libri de Mensura Orbis Terræ; quem Manuscriptum mihi transmissione liberali communicavit Vir, cum Nobilissimus, tum Doctissimus & Rerum Geographicarum aliarumque, quod Monimenta ab ipso edita plene loquuntur, peritissimus, Marcus Velserus Patricius & VII-VIR Augustanus. Sunt qui Tres illas Partes totidem faciunt Insulas apud Ælianum lib. III Var. histor. cap. XXII. Falso. Europam enim ipsorum Asiæ magno Terrarum spatio ab Fontibus Tanais ad Grandvicum usque Sinum; hanc autem Africæ Isthmo inter Maria Mediterraneum & Erythræum adhærere, vel Pueri noverunt. America potius Insula, quam separari ab locis Europæ, parum adhuc sub Polo notis, aliquo Freto, sunt qui Scriptis produnt.

Distributionem in tres Partes, maxime celebrem & Scriptoribus utriusque ævi nobilitatam,

Primus per Chorographiam ostendit Octavianus Augustus.

An Principes Orbis Terrarum Partes Insulæ.

Mihi, quod instituto meo putavi convenientissimum, Terra vel Continens est, vel Insula. Continentem Primo Meridiano, qui per Canarias ducitur, divido in Hemisphærium Eoum, & Occiduum. Illud Veteribus, non tamen ut hodie Nobis, cognitum: Hoc iam ante centum, & qui excurrunt, annos detegi cœptum; lapsu temporis, si Europæis bonum hoc fœlix & salutare censeat DEUS, detegendum plenius. Eoum Mari Mediterraneo & Tauro Monte (qui, ut inquit Strabo lib. XI. Μῆκος habet ὅσον ἀπὸ τῆς Ἀσίας πελάγων που μυριάδων καὶ πεντακισχιλίων ἀπὸ τῆς Ῥοδίων περαίας ἐπὶ τὰ ἄκρα τῆς Ἰνδικῆς, ad dextram, καὶ Σκυθίας, ad sinistram, πρὸς τὰς ἀνατολάς) sub XXXVI fere Parallelo, dirimitur in latus Boreum & Austrinum. Boreum Ægæo Pelago, Hellesponto, Propontide, Bosporo Thracio, Ponto Euxino, Bosporo Cimmerio, Mæotide Palude, Tanai Fluvio, ductaque ab eius Fonte in Oceanum usque Septemtrionalem Linea, in Europam, quæ Borea pars Occidentalis, & Scythiam, quæ Orientalis, dispescitur. Austrinum Arabico Sinu & Isthmo inter ipsum & Mediterraneum, in Africam partio & Asiam. Occiduum Hemisphærium (quod Veteribus omnino incognitum fuerit, nec ne; alibi dicam) ab Inventore (sic enim nunc loquar) nupero vocatur America, quam Isthmus nobilissimus, & Septemtrionalem facit & Meridionalem. In hac mea distributione primo loco sese offert Europa; quam aperit Pars Operis mei Secunda.

Summa Terrarum Orbis Partitio.

CAP. II.

Ab Europa quur ordiundum.

IN Europa explicanda considerabo vel Totam vel ejus Partes. Totam quidem Vniversim primo, deinde Speciatim. Vniversim aperiam cum Ordinis rationem, quur Europa ante alias Orbis Partes explicari consueuit; tum ipsius Etymon & Appellationes. Quod ad Ordinem: ab Europa Principium mihi, quemad-

Descriptionis Initium ab Europa faciundum suadet ipsius Dignitas & Excellentia.

modum & potissimis Terrestris Globi Delineatoribus. Semper enim reliquis partibus notior fuit & culta magis; celebratissima variis magnorum Scriptorum Monimentis, cum ob admirandum illud Macedonum Imperium, tum summam Romanorum potentiam. Alias confert Ordini stabiliendo Rationes Strabo lib. II. ὅτι πολυσχήμων τε, καὶ πρὸς ἀρετὴν ἀνδρῶν εὐφυεστάτη καὶ πολιτῶν, καὶ ταῖς ἄλλαις πλεῖστον μεταδεδωκυῖα τῶν οἰκείων ἀγαθῶν: διὰ ψῦχος, &c. Et paulo post: πρὸς εἰρήνην καὶ πρὸς πόλεμον αὐταρκεστάτη: καὶ γὰρ τὸ μάχιμον πλῆθος ἄφθονον ἔχει, καὶ τὸ ἐργαζόμενον τὴν γῆν καὶ τὸ τὰς πόλεις συνέχον. Addit deinde Partem hanc ferendis passim Fructibus, qui optimi Vitæque necessarij, excellere; Metallis item, quæ hominibus maximo usui; esse præterea hic, ut incredibilem βοσκημάτων copiam, sic magnam θηρίων raritatem. Paucis idem Strabo eodem libro: Εὐρώπη, inquit, ἔχει πολὺ τὸ σοφὸν, καὶ ἔντεχνον τοῦ βίου. Plinius lib. III. S.P.Q.R. adblanditus Europam dicit, Altricem Victoris omnium Gentium Populi, Terrarumque pulcherrimam. Europam sane compertissimum est Asiæ, Africæ, Americæque, non quidem magnitudine (sunt enim hæ longe ampliores) sed Religione Christiana (cuius illa unicum fere domicilium) Incolarum virtute, Moribus, Diligentia, Vivendi Consuetudine; Vrbium, Pagorumq; frequentia; Rerumque, quæ ad Vitam commode sustentandam necessariæ, abundantia; præsigni denique Cœli Solique Temperie, multis intervallis anteponi. Superbivit olim Africa unica fere sua Karthagine; tumuit vix tribus Asia Vrbibus, Babylone, Ninive & Hierosolymis; Gloriantur hodie America Cusco; Mexicoque Nova Hispania: at vero quis hoc tempore non videt pares majoresque in singulis Europæ Regionibus? Perambulet quis cogitatione solum sua in Italia (exemplum enim subministret hic unus ille Mundi Ocellus) sumtuosam Romæ Magnificentiam, regales Venetiarum Divitias, suspiciendam Neapolis Nobilitatem, ferventia Genuæ Commercia & Negociationes, fœlicem illam & beatam Mediolani Amœnitatem, aliarum denique alia cum Miracula, tum Commoda: Sileant sua, clamare cogetur, sileant Partes Orbis ceteræ: Par nihil Europæ, nihil est secundum. Hæc hodie vere Imperatorum, Regum, Principumque Mater: hæc laudatissimarum Rerumpublicarum Genitrix; hæc fœlicissimorum Ingeniorum Nutrix: Sedes unica Rebus Mortalium bono dextre inveniendis, solaque præclaris Artibus excogitandis consecrata. *Potentem* non semel nominat Statius in Achilleide:

Maxima Terra Viris & fœcundissima doctis
Vrbibus ——

canit de ea Manilius: *Salubriorem, quam Africam*, scribit Varro: Mardonius, apud Xerxem verba faciens, Regionem esse *admodum speciosam* adserebat, *omniaque genera fœlicium Arborum gerentem, & summæ bonitatis*, uti de eo scribit Herodotus: ejus habitatores *Animi Ardorisque plenos* laudat Aristoteles. Principium igitur det has aliasque ob caussas Europa; nobilissima Hæreditatis Iapheti (qui primogenitus Noæi liberorum sua pomeria produxit etiam in Fratrum Semi Chamique Terras) Portio.

Cap. III.

Europæ varia indicantur Nomina.

Europæ nomen indunt alij ab Europa Agenoris Filia, ab Iove Tauro rapta.

HÆc de Ordinis Ratione: jam nunc Etymon succedit explicandum. Europæ quidem Etymon à nemine Mortalium compertum esse notat Herodotus lib. IV; aliis tamen ab Europa Tyria dici, Agenoris Phœnicum (Libyæ, inquit Isidorus) regis filia: quam Iovem in Bovem conversum rapuisse tergoque impositam Sydone in Cretam, vel Cyprum, avexisse, fingunt Veteres. Legendi Homerus Iliados ξ, Moschus in Europa, Lycophron Cassandra, Theocritus, Apollodorus lib. III. in princ. Horatius III Carm. Oda XXVII, Ovidius lib. V. Fastor. & VI. Metamorph. Seneca Herc. Furente Actus I. Sc. I. & Herc. Oetæo Act. II. Sc. ultima, Varro lib. IV. de LL. & apud eum Manlius, Festus lib. V. de Verb. signific. Isidorus lib. VIII. Originum, cap. XI, & lib. XIV, cap. IV, Calpurnius Bassus commentar. Phænomen. Cæsaris Germanici, & apud eum Nigidius Grammaticus, qui Iovem in hoc raptu opera Neptuni scribit usum. Videndi & Clemens Alexandrinus προτρεπτ. λογ. Iustinus

nus Martyr II ad Græcos, Arnobius lib. IV. adversus Gentes, Augustinus lib. IV. de Civitate DEI cap. XXVII, Lactant. lib. Divinar. Instit. I. cap. XI. Prudentius adversus Symmachum de Iove. Scriptores apud Pollucem, lib. I. cap. IX. non nominati, Fabulis rejectis, raptam volunt Navi Tauriformi: Incerti apud Festum Navem hic agnoscunt, cujus Tutela effigiem habebat Tauri: Palephatus virum quemdam Cretensem Taurum nominatum fuisse scribit, qui ex Tyrrhena Regione cum ceteris Puellis Europam quoque Regis Filiam abduxit Captivam: Sunt qui Legionem Militarem fuisse censent, cui inter Signa Insigne erat Tauri: Quidam, ut addit Festus, ob pulcritudinem Regionis, per similitudinem raptæ Filiæ, sic nuncupatam narrant. Taurus sane, quo vecta fingitur Europa, non inconcinne mores & indolem quodam modo refert Europæorum. Elatioris est animi, exsultans, speciosus cornibus, colore niveo, lato gutture, cervice crassa, Dux & Armentis imperitans; summæ continentiæ, sed si ad dissimilem sexum adducatur, calidissimus inguineque potens, post castus modestiæque servantissimus. Tales fere Europæi, præsertim qui Septemtrionaliores. Andron Teius putat Oceano duas nupsisse Nymphas; ex quarum una natæ Asia & Africa, ex altera Europa: has autem tribus Orbis Partibus nomina imposuisse. Ab Europo sic vocatam non male quis dixerit, quem in hac Orbis Terrarum Parte aliquando Regnum tenuisse scribunt Pompeius Trogus & Eustathius in Lycophronem; quorum etiam hic eundem Europum cuiusdam Himeri facit Filium. Quin & Europen Sicyniorum Regem statuunt Pausanias & Eusebius in Chronicis; eumque tempore Abrahami Patriarchæ. Geropius Becanus persuaderi nolens Europam Græcam habere nomenclaturam, quum prius ab Cimmeriis sit habitata, quam ab Græcis, ijsque alia, quam his, fuerit Lingua; sic vocatam arbitratur ab Gentis præstantia: **Ver** enim monosyllabum per Diphthongum elatum nihil aliud esse, quam magnum quid & excellens, quodq; in quaque re præstantissimum; **Hop** autem hominum multitudinem designare. Idem Goropius in Codice quodam edito, quo uti solitus erat, cuiusque marginibus, secundam parans editionem, sua manu passim multa adscripserat, novam de Europæ Etymo sententiam notarat his verbis: *Verum diligentius mihi nomen cum Sacris Litteris conferenti, altera ratio in mentem venit, longe præstantior & felicius omen proferens. Iapeto dilationem, & ut alij interpretantur, Gaudium promitti videmus, quod tum consequuturus erat, quum Christus Morte sua nos redemisset.* **E** *igitur legitimum Connubium denotat;* **Vr** *excellens;* **Hop** *spem: quo fit, ut* **Europ** *Legitimi Connubij excellens spes sit, quæ propria ejus Terrarum portionis fuit, quam Noachus Iapeto dedit habitandam. Quamvis enim Semi posteritas per Abrahamum multis sæculis* DEO *fuerit conjugata, tamen repudiata est. Conjugium vero, quo Christus Europam Ecclesiam suam copulavit, numquam dissolvetur; adeo ut optimo jure Iapeti portio Europa dicatur.*

alij ab Europa Oceani Filia:

quidam ab Europo Rege; Himeri Filio:

nonnulli ab Europe Sicyniorum Rege:

Becanus ab Ver & Hop;

Vel ab E. Vr & Hop.

Cap. IV.

Europæ diversa panduntur vel Nomina vel Cognomina.

ETYMON Europæ indicavi: nonnullas pandam ejusdem varias Appellationes. *Tyriam* vocant hanc Orbis partem nonnulli, inter quos Theocritus, à *Tyria*, quam Puellæ raptæ, quidam Matrem, Patriam alij perhibent. Scriptorum Sacrorum non pauci *Iapetiam* nominant ab Iapeto, de quo dixi. Ptolemæus II Quadripartiti *Celticam* communi nomine vocari scribit, à Populis eam incolentibus. Sed ubi? Passim. Nam ubi non in ea Orbis Parte, quam nunc Europam dicimus, fuere *Celtæ*? Si Hispaniæ antiquiora rimemur; *Celtos* vel *Celticos* indicabit circa Bætin Fluvium Strabo; partim Bæticæ, Lusitaniæ partim Incolas Ptolemæus; extra Cippos Herculis, Cynesijs finitimos, omniumque, qui ad Occasum habitant, vltimos, Herodotus; Citerioris Hispaniæ Populos Plinius, eosque duplices, Nerias & Præsamarcos; circa Promontorium, quod ab ijs *Celticum* (olim etiam *Artabrum* & *Nerium*, hodie *Cabo de Finis terræ*) Pomponius: *Celtas* insuper nominatos fuisse Cantabros & Astures, docebunt Dio & Xiphilinus: aperiet item *Celticam*, Conventus Hispalensis Civitatem, Plinius, quæ *Celtum* Antonino inter Hispalim & Augustam Emeritam: *Celtiberos* denique vel *Celtiberes* dabunt cum alij, tum Ptolemæus, Hispaniæ Tarraconensis

Europa, Tyria.

Iapetia,

Celtica,

conenſis Populos. Si veterem Galliam Germaniamque conſideremus; Gallos & Germanos *Celtas* appellatos omnium Hiſtoricorum vnanimis loquetur ſententia; *Celtas* utramque Rheni Ripam & Gallicam & Germanicam (quo loco hodieque antiquum nomen non obſcure tuetur *Gelria*) habitaſſe dicet Dio lib. XXXIX. *Celtas* Rheni adcolas faciet Sudas; Galliam quidem Latinis, Ptolemæo autem aliiſque Græcis Scriptoribus *Celto-Galatiam* vocari diſcemus: Strabo prolatos ex parte illa, quæ Narbonenſis, *Celtas* adſeret nomen etiam ceteris Gallis indidiſſe: *Celto-Lygies* monſtrabit Ariſtoteles in Admir. qui *Celto-Ligures* Straboni, quorumque ſedes, vbi hodie Provincia circa Maſſiliam. Si caſcos Italos examinemus, *Celtas* in Gallia Ciſalpina vel Italica & ad mare Ionium vel Adriaticum (quod & *Celticum* Apollonij Scholiaſti) monſtrabunt Appianus & Strabo; ad Eridanum fluvium Silius Italicus. Si remotiores hinc Partes perambulare lubebit, *Celtas* in Caſſiteridibus Britanniæ Inſulis ſiſtet Pomponius; in Epiro, Antonius Liberalis; ad Hemum Montem, Stephanus; ad Danubij oſtia, Arrianus in Mœſia, in Illurico, in Thracia, ad Boruſthenem, Strabo; in Scythia, Ariſtoteles de Mundo, idem Strabo, & Plutarchus: Omnes verſus Septemtrionem Gentes *Celtas* nuncupatos, docebit, quem ſæpe dixi, Strabo: Plutarchum etiam deprehendemus in Mario *Celticam* diffinire ab exteriore Mari vel Atlantico verſus Septemtrionem, indeque ad Mœotidem uſque Paludem: accedet & Lycophron *Celtes* Stagnum deſcribens prope Iſtri oſtium. Sed Europam merito *Celticam* nominari debere, manifeſte innuit apud Strabonem Ephorus, vbi Terræ totius loca in quatuor partes diducens, dicit eam, quæ verſus Subſolanum eſt, habitari ab Indis, quæ verſus Auſtrum, ab Æthiopibus, quæ ad Aquilonem, ab Scythis, quæ in Occaſum vergit, ab *Celtis*.

Europæi, Franci, & *Alfrangues*. Europæos hodie *Francos* univerſim appellant Aſiatici. Turcis *Franki* vocantur Religionis Romanæ Cultores, ut *Romei*, qui Græcæ addicti. Abiſſini, quod teſtantur variorum Ephemerides, in Africa, Nos etiam *Alfrangues*, Chriſtianorum autem Regionem *Frankiam* nuncupant.

Græcis hæc Pars Εὐρώπη & Εὐρωπεία; Sophocli item & Euripidi ... tante Stephano, διὰ τὸ Εὐρωπία. De Specialiore vocis notione dicam, ubi de T... acia.

Cap. V.

Europæ Situs Cœleſtis, ejuſque Longitudo & Latitudo.

Europa ſitus cœleſtis ex Veterum diffinitione. De Europa dixi univerſim: ſpeciatim quæ ipſi Quantitas, quæ Qualitas, docebo. Quod illam attinet, ſciendum cum primis Ptolemæum Alioſque veteres Europam collocare inter Climata IV & IX; inter Parallelos XI & XXI; inter Gradus Latitudinis XXXVI & LIV, Longitudinis XVII & LXI: noſtra ætate, quum & Solis Declinatio, quemadmodum Partis I lib. III. cap. XXIII notavi, mutata ſit, & plurima Loca, Europæ Noſtræ adcenſenda, ad LXXII. uſque Latitudinis gradum verſus Septemtrionem in notitiam venerint; eamque ob cauſſam ulterior Climatum Parallelorumque Notatio fuerit excogitata; ſitam conſpicimus Europam inter Climata IV & XIIX; Parallelos XI & XXXVI; Gradus denique Latitudinis quidem XXXVI & LXXII, Longitudinis autem, ſi, qua longiſſime ſe expandit, conſideretur à Promontorio Hiſpaniæ, quod *Cabo S. Vincentij* hodie vocant, uſque ad Lineam recta à Tanais fonte ad Oceanum Borealem ductam, inter Gradus fere XVII & LXXI; qua vero breviſſima, ab eodem Hiſpaniæ Promontorio uſque ad Maleam Peloponneſi Caput, excluſis Ægæi maris, quæ Europæ adnumerari poſſunt, Inſulis (de quibus ſpeciatim ago Parte mei Operis VII) inter Gradus XVII & LVIII: adeo ut Meridionaliſſima Europæ ſint gradu Latitudinis XXXVI, Hiſpaniæ Mons Calpe, quem unam Herculis Columnarum faciunt, Promontorium Siciliæ Auſtrinum, *Odyſſia* olim dicebatur, & Peloponneſi, hodie Moreæ, Caput, quod ad Meſſeniacum Sinum *Tænaria* Veteribus, nunc *Cabo Maini*, dicitur; quibus locis maximus dies horarum XIIII, minut. XXX: Septemtrionaliſſimus autem Limes ſit, gradu LXXI & dimidio, Scandiæ Promontorium, verſus Boream ultimum, quod hodie **Wardhuys** dicunt, ubi maximus dies II eſt menſium, XXII dierum, horarum

[Marginal notes: "ex eorum, qui hodie conſiderant, ſententia." — "Europæ quæ Meridionaliſſima," — "quæ Septemtrionaliſſima."]

horarum VII. Ex quibus, quot miliaria vel Germanica vel Italica sit aut longa aut lata Europa, facile docebit Caput libri III, Partis Primæ, XX.

Lineam porro, a Tanais fonte versus Septemtrionem recta in Oceanum ductam, Orientalem Europæ Limitem statui, communes, à quibus dissentire religio mihi est, sequutus Calculos. Quis enim Europa Limitibus sit versus Orientem dirimenda, inter veteres Scriptores parum convenit. Quid sit, quod Seneca lib. VI. Natural. Danubium scribat Europam Asiamque disterminare, alibi erit aperiendi locus. Aristoteles, Plato, Herodotus, & alij, qui his suffragantur, Europam ab Asia separant Phasi flumine sive Isthmo, qui est inter Pontum Euxinum Mareque Caspium. Dionysius, Arrianus, Diodorus, Polybius, Iornandes, Tanai flumine simpliciter. Abrahamus Ortelius Fines Europæ versus Ortum statuit, primo Fluvium Tanaim, hinc Isthmum inter eundem Tanaim & Rhaam, mox Rhaæ versus Orientem Divertigium; postremo Obium fluvium ad Ostium usque. Novi, qui Moscoviam in Asia (quæ mihi eo loco Scythia) positurus, Terminos Europæ versus ortum sacraret primo Arcum, cuius Medio Livoniam attingente, extremitas una in Grandvico Sinu, altera in Borusthenis Ostio collocaretur; hinc, lectis Occidentalioribus Euxini Ponti littoribus, Bosporum Thracium, Propontidem, Hellespontum & Ægæum Pelagus. Ptolemæus eodem Tanai flumine finit ab Asia Europam, ductaque ab ejus fonte versus Boream ad Mare usque Linea. Huic cum peritissimis Geographis subscribens, descensu ab Linea Tanaique flumine versus Austrum facto, metas porro cum aliis Orientales signo in Palude Mœotide, Bosporo Cimmerio, Ponto Euxino, Bosporo Thracio, Propontide, Marique Ægæo usque in Mare Mediterraneum, quo Meridiem versus ab Africa separatur: ad Occidentem vastissimus eam pulsat & apertissimus Oceanus; ad Septemtrionem denique Mari clauditur Boreali. Videndi huc Strabo lib. II. Dionysius de Situ Orbis, Plinius lib. III. in Præfat. item lib. IV. cap. XI, lib. V. cap. XXXII, aliisque locis, Pomponius Mela lib. I. cap. III, Rufus Festus Avienus in descriptione Orbis Terræ, Orosius lib. I. cap. II; Isidorus lib. XIV. cap. IV.

De Orientali Europæ Limite nonnulla inter Geographos Controversia.

Fines Europæ a plerisque recepti.

Europæ sic diffinitæ formam Strabo tribuit, quæ Draconis fere effigiem æmuletur, Capite Occidentem spectante, Alis utrimque expansis; referentibus eas ad Austrum quidem Italia, ad Septemtrionem Cimbrica Chersonneso. Placet: ea tamen lege, ut Ala dexterior, multo jam quam Strabonis ævo sinisteriore sit major, quod, ut sæpe monui, multa supra Cimbricam Chersonnesum versus Septemtrionem nobis Loca, de quibus nihil Veteres compertum habuerunt, in notitiam venerint.

Europæ Forma.

Cap. VI.

Europæ Qualitas.

SIc se habet Quantitas: sequitur illustranda Qualitas, cum ipsius Terræ, tum Incolarum, quo ad Mores & Linguam. Europa quanta quanta est habitatur, quamuis quicquid locorum supra LX Latitudinis gradum, propter Frigora cum incommode, tum laboriose. Addit Strabo lib. II, τὴν Εὐρώπην συμπᾶσαν οἰκήσιμον εἶναι, πλὴν ὀλίγης τῆς ἀοικήτου διὰ ψῦχος περὶ τὸν Τάναϊν καὶ τὴν Μαιώτιν, καὶ τὸν Βορυσθένη. Quod mirum alicui merito censeri posset, quum loca, quæ nominat Strabo, incidant in XLVII, XLVIII & XLIX Latitudinis gradus; & ex Situ cælesti sub Octavo Climate non inclementiore videantur frui Aëre, quam in Gallijs Biturigum, Aurelianensium, Parisiensiumque Agri. Sed faciunt passim in hac Mole Montes; ut quæ loca suo situ futura essent calida, habitationique commodissima, si plana vastioribus istis huius Orbis Verrucis carerent; eadem, quacumque Terrarum parte, propter imposita Tubera, Nivibus numquam non cana, Intermontiaque ab Ventis, semel ingressis, ibique conclusis, &, ut maiorum essent virium, contractis, præcipue si ab Arctoo Orbe ingruerint, infestari supra modum solita, sint frigida, efficianturque aspera, inculta, horrida, deserta, & Domiciliis figendis, Pagis struendis, Opidis condendis inimica. Nota sane quæ commemorantur de Frigoribus etiam

Europa, licet paucis locis ægre laborioseque.

præsertim in Montibus.

etiam media æstate Montium Pyrenæorum gradu XLIII, Alpiumque gradu XLVII aut circiter; quin & illorum, quos in Orbe Novo gradu X gerit Isthmus, Americam Meridionalem ab Septemtrionali separans. Alia prætereo: singula enim suis locis explicabuntur. Hoc certum; Nihil hodie non in Europa habitari; neque adeo ipsos Montes, licet perpetuis fere Nivibus obsitos Incola, frequentiore tamen, carere. Summo igitur merito reliquas Orbis Terræ Partes stupenda Cœli clementia, temperie, amœnitate; benigna Soli fertilitate; maxima Incolarum incredibilis humanitatis, Indolisque supra, quam dici potest, tractabilis frequentia; Vrbium ingentium pulcherrimarumque, Opidorum, Arcium, Pagorum, Fluminum, Stagnorum, Lacuum, Aquarumque, quîs variæ vires, Omnis item generis Animantium, Arborum, Frugum, Plantarum, Metallorum, & aliarum, quæ sustentandæ hominum Vitæ sunt necessariæ, Rerum copia longe superat. Cetera, quibus caret, Gemmas Preciososque lapides, Aromata, aliaque odorifera, tam cumulate, tamque liberali manu ab Asia importata accipit, imo ut generalius cum Strabone loquar, neve quam Orbis particulam excludam, ἔξωθεν μέτεισιν, ut nusquam major sit adfluentia. Orbis Domitorum (nam nec hic ab ejus temperare possum laudibus) Genitrix. Quid ni? Produxit quidem hic olim Alexandrum Macedonia, Italia Romanos; qui successione quadam; quam DEVS æterna sua Providentia decreverat, Terrarum Orbem, quousque notum habebant, domuerunt: producit autem hodieque Germania Principes, qui Quartæ Romanorum Monarchiæ jura, quantum per Immanissimorum Hostium potentiam & impressiones licet, sarta tecta tuentur. Nunquid & Magni, quos Avorum adorarunt tempora, Europæ Heroes incognitam, ut plerorum est opinio, Veteribus Americam, potioresque & validiores Africæ Asiæque Partes suo adjecerunt Imperio? Numquid & Sedes Summi est Pontificis? Numquid Mater tot Regum, tot Principum, Christo, quod alibi rarius, militantium? Quin & Turcarum Imperator, neglecta quasi & relicta suis Ducibus Præfectisque Asia, in hanc Orbis Partem extremis usus viribus, migravit; omnem adhibens operam, ut singulis annis in penitiora, etiam magna Suorum clade & internecione, se insinuet.

passim tamen hodie habitatur.

Europæ qualitas.

Lausque iterata.

CAP. VII.

Europæorum Mores.

Mores Europæorum, qui accuratius describantur, difficiles,

EA Terræ est Qualitas: sua etiam est Incolis. Sed ego non is sum, qui nulla coactus necessitate summas mihi parare velim molestias, & certissimam ab alijs Invidiam. Præstare difficile est, quod Titulus pollicetur. Non ubique fui, ut Europæorum omnium genios & ingenia fideli penicillo depingam. Faciat hoc, qui

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

propter varias per commercia Mutationes.

vel unis illud Batavis docentibus,

Et fuerim etiam multis in locis, multaque multo usu & longa consuetudine didicerim, numquid omnia temporis lapsu aduentitioque commercio crebris Mutationibus sunt obnoxia? Vni prodeant in arenam Populares mei. De Batavis scripserat, Domitiano Imperante, Poeta festivus,

Tune es, tune, ait, ille Martialis?
Cujus Nequitias Iocosque novit,
Aurem qui modo non habet Batavam.

Rusticitatis, si genuina sit & vera Scriptura (nam *Batavam* sunt qui mutant ex Membranis in *severam*) Inelegantiæ, Frontisque tetricæ Maiores nostros insimulat: an vere, non libet inquirere. Esto tamen. Sed quis hæc talia non etiam de alijs aliquando canere potuit Populis? Nam qui non quandoque fuerunt rudiores? Quum Romani, Rerum post Domini, nihil nossent præter Agriculturam & Militiam fortean,

Auris cui modo non erat Quiritum,

Elegans, festivis moribus, & exploratæ censebatur facilitatis. Fuerint igitur Domitiani principatu, atque etiam multo post, cum ab impuritate Martialis aversiores, tum rudiores, crassiorisque & auris & naris Batavi. Prius Objectum lubentes patiuntur,

tiuntur, adgenitam sibi gratulantes Probitatem Morumque sanctitatem: si Posterius discutiatur, quam hodie mutarunt! Quid enim Batavis humanius, quid candidius, quid ad omne Disciplinarum Artiumque genus capiendum pronius, paratius, promptius? Nihil non ab ijs, etiam hac belli tempestate, cum publice, tum privatim discitur, vel ad Remp. prudenter administrandam, vel ad Bellum caute suscipiendum, fortiter gerendum, feliciter finiendum, vel ad Bellorum nervos valide cumque optato fructu concinnandos, vel ad Oeconomicas res dextre nitideque instituendas. Dicant, quæ viderint audierintque cum alij, tum Mercatores, qui ipsos adierunt: Velint nolint, fateri cogentur quæ dixi. Quid Vitiorum in aliis Populis non aperiam. Vestigia terrent. Scio quid valeant Tela Westphalorum in Brabantos. Hoc saltem liceat, ut ab Magno viro (cui Scientiæ omnes vanæ erant & incertæ) Commissionem videamus, institutam inter quatuor, quæ in nostra Distributione primo se loco obferunt, Gentes; Hispanos, Gallos, Italos, & Germanos: *Habent singulæ Nationes*, inquit, *à Superis adgnata sibi Morum discrimina, per quæ facile a se invicem discernantur, ut cujus quisque nationis sit oriundus, à Voce, à Sermone, ab Oratione, à Consilio, à Conversatione, à Victu, à Negocio, ab Amore & Odio, ab Ira & Militia, similibusque Exercitijs facile cognoscatur. Quis enim videns hominem ingredientem incessu gallinaceo, gestu gladiatorio, vultu effreno, voce bubula, sermone austero, moribus ferocem, habitu dissoluto laciniatove, non mox judicet esse Germanum? Nonne Gallos cognoscimus ab Incessu moderato, gestu molli, vultu blando, voce dulcisona, sermone facili, moribus modestis, habitu laxo? Hispanos autem ab ingressu, & moribus gestibusque festivis, vultu claro, voce flebili, sermone eleganti, habitu exquisito: Italos vero videmus incessu tardiusculos, gestu graves, vultu inconstantes, voce remissos, sermone captiosos, moribus magnificos, habitu compositos. Iamque scimus etiam, quia in Cantu balant Itali, gemunt Hispani, ululant Germani, modulantur Galli: sunt in Oratione graves, sed versuti Itali; culti, sed jactabundi, Hispani; prompti, sed superbi, Galli; duri, sed simplices, Germani: in Consilijs est providus Italus, astutus Hispanus, inconsideratus Gallus, utilis Germanus: in Victu est mundus Italus, delicatus Hispanus, copiosus Gallus, inconditus Germanus: sunt erga Exteros officiosi Itali, placidi Hispani, mites Galli; agrestes inhospitalesque* (non tamen passim) *Germani: in Conversationibus sunt prudentes Itali, cauti Hispani, mansueti Galli, imperiosi intolerabilesque Germani: sunt in Amore Zelotypi Itali, impatientes Hispani, leves Galli, ambitiosi Germani: in Odijs vero sunt occulti Itali, pertinaces Hispani, minaces Galli, ultores Germani: in gerendis Negocijs sunt circumspecti Itali, laboriosi Germani, vigiles Hispani, soliciti Galli: in Militia sunt strenui, sed crudeles Itali; Hispani callidi, & rapaces; Germani truces & venales; Galli magnanimi, sed præcipites: insignes sunt Litteratura Itali, Navigatione Hispani, Civilitate Galli, Religione & Mechanicis Artificijs Germani: & habet unaquæque Natio, quantumcunque etiam sive civilis sive barbara, peculiares Mores Ritusque, sibi à Cæli influxu à ceteris diversos*, &c. Si quis in hac Comparatione vehementius quid in se dictum arbitretur, non Mihi, sed pedibus primo prodeuntibus Nato Ægreque Parto imputet; modeste tamen & sic, ut Manes ejus non solicitet; Me vero habeat insontem. Quidquid sit, non tam in liberum mihi est ingenium, ut alicujus Odio Gratiave Veritati velim vel Vim vel Fucum facere.

generatim & rudioribus delineantur coloribus.

Cap. VIII.

Europæorum Linguæ.

MORES alieniore potius, quam meo, eoque rudiore penicillo depinxi: Linguas Europæorum jam videamus. De Linguis quædam universim & in genere dixi Partis I lib. III. cap. XIV: specialius quid de Europæorum Matricibus & Majoribus IV & Minoribus VII, unde reliquæ omnes ibidem propagarunt, malo, Lector, discas ex Magni Scaligeri Litteris ad me anno CIↃ IↃ XCIX. mense Martio scriptis, quam aliunde. Præfatus Vir cum multis alijs, tum Eruditione variarumque Rerum scientia maximus, sic inquit: *Linguas* Matrices *vocare possumus, ex quibus multæ Dialecti, tamquam Propagines, deductæ sunt. Propagines quidem unius Matricis Linguæ commercio inter se aliquo conjunctæ sunt: Matricum vero inter se nulla*

Linguæ Matrices. Matricum Propagines.

Cognatio est, neque in Verbis, neque in Analogia. Sunto igitur Matrices *eæ, quæ per omnia inter se discrepant; cujusmodi undecim, non amplius, hodie supersunt in universa Europa: quarum quatuor amplissimæ sunt; reliquæ septem longe Inferiores. Itaque illis quatuor* Majores

Matrices in Europa. xi.

Matrices, *reliquas* Minores *vocabimus. Eadem Verba faciunt unam Linguam videri: sed eorumdem Verborum Trajectio, Immutatio, Inflexio aliam atque aliam Propaginem facit. Nam Italicam, Hispanicam & Gallicam* Latinam *vocamus propter unum Verbum Latinum, quamquam varie immutatum in illis tribus. Exempli gratia:* Gener *Latinum Italis* Genero, *Hispanis* Yerno, *Gallis* Gendre: *Latina sunt, si originem spectes; sin distortionem, unaquæque natio harum trium illud vindicat sibi. Itaque possumus deligere unum Verbum Matricis, quod commune sit Propaginibus sive Dialectis à quo nomen ipsa Matrix habere possit. Sunto igitur*

Maiores quidem quatuor.

quatuor hæc Verba, Devs, ΘΕΟΣ, Godt, Boge, *notæ quatuor* Majorum Matricum, Latinæ, Græcæ, Teutonicæ, Slavonicæ. *Hæ, ut diximus, supra reliquas septem Minores latissime patent.*

Slavonica.

Linguæ Boge *duplices Characteres sunt,* Rutenici *sive* Moschovitici, *è Græcis depravati, totidem numero, & figura pene similes, adjunctis pauculis Barbaris: item* Dalmatici, *qui &* Hieronymiani, *eadem potestate, totidem numero, sed figura longe dissimillimi. Atque adeo duplex Sacrorum Librorum Translatio,* Rutenica *recentior, &* Hieronymiana *vetustior.*

in varias diffusa Propagines;

Hæc Matrix sive Lingua Boge *in multas propagines diffusa est,* Rutenicam, Polonicam, Boemicam, Illuricam, Dalmaticam, Windicam, *& alias, quas unusquisque potest adjicere.*

Teutonica, cujus idiomata Teutonismus.

Matricis Godt *Propagines sive Idiomata præcipua sunt tria,* Teutonismus, Saxonismus, *&* Danismus. *Rursus* Teutonismi *Idiomata duo,* Superior Teutonismus, *quæ est Lingua* **Waſſer**; *Inferior* Teutonismus, *sive Lingua* **Water**:

Saxonismus.

Reliqua duo Idiomata & ipsa quidem sunt Linguæ **Water**: *sed* Saxonismi *Propagines sunt Nord-Albingorum & Frisiorum, item Anglorum Dialectus: quæ tamen veterum Nord-Albingorum & Turingiorum Dialecti sint Anglismus & Scotismus.*

Danismus.

Danismi *tria discrimina sunt, Lingua scilicet Danorum Limitaneorum, quos* Denemarkos *vocant; Danorum Australium, qui* Suedan, Suedi *&* Sueones *ab Austro dicti: denique Danorum Septemtrionalium, qui* Nordan, Normanni *&* Norwegi *vocantur: à quorum idiomate propagatum est* Islandicum *hodiernum, quod ita intelligitur ab Norwegis, ut Hollandica Lingua à Germanis, Italica à Gallis.*

Latina, tres habens Propagines, Italicam, Gallicam, Hispanicam;

Matrix Devs *peperit* Italicam, Gallicam *&* Hispanicam: *quæ omnes uno nomine* Romansæ, *id est* Romanenses *sive* Romanæ *vocantur, quam appellationem Victores Barbari induxerunt. Nam in eorum Legibus duplex Conditio Ingenuorum; deterior Romanorum, ut Latinorum Romæ. In Gallia olim Franci & Burgundiones, in Italia Longobardi, in Hispania Gotthi distinguuntur à Romanis, ut Quirites à Latinis Civibus. Hinc Luitprandus* Tiotiscam *Galliam ab* Romana *distinguit.*

Græca, cujus Dialecti variæ.

Matricis ΘΕΟΣ *pluria sunt Idiomata, quod non mirum in tot Insularum intervallis, quæ ut loco, ita Linguæ commercio valde dissident. Atque de quatuor Majoribus Matricibus hactenus.*

Minores vero septem. *Epirotica. Cosacorum* & *Præcop. Hungarorum, Finnonica, Hirlandica, Vetus Britannica, Cantabrica.*

Reliquæ septem Minores *sunt hæ:* Epirotica, *quam* Albanam *vocamus in Montanis Epiri, ubi gens studiis asperrima belli; Indigenæ, an Advenæ, incertum. Secunda* Cosacorum *&* Præcopiensium, *id est* Tartarica. *Tertia* Hungarorum, *quam ex Asia in Europam transeverunt crudelissimæ duæ gentes, Hunni & Avares. Quarta* Finnonica, *cujus propago est* Lapponica, *in Septemtrionalibus Scandinaviæ Suedorum. Quinta* Hirlandica, *cujus pars, quæ hodie in usu Scotis Silvestribus. Sexta* Vetus Britannica, *in Montibus, Anglis: item in Aremorica Gallis, quam* Britonnantem Linguam *Galli vocant. Septima* Cantabrorum, *quos* Biscainos *Galli & Hispani nominant, quæ sunt reliquiæ Veteris Hispanicæ: patet ut minimum itinere septem dierum cis & uls Pyrenæos, à Baionensi usque Agro, quem tractum in Tarbellis* Lapurdensem *vocant Sidonius & alii Veteres. Hæ sunt Undecim Matrices nullo inter se cognationis vinculo conjunctæ: atque has inter se diviserant Ecclesiæ Constantinopolitana & Romana; Et quidem commercio Characterum quintuplicis generis,* Latinorum, Græcorum, Hieronymianorum, Rutenicorum *&* Gotthorum. *Nam & ipsi veteres Gotthi suos Characteres habent, Sacra alioquin Græco ritu celebrantes, Lingua Veteri Gotthica: in usu autem quotidiano magna ex parte Teutonissans.* Hæc Europæus ille noster Mithridates; quo nemo potuisset de his talibus solidius, distinctius, elegantius. Ego quid his adponerem? Nihil. Singularum specimina suis conabor dare locis.

Cap. IX.

CAP. IX.

Europæ Divisio.

EVROPÆ nostræ Totum ut considerandum monstravi: Partium doctrinam & indicium nostra jam flagitat Methodus. Partes Majores Minoresque Orbis Terrarum alij alio modo soliti sunt dividere: nunc φυσικῶς, prout sese offerunt vel Montes vel Flumina; nonnumquam ἐθνικῶς, secundum habitationes & Linguas; aliquando πολιτικῶς, vel quemadmodum Strabo loquitur, ποικίλως, juxta voluntatem & Iurisdictionem Principum. Mihi non censeo curiosius inquirendum, quæ Distributionis ratio Trium optima, Regionibusque fideliter depingendis sit convenientissima. Aliis lubens laudem, quæ veram istius difficultatis diffinitionem sequi potest, relinquo. Ego, non ignorans, ut hoc saltem dicam, quam firma validaque in medium adduci queant argumenta, cum Primæ, ut quæ aptissima, stabiliendæ; tum enervandæ, quum obnoxia valde sit mutationi, Tertiæ, mediam ingrediar viam; hunc nostrum Terrarum Orbis Ocellum partiturus, & penicillo, licet quam velim rudiore, delineaturus secundum Matrices, de quibus præcedenti capite dixi; Linguas: non quidem omnes, sed Majores illas latissimeque patentes: quarum aliæ usurpantur in Europa Occidentaliore, aliæ in Orientaliore.

Partes Terrarum Orbis varie distribuuntur.

In Occidentaliore quidem versus Meridiem *Latina*, cujus, varie admodum mutatæ distorteque, Propaginibus utuntur *Hispania*, *Gallia*, *Italia:* versus Septemtrionem *Teutonica*, cujus Dialecti *Teutonismus* specialioris notionis, & *Danismus*. Prioris usus, non exiguo tamen discrimine, in *Germania* tam *Superiore* quam *Inferiore*. Posterioris tres sunt differentiæ Danorum Limitaneorum, qui *Daniam*; Australium, *Suediam*; Septemtrionalium, qui *Norvegiam* habitant. His adhæret *Finmarchia*, cui peculiare est Idioma, Propaginem habens Lapponicum, quo utitur *Lappia*.

Hispania, Gallia. Italia. Germania {Inferior, Superior} Dania, Suedia, Norvegia, Finmarchia, Lappia.

In Orientaliore vero ad Septemtrionem *Slavonica*, quæ in multas Propagines est diffusa. Nam in quibus ibi Regionibus non ejus Vsus? Gaudent ea Populi, quos fere Majorum nostrorum temporibus longe lateque habuisse constat Superiorem Inferioremque & Mœsiam & Pannoniam, Daciam, Illuricum, Dalmatiam, Sarmatiam & alias: qui hodie *Poloni*, *Hungari*, *Trans-Silvani*, *VValachi*, *Livones*, *Lituani*, *Podolij*, *Moldaui*, *Bulgari*, & alij; quos omnes, exceptis Primis, uno complectar libro. *Hispaniam* igitur, cui in nostra Distributione princeps tribuitur locus, & merito, quum in Europa Terræ Continentis proxima sit Fortunatis Insulis, unde hodieque ex Veterum mente Longitudinis initium ducitur, quod felix faustumque sit, ingrediamur.

Polonia. Hungaria. Trans-Silvania. VValachia. Livonia, Lituania & aliæ.

PAVLLI G.F.P.N. MERVLÆ

COSMOGRAPHIÆ

PARTIS II,

LIBER II.

DE HISPANIA.

Capvt I.

Hiſpania unde dicta, quæque varia ejus Nomina.

IN delineanda Terrarum Orbis Parte illa, quæ L. Floro Viris Animiſque Nobilis dicitur, quædam generatim explicabo, quædam ſpeciatim. Generatim Nomen & Res. In Nomine quod Etymon ſit Hiſpaniæ, ſcrutabor, quæque varia Appellationes.

Hiſpania dicta ab *Hiſpano* Rege, vel *Hiſpali* Vrbe,

Hiſpaniam Iuſtinus ex Trogi Pompei Hiſtoriarum Philippicarum lib. XLIX. dictam notat ab *Hiſpano* Rege.

Alij ſic nominatam volunt ab *Hiſpali* urbe nobiliſſima; quam hodie *Sevilliam* appellant.

vel denique à *Spania*, Aſiæ regione, quæ & *Iberia*.

Abrahamus Ortelius, Vir quo nullus in Palæſtra Geographica fuit operoſior, quum Iberiam Aſiæ Regionem olim *Paniam* à Pane, quem Iberis Dionyſius, victoria potitus, præfecerat, inde vero *Spaniam* ab Iunioribus vocatam fuiſſe, legiſſet apud Auctorem de Fluminibus & Montibus, fidem ſequutum Soſthenis lib. III. rerum Ibericarum: Scriptoreſque fere omnes animadvertiſſet primos Hiſpaniæ Incolas ex Iberia uſque dirivare: adductus eſt, ut ab *Spania* potius illa, quam ab *Hiſpano* vel *Hiſpali* nomen Regioni inditum, crederet. Sane σπανίαν nominat D. Paullus Epiſtola ad Romanos, cap. XV: Apud Iuſtinum, ubi in Vulgatis *Hiſpania* exſtat, in membranis *Spania* legitur: In optimis Q. Curtij Codicibus *Spaniam* eſſe notat Bongarſius: *Spaniam* vocát D. Hieronymus ad Ieſchahihiæ caput LXIV: D. Eulogius, qui ante ſeptingentos annos floruit, *Spaniam* appellat: Vetus in Iuvenalem

Gloſſo-

Glossographus Tagum *Spaniæ* facit fluvium: in Glossario D. Benedicti Græco-Latino *σπάνη* est pro Hibera, *σπανία* pro Hispania: *Spaniam* ab Chaldæis dici scribit Arias Montanus Commentariis in Abdiam: Galenus VI. Simpl. cap. IV. *Spanum* vocat oleum ex Iberia (sic Hispaniam nuncupat) advectum: Consonat denique hodierna appellatio. Incolis enim *Espana* nominatur. Nam *Ispania* & *Spania* scriptione tantum differunt; quum Hispani Gallique vocibus Latinis, quibus ab S littera initium, E præponere suaque facere consueverint.

Quam *Hispaniam* Latini Scriptores, Ptolemæus autem, Stephanus, Auctorque Librorum de Machabæorum gestis Ἱ*σπανίαν* vocant, rejecta adspiratione, temporibus antiquissimis *Iberiam* & *Hesperiam* nominatam memoriæ produnt Strabo, Plinius, alij. Quæ Hispania vulgo.

Iberia quidem ab Iberia Asiæ Regione, unde primos Hispaniæ Incolas non pauci deducunt: Strabo tamen, quamvis alibi propter Linguæ diversitatem hæsitet, ex Apollodoro, Socrate, aliisque; Dionysius item Alexandrinus & Priscianus malunt Iberos ex Hispania in Asiam migrasse, ibique Prouinciæ, quam occuparant, patrium nomen imposuisse. Appianus quoque tres refert sententias; primam Europæos Iberos ab Asiaticis deducentium; secundam, Asiaticos ab Europæis; tertiam, nihil illis præter nomen commune volentium. Alij Iberiam ab Ibero Rege trahunt; alij ab Ibero flumine; Avienus ab Ibera Bæticæ opido. olim etiam *Iberia.*

Hesperiam vero, ab Hespero, ut quidam memorant, Atlantis fratre vel ut Horatius putat, ab Hesperia Hesperi filia, vel potius ab Hespero Stella Occidentali: quia in Europæ Continente nihil est hac Regione Occidentalius; unde à Seneca in Hercule Oetæo, Zephyro subdita tellus. Quumque & Italiæ nomen idem esset, Horatius lib. I. Carm. hanc *Vltimam* canit. *Hesperia.*

Hespera Iberia vocatur Dioscoridi lib. V. cap. CII, tamquam Iberia Occidentalis, ad differentiam Orientalis, quæ in Asia.

Celtiberiam quondam fuisse nominatam tradit Appianus Alexandrinus: quæ tamen pars Hispaniæ (quam Celticam olim dixerunt teste Varrone) potius censenda, cujusque Incolæ nunc *Celti* nunc *Celtiberi*, Plinio etiam *Celtici*. *Celtiberia.*

Pannoniam quoque nominat Stephanus, περὶ πύλεον.

Ἰγλῆτας Regionis Incolas olim nuncupatos ex Asclepiade Myrleano scribit Strabo. Incolæ Ἰγλῆται.

Sepharad (ספרד) Hebræis dici notant Gulielmus Postellus & Benedictus Arias Montanus Commentario in Abdiam. *Sepharad.*

An Iosepho vere ab Tubale progeniti scribantur, vereque Τοβηλέοι vocentur, dixi Partis I. lib. III. cap. XIV. an & Τοβηλέοι.

Cap. II.

Hispaniæ Fines, Longitudo, Latitudo, Circumitus, Forma.

NOMEN dedi: offerunt se Res; ipsa, inquam, Regio & Incolæ. Regionis primum examinabo Adjuncta, inde Partes. Illa mihi sunt Quantitas & Qualitas. Quantitas consistit in Finibus & Circuitu, quæque inde quasi nascitur, Forma vel Figura. Quod igitur ad Fines: adluit Hispaniæ duo quidem latera Oceanus: Aquilonare, Cantabricus; Occidentale, Atlanticus: Tertium, quod ad Meridiem, ubi Fretum Herculeum, mare pulsat Ibericum, quod & Balearicum: Versus Orientem Pyrenæos habet Montes, perpetuis jugis ab Oceano, ubi Flaviobriga, hodie *Fuentarabia*, tendentes ad Mare Meditarraneum; duobus insignes Promontorijs, uno, quod *Olarso* cognominatum, in Oceanum projecto; altero, quondam ab *Veneris templo*, nunc vero Religione mutata, ab *S. Cruce* denominato, in Mediterraneum. Hispaniæ Fines. Longitudo.

Hispaniæ Longitudo, Straboni libro Geograph. III. σταδίων ἑξακισχιλίων, Latitudo, qua maxima, πεντακισχιλίων, qua minima, τρισχιλίων: quæ, si cogitemus Stadium Græcum centum, Latinum centum vigintiquinque passus continere, quatuor autem Passuum millia Leucam, qua Hispani cum alijs Conregionalibus hodie utun- Latitudo qua { maxima. minima.

tur, conficere, nihil erit difficultatis ad hodiernæ mensuræ rationem revocare. Ioannes Vasæus in Hispaniæ Chronico, cap. VIII. memoriæ prodit, Hispaniam ad Pyrenæos tam augustam esse, ut, quum per eos iter faceret, in Monte D. Hadriani, Ferdinando Colone rerum istarum peritissimo commonstrante, nisi fefellerit adspectus, utrumque viderit mare: Oceanum scilicet, cui perigrinantes erant proximi, atque eminus, quousque oculorum acies ferre poterat, albicantes Maris Mediterranei fluctus.

Circumitus. Circumitum Hispaniæ dimetiuntur per maritima littora & Pyrenæum Ioannes Episcopus Gerundensis lib. I Paralipomenω̃n Hispaniæ, & Ioannes Mariana lib. I. Historiæ cap. II.

Forma. Formam Hispaniæ quadratam nonnulli (inter quos Iustinus ex Trogi Pompei lib. XLIV) statuunt; nisi quod Aquilonem versus sensim in Pyrenæum angustius coëat. Trigonam imperite facit Æthicus. Strabo, Pomponius Mela, Ptolemæus & alij Hispaniam comparant Corio Bubulo (βύρσῃ βοείᾳ) humi protenso: cujus partes ad collum pertinentes in adhærentem ipsi Galliam porriguntur. Collum inquam, quantum protenditur Mons Pyrenæus ab Mediterraneo Mari ad Oceanum Britannicum: inde dilatatur ad Brachia, ab Nova Karthagine usque ad Cantabros: Crura à Freto Herculeo usque in Gallæciam & Mare Britannicum: ultimum Corij ad modum Caudæ, Promontorium Sacrum, hodie *S. Vincentij*, quod extenditur in Oceanum Atlanticum, longe ultra omnem Hispaniam.

CAP. III.

Clima Hispaniæ, ejusque ex Situ Cœlesti Qualitas, & quæ inde Commoda.

Situs Hispaniæ cœlestis. EXPOSITA Quantitate, in medium prodit Qualitas, cujus caussa plurimum in Climate, Situque Cœlesti. Subest Hispania medio Quarti, totique Quinto, parti etiam Sexti Climatis; inter Gradus, Latitudinis quidem XXXV & XLV, Longitudinis autem inter XVI (ut nunc, capto ab Azoribus Insulis initio, notari solet: quam rationem deinceps sequar) & XXXI; ubi optima ad res omnes Temperies. Hinc merito Iustinus ex Trogo, fertiliorem facit Hispaniam Africa aut Gallia, quum neque, ut illa, violento Sole torreatur; neque, ut hæc, adsiduis Ventis fatigetur; sed media inter utramque, hinc temperato calore, inde felicibus Imbribus in omni frugum genere sit fœcunda. Maximadies Æstatis. Maxima Dies Æstatis in Parallelo Australi, qui distat ab Æquinoctiali Linea XXXVI gradibus, horarum est XIV-30: in Boreali, qui abest ab Æquatore gradibus XLIV· semi, horarum est XV-30. Hispaniæ Qualitas, ad Boream, Hispaniæ igitur, quod monere jam cœpi, non eadem passim est Qualitas, non idem Solo genius. ad Austrum. Qua Arcton spectat, plerisque scribentibus, frigidior est, nonnulliusque asperitatis; Oceano semper obnoxia, interiorum aquarum indiga, malignæque inde habitationis; quum etiam Rupibus, Saltibus, Locisque Silvestribus pleraque obsessa. Qua, Montibus fere perpetuum intercurrentibus, in Austrum declinat, tota felix, tota beata, ut multis magnisque Fluminibus irrigari, sic tempestivis pluviis, quantum sufficit, recreari solita; & hinc omne genus, ea præcipue parte, Frugum, Hispaniæ Laus universim. Animaliumque non benigna solum Mater, sed & Nutrix solicita. De Hispaniis universim quæ scripserit ex Trogo Iustinus, capite præcedenti audivimus. Addam alios. Memoriæ mandat Philostratus; hic Cœli temperiem esse talem, qualis Autumni tempore solet esse in Attica. Leguntur & hæc apud Solinum: *Terrarum plaga comparanda optimis, nulli posthabenda, Frugis ac Soli copia; sive vinearios Proventus respicere, sive arborarios velis. Omni materia adfluit, quacumque aut precio ambitiosa est, aut usu necessaria. Argentum & Aurum si requiras, habet: Ferrariis numquam deficit, nec cedit Vitibus, vincit Olea. Nihil in ea otiosum, nihil sterile, quidquid cujuscunque negat Messem, viget Pabulis: etiam quæ arida sunt ac sterilia, Rudentum materiam nauticis subministrant.* Verba denique sunt hæc Pomponij: *Viris, Equis, Ferro, Plumbo, Argento, Auro tam abundans, & adeo fertilis; ut, sicubi ad penuriam aquarum effæta & sui dissimilis est, Linum tamen aut Spartum alat.*

Admiran-

Admirandam eorum, cum quæ ex terra proveniunt, tum quæ in Terræ visceribus generantur & latent, fertilitatem; Animantium item, quæ Terra Marique nascuntur, præstantiam, quis digne, utque singula flagitant, commemorabit? *Hispaniæ commendatio.*

Incredibilis per omnem Hispaniam Frugum Ubertas; & plerique Agri tantæ sunt liberalitatis, ut pro accepto uno Tritici Modio triginta plurimum Colonis reddant; sæpe etiam quadraginta in Bætica præsertim. *à Frugibus.*

Herbarum, cum Sativarum, tum Voluntariarum, quæ citra sementem erumpunt quibusque insignes sunt & peculiares vires, (videndus Plinius lib. XXV. cap. VIII.) passim, cum primis in montosis locis, est feracissima: ubi *sui dissimilis*, inquit Pomponius, *Linum aut Spartum* alit. Strabo lib. III. σπαρτάριον nominat *Campum*, circa Karthaginem Novam, spaciosum admodum & Aquarum indigentem, quem *Manxam* ab Arabibus vocari scribunt Hieronymus Surita & Ioannes Mariana. Idem *Iuncarium Campum* habet in Emporiensium agris. Λινουργοὶ δὲ ἱκανῶς, inquit, οἱ Ἐμπορῖται, χώραν δὲ τὴν μεσόγαιαν ἔχουσι, τὴν μὲν ἀγαθήν, τὴν δὲ σπαρτοφόρον, τῆς ἀχρηστοτέρας καὶ ἑλείας σχοίνου. καλοῦσι δὲ Ἰουγγάριον πεδίον. Faciunt hæc Strabonis & appellationis Latinæ ratio, ut apud Ptolemæum legendum censeam Ἰουγγαρία; quemadmodum etiam dicitur Antonino *Iuncaria*, pro ejus Loci opido, quod hodie *Iunquera*. *Herbis.*

Siluis, Nemoribus, Arboribusque singulares ferentibus fructus ubique est plena. Longum esset omnia commemorare. Nemus est apud Opidum, cui ab *Monte Majore* nomen, in quo Quercus, Castaneas, Ilices, Nuces, Corylos, Cerasos, Prunos, Pyros, Ficus, Labruscas, & omne genus Arborum fructiferarum sola Natura plantavit, altitudinis ingentis & latitudinis. Haud procul opido Beierano Nemus est amœnissimum, ubi Castaneæ Arboris ambitum se mensum scribit Lucius Marineus Siculus pedum circiter quadraginta. Quid Mala referam? Inter ea melioris notæ sunt duo, *Canusium* & *Regium*. Quid Pyra? In ijs supremæ classis quatuor, quæ odore gustuque suavissima: *Apianum*, quod *Muscatum* vocant, omnium Pyrorum minimum, *Vinosum*, *Pintum*, Quartumque, quod Hispanis *Sine Regula* nominatur. Quid Olivas? In harum numero primas obtinent Hispalenses, quæ magnitudine Iuglandes excedunt. Hinc *Oleastrum* in ea ora circa Sinum Gaditanum, Lucus ab Arbore quam alit, apud Pomponium Melam lib. III. Dives enim Olivetis tota Bætica. Silius Italicus lib. III: *Silvis Arboribusque.*

Palladio Bætis umbratus cornua ramo.

Quin de Hispania canit universa lib. I;

Nullaque Palladia sese magis arbore tollit.

Hinc *Oleastrum* Antonino, opidum inter Tarraconem & Dertossam; hinc ὀλεάστρον Straboni circa Saguntum; hinc alia aliis locis. Quid de reliquis dicam Fructibus? Plene decantata sunt non paucis Mala Hesperia, vel Citrea; Cydona, quæ vulgo *Membrillos*: Granata, suis etiam Coriis medicinam facientia. Nucem Iuglandem primus in Hispaniam intulit Pomponius Flaccus, Eques Romanus, quum sub Vitellio Imperatore militaret. Testatur Plinius lib. XV. natural. histor. cap. XXII.

Quid Vina commemorabo, optimi saporis odorisque? Passim quidem generosa admodum leguntur, alijs tamen & alijs locis præstantiora, quæ Marineus Siculus indicat lib. I. de Rebus Hispaniæ. Vinum ex Turdetania multum exportari, præter alia, scribit Octaviani Augusti tempore Strabo lib. Geograph. III: quod quo modo intelligemus, quum memoriæ prodat Fl. Vopiscus Syracusanus Probum Imperatorem Hispanis, ut & Gallis Britannisque, primum Vineas ut haberent, Vinumque conficerent, permisisse? Singulare scilicet jam fuerat multos annos Turdetanis Turdulisque, quos Hispanorum omnium cultissimos sapientissimosque noverant Romani, quod tandem commune factum & generatim concessum omnibus (hanc enim vocem addit Vopiscus) sub Probo. Vites Germanicæ superioribus annis in Hispaniam à Belga quodam Petro Simonis F. transportatæ, Hispanicoque solo insitæ, jamque mirum in modum multiplicatæ, experimur quotidie, quam grata producant Vina; nomen ejus, qui transsevit, retinentia. Asperitatem, quam conciliare Soli solet natura, frangit, emollit, jucundoque condit sapore adgenitus jam in aliena terra sub alio Climate genius. *Vinis.*

Hispania Dives quondam universim, ut nunc quoque variis in locis, preciosissimis Auri, Argenti, Æris, Ferri, Plumbi, aliorumque Metallorum Thesauris; de

quibus videnda, quæ multis adfert cum ex Posidonio, tum ex aliis Strabo lib. III: quæ item traduntur ab Diodoro Siculo, Solino in Polyhistor. Iustino libro ultimo ex Trogo Pompeio, Panegyrista Theodosij, & alijs. Παρ' ἐκείνοις, ὡς ἀληθῶς, inquit inter cetera Posidonius, de Hispanis, τὸν ὑποχθόνιον τόπον οὐχ ὁ Ἅδης, ἀλλ' ὁ Πλούτων κατοικεῖ. Qui potuisset, oratoria quadam Eloquentiæ vi latius se expandens, insignem Metallorum fœcunditatem explicare commodius? De Auri Argentique copia fidem etiam faciunt, præter alios Auctor Librorum de Gestis Machabæorum, I. cap. VIII, & Iosephus lib. II. Belli Iudaici, cap. XVI. In Montibus circa Bastetaniam & Oretaniam Auri Metalla describit Strabo. Nam avidi sterilesque, & in quibus nihil aliud gignitur, Auri bono coguntur, ut Plinii verbis utar, fertiles esse. Ab Argenti-fodinis, *Mons Argenteus*, Ἀργυροῦς Straboni. *Argentarius* Avieno: hodie Incolis *Sierra Segura*, vel, ut alij censent, *Sierra d' Alcara.* non procul à *Castulone*, nunc *Castona la veja.* Argentum item fodi scribunt circa *Ilipam (Calamea en la Serena)* & utramque *Sisaponem*, Strabo; circa *Babylam* Polybius libro X: in *Melessum* finibus, ubi *Oringis* urbs, Livius, lib. XXVIII. Ad Tagum quoque in Montibus Secturas esse Metallicas, apud *Cotinam* item circa Bætim Aes Aurumque nasci, notat Strabo. *Gallecia Regio*, ait Trogus, vel ex Trogo Iustinus, *Aeris ac Plumbi uberrima, Auro quoque ditissima, adeo ut etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant* Agricolæ. Commemorat & hic *Sacrum* in ejusdem finibus esse *Montem*; eum ferro violare, nefas haberi; si quando fulgure Terra proscissa est (hoc autem in his terris frequens esse) detectum Aurum, velut Deûm Munus, colligi. Eandem Galleciam, Asturiam & Lusitaniam æque omnium Metallorum fœcundam prædicat Plinius. Inter Auri ramenta selibras aliquando glebas fuisse inventas, scriptum reliquit Strabo. Apud *Ibyllam*, Tartesiæ urbem (quid si *Ilipam* de qua ante?) Auri Argentique Fodinas collocat Stephanus. Maximam Argenti Fodinam quomdam apud *Novam Karthaginem* fuisse, ab Vrbe ad XX Stadia dissitam; ibique quadraginta hominum millia in labore versari, & singulis diebus Populo Romano viginti quinque millia drachmarum inde tribuere solitos, ex Strabone discimus. Vicena millia Pondo Argenti annis singulis Asturiam, Galleciam & Lusitaniam præstitisse, tradit ex aliorum fide Plinius. Apud eundem *Bebelo* est, Argenti Puteus, ab Annibale inchoatus, Auctori suo CCC indies pondo subministrare solitus: sine dubio haud procul Pyrenæis montibus. Addit enim Aquitanos, Galliæ populos, Pyrenæo vicinos, hujus Putei aquas egerere. Forte circa *Osiam* in Ilergetibus. Nam *Oscensis Argenti* non semel mentionem facit Livius. Argenti ex Pyrenæorum nati incendio, quemadmodum referunt Diodorus & Strabo, tanta fuit copia, ut Phœnices, quum illud aveherent, atque Argentum, onustis jam Navibus, superaret, loco Plumbi Anchoris illud subdiderint; imo, ut Aristoteli placet, circa Tartessum ipsas inde Anchoras fabricarint. *Turdetanos* Argenteis Lacunaribus Dolijsque usos, notat Strabo. Non pauca etiam hujus Regionis Flumina Aurum ferre, docebunt sequentia. Montem prærupte altum in Cantabriæ ora maritima totum ex Ferro constantem habet Plinius. Probat Metallorum, Auri cum primis & Argenti, copiam inlata in Romanum Ærarium ab Triumphantibus vis admiranda. Testatur infinitis locis Livius Triumphos delineans CN. Cornelii Lentuli, M. Helvii, Blasionis, Q. Minucii Thermi, M. Porcii Catonis. M. Fulvii Nobilioris, C. Calpurnii Pisonis, L. Quinctii Crispini, Q. Fluvii Flacci, Ti. Sempronii Gracchi, L. Postumii Albini, aliorumque: ut merito dixerit & vere Antonius Augustinus, Hispaniam id temporis Romanis eo fuisse loco, quo nunc Hispanis America: inde, alijsque ex locis hac tempestate potentissimi Hispaniæ Reges, ex Metallis apud se domique nasci solitis contenti vilioribus, Aurum & Argentum petere malunt; quam penitiora Regnorum suorum Viscera, Necessitate non cogente, eam ob caussam inquietare. Pergamus ad alia. Strabo lib. III. memoriæ prodit, in Hispania *Electrum* fieri solere. Nam Auro ecfosso, Terraque aluminosa abluto, id quod tunc purgando rejicitur, Electrum esse, ex Auri Argentique mixtura conflatum. Hinc Silius Italicus in libris de bello Pœnico:

Electri gemino pollent de semine Vena.

Gemino, Auri & Argenti. Specularem Lapidem, in quamlibet tenues crustas findi consuetum, Hispaniam olim Citeriorem tantum dedisse, nec totam, sed intra centum millia passuum circa *Sigobrigam (Segorbia)* urbem, scribit Plinius lib. XXXVI. nat. hi-

natur. histor. cap. XXII. *Minium* in Hispania gigni, celeberrimumque peti ex Sisaponensi Bæticæ Regione; inde Romam perferri, ibique perfici, excoqui, vendi, adulterari etiam, docet Plinius lib. XXXIII, cap. VII. Ab cujus verbis Lux M. Tullio Philippica II. *Quid erat in terris ubi in tuo pedem poneres, præter unum Misenum, quem tu cum Socijs, tamquam Sisaponem, tenebas.* De his Sisaponensium Miniariis loquitur Vitruvius lib. VII: *Quæ autem*, inquit, *in Ephesiorum metallis fuerunt Officinæ, nunc trajectæ sunt ideo Romam, quod id genus venæ postea est inventum in Hispaniæ Regionibus: quibus metallis glebæ portantur & per Publicanos Romæ curantur. Eæ autem Officinæ sunt inter ædem Floræ & Quirini.*

Quid jam dicam de Salinis? Sal in Hispania non modo coqui, verum etiam plurimum effodi, hoc est, & fieri & gigni, tradit Solinus. Fit in multis Hispaniæ locis ex Aquis puteanis, ut apud *Seguntiam* & alibi: unde Regibus magnum exigitur Vectigal. Gignitur in extremis Maris littoribus, ceteris candidior. Sunt & Montes Hispaniæ, si fides Marineo Siculo, nativi Salis, ut apud *Bibagorciam*; in quibus lapidicinarum modo Sal cæditur, & Arborum modo postea pullulat ac renascitur. Apud opidum *Antiqueram* Vallis est amœnissima, cujus longitudo passuum mille quingentorum, ex omni parte montium clausa jugis, quæ hieme pluvialibus Aquis impletur, & in formam magni Lacus efficitur, cujus Aquæ calore Solis, adjuvante Soli genio, in Salem candidum convertuntur. Alias silentio prætereo Salinas. Sed Miracula etiam audiamus, quæ tamen hodie evanuerunt. Memorat Strabo, Sal purpureum inveniri in Lusitania: dulcedine quadam temperatum in jugis Tarraconensibus cædi, Solinus ad Oresium; ex Varrone Agellius, Montem Magnum circa Iberum, ex mero Sale, eique quantum demas, tantum adcrescere. Salinis.

Iuxta *Antiqueram*, de qua dixi, Montes inexhaustas habent Fodinas, ex quibus præstantissimi Lapides, ad sumtuosissimorum Operum & Ædificiorum ornamenta idonei, eruuntur; qui late patenti & amplissimæ Negociationi occasionem præbent. Quin & ijdem Montes alterius quoque Lapidis fœcunditate præstant, quem *Hiesso* vulgare Hispanorum Idioma nuncupat; ex quo Calcem, imo notæ singularis Gluten conficiunt, quod usitato nunc nomine Architecti *Tarram* appellitant, Muris consolidandis firmandisque Ædificijs maximam vim habens. Hoc siquidem Lapidis genus igne concoctum, contusum, perque Incerniculum cribratum, aqua deinde maceratum Calcem & tenacissimum reddit Cæmentum, quod in priorem soliditatem mox coalescit: quo structuras tanta industria componunt, & tenacissimas Muris Incrustationes superinducunt, ut Ædificia continuo ex lapide nata, non manu facta aut composita, esse videantur. Eadem etiam Calce, seu potius Gypso, Glutinatores utuntur in obturandis ligneis fictilibusque Vasis, quæ Condimentis & vario fœta liquore in Indiam Belgicasque Regiones & alio transmittuntur. Lapidibus.

Iam vero quod Pecorum omnis generis mugitu balatuque Nemora; Silvæ, Montes, Prata, Campi, Saltus ubique resonent? variis Animantium generibus.

Equos alunt Hispaniæ optumos: Ceteris Bætica plures; Asturia fortiores; *Asturcones* inde nominatos. De quibus sic Plinius lib. VIII cap. XLII: *In eadem Hispania Callaica gens & Asturica, equini generis, quos Thieldones vocamus, minori forma, appellatos Asturcones gignunt: quibus non vulgaris in cursu gradus; sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: unde equus tolutim carpere incursus traditur arte.* Martialis: Equis.

> *Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues,*
> *Venit ab armiferis Gentibus Astur Equus.*

Silius Italicus lib. III de Bello Pœnico:

> *His parvus Sonipes, nec Marti notus; at idem*
> *Aut inconcusso glomerat vestigia dorso,*
> *Aut molli pacata celer trahit esseda collo.*

Recte: commodissimam enim præbet Sessori vectationem. Omnis abest Succussatio. Hinc Εὔδρομος, Polluce teste, Græce vocatur. In vetere quodam Glossario, *Asturco, Equus* exponitur *Ambulatorius*. *Gradarius* alijs dicitur. *Tolutarium* item appellant Latini, à pedibus tolutim (quam vocem ex variis Scriptoribus explicat Nonius) id est, volubiliter & molliter glomerandis. Negat autem Silius Asturconem *Marti notum* (nam sic contra vulgatos quosdam codices legendum) de eo igitur exaudiendum illud Gratij,

Non

Non tamen Hispano Martem tentare minacem
Ausim.

Equos enim ad bellum alibi suppeditat Hispania; quos Feros vocant Varro, Oppianus, Strabo; Probos, Olympius Nemesianus:

Quinetiam gens ampla jacet trans ardua Calpes
Culmina, Cornipedum late fœcunda proborum, &c.

De his etiam Silius, quem sæpe nominavi;

Martius hic Sonipes campos hinnitibus implet,
Hinc juga Cornipedes evecti bellica captant.

Equi nonnullis Hispaniæ locis tantæ velocitatis agilitatisque gênerantur, ut Vento conceptos fabularetur, imo crederet Antiquitas? Tribuunt hanc vim locis ad Oceanum circa Olisipponem (videndum cap. XXVI. hujus libri) cum Plinio plerique; *Vettonibus*, Silius; *Tagro* Monti, Varro; *Sacro*, Columella, ex quo corrigendus fortean Varro, Ventum autem nominant Favonium aut Zephyrum omnes. Multorum vicem obeat Vergilius Georgic. III:

Ore omnes versa in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptantque leves auras, & sæpe sine ullis
Coniugiis Vento gravidæ (mirabile dictu)

Homerus iugales Achillis Equos ad Oceanum Zephyro Patre genitos, tradit, littoralia Iberiæ loca versus Occidentem designans. Pullos ex his natos non plus Triennio vivere perhibent M. Terentius Varro lib. III. de re Rustica, Solinus in Polyhist. Plinius VIII. cap. XLII, Columella lib. VII. rei Rusticæ, & alij; Septimam ferre æstatem canit Silius lib. III, cujus locus operæ, qui adscribatur:

At Vettonum alas Balarus probat æquore aperto.
Hinc adeo, quum Ver placidum Flatusque tepescit,
Concubitus servans tacitos Grex prostat Equarum,
Et Venerem occultam genitali concipit aura:
Sed non multa dies Generi; properatque senectus;
Septimaque his stabulis longissima ducitur æstas.

Septem annos dat illis Poëta, quibus alij vix tres. Nam *Tertiam* hic substituere pro *Septima*, nimis violentum. Tamquam notissima, hæc de Equis vento concipi solitis, scribit Columella; pro re incredibili, sed vera, recitat Varro; addens Equas ex Vento ibi concipere, ut hic Gallinæ solent, quarum Ova *Hypenemia* vocat, *Zephyria* Plinius. Iustinus ex libro Trogi ultimo natam credit Fabulam ex Equarum fœcunditate, Equorumque pernicitate. Hæc sane caussa fuit, quod ex Hispania Equos ad Curules Ludos & Saltationes petere consueverint Veteres Romani: cujus rei amplissima sunt testimonia apud Q. Aurelium Symmachum, lib. IV. Epist. LX, LXI, & LXIV, lib. VII epist. CV. & CVI. lib. IX. epist. XII, XIIX, XIX, XX, XXII; & XXIII. Ut huic Qualitatis Membro finem imponam. Celtiberorum Equi, Strabonis indicio, subalbi si in Ulteriorem traducuntur Hispaniam, colorem permutant: suntque Parthicorum similes.

alijs Animalibus.

In Lusitania Sus quum esset occisus, inquit Varro lib. II. de Re Rust. cap. IV, *Attilius Hispaniensis, minime mendax, & multarum rerum peritus in doctrina dicebat L. Volumnio Senatori Missam esse offulam cum duabus costis, quæ penderet* III *&* XX *pondo*; *eiusque Suis à cute ad os pedem & tres digitos fuisse.*

Hispaniæ Canes laudant Oppianus & Iulius Pollux; item Nemesianus, quorum

——*proles de sanguine manat Ibero.*

Ad Venationes exstimulant cum alia, tum in Montibus, Vallibus, Silvisque Damæ, Cervi, Apri, Ursi. Lepores, Cuniculi. His sane abundantem docet Hispaniam versiculus Catulli;

Cuniculosæ Celtiberiæ fili;

& Nummus Hadriani Imperatoris, in cujus una facie, HADRIANVS AVG. COSS. III. P. P. cum Imperatoris capite; in altera HISPANIA. S. C. cum ipsius, Olivarum Ramulos aliquot dextra tenentis, effigie, adpicta ad pedes hoc animalculo.

Ad Aucupia invitant cum Aves aliæ, tum Aquilæ, Ardeæ, Accipitres, Atagines item, eo nuper ex Sicilia allati. Peculiare Hispaniæ esse Posidonius apud Strabonem adserit, τὸ τὰς κορώνας μελαίνας εἶναι.

Ad Piscationes denique incitant in Mari quidem cum Pisces ipsi, ut Cæte, Balenæ, Congri, Murenæ, Thynni, Savali, Lampetræ, & alij, tum Ostrea Conchyliaque; in Fluminibus autem & Mediterraneis, ut alijs commemorandis supersedeam, Turtures, Iuvenali etiam decantati, aureis maculis insigniti: *Truchas* vocat Vulgus Hispanicum, *Troctam* Itali Siculique; saporis jucundissimi, optimi nutrimenti, Senibus Ægrotantibusque ab Medicis concedi soliti. Legisse se scribit Lucius Marineus Siculus de rebus Hispaniæ lib. I, in Hispania Polypum olim captum fuisse tantæ magnitudinis ut ejus caput ostensum Lucullo XV. amphorarum capax fuerit, crines quidvis utroque brachio comprehenderint, caliculi instar pelvium urnam æquaverint, reliquiæ ejus miraculo adservatæ septingenta pondo pependerint. Memoriæ prodit idem Marineus Valentiæ se piscem vidisse, quem Piscatores mari captum portaverant, & Torculari magno locaverant Aquæ pleno, crassitudine & longitudine magnæ Mulæ, cujus Caput, Os, Nares, Oculi Bovis esse videbantur; præter Cornua, quibus carebat; Mammas habebat muliebres, & Manus Mamillis adpositas, Vulvam quoque mulieris: addit postero die peperisse Pisciculum ipsi persimilem, longitudine trium pedum, crassitudine Colli Canis Gallici, Matremque eum quatriduo post fame fortean coactam, devorasse.

Sed ego hæc paucis: pluribus explicantur ab Cæsare lib. III. de bello Civili, Appiano, Strabone, Iustino, Solino, & aliis probatis Scriptoribus: quibus addendi, ut certiora tradentes omnia, & oculis visa, L. Marineus Siculus lib. I, Rodericus Sanctius Historiæ Hispan. Part. I. cap. II, Ioannes Vasæus cap. IX. Marius Aretius Patricius Syracusanus Dialogo, cui nomen Calipho, & si qui his adcensendi. *Qualitatem Hispaniæ qui describant.*

Talis igitur Hispania & Vetus & Nova; Terris omnibus Terra felicior; cui excolendæ ditandæque impensius, quam ceteris gentibus, ut ait Latinus Pacatus, supremus ille Fabricator indulsit.

Tanta autem hujus Regionis fertilitas, tamque læta rerum omnium copia facit hodie, ut larga manu Confinalibus suis, alijsque remotioribus Populis infinita cum apud se nata, tum etiam aliunde advecta subministret, Sericum, Lanas, Pannos omnis generis, Sal, Saccharum, Mel; Mala, Medica; Citrea, Granata, Cydonea; Olivas conditas; Cappares; Vvas, Ficus, Pruna passa; Amygdala, Castaneas, Glycyrrhizam, Anisum, Cuminum, Coriandrum, Oryzam, Crocum, Oleum, Ceram, Alumen, Smegma, Minium, Purpuram; Thynnos, Balenasque salitas. Baccas Laurinas; Fructus diversorum generum, Saccharo adspersos; Alabastrum, Coralium: Aurum, Argentum, Ferrum, Chalybem, Stannum, Cuprum, Plumbum, Rubiam Tinctorum, Argentum Vivum, Gossipium; Gemmas item preciosos que Lapides & Aromata ab alijs, tum ab Indis accepta. De quibus omnibus, præter Strabonem lib. III, plene Damianus à Goes, Eques Lusitanus, libello, brevi quidem, sed nervoso; quo Patriæ fertilitatem & potentiam suis coloribus delineare est conatus. *Merces ex Hispania in alias Regiones exportari solitæ.*

Pro ijs autem omnibus grata quadam commutatione certatim ab Europæis, Africanis, Asiaticis, Americanis accipiunt eas Hispani merces, quas Natura Cœlique & Soli genius ipsis negare solet.

CAP. IV.

Hispaniæ Montes.

ITA se habent Regionis Adjuncta: succedunt Partes. Eas hic appello, Terra quidem, *Montes* & *Promontoria*; Aqua vero, *Sinus*, *Portus*, *Flumina* & similia. Inter Hispaniæ Montes *Pyrenæus* principem obtinet locum, Hispanos ab Gallis dividens; qui Ptolemæo & reliquis, Πυρήνη; Stephano, Πυρήνη; Tibullo lib. I. & Silio Italico lib. III, *Pyrene*; Livio lib. XXI, Cæsari lib. I. de bello Civili, Suetonio in Cæsare cap. XXV, Æmilioque Probo in Annibale, *Saltus Pyrenæus*: Hispanis, *Los Pireneos* universim; nam pro ratione Locorum varia sortitur nomina, ut docet Olivarius. Ad Templum Veneris dicitur *Puig çerda*; inde *Montes de Iacque* & *Roncevalles*: ad Navarræ demum regnum, *Mons S. Hadriani*. Dictum volunt plerique ἀπὸ τοῦ πυρὸς, ab Igne: vel quod crebris fulminum ictibus feriatur; vel quod ejus silvæ (scribente Diodoro libro *Pyrenæi variæ appellationes; Etymon.*

libro VI) injecto à Pastoribus Igne, quomdam universæ conflagrarint. Certe ab Græca voce nuncupatum, non est mirandum; quum ex Antiquis Monimentis, Græcos tam Occidentale, quam Orientale hujus montis latus habitasse quondam, satis superque constet. Silius Italicus Denominationis honorem tribuit Pyrene puellæ, Bebrycis, qui rerum ibi gubernacula tenebat, filiæ; in eo monte ab Hercule, violato Hospitij iure compressæ; ibique, quum ab feris laniata esset, sepultæ. Pomponius Mela lib. III. Dion. lib. LIII, & Orosius lib. VI. cap. XXI, Pyrenæos appellant non tantum, qui Hispaniam inter & Galliam; sed & qui ab Oriente in Oceanum usque excurrunt Occidentalem. Quin & ad Artabrum vel Celticum Promontorium, quod hodie *Cabo de Finis terræ*, *Pyrenæos* hactenus ab Adcolis appellari testatur apud Ortelium Georgius Austriacus, Præpositus Harlebecensis. Quidquid sit, perpetuus ille Pyrenæi ab Ortu in Occasum procursus Hispanorum alios facit Citramontanos versus Meridiem, Vltramontanos ad Septemtrionem. Pyrenes latus, ut notat Strabo lib. III. in Hispaniam vergens varijs consitum est arboribus, ijsque semper virentibus; alterum autem Galliam spectans, omnino nudum: media Loca Convalles continent, ab frequente Incola habitatas. Mutata nonnihil hodie Loci facies.

Amplitudo.

Qualitas.

Pyrenæus, non ut Galliam separat ab Hispania, sed ut ab Ortu in Occasum ad Promontorium usque Celticum prolatatus Hispanos dividit in Cismontanos & Vltramontanos, alium ad Iberi fontes Montem protrudit versus Meridiem per Hispaniæ latitudinem. Nomen illi Ἰδούβεδα apud Strabonem & Ptolemæum: *Saltus Aucensis*, vulgo *Monte d'Oca* hodie vocatur, ab *Auca* Vrbe vetere, cujus ad *Villam-Francam*, vigesimo supra *Burgos* milliari, vestigia monstrantur. Hujus progressum sic describit Ioannes Mariana lib. I. de rebus Hispaniæ, cap. III. *Ex his Montibus* (eos designat, qui ab Ortu abeunt in Occasum per Hispaniæ longitudinem) *Idubeda Mons versus Austrum ad Iberi fontes in Pelendonibus derivatur & per Virvesiam Arevacesque, ubi Orbionis cacumina surgunt, neque procul Cauno, qui hodie Moncaius est, Bilbilim Darocamque prætervectus, Mare Mediterraneum attingit, non procul Dertusa Vrbe; unde extremæ ejus montis partes hodie etiam nomen habent. Iberum Amnem, contra quam reliqui insigniores Hispaniæ fluvij faciunt, ad Occasum ire Idubeda mons prohibet, &c.*

Pyrenæi Proles Idubeda.

Orospeda Idubedæ proles; Ὀρόσπεδα Straboni, Ὀρτόσπεδα Ptolemæo. Toti hodie certum non est nomen: nam quod Alvaro Gomecio censentur *Sierra Vermigia*, quod Floriano *Sierra Molina*, quod Clusio *Sierra Morena*; Partes ejus sunt; quibus alias addit pro ratione locorum Navagierus in suo Itinerario; *Puerto de la Tablada, di Ponfria, Tofria, del Pico, di Soma Sierra, Palomera de Avila*, &c. Describit eleganter meo judicio Ioannes Mariana, loco quem indicavi: *Paullo infra Caunum* (*Moncajo* hodie, ut ante dictum) *ex Idubeda emissus Orospeda, mollibus initio jugis, ut vix adsurgere videatur, sensim tamen sese efferens, ulteriusque progressus, Molinæ primum montes* (*Sierra Molina* hodie) *erigit; Conchæ deinde, ubi Sucronem ad lævam, ad dextram Tagum emittit. Inde Consaburonis seu Consiegræ montibus constitutis, & in Campis Laminitanis Anæ fontes enixus, ad Alcarassum* (Ὤργια Ptolemæi putatur, Ilergetum urbs: hoc loco Orospeda, *Sierra d' Alcaraz*; ἀργυροῦς, *Argenteus Mons*, dicitur Straboni) *Seguramque procedens in diversas partes mariaque diversa Taderem (hic hodie Segura fluvius est) Bætimque in Saltu Tigensi non longe à Caforla oppido fundit; ab Anæ fontibus remotum amplius centum millibus passuum: unde in duo brachia scissus, parte una è regione Murciæ factus ad Murgim, hoc est Muxacram, mareque terminatur, relictis ad occasum Bastitanis à Basta Vrbe, quæ hodie Baza est; ad ortum vero Contestanis, veteris Hispaniæ populis: parte altera versus Malacam porrectus, & Eliberritanis jugis sese adnectens ultra Calpem ultraque Tartessum tanta procurrit aviditate, ut penetrato mari Fretique angustijs tantum non obturatis, Africæ complexum non semel appetere videatur.* Orospedæ adsenseri solet *Calpe*. Sic Ptolemæo alijsque Mons vocatur ad Fretum Herculeum; qui *Gibraltar* vulgo. Vere notatur pronunciaturque *Gebal Tarik*: sic nominatus ab strenuissimo Duce *Tarik*, filio Abdallæ, filij Wenemu Renathæi, quem Muses filius Nutzir ex genere Marawanæorum, quo tempore (annus is erat IↃCCIX) ex Africa in eam Hispaniæ partem, quæ Andalusia nunc dicitur, irrumperet, secum habebat. Testatur Auctor Geographiæ Arabs, qui quum de subacta Insula *Chadhar* verba fecisset, hæc

Idubedæ Orospeda.

Orospedæ pars Calpe.

Gebal Tarik unde dictus.

hæc ſubjungit : وكان وصولهم اليها من جبل طارق وانما سمي بجبل طارق لان طارق
بن عبد الله بن ونمو الزناتي لما جاز بمن معه من البرابر وتحصنوا بهذا الجبل *
id eſt : *Applicarunt autem ad eam Gebal Tarik (Monte Tarik.) Vocatus eſt autem Gebal Tarik, ideo quod Tarik filius Abdallæ, filij VVenemu Renathæi, poſtquam trajecit quos ſecum habebat Barbaros, & muniverunt ſeſe intra hunc montem.* Oroſpedæ item pars Rupes præcelſa, quæ ex Hiſpalenſi urbe Granatam eunti prope Archidonam ſe conſpiciendam offert. Nomen habet famamque meretur ex memorabili; quòd in omne ævum eſt duraturum, Amoris exemplo. Hiſpanis dicitur, *La Penna de los Enamorados*, *Amantium Rupes*. Res, ut paucis dicam, ita habet: Quum Regnum Granatenſe Mauris adhuc pareret, graveque inter ipſos & Chriſtianos bellum flagraret, quodam in conflictu inter alios captus eſt Chriſtianus, quem Maurorum Rex ob formæ venuſtatem facilitatemque morum libertate donavit, eumdem apud ſe in palatio retinens. Inter hunc porro Filiamque Regis tanta tamque caſta coaluit familiaritas; ut Articulis hæc Chriſtianæ Fidei præcipuis imbuta, Chriſtianiſque commorari deinceps avens & commori, Torum Conjugalem pollicita, fugam cum Captivo fuerit molita. Quum autem Rex diligenter illos perſequeretur; in Rupem, quam dixi, ut ibi deliteſcerent, fugerunt: videntes autem ſe detectos, & Rupem ab Mauris undique circumſeptam animadvertentes, cacumen conſcenderunt; ſeque, ſupplicio, quod ab Rege exſpectabant, territi, mutuo complexu præcipites inde dederunt. Ad cujus rei memoriam in ejuſdem Rupis dorſo, inque via publica Cruces erectæ videntur. *La Penna de los Enamorados.*

Paullinus *Bimarem* nominat. Reſpicit enim duo Maria, Internum & Externum. Strabo libro Geographicorum tertio Calpen montem eſſe, ait, Circuitu quidem non magnum admodum, altitudine autem ingentem & arrectum, ut remotioribus Inſulæ formam præferat. Vnam Herculis Columnarum ſunt qui fabulantur, alteramque ex adverſo Abylam in Africa, Laborum Herculis metas. Addunt unum fuiſſe quomdam Montem; ſed ab Hercule perfoſſum; ut, mutata rerum facie, excluſa ante Maria in Mediterraneas Terras, Aquarum indigas, admitterentur. Videndi, præter alios, Plinius. lib. III, & Pomponius Mela lib. I. ubi de Mauritania & lib. II. ubi de Hiſpania: *Calpe*, inquit inter alia, facta cum Abyla commiſſione, *magis & pene totus in Mare prominens. Is mirum in modum concavus, ab ea parte, qua ſpectat occaſum, medium fere latus aperit, atque inde ingreſſus totus admodum pervius prope, quantum patet Sinus & ſpecus, ultra eſt.* Diodorus etiam, agens de Perfoſſione, quam dixi, ſcribit Herculem Fretum tam anguſtum reliquiſſe, ne grandia Cete intrarent. Alij de Columnis Herculis tradunt alia; quæ ad meum nihil faciunt inſtitutum.

Ex *Oroſpeda* prope Alcaraſſum *Mariani Montes* ſurgunt. Sic nominat Plinius lib. III, cap. I. qui ſingulariter Μαρ(ι)ανὸς Ptolemæo, & *Mons Mariorum* Antonino, hodie *Sierra Morena*: Radices horum montium adluit ad lævam perpetuo fere ad Oceanum uſque nobiliſſimus fluvius Bætis. *Oroſpedæ proles Mariani Mons.*

Haud procul ab eo loco, quo *Oroſpeda* ab *Idubeda* prodit, prope *Caunum* è media Camporum vaſtitate atque planicie Montes alij videntur oriri; ceterum in Pyrenæi brachiis quibus univerſa innectitur Hiſpania, numerandos eſſe, nemini dubium eſt. Eorum apud Veteres Scriptores nulla mentio: nunc multis nominibus ab vicinis Civitatibus ſunt noti. Numantia, Segobia, Abulaque luſtratis, Caſtellam in Veterem Novamque ſecernunt; præterque Caurium & Placentiam Tagi ductum, quo ad lævam adluuntur, ſequentes, Portugalliam in duas ferme æquas partes ſecant. Ad opidum *Sintram* demum, *Tagro* Monti viginti octo millibus paſſuum ad Septemtrionem ab Oliſippone impoſitum, Occiduum attingunt Oceanum, deſinuntque Promontorio in Mari conſtituto, cui *Magno* vel *Oliſipponenſi* cognomen. *Montes Caſtellam dividentes Veteribus ignoti.*

Iuxta Barcinonem Mons eſt, quem *Mon-Iui* vocant adcolæ: ſunt qui interpretantur *Montem Iovis*; alij melius *Montem Iudæorum*, qui quomdam illic ſepeliebantur, quorumque plura adhuc ibi Sepulcreta & Signa. In vertice Turris eſt; unde Speculator die quidem Linteo Velo, noctu vero Facibus Navigiorum adventum Barcinonæ Civibus oſtendit. De Montibus Fluminibuſque Hiſpaniarum libellum edidit Hieronymus Paullus Barcinonenſis. *Mon-Iui.*

Cap. V.

Hispaniæ Promontoria.

Promontoria.

HÆc de Montibus: Promontoria sunt in Hispaniæ ambitu ad utrumque Mare nobilissima; quæ paucis recensebo; capto ab ijs, quæ ad Oceanum, initio.

Scythicum.

Scythicum in Cantabris Melæ libro III. cap. I. Geograph. Olivario dicitur *Cabo del Rigo*; Floriano *Penas de Huson*; alijs *Cabo de Peñas.* Credunt nonnulli esse, quod Λαπατία κώρυ & τρίλευκον Ptolemæo.

Artabrum.

Artabrum, quod & *Celticum* Plinio, à Populis *Artabris* & *Celticis*, Promontorio adhabitantibus; Νέριον Ptolemæo & Straboni, apud quem libro III. male, μέχρι τῆς πρὸς Ἀρτάβροις Ἄκρας, ἣν καλοῦσιν ἱέρνην: legendum enim, inversis litteris, νέριον, ut & ipse alibi appellat. *Speculum Britanniæ* vocant Æthicus & Orosius. Hodie Nautis appellatur *Cabo de Finis Terræ*, in Galecia.

Magnum.

Magnum, in Lusitania, Pomponio & Plinio: hodie *Cabo de Casiais*, ab vicino opido; ad dextram Tagi fluminis. Plinium maximo errore, quemcumque tandem Auctorem est sequutus, se involuere, notat Ioachimus Vadianus Commentario in Pomponium Melam, quum lib. IV. natur. histor. cap. XXI. scribat, Olisipponensi Promontorio oram Hispaniæ occiduam finiri, & Septemtrionalis lateris flexum incipi. Verba ponam; ut, an vere notetur, pareat: *Excurrit deinde*, inquit, *in aliud vasto cornu Promontorium*, *quod alij Artabrum appellavere, alij Magnum, multi Olisipponense ab opido: Terras, Maria, Cœlum disterminans. Illo finitur Hispaniæ Latus*, *& à circuitu eius incipit Frons.* Vox, *illo*, *Artabri* respicit appellationem, non *Olisipponensis.* Dicit enim *Artabro* finiri Hispaniæ *Latus*, & ab ejus circuitu incipere *Frontem.* Artabrum autem, obiter addit, *Olisipponense* multis vocari. Hoc non Plinij, sed aliorum dogma; falsum omnino. Nam si *Olisipponensi* nomen ab *Olisippone*, clarissima Lusitaniæ Vrbe; non idem potest esse cum *Artabro*, sed cum *Magno*, cujus jam memini, quodque in *Frontis* medio. Eodem modo, eademque interpretatione juvandus C. Iulius Solinus in Polyhist. cap. XXVI.

Plinius defensus. Olisipponensis. Solino lux.

Barbarium.

Barbarium, βαρβάριον ἄκρα Ptolemæo: hodie, ut volunt Clusius & Taraffa, *Cabo de Spichel*, ad sinistram Tagi ripam oppositum *Magno* vel *Olisipponensi.*

Sacrum.

Sacrum ἱερὸν Ptolemæo & Straboni, cui etiam Κάλβιον lib. I: *Sacer Mons* Columellæ: *Caput Europæ* Eustathio: hodie *Cabo de S. Vincente.* In Algarbiæ regno.

Charidemi.

Charidemo, χαρίδημου Ptolemæo ad Mare Mediterraneum: hodie, teste Clusio, *Cabo de Gates*; vel ut scribendum censet Florianus, *Cabo de Agatas*, ab Achate Lapide, qui ibi effoditur.

Scombraria.

Scombraria, Σκομβραρία, Ptolemæo, Tarraconensis Hispaniæ; Plinio, *Saturni*, hodie *Cabo de Palos*, scribente Clusio.

Ferraria.

Ferraria, apud Pomponium Melam; *Dianium*, Ciceroni & Plinio; Ἀρτεμίσιον & ἡμεροσκοπεῖον Straboni; qui de eo sic scribit: Τούτων δ' ἐστὶ γνωριμώτατον, τὸ ἡμεροσκοπεῖον, ἔχον ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν σφόδρα τιμώμενον, ᾧ ἐχρήσατο ὁρμητηρίῳ κατὰ θάλατταν Σερτώριος. Ἐρυμνὸν γάρ ἐστι καὶ λῃστρικὸν, κάτοπτον δὲ ἐκ πολλοῦ τοῖς προσπλέουσι. καλεῖται δὲ Διάνιον, οἷον Ἀρτεμίσιον, ἔχον σιδηρεῖα εὐφυῆ πλησίον. *Ferraria* igitur à Ferro.

Tenebrium.

Tenebrium Τενέβριον Ptolemæo; hodie *Cabo de Alfaques.*

Lunarium.

Lunarium, Λυνάριον Ptolemæo; Hodie *Cabo de Vallis*, ut putat Cl. Aretius; vel, ut Coquus *Palafigel.*

Aphrodisium.

Aphrodisium, Ἀφροδίσιον Ptolemæo; ad Pyrenæi radices; Πυρηναία Ἀφροδίτη, Straboni lib. IV. *Pyrenæa Venus* Plinio. Μασσαλιωτικὸν etiam appellatum scribit idem Strabo libro, quem nominavi. Hodie *Cabo de Cruz.*

Asiæ minoris dignationis Promontoria, quorum apud Veteres nulla mentio.

In horum enumeratione nihil dixi de minorum gentium, præcipue, quæ ad Oceanum, Promontorijs, quæ quamvis ab Veteribus scriptoribus non nominentur, suis tamen hodie appellationibus non carent. Si quis Latus Hispaniæ, quod Septemtrioni obversum jacet, legat, anteaquam à Pyrenæis montibus ad *Scythicum* Promon-

Promontorium, quod primo loco posui, perveniat, prætervehatur, necesse est illud, quod vulgo *Cabo Matiaco*, versus ortum ab ingressu Portus Bermeensis paullo amplius quatuor distans milliaribus. *Scythico* proxime succedit *Cabo d' Aviles*, sic dictum ab adjacente opido. Sequuntur *Cabo de Brilo*, *de Ortegal*, *de Prior*, quod Corunnae Portum ingredienti ad sinistram; tribus semimiliaribus *Ferolio*: mox *Cabo de Belem*, *de Corrian*, *de Conte*, confusa omnia cum *Artabro* vel *Nerio* Promontorio, quod *Finis Terræ* vulgo: inter quod & *Olyssiponense* sunt etiam *Cabo de Phalselis*, duobus Baiona milliaribus, & *Cabo de Montego*.

CAP. VI.

Hispaniæ Sinus & Portus.

PARTES, quæ Terra, absolvi: restant quæ Aqua, ut sunt *Sinus* & *Portus*. *Sinus* Hispaniæ celeberrimi sunt tres: omnes ad Mare Mediterraneum, *Sucronensis*, *Illicitanus*, *Virgitanus*. Sinus.

Omnium vastissimus est *Sucronensis*, magno satis ore Pelagus, inquit Mela, accipiens; & quo magis penetratur, angustior. Hunc ab *Illicitano* separat Promontorium Artemisium, cujus antea facta mentio. Nomen illi ab Sucrone, vel fluvio (notus ille Plinio. Ptolemæo & Silio Italico lib. III.) nunc *Xucar*; vel opido (quod apud eundem Plinium & Strabonem) in sinistra fluminis ripa, quod hoc tempore *Cullera*. Sucronensis.

Mediæ magnitudinis est *Illicitanus*, ab *Illice* opido, ut notat Pomponius Mela, quod *Illici* Plinio; Ἰλλικίας Ptolemæo; hodie, ut quibusdam placet, *Elche*; ut alijs, *Alicante*; unde & Sinus nunc *Puerto d' Alicante*. Illicitanus.

Minimus est *Virgitanus* ab Opido, ut scribit Mela, *Virgi*, hodie *Vera* vel *Bera*. Corrupte apud Ptolemæum ὐρκὴ, pro ὐιρκὴ vel ὐιργὴ: nec emendatius apud Antoninum *Vrci*, ut nec apud Plinium *Vrgi*. Virgitanus.

Nominatur & *Gaditanus Sinus* Melæ lib. III. ab Gadibus. Hodie *Baia de Cadix*. Gaditanus.

Ταῤῥακὼν etiam ἐν κόλπῳ jacet Straboni; quem & hodie sinum habet *Tarragona*. Taraconensis.

Inter Portus, quos Hispania habet, primi est loci qui *Magnus* Veteribus, μέγας λιμὴν Ptolemæo inter Nerium & Scythicum Promontoria: *Coruña* hodie. Sunt & *Annibalis Portus*, apud Pomponium, *Albor* hodie in Algarbiæ regno: *Amanum*, Plinio; nunc *Fuentaribie*, ut Villanovanus, vel *Bermeo*, ut Moralis censet: *Gaditanus*, Melæ & Antonino, circa Gades: *Tarraconensis*, de quo Silius Italicus lib. XV. Portus Magnus. Annibalis. Amanum. Gaditanus.

——Tunc hospita Tarraco Baccho
Considunt portu, & secura gurgite clauso
Stant Puppes, positusque labor, terrorque profundi:

Veneris denique Melæ nominatus ad radices Montis Pyrenæi. Sed de Sinibus Portubusque, eorumque latitudine & profunditate multis felicissime scribit Lucas Aurigarius in suo Navigationis Speculo, Chartis, quod ad Hispaniam, decima novemque sequentibus. Veneris.

CAP. VII.

Hispaniæ Flumina, Lacus, Stagna, Fontes, &c.

SINUS Portusque demonstravi: Flumina, me vocant, & quæ cum ijs censeri solita. Hispania multis irrigatur passim Fluviis. Sunt qui centum & quinquaginta numerant, & in ijs Pontes ultra septingentos, inter quos nobilissimi Segoviæ & Alcantaræ. Alij alijs sunt nobiliores. Fluvii.

Iberus, ab *Ibera* opulentissima quondam Vrbe, quæ *Elix* hodie putatur, circa Karthaginem Veterem: in cujus agro P. Cornelius Scipio vicisse Pœnos, totamque Hispaniam Imperio populi Romani adjecisse scribitur. Ἴβηρος Ptolemæo & alijs *Ebro* hodie. Erumpit apud Cantabros (*Provincia de Campo*) ex Idubeda Monte, duobus Fontibus, quorum dexter in Saltu Aucensi (*Monte d' Oca*) sinister ad Iberus.

Opidum, quod Incolis *Fuentibre*. Inde, magnis crescens Amnibus, primo Calagurritanis exceptus arvis *(Callahorra)* Iuliobrigam & Tubellam petit, Navarræ opida; Iuliamque & Celsam, Ponte quondam celebrem, inde Cæsar-Augustam adluit. Illinc digressus in Austrum, & mox versus Euronotum (nam quo minus, ut reliqui celebriores Hispaniæ fluvij, ad Occasum tendat, facit Mons Idubeda) labitur per Laletaniæ populos, qui nunc Catalani, Dertusam opulentam urbem præterlabitur, Postremo auctus *Raia, Cadora, Tirone, Naierilla, Fruega, Letia, Melero, Ega, Arga (Aragus* Antiquis) *Aragonibus* duobus (unde *Aragoniæ* nomen, *Gallico) Salone, Congedo, (Cogedus* Martiali) *Cinga*, (cujus, nomen retinentis, mentio apud Cæsarem de bello Civili, & Lucanum lib. I. & IV) *Sicori (Segre* vulgo, σίκορις Dioni; notus Plinio, Cæsari, Vibio) alijsque, peracto quadringentorum sexaginta millium passuum cursu, in Mediterraneum, cognomine ipsi, Pelagus tam violenter duobus Ostijs (facta *Alphaciæ* Insula) ingreditur, ut quinquaginta passus in mare profusus dulcis hauriatur. Sequior ille, quam aliorum Hispaniæ Fluviorum, Iberi cursus, cujus facta mihi mentio, eleganter describitur, in Vrna Marmorea, quæ in ædibus hortisque Cardinalis Cæsij servatur, in Vaticano; ubi inter alia:

IAM. DATVS. EST. FINIS. VITÆ. IAM. PAVSSA. MALORVM
VOBIS. QVAS. HABET. HOC. GNATAM. MATREMQ. SEPVLCHRVM
LITTORE. PHOCAICO. PELAGI. VI. EXANIMATA S
ILLIC. VNDE. TAGVS. ET. NOBILE. FLVMEN. HIBERV S
VORSVM. ORTVS. VORSVM. OCCASVS. FLVIT. ALTER. ET. ALTER
STAGNA. SVB. OCEANI. TAGVS. ET. TYRRHENICA. HIBERV S

Et quæ sequuntur. Fluviolum etiam in Bætica, qui hodie *Rio Tinto* & *Azeche*, scribit Florianus à Campo appellatum quomdam *Iberum*: unde nomen *Iberis* inditum canit Sex. Avienus:

Iberus inde manat amnis; & locos
Fæcundat unda. Plurimi ab ipso ferunt
Dictos Iberos; non ab illo flumine,
Quod inquietos Vascones prælabitur.

Durius. *Durius* maximus (concurrentibus in eum tot Amnibus, quos enumerare longum esset) Hispaniæ fluvius ex Idubeda, ubi nomen illi *Sierra de Coçollo* (apud Cantabros juxta Numantiam, ut notant Strabo & Plinius) scaturiens, Vectones ab Asturibus, Lusitanos ab Gallecis Veteribus disterminat. Turrem Sullanam *(Tordesillas)* Sarabrim, Mirandam, & alia opido contemplatus, decimoquinto fere infra Lamecam milliari, apud opidum Portugalliæ, quod *Portus* dicitur, rapidissimo cursu Occidentali se miscet Oceano. Δωρὶς, Ptolemæo; Δυρίας, Straboni; Δόριος, Appiano Alexandrino; *Duero* hodie.

Tagus. *Tagus* (Τάγος Ptolemæo ceterisque) nascitur in altissimis Orospedæ jugis, stadijs quinquaginta ab Opido parvo, cui nomen *Tragacet*, haud procul ab Vrbe Concia, nunc *Cuenca*, Per Carpentanos lapsus Toletum, regalem Vrbem, petit, Ponteque accepto, Talaveram, Augustobrigam, Alcantaram, aliasque Vrbes non ignobiles adluens, mediam fere secans Portugalliam, ultra Olisipponam in Occiduum se exonerat Oceanum; Ostio bis millium, ut quidam notant, quinquaginta passuum latitudine. De Ostio Tagi scribit hæc Strabo lib. III. ὁ δὲ Τάγος καὶ τὸ πλάτος ἔχει τοῦ στόματος, εἴκοσί που σταδίων, καὶ τὸ βάθος μέγα, ὥστε μυριαγωγοῖς ἀναπλεῖσθαι: & quæ ibi alia. Quod ad Ostij Latitudinem, si censenda illa inter duo Promontoria, quæ vulgo nominari solita dixi, *Cabo de Roxent* & *Cabo de Spichel*; Nostrates Nautæ, quibus hæc notissima, numerant decem fere Leucas; sin, qua maxima angustia, inter duo interiora Promontoriola, quorum Borealius *S. Giaon*, Nostris *S. Gielis*, Australius *Trafaria*, unius tantum & semis est Leucæ. Quod ad Altitudinem; ea quidem duobus pulvinis, quibus infaustum nomen *Malechepos*, est infesta, sed inter quos Profunditas satis fida, XII, ubi minima passuum. Adcolis hic fluvius hodieque *Taio*, Lusitanis *Teio*. An quod aliud habuerit olim nomen, disputat M. Antonius Del Rio Commentario in Senecæ Tragœdiam, Thyestem. Tagus auriferis Arenis copiosus reliquis Hispaniarum fluminibus, uti testantur Solinus in Polyhistore & Isidorus lib. XIII. Etymolog. cap. XXI, præferebatur. Eo respiciunt Ovidius XI. Metamorph.

Quod-

Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus Aurum.

Iuvenalis Satyra XIV:

——tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur Aurum.

Statius Papinius Silvarum lib. I:

Huic Hermum, fulvoque Tagum decurrere limo.

Claudianus denique (nam alios prætereo) libro I. in Rufinum:

Non Tartessiacis illum satiaret Arenis
Tempestas pretiosa Tagi; non stagna rubentis
Aurea Pactoli: totumque exhauserit Hermum,
Ardebit majore siti.

Auriferum hodieque, ut & alios multos Lusitaniæ fluvios esse adfirmat apud Ortelium, vir fide dignus Emanuel Enricus. Piscium item Ostreorumque feracissimum, Gemmasque generantem memoriæ prodit Pomponius Mela.

Anas, Ἄνας, Latinis Græcisque Scriptoribus satis notus, Originem (ubi *Reydera* vocari tradit Garibaius lib. III. cap. II. Hispanicæ Historiæ) habet ex vastis Stagnis, in Laminitano Agro, ut scribit Plinius lib. III. Naturalis histor. cap. I. qui hodie *Campo de Montiel*, circa Opidum, quod Hispanis *Cagnamares* vocatur. Oretanos præterlapsus ad Metallinam, ubi Castra fuisse Vicelliana docent Antiquæ ejus loci Inscriptiones, Terræ se penetralibus condere putatur (Nam ex Vulgi opinione magis, quam ex veritate hæc esse, testis est apud Ortelium oculatus Georgius ab Austria, Præpositus Harlebecensis) mox post aliquod leucas, quasi sæpius nasci gaudens, inquit Plinius, ad Villartam eruptione facta, Augustam Emeritam, ubi longissimo Ponte lapideo transitur, Pacem Iuliam, & Austrum versus alias Vrbes prætergressus ad Castrum Marinum in Oceanum evolvitur. Hispanis hodie vocatur *Rio Guadiana*, recepta ab Arabibus voce. Iis enim *Guad* Fluvius. Duo quomdam habuit Ostia, quemadmodum notat Strabo lib. III. Quod verum fuisse arguunt satis cum Insulæ adjacentes, tum Loca ad ingressum vadosa, & vix duorum triumve passuum altitudinis. Anas.

Bætis (Βαῖτις Ptolemæo) oritur prope Castaonem ex Orospeda Monte, ut scribunt Strabo & Stephanus, qua parte *Sierra d' Alcaraz* nominatur. Ab Fonte in Occasum vergens Cordubam, tot claris nobilem ingenijs, aliaque Opida præterlapsus, ad Hispalim, illius oræ caput, in Austrum declinans, Ostio satis amplo (unius enim Leucæ est) sed quod Vadosius haud procul Gadibus in Atlanticum Mare se exonerat. Tribuit & huic duo ostia Strabo lib. III, inter utrumque locans Insulam, in qua Menesthei erat oraculum & Capionis Turris in Petra, quam circumcirca Pelagus alluebat. Alveus, qui Nebrissam & Astam præterfluebat, oblimatus est; sic tamen, & illius vestigia hodie visantur cum Æstuariis atque Diorygibus manu factis, ut inquit Strabo, ad exportandas scaphis lintribusque fruges ex agris in vicinas urbes. Bætis Isidoro lib. XIII. Originum, quasi βαϑὺ, quod humili solo decurrat. Bætis nobilis Auro Veteribus est, & Olivetis. De Auro Aristoteles in Admirand. Audit. & Stephanus de Vrbibus, ubi de Ἴβυλλα. De Olivetis Silius lib. III. Bætis.

——genuit quos ubere ripa
Palladio Bætis velatus cornua ramo.

Martialis in Epigrammat.

Bætis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis Vellera tingis aquis.

Statius Papinius lib. XI. Silvarum:

Vnctis Bætica provocas Tapetis
Lucanum potes imputare terris.

Et mox:

Attollat refluos in Astra fontes
Graio nobilior Melete Bætis.
Bætim Mantua provocare noli.

Nomen dedit, quam mediam secat, Bæticæ Provinciæ: testantur cum alij, tum Seneca in Medea Actus IV. Scena I.

Nomenque Terris qui dedit Bætis suis,
Hesperia pulsans Maria languenti vado.

Recte, *Languenti Vado.* Nam quum ſpacioſum ſit Oſtium, languidior & minore cum impetu Oceanum ingreditur: adeo ut metus ſit, ne aliquando non obturetur quidem nobiliſſimus Portus, ſed difficiliorem præbeat grandioribus Navigiis adſcenſum; quum nonnullis locis trium-ſemis tantum paſſuum ſit altitudinis. Straboni etiam & Pauſaniæ Ταρτησσὸς nominatur. Apud Strabonem Steſichorus, antiquus Poëta:

Διότι γεννηθείη σχεδὸν ἀντιπέραν κλεινᾶς Ἐρυθείας
Ταρτησσοῦ ποταμοῦ παρὰ πηγὰς ἀπείρονας ἀργυροῤῥίζους.

Stephano Πέρκης; apud quem levi fortean mutatione ſcribendum Κέρκης. Livius enim *Circen* ab Incolis nominari notat: quam appellationem aliquandiu retinuerunt, ſcribente Mario Nigro, Hiſpania potiti Afri; quibus tandem *Guadalquivir,* vel, ut alij ſcribunt *Guadalchebir*, tamquam *Fluvius Magnus*, fuit dictus. Ab hoc Fluvio *Bæticola* apud Silium lib. I. Excipit præter alios *Singulim,* ut eum vocat Plinius, qui hodie *Xenil* vel *Guadaxenil: Singilius* Iſidoro.

Minius. *Minius* Hiſpaniæ Terraconenſis fluvius, ortum habens ſexto ſupra Aras Sextianas, quibus hodie *Lugo* nomen, miliari ad opidum quod vulgo *Caſtel-Verde*, Portum Marinum ſecans, Pontemque Belſarium & Orenſem Civitatem perlapſus, facto ad Valentiam cum Avia congreſſu, ſex milliaria procurrens in Oceanum ſe præcipitat. Hunc Luſitaniæ maximum & Βαῖνιν etiam appellari notat Strabo. Ptolemæo Μίνιος. Apud Appianum inemendatius Νίμις legitur, pro Μίνις. *Minio* etiamnum dici, docent Tabulæ.

Lethe Bæticæ fluvius. Veterem appellationem videntur illi reliquiſſe Arabes; qui, præpoſita in Fluviis nominandis uſurpari ſolita voce, *Guadalete* dixerunt. Meminit fortean Silius Italicus lib. XVI:

Et Theron potator Aquæ ſub nomine Lethes.

Mauris *Bedalac* nuncupatum fuiſſe, memoriæ prodit P. de Medina.

Turius. *Turius* Plinio; *Turias* Salluſtio, Priſciano & Vibio; *Duria* Pomponio & alijs; hodie, mutuata ab Arabibus voce, *Guadalabiar*, quaſi pura & Limpida Aqua. Habet amœniſſimas Ripas, Roſis ſemper varioque florum genere coronatas. Veſtitur utrimque Nemoribus ab Fonte (qui in Aragonia haud procul Opido *Tervelo*) ad Oſtia uſque, adſpectu pulcherrimo gratiſſimoque; ubi Vitex, Platanus, Pinus, aliæque numquam carentes fronde Arbores: ut non immerito Claudianus in laude Serenæ:

Floribus & roſeis formoſus Duria ripis.

Limæa. Eſt item prope Minium verſus Meridiem *Limæa* Plinio, Λιμαῖα Straboni, Λίμιος Ptolemæo, *Limia* Pomponio, *Limas* hodie. Λήθη quoque Straboni. *Lethe* Silio Italico lib. I, qui populos illi adlocat Gravios:

Quique ſuper Gravios lucentes volvit arenas
Infernæ populis referens oblivia Lethes.

Quibus verbis Poëta ad *Oblivionis* appellationem reſpicit. Sic enim Latinis etiam fuit dictus, ut videre eſt apud Plinium lib. IV. natur. hiſtor. cap. XXII, Pomponium lib. III, L. Florum Epitoma Liviana lib. LV. *Oblivionis* Nomen corruptum video apud Strabonem lib. III. Εἶτ' ἄλλοι ποταμοὶ, καὶ μετὰ τούτους ὁ τῆς λήθης, ὅν τινες Λιμαίαν, οἱ δὲ Βλιῶνα καλοῦσι. Legendum enim Ὀβλιουιῶνα. *Aeminium* etiam dictum fuiſſe ſcribit Plinius loco, quem paullo ante indicavi. Hunc Amnem deſignat Pluto apud Claudianum:

——*ſunt altera Lethes*
Flumina.

Sicoris. *Sicoris* (à quo *Sicanos* & *Sicaniam* nonnulli dirivant) Ibero ſe commiſcet. Aureas defert arenas. Potus valde ſalubris. Σίκορις Græcis. Meminerunt Plinius, Cæſar, Vibius, Dion, alij. Hodie *Segre* nuncupatur. Notat Beuterus Cathalonica lingua vocari *Agua naval.*

Chalybs. *Chalybs* apud Vaſconos oritur, cujus Aqua ad Ferri temperamentum plurimum valet; adeo ut Hiſpani non alia Arma, niſi quæ hujus liquore temperata, adprobent. Ab hoc Flumine Populos *Chalybes* Iuſtinus lib. XLIV. ait appellatos.

Aſtura. Apud Gallecos naſcitur *Aſtura*, Amnis non obſcuri nominis: à quo *Aſtures* nominati. Mentio apud Oroſium lib. VI. cap. II. Romanæ hiſtoriæ. Reliquos minorum gentium alijs explicandos relinquo.

Prope

Prope opidum *Beiaram* Lacus est non utilis minus, quam admirabilis: qui & Turtures, Pisces subnigros & excellentes, gignit, & futuram pluviam turbinemque, ut scribit L. Marineus Siculus lib. I. de reb. Hisp. magno aëris sonitu prænunciat: adeo ut ejus murmur quasi Tauri mugitus sæpenumero ad duodeviginti millia passuum fuerit auditum. In summo Montis *Stellæ* cacumine Lacus quidam est, scribente Vasæo, in quo fragmenta navium subinde reperiuntur, quum tamen à mari plus XII leucis absit: quin quod exæstuet & Tempestates ibi audiantur, adfirmare Incolas, quoties intumescit Mare, idem notat. In Cantabriæ Lacum fulmen decidisse, & repertas duodecim Secures, ait in Galbæ vita diligentissimus Scriptor Suetonius. Lacus Admirabiles.

Amœnum Stagnum est apud Plinium lib. III. natur. histor. cap. III, haud procul Valentia: hodie *Albufera*. Stagnum Amœnum.

Fontes ibi in Montibus, Vallibus, Opidis, Pagis, privatis Ædificijs innumerabiles. Ager solus Xericij in Territorio Pacis Augustæ Fontes habet CIↃ IↃ. Sunt & nonnullis sua Miracula. Prope Orense opidum Fons est nomine *Burga* in altum scaturiens, ita fervens ut in eo & oua coquantur, & Sues immersi facile depilentur. In opidulo Lusitaniæ Villa Nova Fons non solum oritur, sed & occidit. Oritur Kalendis Maiis, & ad Kalendas usque Novembris aquas Villænovanis abunde adfundit; postea vero occultatur latetque hieme tota, & ad statutum tempus renascens adcolas revisit; quod quidem singulis annis fieri compertum scribitur. Octo leucis à Conimbrica visitur hodieque Fons *Ferventia*, vere admirabilis, quem Plinius in Catinensi Hispaniæ agro (*Cadima* hodie dicitur, haud procul à Teutagallensi Municipio) ponit: qui quidquid admotum fuerit, absorbet. Cujus rei factum periculum se præsente, adserit apud Io. Vasæum Henricus Cardinalis & Princeps coram Ioanne Rege Lusitaniæ & ceteris Fratribus regijs, cum in Arborum truncis & ramis, tum in Iumento, quod Fonti admotum pede paullatim absorberi cœptum, ægre tandem ab famulis extractum est. Affirmat Plinius alterum juxta fluere, qui omnia respuat. Is hodie si exstat, saltem ignoratur. Supra Burgensem Civitatem ad passuum millia circiter viginti versus Orientem Pagus est nomine *Boetius*, sub altissima rupe positus, ex qua Fonticulus effluens in planiciem apud Pagum, cujus memini, descendit, duosque in Lacus ingressus tantam ijs virtutem vimque salubritatis infundit, ut quicumque fluxum sanguinis patiuntur, hac aqua loti è vestigio liberentur. In Bætica Provincia juxta opidum Antiqueram Fons potus Calculos dissolvit; à Petra, quam per urinam extrahit, cognominatus. In Cantabrica Fontes *Tamaricos* tres describit Plinius, qui singulis siccantur duodecies diebus, aliquando vicies, citra suspicionem ullam Aquæ, quum sit vicinus illis Fons, sine intermissione largus. Videndus Marineus Siculus lib. I. de Reb. Hisp. Fontes.

Quod ad Balnea, celebrat cum primis Marineus, quem dixi, quod in ripa Thormis Amnis. Huic addit, quod ad Opidum Beiaram; quæque apud Callæcos prope Minij fluminis ripam & Orensem urbem. Alia prætereo. Balnea.

CAP. VIII.

Hispanorum Genius, Mores, Lingua.

REGIONEM generatim perlustravi: Incolæ succedunt considerandi. Hic investigabo primo quis ipsis Genius & indoles; inde qui gubernentur vel Politice, vel Ecclesiastice. Quales hodie, depingere conabor: si, quis antiquis Hispaniæ incolis genius, quales vivendi cum domi, tum militiæ ritus fuerint, fideliter ex Veterum Scriptorum monimentis demonstraro.

Elatos jactantiæ animositate præposteros vocat Hispanos Iulius Firmicus. Astutam dicit hanc gentem Vopiscus: Velocem Corpore, Inquietam, avidam in res nouas, Ingenijs præditam, quæ Feris propiora, quam Hominibus, Iustinus ex Trogo & Livius appellant. Brevi utebantur, scribente Diodoro, veste, ac nigra Hispani. *Striges* Hispanorum Vestes nominantur apud Isidorum lib. XIX. cap. XXIII. Munditiei amantes faciunt Ptolemæus II Quadripartit. & Diodorus: quorum tamen Veterum Hispanorum genius. Moresque in Vestibus.

colendo Corpore, hic una in re eos Spurcitiei notat, quod Vrina totum Corpus lavarent, Dentesque fricarent. Cantabris, alijsque qui confinales illis, hoc tribuit Strabo lib. III: Εἰ μή τις οἴοιτο πρὸς διαγωγὴν ζῆν, τοὺς οὔρῳ λουομένους ἐν δεξαμεναῖς παλαιουμένῳ, καὶ τοὺς ὀδόντας σμηχομένους καὶ αὐτοὺς καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν, καθάπερ τοὺς Καντάβρους φασὶ, καὶ τοὺς ὁμόρους αὐτοῖς. Celtiberis adscribit Catullus, his versibus:

Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quisque minxit, hoc sibi solet mane
Dentem atque russam defricare gingivam.

Spurcissimum hunc ritum appellat Apuleius Apologia I, *Quem multo aquius erat spurcissimo ritu Hiberorum*, ut ait Catullus ——*sua sibi urina*
Dentem atque russam pumicare gingivam.

In opere Rustico, Virorum Mulierumque communem fuisse ad Robur exercendum utilitatem, memoriæ prodit Strabo: consuevisse autem Mulieres Rem Rusticam exercere; Puerperijs. Puerperasque Maritis suis in Lecto conlocatis ministerium exhibere. Adfluenter Carnibus varijs nutriri solitos, Potum ex Melle conficere, Vinum emtum bibere, apud Cibo Potuq; Diodorum legimus. Potum ex Frumento confectum largiuntur Florus, Plinius, qui *Cæliam* & *Ceriam* nominat, & Dioscorides, cui *Curmi* dicitur. Hispanos certe Gentibus inebriari solitis connumerat Athenæus. Duram omnibus & adstrictam Parsimoniam tribuit ex Trogo Iustinus: & quamvis ditissimi, ut videre est apud Athenæum, Aquam bibebant, Soli Cibum capiebant, ut sumtuose incederent. Neque in festos dies ullus Epularum adparatus, teste Trogo. Erucæ silvestris semine uti solitos Sinapi loco, tradit Dioscorides. Plinius scribit eos ævo suo Glandem in secundis Mensis habuisse; quin ex Glandium farina Panem etiam confecisse, docet Strabo. Humi eos decumbere solitos, idem Plinius testatur. Aqua calida lavari Ædificatione, post Secundum Bellum Punicum ab Romanis didicere. *Quid*, ait, quem sæpe dixi, Plinius lib. XXXV. cap. XIV, *non in Hispania ex Terra Parietes, quos appellant formaceos, quoniam formacum modo circumdati utrimque duabus Tabulis infarciuntur verius, quam instruuntur, ævis durant, incorrupti Imbribus, Ventis, Ignibus, omnique cemento firmiores?* Re Militari & bello. Gens, ut hodie, sic olim belli avida. Hinc *audax* Tibullo lib. IV; *ferocissima, jugique impatiens*, Floro; *Viribus corporis Romanos superans* Vegetio:

Prodiga gens animi, & properare facillima mortem:
Namque ubi transcendit florentes viribus annos,
Impatiens ævi spernit novisse senectam,
Et fati modus in dextra est, Silio Italico.

Corpora ad inediam & laborem, Animos ad mortem paratos ijs fuisse, notant Valerius Maximus & Iustinus. *Impacatos* vocat Iberos Virgilius in Georgicis; quod Abactores essent, ut interpretatur Servius: quod in latrocinijs præponderarent, ut Iunius Philargyrius; quod supra modum sua Virtute Veteres Romanos inquietarent, ut alij. Bellum, quam Ocium malebant: si extraneus deesset, domi Hostem quærebant, Trogo scribente. In bello non Equites modo, sed & Pedites robore malorumque tolerantia ceteris habebant excellentiores. Prælia adgrediebantur Carminibus, eodem teste. Respicit eo Silius, quum inquit:

—— *ritu jam moris Iberi*
Carmina pulsata fundentem barbara cetra.

Duobus Gladijs fulti, quum equestri certamine superiores evasissent, ex equis, si eundem Diodorum audiamus, desiliebant, Pedites que pugna juvabant. Gladij, ut ex Livio Polybioque constat, brevitate agiles erant, ad propiorem pugnam habiles; cum Mucronibus, ita ut punctim, non cæsim, ferirent. *Macharam* etiam Hispanicam nominat Seneca de Beneficijs libro quinto circa finem. Eam sic describit Polybius lib. VI. ἅμα δὲ τῷ θυρεῷ Μάχαιραν, ταύτην δὲ περὶ τὸν δεξιὸν φέρει μηρὸν: καλοῦσι δ᾽ αὐτὴν Ἰβηρικήν. ἔχει δ᾽ αὕτη κέντημα διάφορον, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μηροῖν βίαιον, διὰ τὸ τὸν ὀβελίσκον αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι. Gæsis usos fuisse, docet, Athenæus; Galeas tulisse æreas, Cruribusque Ocreas ex pilis factas advolvisse, Diodorus; levi Armatura, Peltis, Iaculis, Fundis uti consuevisse, Strabo; Linteis purpura prætextis & candidissimis Tunicis indutos prælia inisse, Polybius. Et quamvis tragicis Stolis atque varijs amicti Tunicis, etiam ad pedes demissis in publicum prodirent, ut auctor est Athenæus, nihilo tamen ad bella gerenda erant ignaviores ac minus fortes. Iuvenibus

nibus in bellum euntibus Parentum facta memorabant Matres, ut notat in Historiis Sallustius. Tot Columellas circa defunctorum Sepulcra statuebant, quot quisquis hostes occiderat: testis Aristoteles lib. VII. Politicor. Proclive eis fuisse transnare flumina, ait Cæsar; ijsque omnibus in more positum, addit, sine Vtribus ad exercitum non ire. Plurimis militares Equos & Arma ipsorum sanguine cariora fuisse, tradit ex Trogo Iustinus. In Hostes crudeles fuisse; erga Advenas humanos & hospitales, ait Diodorus. Regibus se devovere, postque eos vitam acerbam censere, prodit ex Sallustio Servius ad x Georgic. Tantus ipsis innatus legitur apud Strabonem Amor fuisse Libertatis, ut bello Cantabrico Matres Liberos suos necarint, ne in hostium manus pervenirent: Puer, mandatu Patris, Parentes Fratresque omnes captos, ferrum nactus, interfecerit: Mulier quædam una secum vinculis mancipatos obtruncarit. Quosdam captos & in crucem suffixos Pæana cecinisse, tradunt apud eumdem Strabonem incerti: stupendus hic Mortis contemtus: Quid jam dicam de insigni ipsorum Fortitudine? Celebratur apud Iustinum Servi Bello Punico Patientia, qui ultus Dominum, inter Tormenta risu exsultavit, serenaque lætitia crudelitatem torquentium vicit. Fidelitatem Veterum Hispanorum commendat, quod custodijs ipsorum, cum gladijs insectantium se, fuerit usus Cæsar, teste Suetonio in ejus vita cap. XXCVI. Hispanum & illud, inquit Strabo, ut de more Toxicum adponeretur, ex olere, quod Apio adsimile, confectum; nullum adferens dolorem: ut si quid immineret invitis, in promtu illud haberent. Hoc item eorumdem erat, ut sese pro ijs, quibus conciliarentur, immolarent, mortique devoverent. Quo modo autem Mortuos suos habuerint, docet Silius Italicus lib. XIII:

Tellure (ut perhibent) is mos antiquus Ibera,
Exanima obscœnus consumit corpora Vultur.

Ælianus hoc peculiariter de Barcæis scribit; & tantummodo de ijs, qui in bello perierant: qui autem ex morbo, igne cremari solitos addit. Sed Hispanorum Veterum mores pluribus delineant Diodorus Siculus lib. V. Strabo lib. III, alijque antiqui Scriptores.

(Marg.: Hispanorum Veterum Amor Libertatis, — Mortis contemtus, — Fortitudo & Patientia, — Fidelitas, — Ritus in Sepulcris.)

Quales hodie, dicam, ipsis verba præeuntibus. Hispanis Natura calida est & sicca: Color subobscurus: cui juvando Feminæ Collyrio plurimum ex Cerussa Minioque utuntur: duriora & bene compacta Membra. Magna Mortales omnes Superstitione superant: ad Cerimonias, Adulationes, amplos Titulos Populis alijs duces. Animi concepta dexteritate singulari tacendo, simulando, dissimulandoque celare norunt. Gravitatem servant cum adfectata quadam Severitate: quæ facit, ut odium sustineant Nationum omnium, gravissimum, quemadmodum ipse Mariana prædicat, atque individuum magnorum Imperiorum adseclam. Mulieres non admodum fœcundæ paucos pariunt: priscas Romanas æmulantes Vino plurimum abstinent: raro se conspiciendas præbent; & Nobiles quidem domo non egrediuntur, nisi comitante satis grandi Famulorum præcedentium, sequentiumque Ancillarum numero. In Conviviis domi quidem frugales, sobrij, paucisque contenti; foris Ciborum, præsertim delicatiorum, adpetentiores. Advenas inhumaniter excipiunt. Apud exteros alter alterum colit, veneratur, laudat, extollit; Nobilitatem, Plebeio etiam, si quo potest modo, concilians. Iustitiæ cultores maximi: Summis, Mediis, Imis æquale Ius administratur. Facit Magistratuum industria, ut pauca, imo nulla ibi sint latrocinia. Plerorum manus puræ ab cædibus, alijsque flagitijs. Nemini impune est, qui vel Sacro-sanctas Leges, vel quemcumque, etiam minimi loci, violare fuerit ausus. Inquieti Magna semper moliuntur. Pulsis intestinis Hostibus, profligatisque Saracenis, potissimas Orbis Terrarum partes suis Regibus adquirere student. Vbi duo tresve convenerint, cujuscumque loci & conditionis, de Rep. gravissimisque Rebus disserunt; ad enervandas Hostium vires vias quærunt, Strategemata excogitant, mille Machinas fabricant; suisque Ducibus, si quid utiliter inventum, aperiunt. In Castris Famis, Sitis, Laborum patientissimi. In acie conflictuque major illis Ars, quam Ferocitas. Levi corpore, Levibusque Armis induti Hostem facile sequuntur, facileque, quum opus, fuga sibi consulunt; nusquam non, numquam non militaribus operam dantes Meditationibus: concessaque unis Batavis hodie contra se non inlubenter palma, reliquos omnes

(Marg.: Quales hodie Hispani, Natura. — Moribus, — In Re familiari, — erga Exteros, — in Iustitia administranda, — in Re militari,)

Populos

In Litteris & Studiis.

Populos in his talibus longe multisque gradibus superare se, gloriantur, non frustra. Felices Ingenio, infeliciter discunt: semidocti Doctos se censent. Sophistarum Astus plus satis amant. In Academijs Hispanice magis, quam Latine loqui gaudent; voces etiam Maurorum non paucas admiscentes. Suos Fœtus Ingeniique monimenta ad posteritatem raro, rarius ad Exteros, ob Linguæ defectum, producunt. Fuerunt tamen, suntque hodie non vulgariter docti, qui præclara eruditione lectissimisque Scriptis patriam inlustrarunt, varijsque Operibus apud remotissimos etiam clariorem fecerunt.

Doctorum Virorum in Hispania Nomenclator. Theologi.

Si Theologi postulantur: prodibunt Vigilantius, Presbyter Barcinonensis; Aquilius Severus; Prudentius, Episcopus Armentiæ; Osius Cordubensis; Avitus Presbyter; Marcianus, Episcopus item Barcinonensis; Paullus Orosius; Pacianus, ejusque filius Dexter; Audentius; Isidorus, Apocalypseos Interpres; Iustinianus, Valentinæ Ecclesiæ Antistes; Leander, Hispalensis Episcopus; Martinus, Præsul Mandovensis; Fulgentius, Episcopus Karthaginensis; Eladius, Archiepiscopus Toletanus; Isidorus, Episcopus Hispalensis; Ioannes, Gerundensis Præsul; Eutropius, Valentinus Antistes; Franciscus Ximenes, Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, Academiæ Complutensis pater, qui varijs Linguis Sacra Biblia, Complutensium appellatione notissima, curavit imprimenda; & alij: hisque connumerandi, quamvis adventitiæ stirpis, Paullus Episcopus Burgensis, Iudæus; Rabbi Aben-Ezra: Rabbi Moyses; Rabbi David Chimhi; Moses Cordubensis; Rabbi Camora.

Canonistæ. Iurisconsulti.

Si Canonici Iuris periti; Bernardus Compostellanus; Raimundus de Pennya Forti; Hugo Barcinonensis. Si Iurisconsulti: Calixtus III. Pontifex Maximus; Fortunius Garcia; Gomessius; Didacus Covarruvias; silentioque minime prætereundus Antonius Augustinus, domo Cæsar-augustanus, XII-vir Romæ S.lit. Iudicandis, inde vero ex Allifano & Ilerdensi Episcopo, Tarraconensis Archiepiscopus, Vir Romanarum Antiquitatum & melioris litteraturæ peritissimus, qui septuagenarius obijt anno cIↃ IↃ XXCVI pridie Kalendas Iunij.

Medici. Historici.

Si Medici licet non patrij, sed insititij: aderunt Abincenna, Averrois, Rasis Almançor, Messahallah. Si Historici: Trogus Pompeius; Iustinus; & qui non hoc ævo, passim hoc libro à me laudati?

Philosophi.

Si Philosophi; L. Annæus Seneca; ejusque filij, Seneca Novatus, & Mela; L. Iunius Moderatus Columella; C. Iulius Hyginus; Sotion; Ioannes Vives Valentinus.

Mathematici.

Si Mathematici: Pomponius Mela; Abrahamus: Cacutius; Alphonsus Rex Castellæ, cujus sunt Tabulæ, quæ dicuntur Alphonsinæ; Henricus, Infans Portugalliæ; Henricus, Marchio Villenensis; Arnoldus Villanovanus, ejusque Discipulus Raimundus Lullius.

Oratores. Poetæ.

Si Oratores: præter Senecam, Porcius Latro & M. Fabius Quintilianus. Si denique Poëtæ in medium producendi: sistent se Sextilius Hena, LL. Annæi Seneca & Lucanus, Patrueles; M. Valerius Martialis; Rufus Festus Avienus, Aurelius Prudentius: Damasus, Pontifex Maximus; Iuvencus, Arator; Cælius Sedulius. Iuniores, ne tædium pariam, omitto. De Poëtis hoc addam; Cordubenses, Ciceronem scriptum reliquisse, ætate ipsius pingue quid redolere solitos.

Hispanorum Lingua.

Sed de Moribus hæc sufficiant: Linguam Antiquis Hispaniæ Cultoribus fuisse eam, qua hodieque utuntur Cantabri Vasconesque (A quibus *Vazquense* vulgo dicitur) est Coniectura. Hos namque scribunt, qui penitissima Hispanorum Sacraria sunt ingressi, & Linguam & Mores in tot rerum vicissitudinibus, mordicus, maximam partem, retinuisse: Reliquos autem Idioma illud, ad Turrim etiam Babylonicam natum, cum per variorum Populorum Commercia, tum per Karthaginiensium, præcipue vero Romanorum & Irruptiones & Victorias, non quidem mutasse, sed omnino rejecisse, inque locum ejus Latinam, Victorum suorum Linguam, corruptam varieque inflexam suffecisse: ut Hispanis fere omnibus hodie communis sit ea Lingua, quæ *Vulgar* vulgo, quibusdam *Española*, multis etiam *Castellana* nuncupatur.

Vulgaris, Hispana, Castellana.

Vulgaris quidem & *Hispana*, quod vniversim per totam fere Hispaniam intelligatur; sedem nihilominus propriam habens in Regnis Aragoniæ, Murciæ, Andaluziæ, Castellæ, Novæ & Veteris, Legionis, inque pleraque Portugallia. *Castellana* vero ab Castella, cujus Incolæ Linguam hanc purissime loqui perhibentur. Alij tamen illud negant, gloriam ejus rei, variis adductis rationibus, nunc Legioni, nunc Aragoniæ tribuentes.

Romancia.

Sunt qui *Romanciam* appellant, quod fons illi ab Lingua Romana vel Latina degenerante. Exemplum nobis sit præter Orationem Dominicam (quæ perpetuo reliquorum omnium Idiomatum suis locis specimina suppeditabit

tabit Lectori) Epistolæ pars Regis Artaxerxis, quam pro Iudæis ad omnes Regni sui Provincias scripsit.

Epistola Regis Artaxerxis
Esther cap. XVI.

HISPANICE.

EL grand Rey Artaxerxes, y Rey de ciento y veynte y siete provincias, desda la India hasta la Ethiopia, à todos los Governadores, y Principes, que están sujetos à nuestro Mandamiento, Salud. Muchos han mal usado de la clemencia de los Principes, y de la honrra, que se les ha hecho han se ensober vecido de tal manera, que non solamente maltratan à los Vasallos de los Reyes, pero tambien de la mucha honrra, que tienen, toman occasion para armar alguna traicion à los, que les dieron aquella honrra. Ne se contentan con quebrantar los derechos de naturaleza, no haziendo gracias de los beneficios recebidos: pero aun piensan poder huir la sententia de Dios, que vée todas las cosas; y hallegado su locura à tãto, que trabajan de derribar con mentiras y falsedades aquellos, que administran con grande diligẽcia todo lo que se les encomienda, y de tal manera, que merecen de todos ser alabados, &c.

LATINE.

REx *Magnus Artaxerxes*, *Rex centum & viginti & septem Provinciarum ab India usque Æthiopiam, omnibus Gubernatoribus & Principibus, qui sunt subjecti nostro Mandato, salutem. Multi male usi sunt clementia suorum Principum, atque etiam honore, qui in eos collatus est; tali modo, ut non solum maletractent eos, qui Regibus subditi, verum etiam ex multo honore, quo decorantur, capiant occasionem struendi quasdam insidias ijs, qui honore ipsos impertiverunt. Nec contenti sunt humanitatis in se Iura violare, nullas agentes gratias pro acceptis beneficiis, verum arbitrantur etiam se posse fugere sententiam Dei, qui quidquid est videt: & in tantum Vesaniæ proruperunt, ut laborent subvertere mendacijs falsisque testimonijs eos, qui administrant magna diligentia quidquid ipsis injunctum, & ita cuncta agunt, ut digni sint, qui ab omnibus laudentur, &c.*

Epistola Regis Artaxerxis, Hispanice.

Oratio Dominica.

HISPANICE.

PAdre nuestro, que estas en los cielos,
Sea sanctificado tu Nombre.
Venga tu Reyno.
Sea hecha tu voluntad, comme en el cielo, ansi tam bien en la tierra.
Danos oy nuestro pan quotidiano.
Y sueltanos nuestras deudas, como tambien nosotros soltamos à nuestros deudores.
Y no nos metas en tentacion: mas libranos de mal.
Porque tuyo es el Reyno, y la Potencia, y la Gloria, por todos los siglos, Amen.

LATINE.

PAter noster, qui es in Cælis,
Sanctificetur tuum Nomen.
Veniat tuum Regnum.
Fiat tua voluntas, quemadmodum in Cælo, sic etiam in Terra.
Da nobis hodie nostrum panem quotidianum.
Et remitte nobis nostra debita, sicut nos remittimus Debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo.
Quia tuum est Regnum, & Potentia, & Gloria, per omnia secula, Amen.

Oratio Dominica Hispanice.

Hispanica Lingua ex Multis conflata.

Ex multis conflatam dixi. Nam qui exactam ejus habent cognitionem, non ignorant innumeras in ea esse Maurorum Gothorumque (utrorumque enim in Hispania fuit Imperium) voces, quas colligere infiniti esset laboris: non paucas item esse Græcorum, una cum Latinis, vel ab ipsorum Græcorum commercio invectas. Nihil dicam de Arabicis, quibus mirum quam scateat. Quum autem Hispania lata sit Regio, variaque habeat Regna & Principatus, etiam Lingua, ut fieri solet, varias patitur Dialectos.

Castellana purissima.

Omnium purissima fertur esse, ut paullo ante indicavi, *Castellana*; qua quidquid æternitatem meretur, quidquid memoria dignum, hodie conscribitur. Eam enim volunt proxime ad Latinam accedere. Viros quosdam novi eruditos; qui, ut quam prope abesset ab Matrice sua hæc Propago, qualisque ante fœdiorem fuerit depravationem, monstrarent, dexteritate quadam scriptis Epistolis, & Latine & Hispanice loquerentur, eademque animi sensa explicarent; ita ut Latinis Latini, Hispanis Hispani essent; servata passim utriusque Linguæ vi, natura & proprietate. Vnum ex nonnulla mole adscribam exemplum, illud; quo succincte Hispania suis coloribus depingitur.

Epistola Latina-Hispanica.

Epistola Latina-Hispanica.

SCRIBO & supplico rogando te Francia, des & respondeas tales probationes, tractando de tua eloquentia, loquela & excellentia, quales scribo de Hispania; comparando gentes, nationes & provincias: quales manifesto dictando Epistolas puras Latinas & Hispanas. Hispania (antiquissima corona) persevero (cessante memoria de contrario) duro & regno, Provincia Christiana. Tu Francia principias à Meroveo, & regnas continuando quasi mille annos Christiana; prædicante Sancto Remigio, & Regnando Clodoveo: Et Hispania quasi ante quatercentum annos, prædicante Sancto Iacobo Apostolo. Responde Francia, & da & propone contra nos tam grandes nationes, tam fertiles, tam fructuosas Provincias & tantas; tales gentes, tam ingeniosas, tam scientificas, tam virtuosas, prudentes, justas, modestas, liberales, graciosas & magnificas: Non monstras tu Francia tam grandes resistentias, & tantas victorias contra Romanos. Tu Francia subjecta per Cæsarem subito quasi ante tres annos: & Hispania subjecta per Catones, Scipiones, Sertorios, Pompejos & Cæsares non ante ducentos annos. De perseverantia & Constantia da testimonia Sagunto, Calaguria, Numantia, gentes feroces, constantes & magnificas. Præsenta tu Francia, & da tales Campos, Montes, Valles; tales Bestias feras & domesticas, tantos & tam excellentes Caballos, tales Vaccas, Aves, Carnes suavissimas, Lanas preciosas; Panes albissimos; tales Plantas, tam odoriferas; tales Arbores, tam fructiferas & fertiles, fructuosas in copia abundante & copiosa; tantas Mineras & tam abundantes, tantas & diversas perfectiones. Provincia manante Vino clarissimo, Oleo dulcissimo, Auro purissimo, Argento claro, Plumbo, Ferro, Stagno. Non cognosces tu Francia Plantas, Arbores, Bestias & Perfectiones, quales de Hispania majores Nos demonstramus. Et cognosco de Hispania infinitas, quales tu Francia non cognosces. Si exaltas & celebras Principes & Imperatores Romanos; demanda & inquire de Bruto, de Fabio, de Hadriano, de Honorio, de Theodosio, de Traiano inclito & glorioso Hispano. Si amas Poetas & Oratores, & Historias veras; demanda de Seneca, de Quintiliano, de Lucano, de Martiale, de Trogo Pompeio. Si honoras Astrologos, inquire de Alfraiano, de Albu-

de Albumazar, de Pedragio, Alquibicio, & Abenazara, & de grande Alfonso. Si Medicos, Physicos & Philosophos; roga de Avicenna, Abeuron, Algabar, Alfrabio. . Si canonizas & sanctificas Theologos, inquire de Alfonso Sancto, Isidoro, Leandro & Fulgentio, & de divino & sanctissimo Laurentio & Vincentio. Si demandas Eloquentia tam propinqua Latina: Responde dictando, & compone Libros. Chartas tam Latinas & vulgares contra unas Hispanas & Latinas tales.

Ab Castellanæ elegantia reliquæ, Portugallica, Andaluzica, Granatensis & aliæ nonnihil abeunt. Portugallos sane Dominicam Orationem, quam puriorem antea posui, sic solitos scribere disco:

Oratio Dominica.

Oratio Dominica Portugallice.

PORTUGALLICE.	LATINE.
PADRE nosso, que stas nos Ceos, Santificado seia o teu Nome.	*PATER noster, qui es in Cœlis, Sanctificetur Nomen tuum.*
Venha a nos o teu Reino.	*Veniat nobis Regnum tuum.*
Seia ferta a tua volontade, assi nos Ceos, come na terra.	*Fiat voluntas tua, quemadmodum in Cœlis, sic etiam in Terra.*
O Pao nosso de cadadia dano lo oie nesto dia.	*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*
Et perdoa nos sennor as nossas dividas, assi comme nos perdoamos aos nossos dividores.	*Et remitte nobis Domine Debita nostra, sicut nos remittimus nostru Debitoribus.*
Et nao nos dexes cahit in tentacao: mas libra nos do mal. Amen.	*Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo. Amen.*

Idioma Extremorum Portugal. Valentinorum, Catalanorum, Granatensium.

Extremis Portugallis peculiare est Idioma ex Gallico Castellanoque confusum; non inelegans, neque auditu ingratum. Valentini & Catalani (à quibus *Catalana* vocatur) Lingua Progenitorum, cui cum Narbonensi (adeo ut nonnullis etiam *Francesa* nominetur) nonnihil adfinitatis, uti dicuntur. Granatenses, Barbaricæ gentis & Originis, qui quidem ab Catholicis Principibus devicti, Christianorum consuetudine convictuque Castellanam didicerunt; Vernaculæ Propriæque, parum abest, obliti: qui vero Montes asperos & inaccessibiles, quos *Alpuxarras* vocant, incolunt, & ad quos Victorum arma pertingere nequierunt, suis adhuc moribus Linguaque, quæ vix alia, quam Syrorum, Arabum, Maurorum, utuntur. *Araviga* ab Arabibus vulgo nominatur: duratque ejus usus non solum in Granatæ ut dixi montanis, verum etiam in multis Andaluziæ, Valentiæ, Aragoniæque locis. Cantabri, ut ad eos redeam, primigeniam illam antiquissimam (quam ab Chaldæa ortam volunt nonnulli) servant, ab reliquis omnino discrepantem; ut & olim à Latina. Docent hoc Plinij & Pomponij Melæ verba: Illius quidem lib. III. cap. I. natur. histor. *Ex his digna memoratu, aut Latiali sermone dictu facilia,* &c. Hujus autem lib. III, ubi extima Hispaniæ Littora, & inter ea Borealiora, explicat; *Cantabrorum,* inquit, *aliquot populi, Amnesque sunt, sed quorum Nomina Nostro ore concipi nequeant.* Accedit & apud Ennium meum nescio quis: Cantabrorum.

Hispane, non Romane memoreti' loqui me.

Non immerito igitur Cantabricam Matricibus in Europa Minoribus connumerat Magnus ille Scaliger, quod ejus ad me docent Litteræ, fideliter & bona fide libro hujus Partis Primo, capite octavo positæ. Ratio servatæ per inlata totiens ab Romanis alijsque Populis arma, Linguæ non alia videtur, quam partim, quod Irruptiones pleræque cum ex Africa, tum ex Orbe Romano per Mare Mediterraneum factæ fuerint in eas partes, quæ hodie Catalonia, Valentia, Murcia, Granada, Andaluzia; non per montana illa aspera, & tunc temporis, ut hodieque, inaccessa fere loca: partim, quod per faciliora & maritima, quæ commemoravi, loca Hispaniam ingressis, quo minus Cantabros, ut & Astures Callaicosque suis armis adgrederentur & inquietarent, obstiterint Montes illi, qui perpetuis jugis ab ipso Pyrenæo per mediam Hispaniam procurrunt ad Artabrum usque Promontorium (Caput hoc tempore, *Finis Terra*) quique Populos, quos dixi faciebant, ut & nunc, Ultramontanos, adgressu ex Meridionalibus locis difficiles; quum reliqui

versus Austrum Cismontani adventantium Armis, prædæ, libidini omnino essent expositi. Intulerunt quidem Cantabris aliquoties arma Romani; sed tales semper debellatos fuerunt experti, ut eos vel sub jugo imperioque servare, vel ad Morum Linguæque mutationem adducere nequierint. Accedebat & quod apud eos diu morari parum adrideret Imperatoribus, qui vicerant; & Stativa perpetuare injucundum esset, qui porro victos in officio continerent, Militibus. Nam quidquid Locorum occurreret, horridum & incultum; quidquid hominum, erat indomitum Libertatisque suæ tenacissimum. Sane de Ultramontana Hispania sic Strabo libro III in principio: ἡ δὲ πρόσβορρος ψυχρά τέ ἐστι πλέως πρὸς τῇ τραχύτητι, καὶ παρωκεανῖτις, προσειληφυῖα τὸ ἄμικτον καὶ ἀνεπίπλεκτον τοῖς ἄλλοις, ὥσθ᾽ ὑπερβάλλει τῇ μοχθηρίᾳ τῆς οἰκήσεως. Non diffitendum interim antiquum illud Hispanorum Idioma, Cantabricum inquam, nonnihil etiam hoc tempore, peregrinorum aliquot Vocabulorum, præcipue Castellanorum, admistione esse deformatum, ut cuilibet constare potest vel ex vna Oratione Dominica, quæ sic sonat:

Oratio Dominica.

Oratio Dominica Cantabrice.

CANTABRICE.	LATINE.
GVRE Aita ceruëtan aicena,	*PATER noster, qui es in Cœlis,*
Sanctifica bedi hire icena.	*Sanctificetur nomen tuum.*
Ethor bedi ire Resuma.	*Veniat Regnum tuum.*
Eguin bedi hire Vorondatea, ceruän beçala lurrean ere.	*Fiat voluntas tua, quemadmodum in Cœlo, sic etiam in Terra,*
Gure eguneco oguia iguc egun.	*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*
Eta quita ietzaguc gure çorrac, nola guçere çordunèy quittazen baitrauegu.	*Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.*
Eta ezgaitzala sar eraci tentationetan, baina deliura gaitzac gaichtotic.	*Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo.*
Ecen hirea duc Resuma, eta Puissança, eta Gloria seculacotz. Amen.	*Quia tuum est Regnum, & Potentia, & Gloria in secula. Amen.*

In qua quis non videt Voces illas; *Sanctifica, Resuma, Vorondatea, quitta, quittazen, tentationetan, deliura, puissança, gloria, seculacotz*, Romanensis esse Linguæ, ad Cantabricam Dialectum inflexas? Idem deprehendere erit in Symbolo Apostolico, quod in generali meæ Galliæ Descriptione ponam. Lucius Marineus Siculus lib. IV. de reb. Hispanic. proprium hujus Idiomatis esse notat, in compluribus Dictionibus Singularem Numerum in *A* Litteram, Pluralem in *Ac* terminare: ut dicis gratia, *Lurra* terra, *Lurrac* terræ. Adscribit deinde alia quædam Exempla.

Cantabricæ quædam Voces.

Vocant, inquit, *Vascones Cœlum* Cerva: *Terram*, Lurra; *Solem*, Eguzquia; *Lunam*, Irarguia; *Stellam*, Izarra; *Nubem* Odéya; *Panem*, Oguia; *Vinum*, Ardaoa; *Carnem*, Araguia; *Maritum*, Senarra; *Flumen*, Ibáya: *Bibo*, Edatendòt: *Lego*, Iracurtendot: *Domum*, Echea; *Villam*, Uria; *Lactum*, Ocea; *Interulam*, Alcandórea: *Senem*, Zarra: *Album*, Zuria: *Nigrum*, Belza; *Rubrum*, Gorría; *Piscem*, Arraya; *Amare*, Oneréxtea; *Dormio*, Lonazá: *Video*, Bacúst; *Hominem*, Guizona; *Mulierem*, Emaztéa; *Filium*, Seméa; *Filiam*, Alauéa; *Patrem*, Aytéa; *Matrem*, Améa; *Fratrem*, Anagea: *Sororem* Arreuéa; *Corpus*, Gorpuza (quod ab Latinis mutuatum, addita Vasconica terminatione; ut alia nonnulla ab alijs) *Ignem*, Suâ: *Formosum* Ederrà; *Comedere*, Ian: *Curro*, Lasteregnitendot.

Numerandi Modus apud Cantabros.

Habent etiam Numerandi modum, dicentes: Vnum, Bat; *Duo*, Bi; *Tria*, Irù; *Quatuor*, Lau; *Quinque*, Bost; *Sex*, Sey; *Septem*, Zaspì; *Octo*, Zorzì; *Novem*, Vedrazì. *Decem*, Amarr, *Viginti*, Oguèy; *Triginta*, Oguèytamar; *Quadraginta*, Berroguèy; *Quinquaginta*, Berroguèytamar; *Sexaginta*, Yruroguèy; *Septuaginta*, Iruroguèytamar; *Octoginta*, Lauroguèy; *Nonaginta*, Lauroguèytamar: *Centum*, Eun.

Strabonis locus de varijs veterum Hispanorum Linguis.

Iam quod hic restat, supra meas vires est, fateor, explicare Strabonis illud libro Geograph. tertio, ubi dicit, non unum genus Litterarum, vel unius speciei Grammaticam; neque Linguam unam Hispanis omnibus fuisse. Sic enim ait; quum scripsisset Tardulos inter Hispaniæ Populos sapientia excellere, Grammatices Præceptis uti, & memorandæ Vetustatis Volumina habere, Poëmata, Leges quoque versibus conscriptas è sex annorum millibus:

millibus: Καὶ οἱ ἄλλοι δ' Ἴβηρες χρῶνται γραμματικῇ, ὐ μιᾷ ἰδέᾳ, ὐ δὲ γὰρ γλώττῃ ἰδίᾳ. Quis in re antiqua, tamque ab ævo nostro remota, certi quid de varijs Hispanorum Veterum Linguis divinarit? Non ego, nisi varias antiquæ, id est Cantabricæ Dialectos exaudiat Strabo. Voces nonnullas Veteribus Hispanis usurpatas laudant Grammatici Latini. *Dureta*, ligneum Solium est apud Suetonium in Augusto cap. LXXXII; *Necys*, Mars apud Macrobium lib. I. Satur. cap. XIX: *Striges*, genus vestium apud Isidorum lib. XIX. Etymol. cap. XXIII. *Gurdus*, stolidus, scribente Quintiliano lib. I. cap. V. *Lancea*, Teli genus, ut notat Agellius lib. X. cap. XXX. Alias his apponendas alijs relinquo. Hoc unum monendum hic in genere duxi, vocem *Briga*, vel ut alijs scribitur, *Brica*, quæ multas non in Hispania solum, sed in Gallia etiam & Germania, Urbes terminat, Opidum significare. Hinc *Iuliobriga*, *Cæsarobriga*, *Augustobriga*, *Flaviobriga*, & aliæ. Putant quidam *Brigam* nihil aliud esse, quam transposita Canina littera, *Burgum*, quo quamplurima Germaniarum Opida hodieque finiuntur. Ejusdem notionis βρία apud Thracas, ut notant Strabo & Stephanus; ut in *Selymbria*, *Mesembria*, *Poltiobria*. Sunt qui disquirendum monent an non pro βρία legendum sit βρίγα. Sic *Certa* apud Parthos in *Dadocerta*, *Tigranocerta*, *Vologesocerta*, & id genus alijs. Sic denique πόλις apud Græcos. Exempla suis locis videbimus infinita.

Fortean explicatus.

Veteris Linguæ Voces ab Latinis Grammaticis laudatæ.

Briga quid.

CAP. IX.

Hispaniarum Gubernatio Politica.

EIUS cum Genij, tum Idiomatis fuerunt olim, suntque hodie Hispaniarum Incolæ. Convertendus jam-nunc sermo ad delineandam aliquo modo Gubernationem per Statum & Politicum & Ecclesiasticum.

Non animus hic mihi recensendis cum ex alijs, tum Iustino, Diodoro, Iosepho, Eusebio, Hieronymo, supposititioq. Beroso, & Interprete ejus Annio Viterbiensi, Antiquis Hispaniæ Regibus, Rebusque ab ijs domi militiæque gestis, Lectorem morari. Morari hoc esset & ineptire cum multis. Tubal an in Hispania fuerit, parte prima disserui. Huic qui sufficiuntur, Iberus, Iubalda, Brygus, Tagus, Bætus, & alij, Regesne censendi? Absit, nisi quis Fluviis alijsque rebus Inanimatis nasci tunc temporis solitos Reges concedat. Qui fictum illud agmen sequuti, non melioris sunt conditionis. Incerta omnia: ut & vix certiora, quæ successione quidam gessisse scribuntur in Hispania, Regibus quasi exactis, varia fortuna, multisque & Populis à se seminatis & Opidis conditis, Lydi, Thraces, Rhodij, Phruges, Cyprij, Phœnices, Ægyptij, Milesij, Cares, Lesbij & Chaldæi. Exploratiora censeri solent, quæ ab Karthaginiensibus, Romanis, multoque post Gothis, Vandalis, Alanis, Suevis, Hunnis, eorumque Regibus patrata memoriæ produnt Scriptores, qui partim rebus gerendis adstiterunt, partim ex fidelissima aliorum cognoverunt relatione. Ea, paucis dicam, sic habent. Quum in Hispania longe lateque dominarentur & pleraque sub ditione sua haberent Pœni, alijque Africæ populi, contra eos primi omnium cum armatis exercitibus ab S.P.Q.R. missi sunt Cn. & P. Cornelij Scipiones, belli Punici II initio: qui septimo ejus belli anno sunt cæsi, Q. Fulvio Flacco & Ap. Claudio Polcro coss. Submissus anno sequenti Patri Patruoque P. Cornelius Scipio Africanus Major multa prospere gessit, primusque ibidem Provinciam fecit, Q. Cæcilio Metello & L. Veturio Philone coss. anno ab V.C. IↃXLII. Hic Asdrubale & Magone, Karthaginiensium Ducibus, acie ad Bætulam urbem (quæ, quo loco hodie in Andaluzia visuntur *Baça* & *Ubeda*, fuisse creditur) fugatis, atque inde ex tota Hispania pulsis, vindicatisque armis Hispanijs, amicitiam cum Syphace Massylorum (hodie *Biledulgerid*) Rege, icto fœdere, firmavit. Paullo post rebellantes Hispaniæ populos ad deditionem compulit, Fœdereque cum Masanissa Masæsulorum (fuerunt, ubi nunc *Regnum Tremissenum*) Rege & Gaditanis facto, Provincia L. Lentulo & L. Manlio Acidino tradita, Romam reversus est. Post Scipionem Hispaniam L. Cornelius Lentulus Proconsule obtinuit; qui, rebus bene feliciterque gestis, ovans Urbem ingressus est, anno ab V. Ↄ. IↃLIV. Triennio post C. Cornelio Cethego, Q. Minucio Rufo coss. Hispaniæ primum sunt terminatæ,

Primi Hispaniarum Principes fabulosi.

Varij Populi Hispanias occuparunt.

Gesta in Hispanijs ab Karthaginiensibus & Romanis.

Facta Provincia.

Distributaque Regio primum in Citeriorem & Ulteriorem.

minatæ, atque in eas duo Novi Prætores missi C. Sempronius Tuditanus in *Citeriorem*, M. Helvius Blasio in *Vlteriorem*. Vix duobus elapsis annis, quum tantum glisceret in Hispania Bellum, ut jam Consulari & Duce & Exercitu opus esset, M. Porcius Cato Consul Citeriorem sortitus, bello ab Emporijs (retinetur hodieque nomen in *Ampuriis*) cœpto, rebellantem ita pacavit, ut Proconsule ex ea triumpharit, anno ↄↄLX. Hic est ille Cato, qui miro strategemate multarum Hispaniæ Vrbium muros uno die diruit, scribentibus Livio lib. XXXIV, Auctore de V V. Inlustribus cap. XLVII, & Iulio Frontino lib. I. Strategemat. cap. I. Post Catonis victoriam Hispaniæ varie possessæ, sæpeque nunc hic nunc ibi amissæ; ita ut supra XXX Triumphi postea ex his relati memorentur. Stipendium pendere non prius cœperunt, quam Augusto Principe; qui, quum Hispaniam omnem, debellatis Cantabris & Asturibus, qui omnium diutissime restiterant, multo varioque Marte perdomuisset, universam in tres Provincias divisit, *Bæticam*, *Lusitanicam* & *Tarraconensem*.

Inde in Bæticam, Lusitanicam, & Tarraconensem: quibus sui erant Conventus.

Singulis inde sui sunt adtributi Conventus; Bæticæ IV, *Gaditanus*, *Cordubensis*, *Astigitanus*, & *Hispalensis*; in ijs Opida censebantur CLXXV: Lusitania tres habuit *Emeritensem*, *Pacensem*, & *Scallabitanum*: & in ijs Opida XLV: Tarraconensi denique dati Conventus VII. *Carthaginiensis*, *Tarraconensis*, *Cæsar-Augustanus*, *Cluniensis*, *Asturum*, *Lucensis*, & *Bracarensis*; in quibus opida numerabantur CCXCIV. Videndi Plinius lib. III, Strabo lib. III. & alij. Sic, Rebus subinde paullum mutantibus, Provinciæ nobilissimæ Romanis paruerunt usque ad Imperatores Honorij VIII & Theodosij III Consulatum, qui incidit in annum Christi CCCCX: quo tempore Vandali, Suevi & Alani, ab Stilicone in Gallias evocati, quum eas, Rheno trajecto, omnes pene occupassent, & in ijs jam inmanium Barbarorum more debaccharentur: ab Gothis, Adolpho & Vallia Regibus, quos ad liberandas Gallias Honorius Imperator miserat, exacti, transgressi Pyrenæos montes, Hispaniam Romanis ereptam multos annos obtinuerunt.

Res ab Germaniæ Populis in Hispania gestæ.

Post aliquot annos Gothi, Galliam incolentes, ab Francis bello petiti in Vandalos vice versa arma movent. Franci Gothos ex Gallijs, Gothi Vandalos & Alanos ex Hispanijs eijciunt; Suevis ad internecionem cæsis. Quo tempore Vandali & Alani à Bonifacio in Africam, cui pro Imperatore præerat, evocati Hispanias Gothis possidendas reliquerunt. Gothi Hispaniam, Romanis Præsidijs omnino expulsis, quum sui juris fecissent, eaque sub suis Regibus longo jam tempore fuissent potiti; tandem ingenti bello ab Sarracenis Arabibus profligati, Rege Roderico occiso, Hispaniam fere omnem amiserunt.

Sarracenorum gesta.

Bello superstites quum in Asturum, Cantabrorum & Gallæcorum montibus sese muniissent, paullatim amissas Regiones, Vrbes & Castella recuperare cœperunt; & postremo, quum Sarracenorum res in Bætica Hispania se contraxissent, omnemque Hispaniam Gothi recuperassent, ijs etiam ab Ferdinando Aragoniæ Rege cognomine Catholico (quod hæreditarium deinceps esse cœpit Successoribus) victis atque omni Hispania cum Mele, qui se Granatæ Regem scribebat, exturbatis, universa Regio Dominis antiquis est restituta.

Penes quos hodie Hispania.

Accuratiorem Regum omnium, rerumque ab ijs gestarum narrationem, quum non Cosmographi sit, sed Historiographi, videre est cum apud Veteres Scriptores & Latinos & Græcos, tum apud eos, qui ævo medio nostraque tempestate ex professo Hispanorum acta contexuerunt; quales sunt *Idacinus* Galleciæ Episcopus, qui à primo Theodosij Consulatu scripsit usque ad annum CCCCXC, *Ioannes* Abbas Biclariensis Monasterij & Episcopus postea Gerundensis, cui initium ab anno Iustini Iunioris Imperatoris I usque ad VIII Mauricij Principis; *Maximus*, Cæsar-Augustanus Episcopus, qui Historiam composuit de ijs, quæ Gothorum temporibus in Hispania contigerunt, *Isidorus* Hispalensis Archiepiscopus, qui Gothorum, Vandalorum, Suevorumque historiam ad sua usque tempora paucis est complexus; *Iulianus* Archiepiscopus Toletanus, cujus Historia de Rebus sub Bamba Rege gestis exstat Salmanticæ in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis; *Lucas Tudensis*, qui Chronicon scripsit jussu Berengariæ Reginæ, Matris Regis Ferdinandi III; *Rodericus Ximenez Navarrus*, Archiepiscopus Toletanus, qui Res in Hispania gestas novem libris comprehendit, subjuncta compendiosa Ostrogothorum, Suevorum, Alanorum & Vandalorum Historia, *Ioannes* Episcopus Gerundensis, cujus sunt Paralipomenωn, id est Rerum Hispaniæ ab alijs omissarum, Libri X; Hic Hispaniæ primordia, progressus, incrementa, variasque vicissitudines prosequutus est usque

Hispaniæ Scriptores, qui res gestas memoriæ consecrarunt.

usque ad Honorij Arcadiique Augustorum tempora; *Alphonsus Karthaginiensis*, Episcopus Burgensis, qui inter alia scripsit Anacephalæosin Regum Hispaniæ; *Franciscus Tarapha*, cujus omnium Historiarum Regumque Hispaniæ ab Orbe fere condito usque ad Karolum Imperatorem Brevis circumfertur Epitome; *Michael Ritius Neapolitanus*, cujus de Regibus Hispaniæ Libros tres habemus, ab Gargori Rege usque ad Philippum Karoli Imperatoris Patrem; *Lucius Marineus Siculus*, cui de Rebus Hispaniæ Libros XXII debemus; *Ioannes Vasæus Brugensis*; qui Hispaniæ Chronicon edidit summa fide diligentiaque conscriptum; *Antonius Nebrissensis*, qui res ab Ferdinando gestas æternitati consecravit. *Ioannes Mariana Hispanus*, à Societate Iesu, qui Historiam de Rebus Hispaniæ scripsit libris XX ab ipso Tubale ad annum Christi CIↃ CCCCXXIX. Nec prætereundi, qui Hispanica lingua posteris præclara suorum Acta communicarunt, *Petrus Antonius Rodericus Palentinus*, *Petrus Medimna*. Dicitur & *Ferdinandus à Pulgar* sermone vernaculo Catholicorum Regum Ferdinandi & Isabellæ res gestas quatuor Tomis complexus. Quin & *Alphonsus* Rex ejus nominis X, cognomine *Sapiens*, ex Auctoribus probatis Historiam Hispanam jussit in quatuor partes redigi, opus copiosum, & antiquo temporis istius Idiomate venerandum; & *Alphonsus* XI secundo mandavit colligi atque in ordinem digeri Hispanorum historias. Salmanticæ item in Bibliotheca Franciscana repositas intelligo Antiquorum Hispaniæ Regum Historias. *Diegus à Valera* Historiam Hispaniæ generalem in compendium contraxit, mandatu Isabellæ Reginæ. Didici & *Ioannem Ægidium Zamorensem* de rebus Hispanorum scripsisse. *Florianus* denique *à Campo* res omnes Hispaniæ memorabiles quatuor Tomis delineandas susceperat: sed eorum Primus tantum est editus; in quo quæcumque de Primordijs hujus Regionis potuerunt inveniri, studiose sunt collecta.

Quum autem Maurorum temporibus à quinque Regibus Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, Granatæ & Navarræ, Hispania fuerit possessa, Solus hodie Imperium in eam exercet PHILIPPVS III, Philippi Magni F, Karoli Imperatoris ter-Maximi N. Philippus III Hispaniarum Monarcha.

PHILIPPI III.

HISPANIARVM REGIS POTENTISSIMI

MAIORES NVPERI.

PHILIPPVS I. Maximiliani Imper. F. Friderici Imp. N. Rex Hisp. Sicil. &c. Archidux Austriæ, Belgarum Princeps, obijt CIↃ IↃ VI.	IOANNA Ferdinandi Catholici Aragoniæ, Siciliæ &c. Regis F. & hæres. obiit septuagenaria CIↃ IↃ LV.	EMANVEL Ferdinandi F. Eduardi N. Rex Lusitaniæ. obiit anno ab Christo nato CIↃ IↃ XXI.	MARIA Ferdinandi Catholici, Aragoniæ, Siciliæ, &c. Regis Filia. obiit anno ab Chr. N. ∴	FERDINANDVS Philippi Hispaniarum regis F. Maximiliani Imper. N. Imperator, Rex Vngariæ & Bohemiæ. obiit anno CIↃ IↃ LXIV.	ANNA Vladislai Pannoniæ Regis Filia. obiit in puerperio anno CIↃ IↃ XLVII.	KAROLVS Philippi Hispaniarum Regis F. Maximiliani Imperatoris N. Imperator ejus nominis V. obiit anno ab Christo nato CIↃ IↃ LVIII.	ISABELLA Emanuelis Lusitaniæ Regis F. obiit ab redemto genere humano CIↃ IↃ XXXIX.	Maximi Principis Proavi Proaviæque.
KAROLVS V Imperator Romanorum. obiit CIↃ IↃ LVIII.		ISABELLA Lusitana. obiit CIↃ IↃ XXXIX.		MAXIMILIANVS Imperator Romanorum. obiit CIↃ IↃ LXXVII.		MARIA Austriaca.		Avi, Aviæque.
PHILIPPVS II Rex Castellæ, Legionis, Arag. &c. Archid. Austr. &c. obiit CIↃ IↃ XCVIII.				ANNA Austriaca. obiit CIↃ IↃ LXXX.				Pater, Mater.

PHILIPPVS

HISPANIARVM REX POTENTISSIMVS.

Status porro Principalis in tria summa distribui solet Regna, *Castellæ, Aragoniæ & Portugalliæ*. Primum quidem, præter Castilias, continet Regna *Legionis, Granatæ, Navarræ, Galeciæ, Toleti, Siviliæ* (vel *Andaluziæ*) *Cordubæ, Iaënis, Murciæ, Carteiæ*, (vel *Algeziræ*) & *Gebal-Taricis*: Insulas *Canarias, Philippinas*, & alias, totamque *Indiam Occidentalem*: Principatum *Austriæ*, Ducatum *Mediolanensem*; Dominatus *Cantabricum* Status Principalis in Castilia.

 (vulgo

Gerundensis (vulgo *Gironæ*) *Vrgellensis* (vel *Vrgellitanus*) & *Vicquensis* (vel *Vicensis* olim etiam *Ausonensis*.)

VII Cæsar-Augustanus.

Septimus denique *Cæsaraugustanus*. Episcopatus antiquissimus, cuius Præsulem Felicem ab sanctitate & orthodoxa fide laudat D. Cyprianus lib. I. cap. V. Eum in sacris agnoscunt *Pampilonensis* (vel *Pampelonensis*) *Calagurritanus* (vulgo *Calahorrensis*) *Oscensis* (quem & *Huescensem* quidam vocant) & *Balbastiensis*.

Nulli subsunt *Leonensis* & *Ovetensis*. *Leonensis*, quæ & *Legionensis*, jam inde à Gothorum temporibus Sedi tantum Apostolicæ subjecta fuit; nullum agnoscens Episcopum Metropolitanum. *Ovetensem* Ecclesiam Froila, quartus ab Hispaniæ recuperatione Rex, ædificasse & Cathedralem constituisse dicitur. Metropolitanæ jus illi tributum ab Ioanne VIII P. M. sub Alphonso Magno Rege, uti litteræ docent Apostolicæ.

Portugalliæ Archiepiscopi.

Habet & tres Archiepiscopos Portugallia, *Bracarensem*, *Olisiponensem* & *Funchalensem*: subque ijs Episcopos *Eborensem*, *Viscensem*, *Guardensem*, *Conimbricensem*, *Portugallensem*, *Lamecensem*, *Silvensem*, *Ceppetensem*. *Leriensem*. *Eborensis* Episcopatus antiquissimus: quod B. Mancinus Christi Discipulus, primus Eboræ Divini verbi præco, primusque, ut nonnulli autumant, Episcopus fuisse dicatur. *Eborensem* Ecclesiam Metropolitanam fecit Paullus III P. M. primumque ibi Archiepiscopum nominavit serenissimum Principem, S. R. E. Cardinalem, Henricum Portugalliæ Infantem. *Silvensis* in regno Algarbiorum, mutata Sede, Ossonobensi successit. *Leriensis* Episcopatus nuper institutus auctoritate Paulli III P. M. De reliquis Episcopatibus consulendus Vasæus, loco, quem indicavi.

Archiepiscoporum Episcoporumque reditus.

His omnibus, ut & Abbatibus, Monasterijsque quanti sint annuatim Reditus, notant curiose Lucius Marineus Siculus, Damianus à Goes, Eques Lusitanus, & alij.

Inquisitores Fidei.

Ad statum Ecclesiasticum pertinent etiam Fidei Inquisitores, in Sarracenos, Maranos & Iudæos primum creati, qui lapsu temporis vires suas & auctoritatem extendere cœperunt in omnes, quibus alieniores ab Ecclesia Romana mentes: de quorum Institutione Potestateque ego in Historia Belgica, quam Posteritati paro auctoritate mandatoque Ordinum Fœderatarum Provinciarum.

Sancti.

Non alienum duxi hoc loco obiter monere, claruisse quondam Hispaniam Viris tam pijs, quique adeo solam rerum divinarum Cœlestiumque meditationem animo visi fuerunt gessisse, ut pro adserenda. Fide Christiana mortuos Posteritas censuerit dignos, qui in Divorum numerum referrentur. Tales fuerunt, ut ipsorum notant Fasti, sub Alexandro Cyriacus: sub Decio Parmenus, Helmienas, Chrysotolus, Lucas & Mucius: sub Valeriano Laurentius. Fructuosus, Eugurius, Eulogius Emitherius & Chelidonius: sub Diocletiano, Vincentius, Valerius, Optatus, Lupercius, Successus, Martialis, Vrbanus, Iulius, Quintilianus, Publius, Frontonus, Felix, Cæcilianus, Euotus, Primitivus, Apodemus, Saturnini quatuor, Calpophorus, Abuntius, Marcellus cum XI filijs: sub Ganfricho Vandalorum Rege, Arrianis addictiore, Arcadius, Probus, Paschasius & Eutychius. Theodorici Gothorum Regis tempore, Turibius, Heimrichii Theodorici fratris, Sabinus; Raimiri Regis, Victor alijque ducenti. Dominicum Calatogitanum (sic dictum ab Calaroga Oxomensis Diœcesis opido: falso enim Calagurritanus nominatur à Calagurris, hodie Calahorra) Prædicatorum Ordinis parentem Principatus vidit Alphonsi IX Castellæ Regis: Antonium vero Paduanum, Ferdinandi III tempora sunt venerata. Neque suis caruit alter sexus. Nam Divarum classi leguntur adscriptæ sub Alexandro Imperatore Iulitta: sub Diocletiana autem Eulalia, tam Barcinonensis, quam Emeritensis, Iulia, Leucadia, Sabina, Christina & Engratia. Nunilonem & Alodiam supplicio adfecit, quod Christi militiam sequerentur, Maurorum Rex Ayola. Sed de his omnibus & pluribus legendi Laurentius à Padilla Archidiaconus Rondensis in Ecclesia Malacitana, qui librum de Sanctis Hispaniæ emisit; Marineus lib. V. de Reb. Hisp. Franciscus Tarapha, & Damianus à Goes. Marineus item eodem libro non pauca commemorat de Sacris Ædibus Locisque in Hispania, quæ Religiosa & miraculis celebrata. Ionas Aurelianensis Episcopus, qui tempore Karoli Calvi Galliarum Regis floruit, adfirmat Hispaniam, invictos & disertissimos Apostolicæ & Catholicæ Fidei Defensores produxisse; dolens nihilominus

(Margin notes beside the paragraph above: B. Dominicus Confessor. — Antonius Paduanus. — Sanctæ.)

lominus multos quoque Hæreticos dedisse. Legendus ille lib. I. de Cultu Imaginum. Erasmus etiam in Panegyrico ad Philippum I. Hispaniam vocat fatalem Fidei nostræ murum, unicumque Christianæ Regionis Propugnaculum.

Habeat & locum hic Notatio cum Academiarum; quas in Hispania circiter viginti duas numero; interque eas primi loci Salmaticensem, Complutensem, Conimbricensem, Pericianensem, Saguntinam, Ostensem & Ilerdensem: tum Romanorum Pontificum, quorum Hispania fuit genitrix. Eos reperio Damasum, Ioannem XXI, Benedictum XIII, Calixtum III & Alexandrum VI. *Academiæ.* *Pontifices Maximi Hispani.*

Accipe & hoc loco potius, quam nusquam, Imperatores quos apud se natos Romæ dedit Hispania, Vespasianum, Titum ejus Filium, Nervam, Traianum, Hadrianum, M. Aurelium Antoninum Philosophum, Theodosium Iuniorem. Alphonsum Legionis & Castellæ Regem, ejus nomenclaturæ X, Ferdinandum Austrium. Quos quidam adnumerant, Maximilianus & Karolus; hic Gandavi, ille Neapoli est natus. *Imperatores Romani, qui Hispani.*

CAP. XI.

Variæ Hispaniarum Distributiones. Biscaia.

GENERATIM quæ dicenda habui de Hispania, absolvi: postulat Methodus, ut speciatim & per partes eam perambulem. Hispaniam ab se debellatam Romani primo, anno ab V. C. IƆLVI. C. Cornelio Cetego & Q. Minucio Rufo coss. diviserunt in *Citeriorem* & *Vlteriorem*. *Citeriorem* dicebant, quæ Principi Vrbi Imperijque terris proximior erat, inter Iberum sita fluvium & Pyrenæos montes: *Vlteriorem* vocabant, quæ remotior, vltra Iberum, ad Oceanum vsque extensa. Consulendus Livius lib. XXXII ab V. C. *Hispaniæ Distributio I. in Citeriorem Vlteriorem.*

Postea in tres partiti sunt partes, Citeriorem, multo amplioribus dotatam ultra Iberum finibus, appellantes *Tarraconensem*: Vlteriorem autem in *Bæticam* & *Lusitaniam* distinguentes. *Tarraconensis*, cui nomen ab nobilissima Vrbe Tarracone, potiorem complexa Hispaniam, à Pyrenæis, ubi Ortum spectabat, incipiens Montibus, Septemtrionaliorem partem inter Britannicum vel Cantabricum Oceanum Duriumque fluvium ad Nerium usque promontorium, & Mare Atlanticum vel Externum; Australiorem vero ab ijsdem Pyrenæis, ad Castalonem, ultimam Oretanorum Vrbem, milliaribus aliquot infra Bætis fontem, ubi initium erat Bæticæ, inter hanc & Borealius sui procursus brachium Lusitaniam relinquens, protendebat; cui spacio Plinius IƆCVII millia passuum adsignat: Latera utrimque Mari objiciebat, qua quidem Meridiei obversa, Mediterraneo; qua vero Septemtrionibus, Oceano. *Bætica*, quam Bætis (unde nomen) mediam fere secabat, ad Septemtrionem & Occasum Anam habebat fluvium, quo ab Lusitania separabatur: ad Meridiem Mare spectabat, extra Columnas quidem Gaditanum, intra Columnas Ibericum, quod pars Mediterranei, ut illud Oceani: ad Ortum à Tarraconensi disiungebatur Castalonis fine, vel Saltu Castulonensi, fluvioque, qui hodie *Guadelentin*, Veteribus *Tader* fuit appellatus. Plinius huic spacio tribuit CCL millia passuum. *Lusitania* ad Septemtrionem Durio fluvio terminabatur à Tarraconensi, ad Occidentem & Meridiem Oceano adluebatur; ad Ortum limitem habebat, contra Bæticam, Anam fluvium, Lineamque ductam ab Castris Vicellanis Septemtrionem versus per Augustobrigam ad Manlianum Saltum, ubi Fons erat Tormesis in cujus ripa sinistra visitur Salamantica; vel, ut alij, ad Albocellam Vaccæorum opidum & Ocellum Amnem, cujus alvei vestigia conspiciuntur hodie ad Durij ripas juxta Fermoselium. Videndi de his Finibus Plinius lib. IV. natur. histor. cap. XXI, Pomponius Mela lib. II, Strabo lib. III, Ptolemæus, Cæsar & alij. *II. in Tarraconensem, Bæticam Lusitaniam.*

Sequentibus temporibus Hispaniam in sex fuisse distributam Provincias legimus in Breviario Rufi Festi, quod Valenti Imperatori dicatum: *Ac per omnes*, inquit, *Hispanias sex sunt nunc Provinciæ Tarraconensis, Karthaginiensis, Lusitania, Gallicia, Bætica, Trans-Fretum etiam in solo Terræ Africæ Provincia Hispaniarum est, quæ Tingitanica Mauritania cognominatur. Ex ijs Bætica & Lusitania Consulares; cæteræ, Præsidiales sunt.* *III. in Tarraconen. Karthagin. Lusitaniam, Galliciam, Bæticam, Transfretanam, Balearem.*

Marianus

Marianus Scotus, Auctor Notitiæ Provinciarum, *Baleares* addit *Insulas: Sub dispositione*, inquit, *Viri spectabilis Vicarij Hispaniarum, Consulares Bæticæ, Lusitaniæ, Gallicia: Præsidiales, Tarraconensis, Karthaginiensis, Tingitaniæ, Insularum Balearium.*

Hispan. Diuisio in Superiorem Inferiorem suspecta.

Videtur & aliquando divisa fuisse Hispania in *Superiorem* & *Inferiorem*; quum hujus fiat mentio in tabula Marmorea antiqui Sepulchri, quæ in Agro Tiburtino, subque ipso Tibure, ad Pontem Lucanum; sic de Ti. Plautio Silvano inter alia honorifice loquens:

> PRIMVS. EX. EA. PRÓVINCIA. MAGNÓ. TRITICI. MODO
> ANNÓNAM. P. R. ADLEVAVIT. HVNC. LE'GA'TVM, IN
> IN. HISPANIAM. AD. PRA'EFECTVR. VRBIS. REMISSVM
> SENATVS. IN. PRA'EFECTVRA. TRIVMPHA'LIBVS
> ORNA'MENTIS. HONÓRAVIT. AVCTÓRE. IMP.
> CÆSARE. AVGVSTO. VESPASIA'NO. VERBIS. EX
> ÓRA'TIÓNE. EIVS. Q. I. S. S. &c.

nisi vitiose Sculptor (nam his talibus non, quantam nonnulli volunt, fides semper est adhibenda) vocem IN geminarit.

Hispania Major Minor.

In *Majorem* etiam & *Minorem* partitur Stephanus. Alias quæ Gothorum temporibus institutæ, Divisiones, brevitatis gratia, omitto. Videndi Io. Gerundensis Episcop. Paralipomenon Hispaniæ lib. 1. & alij Rerum Hispanicarum Auctores.

Hodierna Hispaniæ Partitio.

Hodie in multa Regna, multosque Principatus distribuitur. Quæ enim Citerior olim, & Tarraconensis postea Romanis, nunc alia est, ad Iberi ripam Borealem, alia ad Africanam. Ad Borealem quidem in Vltramontanis sunt *Biscaia* & *Guipuscoa*, in Cismontanis autem cis Cingam *Navarra* & *Arragonia*, trans Cingam *Catalonia*. Africana vel est Cis-Tagana vel Trans-Tagana: Illa in Durij ripa dextra versus Occidentem habet *Galiciam*, versus Ortum *Austriam* & *Legionem*; in sinistra *Castiliam* & *Veterem* & *Novam*. Trans-Taganæ adcensentur *Volentia* & *Murcia*. Quæ Vlterioris Bæticæ quomdam Romanis, comprehendit hodie trans Bætim *Granadam* & *Andaluziam*, cis Bætim *Extremaduram*. Lusitania Romanorum hodie fere *Portugallia* dicitur. Harum omnium Partium, quo ordine methodoque commemoravi, delineationem, quam potero fidelissime, proponam. Offert se primo loco *Biscaia*.

DE BISCAIA

BISCAIA.

BISCAIA Hispaniæ Regio ad Oceanum Montibus obsita, Arboribusque, quæ Navibus fabricandis idoneæ, referta. Novit hoc præter alias Provincias tota Hispania, cui integræ nonnunquam Classes hinc subvehuntur. Castanearum

rum, Nucum, Pomorum, quæ *Aurea* cognominantur, Resinæ, Metallorum omnis generis, præcipue Ferri, Nigrique Plumbi, & aliarum rerum feracissima. Vino carenti potum subministrant Poma saporis optimi, pressa. Margaritas marinæ nō negant conchæ; sed quæ ignobiliores. Temperatius hic clementiusque est Cælum, quam in reliqua Hispana. Magnis enim Montibus circumdata nec frigore nimio infestatur, nec calore nimio torretur. Animalium hic Terrestrium, Marinorum, Volatilium; Fructuum, omniumque, quæ vitæ hominum commodius agendæ necessaria, ingens copia. Magna itidem Hispanis hic (sunt enim portus nobilissimi) cum Gallis, Belgis, Anglis, alijsque Populis commercia. Lana præcipue facit, ut omnia Fora Locaque ab Emtore Venditoreque ferveant. Virginibus Biscainis mos, quamdiu innuptæ sunt, nec Capillos alere, nec velari.

Quam *Biscaiam* hodie dicimus, habitarunt olim *Cantabri*; latius tamen, quam ipsa Biscaia patet, occupatis etiam locis ijs, ubi nunc *Guipuscoa* & *Navarra*. Populi celeberrimi multorumque scriptis decantati. De moribus illorum nonnulla tradit Strabo lib. III. Hi vitam nullam sine Armis esse existimabant. Eleganter Silius Italicus lib. III: *Sedes olim Cantabrorum.*

Cantaber ante omnes hiemisque, æstusque, famisque
Invictus, palmamque ex omni ferre labore.
Mirus amor Populo, quum pigra incanuit ætas,
Inbelles jamdudum annos prævertere saxo:
Nec vitam sine Marte pati; quippe omnis in armis
Lucis caussa sita, & damnatum vivere paci.

Omnibus Hispaniæ Populis subactis, & in Populi Romani potestatem adductis, soli cum Asturibus alijsque Conregionalibus vinci non potuerunt; unde Horatius lib. II. Od. VI;

Cantabrum indoctum juga ferre nostra.

Ultra Montes enim, qui à Pyreneis perpetuo procurrunt ad Nerium usque Promontorium, habitabant, neque, nisi cum maxima difficultate summoque periculo adiri poterant. Debellavit tandem ferocissimam gentem, bello fere quinquennali fractam & defatigatam, C. Cæsar Octavianus Augustus; ipse contra eos, reliquosque Romanis nondum parentes profectus. Horatius lib. III Carm. Od. VIII:

Servit Hispanus vetus hostis oræ
Cantaber sera domitus catena.

Et lib. IV Ode XIV, Augustum ipsum adloquens:

Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque & Indus, te profugus Scythes
Miratur, ô Tutela præsens
Italiæ, Dominæque Romæ.

Subjungavit autem Cantabros Augustus Vipsanij Agrippæ, ceterorumque Legatorum quos secum duxerat, industria & fortitudine. Horatius lib. I. Epistol. ad Iccium:

Cantaber Agrippæ, Claudi Virtute Neronis
Armenius cecidit.

Cantabrorum gentes hac Hispaniæ parte lego & *Salenos*, quos nominat Pomponius Mela, & *Concanos*, qui apud Silium Italicum lib. III. Posteriores male video adfectos apud Strabonem lib. III. Ubi enim in vulgatis legitur; καὶ ἀντὶ τοῦ πρεσβεύειν τοὺς τῶν Ῥωμαίων συμμάχους, στρατεύουσι νῦν ὑπὲρ τῶν Ῥωμαίων οἱ Κωνιακοὶ καὶ οἱ πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ Ἴβηρος οἰκοῦντες, πλὴν Τυΐσοι. Emendandum Κονκανοὶ. Quidam hos Populos male confundunt cum *Coneis*, qui ad Fretum Herculeum. De *Concanis* Horatius lib. III. Car. Ode IV: *Quorum gentes Saleni & Concani.*

Visam Britannos hospitibus feros,
Et lætum equino sanguine Concanum.

Est in Biscaia, præter alia, opidum nobile *Bilbao*, quod quomdam, uti censent Villanouanus & Henricus Coquus, Φλαυιοβριγα, ut quidem in Græcis Ptolemæi Codicibus legitur. *Bilbao* dictum, vt quidam opinantur, quasi, commutatione litterarum Hispanis familiari, *Bilvao*, id est *Bellum-vadum*. Condidit Didacus Lopeus de Hazo, Cantabrorum Princeps anno ab Christo nato CIↃCCC, aut circiter. Tria *Opidum Biscaiæ Bilbao.*

cum

cum primis hoc opidum commendant, Situs oportunitas, Annonæ copia, mirabilisque Negociorum Hominumque varietas & multitudo. Situm est in loco plano duobus ab mari milliaribus. Panis habet genus, singularis excellentiæ & bonitatis, quod Incolis *Pan del Fuego*, vel *de Arregoriaga* vocitatur. Per hoc Opidum in reliquam Hispaniam importatur, quidquid Anglia, Gallia, Belgica mittunt; per idem ipsum exportatur quidquid cum ijsdem alijsque Regionibus communicandum censet Hispania. Reperire hic est Cives, qui soli quotannis sua pecunia tres quatuorque naves ædificari curant. Hæc & plura Petrus Medinensis, qui sua lingua Hispaniam descripsit.

Cap. XII.

Guipuscoa.

GVIPVSCOA

GVIPVSCOA Cantabrorum etiam olim erat regio. Nonnulli *Lipuscam* & *Lepuiscam* vocant: corrupte, ut notat Stephanus Garybaius ejus Incola, Concluditur ad Ortum Amne *Vidosone* (qui & *Vidorso*, *Aldusda*, *Hurta* & *Beoyvia*, medius inter Galliam & Hispaniam) Pyrenaisque Montibus; ad Meridiem Navarræ Regno, ad Occasum Biscaia, de qua præcedenti capite dixi; ad Septemtrionem Mari Cantabrico. Incolæ ijsdem cum Biscainis sunt moribus eademque utuntur lingua, de qua disserui cap. VIII. Vulcani officina, Martisque Armamentarium ab Natura videntur hic conlocata: tantam ibi videre est Ferri, Chalybis, factorumque inde Armorum copiam; ut non immerito *Murus* sive *Propugnaculum Regnorum Castellæ & Legionis* in quibusdam Regionis Archivis cognominetur. Scribit Navagierus hoc tractu tantum Ferri Chalybisque ecfodi, ut singulis annis XXC millium Ducatorum inde quæstus fiat. Non igitur sine caussa Montem ibi scribit Plinius lib. XXXIV. cap. XIV, totum ex Ferro: *Cantabriæ*, inquit, *maritimæ parte, Mons prærupte altus, incredibile dictu, totus ex ea materie est.* Maris Adcolæ Navigationi Piscibusque, cum alijs, tum quos *Baccalaos* appellant, capiundis, magno lucro, dant operam.

Veteres Incolæ *Oregeviones* *Antrigones* *Varduli.*

Conlocantur hic à Ptolemæo, Pomponio, Plinio, alijsque, Populi *Oregeviones*, *Antrigones* & *Varduli*: Primorum memoria videtur etiamnum servari in Opidis *Orendain*, *Oresa* & *Orio*, cujus appellationis ibidem etiam Fluvius est non ignobilis.

Metrop. *Tolosa.* *Placentia*, *Motrico*, *Fuentarabia*, *San-Sebastianum.*

Metropolis est *Tolosa*, ad Confluentes sita Araxin & Oriam. Sunt & alia Opida: *Placentia*, ubi Fabrorum Ferrariorum incredibilis copia: *Motrico*, vel, ut alij scribendum censent, *Monte de Trico*, ab scopulo cognomine, qui opido imminet: *Fuentarabia*, Ptolemæo Φλαουιόβριγα: *Fanum D. Sebastiani*; olim *Hiçuru*, postea *Don-Bastia*, & corrupte hodie *Donastien*, idem sonans, quod *D. Sebastianus*. *Don* enim Cantabris nihil aliud, quam quod Latinis *Sanctus*, Castellanis *Santo*. Loca namque in Cantabrorum agris varia plerumque habent nomina, ob Linguarum differentias. Aliter ipsi Cantabri, aliter Hispani reliqui, aliter Galli, qui ipsis Confinales, vocant. Situm est hoc opidum ad ostium Fluminis, quod *Menascus* Pomponio Melæ, Ptolemæo Μηνόσκα, hodie *Rio Gurumea*, vel *Vramea*. Portum habet amplissimum, non arte humana, sed sagacis naturæ providentia factum, in quo Naves ab sævientibus undis Ventisque parum faventibus securam & tutissimam inveniunt Stationem. Ingressus patet inter duo Castella; quorum quod ad Orientem, in edito Monte exstructum, Occidentaliore, quod in Rupe, est eminentius. Describit plenissime hanc Regionem Stephanus Garybaius, qui consulendus libro XV. capite IX & quinque sequentibus. Videndus & Florianus del Campo libro I. capite II.

CAPVT

CAPUT XIII.

Navarra.

NAVARRA nomen novum est, recensque natum. Sic enim dicitur, ut quorumdam est conjectura, quod Hispani *Navas* vocent Areas Camporum planas, arboribusque purgatas; quibus tamen in circuitu Silvæ sunt & Dumeta; unde *Navarra* regio, quæ complures habet *Navas*. Pecori est agriculturæque valde commoda: &, quamvis Pyrenæis opposita, atque adeo montibus undique conclusa, finitimas tamen versus Hispaniæ interiora Provincias Aeris clementia superat. De Navarrorum gente multa Ioannes Gerundensis Episcopus Hispaniæ Paralipomen. lib. V. Rodericus Sanctius part. I. cap. XII, & alij. NAVARRA.

Habitarunt hic olim, qui *Vascones* Plinio Tacitoque; Ptolemæo *Οὐάσκωνες*: quos postea in Galliam transmigrasse constat. *Berones*, Βήρωνες Straboni & Ptolemæo, quos ille antea *Tyrios* notat vocatos: nomen manere putatur hodieque in Opido *Briones*; apud quos *Bero* fluvius, qui *Vero* Martiali, corrupte dicam, an consueta genti commutatione Litterarum B & V? *Suessitani*, Livio; quorum appellationem adhuc superesse volunt quidam in *Sanguessa* opido. *Bergistani*, qui apud eumdem Livium lib. XXXVI, Καρισιοὶ denique, quorum apud Ptolemæum est mentio. *Vascones, hic olim. Berones, Suessitani, Bergistani, Carisii.*

Regionis Caput hodie *Pompelon*; Πομπέλων apud Ptolemæum & Strabonem: nomen & nunc servans, *Pampelona* vulgo dicta. Vocem hanc per *Ae* diphthongon scribendam innuit Lapis Tarraconensis, nisi Sculptoris manus aberrarit: Metropolis *Pompelon.* hodie *Pampelona.*

SEMPRONIAE
LVCI. F. PLACIDAE — ΈVCI legit Clusius.
POMPAELONENSI — PE. Clusius.
FLAMINICAE. CONSENSV
CONCILII. P. H. C.
CORNELIVS. VALENS
MARITVS. S. P. F.

Quibusdam *Pompeiopolis* (quod à Cn. Pompeio Magno condita) & *Martua* dicitur: Olim etiam *Athanagiam* fuisse nuncupatam, cujus Livius meminit, memoriæ prodit Io. Gerundensis Episcopus lib. V. Paralip. Hisp. *Athanagia* tamen Floriano *Manresa* est, aliis *Tarrega*, nonnullis *Sanabuja*. Secundæ Classis sunt *Iturissa* Pomponio Melæ; Ἰτούρισσα, Ptolemæo; *Turissa* Antonino, corrupte, hodie *Sanguessa*, cujus jam memini; *Suessam* olim nominatam scribit intellexisse se ex Archivis publicis Florianus del Campo. *Cascantum*, ut Antoninus vocat: *Cascantenses* habet Plinius: corrupte apud Ptolemæum Βασκόντον pro Κασκάντον: Ejus mentio in Nummo Tiberij Imperatoris; TI. CÆSAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS; & in aversa parte supra Tauri effigiem MVNICIP. *Iturissa, hod. Sanguessa. Cascantum hod. Cascante.*

NIC IP. & infra CASCANTVM. *Logronium*, quod, ut censent Clusius & Tarapha, Plinio & alijs *Iuliobriga*, Cantabrorum opidum: Inscriptio Tarraconensis:

C. ANNIO. L. F. QVIR.
FLAVO. IVLIOBRIGENS
EX. GENTE. CANTABRORVM
PROVINCIA. HISPANIA. CITERIOR
OB. CAVSAS. VTILITATESQVE
PVBLICAS. FIDELITER. ET
CONSTANTER. DEFENSAS

Calagurris hodie Calagorra. Floriano tamen *Iuliobriga* est *Oliva*; Henrico Coquo *Aguilar del Campo*. *Calagurris* Livio, Ausonio & Antonino, in cujus tamen nonnullis exemplaribus *Calagorra* & *Calagurra*; Καλάγυρις Straboni; Καλαγούρινα Ptolemæo, vitiose; hodie *Calahorra*, ut volunt Ambrosius Moralis, Varrerius & Marineus: in Iberi ripa. Plinio duplices sunt *Calagurritani*, & *Fibularenses* & *Nassici*; hi ad Ilergetes pertinebant, ut postea dicam; illi ad Vascones & Navarram nostram. *Fibularenses* fuerunt *Calagurritani* Martyres Hemeterius & Chelidonius, de quibus περὶ στεφάνων Prudentius. Vasconum enim ibi mentio & Iberi Fluminis, ad quod *Calagurritani Fibularenses* habitabant, quum *Nassici* procul inde ad Pyrenæos montes prope Gallicum fluvium, qui hodie *Gallego*. Vtra autem *Calagurris* patria sit censenda Quintiliani Oratoris, non facile quis diffinierit. D. Hieronymus ex Eusebij Chronico: *Quintilianus ex Hispania Calagurritanus, primus Romæ publicam Scholam tenuit, & Salarium è Fisco accepit, & claruit.* Ausonius in commemoratione Rhetorum Burdigalensium:

Primus Burdigalæ columen dicere Minervi
Alter Rhetoricæ Quintiliane Togæ:
Adserat usque licet Fabium Calagurris Alumnum,
Non sit Burdigalæ dum Cathedra inferior.

Varia Vicus hodie. Beronum etiam urbem *Variam* nominat Plinius, *Iberus*, inquit, *amnis navigabili commercio dives ortus in Cantabris, haud procul opido Iuliobriga,* CCCCL. M. P. *fluens: navium per* CCLX. M. P. *à Varia opido capax.* Est item Οὐαρεία Ptolemæo in Beronibus, qui infra Autrigones sunt. Vicus est juxta Logronium in *Variæ* Vrbis vestigijs, qui nomen retinet. *Vaream* enim nuncupant. In Beronibus etiam locat Ptolemæus Τρίτιον μεγάλον. *Tritium item Vicus.* Plinius autem *Tritium* inter decem Autrigonum Civitates numerat. Hodie juxta Haiaram urbem Tritium nomen adhuc suum tuetur, sed in Vici formam redactum.

Navarra Hispanijs adquisita. * Navarram porro suis Hispaniæ Regnis primus adscribere cœpit *Ferdinandus* Catholicus, pulso *Ioanne* Alani F. Dynasta Albretano. Hic, ducta *Catharina* Gastonis F. Navarræ regina, Comite Fecensi, Bearnij, Bigorræ ac Viennæ Principe, cum Ludovico XII Francorum Rege arma junxerat contra Venetos, Hispanos, Germanos, Iuliumque II. P. M. Indignatus Pontifex Regem proscripsit & excommunicavit; Regnumque ipsius, quasi in commissum cecidisset, occupandum dedit *Ferdinando*; qui, expugnatis Pompelone & universa pene, paucis Opidis Arcibusque exceptis, Navarrea Ditione, profligatisque Veris Dominis, ante nonaginta circiter annos usurpare cœpit, & defunctus ad Successores transmisit nomen regium: quo jure, multis exponit Ælius Antonius Nebrissensis de bello Navarreo lib. I. cap. I. & seqq. Retinuerunt Nomen nihilominus pulsorum Principum heredes: quorum hæc series:

IOANNES Alani F. Dynasta Albretanus. Vxor KATHARINA Gastonis F. Gastonis N. Navarræ Regina, Comes Fecensis, Bearnii Bigorræ & Viennæ.

HENRICVS Albretanus Rex Navarræ, Comes Bearnii, Foxii, Bigorræ & Armigniaci. Vxor MARGARETA Valesia, Soror Germana Francisci I Galliarum Regis, Karoli Alenconii vidua

Karolus ad Neapolin extinctus ἄγαμος

Filiæ aliquot.

IOANNA

IOANNA Albretana Navarræ Regina, &c.
Nupsit Antonio Borbonio Duc.

HENRICVS Borbonius Rex Galliæ Navarræque Christianissimus.

Navarræ Historiam composuit Karolus Infans istius Regni, quæ nondum est evulgata.

CAPVT XIV.

Aragonia.

ARAGONIÆ adhærent ad Caurum Navarra; ad Vulturnum Catalonia; qua Africo exposita, Castiliam spectat; qua Aquiloni, Pyrenæos habet montes. *Aragonenses* corrupta voce à *Tarraconensibus* dici non inconcinne opinatur Antonius Nebrissensis. Subscribit illi Ioannes Vasæus in Hispaniæ Chronico. Et ego lubens. L. Vallæ placet *Aragoniæ* nomen esse ab *Autrigonibus*, Hispaniæ populis. Alij ab *Aragone* fluvio, qui illic ortus Iberum influere perhibetur. Nonnulli ab Herculis *Ara Agonalibusque* Ludis dirivant: quod si verum, mirum tam altum obstinatumque apud Veteres Scriptores de *Aragonia* esse silentium. *ARAGONIA unde dicta.*

Sedes hic habuerunt olim suas *Iaccetani*, Ἰακκετανοὶ apud Ptolemæum, à quibus hodie *Iacca* vrbs: corrupte *Lacetani*, nisi alij sint populi, apud Plinium, Cæsarem & Livium videntur appellari; nec minus fortean emẽdate *Acitani* vel *Accitani* apud Macrobium lib. I. cap. XIX, qui eos Martis Simulacrum, radijs ornatum, maxima religione colere scribit, *Necyn* q; nominare. *Sedentani* Livio Plinioque; Σιδητανοὶ Straboni: *Sedentana Cohors* etiam est apud Silium Italicum lib. III. Nescio an ijdem qui *Hedetani* alijs, de quibus vide ad Valentiam. *Surdaones* Plinio: quorum loco *Sardones* Caspar Varrerius substituit; addens, memoriam eorum conservari in *Sardonum Campo*, qui vulgo *Campos de Serdania*. *Ilergetum* etiam magna pars hic quomdam habuit: de quibus ad Cataloniam. *Olim hic Iaccetani.* *Sedentani.* *Surdaones.*

Metropolis & Regni caput *Cæsaraugusta* Plinio alijsque; Καισαραυγοῦστα Ptolemæo. Nominatur sæpe in Nummis Veterum. In duobus æneis Augusti Vexillum erectum visitur, hasta in basi adfixa; quod signum erat deducendæ Coloniæ: in uno eorum adparet Augusti effigies, & hic titulus, DIVI F. AVGVSTVS; in aversa parte, qua Vexillum est, CÆSARAVGVSTA L. CASSIO CN. F. L. N. II VIR: In altero circum Augusti effigiem AVGVSTVS DIVI F; & aversa parte, CÆSARAVGVSTA M. POR. CN. F. A. N. II VIR. Alios alijs legendos relinquo. Sic Prudentius de Martyribus Cæsar-Augustanis: *Metropolis Cæsar-augusta, hodie Carragoça.*

Cæsar-Augustam vocitamus Vrbem:

 Hodie

Hodie *Carragoça*, Academia nobilis. Conditorem ejus ferunt Iubam Mauritaniæ Regem, & ab eo *Saldybam* appellatam, quasi *Iubæ domum*: postea vero, priore repudiato nomine, *Cæsaris Augusti* nomen illi fuisse inditum. Sita est in ripa Fluminis Iberi, loco plano, ex quo Iberus insigni Ponte lapideo longoque (cujus etiam Strabo facit mentionem lib. III) trajicitur. Vrbis autem Situs Soleæ Calcei formam refert. Portas habet quatuor ad totidem Mundi partes spectantes. Validissimis muris cincta, crebrisq; Turribus probe munita. Extra Muros priores quamplurimæ sunt Domus, & quasi altera Civitas, quas Cæsar-Augustani *Populationes* appellant. Duo sunt ibi memoratu dignissima: *Xenodochium* inter alia Christiani orbis opera loci non postremi; aliaitem *Domus* prope Vrbem in Campo amœnissimo satis grandis & insignis, quæ vulgo *Alia pharia* nuncupatur, de qua consulendus Marineus Siculus. In hac Vrbe Reges Aragoniæ ab ejus Archiepiscopo, qui Primus Regni, Diadema soliti accipere. Ab eadem Iter ducit *Beneharnum*, Antoninus per Pyrenæum in Galliam Aquitanicam. Civitates reliquæ: *Osca* Latinis, ὄσκα Ptolemæo & Plutarcho in Sertorio: Hodie *Huesca*: Cives ejus *Oscenses* Cæsari nominantur: *Oscensis Argenti* meminit Livius lib. XXIV: Plutarchus auctor, Sertorium hanc Vrbem delegisse, in quam Filij Principum Virorum, Hispaniarum Obsides, studiorum specie, accitis Disciplinarum Magistris, mitterentur. Est ibi hodieque non ignobilis Academia: *Eteosca* mendose vocatur Velleio Paterculo: ubi Sertorium interemtum scribit: In Vetustis Nummis *Vrbs Victrix* videtur cognominari; si ita notas V.V. OSCA liceat cum Antonio Augustino interpretari. *Tyriassona* Civitas apud Montem Caci, quam à Tyriis & Ausonijs conditam fuisse nonnulli opinantur. *Iacca*, jacens in Convallibus, Iaccetanorum quondam, ut monui, sedes, Ἰάκκα Ptolemæo. *Calatajuta*, in campestri loco, ex ruinis nata Bilbilitanis, quæ cum multis alijs Antiquitatum monimentis, medio Miliari Hispanico ab hoc opido hodie visuntur, in Colle, qui vulgo *Bambola* vel *Baubola*, adludente ad Vrbis jacentis appellationem nomine: Cingitur Mons ille in orbem fere ab *Salone* flumine; quem situm *Bilbili* tribuit alumnus ejus & Civis (vide lib. I. Epigr. LXII) Valerius Martialis lib. X. Epigram. CIII:

> Civitates aliæ *Osca*, hodie *Huesca*.
>
> *Tyriassona*, vulg.
>
> *Iacca*, nomen retinens.
>
> *Calatajuta* *Bilbilis* proles.

Municipes Augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis.

Sic Paullinus ad Ausonium, *Bilbilim acutis scopulis pendentem*, prodit. Quod autem in Monte, *Altam* vocat idem Martialis scribens ad Licinianum lib. I. Epigram. L, quod quia multorum Hispaniæ locorum meminerit, semel adscribam:

Vir Celtiberis non tacende Gentibus,
Nostraque laus Hispaniæ,
Videbis altam Liciniane Bilbilim,
Equis & Armis nobilem:
Sterilemq; canum nivibus effractis sacrum
[a] *Vadaveronem montibus:*
Et delicati dulce [b] *Botrodinemus,*
Pomona quod felix amat:
Tepidum natabis lene [c] *Congedi vadum,*
Mollesque Nympharum [d] *lacus,*
Quibus remissum corpus adstringas brevi
[e] *Salone, qui ferrum gelat.*
Præstabit illic ipsa figendas prope
[f] *Voberta prendenti feras:*
Aestus serenos aureo franges Tago,
Obscurus umbris Arborum:
Avidam vigens [g] *Dircenna placabit sitim,*
Et Nemea, quæ vincit nives.
At quum December canus, & Bruma impotens
Aquilone rauco mugiet;
Aprica repetes Tarraconis littora,
Tuamque Laletaniam, &c.

[a] Sic ex MS. legit Turnebus, quum in Vulgatis divisim legatur *Vada Veronem*; agnoscens Montis nomen. Pertinent huc quæ scribit Hieronymus Paullus Barcinonensis libro de Fluminibus & Montibus Hispaniæ: *Quidam non temere Celtiberia montem esse existimant ab aliis effractum, atque in Insulam projectum, quem nunc Vada vocem corrupte vocant.*

[b] opidum quondam, hodie Vicus, haud procul Segobriga: ab Graccho dirutum notat Polybius. Meminit & Martial. lib. XII, epig. XVIII.

[c] Fluvij nomen prope Bilbilim: hodie *Congedo*, vel, ut alij, *Rio de Codes*.

[d] Ex duplici enim Lacu videbatur Congedus profluere.

[e] Hodie *Xalon*. *Bilbilis* Iustino lib. XLIV ab urbe adjacente; *Aqua* fortean *Bilbilitana* Antonino.

[f] melius *Voberca*. hodie *Bobierca*.

[g] fontis videtur nomen.

Sic idem Martialis lib. X. epig. CIV, ad Librum suum:

Hispanæ pete Tarraconis Arces:
Illinc te rota tollet, & citatus

Altam Bilbilin, & tuum Salonem
Quincto forsitan essedo videbis.

An per *Quinctum Essedum* notat iter inter Tarraconem & Bilbilim quintiduanum? Sunt hodie Leucæ Hispanicæ XLVIII, aut circiter. *Auro ferroque superbam* facit Bilbilim idem Poëta lib. XII. Epig. XVIII:

Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumque fecit,
Auro Bilbilis & superba Ferro:
Hic pigri colimus labore dulci
Botrodum, [a] Plateamque: Celtiberis
Hæc sunt nomina crassiora terris:

[a] Opidi nomen, cujus alij Scriptores non meminerunt.

Inter Bilbilim & Segobrigam (quæ hodie *Segorbia* putatur) Sertorius & Metellus memorabili prælio conflixerunt, ut apud Appianum & alios est legere. Βίλβις Ptolemæo corrupte. *Augusta Bilbilis* cognominatur Martiali, ut jam vidimus; quemadmodum & in multis Veterum Numismatum Inscriptionibus. Sunt & alia Aragoniæ Opida: *Barbastrum*, Arcubus ferreis nobile; Βουρτίνα Ptolemæo; *Bortina* Antonino, ut nonnulli censent: Putat tamen Surita *Bortinam* sua nunc ostentare vestigia ad Almuderar opidum, ibique inter alia conspici quasdam Viæ erutæ Substructiones *Monsonium* in Regni situm umbilico, ad Cingæ ripam, cui Collis imminet, à quo nomen opido: Conventibus Regnorum Aragoniæ, Valentiæque & Principatus Cataloniæ celebris sedes. Fere est, ut Hieronymus Surita, cui emendatius debemus Itinerarium, quod sub Antonini Augusti nomine circumfertur, censeat esse *Toloum* Antonini: ait enim inter Barcinonem & Cæsaraugustam nullum exstare opidum, quod isti adplicare mansioni certo audeat: Vulgo *Monçon*: fertilis agri & aprici situs. *Fraga*, inter Ilerdam & Cæsaraugustam: Γάλλικα Φλαουία Ptolemæo; *Gallicum* Antonino, ut Varrerius censet; Alij *Gallicum* locant, ubi nunc *Zuera*, in cujus agro vetustorum Pavimentorum vestigia visuntur: Fluvius ibi nomen retinet, qui *Gallego* nominatur: cui jure vetustas *Gallici* nomen tribuit; quod, summo transcenso Pyrenæo supra opidum, cui *Salientis* nomen impositum, in ipsa terra Gallia oriatur. *Gurrea* olim *Forum Gallorum*, Antonino inter Cæsaraugustam & Pyrenæos. *Aierbium*, in cujus solo quondam stetisse creditur *Ebellinum*, Antonino cum alijs nominatum. *Vrgella*, *Orgellum* Aimonio; Ὄργια forte Ptolemæo, opidum haud procul Sicoris fonte. Fuerunt & alia Opida, sed quæ diruta, quorumque nulla hodie Vestigia. Inter illa non ignobilis *Calagurris Nassica*, alia ab ea, quam in Navarra descripsi. Hanc *Iuliæ* cognomine decoratam fuisse loquuntur Veteres Nummi: In æreo quodam effigies est Iuvenis Augusti, cum hac Inscriptione NASSICA; in aversa facie, Taurus est sculptus, insigne Municipiorum, cum Inscriptionibus, supra quidem Taurum CALAG. infra vero IVLIA: in alio cum Augusti imagine AVGVSTVS. MV. CAL. IVLIA; in aversa parte supra Tauri effigiem, L. BÆB. PRISCO C. CRAV. BROG. II VIR: in tertio cum Augusti effigie MVN. CAL. IVL. in aversa facie supra Taurum II VIR. L. CRAVIO; infra alterius Duum-viri nomen est vetustate extritum. Posteriores Nummi docent hanc Calagurrim Municipij nomen obtinuisse. Cives ejus *Calagurritani* nominantur ab Cæsare I belli Civilis Commentario: eosque Corporis sui Custodes habuisse Augustum notat Suetonius in ejus vita cap. XLIX. Plinius *Nassicos* cognominat. Addantur hic Coronidis loco

Barbastrum, olim forte *Bortina*,
Monsonium, olim forte *Toloum*,
Fraga, quondam *Gallica Flavia*,
Gurrea olim *Forum Gallorum*.
Aierbium olim *Ebellinum*,
Vrgellum, *Orgia* quondam.
Calagurris Nassica, diruta.

Aragoniæ Reges.

REGES ARAGONIÆ NVPERI:

PETRVS IV. Alphonsi IV ex Tyresia Gulielmi Dantensij F. Iacobi II N. Rex Aragoniæ, ab Ranimiro, quem omnium Scriptorum Calculi Primum faciunt, Decimus-quartus. Obiit CIↃ CCCLXXXVII. Vxor *Leonora*, Petri Siculorum Regis F. ordine tertia.

- IOANNES I Rex Aragoniæ XV. Obiit CIↃ CCCXCVI. Vxor *Violanta* Ducis Ebaris F.
  - IACOBVS Gerundæ Delphinus. Obiit ante Patrem.
- MARTINVS Rex Aragoniæ XVI. Obiit CIↃ CCCCX. Vxor *Maria* Lunæ Comitis F.
  - MARTINVS Ante Patrem obiit CIↃ CCCCIX.
- LEONORA. Nupsit *Ioanni* I. Regi Legionis & Castellæ.
  - HENRICVS Rex Castellæ.
  - FERDINANDVS Rex Aragonum XXVII. Obiit CIↃ CCCCXVI.
    - ALPHONSVS V. Rex Aragoniæ XVIII.
    - IOANNES II. Rex Aragoniæ XIX.

FERDINANDVS V. Rex Aragoniæ XX, CATHOLICVS cognomine. Obiit CIↃ IↃ XVI. vxor ISABELLA Castellæ & Legionis Regina.

- IOANNES, post confectas cum *Margareta* Austriaca Maximiliani I. Imper. F. nuptias. Obiit ἄπαις, ante Patrem, CIↃ CCCCXCVII.
- ISABELLA *Alphonso* IV, inde *Emanueli* Lusitaniæ Regibus nupta. Obiit CIↃ CCCCXCVIII.
- IOANNA Aragoniæ, &c. Regina XXI. Obiit CIↃ IↃ LV. Nupsit *Philippo* Austriaco, Burgundiæ Duci, Belgarum Principi.
  - KAROLVS V. IMPER. Rex Aragoniæ XXII, obiit CIↃ IↃ LVIII. Vxor *Isabella* Lusitana.
    - PHILIPPVS II. Rex Aragoniæ XXIII, Obiit CIↃ IↃ XCVIII. vxor *Anna* Austriaca.
      - PHILIPPVS III Rex Aragoniæ XXIV. potentissimus.
  - FERDINANDVS Imper.
- Aliæ Filiæ.

De Origine Regni Regumque Aragoniæ, Valentiæ & Cataloniæ, à quibus & quo modo initium habuerint, deque unione eorum, legendi Rodericus Sanctius Historiæ Hispanicæ Parte I. cap. XIII, Lucius Marineus Siculus lib. VIII de Regibus Hispan. & alij. Historiam etiam Aragonum scripsit Frater Gilbertus Monachus Ordinis S. Bernardi; sed quæ, si laudes immodicæ, quæque parum ad rem, detrahantur, in exiguum redigi posset opusculum.

CAP. XV.

Catalonia.

CATALONIA unde dicta.

CATALONIA, vulgo *Cataluña*, Pyrenæis Montibus, Mari Mediterraneo, Fluminibusque Ibero & Cinga, qui inter hanc est & Aragoniam, terminatur. Nomen illi impositum putat Volaterranus ab Gothis & Alanis, scribendamque esse *Gothalaniam*. Beatus Rhenanus lib. I. Rer. Germanic. *Cattalaniam* arbitratur appellatam ab Cattis & Alanis, qui junctim in eam Hispaniæ portionem proruperunt. Alij ab Castellanis, antiquis Hispaniæ populis, qui hisce locis sua habuerunt domicilia, denominatam judicant. Sunt etiam, qui nuncupatam *Cathaloniam* tradunt ab Othogerio Cathalone; de quo multa præter alios, Marineus Siculus lib. IX de Reb. Hispan. & L. Valla de Ferdinando Aragon. Rege lib. I.

Olim hic *Castellani*, *Indigeti*, *Ilergetes*, *Laietani*. *Cempsi*. *Cerretani*. *Vetteres* vel *Betteres*, *Ligyes*. *Ausetani*. *Larnenses*, *Ilercaones*. *Fænicularius Campus*.

Collocantur hac Hispaniæ Parte ab Veteribus varij Populi. *Castellani*, Καστελλανοὶ Ptolemæo, Ducatum *Cardone* interpretantur Villanovanus & Varrerius. *Indigeti*, Avieno; Ἐνδιγέται Ptolemæo; Ἰνδικῆται Stephano, qui & *Indicam* vrbem ibi nominat. *Ilergetes* Livio, & Ptolemæo; Ἰλεργῆται Polybio lib. III. *Laletani* Plinio, unde *Laletania* Martiali lib. I. epig. XXVII; Λαιητανοὶ Ptolemæo; Λεητανοὶ Straboni, cui & Ἐλητανοὶ; omnia corrupte pro Λαλητανοὶ: his adhærebant, notante Strabone, Λαρτολαιητανοὶ. *Cempsi* Aimonio; Κεμψοὶ Dionysio & Eustathio. *Cerretani* Plinio, qui eosdem & *Iulianos* & *Augustanos* cognominat; Κερρετανοὶ Ptolemæo; Κερρητανοὶ Straboni; *Ceretani* Silio; *Ceretes* Avieno; Κέρετες Stephano: horum vestigia latere adhuc videntur in *Cerveira*, *Puigçerda*, *Condado de Cerdania*. *Vetteres*, sic enim Xilander interpretatur Hispaniæ Tarraconensis populos, qui inter Iberum & Pyrenæos ad Mare, Βέτερες Straboni: Isaacus Casaubonus mallet Antonini *Secerras*. *Ligyes*, λίγυας ad Sicanim fluvium Thucydidi lib. VI, & Halicarnass. lib. I; forte qui Avieno *Ligures*. *Ausetani* Livio & Plinio; Αὐσητανοὶ Ptolemæo. *Larnenses* Plinio ad Larnum fluvium ad Pyrenæi radices. Ἰλερκαόνες Ptolemæo, apud quos Dertosa urbs; Livio *Ilercaonenses*, & Cæsari fortean *Ilurgavonenses*: Μαραθῶνος item Πεδίον, *Fæniculariums Campum*, ponit hoc loco Strabo.

Metropolis *Barcinona*, olim *Barcino*.

Metropolin habet hodie *Barcelonam*, Vrbem pulcherrimam, quæ in Maris Mediterranei littore sita meram redolet Antiquitatem, complures servans rei probandæ lapides vetustos, Conditor ejus fertur à plerisque Hispaniarum Inlustratoribus Amilcar Barcha cognomine, filius Annibalis Karthaginiensium Ducis; qui, victa classe, à Militibus in crucem fuit sublatus; pater autem Annibalis, Magni istius

istius Imperatoris: Βαρκίνων Ptolemæo; *Barcinus* Paullino in Epistolis; *Barcilona* Iornandi: Faventia etiam quondam, teste Plinio. *Resp. Barcinonensis* mentio in Lapide, qui ibidem visitur pro æde Divorum Iusti & Pastoris. Extat inter Smetianas Inscriptiones fol. CLVII, numero II. Antonius Augustinus Dialogo VII de Nummis Antiquis Numisma Galbæ habet, in quo COL. F. I. A. BARC. quæ interpretatur COLONIA FAVENTIA IVLIA AVGVSTA BARCINO. Laudat hanc Vrbem multis verbis Marineus Siculus Rer. Hisp. lib. XIII, qui & Situm ejus describit lib. XV. Fuit olim multo minor, quam hodie conspicitur, ab Littore Maris uno fere stadio remota. Habebat Portas quatuor, quæ totidem Mundi plagas spectabant, æquo fere omnes spatio inter se distantes, quæ adhuc in ipso pene umbilico Vrbis visuntur; cælata gerentes Capita Bubula, altæ Pacis, ut nonnulli volunt, & quietæ Agriculturæ Symbola. Lapsu temporis bis prævalidis Muris superbisque Turribus est cincta, inque tantam paullatim magnificentiam excrevit, ut multo merito Caput hodie censeatur Cataloniæ. De Barcinonis Comitibus, eorumque origine consulendi Rodericus Toletanus lib. VI. de Rebus Hispaniæ cap. III. & L. Marineus Siculus lib. IX. Prope Barcinonem locus, qui dicitur *S. Locat*, ubi olim *Castrum*; ut vult Ambrosius Moralis, fuisse perhibetur *Octavianum*. Sequuntur hanc *Tarraco*; Ταῤῥακὼν Ptolemæo & Straboni: *Tarragona* hodie; *Colonia Tarraconensis* apud Tacitum lib. I. Annal. Lego & in antiquo Lapide, COL. I.IV. TARRAC. fortean; COLONIA IVLIA VICTRIX TARRACO. Opus existimatur Scipionum. Vrbs olim tam celebris, ut potiori Hispaniæ parti nomen dederit. Maritimarum opulentissima Melæ lib. II. De ea sic Strabo lib. III: Πρώτη Ταῤῥακὼν πόλις, ἀλίμενος μὲν, ἐν κόλπῳ δὲ ἱδρυμένη, καὶ κατεσκευασμένη τοῖς ἄλλοις ἱκανῶς, καὶ οὐχ ἧττον εὐανδροῦσα νυνὶ τῆς Καρχηδόνος. Πρὸς γὰρ τὰς τῶν ἡγεμόνων ἐπιδημίας εὐφυῶς ἔχει. καὶ ἔστιν ὥσπερ μητρόπολις οὐ τῆς ἐντὸς Ἴβηρος μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐκτὸς τῆς πολλῆς. Sic Silius lib. III. de bello Pœnico:

Dat Tarraco Pubem
Vitifera. & Latio tantum cessura Lyæo.

Multa hic Antiquitatum vestigia; innumeri quotidie reperiuntur Nummi in Agris & Vinetis: unde conjicere licet olim multo fuisse majorem. Tarracone Templum Augusto fuit conditum Principatu Tiberij, scribente Tacito lib. I. Annal. Mansit illud ad ævum usque Hadriani, qui conlapsum restauravit. Spartianus in ejus vita. Laudat & Nummum æreum Augusti Imperatoris Abrahamus Ortelius: in cujus aversa parte Templum erat cum Inscriptione ÆTERNITATIS AVGVSTÆ, & litteris singularibus C. V. T. T. COLONIA, VICTRIX, TOGATA (vel TYRRHENICA) TARRACO. *Viqua*, *Vicque* vulgo, vel *Vich*; Αὖσα Ptolemæo, Authetanorum Vrbs. *Girona*, *Gerunda* Plinio & Antonino; Γερῦνδα Ptolemæo: *Gerundenses* etiam Plinio noti. Sic Inscriptio Tarraconensis:

C. MARIO. C. FIL
PAL. VERO
GERVNDENS
OMNIBVS. HONORIB
IN RE. P. SVA. FVNCTO
FLAMINI. PROV. HISP
CITER. P. H. C.

Tortoso, quæ Δέρτωσα Ptolemæo; *Dertosa* Vetusto Lapidi, qui ibi exstat: *Derdosa* Antonino, Δέρτοσσα Straboni. *Dertosani* (sic enim legendum) Populi sunt apud Plinium. *Dertosa Ilercavonia* cognominatur à Populis, quorum hæc Vrbs erat Caput, in Nummo Tiberij Imperatoris: TI. CÆSAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS; & in aversa parte infra navis carinam, DERT. ILERGAONIA. Situm ejus ita paucis notat Strabo lib. III: ἐπ' αὐτῇ δὲ τῇ διαβάσει τοῦ Ἴβηρος Δέρτοσσα κατοικία. *Lerida*, quæ Ptolemæo, Stephano & alijs Ἴλερδα, Ilergetum Vrbs. De ea Strabo: διέχει ἡ Ἰλέρδα τοῦ μὲν Ἴβηρος, ὡς ἐπὶ δύσιν ἰόντι σταδίους ἑκατὸν ἑξήκοντα; Ταῤῥακῶνος δὲ πρὸς νότον περὶ υξ, πρὸς ἄρκτον δὲ ὁ Ἰάκκας πεντακοσίους τεσσαράκοντα. Situs ita delineatur ab Lucano lib. IV. belli Pharsalici:

Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue solum tumulo: super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda manu; placidis prælabitur undis

Reliquæ ignotarum gentium.
Tarraco hodie Tarragona.
Viqua, olim Ausa.
Girona olim Gerunda.
Tortosa, olim Dertosa.
Lerida, olim Ilerda.

Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes:
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hibernas passurus aquas:

& quæ alia ibi de devictis ad Ilerdam ab C. Cæsare Cn. Pompei Legatis, M. Petreio & L. Afranio: qua de re plene Cæsar lib. I. Belli Civilis, qui etiam opidum in Monte positum notat, Pontis item faciens mentionem. Academiam habet celebrem & insignis antiquitatis, quam Horatius putatur intellexisse lib. I. Epist. ult.

Aut fugies Vticam aut unctus mitteris Ilerdam.

Emporiæ hod. Empurias. Hic Calixtus III. P. M. publice Iurisprudentiam docuit teste Platina. *Emporiæ* Silio lib. III, Ἐμπορίαι Polybio lib. III, & Ptolemæo: Ἐμπόριον Stephano; *Empurias* vel *Ampurias* vulgo. Emporienses prius Insulam oppositam habitasse, quæ παλαιόπολις dicebatur, & Emporium ab Massiliensibus fuisse conditum auctor est Strabo. *Emporias Phocaicas* cognominat Silius libro, qui à me laudatus. *Blanda* Pomponio; *Blanda, hodie Blanes. Manresa.* Βλάνδα Ptolemæo; *Blanes* vulgo, ut volunt Beuterus, Florianus & Navagierus *Manresa*, quam Florianus, ut antea dixi, *Athanagiam* ab Livio vocari censet. *Rosæ*, *Roses* *Rosa, olim Rhoda.* vulgo: *Rhoda* Livio; ῥόδη Stephano, ῥοδόπη Straboni; ῥοδίπολις Ptolemæo, apud quem Casaubonus ῥόδη πόλις legit, divisim. *Coübra*, Ἰλίβεῤῥις Ptolemæo; *Illiberis* Livio & Plinio: Ἰλυβιῤῥις Straboni: *Eliberri* Pomponio, Vicus magnæ quondam Vrbis & tenue magnarum opum, addenti, vestigium; *Cliberræ* Tabulæ Peutingerianæ, in quis emendandum *Eliberri*, nisi quis velit hodiernam appellationem in Tabulis expressam, ut etiam Theodosij principatu *Colibra* fuerit nominata. Alij tamen *Illiberim* non *Colibram*, sed aliud opidum volunt; *Salsulas*, Poldus; *Eunam*, Petrus Olivarius; *Illam*, Mercator. Prope *Salsas* sane sub Pyrenæis montibus fuerunt, quarum meminerunt *Salsulæ.* Pomponius Mela & Antoninus. *Salsulæ* lacus prope Narbonem Galliæ. Is est, quem Strabo juxta Ruscinonem locat paullum supra mare, Salinis nobilem & κεστρεῖς ὀρυκτοὺς habentem, Mugiles fossiles; cujus rei Ælianus ex Polybio facit mentionem. Fuit *Iulia Libyca.* &, ubi nunc Catalonia, quondam *Iulia Libyca*, cujus rudera putantur esse haud procul Linca opido. Item apud Pyrenæos *Cinniana* Antonino, corrupte *Cegnuama* Tabu- *Cinniana, Deciana.* bulæ Peutingerianæ; *Deciana*, Δεκίανα Ptolemæo, *Declana* eidem Tabulæ mendose. Hispaniæ sub Catolonia adcenseri *Terram Ruscilionis* in Pyrenæis montibus, disputat varie Io. Gerundensis lib. I. Paralipom. Hispaniæ: sic dictam ab opido, quod *Ruscino.* Plinio *Ruscino*, Straboni Ῥουσκινὼν; Ptolemæo Ῥουσινὼν; *Ruscinus* Avieno. Vrbis vestigia exstant haud procul opido Perpigniano juxta Turrim, quæ nomen ejus retinet. *Iunquera, olim Iuncaria.* Vocant enim *Turrim Roscilionis*. De *Iunquera*, quæ olim *Iuncaria*, dixi cap. III. Iter (ut hoc Coronidis instar, tribus, quæ præcedunt, Capitibus adjiciam) quod *Vapinco* (opidum illud est Delphinatus in Gallijs, quod hodie *Gap*) describit Antoninus, vel *Iter Antonini ex Gallijs in Hispaniam, Galleciam usque.* quicumque Itinerarij vulgati est auctor, ad *Legionem* VII *Geminam*, continet præcipua Cataloniæ, Aragoniæ, Navarræ, Castellæ Veteris & Legionis loca, ad initium usque Galleciæ. Non potui, quin illud Lectori proponere; facta commissione non solum cum ijs, quæ ad idem iter exstant in Tabula Peutingeriana (publici nuper juris facta, beneficio Magni Viri, Marci Velseri Patricij & VII-VIRI Augustani) verum etiam cum hodiernis Vrbium Opidorumque, quamtum in re tam ab ævo nostro remota fieri potest, nomenclaturis. Vnum prius, ut semel Numerorum ratio recte intelligatur, monendum duxi. In Antanini Itinerario Numerus alicui Vrbi vel opido subjectus, tantum notat spacium vel tot passuum esse millia inter Stationem cui subjicitur, & præcedentem. In Tabula Peutingeriana secus se res habet. Quum enim pleraque Itinera producantur (subinde satis imperite & confuse, Nominibusque & Numeris sæpe vitiosissimis) ab Occasu in Ortum; nonnulla etiam, si cum Antonino sit Comparatio instituenda, ab Ortu in Occasum: illud fere animadverti & didici; si ab Occasu in Ortum Itineris collectio sit facienda, Numerum loco subjectum indicare spacium inter eum, cui subjicitur & sequentem: ideoque in Auferendi casu pleraque esse expressa: sin ab Ortu in Occasum, Numerum inter duo Loca positum eorumdem edere intervallum. Iter, quod dixi, sic se habet:

ANTONI-

ANTONINI ITINERARIUM.	TABULA PEUTINGERI Itineraria.	HODIERNA NOMENCLATURA.
Inde (*Vapincum* designat trans Alpes Cottias) *ad Galeciã, ad Legionem* VII *Geminam* M.P. DCCCCLXXV.	*Vapincum,* XVIII Numeri hujus Tabulæ præcedentes congruunt cum sequentibus Itinerarij Antonini: ut, dicis gratia subjectus hic *Vapinco:* idem designatur cum eo, qui apud Antoninum postscriptus *Alamonti*, & sic de alijs.	*Gap.* Delphinatus Opidum, Episcopali dignitate clarum.
Alamontem, M.P. XVII Alij Codices *Alapuntem* habent; alij *Alabuntem*, quidam *Alabonam*.	*Alarante,* XVI Si hodie *Tallart*, certe Tabula propius abesse videtur ab genuina scriptura.	Nominis vestigia videntur esse in opido, quod ad Durantij ripam dexteram *Tallart* vulgo.
	Alarante, XVI Vitiosa repetitio.	
Regusturonem, M.P. XVI Leg. *Segusteronem*, vel *Secusteronem*, ut & alibi Auctor nominat.	*Segusterone,* XIV In Notitia Provinciarum *Segestoriorum Civitas.*	*Cisteron.* Episcopalis Civitas. quo loco *Buelha* & *Sassa* Durancio commiscentur in Provincia.
Alauniam, M.P. XXIV	*Alaunio.* XVI	*Labrellane* ad confluentem cum Durancio *Larquum* fluvium.
	Catviacia, XII Forte *Ganiaca.*	*Gignat,* nisi fallor.
Aptam Iuliam, M.P. XXVIII	*Apta Iulia,* VII	*Apt.* Urbs Episc. Provinciæ.
	Ad Fines, XII	*La coste.* Finis hic hodie versus Occidentem Provinciæ.
Cabellionem, M.P. XXII	*Caballine,* XII	*Cavaillon* in Insula Durancij fluvij.
	Clano, VIII	
Arelate, M.P. XXX	*Arelato,* VIII	*Arles* Archiepiscopal. Civitas.
	Vgerno, XV	
Nemausum, M.P. XIX	*Nemuso,* XV	*Vover.*
Ambrussum, M.P. XV	*Ambrusium,* XX	*Nismes.*
Sextationem, M.P. XV	*Serratione,* inemendate, XV	*Sambres* haud procul *Agatha.* *Sacis*, aut aliud prope Montem Pessulanum.
Forum Domitij, M.P. XV		
Arauram sive Ceseronem, M.P. XVIII Ptol. Κεσσερώ: Plin. *Cessero.*	Foro Domitij, XVIII	*Gigean*, aut circiter.
	Cesse Rone, Reponendum unica voce, *Cesserone,* XII	*S. Hubert* ad *Farcum* fluvium vulgo *Sanct Tuberus.*
Beterras, M.P. XII Straboni Βελτήρα πόλις; Ptolemæo, Βαιτίραι.	*Beteris,* XXI	*Besiers*, ad *Orbem* fluvium.
Narbonem, M.P. XVI	*Narbone,* VI	*Narbona* Archiep. urbs.
Salsulas, M.P. XXX	*Ruscione.* Leg. *Ruscinone,* VII	*Salses* ad Pyrenæos.
	Illibere, XII	.˙.˙.˙.˙.˙.˙.˙.˙.
Ad Stabulum, M.P. XLVIII	*Ad Centenarium,* V	.˙.˙.˙.˙.˙.˙.˙.
Ad Pyrenæum, M.P. XVI	*In Summo Pyrenæo,* IIII	.˙.˙.˙.˙.˙.˙.˙.˙.˙.
	Declana.	
Iuncariam, M.P. XVI	*Iuncaria,* XV	*Iunquerre.*
Gerundam, M.P. XXVII	*Gerunda,* XII	*Gironde*, urbs Episc. ad *Tarderam* fluvium, qui quondam *Sambroca.*

Deficit.

Deficit hic Tabula Peutingeriana.

Antonini Itinerarium.	Vulgat. Nomencl.
Bartinonem, M.P.L.VI	*Barcelone*,
Stabulum Novum, M.P.L.·.·.·. I.	.·. haud procul opid. quod vulgo *Garraf*.
Tarraconem, M.P.XXIV	*Tarragona*.
Ilerdam, M.P.LXII	*Lerida*.
Toloum, M.P.XXXII	*Monçon*.
Pertusam, M.P.XVIII	Nomen opidum retinere scribitur ad *Canadris* fluvij ripas.
Oscam, M.P.XIX	*Huesca*.
Cæsaraugustam, M.P.XLVI	*Carragoça*,
Cascantum, M.P.L	*Cascante*.
Calagurrim, M.P.XXIX	*Calahorra*.

Antonini Itinerarium.	Vulgat. Nomencl.
Variam, M.P.XVIII	Vicus hodie *Varea* iuxta *Logroniam*.
Tritium, M.P.XVIII	Vicus *Tritio* iuxta *Haiaram* urbem.
Olbiam, M.P.XVIII	.·.·.·.·.·.·.·.
Segesamunclū, M.P.VII	*Segura*.
Virovescam, M.P.XI	*Birbiesca* in *Riogea* regione.
Segesamonē, M.P.XLVII	.·.·.·.·.·.·.
Lacobrigam, M.P.XXX	.·.·.·.·.·.·.
Camalam, M.P.XXIIII	.·.·.·.·.·.·.
Lanciam, M.P.XXIX	.·.·.·.·.·.·.
Ad Legionem VII *Geminam*, M.P.IX	*Leon*.

Cap. XVI.

Galecia.

GALECIA. GALECIÆ (quæ & *Galicia* vel *Gallæcia* scribitur, cuique nomen ab Antiquis populis *Callaicis)* ad Septemtrionem & Occidentem Oceanus est; ad Meridiem Portugallia, interfluente Durio; ad Ortum Asturia. Huic Regioni, quum sexta quondam fuerit Hispaniæ Provincia, ut supra dixi, majores olim, quam hodie, fuerunt fines. Adcensebatur illi versus Meridiem pars illa Portugalliæ, quæ inter Durium & Minium fluvios; consulendus Strabo lib. III: versus ortum multo longius se extendebat ad Pyrenæos fere Montes, *Asturibus* & *Cantabris* Galeciæ connumeratis. Antonini Itinerarium *Legionem* VII *(hodie Leon)* in Galecia ponit. Scotus etiam, Notitiæ Provinciarum auctor, in eadem Provincia *Præfectum Legionis* VII *Ge-*

vii *Geminæ* constituit. Quin & Paullus Orosius *Numantiam*, celebrem olim Pelendonum Regionis Vrbem, in capite Galeciæ sitam scribit. Rodericus denique Santius Parte i. Historiæ Hispanicæ, cap. vi, Galeciæ tribuit *Biscaiam*, *Lepuscuam* vel *Guipuscoam*, & eas partes, quas hodie *Castellam Antiquam* vocamus: Gallecia, quod ob montes nimis sit aspera, Aquisque careat, rarenter habitatur. Equis adeo abundat, ut Vento concipi dicantur: qua de re anteadixi. Plinius hic locat Mineras Auri ditissimas. Niger scribit in Artabris Amnes Terram Auro, Argento, Stanno mistam ferre; Solumque Auri, Æris ac Plumbi uberrimum esse, adeo ut aureæ glebæ sæpe aratro excindantur. Montes magnam Lignorum copiam Navibus ædificandis suppeditant. Piscibus Galecia supra modum abundat. Salmonibus præcipue, Congris, ejusque generis, quos vulgo *Pescados* appellant; alijs item multis lautissimis, qui sale conditi varias in Hispaniæ partes distrahuntur. Novembri Decembrique mensibus infinita Piscium, quos vulgus *Pelagos* nominat, vis capitur, duarum aut circiter librarum: recentes in totam Castiliam venum exportantur: facit enim adstringens frigus, ut facile serventur: saporis sunt gratissimi; gratioris tamen qui in Oceano, quam qui in Mediterraneo mari capiuntur. Algor enim Oceani Pisces impinguat; ideoque quo propiores sunt Septemtrionibus, eo solent esse meliores. Potissima hujus Regni Incolarum pars in Montibus degit; in quibus Domicilia satis commoda passim visuntur exstructa.

Floruerunt hic olim Triginta, ut Strabo refert, Populi, quorum præcipui nominantur *Calleci* multis & *Gallæci*; Καλλαικοὶ Ptolemæo & Straboni; *Gallegij* Eutropio. Καλλαικίαν hic ponit Strabo lib. iii; *Gallæciam* Iustinus lib. xliii. *Callaicum Oceanum* facit hinc Martialis. De *Callaicorum* origine & nomine (quidam enim ab *Galatis* Græciæ populis; nonnulli ab *Galathe* Herculis filio dirivant) videat Lector, si otium, Io. Gerundensem Episcopum Paralipomen. Hispaniæ lib. ii, Rodericum Toletanum lib. x. de Rebus Hispaniæ cap. iv, & alios. De *Callaicis*, inter alia, sic scribit Strabo lib. iii: Καλλαϊκοὶ δ' ὕστατοι τῆς ὀρεινῆς ἐπέχοντες πολλήν; διὸ καὶ δυσμαχώτατοι ὄντες, τῷ τε καταπολεμήσαντι τοὺς Λυσιτανοὺς αὐτοὶ παρέσχον τὴν ἐπωνυμίαν. Verum illud. Cognomen enim *Callaici* habuit D. Iunius Brutus cos. anno Ab v. c. Iↄ cxvii, Callaicorum & Lusitanorum ad Oceanum usque Domitor: quo tempore, quum Exercitus Fluvium mali ominis Oblivionem, de quo alibi, transire nollet, ereptum Signifero signum ipse transportavit, militesque, ut sequerentur; animoso strategemate incitavit. Legendus Livius lib. lv. & sequenti. Ab hoc Bruto Templum Romæ in ix. Vrbis Regione, *Bruti Callaici*; cujus meminerunt Victor & Plinius lib. nat. hist. xxxvi. cap. v, qui notat in eo fuisse Colossum Martis & statuam Veneris Gnidiæ nudæ. *Callaicos* nihil de Dijs sensisse, sunt qui scribunt apud Strabonem. De ijsdem & Silius lib. iii: Olim hic *Callaici*.

Fibrarum & Pennæ, Divinarumque sagacem
Flammarum, misit dives Gallecia pubem:
Barbara nunc patrijs ululantem carmina linguis,
Nunc pedis alterno percussa verbere terra
Ad numerum resonas gaudentem plaudere Cetras:
Hæc requies, ludusque viris, ea sacra voluptas:
Cetera fœmineus peragit labor: addere sulco
Semina, & impresso Tellurem vertere aratro;
Segne Viris, quidquid duro sine Marte gerendum est.
Callaici conjux obit inrequieta Mariti.

Amphilochi, quos Gallecia portionem facit Iustinus lib. xliii. *Cilini* vel *Cileni*, ut in alijs Exemplaribus scribuntur: Plinio; Κιλινοὶ Ptolemæo. *Celtici* Pomponio Melæ, circa Celticum Promontorium; Κελτικοὶ Ptolemæo; Κελτοὶ Straboni: eorum alteros *Nertas*, alteros *Præsammarcos* cognominat Plinius; vocibus Germanicis, quarum illa Inferiores Celticos notat, hæc admarinos & Oceano adcolas: habitarunt enim olim longe lateque loca illa Germani. *Tamarici* ad *Tamarin* fluvium, qui Τάμαρα Ptolemæo: hodieque *Tamar*. *Capori* Plinio; Κάποροι Ptolemæo. *Arotrebæ* Plinio; Ἀρτάβροι & Ἀροτρέβαι Straboni ad Artabrum Promontorium. *Lucentes* Plinio, Καλλαικοὶ Λουκήνσιοι Ptolemæo; ab his hodieque *Lugo* ad Minium amnem. *Zoelæ* Plinio, qui & *Zoelici Lini* facit mentionem. Alios alijs indagandos, suisque & certis locis sistendos relinquo. Amphilochi. Cileni. Celtici. Tamarici. Capori. Arotrebæ. Lucentes. Zoelæ.

Metro-

Metropolis *Compostella*. vel *Santia o* olim *Brigantium*.

Metropolis Galeciæ *Compostella*: ubi Corpus D. Iacobi religiose dicitur, à quo ipsa Vrbs, nonnullam etiam ab Academia sua celebritatem habens, hodie *Santiago*: *Brigantium* olim, uti censent Franciscus Tarapha, Ambrosius Moralis & Villanovanus. *Brigantium* autem dicitur Antonino; Dioni Βεργάντιον; *Brigantia* Orosio, qui ibi Pharum altissimam exstare addit: Ptolemæus cognomen addit, Φλαούιον Βεργάντιον. *Flavium* tamen *Brigantium* Beutero, Coquo & Io. Marianæ *Betanços* est; Floriano & Gomecio *Coruna*. *Compostellam* autem Io. Gerundensis Hisp. lib. I. dictam scribit, tamquam *Compotem Stellam*: sic enim appellatum fuisse Hesperum, Regionibus illis salubrem. Ego hoc in medio relinquo. Exstat Salmanticæ in Bibliotheca Collegij S. Salvatoris Historia Compostellana, in duos libros digesta jussu Didaci primi Archiepiscopi Compostellani: in quibus Primordia, Successus, Incrementa Ecclesiæ Compostellanæ late describuntur. Consulendus & L. Marineus Siculus de Rebus Hispaniæ lib. V. cap. de Sacris Ædibus & Locis in Hispania religiosis, miraculisque celebratis. Minorum gentium sunt *Orensium* ad Minium fluvium vrbs; ὕδατα θέρμα Ptolemæo, ut putat Gomecius in vita Francisci Ximenij; addens eam ab Suevis Germaniæ populis, qui quomdam hanc oram sibi subjugarunt, proprio idiomate *Warense* appellatam. Ortelius scribendum monet *Warmsee*, quod nihil aliud, quam *Calidus Lacus*; *Aquæ Cilinæ* dicuntur Antonino, ab *Cilinis* populis, credo. *Lucus* Latinis id in Galecia opidum, quod *Lugo* hodie dicitur; Λοῦκος Αὐγούστος Ptolemæo; *Turris Augusti* Pomponio; *Aræ Sextianæ* Plinio; Σηστίου etiam βωμοὶ, *Aræ Sestij*, Promontorium Ptolemæo ad Oceanum Cantabricum in Artabris. *Pons Vetus*, *Ponte Vedra*; Ἔλληνες Straboni, ut putat Io. Mariana. *Ribadeum*, vulgo *Ribadeo*; Δαουίνιον Cilinorum gentis Ptolemæo, ut vult Coquus. *Arzua*, *Araduca* Ptolemæo, judice Moletio; Florianus tamen opinatur esse *Aradutam* opidum illud, quod hodie *Gummarez*. Fuit ibidem & Ἴρια Φλαουία Ptolemæo; quæ *Padron* (*Patronium* Peregrinantibus notissimum) Clusio videtur & Morali (cui & alibi *Fuente ençalada*) quibusdam, inter quos L. Marineus libro III. *Sancta Maria in finibus Terræ*. Commemorat reliqua Opida idem L. Marineus Siculus initio libri tertij

Alia Opida. *Orensium*. olim *Thermæ Calidæ*.

Lucus, *Lugo*.

Pons Vetus, *Ponte Vedra*. *Ribadeum*, olim *Dadonium*, *Arzua*. olim *Araduca*. *Iria Flavia*, *Padron* hodie.

Galecia quando Regni titulum adepta

Galecia Regni titulum adepta est circa annum ab Christo nato CIↃ LX. Eo enim *Ferdinandus Sanctij* Majoris Regis Navarræ F. Rex Castellæ, quum Vxorem duxisset *Sanctiam* Alphonsi V. F. Veremundi III. Legionis Regis Sororem & heredem; sicque Regna duo Castellanum & Legionense uniisset, tres habens filios, *Sanctium* quidem Testamento Castellæ Regem; *Alphonsum* Legionis & Asturum; *Garciam* denique Galecię (quę ab Conjugis Majoribus adquisita Comitatus ad illud usque tempus fuerat) & Portugallię nominavit. *Sanctius*, Divisionis paternę impatiens, Fratres, *Alphonsum* quidem Regno deturbavit, *Garciam* autem occidit. Quum jam *Sanctius* circiter sex annos regnasset, & ab Vellido per fraudem esset obtruncatus, *Alphonsus*, qui Toleti apud Maurorum regem exsul vixerat, non solum Legionis, quod ex Patris voluntate obtinebat, recuperavit; sed & Castellę, Galecię, Portugallięque regna est consequutus. Alphonso tres liberi fuerunt legitimi ex totidem Conjugibus: ex Isabella quidem Francię Regina, *Sanctia*, nupta Roderico Comiti, qui novas Colonias duxit in Civitatem, quę vulgo *Ciudad Rodrigo*: ex Zaida Maura, Sibilię Regis filia, *Sanctius*, qui acie adversus Saracenos cecidit: ex Constantia denique *Vrraca*, quę Sanctio Sanctięque inprolibus superstes, post Raimundum Berengarium Tolosę Comitem, nupsit Alfonso Aragonię Regi; heredemque ex se reliquit *Alphonsum* VII. Regem omnium, qui ante ipsum fuerant, potentissimum, Hispanięque Imperatorem nuncupari meritum. Ab eo tempore Galecia unum semper habuit cum Castella Legioneque Regem & Principem.

CAP. XVII.

Asturia.

ASTVRIA.

ASTVRIA ad Septemtrionem habet Oceanum; ad Ortum, Biscaiam; ad meridiem, Castellam Veterem; ad Occasum, Galeciam. Auri, variorumque Colorum est ferax: alioquin parum culta maleque habitata; locis, quę ad mare, exceptis.

Veterum

Veterum hic sedes *Asturum*: qui sic dicti, ut scribit Isidorus lib. IX. Etymolog. cap. II. ab *Astura* (sic enim emendandum) Fluvio; cujus mentio etiam apud Florum lib. IV. Hist. Romanæ, & alios. Ab his ipsa Regio Ἀστυρία, Ptolemæo: Latinis *Asturia*, ut & antiquis Marmoribus: in quibus etiam *Astyriam* lego nominatam. Romæ in pavimento Sacelli, quod est ad templum S. Gregorij in Cœlio monte, Tabula contracta: Olim hic *Astures*.

ACONTII
L. RANIO. OPTATO. V. C. COS
CVRATORI. REIP. MEDIOLANENSIVM
CVRAT. REIP. NOLANORVM. PROCOS. PROVINCIÆ
NARBONENSIVM. LEGATO. AVG. ET. IVRIDICO
ASTYRIÆ. ET. GALÆCIÆ. CVRATORI. VIÆ
SALARIÆ. &C.

Quin & *Asturicam* video nuncupatam in Tabula Marmorea, quæ trans Tiberim Romæ legitur in domo Privata Civis Romani. Verba ponam ad Italiæ Delineationem, ubi de Alpibus Maritimis. *Asturias* hodieque. *Astures* Plinius lib. III. cap. III. dividit in *Augustanos* & *Transmontanos*. Illi cis montes versus Meridiem: hi ultra montes versus Septemtrionem ad Oceanum. De Asturibus Silius Italicus lib. I.

—— Astur avarus
Visceribus laceræ Telluris mergitur imis,
Et redit infelix effosso concolor Auro.

Asturum Equorum antea memini. Ipsorum Equitum, Romanis militantium, mentio in Monumento quod visitur ad primum ab Æmilia lapidem:

SEXTO. CLASENO. SEX. F. SEX.
NEP. SEX. PRON. CLV. ALLIANO
PONTIFICI. FLAMINI. VIC
TORIÆ. ET. FELIC. CÆSAR.
PERPETVO. PRÆF. COH
III. ASTVR. EQ. C. R. TRIB. LEG
II. ITALIC. &C.

Asturum Populos XII. fuisse, memoriæ prodit Plin. III. cap. III. In ijs, ut idem notat, erant *Giguri*, vitiose fortean, quum Ptolemæo sint Ἠγοῦρροι: *Pesici*; qui Ptolemæo Παίσικοι & alij. *Narbases* item, ut eos appellat Isidorus, hic habitarunt; qui Νάρβασοι Ptolemæo, ubi hodie inter Legionem & Ovetum, *Arvas*, *Forum Narbasorum* antiquis Scriptoribus; apud quos & Montes *Arvases*. Alios prætereo. quorum gentes, *Gigurri*, *Pesici*, *Narbases*.

Provinciæ Metropolis est *Ovetum*; quod, ut censet Moletius & Coquus, Λοῦκος Ἀστυρῶν Ptolemæo. Tarapha Βεργαίκιον Ptolemæi olim dictum putat; quod tamen potius *Briviesca* nunc esse monet Moletius, unde & *Brigæcini* Populi apud Ptolemæum. De *Oveto* multa Rodericus Toletanus lib. IV. de Rebus Hispaniæ cap. XVIII. ubi etiam exponitur, quam ob caussam *Civitas Episcoporum* fuerit nominata. Est & ibidem *Astorga*; quæ *Asturica* Plinio & Antonino: quorum ille *Urbem Magnificam* vocat; hic quatuor inde Itinera Consularia describit; priora quidem *Cæsaraugustam*, cum per *Betunciam*, cum per *Brigecum*; Tertium *Tarraconem*; quartum *Burdigalam* in Gallias. Ἀστούρικα Αὐγοῦστα Ptolemæo dicitur: *Coloniam* appellant Augusti Nummi. Metropolis *Ovetum*, olim *Lucus Asturum*. *Astorga* olim *Asturica*.

Cap. XVIII.

Legio.

Legio.

LEGIONI contregionales ad Boream, Asturia; ad Occidentem, Gallecia; ad Meridiem & Ortum fere, Castella Vetus. Nomen illi ab *Legione* VII *Germanica*, quæ hic olim (Nervæ Imperatoris principatu, ut quidam autumant) stativa habuit. Ioannes Gerundensis Paralipom. Hispaniæ lib. III, initio *Eleonam* dictam scribit ab *Elrona* Provincia Libyæ, propinqua Syriæ & Æthiopiæ, in qua, ne scilicet appellationis caussam ignoremus, maxima Leonum copia invenitur.

Sedes quondam *Vettonum*.

Hanc Hispaniæ partem qui hodie habitant, eos plerique fuisse volunt, qui *Vettones* Plinio; Ptolemæo, Straboni, Appiano Οὐέττωνες; *Vergones* male in Latinis Exemplaribus. *Vettonia* etiam mentio apud Prudentium. Hi populi, quo tempore primum in Romanorum venerant potestatem, quum quosdam Centuriones viderent deambulandi caussa hac illac se flectere, opinati eos (magnum hoc simplicitatis indicium) insanire, Duces se, ut refert Ælianus lib. II. Variarum cap. V. ad Tabernacula eis præbuere: putabant enim aut in Tabernaculo quiete sedendum, aut pugnandum esse.

Metropolis *Legio*, hodie *Leon*.

Metropolis, Vrbs illa clarissima Regioni cognominis, quæ Λεγίων ζ Γερμανική Ptolemæo; *Legio Gemina*, Antonino; *Leon* hodie vulgo; quod nomen, quur ab Leonogildo Gothorum Rege malit, quam ab Legione ipsa Franciscus Tarapha dirivare, mihi nondum liquet. Moralis tradit etiam *Sublantiam* olim dictam, adscribens ejus nominis vestigia etiamnum exstare in loco, qui sesquimilliari distans Legione, dicitur *Sollanço*. Consulendum moneo hac de re Thesaurum peritissimi rerum Geographicarum Abrahami Ortelij. Illud præterea minime omittendum suggerit Hieronymus Surita Cæsaraugustanus Commentario Antonini Augusti Itinerarium, exstare Auctores, qui ante CCCC annos id prodiderint, huic Vrbi quondam *Floris* nomen fuisse inditum. Præfectum Legionis VII Geminæ *Legione* constituit Scotus, Auctor Notitiæ Provinciarum. De Templo Legionensi sic scribit L. Marineus Siculus lib. III. de Rebus Hispaniæ: *Etsi Templum, quod ætate nostra Civitas Hispalensis ædificat, alia omnia magnitudine præstat; etsi Toletanum cunctis alijs divitijs, ornamentis & specularibus fenestris est illustrius; etsi denique Compostellanum fortioribus ædificijs & S. Iacobi miraculis, & rebus alijs memorabilius est: Legionense tamen artificio mirabili, meo quidem judicio, omnibus est anteponendum: in cujus Claustro Sacellum est, in quo jacent Reges septem & triginta, & unus Hispaniæ Imperator.*

Illud

Illud autem memoria dignissimum est, quod ab hac Vrbe cœperit circa annum IɔccxvI Recuperatio Hispaniæ, quam totam fere Maurorum & Saracenorum gens occuparat. Pelagius enim, ut cum alijs referunt Rodericus Toletanus lib. de Rebus Hispaniæ vi per multa capita, & Rodericus Sanctius part. I. Hist. Hisp. cap. xI, ex regio Gothorum sanguine, Fafilæ Cantabriæ Ducis filius, ab Christianorum, qui in Montes Asturiæ confugerant, reliquijs Rex consalutatus, magna strage Maurorum edita, vix Regnum orsus, hosti Legionem eripuit; ibiq; sedem sui principatus figens, novum Castellum, quasi propugnaculum adversus Barbarorum vim & incursiones, exstruxit; unde *Comites* deinceps *Castellæ* dicti, de quibus postea: rejectis autem Gothorum Regum Insignibus Leonem sumsit Rubrum in albo Campo ferocientem; quo hodieq; Reges Legionenses utuntur. Pelagium in Regno sequutus est Fafila filius: hunc autem Improlem Alphonsus Catholicus, Petri Cantabriæ Ducis filius, ex genere Ricaredi Catholici Gothorum Regis oriundus: qui uxorem duxerat Ormisendam Fafilæ Sororem unicam & hæredem. In Alphonsi familia posterisq; Legionis principatus mansit usq: ad Veremundum, Regem Legionis xxIv: quo, anno cIↄ. xx sine successore defuncto, Sanctia Soror, Ferdinando Navarreo, de quo dixi cap. xvI, Castellæ Regi nupta Legionense Regnum ad Castellanum transtulit.

Ianuam rursum aperuit recuperandæ Hispanis libertatu.

Reges Legionis & Asturum.

Cap. XIX.

Castella Vetus.

CASTELLAM (cui nomen ab Castello, quod Pelagius Rex, Legione ab Mauris recuperata, ut Propugnaculum, contra hostes exstruxerat) duplicem faciunt Hispaniarum Delineatores, *Veterem* & *Novam*. VETEREM circumdant ad Boream Asturia & Biscaia; ad Occasum Portugallia; ad Meridiem Castella Nova, Montibus qui fere per Longitudinem Hispaniæ incedunt, intercurrentibus; ad Ortum Aragonia & Navarra.

CASTELLA VETUS.

Fuerunt hic olim cum alijs Populi *Carietes*, ut eos vocat Plinius in Conventu Cluniensi: de quibus & Vetus Brixiæ Inscriptio; Vestigia exstant in *Ciria* opido, ut Pineto videtur: μυρβόγοι, quos nominat Ptolemæus: *Pelendones* Plinio, πελένδονες Ptolemæo; ubi hodie *Medina Cœli*, *Reuilla del Campo*, *S. Pedro d'Arlança*, *Salas*, ijsq; viciniora opida, scribētibus Pineto & Floriano: *Vaccæi* Plinio, οὐακκαῖοι Ptolemæo, Βακκαῖοι Stephano: *Arevaci* Plinio, Α'ρευάκοι Straboni, Α'ρευάκαι Ptolemæo; Α'ρευάκκοι Appiano Alexandrino; *Arbachi* corrupte Auctori de VV Illustr. cap. LxI: Memoria *Arevacorum* servari videtur in Pago *Aravacca*, qui tribus passuum millibus distat Madrito Septemtrionem versus: Navagierus putat Vrbem *Arevalo* nomen antiquum *Arevacorum* retinere: eorum Vrbem

Hic quondam *Carietes*, *Murbogi*, *Pelendones*, *Vaccæi*, *Arevaci*.

bem hoc tempore *Marquesiam* dici colligit ex antiquis ruinis Carolus Clusius: *Arevacis*, inquit Plinius lib. III. *nomen dedit Fluvius Areva* (hodie *Eresma* nominatur Navagiero in Itinerario, quod Italica lingua conscripsit.) *Horum sex Populi, Seguntia & Vxama: quæ nomina crebro alijs in locis usurpantur: præterea Segovia & Nova Augusta, Termes ipsaq; Clunia.* Eædem Vrbes in *Arevacis* recensentur à Ptolemæo: cui, ut & Appiano τέρμισον, quod Plinio *Termes*, à quo *Termestini* apud Sallustium; *Hi Saltibus* inquit *occupatis Termestinorum agros invasere:* sic emendat V. CL. Iustus Lipsius, commentario ad lib. IV Annalium Taciti, quum antea corrupte legeretur, *tum externorum agros. Termestinorum* etiam & *Termestinæ nationis* mentionem facit Tacitus libro, quem indicavi.

Termestini;

Metropolis *Burgum* vulgo *Burgos*, olim *Bravum*.

Metropolis Veteris Castellæ *Civitas Burgensis*, vulgo *Burgos*. Βραῦον putatur Ptolemæo. Vrbs antiquissima, multisq; rebus insignis, & inter primarias Hispaniæ merito referenda; CL. sub se habens minorum gentium oppida; magnis, pulchris, commodisque ædificijs passim adornata; Foris venalibus, Plateis, Vicis, Pontibus, Templis, Cœnobijs, Amnibus exculta; ob incredibilem Incolarum cujuscumq; ætatis, sexus, conditionis, industriam & diligentiam memoranda. Laudat eam lib. III de reb. Hisp. L. Marineus Siculus; qui & ibi multa de Monasterio Monialium, quod *Huelgas* vulgo, ejusque divitijs & ampla Iurisdictione. Scribunt nonnulli hanc Vrbem olim nomen etiam habuisse *Masburgi*; quorum auctoritate freti, nescio: nisi fortean ex lecto parum caute Ptolemæo, qui *Bravum Mourbogis* adcenset: ex *Mourbogis* enim *Masburgum* arbitror exstructum ab ijs, qui parum Græce noverant. Circumdant suam Metropolin jucundissimo commodissimoque situ: *Palencia* ad Carrionis marginem sita: *Palantia* Plinio & Pomponio Melæ: Παλαντία Ptolemæo & Appiano; Παλλαντία Straboni; *Peralancia* corrupte apud Antoninum. Hanc alij Vaccæorum, alij Arevacorum opidum faciunt. Strabo: τῶν δ' Ἀρεϐακῶν ἐστι καὶ Σέγιδα καὶ Παλλαντία; nam statim ab eodem auctore Vaccæorum fit mentio. A Palantia *Palantini* apud Frontinum de Limitibus Agrorum; male in Vulgatis Codicibus *Palatini*: ab eadem *Palantini Campi* Orosio, qui item *Gothici* nuncupati, quæ nunc *Regio Gothorum* dicta. *Palantiam* ab Rege Hispaniæ Palatuo conditam quidam fabulantur. Hic olim Academiam fuisse volunt, quæ nunc Salamanticæ. In Palantina Diœcesi Sacerdotia Gentilitia, quæ *Iuris-Patronatus* vocant, quadringenta esse memoriæ prodit Marineus Siculus lib. III de Reb. Hispaniæ. *Valdoledum*, Sedes olim Regia; locus in amœnissima Pisuergæ ripa, non Hispaniæ solum, sed Europæ totius pulcherrimus; cui quæ Vrbs anteponatur, non invenitur: agro beatus fertili Frugum, Animalium, Vini, omnisque generis fructuum: Forum ibi pulcherrimum amplissimumque; cujus ambitus IↃ CC passuum: quumque multis alijs de caussis hoc opidum valde sit nobilitatum, multo tamen magnificentius illud reddidit inlustrissimus Philippi Regis Hispaniarum ortus. Vulgo *Valladolid*: quod *Vallem Oleti* sunt qui interpretantur. Πίντια Ptolemæo, *Pintia* Antonino, ut censet Carolus Clusius. Videndus tamen Hieronymus Surita ad Antonini Itinerarium, qui notat multo plura milliaria *Valle Oleti Raudam* (ea autem *Aranda* ad Durij ripas est) interesse, quam isthoc itinere proponuntur ab Antonino *Pintia Raudam*: *Vallem* enim *Oleti* dextrorsus per aliquot milliaria derelinqui. *Simanca*, Antonino *Septimanca*. *Camora*, Ptolemæo Σαραβρὶς, ut Clusio videtur: quæ vitiose *Sabaria* apud Antoninum: *Sarabrim* tamen esse putant Florianus del Campo & Gomerius opidum illud, quod vulgo vocatur *Toro*, Latinis *Taurus*, ad Durium fluvium. Non autem postremi hic visitur loci *Salmantica* Antonino, Σαλμαντίκα Ptolemæo, Σαλμάτις Polyæno lib. VII de Annibale: *Salamanca* vulgo. Hinc *Salmaticensis* apud Iulium Frontinum de Limitibus Agrorum; & in vetusto lapide, qui in templo ibi S. Pelagij.

an etiam *Masburgum?*

Aliæ Vrbes & Opida: *Palencia*, olim *Palantia*;

Valdoledum, olim, ut quidam volunt *Pintia*;

Simanca, olim *Septimanca*, *Camora*, olim *Sarabris*,

Salmantica hod. *Salamanca*,

D. M. S
L. IVLIO. CAPITONI
SALMANTIC
ANN. LXX
IVLIA. RVSTICILLA
SOROR
PIENTISSIMA
F. C
H. S. E. S. T. T. L

Salmati-

Salmaticenses proprie *Vicanos* dici scribit Aggenus Vrbicus. *Salmanticam* à Salaminis & Atticis, Græciæ Populis, conditam notant Ioannes Gerundensis Paralip. Hispan. lib. II, ubi de Adventu Teucri & aliorum Græcorum in Hispaniam, deque Vrbibus ab ijs conditis, & Ioannes Vasæus Hispaniæ Chronico ad annum post Diluvium CIↃ CXXXIX. Clarissimam habet hæc Vrbs Academiam, varijs Pontificum Regumque Privilegijs ornatam, Disciplinarum omnium genitricem: à qua omnes fere Hispaniæ Vrbes & Populi, tamquam à Domina, Leges petunt & Iura. Hinc Consiliarij, Theologi, Iurisconsulti, Medici, reliquarumque Scientiarum Magistri in varias Hispaniarum Provincias & Regna peti proficiscique consueverunt. Iura ibi sunt professi Didacus & Antonius Covarruviæ; uti ipse Didacus in Varijs Resolutionibus testatur, non uno loco. Dominicus à Soto lib. I. de justitia & jure suam vocat Academiam. Haud procul hinc ad fluvium, qui vulgo *Gada*, *Civitas Roderici* Comitis, de quo dixi cap. XVI, *Ciudad Rodrigo*; quæ, ut putant Vasæus & Clusius, Μυροβριγα Ptolemæo, Celticorum opidum in Lusitania; à quo *Mirobrigenses Celtici* apud Plinium, quos Civitatis ejusdem Incolas interpretatur Iacobus Delgadus, quasi *Rodrigo* corruptum esset nomen ex *Mirobriga*. Tendentibus hinc versus Meridiem occurrit *Coria*, *Caurita* quondam, ut scribit, nullo nominato auctore, Clusius: *Cauriam* ab Latinis Iunioribus appellari tradit Andr. Schottus. Cauriæ versus Ortum ad nonam circiter Leucam est *Placentia*, vrbs pulcherrima; cujus Citria, ceterique Arborum fructus, nec non Panis candidissimus maxime solent commendari & experti: *Plazençia* vulgo. *Ambrocium Pagum* ibi quondam fuisse scribit Ioannes Mariana de Rebus gestis Hispaniæ. Habet Placentia sub sua ditione Opida amœnissima, in quis est *Xavahicium* Nemoribus superbiens, & *Pisaro* in Convalle jacens, velut altare, ut Marineus notat in Testudine templi. Montes Placentiæ adjacentes ab ipsa Vrbe *Vera de Plazençia* cognominantur. Quæ *Avila* hodie, Ptolemæo Ἄβυλα nuncupatur, ut vult Clusius. Haud procul fontibus *Arevæ*, cujus antea memini, *Segobia* jacet, quæ Plinio & Antonino *Segovia*, ut hodieque, Ptolemæo Σεγουβία. Sunt vetustissimi Nummi ærei, qui ex vna parte Caput decora facie juvenis præferunt, cum litteris ad sinistram C, dextram autem I; ex altera vero Viri effigiem cum hasta, celeri impetu velociter equo currentis, subscripta pedibus SEGOVIA. Vrbs est lanificio & Aquæductu visendo Romani operis nobilis: in qua, ut Vasæus scribit, illud memorabile, quod illic nemo conspiciatur ociosus, nemo mendicus, nisi qui per ætatem aut morbum opus facere non possit: quum nulli desit, unde victum quærat, aut in quo se exerceat. Quæ nunc *Aranda* ad Durium flumen, Ῥαῦδα Vaccæorum urbs est Ptolemæo in Hispania Tarraconensi; *Rauda* Antonino ex emendatione Hieronymi Suritæ; nam antea *Raudaclunia* cum altera mansione mista legebatur. *Raudam* etiam Regum Legionensium tempore vocatam fuisse constat ex Vetusto Exemplari, in quo descriptæ leguntur ab nescio quo Auctore Res ab Legionensibus gestæ. In eo ubi de Ranimiro Legionensi Rege, qui Cæsaraugustam Saracenis vi eripuit, hæc inter alia commemorantur: *Tunc temporis populavit Rodericus Comes Amaiam. Didacus etiam Comes populavit Burgis per jussionem Regis. Populavit etiam Munio Muniæ Raudam, & Gondisalvus tollit Exomam, & Gondisalvus Ferdinandi Axiam, Duniam* (emendandum *Cluniam*, de qua paullo post) *& S. Stephanum*. Quæ incerto scriptori *Exoma*, *Vxama* Plinio est, qui addit nomen hoc crebro alijs in locis vsurpari: cognomen adscribit Ptolemæus; cui οὔξαμα ἀργαίλαι vocatur, Arevacorum urbs: *Vxsama* per S. in antiquo marmore legitur: *Osma* hodie dicitur. Reliquas nominatis à me adponendas Curiosioribus relinquo.

Civitas Roderici, vulgo Ciudad Rodrigo, olim Mirobriga.
Coria, olim Caurita.
Placentia, vulgo Plazençia.
Avila olim Abula.
Segobia nomen retinens.
Aranda olim Rauda.
Osma, olim Vxama.

Fuerunt olim hic etiam aliæ Vrbes nobilissimæ; sed quæ vel dirutæ, vel tantam passæ calamitatem, ut de loco certo parum constet. Inter eas principem facile locum tuebatur *Numantia*, totius quomdam Hispaniæ robur, fortiumque Militum genitrix; *quantum*, inquit Florus lib. II. histor. Rom. cap. XVIII, *Karthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior, ita Virtutis nomine & honore par omnibus, summumque, si viros æstimes, Hispaniæ decus: quippe quæ sine Muro, sine Turribus, modice edito in tumulo apud flumen Durium situata, quatuor millibus Celtiberorum XL. millium exercitum per annos XIV sola sustinuit: nec sustinuit modo, sed sævius aliquanto perculit, pudendisque fœderibus adfecit. Novissime quum invictam esse constaret, opus quoque eo fuit, qui Karthaginem everterat.* Bellum

Vrbes Castellæ Veteris dirutæ:
Numantia.

Numantinum, Resque ab Numantinis contra Romanos variosque eorum Duces, præcipue vero P. Cornelium Scipionem Africanum, per annos XIV, vel ut Strabo XX, gestas describunt L. Iulius Florus loco, quem dixi, & Epitomis librorum Livij LV quatuorque sequentium, Appianus de bello Hispan. Eutropius lib. IV, Paterc. lib. II, Strabo lib. III, Valerius Max. lib. VII. cap. VI, Auctor de VV. Inlustr. cap. LVIII, Veget. lib. III cap. X. Orosius lib. V. cap. VI. Augustinus lib. III de Civit. Dei, cap. XXI, & alij. Deleta est anno ab V. C. Iↄ CXXI, P. Mucio Scævola & L. Calpurnio Pisone COSS. De Interitu ejus fama duplex. Alij Cives ipsos ad incredibilem famem, humanarumque Carnium Dapes & ipsissimam Desperationem adactos Se, Patriamque ferro, veneno, subjectoque undique igne peremisse produnt; ne quid præter nudum nomen Victoribus esset, quo triumpharent: Alij à Scipione deletam narrant, etiam sine Senatus auctoritate; vel quod Victor id è republica esse censeret, vel quod natura crudelis in eos esset, quos vi caperet; vel certe quod maximis urbium eversionibus clarius se nomen suum esse redditurum putaret: sane ab Vrbe debellata *Numantini* cognomen sibi sumsit, testibus Auctore de VV. Inlustr. & Plinio lib. XXXIII natur. hist. cap. XI, ubi & de Scipionis Triumpho. Tanti erat Numantia victa momenti, ut mox Scipio reliquam Regionem in fidem acceperit; ceterasque, quæ defecerant, Civitates Hispaniæ, partim vi, partim deditione in potestatem suam redegerit. Agri Numantinorum, post eam Victoriam, Vrbibus vicinis sunt distributi. Νυμαντία Ptolemæo & Græcis, Νομαντία Stephano inter Arevacos & Durium flumen: *Garrai* hodie, ut vult Ambrosius Moralis; *Soria*, ut033Tarapha & Antonius Nebrissensis lib. V. Dec. I. cap. IV; Haud procul *Soria* fuisse, censet Clusius; quatuor millibus supra *Soriam* ad Garai pontem non longe ab ortu Durij fluminis rudera Numantiæ monstrari notat Ioannes Mariana lib. III. cap. I. Plinius lib. III. nat. hist. cap. III *Numantinos* Pelendonibus, Celtiberorum populis, attribuit; Ptolemæus Arevacis. Strabo *Numantiam* ab Cæsaraugusta abesse perhibet stadijs octingentis: quorum rationem cum numeris Mansionum, quæ apud Antoninum sunt in Itinerario, conferre non oportet: quod apud hunc viæ per Diverticula quædam Mansionum sæpe ducantur. *Numantiam* quasi coronabant præsignes

Graccurris. aliæ Vrbes. *Graccurris* Antonino, Γρακυρις Ptolemæo, *Gracuris* etiam nonnullis. *Graccurrim* scribi debere complures ærei nummi testantur; ex quibus unum profert Surita cum hac Inscriptione TI. CÆSAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS; in aversa autem facie cum Tauri effigie mitrati, infra cujus pedes GRACCVRRIS. *Agridam* hodie appellari opinantur Clusius & Moralis: subdubitat Antonius Augustinus an sit *Grail*. *Grachurim* Iberæ Regionis Vrbem antea *Illurcim* denominatam tradit Festus lib. VII de verbor. signific. Plinius *Cascantenses*, *Ergavicenses* & *Graccuritanos* Cæsaraugustanum conventum adire memorat. *Graccurrim* a Ti. Graccho conditam dictamque ex Epitoma Liviana lib. XLI patet: *Ti. Sempronius Gracchus*, inquit, *Proconsule Celtiberos victos in deditionem accepit: monimentumque operum suorum Graccurrim opidum in Hispania constituit.* Strabo perhibet Polybium prodere trecentas Celtiberorum Vrbes à Ti. Graccho esse subversas, quod ritu Comico in Ti. Gracchi gratiam dictum intelligi vult ab Auctore, qui Turres *Vrbes* appellavit, ut in Trium-

Turiaso. phalibus Pompis fieri solitum. *Turiaso* Antonino, Τυριασὼ Ptolemæo; urbs olim celebris, quam *Taraconam* hodie dici volunt Clusius, Florianus & Varrerius; alij aliam censent. Surita duos profert Nummos: in quorum uno Capitis Feminæ visitur effigies, cum hac Inscriptione SILBIS, quod Numinis alicujus videtur esse nomen; in aversa facie Viri equitantis imago, protenta dextera, habitu Pacificatoris; & infra equi pedes TVRIASO: in altero Augusti facies cum Inscriptione IMP. AVGVSTVS P. P. & in aversa parte, in media Coronæ Civicæ area MVN. litteræ, quæ Municipium fuisse docent: sub corona denique TVRIASO: à qua

Augustobriga. *Turiasonenses* apud Plinium. *Augustobriga* Antonino, Αὐγουστόβριγα Ptolemæo Pelendonum urbs: opidulum esse, quod hodie *Aldea el muro* vocant, tradit Ambrosius Moralis: ruinas ejus in opido *Muro* VIII M. P. supra Vrbem Agredam conspici notat Hieronymus Surita: qui & lapides *Augustobriga* mentionem facientes producit, anno Cꟾↄ Iↄ XLVII Via Consulari inter eamdem urbem & Numantiam erutos: quorum

r in

I in Ecclesia Vici, quem *Pozo* vocant, ante fores:

.·.·.·.·. CÆSAR
CLV .·.·.·.·.
PONTIFE .·.·.·.·.
P. XXX .·.·.·.·.·.·.·.
.·.·. AVGVSTOBRIGA
M. VIIII

II supra Vicum *Pozo* Numantiam versus, in media via:

IMP. CÆSAR NER
VA. TRAIANVS
AVG. GER. PONT. MAX.
TRIB. POT. PP. COS. III
FECIT. AB. AVGVSTOB
M. P. X

Clunia,

Clunia, cujus meminerunt Plinius lib. III, cap. III, & Suetonius in Galba cap. IX: Plutarcho in Galba; Dioni lib. XXXIX, & Ptolemæo Κλουνία vocatur, Arevacorum opidum: hodie, ut volunt Antonius Nebrissensis, Clusius & Florianus, *Coruña*; ut alij, *Cruña*. *Coruña* hæc cognominatur *del Conde* ad differentiam ejus, quæ est in Galecia. *Cluniam* corruptam esse ex *Colonia* verisimile est. Nam *Colonia Sulpicia* dicitur in Nummo Galbæ. Nebrissensis Comitem illius opidi *Cluniacensem* appellat. Vasæus *Corunnam* non vere *Cluniam* esse, sed quæ olim *Clunia*, fuisse ab *Corunna* quarta Leucæ parte docet; ibique esse antiquæ Vrbis vestigia, & Sacellum D. Virgini sacrum, appellarique *Castro*. Exstant ibi Amphitheatri aliæque Antiquitatum reliquiæ: quin & Sigillum *Conventus Cluniensis* (tam enim celebris fuit olim *Clunia*, ut multarum Civitatum Conventus illi fuerit adtributus, de quo dixi cap. IX) ante aliquot annos repertum, penes Comitem Cluniensem hodie adservatur. *Segisamunclum* Antonino; Σεγισαμόνκουλον Ptolemæo; Σεγισαμα Vaccæorum urbs Straboni; *Segisamonenses* Plinio: hodie, ut videtur Pineto, *Segura*; ut Garybaio, *Veiçama*. Alia item Σεγίσαμα Ἰουλία Ptolemæo est; unde *Segisameiulienses* apud Plinium; ea *Segesamo* simpliciter nominatur Antonino. Haud procul Palantia stetit floruitque *Intercatia*, nota cum Geographis Straboni & Antonino; tum alijs scriptoribus, ut Polybio, Appiano, Auctori de V V. Inlustribus, & alijs. Ptolemæus duas habet *Intercatias*, unam in Orniacis, alteram in Vaccæis. Hinc *Intercatienses* apud Plinium lib. XVIII. Ex horum numero fuit, quem singulari certamine Provocatorem superavit P. Cornelius Scipio Æmilianus. Epitoma Liviana lib. LXVIII: *Vaccæos Cantabros & alias adhuc incognitas nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus L. Paulli F. Africani N. sed adoptivus, Provocatorem Barbarum Trib. militum occidit: & in expugnatione Intercatiæ Vrbis majus etiam periculum adijt.* Ita in MS. legitur. Librariorum imperitia *Intercatiæ* vocem *Interceptæ* substituerat. Sic Plinius libro XXXVI cap. I: *Est apud auctores & Intercatiensem illum, cujus patrem Scipio Æmilianus ex Provocatione interfecerat, pugnæ ejus effigie signasse, vulgato stilo, plerumque Incommodum valere aliquid: non enim hoc fuisse acturum eum, si Scipio à Patre ejus interemtus esset.* Adeundus & Auctor de VV. Inlustr. cap. LVIII. Marmor Intercatiensi positum in radice turris Ecclesiæ D. Mariæ, cognomine *de Rebilla*, extra Cruniam, legitur apud Hieronymum Suritam doctissimis in Antonini Itinerarium Emendationibus. Pluribus commemorandis, ne molestus sim Lectori, supersedebo.

Segisamunclum,
Segisama Iulia.
Intercatia.

Castellæ Regum initium.

Castellæ porro Regno tale legitur fuisse initium. Pelagius, ut capite XVIII ex probatissimis Veterum scriptorum monimentis narravi, erepta rursum Mauris Legione, Castellum quasi Propugnaculum adversus Barbarorum vim exstruxerat: cui qui Præfecti, *Comites Castellæ* nuncupati, Regem Legionensem, ut Principem, diu agnoverunt usque ad Ordonium II, decimumquartum Asturum Legionisque Regem: qui quum Comites Procereſque Castellæ per speciem Colloquij ad se evocatos obtruncasset, Castellani pessimo scelere indignati, projecto Regum Legionis jugo, ex suo corpore duos, ut Rodericus Sanctius scribit Parte I Histor. Hispaniæ cap. XI. & part. III multis capitibus, elegerunt Iudices Nunium Rasuram & Lainum Calvum; unum, qui Iuridicundo, alterum qui rebus Bellicis præesset: quorum Liberi horumque Posteri (indicati ab Alphonso Karthaginiensi in Regum Hispan. Anacephal cap. LXX.) *Comites Castellæ* sunt appellati usque ad Sanctium Majorem Navarræ Regem, qui quum bello fortis Cordubam & Toletum Saracenis eripuisset. Mauros omnes Navarra, Aragonia, Castella, Legione, Portugallia, alijsque Hispaniæ locis exturbasset, totamque Hispaniam Christiano Nomini restituisset, ducta Elvira Sanctij Castellæ Comitis filia, Garsiæque postremi Comitis

Sorore & ex Asse herede, Se dotis nomine non Comitem, sed Regem Castellæ scripsit, Regnumque ad Ferdinandum Filium, Legionis etiam Regno per Coniugem Sanctiam, ut capite XVI dixi, locupletatum, transmisit. Ferdinando successit Filius Sanctius; huic Frater Alphonsus; cujus Filia Vrraca (nam Stirps mascula obierat) quum, post Raimundum Berengarium Tolosæ Comitem, Alphonso Regi Aragoniæ nupsisset, Aragoniæ, Castellæ & Legionis Regna fuerunt unita. Videndi & Rodericus Toletanus de Rebus Hispaniæ lib. VI, cum alijs, tum præcipue cap. IX, & Ioannes Vasæus Hispaniæ Chronico ad annos IↃCCCXCVI, IↃCCCXVIII, CIↃXI, & alios.

CAP. XX.

Castella Nova.

Castellae Novae.

CASTELLA NOVA, ad Septemtrionem adhærens Veteri, reliquis lateribus clauditur Portugallia, Extremadura, Andaluzia, Granada, & Valentia. Abundat Tritico alijsque Segetibus, ad utramque Tagi ripam sita.

quomdam incolæ Carpitani,

Nobilitarunt quomdam hanc Hispaniæ partem *Carpitani*, Καρπιτανοὶ Ptolemæo; Καρπητανοὶ Straboni: quos etiam Villanovanus & Moralis *Regnum Toletanum* interpretantur: Καρπησίους vocat passim Polybius; ut & Livius: apud quem etiam, ut item apud Plinium, *Carpetania* legitur *Regio*. Horum pars videntur fuisse *Caraccitani*, vel, ut Plutarch. nominat Χαρακιτανοὶ; quum eorum Vrbs Κάρακκα ponatur à Ptolemæo in Carpitanis. *Consaburenses* Plinio, ubi hodie, scribente Morali, *Consuegra*, florentis quomdam Vrbis servans etiamnum ruinas; vel, uti placet Pineto, *Contabra*: Non abludit etiam nomen opidi *Cosarubios*: *Consabrum* Antonino scribitur inter Laminium & Toletum. *Laminitani* Plinio: quos Pinetus *Alambra* vertit: Horum Ager, *Liminitanus*, ubi Anas oritur; P. Methymnæo & Clusio, *Campo de Montiel*: *Mancha d'Aragon*, Varrerio; *Manchaçiega*, Coquo: *Laminium* in Carpitanis nobile quomdam opidum à Ptolemæo locatur: eius mentio est & apud Antoninum: *Cotes Laminitanas* ex Hispania Citeriore invenio apud Plinium nat. historiæ lib. XXXVI, ubi male *Flaminitanæ*: *Laminiobrensem* Episcopum cum alijs Hispaniarum Præsulibus subscripsisse Concilijs quibusdam lego. *Oretani* Ὠρητανοὶ Ptolemæo & Straboni; *Germani* Plinio: unde Vrbs eorum Ptolemæo Ὤρητον Γερμανῶν; Stephano simpliciter Ὠρισία, Straboni fortean inemendatius Ὠρία: hodie *Oreto*, ut scribit Moralis: Clusio tamen *Oretum* est *Calatrava*. Quum vero magna veteris Lusitaniæ portio versus Ortum hodie Castellæ cum Veteri, tum Novæ adcreverit: putantur & nonnulli eius Populi habuisse loca illa, quæ in Occidentalioribus sunt Castellis, ubi Portugalliæ adhærent: præcipue vero quos Vetus loquitur Inscriptio stipem contulisse Ponti, qui Norbæ Cæsariæ (hodie *Alcantara*) perficiendo; in cujus arcu Tabulæ quatuor marmoreæ quondam fuerunt; quarum una hæc superest, verba, quæ sequuntur, præferens:

Caraccitani, Consaburenses. Laminitani, Oretani,

MVNICIPIA
PROVINCIAE
LVSITANIÆ. STIPE
CONLATA. QVÆ. OPVS
PONTIS. PERFECERVNT
ICAEDITANI
LANCIENSES OPIDANI
TALORI
INTERANNIENSES
LANCIENSES. TRASCVDANI
ARAVI
MEIDVBRIGENSES
ARABRIGENSES
BANIENSES
PAESVRES

Icæditani, Lancienses Opidani, Talori, Interannienses, Lancienses Trascudani, Aravi, Meidubrigenses, Arabrigenses, Banienses. Pæsures.

Icæditanorum, quos habet Marmor, memoriam servari notat Ioannes Vasæus in obscuro Vico *Edania*: Varrerius scribit vulgo *Idanhas* dici, & nova voce Latina *Odoniam*: Morali est hodie *Idania la veja*. Quod ad *Lancienses Opidanos*, Λαγκία Ὀππιδάνα est apud Ptolemæum in Lusitania: *Lancia* item apud Dionem libro LIII, & Orosium lib. VI. cap. XXI: *Lancienses* etiam *Ocellenses* appellatos scribit Plinius; Ptolemæo tamen *Lancia* & *Ocellum* diversa sunt opida Vettonum: cognominantur & *Trascudani* in Lapide. *Meidubrigenses*, apud Plinium V cap. XXII sunt *Medubricenses Plumbarij* cognominati (ad quorum differentiam, ignoro) ab *Medobriga*, quæ Lusitaniæ urbs A. Hirtio; *Armeña* hodie Vasæo. *Arabrigenses* ab *Arabriga*, Ptolemæo Lusitaniæ urbe;

urbe; *Rabida*, Ariæ Montano, vel, ut legit Varrerius, *Arrabida*. De *Taloris*, *Interannienſibus*, *Aravis*, *Banienſibus* & *Pæſuribus* præterea nihil reperio. *Interamnum* quidem & *Lancia* ſunt in Aſturia: quorum illud *Ponferrada* Coquo eſt, Morali *Fuente Encelada*; hæc autem maxima Aſturiæ Vrbs Floro lib. IV: ſed remotiora hæc oppida, quam ut ad Occidentaliores Caſtellas pertinere poſſint. Alij proculdubio tam in Veteri, quam Nova Caſtella fuerunt olim populi, ſed quorum memoria periit.

Metropolis Caſtellæ Novæ *Toletum*, ut Latini vocant; Τώλητον Ptolemæo: hodie *Toledo*. *Toletanos* nominat Plinius: *Colonia Toletana* eſt in Nummis Auguſti apud Hubertum Goltzium: Serezolam etiam ſcribit appellatam fuiſſe Villanovanus ad Ptolemæum. De Conditoribus, nunc Hercule, nunc alijs, quæ adferuntur, fabuloſa magis ſunt, quam vera. Centrum eſt & quaſi umbilicus Hiſpaniæ: Situs clivoſi, inæqualis, & aſperioris, aſcenſus ambulationiſque difficilis. Majorem partem adluit & contra hoſtes tuetur Tagus: qua Arcticum ſpectat Polum, muris munitum eſt validiſſimis Turribuſq; CL; quarum auctorem memorant circa annum IↃCCLXXIII Bambam Regem, quem etiam hos Verſus in Turri quadam, nitido lucidoque marmore, inſculpendos curaſſe, ſcribunt Rodericus Toletanus Archiepiſcopus lib. III, de reb. Hiſpaniæ cap. XI, & in Chronico Ioannes Vaſæus: *Metropolis Caſtellæ Novæ Toletum.*

EREXIT, FAVTORE DEO REX INCLYTVS VRBEM
BAMBA, SVÆ CELEBREM PROTENDENS GENTIS HONOREM.

Viſuntur hodie extra Muros Septemtrionem verſus Theatri magni, ſed diruti, complanatique rudera. Nobilium ingens in hac Vrbe numerus: Cives admodum ſunt induſtrij: Diſciplinis omnibus (Academiam enim habet florentem) Artibuſque Mechanicis magnus ibi honos: Lanificio Sericoque vitam quærunt hominum millia fere decem. *Vrbis Regiæ* cognomen adeptum eſt Toletum poſt adventum Gothorum, qui ſedem Regni illuc transtulerunt, quum antea, ut Rodericus Toletanus tradit, ab Vandalis, alijſque Germaniæ populis, qui una in Hiſpaniam commigrarant, Hiſpalis Vrbs Regia & vocata fuerit & habita. Cum alijs ampliſſimis ædificiis, tum templo nobilitatur auguſtiſſimo, pulcherrimo, ditiſſimo: cujus Archiepiſcopum Vrbanus II. Pont. Max. Hiſpaniæ totius inſtituit Primatem. Eſt idem ſecundus ab Rege, maximuſque Regni Cancellarius: quo inconſulto, nihil fieri ſolitum, nihil decerni. Sententiam ſtatim dicit poſt Regem: tantæque eſt non ſolum dignitatis & auctoritatis, verum etiam potentiæ, ut ſub ſe præter pagos infinitos opida celebria habeat ſeptemdecim, exque iis aliiſque Vectigalibus Reditum annuum ducentorum millium Ducatorum: quæ quum Regibus parum grata, Viri plerumque, ut Rerum Hiſpanicarum Scriptores produnt, mediocris quidem fortunæ paucorumque Clientum, ſed qui Virtutis Probitatiſque ſpectatæ, ad hanc dignitatem ex inſtituto Ferdinandi & Iſabellæ Regum evehuntur. Multa Toleti Concilia leguntur celebrata: certe ultra XVII numerantur, quot alibi nuſquam. Eſt ibi celeberrimum Palatium ab Carolo V. reſtauratum, noviſque ſtructuris regio adparatu exornatum: in quo, præter alia multa ſingularia, Machina viſitur hydraulica, miro Italorum ingenio fabricata, quæ ex Tago flumine, opera magnæ verſatilis & excavatæ rotæ, Aquas in Fiſtulas & Tubos per Canales in ſummitatem Arcis & Montis artificioſo impetu cogit & impellit; ubi unum in locum & amplum receptaculum collectæ in varios Arcis Vrbiſque totius uſus dilapſæ diſtribuuntur; quæ rivulos deinde & fontes Hortis, Magnatum ædibus, Balneis, Fullonibus, Civiumque neceſſitatibus abunde ſuppeditant. Pons ad Vrbem eſt ſuper Tagum, quem unus Arcus opere mirando ſuſtinet. Deſcribunt *Toletum* Gomecius lib. VI de rebus Iacobi Aragoniæ Regis, Navagierus in Itinerario, Petrus Medinenſis, L. Marineus Siculus lib. II. de Rebus Hiſpaniæ, ubi de Luſitania. Toletum, ut Matrem Reginamque ſuam, venerantur *Madritum*, vulgo *Madrid*: aëris ſituſque ſaluberrimi; ubi Carolus V. Imperator dies paucos commoratus, Morbo Quartanæ, quo diu laboraverat, eſt liberatus: Rebus omnibus abundans gratum nunc eſt Hiſpaniæ Regibus Domicilium; Incolis hinc plenum, multiſque primæ nobilitatis & equeſtris dignitatis viris, illuſtribuſque familijs nobilitatum. Silicum illi ſunt in Circuitu Lapidicinæ: unde *Cinctum Igne* cecinit Hiſpanus Poeta Ioannes Mena. Terminos habet latiſſimos, Campoſque fertiliſſimos, quos *Matricios Lumbos* appellant. Non procul hinc *Villamanta* eſt; quæ, ut volunt Montanus, Tarapha, *Aliæ Vrbes: Madritum, vulgo Madrid.*

pha, & Villanovanus, *μάντυα* est Ptolemæo, Carpetanorum in Tarraconensi Hispania opidum. Quinta Madrito leuca versus Occidentem conspicitur magnificum illud & sumtuosum Monasterium S. Laurentij *in Escuriali* vulgo, Ordinis D. Hieronymi:



PHILIPPI II Hispaniarum Regis opus; quod merito certare potest cum Ægyptiorum Pyramidibus, cum Veterum Græcorum Romanorumque Templis, Theatris, Amphitheatris, Ludis, Circis: Thermis item, Balneis, Sepulchris; cum alijs denique variorum Regum & Principum Monimentis. Operi tanto vix quid est par, vix quid secundum. Frontispicium ejus, Occasum spectans, tribus superbit portis: quarum quæ media primariaque in Templum augustissimum, Cœnobium, Collegiumque ducit: quæ ad dextram, in Officinas Monasterio consecratas; quæ ad sinistram in Domos Scholæ destinatas. Quatuor Angulos totidem exornant mirabiles arte sua Turres; quas etiam duæ superant, ad ipsius Templi pedem hinc inde fastu quodam consurgentes. Supra Ostium Templi magnificæ Stylobatæ Statuas sustinent ex Marmore Tophoque sex Israehhelis Regum, pedes altas XVIII. Ad Septemtrionem Palatium Templo adsitum visitur, Regi Regioque Comitatui commodissime excipiendo paratum. Ad Meridiem variæ sunt Porticus; Hortus omnis generis instructus Herbis Floribusque, & plurimis ornamentis; Pomarium gratissimis consitum fructibus: item Nosocomium, Pharmacopolium, & alia. Videre ibi est inter alia depictum artificiose Conflictum inter Ioannem II Legionis Regem & Mauros Granatenses; extractum ex Linteo CXXX pedum, quod totam Historiam continens repertum fertur Segoviæ in pervetusta Turre. Quid superest? quidquid ibi occurrit, stuporem inijcit spectanti: ideoque de ijs, quæ dicenda restant, silere cum modestia præstat, quam jejune pauca in medium proferre. Ad reliquas Vrbes opidaque pergo. Quæ vulgo, voce Arabica, Hispanis hodie *Alcala de Henares*, tam certo creditur Κόμπλωτον Ptolemæi, ut Latine etiam non aliter in publicis Actis & Monimentis audiat. Situm est in loco plano, ad Fluvium, quem *Henarem* vocant; rerum omnium, quibus humanus usus indiget, copia, suisque proventibus adeo abundans, ut nullis aliunde bonis opus habeat. Ecclesia ibi, cujus omnes Canonici sunt Theologi. Facit hoc omnium Disciplinarum Academia; qua nobilitatum est Complutum ab Francisco Ximenio Cardinali, Archiepiscopo Toletano; cujus & auspicijs sumtibusque (qui superasse dicuntur LX millia Ducatorum) Biblia ibi edita, anno CIƆ IƆ XV, quæ ab loco *Complutensia*. Erasmus Epistola ad Franciscum Vergaram Græcarum litterarum ibi Professorem, *Gratulor*, inquit *Compluto*, *quod duorum Præsulum Francisci & Alphonsi*

Alcala de Henares, olim *Complutum*,

Alphonsi felicibus auspiciis sic efflorescit omni genere Studiorum, ut jure optimo πανόπλυτον *appelletur.* D. Isidorus *Complutum* dicit esse sexagesimo milliario à Toleto. *Segoncia* Antonino inter Complutum & Cæsaraugustam medio fere itinere; *Siguença* nunc appellatur Varrerio & Morali judicibus. *Alcantaram* in ripa Tagi scribunt Varrerius, Tarapha & Clusius esse, quæ Νώρβα Καισάρεια Ptolemæo; *Norbensis Colonia* Plinio. Opidum est insigni conspicuum Ponte, venerãdæ & antiquitatis & majestatis, in cujus ingressu exstat Sacellum, hodie *D. Iuliani* appellatum, habens limen superius sic inscriptum:

Segoncia, hodie Siguença.

Alcantara, olim Norba Cæsarea.

IMP. NERVÆ. TRAIANO. CÆSARI. AVGVSTO
GERMANICO. DACICO. SACRVM

TEMPLVM. IN. RVPE. TAGI. SVPERIS. ET. CÆSARE. PLENVM
ARS. VBI. MATERIA. VINCITVR. IPSA. SVA.
QVIS. QVALI. DEDERIT. VOTO. FORTASSE. REQVIRET
CVRA. VIATORVM. QVOS. NOVA. FAMA. IVVAT.
INGENTEM. VASTA. PONTEM. QVOD. MOLE. PEREGIT
SACRA. LITATVRO. FECIT. HONORE. LACER
QVI. PONTEM. FECIT. LACER. ET. NOVA. TEMPLA
DICAVIT. ILLIC. SE. SOLV.:.:.:.:.:.:.:.VOTA. LITANT
PONTEM. PERPETVI. MANSVRVM. IN. SECVLA. MVNDI
FECIT. DIVINA. NOBILIS. ARTE. LACER
IDEM. ROMVLEIS. TEMPLVM. CVM. CÆS. DIVIS
CONSTITVIT. FELIX. VTRAQVE. CAVSA. SACRI

C. IVLIVS. LACER. H. S. F. ET. DEDICAVIT
AMICO. CVRIO. LACONE. ICÆDITANO

Quæ *Talavera* nunc, Livio lib. XL. *Aeburam* nominari opinantur Beuterus & Moralis. *Caucensium*, quos Hispaniæ populos habet Plinius, memoriam adhuc exstare in opido, quod vulgo *Cuenças*, Pinetus arbitratur. Opidulum, quod *Lebazuza*, vel, ut alij, *Lezuza*, hodie nuncupatur, circa Alcarez urbem, *Libisosam* Antonini esse non est dubium; & monent illud, adducta etiam antiquo Lapide, Moralis & Frias Albornozius, suffragatorem habens Hieronymum Suritam: Λιβισῶκα apud Ptolemæum est pro Λιβισῶσα: *Libisosona* cognomine *Feroaugustana* dicitur Plinio lib. III. cap. III. Docent ibi ruinæ celebrem olim fuisse locum. *Castulonem* ejusdem Antonini, quæ Καστυλῶν Appiano & Ptolemæo, Κασταλων Polybio lib. X, Florianus & Moralis esse censent, quæ hodie *Castona la veia*. Apud Strabonem lib. III nomen hujus Vrbis aliquoties depravatum est, Κασάλων pro Κασάλων. Apud Stephanum Regio, cui *Castulo* solet adcenseri, male habet; Κασάλων, inquit, μεγίστη πόλις ριτανίας: reponendum enim Ὠρητανίας: De *Oretanis* antea dixi. Silius Italicus *Parnassiam* cognominat, quasi *Castaliam*. Strabo etiam Bæticæ terminos ad Ortum Castulonem usque Veteres constituisse, memoriæ prodit. Ab hac urbe *Saltui Castulonensi* nomen: is hodie nonnullis, qui *Portus S. Stephani*, *Santistevan* vulgo. Cæsar Commentario Belli Civilis I. M. Terentium Varronem, Cn. Pompei Legatum, Hispaniæ Bæticæ Regiones tenuisse ab *Castulonensi Saltu* ad Anam scribit. C. Asinius Pollio Ciceroni indicat suos Tabellarios tenuisse semper *Saltum Castulonensem*. *Castulonenses* habet Plinius, quos *Cæsari Venales* vocari ait.

Talavera, olim Aebura.

Cuença, olim Caucenses.

Lebazuza, olim Libisosa.

Castulo hodie *Castona la veia.*

Iter, quod ab Antonino *Emerita Cæsar-Augustam* ducitur, nobilissima Castellarum hodie loca aperit:

Iter Antonini *Emerita Cæsaraugustam* per Hispaniam Tarraconensem.

Itiner. Anton.		Vulg. Nomina	Itiner. Anton.		Vulg. Nomina.
Ad Sorores,	M. P. XXVI.	*Aldealcano*, aut circiter.	*Segoviam,*	M. P. XXVIIII.	*Segovia.*
			Miacum,	M. P. XXIV.	*Vanneuva.*
Castra Cecilia,	M.P.XX.	*Carceres.*	*Titulciam,*	M.P.XXIIII.	*Guadarama* forte.
Turmulos,	M. P. XX.	*Cannaveral*, vel haud procul inde.	*Complutum,*	M. P. XXX.	*Alcala de Henares.*
			Arriacam,	M. P. XXII.	*Guadalaiara.*
Rusticianam,	M.P. XXII.	*Galistro.*	*Cesatam,*	M. P. XXIIII.	*Hita.*
Capparam,	M.P.XXII.	*Capara.*	*Segontiam,*	M. P. XXVI.	*Siguença.*
Cæcilionem,	M.P. XXII.	.:.:.:.:.:.:.:.	*Arcobrigam,*	M. P. XXIII.	*Arcos.*
Ad Lippos,	M.P.XII.	.:.:.:.:.:.:.	*Aquas Bilbitanorum,*	XVI.	*Rio Xiloa*: Alijs *Los Bannos de Albama.*
Senticem,	M. P. XII.	.:.:.:.:.:.:.			
Salmanticam,	M.P.XXIV.	*Salamanca.*	*Bilbilim,*	M.P.XXIV.	Ruinæ haud procul *Calataiuta*, in colle qui vulgo *Bambola.*
Sibariam,	M.P.XXI.	*Camora*, aut circiter.			
Ocellum Duri,	M.P.XXI.	.:.:.:.:.:.:.:.			
Albucellam,	M.P.XXII.	.:.:.:.:.:.			
Amallobrigã,	M. P. XXVII.	.:.:.:.:.:.:.	*Nertobrigam,*	M. P. XXI.	*Almunia.*
Septimancam,	M.P.XXIV.	*Simancas.*	*Segontiam,*	M.P.XIV.	*Lamuda*, forte.
Nivariam,	M. P. XXII.	*Moiadas.*	*Cæsar augustam,*	M.P.XVI.	*Caragoça.*
Caucam,	M.P.XXII.	*Coca.*			

Est & aliud, quod quum minus celebre, & pleraque superioris repetat, omitto.

CAP.

Cap. XXII.

Valentia.

VALENTIAE. VALENTIA ad Meridiem Murciam respicit; ad Occasum utramque Castellam; ad Septemtrionem Aragoniam; ad Ortum littora ejus pulsat Mare Internum. Nomen illi ab *Valentia*, Emporio Nobilissimo, venerandæque Antiquitatis. Habet Valentia duos Montes, quibus nomen *Mariola* & *Penna golosa* (*Rupes cupedinaria* Latine sonant) in quos, quum Stirpibus rarioribus Herbisque varijs abundant, quotidie magnus Medicorum & Herbariorum numerus ex diversis Hispaniæ partibus confluit. Numquam non rari quid ibi se offert. Qua Tortosam itur, & Iberum versus ascenditur, Argenti sunt Fodinæ: locus, ubi præcipuæ, *Buriel* ab Incolis dicitur. Reperiuntur & Lapides aureis venis lineolisque interstincti in loco, qui *Aioder* nominatur. Ad Promontorium *Finisstratum* sunt ferri Mineræ: circa *Segorbiam* Lapidicinæ vestigia in Piacento Alabastrum ecfoditur. Passim Alumen, Rubia, Calx, Gypsum. Maximum Incolæ quæstum faciunt ex Fictilibus, quæ ipsis *Porcellanæ* vocantur, elegantia admirabili confectis. Plura de hoc Regno videat Lector apud Bernardinum Gomecium IX, XII & XIII libr. Vitæ Iacobi I. Aragonum Regis. Petrus etiam Antonius Beuterus Theologus Valentinus Res Hispaniæ memorabiles tribus Tomis se complexum profitetur; cujus præcipuus videtur fuisse scopus, ut *Valentiam* Patriam suam quam maxime inlustraret.

Veteres Incolæ; Hedetani, *Valentiam* habitasse quondam præter alios deprehenduntur *Hedetani*, Ἠδητανοὶ Ptolemæo forte non alij ab *Sedentanis*. de quibus ad Aragoniam mihi dictum: Est & Regio *Hedetania* apud Livium & Plinium. *Biscargitani*; sic ex membranis lego apud Plinium: Metropolis ipsorum *Biscargis*, cujus mentio in Nummo Germanici Cæsaris, teste Huberto Goltzio: videntur pars fuisse Heditanorum, quum in ijs Βισκαργὶν nominet Ptolemæus. *Leonicenses* Plinio; quorum Metropolis Λεονίκα etiam à Ptolemæo in Heditanis collocatur: Mentio ejus in Goltzij Thesauro. *Contestani*, Κοντεστανοὶ Ptolemæo; à quibus *Contestania* Hispaniæ Tarraconensis Regio apud Plinium: horum memoria servatur hodieque in Opido *Contayra*, vel ut aliis effertur, *Contentaina* ad fontem ejus amnis, cujus ostio adpositum videtur opidum *Oliva* contra Pytiusas Insulas. *Lusones*; quos ad Iberum fluvium ponit Appianus in Ibericis, Numantinis vicinos; ad Tagi fontes pertingere scribit Strabo. *Lobetani*, quorum Metropolis Λόβητον Ptolemæo: quam Beuterus scribit antea *Turiam*, postea *Averazin*, tandemque, ut hodieque, *Albarrazin* dictam. Τερβολῆται Appiano in Ibericis, Saguntinis vicini,

Margin notes: *Biscargitani.* *Leonicenses.* *Contestani.* *Lusones.* *Lobetani.* *Torboletæ.*

Celtiberi.

vicini, à quibus *Turbula* Ptolemæo, *Torres* hodie fortean. *Celtiberos*, ut eos appellant Plinius III cap. III, Pomponius Mela lib. III, cap. I ceterique Latini; qui Κελτίβηρες Ptolemæo; quidam Castellæ Veteri adscribunt, plerique Valentiæ. Illud satis constat *Celtiberorum* Pomeria huc illuc longe lateque se extendisse. Clunia, de qua dixi cap. XIX, *Celtiberiæ* finis Plinio vocatur. Posidonius apud Strabonem lib. III. auctor est M. Claudium Marcellum Tributum ex Celtiberia exegisse Talentum Ioc: ex quo conjecturam facere licet, inquit, quod Celtiberorum natio frequentissima fuerit, & auri atque argenti copia excellens, tametsi agrum incolerent sterilem. Nomen compositum ex *Celtis* & *Iberis*. Lucanus lib. IV:

profugique à gente vetusta
Gallorum Celtæ, miscentes nomen Iberis.

Sic Silius Italicus lib. III Belli Pœnici II:

Venere & Celtæ, sociati nomen Iberis,
His pugna cecidisse decus, corpusque cremari.
Tale nefas cælo credunt Superisque referri,
Impastus carpat si membra jacentia vultur.

Celtiberi, apud eundem Strabonem, & confinales ipsis Boream versus habitantes Deo cuipiam, cujus nomen ignoratur, plena Luna, tempore nocturno Pervigilium celebrant, choreas ducendo. In Celtiberis vicinos Vrbi Segedæ ponit Appianus in Ibericis *Titthos* populos.

Metropolis Valentia, nomen retinens.

Metropolis *Valentia*, *Valençia* vulgo: cujus antea memini. Hanc Contestanis Ptolemæus (cui ὐαλεντία) Heditanis autem adscribit Plinius. In Nummo quodam æreo apud Goltzium est COL. IVL. VAL, id est COLONIA IVLIA VALENTIA. Habet etiam Nummum Surita in cujus una facie *Mercurij* videtur esse *Caput*, cum Inscriptione C. LVCIEN. C. MVN. I. Q: altera vero *Cornucopiæ* figura, fulmine transverso; & infra cornu, VALENTIA. Mirum est Strabonem nullam facere hujus Vrbis mentionem, quum *Cherronessi*, *Oleastri*, *Dertosæ* ad Iberi transitum meminerit; eaque celeberrima fuerit bello Sertoriano; conflictu, quo Cn. Pompeius juxta eamdem urbem Herennium & Perpennam, magnos Sertorij Duces, devicit. M. Tullius Prælium illud *Turiense* vocat; quod *inter leva mœnium & dextrum flumen Turiam*, ut Sallustius scribit lib. II Historiarum, fuerit commissum. Vrbs Hispaniæ primarijs, ut olim, sic & hodie, conlocanda: duodecim ædificiorum habens millia; præter quæ in Suburbijs & Hortis, Vrbana suo numero fere exæquantia. Sita est in intimo Sinus Sucronensis recessu ad dextram fluvij Turiæ ripam: à mari remotam tribus passuum millibus tradit Plinius. Valentia Moribus & Institutis clara. Disciplinis liberalibus exculta; Mechanicis Artibus nobilis; magnis Ingenijs felix: Pacis Concordiæque Cives inter servandæ studiosissima: Multorum Equitum splendore illustris: Mercatorum Commercijs dives. Academiam habet celebrem, in qua S. Dominicus, Ordinis Prædicatorum auctor, bonis Artibus Sacræque Theologiæ operam dedisse scribitur. Præter hanc in regno Valentiæ est & Academia *Gandiana*, quam non ita pridem erexit Illustrissimus Gandiæ Dux; ut ibi præcipue Patres Societatis Iesu, ad quam seipsum quoque contulisse fertur, philosopharentur. Silentio non prætereundum, quod de Valentinis notat L. Marineus Siculus: ijs in more positum esse singulis annis, Festo D. Matthiæ, fusis precibus factisque obtestationibus, ad locum Supplicijs destinatum ire, ibique Damnatorum Corpora, sive suspensa sint, sive humi jaceant, suscipere, ossaque sparsa colligere; mox autem omnia feretris imposita ad commune Civibus omnibus Sepulchretum devecta honorifice, Sacrificijs Orationibusque peractis, Terræ mandare. Memoriæ prodit Petrus Medinensis esse in hac Vrbe supra decem millia Puteorum Aquæ Vivæ. Tritum est apud Hispanos Proverbium, quo *Barcino* fertur *dives*, *Cæsaraugusta satura*, *Valentia formosa*. Infinita hic Antiquitatum Romanarum rudera & plurimæ Inscriptiones: quarum quædam apud Beuterum, Ambrosium Moralem, Hotomannum in Cæsaris Ephemerides, & alios. Exacta ejus descriptio Lausque apud Ioannem Marianam lib. XII. cap. XIX & Marineum Siculum lib. III extremo. Stetit olim ad ripam Turiæ sinistram, haud procul Valentia (Strabo lib. III. Pliniusque III. cap. III, mille passibus ab Mari separant) *Saguntum*; Heditanorum vrbs; Σαγοῦντον Ptolemæo; Σάγουντος Straboni; Ζάκυνθος & Ζάκανθα Stephano:

Alia oppida; Murviedro olim Saguntum.

phano: *Secundum* & *Secuntum* vitiose apud Antoninum. Hodie putatur à plerisque *Morvedre*, sic dictum, ut quidam censent, ab *Muris Veteribus*. Theatrum certe & nunc ibi, cum Scena, aliaque multa Antiquitatis vestigia. *Zacynthorum* Coloniam facit Appianus: Σαγουντ☉, κὔσμα, inquit Strabo lib. III, Ζακυνθίων: quidam *Saguntum* Herculis filium conditorem opinantur: sunt & qui ab *Sagu Iberico* nomen accepisse volunt. Situm describit Silius Italicus lib. I. *Saganti* Muris Cæmenta tribuit Livius lib. XXX: quæ calce durata erant, sed interlita luto, structuræ antiquæ genere. Constat ex Plinio Saguntinos olim coluisse Dianam, eodem ab *Zacynthijs*, ipsorum Progenitoribus, advectam; annis ducentis ante excidium Troiæ. *Saguntus*, Fide & ærumnis inclyta, Pomponio Melæ. De expugnatione Vrbis nobilissimæ, Cladeque, quæ ob admirabilem constantiam & egregiam in Romanos fidem incidit in annum ab V. C. IↃXXXV. M. Livio Salinatore, L. Æmilio Paullo COSS. consulendi Livius lib. XXI, Polybius lib. III, Orosius lib. IV. cap. XIV, Eutropius lib. III, Florus lib. II. histor. Roman. cap. VI, Silius Ital. lib. I, Valerius Maximus lib. VI, cap. VI. Augustinus lib. III. de Civit. Dei, cap. XX, Auctor de VV. Illustr. cap. XLII, Æmilius Probus in Annibale, Cicero in Philippicis, & qui non' Superest memoria *Senatus Populique Saguntini*, quo loco Vrbs fuit, in Muro Veteri; his verbis:

SENATVS. ET. POPVLVS. SAGVNTINORVM
CLAVDIO. INVICTO. PIO. FELICI. IMP. CÆS.
PONT. MAX. TRIB. POT. P. P. PROCOS

Segorbia olim Segobriga.

Non ignobilis in Valentia loci sunt hodieque *Segorbia*, Σεγόβριγα Ptolemæo & Straboni, uti placet Vasæo, Clusio, Taraphæ, Emanueli Enrico, & alijs: *Segobrigam* habent Nummi Augusti. Incolæ Plinio *Segobricenses*; eos in capite Celtiberiæ ponenti. *Segobriga* tamen Morali censetur *Injesta*, vel *Cabeça el Griego* cujus sententiæ est & Ioannes Mariana. Hieronymus Surita, ubi fuerit *Segorbia*, dicit se ignorare. *Segobricæ* meminit antiquum Marmor, quod Tarracone:

L. ANNIO. L. F. GAL
CANTABRO
FLAM. ROMÆ. ET. DIVOR
AVGVST. P. H. C
OMNIBVS. HONORIBVS
GESTIS. SEGOBRICAE
DECRETO. ORDINIS. PECV
NIA PVBLICA SEGOBRICENSES

Denia olim Dianium. *Castralla, olim Castrum Altum.* *Chelua, olim Incibilis.* *Elcha vel Alicanta, olim Illice.* *Belgida nomen retinet.* *Liria nomen retinet.* *Horinela, olim Orcelis.* *Bejar, olim Bigerra.* *Xativa, olim Setabis.*

Denia, *Dianium* (ut volunt Florianus, Moralis, Clusius) apud Ciceronem & Plinium, qui *Stipendiarium* cognominat: Ἀρτεμίσιον & Ἡμεροσκοπεῖον est Straboni, haud procul *Ferraria* Promontorio. *Castrum Altum*, arx Hispaniæ Citerioris valida, Amilcaris Pœni cæde insignis apud Livium; hodie, ut vult Beuterus, *Castralla* vocatur; Floriano est *Castel-Seras*. *Incibilis* Livij; quæ *Indibilis* Frontino, ubi Annonem Carthaginiensium Ducem ab Scipione fugatum narrat, *Chelua* censetur Floriano, subdubitanti tamen. *Illici* Plinio, Ἰλλικίας Ptolemæo, *Illice* Pomponio, *Ilice Colonia* Nummis, Ἰλλικιτανὸς etiam Ptolemæo (unde *Illicitanus Sinus*) hodie alijs *Alicanta*, alijs *Elche*, quod propius accedit. *Belgida* Celtiberiæ Vrbs, quam Orosius lib. V. cap. XXIII scribit à Cn. Pompeio Magno captam, nomen adhuc retinet. *Λεῖρα*, quæ & Ἔδητα Ptolemæo (unde *Heditani populi*) *Liria* hodie est Clusio & Morali; Floriano autem. *Oliete* Ὄρκελις Ptolemæi, *Horinela* & *Oriola* Gomecio est & Clusio; *Zamora* Nebrissensi. *Bigerra* Livij, Βίγερρα Ptolemæi; hodie *Bejar* Beutero & Vasæo; Clusio *Villena* est. Quæ Σέταβις Straboni, vel *Setabis* antiquis Lapidibus, teste Clusio; hodie Floriano judice, *Xativa* cluit. Sed hæc sufficiant; ne proferendis in medium omnibus in immensum excrescat volumen; tædiumve pariatur Lectori.

Valentia, quando Regnum.

Regni porro Titulum accepit Valentia circa annum IↃCCXXCIIX, uti auctores sunt Petrus Medinensis & Petrus Antonius Beuterus; qui omnino, cum alijs, legendi.

CAP. XXII.

Murcia.

MURCIA Regnum ab Occasu Granatam tangit; ad Septemtrionem Castellam Novam: cetera claudit Mare Mediterraneum: olim, ut ex Strabonis colligitur delineatione, *Spartarius Campus*, de quo dixi cap. III. Nomen habet ab *Murcia*, Urbe Regni primaria. Optima in hac Provincia fiunt Vasa ex Creta, miraque hic Serici quantitas. MURCIA.

Obtinuerunt quondam hæc Loca *Bastitani* Βαστιτανοὶ Ptolemæo; *Vastetani*, corruptius in prima littera, Livio: *Batestanij* Antiquæ Inscriptioni in Agro, qui hodie *Madrigal*; ubi Boves quinque Marmorei, singuli cum sequentibus Titulis: Sedes olim Bastitanorum.

Primus habet in Latere dextro,	LONGINUS. PRISCO. CALVO
in sinistro;	LAVINIO. PRI. F. C
Secundus in Latere dextro;	CÆCILIO. METELLO
in sinistro;	CONS. II. VICTORI
Tertius in Latere dextro,	EXERCITUS. VICTOR
in sinistro;	HOSTIBUS. FUSIS
Quartus in dextro,	L. PORCIO. OB. PROV. OPT
in sinistro;	ADMINISTRATAM
	BATESTANI. POPULI. F. C
Quintus habet	BELLUM. CÆSARIS
	ET. PATRIÆ. EX. MAGNA. PARTE
	CONFECTUM. SEX. ET. CN
	MAGNI. POMPEI. FILIIS. HIC
	IN. AGRO. BATESTANIORUM
	PROFLIGATIS

Eorum Regio *Bastitania* apud Plinium. Videntur illi esse, qui hodie *Baça* opidum colunt. Nam & *Basti* Antonino Basteraniæ urbs. De *Bastetanorum* moribus singularia quædam commemorat Strabo lib. III. Præter Bastitanos fuerunt & *Belli* Βελλοί, Appiano in Ibericis; qui *Bellitani* à Plinio videntur appellari. Item *Deitani*, quorum regionem *Deitaniam* circa Carthaginem Novam collocat Plinius. Bellitanorum, Deitanorum.

Metropolis *Murcia*, sita ad Fluvium, qui Τέριβος Ptolemæo. Ipsum Opidum *Murgis* Plinio, Μοῦργις Ptolemæo, cujus populos *Murgos* vocat Antoninus. Alijs tamen *Murgis* Plinij *Muxacra* putatur; Μοῦργις autem Ptolemæi *Murga*. Sepultus hic est Alphonsus Ferdinandi Regis filius: qui ex Rege Castellæ Romanorum Rex Imperij Occidentis creatus est in Schismate contra Richardum, Ioannis Anglorum Regis Filium, pridie Calendas Aprilis anno CIↃCCLVIII; regnavitque annos XV, menses VI. Quum autem anno CIↃCCLXXIII sponte Imperij molem deposuisset, in Hispaniam reversus parum gratus fuit filio Sanctio; passimque exclusum sola recepit Murcia, Privilegium inde consequuta, ut septem coronas Insignibus suis imponeret. Summus fuit Astrologus, & Sideralis Scientiæ peritissimus; ejusque exstant Tabulæ, quæ Alphonsinæ ab eo dictæ. Est ibi & *Carthago Nova*, ab Asdrubale, Pœnorum Duce, ut Strabo lib. III. notat, quo tempore contra Romanos bellum gerebat, condita. Hæc Appiano, Plinio, Antonino, Isidoro, alijs *Spartaria*, σπαρταγένη, cognominatur, à *Spartario Campo*. Καινόπολις etiam ad differentiam *Veteris* appellatur Polybio lib. III. & Stephano. *Phœnissa* dicitur Polyæno, instar istius in Africa, quæ à Phœnicibus condita. Idem Appianus censet prius Saguntum nominatam; sed postea ab Annibale excisam, & Carthaginiensium Coloniam factam, *Carthaginem Spartagenam* fuisse nuncupatam. Sed *Carthaginem* & *Saguntum* duo diversa esse Opida, nimis est notum. Labitur & alias in Hispania Appianus, Iberum in Septemtrionalem Oceanum evolvi scribens, quum in Mediterraneum erumpat. *Novam* autem dictam scribit Ioannes Gerundensis Episcopus Paralip. Hispaniæ lib. I. sub finem, & lib. III, non ob Africanam illam, sed Veterem aliam in ipsa Hispania.

Metropolis Murcia, olim Murgis.

Carthago Nova, vulgo Carthagena.

Z 2

Carthago Vetus hodie Cantavilla.

Hiſpania. Certe *Carthago Vetus* Ptolemæo eſt Elarcaonum urbs in Hiſpania Tarraconenſi; quam *Pænorum* cognominat Plinius; cujuſque mentio apud Ciceronem de Lege Agraria: *Cantavilla* hodie, ut ſcribunt Varrerius & Beuterus: *Canta Vera* Antonio Auguſtino; *Villa Franca* Gerundenſi. Καρχηδὼν ἡ νέα, ſcribitur Straboni lib. III. κρατίστη πολὺ τῶν ταύτῃ πόλεων. Καὶ γὰρ ἐρυμνοτάτη, καὶ τείχει κατεσκευασμένῳ καλῶς, καὶ λιμέσι καὶ λίμνῃ κεκόσμηται; καὶ τοῖς τῶν ἀργυρείων μετάλλοις, περὶ ὧν εἰρήκαμεν. Addit deinde, Ibi & propinquis locis frequentiſſima eſſe *Salſamenta*: item ampliſſimum eſſe Emporium, ſive rebus è mari ad Mediterranea inportandis, ſive ex penitioribus Hiſpaniæ locis ad tranſmarinas Provincias exportandis. Silius Italicus lib. XV ita deſcribit:

Vrbs colitur Teucro quomdam fundata vetuſto
Nomen Carthago, Tyrius tenet Incola muros.
Vt Libya ſua, ſic terris memorabile Iberis
Hæc Caput eſt: non ulla opibus certaverit auri,
Non portu celſove ſitu, non dotibus arvi
Vberis, aut agili fabricanda ad tela vigore.
Invade adverſis nate hanc ductoribus Vrbem.
Nulla acies famæ tantum, prædæve paravit.
Carthago impenſo Naturæ adjuta favore
Excelſos tollit Pelago circumflua muros:
Arctatas Ponti Fauces modica Inſula claudit,
Qua Titan ortus terras adſpergit Eoo.
At qua proſpectat Phœbi juga ſera cadentis.
Pigram in planiciem ſtagnantes egerit undas,
Quas auget veniens, refluuſque reciprocat æſtus.
Sed gelidas à fronte ſedet ſublimis ad Arctos
Vrbs impoſta jugo, pronumque excurrit in æquor.
Et tuta æterno defendit mœnia fluctu.

Hanc P. Cornelius Scipio Africanus, anno ab V. C. IↃXLIV M. Claudio Marcello IV, M. Valerio Lævino II. coss. belli Punici II. anno IX, oppugnatam vno die cepit; Magone mox Se, Arcem & Præſidium dedente, ſcribentibus Livio lib. XXVI, Eutropio III, Oroſio IV. cap. XVIII, Polybio lib. X, Silio lib. XV, Auctore de VV. Inluſtribus cap. XLIX, Plutarch. in Vitis, Plinio lib. XXVI. cap. IV, Appiano de reb. Hiſp. Floro lib. II, cap. XVII, & alijs: Hic idem Scipio Captivam Virginem eximiæ formæ Sponſo Allucio Celtiberorum Principi intactam reddidit; ijſdem teſtantibus, cum Valerio Maximo lib. IV. cap. III & Agel. VI. cap. VIII: hic denique in Ludis, ab ipſo Scipione factis, duo Hiſpani Principes Corbis & Orſua Patrueles, de Regno diſſidentes, impetu facto, perierunt; quod ſuperiorum plerique memoriæ produnt.

Iter Antonini ex Gallia Narbonenſi in Hiſpan. Bæticam per loca Maritima Tarraconenſis.

Hactenus *Citerioris* vel *Tarraconenſis* Hiſpaniæ, quæ in antiqua Romaniſque uſitata Diſtributione principem facile locum tuebatur, partes recenſui; ſequuntur, quæ *Bætica* attribui ſolitæ: quas antea quam ingrediar, operæprecium me facturum arbitror, ſi prius Iter illud nobiliſſimum, quod ex Gallia Narbonenſi in Bæticam uſque per maritimas ejuſdem *Tarraconenſis* Stationes Antonini Itinerarium ducit, proponam; conlatum magna parte cum Itineraria Peutingeri Tabula, cujus antea memini, cumque hodiernis Vrbium Opidorumque appellationibus.

Itinerarium Antonini.		Itineraria Peuting. Tabula.		Hodierna Nomina.
Nemauſum,	M. P. XIIII.	*Nemuſo*, Leg. *Nemauſo,*	XV.	*Niſmes.*
Ambruſſum,	M. P. XV.	*Ambruſium,*	XX.	*Sambres.*
Sextationem,	M. P. XV.	*Serratione*, Leg. *Sextatione,*	XV.	*Saus.*
Forum Domitij,	M. P. XV.	*Foro Domitij,*	XVIII.	*Gigean*, aut circiter.
Ceſeronem,	M. P. XVIII.	*Ceſſe Rone:* Voces cõjunge,	XII	*Sainct Hubert*, alijs *S. Tubert.*
Beterras,	M. P. XII.	*Beteris,*	XXI.	*Beſieres.*
Narbonem,	M. P. XII.	*Narbone,*	.....	*Narbona.*
Ad Vigeſimum,	M. P. XX.	....	.....	....
Combuſtam,	M. P. XIIII.	....	.....	Quid ſit, nihil opus divinare:

				vinare: ipsum nomen periisse loquitur.
Ruscinonem,	M.P.VI.	*Ruscione*, Leg. *Ruscinone,*	VII.	Vestigia visũtur haud procul *Perpiniano*, juxta Turrim, quæ nomen retinet: vocant enim *Turrim*
		Illibere.	XII.	*Rossilionis.*
Ad Centuriones,	M.P.XX.	*Ad Centenarium,*	V.	.·.·.·.·.·.·.·.
Ad Summum Pyrenæum,	M.P.V.	*In Summo Pyrenæo,*	IIII.	.·.·.·.·.·.·.·.·.
		Declana, Leg. *Deciana,*	IV.	.·.·.·.·.·.·.·.·.
Iuncariam,	M.P.XVI.	*Iuncaria,*	XV.	*Iunqueras.*
Cinnianam,	M.P.XXIV.	*Cemuama*, Leg. *Cinniana,*	XII.	.·.·.·.·.·.
		Gerunda,	XII.	*Girunda.*
Aquas Voconias, Ὕδατα θερμά Ptolemæo: *Aquicaldenses*, Plinio.	M.P.XXIV.	*Vocom.* .·.·.·. Plene *Voconijs Aquis.*	.·.	*Caldes Aquas*; Alijs *Balneole.*

Hactenus Itineraria Tabula.

Antonini Itinerar.		Hodier. Nomencl.	Antonini Itiner.		Hodier. Nom.
Secerras,	M.P.XV.	*S. Celoni,*	*Sucronem,*	M.P.XX.	*Succa.*
Prætorium,	M.P.XV.	*Linas*, aut circiter.	*Ad Statuas,*	M.P.XXII.	
Barcinonem,	M.P.XVII.	*Barcelona.*	*Ad Turres,*	M.P.IX.	
Fines,	M.P.XX.	Locus ad Fl. Rubricatum.	*Adellum,*	M.P.XXIV.	
Antistianam,	M.P.XVII.	.·.·.·.·.·.·.·.	*Aspida,*	M.P.XXIV.	
Palfurianam,	M.P.XIII.	.·.·.·.·.·.·.·.	*Ilicim,*	M.P.XXIV.	*Elche.*
Tarraconem,	M.P.XVII.	*Tarragona.*	*Thiar,*	M.P.XXVII.	.·.·.·.·.·.·.·.
Oleastrum,	M.P.XXI.	.·.·.·.·.·.	*Carthaginem Spartariam*	XXV.	*Cartagena.*
Traia Capita,	M.P.XXIV.	*Ginastar*; aut circiter.	*Eliocrocam,*	M.P.XLIV.	*Lorca.*
Alijs, *Teara Capita.*			*Ad Morum,*	M.P.XXIV.	.·.·.·.·.·.·.·.
Dertosam,	M.P.XVII.	*Dertosa.*	*Basti,*	M.P.XXVI.	*Baza.*
Intibili,	M.P.XXVII.	Hæc omnia loca proculdubio fuerũt inter Iberum & Duriam fluvios, æquo fere intervallo distantia.	*Acci,*	M.P.XXVI.	*Guadix.*
Ildum,	M.P.XXIV.		*Acatucci,*	M.P.XXVIII.	.·.·.·.·.·
Sexelacim,	M.P.XXIV.		*Vineolas,*	M.P.XXVIII.	.·.·.·.·.·
Saguntum,	M.P.XXII.	*Morvedre.*	*Mentesam Bastiã,*	M.P.XX.	*Mentexa.*
Valentiam,	M.P.XVI.	*Valence.*	*Castulonem.*	M.P.XXV.	*Castona la vieja.*

Sequitur perambulanda jam *Bætica*, cujus Partes cap. XI. statui *Granatam*, *Andaluziam*, & *Extremaduram*.

Cap. XXIII.

Granata.

Granata. GRANATÆ Conregionales sunt ad Ortum Murcia; ad Septemtrionem Castella Nova; ad Occasum Andaluzia: Meridionale Latus ab Iberico Mari abluitur, oppositas habens oras Africanas. Nomen illi ab Vrbe Granata, Metropoli. Longitudo Granatæ, inquit L. Marineus Siculus lib. xx. de rebus Hispaniæ, est passuum millium circiter ducentorum, & latitudo fere centum; patetque circuitu ad passuum millia septingenta. Est enim Longitudo ab Ronda usque ad Oscam; Latitudo vero ab opido Cambili usque ad Mare Mediterraneum & Portum Almugnecaris. Qua Meridiem spectat, ex una parte planicies habet amplas & fertiles Campos; ex altera, Bastanos Montes altos, & ascensu difficiles: Vulgus *Alpuxarras* appellat. Est ibi omnium Rerum, quæ sunt ad hominum vitam degendam necessariæ, magna fertilitas: saluberrima semper aëris cœlique temperies, ubi neque Tellus nimio Solis ardore torretur, neque frigore contrahitur: hominibus perpetuo temperamento perfruentibus.

Sedes quondam Sexitanorum. Commoratos olim in hac Hispaniæ parte lego, cum alijs proculdubio, *Sexitanos:* quorum opidum *Sex* Plinio; Σὲξ Ptolemæo post Manocam & Menobam in Bastulis; quod τῶν Ἐξιτανῶν πόλις, Straboni; *Sexitanum* (alia Exemplaria habent *Saxetanum*; *Saxetani* etiam *Lacerti* meminit Martialis lib. vii.) Antonino: *Hexi* apud Pompon. Melam: Floriano *Motrel* hodie; Coquo & Pineto *Velez Malaga*; Clusio *Salobrenna* ad mare: Σεξιτανία legitur apud Athenæum lib. iii. Sexitanis vicini fuerunt *Bastuli:* **Bastulorum, qui & Pœni,** Βασύλοι, qui & Ποένοι, cognominantur Ptolemæo, Populi Hispaniæ Bæticæ ad Fretum Gaditanum. Certe *Pœnis* suas ab utraque Freti parte Sedes fuisse, testantur etiam Seneca de Consolatione, Plinius lib. iii. nat. hist. cap. i. & Pomponius lib. ii. cap. vi. Eo, ut bene censet, etiam contra Criticorum illum Parentem Hadrianum Turnebum, Abrahamus Ortelius, respicit in Odis Horatius lib. ii. Od. ii:

Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

Metropolis Granata, Olim Illiberis. Metropolis Granata; sic dicta ab Malo Punico, quod *Granatum* vocatur. Nam ut *Malum Punicum* granosum est, & Acinis, hoc est *Granis*, densissimis refertum; sic & (inquit Georgius Hoffnagel, Civis Antverpianus, qui hanc Vrbem coloribus suis optime

optime delineauit) Vrbs *Granata* densissimas domos, & dehiscentis *Granati* similitudinem habet. Alij aliunde dirivant: quidam *Granatam* appellari perhibentes, à Cocco; cujus in ea Provincia ingens copia legi solita, quam rem *Granam* Hispani dicunt; quidam, quasi *Gar Nata*, ab *Gar*, quod lingua Punica Antrum, & *Nata* Nympha, cui in isthoc Antro Domicilium erat, quæque ijs in locis ab Incolis olim colebatur. Ἰλλιβερὶς (ab *Illiberia* Hispani Regis filia, ut quidam somniant) Ptolemæo multorum judicio; *Illiberi* vel *Liberini* Plinio; Ἐλιβύργη Stephano. Vasæus tamen *Granatam Illiberi* recentiorem censet, & ab ea duabus leucis distare. Suffragatur Moralis; scribens *Illiberim* non procul Granata fuisse in eo Colle: qui vulgo nunc *Elvire*, immutata nonnihil antiqua voce; ubi *Elvira* erat opidum; ab eoque & hodie Granatæ Portam esse *Elveriam*. *Illiberim* hac ætate *Almariam* nominari putat Episcopus Gerundensis; Granatam autem esse, quæ Ptolemæo Ἰλίπυλα μεγάλα; Plinio *Ilupula* simpliciter. Circuitus Granatæ passuum millium circiter est duodecim. (Circuitus.) Mœnibus undique cingitur; tuentibus eam mille triginta Propugnaculis. Portæ, (Portæ.) quæ sunt numero duodecim, ad Occidentem faciles habent exitus, & Campos amœnos; ceteræ vero ad Orientem, subdifficiles. Vrbs communi nomine *Granata* dicitur, Academia nobilis, duos comprehendens, præter minores alios, nonnullius altitudinis Colles, quos *Darrus* fluvius (*Daurum* Bernardus Gentilis Poëta nominat, quasi *dantem Aurum*, quod in eo quam optimum legi consuevit, unde & vulgo *El Rio del Oro*) per Vallem mediam fluens dividit. Vrbs in quatuor hodie distributa est Partes, (Partes.) situ separatas, suisque appellationibus distinctas. Prima peculiari voce *Granata* nuncupatur, (I quæ Granata specialiter.) Loca declivia & Valles occupans. Habitant hic Ecclesiastici, Nobiles plerique, potentiores Mercatores; in Ædificijs omnes magnificis, quibus Horti conjacent amœnissimi. Templo decoratur longe maximo, (ubi Templum.) sumtuosissimi mirabilisque operis; in quo Sacellum splendidissimum, corpora servans Ferdinandi & Isabellæ, qui Granatam Maurorum tyrannidi ante centum, & qui excurrunt, annos eripuerunt. Iuxta est perantiquum Maurorum Fanum, *Mesquita* eorum lingua nuncupatum. (Mesquita Maurorum.) Est in eadem Vrbis Regione Summum Iudicum Tribunal, (Summum Tribunal.) ad quod supremæ Iudiciorum omnium Appellationes devolvuntur: cui qui præsunt *Oidores* appellantur. Est ibidem Platea vel Forum Venale, (Forum.) conspicuæ magnitudinis, nuper à Christianis instructum: *Bivatamblam* Mauri vocant, *Arenariam* significari dicentes. Forma est quadrangularis, ad mensæ similitudinem: Longitudo pedum est quadringentorum, Latitudo ducentorum. Ibi Fons est excelsus & insignis. Foro coniuncta est domus *Alcaceria*, (Alcaceria.) Tabernulas habens fere ducentas, in quibus serici panni ceterarumque rerum merces quotidie venduntur. Secunda (II quæ Alhambra.) Vrbis Regio in altiore sita Colle, qui Solis spectat exortum (unde & *Sierra del Sol*) voce Maura *Alhambra* dicitur: Mauri *Rubram* significari notant, sicque nominari vel ab Conditore, homine rufo; vel ab rubra Terra, quæ nunc etiam conspicitur in ædificijs. Habitatur mistim ab Mauris & Hispanis. Occurrunt ibi multa singularia cum primis Arx Nova, (ubi Arx Nova Philippi II.) ab Philippo II. Hispaniarum Rege, forma quadrata, ex cæruleo lapide, qui singulari Architecturæ artificio ad normam sectus, condita: Aream habet rotundam, valde elegantem, & amplam; Ambitum autem, triplicibus Menianis (quæ Columnis Marmoreis, venusto ordine dispositis, sustentantur) lætaque ambulatione distinctum: Multa ac varia ibi Conclavia; in quorum interiore ornatu Ars & Sumtus decertare videntur. Tam amœnus illi undique prospectus, ut oculi incredibili oblectatione sese pascant; nusquam non, quoquo se vertant, habentes, quo DEI ac Naturæ bonitatem, Agrique Granatensis felicitatem admirentur. Opus sane, dignum, quod decantatis totius Vniversi Miraculis non adnumeretur modo, verum etiam optimo jure præferatur. Est & in eadem Vrbis Regione antiquum Maurorum Regum Palatium (Antiquum Maurorum Regum Palatium.) vastitate visenda: Defensores commode admittens ad quadraginta millia. Hoc unicum, si alia deessent indicia, quanta magnificentia, quantoque fastu gens barbara Granatense Regnum possederit, manifeste loquitur. Interior Structura valde sumtuosa est, valde superba; ex Porphyrite constans, Iaspide & Marmore: Muri, Trabes, Tabulata auro sunt obducta: videre passim est Emblemata, Hieroglyphicas Notas, Arabicas Litteras, varia Signa, Musivo opere incrustata. Quæ quum sint exquisita, & raræ notæ ornamenta, magnasque Mauritaniæ gentis opes & singularem magnificentiam contestantia;

magna Christianorum cura diligentiaque ab situ & interitu, quantum fieri potest, conservantur, collapsaque restaurantur. Locus est in eadem arce elegans & spaciosus, forma quadrata, vulgo *El Quadro*, aut *Los Leones*: in cujus medio duodecim Leones Labrum admodum capax ex candido Marmore in dorso sustinent: medium spacium Fons exornat limpidissimæ aquæ, in altum ad instar erectæ hastæ rapidissimo motu prosiliens, & in idem Labrum deinde recidens; unde Canales mox & delectabiles Aquationes promanant, in quibus Maurorum Reges cum Reginis æstivos Calores ludendo lauandoque mitigare perhibentur soliti. Locum hunc Meniana, quæ marmoreis innituntur Columnis, cingunt. Ex hac Arce, in quamtum oculorum acies extendere se potest, universa propemodum Granata videtur; læta etiam Arva, *La Vega de Granada* nuncupata: Montes insuper conspiciuntur, perpetuis Nivibus candentes, *La Sierra Nevada* vulgo; Ferarum quoque Vivarium, in eoque omnis generis Animalia; Cervi præcipue, Damæ & Capreoli. Vltra hanc Arcem

Generalipha.

paullulum ascendendo elegans & splendida Domus, *Generalipha*, se offert; natura, arte, situ ad venustatem & recreationem composita. Aëre sereno semper gaudet. Multis abundat Fontibus, suavissimo Murmure undique discurrentibus: quorum unus, mirabile & jucundissimum visu, Aquas in miram altitudinem copiosissima eructatione, brachij crassitudine evomit, quod extra istius domus muros longissime prospici potest, maxime splendente Sole. Prætereo hic consitas arte Siluulas; Arbores patentibus ramis generosis fructibus graves; Sepimenta reticulata; inque ijs feras magno numero bestias. Ipsissima videtur Sedes Voluptati Delicijsque ab Maurorum Regibus consecrata. In Verticem porro Montis enitenti occurrit ætate

Fanum D. Helenæ.

multa conlapsum fere Maurorum Fanum, ab Christianis *S. Helenæ* nunc dedicatum: ad quod fere omnes, qui Granatæ videndæ desiderio flagrant, conscendunt, ut ejus Templi Muro suum Patriæque nomen inscribant: quod quidem ea consuetudine Vulgique opinione receptum, ut is Granatam non censeatur vidisse, qui id

Maurorum Horti.

non præstiterit. In eodem hoc Monte Maurorum Reges suos olim habuerunt hortos, vario Florum & Herbarum genere decenter vestitos; quorum nunc etiam ma-

Algibe.

nifesta satis supersunt indicia. Iuxta Cisterna est publica, *Algibe* dicta; Imbribus colligendis quomdam ab Romanis parata: Aqua inibi non solum nullum Putredinis incommodum sentit, verum etiam medendi vim habet & facultatem: quod Hispani longa experientia sunt docti. Nam pota Ventris fluxum sedat. In Latere ejusdem Montis Ædicula Sacra est, multa antiquitate & Veneranda Martyrum me-

Los Martyres.

moria nobilis; *Los Martyres* vulgo: vbi Putei & Antra in Rupibus excisa, & scalpellis excavata conspiciuntur: quorum ut Ingressus sunt angustiores, ita interiores recessus latioris sunt spacij: in hac Mauri Christianos, quos ingenti numero captivos tenebant, crudeliterque tractabant, noctu protrudere & funibus demittere so-

Masmoros. III. quæ Alveysin.

lebant, diuturnis laboribus fractos & confectos. Hispanis *Masmoros* dicitur. Tertia Vrbis Regio, *El Alveysin*, duos complectitur Colles, admiranda ædium frequentia cultos. Hæc, quia à solis Mauris quomdam habitabatur, non altera Civitatis Regio, sed diversa plane Natio habita & Idiomate ab reliquis Granatæ Incolis separata esse videbatur: Agricultura & Serici Textrinis ut plurimum victum quærebant: & quantum Vxorum luxui Serico, aureoque & argenteo vestitu indulgere, tantum sibi viliore habitu Viri solebant adimere; sacco semper onusti, etiam si prædivites, incedentes, ut qualiacumque onera, Mercedis consequendæ gratia, petentibus ferrent. Nomen Fidemque Christo cum pietate exstimulati, tum Pœnarum adducti metu dederunt. Hujus Partis Porta est illa, per quam Maurorum

ubi Porta semper clausa.

Rex, *Il Ro Cicho, Rex Parvulus* nuncupatus, Se, Granatam, & Arcem tradens Ferdinando Regi, exivit, & expugnati Granatensis Regni memoriam sempiternam remanere flagitavit hanc, ut nemini post se ea umquam pateret. Quod ab Ferdinando facile impetravit: ideoque ab eo tempore semper clausa mansit: &, ne unquam aperiretur, firmum illi oppositum fuit Propugnaculum. Fertur Rex Maurorum egressus, inque Colle constitutus, quum magnificam, quam deserere cogebatur, Vrbem tristis intueretur, inlacrumari cœpisse. Quod ubi Mater ejus videret, quæ & ipsa in fuga salutem quærebat, Filium adfata, *Merito*, ajebat, *nunc extra Vrbem pueriles emittis lacrumas, in qua, tamquam Vir, cordate pro Aris & Focis pugnare noluisti.* Quarta denique Vrbis Pars, quæ temporis successu ob majorem Civium frequentiam adnata,

1111 quæ Antiquerula.

adnata, *Antiquerula* nominatur, præstans etiam & populosa; situ plano. Incolæ *Antiquerulani* vocantur ab *Antiquera* opido, unde huc profecti memorantur. Hi Byssum, Holosericum, Karmesinum, Bambacium, Damascenam, variasque præstantioris pretij telas magna copia neque contemnendo quæstu conficiunt. Sed ad Metropolis hujus Regni delineationem hæc sufficiant: perlustremus alia nonnulla ejusdem Opida.

Aliæ Vrbes & Opida: Malaga, nomen fere retinet.

Quod ab Interni Maris littus hodie *Malaga*; μαλάκα Straboni & Ptolemæo vocatur; μαλάκη Stephano; *Malaca* Antonino; *Malacha* corrupte & contra Veterum Codicum fidem, cum adspiratione in Vulgatis Plinij Exemplaribus; *Malecha* corruptius Gratiano in Decretis. Vrbs est Episcopalis, Situ, Civium frequentia, Rerumque omnium copia celebris. Eo variarum nationum Mercatores, potissimum vero Belgæ, magno numero singulis annis confluunt, ad exportandos, quos Vindemia hoc loci suppeditat, delicatissimos fructus. Portum enim habet commodissimum; cujus etiam Festus Avienus meminit in Maritimis:

> *Et rursus inde si petat quisquam pede*
> *Tartesiorum littus exsuperet viam*
> *Vix luce quarta. Si quis ad nostrum Mare*
> *Malacaque portum semitam tetenderit*
> *In quinque Soles est iter.*

Vrbs contra hostiles insultus usque adeo munita, firmisque mœnibus est septa, ut Valli invictique Propugnaculi vicem contra Africam obtineat: ideoque ab Rege Armamentarium totius fere Hispaniæ hic locatum; omni Armorum, Machinarum bellicarum, Commeatusque genere instructissimum; ex quo maximis Impensarum sumtibus perpetuum Præsidium in suis Africæ opidis sustentat atque communit. A Phœnicibus conditam nonnulli adserunt, anno ante Christum natum IↃcccxxxx. Fictilia Vasa conficiuntur hic nitidissima. Cives *Malacitani* in antiquo Marmore, quod Romæ. Flumen ejusdem cum Vrbe nominis, memorat Avienus, quem dixi:

> *At propter hos mox est Iugum Barbetium;*
> *Malacaque flumen Vrbe cum cognomine.*

Velis Malaga.

De Malaca etiam auctor Commentarij belli Alexandrini: *Ipse omnibus rebus celeriter correptis, Malacam contendit.* Ab hac Vrbe Gados usque iter describit Antoninus, CXLV millium passuum, per hæc opida, *Sivel* (σῦελ Ptolemæo, *Molena* vulgo putatur) *Cilnianam*, *Barbarianam*, *Calpe-Carteiam*, *Portum Album*, *Mellariam* (*Beiar de Melena*, vel *Beiar de la miel*, alijs *Tariffa*) *Belonem Claudiam* (*Tariffa*, quibusdam *Brabate*) *Baesipponem*, *Mergablum*, *Ad Herculem* & *Gades*. Quinto hinc lapide, versus Solis ortum, distat *Velis Malaga*, haud procul Mari Mediterraneo: opidum amœnissimis cinctum campis, fructiferisque Collibus, in quibus Arx ab Afris olim condita conspicitur. Ibi Vuæ passæ, tam quæ vulgo *Passa de Lexia*, quam quæ cæruleo colore *Passa de Sol*, colliguntur. Aspera Montium Iuga tam hic sunt præcelsa, ut ex eorum cacuminibus Herculeum non solum Fretum, verum etiam Barbariæ (ut vulgo vocatur) littora, ac Montes, atque adeo Africæ Opida Ceuta & Tingis, in faucibus Freti sita, commodissime conspici queant. Incredibilem Pagorum frequentiam soli fere Mauri, ex postrema profligatione superstites, inhabitant: Christianam Fidem professi peculiari suo, ex antiqua consuetudine, utuntur vestitu & Lingua: Montes Vitibus Arboribusque fructiferis conserunt, vicinaque loca tam decenter suo labore exornant, ut spectatu valde sit jucundum, uberrimosque annuo proventu fructus colligant; quos hujus opidi Incolis divendunt; à quibus deinde Mercatores exteri coemtos, navibusque onerarijs impositos in varias totius Vniversi partes exportant. Ad maris littus amplissima est Domus, *La Torre de Velis*, appellata; in qua varia sunt loca peropportune disposita, in quæ omnia, quæ vicinū Territorium suppeditat, Bona comportata, antea, quam evehantur, Vectigal Regi persoluunt.

Almeria, olim Abdera.

Almeria etiam Littori est adposita; Ἄβδαρα Ptolemæo, & Αὔδηρα Straboni: μέγας etiam λιμὴν Ptolemæo, Magnus Portus, ut vult Coquus: Condita putatur ab Thracibus, nomenque adepta ab Abdera Thracum Vrbe, quam Diomedis Soror Abdera condidisse scribitur, conditæque ab se nomen imposuisse.

Alhama, olim Artigi.

Alhama, Ἄρτιγις Ptolemæo, *Artigi* Plinio, qui eos *Iulienses* cognominat: Opidum septem distans Granata milliaribus; ab Mauris, ut Historiæ loquuntur, conditum, situ amœnissimo;

nissimo: ab Natura varijs locupletatum dotibus, & ob voluptatem ubertatemque Genio Gratijsque dicatum. Quidquid hic ab DEO Opt. Max. largissime conlocatum superant infinitis modis uberrimi Thermarum Fontes; quibus meritissimo jure princeps inter Hispaniæ miracula locus. Aquæ illis tam illimes, limpidæ & perspicuæ, ut vel exiguus in fundo Numulus perfacile agnosci queat. Moderati sunt Caloris, quem nudum hominis corpus fert commodissime: Grati Saporis, quæque potæ varijs corporum Morbis curandis efficacissimæ. Multis inde votis expetuntur; adeunturque undique, Martio præcipue Septembrique Mensibus, quibus maxime salutares. Iuxta est Domus ampla Hospites ex varijs Hispaniæ locis accurrentes suspiciens; non Equis solum ipsorum & jumentis omnem commoditatem; sed ipsis etiam Cubicula, Lectos, quidquid denique necessarium liberaliter præstans. Prope Opidum præcipites arduorum Montium rupes visuntur; inque earum una Crucis conspicitur Signum, quod quænam Mortalium Ars, quæque Industria in Dorso Montis, quum non modo ascensu difficile, sed plane inaccessum sit ejus fastigium, collocarit, prorsus ignoratur. Ex his Montibus Rivulus gravi murmure delabitur, qui ex nivosis haud procul Granata Montibus tanto frigore promanat, ut nomen inde fuerit sortitus. Dicitur enim *El Riofrio*, Rivulus frigidus. Thermarum muros adluit; caldam Thermarum aquam absorbtam secum abripiens. Quæ *Antequera* vulgo *Anticaria* est Antonino; *Singilia* dicitur Plinio, cui cognominis ibidem est Fluvius *Singulis*. Opidum ab Mauris constructum, situ montoso & inæquali. Castrum habet in Montis Vertice amplum & bene munitum, cui nomen *Alcassalia*, peramœna Regum Granatensium, plurimum olim, sedes. Portæ omnes sunt ferreæ. Seruantur ibi hodieque multa bellica Maurorum Instrumenta, Loricæ, Spicula, Gladij, Scuta ex pelle ferroque adfabre confecta, squamosa item & ossea Instrumenta, quibus anteriorem sinistri brachij partem communiunt, ne dum Sagittas sæpius in hostem contorquent, recurrentes Arcuum nervi Manicarum plicis impediantur. Videntur & oblongæ Maurorum hastæ: Sagittæ, hamato, quod acutum valde, ferro præmunitæ; Arcus ex nobilissimo confecti Ligno, quod ob subtilitatem humoris extensum mira facilitate in priorem redit situm. Arci adhabitant, Loci amœnitate capti Aerisque puritate adducti, Nobiles: Planiciem Agricolæ incolunt, magnum facientes quæstum partim ex Agris, partim ex opera Salaria. Nam in vicinis opido Montibus plurima sunt Loca, Salinis naturæ benificio oportuna: ubi passim incredibili abundantia candidi Salis grumos est conspicere, quod non Ignis adminiculo, sed Solis ardore concoquitur. Æstivis enim Mensibus tam fontana, quam pluvialis Aqua in his montibus conlecta vehementi Solis ardore concrescit, ac tandem excoquitur: unde tantam Salis copiam Adcolæ conficiunt; ut magnam partem huic Hispaniæ tractui sufficiat. Fiunt hic illa suspiciendæ Capacitatis Vasa fictilia, quæ *Ventriosa* quis non inepte dixerit, ad condenda & adservanda Cibaria, & cujuscunque generis Liquores, Aquam, Vinum, Oleum, Cappares, Olivas, & id genus alia: Vulgus *Tenaias* nuncupat. *Iova* situs tam amænus est, tamque elegans, ut universæ Granatæ audiat *Hortus*, tanta excultus diligentia, ut in eum Ops, Magna Rerum omnium Mater, plenum efficacium Herbarum Fructuumque optimorum cornu larga manu ecfudisse videatur. Fervent etiam hoc loco Venationes, eo quod ob miram Pabuli abundantiam passim Leporum & Cuniculorum greges in patentibus Campis, Pascuis, atque Nemoribus Venantium oculis obversentur: quibus insidiæ struuntur vel Canum sagacitate, vel solertia Mustellarum, quas in specus & occultiores Terræ recessus inmittunt ad Cuniculos è Cubilibus suis exturbandos, exturbatosque capiundos. *Septenilium*, vulgo *Settenil* Granatæ opidum in Monte, positione prorsus mirabili: pleraque Incolarum Damicilia habens subterranea, in cavernosis excisa rupibus. Solum quale in montibus frequens, asperum & lapidosum, Aratri impatiens; sed pecoris, varij generis, dives. Quæ haud procul Malaca, vulgo *Ronda* nominatur, Plinio *Arunda*, Ptolemæo Ἄρυνδα: quę *Guadix* nunc, Ἄκκι Ptolemęo est, *Accitana Colonia* Plinio: quę *Veria*, Ptolemęo Βάρεια dicitur, *Barea* Plinio: quę *Osia*, Καλίκουλα Ptolemęo appellatur: quę denique *Almunecar* hodie, *Menoba* creditur Plinio, Ammiano, & Antonino vocata, Μάινοβα in Bastulorum regione ad Ibericum mare Ptolemęo; Μαίνοβα Straboni: corrigendus videtur Stephanus, apud quem legitur,

Μαινοβωρ

Antequera olim Singilia.

Loxa.

Septenilium vulgo Settenil.

Ronda, olim Arunda.
Guadix, olim Acci.
Veria, olim Barea.
Osia, olim Calicula.
Almunecar, olim Menoba.

Μαινόβωρα πόλις μαστηνῶν. *Menobæ* etiam Fluvi meminit Plinius hoc tractu, quem navigabilem esse perhibet.

De Ortu & Initio Regni Regumque Granatæ legendi cum alij, tum Rodericus Sanctius Parte I. de Rebus Hispan. cap. xv. Bellum autem Granatense, Regnique expugnationem delinearunt Petrus Sancteramus Siculus Civis Messanus, Ferninandus Pulgarius Hispanice, cujus Historiam in Latinum convertit sermonem Antonius Nebrissensis, qui & ipse lib. I. Dec. II; Petrus Martyr Protonotarius; Gonsalus Ajora Cordubensis, Regius Historicus, Alphonsus Palentinus, Tristanus Silvius, Karolus Verardus, L. Marineus Siculus de Rebus Hispaniæ libro XX. & alij. Regni Granatensis initium. Bellum Granatense.

Cap. XXIV.

Andaluzia.

ANDALVZIA ad Ortum habet Granatam, ad Septemtrionem Castellam Novam, ad Occasum Pacensi Silvensique Diœcesibus & Ana Flumine terminatur, ad Meridiem Atlanticum spectat Mare. Nomen adepta dictaque quondam *Vandalia* putatur ab *Vandalis*, Germaniæ populis, quos olim ad hæc usque Loca devenisse, multi memoriæ produnt, & nos alibi diximus: Videndi præter alios Rodericus Sanctius parte I. Hispaniæ cap. VII, Antonius Nebrissensis in Decadum Prolegomenis, Ioannes Vasæus Hispaniæ Chronico cap. VIII. Sic igitur, ut nonnullis nomen penitius rimatis placet, *Andaluzia* appellatur quasi *Wendenhuys*, *Vandalorum domus*. Marius Aretius *Andaluziam* vocatam auguratur, quasi *ante Lusitaniam*, mutatis nonnihil litteris. Regio est, quæ insigni rerum omnium fertilitate luxuriat, cunctas universi Terrarum Orbis Provincias eo nomine facile superans. ANDALVZIA.

Tenuisse quondam hæc Loca existimantur *Cunei*, Κυνεοι Appiano in Ibericis; quorum urbs eidem Κυνιστοργις; Straboni lib. III Κονιστοργις; ubi hodie *Chucena* ad Fluvium, cui nomen *Guadiamar*; alijs ubi *Niebla* inter fluvios *Luxiam* & *Vrium*, quorum hic *Rio Tinto* vel *Rio d'Azeche* hodie, olim etiam *Iberus*; ille *Rio Odier*. *Celti*, Κέλτοι Straboni ad Bætim Fluvium. Herodotus eos locat extra Cippos Herculis; Cynesis, de quibus mox, finitimos. Corrupti sunt *Celti*, opidoque misti apud Plinium lib. III: sic enim legitur: *Opida Hispalensis Conventus Celti a vana, Caniama, Acua Lipa cognomine Illa Italica*; Emendandum *Celti, Ara*. Τυρδῦλοι simpliciter (nam tria erant illorum genera) sic dicti; à quibus, Augusto Imperante, Ταρτησσὶς habitabatur, Strabone teste; cui ea circa ostium Bætis Fluminis delineatur: Calpe contiguam facit idem Strabo ex Eratosthene; & *Erythiam* Insulam Fortunatam etiam *Tartessidem* vocatam scribit. Eo referendum Silij illud libro XVI belli Pœnici; Habitata quondam ab Cuneis. Celtæ. Turduli. Tartessius Regio.

Nam

Nam repeto Hercyleas Erythræa ad littora Gades.

Campi Arganthonij.

Tartessiacum Tractum Campos *Arganthonios* vocari solitos notat Iosephus Scaliger in Ausonium, ab Arganthonio Regulo, quem ibi regnasse Veterum historiæ testantur. Hodie *los Campos de Tarif.* In hac Hispaniæ parte ad Bætim Fluvium fuit Locus, qui *Ianus Augustus* dicebatur; unde ad Oceanum usque Viam stravit Tiberius Imperator. Loquitur Inscriptio, quæ Cordubæ:

Ianus Augustus. Via publica.

TI. CÆSAR. DIVI. AVGVSTI. F
DIVI. IVLI. NEPOS. AVGVSTVS
PONTYF. MAX. VI. COS
V. IMP. TRIB. POTEST. XXXVII
AB. IANO. AVGVSTO. QVI. EST
AD. BÆTEM. VSQVE. AD
OCEANVM
LXIII

Metropolis est, quæ *Hispalis* Plinio; Ἵσπαλις, Ptolemæo; Ἵσπαλον Philostrato; *Hispal* κατ' ἀποκοπὴν Silio Italico lib. III Belli Pœnici:

Et celebre Oceano atque alternis æstibus Hispal.

Spalis (unde *Spalense Concilium*) Graciano in Decretis. Hodie *Sevilla*; quod nomen antiquius, quam putatur; quum hoc loco Tartesiæ Vrbs Ἴσβυλλα ponatur Stephano; pro qua hodie *Sivilla*, quemadmodum Salmantica pro Ἀλμάντικα Polybij, vel Ἑλμαντικὴ Stephano; pro *Exitania*, *Sexitania* & similibus. Hispalis etiam apud Plinium legitur *Colonia Romulensis*. Hispalis Etymon sic indicat Arias Montanus, scribens ad Abrahamum Ortelium: *Hispalis*, inquit, *nomen Phœnicum est ex* Spila *vel* Spala *deflexum, quod planiciem sive viventem regionem significat, qualis ejus Territorium conspicitur. A Græcis vero addita est Adspiratio. Arabes autem, quod P litteram non habent, ob idque pronunciare nequeunt, fere ad nativam vocem referentes*, Sbilla *dixerunt: deinde Christianorum vulgus* Sevilla, *ut nunc, appellavit* Audiamus & Ælium Antonium Nebrissensem in Prolegomenis, qui, quum dixisset hanc urbem *Romuleam* dictam, *Hæc à Pœnis*, addit, *deinde Ispila, & à barbaris postea inversis litteris prioribus, & P in B mutata*, Sibilia *dicta, nunc* Sevilla *nominatur.* Alij, inter quos Franciscus Tar[illegible]ha, ad *Hispalim*, Herculis Libyci filium, nomen conditionemque referunt. Q[illegible]am ab Hispano Herculis Nepote exstructam & denominatam censent. Ridere[illegible]o, ut in multis, Isidorum; qui lib. Originum XV. cap. I. quum ab Iulio Cæsare conditam, exque ipsius & Romæ Vrbis vocabulo *Iuliam Romulam* notasset appellatam, à *Palis* suffixis in loco palustri sic dictam memorat. Io. Gerundensis Episcopus Paralipom. Hispan. lib. XII, non improbans Isidori Etymon adscribit, videri vocatam Hispalim à *Palude*, quæ maxima Vrbem circumdat. Vrbs ad Bætim Situ amœnissimo excellens, Ambitu magna, Forma fere rotunda, Visu pulcra, Templis celebris. Ædium pulcherrimarum frequentia nitidissime culta, Plateis Vicisque insignis, Hortis Fontibusque Hilaris, Mœnibus Turribusque valida, Propugnaculis tuta, Campis jucunda, Frugibus abundans, Olivetis felix, Civibus plena, Mercatorum commercijs dives, Mechanicis Artibus nobilis, Academia (in qua, præter Avicennam & alios, floruit Leander, qui sua industria Hermigildum & Richardum Gothorum Reges ab Arriana Hæresi ad Religionem Catholicam adduxit) & Studijs liberalibus inlustris, Opulentia sua plerisque Hispaniæ Civitatibus anteponenda: Ostio Oceani (cuius vere perhibetur Regina) navigabili Fluvio, ligneo Ponte, quem parva Navigia catenis compactum sustinent, (vulgo *Puente de Triana*) delectabilis. Carmen, quod in Vulgatis Ausonij Exemplaribus inter Vrbium Encomia Emeritæ adscribitur, Codices cum primitus editi, tum calamo exarati *Hispali* tribuunt; verbis hoc modo conceptis:

Etymon.

Laus.

HISPALIS:

Iure mihi post has memorabere, nomen Iberum,
Hispal, æquoreus quam præterlabitur amnis:
Submittit cui tota suos Hispania fasces:
Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certant,
Quaque sinu pelagi jactat se Bracara dives.

Et sane

Et sane *Hispali* magis, quam Emeritæ conveniunt Ausoniana illa. Probat, præter alia, Argumentum illud validissimum, quod *Hispal* Iberum Hispanumque sit nomen; Emerita autem Latinum. Cætera vide apud Eliam Vinetum doctissimum Ausonij Interpretem. Portas habet *Hispalis* XII, quibus hæc vulgo nomina, *Puenta del Arcenal*, II *de Triana*, III *de Golis*, IV *de S. Iuan*, V *de la Almenilla*, VI *de Macarena*, VII *de Cordoba*, VIII *del Sol*, IX *del Osurio*, X *de Carmona*, XI *de la Carne*, XII *de Gerez*. Suburbia primæ Classis illa, quæ vulgo *El Tablado* & *Triano*: hoc à tribus circiter Civium millibus habitari dicitur; in quo ad Pontis Caput Palatium superbit, Inquisitioni (unde *La S. Inquisitione*) sacrum: in illo infinita nuper, præcipue anno CIƆ IƆ LXV sunt eruta, hodieque eruuntur, ex terra venerandæ Antiquitatis Monimenta, Tymbi, lapideæ ac vitreæ Lampades, Vrnæ, Numismata, idque genus alia. Inter Templa sane primas tenet illud, quod *D. Mariæ* consecratum; quo nullum habet Christianus Orbis excellentius, si quis operis amplitudinem spectet & majestatem, Turrimque summæ altitudinis, editissimo operosissimoque fastigio admirabilem: unde in universam Vrbem Camposque latissime lætissimeque circumjacentes jucundissimus est prospectus. Cochleam intus habet, per quam Eques commode adscendere potest. Qua fere summa est, ambitur ab hac Inscriptione, TVRRIS FORTISSIMA NOMEN DOMINI, PROVERB. XVIII. In supremo Apice *Fidei* est Statua ærea magnitudine hominem referens, versatilis Ventorum Index. Nihil hic dicam de Arcis regiæ ornamentis vere regijs; de sumtuosis Ducum, Comitum, illustriumque Procerum Palatijs, deque alijs cum publicis, tum privatis Ædificijs. In vicino Vrbi Agro Domus amplissima visitur, *El Mattadero* nuncupata; in qua, optima Politiæ ratione, mactantur Oves, Boves, aliaque Animantia; quorum Carnes Hispali Civibus mox divenduntur. In patentissimo vero Campo juxta hanc Domum jucundissimum spectaculum præbet Taurorum, quos robustissimos ibi saginant, Capitis Pectorisque robore præstantes. In hos, spectaculum edituri, Molossos Magnosque exstimulant Canes, quibus satis alioquin per se feroces, truces ac torvos, prius quam eos mactent, efferare solent. Illi in Canes magna rabie insilientes ignem naribus spirant, terram pedibus feriunt, in altum spargunt arenam, frontes adversarijs obferunt, tantoque adoriuntur impetu; ut eos Cornibus exceptos in aërem alte proijciant, inque cornuum cuspides rursum delabentes exspectent. Est & ad Hispalim Aquæ ductus incredibilibus impensis opere fornicato ab Mauris exstructus; qui excavato viæ dimidiati Miliaris spatio jucundam Incolis Aquationem præbet, unde quamplurimi Fontes ad Civium necessitates diriuantur. Mirabile dictu quanto itinere, sex nimirum milliarinm, per cæcos terræ meatus à Carmona opido scaturientes Fontes in hunc Aquæductum deducantur: unde *Los Cannos de Carmona* Hispani nuncupant. Haud procul Hispali vasta jacent convulsæ Vrbis atque Theatri rudera: Locus Hispanis *Sevilla la Vieja* audit. Putant Viri Magni eam hic fuisse Vrbem, quæ *Italica* Ptolemæo, Antonino, alijs. Nummum laudat Abrahamus Ortelius Tiberij Cæsaris in cujus aversa parte hæc leguntur: DIVI. AVG. MVNIC. ITALIC. PERM. Onuphrius inter Colonias Romanas numerat ex Agellij lib. XVI, cap. XIII. apud quem D. Hadrianus (qui, ut & Traianus, hinc ortus) in oratione, quam de Italicensibus in Senatu habuit, peritissime disseruit; mirarique se ostendit, quod & ipsi *Italicenses*, & quædam item alia Municipia antiqua, in quibus *Vticenses* numerat, quum suis moribus legibusq; uti possent, in Ius Coloniarum mutari gestiverint. Ejus Ager *Italicesia* dicitur Stephano. In vetusto Exemplari Historiæ Lucæ, Tydensis Episcopi, in Limitatione, quæ circumfertur, Diœcesium Hispaniarum Provinciarum hæc habentur: *Inveni in Chronicis; quod Italica est Hispalis Antiqua, unde populata fuit hæc Hispalis, qua nunc est.* Falsum. *Hispalis* enim cum *Italica* facile antiquitatis nomine certat. Pagus sane, qui *Vetus Hispalis* cognominatur, non immerito censetur *Italica*, quum & in limitatione Agrorum ab Ferdinando Rege, qui eam Mauris extorsit cum alijs infinitis, facta, nomen *Talca* retineat. Temere credidit Petrus Crinitus, ab hac Italica genus cognomenque duxisse *Silium Italicum*. Dici enim debuisset *Italicensis*, uti docet Surita. *Ierenna* famosus est prope Hispalim locus ob mirabilem Saxorum in circuitu dispositionem tanta copia in terram defixorum, quasi cœlesti pluvia huc essent delapsa. Terræmotu illud putatur factum; quo multa ædificia Hispali, Cordubæ, inque vicinis locis frequenter corruerunt. Emporium porro est Hispalis omnium Eu-

Pons. Portæ. Suburbia. Domus Inquisitionis. Templum D. Mariæ. Publica Ædificia Privataque. El Mattadero. Taurorum Venatio. Aquæductus. Los Cannos de Carmona. Sevilla la vieja. Ierenna.

ropæ Vrbium florentissimum, & amplissimum Mercium Indicarum, quæ ex Occidente advehuntur, Receptaculum; quodque ad illud Negociationis culmen adscendit, ut Privilegium fuerit consequutum, ne quæ Naves in Indiam, quod Aprili mense fieri solitum, solvant, nisi quæ mercibus in hujus Vrbis Portu oneratæ, quæque Machinis & Tormentis bellicis, Commeatu, Milite, alijsque ad tantam navigationem necessarijs, serenissimi Hispaniarum Regis nomine, ibidem instructæ: quæ ex India Auro, Argento, preciosissimisque Thesauris, quos anteacta Secula non noverunt, constipatæ mensibus Augusto & Septembri quotannis feliciter recurrentes necesse itidem habent ad eiusdem Vrbis littus adpellere, Mercesque ibi primo exponere. In eum finem magnifica ibi est multoque adparatu nobilis Domus, cui ab Indicis Negocijs, geri tractarique ibi solitis, nomen impositum. *La Casa de la Contractiον de las Indias*; Gubernatorem habens & XII Consules, quorum consilio auctoritateque omnia ibi administrantur. Hispalis Divitijs adeo pollet, ut sola Regi suo, cujus Nomini Numinique devotissima est, sesquimilionem Aureorum in singulos annos obsequij & vectigalium ergo, libentissime reddat; quantum multi Principes ex integris Regnis corradere vix possunt. Tam multa de hac Vrbe præclara commemorari possent, ut natum sit inde & tritum vetustate Proverbium, *Qui no ha visto Sevilla, no ha visto Maravilla.* Cum alijs felicis ingenij alumnis gaudet, tum Benedicto Aria Montano, nobilissimo & summo Theologo, plurimarum Linguarum cognitione stupendo. Testantur id Opera ab ipso edita, quæ summam ejus admirationem apud omnes excitant: inter quæ primas merito sibi vindicat Veteris ac Novi Testamenti ad Græcam, Hebraicam, Chaldaicam & Syriacam Linguam translatio: deinde Commentariorum opus in XII Prophetas, & in reliquos Majores Paraphrasis; Liber Generationis & Regenerationis Adam sive de Historia Generis humani; Opus de Optimo Imperio, sive in Librum Iosuæ Commentarium: alia prætereo. Primo ab Hispali Lapide Veteris Castri sunt ruinæ incredibili magnitudine, in Colle ad Bætim fluvium: nominantur vulgo *S. Iuan del Forutche*. Ex Ruderibus erutisque Antiquitatum titulis patet ab Gothis quondam constructum. Hispali Nemus adjacet ad XXX milliaria expansum, Oleis consitum. Ab hac urbe tria procedunt apud Antoninum Itinera: I *Cordubam*, II *Italicam*, III *Emeritam*.

La Casa de la Contraction de las Indias.

S. Iuan del Foratche.

Nemus Hispalense.

Metropoli visa, reliquarum Vrbium nonnullas indicabo, Ordinis incuriosior: sic tamen, ut quasque Metropoli suæ proximas primo loco. Offert se quinta ab Hispali leuca *Palatium* vel *Palantia*, quod vulgo *Palacios*, sic dictum ab Arce perantiqua quã lateri habet adhærentem. Via situm, quæ ad S. Lucæ Fanum Fretumq; Gaditanum ducit, cum ex Agricultura victitat satisque floret, tum ex frequentia Viatorum, qui hac Nebrissam contendunt, Viam depressiorem tenentes, qua Paludes & Æstuaria Fluminis (*Marisma* nominant Hispani) ad quinque milliaria late se extendunt, & hiemali tempore ex Bæti flumine Itinera tam sunt uliginosa, tamque invia; ut hac commodus non pateat transitus, sed altior sit tenenda via Alcantaram & Caberam versus: vice autem versa æstate tam densis obsita sepultaq; pulveribus, ut transitum fere denegent; sed, quemadmodum in mari navigantibus, opus sit Indice Magnetico, ne quis in maximo Solis ardore, via consueta aberrans siti conficiatur. Mirum enim non est invenire hic subinde Viatores Solis æstu sitiq; enecatos. Hinc iter hac facturi de Vino sibi provident, coriaceas Lagenas Equorum Ephippijs adpendere soliti: *Borateias* lingua patria vocantes. Nulla enim in tanto quinq; magnorum Milliarium spatio inveniuntur Hospitia: quũ totus ille tractus ob Aquarum abundantiam Hieme, ob intolerabilem Calorem Aestate sit inhabitabilis, & proinde incultus horridusq;; ne vna quidem Arbore occurrente, sub cujus umbra refocillare se viresque debilitatas & amissas recuperare quis queat. *Alcantara*, Hispanis *Alcantarilla*, Pons est in Palentiæ quidem Paludibus, sed ad latus sinistrum, Meridiem versus à Flumine Bæti aliquantulum disitus & paullo editiore loco. Structuræ magnificentia opus esse Romanum ostendit. Vtroque in latere Majoris Turris Peristylia, Bases & Capita Columnarum apparent, quæ hic ex viridi Iaspide positæ erant, nunc in templum Hispalense ad Altaris ornatum translatæ. Hic Pons ad superandam Paludis difficultatem constructus, ab L. Marineo Siculo cum Segoviensi celebratur, lib. 1. de Rebus Hispanicis, capite de Regni Fluminibus. Est enim altitudine opere & artificio mirabilis. Altera ex parte Mesquita est vetus Maurorum Delubrum, nunc

Aliæ Vrbes & Opida.

Palatium, vulgo Palacios,

Alcantarilla.

nunc pietati Christianæ dicatum semperque claussum: ex altera *Venta*, id est Hospitium; qualia per totam Hispaniam multa conspiciuntur. Pontem transgresso ad primum lapidem offerunt se *Cabecæ*: opidulum in Montium, qui in Meridiem Malagam versus se extendunt, aditu situm. *Cabecas.* Vrbem quomdam fuisse magnam, Rudera loquuntur & Mœniorum Vestigia. Quia vero *Cabecas* idem quod *Capita* sonat, Opidani vulgare hoc jactare sunt soliti, sibique laudi ducere: *Non se haze nadà nel Consèio del Rey sensa Cabecas*; quod interpretantur, *Regis consilium sine Capitibus*, id est prudenti judicio, cui sedes solet esse in cerebro, *numquam coire*. Cabecis versus Libonotum ad tertiam Leucam succedit Opidum. quod vulgo *Lebrixa*; Νέβρισσα Ptolemæo. *Nebrissa vulgo Lebrixa.* Plinius *Veneriam* cognominat. Situm fuit olim inter Bætis Æstuaria, hodie octo passuum millibus ab Flumine, oblimato sinisteriore Alveo (ut lib. I dixi, cap. VI) distat. Conditor perhibetur Liber Pater. Silius ab Satyris cultum canit, propter ipsum nomen. Νεβρὶς enim Cervina Pellis, qua Bacchantes Sacerdotes induti Libero sacrificabant. Silij verba lib. III sunt hæc:

At Nebrissa Dionyseis conscia Thyrsis,
Quam Satyri coluere leves, redimitaque Sacra
Nebride, & Hortano Mænas nocturna Lyæo.

Opidulum est peramœnum & pulcrum cum Arce perveteri, Agro undique beatissimo cinctum. Quocumque egressus te vertas, versus Meridiem præsertim Ortumque patentes te excipiunt Campi, Prata Floribus læta, Arva frugibus onusta, Vineta & maxime frequentia Oliveta. Cive nobilitatum est Ælio Antonio, Hispaniæ totius Ornamento; qui, ex Grammatico & Rhetore Historiographus factus Regius, Rerum ab Ferdinando Hispaniarum Rege gestarum Decadas duas, magna cum laude, conscripsit. Quæ *Carmona* vulgo, Κάρμων Straboni est; *Carmo* Antonino, *Carmona, olim Carmo.* ut & Auctori de bello Alexandrino, apud quem tamen alio loco corrupte *Carbona*, vel, ut in alijs legitur Codicibus, *Carniona*; ex quo *Narbonem* nonnulli temere fecerunt. Χαρμονία Ptolemæo, parum fortean emendate. Incolæ Plinio *Carmonenses*, Cæsarique lib. II de bello Civili, qui longe fortissimam totius Provinciæ Civitatem ipsorum appellat. Nummum habet Surita, vetustissimæ notæ, qui in una parte Veri effigiem præfert; in aversa vero facie sculptum gerit Opidi nomen, CARMO, inter duas Spicas, fertilissimi Agri ad idem opidum Symbola. *Marchena* hodie, *Marchena, olim Marcia.* *Colonia* quondam, inquit Onuphrius ex antiqua basi, *Marcia*. Conditam putant quidam ab *M. Marcello*, vel *L. Marcio*, qui Cn. Scipione apud Vrsaonem mortuo, Romanorum ductavit in Hispania Copias. Situm est hoc Opidum in Colliculo quodam, ubique planicies spectante. Suburbium est opido majus, ad Solis Occasum, qua Hispalim (unde novem milliaribus dirimitur) est iter. In eo fons est è regione Xenodochij, magnam, quæque Civibus omnibus sufficiat, Aquarum copiam eructans. Notatu illud dignum censui, quod Ager hujus Opidi, quamvis rerum omnium, præsertim Olivarum feracissimus, omnino tamen Fontibus, Rivulis, Aquæque ductibus careat; ita ut Agricolæ sæpenumero Aquarum laborent penuria, quæ Messem facit rariorem. Est ibidem hoc ævo nostro Ducum Arcobrigæ Sedes gentilitia; qui è Pontiorum nobilissimo stemmate orti Marchionatum Gaditanum cum Hispaniarum Rege commutarunt; atque hoc suum Municipium longo temporum intervallo ita exornarunt, ut cum vicinis opidis de Civium frequentia, Aedificiorum pulcritudine, Messiumque abundantia audeat concertare. L. Marineus Siculus opinatur eam esse, quæ Cæsari Plinioque *Ategua*, *an & Ategua.* Ἀτήγυα Dioni. *Ateguæ* tamen vestigia haud procul ab *Alcala Regali* indicat Navagierus, fontemque ibidem nomen quodammodo servare notat; vocari enim *Fuente de Teivela*. *Ategua* Morali est *Tebala Vieja*, qui eam quoque *Teguam* nuncupari addit. *Tebe* nunc appellari memoriæ prodit Io. Mariana, distareque ab Corduba XVI lapide. Sunt & Andaluziæ Opida *Lora* ad dextram Bætis ripam: *Axalita* *Lora, olim Axalita.* vetustis lapidibus, teste Clusio; *Flavium Axalitanum* Ambrosio Morali ex antiqua item Inscriptione: inter Hispalim est & Cordubam. *Moron* olim, ut scribit Clusius, *Moron, olim Arucci.* *Arucci*; notantibus Plinio, Antonino, & prisco Lapide. *Ossuna* Ὀρσῶνα Appiano in *Ossuna, olim Vrsao.* Ibericis, οὐρσῶν Straboni; *Vrso* Plinio, cui & *Genua* (forte *Gemina*) *Vrbanorum*; *Vrsaon* in antiquis hujus loci Inscriptionibus, uti tradit Navagierus; *Vrsao* Belli Hispaniensis Scriptori, qui antiquissimum esse hoc Opidum, & maximi aliquando fuisse mo-

menti his docet verbis: *Cæsar Gadibus rursum ad Hispalim revertit. Fabius Maximus; qui ab eo relictus erat ad oppugnandum Præsidium, tandem Vrbem cepit: ac deinde Vrsaonem profisciuntur, quod Opidum magna munitione tenebatur, natura firmissimum. Aqua, praterquam in Opido ipso, nusquam reperiebatur proprius millia passuum octo, nec habebant ligna vel materies ad oppugnandum. Ita necessario deducebantur nostri, ut à Munda, quam proxime ceperant, Materiem illo deportarent.* Apud eundē & alio loco legimus hodie vitiose *Saonem & Versaonenses,* pro *Vrsaone & Vrsaonensibus.* Conveniunt autem Hirtij verba cum hodierno situ. A *Munda Vrsaonem* usque unius diei est iter: Opidum Aquam nullam habet conterminam; Arborum genus similiter nullum; præter Olivarū copiam; quas proculdubio Pœni, Romanis Hispanisq; ad terræ cultum procliviores, post immanē illam Gothorum Provinciæq; totius Cladem: ibidem plantarunt. Inventa commemorantur ibi Fragmenta quædam testacea, quæ sequentes litteras præferebant: OFF. PATR. VRS. Interpretantur nonnulli *Officium Patrum Vrsaonis,* vel *Officinam Patritiorum Vrsaonis:* fieri addentes in hac Regione Vasa & Dolia multa fictilia; eo quod Gleba his talibus fingendis sit aptissima. Est autem nostro hoc ævo Ducatus Caput, Sedesq; primaria *Gironum* Familiæ; quæ, relicto *Vrenæ* Comitum titulo, Ducum *Osunæ* anno cIɔ Iɔ LXII, Rege Philippo adnuente, vindicare sibi cœpit. Historiam hujus Stirpis contexuit Hieronymus Gudiel. Academiam hic Principes erexerunt anno cIɔ Iɔ XLIX; in qua omnes fere scientiæ docentur. *Eceia* ad Singulim fluvium, hodie *Xenil* vel *Chenil.*

Ecia, olim Astigis.

Ptolemæo cluit Ἀστυγὶς: quod *Astigi* vocetur in antiquis Inscriptionibus docet Clusius: *Augusta Firma* cognominatur à Plinio. Dictum *Astygis,* ut quidam fabulantur ab *Aster* Memnonis auriga. Hujus opidi Divitiæ & negotiatio potissimum in Lanæ mercatura consistit, ob incredibilem Ovium hoc loco copiam. Pontem habet ad Latus Orientale ex Lapide vivo fornicato. Iuxta Supplicij est locus; *El Roillo* appellatus. Quod opidum non adeo magnum, hodie tredecim ab Hispali leucis vilitur, inter eandem Hispalim & Cordubam medio fere itinere, ad dexteram Bætis oram, *Peña Flor,* Ptolemæi putatur Ἴλιπυλα μεγάλη, in mediterraneis Turdulorum; *Ilipa* cognomine *Ilaica* Plinij, qui Hispalensi Conventui attribuit. Decimo hinc Miliari ad ejusdem Fluvij ripam est *Corduba,* Κορδύβη Ptolemæo, *Cordoua* vulgo: Plinius *Coloniam Patriciam* tradit cognominatam; quod etiam ex antiquis Marmoribus probat Moralis. Nummum item æreum Augusti Imperatoris vidisse se scribit Abrahamus Ortelius, in quo legebatur COLONIA PATRICIA. Μαρκέλλου κτίσμα ἐ δόξῃ καὶ δυνάμει, inquit Strabo lib. III. Hanc C. Iulius Cæsar scribit in Ephemeridibus & Provinciæ suæ caput, & de Populo Romano bene semper fuisse meritam. *Corduba* tamquam *Cor Bætis* dicitur Ioanni Gerundensi Episcopo, lib. I Paralipomen. cap. de Fluminibus. Alumnos habuit rei militaris gloria, doctrinæque studijs præcellentes. Suos olim habuit Reges, qui finem acceperunt in *Humeia* quodam, circa annum cIɔ III. Beata hodie est *Corduba,* præter alia multa bona, fertilissimis Agris, Hortis amœnissimis, Aquis saluberrimis. Solum *Cordubæ* vocat aureum Silius Italicus lib. III.

Pena Flor, olim Ilipula Magna,

Corduba, hodie Cordoua.

Nec decus auriferæ cessavit Corduba terræ.

Ab hac Vrbe tria describit Antoninus Itinera; Duo *Castulonem (Caslona la veia)* Tertium *Malacam (Malaga)* Prius, quod Castulonem, per Millia passuum procedens XC XIX, Vrbes transit *Calpurnianam (Carpio nunc) Vrgaonem (Argione)* & *Iliturgi (Aldea el rio)* Posterius, per millia passuum LXVIII, Vrbes permeat *Eporam (Montero)* & *Viciense.* Tertium, quod Malacam ducit CCXCI est millium passuum, curritq; per *Tugiam, Fraxinum, Hectaram, Acci (Guadix) Albam Vrci, (* forte quod *Virgi* alijs, *Vera* vulgo *) Turanianam, Murgi (Murga) Sexitanum (Motrel) Cariclum, Menobam, Malacam.* Illud non immerito quis miretur, T. Livium in descriptione Belli Civilis, inquit Ioannes Vasæus in Hispaniæ Chronico, ubi de Episcopatibus Hispaniæ, quum multam Bæticarum Vrbium mentionem faciat, tamen Cordubæ non meminisse. Quinque leucis ab Corduba versus Meridiem *Mons* est *Maior,* vulgo *Monte Maior:* Οὐλία existimatur Ptolemæi, Turdulorum in Hispania Bætica Vrbs: *Vlia* Antonini: *Vlla* vitiose est apud Auctorem Belli tam Alexandrini, quam Hispaniensis. Villanovano *Vlla* hodie *Veisa* nominatur. In Opido certe *Monte-Maiore* elegantissima vetustorum Lapidum monimenta visuntur quæ satis docent eo loci Ruinas *Vliæ* jacere. Nummum habere se testatur Hieronymus Surita, in quo turpissima Viri effigies cusa cernitur, supra Lunæ crescentis Astrum, & ante os Spica sine Inscriptione: ex adversa facie Olearum ramusculi

Mons Maior, olim Vlia.

ramusculi sunt expressi, cum Vrbis nomine VLIA. Decem ab Corduba Miliaribus *Mons Aureus* est *Montoro* vocatur vulgo: *Epora* creditur Antonini. Male apud Ptolemæum Ἔβυρα pro Ἔπωρα, quum illa sit non Bæticæ, sed Lusitaniæ: pejus autē *Ripepora* in vulgatis Plinij Codicibus, ubi *Fœderatorum* cognominatur. *Eporensis Municipij*, Pontisq; ab eo excitati, mentionem facit Inscriptio, quam ibidem enotatam CL. V. Iusto Lipsio communicavit Nobiliss. V. Augerius Busbequius; Ea sic habet:

Mons Aureus, vulgo Montoro, olim Epora.

MEMORIÆ. DICATVM
CVM. VTILITATEM. PVBLICAM. TVTARI
EPORENSI. MVNICIPIO. CORDI. SEMPER. FVERIT
MERITO. HVNC. QVEM. CERNIS. LAPIDEVM. IN
GENTEMQVE. PONTEM. BÆTIS. FLVVI. RVPI
BVS. IMMINENTEM. ET. CVM TRAIANI. PONTE. CER
TANTEM. MAGNA. SVA. IMPENSA. AD. ÆTERNAM
GRATIAM. ET. MONVMENTVM. RERVM. EXCITAVIT
FACILES. ERGO. IAM. VIATORES. IBVNT
TANTISQVE. ELIMINATIS. PERICVLIS
RAPIDAS. SVBIECTI. GVRGITIS. VNDAS. CALCANTES
SECVRITATI
PERPETVÆ. GRATIAM. HABEBVNT

Hispalim recurro, hincque per Palatium, Alcantarillæ Pontem, Opidaq; Cabecas & Nebrissam, *Luciferi* peto *Fanum*. Sic Latini meo judicio nominarunt, quod Strabo libro III φωσφόρου ἱερὸν interpretatur; quodque appellatum etiam addit Λουκεμδουβίαν, *Lucem Dubiam*: hodie est *S. Lucar de Barrameda*. Haud procul hinc quarta fere Leuca versus Vulturnum, Opidum est, quod Hispanis *Xeres de la Frontera* dicitur, quasi Hispaniæ ex hac ora vel Initium vel Terminus. Hoc Navagierus in Itinerario putat esse, quod *Asta* Livio lib. XXVIII, Auctori de bello Hispaniensi, Plinio lib. III (qui *Regiam* cognominat) & alijs: Ἄστα Ptolemæo & Straboni, qui cum Nebrissa ad Æstuaria Bætis collocat: *Hasta* Antonino per adspirationem in libris tam Editis, quam Manu-scriptis. Auctor etiā Commentarij Hispaniensis memorat A. Bæbium, C. Flavium, & A. Trebellium Equites Romanos *Astenses*; qui argento prope tecti ad Cæsarem transfugerunt. *Astam* tamen Moralis scribit adhuc nomen retinere, vel locum illum esse, circa Guadeleten Amnem, qui vulgo *Masa de Asta*. Abrahamus Ortelius haud multum abest, quin submersam putet cum insula Tartesso in Bætis ostio. Præstantissimos Hispaniæ totius Equos & maxime pernices Ager hujus Opidi profert; *Genettas* vulgus nuncupat; eos Nobiles industria singulari docent, eorumque cursu in Hippodromis oblectantur, dum Equestres instituunt pugnas, in quibus Arundinibus & Cannis, Hastarum loco se mutuo exercent, eum ad modum, quo Mauri Hastas torquere & in hostes jacere solent. Eos Ludos *Juegos de Cannas* patria lingua nominant. Centum stadijs à Bætis ostio distat *Chipiona* opidum, quod non dubito, quin Καπίωνος πύργος sit Straboni lib. III, *Capionis Turris*, ἐπὶ πέτρας ἀμφικλύστου θαυμασίως κατεσκευασμένος, ὥσπερ ὁ Φάρος τῆς τῶν πλοϊζομένων σωτηρίας χάριν. Nam, ut idem addit, quum ejectus ab amne Limus vadosum reddat profundum, & latentibus sub Aqua saxis locus ipse promineat, conspicuo aliquo opus habebat signo. Ad Ostium Lethes fluminis, quod hodie *Guadelete*, vel Arabice *Bedalac*, Opidum est, cui nomen *Portus S. Mariæ*, vulgo *El puerto de S. Maria*: Μενεσθέως λιμὴν Ptolemæo & Straboni. Lethen transgressis occurrit cum alijs *Medina Sidonia*; quam Ἄσινδον Ptolemæi censet Clusius. Meridionaliora versus Fretum petentibus offert se *Conilium*, non ignobile Hispaniæ opidum, sex Leucis distans ab Gadium Vrbe: inlustrissimo S. Lucæ, qui & Medinæ Sidoniæ. Duci parens; Diuitiasque præcipuas habens in captura variorum Piscium, potissimum vero Thynnorum, qua de re alibi plenius. *Conilium* habetur ab Georgio Austriaco apud Abrahamum Ortelium Καρτηία Ptolemæi, Καρθαία Stephani; *Carteia* Livio, qui lib. XXVIII situm ejus hoc modo dilineat: *Dum hæc ad Bætin fluvium geruntur, Lælius interim Freto in Oceanum evectus ad Carteiam Classe accessit. Vrbs ea in ora Oceani sita est, ubi primum è faucibus angustis panditur Mare.* Ταρτησσὸς etiam Græcis legitur appellata, ut Strabo, Plinius & Pomponius testantur: Ταρτήσσιον ὄλβιον ἄστυ est apud Homerum:

Luciferi Fanū; hodie S. Lucar de Barrameda.

Xeres de la Frontera, olim forte Asta.

Chipiona, olim Capionis Turris.

Portus S. Mariæ, olim Menesthei.

Medina Sidonia, olim Asindum.

Conilium, olim Carteia.

& Tartessus.

Καρπησσὸς vitiose fortean dicitur Appiano Alexandrino. *Tartesso* nomen dedisse volunt Flumen Ταρτησσὸν, quod postea *Bætis*, ut cap. VII dixi. Hinc Regio Ταρτησσὶς Eratostheni, Artemidoro, & alijs. De *Tartesso* sunt hæc Anacreontis:

> Ἐγὼ τ' αὖ οὔτ' Ἀμαλθίης βουλοίμην κέρας, οὔτ' ἔτη
> Πεντήκοντά τε καὶ ἑκατὸν Ταρτησσοῦ βασιλεῦσαι.

Silius lib. III belli Pœnici separare videtur *Carteiam* à Tartesso:

> *Argantoniacos armat Carteia Nepotes:*
> *Rex Proauis fuit humani ditissimus ævi,*
> *Ter denos decies emensus belliger annos.*
> *Armat Tartessos stabulanti conscia Phœbo.*

Vegelium, vulgo Vegel.

Carteia non semel meminit M. Tullius cum alijs locis, tum in Epistolis ad Atticum, eamque ab Corduba abesse M.P.CLXX, perhibet Auctor Commentarij Hispaniensis: cujus, ut & Livij, quæ paullo ante laudavi, verba si sint vera, satis arguunt, non bene Clusium adserere *Carteiam* hodie esse *Carthagenam*; quod videret hanc ab illa non prorsus abludere. *Tariffam*, quam *Carteiam* quidam opinantur, ex *Tartesso* corruptam si quis dixerit, non admodum pugnabo. Non procul inde *Vegelium* est, vulgo *Vegel*, opidum exiguum quidem, sed situ opereque clarum; Colli quem latissima undique planicies cingit, impositum: adeo ut inde circumquaque prospectus pateat, quo usq; oculorum acies extendere se potest, tam in lætam laxamque planiciem locaq; compascua, versus Solis exortum; quam in Africæ Montes & oram circa Meridiem: nec non in vastum & tumultuosum Oceanum versus Septemtrionem & Occidentem. Ejus Incolis Piscatus abunde ad vitam commode transigendam suppeditat. Hinc in Caurum iter flectentes obviam habent *Mundam*. Sic nominant Oppidum Plinius, alijque Latini Scriptores, quod hodie vulgo *Monda*. Putant tamen alij antiquam Mundam esse, quæ hodie *Ronda Veia*: *Mondam* autem, cujus antea memini, duobus inde Milliaribus exstructam fuisse ab Arabibus, prisco retento nomine, uti mos illis. Videndus Didacus Mendosius de Bello ultimo Granatensi. Ioannes Gerundensis Episcopus lib. I & IX Paralip. Hispaniæ procul hinc amotam Mundam, eandem scribit esse cum *Coimbra* Portugalliæ Opido. De Conflictu porro ad Mundam inter C. Iulium Cæsarem & Cn. Pompei Magni Liberos Cn. Sextumque, consulendi Plutarchus in Cæsare, Appianus lib. II Bellorum Civil. Auctor Commentarij de Bello Hispaniensi, Strabo lib. III, Suetonius in Cæsare cap. XXXVI & in Octaviano Augusto cap. XCIV, Valer. Maximus lib. VII. cap. VI, & alij. Lucanus lib. I:

Monda, olim Munda.

> *Vltima funesta concurrant prælia Munda.*

Silius Ital. lib. III Belli Pœnici:

> *Et munda Emathios Italis paritura labores.*

Iter Gadibus Cordubam.

Iter quod Gadibus Cordubam diffinit Antoninus, Loca *Andaluziæ* mediterranea ad Bætin fluvium complectitur:

Anton. Itiner.		Vulg. Nomina	Itiner. Anto.		Vulg. Nomina
Ad Pontem,	M.P. XII.	Pons, quo hodieque Insula Continenti jungitur, vulgo *Puente de Suaço*.	*Carulam,*	M.P. XXIIII.	*Alcolea.*
Portũ Gaditan.	M.P. XIIII.	*Puerto Real, Baia de Cadiz.*	*Ilipam,*	M.P. XVIII.	*Peña Flor.*
Hastam,	M.P. XVI.	*Asta* hodieque, vel *Masa de Asta*: locus circa Guadeleten amnem. Vide supra.	*Ostipponem,*	M.P. XIV.	Hæc loca ita perierunt, ut ne vestigia quidem supersint.
			Barbam,	M.P. XX.	
			Antiquariã,	M.P. XXIV.	
			Angellas,	M.P. XXIII.	
			Ipagrum,	M.P. XX.	
Vgiam,	M.P. XXVII.	*Cabeças*, aut circiter.	*Vliam,*	M.P. X.	*Monte-Maiore* putatur, sed non admodum convenit Itinerario.
Oripponem,	M.P. XXIV.	Inter Hispalim & Palatium, ubi multa hic ibi rudera.			
Hispalim,	M.P. IX.	*Sevile,*	*Cordubam,*	M.P. XVIII.	
Basilipponem,	M.P. XXI.	*Cantillana*, ni fallor.			

Cap. XXV.

Estremadura.

ESTREMADURA extendere se scribitur ab *Villa Regali* ad *Badaios* sua longitudine; latitudine vero ab *Mariano Monte*, qui hodie *Sierra Morena*, ad Tagum fluvium. Adjacet illi ad Occasum Portugallia; ad Septemtrionem Castella Nova; ad Ortum Granata; Meridionale latus adluit Oceanus. Hujus Provinciæ Campis nihil habet Hispania per hiemem magis apricum: quo fit, ut eo tempore Animalium greges ex Septemtrionalioribus locis in hanc conducantur. Æstate omnia nimis-quam ibi fervent, eamque ob caussam rarius habitatur. ESTREMA-DURA.

Totus autem hic Tractus *Beturia* legitur appellata apud Plinium, Livium, A. Hirtium (in cujus libris *Bethuria* scribitur) & alios. *Beturiæ Sisaponensis Regio* tribuitur à Plinio libro XXXIII, cap. VII, ubi de Minio agit. Vide quæ notavi capite hujus Libri III. *Beturiam* hodie *Petroche* ex *Petrarum* frequentia magna ex parte nominari, memoriæ prodit Sepulveda ad F. Pincianum in Epist. Clar. Vir. olim *Beturia*;

Fixisse quomdam his locis suas sedes traduntur *Celtici*, quos partim Bæticam, partim Lusitaniam coluisse notat Ptolemæus: Strabo Κελτῦς vocat: *Celti* per totam Hispaniam hic ubi frequentiores. *Colarni* Plinio, quorum Opidum Ptolemæus nominat Κολάρνον. *Turduli Veteres* & *Novi* apud Plinium & Melam: De *Turdulis* simpliciter sic dictis (erant enim triplices) consulendum caput præcedens. *Vettones*, quorum mentio apud Plinium, Livium, & Cæsarem. Fuerunt & cognomines his, ubi hodie *Legio*, ut capite XVIII notavi. Quondam his locis, *Celtici*, *Colarni*, *Turduli Veteres* & *Novi*, *Vettones*.

Visuntur in hac Hispaniæ parte inter alia, *Badaios*, quæ, ut docet in sua Chorographia, Lusitanice edita, Caspar Varrerius, adsentientibus illi magnis Viris, *Pax* Plinio (apud quem lib. V. cap. XXXII, *Pacensis* etiam *Colonia*, & alibi *Pacensis Conventus*) Παζαυγῦστα Straboni, ut quidem concepta legitur hæc vox in MS. qui in Monasterio Regali Escuriali servatur, quemadmodum apud Ortelium testatur Iacobus Delgadus Pacensis: in Vulgatis est Πεζαυγῦστα. Mauris olim *Bavaugus*, deinde *Badaxos*, ab antiquo nomine *Pacis Augustæ*. Villanovanus, Tarapha & Antonius Resendius in Epistola ad Ioannem Vasæum adnotant *Pacem* Plinij, vel Πασαυγῦσαν Ptolemæi eamdem esse cum *Pace Iulia* ejusdem Ptolemæi & Antonini: contra sentiunt Io. Mariana, Vasæus & Clusius hanc non aliam censentes, quam quæ hodie *Beja* vel *Bexa*; tempore Maurorum *Pacca*, ut tradit ex antiquo Chronico, cujus copiam sibi factam notat ab Resendio, quem nominavi, Vasæus. Accedit, quod Clusius scribat in ipsa *Beja* Vrbes vel Opida: *Badaioz*. olim *Pax*, vel *Pax Augusta*;

 multas

multas etiamnum Inſcriptiones exſtare; *Pacis Iuliæ* facientes mentionem. Eſt ibidem *Merida*; olim, ut volunt Varrerius & Villanovanus, Ἠμέριτα Ptolemæo; *Emerita* Antonino; *Auguſta Emerita* Plinio & Pomponio Melæ; Αὐγοῦστα Ἠμέριτα Straboni. Exſtant complures Nummi, in quibus priore quidem facie Effigies Auguſti, Coronam radiatam capite geſtantis, cum hac Inſcriptione, DIVVS AVGVSTVS PATER; altera vero, Porta Vrbis, cui geminæ ſunt additæ Turres, adſculpto Vrbis nomine AVGVSTA EMERITA. Quæ *Emerita* Antiquis, Taraphæ cenſetur *Medina del Rio Secco*: ſed neminem habet Suffragatorem. Dio lib. LIII & ex eo Iſidorus lib. XV. Etymologiarum, memoriæ produnt Auguſtum Cæſarem, Cantabris, Aſturibus, Luſitaniſq; ſubactis, Veteranos in Hiſpania dimiſiſſe; hancque Vrbem condidiſſe, *Auguſtam Emeritam*, ab *Auguſti* Principis & ipſorum *Emeritorum* Nominibus nuncupatam. *Coloniam* factam docent Nummi Auguſti, quos in Theſauro laudat Hubertus Goltzius. Teſtatur idem Prudentius in Dactylico de Virgine Eulalia, Chriſti Martyre:

Merida, olim Emerita Auguſta,

Nunc locus Emerita eſt tumulo
Clara Colonia Vettoniæ:
Quam memorabilis amnis Anas
Præterit, & viridante rapax
Gurgite mœnia pulcra lavat.

Vbi *Vettonia*, *Vettonum*, de quibus paullo ante, regio. Hyginus Auguſti Libertus auctor eſt, D. Auguſtum in Beturiæ *Emeritæ* jugera quadringinta dediſſe. *Emeritenſes* juris Italici fuiſſe notat Paulus I. C. lib. II. de Cenſibus, cujus verba exſtant in Pandectis l. ult. Tit. de Cenſibus. Ab hac Vrbe Gades uſque viam ſuperiorum Conſulum tempore inchoatam, multiſque locis intermiſſam perduxit Octavianus Auguſtus, loquente, quod ibi videre eſt, Veteri Marmore, his verbis concepto:

IMP. CÆS. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX.
COS. XI. TRIBVNIC. POTEST. X. IMP. VIII
ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO
IANI. CLVSO. ET. REP. P. R. OPTIMIS. LEGIBVS
ET. SANCTISSIMIS. INSTITVTIS. REFORMATA
VIAM. SVPERIOR. COS. TEMPORE. INCHOATAM
ET. MVLTIS. LOCIS. INTERMISSAM. PRO. DIGNITATE
IMPERI. P. R. LATIOREM. LONGIOREMQVE
GADEIS. VSQ. PERDVXIT

Ad hanc item Vrbem à Cappara (quæ *Capara* Ptolemæo & Antonino; cujuſque Cives *Caperenſes* Plinio; hodie *Caparra*) Viam reſtituiſſe Veſpaſianum Imperatorem probat Columna, quæ Tarracone poſita:

IMP. CÆSAR. VESPASIANVS. AVG
PONT. MAX. TRIB. POT. II
IMP. VII. COS. III. DES. IIII
P. P
VIAM. A. CAPPARA. AD. EMERITAM. AVG
VSQ. IMPENSA. SVA. RESTITVIT.

Coccum Emeritenſe commendat Plinius lib. IX. Nat. hiſtor. cap. XLI. Carmen illud Auſonij, Vrbes cantantis, *Emeritæ* in Vulgatis libris inſcriptum, Manuſcriptos Codices Hiſpali tribuere docui capite præcedente. Vrbs porro hæc olim ampliſſima, Ponteque Romani Operis longiſſimo nobilis, Opidulum eſt hodie, nihil habens memorabile præter ruinas & dolenda antiquitatis ſuæ Veſtigia. Frequentia fuerunt inter *Emeritenſes* & *Cæſarauguſtanos* olim commercia, docentibus id tribus itineribus, quæ ab Antonino *Emerita Cæſarauguſtam* delineantur; per *Contoſoliam*, per *Lacipeam*, perque Locum, cui nomen *ad Sorores*. Fuit ibidem & Vrbs Turdetanorum, quæ Νερτόβριγα Ptolemæo & Appiano, ex cujus ruderibus magna, uti apud Abrahamum Ortelium cenſet Arias Montanus, Opida ædificata, *Frexenal*, *Fuentes*, *Bodenal*, & *Higuera*. Addit Montanus ruinas *Nertobrigæ* immenſas hodieque conſpici tribus paſſuum millibus à *Frexenal*, ubi ipſe natus; Locumque ab Adcolis *Valeram* nominari.

Nertobriga, hodie partim in ruinis jacens, partim aliorum opidorum genitrix.

CAP.

Cap. XXVI.

Portugallia.

PORTVGALLIA hodie, ſi Terræ latitudinem ab Meridie Septemtrionem verſus ſpectemus, major eſt, quam Vetus *Luſitania*; ſin ab Occaſu in Ortum, Longitudinem, Minor. *Luſitania* olim ad Boream terminabatur Durio Flumine, & alio minore, quod hodie *Thormis*, in ripa dextra Vrbem geſtans Salamanticam: ductaque ad faciendum Limitem Orientalem ab hujus fonte per Solerium montem Saltumque Manlianum ad Anam (ubi Caſtra quondam Vicelliana) Linea; Anæque porro progreſſu per Emeritam Auguſtam ad Mare. Conſulendi de his Luſitaniæ Finibus cum alij, tum priſci Geographi, cum primis Plinius lib. IIII. cap. XXI, & Ptolemæus. Paullo ſequiores Luſitaniæ terminos tribuit Strabo lib. III; verſus Auſtrum quidem, Tagum; ab Occaſu vero & Septemtrione, Oceanum; ad Ortum denique, Carpetanos, Vettones, Vaccæos & Callaicos. Sic, quidquid ad ſiniſtram Tagi ripam Oceanum uſque includunt Luſitaniæ alij, excludit Strabo, quidquid ultra Durium ad Oceanum adimunt alij, adcenſet eidem Luſitaniæ Strabo. Huic Suffragari videtur lib. II, cap. VI. Pomponius Mela, *Luſitania*, inquiens, *Oceano tantummodo objecta eſt; ſed Latere ad Septemtrionem, Fonte ad Occaſum.* Idem tamen Strabo alibi, ubi de Bætica, ſuo tempore Durio terminatam fuiſſe *Luſitaniam* ait; hinc ad Arctos, quæ hodie Gallecia, aliquando *Luſitaniam* quoque dictam. *Portugallia* vero hoc ævo verſus Boream excurrit ſupra Confluentes Minium Aviamque ad opidum uſque Ribadaniam, in Aviæ ripa poſitam; qua parte Galeciam ſpectat; ductaque hinc in ortum Linea ad Mirandam uſque ad Durium collocatam; inde vero Meridiem verſus recto fere progreſſu facto ad oſtia Anæ Fluvij; quo latere Caſtellæ, Extremaduræ & Andaluziæ eſt confinalis: ad Notum & Occidentem Atlanticum reſpicit Oceanum, adeo ut ambitus ejus cenſeatur eſſe Iↄcccxxc milliarium. *Luſitania* (quæ Λυσιτανία Ptolemæo & alijs; Appiano autem Alexandrino Λυσιτανία) nomen impoſitum tradunt M. Varro & Plinius, ab *Luſo* Liberi Filio, *Lyſaque* cum eo bacchante: *Luſitaniam* enim dici, tamquam *Luſi* regionem, quum τα-σία nihil aliud quam Regio. Marcianus putat *Luſitaniam* appellari ab Fluvio cognomine. An Tagum, qui mediam ſecabat Luſitaniam, an vero Anam deſignet, qui Orientale radebat latus, ipſis Incolis quærendum relinquo. Sunt certe alij, qui ab *Ana* ſic nominatam cenſent, quaſi apud eumdem Amnem Liber-Pater ac Lyſas bacchantes ſimul luſerint. Videndus Plinius III. cap. II. *Portugalliam* quidam ſic nuncu-

PORTVGALLIA. olim *Luſitania.* Hujus olim alij;

Illius hodie alij fines.

Luſitania unde dicta.

Portugallia unde.

nuncupatam volunt à *Portu Gallorum*. Andreas Resendius, cujus sententiam sequuntur alij Docti, *Portugalliæ* appellationem manasse notat à *Portu Cale*, quod Opidulum Durij Fluminis ostio adpositum Piscationis gratia frequentari quomdam solitum: unde tanta hominum multitudo confluxit, ut in Civitatem opulentissimam evaserit, & *Portogalo* (quasi *Portus Cale*) nominari cœperit; inde vero totum Regnum nomen postea obtinuisse. Alij *Portugalliam* appellari opinantur, tamquam *Portum Galeciæ*, ab Opido Portu, de quo antea dixi; quod Durio adlocatum ob summam opportunitatem ingressum dabat in totam olim Galeciam; cujus nomen longe lateque quomdam se extendebat; quod alibi à me notatum. In tres fere partes secant hanc Regionem duo Fluvij, Tagus & Durius. Pars quæ ad sinisteriora Tagi (unde *Trans-Tagana*) versus Meridiem rarius habitatur, Montibus plurimum obsita & sterilis: quæ ad dexteriora Durij (Καλλάικα olim Straboni, hodie *Antre Douro & Minho*, Latinis quibusdam Scriptoribus *Interamnis*) vicinæ ibi Galeciæ non est dissimilis; Incola magis, quam Opibus abundans: quæ inter utramque ad dextram Tagi ripam, Castellas æmulatur, imo superat; CCCCLXX circiter opidis arcibusque dives. De Regionis hujus fertilitate & optima Aëris temperie commemorat quædam Athenæus lib. VIII. cap. I.

Olim hic Nemetati, Origeni.

Totum illud, quod hodie *Portugalliæ* adscribitur, tenuerunt olim, extra Veterem quidem Lusitaniam, versus Boream, præter *Nemetatos* Ptolemæi, & *Origenos* Plinij (quorum latiorem explicationem brevitati consulens omitto) Populi qui *Gravij* Plinio; quosque Pomponius Mela, inemendate forsitan, *Grovios* vocat: *Gravios*, quasi *Grajos* nuncupatos canit Silius Italicus lib. III;

Gravij,

Et quos nunc Gravios violato nomine Graiûm
Oeneæ misere Domus, Aetolaque Tyde.

Bracari, Bellitani,

Idem Silius lib. I Populos hosce locat ad Lethen, Hispaniæ Fluvium; qua de re cap. VII: *Bracari* Plinio; Βρακάροι Appiano: Βρακκάριοι (fortean Βρακάριοι) Ptolemæo & Straboni: In ipsa vero Lusitania, *Bellitani* Plinio, Βελιτανοὶ Stephano; & alij. De Rebus contra Lusitanos, eorumque Ducem Viriatum ab S. P. Q. R. gestis, anno ab V. C. IↃCI multisque sequentibus, legendi Appianus in Ibericis, Epitomæ Livianæ, Eutropius lib. IV, Florus lib. II. cap. XVII, Orosius lib. V. cap. IV, Velleius Paterculus lib. I, Strabo lib. III, Obsequens cap. LXXVII, Silius Italicus lib. III, Valerius Maximus lib. VI, Cicero lib. I. Officiorum, & alij. Lusitanos fortissimos, sed Latrocinijs infames; Agros minime colere; esse insidiandi indagandique peritos, celeres, leves & versatiles; Butyrum eis Olei usum supplevisse; Vasis uti solitos cereis; Coriacijs usos fuisse nauigijs vsque ad Brutum, postea vero Magnas habuisse Onerarias Naves, maximo numero, liquet ex Strabone; fidem ijs etiam faciente Sidonio Apollinari in Panegyrico, quem Majorano inscripsit. Apud Lusitanos Carbasa quoque primum reperta fuisse, notat Plinius. Scribit item Strabo Lusitanos Marti Caprum immolare, præterea Captivos & Equos futura ex Captivorum Extis prædicere, quin & ritu Græcorum hecatombas instituere, item gymnica exercere Certamina solitos.

Metropolis Olisippo, hodie Lisbona.

Portugalliæ Metropolis est *Olisippo*, ut ea dicitur in antiquis & probatæ fidei M. Terentij Varronis II rerum rusticarum, Plinij, Antonini & Pomponij Melæ Exemplaribus. In Vulgatis enim nunc *Olyssipo*, nunc *Olysippo*, item *Vlysippo*, alijsque modis scribitur: Ὀλύσσεια Straboni; Ὀδυσσεὺς Stephano: Hodie *Lisbona*, vel, ut Incolæ proferunt, *Lisboa*. Vrbis nomen ab Vlysse (quod ex Myrliani verbis conatur facere Strabo, & sequutus eum Isidorus lib. XV, cap. I) dirivare, absurdissimum; quum is extra Fretum Herculeum numquam navigarit. Præit nonnihil ad verum Etymon Ptolemæus, apud quem divisim & vitiosa legitur ὀλιὸς ἱππῶν. *Olisippo* enim, meo quidem judicio, quasi ὅλος ἱππῶν; quo innuitur totum illum Hispaniæ tractum, ubi antiquis Lusitania, tamquam Equorum quoddam fuisse Stabulum, ob incredibilem Equarum ijs in locis fœcunditatem; quæ tanta fuit, ut eas Favonio flanti obversas certo tempore solitas concipere, fabulata fuerit Antiquitas: qua de re dictum à me abunde hujus libri cap. III. Apud Plinium etiam *Felicitas Iulia* nuncupatur. Emporium est, reliquis Orbis Terrarum nobilissimis concensendum; Divitijs supra modum adfluens; Mercium peregrinarum, quæ ex Asia, Africa, Americaque adferuntur, Promptuarium celebre: Situs ad Tagi fere Ostium amœnissimi commodissimique:

mique: amplum, quodque sua magnitudine Montes quinque, totidemque Valles (nam olim multo erat minus, unumque tantum, ut quidam tradunt, Collem occupabat) complectitur. Ex parte, qua mari adluitur, Portis distinguitur XXII: qua Continentem respicit, XVI: Turribus per Murorum gyrum LXXVII munitur. Ambitus septem passuum millibus designatur. Templa, quæ Græcis Parochiæ, XXV numerantur: præter hæc plurima sunt quæ Monachis, Anachoretis, Vestalibusque sunt attributa. Eripuit eam Maurorum faucibus rex Alphonsus anno CIↃCXLVII. Prolixior essem in hac Vrbe delineanda, nisi eam peculiari libello descripsisset plene Damianus à Goes Eques Lusitanus. Antoninus in Itinerario quatuor *Olisippone* Itinera ducit; tria quidem *Emeritam*, per *Equabonam (Couna* hodie est*)* per *Aritium Prætorium*, per *Hierabrigam*; quartum autem *Bracaram Augustam* per eandem *Hierabrigam*: quorum intermedia loca, quod præter duo vel tria ad certam hodie stationem referri nequeant, hic non recensebo. *Olisipponem*, ut Matrem agnoscunt & venerantur Trans-Taganæ: *Ebora*; sic nominatur Plinio, Antonino, Pomponio Melæ; Ἔϐουρα autem Ptolemæo; quæ vulgo hodieque *Euora*. *Eboræ* meminerunt vetusti lapides; inter quos ex Andreæ Resendij Monumentis ille satis cognitus, XII ab Vrbe Milliario, via Salaciensi, cum hac Inscriptione: IMP. CÆS. MAXIMIANO. PIO. FELICI. AVG. EBORA. M. P. XII. *Liberalitas Iulia* cognominatur Plinio lib. III, cap. XXII, ad differentiam aliorum Hispaniæ Opidorum, quæ *Eboræ* dicebantur. Academiam habet *Ebora*, ab Henrico Cardinale Lusitaniæ, ejusdemque Civitatis Præsule, nuper institutam. De ea Iacobus Payva, *Quod si Academiarum*, inquit, *gloria magis litterarum & virtutum splendore, quam Antiquitate constat; hæc certe paullo ante constituta cum antiquissimis & toto orbe celeberrimis jure certare poterit. Satis enim illa præ se fert specimen Integritatis, Prudentiæ, Pietatis, Fidei & Religionis, quibus mirum in modum excellit Henricus Princeps clarissimus: qui illam egregie fundatam, mirifice auctam, omnibus necessariis rebus munitam, nobis & posteritati exædificavit. Begia*, vulgo *Beia*, vel *Bexa*: olim, uti censent Io. Mariana, Clusius, Vasæus, & Caspar Varrerius in Chorographia Lusitanice edita, *Pax Iulia*, Antonino: Πάξ Ἰουλία, Ptolemæo. Addit Vasæus eam Maurorum adhuc tempore *Paccam* fuisse appellatam. De ea dixi nonnihil cap. XXVI. *Setubal*, olim, ut opinatur Clusius, *Salacia*; quæ tamen Varrerio Moralique putatur *Alcasar de sal* in Algerbiæ regione. Clusio ut subscribam, faciunt Veteres Scriptores. Pomponius; *In Sacro Promontorio*, inquit, *Latrobriga: & in Magno Ebora*, statimque subdit: *Sinus intersunt, & est in proximo Salacia, in altero Olisippo & Tagi ostium*. Plinius post *Olisipponem* à Tago *Salaciam* recenset; cognominatam *Vrbem Imperatoriam*. Ptolemæo ab Occasu juxta Oceanum in Turdetanis Lusitaniæ Σαλακία. Consulendum & Antonini Itinerarium. Vrbi nomen inditum videtur ab *Salacia*; quam Oceani Sororem Terræque Filiam confinxerunt Antiqui. *Almada*; Ptolemæo Καιτόβριξ; Antonino *Catobriga*: Iacobus tamen Delgadus scribit hodie vulgo *Troiam* vocari. Cis Tagum haud procul Olisippone Aquilonem versus *Cascale* Opidum est situm, ubi Naves Onerariæ, jactis Anchoris, Ventum Æstumque maris, ut flumen ascendant, operiuntur: Portum habet vadosum & amfractuosum. Propius ad Vrbem accedenti *Bethleem* occurrit, Opidulum, Templum habens Divæ Virgini dicatum, sumtuque incredibili exstructum: Emanuelis Lusitaniæ Regis Monimentum, quod, dum viveret, sibi ipse designavit. Magna tamen Operi accessio facta ab Ioanne III Emanuelis Filio; quod indicat inscriptum Arcui Tetrastichon; litteris bestialibus:

Vasta moles sacrum divinæ in littore Matri
Rex posuit, Regum maximus, Emmanuel:
Auxit opus hæres Regni & pietatis; uterque
Structura certant Religione pares.

Sunt ibidem *Leiria*, *Tomar*, *Guarda*; non ignobilia, neque obscuri nominis Opida. Prope *Leiriam* urbs fuit quæ Plinio dicitur *Colippo*; cujus ruinas *S. Sebastiani* vocari ab Sacello proximo Varrerius in suo Itinerario, Lusitanica lingua scripto, memoriæ prodit. Haud procul Tomare visitur *Cetce*, quam quibusdam fretus conjecturis idem Varrerius arbitratur esse *Celium* Antonini. *Alanqueram* ad Fluvium Tagum supra Olisipponem, Patriam suam Damianus Goesius, sic dictam putat tamquam *Alankerke, Alanorum Fanum*; ingeniose, &, non dubito, quin vere: Hæc olim *Ierabrica* Antonino, uti censent Resendius apud Vasæum, Varrerius, cujus sæpe memini, & Ambrosius

Aliæ Vrbes Trans-Taganæ quidem, *Ebora*, hodie *Euora*.

Beia, olim *Pax Iulia*.

Setubal, olim *Salacia*.

Almada, olim *Catobrix*.

Cis Taganæ; *Cascale*.

Bethleem;

Leiria, *Tomar*, *Guarda*, *S. Sebastiano*, olim *Colippo*; *Cetce*, olim *Celium*; *Alanquerra*, olim *Ierabrica*.

brosius Moralis. Incolæ apud Plinium corrupte *Axabritenses*, pro *Hierabrigensi-*
Inter Mondam & Durium, Conimbrica, hodie Coimbra, *bus*. *Hierabriga* enim in melioribus Antonini Codicibus dicitur. Inter Mondam
& Durium fluvios *Conimbrica* est: sic Plinius & Antoninus Opidum vocant, quod
notante Emanule Enriquo Lusitano hodieque *Coimbra:* Phlegonti Tralliano Κο-
νιμβελγησία nominatur. Olim caput fuit Regni Portugalliæ: hodie Academia,
quam nuper instituit Ioannes II Portugalliæ Rex; & Aquæductu, quem maxi-
mo sumtu perfecit anno CIↃ IↃLXXII. Rex Sebastianus, celebris. *Viseum*, vul-
go *Viseo*; *Visensis Civitas* in Conciliorum Opere: Ptolemæo, ut Villanovanus ex-
istimat, οὐισόνιον; quod tamen ab *Viseo* multis parasangis distare, docet Varrerius
Viseum, vulgo Visio, in sua Chorographia: *Viscum*, *Vicum Aquarium* Antonini esse, non satis caute scri-
Ponte Vouga olim Vacca, bit Andreas Bacchius in suo de Balneis opere. Quod opidum hodie *Pente Vouga*,
Plinio putatur *Vacca*; Orosio libro quinto, cap. IV, vitiose *Baccia*; ubi scribit eam à
Lameca, vulgo Lamego, Q. Fabio Serviliano deditione receptam. *Lameca* quæ vulgo *Lamego*, meminit
Concilium Toletanum III: *Lamecum* etiam ab Latinis nuncupari notat Emanuel
Inter Durium & Minium; Braga, olim Bracara Augusta. Enriquus Lusitanus. Inter Durium denique & Minium *Braga* superbit: sic ho-
die dicitur, quæ Βράκαρ Αὔγουστα Ptolemæo, *Braccara Augusta* Antonino, *Au-*
gusta Bracarum Plinio; unde *Bracari* populi, de quibus paullo ante. Ab Gallis *Brac-*
catis conditam fama refert, anno ante Christum natum CCXC. *Augusta* cogno-
men addiderunt Romani Victores. Tam olim celebris, ut Conventus hic fue-
rit ex septem Citerioris Hispaniæ unus, unde Vrbes XXIV, auctore Plinio, jus pe-
tere consueverant; undeque ab Antonino quatuor Itinera Militaria in Asturias
describuntur; Primum per *Salaciam*, Secundum per *Aquas Celerias*, Tertium
per *Salanianam*, Quartum denique per *Limiam*. Ausonius hanc urbem tali nobi-
litat Elogio:

Quæque sinu pelagi jactat se Bracara dives.

Ad quem locum Vinetus: *O quam dudum*, inquit, *seges est, ubi Troia fuit. Everterunt & hanc cum Eme ita Barbari. Parva urbs, in magnæ illius Bracaræ suburbio exstructa; ad cujus partem, eam quæ Orientem respicit, effodiuntur subinde Veteris Vrbis insignes ruinæ.* Sita est ad Alesten fluvium; cujus fontes in Spino monte quatuor ab Vrbe milliaribus distant: Vallem amœnissimam Vrbi adjacentem irrigat: multis hortis, pomarijs, pratis & viridarijs excultam: Vrbem adluit, atque in Avum majoris famæ fluvium prope antiquum opidum *Villam Comitis* influit. Quidam falso *Sethen* vocant. Extra Portam, quæ *de Sancto* dicitur, D. Annæ Ædicula est, quam XII Columnæ ab Romanis varijs quomdam in locis erectæ, Litteris incisæ, ornant atque cingunt. Ad Meridionalem Vrbis partem *Silva* est *Primatialis*, Perdicum ac Leporum abundantia celebris; in cujus fere medio Fons est amœnissimus. Hinc versus Occidentem progredienti locus se offert, quo Vrbis Arx Romanorum tempore fuisse creditur. Haud procul inde S. Sebastiani est ædicula, ubi Forum Romanorum fuisse perhibetur. Totius Hispaniæ Primatum antiquissimo iure sibi vindicat: qua de re cum Toletana Sede vetus ei Lis est & Contentio, cujus meminit Honorius III P. M. in Cap. Coram. De in integrum restitutione: quæ tamen lis ab ejusdem Pontificis tempore ad nostram usque ætatem adhuc altum silet. Archiepiscopo Civitas pleno jure paret, sive spiritualem spectes Iurisdictionem, sive temporalem: multo quomdam frequentior, nunc Incolarum numerat duo circiter millia. *Conventus* porro *Bracaraugustani*, de quo paullo ante, meminit Inscriptio, quæ ibi hodieque in ædicula Laurentij cujusdam Bracarensis Archiepiscopi legitur:

ISIDI. AVG. SACRVM

LVCRETIA. FIDA. SACERDOS. PERP

ROM. ET. AVG

CONVENTVS. BRACARAVG. V. D

Addam

Addam & duos Lapides in honorem duorum Civium Bracaraugustanorum positos, qui Tarracone servantur:

Q. IONTIO. Q. F.
QVIR. SEVERO
BRAC. AVG
OMNIBVS. HONORIB
IN. RE. P. SVA. FVNCTO
FLAM. P. H. C
P. H. C

M. VLPIO. C. F
QVIR. REBVRRO
EX. BRACARAVG
OMNIBVS. H. IN
RE. P. SVA. FVNC
FLAM. P. H. C
P. H. C

Quod porro *Calem* Antonino, nunc *Gaia* censetur: quod φόρος λιμικῶν Ptolemæo, hodie *Lima*: quod κοιλιόβριγα eidem, hoc ævo putatur *Bergança*. Sex milliaribus à Bracara Augusta versus Euronotum locus est, qui *Sitania* Incolis nominatur, habitatore carens, ubi olim *Cinninia* fuisse perlubetur, nobilis Lusitaniæ Vrbs. De ea sic Valerius lib. VI, cap. IV, quod *Graviter Dictis Factisque* inscriptum: *Cujus* (egerat de M. Bruto) *mentio mihi subjicit, quod adversus D. Brutum in Hispania graviter dictum est, referre. Nam quum se ei tota pene Lusitania dedidisset, ac sola gentis ejus urbs Cinninia* (sic enim perscriptum in exaratis manu Codicibus, non *Cinniana*) *pertinaciter arma retineret, tentata redemptione propemodum uno ore Legatis Bruti respondit: Ferrum sibi à Majoribus, quo Vrbem tuerentur, non Aurum, quo Libertatem ab Imperatore avaro emerent, relictum.* Ad Tammagum flumen Vicus est, non ultimi tamen nominis; *Chaves* vulgo appellatus; olim *Aquiflavia*, nobilis Lusitaniæ Civitas: cujus aliorumque novem Opidorum Incolæ Imperatori Vespasiano, ejusque Filijs Tito & Domitiano, Columnam posuerunt, cum, quæ sequitur, Inscriptione:

Calem hodie Gaia; Forum Limicorum, hodie Lima; Coeliobriga hodie Bergança:

Cinninia, hodie Sitania;

Chaves olim Aquiflavia;

IMP. CÆS. VESP. AVG. PONT
MAX. TRIB. POT. X. IMP. XX. P. P. IX
IMP. VESP. CÆS. AVG. F. PONT. TRIB
POT. VIII. IMP. XIIII. COS. VI
. . . .
. . . .
C. CALPETANO. RANTIO. QVIRINAL
VAL. FESTO. LEG. AVG. PR. PR
D. CORNELIO. MÆCIANO. LEG. AVG
L. ARVNTIO. MAXIMO. PROC. AVG
LEG. VII. GEM. FEL
CIVITATES. X
AQVIFLAVIENSES. AOBRIGENS
BIBALI. CELERNI. EQVÆSI
INTERAMICI. LIMICI. AEBISOC
QVARQVERNI. TAMAGANI

Duo versus studiò abrasi, quod fortean Domitiani nomen & memoriam continerent.

Pro AOBRIGENS. alij legunt AOBRIGENS. BIBALI, Ptolemæo Βίβαλοι: *Vibali* Plinio. COELERNI, κοιλερνοὶ Ptolemæo: *Celerini* Plinio. De EQVAESIS nihil habeo. INTERAMICI fortean in alia Inscriptione INTERAMNIENSES. LIMICORVM φόρος, id est Forum, antea indicatus ex Ptolemæo. In voce AEBISOC erratum ab Sculptore, si quidem servatus fuerit, uti paret, ordo Alphabeticus: fortean exprimere oportebat LEBISOC, id est *Lebisocenses*; quorum urbs Λιβισῶκα Ptolemæo; *Libisosa* Antonino, *Libisosona* cognomine Foraugustana; hodie *Lezuza*. QVARQVERNI, Plinio *Querquerni*, κουακερνοὶ Ptolemæo, *Querquenna*, non sine menda, Antonino. A TAMAGANIS denique *Tammagus* hodie Fluvius, *Tamuga* vulgo: cui Pons impositus conspicitur insignis, multam præ se ferens majestatem; in quo sequens legitur Titulus:

IMP. CAES. NERVAE
TRAIANO. AVG. GER
DACICO. PONT. MAX
TRIB. POT. COS. V. P. P
AQVIFLAVIENSES
PONTEM. LAPIDEVM
DE. SVO. F. C

Portugalliæ Regni Initium;

Portugalliæ Regnum primum circa annum cIↃ c initium habuit. Ad id enim usque tempus sub Hispaniæ nomine censebatur. Legendus omnino præter alios Ioannes Barrus cap. I. Asiaticarum Decadum. Primum Regum Lusitanorum Progenitorem Fasti commemorant *Henricum* Ducem Lotharingiæ, Comitem Limburgium, Virum Animo Magnum, Manuque promtum: qui, Laribus in Hispaniam translatis, *Tyresiam* duxit *Alphonsi* VI Castellæ Legionisque Regis Filiam, accepta in dotem ea Galeciæ Lusitaniæque parte, quæ nunc *Portugallia* dicitur; quam non ita pridem ipsemet sua virtute ex Saracenorum & Maurorum servitute vindicarat. Defuncto circa annum cIↃcXII Patri successit *Alphonsus* I, qui Portugalliæ se ducem appellans, Regis titulum ab exercitu accepit anno cIↃ cXXXIX, victoriam consequutus in Agro Orichiensi contra Ismarium, & alios quatuor Saracenorum Maurorumque Reges; quinque Scutorum Insignia facti monimentum posteris relinquens. Successerunt huic recta fere linea *Sanctius*, *Alphonsus* II, *Sanctius* II, *Alphonsus*, III, *Dionysius*, qui primus Algarbiorum Regis titulum usurpare cœpit, *Alphonsus* IV, *Petrus*, *Ferdinandus*, *Ioannes*, *Eduardus*, *Alphonsus*, V *Africanus* cognomine, *Ioannes* II, *Emanuel*, *Ioannes* III, *Henricus* primo Cardinalis, & *Antonius*: quo, quod Nothus diceretur, pulso, ut proximus heres Regnum occupavit *Philippus* II Hispaniarum Rex, Emanuelis per Isabellam primogenitam Nepos; cujus hodie Filius *Philippus* III feliciter Hispaniæ, quanta quanta est, imperat. De Portugalliæ Regibus, eorumque ortu & Genealogia, rebusque gestis, adeundi Rodericus Toletanus lib. VII. de Rebus Hispaniæ, cap. V, Rodericus Sanctius Hist. Hispan. parte I cap. XIV, Lucius Marineus Siculus lib. VII de Rebus Hispaniæ, in fine, & alij.

Primus Portugalliæ rex.

Cap. XXVII.

Algarbia.

Algarbia.

LINEA, cujus initium ab Ana fluvio inter amnes, qui vulgo *Vataon* & *Careivas*, finis autem ad Opidulum *Odeseiza*; id est ab Oriente versus Occidentem protracta, separat ALGARBIÆ regnum ab ipsa Portugallia; omnium Hispaniæ Regnorum minimum & ignobilissimum. Comportantur eo ex varijs Hispaniæ partibus secundo Anæ decursu Vina omnis generis, Sicca, Bastarda, Romana, & ejus classis alia; quæ porro navibus imposita in Galliam, Inferiorem Germaniam, alioque avehuntur.

Olim hic *Cynetæ*, *Ostidamnij*, *Turdetani*,

Locasse quomdam sua hic Domicilia notant Geographi Veteres, præter *Cynetas*, quos omnium Europæ ultimos versus Occasum facit Herodotus, & apud quos Anam effluere scribit Avienus; & *Ostidamnios*, quos ad ipsum Promontorium Calbium Europæ extremum locat Strabo: etiam *Turdetanos*; qui Τυρδητανοὶ Ptolemæo; quousque cum *Turdulis Veteribus*, de quibus cap. XXV, quidam confundunt: Strabo quosdam inter *Turdulos* & *Turdetanos* distinguere scribit; sed nullam distinctionem suo tempore adparere. Eorum Regio Τυρτυτανία Artemidoro apud Stephanum; cui & Τύρτοι & Τυρτυτανοὶ sunt noti. Quædam in *Turdetanorum* laudem dicta sunt à me cap. VIII, ubi de Veterum Hispanorum lingua ex Strabone, qui duobus locis lib. III illos mirum in modum commendat ab Sapientia, Litterarumque studijs; addens apud eos servari venerandæ antiquitatis Volumina, Poëmata, Legesque versibus ante sex annorum millia conscriptas: Augusti autem principatu, Latinos prope factos, propriæ memoriam linguæ habuisse fere nullam; inque Romanos penitus ritus fuisse transformatos.

Vrbes Algarbiæ: *Tavila*, olim *Balsa*, *Silvis* olim *Ossonoba*. *Lacobriga*.

Opida habet *Balsam* Ptolemæo. Plinio, Antonino & Pomponio Melæ; quæ hodie *Tavila*, ut Coquus opinatur. *Ossonobam* Plinio & Antonino; quorum ille *Lusturiam* cognominat; Ὀσσόνοβα est Ptolemæo; putaturque quæ nunc *Silvis*. Fuit etiam ibidem ad Sacrum Promontorium Vrbs *Lacobriga* Pomponio; cujus etiamnum ruinæ ruderaque visuntur prope *Lagos* opidum maritimum, in Vico, qui Lusitanica Lingua *Lagoa* vocatur, uti scribit Vasæus: Ejus Incolæ Λαγγοβρῖται Plutarcho, Sertorium depingenti.

Algarbia

Algarbia, Comitatus initio in dotem ab Alphonso x, Legionis Rege, ut prisci referunt Annales, datus fuit Alphonso III Portugalliæ Regi, quum filiam ipsius Beatricem, quam ex Pellice genuerat, uxorem duceret. Natus ex eo Conjugio *Dionysius*; qui primus Algarbiorum Regis titulum usurpare cœpit. *Algarbiæ Regni initium.*

Sed de Hispania quæ dicta sunt hactenus, sufficiant. Nefas sit autem non adscribere, Coronidis quasi loco; præclarum hominis Galli de Hispania Testimonium; quo quidquid in ejus laudem & commendationem hucusque à me Variorum indicio prolatum, tamquam per ἀνακεφαλαίωσιν succincte nervoseque repetitur. Gallus, cujus memini, Latinus est Pacatus, qui Panegyricum doctissimum scripsit Theodosio Imperatori, Hispano. In eo sic inter alia loquitur: *Iam profecto constabit, eum Principem declaratum, qui & ab omnibus legi debuerit, & ex omnibus. Nam primum tibi mater Hispania est; Terris omnibus Terra felicior: cui excolendæ atque adeo ditandæ impensius, quam ceteris Gentibus supremus ille Fabricator Rerum indulsit, quæ nec Austrinis obnoxia æstibus, nec Arctois subjecta frigoribus, media fovetur Axis utriusque temperie: quæ hinc Pyrenæis Montibus, illinc Oceani æstibus, inde Tyrrheni Maris littoribus coronata, Naturæ solertis ingenio, velut alter Orbis includitur. Adde tot egregias Civitates; adde culta incultaque omnia, vel Fructibus plena, vel Gregibus; adde auriferorum opes Fluminum; adde radiantium Metalla Gemmarum. Scio Fabulas Poëtarum, auribus mulciendis repertas, aliqua nonnullis gentibus attribuisse miracula, quæ dum sint vera, sint singula; nec jam excutio veritatem. Sint (ut scribitur) Gargara proventu læta Tritici; Menavia memoretur Armento; Campania censeatur Monte Gaurano; Lydia prædicetur Amne Pactolo: dum Hispaniæ uni quidquid laudatur, adsurgat. Hæc durissimos Milites, Hæc expertissimos Duces, Hæc facundissimos Oratores, Hæc clarissimos Vates parit: Hæc Iudicum Mater, Hæc Principum est: Hæc Traianum illum, Hæc deinceps Hadrianum misit Imperio: Huic Te debet Imperium. Cedat his Terris Terra Cretensis, parvi Iovis gloriata cunabulis; & geminis Delos reptata Numinibus; & alumno Hercule nobiles Thebæ. Fidem constare nescimus auditis, Deum dedit Hispania, quem vidimus.* *Ἀνακεφαλαίωσις superiorum.*

PAULLI G.F.P.N. MERULÆ
COSMOGRAPHIÆ
PARTIS II,
LIBER III.
DE GALLIA.

Cap. I.

Gallia unde dicta, variaque ejus Nomina.

HISPANIAM, qua potui fide, perlustravi: Pyrenæos transgresso *Gallia* se offert. Hanc, qua fere illam Methodo, percurram; Generalia priore loco indicaturus, inde Specialia. In Generalibus duo describam, Nomen ipsum & Res. Quod ad Nomen, id est Etymon variasq; Appellationes: Partem Europæ, quæ hoc tempore *Francia*, dictam olim multi memoriæ produnt Γαλατίαν, ab Γάλα, *Lac* Latinis sonante, quod lacteos, id est albi coloris homines producat: Montibus (hoc enim addunt) nimium Solis ardorem inde excludentibus. Videndus Isidorus lib. XIV Origin. cap. IV. Diodorus nomen natum scribit ab *Galata* Herculis filia. Alij alia tradunt.

Galatia vel ab Γάλα,

Κελτογαλατία Ptolemæo nominatur lib. II, ceterisque Græcis.

vel ab Galata,

Ab Γαλατία *Gallia* putatur formata: quam tamen vocem alij aliunde dirivant. Hæc talia non tanti, ut Lectorem multis morentur. Certe *Galliæ* appellatio Latinis Scriptoribus olim fuit latissima, ut deinceps, præsertim ubi Distributio aperienda, plenius discemus.

Ab Galatia, Gallia,

Scribit etiam Strabo lib. III. Ἰβηρίαν antiquitus creditam quidquid esset extra Rodanum & Isthmum, qui ab Gallicis coartatur finibus.

Iberia,

Hebræis

Hebræis צרפת vocari scribunt & Gulielmus Postellus & Arias Montanus Commentario in Abdiam Prophetam. *Tzarphat Hebrais.*

Francia nuncupatur hodie ab Francis, Germaniæ ad Rhenum Populis; qui vi Regionem hanc & armata manu occuparunt: Vulgo *Le Royaulme de France.* *Francia.*

Gallos Græci *Celtas* universim & *Galatas* vocarunt: auctoribus Appiano Alexandrino & Strabone lib. IV. Geograph. De *Celtis* lege, quæ disserui libri I cap. IV. Qui nunc ab Græcis *Galatæ* nominantur, inquit Iosephus lib. Antiquitatum I, olim dicti fuerunt *Comeritæ.* *Galli Celtæ & Galatæ.*

Veterum, cum primis autem Timagenis Græci scriptoris, sententias super prima Gallorum origine satis multis commemorat Ammianus lib. XV: *Ambigentes,* inquit, *super origine prima Gallorum Scriptores veteres, notitiam reliquere negocij semiplenam: sed postea Timagenes & diligentia Græcus & lingua* (*Timagenem* hunc Plutarchus de Fluvijs *Syrum* vocat; & pleraque de Callisthene Galaticorum scriptore sumsisse indicat: meminit ejus & Strabo lib. IV.) *quæ diu sunt ignorata, colligit ex multiplicibus libris: cujus fidem sequuti, obscuritate dimota, eadem distincte docebimus & aperte. Aborigines primos in his Regionibus quidam visos esse firmarunt, Celtas nomine Regis amabilis, & Matris ejus vocabulo, Galatas dictos: ita enim Gallos sermo Græcus appellat. Alij Dorienses, antiquiorem sequutos Herculem, Oceani locos inhabitasse confines. * Drasidæ memorant revera fuisse Populi partem indigenam: sed alios quoque ab Insulis extimis confluxisse & tractibus Trans-Rhenanis, crebritate bellorum & alluvione fervidi maris sedibus suis expulsos. Ajunt quidam paucos post excidium Troiæ fugitantes Græcos ubique dispersos loca hæc occupasse tunc vacua. Regionum autem Incolæ id magis omnibus adseverant (quod etiam nos legimus in monimentis eorum incisum) Amphitruonis filium Herculem ad Geryonis & Taurisci sævorum Tyrannorum perniciem festinasse, quorum alter Hispanias, alter Gallias infestabat; superatisque ambobus coisse cum generosis feminis, suscepisseque Liberos plures; & eos Partes, quibus imperitabant, suis nominibus appellasse,* & quæ alia sequuntur: quibus omnibus refutandis tempus non teram. Difficultates Originum facile diffiniri possunt ex cap. XIIII libri III Partis I. *Gallorum origo.*

Cap. II.

Galliæ Fines, Longitudo, Latitudo, Circuitus.

NOMEN brevibus exposui: succedunt Res, quas illustrabo cum in ipsa Regione, tum in Incolis. Ibi Adjuncta quæram & Partes. Adiuncta mihi Quantitas & Qualitas. Quantitatem explicabo in Finibus, Longitudine, Latitudine, Circuituque. Quod ad Fines: Regni, quod *Franciæ* nunc dicitur, ad Septemtrionem, qua quidem Germaniam Inferiorem respicit, Limes statui solet inducta ab Caletibus in Argentoratensium usque Agros Linea; quæ ab sinistra relinquit Artesios, Hannonios, Leuceburgenses & alios; ad dextram Picardos & Lotharingos: qua vero Angliæ jacet obversa, vastus æstuosusque Oceanus, cui ab Vetere Britannia cognomen *Britannici:* Ad occidentem idem eam pulsat, ingenti facto in Aquitaniam Sinu, Oceanus. Ad Meridiem, qua quidem Hispaniæ adhæret, Pyrenæos habet Montes; qua vero apertior, liberiorque & sui quasi sit juris, placidiore, nempe mediterraneo, terminatur Mari, quod ab ipsa *Gallicum.* Ad Ortum denique Alpibus separatur ab Italis, Iura ab Helvetijs, Rheno ab Germanis. Huc pertinent Ammiani Marcellini verba lib. XV Rerum gestarum: *Hanc Galliarum plagam ob suggestus Montium arduos & horrore nivali semper obductos, Orbis residui Incolis antehac pene ignotam, nisi qua Littoribus est vicina, munimina claudunt undique natura velut arte circumdata. Et à Latere quidem Australi Tyrrheno adluitur & Gallico Mari: qua cæleste suscipit Plaustrum, à feris gentibus Fluentis distinguitur Rheni: ubi Occidentali subjecta est Sideri, Oceano & altitudine Pyrenæi: unde ad Solis Ortus attollitur, aggeribus cedit Alpium Cottiarum,* &c. Veteres singularum Antiquæ Galliæ Partium Fines fideliore digito erunt indicandi; ubi Galliarum Divisionem signabo. *Franciæ Fines.*

Galliæ vel Franciæ (nam voces has ἀδιαφόρως usurpabo) Longitudo, si ab Occasu recta in Ortum; ab Insula, inquam, Iuris Francici *Heyssant*, olim *Sena*, extremo Britanniæ, quæ in Galliis, Littori opposita, usque ad Rheni ripam consideretur, Mil- *Longitudo.*

liarium Gallicorum est paullo amplius ccc: sin, ut alij mensurandam censent Longitudinem, ab Cauro vel Argeste in Vulturnum vel Euronotum, id est, ab Insula Normanniæ, *Aldernaij*, quæ Veteribus *Ebodia*, Niceam usque, supra trecenta, numerantur triginta, quantum fere terrarum inter Parisios jacet & Romam.

Latitudo, Latitudo ab Meridionalissimis ad Mare Mediterraneum Littoribus ad Caletensium usque urbem Milliarium fere est ccxcv; quantum Itineris Parisios inter & Venetias.

Circuitus, Circuitus ab Caletibus per maritima Littora, Pyrenæum, Maris Mediterranei Oras, Alpes, Iuram, Rhenum, Lineamque ex Argentoratensium Agris Caletes versus ductam deprehenditur supra mille viginti milliarium. Suetonius in Iulij Cæsaris vita cap. xxv tradit, *in Circuitu patere ad bis & tricies centum millia passuum*: comprehendens præter Helvetiam & alia, totum illud, quod in Vetere Belgica hodie ad Rhenum usque Inferiori Germaniæ adcensetur. Suetonij locum ad verbum pene expressit Eutropius libro Hist. Romanæ vi.

Cap. III.

Galliæ Clima, Qualitas.

Situs Galliæ cœlestis, Ea igitur est Quantitas: sequitur jam-nunc Qualitas; cujus caussa plurimum Clima. Subjacet parti quidem Quinti Gallia, Totis autem Sexto Septimoque Climatibus, Parti quoque Octavi: inter Gradus Latitudinis xli & lii, Longitudinis autem xx & xxxviii. Maxima Æstatis Dies. Maximus dies æstatis in Australi Parallelo, qui distat ab Æquatore Gradibus xlii, horarum est xv: in Boreali, qui ab Æquinoctiali Gradibus dirimitur li, Horarum est xvi.

Venti, Licet universim Ventis obnoxia sit plurimum Septemtrionalibus (*Circium*, Ventum ex Gallia Terra flantem, Parti, quæ Narbonensis appellatur, præcipue infestum docet Plinius lib. ii cap. xlvii. innuuntque præter Lucanum de bello Pharsalico, Seneca lib. iv. Quæst. Natur. & Agellius lib. ii. noct. Attic cap. xxii) Aër, propter Aëris tamen salubritatem & temperiem optimis Europæ Regionibus adcensenda. Constitutione felicissimam facit Claudianus; Saluberrimam dicit Cæsar lib. iii bell. Civil. Qualitas in Hominum generatione, fertilissimam hominum Genitricem non obscure docent Cæsar de bello Gallico lib. ii, Strabo, ubi de Arvernis, Ammianus Marcellinus lib. xxi, & Vegetius lib. i. de re milit. cap. i, alijque.

Agro, Ager magnam partem est planus: amœnos hic ibi habens colles, interque eos Valles jucundissimas: sua cum has, tum illos fœcunditate admirabiles.

Frumento alijsque Segetibus, Arva bene culta Triticum aliasque Segetes luxurie magna producunt. Multum fert Gallia Frumenti, uti docet Strabo lib. iv, Milij, Glandis; & omnigenum alit Pecus. Nihil in ea ociosum, nisi qua Paludes aut Silvæ obstant. Frumenti abundantem scribit Trebellius in Balista: quod idem verum facit M. Tullius in oratione pro M. Fonteio, ubi tradit magnum Frumenti numerum ab Romanis hinc avehi. Docent & Cæsar lib. iii. belli Gallici, & Dio lib. xxxix, Romanos misisse Legatos Frumenti petendi gratia ad populos Galliæ Venetos. Frumentum autem Gallicum omnium levissimum esse ex his generibus, quæ Romam invehuntur, testis est Plinius; apud quem leguntur & Aquitani uti Panico. Felices Gallias pinguibus glebis, & commodas proventibus fructuarijs; plerasque Vitibus Arbustisque consitas, omnique ad usum Animantium fœtu beatissimas describit in Polyhistore Solinus. Pomponius Mela eadem de re sic loquitur: *Terra est Frumenti præcipue & Pabuli ferax, & amœna Lucis immanibus: quidquid ex satis frigoris impatiens est, Ager nec ubique alit, & noxio genere Animalium minime frequens.*

Arboribus, Quod ad Arbores aliaque id genus: Abietem laudatissimam in Iura & Vogeso Montibus; Betulam, & ex ea Bitumen Incolas facere, indicat Plinius. Triumphi Gallici adparatum ex Citro comparasse Cæsarem, Velleius Paterculus auctor est: ut vero simile sit & Citro abundare solitam olim Galliam. Habuit & magna copia (ut Cæsar testatur) Taxum, Arborem venenatam. Eam Dioscorides Narbone tam præsentis esse veneni tradit; ut, si qui dormiant sub ea, aut in ejus umbra subsideant,

sideant, lædantur & sæpenumero moriantur. *Vasa Viatoria ex ea Vinis*, inquit Plinius lib. XVI. cap. X, *in Gallia facta, mortifera fuisse compertum est.* Taxo se exanimasse Cattiuulcum Eburonum Regem memoriæ prodit Cæsar. Scribit etiam ex Artemidoro diligens auctor Strabo, Arborem in Gallia nasci, Fico simillimam; Fructum autem Corno similem gignere; inde Pharetras fabricari; Arborem eandem incisam lethalem succum effundere ad inungendas Sagittas utilem. De Ficubus audiamus Iulianum oculatum testem, cujus in Misopogono verba Latine sic sonant: *Hiems est ibi placidissima propter calorem, ut ajunt; Oceani: ac fortasse quidam tenuis Aër illinc diffunditur; videtur autem maritima aqua dulci esse calidior. Sive igitur ob hanc caussam, sive aliam mihi ignotam, ita se res habet. Hiems ejus terræ Incolis est mitior; præterea Vites optimæ illic nascuntur; quin etiam Ficus multi jam arte quadam extulerunt, quum eas per hiemem calamis Tritici, tamquam Vestimentis, contegerent & alijs hujusmodi rebus, quæ Cæli injurias ab Arboribus averruncare solent.* Sed paullo distinctius hæc Strabo, cujus sæpe memini, libro IV: Ἡ Ναρβωνῖτις ἅπασα, ὥσπερ ἡ Ἰταλία, τοὺς αὐτοὺς ἐκφέρει καρπούς. Παριόντι δ' ἐπὶ τὰς Ἄρκτους καὶ τὸ Κεμμένον ὄρος ἡ μὲν ἐλαιόφυτος καὶ συκοφόρος ἐκλείπει· τ' ἄλλα δὲ φύεται, καὶ ἡ Ἄμπελος δὲ προϊοῦσιν οὐ ῥᾳδίως τελεσφορεῖ. Frigore sane, quia sub Septemtrionibus, ut habet Cæsar lib. I belli Gall. Frugum maturitatem nonnihil retardari, certum est. Qua de caussa huc referendum quod Varro de R. R. I. scribit, *In Gallia*, inquiens, *Transalpina ad Rhenum aliquot Regiones sunt, ubi nec Vitis, nec Olea, nec Poma nascerentur, nisi Agros stercorarent candida fossitia Creta. Marga* hæc dicitur Plinio. Septemtrionaliorem igitur Galliam designant Claudianus, qui Nive eam ferocem dicit; Lucianus, qui Glaciem Gallicam memorat, de Histor. scribenda; Petronius, apud quem Adagium, *Gallica Nive frigidior*; Diodorus, qui Glaciem Gallicam tam immensam fatetur, ut Flumina congelata sint pervia non tantum paucis, sed totis Exercitibus, cum Curribus; M. denique Tullius, cujus in Provinciis Consularibus hæc legitur Exclamatio, vera an falsa? *Quid istis locis asperius? quid incultius Opidis? quid Nationibus immanius? quid Oceano longius inveniri potest?*

Eliconem Helvetium Fabrum ex Italia primum in Galliam tulisse Ficum siccam & Vvam, Oleum ac Vinum, adnotavit Plinius. Inde Vini postea adeo ferax, ut hinc Vindemias condere Italos conqueratur quodammodo Columella; & Viennam Vinum, quod *Picatum* nominabant, Romam, ubi in pretio, mittere solitam referat V Conviv. Plutarchus Quid ergo velint Vopiscus & Eusebius, dum Probum Imperatorem tradant Gallis permisisse, ut Vites haberent, docti Viri nondum capiunt. Putant quidam ad Probi usque tempora in Braccata Gallia sive Provincia tantum, non in ceteris Galliis, Vitem fuisse. Quod qui verum esse poterit, quum Plinius, multo ante Probi principatum *Bituricæ Vitis, Vinique Arvernici* faciat mentionem? Diodorus sua ætate adfirmat in Gallia Comata Vinum nasci nullum solere. Cæsar lib. IV belli Gall. Suevos Germaniæ Nerviis Galliæ temperantia pares efficit. *Vinum*, inquit, *ad se omnino importari non sinunt; quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrarentur.* Hodie Vina Galliæ non unius generis; alia alijs locis colligunt generosiora, eaque partim suis Britannis, Normannis, Picardis, partim Confinalibus Germanis, Belgis, Anglis, alijsque, quibus Vvarum maturitatem negare solet Aëris frigiditas, subvehunt. Vinis.

Vacinia purpurea hic provenire, haberique tingendi caussa ad Servitiorum vestes, notat Plinius; ijsdem Coccum, Conchylium ac Tyrium tribuens, quibus Vestes tingere consueverunt. Nardum ad Theriacam conficiundam ex Gallia peti, Galenus testatur. Lini quoque sationem Galliæ dat idem Plinius (inde Linificium apud Strabonem lib. IV) ex quo Vela faciunt; quamvis Pellibus pro Velis uti Venetos Armoricæ Populos prodiderit Cæsar. Franci certe hodieque Linum apud se natum Cannabemque mittunt cum alio, tum in Hispaniam adparandis Funibus, Navibusque instruendis. Herbis.

Auri quoque & Argenti apud Gallos esse Metalla, atque eorum præstantiora in Cemmeno Monte; Auri etiam Fodinas omnium esse excellentissimas apud Tarbellos; & Ferri Metalla apud Petrocorios & Bituriges Cubos, Strabo auctor est. Aurum apud Celtas quosdam erui, scribit Athenæus. Auriferum Tarnem, Aquitaniæ fluvium, vocat Ausonius. Diodorus libro V plures in Gallis Fluvios auriferos dicit: unde apud Procopium legimus Gallos Aureum nummum è nativo solo cu- Metallis.

dere, eumque non Romanorum Imperatorum, ut ceteri solent, imagine, sed sua impressa. Horum Pecuniam memorat Cassiodorus lib. VII Variar. cap. XXXVII. Merito igitur Gallia dives, Manilio; opibus florens, Dioni; Galli dites, Iosepho; auro locupletes in Oraculis Sibyllinis. Et quamvis Argento carere scripserit Diodorus; è Pyrenæis tamen Montibus, quum Silva casu accensa conflagrasset, liquatum Argentum hic, ut & in Hispanijs profluxisse narrat Athenæus. Apud Ruthenos & Gabalos quoque describit Argenti Metalla Strabo. Ærarias item Secturas apud hos multis in locis esse, Cæsar est testis: Amethystum in Gallia, & Corallium circa Stoechadas Insulas reperiri, Plinius: Electrum apud Celtas in flumine quodam inveniri, Dion Prusæus.

Animalibus. Ager, qui aliunde non occupatus omnis generis nutrit Armenta: quæ faciunt, ut Carnis, Lactis, Butyri, Casei, Lanæ, Rerumque aliarum abundet copia. Pecuaria statuit divitem Sidonius in Panegyrico Majorani. Asinos non habere scribit in Admirandis Aristoteles: hodie secus se res habet. Equas fama nobilitatas commemorat Trebellius in D. Claudio. Canes hujus gentis numerosos laudant, præter Ovidium, Oppianum, Gratium Poëtas, etiam Pollux Grammaticus & Euphrada Orator. Lupum Cervarium ex Gallia spectasse se in Cn. Pompei Magni Arena dicit Plinius. Sues altitudine, robore & celeritate præstantes, à quibus, qui non adsueverit, non minus, quam à Lupo periculi, commemorat Strabo. Hinc optimas pernas Gallos habere, recte scripsit Athenæus: earumque tantam scribit idem Strabo copiam, ut non solum Romæ, sed & plerisque Italiæ locis sufficiant. Sic Varro lib. II de re rustica cap. IV: Quotannis è Gallia apportantur Romam pernæ, Tomacinæ, Petasones. Videndus & Plinius. Lepores permagnos hic esse ex ejusdem Varronis de Ling. Lat. libris discimus: apud quem quoque Gallicanæ Lanæ memoria; quam asperam indicat Strabo. Onocrotalum Avem hic versus Septemtrionem ad Oceanum celebrat Plinius: cui & Salmo hic fluviatilis, atque in Oceano Physeter marinum Animal, ingentis columnæ modo se attollens; altior navium velis Diluviem quamdam eructans. Nereides quoque, item Elephantos & Arietes Marinos hic idem agnoscit Plinius. In Arari flumine, ut habet ex Callisthene Stobæus, nascitur magnus quidam Piscis, Clupea nominatus ab Incolis; qui crescente Luna, albus; decrescente eadem, nigrescit; & Corpore nimium aucto à proprijs Spinis interimitur. In hujus Piscis capite Lapis perhibetur reperiri, similis grani salis, qui optime facit ad quartanas, sinistro lateri Corporis adligatus, decrescente Luna. Clopias nominatur Michaeli Glycæ Annalium parte I. ex Anastasio; Scolopidon, Plutarcho. Ranarum fœcundam numerositatem tantam narrat ex Varrone Plinius, ut ea civitatem pulsaverit. De Fossilibus porro Piscibus hæc apud Pomponium Melam lib. II extremo, ubi de Gallia Narbonensi lego: *Salsulæ fons non dulcibus, sed salsioribus, quam marinæ sunt, aquis defluens* (in Gallia Narbonensi) *Iuxta Campus minuta arundine gracilique perviridis, ceterum stagno subeunte suspensus. Id manifestat media pars ejus, quæ abscissa proximis velut insula natat; pellique se atque attrahi patitur; quin & ex ijs, quæ ad imum perfossa sunt, suffusum mare ostenditur. Vnde Graiis nostrisque etiam Auctoribus, verine ignorantia an prudentibus etiam mendacij libidine, visum est tradere posteris, in ea regione Piscem è terra erui, qui, ubi ex alto hucusque penetravit, per ea foramina ictu captantium interfectus extrahitur.* Per Graios Auctores, quorum fidem elevat Pomponius, designari videntur Strabo & Athenæus: quorum ille lib. V I. tradit circa Ruscinonem fluvium Lacum esse propinquum, ac paulo supra mare locum aquosum, plenum Salinarum, huncque Fossiles habere Mugiles sive Cestreos: ubi enim duos aut tres pedes foderis, inmisso in aquam limosam Tridente, configi solere justæ magnitudinis: ali autem limo, sicut Anguillas: hic autem lib. V I I I. ex Polybij lib. XXXIV, juxta Pyrenæos montes Narbonam usque Campos esse notat, per quos Iliberis & Ruscino fluvij decurrunt: in ijs Fossiles, quos vocant, Pisces reperiri: ejus namque loci solum tenue esse, & subnascente multo gramine, herbosum: sub eo vero, quum ad duos tresve cubitos arenosa sit terra, Aquam inveniri, quæ à fluminibus aberravit; in ea Pisces sub terram discurrere per rivos ipsos pabuli caussa; quod autem radicibus graminis delectentur, subterraneis piscibus universam illam oram repleri, quos egesta humo capiunt Incolæ. Fortean huc referendum, quod in Admirandis memoriæ mandat Aristoteles; in finibus Massiliensium,

ſum, circa Liguſticum, Lacum eſſe, qui ebulliens effuſuſque piſcium multitudinem immenſam, veri fidem ſuperantem, eijciat, &c.

Cap. IV.

Galliæ Montes.

ADIVNCTA abſolvi: ſuccedunt Partes, cum Terra, tum Aqua: ibi Montes, Promontoria, Silvæ; hic autem Sinus, Portus, Flumina, & id genus alia. Quod ad Montes, Gallia alijs, quam alijs, locis eſt montoſior. Eminent hic Delphinatus, Provincia, Sabaudia, & Burgundia. Andegavenſis Ager ſuos etiam habet Montes, qui in Britannorum Pictonumque fines late ſe inſinuant. Montes Galliæ cum primis celebrant Veteres Scriptores *Cebennam, Vogeſum, Iuram.* **Vbi maxime montoſa Gallia.**

Cebenna Mons eſt, qui, ut Cæſar ſcribit, Arvernos *(ceulx d'Auverne)* ab Helviis *(ceulx de Vivaretz)* diſtinguit. *Gebennam* Plinius; *Gebennas*, Lucanus & Auſonius nominant; *Gebennicos* Pomponius Mela. Vera genuinaque ſcriptura eſt, ut Scaliger ſuis ad me litteris monet, *Cebenna*, per C. Dici enim hodie *Montaignes de Cebenes* & *Cevenes:* ut rectius Κέμμενα Ptolemæo & Straboni, *Cebennæ* Latinis quibuſdam dicantur. Non mirum autem multa Montium nomina utroque numero uſurpata reperiri: quum unus Mons in multa plurimum adſurgat juga, & in plura quaſi membra diffundatur; adeo ut qui vere unus, multi Montes eſſe videantur. *Cebennæ* Vineto, Nozoreno, Villanovano *Montaignes d'Auvergne* nominantur. Horum Montium pars hodie *Tarara*, teſte Guilielmo Budæo lib. IV. de Aſſe, qui Lugdunum euntibus eſt ſuperandus. In vertice Sedes viſitur Petræ inciſa, cui Mercatores imponunt eos, qui Mercatum Lugdunenſem numquam frequentarunt. Vulgo *La Chere de la Verité* vocatur. Iurare namque coguntur Veritatem, Lugduni fuerint umquam, nec ne; eoque nomine nonnihil, quo Genio ſimul indulgeant, polliceri. **Cebenna.**

Vogeſus Galliæ Mons Cæſari lib. de bello Gallico IV, Lucano lib. I. Plinio, & alijs. *Vocetus* vel *Vocetius* corrupte dicitur apud Tacitum lib. I. Hiſtoriarum & alibi, ut jam ab doctis viris notatum. Alpium nomine à Strabone deſcribitur lib. IV. Hodie *Mont de Faucilles*, alijſque nomenclaturis incigetatur. Separat Burgundiam Alſatiamque ab Lotharingia. Provomit Moſam, ut etiam teſtatur Cæſar, & infinitos alios fluvios, quorum plerique Rhenum petunt. Pars, unde Moſella profluit, Kratzer appellatur, quod habere ſe tradit Ortelius ex Libello MS. Magni Gruberi, in quo Rhenum deſcribit: addens, Tractum hunc *Eſtaje* Gallice, & Auff der Stap nuncupari in Chorographica Lotharingiæ Tabula, juſſu & impenſis Ducis ab Ioanne Scyllio accurate delineata; nihilque ibi, eodem Scyllio teſte, præter Aſarum herbam provenire. Gignit Vogeſus in Valle Leberia Argentum purum; ſed, ut notat Munſterus, non ita multum. **Vogeſus.**

Iura Galliæ dicam Mons, an Germaniæ? Olim fere totus Galliæ; quum Helvetia Belgicæ adcenſeretur: hodie magna etiam parte Germaniæ. Initium ejus ſtatui ſolet in finibus Baſilienſium, juxta Rhenum, è regione Waldzhuti. Altus eſt, multiſque & ingentibus ſubnixus ſaxis. Meminerunt ejus Cæſar, Plinius, alij. Ptolemæo Ἰουρασσὸς eſt: Straboni Ἰουράσιος & Ἰόρας. Ævo noſtro Accolis Incoliſque pro ratione Locorum alijs atque alijs vocatur nominibus. Haud procul Arce Haſburgenſi prope Brugim (Opidulum eſt ſic dictum Idiomate Germanico à Ponte, qui hic ſuper Arolam ex uno Arcu) *Botzberg* audit; uti, quum trajicerem, me docuerunt qui inhabitant, à Pago *Botzen*, qui cum multis alijs Pedi Montis adlocatus. Hanc Iuræ portionem *Vocetum* vel *Vocetium* eſſe Cornelij Taciti cenſent Sebaſtianus Munſterus, Ægidius Schudus, Wolffgangus Lazius, Chriſtianus Vrſtiſius, & alij. Abrahamus tamen Ortelius apud Tacitum *Vogeſum*, de quo ante, legendum eſſe minime dubitat. Eſt eadem hac Montis parte Vallis ingens, cui nomen *Frikthal*, à Pago cognomine. Occurrunt & aliæ hic ibi Valles, ut obiter hoc dicam, *Lauffen-thal*, & *S. Imerſ thal*, & ſimiles: quarum tamen nulla Montem per tranſverſum penetrat. Vbicumque volueris trajicere, opus eſt alta ſcanſione. Inter Ararim **Iura.**

rim porro & Farſpurgum hic Mons appellatur *Schaffmat*, quod Latinis *Ovinum* ſonat *Pratum*. Inter opidum *Olten* & Humburgenſem Præfecturam dicitur *Nider-Hauvvenſtein, Inferior ſectus Lapis*: Per Saxa enim factum eſt iter. Inter Walnburgum & Balſtallium *Ober-Hauvvenſtein* vocatur, *Superior ſectus Lapis*; ubi currus onuſti grandibus funibus per Montis declivitatem demittuntur. Occaſum verſus procedendo *Waſſer-fal* nuncupatur, id eſt *Aquæ ruina*. Vlterius eundo *Iurten* ab Sabaudis, priſco fere nomine, appellatur. Brachium, quod ſe extendit Baſileam verſus, uno ab Vrbe milliario juxta Byrſam fluvium, *Blourven* dicitur; creſcitque non parum in altitudine & aſperitate, quouſque Delſpergum veneris, ubi rurſus in planiciem diducitur. Vlterius, verſus *Bellele* Monaſterium Gallicum procedendo, rurſum creſcit; ad deinde iterum evaneſcit ſpacio unius milliarij: hinc iterum ſaxoſum horrendumque Montis jugum ab Oriente in Occaſum extenditur; quod pervium feciſſe ſcribitur Iulius Cæſar, perforato in portæ formam ſaxo. Portam hanc nominant alij *Pierre-port, Petræ portam*; alij *Pierre-pertus, Petram pertuſam*. Deſcriptam vere accurateque ab Sebaſtiano Munſtero, ipſe, qui eam aliquando tranſgreſſus, teſtor. Inſcriptionem ſupra Portam ſatis claram deprehendi, niſi quod primæ vocis litteræ reliquis magis ſint extritæ:

N.·.·.·.·.ANGVSTI VIA DVCTA PER ARDVA MONTIS
FECIT ITER PETRAM SCINDENS IN MARGINE FONTIS

An Antiquitatem ſapiat, non diſputabo. Per Fontem intelligit Poëta Byrſam amnem, qui ibi ex Petra magna Aquarum vi erumpit. Procurrit inde Iura verſus Libonotum inter Helvetios Sabaudoſque, quos ad Vulturnum reſpicit, & Burgundos, quos ad Caurum relinquit (unde & apud Cæſarem lib.1 duobus locis Iura Sequanos ab Helvetijs dividit) ſecus varios Lacus, quorum præcipuus Lemannus; ubi longe lateque *Mons S. Claudij* nuncupatus ad Rodanum tandem terminatur.

De alijs, qui ad Gallias etiam nonnihil ſpectant, De *Pyrenæo*, inquam, dixi lib.11, ubi Hiſpaniam delineavi: deque *Alpibus* diſſeram libro ſequenti; ubi Italiam percurrendum mihi erit.

Cap. V.

Galliæ Promontoria.

Promontoria. Gobæum,

INTER Promontoria, quæ Montibus adcenſui, nobiliſſimum eſt illud, quod ultra omnem Galliam in Occidentem excurrit. Ptolemæo Γόβαιον; hodie, ut Villanovanus adnotat, *S. Mathieu*; vel, ut Gerardus Mercator, *Le Four*.

Icium.

Supra Gobæum verſus Septemtrionem Ἴκιον eſt eidem Ptolemæo, è conſpectu Cantij, Albionis Promontorij. *Blanckeneſt* putatur Becano, *Stapulas* Meiero.

Pectonium,

Succedunt Gobæo verſus Meridiem apud eumdem Ptolemæum Πηκτόνιον; *Vornoc* Mercatori; *Talmond* Cluſio; ſic dictum Adcolis, quaſi *Talon du Monde*:

Santonum,

Σαντωνῶν Ptolemæo; *Blaie* hodieque, ut putat Villanovanus; vel, ut Mercator *Maluaſon*.

Curianum,

Κυριανὸν ἄκρον Ptolemæo; Ioſepho Scaligero in Auſonianis *Caput Boiatum* hodie, ſed lingua Vaſconum *Cap de Butz*; Mercatori eſt *Sollac*, Vineto *Gordan*, Belleforeſtio *S. Mariæ*.

Cithariſtes.

Ad Mare Mediterraneum Κιθαριστὴς eſt Ptolemæo, *Citharistes* Plinio & Pomponio Melæ, *Citariſta* Antonino: *Circelli* Nautis, notante Mario Nigro; alijs *Cabo de S. Sigo*, quibuſdam *Cabo Bacro* Belleforeſtio *Cap de Gercel*.

Setium.

Nominatur ibidem in Galliæ Narbonenſis ora maritima & Σήτιον Ptolemæo, *Setium* Antonino, Σίγιον Straboni, corruptius, niſi hoc ſit *Cabo de S. Sigo*, de quo paulo ante. Setium certe hodie *Cap de Cete*, ſcribente Cluſio.

Eſt & non incelebre Promontorium, quod Nautis *Cap de la Hague*, cui Inſula objacet *Ebodia*. Sic appellat Paulus Diaconus lib.1.cap.VI. Longobardicorum; quam Franci nunc nominant *Aldernaij* vel *Ornaij*, de qua ſuo loco.

Cap.

CAP. VI.

Galliæ Silvæ.

SILVÆ Gallijs ſunt frequentes, non tamen, ut alijs in regionibus, magnæ, non denſæ, non ita dumis horridæ. Apud Cenomannos variæ ſunt, *Les Foreſts de Verſay, Longoulnay, Perſi, Sille, Charnay, Audain, Maine, Conciſe*: apud Britannos Inferiores, *de Boſtblanc, de Toriant, de Guierche*: apud Pictonas, *Les Foreſts de Mouliere, Dyne, Broſſe, Ligne*, & aliæ: apud Bituriges *Silva Roberti* cum alijs viſitur: apud Andegavos, *Lourſaie* & *Marſon*. Totus Bononienſium Ager una quaſi obſeſſus eſt Silva, cujus partes, *Les Bois de Surene, Celles, Hardelot, Dalles, Bourſin*. Apud Veromanduos haud procul Perona Nemora ſunt *Reccigne* & *Bouhan*: Apud Picardos *Bois de Baine, de Beaulieu, de la Fere, de Conſſy*. Nec ſuis caret Siluis Lotharingia; *Warnedwaldt, Le Banbois, Bois de Mandon, de Heyde, de S. Benoyt, de la Voge, Mortaigne, Loſcyne*. In Burgundijs multæ ſunt Silvulæ, quarum nunc non occurrunt nomina. Alias prætereo, quæ paſſim per Gallias hic ibi ſparſæ. *Silvæ.*

Arduenna, hodie potiſſima parte eſt in Inferiore Germania, ideoque ibi deſcribenda. *Gallicam* vocat Claudianus; & *Silvam Galliæ maximam* Cæſar lib. VI. de bello Gallico, quod olim eſſet in Gallia Belgica. *Arduenna.*

CAP. VII.

Galliæ Sinus.

SINUS Gallijs ſunt inſignes; cum ad Oceanum, tum ad Mare Mediterraneum. *Sinus.*
Ad Oceanum eſt cum primis ille, qui *Aquitanicus* Æthico, Oroſio, Tabulæ Peutingerianæ. *Tarbellicus Ancon* elegantiſſime apud Lucanum vocatur: *Aquitanicus.*

—— Et ripas Atyri, quem littore curvo
Molliter admiſſum claudit Tarbellicus Ancon.

Ita enim omnino legendum monet Nobiliſſimus Vir Ioſephus Scaliger; non, ut hodie:

& ripas Satyri, qua littore curvo
Molliter amiſſum claudit Tarbellicus æquor.

nullo ſenſu. De hoc Sinu Strabo lib. IV Geographic. ἔχουσι δὲ Τάρβελλοι τὸν κόλπον, παρ' οἷς εἰσι τὰ χρύσεια πυδαιότατα πάντων. Male vertunt Interpretes: *Sinum hunc habent Tarbelli.* Dicendum enim fuerat: *Habent vero & Sinum Tarbelli*: ne *Sinum Gallicum*, de quo paulo ante verba fecerat Strabo, tribuere videatur Tarbellis: *Gallicumque*, qui ad Mare Mediterraneum, cum *Tarbellico* vel *Aquitanico*, qui ad Oceanum, confundere.

Sinus etiam ad idem Mare ſunt non ignobiles, in quorum intimis receſſibus locata videmus opida, Diepam, Conſtantiam, & alia. *Diepenſis Conſtantienſis.*

Ad Mare Mediterraneum *Gallicus* (*γαλατικός*) Sinus eſt duplex, *Major*, & *Minor*. *Major* ea Maris Mediterranei pars appellatur, ubi ſe in illud effundit Rodanus. *Angulus Gallicus* M. Porcio Catoni in Oratione de Conſulatu; qua forma paulo ante Aquitanicus Sinus Lucano dicebatur *Tarbellicus Ancon*, voce Græca: *Gallicus Sinus κατ' ἐξοχὴν* Livio lib. XXVI. & XXX, Iuſtino lib. XLIII, & alijs. *Minor* apud eumdem Strabonem ſcribitur ad Promontorium Montis Pyrenæi, quod *Aphrodiſium* appellatum dixi lib. II, cap. V. Hic *Salſus* vocatur Pomponio Melæ. Littus, quod huic Sinui objacet, *Phociacum* videtur nominari in Inſcriptione, quam præcedentis libri capite VII poſui. Circa Maſſiliam & Emporias interpretatur Antonius Auguſtinus Dialogo III de Nummis antiquis. Videndus & Silius Italicus lib. I, III, & IIII Belli Pœnici. *Gallicus: Major. Minor.*

Gamblacitanum etiam Sinum ponit ad Galliam Narbonenſem Antoninus. *Gamblacitanum.*

CAP. VIII.

Galliarum Portus.

Portus. PORTVS, ut hodie, de quibus plene Lucas Aurigarius Charta V & quatuor sequentibus, sic olim habuit Gallia celeberrimos. Nam quæ non ad mare Gallicum opida vocarunt Antiqui, si modo quid commodi haberent situs, Portus? Principem obtinent locum *Staliocanus*, *Vindana*, *Brivates*, & alij quidam Veteribus nominati.

Staliocanus. Qui Σταλιόκανος Ptolemæo, alijs *S. Paul de Lyon* in Britannia existimatur, *Ros.ou* alijs; quibus ut subscribam, facit, quod posterior priore multo sit fidior & commodior, quamvis enim oppositam habeat Insulam, cui cognomen vulgo *De Bas*, facilem tamen & tutum septemque altum hodie ulnas, utrimque præbet Navibus ingressum. Priori, cui ab *D. Paullo* nomen, minax objacet Taurus (Insula est, vulgo *Le Taureau*) qui circumpositas habet rupes innumeras & latentes & eminentes; à quibus magnum Nautis male providis creari solet periculum.

Vindana. Haud procul inde in eadem Britannia versus Meridiem post flexum Promontorij Gobæi, de quo ante dixi, *Vindana* occurrit Portus; οὐίνδανα Ptolemæo. *Fensliers* hodie, vel *Conquest*. Iovio male *Brest*.

Brivates. Adscribit hinc Βριουάτη Portum nominatus à me sæpe Ptolemæus. Nomen hodie fere retinet, *Brest*.

Secor. Sequitur apud eundem Ptolemæum Σηκὼρ Portus: *Lusson* vel *Luxon* hodie. *Secor* & *Brivates* corrupte leguntur in Tabula Peutingeriana, mistim in una voce *Gesocribate*.

Santonum. Hinc *Santonum*, Σαντόνων, Portus Ptolemæo scribitur; hodie *La Rochelle*, ut arbitratur Villanovanus.

CAP. IX.

Fluvij Galliæ celebriores.

Fluvij. LÆTATVR Gallia Fluminibus, quæ magna, quæ parva, innumeris. De ijs in genere Strabo lib. IV: Ἅπασα μὲν οὖν αὕτη ποταμοῖς κατάρρυτος ἡ χώρα, τοῖς μὲν ἐκ τῶν Ἄλπεων καταφερομένοις, τοῖς δ' ἐκ τοῦ Κεμμένου, καὶ τῆς Πυρήνης· καὶ τοῖς μὲν εἰς τὸν Ὠκεανὸν ἐκβαλλοῦσι, τοῖς δ' εἰς τὴν ἡμετέραν θάλατταν· δι' ὧν δὲ φέρονται χωρίων, πεδία ἐστὶ τὰ πλεῖστα καὶ γεωλοφίαι, διάρρους ἔχουσαι πλωτούς. Οὕτως δ' εὐφυῶς ἴσχει τὰ ῥεῖθρα πρὸς ἄλληλα, ὥστ' ἐξ ἑκατέρας τῆς θαλάττης εἰς τὴν ἑκατέραν κατακομίζεσθαι, προσεμένων ἐπ' ὀλίγον τῶν φορτίων καὶ διὰ πεδίων εὐμαρῶς· τὸ δὲ πλέον τοῖς ποταμοῖς, τοῖς μὲν ἀναγομένων, τοῖς δὲ καταγομένων, &c. Hujus Fluviorum crebritatis caussam indicat Seneca libro Natur. Quæstion. III: *At contra, ait, constat Germaniam Galliamque, & proxime ab his Italiam abundare rivis & Fluminibus; quia Cælo humido utuntur, & ne æstas quidem Imbribus caret.* Nominat simul Fluvios non paucos Ausonius Eidyllio III, ubi de Mósella.

> *Non tibi se Liger anteferet, non Axona præceps,*
> *Matrona non, Gallis, Belgisque intersita fines;*
> *Santonico refluus non ipse Carantonus æstu*
> *Amnis, & auriferum postponet Gallia Tarnem;*
> *Insanumque ruens per saxa rotantia late*
> *In mare purpureum, Domina tamen ante Mosellæ*
> *Numine adorato, Tarbellius ibit Aturnus.*

Et paullo post:

> *Te Druna, te sparsis incerta Druentia ripis,*
> *Alpinique colent fluvij, duplicemque per urbem*
> *Qui meat, & dextræ Rodanus dat nomina ripæ:*
> *Te Stagnis ego cæruleis, magnumque sonoris*
> *Amnibus, æquoreæ te commendabo Garumna.*

Sic

Sic Tibullus lib. I. Elegia VII:

Testis Arar, Rodanusque celer, magnusque Garumna
Carnuti & Flavi cærula lympha Liger.

Sic denique Sidonius Apollinaris in Panegyrico, quem dixit Cæsari Iulio Val. Maiorano Augusto: —— *istum jam Gallia laudat*

Quodque per Europam est rigidis hunc abluit undis
Renus, Arar Rodanus, Mosa, Matrona, Sequana, Ledus,
Clitis, Elaris, Atax, Vacalis, Ligerimque bipenni
Excisum per frusta bibit, &c.

Ordine turbatiore præferuntur hæc ab Vulgatis Libris.

Primum autem inter Fluvios agmen ducunt *Sequana, Ligeris, Garumna, Rodanus.*

Qui *Sequana* Latinis, Σηκοάνα dicitur Ptolemæo, Σηκοανὸς Straboni, Σηκόανος Stephano, *Siban* Beniamino, *Seyne* vulgo. Oritur in Burgundiæ Ducatu, in Alseti Regione paulo amplius Leuca versus Septemtrionem à Burgo, qui S. Sequano sacer; duobus rivulis, quos inter Pagi jacent *Billy* & *Perriere*. Lustratis sectisq; cum alijs, tum Lutetia Parisiorum, cui nobilissimam facit Insulã. Rotomagoque, Mare Britannicum vel Normannicum ostio satis lato irrumpit. Æstuarium ibi satis est navigantibus periculosum; ideoque provide magnaque solicitudine adeundum. Normannis vulgo vocatur *La Bare*. Sequana enim Mare ingressus repente contra Fluviorum cæterorum naturam refluit, horrendo sonitu ascendens ad hastæ longioris altitudinem. Inexspectata solent hic negligentibus & incuriosis oriri discrimina. De ortu Sequanæ sic Strabo lib. IV: Ἀλλος δ' ἐστὶν, ὁμοίως ἐν ταῖς Ἄλπεσι τὰς πηγὰς ἔχων, Σηκοανὸς ὄνομα. Ῥεῖ δ' τὸν Ὠκεανὸν, παράλληλος τῷ Ῥήνῳ διὰ ἔθνους ὁμωνύμου, Alpium appellatio Straboni, ut & alijs, solet esse latissima. Stephanus Sequanam Massiliensium vocat Fluvium. Massilienses olim per Gallias late dominabantur. Currens Sequana fluvios suscipit varios, in quis nobiliores cæteris, Antiquis etiam noti, *Matrona, Esia, Axona*. *Matrona* (vulgo *Marne*) ingens Flumen, neque ipso minus Sequana, cum quo Celtas (*Gallos* Romani vocabant κατ' ἐξοχὴν) à Belgis dividebat, ut Cæsar, Ausorius (cujus versus ante positi) & Ammianus tradunt. Nascitur in Vogeso Monte, paulo supra Lingonum urbem (*Langres*) versus Euronotum. Visis post Lingones multis Vrbibus Opidisque, quorum præcipua Iani-Villa, S. Desiderij Fanum, Catalauum, Hahyum, Dormantium, Arx Theodorici, Meldæque; acceptis item in sinum suum aliquot minorum gentium Amnibus, qui vulgo *Sault, Bloise, Ourq*, & *Tresme*, Sequanæ convolvitur leuca supra Parisios ad Pontem Charentoniũ. *Esia* (*AEsiam* alij scribunt) initiũ capit duodecima supra Guisam leuca versus Orientem, haud procul pago *Orgny*. Meminit Vibius Sequester. Vulgo *Oyse* vel *Ayse*. Picardiam percurrit. Veneratus Guisam, Feram, Compendium, Pontem S. Maxentij, aliaque opida, paulo infra Pontem cognominem (*Pont-Oyse* vulgo) ad Possiacum Sequanæ se miscet: raptis secum cum alijs, tum supra Compendium *Axona*, qui vulgo *Ayne, Aisne* vel *Esne*. *Axona* Cæsari Fluvius Galliæ Belgicæ in extremis Remorum finibus. Fons ejus hodie apud Barrenses, supra Clarum-Montem (*Clermont*) ad pagum *Souilly*, In *Axonæ* transitu Germanos ab insequentibus Gallis magnum olim accepisse incommodum, memoriæ prodit Cæsar lib. II belli Gallici. Ejus Adcolæ *Axones* fortean apud Lucanum lib. I.

Sequana. *Matrona.* *Esia.* *Axona.*

Ligerim secundo loco nominavi, ab Cæsare alijsq; nobilitatum: Λίγηρος (vel, ut in alijs Codicibus melius, Λίγειρις) & Λείγηρ Straboni lib. IV & Ptolemæo: Hodie *Loire* & *Leire*. Caput ejus in Pago Velauno: Locus vulgo *La Font de Leire*. Strabo: Ἐντεῦθεν δ' ὁ Λείγηρ ἀφ' ὕψους ἐκδέχεται. Ῥεῖ δὲ ἐκ τῶν Κεμμένων εἰς τὸν Ὠκεανόν. Amplior est reliquis, ut merito *Pater Galliæ Fluviorum* audiat: aquæ limpidissimæ. Facto inter varios Populos (Celtas ab Aquitanis olim ex Strabonis notatione dividebat) procursu, exonerat se in Oceanum Occidentalẽ, inter Nannetes & Pictones, Strabone etiam scribente: ὁ δὲ Λείγηρ μεταξὺ Πικτόνων τε καὶ Ναμνιτῶν ἐκβάλλει: ostio quatuor fere Leucas amplo, Pulvillis aliquot infecto: interius ad duas cum semi leucas Rupes sunt, quibus à Porcis cognomen. Ingentes & Navigiorum patientes excipit Fluvios non paucos, *Elaver*, *Carim, Vigennam, Meduanam*, & alios. *Elaver* apud Cæsarem lib. VII. belli Gallici, qui Sidonio Apollinari Panegyrico ad Majoranum *Elaris* (apud quem tamen alij *Elaver* legendum putant) *Allier* vulgo. Nascitur ex Cemmenis montibus supra opidum

Ligeris. *Elaver.*

Clarum-montem, prope Gergoviam: Ligeri æmulus, neque magnitudine cedens, & magis pisculentus. Fluvium hunc inlustrat Gabriel Simeonius in Dialogo suo Pio & Speculativo: sic enim Titulus habet. Caris. *Caris* apud Gregorium Turonensem; *Cher* hodie. Vigenna. *Vigenna*, cujus mentio apud Fortunatum, Gregorium Turonensem & Hugonem Floriacensem, hodie *Vienne, Viane* & *Vignane*. *Meduana* meminit ex emendatione Turnebi Lucanus lib. I. belli Pharsal.

In ripis Meduana tuis marcere perosus.

Meduana. Alij *Medualla* legunt; Theodorus Canterus lib. III. Novar. Lect. *Meditana*. *Meduanam* sane & *Medanam* Galliæ fluvium etiam nominant Regino & Turonensis: hodie *Mayne*. Andegavensium Vrbem adluit. Longum esset omnes persequi Fluvios, quos *Ligeris* suscipit cum ipse, tum aliorum devectione.

Garumna. *Garumna* sequitur, Cæsari Gallos ab Aquitanis disjungens: Straboni lib. IV Γαρούνας; Ptolemæo Γαρούνα, *Garonna* Frontino; quod nomen integrum hodieque retinet à capite ad Blaviam Castrum, ubi Lingua Romana incipit. Nam inde pro *Garonna* dicitur *Geronde* & *Gironde*. Sillabam enim *Ga*, primam in vocibus, Galli (quod me monuit magnus Scaliger) mutant in *Gi*. Exempla dabuntur in sequentibus. *Gerunnam* etiam vocat Guilielmus Brito in sua Philippeide:

Quum post retrofluum pelago crescente Gerunnam.

Oritur ex Pyrenæis, haud procul opido, quod vulgo *Cadalup*. De eo diligentissime Pomponius Mela lib. III: *Garumna ex Pyrenæo monte delapsus, nisi cum hiberno imbre aut solutis nivibus intumuit, diu vadosus & vix navigabilis fertur: at ubi obvius Oceani exæstuantis accessibus adauctus est, iisdemque retro remeantibus suas illiusque aquas agit, aliquantum plenior, & quanto magis procedit, eo latior fit, ad postremum magni Freti* (manet & nunc eadem facies) *similis, nec majora tantum navigia tolerat, verum etiam more Pelagi sævientis exsurgens jactat navigantes, atrociter utique si alio Ventus, alio Vnda præcipitat.* Et quæ alia sequuntur de *Antro* Insula, ad Garumnæ ostium sita. Non absimilia de eo tradit Claudianus in Rufinum lib. II:

Quousque rigat retro pernicior unda Garumnæ,
Oceani pleno quoties impellitur æstu.

Sic Sidonius Apollinaris Carmine XXIII, cui titulus *Burgus Pontij Leontij:*

At quum submotus lunaribus incrementis,
Ipse Garumna suos in dorsa recolligit æstus,
Præcipiti fluctu raptim redit, atque videtur
In fontem jam non refluus, sed defluus ire.
Tum recipit laticem, quamvis minor ille, minore
Stagnanti de fratre suum, turgescit & ipse
Oceano, propriasque facit sibi littora ripas.

Et hinc *Fluenta refluentia* tribuit eidem Garumnæ Sidonius idem lib VIII, epist. XII. Hodie perlustratis cum alijs, tum Tolosa & Burdigala, Mari se miscet Aquitanico, duarum fere Leucarum ostio; quod intrantibus occurrunt Scopuli, quibus ab *Asellis* cognomen. Septemtrionalior Nautis Belgis *Noorder-Esel*, Australior, *Suyder-Esel*, Φάρον vel præaltam sustinens Turrim, quæ vulgo *Le Tour Cordan*. Excipit navigeros Tarnis. Fluvios *Tarnim, Egercium, Oldum, Duranium* & alios. *Tarnis* Plinio lib. IV. cap. XIX, Ausonio in Mosella (qui *Auriferum* nominat) Sidonioque in Propemptico ad Libellum (cui *Citus* dicitur) celebratus: *Lo Tarn* vulgo, ut censent Iosephus Scaliger & Vinetus; Gallice loquentibus *Le Tar*: Errat Navagierus, qui Dordonam esse arbritratur. Egircius. Oldus. *Egirtius* Fortunato lib. I. *Aegirsius* Sidonio; Vasconibus hodie *Gers-Oldus* sive *Olites* Arvernatibus & Montanis Cadurcis *Ooldt*, vel cum articulo *l'Old, l'Oolt, l'Ould*; alijs corruptius *Loth*. Duranius. *Duranius* Ausonio & Sidonio Apollinari in Burgo Leontij: *Dordonia* apud Gregorium Turonensem & priscos Monachos in rebus ab Karolo Magno gestis: Hodie *La Dordogne*, & alibi *Dordonne*. Vnus ex præcipuis non solum Aquitaniæ, sed etiam totius Galliæ Fluminibus, Garumnæ nec æstus nec aluei magnitudine cedens. De *Dordonia* sic Aimoinus lib. I. cap. V. Histor. sub finem: *Dordonia qui ex monte, qui Dor dicitur, & est in finibus Arvernorum, duobus scaturiens fontibus, quorum uni nomen est* Dor, *alteri* Donia; *qui haud procul Monte ipso conjunguntur, in Garumnam influit:* ad opidum Burgum (hodie *Bourg*) quod Sidonius decantat: cui *Duranius* ibidem *muscosus curvata saburra*. Quum autem Γαρουνᾶς scribatur Straboni τρισὶ ποταμοῖς αὐξηθεὶς: intelligendi sunt *Tarnis, Oldus* & *Duranius*.

Vltimum

Vltimum *Rodano* dedi locum. Fluvius hic Scriptoribus omnibus & Græcis, quibus Ῥοδανὸς, & Latinis notissimus. In universum Gallis nuncupatur *Le Rosne*: sed Indigenis *Lo Ros*: *Eridanum* nominant Oppianus in Halieuticis lib. IV & Philostratus in Vitis Sophistarum. Plinius ab *Roda*, Rodiorum in illo tractu Colonia, nomen impositum scribit. Sic D. Hieronymus in Epistolam ad Galatas, de Lugduno: *Opidum Rodani Coloni Rodiorum locauerunt, unde amnis Rodanus nomen accepit*. Germaniæ fluvium videtur agnoscere Pomponius Mela lib. III, cap. III, forte quod Fons illi apud Germanos potius, quam Gallos: idem enim lib. II, cap. V disertis verbis inter Galliæ Flumina describit: putant tamen alij *Renum* pro *Rodano* priore loco reponendum. Oritur haud procul Danubij, Reni, Arolæ, Ticini aliorumque fontibus, prope montem, qui vulgo *Briga*. Lacum Lemannum apud Pagum Novam-Villam (*Neuf-Ville*) ingressus, servato fere colore (quem ipse, qui Lacum sæpissime navigavi & familiarissime etiam cum periculo meo novi, viridiorem animaduerti, aquam autem Fluvij limpidam pellucidamque, quum quæ ipsius erat Lacus crassior esset, & ab terrena fæce impurior, colorisque cinerei) permeat, & ad Genevensium opidum egressus, rapido cursu pergens in mare Mediterraneum erumpit: septem ostijs, ut scribit Apollonius in Argonauticis: quinq:, ut Diodorus, Timæus apud Strabonem, & Sex. Avienus; tribus ut Artemidorus apud eundem Strabonē, Plinius & Ammianus; duobus, ut Polybius eodem Strabone teste, & Ptolemæus; pluribus, ut prudenter sibique, ne mendacij argui posset, cavens Livius: hodie quinque, & plura numerant nominantque Adcolæ, *Gras Neuf, Gras d'Orgon, Gras Paulet, Gras Grant, Gras d'Enfer, Gras de Passon*; quorum postremum, quod versus Massiliam sit, *Massaleoticum* appellat Plinius, Μασσαλιωτικὸν Polybius, qui hoc *Primum* vocat, quod *ad Gradus* Marcellino & Antonino; à quo cæteris etiam Ostijs *Gradus* nomen inditum. *Rodani* Ortum Cursumque sic describit Strabo lib. V: φέρεται δ' ἄνω τῶν πόλεων οὗτος (Ῥοδανὸς) πολὺς καὶ σφοδρός. ὅσγε καὶ διὰ λίμνης ἐξιὼν τῆς μεγάλης, φανερὸν δεικνυσι τὸ ῥεῖθρον ἐπὶ πολλοὺς σταδίους· κατελθὼν δὲ εἰς τὰ πεδία τῆς χώρας τῆς Ἀλλοβρογῶν καὶ Σεγεσιαίων συμβάλλει τῷ Ἄραρι κατὰ Λούγδουνον, πόλιν τῶν Σεγοσιαίων. Et post paucula: πάλιν δ' ἐπικρατήσας ὁ Ῥοδανὸς εἰς τὴν Οὐίενναν φέρεται. Συμβαίνει δὴ κατ' ἀρχὰς μὲν τοὺς τρεῖς ποταμοὺς (designat *Rodanum*, *Ararim* & *Isaram*) φέρεσθαι πρὸς Ἄρκτον, εἶτα πρὸς Δύσιν· εἰς ἓν δ' ἤδη συμπεσόντες, πάλιν ἄλλην καμπὴν λαβὸν νότιον φέρεται τὸ ῥεῦμα μέχρι τῶν ἐκβολῶν, δεξάμενον καὶ τοὺς ἄλλους ποταμοὺς, κἀκεῖθεν ἤδη τὸν λοιπὸν ποιεῖται, μέχρι τῆς θαλάττης ῥύσιν. Quia vero ab Alpibus profluit Rodanus, existimandum est Strabonem prima hæc à me laudata ad hunc modum scripsisse: φέρεται δ' ἀπὸ τῶν Ἄλπεων, *&c.* Pro μεγάλης mallem etiam Λεμάνης. Ἐξιὼν autem apud Strabonem hic, non *exiens* Latinis, sed *exitum quærens*. Innuit enim Rodanum undæ suæ colorem seruare, non quidem Lacu jam egressum, nam de eo nullum dubium; sed in ipso Lacu, dum eum percurrit, & exitum quærit. Videndus omnino Plinius lib. II, nat. histor. cap. CIII. Pomponius Mela lib. II: *Rodanus non longe ab Istri Renique fontibus surgit: deinde Lemanno Lacu acceptus tenet impetum, seque per medium* (inclinat magis ad Septemtrionale latus) *integer* (seruato fere colore) *agens quantus venit, egreditur. Inde contra in Occidentem ablatus aliquamdiu Gallias dirimit. Post cursu in Meridiem abducto, hac intrat; accessuque aliorum Amnium jam grandis & subinde grandior inter Volcas & Cavaras emittitur.* Clarius Ammianus Marcellinus lib. XV: cujus totus de hoc Fluvio locus dignus, qui adscribatur: *A Pœninis Alpibus effusiore copia fontium* (tres aliquando mihi ab Adcolis monstrati) *Rodanus fluens, & procliui impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat, & Paludi sese ingurgitat nomine Lemanno; eamque intermeans nusquam Aquis miscetur externis, sed altrinsecus summitates Vndæ præterlabens segniores* (ipse perfecte vidi supra Losannam, Fluvio ex liquefacta nive pluvijsque continuis supra modum aucto, violentiusque Lacum perrumpente) *queritans exitus* (ἐξιὼν Strabo, paulo ante) *viam sibi impetu veloci* (adeo ut, Lacu nondum plene relicto, Hydromylarum Tympana Genevensium circumagat) *molitur. Vnde sine jactura rerum per densa Paludium fertur & Sequanos, longeque progressus Viennensem latere sinistro perstringit, dextro Lugdunensem: & emensus spatia flexuosa Ararim, quem Sauconnam* (de eo paulo post) *appellant inter Germaniam primam fluentem, suum in nomen adsciscit: qui locus exordium est Galliarum.* (excludebatur enim antiquis Galliarum limitibus ea, quæ *Narbonensis & Provincia Romanorum* dicebatur) *Exinde non millenis passibus, seu Leucis itinera metiuntur: ubi auctus Rodanus Aquis advenis locupletior, vehit grandissimas naves, Ventorum flatu*

Rodanus.

jactari

Jactari sæpius adsuetas: finitusque inter Valles, quas ei natura præscripsit, spumeus (hac voce notatur impetus erumpentis) *Gallico mari concorporatur per patulum Sinum, ab Arelate octavodecimo ferme lapide disparatum.* Sed ne quid dissimulem; de Rodano, colorem suum servante; quæ dixi, negare videtur doctissimus Isaacus Casaubonus ad lib. IV. Strabonis Geograph. scribens, quum id diligenter observaret, vidisse se Rem non esse tam miram, quam videri volunt Veteres: se autem hoc magis mirari, quod in Arva ipse deprehendit. *Is est*, inquit, *Fluvius, qui Rodanum ingreditur* c *circiter passus emensum, postquam è Lacu Genevensi exiit. Tanta autem est ejus Fluvii, seu verius Torrentis, vehementia, tantaque rapiditas, ut Rodani alveum ingressus, multos fluat passus ante, quam ei misceatur: ita ut duo Flumina juncta quidem, sed nullo modo mixta eodem labantur alveo: quin non raro contingit, ut nivibus liquefactis auctus ille Fluviolus Rodani cursum impediat, qui tum cogitur ad Lacum regredi, ut vere dicere illud possis, ἄνω ποταμῶν χωροῦσι παγαί. Id maxima cum omnium admiratione contigit famoso anno* CIↃ IↃ LXXII. *adeo ut Pistrina Genevensia, Rodano inter Lacum & Arvæ confluentem imposita, horarum aliquot spatio contrario motu moverentur, ac molerent.* Porro quod paullo ante Ammianus ait de Navibus, Ventorum flatu jactari sæpius adsuetis, confirmat Ambrosius libro Hexaemeron secundo: *Rodanus*, inquit, *rapido concitus cursu Tyrrheni æquoris* (latius hoc nomen hic accipitur, quam apud alios Scriptores) *freta scindit: in quo non mediocre fertur Navigantium periculum, dum inter se Maris Fluctus & Amnis Fluenta decertant.* Sed hæc talia Fluminibus omnibus, quibus violentiores in mare sunt Eruptiones, solent esse communia; præcipue si alio Venti, alio Aquæ præcipitent, quemadmodum paulo ante ex Pomponio audivimus de Garumna. Ab *Rodano* autem *Rodanenses* Regiones Irenæo lib. I. cap. IX. & Epiphanio lib. I. Tom. III, hæres. XXXIII; item *Rodanusia*, Lugdunum. apud Sidonium Apollinarem lib. I. Epist. V. *Rodani-potor* denique Lugdunensis, Horatio lib. II. Od. ult. Excipit præter *Arvam*, de quo dixi, Rodanus *Ararim*, *Isaram*, *Drunam*, *Druentiam*, aliosque; & ad dexteram ripam *Nardonem* cum alijs. *Araris* Latinis, qui Ἄραρ Straboni, Ptolemæo & Sidonio carmine V. Hodie *Saone* vel *Sone*; quod nomen, quam putatur, est antiquius. Ammianus lib. XV; *Ararim, quem Sauconnam appellant:* melius fortean *Saonnam:* & Ammiano multo prior Polybius, apud quem est Σκόρας, pro quo indubie legendum Σαόνας. Oritur haud longe ab Fontibus Mosæ Mosellæque: Rodano non minor, anteaquam in illum reponatur, quod fit apud Lugdunum, ut in Vrbis hujus explicatione videbimus. De *Arare* Strabo lib: IV: Ῥεῖ δὲ καὶ ὁ Ἄραρ ἐκ τῶν Ἄλπεων (*Vogesum* designat *Alpium* appellatione, ut & alias indicavi) ὁρίζων Σηκοανοὺς τε καὶ Αἰδούους καὶ Λιγκασίους. παραλαβὼν δ' ὕστερον τὸν Δοῦβιν ἐκ τῶν αὐτῶν ὀρῶν φερόμενον πλωτὸν, ἐπικρατήσας τῷ ὀνόματι, καὶ γενόμενος ἐξ ἀμφοῖν Ἄραρ, συμμίσγει τῷ Ῥοδανῷ. De Araris cum Rodano concursu Venantius Fortunatus, Libro & Poëmate VI, ut quidem ex MS. sui Codicis vestigijs legit amicissimus mihi Petrus Scriverius:

Excipit hinc Narbo, qua littora plana remordens
Mitis Arar Rodanas molliter intrat aquas.

Quod autem *Araris* Rodano se jungat, putarunt Veteres nomen eum invenisse παρὰ τὸ ἡρμόσθαι, quum ante *Brigulus* vocaretur. Plutarchus in libello de Fluminibus: Ἄραρ ποταμός ἐστι τῆς Κελτικῆς, τὴν προσηγορίαν εἰληφὼς παρὰ τὸ ἡρμόσθαι τῷ Ῥοδανῷ. καταφέρεται γὰρ εἰς τοῦτον κατὰ τὴν χώραν τῶν Ἀλλοβρίγων. Ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Βρίγουλος. Ab hoc Fluvio *Araricorum Nautarum Corpus* vel Collegium. Mentio in Vrna oblonga, parieti cuidam immissa Romæ in capite Pontis S. Bartholemæi, in Insula Tiberina:

D. M. S.
C. SEN.∴∴O. REGVLIANO. EQ. R. DIFFVS
OLEARIO. EX. BÆTICA. CVRATORI. EIVSDEM
CORPORIS. NEGOT. VINARIO. LVGDVN
INCANABIS. CONSISTEN. CVRATORI. ET. PA
TRONO. EIVSD. CORPORIS. NAVTÆ. ARARICO
PATRONO. EIVSD. CORPORIS. PATRONO. IIIIII. VIR
LVGDVNI. CONSISTENTIVM. L. SILENIVS. REGINVS
AVG. ET. VLATTIA. METRODORA. FILI. EIVSDEM
PONENDVM. CVRAVERVNT. PROCVRANTE. DIONY
SIO. ET. BELLICIANO. ET. Q.∴∴∴

Arari-

Araricum etiam *Nautam* nominant aliæ Inscriptiones, quas alia flagitant loca. unam hic adponam, quæ Lugduni in Domo Prioris S. Hirenei:

D. M. ET
MEMORIÆ. ÆTERNÆ
C. LIBERTI. DECIMANI
CIVI. VIENNENS. NAVT
ARARICO. HONORAT. VTRI
CVLARIO. LVGDVNI. CONSISTENTI
PATRONA. MARCIAN. CONIVGI
CARISSIMO. QVI. CVM. EA. VIXIT
ANNIS. XV. SINE. VLLA. ANIMI
LÆSIONE. PONENDVM. CVRAVIT
ET. SVB. ASCIA. DEDICAVIT

Araricus item *Bibitor*, id est, Lugdunensis, legitur apud Sidonium Apollinarem lib. I Epistola VIII. *Araria* denique Lugdunum ab eodem fluvio nuncupatur in Historia Lupi Lugdunensis Archiepiscopi. *Arar* tanta fluit lenitate, ut oculis in utram partem eat, judicari nequeat: unde apud Poëtas *Araris tardior*, & *lentus Arar*. Plinius lib. III. cap. IV de Rodano: *Segnemque deferens Ararim, nec minorem seipso Torrentem Isaram & Druentiam*. *Isaram* ecce, qui Ἴσαρας Straboni, Ἴσαρ Ptolemæo, hodie *Isere*. Rodano comparat Plinius: *Maximus* igitur merito Planco Imperatori dictus, qui de eo sic scribit ad M. Tullium: *Itaque in Isara, Flumine maximo, quod in finibus est Allobrogum, ponte uno die facto, exercitum ad quartum Eidus Mai traduxi*. Exstat Epistola inter eas, quas ad Familiares scripsit Cicero lib. X. num. XV: legendæ & quæ sequuntur ejusdem Planci num. XVIII & XXI. Qui *Druna* Ausonio in Mosella (versibus supra recitatis) hodie *Droma* est, vel *Drosne*, uti censet Iosephus Scaliger, ex Alpibus descendens, seque Rodano miscens infra Valentiam: Vineto ad Ausonium *Druna* parvus est hujus nominis Fluvius, ex agro Lemovicensi per Engulismensem & Petrogoricum veniens in *Lilam*; amnem Duranio se conjungentem ante Liburniam Vrbem, à Burdigala quinque leucis distantem. Qui *Druentia* Plinio, Sidonio Apollinari, Cassiodoro, alijs; Δρουέντια Straboni; Δρουέντιος Ptolemæo; hodie *Durance* nominatur: de quo non possum non adscribere locum Livii ex lib. XXI, ubi de Annibale; *Ad Druentiam flumen*, inquit, *pervenit*. *Is & ipse Alpinus amnis, longe omnium Galliæ fluminum difficillimus transitu est. Nam quum Aquæ vim vehat ingentem, non tamen Navium patiens est: quia nullis coërcitus ripis, pluribus simul, neque iisdem alveis fluens, nova semper vada, novosque gurgites faciens (& ob eadem pediti quoque incerta via est) ad hæc saxa glareosa volvens, nihil stabilis nec tuti ingredienti præbet*. Sed hæc de Fluminibus in præsentia sufficiant.

Isara. *Druna.* *Druentia.*

Cap. X.

Lacus, Fontes.

SVIS etiam non caret Gallia Lacubus. Inter eos principis loci, qui Latinis *Lemanus*; plerisque Galliæ Lacus habitus: Straboni MS. lib. IV. Λίμνη Λεμάνη: Ptolemæo in Narbonensis Galliæ descriptione Λίμνη Λιμένη: Hodie ab opidis ripæ adsitis, pars quidem Occidentalior *Lac de Geneve*, Orientalior autem *Lac de Losanne*; Germanis universim Genffersee. Apud Antoninum in Itinerario *Lausonius*, in quibusdam Exemplaribus *Lausinius*. In Tabula Peutingeriana lego Lacui suprascriptum *Lacum Losonne*, inscriptum vero LACVS LOSANETE; vitiose, nisi sic ævum Theodosij Imperatoris enunciarit. Orientem versus recipit in se Rodanum; de quo ante dixi; ex adverso ad Occidentem est Geneva Allobrogum urbs: Latera utrimque vestiuntur aliquot opidis: quorum tamen nobiliora sunt, quæ ad ripam sedent Septemtrionalem, primas inter ea sibi vindicante Losanna. Habet illud hic Lacus proprium & peculiare, quod flante nullo in superficie vento, facile idque admodum subito turbetur, sæpe non sine navigantium periculo, motus ab interiore aliquo, quique in imo Lacus fundo latere perhibetur, Vento: Adcolis *La Vaudase* vocatur. De hoc Lacu Lucanus lib. I. belli Pharsalici:

Deseruere cavo tentoria fixa Lemano:

Lacus. *Lemanus.*

Cavum vocat propter ripas, quibus inclusus jacet, utrimque eminentiores. Notandum porro quod de eodem scribit Auctor Librorum de bello Gallico, quicumque sit: *A Lacu Lemano,* inquiens lib. I. *qui in flumen Rodanum influit, ad montem Iuram,* &c. An verum illud? Res ipsa sequius loquitur. Rodanus Lacum influit, non Lacus Rodanum. Auctorem non capio, nisi legatur unica mutata littera, *quem* (ex *qui in*) *flumen Rodanum influit.* Turbavit vox *Rodanum* eos, qui non intellexerunt *flumen Rodanum* nominandi casu junctim ibi dici, quemadmodum *Flumen Renum* apud alios, & similia; ut ab Criticis nostris nuper plene probatum. Conjecturam hanc non enervat Ausonius, qui in Narbonis Elogio *Lemanum Rodani genitorem* appellat: Sic enim loquitur, non quod Rodanum generet Lacus; nam multo supra Lacum ex Alpibus hoc Flumen oritur; sed quod Rodanus Lacu egressus fiat quasi auctior, ejusque aliquantam auferat cum suis Aquarum vim, ut tumidior pleniorque procedat. Lemano Lacu Gebennicisque Montibus Gallia quomdam in duo latera fuit divisa, inquit Pomponius Mela lib. II. Vetustissimi variorum Auctorum Codices N. in *Lemano* geminant. *Magnum Lacum* inter Massiliam & Orientalissimum Rodani Ostium collocant Veteres: λιμνοθάλαττα dicitur Straboni lib. IV; Ὑπέρκειται δὲ, inquit, τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥοδανοῦ, λιμνοθάλαττα· καλοῦσι δὲ στομαλίμνην· ὀστρέκια δ' ἔχει πάμπολλα, καὶ ἄλλως εὐοψεῖ. *Astromela* est apud Plinium, cujus verba ex vetusto exemplari Toletano sic legenda & cum viris doctis distinguenda: *Sunt Auctores & Heraceam opidum in Ostio Rodani fuisse. Vltra, Fossa ex Rodano C. Mary opere & nomine, insigne Stagnum Astromela, opidum Maritima Araticorum.* Lacum hunc *Stagni* nomine designat etiam Pomponius Mela lib. II: *Inter Massiliam & Rodanum Maritima Araticorum Stagno adsidet: Fossa Mariana partem ejus amnis navigabili alveo effundit. Fossam* porro *Marianam*, cujus mentionem faciunt Plinius & Mela, ut etiam Antoninus in Itinerario, τάφρον appellat Plutarchus, διώρυχα Strabo; Ptolemæus Latinum retinet nomen, φόσσας vocans: *Fossæ* hujus memoriam tuetur hodieque Pagus in Campo Lapideo, de quo suo loco, *Fos* vulgo audiens. Quarta ab opido Arverniæ Besso miliaris parte Mons est, inque eo Lacus late se extendens: tam altus, ut fundo existimetur carere. Nulla in eum, quod quidem intuentium oculis parere potest, influit Aqua. Si quis quid in eum projiciat, Tonitrua dicitur mox auditurus, Fulgetra visurus, Pluviam & Grandinem habiturus. Haud procul inde Crypta est, cujus os rotundum, vulgo *Creux de Soulcis*; & Abyssus, cujus profunditas explorari nequit: & huic si quis injecto lapide aurem admoveat, Murmur percepturus auribus perhibetur ingens & mirabilem Strepitum, Tonitruo ex remotioribus venienti locis non absonum. Æstivis mensibus etiamsi nihil injiciatur, Strepitus tamen in Cavitatibus intelligitur. Putantur inesse Venti, inter se quasi belligerantes. Quæ de *Lacu duorum Corvorum* apud Santonas, ad oram Oceani Gallici scribit Artemidorus, fabulosa censet Strabo lib. IV. *Abitacini* vel *Avitaci*, cui ab Avito nomen, Lacus in Arvernia apud Claromontem tam graphica est apud Sidonium lib. II Epist. II reique conveniens Descriptio, ut hodie primum delineata videatur, qua dexter, qua lævus. Videndi idem Sidonius in Epigrammate de Balneis, Præses Fauchetius Gallicarum Antiquitatum lib. II. cap. XIV, & Papirius Massonius Annalium lib. I. in Childerico. De *Rubreso Lacu* legendus Pomponius Mela lib. II. cap. quo Gallia Narbonensis depingitur: Plinius *Rubrensem* nominat. Λίμνη Ναρβωνῖτις Straboni est & Stephano.

Limnothalatta. — *Besseinus.* — *Duorum Corvorum.* — *Abitacinus.* — *Rubresus.*

Fontes jam enumerare nimis esset operosum: ijs certe, Sacris & Vaporantibus, scatere Galliam notat Solinus. Paucos indicabo, quos suæ comitantur Virtutes, suaque Miracula. In Narbonensi Provincia Fontem esse scribit Plinius, qui *Orge* vulgo; in eo Herbas nasci tanto opere expetitas bubus, ut mersis capitibus totis eas quæritent. Apud eundem Plinium & hæc leguntur: *Tungri Galliæ Civitas Fontem habet insignem, plurimis bullis stillantem, ferruginei saporis; quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur. Purgat hic Corpora, Tertianas Febres discutit, Calculorumque vitia. Eadem aqua igne admoto turbida fit, ac postremo rubescit.* In Delphinatu haud procul Gratianopoli Fons est admirandus, qui absque intermissione flammas evomit, ijsque, quidquid admovetur, correptum statim consumit. Similis est in Epiro, de quo Augustinus in libris de Civitate DEI. Haud procul Encolismensium Civitate Scaturigo, vel Abyssus potius, monstratur admiranda: vulgo *Tonnre* dicitur: Charentam

Fontes. — *Orge.* — Alij, apud Tungros. — Gratianopolitanos. — Encolismenses.

rentam (qui Latinioribus *Canentelus*) fluvium, in quem se exonerat, latitudine superat. Fundus reperiri non posse perhibetur: nec aliquis certo statuere potest, unde Fonti, cui tanta Aquarum copia, origo. Ad Vrbem Limaniæ Claromontium Fluvius vulgo *Tiretaine* Pontem habet, cujus lapides ex Aqua Fontis proximi mirum quantum induruerint. Claromontanos Luvaniæ, Fons, qui Aquam hanc provomit, trecentorum passuum intervallo ab Fluvio distat, eumque versus labens, lapideam hanc induit & nanciscitur duritiem & firmitatem; ut pons etiam inde fuerit constructus; triginta longus ulnas, sex crassus, octo latus. Illud etiam fidem videtur superare, Fontis aquam in Pratis, per quæ Pontem versus se præcipitat, lapidescere. Ponti nomen est, quod & Aquæ, *Saulse*. Ibidem ex Colle quodam Bitumen valde nigrum tenaxque, quo Incolæ Oves signant, Fontis instar fluit. Indicium indubie, Territorium hic esse pingue, inque intimis terræ visceribus latere Metalla, liquorem bituminosum extrudentia. Bitumen guttatim emanat; Copiam adfert continuitas: hiberno tempore frigus impedit, quo minus dissolvatur & fluat. Haud procul ab Monte, quem Vulgus *de Cosne* indigetat, locus est, qui *Cherron* dicitur; ibique Fons, maximis æstatis caloribus congelari contra naturam solitus; hibernis vero mensibus liquefit, tantumque recuperat calorem, ut fumos & exhalationes, tamquam Fornax, emittat. In Aquitania Australi quarta Leucæ ab Aquis Tarbellicis vulgo *Aqs*, Antrum est, Vasates. *La Grottesque* dictum: in eo tres Tymbi sunt, qui per se Aqua Plenilunio implentur; decrescente vero Luna, ne Aquæ quidem guttam retinent. In Andegavensi Regione, ne hoc præteream, haud procul Samuro *Varaus* pagus est, inque eo Rivulus, qui bis die fluit, bisque stagnat. Rivulus Andegavensium.

Cap. XI.

Gallorum Genius; Mores item circa Res Sacras.

SIc se habet universim ipsa Regio: videndum jam de Incolis. Eorum historiam cum fructu explicaturum me censeo, si de Ipsorum, qui olim hodieque, Genio præfatus, doceam, qui in Rebus Sacris & Profanis, cum publice domi militiæque, tum privatim, Mores; quæ quondam, quæ item nunc temporis Lingua: omnia paucis & summatim; Virorum Magnorum insistens vestigiis, quos in plerisque colligendis totos aliquando fuisse constat.

Gallos Corpora plusquam humana habere, memoriæ prodit Iornandes; Corpora mirifica specie & magnitudine, Hirtius; celsioris staturæ, Ammianus: procera, Livius. Genius, quod ad Corpus. Scribit Cæsar lib. II. de Bello Gallico, Gallis ob magnitudinem corporum suorum Brevitatem Romanam contemtui fuisse. Oblongo Corpore, Molles, Albosque facit eos Strabo. Ad Albedinem sane referenda sunt illa Petronij ad Gytonem verba: *Increta facies, ut Cives Gallia suos putet*: respicientis, non ad consuetudinem aliquam incretandi vultus, quam Gallis fuisse nonnulli, nulla freti auctoritate, perhibent; sed ad Artificium, quo multi apud Gallos utebantur ad ementiendum imitandumque Albedinem, quam ipsa Natura Gallis ultro concesserat: unde & Lactea Colla tribuuntur ipsis à Poëta Latino:

Aurea Cæsaries illis, atque aurea Vestis;
Virgatis lucent sagulis: tum lactea Colla
Auro innectuntur.

Comam Gallos nutrire (unde & *Comata Galliæ* nomen) Clemens Alexandrinus post Strabonem est auctor. Scribit etiam Agathias, solenne esse Francorum Regibus numquam tonderi, sed à pueris intonsos manere, Cæsariemque eis decenter in humeros propendere, & anteriorem comam è fronte discriminatam in utrumque latus deflectere. Comas hasce promissas & rutilas facit Livius lib. XXXVIII, ubi de Gallis plura. Comam habere rufam natura Gallos, studio tamen hunc colorem augere, inquit Diodorus. Ejus hæc lib. V. sunt verba: τῆς ἢ κόμαις ὐ μόνον ἐκ φύσεως ξανθοὶ, ἀλλὰ καὶ διὰ τῆς κατασκευῆς ἐπιτηδεύουσι αὔξειν τὴν φυσικὴν τῆς χρόας ἰδιότητα, τιτάνου γὰρ ἀποπλύμασι σμῶντες τὰς τρίχας συνεχῶς, καὶ ἀπὸ τῶν μετώπων ἐπὶ τὴν κορυφὴν καὶ τοὺς τένοντας ἀνασπῶσιν; *Calcis ablutione lavare Capillos adsidue, & à fronte ad verticem tendonesque*

retrahere notat: quod videmus hodieque plerosque in Gallia factitare, prorsus ut, quod subjicit idem Diodorus, vere ijs conveniat, possitque dici, τὴν πρόσοψιν αὐτῶν φαίνεσθαι Σατύροις καὶ Πᾶσιν ἐοικέναι; *Adspectum eorum simillimum videri Satyris & Panibus*; &, quod sequitur, *Capillos facere crassiores, ut nihil differant ab Equorum jubis.* Et hinc fortean, *Gallia Crine ferox*, Claudiano. Rutilandis Capillis, ait Plinius, Gallorum inventum Sapo est, ex Sevo & Cinere: ita ut Flavum Verticem Claudianus, Aureamque Cæsariem his adscribat, ut paullo ante audivimus, Virgilius. Congruenter admodum Ammianus Gallos Candidos & Rutilos vocat, à crine scilicet & Cute. Barbam promissam gerere omnes memoriæ prodit Livius. Distinguit Diodorus, Barbam scribens quosdam radere, quosdam nutrire parce; Nobiles genas quidem radere, barbam vero promittere, ut operiant corpora; eo accidere, ut, quum edant, repleatur cibo; quum vero bibant, veluti per Canalem Potus videatur inferri. Operam dare, ne obesi fiant, neve prominentiorem Ventrem habeant; & si quis adulescens præscriptam Cingulo mensuram excedat, eum multari, tradit Strabo.

quod ad Ingenium.

Acutos Ingenio, & ab Doctrina minime alienos esse, testantur iidem Diodorus & Strabo. Commendat illorum in bonis litteris studia non uno loco Symmachus: M. Porcius Cato Originum lib. II apud Charisium Sosipatrum, *Pleraque Gallia*, inquit, *duas res industriosissime persequitur, rem militarem & argute loqui*; ne nesciamus Veteres Gallos inter alias gentes Eloquentiæ gloriam reportasse. Et hinc Iuvenalis:

Gallia Causidicos docuit facunda Britannos.

D. Hieronymus Rustico Monacho: *Ac post studia Galliarum, quæ vel florentissima sunt:* paullo post: *Vbertas Gallici nitorque sermonis.* Idem ad Paullinum: *S. Hilarius Gallicano cothurno attollitur.* Et Prooemio Epist. II ad Galatas: *Et quod nunc Oratorum fertiles sunt.* Adversus Vigilantium: *Sola Gallia monstra non habuit, sed Viris semper fortissimis & eloquentissimis abundavit.* Symmachus lib. VIII epist. LXVIII: *Nisi forte Gallia tua dedux Heliconis*: lib. IX. epist. LXXXIII, *Gallicanæ facundiæ haustus requiro*: & paullo post: *Quidquid in me est, quod scio quam sit exiguum, Cælo tuo debeo*: notandum illud. Rutilius Itinerario I.

Facundus Iuvenis Gallorum nuper ab arvis,
Missus Romani discere jura fori.

Imitatione porro Hieronymi, *Gallicanum Cothornum* dixit Hicmarus in S. Remigij historia. Ingenium simplex, nullaque devinctum malignitate (egregia hæc Veterum Gallorum laus) tribuit illis Strabo. Pronunciat de iis oculatus Testis Iulianus, Quod adulari nesciant; sed libere ac simpliciter cum omnibus æquabilique jure vivere: Venerem Nuptiarum Deam & Bacchum lætitiæ datorem Conjugij Prolisque, & Vini, quamtum cuique libeat, potandi gratia, tantum novisse. Quæ his alijsque talibus advorsantia nonnulli proferunt, ut Convicia, & tamquam ab maligna mente manuque profecta, sunt exaudienda. Nam quis non videt, lectis Veterum Scriptorum de Gallorum Indole monimentis, factaque cum Genio, qui ijsdem hodieque est, commissione, falsum esse quod tradit Servius, Gallos pigrioris esse Ingenij; quod Iulius Firmicus, stolidos; quod Iulianus, quasi sui oblitus, stupidos, & rusticitatem amantes; quod Polybius, Doctrinæ & Artibus operam non dare; quod idem cum Diodoro, Athenæo, & Clemente Alexandrino, infidos esse, crapulæque & Ebrietati deditos; quod Livius Polybiusque, molles esse & effœminatos; quod Mela, Auri avidos, superbos, superstitiosos; quod Solinus, Vaniloquos; quod denique pecuniæ insatiabiles esse, Plutarchus in Pyrrho. Fatendum nihilominus multa Gallis instillata aliorum populorum commercio. *Nemo Gallos*, ait Florus lib. III, cap. X, *tantum feroces dixerit, fraudibus agunt.* Avidos Iurgiorum docet Ammianus lib. XV. Reprehendit etiam Diodorus in Gallis quamdam Linguæ intemperantiam, Sermone notans uti eos brevi & subobscuro; multa ex animo dubia loqui, plurima ad jactantiam in suam laudem dicere, & ad ceterorum contemtum: minaces esse ac Detractores, opinioneque inflatos. Iactantia illa ab Strabone etiam est animadversa. Atque ea Gallica Ostentatio est, quæ ab Cæsare lib. VII. nominatur, & multis reliquorum librorum exemplis adprobatur. Talis est libro I. Helvetij Diviconis elatio, dum Helvetiorum virtutem extollit, Romanæ Cladis memoriam objicit, Cæsaremque, minitando, admonet, ne committat, ut is locus, ubi Romani constitissent, ex calamitate Populi Romani internecione exercitus nomen caperet aut memoriam proderet.

ret. Sic Vercingetorix in concione jactat se unum Consilium totius Galliæ effecturum, cujus consensui ne Orbis quidem terrarum possit obsistere.

Quod ad Veterum Gallorum Religionem, Cultumque in Rebus sacris servari solitum, flocci faciendus est M. Tullius oratione pro M. Fonteio scribens, *Gallos minime ulla Religione moveri.* Audiendus potius Livius; qui, etsi in ceteris satis huic genti iniquus, *negligentem tamen haudquaquam Religionis* adfirmat; & Cæsar lib. VII belli Gall. cui penitus cognita hæc natio, dicit, eam *admodum deditam Religionibus.* Idem Cæsar: *Deum maxime Mercurium colunt: hujus sunt plurima simulacra; hunc omnium inventorum Artium ferunt; hunc Viarum atque Itinerum Ducem; hunc ad Quæstum pecuniæ Mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem, & Martem, & Iovem, & Minervam: de his eamdem fere, quam reliquæ Gentes, habent opinionem: Apollinem Morbos depellere; Minervam Operum atque Artificiorum initia transdere: Iovem Imperium Cælestium tenere: Martem bella gerere.* Celtas *Iovem* colere attestatur Max. Tyrius; cujus signum altissima Quercus. De *Mercurio* Plinius lib. XXXIV, cap. VII: *Omnem amplitudinem Statuarum vicit ætate nostra Xenodorus, Mercurio facto in Civitate Galliæ Arvernis per annos decem* H-S CCCC *manipretio. Dianam*, eamque *Ephesiam* templum habuisse apud Massilienses, Strabo testis est: & apud Gallo-Græcos *Dianam* cultam, Polyænus lib. VIII. & Plutarchus de Virtutibus Mulierum commemorant. Sed & aliam coluisse Gallos *Dianam*, *Arduennæ* cognomine, probat antiquum Marmor via Decia Salaria ad Septem Balneas repertum, at Marcellianum translatum, ut habet ex P. Ligorio Iulius Iacobonius in Appendice ad Bapt. Fonteii Commentaria de Prisca Cæsiorum gente:

Moresque ad Religionem.

Dii Gallorum.

DIS. MANIBVS
Q. CAESIVS. Q. F. CLAVD
ATILIANVS. SACERDOS
DEANAE. ARDVINNAE
FECIT. SIBI. ET. SVIS. HAERED
IN. FR. P. XII. IN. AGR. P. XV
IIII. ID. OCT
IMP. CAES. FLAVIO. DOMITIANO. VIII
ET. C. VALERIO. MESSALINO. COS

In Arduenna silva hanc maxime locum habuisse, cultamque fuisse, vero est simile. *Esum* sive *Hesum*, *Teutatem*, & *Taranem* Deos habuisse Gallos, Lactantius, Lucanus & Minutius Felix referunt: sed *Martem, Mercurium, Iovem*, hos plerique docti interpretantur. *Belenus* Gallorum Deus est apud Ausonium, qui Βέλις apud Herodianum in Maximinis; idem fortean cum *Tibilene* Tertulliani in Apologetico, nisi vulgati Codices sint vitiosi, & ex membranis reducendus ibi sit *Belenus.* Hic, qui Græcis aliisque Apollo, putatur fuisse: videndus Pet. Pitheus Adverf. Subs. lib. I. cap. III. Colebatur & apud Gallos *Abellio*: de quo hæc monimenta exstare notat in Convenis Novempopulaniæ Vir Nobiliss. Iosephus Scaliger ad Auson. lib. I. cap. IX:

DEO
ABELLIO
NI
MINICIA
IVSTA
V. S. L. M.

Item

ABELLIONI. DEO. TAVRINVS
BONE. CONI. SEVSIM

Item

ABELLIONI. CISONTEM. CISSONBONNIS. FIL
V. S. L. M

Herculem etiam *Ogmii* nomine coluisse Gallos, auctor est Lucianus in Hercule Gallico. An *Serapin* etiam Deum (eumdem forte cum *Plutone*) coluerint, fere est, ut colligatur ex Ammiano Marcellino, cujus ex lib. XVI hæc sunt verba: *Latus dextrum Serapio agebat, etiam tum adultæ lanuginis juvenis, efficacia præcurrens ætatem, Mederici fratris Chonodo-*

Chonodomari (hoc fuit tum Alemannorum Regis nomen) filius; hominis, quoad vixerat, perfidissimi: ideo sic appellatus, quod pater ejus diu obsidatus pignore tentus in Galliis, doctusque Græca quædam arcana, hunc filium suum Aganerichum genitali vocabulo dictitatam ad Serapionis transtulit nomen.

Mos colendi Deos,

Galli Veteres Deos suos in dextram conversi adorabant, Athenæo scribente. Sic Plinius libri XXVIII, cap. II: *In adorando dextram ad osculum referimus, totumque Corpus circumagimus; quod in lævum fecisse Galliæ religiosum credunt.*

Sacrificandi,

Diis Homicidio aliisque rebus sacrificabant, Marti imprimis, teste Cæsare, qui ita: *Huic, quum prælio dimicare constituerint, ea, quæ bello ceperunt, plerumque devovent quæ superaverint: Animalia capta immolant, reliquasque res in unum locum conferunt: multis in Civitatibus harum rerum exstructos tumulos locis consecratis conspicari licet: neque sæpe accidit, ut, neglecta quispiam Religione, aut Capta apud se occultare, aut posita tollere auderet; gravissimumque ei rei Supplicium cum Cruciatu constitutum est.* Eadem fere apud Diodorum Siculum: *Observant*, inquit, *in Deorum sacris, Templisque plurimum Auri Diis oblatum spargunt; neque Incolarum quisquam propter Religionem audet contingere.* Pergit Cæsar: *Qui sunt adfecti gravioribus morbis, quique in præliis periculisque versantur, aut pro Victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent; Administrisque ad ea Sacrificia Druidibus utuntur: quod pro Vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum Immortalium Numen placari arbitrantur: publiceque ejus generis habent instituta Sacrificia. Alij immani magnitudine Simulacra habent: quorum contexta Viminibus membra vivis hominibus complent; quibus succensis circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio, aut aliqua noxa sunt comprehensi, gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur: sed quum ejus generis copia deficit, etiam ad Innocentium supplicia descendunt.* Eadem, sed paullo sequius, apud Strabonem: *Quosdam in sacris Sagittis configebant, aut in Crucem agebant, ac Fœni Colosso exstructo, defixo ligno, Pecudes & omnis generis bestias ac homines concremabant.* Diodorus eadem de re, *Noxios*, inquit, *quinquennio servatos, sudibus affixos, Diis sacrificant, cumque aliis primitiis super ingentes pyras immolant. Mercurio* quoque Gallos humanas hostias cædere, Minutius Felix auctor est. *Major ætas*, inquit Tertullianus in Apologetico, *Mercurio prosecatur.* Adeo ut satius fuisset, quemadmodum scribit Plutarchus de Superstitione, Galatis, si nullam omnino habuissent notionem Deorum: quam Deos esse existimarent, qui hominum Mactatorum cruore mulcerentur, maxime solenne hoc Sacrificium & Victimam putantes. Solinus quoque hunc detestabilem morem non ad honorem, sed potius ad injuriam religionis facere existimat. Quamvis autem has hominum immolationes vetitas sub Tiberio Cæsare probat Plinius: ad sua tamen usque tempora (quæ sunt Constantini Magni) perdurasse, deplorat Eusebius lib. IV. Præparat.

Augurandi,

Hic autem hominum apud Gallos usus non in Sacrificiis solum fuit, verum etiam in Divinationibus. *Ἄνθρωπον*, inquit Strabo, *κατασπεισμένον παίσαντες εἰς νῶτον μαχαίρᾳ, ἐμαντεύοντο ἐκ τοῦ σφαδασμοῦ*: Gallos notat, hominis Sacris devoti tergum ense ferire solitos, exque ejus palpitatione ariolari. Scribit etiam Diodorus, Gallos, quum de rebus magnis consultant, mirabilem incredibilemque habere consuetudinem; hominem enim immolantes ferire ense super Septum transversum; quo decidente, cum ex casu, tum ex membrorum dilaceratione, exque sanguinis fluxu novisse futura. Apud fortium Virorum Busta, Oraculorum captandorum caussa abnoctare solere, scriptum reliquit Tertullianus de Anima. Verbenaca herba hos etiam sortiri, & Responsa præcini, commemoratur à Plinio. Apud Spartianum in Pescennio lego, apud Gallos Sacra quædam esse, quæ castissimis decernebantur.

Gallorum Sacerdotes, Druides.

Nullum autem Gallis Veteribus Sacrificium erat sine *Druide*, inquit Diodorus. *Druidarum* Etymon Goropius Becanus ex Germanico Fonte petit. *Druis* enim illi lib. I. Gallicorum, quasi *Trow-Wis*, & Britannorum Dialecto *Truwis*: à qua voce si tollatur littera *w* Latinis ignota, primaque, quæ Tenuis, commutetur in Mediam, confestim erit *Druis*, Veri sapiens, Verum alijs monstrans, ostendensque, & cui sit fidendum, & qui cum Conjugij copula contrahenda; ita ut is, qui hoc sibi nomen sumit, sese omnis Veritatis & Fidei cum erga Deum, tum erga homines profiteatur Doctorem: unde & Sapientiæ Magistros facit eos Pomponius. Certe *Drutin*, vel *Trutin*, antiqua Germanorum lingua DEVS, quasi *Fidelis*, ut videre est in Otfridi Euangelio Typis excuso. Apud Camdenum quoque in Britanniæ Descriptione

Albricus

Albricus quidam ſcribit *Dry* Saxonibus *Magum* vocari; ut non immerito *Magos* etiam nominet Druidas Plinius. Nomen enim ab Quercu ipſis non eſſe inditum, idem Plinius ſatis fatetur, dum addit, ab Quercu eos poſſe Græca interpretatione appellatos *videri*. Nam qui poſſent ab Græca voce Δρῦς denominati eſſe, quum ipſorum Diſciplinam repertam ſcribant Cæſar & Tacitus XIV Annal. in Britannia, ubi nulla umquam, niſi Fabulis quis locum cenſeat dandum, Græcorum fuit Colonia? Germanicæ vero Linguæ in Britannia uſum fuiſſe, docent iidem Tacitus & Cæſar: quorum hic ex Belgica (in qua eodem auctore Germani Ciſ-Renani) Colonos in hanc Inſulam tranſiiſſe, ibidemque remanſiſſe, ſcriptum reliquit: Ille Caledoniam (Inſulæ hujus magnam partem) habitantibus Germanicam Originem tribuit. Nominantur hi Sacerdotes varie. *Druidæ*, prima, ut Grammaticè loquar, inflexione, apud Lucanum lib. I. belli Pharſal. & Auſonium in Attio Rhetore, Profeſſore; ut & Δρυΐδαι apud Strabonem, Diogenem Laertium & Sudam: *Druides* autem tertia, apud Cæſarem de bello Gallico & M. Tullium de Divinatione. Sic enim ibi legit Nizolius; ubi *Druidæ* in alijs ſunt exemplaribus. Eſt autem hoc vocabulum inter ea, quæ Veteres Librarij varie corruperunt. *Driudæ* namque & *Driadæ* frequentius, quam *Druidæ*, in antiquis Codicibus occurrunt. Synonyma *Druidarum* fuerunt, uti cenſet Pitheus, *Bardi, Vates, Eubages, Semnothei, Saronides*: alij diverſos hos ab *Druidibus* ſtatuunt; quod innuere videtur Lucanus:

Varie ſcribuntur.

Varieque appellantur.

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum Vates dimittitis ævum:
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi;
Et vos Barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ poſitis repetiſtis ab armis.

Bardi.

Bardi, Βάρδοι, Poëtæ ſunt, teſtibus Athenæo atque Strabone; & hymnos laudeſque Clarorum Virorum cantant: ſunt μελῶν ποιηταὶ apud Diodorum, qui cum Organis veluti cum Lyra cantant, hos laudantes, alios vituperantes. Feſtus quoque Pompeius hos Virorum fortium laudes canere ſcribit, & Gallice *Bardum* Cantorem ſignificare. De ijſdem Marcellinus: *Bardi quidam fortia Virorum inluſtrium facta heroicis compoſita verſibus cum dulcibus Lyræ modulis cantitarunt.* Poſidonius apud Athenæum: τὰ δὲ ἀκούσματα αὐτῶν εἰσιν οἱ καλούμενοι Βάρδοι: Ποιηταὶ δὲ οὗτοι τυγχάνουσι μετ' ᾠδῆς ἐπαίνους λέγοντες. Οὐάτεις, *Vates*, ſunt apud Strabonem, qui ſacrificare eos, & naturam rerum contemplari ſcribit: *Eubages* ſunt apud Marcellinum, ibique ſcrutantes ſumma & ſublimia Naturæ pandere conantur: Σεμνόθεοι, apud Laertium & Sudam: Σαρωνίδες apud Diodorum. *Magos* non ſemel Druidas nominat Plinius; φιλοσόφους Lucianus in Hercule Ogmio. Erant enim *Druidæ* vel *Druides* in Gallia, qui in Græcia Philoſophi, apud Perſas Magi, apud Indos Gymnoſophiſtæ, Chaldæi apud Aſſyrios, ut ſcribit Diogenes. De ijs autem nuſquam plura, quàm in ſexto Iulij Cæſaris (vel quicumque Auctor ſit habendus) Commentario de bello Gallico; ubi quum eorum hominum, qui aliquo eſſent numero & honore in Gallia ſuis temporibus, genera duo eſſe dixiſſet, alterum *Druidarum*, alterum *Equitum*, de Druidis ſubjicit, quod Rebus Divinis intereſſent: Sacrificia publica ac privata procurarent, Religiones interpretarentur. *Ad hos*, inquit idem, *magnus Adoleſcentum numerus, Diſciplinæ cauſſa concurrebat: magnoque hi erant apud eos honore. Nam fere de omnibus Controverſijs publicis privatiſque conſtituebant, & ſi quod admiſſum eſſet facinus, ſi cædes facta, ſi de hereditate, de finibus controverſia eſſet, iidem decernebant: præmia pænaſque conſtituebant. Si quis aut privatus aut publicus eorum Decreto non ſtetiſſet, Sacrificijs interdicebant: quæ pæna apud eos erat graviſſima. Quibus ita eſſet interdictum, ij numero impiorum & ſceleratorum habebantur. ijs omnes decedebant, aditum ſermonemque defugiebant, ne quid ex contagione incommodi acciperent; neque ijs petentibus Ius reddebatur, neque honos ullus communicabatur. His omnibus Druidis præerat unus, qui ſummam inter eos habebat auctoritatem. Hoc mortuo, ſi quis ex reliquis excellebat dignitate, ſuccedebat: aut ſi eſſent plures pares, ſuffragio Druidarum adlegebatur. nonnumquam etiam armis de Principatu contendebatur.* Addit præterea Cæſar, quod Druidæ certo anni tempore in Finibus Carnutum, Regione totius Galliæ media, conſidere fuerint ſoliti, in loco conſecrato: quo omnes vndique, qui Controverſias habebant, conveniebant, eorumque Decretis & Iudicijs parebant. Deſignare videtur Cæſar Opidum illud, quod ab Carnutum Metropoli octavo

Vates.

Eubages.

Semnothei.

Saronides.

Magi.

Philoſophi.

Druidarum Mores & Diſciplina.

octavo distat lapide, vulgo *Dreux*, nomen retinens Druidarum. Gabriel Simeonius in Cæsare suo Renovato scribit, se in hujus Tractus saltibus vidisse horum Druidum antiqua Palatij vestigia. *Druidæ*, ut scribit idem Cæsar, *à Bello abesse consueverant, neque Tributa una cum reliquis pendebant, Militiæ vacationem omniumque rerum immunitatem habebant. Tantis excitati præmiis & sua sponte multi in disciplinam conveniebant & à parentibus propinquisque mittebantur. Magnum ibi numerum versuum ediscebant, neque fas esse existimabant ea litteris mandare; quum in reliquis fere rebus publicis privatisque rationibus, Græcis litteris uterentur. Vnum ex his, quæ præcipiebant in specu aut abditis saltibus*, ut meminit etiam Pomponius Mela libro III de situ Orbis, *in Vulgus effluxit: videlicet æternas esse Animas, easque post certum tempus*, quod addit Diodorus Siculus libro V, *in alia corpora migrare.* De animarum immortalitate ex Druidarum sententia scribunt etiam alij. Ammianus Marcellinus: *Druidæ ingenijs celsiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, sodalitiis adstricti consortijs, quæstionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt; ac despectantes humana, pronunciarunt Animas esse immortales.* Strabo lib. IV. sic Latine sonat: *Druidæ præter rerum Naturæ Philosophiam etiam de Moribus disputant. De horum justitia summa est omnium opinio: ita & publica ijs & privata judicia committuntur, & aliquando Caussis bellorum disceptandis jam acie congressuros compescuerunt. Maxime Iudicia de Cæde ijs commissa sunt: quumque horum multus est proventus, Agrorum quoque fertilitatem consequi putant. Cum hi, tum alij, Animam interitus expertem statuunt, & Mundum; tamen aliquando Ignem & Aquam superatura.* Lucanus lib. I Belli Pharsalici:

Solis nosse Deos & Cœli Numina Vobis
Aut solis nescire datum; nemora alta remotis
Incoltis Lucis, Vobis auctoribus Vmbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt.

Multa insuper de Sideribus eorumque motu, de Mundo ac terrarum magnitudine, de Deorum immortalium vi ac potestate disputabant (ut notat cum alijs Cæsar) *Druidæ, & juventuti tradebant.* Hinc Divitiacus ille Eduus, quum ex Druidis unus esset, Naturæ rationem, quam φυσιολογίαν Græci appellant, notam esse sibi profitebatur, & partim Augurijs, partim Conjectura, quæ essent futura, dicebat, ut scribit Cicero. *Galli omnes, auctoribus Druidis, se ab Dite Patre, Inferorum Deo prognatos prædicabant; ob eamque caussam,* ut Cæsar memoriæ prodit, *spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium, diffiniebant. & Dies Natales, Mensiumque ac Annorum initia sic observabant, ut Noctem Dies subsequeretur.* Vnde Elias Vinetus Commentario ad Ausonij Professores, manasse autumat; ut, quod Latini *hodie*, hoc die, Gallo-Romani *anuit* dicant, *hac nocte.*

Magia Druidarum.

Druidicam Magiam multis locis Naturalis Historiæ celebrat Plinius: sed in extremo lib. XVI ad hunc modum de Visco disputat: *Non est omittenda*, inquit, *ea in re & Galliarum admiratio. Nihil habent Druidæ (ita suos appellant Magos) Visco & Arbore, in qua gignatur, si modo sit Robur, sacratius. Iam per se Roborum eligunt Lucos, nec ulla Sacra sine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Græca possint Druidæ videri. Enimvero quidquid adnascatur illis, è cœlo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo Arboris. Est autem id rarum admodum inventu, & repertum magna religione petitur, & ante omnia sexta Luna: quæ principia Mensium Annorumque his facit & Sæculi post tricesimum annum: quia jam virium abunde habeat, nec sit sui dimidia. Omnia sanantem appellantes suo vocabulo, Sacrificijs Epulisque rite sub Arbore præparatis, duo admovent candidi coloris Tauros, quorum Cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida Veste cultus Arborem scandit: Falce aurea demetit. Candido id excipitur sago. Tum deinde victimas immolant; precantes, ut suum donum Deus prosperum faciat his, quibus dederit. Fœcunditatem, eo poto, dari cuique animali sterili, arbitrantur, contraque Venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio.* Legitur & apud Dionem Prusæum, Celtas habere Druidas, *Divinationis* studiosos & sapientiæ; sine ijs nihil licitum esse Regibus facere, aut consulere: ita ut, si quis rem penitius examinet, illi regnent, Reges autem Sententiæ sint Ministri & Servi, licet in Thronis aureis sedeant, magnasque domos habitent, & sumptuose conviventur. Ad Druidarum autem *Magiam* respicere Virgilium lib. VI. Æneidos, ubi agit de Aureo Ramo, Viscoque & alijs, censet Petrus Crinitus lib. VI. cap. X; & apud eum Domitius Veronensis.

Erant

Erant etiam inter Druidas Feminæ, quæ eamdem cum Viris Sapientiam profitebantur. Earum frequens mentio apud Augustæ Historiæ Scriptores. Druides Feminæ.

Sunt qui illud *Au Gui l'an neuf*, quod hactenus quotannis pridie Kalendas Ianuarij vulgo publice cantari in Gallia solet, ab Druidis manasse autumant, ex hoc forte Ovidij, Τὸ *Aguilaneuf* Gallorum.

Ad Viscum *Druidæ, Druidæ cantare solebant*:

Solitos enim aiunt Druidas per suos Adolescentes Viscum suum cunctis mittere; eoque quasi munere bonum, faustum felicem & fortunatum omnibus Annum precari. Prolixe hac de re Goropius Becanus in Gallicis, Elias Vinetus in Ausonij Professores, Vigenereus ad Cæsaris Commentaria de Bello Gallico, & alij.

Druidarum porro Religionem apud Gallos diræ immanitatis Civibus interdixit Augustus, teste Suetonio in Claudij Principis Vita cap. XXV; In Vrbe item sustulit Tiberius, ut capiendus Plinius lib. III. natur. hist. cap. I; penitus abolere voluit in ipsa Gallia Claudius Imperator, eodem Suetonio notante in ejus vita capite, quod dixi, & Seneca in Menippæa Claudiana. Sed Claudius frustra fuit. Remansisse enim probat Tacitus sub Nerone lib. XIIII; Sub Alexandro Severo Ælius Lampridius: cujus hæc sunt: *Mulier Druias eunti exclamavit Gallico sermone: Vadas nec Victoriam speres, nec militi tuo credas.* Aurelianus quoque, si Vopisco fides, Druidas consuluit. Narrat ille, quodam tempore Aurelianum Gallicanas consuluisse Druidas, sciscitantem, utrum apud ejus posteros Imperium permaneret: tum illas respondisse: *Nullius clarius in Rep. nomen, quam Claudy posterorum futurum.* Denique Mulier illa, quæ apud Tungros Diocletianum futurum Imperatorem, quum Aprum occidisset, prædixi, ex hoc genere fuit. Auctor idem Vopiscus in Numeriano. Plene tandem pulsos, scribunt Conradus Celtes, Irenicus, Althamerus, Aventinus, & alij, in Germaniam trans Rhenum habitatum venisse: indeque in hunc usque diem apud hos promanare Terriculamenti illud nocturni genus, quod *Calceamentum Philosophicum* appellant, *Druttenfuß* vulgo. Estque (quod communicatum sibi ab Ioachimo Camerario F. scribit Ortelius) figura Pentagona, olim Ὑγιείας, sive Bonæ Valitudinis symbolum. *Hanc*, inquit idem, *Cunis ligneis incidunt, existimantes Puerulos ea à nocturnis tutari lemuribus.* Conradus Celtes describit quasdam lapideas antiquas imagines, ad radices Piniferi Montis (*Vichtelberg* vulgo, in Vmbilico Germaniæ) in Cœnobio quodam à se visas, quas credit iconice horum Druidum referre formam. *Erant sex numero*, inquit, *ad fores templi parieti inserta, septem pedum singulæ, nudis pedibus, capita intecta, Graecanico pallio & cucullato, peruaque, barba ad inguina usque promissa, & circa naris fistulas bifurcata; in manibus Liber & Baculus Diogenticus; severa fronte, & tristi supercilio; obstipo capite & figentes lumina terris.* Druides sensim pulsi. Forma fortean Druidum in Germania.

Cap. XII.

Gallorum Veterum Mores circa Res publicas, Domi.

Tales erant Veterum Gallorum in Rebus Sacris Mores: notantur & ab Antiquis Scriptoribus eorumdem Ritus in Profanis cum Domi, tum Militiæ.

Quod ad prius Membrum, Gallos ad Concilium armatos venire solitos, prodit Livius lib. XXXI: *In his* (loquitur de Gallis) *nova terribilisque species visa est, quod Armati (ita mos gentis erat) in Concilium venerunt.* Armati ad Concilia.

Tradit Plutarchus de Virtutibus Mulierum, Morem apud Gallos inolevisse, ut Pacis & Belli cum Feminis inirent Concilia, atque arbitrio earum hæc committerent. Scribit idem Polyænus lib. VII Strateg. Feminæ Concilijs interfuunt.

Addit Strabo lib. IV. id in Gallorum Concilijs (ἐν τοῖς Συνεδρίοις) usitatum fuisse, si quis orantem (λέγοντα) interpellaret, progrediens Minister publicus districto gladio, adjectisque minis, silentium imperabat; quod si non adquiesceret, idem iterum tertioque faciebat: denique de Sago Interpellatoris tantum amputabat, ut reliquum inutile redderetur. Silentium in Concilijs.

De ipsa porro re loquentem audiamus Cæsarem: *Gallorum*, inquit, *subita & repentina Consilia: in Consiliis capiendis mobiles, & novis plerumque rebus student. Est autem hoc* Qualia Gallorum Veterum Consilia.

Gallicæ consuetudinis, ut & Viatores etiam invitos consistere cogant, & quod quisque eorum de quaque re audierit aut cognoverit, quærant: & Mercatores in Opidis Vulgus circumsistat, quibus ex regionibus veniant, quasque res ibi cognoverint, pronunciare cogunt: & his rumoribus atque auditionibus permoti, de summis sæpe rebus consilia ineunt: quare è vestigio pœnitere necesse est, quum incertis rumoribus serviant, & plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant. Eadem fere de Gallis scribuntur apud Polybium, Orosium, Trebellium & Vopiscum.

Pœnæ in Noxios.

De Celtis hoc Stobæi non negligendum: apud hos nempe gravius animadverti in eum, qui Peregrinum, quam qui Civem occiderit: huic enim Exsilium, illi Mortem Pœnam statui.

Vrbium Munitio.

Villas habebant nullis septas Mœnibus, ut scribit Polybius: *Mœnibus opida includere*, inquit Trogus, *ab Massiliensibus didicere*. Murorum structuram docet Cæsar lib. VII Belli Gallici.

Proclamationes.

Hoc etiam ad curam Rerum publicarum pertinere arbitror, quod notat idem Cæsar, Gallos, ubi major atque inlustrior res incideret, eam clamore per Agros Regionesque mira celeritate significare solitos; hinc alios deinde excipere, & proximis tradere.

Cap. XIII.

Gallorum Mores circa Res publicas, Militiæ.

QVOD ad Rem, qua Galli floruerunt, Militarem, ne nesciamus, quam in eam, ut hodieque, propenderint, quamque ipsorum in arma pronæ fuerint indoles, Colores videamus, quibus eos depingunt Veteres Scriptores.

Pronus in Arma Gallorum animus suis coloribus delineatus.

Ælianus Gallos dicit omnium hominum ad subeunda pericula promptissimos; M. Tullius & Eumenius, Immanes & barbaros: Immanissimos, Florus; Feroces, Lucanus & Trogus; Truces, Avienus & Seneca; Crudeles, Cassiodorus; Sanguineos, idem Lucanus; Duras & Retrogradas Mentes adsignat illis Lampridius: Gentium omnium inquietissimos ait Vopiscus; Iræ impotentes facit Livius. Crudelitatis Gallorum inter alia duo exstant Exempla: unum apud Trogum, qui memoriæ prodit, eos in bello prælioque contra Antigonum, dum hostiarum extis omnium interitus prædiceretur, non in timorem, sed in furorem versos, Conjuges & Liberos suos contrucidasse; auspicia belli à paricidio incipientes: alterum apud Florum, qui tradit, quosdam in bello captos, Catenas morsibus & ore tentasse, & offocandas invicem fauces præbuisse. Nisi quis hæc Libertatis amoris exempla potius vocitet. Hos enim Libertatis amantissimos semper fuisse, Orosius & Leo Imperator scriptum reliquere.

Gallorum in bellis ferocia, & audacia.

Gallorum in Bellis Ferociam ad Thermopylas ostendit in Phocicis Pausanias. Quis hic non miretur Marium Victorinum Gallos scribentem semianimos, timidos & terga vertentes? quos contra Animosos facit Claudianus, quos Bellicosos & Armipotentes tradunt alij: quos Belli gloria ante Romanos fuisse commemorat Sallustius? An ita forte Victorinus interpretatur varia variorum Scriptorum de Gallis judicia? Cæsar certe, *Ad bella suscipienda*, inquit, *ut alacer & promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad perferendas calamitates mens eorum est.* Livius: *Gallorum prima prælia plus quam Virorum; postrema minus quam Feminarum.* Idem: *Visu hoc cognitum est, si primum impetum, quem fervido ingenio & cæca ira effundunt, sustinueris, fluunt sudore & lassitudine membra, labant arma*, &c. Florus: *Experimento deprehensum est, quippe sicut primus impetus eis major, quam virorum est; ita sequens minor quam feminarum: habent quiddam simile cum suis Nivibus: quæ mox, ut caluere pugna, statim in sudorem eunt, & levi motu quasi Sole laxantur.* Dio: *Galli ad quascumque res inexplebili cupiditate feruntur: ita neque audaciæ neque timoris modum sciunt; sed cum ab audacia in subitum metum, tum ab hoc in temerariam audaciam ruunt.* Aliter certe de Gallis Leo de Bellico apparatu, *Galli*, inquit, *admodum infracto animo sunt in bello strenui. In magno opprobrio Ignaviam & parvam retrocessionem ponunt, atque eam fugam esse existimant.* Nam si quæ illi in medium adferunt, ita vera sint ut scribuntur; quæ caussa quod Cicero, de Provincijs agens Consularibus, *Galliam Romanis adeo timendam* dixerit: quod Sallustius, *Italiam omnem ab hac*

ab hac gente contremuisse, adeo ut cum Gallis non de Gloria, sed de Salute certari fuerit solitum? Tantus Terror, inquit ex Trogo Iustinus lib. XXV. de Orientis Regibus, *Gallici nominis & invicta Armorum felicitas erat, ut aliter neque Majestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica Virtute arbitrarentur.* Sosipater ex M. Terentij Varronis Originum lib. II scribit, ut antea dixi, Galliam *duas res ingeniosissime persequi, Rem militarem & Argute loqui.* Alia prætereo. Pauca solum, anteaquam ipsam Gallorum militiam explicem, insignis ipsorum Audaciæ indicia notabo. Gallos *Terræmotum non timere*, auctores sunt Aristoteles in Ethicis ad Nicomachum, & Plutarchus: verene an falso? Apud Strabonem legimus Gallos Alexandro Magno interroganti quid maxime timerent? *Nihil esse*, respondisse, *nisi ne super ipsos Cælum rueret.* Quod sequitur Æliani est, an non figmentum? *Adeo ducunt*, inquit, *ignominiosum fugere, ut è corruentibus & collabantibus ædificiis sæpe non effugiant, sed ne ardentibus quidem; ita ut incendio igneque circumventi pereant. Multi etiam inundantem Oceanum sustinent. Quidam etiam in fluctus ejus armati se conyciunt, & eorum impetum excipiunt, protensis gladiis evaginatis & hastis vibratis: perinde ac si vel terrere vel vulnerare possent.* Ita nunc homines, qui Gallias habitant, sunt animati; ut hæc talia, si non Stoliditati & Amentiæ, certe Temeritati magnæ censeant adscribenda.

Dilectus tam Belli Ducum, quam ipsorum Militum:

Dilectus porro Imperatorum & Belli Ducum qui fuerit, Gallica Cæsaris bella singulis annis ostendunt: Quod ad Privatos Milites; *Ante Belli initium*, inquit Cæsar, *armatum Concilium indicunt, quo lege communi omnes Puberes armati convenire coguntur, & qui ex iis novissimus venit, in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus necatur.* Eadem Galliæ Consuetudo declaratur lib. VII, quum Vercingetorix Gallici belli Princeps electus Alexiæ obsideretur. Consilium enim capit omnem Equitatum à se dimittere: discedentibus mandat, ut suam quisque eorum Civitatem adeat, omnesque qui per ætatem Arma ferre possint ad bellum cogant: Galli tamen Concilio Principum decernunt, non omnes, qui Arma ferre possent, ut Vercingetorix statuerat, sed certum numerum cuique Civitati imperandum, ne tanta multitudine confusa, nec moderari, nec discernere suos, nec frumentationem habere possent.

Ætas Militaris,

Hoc igitur Gallico Dilectu percipimus, quanta Militiæ studia apud Gallos viguerint, quum Puberes omnes Arma ferre sint soliti. *Ad militandum omnis ætas* (inquit Ammianus Marcellinus lib. XV) *aptissima, & pari pectoris robore Senex ad Procinctum ducitur, & Adultus, gelu duratis Artubus & labore adsiduo, multa contempturus & formidanda: nec eorum aliquando quisquam; ut in Italia, Munus Martium pertimescens pollicem sibi præcidit, quos jocaliter* Murcos *appellant.* Coibat igitur ad Militiam omnis Ætas, Adolescens, Vir, Senex. Vertiscus Remorum Præfectus, quamvis Equo propter Ætatem (ut legitur libro VIII) vix posset uti; tamen, consuetudine Gallorum, neque Ætatis excusatione in suscipienda Præfectura fuit usus, nec sine se dimicari voluit. Sic Parisino bello summa Imperij, ut est libro VII; traditur Camulogeno Aulerco, qui prope confectus ætate, tamen propter singularem scientiam rei militaris ad eum est honorem evocatus.

Commeatus cura,

Quod ad Commeatum: Veteres Gallos militantes maximam rei Frumentariæ rationem habuisse, ut ea ipsis suppeteret, hostibus autem deficeret, patet ex innumeris apud Auctorem de Bello Gallico Exemplis: inter quæ illustria sunt illa, quibus docemur Vercingetorigem omnem aliquoties adhibuisse curam, ut Cæsaris vires Frumentationum Pabulationumque inopia frangerentur, Vicis Opidisque quoquo versum incensis.

Armatura,

Armatura vero Gallica Romanæ dissimilis fuit, ut ex VII belli Gallici libro intelligi potest, de Eduis Cæsari militantibus, qui Gallicis Armis Romanos vehementer perterruerunt. Quænam autem fuerint hæc Gallorum Arma, variorum Scriptorum, Græcorum Latinorumque, indicio videamus.

Gladij.

Gladij Gallis erant graves, Polybio; prælongi, Livio; sine Mucronibus, iisdem notantibus: ad hoc tantum utiles, ut, quemadmodum apud Strabonem est videre, desuper in hostem impingerentur: unde

—— *Alte consurgit in Ensem*,

Apud Vergilium, Censore Servio. His impetentes Capita hostium abscindebant: interim male erant fabricati & ex molli ferro, ut habet Polyænus lib. VIII: quare de iisdem sic ex Polybio Sudas: *Ita sunt parati, ut primo impetu unam plagam inferant: deinde*

statim ita curvantur & inflectuntur in longitudinem & latitudinem, ut nisi spatium recedendi & pede corrigendi fuerit datum, celeriter alter ictus illorum sit irritus. *Spathas* vocat Diodorus, ænæaque catena à dextero latere pendentes. Verba ejus ex lib. v. operæprecium est audire: Ἀντὶ δὲ τοῦ ξίφους Σπάθας ἔχουσι μακρὰς, σιδηραῖς ἢ χαλκαῖς ἁλύσεσιν ἐξηρτημένας, παρὰ τὴν δεξιὰν λαγόνα παρατεταμένας. Sic Strabo lib. v. Μάχαιρα μακρὰ, παρηρτημένη παρὰ τὸ δεξιὸν πλευρόν. μάχαιρα etiam Gallicus ensis dicitur & laudatur Polluci. De *Spathis* porro, id est gladiis majoribus, & *Semispathis*, hoc est minoribus, legendi præter Tacitum & alios, Vegetius lib. II de Re militari cap. XV & alibi, & Isidorus lib. XVIII Etymol. cap. VI.

Scuta. *Scuta* Gallis erant *longa* (inquit Livius; θυρεὸς μακρὸς Straboni) *ceterum ad amplitudinem Corporum parum lata, & ea ipsa plana.* Diodorus θυρεὺς ἀνδρομήκεις vocat, *adsiaturam viri facta, & ad hominis altitudinem adsurgentia.*

Gesa. *Gesa*, quædam Gallorum Tela Nonius habet ex Varrone, ubi hæc *Qui gladiis cincti sive Scuto cum binis Gesis essent.* De his quoque Virgilius:

—— *Duo quisque Alpina coruscant*
Gesa manu.

Hastas Viriles interpretatur ad hunc locum Servius; & addit, Viros fortes *Gesos* ab Gallis vocari. Cæsar etiam tertio belli Gallici *Gesa* (vel, ut alij scribendum putant, *Gasa*, unde *Gesatæ* fortean, de quibus paullo post) Gallis tribuit.

Lancea. *Lanceas* Veteres Gallos, appellasse τὰς λόγχας (ut hodieque faciunt, cum Belgis) auctor est Diodorus, Προβάλλονται, inquit, τὰς λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι Λαγκίας καλοῦσι πηχυαίας τῷ μήκει τοῦ σιδήρου, καὶ ἔτι μείζω τὰ ἐπιθήματα ἐχούσας: Ferrum cubitali longitudine, latitudine duorum palmorum habuisse notat. Λόγχας κατὰ λόγον tribuit Gallis Strabo lib. IV. Videndum, an non huc pertineant hæc Eustathij verba: Λάγγος, εἶδος δόρατος Φραγγικοῦ, ὅτι λίαν μακροῦ φασιν, ὅτι μεγάλου, οὗ τὸ πλεῖστον σιδήρῳ περιέχεται.

Materis. *Materis* etiam Gallis tribuitur ab antiquis Scriptoribus. Sisenna Historiar. lib. III. apud Nonium in Lancea: *Galli Materibus, Suevi Lanceis configunt.* Idem lib. IV. *Alij Materibus aut Lanceis tamen medium perturbant agmen.* Auctor ad Herennium lib. IV. *Ut si quis Macedones appellaret hoc modo; non tam cito Sarissæ Græcia potiti sunt: aut idem Gallos significans, dicat; Nec tam facile ex Italia Materis Transalpina depulsa est.* Cæsaris, Livij, Agellij locos ab alijs adnotatos prætereo. Illud jam animadverterunt docti viri, Vocem hanc apud Strabonem lib. IV. esse corruptam: καὶ Μαδαρις παλτοῦ τι εἶδος; emendandum enim, Μάταρις vel μάταρις. Nam Epitome habet Μάταρις: Cæsar *Mataras.*

Galea. *Galea ærea* paullo eminentiore caput apud Diodorum Galli muniunt; in qua aut Cornua impressa essent, aut Avium vel Quadrupedum effigies sculptæ. Hinc apud Suetonium cap. XXIV in Cæsaris vita, legimus Legionem, ab eodem Cæsare bello Gallico ex Transalpinis conscriptam, vocabulo Gallico *Alaudam* fuisse appellatam: quod Militum hujus Novæ Legionis Galeæ Alaudæ Avis effigie vel cristis essent ornatæ; vel quod, ut alij volunt, Milites Galeis uterentur, ei Apici simillimis, qui in Alaudæ capite. *Alauda* autem Avis appellatio Gallica est, Galeritam sive Cassitam significans, apud Plinium lib. XI. nat. hist. cap. XXXVII & Marcellum Empiricum, cap. XXIX, hominem Gallicæ Linguæ Veteris non imperitum.

Arcus, Funda, Fustis, Telum; Gallis etiam *Arcus* & *Funda* in usu fuit, ait Strabo: qui addit *Fustem* (χειρόσφαιρον ξύλον) apud eos esse, qui manu, non Amento (ἐκ χειρὸς, οὐκ ἐξ ἀγκύλης) jactus Sagitta longius ferit; quo præcipue in Aucupijs Avium uti consueverunt.

Sagittæ venenatæ. Certa ac fide digna res est (ut auctor idem est) in Gallia nasci Arborem Fico similem, quæque fructum ferat capiti Columnæ Corinthiacæ respondentem: ea autem secta, Lethalem liquorem emitti ad usus *Sagittarum*. *Sagittarios* vero magno in usu Gallis fuisse, Cæsar lib. VII plane confirmat, quum de Vercingetorige loquitur, *Sagittarios omnes*, ait, *quorum erat permagnus numerus in Gallia, conquiri & ad se mitti jubet.*

Ornatus militaris. Circum Collum Aureos Torques gestare (*Lactea Colla Auro innectuntur*, apud Virgil.) ac circa Brachia ac Manus Brachialia; & qui honores gerunt Vestes Tinctas atque auro variegatas, docent Polybius, Strabo & Diodorus. Corallio adornabant Gladios & Scuta, ut refert Plinius. Thoraces ferreos etiam quidam ornabant Auro, teste Diodoro.

Plerique

Galli nudi pugnabant.

Plerique Galli super Vmbilicum nudi pugnare consueverant, ut in pugna Cannensi Livius ait, de quo etiam prælio Polybius idem tradit. *Terribilis*, inquit, *erat nudorum hominum præcedentium & aspectus & incessus, robore nempe & specie præstantium.* Sic in Gallogræcia Livius ait, Gallos nudos dimicasse; ideoque eminus Romanis Pilis confixos occubuisse.

Equitatus.

Galli primas suæ Militiæ partes Equitibus dederunt; bellique administrandi principes, ut ait Cæsar, lib. VI, fecerunt. Hoc tamen de omnibus Galliæ Civitatibus non temere est adfirmandum. Treviri longe plurimum totius Galliæ Equitatu valuere, ut est lib. V: Sontiates, ut est III, eadem militia plurimum potuere: At Nervii plus Peditatu, ut est III. Si genus universum spectetur, Equitatus Gallicus Militiæ Gallicæ præcipua gloria fuit: & Cæsar bellis Civilibus isto præcipue Equitatu est usus; feliciter, ut constat ex ijs, quæ gesta contra Afranium & Petreium Cn. Pompei Legatos in Hispania, & in Africa deinde contra belli Civilis reliquias. Hinc illa vox Ciceronis quinta Philippica: *Est enim opinio*, ait, *decreturum aliquem M. Antonio illam ultimam Galliam, quam Plancus obtinet: quid hoc est aliud, quam ad Bellum Civile Hosti Arma largiri; primum nervos Belli, Pecuniam infinitam, qua nunc eget; deinde Equitatum, quantum velit?* Equites autem scribit Cæsar, multis Carris magnisque impedimentis solere venire. Figis & Curribus dimicare hos, etiam Livius & Pomponius tradunt; Essedis Strabo. Ex his Curribus obvium hostem jaculo primum appetebant: tum, relicto curru, Pedites Ensibus certabant, ut adfirmat Diodorus. Hinc *Gallicum Axem* vitandum monet Iuvenalis Satyra VIII.

Horrida vitanda est Hispania, Gallicus Axis.

Pertinet huc Manilij illud lib. IV. Astronomic.

Gallia prætentis, Hispania maxima bellis.

Prætenta (quas Ammianus & alij *Prætenturas* vocant) à prætendendo, Equites, ut quidam volunt, Exploratores.

Gallorum Caterva,

Galli, ut etiam Celtiberi pluresque Barbaricæ nationes, Catervis utebantur in prælio, in quibus erant sena millia Armatorum. Docet Vegetius lib. II. cap. II de Re Militari.

Exercitus maximi.

Gallos maximos exercitus educere solitos, testantur Cæsar de bello Gallico libri II initio, Ammianus Marcellinus lib. XXI & Strabo de Arvernis. Addam hic obiter, eosdem Legatis Romanorum ad se missis, ausos fuisse respondere; *Se in Armis jus ferre, omnia Virorum fortium esse*, ut scribit Livius lib. V. ab V. C.

Parasiti militares.

Secum etiam in bello ducebant (si fides apud Athenæum Posidonio) Parasitos; à quibus Laudes ipsorum cum Cantu prædicari volebant. Diodorus sane idem confirmat.

Castrorum fabrica.

Castrorum, ut infinitis locis ex Cæsaris Ephemeridibus discimus, fabrica, sive locum, sive munitionem consideremus, parum habuit artis. Vallis eligebatur, cujus Fossa & Vallum, Terra videlicet ac Cœlum essent. Gallorum enim consuetudo fuit (ut est VIII libro) relictis locis superioribus, ad ripas fluminis Castra demittere. Si quando diligentia major esset, Carri Rhedæque tantum pro Vallo objiciebantur. Tandem quæ Romanos facere cognoverant, imitari cœperunt. Exemplum in Nervijs libro V, adeo ut Cæsar etiam Turres bellicas ab Gallis institutas, Testudines, Munitionesque fuerit miratus.

Clamor ante pugnam.

Prælium ineuntes horrendum edebant Cantum, Vlulatum, Clamores; Tripudiabant; Scuta in patrium quemdam morem quatiebant; Armorum suorum crepitu tantum eliciebant sonum, ut circumstantia omnia loca, quemadmodum memoriæ produnt Polybius & Livius, vocem emittere viderentur. *Vocem*, ait Diodorus, *Galli gravem habent atque asperam; sed & Tubas habent suo more barbaras, & quæ asperum sonum reddant.* Et totus hic Gallicus Tumultus frequenter à Livio, sed inimice & contumeliose, ut de Gallis loqui fere solet, notatus est. *Galli*, ait lib. V. ab V. C. *truci Cantu, Clamoribusq. varijs, horrendo cuncta compleverant sono.* Et ibidem: *Mox Vlulatus Cantusq. dissonos, vagantibus circa mœnia turmatim Gallis, audiebant.* Idem lib. XXXIV. *Galli cum varijs Vlulatibus Cantuq. moris sui quatientes Scuta sua super capita, vibrantesq. dextris Tela.* Libro XLVIII de Gallis in Asia: *Ad hoc tantus ineuntium prælium & Vlulatus & Tripudia, & Quatientium Scuta in patrium quemdam morem, horrendus Armorum Crepitus, omnia de industria composita ad Terrorem.* Tumultum hunc aliquoties etiam attingit Cæsar, sed levius, lib. V, VII & alibi.

Præliorum Virtus.

Qualis autem in Gallis fuit præliorum Virtus? Virium certe confidentia prorsus ingens. *Galli*, ut est apud Auctorem de Bello Africano, *homines aperti minimeque insidiosi, per Virtutem, non per Dolum dimicare consueuerunt.* Hinc Divico Helvetius sic legitur loquutus ad Cæsarem, qui Tigurinos, Galliæ tunc Populos, circumvenerat. *Se ita à Patribus Majoribusque suis didicisse; ut magis Virtute, quam Dolo contenderent, aut Insidiis niterentur.* Et militaris hujus Virtutis singularia multis locis apud Cæsarem exempla sunt: de Helvetijs lib. I; de Belgis & Nervijs lib. II. de alijs alibi: de Gallis item universim, Cæsari ad Mundam militantibus, apud Auctorem Belli Hisp.

Aciei instructio.

Quod ad Aciei instructionem & Ordinem: Quum ex pluribus Civitatibus Exercitus conflatus esset, Milites generatim distributi in Civitates & Pagos erant, separatimque singularum Civitatum copiæ collocabantur. Docet passim Cæsar. De horum Equestris Pugnæ constitutione, quam *Trimarcam*, ut infra dicam, appellabant, legendus Pausanias in Phocicis. De *Soldurii*s etiam, ut Cæsar eos vocat (Athenæo *Siloduri* nominantur) consulendum Caput, quod sequitur, xv.

Hostium immolatio.

Victoriam de hostibus consequuti, Diis Captivos immolabant, ut ex Sopatro credit Athenæus. A pugna redeuntes, ut scribit Strabo, Capita hostium de Collis Equorum suspendunt (τὰς κεφαλὰς τῶν πολεμίων ait ἐξάπτειν ἐκ τῶν αὐχένων τῶν ἵππων) & spectaculi gratia ante portas Opidorum adfigunt. Diodorus: τῶν δὲ πεσόντων πολεμίων τὰς κεφαλὰς ἀφαιροῦντες περιάπτουσι τοὺς αὐχένας τῶν ἵππων. Livius lib. x: *Nec ante ad Coss. qui jam haud procul à Clusio aberant, famam ejus cladis perlatam, quam in conspectu fuerint Gallorum Equites, pectoribus Equorum suspensa gestantes Capita & Lanceis infixa, ovantesque moris sui Carmine.* Consuetudinis autem adfigendi Portis opidorum Hostium cæsorum capita, Vestigium manet hodieque per Gallias, & alibi, in Nobilium ædibus. Nam & his temporibus Galliæ Nobiles suis Foribus adfixa habent Ferarum Capita, quæ vel ipsi vel majores ipsorum occiderint. Scribit & Diodorus, Gallos Nobilium, acie cæsorum, Capita Aromatibus uncta in Thecis condere summa diligentia; ostendentes ea hospitibus; nulloque pretio vel parentibus vel alijs reddentes. Tradit Livius, hos Postumii Corporis spolia Caputq; præcisum ovantes in Templo, quod sanctissimum est apud eos; intulisse. Purgato inde Capite, ut mos ijs est, Calvam Auro cælavisse, idque Sacrum Vas iis fuisse, quo Solennibus libarent, Poculumque Sacerdotibus fuisse ac templi Antistibus: unde hæc apud Silium;

At Celtæ vacui Capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas) Auro: & Mensis ea Pocula servant.

Præda Diis consecrata.

Eosdem Gallos, ut concludam, Prædæ Partem Diis consecrare solitos, testis est Cæsar lib. VI. de bello Gallico.

Cap. XIV.

Gallorum Mores circa Res Privatas.

Personarum Distinctio.

SIc se habebant Publice Gallorum Mores: quod ad Privatiores, audivimus jam ante in omni Gallia, qui in aliquo sunt numero atque honore, genera esse duo: alterum Druidum, alterum Equitum: hos, quum est usus, atque aliquod Bellum incidit, omnes in eo versari, atque ut quisque eorum est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circa se Ambactos Clientesque habere: illos Rebus Divinis interesse, Sacra publica & privata procurare, Religiones interpretari, &c. Pergens Cæsar, plebem notat Servorum haberi loco; in hos ea omnia esse jura, quæ Dominis in Servos.

Patria potestas.

Liberos suos, ut idem scribit, *nisi quum adoleverint, ut munus Militiæ sustinere possint, palam ad se redire non patiuntur: Filiumque in puerili ætate in publico in conspectu Patris adsistere turpe ducunt.*

Dotis ratio.

Viri quantas pecunias, eodem memorante, *ab Vxoribus Dotis nomine acceperint, tantas ex suis Bonis æstimatione facta, cum Dotibus communicant: hujus omnis Pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructusque servantur. Vter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in Vxores, sic uti in Liberos, Vitæ Necisque habent Potestatem.*

Potestas maritalis.

Gallorum mulieres speciosas, magnitudine & robore Viris similes,

facit Diodorus; fœcundas & bonas educatrices; sive, ut Strabo, pariendo educandoque felices. Has cum Liberis una lavantes in Balnea Ollas cum pulte detulisse, tradit Plutarchus VIII. Convival.

Fuit & Gallis usitata more reliquarū Gentium Servitus. *Plerique*, ait Cæsar lib. VI, *quum aut ære alieno, aut magnitudine Tributorum, aut injuria Potentiorum premuntur, sese in Servitutem dicant Nobilibus; in hos eadem omnino sunt jura, quæ Dominis in Servos*. Tractabantur tamen humanius liberaliusque, quam apud Romanos. Domini namq; Galli suos obæratos, atque, ut Cæsar voce Gallica appellat, *Ambactos*, honoris quodam loco circum se habebant, eorumq; opera in bellis utebantur. Huc spectare videtur illud Diodori, memoriæ mandātis, Gallos Custodes Corporis ex liberis hominibus Pauperes eligere solitos, qui & pro Aurigis in pugna serviant, & ferant scutum. Potestas Dominica.

Domicilia, teste Cæsare, plerumque in Silvis, aut circa Flumina, æstus vitandi caussa; eaque ex scandulis robusteis aut stramentis, Vitruvio; è tabula & Cratibus rotunda testudinumque instar construere, magno imposito fastigio, tradit Strabo; stipula vero tegere, Plinius. Horum Ianuas numquam claudebant, nisi fallat apud Stobæum Nicolaus. Hypocaustorum usum habuisse, documento est historiola Iuliani Imper. in Misopogone. Domicilia. Hypocausti.

Quod ad Vestitum, *Saga* ferebant, notante Strabone; eaque densa ex Lana texebant, *Lenas* (λαίνας, χλαίνας malunt alij, vide cap. XV) vocantes. Hujusmodi Saga scribit Plinius lib. VIII cap. XLVIII *Scutulis* dividere Gallos instituisse. Quæ Plinio *Scutulæ*, Diodoro sunt πλινθία. Ait enim Gallos Sagula (ῥαβδωτὰ) gestare, πλινθίοις πολυανθέσι καὶ πυκνοῖς διειλημμένα, quadris & maculis quibusdam reticulate distincta. Nihil aliud intelligunt illi per Scutulas & πλινθία, ut in Conjectaneis ad Varronem indicat Nobilissimus Vir Iosephus Scaliger, quam quas Galli hodie vocant *Lausangias*, quasi *Laurangias*, ab Lauri folio, quod habet Rhombi figuram. Saga. eaque Scutulata.

Scutulatum igitur *Sagum*, reticulate distinctum, ac propterea *Virgatum* Virgilio:

Virgatis lucent Sagulis.

non *purpureum*, ut opinatur Servius. De Versicolore Sagulo etiam Cornelius Tacitus in Historia Augusta, de Cæcina loquens: *Ornatum ipsius Municipia & Coloniæ in superbiam trahebant, quod versicolore Sagulo, Braccas tegmen barbarum indutus, Togatos adloqueretur*. *Bracis* porro (quæ, quod Gallorum essent, Tegmen barbarum paulo ante Tacito) utebantur Galli *circum extensis*, ἀναξυρίσι περιτεταμέναις, ut loquitur Strabo, vel *laxis*, ut Lucanus. *Bracam* Gallicam esse vocem indicat Diodorus: χρῶνται δὲ ἀναξυρίσιν, ἃς ἐκεῖνοι βράκας καλοῦσιν. *Bracarum*, ut & *Sagorum* mentionem facit antiquissimus Poëta Lucilius Sat. XI. Bracæ.

Convenit ut polcer! Bracæ, Saga, fulgere Torques
Manli.

Sic legendum, non *Magni*. Torques enim Manlii jocose dicit: quod T. Manlius, Torque Gallo detracto, *Torquati* cognomen meruerit, primusque in suam familiam induxerit. Loco Tunicarum apud eundem Strabonem Vestem habent Galli Fissilem manicatam (χιτῶνας σχιστοὺς χειριδωτούς, de quibus etiam Agellius lib. VII cap. XII.) usque ad pudenda & nates demissam. Eam innuere videtur Martialis lib. I. Palla.

Dimidiasque nates Gallica Palla tegit.

Manet hodieque forma in illo Vestis genere, quod vulgo nobis *Pallatrock*, vel contracte *Palt-rock*. Eandem designat Aristoteles lib. VII Politic. ubi dicit Gallos brevi tegumento vestiri. Idem Martialis etiam Gallorum Vestis, *Bardocuculli* Santonici meminit. Aliud Vestimenti genus describit Plinius: *Lanæ*, inquit, *per se coctæ Vestem faciunt; & si addatur Acetum, etiam ferro resistit; Galliarum, ut arbitror, Inventum*. Bardocucullus.

Annulis dicit uti in Digitis, nihil distinguens Diodorus; in medio tantum, Plinius natur. hist. lib. XXXIII cap. I. Annuli.

Fictilia porro in usu habebant, ut apud eumdem Diodorum legimus; densa ac floribus distincta. Cœnabant sedendo omnes, non in sedibus, sed in Solo, super stratis Luporum aut Canum Pellibus (in Toris apud Strabonem, ἐν στιβάσι.) Ministrabant eis Pueri Iuniores, ætate tenera. Iuxta eos Ignes fiebant, ijsque adposita visebantur Ollæ, & Verua Carnibus plena; maxime suillis, tam recentibus quam salitis; sed & omnis generis Carnibus: plerumque vero Cibus erat cum Lacte, ut scribit Strabo. Audiamus hic Athenæum ex Posidonio, sic fere Latine sonantem: Supellex. Convivandi ratio. Cibus.

Celtæ fæno substrato Libationes propinant super ligneis mensis, à terra parum exstantibus. Panis & iis paucus (Panem hunc Fermento leviorem eos facere, adnotat Plinius. *Cibus est. Caro multa elixa in aqua vel super prunis aut in Verubus assa: hanc Leonum modo*; Gallos Edacitatis arguit Hieronymus adversus Vigilantium) *ambabus manibus Artus integros tollunt, morsuque dilaniant; &, si quid ægrius divellatur, exiguo id cultello præcidunt. Adponunt in Conviviis Pisces, qui Fluviis adcolunt, Interiorisque & Exterioris maris littoribus; & eos cum Sale, Aceto & Cymino (quod etiam Potioni injiciunt) assos. Convivæ plures si ad cœnam conveniant; in orbem considunt: In medio Præstantissimi sedes est, ejus nimirum, qui bellica dexteritate, vel nobilitate generis, vel divitiis cæteros antecit.* Potus. *Qui sunt à Poculis Potum ferunt in vasis Ollæ similibus, aut fictilibus aut argenteis. Ex eadem materia sunt & Patinæ, quibus advehunt Cibaria; aneæ tamen aliquibus: nonnullis Patinarum loco, Canistra lignea Vitilibus contexta. Locupletes vinum bibunt ex Italia petitum, vel Massiliensium regione, & id merum, interdum Aquæ paululum affundentes:* Δίρκεμα. *Δίρκεμα nuncupant. Sorbillant autem paulatim, ex eodem poculo, frequentius pitissantes. Pocula dextra sinistraque manu puer circumfert.* Hactenus ille. Sed & fruge madida Potum ad Ebrietatem fecisse, Plinius est Zythus. auctor lib. XXII. cap. ult. Ex Hordeo Potum, quem *Zythum* appellabant, fecisse; & alium ex aqua, in qua favum Mellis laverint, Diodorus tradit. De Gallis hæc Ammianus lib. XV: *Vini avidum genus, adfectans ad Vini similitudinem multiplices potus: & inter eos humiles quidam, obtusis ebrietate continua sensibus (quam Furoris voluntariam speciem Catoniana sententia definivit) raptantur discursibus vagis; ut verum illud videatur, quod ait defendens Fonteium Tullius, Gallos post hæc dilutius esse poturos; quod illi Venenum esse arbitrabantur.* Humanis etiam Carnibus vesci, memorat Diodorus: ex uno fortean actu. Nam fecisse hoc eos ad Thermopylas, paret ex Pausania. De Scordiscis Gallis nihilominus legimus apud Sex. Rufum, eos ex Captivorum Capitum ossibus sanguinem aliquando bibisse humanum.

Hospites. Hospites etiam ad Epulas vocabant; &, qui essent, quaque caussa venissent, post Cœnam rogabant, scribente Diodoro.

Pugnæ post Convivia. Consueverant quoque, sumto Cibo, ad Verborum, prout Casus inferebat, concertationem surgentes, ex provocatione certare inuicem, nulla habita Vitæ cura; idque hoc modo, ut refert apud Athenæum Posidonius: *Armati sese invicem ad umbratilem pugnam provocant, summasque tantum manus ac gladiorum cuspides conserunt, mutuo parcentes; nonnumquam ad usque vulnera res procedit, ac tum irritati, nisi qui adsunt eos dirimant, ac inhibeant, ad mortem usque præliantur. Priscis quoque temporibus mos apud illos fuit; ut, adpositis pecudum artubus, Femur sumeret strenuissimus: & si quis alius id sibi vindicaret, ad alterius interitum usque gladiis pugnarent. Alii Aurum Argentumve in Theatro accipiunt, aut Doliorum Vini certum numerum: & ubi jurejurando polliciti sunt id se perpessuros, cujus caussa dona acceperunt, Muneraque accepta intimis & carissimis amicis dispartiti sunt; supinos se distendunt, & in scutis jacent; adstante, qui gladio jugulum fodiat, & exscindat.*

Dormitio. In terra super strato gramine dormiunt, apud Polybium; in Ferarum autem pellibus, apud Diodorum.

Nandi peritia. Adsuetos nare Gallos, dicit Ammianus Marcellinus lib. XXV in Ioviani historia.

Pecuariæ rei studium. Iumentis delectari eosdem, Cæsar est auctor in Ephemeridibus Belli Gallici.

Venandi exercitium. In Venationibus Sagittis uti solere venenatis, apud Cornelium Celsum lego. De iisdem ex Plinio habet Agellius; *Gallos in Venatibus tingere Elleboro Sagittas, quod his icta exanimata fera teneriores ad Epulas fiant: sed propter Ellebori contagium Vulnera ex Sagittis facta, circumcidere latius dicuntur.* Plinius quoque *Limeum* herbam nominat, qua Sagittas suas in Venatu tingunt medicamento, quod *Venenum Cervarium* vocant. Aristoteles in Admirandis tradit, apud Celtas Venenum reperiri quod *Toxicum* ipsi appellant; tanta celeritate interficiens necansque, ut Venatores Celtæ, quum Cervum jaculo percusserint, festinato adcurrant, Carnemque vulneratam exsecent; ne, Veneno promeante, Animal putrefiat, alimentoque inutile reddatur. Ex *Taxo* Arbore hoc fieri, videtur innuere Plinius; ubi docet *Taxica Venena* appellata, quæ nunc *Toxica* dicimus, quibus Sagittæ tingantur. De *Venenatis Sagittis* plura me dicere memini capite hujus libri XII.

Funera. *Funera sunt Gallis magnifica & sumptuosa*, inquit Cæsar; *omniaque, quæ Vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam Animalia: ac paulo supra hanc memoriam Servi & Clientes,*

tes, quos ab iis dilectos esse constabat, Iustis Funebribus confectis, una cremabantur. Sic Mela: *Cum Mortuis cremant ac defodiunt apta viventibus olim: Negociorum ratio etiam & exactio Crediti differebatur ad Inferos. Erantque, qui se in Rogis suorum, velut una victuri, libenter immitterent.* Diodorus: *In defunctorum pyram Epistolas scriptas quidam conjiciunt, tamquam eas mortui sint lecturi. Increvit enim apud eos Pythagoræ sententia, qua dixit, Animas hominum esse immortales* (consule, quæ dixi cap. XI) *rursus eas, defunctis Corporibus, post certum tempus in alia Corpora reversura.* Valerius Maximus lib. II cap. I. *Mos Vetus Gallorum occurrit; quos memoria proditum est, Pecunias mutuas, quæ his apud Inferos redderentur, dare solitos:* sed *Philosophiam Fœneratoriam* idem hanc vocat. Non mirum autem Gallos Veteres Pythagoræ sententiam fuisse amplexos; si verum, quod apud Clementem Alexandrinum prodit quidam Alexander, Pythagoram nempe Gallias adijsse. Apud Virorum porro Fortium Busta abnoctare Gallos, indeque Oracula captare solitos; scribit ex Nicandro Tertullianus.

Cap. XV.

Gallorum, cum qui olim, tum qui hodie, Lingua.

Mores in Rebus Sacris & Profanis cum publice, domi militiæque, tum privatim, depinxi: promiseram additurum me de Lingua, qualis olim, qualis hodie.

De Veterum Gallorum Lingua, quo certi quid statuatur, notandum in primis quod Cæsar scribit lib. I. de Bello Gallico, totam Galliam in tris divisam partis; earumque Vnam incolere Aquitanos; Aliam, qui ipsorum lingua Celtæ, Romana Galli appellantur; Tertiam Belgas: eos omnes Lingua, Institutis, Legibus inter se differre. Quod in Lingua discrimen illud fuerit, an in Dialectis solum, an in tota Lingua, ut ea alia fuerit Aquitanis, alia Celtis, alia Belgis, nemo adhuc, quod ego quidem sciam, diffinite aperuit. Nam in re tam obscura tamque ab ævo nostro remota, quis certi quid & explorati statuerit? Si quis Conjecturis potest esse locus, Ego infimi in Rep. litteraria subsellij Senator sic censeo: Vnum antiquissimis temporibus per totam Galliam fuisse Idioma, id nimirum, quo hodieque Britanni, Celticæ ad Oceanum populi, quoque Coloni ab Gallis in adversam Insulam missi, sed ab Angelis, Germaniæ gentibus, in Montana & Occidentaliora Loca compulsi, utuntur. Certe quod una eademque Gallis Britannisque Insulanis (sic eos appello ad differentiam aliorum, qui in ipsis erant Gallijs ad mare, ubi & ipsorum Civitates Armoricæ) Lingua fuerit, innuit satis clare Cæsar; scribens moris fuisse, ut Galli, qui Druidum disciplinam diligentius cognoscere vellent, in adversam Britanniam ad Druidas proficiscerentur. Quum autem Druides libris non uterentur, sed omnia viva explicarent voce; consentaneum est, Gallos eodem, quo Britanni, usos in docendo fuisse sermone. Suffragatur Cornelius Tacitus; disertius, quod volo, adfirmans: *Britannorum,* inquit, *& Gallorum* (ille suo tempore Celtas Gallos præcipue intellegit) *sermo haud multum diversus.* Concedunt in hanc sententiam, quamvis ad antiquissimam illam Linguam non restringant, Beatus Rhenanus, Conradus Gesnerus, Franciscus Hotomannus, Petrus Ramus, Petrus Daniel, & alij; omniumque validissime Vir Optimus Gulielmus Cambdenus, qui in sua Britannia rem totam cum Argumentis varijs inlustrat, tum adducta in medium ingenti ex Grammaticorum aliorumque Scriptorum scrinijs copia Vocum, quæ Gallis Britannisque deprehenduntur esse communes. Illa igitur, judicio meo, Galliæ fuit antiquissima & peculiaris, congenitaque Populis, qui post Linguarum Confusionem primi Gallias occuparunt.

Lingua antiquissima Gallorum, quæ hodie Britannica.

Sed quum Gallis confinales essent versus Occasum quidem & Africum ad Pyrenæos Hispani, versus Ortum autem & Septemtrionem ad Rhenum Germani, quumque inter conterminos facile lapsu temporis Commercia fiant Linguarum; factum est, ut paulatim extremis utrimque Gallis Vicinorum Idiomata fuerint communicata; Aquitanis quidem Hispanicum, Belgis autem Germanicum; Celtis Antiquum illud, de quo a dixi, salvum & incorruptum conservantibus. Sic

Tres Gallorum Veterum Linguæ tempore Iulij Cæsaris.

tres

tres Gallis esse cœperunt Linguæ. Cæsar lib. I: *Gallia est omnis divisa in partes tria: quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum Lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Hi omnes Lingua, Institutis, Legibus inter se differunt.* *Differre* ait *omnes Lingua.* Putavi aliquando statuendas esse duas Linguas, unam quidem Aquitanorum; alteram vero Celtarum Belgarumque, sed Dialectis aliquot suis distinctam; abijsse ratus in Toto ab Celtis Belgisque Aquitanos; Celtas autem & Belgas Totum habuisse commune, sed varie inflexum & mutatum: at vero quum Cæsar *Omnes* nominat, Tres fuisse non difficulter tandem sum adductus.

Lingua Vetus Aquitanica eadem cum Cantabrica.

Quum porro Aquitaniam Cæsar Oceano, Pyrenæis Montibus & Garumna Fluvio, angustioribus multo, quam sequentes Scriptores, Limitibus includat; Aquitanisque versus Africum & Occasum proxime confinales occurrant Cantabri: nullã video rationem, quur dici non possit, Aquitanos tunc temporis ea ferme usos Lingua, quam hodieque non pauci intra diffinitos ab Cæsare Limites communem habent cum Conregionalibus, Cantabris inquam Hispaniæ populis, antiquissimam sane & toti quomdam Hispaniæ communem, ut antea docui. Illud autem eo majore adfirmare sum ausus adseveratione, quod legam apud Strabonem initio libri IV. & iterum fere circa medium, Aquitanos non modo Lingua, sed etiam corporis habitu ab natione Gallica permutatos, Hispanis magis quam Gallis fuisse similes: Τὺς Ἀκυϊτανὺς, τελέως ἐξηλλαγμένυς, ὐ τῇ γλώττῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς σώμασιν, ἐμφερεῖς Ἴβηρσι μᾶλλον, ἢ Γαλάταις. Ἐξηλλαγμένεις, inquit, *differentes:* innuens Aquitanos Vicinorum & mores induisse, & Linguam adsumsisse; quum antea nihil in his ab Celtis Belgisque, Fratribus quasi suis, differrent. Sic postea idem Strabo: καὶ κατὰ τὰς τῶν σωμάτων κατασκευὰς καὶ κατὰ τὴν γλῶτταν, ἐοίκασι δὲ μᾶλλον Ἴβηρσι. Nihil puto esse clarius magisque perspicuum. Et auxit per Aquitaniam mirum in modum Linguæ Cantabricæ usus, posteaquam Ludovicus Karoli Magni filius Vascones, ferocissimos Hispaniæ populos, cum ab Majoribus, tum à se debellatos, una cum Idiomate suo Colonos eo deduxisset.

Lingua Vetus Celtica eadem cum Britannica.

Celtæ, qui inter Aquitanos & Belgas medij, quum vicinas non haberent aliorum Idiomatum Nationes, nulla difficultate suum illud, quod antiquissimum, totique Galliæ primo fuerat commune & proprium, retinuerunt. Quemadmodum autem Celtæ, tertia Gallorum portio, κατ᾽ ἐξοχὴν *Galli* leguntur appellati, ut præter alios diserte notat Cæsar lib. I. de bello Gallico: sic etiam Celticum Sermonem sæpe *Gallicum* priorum Imperatorum principatu reperio dictum, cum alibi, tum apud Lampridium in Alexandro Severo, ubi de Druide: *Mulier Druias eunti exclamavit Gallico sermone: Vadas, nec Victoriam speres, nec militi tuo credas.* Priorum Imperatorum principatu, addidi. Nam postea *Gallicus Sermo* videtur habitus Novus ille, qui ex Latino conflatus, longe diversus ab *Celtico:* adeo ut sensim aliud fuerit *Gallice* loqui, aliud *Celtice*. Sulpicius Severus Dialogo I. cap ult. *Tu vero (inquit Postumianus) vel Celtice, aut si mavis Gallice loquere, dummodo jam Martinum loquaris.* Factum inde, ut tunc etiam in gratiam Romanorum *Celticus* sermo præ *Gallico* isto viluerit, æstimatusque fuerit horridior & incultior. Pacatus in Panegyrico Theodosij: *Non esse fastidio rudem hunc & incultum Transalpini Sermonis horrorem.* Irenæus in Præfatione libri I. adversus Hæreses: *Non autem exquires à nobis, qui apud Celtas commoramur, & in barbarum Sermonem plerumque avocamur, Orationis artem, quam non didicimus.* &c. Hinc apud Sidonium Apollinarem *Sermonis Celtici squama*. Sic enim ille lib. III Epistola III ad Hecdicium: *Mitto istic ob gratiam pueritiæ tuæ undique gentium confluxisse studia litterarum, tuæque Personæ quondam debitum, quod Sermonis squamam* (impolitiam & horrorem) *depositura Nobilitas, nunc Oratorio stilo, nunc etiam Camœnalibus modis imbuebatur. Illud in te affectum principaliter universitatis accendit, quod quos olim Latinos fieri exegeras, deinceps esse Barbaros vetuisti.*

Lingua Vetus Belgica eadem cum Germanica.

Belgarum Sedes Cæsar ab Sequana Matronaque Fluvijs ad Rhenum usque producit; trans Rhenum Germanos agere notat, cumque ijs Belgas adsidue bellum gerere. Quis hinc non colliget, participatam fuisse cum Belgis Galliæ Populis, Septemtrionalissimis primo, post autem sensim cum Vlterioribus versus Meridiem, postremo etiam ad Sequanam usque Matronamque, Germanorum Linguã? Et hinc est quod D. Hieronymus notet in Asia Minore Galatas, ad quos scripsit D. Paulus, quique ab Gallis, præcipue Belgis, orti, t[illegible]mpore fuisse bilingues; & præter

præter Sermonem Græcum, quo omnis tum Oriens loquebatur, propriam Linguam, eamdem pene cum Treviris, habuisse. Quis autem nescit Trevirorum Linguam eamdem fere cum Germanica fuisse? Quin Galli apud Iulium Cæsarem referunt Belgas ab Germanis ortos, & Rhenum antiquitus traductos propter loci fertilitatem ibi consedisse; Gallosque, qui ea loca incolebant, expulisse. Innuit etiam hoc Ammianus Marcellinus, ubi Gallos ex tractibus Transrhenanis oriundos commemorat; *Gallorum* appellatione *Belgas* præcipue exaudiens.

Sic igitur tres fuerunt tempore Cæsaris tribus Galliæ Populis Linguæ; Aquitanis Cantabrica, Celtis Britannica, Belgis autem Germanica: quarum postremam calluisse, vel intellexisse saltem, priores autem, & Celticam potius quam Aquitanicam, ignorasse, sed longinqua quatuordecim annorum consuetudine addidicisse, intelligendus est apud Cæsarem lib. 1. Ariovistus Germanorum Princeps.

Ariovistus Celticam addiscit linguam.

Ab hac Linguarum Gallicarum Triga manavit, quod Vocum, quas Grammatici Latini alijque Scriptores *Gallicas* absque ulla distinctione laudant, nonnullæ deprehendantur hodieque *Aquitanicæ* quidem in Cantabrica, *Celticæ* in Britannica, *Belgicæ* vero in Germanica: omnes tamen sine discrimine *Gallicæ* dictæ, quod Aquitani, Celtæ, Belgæque Galliæ essent populi.

Antiquorum Gallorum Voces ab Grammaticis alijsque laudatæ, quo modo Gallicæ censeadæ.

De *Aquitanicis* nihil dicam, quod Cantabricum Idioma mihi parum notum. Facient hoc alij, feliciter; quibus hanc ingredi arenam animus. Possent cum fructu voluptateque Vascones Galli, Cantabris Hispaniæ populis confinales, eorumque nunc etiam temporis utentes Lingua, quemadmodum ex ijs, quæ mox sequentur, Lectoribus plenissime parebit.

Aquitanorum Gallorum Voces proculdubio hodieque in Cantabrica lingua.

Antiquorum *Celtarum* in Gallijs vocabula, cum Idiomate Britannico hoc etiam tempore consonantia, sunt, indicio CL. V. Gulielmi Cambdeni, hæc fere: *Divona*, *Deorum Fons* Lingua Celtica, Ausonio sic canenti:

Celtarum Gallorum Voces apud Latinos Scriptores, quæ hodieque in Lingua Britannica.

Divona, Celtarum Lingua, Fons addite Divis.

Divv Britannis, Deus; Fons *Vonan*; ex quibus *Divonan*. Scribit Nobiliss. Vir Iosephus Scaliger Ausonian. Lect. lib. 1. cap. XXIII, pro *Divona* Veteres libros habere *Duionam*, & hoc videri magis Gallicum; non enim à Divis dici: nam eo etiam nomine Civitatem Cadurcorum nominari & apud Ptolemæum legi Δ... Frustra est Elias Vinetus ad Ausonium, qui censet *Divonam* Fontis nomen derivatum à *Divis* vel *Diis*, Latino vocabulo; addens etiam Celtarum Linguam Ausonio hic dici Romanam & Latinam, qua tunc Celtæ utebantur. Iovem, qui ab Tonitru Romanis olim *Tonans* cognominatus, sub *Taranis* nomine cultum ab Gallis fuisse memoriæ produnt non pauci: Iam vero *Taran* Britannis nihil aliud, quam *Tonare*. Gallos Mercurium, qui Itinerum dux habitus, sub *Teutatis* nomine coluisse, alibi dictum est: Britannis *Divv-taith* Itineris Deum sonat. Galli, inquit Polybius, milites conductitios *Gessatas* sua Lingua nominarunt: Servos conductitios *Gwessin* Britanni nunc vocant. Galli, quos Brennus in Græciam duxit, Equestris Pugnæ institutionem, quæ ex tribus constabat Equis, patria voce, inquit Pausanias, *Trimarcam* nominarunt: Equus *Marca* Britannis Veteribusque Germanis. Scribit idem Pausanias Gallos Scuta patria *Thireos* vocasse; quæ hodie etiam Britanni *Tarian* nominant: Θυρεὸς Scutum Græcis postea usurpatum. *Covinus* apud Melam Vehiculi Falcati genus, quo Britanni & Galli in prælijs utebantur: *Korvain* Britannis hodieque in Vehiculo vehere. *Circius* vox Gallica apud Agellium Phavorino Philosopho, Ventus sævissimus à turbine ejus & vertigine: *Cyrch* Britannis Impetus & Violentia. Alpibus *Peninis*, quas apud Cæsarem summas volunt Alpes, nomen inditum scribit Livius non ab Annibale Pœno; sed ab eo, quem summo sacratum vertice *Penninum* montani Galli nuncuparunt: *Pen* summitates Montium etiamnum Britannis vocantur, unde *Pen-mon maur*, *Pendle*, & *Pennigent*, Montes apud Britannos Insulanos editissimi nomen invenerunt. Civitates Galliæ, quæ Oceanum attingunt, *Aremoricas* Gallorum consuetudine appellari, scribit Cæsar: Britannis, quorum hæ erant in Gallia Celtica Civitates, *Ar-mor*, ad Mare, vel supra Mare sonat. *Bardocucullus* Bardorum Gallicorum vestis, ut antea dixi ex Martiale: Britannis *Cucul* pallium. Galliæ, inquit Plinius, suum genus Farris dedere, quod illi *Brance* vocant, apud nos *Sandalum* nitidissimi generis: apud Britannos item candidissimi grani Far *Guinenth-vrane* nominatur; & in Norfolcia apud Anglos *Branke*.

Divona. Taranis. Teutates. Gessatæ. Trimarca. Thireos. Covinus. Circius. Penina Alpes. Armorica Civitates. Bardocucullus. Brance.

Quæ

Pempedula. *Petor.* *Gavia.* *Betulla.* *Tripetia.* *Taxea.* *Zythum.* *Cervisia.*

Quæ Græcis πεντάφυλλα quinque Folijs, *Pempedulan* Gallis dictam docet Apuleius: Britannis *Pempt* quinque; *Deilen* folium. *Petor* Gallis quatuor, teste Festo; unde *Petoritum* Gallicum Vehiculum à quatuor rotis: *Pedur* Britannis quatuor. *Gavia* Gallis apud Isidorum, quod inter lignaria Instrumenta, *Cautertum* Latinis: *Gwyf* Britannis. *Betulla* Plinio Gallica Arbor; Britannis, quibus latissime provenit, *Bedu*. *Tripetia* Gallis Sellula tripes apud Sulpitium Severum: Britannis *Tribet*; Inferioribus Germanicis *Dry-voet*. *Taxea* Gallis, Isidoro scribente; Lardum: Britannis idem hodie *Tew*. *Zythum* vel ζῦθος Gallis apud Diodorum Siculum Potionis genus: Britannis hodie, alijsque Galliæ populis *Sider*. *Cervisia* item Gallis potus apud Plinium lib. XXII cap. XXV ex aqua frugibusque confectus, Hordeo, Avena, alijs: *Keirch* Britannis avena, ex qua Potum illi multis in locis conficiunt. Alijs, quæ apud Cambdenum recensendis supersedeo. Ex pauculis enim his constare quodammodo arbitror, Veteres Celtas Lingua usos, quam hodieque loquuntur Britanni, tam in Gallia Aremorica, quam in adversa Insula: quum superiores aliasque multas laudent Latini Græcique Scriptores Gallicas voces, quæ, Celticæ propriè, nunc etiam in Britannico deprehenduntur esse Idiomate.

Belgarum Gallorum Voces, quæ hodieque in Lingua Germanica. *Soldury.*

Vt Aquitanis Celtæ, sic Celtis succedunt Belgæ, loco tertio numerari censerique inter Galliarum Populos soliti. Horum voces apud Antiquos Scriptores Germanis hodieque usitatæ, hæ cum alijs leguntur: *Soldury* Gallis apud Cæsarem Devoti homines: *Soldenar* (qui & *Soudenter*, *Soldaet*, *Soudaet*) hodie Inferioribus Germanis, Miles ærarius, qui alicui devotus Principi vel Reip. stipendia facit: Et quæ non natio Vocem hanc arripuit? Francis est *Soudar*, Italis *Soldato*, Hispanis *Soldado*, Anglis *Souldier*, Britannis *Sowdiwr*; Σιλοδοῦροι apud Athenæum lib. VI Δειπνοσοφισ. qui Græce εὐχωλιμαῖοι. *Bulgæ* Gallis, auctore Festo, Sacculi scortei: Inferioribus cæterisque Germanis *Balgh*, Scorteum, Pellis, Cutis, Venter, Stomachus: Italis etiam *Bolge*; Anglis *Bealy* & *Belly*: Francis item hodie *Bulgetæ*, Risci sunt scortei. *Galba* Gallis præpinguis apud Suetonium in Galba cap. III: Germanis Inferioribus *Kalf* homo obesus; Britannis *Galuus*, prægrandis. *Becco* Gallis apud Suetonium Avis Rostrum: Germanis Inferioribus *Bec*; Britannis *Pic*. *Rheda* Gallorum vocabulum, inquit Quintilianus, ejusdem est significationis, cujus Caruca vel Currus Latinis: *Rede* antiquis Belgis, hodieque etiam Saxonibus & Sicambris σωματοδοχικῶς, Sufflamen, quo in descensu vel procursu nimio Rotæ curruum solent retineri. *Essedum* etiam Gallorum Vehiculum apud Belgas primo repertum, ut innuit Virgilius lib. III Georgic.

Bulga. *Galba.* *Becco.* *Rheda.* *Essedum.*

Belgica vel molli melius feret Esseda collo.

Persius de Cæsonia Caligulæ Principis Conjuge, Satyra VI,

Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Renos.

Per *Esseda* Gallos, per *Renos* intelligit Germanos; quos in ordinem digerit Cæsonia in futurum Mariti triumphum. *Essedi* vel *Esseda* frequens mentio apud alios Scriptores.

Eporedica. *Braca.*

Eporedicas Galli apud Plinium lib. III nat. hist. cap. XVII *bonos Equorum Domitores* vocant. Latent in corruptiore voce mihi, *Opper-Ryders*; *Prims Equestris militiæ, Magistri Equitum*. *Braca*, à qua *Bracata Gallia*, Gallorum Vestis, quæ, ut docet Diodorus, Græcis ἀναξυρίς; Suetonius in Cæsare cap. LXXX: *Et illa vulgo canebantur*;

Gallos Cæsar in Triumphum ducit, iidem in Curia
Galli Bracas deposuerunt, Latum Clavum sumserunt:

Sic Flavius Vopiscus in Divo Aureliano: *Inter hæc fuit Tetricus Chlamyde coccinea, Tunica galbina, Bracis Gallicis ornatus, adjuncto sibi Filio, quem Imperatorem in Gallia nuncupaverat:* Mentio etiam apud Lampridium in Alexandro Severo, & alios: A *Bracis* *Bracati*, id est Galli milites apud Ammianum Marcellinum lib. XVI, quorum etiam Virtus commendatur ab eodem, libro sequenti. *Braca* autem *Broecke* Inferioribus Germanis, Subligaculum, Fœmoralia: *Brats* etiam Britannis Vestes squalidæ & laceræ. Servius ad illud Virgilij VIII Æneidos;

——duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu, Scutis protecti Corpora longis,

Gæsus.

Hastas, inquit, *Viriles*. *Nam etiam Viros Fortes Galli Gæsos vocant*. Vox in Inferiore Germania Bellis renata civilibus, pervolgataque & uni parti adversæ ab altera nuper

per

per indita. Non abludit *Gessatarum* vox, de qua in Celticis. Diodorus auctor est
Veteres Gallos *Lanceas* appellasse τὰς λόγχας: Vide quæ dixi cap. XII: *Lanciæ* Ger- *Lancea.*
manis Inferioribus; à quibus hodie etiam Francis *Lance*; Italis *Lancia*, Hispanis
Lança, Anglis *Launce*. *Ambactus* Gallis apud Cæsarem Cliens; apud Ennium, ut te- *Ambactus.*
statur Glossarium, δοῦλος μισθωτὸς: *Ambachtsman* Inferioribus Germanis Opifex,
Manuarius mercede conductus. Delirat in hac voce Paullus Diaconus ex Festo.
Benna, inquit Festus, *lingua Gallica genus vehiculi*: *Benne* Inferioribus Germanis Cista, *Benna.*
Corbis, Arca; item Vehiculum Vimineum quadratum, duabus rotis volubile. *Spa-* *Sparus.*
rus Gallis apud Festum in Rumex teli genus: *Sparre*, Germanis Inferioribus Sudes.
Servius rursus ad illud Virgilij XI Æneidos:

Direptumque ab Equo dextra complectitur hostem.

Hoc de Historia tractum est, inquit. *Nam C. Iulius Cæsar, quum dimicaret in Gallia & ab
Hoste raptus, Equo ejus portaretur armatus, occurrit de Hostibus, qui eum nosset & insultans
ait, Cecos Cæsar, quod Gallorum Lingua Dimitte significat; & ita factum est, ut dimittere-* *Cecos.*
tur. Legendum arbitror *Set-af*, vel ut quidam pronunciant *Set-of*, quod Germa-
nis Inferioribus hodie *depone, dimitte*. In Servio Petri Danielis, qui nuper prodiit,
legebatur non *Cecos Cæsar*; sed geminate, *Cæsar Cæsar*: in quibus, ante-capta vetere
germanaque C. Litteræ ante vocales omnes indifferenter Pronunciatione, non-
nihil etiam ex eadem Belgica Lingua, ingeniose potius quam vere, divinabam; sed
quum satisfacere meo hic judicio nequirem, pronunciare tandem sum coactus, cor-
rupta esse illa & deplorata apud Servium; neque de illis quidquam certi posse dif-
finiri. Strabo lib. IV, ἀφ' ἧς, inquit de Lana Gallorum aspera, τοὺς δασεῖς σάγους ἐξυ-
φαίνουσιν, οὓς λαίνας καλοῦσιν: *ex ea densa Saga texunt, quas Lanas vocant*: Reponend. χλαί- *Chlana.*
νας: Inferioribus Germanis *Kleen*. *Lana* testibus Varrone & Festo, Vestis Lanea,
quæ super cetera Vestimenta imponebatur; Nonio Vestis est militaris; Ciceroni de
Claris Oratoribus, Sacerdotalis, qua Flamines utebantur, quum Sacrificia face-
rent: Meminerunt Virgil. lib IV Æneid. & Iuvenalis Sat. V. Sed aliud Latinorum
Læna, meo judicio, aliud Gallorum, apud Strabonem χλαῖνα: quam tamen puram
putam esse vult Græcam Isaacus Casaubonus, Vir doctissimus; dictam παρὰ τὸ
χλιαίνειν: χλαῖναν enim, ut & *Lænam*, littera una truncatam, ἱμάτιον fuisse παχὺ &
χλιαῖνον: addens Festum quoque auctorem esse, quosdam existimasse, *Lænam* Græ-
ce quam χλαῖναν dicunt, esse appellatam; quosdam tamen Tusce. Varro lib. IV. de
LL· Operimentorum genera indicans, inter Peregrina, eaque Gallica, recenset
etiam *Sagum*: *Quibus operiebantur*, inquit, *Operimenta & Pallia, Opercula dixerunt: In* *Sagum*
*his multa peregrina, ut Sagum Reno Galli quid gannacumma ejus sagum & Amphimalon
Græca.* Corruptissima sic restituit Vir Magnus: *ut Sagum, Reno, Gallica; Gaunacum ma-
jus sagum & Amph. Græca*; Scio quidem *Sagum* apud alios etiam, ut cap. XII. notavi,
vocem Gallicam censeri; sed scripserat forte vel scribere debuerat Varro de Operi-
mentis agens, *Sargum*: *Sargie* Inferioribus Germanis hodie Lodix, Stragulum Cu-
biculare. *Planarati* Gallis apud Plinium lib. XVIII nat. hist. cap. XVIII, genus Aratri *Planarati.*
Rotulis instructi: Vox corrupta, quæ alijs atque alijs modis concepta legitur in ex-
aratis manu Codicibus: eorum proxime ab vera & genuina scriptura absunt, qui
Plummarat præferunt: Plinius enim vel scripserat vel scribere debuerat *Ploeg-rat*,
quod hodie Inferioribus Germanis Aratri Rota; Superioribus *Pflug-rat*: Ridendi
merito, qui vocem apud Plinium parum intellectam in *Planetas* commutandam
opinantur, ut Planetas se prorsus & parum fixo judicio ostenderent. *Marga* Gallis *Marga.*
Britannisque, scribente eodem Plinio, lib. XVII natur. hist. cap. VI, Terræ adeps vel
Medulla; *Marghel* vel *Merghel* Inferioribus Germanis Superioribusque Creta fossilis,
Terra candida Cretæ instar, stercorandis Agris serviens; Britannis Anglisque *Marle*:
Francis *Marne*: Inde *Marghelen* ijsdem Germanis Marga stercorare agrum. Lau-
dat & Plinius ejusdem libri cap. VII Britannorum *Glischro-Margam*, genus Terræ *Glischromarga.*
candidæ, Cretam fullonicam pingui terra mistam, Pabuli quam Frugum fertilio-
rem: quæ *Gluysmarle* Britannis hodie dici potest; *Gluys* enim illis splendidum. *Morini* *Morini.*
Belgicæ populi, Paludum adcolæ: *Moer* & *Moerland* Inferioribus Germanis Palus
bituminosa, Locus palustris & uliginosus. *Dunum* Vetere Gallorum Lingua Collis *Dunum.*
sive Mons, Clitophonte apud Plutarchum docente; unde Opida in *Dunum* termi-
nata, quæ per Gallias plurima, omnia fere in Collibus & Locis editis reperiuntur sita:

Duynen Inferioribus Germanis ſabuloſi & arenarij Montes, Oceano, ut in Hollandia Flandriaque videre eſt, objecti: Græcis etiam θῖνες Cumuli Arenarum, qui vel in Littoribus vel in Ripis ſunt, inquit, Hieronymus in cap. Ieſahiahæ IX: Sic Heſychius; θῖνες οἱ σωροὶ ἤτοι βουνοὶ τῆς ψάμμου. Homerus Iliad. α.

—— παρὰ θῖνα θαλάσσης.

Cetera Celtarum Belgarumque Veterum Vocabula, quibus hodieque utuntur vel Britanni, quorum benificio Celticum Idioma ſalvum permanet; vel Inferiores Germani, apud quos Belgicum illud tempore Iulij Cæſaris (quamvis paullo horridius, quam nunc) uſitatum, parum abeſt, ſervatur integrum; quorumve ſaltem apud eoſdem evidentiſſima exſtant veſtigia; ne commemorandis omnibus Lectori tædium pariam, ſilentio prætereo. Gallicæ item Stirpium, quæ apud Dioſcoridem, Herbarumque, quæ in Marcell. Empirici libris occurrunt, Nomenclaturæ, alijs, an Aquitanicæ ſint, an Celticæ, an denique Belgicæ, diſcutiendum relinquo.

Conciliatio eorum, qui Veterũ Gallorum Linguam diſcrepant fuiſſe nunc Britannicam, nunc Cantabricam, nunc Germanicam.

Quæ igitur antiquiſſimis temporibus una fuerit Gallis Lingua; quæ item tres ſimul, quum bellum contra eos gereret Cæſar, habemus. Sic diſcrepantes inter ſe varie Doctorum Virorum de Vetere Gallorum, tempore Iulij Cæſaris, Lingua ſententias haud difficile erit conciliare. Quidam putant, in quorum numero primas ducit Beatus Rhenanus, proprium quoddam Idioma Gallis exſtitiſſe, nihil præterea addentes: nonnulli diſputant hodiernam Britannorum in Gallia Armorica Linguam Veterum Gallorum fuiſſe: Pauci Cantabricam adſerunt: Plures adfirmant Germanicam; & eam præcipue, qua hodie ad Rhenum utuntur Treviri & Confinales, olim etiam Galliæ populi: Omneſque ſuffragia ſua validis firmare nituntur rationibus. Omnes ſane Veritati conſentanee: modo Primi ſe patiantur adduci ad Cantabricum Idioma, quod omnium in Gallijs antiquiſſimum ſtatui: reliqui Cæſaris tempora reſpicientes: Secundi quidem Sententias ſuas reſtringant ad Celtas Gallos: Tertij ad Aquitanos; Quarti ad Belgas.

Veterũ Gallorum Lingua an fuerit Helvetica?

Quidam (inter quos primi Ægidius Schudus & Henricus Glareanus) volunt Suitenſium, qui hodie Helvetiorum Sedes occupant, Sermonem eſſe Veterum Gallorum: at vero ſatis conſtat, ut ſuo loco dicetur, Suitenſes hoſce non eſſe Indigenas Gallos; quum Veteres illi Helvetij, ab Cęſare in ſuos Montes recluſi, poſtea à Quadis, (ut Eutropius ait) & Quadi ipſi tandem ab Alemannis fuerint profligati; Alemanni denique Vitis Saxonibus Agrum Helvetium, qui toties jam Dominum mutarat, ceſſerint; à quibus Suitenſes tamquam Vitenſes, quæ Beati Rhenani mens eſt, ſunt nominati. Alij igitur quomdam Helvetij, alij hodie Suitenſes. Helvetij fortiſſimi erant Galliæ Populi; Suitenſes Saxonum ſunt proles. Quæ fuerit Veterum Helvetiorum Lingua, quum antiquæ Belgicæ fuerint populi, ex præcedentibus non poteſt non liquere. Quum autem audiamus Suitenſium hodie Linguam iſti haud abſimilem eſſe, quæ per Inferiorem ſonat Germaniam, quæque Belgis olim, inter quos erant Helvetij, fuit propria: facile Schudus & Glareanus, quique ipſis ſuffragantur, verum dixerint, ſi Veteres Belgas, non autem Celtas etiam & Aquitanos, id eſt omnes univerſim & ſine diſcrimine Gallos, velint uſos Idiomate, qui hodie familiaris Suitenſibus, quos Germanice loqui ſcimus. Belgas autem Germanicum Idioma ſenſim adſumſiſſe, antea probavi.

Veterũ Gallorum Lingua an fuerit Græca?

Iam Veteres Gallos Græce fuiſſe loquutos, probare conantur Ioachimus Perionius in Dialogis, quibus Gallicæ Græcæque Linguæ docet Cognationem, Ioannes Picardus in Celto-pædia, & alij. Argumentum ſententiæ ſuæ firmandæ præcipuum in medium hoc adferunt: Quod Cæſar lib. VI Belli Gallici memoriæ prodat, Druides in publicis privatiſque Rationibus extra ſuas Diſciplinas (quas nefas exiſtimabant litteris mandari) Græcis Characteribus uti ſolitos. Sed non ſequitur: Druides uti fuerunt ſoliti Græcis litteris; ergo Græce ſunt loquuti: & loquuti fuerint Græce Druides, qui Philoſophi erant Gallorum & Sapientiæ Magiſtri; non inferendum ſtatim Gallos omnes Græce fuiſſe loquutos. Imo habuerint cum Druidibus multi alij, non ſolum Galliarum Primores, verum etiam è Vulgo plurimi, Græcæ Linguæ cognitionem: an inde efficietur Gręcam, non aliam, Gallis fuiſſe Linguam? Sic Germani Inferiores Franci eſſemus; quia plerique bilingues non ſolum Germanice, ſed etiam Francice vel Gallo-Romane loquimur; ſed Germanice ab natura, Francice ab arte. Gallos, propriam habentes Linguam & natura-

naturalem maternamque ut vocant, φιλέλληνας reddiderat Massilia, Phocensium Colonia, clarissima Galliç Narbonensis ad Mare Mediterraneum Civitas; ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν, inquit Strabo lib. IV, ut Contractus etiam & Pacta Conventa Græco conciperent sermone. Et inde hodieque tam frequens est in Gallo-Romano Idiomate Hellenismus, cui probando singularium Libellum edidit vir doctus, cujus nomen jam non occurrit. Eodem modo evertitur aliud, quod quidam proferunt, Argumentum, ex Cæsaris lib. I. de Bello Gallico, Tabulas in Castris Helvetiorum (qui, ut dixi, Galliæ Veteris erant Populi) Grçcis Litteris exaratas, fuisse inventas. Non negatur: At vero non inde stabilitur, Tabulas illas Græco sermone fuisse conceptas. Aliud est Græcis litteris quid concipere; aliud Grçca Lingua. Sic Thalmud Chaldaicum Hebrço constaret Sermone, quod Hebraicis Characteribus sit excusum. Hoc addam, esse Viros Doctos, qui putent Characteres illos, quibus Grçci utuntur, non vere Grçcos esse, sed Gallicos; & ex Gallia in Grçciam, non ex Grçcia in Galliam fuisse advectos; ideoque Cæsarem eos appellare debuisse Gallicos, non Grçcos; Grçcos tamen dixisse, quum sciret Grçcos ijs tunc uti, ignoraret autem Græcos ab Gallis accepisse. Certe ipsorum Grçcorum testimonio Characteres isti α. β. γ. & reliqui, non vere Grçci sunt, sed Barbari. Legimus enim apud Varronem lib. VII. de Lingua Latina, quum Crates Græcus Quçstionem Grammaticam in Grçcia agitaret, quçreretque quur non diceretur *Alpha Alphatos*; Grçcos alios Grammaticos respondisse, *Hæc non sunt Vocabula Nostra, sed penitus Barbara.* Audimus hic ipsorum Græcorum Confessionem, non has ipsorum esse Litteras. Confitetur etiam in Magico Aristoteles, Philosophiam ab Celtarum Semnotheis initium cepisse, & Galliam denique Græciæ fuisse Magistram. Sed ego hæc talia in medio malo relinquere, quam çerti quid, quod opinione difficilius & non extra odium, diffinire. Quod præ manibus, Veteres nimirum Gallos Græcam habuisse, ut quidam volunt, propriam & maternam, ut ita loquar, congenitamque Linguam, paucissimis est enervandum. C. Iulius Cæsar, ut scribitur lib. V. ad Q. Ciceronem, apud Nervios obsessum, Grçcam dedit per Equitem Gallum, magnis præmijs persuasum, Epistolam; ne Consilia ipsius litteris commissa ab Gallis, intercepta Fortean Epistola, cognoscerentur: quod quur fecisset, si Eques ille Gallus, si Galli omnes Græce novissent? Et numquid hinc satis paret, Græcam Linguam Gallis non fuisse, certe Cæsaris tempore, tam, ut nonnulli volunt, familiarem? Et qui in Asia Minore Galatæ fuissent Bilingues, quod antea notavi ex D. Hieronymo, si Gallica (quam propriam habebant à Progenitoribus Gallis, eoque secum translatam) eadem fuisset cum Grçca, cujus usus erat in ea, quam occuparant, Regione? Quum etiam Varro scribat Massilienses Trilingues fuisse, loquutosque Latine, Græce, Gallice; Græce quidem ab natura, Latine Gallliceque ab arte: quis non videt Gallicam aliam ab Grçca fuisse? Et vero quæ Cognatio cum Græca Lingua Vocibus est Gallicis, quas ex Veteribus paullo ante laudavi Grammaticis? Nihil est, quod quis dicat Druidum nomen Græcæ esse originis, innuente Plinio; & inde parere Gallicam Linguam non aliam ab Græcæ fuisse: Nam Plinius ita loquitur, *Videri* voce usus, ut nihil adfirmet: Alioquin ex Vetere Gallica Lingua petendum esse *Druidarum* Etymon, alibi à me dictum.

Tales igitur tempore Iulij Cæsaris erant Linguæ tribus Gallijs: quæ, in Provinciam ab Romanis redactæ, proprias coactç fuerunt Linguas dediscere, Romaneque loqui; positis ibidem passim Romanis non solum Legibus, verum etiam Legionibus. Forum autem Romanum Militiaque Romana Veterum Gallorum Linguas non aboleverunt quidem, sed intra multo angustiores coegerunt Limites. Sic Lingua *Aquitanica*, quam dixi fuisse *Cantabricam*, compulsa est ab sinistra Garumnæ ripa versus Pyrenços, adeo ut hodie initium sit Cantabrismo ab Suburbicarijs partibus Baionæ, Lapurdensium. *Celtica*, quç eadem fuit cum hodierna *Britannica*, in extremam Galliam abijt, quç *Armorica* olim, hodie *Bretaigne*. *Belgica*, quam docui fuisse *Germanicam*, exturbata Partibus ijs, ubi hodie bona Normanniæ pars, tota Picardia, Hannonia, Artesia, magnçque Flandriæ, Brabantiæ, Limburgi, Leuceburgi, Leodiensis Tractus portione, tandem Septemtrionaliora antiquarum Sedum petiit; quum antea latius multo, quam reliquç, dominaretur; ipsiusque Celticç penitiora

Veterũ Galliæ Linguarum Sedes ubi hodie.

Aquitanica.

Celtica.

Belgica.

jam fuisset ingressa, adeo ut pellere eam & exstirpare tam feliciter nequierint Victores, ut non multæ Voces ibi remanserint, quæ hodieque Gallijs in usu, augentibus earumdem numerum cum Burgundionibus, qui ex Superiore, tum Francis Sicambris, qui postea, pulsis Romanis, ex Inferiore Germania (ad Rhenum enim habitabant, ubi nunc Gelri & ipsis Conregionales) in Galliam irruperunt. Nam quis ignorat Linguæ Germanorum, Inferiorum pręcipue, quodammodo peritus, voces esse Germanicas, quibus hodie Franci utuntur, innumeras, quæ ad Latinam Linguam ab Romanis invectam referri nequeunt, Radicesque omnino habent in Germanica? Pauculas tantum, docendi gratia, dabo: omnes enim colligere hoc opus, hic labor esset;

NOMINA.

Voces Belgicæ vel Germanicæ, quæ hodieque in Lingua Francica.

Germanice,	Francice,	Latine,	Germanice,	Francice,	Latine,
Meyer/	Maire,	*Prætor Vrb.*	**Saal/**	Salle,	*Aula.*
Spie/	Espie,	*Speculator.*	**Gaerde/**	Iardin,	*Hortus.*
Burgher/	Bourgeois,	*Civis.*	**Bancke/**	Banc,	*Scamnum.*
Her-berghe/	Herberghe,	*Diversorium.*	**Klocke/**	Cloche,	*Campana.*
Kussen/	Coussin,	*Pulvinus.*	**Rijck/**	Riche,	*Dives.*
Mantel/	Manteau,	*Pallium.*	**Bock/**	Bouc,	*Hircus.*
Ratte/	Rat,	*Glis.*	**Baniere/**	Baniere,	*Signum militare.*
Haring/	Hareng,	*Halec.*	**Harnasch/**	Harnois,	*Armatura.*
Kreeft/	Escrivisse,	*Cammarus.*	**Dagghe/**	Dague,	*Sica, Pugio.*
Bol-werck/	Boulevvard,	*Propugnacul.*	**Helm/**	Heaulme,	*Galea.*
Trompette/	Trommette,	*Tuba bellica.*	**Spoor/**	Esperon,	*Calcar.*

VERBA.

Graven/	Graver,	*Calare.*	**Kratsen/**	Grater,	*Scabere.*
Faelen/	Faillir,	*Labi, Errare.*	**Rooven/**	Rober,	*Rapere.*
Laten/	Laisser,	*Dimittere.*	**Mangelen/**	Manquer,	*Deficere.*

Ab ijsdem Francis manarunt etiam Voces, Nominaque, quæ in *Magus, Mundus, Ricus, Manus, Baldus, Artus* & alijs modis terminantur; passim hodie per Gallias nota & usurpata, ut suis locis parebit. Et ob latissima hæc linguæ Belgicæ, id est Germanicæ, pomeria, amplissimumque ejus etiam per Celticam usum, dicendi sunt Druides optime sibi suisque rebus consuluisse, quod ab Ti. Claudio Imperatore pulsi ex Gallijs, ut memoriæ proditur, in Germaniam trans Rhenum, tamquam ad Gentem cognatam sibi & ejusdem quasi sermonis, quamvis non omnes tunc temporis, migrarint.

Druides pulsi quum in Germaniam abierint.

Romana autem Lingua cum reliquis mista, quam initio scabra fuerit, aspera & inculta, docebunt facile Iusjuranda illa, quæ apud Nithardum Historiographum (filius hic fuit Angilberti, Karoli autem Magni Imperatoris ex Bertha filia Nepos) Historię de Dissensionibus Filiorum Ludovici Pij, lib. III, pręstant cum Ludouicus Rex, tum Subditi ejus. Verba Nithardi sic se habent: *Quumque Karolus quadam Romana Lingua perorasset, Ludovicus, quoniam major natu erat, prior hæc deinde se servaturum testatus est:* Pro Don amur & pro Xpian poblo & nostro commun salvament dist di en avant in quant des savir & podir me dunat si salvarai eo cist meon fradre Karlo & in adjudha & in cadhuna cosa si cum om per dreit son fradra salvar dist ino quid il mi altre si fazet & abludher nul plaid nunquam prindrai qui meon vol cist meon fradre Karle in damno sit. *Quod quum Ludouicus explesset, Karolus Teudisca lingua sic hac eadem verba est testatus:* **In Godes minna ind durthes tpannes folches ind unser bedhero gealtnisse fon thesemo dage * fram ordesso fram * so mir Got geuuiz ei indi madh furgibit so hald ihtes an minan bruher scal inti utha zermig soso maduo indimit luherem in nothe in nut hing nege gango thenuinâ willon * imo ce scadhen uuerhen.** *Sacramentum autem, quod utrorumque populus quisque propria lingua testatus est, Romana lingua sic habet:* Si Ludouuigs sagramēt que son fradre Karlo jurat conservat, & Karlus meos sendra de suo part ñ los tanit, si io returnar non lint pois ne io ne neulsui eo returnar int pois in nulla ajudha contra Lodhu-

Gallo-Romana Lingua initio valde horrida.

Lodhuuig nun li iver. *Teudisca autem lingua:* Oba Karl then eid then er sineno bruodher Ludhuuuige gesuor geleistit, indi Ludhuuuig min herro then er imo gesuor forbrihchit, ob ih ina nes aruuendenne mag, noh ih, noh thero, noh hein thenihes iruuenden mag uuidhar Karle imo ce follus tine uuirdhit. *Quibus peractis, Lodhuuicus Reno tenus per Spiram, & Karolus juxta Wasagum per Vuizzumburg Warmaciam iter direxit.* Sed hodie Lingua Gallo-Romana vel Francica (loquor de ea præcipue, quæ in meditullio Galliæ inter Sequanam & Ligerim auditur) tam est pura, tam tersa, tantumque proximis annis ab variorum Ingeniorum cura & industria cultum ornatumque induit; ut felicitate sua & elegantia jam gravida laboret: cum alijs gentibus, tum Inferioribus Germanis tantis expetita votis, ut major fere passim ipsius, quam Vernaculæ Domesticęque sit usus.

hodie mirum quam tersa.

Quod restat, quo modo Francorum universim Linguæ se hodie habeant, quotque fere ejus species, malim, Lector, discas ex Litteris ad me Magni Scaligeri, quam aliunde. Quis enim de ijs disserere posset solidius? Post multa alia, *In regno Franciæ varia Linguæ Romanensis,* inquit, *Idiomata sunt.* Romanensis Linguæ *tres Propagines alibi* (consulendum caput VIII Libri I hujus Partis II) *fecimus,* Italicum Idiotismum, Hispanicum, Gallicanum: *qui Idiotismi à Latina matrice tamquam traduces producti.* Romanensis *igitur* Idiotismus *Galliæ in duo summa fastigia diducitur, in* Francicum *&* Tectosagicum, *sive* Provinciale. Francicus *Idiotismus vulgo dicitur* Langue d'Oui, *alter* Langue d'Oc; *hoc est, Lingua, qua pro* Nac *aut* Ita *dicunt* Oui *aut* Oc. Francicus *Idiotismus est, quo Aulici & Literati utuntur, qua est hodie omnium* Romanensium *Linguarum excultissima, elegantissima & suavissima; & cum qua neque Italica, neque Hispanica contendere possent. Sed quia nulla est tam emendata Dialectus, cui non adiaceant* Παραδιαστροφαὶ; Francici *Idiotismi duæ præcipue sunt* Διαστροφαὶ, Walonismus *&* Pictonismus. Walanismo *utuntur omnes Belgæ, qui non Teutonizant. Itaque latissime patet, initio sumto à Leodiensibus, & desinens in finibus fere Parisiorum. Sed, ut fit, in illis nationibus, ut aliæ alijs depravatius loquuntur; ita aliæ alijs minus intelliguntur à Parisiensibus. Nam Leodiensem Rusticum, mere Materna Lingua loquentem, vix intelligat Parisiensis Opifex; quamquam eadem fere verba sunt, sed Inflexio alia, item Pronunciatio faciunt, ut alia lingua videatur, quum tamen eadem Verba sunt, his, qua diximus tantum discrepantia.* Pictonismus *incipit à Flumine Vigenna in finibus Turonensium; desinit circiter fines Burgi Opidi in Diœcesi Burdigalensi. Inter has duas* Διαστροφὰς, *& alias item longe moderatiores consistit verus & emendatus Francismus; quamquam periti negant, illam Puritatem in vulgo esse, sed in illis tantum, qui Negocia graviora tractant, & aut in Aula versantur, aut Caussas agunt apud Tribunalia Regni. Idiotismus* Tectosagicus *latissime patet. Ejus duæ sunt summæ differentiæ: altera continetur in Vetere Aquitania Cæsaris, hoc est intra Garumnam, Pyrenæos & Oceanum Aquitanicum. Hic Idiotismus proprie dicitur* Vasconismus, *multum à reliqua Parte Tectosagici Idiotismi discrepans; adeo ut neque Commercium quotidianum, neque Vicinitas, neque Flumina Pontibus juncta illam differentiam tollere potuerint.* (De *Vasconismo* vel Novempopulanorum Lingua etiam consulenda moneo, quæ idem Scaliger scribit Auson. Lect. lib. I I. cap. VII.) *Reliquæ partis, quæ citra Garumnam in usu est, etiam multæ sunt Differentiæ: in quibus* Lemovicismus *&* Petrocorismus *à reliquis Idiomatibus valde alienus est. Denique in Tota Europa non invenies in tantis angustijs Finium tot Discrepantias Dialectorum. Atque hæc est* Romanensis *Idiomatis Gallicani summa Divisio. Nam omnis Francorum Veterum ditio, hoc est Gallia, Finibus Romanorum circumscripta Reno, Oceano, Pyrenæis, Alpibus & mari Mediterraneo, jamdudum, quum Francorum Opes vigerent, in duas partes divisa fuit in* Franciam Tiotiscam *vel* Tioscam, *id est* Teutonicam & Franciam Romanam. Francia Romana *incipit à Finibus Flandrorum: cujus meminit Luitprandus:* Quumque, *inquit,* Burgundiorum Regna transiens Franciam, quam *Romanam* dicunt, ingredi vellet. *Nimirum* Franciam Romanam *vocat, quæ* Romanensi *Lingua loquitur, ut distingueret ab ea, quæ* Tiotismo *seu* Teutonismo *utitur, quæ Flandros, Brabantos, Hollandos, Treveros, Colonienses, & alios Ripenses Germanos continet. Rursus præter* Romanensem *Linguam duæ sunt in Regno Franciæ, quæ nullam Cognationem, neque inter se neque cum* Romanensi *habent,* Aremoricus Britonismus *&* Cantabrica Dialectus, *quam* Basculorum Linguam *vocant.* Britonismus Aremoricus *est idem, cum eo, qui in Cornuwallia Angliæ in usu est. Nam Aremorici & Anglicani sine interventu interpretis inter se negociantur, & alter alterum intelligit; quamquam*

Magni Scaligeri Iudicium de hodiernis Francorum Linguis.

Francicus Idiotismus.

Francici species: *Walonismus.*

Pictonismus.

Tectosagicus Idiotismus.

Tectosagici species *Vasconismus,*

Lemovicismus, Petrocorismus.

Francia *Romana.*

Francia *Tiotisca.*

Britonismus Aremoricus.

Propagines Aremoricæ *à Matrice* Anglicana *multum degenerare iamdudum cœperint. In tribus Diœcesibus Aremoricanis, Curosopitensi, Leonensi, & Trecoriensi nulla alia Lingua in usu est, præter* Britonismum : *In Nannetensi, Venetensi, & Briocensi utraque Dialectus locum habet,* Romanismus *&* Britonismus.

Cantabrismus. Cantabrismus *incipit à Suburbicarijs Partibus Baionæ Lapurdensium, & itinere sex aut septem dierum in intima Montana Hispaniæ extenditur. Galli omnes, qui ea Lingua utuntur, vocant* Bascos, *vel* Basculos. *Hispani Regionem, in qua illa Dialectus locum habet, generali nomine* Bascuença *vocant. Nihil barbari, aut stridoris, aut anhelitus habet. Lenissima est & suauissima: estque sine dubio vetustissima, & ante tempora Romanorum illis Finibus in usu erat.* Hactenus de Francorum suorum Linguis Vir Nobilissimus, quo in his talibus nemo solertior: omnium in huiusmodi Palæstris industriam longe superans. Linguæ nunc Francicæ Specimen adscribam Puræ, quam dixi, & emendatæ.

Psalmus Regis Prophetæque Davidis VI.

Psalmus Davidis VI. Francice.

FRANCICE.	LATINE.
SEIGNEVR, ne me repren point en ton ire, & ne me chastie point en ta fureur.	DOMINE *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*
Seigneur, aye merci de moi, car c'est faict de moy: gueri moy Seigneur, car mes os sont estonnez.	*Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, nam ossa mea sunt conturbata.*
Mon Ame aussi est grandement troublee. mais toy Seigneur, jusques à quand?	*Et anima mea turbata est valde. sed tu Domine usquequo?*
Seigneur retourne toy, & delivre mon Ame, & me sauve pour l'amour de ta bonté.	*Convertere Domine, & eripe Animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam.*
Car il n'est faict nulle mention de toy en la mort, qui est ce qui te louera au sepulcre?	*Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in Inferno autem quis confitebitur tibi?*
I'ay ahanné en mon gemissement: je baigne ma couche toutes les nuicts, & trempe mon lict de mes larmes.	*Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*
Mon œil est esbloui de despit; & est envielli entre tous ceux qui me travaillent.	*Turbatus est à furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.*
Retirez vous de moy vous tous ouvriers d'iniquité: Car le Seigneur ha-ouy la voix de mon pleur.	*Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.*
Le Seigneur ha-ouy ma priere : le Seigneur recevra mon oraison.	*Exaudivit Dominus deprecationem meam : Dominus Orationem meam suscepit.*
Tous mes ennemis seront confuz & troublez grandement: ilz s'en retourneront & seront confuz en un moment.	*Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei; convertantur & erubescant valde velociter.*

Oratio

Oratio Dominica.

FRANCICE.	LATINE.
NOSTRE Pere, qui es cieux, Ton Nom soit sanctifié:	*PATER Noster, qui es in Cœlis, Sanctificetur Nomen tuum.*
Ton Regne advienne:	*Veniat regnum tuum.*
Ta volonté soit faicte en la Terre comme au Ciel.	*Fiat voluntas tua in Terra, quemadmodum in Cælo.*
Donne nous aujourd'huy nostre pain quotidien.	*Da nobis hodie nostrum Panem quotidianum.*
Pardonne nous nos Offenses; comme nous pardonnons à ceux, qui nous ont offensez.	*Remitte nobis Debita nostra, sicut nos remittimus nostris Debitoribus.*
Et ne nous induy point en Tentation; mais delivre nous du Mal. Amen.	*Et ne nos inducas in Tentationem: sed libera nos à malo. Amen.*

Oratio Dominica Francice.

Si jam singularum Romanensis Linguæ Dialectorum, quarum antea facta mentio, *Walonismi, Pictonismi, Vasconismi, Lemovicismi, & Petrocorismi* specimina [illegible] hic, alijsque locis aliarum, essent adscribenda; in immensum sensim [illegible] ret Volumen. Temperandum. Quum verò monuerim *Britonismum & Can[illegible]*, in Gallijs etiam usurpatos, ab Francica Romanensi Lingua prorsus esse alienos, nihilque cum ea habere commune; meum institutum suo quasi jure post[illegible] videtur, ut Vtriusque Exemplar adponam. Prioris quidem in Oratione Dominica quemadmodum aliorum solet, & Symbolo Apostolico, ut ea mihi ab Nobilissimo Viro Iosepho Scaligero sunt communicata: Posterioris autem in Symbolo, quod idem mihi transmisit Scaliger, solo; quum Oratio istius Idiomatis Dominica locum acceperit lib. II cap. VIII, ubi de *Cantabrica* apud Hispanos Lingua. Hoc obiter dicendum, me Orationem quoque Dominicam adscripturum istius *Britonismi*, cujus usus hodie apud Cambrobritannos vel Cymbræcos in Anglia: ut, quod hodie inter utrumque discrimen, ex commissione Lector cognoscat:

Oratio Dominica,

BRITANNICE apud Aremoricos in Galliis.	BRITANNICE apud Cambrobritannos in Anglia.	LATINE.
HO[illegible] tad pebudij son en esaou,	EIN tâd yr hvvn ydvvyt yn y nefoedd,	*PATER noster, qui es in Cœlis,*
Da hanou bezet sanctifiet.	Sancteiddier dy envv.	*Sanctificetur nomen tuum.*
Devet aornomp da rouantelaez.	Deled dy deyrnas.	*Veniat regnum tuum.*
Da eol bezet graet en douar, eual maz eou en euf.	Bydded dy evvyllys ar yddaiar, megis yn y nefoedd.	*Fiat voluntas tua in terra, quemadmodum in Cælo.*
Ró dimp hyziou hon bara pemdeziec.	Dyro i ni heddyvv ein bara beunyddiol.	*Da nobis hodie panem nostrum quotidianum.*
Pardon dimp hon pechedou, eual ma pardonomp da nep pegant ezomp offanczet.	A maddeu di i ni ein dyledion, fel y maddeuom ninnau i'n dyled-vvyr.	*Remitte nobis debita nostra, sicut nos remittimus debitoribus nostris.*
Ha nas dilaes-quet a hanomp en temptation; hoguen hon diliur dyouz drouc.	Ac nac arvvain ni i brofedigaeth; eithr gvvaret ni rhag drvvg.	*Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo.*
Rac dit ez aparchant an rouantelaez an gloar, hac an galhout da bizauyquen, Amen.	Canys eiddott ti yvv'r deyrnas, a'r nerth, a'r gogoni ant yn oes oesoedd, Amen.	*Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula, Amen.*

Oratio Dominica Britannice cum in Gallijs, tû in Anglia.

In *Aremorici* exempla non pauca audimus, quæ ab Romanensi Francorum Idiomate sunt mutuata; in *Cambrobritannici* autem, quæ ab Anglicano: adeo nulla fere est (quod semel dicendum sæpe parebit) Lingua, quæ non ab vicinis & confinalibus, mutui Commercij beneficio & ope sibi quærat auctum & incrementum. Docet idipsum Symbolum Apostolicum, quo utuntur Britones Aremorici;

Symbolum Apostolicum.

Symbolum Apostolicum Britannice in Gallijs.

BRITANNICE apud Aremoricos.

MEA creet en doue ad tad hollgalloudec, Crouer an euf, hac an douar: hac e Iesu Christ e map unic hou aoutro: Pehuny son conceuet dre an speret glan: ha ganet eux an guerches Mary en deueux, gonzauet dydan Pócz Pilat, crucifiet, marou, ha sebelyet: so bezet disquennet dan yfernou: an trede deiz ez eou dazsorchet a marou: hac ez eou pignet en esaou: hac asezet en tu de hou da doue an tad hollgalloudec. A hane e deuhy da barn an beou, hac an marou. Mea cret en speret glan; en ylys universal; communion an sent; Remission an pechedou; dazsorchen an quyc; hac an buhez æternal.

LATINE.

CREDO *in* DEVM *patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ; Et in* IESVM CHRISTVM, *Filium ejus unicum, Dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu Sancto: natus ex Maria Virgine; Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus: Descendit ad Inferos: tertia die resurrexit à mortuis: ascendit in Cælum: Sedet ad dextram* DEI *Patris omnipotentis: Et inde venturus ad judicandum vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, Ecclesiam universalem; Communionem Sanctorum, Remissionem Peccatorum; carnis resurrectionem: Et vitam æternam.*

Sequitur iam *Cantabrismi* ϖαϱάδιγμα.

Symbolum Apostolicum.

Symbolum Apostolicum Cantabrice.

CANTABRICE.

SINHESTEN dut Iainco Aita bothere gucitaco cervaren, eta lurraren creaçalea baithan. Eta IESVS CHRIST haren seme bakoitz gure Iauna baithan: ocein concebitu içan baita Spiritu saindu aganic: Sortu Maria virginaganic: Pontio Pilateren az pian passionatu, crucifiatu, hil eta ohortze: Iautsi içan da iffernetuara: Hereneco egunean resuscitatu icanda hiletaric: Igan içan da ceruëtera: Iarria da Iainco Aita bothere-gucitacoaren escuinean: Handic ethorteco da vicien eta hilén iugeatzera.

LATINE.

CREDO *in* DEVM *patrem omnipotentem, Creatorem Cæli & Terræ. Et in* IESVM CHRISTVM *Filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu Sancto: Natus ex Maria Virgine: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus: Descendit ad inferos: tertia die resurrexit ex mortuis: ascendit in cælum: sedet ad dexteram* DEI *Patris omnipotentis: Inde venturus ad iudicandum vivos & mortuos.*

Sin-

Sinheſten dut Spiritu Saindua baithan: Sinheſten dut Elica ſaindu Catholicoa: Sainduen communionea: Bekatuén barkamendua; Haraguiaren reſurrectionea; Vicitze eternala. Amen.	Credo *in Spiritum Sanctum: Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam; Sanctorum communionem; Remiſſionem Peccatorum; Carnis reſurrectionem; Vitam æternam. Amen.*

Et hic, qui Francicam novit Linguam, multas ejus audit Voces ad Cantabriſmum inflexas.

Cap. XVI.

Gubernatio Galliarum Priſca tam in Sacris, quam Profanis.

SED de Moribus Linguiſque Gallorum hactenus; flagitat ordo, ut Gubernationem, cum quæ olim in rebus & Sacris & Profanis fuerit, tum quæ hodie eſt utrimque, explicemus.

Fuit Galliæ, ſaltem Comatæ, quum in eam C. Iulius Cæſar veniret, Reſpublica, genere ipſo Timocratica, Romanæ Libertatis multis partibus ſimillima. Cæſar lib. VI. de Bello Gallico, duo Magiſtratus apud Veteres Gallos genera proponit; alterum Divinis, alterum Humanis & Civilibus Rebus præpoſitum. Divinis præfecti erant Druides, de quibus abunde cap. XI: ubi, præeunte verba Cæſare, didicimus eos Sacrificijs peragundis, Controverſijs audiundis decidendiſque, Artibus denique & Scientijs publice explicandis inluſtrandiſque præfuiſſe, haſque ob res maxima ijs ſtatuta fuiſſe Præmia, Privilegia, & quaſi Minervalia, ingentemque eiſdem ab omnibus honorem haberi ſolitum.

Reſp. Veterũ Gallorum Timocratica.

Magiſtratus Sacris Præfecti Druides.

In Druidibus igitur prius erat Magiſtratus veteris Gallicæ Reip. membrum: ſecundum Principum genus, ſecunduſque Reip. gradus erat in Equitibus; unde belli gerendi Principes à Populo pro ipſius arbitrio commodoque deligebantur; ac, ſi contra facerent, abdicare cogebantur. Cæſar, qui ſæpe hic laudandus, lib. VI; *In Gallia*, inquit, *non ſolum in omnibus Civitatibus, atque in omnibus Pagis Partibuſque, ſed pene etiam in ſingulis Domibus Factiones ſunt, earumque Factionum Principes ſunt, qui ſummam auctoritatem eorum judicio habere exiſtimantur, quorum ad arbitrium judiciumque Summa omnium rerum Conſiliorumque redeat. Id ejus rei cauſa antiquitus inſtitutum videtur, ne quis ex Plebe contra Potentiorem auxilij egeret. Suos enim quiſque opprimi & circumveniri non patitur; neque, aliter ſi faciat, ullam inter ſuos habet auctoritatem: hæc eadem ratio eſt in ſumma totius Galliæ.* Sic Cæſar: qui ſatis clare docet Statum Reip. Veterum Gallorum Timocraticum fuiſſe. Iterum Cæſar: *Tanta Galliæ libertas fuit, ut in ſingulis Civitatibus, ſingulis etiam Pagis, ac pene etiam Domibus ſuæ Factiones eſſent: tam libera nempe Suffragiorum ac ſtudiorum cuique poteſtas erat, ut vel infimis libere ac ſine ullo metu Sententiæ dicendæ Suffragijque ferendi facultas eſſet.* Electores igitur Magiſtratuum Gallicorum tales erant: unde intelligimus etiam Plebis in Rep. permagnam fuiſſe auctoritatem; quum Populi ſuffragijs Magiſtratus inſtituerentur. Singularis autem, an multiplex Principatus hic eſſet, quove tempore diffinitus, Cæſar non addit: aperit utrumque Strabo lib. IX: Α'ρισοκρατικαὶ δ᾽ ἦσαν αἱ πλείους τῶν Πολιτειῶν· ἕνα δ᾽ ἡγεμόνα ᾑροῦντο κατ᾽ ἐνιαυτὸν τὸ παλαιόν· ὡς δ᾽ αὕτως εἰς πόλεμον εἷς ὑπὸ τοῦ πλήθους ἀπεδείκνυτο στρατηγός. Strabonis hæc illuſtriora faciunt Exempla, cum Commune totius Galliæ, quod de lecto Vercingetorige deſcribitur ab Cæſare lib. VII, tum Singularia, quæ ſuis à me ponentur locis, de Maſſilienſibus, origine tamen Græcis; item de Belgis, Aremoricis Civitatibus in Celtica, & Aquitanis: ſpecialius denique de Heduis, Arvernis, Senonibus, Pariſijs, Carnutibus, Remis, Sueſſonibus, Bellovacis, Nervijs, Atrebatibus, Eburonibus, Morinis, Treviris & Sontiatibus. Hoc ad Veterum Gallorum laudem magnopere pertinet, quod Puerorum Imperia ferre non poſſent, & Principes requirerent conſtantes. Probat prius Trebellius Pollio in Vita Poſtumi II Triginta Tyrannorum: *Hic vir, in Bello fortiſſimus, in Pace conſtantiſſimus, in omni Vita gravis; uſque adeo, ut Saloninum filium ſuum eidem Gallienus in Gallia poſitum crederet, quaſi cuſtodi Vitæ*

Magiſtratus rebus Politicis præfecti. ex Equitibus.

Electio Magiſtratuum penes populum.

Magiſtratus annuus & unicus;

Viris conſtantibus commiſſi ſolitus.

Vitæ & Morum & Artium Imperialium Institutori. Sed, quamtum plerique adserunt (quod ejus non convenit moribus) postea fidem fregit: &, occiso Salonino, sumpsit Imperium: ut autem verius plerique tradiderunt, quum Galli vehementissime Gallienum odissent, Puerum autem apud se imperare ferre non possent, eum, qui commissum regebat Imperium, Imperatorem appellarunt, missisque militibus Adolescentem interfecerunt. Utrumque autem Flavius Vopiscus in Caro: *Et dicitur quidem*, ait, *sæpe dixisse se miserum, quod Carinum ad Gallias Principem mitteret; neque illa ætas esset Numeriani, ut illi Gallicanum, quod maxime constantem Principem quæreret, crederetur Imperium.* Ad continuandam autem Gallorum Veterum Timocratiam, de Equitibus, quorum antea memini, sic pergit Cæsar: *Atque Equites, quum est usus atque aliquod bellum incidit, omnes in bello versantur, atque eorum ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se Ambactos Clientesque habet: hanc unam gratiam potentiamque noverunt. Ambacti*, ut antea dixi, obærati erant, ideoque in servitutem Equitibus ipsis addicti. *Clientibus* autem, ut est libro VII, nefas erat vel in extrema fortuna deserere Patronos. Sed de Timocratico Veteris Galliæ Magisterio Principatuque satis: quem cum Toti, tum singulis Partibus salvum stetisse docent Historiæ, donec in potestatem Romanorum Galli (de ijs loquor hic, qui Romanis erant Trans-Alpini,) fuerunt redacti: quod his quasi gradibus factum.

Romani in Gallias Principatum tenent.

M. Plautio Hypsæo & M. Fulvio Flacco Coss. ab v. c. IↃCXXVIII primum cum Gallis trans Alpes dimicatum est. Auctores belli fuerunt Salves, quum Massiliensium, Sociorum Populi Romani, fines invasissent. Salybus accesserunt Arverni, Ruteni & Allobroges; quibus quadriennij spatio subactis Bellum finitum est, quod a Principe facile populo *Allobrogicum* est appellatum. Res deinde adversus eosdem prospere, Bituito etiam Hostium rege capto, gesserunt Imperatores Romani, M. Fulvius Flaccus anno IↃCXXIX, C. Sextius Calvinus anno IↃCXXX, & seq. Cn. Domitius Ahenobarbus anno IↃCXXXII. & Q. Fabius Maximus, qui postea Allobrogicus dictus est, anno IↃCXXXIII; de quorum rebus gestis & triumphis legendi Florus lib. III. histor. Romanæ, cap. II, & in Epitom. LX, Strabo lib. IV. Orosius lib. V. cap. XVI, Plinius lib. VII. nat. hist. cap. XXV, Appianus in Celtico, Velleius Paterculus vol. II, Ammianus Marcellinus lib. XV, Cæsar lib. I. de Bello Gallic. Eutropius lib. V, Iustinus lib. XXXVII, & alij. Sic eo bello Gallia Narbonensis in Provinciæ formam fuit redacta, atque, ut quotannis in eam Prætores mitterentur, institutum. Videndus Auctor l. 2. D. de orig. juris; legendaque Critognati Arverni apud Cæsarem Oratio lib. VII, qui de hac Narbonensi Gallia sic inter alia: *Quod si ea, quæ in longinquis Regionibus geruntur, ignoratis; respicite finitimam Galliam, quæ in Provinciam redacta, Iure & Legibus commutatis, securibus subjecta, perpetua premitur servitute.* Post Allobrogicum aliquot Romani Duces de ijsdem Gallis, & præsertim Alpinis, tumultuantibus & victis triumpharunt. Postremo eam C. Marius ab impetu Cimbrorum Teutonorumque (qui ex veteri Germania, cujus erant, ut alibi doceo, Populi, in extremas ad Oceanum Belgicæ Galliæ, ubi nunc Flandria, terras quondam transgressi, indeque facta in penitiorem Galliam irruptione, adjunctis sibi Ambronibus & Tigurinis, Gallicis Nationibus, per Narbonensem Provinciam & Alpes Cottias Italiam occupare, Romanumque Imperium concutere statuerant: qua de re Plutarch. in Mario, & alij) quarto Consulatu, anno ab v. c. DCLII egregie defendit; atque, Cimbris, reliquisque, cum alibi, tum ad Aquas Sextias cæsis, pacem & quietem ejus conservavit. C. Pontinius Allobroges etiam tumultuantes compescuit, deque ijs triumphavit anno v. c. IↃCXCIX.

Narbonensis Gallia in Provinciæ formam redacta.

Quam postremo Provinciam quum Cæsar L. Calpurnio Pisone & A. Gabinio Coss. anno ab v. c. IↃCXCV obtinuisset, efferis & fortissimis Gentibus varie lacessitis, novem annis, quibus in Imperio fuit, omnem Galliam, quæ à Saltu Pyrenæo, Alpibus, & monte Gebenna, fluminibusque Reno & Rodano continetur, patetque circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socias ac bene meritas Civitates, in Provinciæ formam redegit; eique in singulos annos Stipendij nomen imposuit. De quibus omnibus plene ipse Cæsar, sive qui alius Auctor habendus, in Ephemeridum libris VII. Suetonius & Plutarchus in ejus Vita varijs locis, Florus lib. III. cap. X. & Epitom. CIII & seqq. Appianus in Celtico, Lucanus lib. I belli Pharsalici, Eutropius, Orosius, & alij. Paucis, quæ dixi, Velleius: *Gallias*, inquit,

Tota Gallia subacta.

quit, primum Domitio & Fabio nepoti Paulli, qui Allobrogicus appellatus est. intratas cum exercitu, magna mox clade nostra sæpe & adfectavimus & amisimus: sed fulgentissimum C. Cæsaris opus in his conspicitur: quippe ejus ductu auspicijsque infractæ pene, idem, quod totus Terrarum orbis, ignavum conferunt Stipendium. Ammianus Marcellinus lib. xv. *Hæ Regiones, præcipue quæ confines Italicis, paullatim levius odere sub Imperium venire Romanum: primo tentatæ per Fulvium, deinde prælijs parvis quassatæ per Sextium, ad ultimum per Fabium Maximum domitæ, cui negocij plenus effectus, asperiore Allobrogum gente devicta, hoc indidit cognomentum. Nam omnes Gallias, nisi quæ Paludibus inviæ fuere, ut Sallustio docetur auctore, post Decennalis Belli mutuas clades Cæsar Societati nostræ fœderibus junxit æternis.* Rufus denique, *Ceterum Cæsar*, ait, *cum decem Legionibus Gallias per annos novem subegit; cum Gallis* (*Germanis* legendum) *ultra Renum positis conflixit: ab Alpibus Britanniam usque transivit; decimo anno Gallias & Britannias tributarias fecit.*

Manserunt sub Romanorum Imperio Galliæ ad principatum usque Honorij: quo tempore natus exitio Imperij Romani Stilico, ut Filio suo Rerum omnium gubernacula compararet, cum alia patravit scelera, tum Vandalos, Suevos, Alanos & Burgundiones, ut Gallias invaderent, solicitavit. Qui quum ingenti multitudine, Arcadio VI & Probo Coss, anno Christi CCCCVI, Reno trajecto, pridie Kalendas Ianuarij Gallias Crosco Duce ingressi essent, omnia ferro, flammis, vi & rapinis subverterunt; Episcopos plurimos, aliosque Sacerdotes obtruncarunt, nihilque reliquerunt, quod non impietate sua defœdarint. Dum hæc ibi gerebantur, Halarichus Gothorum Rex, ab Expeditione Hunnica reversus, Gallias Vandalorum ceterorumque furori expositas ab Imperatore Honorio obtinuit: verum iniurijs atque impotentia Stiliconis exstimulatus, Gallijs insuperhabitis, Italiam omnem, Urbe capta, vastavit.

Vandali. Suevi, Alani, Burgundi in Gallia dominantur.

Visigothi.

Hujus Successor Athaulphus, Gallicanam Militiam aggressus, Vandalos & Suevos magnis prælijs superatos ex Gallijs emovit: qui per Pyrenæos montes in Hispaniam migrantes, eam omnem armis obtinuerunt, ut lib. II. dixi. Post Athaulphum Vise-Gothorum Rex in Gallijs fuit Sigericus: Hunc sequutus est Vallia; qui, Pace cum Honorio Imperatore facta, Gallias omnes Romanis restituit; Aquitania tantum, in qua Gothi habitarent, perpetuoque contra Vandalos aliosque, qui nuperrime in Hispaniam irruperant, communes hostes, excubarent, obtenta: ubi, lecta in Urbe primaria suo Principatui Sede, Successores habuit multos, *Tolosæ Reges* nominatos; ut postea in Languedociæ delineatione plenius indicabo.

Rebus porro Galliarum ita compositis, haud multo post Hunni, Atila Duce, qui Occidentis Imperium adfectabat, Gallias hostiliter ingressi, omnia indignissimis modis protriverunt. Missus Galliarum præsidio Aëtius, adjuvantibus Theodorico Vise-Gothorum & Meroveo Francorum Regibus, Atilam memorabili prælio in Campis Catalaunicis vicit; eoque fugato, Gallias omnes liberavit.

Hunni.

Non longo post tempore Aëtius Patricius, cujus Virtute Occidentis Imperium hactenus conservatum fuerat, ab Valentiniano Imperatore occisus est, cum cujus morte etiam Imperium concidit. Nam ejus cæde cognita, Barbari, qui Virtutem ipsius veriti intra suos fines quieverant, undique excitari cœperunt. Hunni, reparatis viribus, Italiam invaserunt; Franci, Sugambrorum ad Renum proles, & Burgundiones Gallias, quæ Renum versus sunt; Gothi eas Galliarum partes, quæ Aquitaniæ propinquæ erant, occuparunt; atque ita Romanorum brevi in Gallijs defecit Imperium. Mortuo Valentiniano, quum Imperij Romani dignitas ita periisset, ut omnia in Barbarorum potestate & ditione jam essent, Gothi & Franci cum Burgundionibus bello inter se decertare cœperunt. Gothi ab Francis ex Gallia profligati Hispanias occuparunt: Vandali, qui ab Gothis ex Hispania exturbati in Africam transierant, Karthagine capta, totam Provinciam Romanis eripuerunt: Franci & Burgundiones Gallias in deditionem redactas diviserunt; ut Burgundiones propinquas Reno Regiones tenerent, Franci vero interiorem Galliam. Omnes tandem Gallias ijdem pacifice obtinuerunt sub Rege Hlodoveo, qui primus omnium totius Galliæ Monarcha est factus, primusque Christi nomen professus, ea, quibus in hodiernum usque diem Francorum Reges utuntur, Trium Liliorum Insignia, cœlitus, ut volunt, accepta usurpavit. Regnasse post eum scribuntur Successione nunc directa, nunc collaterali, Childericus, Hlotairus I, Cherebertus, Childe-

Franci & Burgundiones Gallias occupatas inter se partiuntur.

Merovea Stirps Reges dat Gallijs.

Childericus II, Hlotarius II, Dagobertus Magnus, Hlodoveus II, Hlotarius III, Childericus III, Theodoricus I, Hlodoveus III, Childebertus II, Dagobertus II, Hlotarius IV, Chilpericus I, Theodoricus II, Chilpericus II. Hic anno Regni XI, Christi vero IↃCCLI, auctoritate & jussu Zachariæ Pontificis. cui Pipinus vituperabilem & probrosam Regis vitam, transmisso libello, depinxerat, Regni Iure privatus ad Monachatum est coactus. In locum ejus factus est Accusator ipsius Pipinus Karoli Martelli F. Pipini N. Brevis cognomine, ex Præfecto & Majore-Domus. Hunc sequuti commemorantur Karolus Magnus, Ludovicus Pius, Karolus Calvus, Ludovicus III Balbus, Ludovicus IV & Karolomannus, Karolus Crassus, Odo, Karolus Simplex, Rudolphus Burgundio, Lotharius V, & Ludovicus V, ultimus ex Karoli Magni posteritate; quo veneno necato, habenæ Regni translatæ sunt ad Hugonem Capetum, Primum Gallum, Comitem Parisiensem, Ducemque Francorum & Burgundiæ titulo-tenus. Capeto successerunt Robertus Pius, Henricus I, Philippus I, Ludovicus VI Crassus, Ludovicus VII Iunior, Philippus II Adeodatus Augustus, Ludovicus VIII, Divus Ludovicus IX, Philippus III, Philippus IV Pulcher, Ludovicus X Hutinus, Philippus V Longus, Karolus IV Pulcher: cui sine prole mascula defuncto suffectus est Philippus VI Valesius, Karoli Valesiorum Comitis I filius. Sequuti hunc Ioannes Valesius, Karolus V Sapiens; Karolus VI Bene-natus. Karolus VII, Ludovicus XI, Karolus VIII Gibbosus, Ludovicus XII Karoli Aureliani F. Franciscus Valesius I Karoli Comitis Angolismensis F. Henricus II Valesius, Franciscus II, Karolus IX, Henricus III: cui Iacobitæ Monachi manu obtruncato legitimus pronunciatus est Successor Henricus IV Borbonius, Antonij Borbonij Ducis Vindocinensis F. Rex Navarræ: cujus hi sunt nuperi Majores:

[Margin notes:] nox X re- una. — Capetina de- tinet. — hinc Valesiorum Stemma ex Capetina Stirpe. — hodie Borbonium, item ex Capetina gente.

HENRICI IV

GALLIARVM REGIS POTENTISSIMI

MAIORES NVPERI.

Maximi Principis Proavi Proaviæque.							
FRANCISCVS Borbonius, Ioan. F. Ludouici N. Vindocini Comes III. Obiit .·.·.	MARIA Leuceburgica, Petri Leuceburgij Fani D. Paulli, &c. Comitis, Connestabilis Franciæ F. Ludouici itidem Connestabil. N. Obiit .·.·.	RENATVS Valesius, Ioannis II F. Ioannis I N. Dux Alençonius. Obiit .·.·.	MARGARITA Vaudimontia, Frideric Comit. Vaudimontii F. Antonii Ferrei N. Obiit .·.·.	IOANNES Alani F. .·.·.·. N. Dynasta Albretanus. Obiit .·.·.	KATHARINA Borbonia, Gastonis Comitis Bearni, Foxij, &c. F. Gastonis, qui duxerat Leonoram Navarræ Reginam, N. Obiit .·.·.·.	KAROLVS Valesius, Ioannis Comitis Angolismorum F. Ludouici XII Franciæ Regis N. Rex Franciæ. Obiit CIↃCCCC XLIV.	LVDOVICA Sabauda, Philippi Bengiaci Comitis, & Bressæ Domini Sabaudiæ Duces F. Ludouici N. Obiit CIↃIↃ XXXII

Avi, Aviæque,				
	KAROLVS Borbonius, Dux Vindocinensis Primus. Obiit .·.·.	FRANCISCA Valesia Obiit .·.·.·.	HENRICVS Albretanus, Rex Navarræ, Comes Bearnii, Foxii, Bigorræ, &c. Obiit CIↃIↃ LV.	MARGARITA Valesia Soror germana Francisci I Francorum Regis Obiit CIↃIↃ XLI[illegible]

Pater, Mater.		
	ANTONIVS Borbonius, Dux Vindocinensis, Franciæ Par. Obiit CIↃIↃ LXII.	IOANNA Albretana, Navarræ Regina. Obiit CIↃIↃ LXXII.

HENRICVS

GALLIARVM REX CHRISTIANISSIMVS.

CAPVT

Cap. XVII.

Hodierna Galliarum in Politicis Gubernatio.

PRISCAM Galliarum Gubernationem cum in Sacris, tum in Profanis delineavi, Regesque variarum Stirpium ad eum deduxi, qui Francis nostra tempestate summo præest Imperio: pertexenda jam porro succedit Hodierni in Politicis Ecclesiasticisque Rebus Principatus Historia.

Status Galliarum, qui quomdam, ut dixi, Timocraticus, hodie Monarchicus est: locusque ibi Regiæ, quæ vetustissima divinissimaque Aristoteli censetur, Gubernationi. *Rex* nascitur, non suffragijs designatur, Sexus Masculini, volente id, ut quidam perhibent, Lege Salica. Ego scio Legem agere de Privato Patrimonio tantum; nec de Feudis, sed de Allodijs, ut Practici loquimur. Regem ita amant, ita colunt, ita venerantur Subditi, ut nihil supra. Penes eundem Rerum omnium est arbitrium. Ius habet & auctoritatem Bellum Hostibus inferendi, Pacemque cum ijs sanciendi; Fœdera cum alijs Principibus Rebusque publicis pangendi; Tributa imperandi; Magistratus creandi; Leges Constitutionesque faciundi; Privilegia dandi; aliaque infinita pro suo nutu agundi: adeo ut quidquid lubet, ei fere liceat; & quidquid dicit, instar sit Legis, modo Æquo Bonoque non repugnet: eo semper laudabilior æstimatus, Suisque carior habitus; quo in Statuum, id est sui Regni Præsulum, Nobilium, Civitatumque, Comitia propensior, inque suggesta ab ijs salutaria omnibus Consilia pronior. De Rege Galliarum duo memoranda tradit Villanovanus: Prius, In Ecclesia Remensi Vas esse, Chrismate perenni redundans, ad Regis unctionem, tempore Hlodovæi V Francorum Principis, cœlitus demissum: Alterum, quod Rex ipse solo contractu strumas sive scrofulas curet.

Galliarum Status hodie Monarchicus. Rex.

Primus Princepsque Familiæ Regis Francorum is, qui Proximus ipsi, Necessariusque futurus Heres. Vocatur ille *Delphinus*: cujus appellationis hæc traditur origo. Humbertus Delphinatium Princeps, ex Filij, quem habebat unicum, morte dolorem tantum conceperat, ut sæpius Monasticæ Vitæ cogitaret Professionem. Quum autem accideret, ut ab Sabaudis bello premeretur, viribus impar, Suis consultum properans, omni Dominatu Philippo cessit; ea Lege, ut Regis Proximus Heres *Delphinus* vocaretur. Alij aliter rem narrant. Curiosius inquirere non mei instituti. Paucula addam ad cap. XXXIIX. Videndi Paulus Æmilius, Nicolaus Gillius, alij. *Delphini* cognomine primus fuit census Karolus V.

Familiam Regis constituunt. Delphinus Franciæ.

Inter Regis porro Ministros primum facile locum tuetur *Magnus Chambellanus* (*Le grand Chambellan*) qui præcipuam Cubiculi Regij curam custodiamque habet. Munus ejus, Regi præsto esse, Sanctiorique Cubiculo præesse, nec non Concilijs publicis cum Alijs Proceribus interesse. *Summum Cubicularium* vel *Cubiculo Præfectum* Latine, vel *Admissionalem* cum Imperio declinante, quis dixerit.

Magnus Chambellanus.

Magnus Magister (*Le grand Maistre*) quotannis cum Principe Instrumentum Ministerij Aulici describit; maximam habens auctoritatem in Ministros Aulicos, ipsosque etiam Oeconomos.

Magnus Magister.

Magnus Scutarius (*Le grand Escuyer*) Regi equum adscensuro, vel ex eo descensuro manum præbet auxiliatricem: Ensem illi Baltheumque Liliatos præferens. Ejusdem curæ incumbit ex Ludovici XI instituto, Cursores Veredarios per Stathmos & Mansiones collocare.

Magnus Scutarius.

Magnus Venator (*Le grand Veneur*) Venatorum cujuscumque generis turmis est Præfectus.

Magnus Venator.

Sunt item; *Prevostus Hospitij*, *Magistri Hospitij*, *Nobiles Servientes*, *Centum Nobiles*, & alij; quibus omnibus suæ sunt decretæ in Familia Regis provinciæ.

Alijque.

Statum Politicum Varij constituunt. Francorum Regibus vel adhuc Pueris, vel in longinquas Regiones Expeditionesque proficiscentibus, vel mente captis, vel denique in Hostium adductis potestatem, adhiberi solet Rector, qui *Regens* vulgo; omnia Regis nomine administrans.

Statum Politicum constituunt. Regens.

Conestabilis. *Magister Equitum* fuit olim in Francia, quem primariæ Nobilitatis, rerumque usu & explorata fide præstantem eligebat sibi Rex; ut cura solutus quieti se daret: *Magister Aulæ* & *Major-Domus* vel *Palatij* etiam appellari solitus. Hic quidquid ad Regni Gubernationem pertinebat, pro suo arbitrio, Regis tamen nomine, gerebat. Tales primis temporibus fuerunt Ebroinus, Metellus, Pipinus. Nomen Regibus lapsu temporis invisum & odiosum, lega late, sustulit Ludovicus XI, cavitque, ne in posterum ullus *Magister* diceretur *Equitum*. Instituto Vetere renovato *Magistrum Equitum* creavit Ioannem Borbonij Ducem Carolus VIII. Ornavit eodem honore Franciscus I Karolum Borbonium; eoque ad Cæsaris partes transgressio, Annam Mommorancium.

Duodecim-Viri, vel Pares Franciæ. Duodecim-Virorum Collegium Karoli Magni est institutum. Alij ab ovo Trojano repetunt. *Pares* (*Les Pairs de France*) dicti, quod proxima secundum Regem & velut pari essent dignitate. His solis sacrandi Reges jus est, & in Regni possessionem mittendi. Horum sex vulgo *Laici*; reliqui dicuntur *Ecclesiastici*, vel *Clerici*.

PARES FRANCIÆ

Laici,		Ecclesiastici,	
Duces:	Comites:	Duces:	Comites:
Burgundus,	*Flander*,	*Remensis*, Archiepisc.	*Catalaunensis*, } Episc.
Normannus,	*Campanus*,	*Laudunensis*, } Episc.	*Noviomagensis*, } Episc.
Aquitanus.	*Tolosas*.	*Lingonensis*. } Episc.	*Belovacensis*. } Episc.

Remensis, qui inter Ecclesiasticos Primus, Reges inungendi sunt partes. Laici esse desierunt: adjectis Imperio Francico ipsorum Principatibus. Flandriam, post captum ad Ticinum Regem Franciscum, Karolus V Imperator Francorum Ditioni & Provocationibus, quæ ad Curiam Parisiensem deferebantur, exemit. In Remensibus nihilominus Sacris peragundis ab Rege diliguntur, qui ipsorum Ducum Comitumque vices subeant.

Marescbali. Sunt & *Quatuor-Viri*, Tribuni seu Præfecti Militum, ad quos post Equitum Magistrum Rei Militaris summa refertur. *Mareschali* nominantur, quasi Equorum Præfecti. *Maer* antiqua voce *Equus*; *Schalck Minister*, vel *Artis suæ peritus*. Ineptum cum Ioanne Aventino putare, *Maerschalckos* dici, quasi *Marosalcos*, id est, *Majores in Sala vel Aula*.

Hamiralus. *Hamiralus* (*Ammir*, Arabibus *Rex* seu *Imperator*; ἅλς, *Mare* Græcis) Maris Præfectus, Thalassiarchus. Huic totius Belli maritimi concreditur provincia; Portuumque, Triremium & Navalium procuratio; totius denique Rei Maritimæ disceptatio. Decimam habet Prædæ Manubiarumque partem. Vnus plerumque Munus hoc obit. Leguntur etiam plures uno tempore fuisse; Vnus, qui Aquitanico; Alter, qui Britannico; Tertius, qui Francico præesset Mari.

Equites Ordinis, cum D. Michaelis, & S. Spiritus, & D. Odoeni. *Equites Ordinis* (*Chevaliers de l'Ordre*) *D. Michaelis* instituit Ludovicus XI anno Christi CIƆ CCCCLXIX Kalendis Augusti. Fuit initio Cohors XXXVI Procerum. Gestant quotidie Conchyliatum Torquem ducentorum Aureorum; quem alteri donare, vendere, oppignerare nefas. Fratres se mutuo appellant. Sui sunt Ordini Cancellarius, Thesaurarius, Caduceator, Scriba. Quibus cognomen ab *S. Spiritu* Parentem agnoscunt Henricum II, tempusque nativitatis suæ referunt ad Kalendas Ianuarias anni CIƆ IƆ LXXIX; ijsdem fere utentes Legibus & Cerimonijs. Collegijs hisce simile jam instituerat Ioannes Rex, cui qui nomen dederant Stellam in Penula vel Pileo gestabant, & *Sodales* dicebantur *Nobilis Domus Divi Odoeni*.

Locum-Tenentes Regij. *Locum-Tenentes* (*Lieutenants*) *Regij* vocantur, per quos, tamquam Legatos, Bella gerere; quosque locis in potestatem redactis, ut sint Pro-Rege Victosque in officio contineant, imponere consueverunt.

Gubernatores. *Gubernatores* (*Gouverneurs*) *Regionum* sunt, qui, occupato varijs negotijs Rege, in Regni limitibus ad ipsius custodiam excubant.

Magnus

Magnus Artillariæ Magister (*grand Maistre de l'Artillerie*) is, qui æneis Tormentis præfectus; cujusque curæ & fidei Machinæ Bellicæ, quæque ad eas pertinent, in prælio & alibi committuntur. *Armamentarij Tribunos* vel *Rei Machinariæ Præfectos* Latine quis dixerit. *Magnus Artillariæ Magister.*

Heraldi (*Heraults*, voce Germanica *Her-aut*, vel *Her-out*, quasi *Senex in armis*, *Veteranus*) per quos Bella indicuntur vel finiuntur: *Caduceatores* & *Feciales* (quibus præerat *Pater-Patratus*) Latinis. Nomen sortiuntur ab Regionibus, quibus adscripti, veluti Normannia, Aquitania, alijs. *Heraldi.*

Atque hi Magistratus sunt Militares: Togati me vocant. Togatorum Status.

Concilium Secretum vel *Privatum* (*Le Conseil Privé*) quod & *Strictum* (*Estroict*) constat Agnatis Necessarijsque Principis Proceribus, Antistitibus, Cardinalibus, cum Cancellario & Iurisperitis. In eo tractari solet quidquid ad publicum Regni Statum Rerumque Summam. *Concilium Privatum.*

Cancellarius (*Le Chancelier*) is audit, quem Rex in Rebus omnibus ad Rempubl. pertinentibus, veluti Apollinem quemdam, consulit. Regis oculus est Aurisque. Ejus partes sunt operam dare diligenter, ne quod Edictum, Rescriptum, Decretum contra Ius vel Remp. ab aliquo impetretur: quod si præsenserit, transversa linea circumducere vel conscindere. Hoc *Cancellare* vulgo vocatur. Signum sanctius, quod Principis gestat imaginem, quoque Diplomata magni ponderis & momenti signantur, servat. *Cancellarius.*

Magistri Requestarum (*Maistres des Requestes*) qui octo sunt numero, jus habent in Magno Principis Concilio, in Curia Centenaria, in omnibus denique Curijs, quibus ultima Caussarum disceptatio competit, honestissimo loco sedendi, sententiamque secundum Præsides dicendi. Præcipuæ autem ipsorum partes sunt Principi præsto esse è Cubiculo prodeunti, Postulationibusque Supplicum vacaturo. Latinis nuncupantur *A Libellis*, *Sacrorum Scriniorum Magistri*, alijsque modis, ut videre est apud Declinantis Imperij Scriptores. *Magistri Requestarum.*

Est & *Concilium*, quod vulgo *Financiarum* (*Conseil des Finances*) vocant; universi Regij Regnique Thesauri curam habens. In eo *Intendentes* sunt, ut nominant, Secretarij, Quæstoresque Ærarij. *Concilium Financiarum.*

Iam quod ad *Parlamenta*: initio ipsi Francorum Reges, ut Subditorum sibi animos conciliarent, jus dicere solebant, orbosque parentibus Liberos, Viduas & Tenuiores à Potentiorum injuria liberare. His postea ab Iurisdictione abstinentibus, statuit Pipinus Proceres, qui dijudicandis Controversijs convenirent, nullo certo vel tempore vel loco. Hinc crescente Caussarum multitudine, bina *Parlamenta* (quibus nomen ab Francica voce *Parler*; huic autem ἀπὸ τοῦ παραλαλεῖν) haberi cœpta, singulis annis. Postremo ab Rege Philippo Pulcro, vel, ut alij scribunt, Huttino, ejus filio, Curia, quæ vaga fuerat & incerti loci, Lutetiæ Parisiorum Domicilium accepit. *Parlamentum Parisiense* in varias Classes vel Decurias, quas indicant Vincentius Lupanus libris de Magistratibus Francorum, ex quo pleraque huc transtulimus, & Ioannes Aubanus, est distributum. Quum autem Parisiensis Curia, longe propagatis Imperij Finibus, Caussis dijudicandis non sufficeret, alia accesserunt Parlamenta: *Tolosanum*, *Gratianopolitanum*, *Burdigalense* ab Karolo VII. instituta; *Aquense*, *Divionense*, & *Rotomagense* ab Ludovico XII; *Redonense* denique in Britonibus Aremoricis memoria nostra ab Henrico II. *Burdigalense* autem *Gratianopolitano* postposui. * Quum enim per Populares Factionis Anglicæ rebellassent Burdigalenses, recepta iterum armis à Karolo Vrbe, Privilegijs suis sunt multati & Tribunali; atque à Decuria Senatus Parisiensis tam diu recti sunt, donec Ludovicus XI iterum Tribunal restituit. Hinc factum, ut Senatus Burdigalensis, qui antea Gratianopolitanum tempore antecedebat, nunc posterior sit, & quartus in ordine Supremorum Senatuum Galliæ. De quo forte quædam specialiora cap. XXXIV. Cognoscunt singula de Caussis & Civilibus & Criminalibus; & quidquid ab ijs diffinitum, servandum est, eique standum. *Parisiensis* amplissima est, ut jam innui, Iurisdictio. Appellant eo Picardia, Francia specialibus sumta, Belsia, Campania; Agri item vel Pagi Lugdunensium, Biturigum, Borboniorum, Pictonum; nec non, cum Inculismensibus & Alnisiensibus, tota Alvernia. Idem quoque parium Franciæ est Parlamentum, cujus ipsi sunt Consiliarij. Constabat enim antiquitus

Parlamenta. *Parisiense.* *Tolosanum, Gratianopolit. Burdigalense, Aquense. Divionense, Rotomagense, Redonense.* Singulorumque Iurisdictiones.

quitus ex LXXVII Senatoribus & XII Paribus Franciæ, quos dixi: ut omnino Centumviralis esset Regni Senatus. Apud hoc igitur solum Pares conveniri, Caussam dicere, &, si opus, condemnari consueverunt. Illud etiam *Parisiense* præ cæteris habet, quod in id ipsi nonnumquam Reges, quoties magni quid, quod vel Belli vel Pacis spectat negocia decernere est animus, introire sint soliti. Hodie, ut & hoc addam, Pactiones Regum & quidquid omnino ad Regni constitutionem pertinet, in eo recitatur, Actisque Publicis, quorum hujus Parlamenti Senatus custodiam habet; quo magis ratum fiet, inseritur. Iam Supremis *Tolosani* Parlamenti Decretis adquiescunt Languedokium, Cadurcium, Rutenium; item in Vasconia Armaniacenses, Bigerrones, & Convenæ. Ab *Gratianopolitano* summa petit Iura Delphinatus. *Burdigalensi* subsunt Lemovicum, Petrocorium, Guienna; & in Vasconia Albreti Ducatus, Agennensisque Seneschallia. *Aquensi* paret Provincia: *Divionensi* Burgundiæ Ducatus; *Rotomagensi* Nortmannia; *Redonensi* denique Britannia. Atque hi sunt octo Amplissimi Senatus Franciæ: quibus, quum Iure Successorio capesseret Regni Sceptrum Christianissimus Henricus Navarræ Rex, adcrevit Senatus Supremus *Benearnensis*. Institutum autem fuerat hoc Tribunal in Castro Palo, ab Henrico Navarræorum Rege Henrici IV. Avo Materno. In Civitate etiam Mediomatricum Magistratus ab Rege missus Senatui Vrbis præsidet: ut hic quasi sit decimum Franciæ Tribunal. Habent, præter *Præsides* & *Senatores*, suos Parlamenta *Procuratores Generales* & *Advocatos Regios*.

Parlamentum Benearnense.

Metense. Præsides, &c.

Cap. XIIX.

Hodiernus in Ecclesiasticis Galliarum Status.

Per quos Christi Fides in Gallias inlata.

TALIS igitur hodie Galliæ Status est militiæ domique: sequitur qui in Ecclesiasticis. Christianam Religionem ipsos Apostolos in Galliam intulisse perhibent Regni Annales, præcipue Paulum & Philippum. Lucam quoque Euangelistam in Gallijs docuisse auctor est Epiphanius. D. item Clemens Episcopos se in Galliam ex D. Petri mandatu missurum scribit ad Iacobum Fratrem Domini, Epistola I, contra Iudæos. Inlatam semel diligenter propagasse, multorumq; sensim animis instilasse traduntur Crescens, Martialis, Dionysius Areopagita, Eleutherius, Aphrodisius, Rusticus, & alij: adeo ut Tertullianus profiteatur suo tempore ab diversis Galliarum Nationibus Christum fuisse cultum. Totum tandem Regnum ad Christi Fidem conversum est circa annum CCCCXCV, hac occasione: Bellum adversus Alemannos gerebat Rex Hlodoveus. Quum jam instructa utrimque acie ad Tolbiacum (Vicus est in finibus Agrippinensium, *Zulpich* hodie) manus consererentur, Rex suos inclinare videns, molemque præsagiens Calamitatum, oculis in cœlum sublatis, Christi (quem sæpe inculcarat jam Christiana Coniux, Crothildis Burgunda) auxilio invocato, pollicitus se Sacra ejus, quæ respuerat, cum suis suscepturum, Victoriam præclaram reportavit: adeo ut Alemanni, amisso Rege suo, pacem Supplices petere fuerint coacti. Hlodoveus domum reversus iterum ab Vxore exstimulatus; &, quod caput erat, Christianæ Fidei documentis ab S. Vedasto imbutus, Remos profectus, Aqua salutiferi Fontis cum tribus hominum millibus est ablutus ab S. Remigio, Remensi Antistite, his tunc in Sacro opere verbis utente: *Mitis depone colla Sicamber: adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Consulendi Cassiodorus lib. II. Variarum, ubi Theodorici Amali Regis Italiæ litteræ, quibus Rex Regi Victoriam gratulatur; Sigebertus; Hermannus Contractus Manuscriptus, nam Vulgata Exemplaria hic in vitio; Gregorius Turonensis lib. II. cap. XXX. & seq. Aimoinus lib. I. cap. XV, & seq. Thomas II. libr. de reg. princ. cap. ult. Hincmarus, Remorum Episcopus; Frodoardus in Vita S. Remigij; Otto Frinsingensis lib. IV. cap. XXXII; & Rerum Francicarum Scriptores qui non? Ab eo tempore Francorum gens Christiana: in quam quod & quantum jus competat Romano Pontifici, curiose hic non discutiam: fecerunt hoc alij, in quorum messem falcem ego non immittam. Alienum enim istud ab instituto Geographico. Illud tantum hoc loco dicam, esse sub Ditione Christianissimi Francorum Regis

Quando totum Franciæ Regnum ad Christianam Religionem conversum.

Regis Diœceses c x v i, inque ijs Archiepiscopatus x i v, Episcopatus autem c c i i: quos non possum distinctius, quam per octo Parlamenta, Tribunaliaq; duo, quæ adcreverunt, Benearnense & Metense, quibus singuli subsunt, enumerare, ex præscripto Magni Scaligeri, quem omnium scio hac in re versatissimum, cujusque ea de re prolixam apud me servo Epistolam: in qua quæcumque Præsulatuum designationi leguntur admista, quæ ad quorumdam Franciæ Locorum declarationem pertinent, ad suas postea referam classes.

Sub Parisiensi Parlamento Diœceses sunt x x x: *In his*,

Archiepiscopatus v, *Episcopatus* x x v.

Metropoles sive Archiepiscopatus v:

I *Remensis*, Dux & Primus Par Franciæ, *Reims*.

II *Senonensis*, *Sens*.

III *Bituricensis*, *Bourges*: Primas Aquitaniæ. In Decreto Gratiani vocatur *Patriarcha*; & aliquando legimus hunc Titulum ipsos Bituricenses Præsules usurpare. Sed *Forojuliensis* Episcopus ipse quoque vocatur *Patriarcha*. In Vetustissimis Annalibus Franciæ, *Paulinus Patriarcha Foro-juliensis obijt*. Archiepiscopatus in Parlamento Parisiensi, v.

IV *Turonensis*, *Tours*.

V *Lugdunensis*, *Lion*. Hodie Primatus Cleri Gallicani.

Episcopatus x x v:

Episcopatus v i i i, *suffraganei Remensi Metropolitæ sive Archiepiscopo*;

I *Laudunensis*, *Laon*; Dux & Par Franciæ.

II *Catalaunensis*, *Chaalons* Comes & Par Franciæ.

III *Suessonensis*, *Suessons*.

IV *Morinensis*. Hujus Sedes Teroana Morinorum Bononiam est translata, ubi est Navale Veteribus *Gessoriacus* dictum.

V *Ambianensis*, *Amiens*.

VI *Noviomagensis*, *Noion*; Comes & Par Franciæ.

VII *Silvanectensis*, *Senlis*.

VIII *Belovacensis*, *Beauvais*: Comes & Par Franciæ.

Episcopatus v i i. *sub Metropoli Senonensi*.

IX *Parisiensis*, *Paris*.

X *Carnutensis*, *Chartres*.

XI *Aurelianensis*, *Orleans*.

XII *Nivernensis*, *Nevers*.

XIII *Autissiodorensis*, *Aufferre*.

XIV *Tricassensis*, *Trois en Champaigne*.

XV *Meldensis*, *Meaux*.

Episcopatus i v, *sub Metropoli Burdigalensi*.

XVI *Pictaviensis*, *Poitiers*. Episcopi sub Parlamento Parisiensi, xxv.

XVII *Maleacensis*, *Maillazés*. Novus Episcopatus ex Monasterio, delibatus ex Diœcesi Pictaviensi.

XVIII *Luxonensis*, *Lusson*. Novus Episcopatus ex Monasterio, detractus ex Pictaviensi.

XIX *Enculismensis*, *Engoulesme*.

Episcopatus i i, *sub Metropoli Turonensi*;

XX *Andegavensis*, *Angiers*.

XXI *Cenomanensis*, *Le Mans*.

Episcopatus i i, *sub Metropoli Bituricensi*;

XXII *Claromontensis*, *Clermont*.

XXIII *Sancti Flori*, *Sainct Flor*. Novus Episcopatus delibatus ex Claromontensi.

Episcopatus i i, *sub Metropoli Lugdunensi*;

XXIV *Lingonensis*, *Langres*. Dux & Par Franciæ.

XXV *Matisconensis*, *Mascon*.

Sub Parlamento Tolosano Diœceses sunt XXXI: *In his,*

Archiepiscopatus III, *Episcopatus* XXVIII.

Metropoles sive Archiepisc. III:

Archiepiscopi sub Parlamento Tolosano, III.

I *Narbonensis, Narbone.*
II *Auscensis, Auch.* Inepte Vulgo Ecclesiastico *Auxitanus* Archiepiscopus, pro *Ausciorum* aut *Auscorum*.
III *Tolosanus.* Nova Metropolis detracta ex Metropoli Narbonensi, *Tolose.*

Episcopatus XXVIII:

Episcopatus IX, *sub Metropoli Narbonensi;*

Episcopi sub Parlamento Tolosano, XXVIII.

I *Nemausensis, Nismes.*
II *Vcetiensis, Vsetz.*
III *Lutevensis, Lodeve.*
IV *Sancti Pontij Tomeriarum, Sainct Pont de Tomieres.*
V *Aletenses, Alet:* pro quo in Decreto & Decretalibus aliquando perperam editum est, *Arelatensis.*
VI *Magalonensis, Mompelier:* ab Insula Magalone, ubi prius fuit Sedes Episcopalis in Volcis Aremoricis.
VII *Bitierensis, Besiers.*
VIII *Agathensis, Agde.*
IX *Carcassonensis, Carcassone.*

Episcopatus VII, *sub Metropoli Bituricensi;*

X *Mimalensis, Mende.*
XI *Castrensis, Castres.* Novus Episcopatus.
XII *Albigensis, Albi.*
XIII *Aniciensis, Le pui en Velay.*
XIV *Rutenensis, Rodes.*
XV *Vabrensis, Vabres.* Novus Episcopatus ex Monasterio, abscissus à Rutenensi.
XVI *Cadurcensis, Caors.*

Episcopatus VII, *novi sub Metropoli nova Tolosa, ex Monasterijs, detractis de diversis; partim singuli de singulis; partim singuli de pluribus;*

XVII *Apamiensis, Pamies.*
XVIII *Mirapicensis, Mirepoix.*
XIX *Sancti Papuli, Sainct P. pol.*
XX *Montalbanensis, Montaulban. S. Theodard de Montaulban.*
XXI *Vaurensis, La Vaur.*
XXII *Rivensis, Rieus.* Rivense Monasterium.
XXIII *Lombariensis, Lombés.* Lombariense Monasterium.

Episcopatus IV, *sub Metropoli Auscorum;*

XXIV *Convenensis, Sainct Bertrand de Comenge.*
XXV *Consarannensis, Sainct Legier de Coserans.*
XXVI *Tarbensis, Tarbe.*
XXVII *Lactoratensis, Lactoure.*

Episcopatus I, *sub Metropoli Viennensi;*

XXIIX *Vivariensis, Viviers.*

Sub Parlamento Gratianopolitano Diœceses sunt VII: *In his,*

Archiepiscopatus II, *Episcopatus* V.

Metropoles sive Archiepiscopatus II:

Archiepiscopi sub Parlamento Gratianopolitano, II.

I *Viennensis, Vienne.* De eo lege quæ sequenti dicam Capite.
II *Ebrodunensis, Ambrun.*

Episcopatus

Episcopatus V.

Episcopatus II, *sub Metropoli Viennensi*;

I *Valentinus, Valence.*
II *Diensis, Die.* Hæ duæ Diœceses ab uno Episcopo reguntur; & tamen separatæ sunt, neque altera alterius jura usurpat.
III *Gratianopolitanus, Grainople.*

Episcopatus I *sub nova Metropoli Arelatensi*;

IV *Tricastinensis, Sainct Antoni de Tricastin.*

Episcopi sub eodem Parlamento, V.

Episcopatus I, *sub Metropoli Aquensi*;

V *Vapincensis, Gap.*

Sub Parlamento Burdigalensi, Diœceses sunt XII: *In his*,

Archiepiscopatus I, *Episcopatus* XI.

Metropolis vel Archiepiscopat. I:

I *Burdigalensis, Bourdeaus.*

Archiepiscopus sub Parlamento Burdigalensi I: Episcopi sub eodem Parlamento XI.

Episcopatus IV, *sub Metropoli Auscorum*;

I *Baionensis, Baionne.*
II *Aquensis, Aqs.*
III *Vasatensis, Basats*, Vasconice B. pro V.
IV *Adurensis, Aire.*

Episcopatus V, *sub Metropoli Burdigalensi.*

V *Xantonensis, Saintogne.*
VI *Petrocoriensis, Perigeus.*
VII *Sarlatensis, Sarlat.* Novus Episcopatus detractus Petrocoriensi.
VIII *Aginnensis, Agen.*
IX *Condomiensis, Condom.* Novus Episcopatus in Pago Aginnensi Vltragarumnano, ex Monasterio, delibatus de Aginnensi.

Episcopatus II, *sub Metropoli Bituricensi*;

X *Lemovicensis, Limoges.*
XI *Tutelensis, Tulle.* Novus Episcopatus deminutus de Lemovicensi.

Sub Parlamento Aquensi Diœceses sunt XIII: *In his*,

Archiepiscopatus II, *Episcopatus* XI.

Metropoles sive Archiepiscopatus II:

I *Aquensis, Aix.*
II *Arelatensis, Arles.* Nova Metropolis; neque mihi constat, quando instituta. Nam ante trecentos annos erat sub Viennensi.

Archiepiscopi sub Parlamento Aquensi, II.

Episcopatus XI:

Episcopi sub eodem Parlamento XI.

Episcopatus V, *sub Metropoli Ebredunensi*;

I *Diniensis, Dine.*
II *Grassensis, Grasse.*
III *Glandatensis, Glandevé.*
IV *Sanitiensis, Senas.*
V *Ventiensis, S. Paul de Vences.*

Episcopatus IV, *sub Metropoli Aquensi*;

VI *Aptensis, Apt.*
VII *Reiensis, Riés*, Male apud Sidonium & alios *Regiensis.*
VIII *Forojuliensis, Feriuls.*
IX *Cesteronensis, Cisteron.*

Episcopatus II, *sub nova Metropoli Arelatensi*;

X *Massiliensis, Marseille.*
XI *Telonensis, Tolon.*

Sub Parlamento Divionensi Diœceses II.

Episcopatus II sub Metropoli Lugdunensi;

Episcopi sub Parlamento Divionensi, II.

I *Augustodunensis, Austun.* II *Cabillonensis, Challon sur Saone.*

Sub Parlamento Rotomagensi, Diœceses VII: In his,

Archiepiscopatus I, *Episcopatus VII.*

Metropolis sive Archiepiscopat. I.

Archiepiscopi sub Parlamento Rotomagensi, II:

I *Rotomagensis, Roven.*

Episcopatus VI, sub Metropoli Rotomagensi;

Episcopi sub eodem, VI.

I *Abrincantensis, Aurenches.*
II *Ebroicensis, Eureux.*
III *Baiocensis, Baieux.*
IV *Saiensis, Sais.*
V *Constantiensis, Constances.*
VI *Lexoviensis, Lisieux.*

Sub Parlamento Redonensi, Diœceses sunt IX; omnes Episcopatus, sub Metropoli Turonensi:

Episcopi sub Parlamento Redonensi IX.

I *Briocensis, Sainct Brieu.*
II *Machloviensis, Sainct Ma'o.*
III *Leonensis, Sainct Paul de Leon.*
IV *Nannetensis, Nantes.*
V *Venetensis, Vannes.*
VI *Tricoriensis, Triguier.*
VII *Curosopitensis, Cornovaille.*
VIII *Doiensis, Dol.* Hic Episcopus habet Ius Pallii, & ideo locum habet inter Archiepiscopos.
IX *Redonensis, Renes.*

Sub Parlamento Benearnensi Diœceses sunt II; uterque Episcopatus, sub Metropoli Auscorum:

Episcopi sub Parlamento Benearnensi, II.

I *Lascariensis. Lescar.* II *Oloronensis, Oleron.*

Sub Parlamento Mediomatricis Vrbis Diœceses sunt III; omnes Episcopatus, sub Metropoli Treverensi:

Episcopi sub Parlamento Metensi, III.

I *Mettensis, Metz.*
II *Tullensis, Toul.*
III *Virdunensis, Verdun.* In Veteribus Concilijs Gallicanis aliquando Episcopus *Verenensis* perperam legitur pro *Verodunensis.*

Diœceses in Gallia non Gallici Iuris, V.

Præter Diœceses CXVI, quæ hodie sub Ditione sunt Regis Francorum, quas hactenus commemoravi, aliæ quinque sunt intra Fines Imperij Gallicani, extra Ditionem tamen Francorum: quatuor nempe in Comitatu Venitiæ, id est Avenionensi, & una extra Comitatum.

Comitatus Avenionensis sive Venitiæ Diœceses babet IV, sub Ditione Pontificis Romani; In quibus,

Archiepiscopatus I, *Episcopatus III.*

Metropolis sive Archiepiscopatus I,

Archiepiscopi sub Comitatu Avenionensi, I:

I *Avenionensis, Avignon.* Metropolis Nova, à Pontificibus Romanis instituta, quum antea suffragaretur Viennæ; ut & tres reliquæ Civitates.

Episcopatus III, sub Metropoli Avenionensi;

Episcopi sub eodem Comitatu, III.

I *Carpentoractensis, Carpentras.*
II *Cabillonensis, Cavaillon du Contat.*
III *Vasionensis, Vaison.*

Extra

Extra Comitatum Avenionensem Episcopatus est;

1 *Arausionensis, Orange: Aurage* Indigenis.

Episcopus extra Comitatum 1.

De Abbatibus, alijsque Sacrorum Antistitibus, quorum numerum inire, quod ingenue fateor, non possum; nihil hic dicam: faciant hoc, quibus hæc talia exploratiora.

Abbates & alij innumeri.

Quum vero tanta, ut audivimus, Præsulum per Gallias ab multis jam seculis absque intermissione fuerit copia, eosque Pietate, Probitate, Doctrina plurimum præcellentes esse oporteat; non est, quod quis magnopere miretur, Regnum hoc abundasse plerumque Viris, qui cum alijs commissi primam in Rep. litteraria semper laudem obtinuerunt: ad quorum Senatum indies magis & magis augendum maximi momenti fuerunt, quæ quondam floruerunt, quæque nunc florent, Academiæ. De *Augustoduno* sic scribit Tacitus lib. III Annalium: *Apud Aeduos major moles exorta, quanto Civitas opulentior, & comprimendi procul præsidium. Augustodunum, caput gentis, armatis cohortibus, Sacrovir occupaverat, & nobilissimam Galliarum subolem, liberalibus studiis ibi operatam, ut eo pignore Parentes Propinquosque eorum adjungeret.* Innuit eam Vrbem jam tunc, post Massiliam, de qua alibi, Musarum fuisse hospitium, & speciem quamdam Academiæ. Hanc Bagaudicæ cujusdam rebellionis, ut Eumenius loquitur, latrocinio eversam, morteque Rectoris conlapsam restituit Constantius Imp. Constantini Magni pater; misso eo, qui Præfectum ageret, Eloquentiamque ibi profiteretur, Eumenio, cujus memini, Rhetore: qui Provinciam ingressus peculiarem habuit Orationem pro Scholis instaurandis ad V. P. Præsidem Galliæ, quæ exstat. Imperator Rescriptum suum his verbis ad Eumenium orditur; *Merentur & Galli nostri, ut eorum Liberis, quorum vita in Augustodunensium opido ingenuis Artibus erudiretur; & ipsi Adolescentes, qui hilari consensu meum suscepere comitatum, ut eorum indoli consulere cupiamus:* ubi male quidam & contra Veterem Editionem, *Augustoclivien sium*; ab Gallis alio transferre gloriam hanc volentes. Restauratio autem illa tanti fuit fructus, ut non multo post Constantius ab Donatistis in Africa rogatus, ut ipsis Iudices daret ex Gallijs, qui suam & Catholicorum Caussam cognoscerent, Maternum ex Agrippinensi Colonia, Rheticum autem Augustoduno evocarit. Paullatim tamen rursum intercidit. Non defuerunt interim Gallijs celebres alijs locis Scholæ. Docet Ausonij liber de Professoribus Burdigalensibus, Tolosanis, Narbonensibus, &c. Admirari soleo Cathedram apud Burdigalentes Ti. Victoris Minervij, de qua inter alia sic canit Poëta:

Doctorum Virorum in Gallijs incredibilis semper numerus.

Academiæ Galliarum.

Adserat usque licet Fabium Calagurris alumnum:
Non sit Burdigale dum Cathedra inferior.
Mille foro dedit hic Iuvenes: bis mille Senatus
Adjecit numero, purpureisque togis.
Me quoque, &c.

Exstat etiam in Codice Theodosiano, Tit. de Professorib. & Medic. Imperatoris Gratiani Rescriptum ad Antonium, Præfectum Prætorio Galliarum, jubentis; ut in singulis Galliæ Metropolibus excitarentur alerenturque studia Litterarum, egregijque ijs Professores præficerentur; decretis liberalissime Honorarijs. Tandem Carolus Magnus conversus cum ad Ius Francorum in ordinem redigendum, Legumque Libros conscribendos (nam antiqua Romanorum Iura per Langobardos aliosque Imperij Hostes obliterata fere & sepulta jacebant) tum ad excolenda aliarum Artium & Scientiarum studia, earumque Professores debite colendos: circa annum IↃCCLXXI, ex Alcuini Præceptoris sui, Venerabilisque Bedæ discipuli, consilio, Academiam Parisijs erexisse fertur, ad ejus, quæ Romæ jam erat, archetypum, ut scribunt Cardinalis Sabarella & Petrus Anchoran. I C. Clement. de Magist. Ex Parisiensi, velut uberrimo quodam Sapientiæ fonte, plurimæ per varias Europæ Regiones, præsertim Germaniam & Galliam, sunt dirivatæ. Gallicas sane has (ne cujus dignitati violato ordine, detraham) numero: *Andegavensem, Avenionensem, Aurelianensem, Bituricensem, Burdigalensem, Cadomensem, Cadurcensem, Dolanam, Lugdunensem, Massiliensem* omnium antiquissimam, ab Græcis ortam, *Montispessellanam, Nannetensem, Nimecensem, Pictaviensem, Remensem & Tolosanam.* Ex his omnibus tamquam ex multis Equis Trojanis, qui docti Viri, Theologi, Iurisconsulti, Medici,

Alij

Alij fuerint progressi, suis videbimus locis. Nam uno eos ductu enumerare si conarer, maximum mihi quidem conciliarem laborem, Lecturis vero tædium. Nobilitas sane Gallica (quæ frequentissima est) hodie tam pertinaci diligentia, ut hoc universim dicam, tamque adsiduo labore Meliorum Litterarum Studia persequitur, adeoque in omni Disciplinarum Artiumque genere excellit, ut nusquam terrarum magis. Videre ibi est summo loco natos illustribusque ortos familijs noctes diesque inhærere Chartis, & numquam non Musarum Sacris operari. Novi cum stupore, qui de quacumque re in medium prolata expeditissime poterant, methodo admiranda, ex tempore & absque ulla præmeditatione per horas aliquot disserere.

Cap. XIX.

Variæ Galliarum Distributiones.

GENERALIA finivi: vocant me Specialia; quæ parebunt in singulis Galliarum partibus: quæ quot sint (de Principibus loquor) & quo modo inter se connectantur, Divisione est aperiendum.

Galli Veteres ita suas Sedes promovisse leguntur, ut non solum in Italia ad Rubiconem usque Fluvium, verum etiam in Asia Minore eas fixerint. Hanc ob caussam Gallia dividunda videbatur in *Asiaticam* & *Europæam*; hæc autem in *Cis-Alpinam* & *Trans-Alpinam*. Sed quum *Asiatica* illa proprie pertineat ad Asiam Minorem, quæ quarta mei Operis parte explicatur sub *Gallatiæ* vel *Gallo-Græciæ* appellatione; & *Cis-Alpina* omnino sit illa Italiæ portio, quæ hodie *Lombardia*: de *Trans-Alpina* solum, quæ Oceano, Pyrenæis Montibus, Mari Mediterraneo, Alpibusque cingitur, statui hoc loco agere. *Trans-Alpinam* appello quasi Romæ positus: alioqui quæ Græcis Latinisque Scriptoribus *Trans-Alpina*, ὑπὲρ τῶν Ἄλπεων, Gallis vere est *Cis-Alpina*: contra quæ illis *Cis-Alpina*, ἐντὸς τῶν Ἄλπεων, his *Trans-Alpina* censetur.

Gallia Asiatica, Europæa, Cis-alpina, Transalpina.

Trans-Alpina igitur per Gebennam & Iuram Montes, ut volunt Plinius & Solinus; vel per Lemannum Lacum, Rodanum Fluvium, Montesque Gebennicos, uti censent Mela, Eutropius & Suetonius, dividitur in *Bracatam* & *Comatam*.

Trans-Alpina, *Bracata*, *Comata*.

Bracata quæ:

Bracata ad Meridiem Mare Gallicum vel Tuscum Pelagus attingens, magis culta & magis consita, inquit idem Mela, ideoque cultior; sic vocabatur ab Vestis genere, cujus in ea erat usus, ut alibi dicitur. Appellata fuit & hæc, in dextra præcipue Rodani ripa, *Narbonensis*, testibus, præter alios, Plinio lib. II & Pomponio Mela, qui lib. II hanc describit, ut ceteras lib. III; Κελτογαλατία Ναρβωνησία Ptolemæo: ab Narbone, quam Tectosagum urbem idem Ptolemæus, Decumanorum Coloniam facit Plinius, de qua suo loco: in sinistra vero *Provincia* κατ' ἐξοχὴν dicebatur: hodieque nomen id servans. Hæc *Bracata* citius ceteris, nec sane difficile, facta est Provincia à Populo Romano: congruebant mores; & Massilia, Studiorum sedes, sua, id est, Græca mollitie propinquum Agrum ab feritate & Armorum amore ad mansuetius Vitæ genus avocaverat: aliæ durioris cæli, tum & origine & Armorum exercitio Germanis persimiles, adusque C. Iulij Cæsaris Dictatoris tempora liberæ manserunt: mox volentibus Fatis ab illo devictæ, qui non multo post Romam ipsam vicit. Bracatam describit hoc modo Strabo lib. IV: Ταύτης δὲ τὸ σχῆμα παραλληλόγραμμόν πώς ἐστιν· ἐκ μὲν τῆς Ἑσπέρας γραφόμενον τῇ Πυρήνῃ, πρὸς δὲ τὰς Ἄρκτους τῷ Κεμμένῳ· τὰς δὲ λοιπὰς, τὴν μὲν Νότιον ἡ θάλαττα ποιεῖ, μεταξὺ Πυρήνης καὶ Μασσαλίας· τὴν δ' Ἑωθινὴν αἱ Ἄλπεις ἐκ μέρους, καὶ τὸ μεταξὺ διάστημα τῶν Ἄλπεων, ἐπ' εὐθείας αὐτῆς ληφθὲν, καὶ τῶν ὑπωρειῶν τοῦ Κεμμένου τῶν καθηκουσῶν ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν, καὶ ποιουσῶν ὀρθὴν γωνίαν πρὸς τὴν λεχθεῖσαν ἀπὸ τῶν Ἄλπεων εὐθεῖαν· τῷ δὲ Νοτίῳ προσκεῖται παρὰ τὸ λεχθὲν σχῆμα ἡ ἐφεξῆς παραλία, & quæ ibi alia. Sic Ausonius:

Bracata Narbonensis, Pyrenæa.

Insinuant qua se Sequanis Allobroges oris;
Excluduntque Italos Alpina cacumina fines;
Qua Pyrenaicis vicibus dirimuntur Iberi;
Qua rapitur præceps Rodanus, genitore Lemanno,
Interiusque premunt Aquitanica rura Cebennæ,

Usque

Vsque in Tentosagos, primævo nomine Belgas:
Totum Narbo fuit.

Belgis hinc amotis, scribo *Belcas*: sic appellat Ausonius, quos alij *Volcas*, Græci οὐόλκας; ut suo loco videbimus. *Bracati* nescio an *Semibarbari Gallorum* sint intelligendi, quos Civitate donatos Suetonius scribit cap. LXXVI C. Cæsarem in Curiam Romanam recepisse, Senatoresque fecisse. Fere est, ut mihi videatur. *Bracati* enim politiores mores, ut suos Romani volebant, plurimum induerant. *Bracatorum Pueros* nominat Iuvenalis Sat. VIII. *Narbonensem* porro Provinciam etiam *Septimaniam* lego appellatam apud Imperij labentis & lapsi jam scriptores: vel à *Septimanis Militibus*: nam Narbo *Colonia Septimanorum*; vel ab *Septem Provinciis*, quarum Conventus ex Constitutione Imp. II. Constantini Arelate (ut cap. XXXIIX plenius dicam) agebantur. Erant Eæ *Viennensis*, *utraque Narbonensis*, *utraque Aquitania*, *Novem-populania*, & *Alpes Maritimæ*. *Septimaniam* autem vocant Sidonius Apollinaris lib. III. epist. I; Gregorius Turonensis lib. VIII cap. XXVIII & XXX; item lib. IX cap. VII; Vsuardus ad XI Kalend. Aprilis: Eginarthus in Vita Karoli Magni; Aimoinus Monachus lib. IV. cap. XXCIV. Ionas Aurelianensis lib. I. & alij.

Comata, quæ Septemtrionem versus in Oceanum inclinabat, nominabatur ab alendi comas studio. Lucanus de Bello Pharsalico: *Comata, quæ.*

Crinibus effusis toti prælate Comatæ.

Fines *Comatæ Galliæ* & *Provinciæ Narbonensis* indicat incertus quidam Scriptor; nondum editus, quem ad me misit, anno CIↃ IↃXCIX mense Septembri, Vir cum nobilissimus, tum humanissimus & doctissimus Marcus Velserus, Patricius & IIVIR Augustanus, sua manu exscriptum ex Codice Membraneo, quo Notitia Vtriusque Imperij, Itinerarium Antonini, & quædam alia, quæ conjungi plerumque solent, continebantur. Verba Ἀνωνύμου istius hæc sunt: *Gallia Comata cum Insulis Britannicis finitur, ab Oriente Flumine Rheno; ab Occidente Pyrenæo; à Septemtrione Oceano Mari; à Meridie Rhodano & Montibus Cebennicis: Longitudine mil. pass.* IↃ CCCCXXVIII, *Latitudine* CCCLXIII: *juxta Plinium Secundum in Quarto libro in Longitudinem* IↃ CCCCXX, *In Latitudinem* CCCVIII. *Provincia Narbonensis finitur ab Oriente Alpibus, ab Occidente Saltu Pyrenæo, à Septemtrione Finibus Viennensium & Montibus Cebennicis: à Meridie Mari Gallico. Longitudo Mill. pass.* CCCXXXIV. *Latitudo* CLXXXVIII, *juxta Plinium Secundum. In eodem Longitudinem Provinciæ Narbonensis* CCCLXX *passuum Agrippa tradidit: Latitudinem* CCCXLVIII. De *Comata* porro tantum exaudiendi sunt illi, qui ante Augusti tempora de Imperij Romani Provincijs scripserunt. Hi enim in Divisione Galliarum *Bracatam* numquam comprehendere consueverunt: adeo ut quoties apud eos Galliarum occurrat mentio, semper fere excipienda sit *Bracata* vel *Narbonensis*, si res gestæ ante Augusti principatum memorantur. Primus Latinorum (sunt enim quibus triplex Galliæ distributio in *Aquitanos*, *Celtas* & *Belgas*, antiquissimorum Græcorum esse videtur) C. Cæsar, ut Gallias armorum arbitrio subegit, ita etiam suo illas divisit in *Belgas* ab Reno ad Matronam usque; hinc ad Garumnam in *Celtas*: quod reliquum est inter Garumnam, Pyrenæos & Mare in *Aquitanos*, relicta extra Divisionem *Bracata*. De triplici hac Divisione consulendi ipse Cæsar lib. I. belli Gallici, Strabo libri I. initio, Ptolemæus, Plinius lib. IV. nat. historiæ, Pomponius Mela lib. III Geographiæ, Ammianus Marcellinus lib. XV & alij. Tres hasce Galliæ Provincias designat, nisi fallor, Inscriptio, quæ in Gallia Lugduni in Domo contigua Templo S. Cosmi. *Comata' Aquitanica. Celtica. Belgica.*

S E R V I L I O
M · A R C I A N O
A R · V E R N O
C. S E R V I L I I
D O M I T I. F I L I O
S A C E R D O T I. A D
T E M P L V M. R O M A E
E T. A V G V S T O R V M
T R E S. P R O V I N C I A E
G A L L I A E

Nomi-

Nominantur & in alijs Marmoribus; quæ brevitati studens, prætereo. De Singulis separatim etiam aliquid dicam. *Aquitania.* *Aquitanicam* nonnulli dictam volunt ab *Aquis*, quibus abundare fertur; alij ab Opido, *Aquis*, *Aqs*, dirivant. *Aquitanos* non modo lingua, sed etiam legibus & institutis ab ceteris Gallis differre, Hispanisque similiores esse, quam Gallis, antea dixi ex Cæsare & Strabone. De *Aquitanis* scribit idem Ammianus lib. XV, quod de *Bracatis* alij. *Aquitani*, inquit, *ad quorum littora, ut proxima placidaque, Merces adventitiæ convehuntur, Moribus ad mollitiem lapsis, facile in Ditionem venere Romanam.* Laudant Aquitaniam cum alij, tum Salvianus lib. VII. *Nemini dubium est*, ait, *Aquitanos ac Novem-populos medullam fere omnium Galliarum & uber totius Fœcunditatis habuisse, nec solum Fœcunditatis; sed, quæ præponi interdum Fœcunditati solet, Iocunditatis, Voluptatis, Pulcritudinis: illic omnis admodum Regio, aut intertexta Vineis, aut florulenta Pratis, aut distincta Culturis, aut consita Pomis, aut amœnata Lucis, aut irrigata Fontibus, aut interfusa Fluminibus, aut crinita Messibus fuit: ut vere Possessores ac Domini Terræ illius, non tam Soli istius portionem, quam Paradisi imaginem possedisse videantur: sed (omissis alijs Aquitaniæ Populis) Burdigala & Arverni excellunt.* Aquitanorum Remp. aliquo modo suis coloribus depingit Cæsar lib. III. de bello Gallico, *Tum Aquitani Legatos*, inquit, *quoquo versum mittere, conjurare, obsides inter se dare, Copias parare cœperunt: è Cantabris finitimis auxilia accersantur; Duces vero hi deliguntur, qui una cum Q. Sertorio omnes annos fuerant, summamque scientiam rei militaris habere existimabantur.*

Celtica. *Celtica*, κελτικὴ Græcis, ab *Celtis*: à quibus universos Gallos ab Græcis *Celtas* appellatos opinantur Strabo lib. IV. Qui Græcis *Celtæ*, Romanis speciatim *Galli* vocabantur, scribente Cæsare lib. I. ex quo Ammianus lib. XV. *Temporibus priscis, quum laterent hæ partes, ut barbaræ, tripartitæ fuisse creduntur, in* Celtas *(eosdem* Gallos*) divisæ, &* Aquitanos *&* Belgas, *Lingua Institutis, Legibusque discrepantes. Et* Gallos *quidem, qui sunt* Celtæ, *ab* Aquitanis *Garumna disterminat flumen*, &c. *Celtas* describit Silius Italicus lib. VIII:

Quin etiam ingenio fluxi, sed prima feroces
Vaniloquum, Celtæ, genus, ac mutabile mentis,
Respectare domos, mœrebant cæde sine ulla
(Insolitum sibi) bella geri, siccasque cruore
Inter tela siti Mavortis hebescere dextras.

Celtarum Amphyctionatum in exemplo Aremoricarum Civitatum, quæ nobilissimam *Celticæ* constituebant partem; proponit Cæsar lib. III. in Venetorum, Osismiorum, Nannetum, Diablintum, Curosopitorum, Vnellorum, & aliorum conjuratione, quæ incidit in Bellum Veneticum: *Celeriter*, inquit, *missis Legatis per suos Principes inter se conjurant; Nihil nisi communi consilio acturos, eumdemque omnis Fortunæ exitum esse laturos; reliquasque Civitates solicitant, ut in ea Libertate, quam à Majoribus acceperant, permanere, quam Romanorum servitutem perferre malint.*

Belgica. *Belgica* nomen dedisse creditur *Belgis* Civitas. Isidorus lib. XIIII. Etymologic. cap. IV. *Belgis autem Civitas est Galliæ, à qua Belgica Provincia dicta est.* Sic Stephanus Byzantius: περὶ πόλεων: Βελγικὴ, ait, ἡ χώρα, ὡς Βαιτικὴ, πρόσοχος τῆς Γερμανίας. ὁ οἰκήτωρ Βελγικὸς, ὡς Αἰτικός. Ἔοικε δὲ ἀπὸ τοῦ Βέλγη· ὡς Ἀκτὴ, Ἀττική. τὸ θηλυκὸν Βελγεία, ἡ χώρα. Hanc Vrbem Vulgus interpretatur *Bavay*. Abrahamus Ortelius in operoso Geographiæ Thesauro audet ex ea facere *Veltsig* vel *Veltsick* (Pagus est Flandriæ, ab Gandavo plus minus tribus distans milliaribus) *propter*, inquit, *non tantum majorem soni adlusionem, sed & propter Loci antiquitatem, quam ostendunt ruinarum sub terra multa hactenus vestigia: unde singulis diebus fere omne genus veteris Supellectilis, ut Simulacra, Numismata, Vascula, & alia, eruuntur.* *Veltsick* tamen nonnulli interpretantur *Ciceronis Castra*. de qua re alibi. *Belgas* omnium Gallorum fortissimos scribit Cæsar lib. I. Sic Ammianus lib. XV: *Horum omnium apud Veteres* Belgæ *dicebantur esse fortissimi.* Strabo lib. IV: Τούτων δὲ τοὺς Βέλγας ἀρίστους φασὶν, εἰς πεντεκαίδεκα ἔθνη διῃρημένους, τὰ μεταξὺ τοῦ Ῥήνου καὶ τοῦ Λείγηρος παροικοῦντας τὸν Ὠκεανόν. Publicum *Belgarum* Concilium delineat Cæsar lib. III; eo contra Cæsarem publice pro Galliæ totius libertate conjuratum, & ad Galbam Suessionum regem propter justitiam prudentiamq;, summam totius Belli omnium voluntate fuisse delatam: atque ad ipsum Bellum de suo numero contulisse Armatorum millia, *Bellovacos* sexaginta, *Suessones* quinquaginta, totidem *Nervios*, *Atrebates* quindecim, *Ambianos* decem, *Morinos* vigintiquinq;, *Menapios* septem.

Celticæ

Caletos decem, *Velocasses* & *Veromanduos* totidem, *Aduaticos* novemdecim; *Condrusos*, *Eburones*, *Cerœsos*, *Pæmanos*, qui uno nomine *Germani* appellabantur, quadraginta.

Quum autem *Aquitania* tertia *Comatæ* pars, facta cum alterutra, vel *Celtica* vel *Belgica* commissione, nimis videretur exigua (ἐπειδὴ, inquit Strabo lib. IV, μικρὰ μέρος ἦν ἡ ποσότης, loquens de *Aquitania*) C. Cæsar Octavianus Augustus Distributionem illam non solum castigavit, sed etiam in nova *Galliarum* Divisione instituenda, *Bracatam* est complexus; quidquid intra Alpes, Mare Mediterraneum, Oceanum & Renum continetur, uno *Galliarum* nomine comprehendens. Sic universa *Gallia* partita est in *Narbonensem*, quæ & *Bracata*, *Aquitanicam*, *Celticam* vel *Lugdunensem*, & *Belgicam*. Hanc divisionem sequuti sunt Strabo, Plinius, Ptolemæus, Mela, & alij.

Aquitania minor cæteris.

Gallia Narbonensis, Aquitanica, Celtica, Belgica.

Galliarum itaque Distributiones per varios gradus ad subscriptum deduxi σχῆμα.

- *Gallia* vel est
  - *Asiatica*, quam in Asia Minore explico.
  - *Europæa*, eaque vel
    - *Cis-Alpina*, de qua in Italiæ historia.
    - *Trans-Alpina*,
      - Ante Augusti principatum,
        - *Bracata*,
          - *Narbonensis*
          - *Provincia*.
        - *Comata*,
          - *Aquitanica*,
          - *Celtica*,
          - *Belgica*.
      - Sub Augusto,
        - *Narbonensis*, quæ & *Bracata*,
        - *Aquitanica*,
        - *Celtica* vel *Lugdunensis*,
        - *Belgica*.

In utraque autem *Trans-Alpinæ* Galliæ Partitione, tam quæ ante Augusti fuit Principatum, quam quæ sub eodem cœpit, non ijdem ab Geographis tribuuntur Partibus Fines. *Helvetios* sane Cæsar quidem jungit *Celticæ*, quæ illi versus Ortum dilatatur ad Renum usque: Plinius autem & Ptolemæus collocant in *Belgica*, quam illi versus Euronotum producunt ad Pœninas usque Alpes. Iam vero *Belgicam* Cæsar ab Reno ad Matronam, Plinius ab Scaldi ad Sequanam extendunt: sed hic Vogesum transcendit, ut comprehendat *Helvetios*; ille intra eundem montem se continet, ut eosdem Populos hinc excludat, *Celticæ* jam adcensitos. Terminus denique inter *Celtas* & *Aquitanos* Garumna est Cæsari & Pomponio Melæ; Ligeris autem Straboni & Ptolemæo ex Augusti instituto.

Scriptorum quorundam discrepantia in Finibus Galliarum regionum.

Sequentibus porro temporibus, ut commodius Gallia gubernaretur, quidquid intra Fines, quos jam indicavi, situm, in decem & septem Provincias ab Augusto Cæsare est distributum: quæ in Notitia Provinciarum Romanarum Imperij Occidentalis (cujus Auctor existimatur Marianus Scotus) sic recensentur.

Provinciæ Galliarum septemdecim.

Sub dispositione Viri Spectabilis Vicarij Septem Provinciarum.

CONSVLARES,

VIENNENSIS,	GERMANIÆ Primæ,	BELGICÆ Primæ,
LVGDVNENSIS,	GERMANIÆ Secundæ,	BELGICÆ Secundæ.

PRÆSIDES,

ALPIVM Maritimarum,	AQVITANICÆ Primæ,	NARBONENSIS Secundæ,
ALPIVM Penninarum & Graiarum,	AQVITANICÆ Secundæ,	LVGDVNENSIS Secundæ,
	NOVEM Populorum,	LVGDVNENSIS Tertiæ,
MAXIMÆ Sequanorum,	NARBONENSIS Primæ,	LVGDVNENSIS Senoniæ.

Edita sunt hæc paulo sequiore ordine ab Antonio Schoonhovio cum Eutropij historia Romana, & Andrea Schotto cum Antonini Itinerario. Adjecerunt autem illi Galliarum Provinciarum Civitates ex B. Isidori Breviculo seu Canonibus, ut etiam censet Petrus Pithœus lib. II. Adverſ. Subsec. cap. 1: quæ quum depravatæ admodum circumferantur, ex Veteribus Codicibus emendatas, liberalitate Magni Scaligeri, adjecta etiam Interpretatione, proponam. Sciat autem Lector, quidquid discrepat ab Excusis, esse id ab scripta lectione.

NOTITIA PROVINCIARVM GALLIÆ.

PROVINCIA LVGDVNENSIS PRIMA.

METROPOLIS. Civitas Lugdunensium, *l'Archeveſché de Lion.*

Civitas Eduorum, hoc eſt, Auguſtodunum. *l'Eveſché d'Auſtun.*

Civitas Lingonum. *l'Eveſché de Langres.*

Caſtrum Matiſconenſe. *L'Eveſché de Maſcon.*

Caſtrum Caballionenſe. *L'Eveſché de Challon ſur Saoſne.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS SECVNDA.

METROPOLIS. Civitas Rotomagenſium. *l'Archeveſché de Rouen.*

Civitas Baiocaſſium. *l'Eveſché de Baieux.*

Civitas Abrincantorum. *l'Eveſché d'Auranges.*

Civitas Saiorum. *l'Eveſché de Sés, ou Sais.*

Civitas Lexoviorum. *l'Eveſché de Liſieus.*

Civitas Conſtantientium. *l'Eveſché de Contances.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS TERTIA.

METROPOLIS. Civitas Turonorum. *l'Archeveſché de Tours.*

Civitas Cennomannorum. *l'Eveſché de Mans.*

Civitas Redonum. *l'Eveſché de Renes.*

Civitas Andegavorum. *l'Eveſché d'Angiers.*

Civitas Nannetum. *l'Eveſché de Nantes.*

Civitas Curoſopitorum. *l'Eveſché de Cournovaille.*

Civitas Ciantium, id eſt Venetorum. *l'Eveſché de Vennes* ou *Vannes.*

Civitas Oſiſmiorum.

Civitas Diablintum, id eſt, Cariſes.

PROVINCIA LVGDVNENSIS QVARTA.

METROPOLIS. Civitas Senonum. *l'Archeveſché de Sens.*

Civitas Carnotum. *l'Eveſché de Chartres.*

Civitas Autiſiodorum. *l'Eveſché d'Auxerre.*

Civitas Trecaſſium. *l'Eveſché de Trois.*

Civitas Aurelianorum. *l'Eveſché d'Orleans.*

Civitas Pariſiorum. *l'Eveſché de Paris.*

Civitas Meldorum. *l'Eveſché de Meaux.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS QVINTA.

METROPOLIS. Civitas Criſpolinorum, hoc eſt, Veſuntio. *l'Archeveſché de Beſançon.*

Civitas Equeſtrium, hoc eſt, Nevidunum. *La ville de Nion entre Geneve & Lauſanne.*

Civitas Elvicorum, hoc eſt, Aventicum. *Avanches.*

Civitas Baſilienſium.

Caſtrum Viridunenſe.

Caſtrum Ebrodunenſe.

Caſtrum Argentarienſe.

Caſtrum Rauricenſe.

Portus Abucina.

PROVINCIA BELGICA PRIMA.

METROPOLIS. Civitas Treverorum. *l'Archeveſché de Treves.*

Civitas Mediomatricum, hoc eſt, Metis. *l'Eveſché de Metz.*

Civitas Leucorum, hoc eſt, Tullo. *l'Eveſché de Toul.*

Civitas Verdonenſium. *l'Eveſché de Verdun.*

PROVINCIA BELGICA SECVNDA.

METROPOLIS. Civitas Remorum. *l'Archeveſché de Reims.*

Civitas Sueſſonum. *l'Eveſché de Sueſſons.*

Civitas Catalaunorum. *l'Eveſché de Challon.*

Civitas Veromanduorum. *La Ville de S. Quintin en Vermandois.*

Civitas Atrebatum. *l'Eveſché d'Arras.*

Civitas Cameracenſium. *l'Eveſché de Cambrai.*

Civitas Tornacenſium. *l'Eveſché de Tournay.*

Civitas Silvanectum. *l'Eveſché de Senlis.*

Civitas Bellovacorum. *l'Eveſché de Beauuais.*

Civitas Ambianenſium. *l'Eveſché de Amiens.*

Civitas Morinorum, id eſt, Pontricum. *l'Eveſché de Terouane.*

Civitas Bononienſium. *La ville de Bouloigne ſur mer.*

PROVINCIA GERMANIA PRIMA.

METROPOLIS. Civitas Magotiacenſium.

Civitas Argentoratensiũ. Stratiburgo.
Civitas Nemetum, hoc est, Spira.
Civitas Vuangionum, hoc est, Warmacia.

PROVINCIA GERMANIA SECVNDA.

METROPOLIS. Civitas Agripinensium, hoc est, Colonia.
Civitas Tungrorum. *La Ville de Tungres.*

PROVINCIA VIENNENSIS PRIMA.

METROPOLIS. Civitas Viennensium. *l'Archevesché de Vienne.*
Civitas Genevensium. *l'Evesché de Geneve.*
Civitas Gratianopolitanorum. *l'Evesché de Grainople.*
Civitas Albensium, nunc Vivario, *l'Evesché de Viviers.*
Civitas Deensium. *l'Evesché de Die.*
Civitas Valentinorum. *l'Evesché de Valence.*
Civitas Tricastinorum. *l'Evesché de Sainct Antoni de Tricastin.*
Civitas Vasionensium. *l'Evesché de Vaison.*
Civitas Arausicorum. *l'Evesché d'Aurange.*
Civitas Carpentoractensium, nunc Vindausica. *l'Evesché de Carpentras.*
Civitas Caballicorum. *l'Evesché de Cabaillon.*
Civitas Avennicorum. *l'Archevesché d'Avignon.*
Civitas Arelatensium. *l'Archevesché d'Arles.*

PROVINCIA VIENNENSIS SECVNDA.

METROPOLIS. Civitas Narbonensium. *l'Archevesché de Narbone.*
Civitas Tolosatium. *l'Archevesché de Tolose.*
Civitas Agathensium. *l'Evesché d'Agde.*
Civitas Aletensium. *l'Evesché d'Alet.*
Civitas Beteriensium. *l'Evesché de Besiers.*
Civitas Magalonensium. *l'Evesché de Magalone, ou Mompelier.*
Civitas Nemausensium. *l'Evesché de Nimes.*
Castrum Luteua. *l'Evesché de Lodeve.*
Castrum Vcetiense. *l'Evesché d'Vsetz.*

PROVINCIA VIENNENSES TERTIA.

METROPOLIS. Civitas Aquensium. *l'Archevesché d'Aix.*
Civitas Reiensium, id est Reius. *l'Evesché de Ries.*
Civitas Aptensium. *l'Evesché d'Apt.*
Civitas Forojuliensium. *l'Evesché de Feriuls.*
Civitas Wapincensium. *l'Evesché de Gap.*
Civitas Segestorium. *l'Evesché de Sisteron.*
Civitas Antipolitana. *La Ville d'Antibe, ou Antibol.*

PROVINCIA VIENNENSIS QVARTA, in Alpibus Maritimis.

METROPOLIS. Civitas Ebrodunensium. *l'Archevesché d'Ambrun.*
Civitas Diniensium. *l'Evesché de Dine.*
Civitas Rigomagensium.
Civitas Sollinensium.
Civitas Saniciensium, id est Sanici. *l'Evesché de Senas.*
Civitas Glannatena. *l'Evesché de Glandeves.*
Civitas Cemelevensium.
Civitas Venciensium. *l'Evesché de S. Paul de Vences.*

PROVINCIA VIENNENSIS QVINTA. Alpium Grajarum Peninarum.

METROPOLIS. Civitas Centronum, hoc est Tarantasia. *l'Archevesché de Tarantaise.*
Civitas Vallensium, hoc est Octodurum. *Sainct Mauris.*

PROVINCIA AQVITANIA PRIMA. Sexta Viennensis.

METROPOLIS. Civitas Bituricum, vel Betorigorum. *l'Archevesché de Bourges.*
Civitas Arvernorum. *l'Evesché de Clermont en Auuergne.*
Civitas Rutenorum. *l'Evesché de Rodes, ou Rodais.*
Civitas Albigensium. *l'Evesché d'Albi.*
Civitas Cadurcorum. *l'Evesché de Caors.*
Civitas Lemovicum. *l'Evesché de Limoges.*
Civitas Gabalorum. *l'Evesché de Giuauldan.*
Civitas Velaunorum. *Le Païs de Velai.*

PROVINCIA AQVITANIA SECVNDA, Septima Viennensis.

METROPOLIS. Civitas Burdegalensium. *l'Archevesché de Bourdeaux.*
Civitas Agennensium. *l'Evesché d'Agen.*

Civitas Ecolismensium. *l'Evesché d'Engoulesme.*

Civitas Sanctonum. *l'Evesché de Sainctes.*

Civitas Pictavorum, vel Pectavorum. *l'Evesché de Poitiers.*

Civitas Petrogoriorum. *l'Evesché de Perigueus.*

PROVINCIA AQVITANIA TERTIA NOVEMPOPVLANA octava Viennensis.

METROPOLIS. Civitas Ausciorum. *l'Archevesché d'Auch.*

Civitas Aquensium. *l'Evesché d'Aqs.*

Civitas Lacturatium, vel Lastoracium. *l'Evesché de Laictoure.*

Civitas Convenas. *l'Evesché de Cominges.*

Civitas Consarannorum, vel Consorannorum. *l'Evesché de Conserans.*

Civitas Boatum, id est, Borus. *Le Païs de Buchs.*

Civitas Benearnensium, id est, Benaanus. *Le Païs de Bearn.*

Civitas Aturensium. *l'Evesché d'Aire.*

Civitas Vasatica. *l'Evesché de Basats.*

Civitas Tarba, vel Castrum Begorra. *l'Evesché de Tarbe, de Bigorre,*

Civitas Eloronensium. *l'Evesché d'Oloron en Bearn.*

Civitas Elusatium. *La Ville & Païs d'Euse en Gascogne.*

Notitiam hanc Provinciarum Galliæ in Membranis etiam mihi monstravit in Bibliotheca, quam habet instructissimam cum ab Impressis, tum MSS. Libris V. CL. Bonaventura Vulcanius, Græcæ Linguæ in Academia Batavorum Professor, Collega mihi amicissimus. In ea (ne & hæc indicta mihi abeant) ad *Lugdunensem* II post *Civitatum Abrincantum*, additur *Civitas Ebroicorum*, cui recentiore manu innotatum *Evancorum*: non dubito, quin qui libellum exaravit, scribere voluerit *Eburonum*, *Eborum* vel *Eburovicum*. Nam & his in *Lugdunensi* II sedes erant, ut cap. xxx dicam. Hodie *L'Evesché d'Eureux*. Sequebatur mox in ijsdem Membranis *Civitas Salarum*, id est, *Saiorum*: quod moneo, non probo. Ad *Germaniam* II. *Civitati Tungrorum* subiicitur *Civitas Nova*, I. *Leodium*. In fine *Viennensis* I notatur etiam *Civitas Massiliensium*, quæ alijs deest.

Ammiani Locus de XVII Galliæ Provincijs discussus.

Ammianus Marcellinus lib. xv confuse quæ in Notitia Provinciarum, & non satis plene commemorat: *At nunc numerantur Provinciæ per omnem ambitum Galliarum:* SECVNDA GERMANIA, *Prima ab Occidentali exordiens cardine, Agripina & Tungris munita, Civitatibus amplis & copiosis. Dein* PRIMA GERMANIA; *ubi, præter alia Municipia, Magontiacus est, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus, barbaricis Cladibus nota. Post has* BELGICA PRIMA, *Mediomatricos prætendens, & Treveros, Domicilium Principum clarum. Huic adnexa est* SECVNDA BELGICA; *qua Ambiani sunt, Vrbs inter alias eminens, Catallauni & Remi. Apud* SEQVANOS (designat MAXIMAM SEQVANORVM, quæ & LVGDVNENSIS QVINTA) *Vesuntios videmus, & Rauricos, alijs potiores Oppidis multis.* LVGDVNENSEM PRIMAM *Lugdunus ornat, & Caballiones, & Senones* (pertinent hi apud alios ad LVGDVNENSEM QVARTAM) *& Bituriges* (commemorantur ijs, qui in AQVITANIA PRIMA) *& mœnium Augustoduni magnitudo vetusta.* SECVNDAM *enim* LVGDVNENSEM *Rotomagi, & Turini Mediolanum* (legendum *Turoni & Cenomani*: qui duo Populi ab alijs concensentur LVGDVNENSI TERTIÆ) *ostendunt: & Tricassini* (*Trecasses* alij describunt in LVGDVNENSI QVARTA.) ALPES GRAIÆ & PENINÆ (notat Provinciam VIENNENSEM QVINTAM) *exceptis obscurioribus, habent & Aventicum* (hæc tamen Vrbs ab alijs ponitur in LVGDVNENSI QVINTA) *desertam quidem Civitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta nunc quoque demonstrant. Hæ Provinciæ Vrbesque sunt splendidæ Galliarum. In Aquitania, quæ Pyrenæos Montes, & eam partem spectat Oceani, quæ pertinet ad Hispanos, prima Provincia est* AQVITANICA (universim sumta pro PRIMA, SECVNDA, TERTIA: nam Vox *Prima* apud Ammianum non ordinis esse videtur, sed dignitatis: *Prima*, præcipua est *Aquitanica*, si cum alijs *Aquitaniæ* Regionibus, ut *Novempopulonia* & *Narbonensi* committatur) *amplitudine Civitatum admodum culta: omissis alijs multis, Burdegala & Arverni* (in AQVITANIA PRIMA) *excellunt, & Santones & Pictavi* (uterque Populus in AQVITANIA SECVNDA.) NOVEM POPVLOS (NOVEMPOPVLANIA eadem cum AQVITANIA TERTIA & VIENNENSI OCTAVA) *Ausci commendant & Vasates.* In NARBONENSI (eadem cum VIENNENSI SECVNDA) *clusa est Narbona & Tolosa, quæ principatum Vrbium tenent.* VIENNENSIS (PRIMAM significat)

Civitatum

Civitatum exsultat decore multarum, quibus potiores sunt Vienna ipsa, & Arelate, & Valentia: quibus Massilia jungitur, cujus societate & viribus in discriminibus arduis fultam aliquoties legimus Romam. His prope Salluvij sunt, & Nicaa, & Antipolis, Insulaque Stœchades. Nominat ordinis incuriosior *Lugdunensem Primam, Lugdunensem Secundam, Maximam Sequanorum* (quæ eadem cum *Lugdunensi Quinta*) *Belgicam Primam*, *Belgicam Secundam*, *Germaniam Primam, Germaniam Secundam, Viennensem Primam, Narbonensem* (eamdem cum *Viennensi Secunda*) *Alpes Graias* & *Peninas* (quæ in *Viennensi Quinta*) *Aquitanicas Primam* & *Secundam, Novempopuloniam* denique, vel *Aquitaniam Tertiam*: nullam faciens mentionem, ad plenum XVII Provinciarum numerum constituendum, *Lugdunensis Tertiæ* & *Quartæ*: nullam item *Viennensis Tertiæ* & *Quartæ*.

Hæ igitur Septemdecim sunt Provinciæ, in quas Augustus Cæsar Gallias divisit, & in quibus Constantinus Magnus varia Officia & Magistratus constituit; ut in Notitia Provinciarum Imperij Romani plenius est videre. De Primis nonnihil addam. Constantinus, de quo dixi, institutis quatuor *Præfectis Prætorio*, duobus in *Oriente*, totidem in *Occidente*; alterum *Occidentis* in Vrbe Roma, alterum in Vrbe Treverensi collocavit, qui *Præfectus Prætorio Galliarum* vocatus fuit: & quia per occupationes Imperij in illis Vrbibus perpetuo hærere ipsis non licebat, *Vicarij* aliquot eis sunt attributi, qui eadem potestate Provincijs Ius redderent. Præfecto igitur Prætorij Galliarum tres *Vicarij* dati. Primo Sedes designata Treveris, Secundo Lugduni, Tertio Viennæ. Itaque ut horum Vicariorum magna erat auctoritas, ita Vrbium quoque, in quibus Sedem habebant, maxima claritas. *Treverensi* Vicario parebant *Prima* & *Secunda Germania*, & *Belgica*, & tota *Britannia* Insula: *Lugdunensi quatuor Lugdunenses* cum *Maxima Sequanorum*: *Viennensi Prima* & *Secundæ Narbonensis* & *Aquitania*, *Alpes Graiæ* & *Pœninæ*, *Alpes Maritimæ*, *Novempopulania*. Totum illud, quod unius Vicarij Iurisdictioni subjacebat, Latini quo modo designarint, non constat: sed Græci Ἐξαρχίας, Διοίκησιν, Παροικίαν vocabant.

Præfectus Prætorio Galliarum.

Vicarij ejus tres.

Treverensis, Lugdunensis, Viennensis.

Sequens ætas, quum jam Romanorum Imperium ad exitium vergeret, sensimque suis partibus variorum Populorum incursibus miserum in modum truncaretur, varie Gallias distribuit. Quum enim Gothi Francique omnia occupassent, alia ibi cœperunt esse *Gothorum*, alia *Francorum*, alia *Romanorum Gallorumque Indigenarum*, quorum, quod à priorum nutu & arbitrio penderent, inferior pejorque erat conditio, præcipue ex Fœdere inter Constantium Comitem & Walliam Gothorum Regem, quod incidit in annum Christi CCCCXVI, quo COSS. erant Theodosius Iunior Augustus VII, & Iunius Quartus Palladius. Consulendi Prosper, Cassiodorus, Iornandes in histor. Gothor. cap. XXXII, Paullus Diaconus lib. IV, Isidorus in Chronico Gothorum. De Limite etiam inter Gothos & Romanos multa legere est apud Sidonium Apollinarem, cum primis lib. I. epist. VII, lib. III. epist. I, lib. VII. epist. VI, lib. VIII. epist. III. Anno CCCCLXI Childerico IV Francorum Rege Regia dignitate ob Luxum, cui deditus erat, & Tributa, quibus Populum vexabat, exuto; habenisq; Ægidio Romano Magistro Militum, qui pro Romanis apud Suessones sedebat, magno animorum consensu traditis; ex pacto maxima *Lugdunensis* Galliæ pars *Romanis*; *Narbonensis* & omnis *Aquitania Gothis*; quidquid ab Rheno ad Ligerim *Meroveis* cessit. Videndi Vigebertus, Trithemius, Otto Frisingensis lib. IV. cap. XXXII, Gregorius Turonensis lib. II. cap. XII & alij.

Galliarum alia quando esse cœperint *Romanorum*, alia *Gothorum* alia *Francorum*.

Tempore Iustiniani Galliarum Regna leguntur sex, *Parisiorum*, *Mediomatricum*, *Aurelianorum*, *Suessonum*, *Burgundorum*, *Aquitanorum*. Adeundi Venantius Fortunatus, Paulus Diaconus, Gregorius Turonensis, Sigebertus, Regino, Ado Viennensis reliquique Francici Scriptores.

Galliarum Regna sex.

Post Karoli Magni Principatum illa Divisio, quamquam antea non prorsus ignota, obtinuit; ut alia diceretur *Austrasia*, id est Orientalis; alia *VVestria* (corrupte enim quibusdam scribitur *Neustria*) id est Occidentalis: ut iidem Scriptores testantur.

Austrasia, Westria.

Sic igitur Regnorum vices multa, ut vidimus, in Antiquis Divisionibus immutarunt: sed (ut in litteris suis ad me Nobilissimus Vir Iosephus Scaliger, de sua Gallia) Status Ecclesiasticus tam in Oriente quam in Occidente ejus integra Vestigia hactenus retinuit. Nam Civitates, quæ Provincijs nomina fecerunt, Μητροπόλεις vocant, & si in eis sedes fuerit Vicarij, quem Ἔξαρχον dicebant, eas non solum Μητροπόλεις,

Ἔξαρχοι.

Πατριάρχαι. Μητροπολῖται, Ἀρχιεπίσκοποι, Ἐπίσκοποι.

πόλεις, sed & Ἐξαρχίας, & Πατριαρχίας nominant; & Præsules earum Ἐξάρχους καὶ Πατριάρχας. reliquos Μητροπολίτας καὶ Ἀρχιεπισκόπους, qui sub se tantum Ἐπισκόπους habent: Nam οἱ Ἔξαρχοι sub se, præter Ἐπισκόπους, etiam Μητροπολίτας habent: Μητροπολῖται vero tantum Ἐπισκόπους. In Ecclesia Latina *Archiepiscoporum* & nomen & jus manet, & Iurisdictio Canonica in suos Episcopos Suffraganeos: sed Ἐξαρχιῶν nulla vestigia exstant: nisi forte quædam umbra ejus fuerit, quod *Metropolita* sive *Archiepiscopus Viennensis Primatem Primatum* sese appellat. Eo enim ostendit sub se *Primates* habuisse, qui sub eo essent, *Narbonensem Primatem Provinciæ*, *Bituricensem Primatem Aquitaniæ*. Aliter quo modo, aut quo jure, *Primas Primatum* diceretur, nisi ratione Diœceseos *Vicarij Viennensis Præfecti Prætorio*, qui septem Provincias sub se habebat, in quibus *Prima Narbonensis* & *Prima Aquitania*? Quod vero *Lugdunensis Primatem* se vocari gaudeat, nuperum est, & illi ex benificio Romani Pontificis indultum: neque tamen adeo novum est. Nam Guilielmus Brito in sua Philippeide ita canit:

Archiepiscopus Viennensis Primas Primatum quo modo? Lugdunensis Archiepiscopus Primas.

Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat,
Vt fama est, Primate regi.

At *Primas Primatum* antea dici jure non potuit, quia nullam *Primam Provinciam* sub se habebat. *Viennensis Primas* quidem *Primatum* vocari vult, sed Caussam tam ille, quam omnis Ecclesia ignorat. Quapropter Divisio Galliarum per *Diœceses Ecclesiasticas* & *Episcopatus*, ut omnium antiquissima, ita certissima nobis sequenda erat, neque ulla melior erat quærenda, si integræ illæ Ἐξαρχίαι adhuc Finibus Regni Francorum continerentur, ut olim sub Karolo Magno, & ejus Filio & Nepotibus: sed quia ex illo amplissimo Imperio multæ Provinciæ detractæ sunt, alia nobis Tributio instituenda. Galliæ igitur sive Franciæ Imperium octo Tribunalibus temperatur, quæ Ius reddunt Provincijs suis, à quibus Provocatio non est, quorumque & Majestas augustissima est & Auctoritas sacrosancta. *Parlamenta* Galli Idiomate suo vocant, ut prolixius docui capite XVII. Non possum meliorem Partitionis rationem inire, quam si in octo hæc Parlamenta omne Francorum Regnum dividam, & ea in Provincias suas. Provincias quidem novi, quot Gallia Reges adipiscitur, tot fere Mutationes, Nomina & Regimina subire; eam ob caussam non ignorans consultius esse ut à Parlamentis Divisio procederet porro per *Diœceses* & *Episcopatus*, quum etiam illa proxime accedat ad priscam Imperij Romani notitiam: sed quia Geographis in more positum, ut quæ suis temporibus obtineant in Regnorum Regionumque terminis, ea quam fidelissime fieri potest, indicent & proponant, religio mihi ab recepta tam multis probataque hactenus consuetudine discedere. Quamobrem talem ego docendi, Galliasque commode cumque fructu explicandi gratia, Distributionem excogitavi.

Galliarum hodierna distributio.

Provinciæ quæ in Galliarum delineatione ab Geographis hodie solent exponi, aliæ Francorum sunt Regis, vel Regi subjectæ; aliæ extra Francorum Ditionem. Quæ prioris generis optime meoque Instituto convenientissime, divido in sua *Parlamenta*, quæ, ut dixi, octo sunt numero: Vnum quidem Principale; reliqua Accessoria. Principale est *Parisiense*, omnium Primum, & olim unicum solumque. Parlamenti Parisiensis Sedes Præsidiales, ut multæ (nam latissime ejus se extendit Iurisdictio) sic variæ admodum sunt, in varijs constitutæ Provincijs. Eas Ligeris facit alias Septemtrionales, alias Meridionales. Quod ad Priores in Vetere quidem Belgica, hodie est PICARDIA *La Picardie*; in Celtica vero versus Occidentem FRANCIA, *La France*, strictius sumta (cujus tamen etiam nonnulla incidunt in Belgicam) & BELSIA, *La Beausse*: versus ortum CAMPANIA, *La Campaigne*, & LVGDVNENSIS TRACTVS, *Pais de Lionnois*. Quod ad Meridionales, possidebat eas olim ex Veterum delineatione, cum Narbonensi, Aquitanica. Dicebatur autem Aquitania in dextra Garumnæ ripa, partim Prima, ubi hodie cis Vigennam BITVRICIVM, *Berry*, & BORBONIVM, *Bourbonnois*; ultra vero PICTONIVM *Poictou*, Agerque & INCVLISMENSIS *Angoulesme*, & ALNISIENSIS, *Le Pais d'Aulniz*: partim Secunda, ubi nunc ARVERNIA, *Auuergne*. Accessoria Parlamenta sunt, quæ Principale illud quasi circumeunt, versus Occidentem ad Ligeris dextram *Rotomagense*, sub quo NORTMANNIA, *La Normandie*: & *Redonense* cui subest BRITANNIA, *La Bretaigne*: ad sinistram *Burdigalense* & *Tolosanum*, quorum quodque sua extendit jura nunc integre & separatim; nunc vero mistim in aliquot adsignatas sibi Veteris Aquitaniæ Narbonensisque Galliæ Ditiones.

Integre

Integre quidem *Burdigalensi* subsunt LEMOVICIVM, *Limosin*, PETROCORIVM, *Perigort*, GVIENNA, *La Guienne*; *Tolosano autem* CADVRCIVM, *Quercu*, RVTENIVM, *Rouargue*, LANGVEDOKIVM, *Languedoc*: Mistim vero utrique VASCONIA, *La Gascogne*: quemadmodum plenius ex sequentibus patebit. Iam versus Orientem ad Mare Gallicum, Parlamentum est *Aquense*, cujus Iurisdictioni obtemperat PROVINCIA, *La Provence*; in Mediterraneis *Gratianopolitanum*, ab cujus nutu pendet DELPHINATVS, *Le Daulphiné & Dauphinense*, quod in Iure Summo dicundo adgnoscit DVCATVS BVRGVNDIÆ, *Le Duché de Bourgongne*. Hactenus quæ Regis. Extra Ditionem Francorum, in Francia tamen, suos habent etiam Dominatus alij Principes, & Ecclesiastici & Politici. Pontificis enim Romani est COMITATVS AVENIONENSIS, *Avignon*; Politicorum alij sunt Ducatus, ut SABAVDIA, *Savoie*, & LOTHARINGIA, *Lorraine*; alij sunt Principatus, ut BENEARNIA, *Bearn*, & ARAVSIO, *Aurange*; alij Comitatus, ut BVRGVNDIA, *La Conté de Bourgongne* & CAROLESIVM, *Charolois*. Has Regiones si fideliter ordine a me indicato perambularo, Lectores spero ita judicaturos, me nullam non partem, vel obiter, attigisse: pleraſque Vrbes adijsse; &, si non omnia, præcipua saltem de singulis dixisse. Illud obiter hic monendum duxi, Appianum testari Galliarum ἔθνη fuisse τετρακόσια· πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας. Minor est numerus in Templo, quod ab omnibus communi consilio Gallis Augusto Lugduni exstructum: de quo Strabo lib. IV. Τό, τε ἱερὸν τὸ ἀναδειχθὲν ὑπὸ πάντων κοινῇ τῶν Γαλατῶν Καίσαρι τῷ Σεβαστῷ. πρὸ ταύτης ἵδρυται τῆς πόλεως, ἐπὶ τῇ συμβολῇ τῶν ποταμῶν. ἔστι δὲ βωμὸς ἀξιόλογος ἐπιγραφὴν ἔχων τῶν ἐθνῶν ξ τὸν ἀριθμόν. Vnde tanta in numero Gentium Galliæ discrepantia? Appianum existimo Gentes universim designare totius Galliæ; eas fuisse circiter *quadringentas*: Aram autem Lugdunensem eas tantum habuisse, a quibus illa in Augusti honorem fuit posita, *sexaginta* scilicet.

Gallicarum Gentium numerus, teste Romanorum Lapide.

Qui porro, quam ego vel in superioribus attuli, vel in sequentibus sum allaturus, plura, vel saltem mea pluribus fusiusque explicata, petat: consulat moneo, quod quidem ad universæ Galliæ delineationem, præter alios, Robertum Cœnalem, qui integro volumine Gallias descripsit, Gilbertum Cognatum Nozorenum, Ioannem Marium, Chassanæum lib. XII de Gloria mundi, Gulielmum Postellum in libello Vniversitatis, Sebastianum Munsterum, Franciscum Belleforestium, Andream Thevetum, Abrahamum Ortelium & Gerardum Mercatorem; quorum ille XVI, hic XII Chartis Galliam depingit: quod autem ad Gallorum Mores, Resque ab illis gestas, adeat Lector ex Antiquis C. Iulij Cæsaris Libros VII de Bello Gallico, ijsque additum ab A. Hirtio VIII, Appiani Alexandrini Celticum, sive de Bello Gallico, & alios, quos varijs supra locis laudavi; ex Recentioribus, medijque ævi, Scriptores illos Annalium & Historiæ Francorum, quos maximo Reip. litterariæ bono nuper edidit P. Pithœus IC: his addat Hunibaldi libros XVIII, in quibus tamen multa fabulosa & commenticia, sermoque plane barbarus; Gregorij Turonensis Episcopi libros X; Aimoini Monachi Floriacensis Cœnobij Libros de Regibus Francorum V; item Ioannem Tritemium, Frossardum, quique eum supplevit, Enguerranum, Robertum Gaguinum, Philippum Cominæum, Nicolaum Gillium, Paulum Æmilium, Ioannem Ferronium Ioannem Tilium, Henricum Leonardum, Hermannum Comitem, Nicolaum Vignerium, Gulielmum Paradinum, Papirium Massonium, Galeatium Capellam, qui scripsit de bellis in Italia gestis inter Karolum V & Franciscum Galliarum Regem. De Gallorum Imperio & Philosophia libros VII scripsit elegantes & eruditos Stephanus Forcatulus IC. Alios alijs, quibus otium curiosius hæc talia consectandi, adponendos nominaris à me relinquo.

Scriptores Rerum Gallicarum.

Ad specialiora Galliarum pergo. Occurrit in mea Distributione primo loco *Picardia*.

Picardia.

CAP. XX.

Picardia.

PICARDIA. *Picardis.* *unde dicta.* PICARDIÆ Nomen quamvis non magnæ antiquitatis, nulla tamen ejus certa potest reddi ratio. Alij aliam augurantur: Inter eos Robertus Cenalis, Episcopus Abrincantensis, vel, ut alij, Arboriensis, *Picardos* dicit vere esse Gallos; se nihilominus ignorare, num à *Begardis* hæreticis (quos constat Ludovici Bavari Imperatoris tempore, circa annum CIↃ CCCXIV, quasdam Inferioris Germaniæ Urbes coluisse) nomen hoc sint mutuati. Belleforestius *Picardos* antea fuisse vocatos scribit, quam *Becardi* in rerum essent natura, quamque ulla istius Sectæ audiretur mentio. Sunt qui appellatos censent Picardos; quod ab his ortus primo usus Lancearum, quæ vulgo *Picques* nuncupantur. Ego rem in medio relinquo.

Ejus Fines olim. Hujus Regionis, quæ quomdam in Antiqua Belgica (ea præcipue, quæ *Secunda* posteriori ævo) appellatio latius olim patuit; complexa Artesiam Flandriæque partem ad Lisam usque Amnem: alijs multo etiam ulterius tendentibus ad Scaldim usque & Renum Fluvios. *hodie.* Hodie *Picardiam*, ut crasse diffiniam, ad Occasum respicit, cum nonnulla Normanniæ portione, Oceanus Britannicus: ad Septemtrionem istæ Veteris Belgicæ jacent Regiones, quæ hodie Artesia & Hannonia: ad Ortum Leuceburgum & Lotharingia sunt porrectæ: ad Meridiem denique Campania, isque nobilissimi Regni Tractus, qui specialiore notione Francia vocatur, occurrunt.

Qualitas. Regio est fertilissima, Horreumque Parisiorum, atque adeo pleræque Franciæ. Vino caret, ignava potius Incolarum socordia, quam vel Cœli vel Soli injuria.

Veteres Incolæ. Ambiani. *Picardiam* habitarunt olim *Ambiani, Suessones, Veromandui, Essui, Oromansaci, Morini*, & alij fortean.* *Ambianorum* Sedes, ubi hodie opulentissima Urbs *Ambianum*, vulgo *Amiens*: Eorum frequens apud antiquos Scriptores mentio, Cæsarem, Plinium, alios. Ἀμβιανοὶ Ptolemæo, & Straboni. Cæsar *Ambianos Morinis* jungit, quorum fines *Nervij* attingebant: Strabo *Ambianos Morinis* facit propinquos, & *Suessones*: Ptolemæus post *Bellovacos* in Gallia Belgica statuit *Ambianos*. *Suessones.* *Suessones*, vel, ut alij scribunt *Suessiones*, sæpe apud Cæsarem (qui & *Eleutheros*, Liberos, prænominat lib. VII quemadmodum & *Cadurcos*, de quibus cap. XXXV) memorantur. Συεσσίωνες apud Strabo-

Strabonem: ubi Iſaacus Caſaubonus legit Σουεσσῶνες: Ptolemæo Οὐέσσονες, repono Σουέσσονες. Hodie *Soueſſons*. Apud *Sueſſones* ætate memoriaque Cæſaris Rex *Diviciacus*, totius Galliæ potentiſſimus, fuit; qui cum magnæ partis harum Regionum, tum etiam Britanniæ Imperium obtinuit: Deinde *Galba* ſucceſſit. Et cujuſmodi Regnum hoc fuerit, hinc intelligi poteſt, quod Sueſſones Remorum Fratres Conſanguineique eodem jure iiſdemque legibus uterentur, unum Imperium, unumque Magiſtratum cum illis haberent. *Sueſſonum* latiſſimi feraciſſimique fuerunt Agri, & Opida duodecim; quorum unicum ab Cæſare nominatur *Noviodunum*, quod ipſe poſt Belgarum diſceſſum ex itinere oppugnare conatus, propter latitudinem Foſſæ, murique altitudinem, paucis licet defendentibus, expugnare non potuit. *Veromandui* Cæſari (qui in libris de bello Gallico de ijs multa) Plinioque Galliæ Belgicæ Populi: qui Ῥωμάνδιοι Ptolemæo, & in nonnullis Exemplaribus Ῥομάνδυες pro Οὐερομάνδυες, inquit Surita; *Veromandui* Epitomæ Livianæ libri C I V, item Lapidi antiquo, qui, teſte apud Abrahamum Ortelium Iacobo Carondiletio, Cancellario Leodienſi, in Pago Hannoniæ, qui vulgo *Arfaures* prope Bavacum. *Eſſuos* Cæſar nominat: Eorum Sedes ubi hodie illa Picardiæ portio, quæ *Tiraſcha*, quaſi, ut Bovillus cum alijs opinatur, *Terra Eſſuorum*. Alij *Eſſuos* ponunt ubi nunc *Retelois*: alij ubi *Beſſin*, prope Baiocaſſes, *Baieux*: Divæus Comitatum *de Eu* putat. Hubertus Leodius tradit eos *Athum* Hannoniæ Vrbem occupare: ſic quot Capita, tot Sententiæ incertiores nos relinquunt. *Oromanſaci, juncti Pago*, inquit Plinius, *qui Geſſoriacus appellatur*: fuiſſe cenſentur, ubi hac tempeſtate *Comitatus Guinenſis*. *Morini* Virgilio, Cæſari, Plinio, alijſque noti; Ptolemæo & Straboni Μόρινοι: olim, ubi nunc in ruinis jacet *Teroana*, quæ in Notitia, ut alibi vidimus, *Civitas Morinorum*, id eſt *Ponticum*. *Morinorum* meminit Lapis, qui in Gelria, dimidiato ab Vrbe Neomagenſi Miliario, repertus.

Veromandui. Eſſui. Oromanſaci. Mor…

MINERVAE
CVR. LADAE
T. FVNICIVS. C
NIALIS. II. VIR. C
LON. MORINO
RVM. SAGR.DS
ROMAE. ET. AVG
OB. HONOREM
F. V. A. M. O. V. L

Vadicaſſes ſunt apud Plinium; qui Οὐαδικάσιοι Ptolemæo: quomdam, ubi nunc *Noion*, *Noviomagus* Antonino inter Sueſſones & Ambianos; Νοιόμαγος *Vadicaſſium* Ptolemæo. Alij ſunt *Vadicaſſes* ab *Baiocaſſibus*; de quibus in Normannia: nam temere quidam confundunt. Vadicaſſes.

Picardia porro in tris dividitur partes, *Veram*, *Inferiorem*, *Superiorem*. De poſtrema nihil hoc libro dicam. Occupatur enim Tota fere ab ijs Regionibus, quæ in Inferiore Germania, interque Septemdecim Provincias principem obtinent locum; de quibus libro V. Picardia Triplex.

Vera (*La vraye Picardie*) cœpto Pariſijs itinere, ſuperatiſque Bellovacorum Agris, initium eſt ad Crepacorium. Comprehendit *Vicedamias* (Communibus utar Vocabulis, ut melius intelligar) *Ambianam*, *Corbienſem & Pequignyam*: *Comitatus Veromanduorum & Retelorum*; *Ducatum Tiraſchenſem*. Vera, in qua Vicedamiæ.

Ambiana (*Viſdamie d'Amiens*) nomen dedit *Ambianum*, vulgo *Amiens*: olim uti cenſent V. N. Ioſephus Scaliger, Petrus Divæus, Goropius Becanus, Ioſias Simlerus, & alij, Samarobriva. Sigebertus etiam *Ambianum* idem facit cum *Sommonobria*; ſic ille ſcripſit pro *Samarobriva*. Alij, quum *Samarobrivam* & *Ambianos* duo diverſa ſe dicerent legere opida apud Antoninum, in eam ierunt ſententiam, ut arbitrarentur *Samarobrivæ* memoriam hodieque ſervari in opido, quod ad *Somonam* (vel, ut alij ſcribunt, *Suminam*) *Brayum* nominatur. Sed potuit eadem urbs & *Samarobriva* vocari & *Ambiani*, quod horum Populorum ea eſſet caput. Itinera Antonini, quæ utriuſque faciunt mentionem, alibi videbimus: Prius quidem, quod ad Pi- Ambiana, cum Vrbe Ambiano, olim Samarobriva.

ad Picardiam proprie pertineat, ad finem hujus capitis, alterum, quod multas simul Galliæ Regiones complectatur, ad Libri finem. *Samarobrivæ* meminerunt, præter posterioris ævi Scriptores, aliquoties Cæsar lib. V de Bello Gallico & Cicero lib. VII. Epist. ad Trebatium; ut falsum sit, quod superioribus adscribit Sigebertus, Vrbem hanc ab Antonino Pio Imperatore fuisse conditam. Majorem habet vetustatem. Ptolemæo appellatur Σαμαροβρίγα. Quidam Antonini Codices *Samarabrivam*, alij *Samarabrigam* præferunt. *Brigam* antiqua Hispanorum Lingua, & *Briam* Thracio sermone, Vrbem nuncupari alias dixi. Nonnulli *Somonobrigam* scribunt à *Ponte* (Belgice *Brug*) quo Somona fluvius traijciebatur. *Ambianum* certe Vrbs est ad Somonam, qui eam hic ibi findit (unde quidam *Ambianum* putant dictum ab Imperatore Gratiano, quod Aquis ambiatur) munitioribus Galliarum & ab natura & ab hominum industria merito connumeranda; Fossis pulcris præaltisque vallata; Clavis ea parte Regni. Templum habet speciosissimum. Incolæ multis clarent Privilegijs; inter ea, quod cum ab exterorum militum Præsidijs, tum ab subsidijs sint immunes. Probitate sane Fidelitateq; sunt insignes. Fabulantur quidam ab Alexandri Magni Militibus conditum. Ambiano tribuit Antonini Itinerarium *Legionem* XXIII. Episcopos ejus Belleforestius recenset LXIII; inter eos autem ultimum *Ioannem Crequium*.

Corbiensis, cum opido *Corbia*, quomdam *Curmiliaca*.

Corbiensis ab *Corbia*, quod Opidum est ad Somonam; quo loco fluvius, cui adjacet, Somonam ingreditur: Clavis itidem, qua parte jacet, Franciæ. *Curmiliaca* forte Antonini, inter *Samarobrivam, Amiens* & *Cæsaromagum, Roye*, ni fallor.

Pequignya cum suo item Opido.

Pequigmia denique à *Pequigmo*, vulgo *Pequigny*. Opidum est sic dictum, si vulgo fides, à *Pignone*, Alexandri Magni Milite. Historiographis nobilitatum, quod ibi Gulielmus Nortmanniæ Dux, cui cognomen erat *Longa-Spatha*, positis insidijs fuerit obtruncatus per factionem Balduini Comitis Cameracensis, qui cum pacis ineundæ prætextu eo loci pellexerat. Testantur Nortmanniæ Annales. Memoriæ etiam produnt Francicarum rerum Scriptores Anglos, postquam prælio jam essent victi, superstites omnes ibidem fuisse occisos, qui nomen *Pequigny* literis omnibus pronunciare nequibant, *Pequenÿ* loco *Pequigny* proferentes.

Veromandui, *Vermandou*.

Veromandui de quibus antea dixi, hodie vulgo *Vermandois*, retento, si qui alij Galliæ populi, prisco Nomine. Picardiæ pars, aliquando Comitatus titulo celebris. Inter Comites primum invenio *Hugonem*, Henrici I Francorum Regis filium, Philippi Regis fratrem: qui cum alijs Proceribus Bello Sacro, quod in Palæstina, Duce Godefredo Bilionæo, anno CIↃXCIX gestum, interfuisse legitur. Successerunt huic duo *Rudolphi* Filius & Nepos; quorum hoc sine Liberis defuncto, Comitatus ad Regnum est devolutus. Wandali, facta in Gallias cum Burgundionibus irruptione, Provinciam hanc miserum in modum adflixerunt. Comprehendere vero sub se Comitatum hunc signant Franciæ Geographi *Suessonum*, *Laudunensium*, *Tartenorum* Ditiones; Vrbes item *Noviomagum* & *Fanum S. Quintini*.

Suessones

Sueßones, quorum antea memini, hodie vulgo *Soueßones*, vel, ut alij pronunciant, *Soißonnois*. *Sueßonum* Vrbs, quæ hodie *Soißon*, Arce prædita; *Sueßones* gentis voce, apud Antoninum, qui Legionem ei XXV attribuit; Σουεσσίωνες Straboni; Αὐγοῦστα Σουεσσόνων (sic enim emendandum, pro Οὐεσσονῶν) Ptolemæo; *Civitas Sueßonum* in Dignitatum libello dicitur. Eripuit hanc Vrbem Siagrio, Gilonis Romani Prætoris filio Hlodovæus: quo defuncto, Filij decus illi Regiæ Civitatis, quo Cæsaris tempore claruerat, reddiderunt. Postea Comitatus Titulo fuit insignis. *Karolus* Ludovici Principis Condæi filius Comes audit Sueßonum. Episcopatus est, cujus Belleforestius Præsules numerat nominatque LXXIX; ultimum *Matthiam Parisinum*. *Sueßones, Soißonnois, Soißon. olim Augusta Sueßonum.*

Laudunensium Ager, *Laonnois*, dictus ab *Lauduno*: cujus meminit Vita Karoli Magni, quodque inemendatius forte apud Antoninum *Alauna*, quod denique plenius effert suis ad me Litteris Magnus Scaliger, *Laudunum Clavatum*: hodie *Laon*. Conditam vult hanc Vrbem Papirius Maßonius ab Macrobio Prætore. Situs ipsi in Colle. Invasit eam Karolus Lotharingiæ Dux, Ludovici Regis Francorum, Stirpis Karolinæ ultimi, Patruus; quum se jure Succeßionis videret privatum ab Hugone Capeto. Præsules se Duces & Pares Franciæ scribunt. Eorum Syllabus apud Belleforestium, cui LXXIII recensentur, eorumque postremus *Ioannes Burserius*. *Laudunenses. Laonnois. Laon olim Laudunum.*

Tartenorum, vernacule *Tartenois*, Metropolis est *Fera*, vulgo *La Fere*: Vrbs egregie munita, situque commodißimo, ad Oysam Servamque confluentes; Arcem habens satis validam. *Tarteni. Tartenois. La Fere.*

Quæ nunc Vrbs *Noion*, Antonino *Noviomagus* nuncupatur, inter Sueßonas & Ambianos, ut antea dixi, eam collocanti, Decimamque octavam Legionem illi tribuenti. Νοουίομαγος Vadicaßium est Ptolemæo. Vulgo Ecclesiasticorum *Noviomus* vocatur per compendium; ut *Treßes* pro *Tricaßes*. Falluntur, qui eamdem faciunt cum *Novioduno*. Quatuor quidem *Novioduna* nominantur ab varijs Scriptoribus, sed eorum nullum commune quid habet cum *Noviomago*, de quo agimus. Vir N. Iosephus Scaliger suis ad me Litteris, Se Nugatoribus hac in re, etiam jurantibus, crediturum negat. Vrbs est, Antiquitatis suæ notas non paucas præferens. Episcopalis Sedes: cujus Præsules Comites se Noviomagienses & Franciæ Pares scribunt. Catalogus eorum apud Belleforestium, qui postremum edit *Ioannem Hangestum*, Senlisij Dynastæ filium. *Noion. olim Noviomagus.*

Fano S. Quintini, quod Comitum Veromanduorum aliquando Domicilium & Regiunculæ caput, nomen à *Quintino*, qui Martyrium ibi paßus. Olim *Augusta Veromanduorum*. Sic etiam diserte dicitur in Vita S. Quintini. Robertus tamen Cœnalis scribit hanc *Augustam* omnino dirutam, ejusque hodie nihil restare præter Cœnobium, quod vulgo *Vermand-Abbaye*. Quidquid sit, *Fanum S. Quintini*, Arce nunc *S. Quintin. olim Augusta Veromanduorum.*

nunc potens, multa sustinuit Damna, Calamitatesque Bello inter Philippum Hispaniarum & Henricum Galliarum Reges: quæ plenius à me explicata in Historia Rerum per Belgicam nuperis hisce Tumultibus gestarum.

Reteli, Retelois.

Hæc de *Veromanduis*: *Retelorum* (vulgo *Retelois*) ditio sita est inter Hannonios, Lotharingos & Barros. Metropolis *Reteium*.

Tirascia. La Tirasche. Metropolis Guisa.

Tirasche (*La Tirasche*) de qua ante nonnihil, primaria Vrbs est *Guisa*: Arce superbiens; Propugnaculum contra Leuceburgenses: Vetus Patrimonium Fratrum Primogeniti Lotharingiæ Ducis. Ducum *Guisæ* proximorum hoc lego Stemma:

Nuperorum Guisæ Ducum Stemma.

CLAVDIVS *Lotharingius, Dux Guisæ & Aumaliæ.*

- FRANCISCVS, Dux Guisæ obiit XII Kal. Mart. CIƆ IƆ LXIII, in Obsidione Aurelianensi.
  - HENRICVS, Dux Guisæ: cæsus XVIII Kal. Ianuar. CIƆ IƆ LXXXVIII in Comitijs Blesensibus.
    - FRANCISCVS Dux Ianuillæ.
  - LVDOVICVS Cardinalis Lotharingiæ: cæsus cum Fratre eodem tempore, ijsdem Comitijs, in conspectu Regis.
  - CAROLVS Dux Mayennæ.
- MARIA, defuncto Priore Marito Duce Longevillano, conjux inde Iacobi V Scotiæ Regis.
  - MARIA Stuarda Scotiæ Regina; supplicio adfecta XII Kal. Mart. CIƆ IƆ XXCVII.
- CLAVDIVS Dux Aumalius.

Inferioris Picardiæ Partes.

Sic se habet *Vera Picardia*: *Inferioris* (*La Basse*) variæ sunt partes: *Sancterra*, *Pontium*, *Bolonesium*, *Guynæum*, *Oyum*.

I Sancterra, in qua Mons S. Desiderij.

Sancterra, *Santerre*, concluditur inter *Montem S. Desiderij*, *Peronam* & *Roiam*: Frumenti variorumque Fructuum valde ferax. *Monti S. Desidery*, vulgo *Mondidier*, unde sit nomen, notum est. *Perona*, bellicis cladibus sæpe fatigata. Clavis ibi Franciæ, Arce potens. Hic Heribertus Veromanduorum Comes Captiuum detinuit Karolum Simplicem, Galliarum Regem. Late Papirius Massonius rerum Francicarum lib. x, & alij. *Roia*, opidum non contemnendum, Arce, ut fere omnia limitaneis his locis, validum: *Cæsaromagus*, nisi fallor, Antonino & Itinerariæ Tabulæ: *Cæsaromagi* etiam in Bellovacis meminit Ptolemæus. Alij *Rodrinam* esse volunt: quæ mihi *Romorantin*, ut suo dicam loco. Est ibidem *Nella*, Propugnaculum, ut multa alia; hac parte Regni, Arce munitum, ad Fontem fere Ingonis Fluvij; qui, exiguo cursu confecto, mox inter Rouyam & Voiennam in Somonam se exonerat. *Nella* Clarorum Virorum genitrix. Ejus Dynastæ Marchiones adfinitate juncti leguntur Familiæ Ceurteneæ, quæ originem traxit ab Regibus Franciæ.

Perona. *Roia, olim Cæsaromagus.* *Nella.*

II Pontium, Ponthieu.

Pontium, vernacule *Ponthieu*, Comitatus est, cui nomen creditur datum à *Pontium*, qui passim ibi, multitudine. Est enim Regio inter Somonam & Authyam fluvios: Paludibus plena: quæque Stagnis suis, ut ipse deprehendi, multis in locis invia. Cogitandum alijs relinquo, an non Nomen hujus opinione quorundam vetustius. Ego hoc Tractu apud Antoninum invenio *Pontes* cum *Legione* XXIV. inter Ambianos & Gessoriacum. In Notitia item Romanarum Dignitatum scribitur *Civitas Morinorum*, id est *Ponticum*. Comitatus fulget dignitate. Meminerunt Annales Guhelmi hujus Provinciæ Comitis, qui vixit tempore Lotharij Francorum Regis. Anglici Iuris factus est, quum Eduardus I Angliæ Rex uxorem duceret Eleonoram, Ferdinandi Castellæ Regis Filiam ex Ioanna Conjuge, quæ Filia erat Simonis *Pontium* Comitis. Anglo plenius solidiusque adquisitum fuit Ius per Pacem inter Ioannem & Eduardum factam CIƆ CCCLX. Non multo post Incolæ, instigante Guidone S. Pauli Comite, Præsidiarios, quos Rex Eduardus ibi reliquerat, exturbarunt; Regique Francorum Karolo V se dediderunt. Sic nobilissimus Comitatus Franco accessit, post annos CXII, quam ipsum Dotis nomine Rex Eduardus I accepisset. Primarium Comitatus opidum *Abbatis-Villa*, *Abbevillé* vulgo: non antiquum valde: uti nomen indicat: Baillivatus titulo insignitum. Opida habet & alia non magni nominis, *Crotoyam*, *Ruam*, *Treportum*, *Fanum S. Richtery*. *Cressiacum*, *Cressy*, Vicus est, Gallorum clade memorabilis, de qua Papirius Massonius lib. IV Annalium. Comprehendere autem notatur sub se hic Comitatus duos alios *Monstroliensem* & *S. Paulli*; utrique nomen à principibus Vrbibus, quæ vulgo *Monstreul* & *S. Pol*. *Montreul* quibusdam quasi

Comitatus.

cuius Metropolis Abbatis-Villa.

quique complectitur duos alios comitatus, Monstroliensem, Monstreuel. & Fani S. Pauli, S. Pol.

quasi *Mont-Royal*; alijs ab *Monstro*, quod eo loci domicilium habuisse fingitur. Comites *S. Paulli*. Progenitorem memorant ex Stirpe Leuceburgica *Walleramum Leuceburgium*, Lignij Comitem, germanum Henrici VII Romanorum Imperatoris fratrem. Vltimam ejus Stemmatis lego *Mariam Leuceburgicam*, Petri Filiam, Fani D. Paulli ac Lignij Comitem, Anhiani Dominam; Vxorem prius Iacobi Sangij Ramondi Vausfiique Comitis; inde vero Francisci Comitis Vendomij; Matrem ex illo Filiæ, quæ nupsit Henrico Nassavio; ex hoc autem Karoli Primi Vendomiæ Ducis.

Boloniæ, vel ut alij, *Bononiæ* Comitatus (*Comté de Boulongne*) satis est amplus. *III Bolonenses, Boulonnois,* Initium illi ab Montibus S. Ingelberti: procurritque ad Fluvium Cancham, quæ ejus Longitudo; Latitudo ad Lucum usque Tournohensem porrigitur. Totus Tractus arenosus est, ejus generis arenæ, quam Vrentem vocant: unde & nonnulli *Boloniam* censent dirivatam à *Bouller*; quod ridere soleo. Nomen Comitatui à *Bolonia* Opido, quod in Superius hodie & Inferius divisum. Illud altiore situm loco, Burgus tantum, anteaquam ab Anglis obsidione premeretur: *cum Metropoli Bononia.*

Caletenses & Bononienses.

Hoc autem planiora occupans Mare adluit. Alterum ab altero passibus distat centum, aut circiter. *Bononiam* etiam nominant hac Galliarum parte, præter Ammianum lib. xx, Olympiodorus & Sozomenus. Scripsit ille Historiam Honorij Senioris, Theodosij & Honorij Iunioris, inque scrinijs adhuc & Armarijs Bibliothecarum delitescit. Loquens autem de Constantino Tyranno, τὰς Βρεττανίας ἰάσας, ait, περαιοῦται ἅμα τοῖς αὐτοῦ ἐπὶ Βονωνίαν, πόλιν οὕτω καλουμένην, παραθαλασσίαν, καὶ πρώτην ἐν τοῖς τῶν Γαλατῶν ὅροις κειμένην. Emendandus hinc, cujus memini, Sozomenus, qui libro IX loquens eadem de re, περαιωθεὶς δὲ Κωνσταντῖνος, inquit, ἀπὸ Βρεττανίας ἐπὶ Βυβονίαν (leg. Βονωνίαν) πόλιν τῆς Γαλατίας, παρὰ θάλασσαν κειμένην, προσηγάγετο τοὺς περὶ Γαλάτας καὶ Ἀκυιτανοὺς στρατιώτας. *Bononiense opidum* habet quoque Panegyricus Incerti Auctoris Imperatori Constantino dictus. *Civitas Bononiensium* est in Notitia Provinciarum inter Belgicæ Secundæ Civitates. Hodie Francorum Vulgo *Boulongne*; Flandris, reliquisque Inferioris Germaniæ Populis, propius ad Veterem appellationem accedentibus, *Beunen*. Antiquissimis temporibus, uti censent V. N. Iosephus Scaliger suis ad me Litteris (nam ad Ausonium *Gessoire* opidum hoc tractu nomen retinere docet) Papirius Massonius, Lelandus, Abrahamus Ortelius, & alij, *Gessoriacum*. Diserte Tabula Peutingeriana, quam cum maximo Reip. litterariæ bono nuper editam à se mihi liberaliter transmisit Vir Nobiliss. Marcus Velserus Patritius & II-Vir Augustanus: *Gessogiaco, Quod nunc Bononia*; *quæ olim Gessoriacum.*

Civitas Ecolismensium. *l'Evesché d'Engoulesme.*

Civitas Sanctonum. *l'Evesché de Sainctes.*

Civitas Pictavorum, vel Pectavorum. *l'Evesché de Poitiers.*

Civitas Petrogoriorum. *l'Evesché de Periguens.*

PROVINCIA AQVITANIA TERTIA NOVEMPOPVLANA octava Viennensis.

METROPOLIS. Civitas Ausciorum. *l'Archevesché d'Auch.*

Civitas Aquensium. *l'Evesché d'Aqs.*

Civitas Lacturatium, vel Lastoracium. *l'Evesché de Laictoure.*

Civitas Convenas. *l'Evesché de Cominges.*

Civitas Consarannorum, vel Consorannorum. *l'Evesché de Conserans.*

Civitas Boatum, id est, Borus. *Le Païs de Buchs.*

Civitas Benearnensium, id est, Benaanus. *Le Païs de Bearn.*

Civitas Aturensium. *l'Evesché d'Aire.*

Civitas Vasatica. *l'Evesché de Basàts.*

Civitas Tarba, vel Castrum Begorra. *l'Evesché de Tarbe, de Bigorre,*

Civitas Eloronensium. *l'Evesché d'Oloron en Bearn.*

Civitas Elusatium. *La Ville & Païs d'Euse en Gasogne.*

Notitiam hanc Provinciarum Galliæ in Membranis etiam mihi monstravit in Bibliotheca, quam habet instructissimam cum ab Impressis, tum MSS. Libris V. CL. Bonaventura Vulcanius, Græcæ Linguæ in Academia Batavorum Professor, Collega mihi amicissimus. In ea (ne & hæc indicta mihi abeant) ad *Lugdunensem* II post *Civitatum Abrincantum*, additur *Civitas Ebroicorum*, cui recentiore manu innotatum *Evancorum*: non dubito, quin qui libellum exaravit, scribere voluerit *Eburonum*, *Eborum* vel *Eburovicum*. Nam & his in *Lugdunensi* II sedes erant, ut cap. xxx dicam. Hodie *L'Evesché d'Eureux*. Sequebatur mox in ijsdem Membranis *Civitas Salarum*, id est, *Saiorum*: quod moneo, non probo. Ad *Germaniam* II. *Civitati Tungrorum* subiicitur *Civitas Nova*, i. *Leodium*. In fine *Viennensis* I notatur etiam *Civitas Massiltensium*, quæ alijs deest.

Ammiani Locus de xvii Galliæ Provincijs discussus.

Ammianus Marcellinus lib. xv confuse quæ in Notitia Provinciarum, & non satis plene commemorat: *At nunc numerantur Provinciæ per omnem ambitum Galliarum:* SECVNDA GERMANIA, *Prima ab Occidentali exordiens cardine, Agripina & Tungris munita, Civitatibus amplis & copiosis. Dein* PRIMA GERMANIA; *ubi, præter alia Municipia, Magontiacus est, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus, barbaricis Cladibus nota. Post has* BELGICA PRIMA, *Mediomatricos prætendens, & Treveros, Domicilium Principum clarum. Huic adnexa est* SECVNDA BELGICA; *qua Ambiani sunt, Vrbs inter alias eminens, Catallauni & Remi. Apud* SEQVANOS (designat MAXIMAM SEQVANORVM, quæ & LVGDVNENSIS QVINTA) *Vesuntios vidimus, & Rauricos, alijs potiores Opidis multis.* LVGDVNENSEM PRIMAM *Lugdunus ornat, & Caballiones, & Senones* (pertinent hi apud alios ad LVGDVNENSEM QVARTAM) *& Bituriges* (commemorantur ijs, qui in AQVITANIA PRIMA) *& mœnium-Augustoduni magnitudo vetusta.* SECVNDAM *enim* LVGDVNENSEM *Rotomagi, & Torini Mediolanum* (legendum *Turoni & Cenomani*: qui duo Populi ab alijs concensentur LVGDVNENSI TERTIÆ) *ostendunt: & Tricassini* (*Trecasses* alij describunt in LVGDVNENSI QVARTA.) ALPES GRAIÆ & PENINÆ (notat Provinciam VIENNENSEM QVINTAM) *exceptis obscurioribus, habent & Aventicum* (hæc tamen Vrbs ab alijs ponitur in LVGDVNENSI QVINTA) *desertam quidem Civitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta nunc quoque demonstrant. Hæ Provinciæ Vrbesque sunt splendidæ Galliarum. In Aquitania, quæ Pyrenæos Montes, & eam partem spectat Oceani, quæ pertinet ad Hispanos, prima Provincia est* AQVITANICA (universim sumta pro PRIMA, SECVNDA, TERTIA: nam Vox *Prima* apud Ammianum non ordinis esse videtur, sed dignitatis: *Prima*, præcipua est *Aquitanica*, si cum alijs *Aquitaniæ* Regionibus, ut *Novempopulonia* & *Narbonensi* committatur) *amplitudine Civitatum admodum culta: omissis alijs multis, Burdegala & Arverni* (in AQVITANIA PRIMA) *excellunt, & Santones & Pictavi* (uterque Populus in AQVITANIA SECVNDA.) NOVEM POPVLOS (NOVEMPOPVLANIA eadem cum AQVITANIA TERTIA & VIENNENSI OCTAVA) *Ausci commendant & Vasatæ.* In NARBONENSI (eadem cum VIENNENSI SECVNDA) *clausa est Narbona & Tolosa, quæ principatum Vrbium tenent.* VIENNENSIS (PRIMAM significat)

Civitatum

Civitatum exsultat decore multarum, quibus potiores sunt Vienna ipsa, & Arelate, & Valentia: quibus Massilia jungitur, cujus societate & viribus in discriminibus arduis fultam aliquoties legimus Romam. His prope Salluvij sunt, & Nicaa, & Antipolis, Insulaque Stœchades. Nominat ordinis incuriosior *Lugdunensem Primam, Lugdunensem Secundam, Maximam Sequanorum* (quæ eadem cum *Lugdunensi Quinta*) *Belgicam Primam*, *Belgicam Secundam*, *Germaniam Primam, Germaniam Secundam, Viennensem Primam, Narbonensem* (eamdem cum *Viennensi Secunda*) *Alpes Graias* & *Peninas* (quæ in *Viennensi Quinta*) *Aquitanicas Primam* & *Secundam, Novempopuloniam* denique, vel *Aquitaniam Tertiam*: nullam faciens mentionem, ad plenum XVII Provinciarum numerum constituendum, *Lugdunensis Tertia* & *Quarta*; nullam item *Viennensis Tertia* & *Quarta*.

Hæ igitur Septemdecim sunt Provinciæ, in quas Augustus Cæsar Gallias divisit, & in quibus Constantinus Magnus varia Officia & Magistratus constituit; ut in Notitia Provinciarum Imperij Romani plenius est videre. De Primis nonnihil addam. Constantinus, de quo dixi, institutis quatuor *Præfectis Prætorio*, duobus in *Oriente*, totidem in *Occidente*; alterum *Occidentis* in Vrbe Roma, alterum in Vrbe Treverensi collocavit, qui *Præfectus Prætorio Galliarum* vocatus fuit: & quia per occupationes Imperij in illis Vrbibus perpetuo hærere ipsis non licebat, *Vicarij* aliquot eis sunt attributi, qui eadem potestate Provincijs Ius redderent. Præfecto igitur Prætorij Galliarum tres *Vicarij* dati. Primo Sedes designata Treveris, Secundo Lugduni, Tertio Viennæ. Itaque ut horum Vicariorum magna erat auctoritas, ita Vrbium quoque, in quibus Sedem habebant, maxima claritas. *Treverensi* Vicario parebant *Prima* & *Secunda Germania*, & *Belgica*, & tota *Britannia* Insula: *Lugdunensi quatuor Lugdunenses* cum *Maxima Sequanorum*: *Viennensi Prima* & *Secunda Narbonensis* & *Aquitania*, *Alpes Graia* & *Pœnina*, *Alpes Maritima*, *Novempopulania*. Totum illud, quod unius Vicarij Iurisdictioni subjacebat, Latini quo modo designarint, non constat: sed Græci Ἐξαρχίαν, Διοίκησιν, Πατελάδο vocabant.

Præfectus Prætorio Galliarum.

Vicarij ejus tres.

Treverensis, Lugdunensis, Viennensis.

Sequens ætas, quum jam Romanorum Imperium ad exitium vergeret, sensimque suis partibus variorum Populorum incursibus miserum in modum truncaretur, varie Gallias distribuit. Quum enim Gothi Francique omnia occupassent, alia ibi cœperunt esse *Gothorum*, alia *Francorum*, alia *Romanorum Gallorumque Indigenarum*, quorum, quod à priorum nutu & arbitrio penderent, inferior pejorque erat conditio. præcipue ex Fœdere inter Constantium Comitem & Walliam Gothorum Regem, quod incidit in annum Christi CCCCXVI, quo COSS. erant Theodosius Iunior Augustus VII, & Iunius Quartus Palladius. Consulendi Prosper, Cassiodorus, Iornandes in histor. Gothor. cap. XXXII, Paullus Diaconus lib. IV, Isidorus in Chronico Gothorum. De Limite etiam inter Gothos & Romanos multa legere est apud Sidonium Apollinarem, cum primis lib. I. epist. VII, lib. III. epist. I, lib. VII. epist. VI, lib. VIII. epist. III. Anno CCCCLXI Childerico IV Francorum Rege Regia dignitate ob Luxum, cui deditus erat, & Tributa, quibus Populum vexabat, exuto; habenisq; Ægidio Romano Magistro Militum, qui pro Romanis apud Suessones sedebat, magno animorum consensu traditis; ex pacto maxima *Lugdunensis* Galliæ pars *Romanis*; *Narbonensis* & omnis *Aquitania Gothis*: quidquid ab Rheno ad Ligerim *Merovaus* cessit. Videndi Vigebertus, Trithemius, Otto Frisingensis lib. IV. cap. XXXII, Gregorius Turonensis lib. II. cap. XII & alij.

Galliarum alia quando esse cœperint Romanorum, alia Gothorum alia Francorum.

Tempore Iustiniani Galliarum Regna leguntur sex, *Parisiorum*, *Mediomatricum*, *Aurelianorum*, *Suessonum*, *Burgundorum*, *Aquitanorum*. Adeundi Venantius Fortunatus, Paulus Diaconus, Gregorius Turonensis, Sigebertus, Regino, Ado Vionnensis reliquique Francici Scriptores.

Galliarum Regna sex.

Post Karoli Magni Principatum illa Divisio, quamquam antea non prorsus ignota, obtinuit; ut alia diceretur *Austrasia*, id est Orientalis; alia *VVestria* (corrupte enim quibusdam scribitur *Neustria*) id est Occidentalis: ut iidem Scriptores testantur.

Austrasia. Westria.

Sic igitur Regnorum vices multa, ut vidimus, in Antiquis Divisionibus immutarunt: sed (ut in litteris suis ad me Nobilissimus Vir Iosephus Scaliger, de sua Gallia) Status Ecclesiasticus tam in Oriente quam in Occidente ejus integra Vestigia hactenus retinuit. Nam Civitates, quæ Provincijs nomina fecerunt, Μητροπόλεις vocant, & si in eis sedes fuerit Vicarij, quem Ἔξαρχον dicebant, eas non solum Μητροπόλεις,

Ἔξαρχοι.

Πατριάρχαι. Μητροπολῖται, Ἀρχιεπίσκοποι, Ἐπίσκοποι.

πόλεις, sed & Ἐξαρχίας, & Πατριαρχίας nominant; & Præsules earum Ἐξάρχους καὶ Πατριάρχας. reliquos Μητροπολίτας καὶ Ἀρχιεπισκόπους, qui sub se tantum Ἐπισκόπους habent: Nam ei Ἔξαρχοι sub se, præter Ἐπισκόπους, etiam Μητροπολίτας habent: Μητροπολῖται vero tantum Ἐπισκόπους. In Ecclesia Latina *Archiepiscoporum* & nomen & jus manet, & Iurisdictio Canonica in suos Episcopos Suffraganeos: sed Ἐξαρχῶν nulla vestigia exstant: nisi forte quædam umbra ejus fuerit, quod *Metropolita* sive *Archiepiscopus Viennensis Primatem Primatum* sese appellat. Eo enim ostendit sub se *Primates* habuisse, qui sub eo essent, *Narbonensem Primatem Provinciæ*, *Bituricensem Primatem Aquitaniæ*. Aliter quo modo, aut quo jure, *Primas Primatum* diceretur, nisi ratione Diœceseos *Vicarij Viennensis Præfecti Prætorio*, qui septem Provincias sub se habebat, in quibus *Prima Narbonensis* & *Prima Aquitania*? Quod vero *Lugdunensis Primatem* se vocari gaudeat, nuperum est, & illi ex beneficio Romani Pontificis indultum: neque tamen adeo novum est. Nam Guilielmus Brito in sua Philippeide ita canit:

Archiepiscopus Viennensis Primas Primatum quo modo? Lugdunensis Archiepiscopus Primas.

Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat,
Vt fama est, Primate regi.

At *Primas Primatum* antea dici jure non potuit, quia nullam *Primam Provinciam* sub se habebat. *Viennensis Primas* quidem *Primatum* vocari vult, sed Caussam tam ille, quam omnis Ecclesia ignorat. Quapropter Divisio Galliarum per *Diœceses Ecclesiasticas* & *Episcopatus*, ut omnium antiquissima, ita certissima nobis sequenda erat, neque ulla melior erat quærenda, si integræ illæ Ἐξαρχίαι adhuc Finibus Regni Francorum continerentur, ut olim sub Karolo Magno, & ejus Filio & Nepotibus: sed quia ex illo amplissimo Imperio multæ Provinciæ detractæ sunt, alia nobis Tributio instituenda. Galliæ igitur sive Franciæ Imperium octo Tribunalibus temperatur, quæ Ius reddunt Provincijs suis, à quibus Provocatio non est, quorumque & Majestas augustissima est & Auctoritas sacrosancta. *Parlamenta* Galli Idiomate suo vocant, ut prolixius docui capite XVII. Non possum meliorem Partitionis rationem inire, quam si in octo hæc Parlamenta omne Francorum Regnum dividam, & ea in Provincias suas. Provincias quidem novi, quot Gallia Reges adipiscitur, tot fere Mutationes, Nomina & Regimina subire; eam ob caussam non ignorans consultius esse ut à Parlamentis Divisio procederet porro per *Diœceses* & *Episcopatus*, quum etiam illa proxime accedat ad priscam Imperij Romani notitiam: sed quia Geographis in more positum, ut quæ suis temporibus obtineant in Regnorum Regionumque terminis, ea quam fidelissime fieri potest, indicent & proponant, religio mihi ab recepta tam multis probataque hactenus consuetudine discedere. Quamobrem talem ego docendi, Galliasque commode cumque fructu explicandi gratia, Distributionem excogitavi.

Galliarum hodierna distributio.

Provinciæ quæ in Galliarum delineatione ab Geographis hodie solent exponi, aliæ Francorum sunt Regis, vel Regi subjectæ; aliæ extra Francorum Ditionem. Quæ prioris generis optime meoque Instituto convenientissime, divido in sua *Parlamenta*, quæ, ut dixi, octo sunt numero: Vnum quidem Principale; reliqua Accessoria. Principale est *Parisiense*, omnium Primum, & olim unicum solumque. Parlamenti Parisiensis Sedes Præsidiales, ut multæ (nam latissime ejus se extendit Iurisdictio) sic variæ admodum sunt, in varijs constitutæ Provincijs. Eas Ligeris facit alias Septemtrionales, alias Meridionales. Quod ad Priores in Vetere quidem Belgica, hodie est PICARDIA *La Picardie*; in Celtica vero versus Occidentem FRANCIA, *La France*, strictius sumta (cujus tamen etiam nonnulla incidunt in Belgicam) & BELSIA, *La Beausse*: versus ortum CAMPANIA, *La Campaigne*, & LVGDVNENSIS TRACTVS, *Païs de Lionnois*. Quod ad Meridionales, possidebat eas olim ex Veterum delineatione, cum Narbonensi, Aquitanica. Dicebatur autem Aquitania in dextra Garumnæ ripa, partim Prima, ubi hodie cis Vigennam BITVRICIVM, *Berry*, & BORBONIVM, *Bourbonnois*; ultra vero PICTONIVM *Poictou*, Agerque & INCVLISMENSIS *Angoulesme*, & ALNISIENSIS, *Le Païs d'Aulniz*: partim Secunda, ubi nunc ARVERNIA, *Auvergne*. Accessoria Parlamenta sunt, quæ Principale illud quasi circumeunt, versus Occidentem ad Ligeris dextram *Rotomagense*, sub quo NORTMANNIA, *La Normandie*: & *Redonense* cui subest BRITANNIA, *La Bretaigne*: ad sinistram *Burdigalense* & *Tolosanum*, quorum quodque sua extendit jura nunc integre & separatim; nunc vero mistim in aliquot adsignatas sibi Veteris Aquitaniæ Narbonensisque Galliæ Ditiones.

Integre

Integre quidem *Burdigalensi* subsunt LEMOVICIVM, *Limosin*, PETROCORIVM, *Perigort*, GVIENNA, *La Guienne*; *Tolosano autem* CADVRCIVM, *Querci*, RVTENIVM, *Rouargue*, LANGVEDOKIVM, *Languedoc*: Mistim vero utrique VASCONIA, *La Gascoigne*: quemadmodum plenius ex sequentibus parebit. Iam versus Orientem ad Mare Gallicum, Parlamentum est *Aquense*, cujus Iurisdictioni obtemperat PROVINCIA, *La Provence*; in Mediterraneis *Gratianopolitanum*, ab cujus nutu pendet DELPHINATVS, *Le Dauphiné* & *Divionense*, quod in Iure Summo dicundo adgnoscit DVCATVS BVRGVNDIÆ, *La Duché de Bourgongne*. Hactenus quæ Regis. Extra Ditionem Francorum, in Francia tamen, suos habent etiam Dominatus alij Principes, & Ecclesiastici & Politici. Pontificis enim Romani est COMITATVS AVENIONENSIS, *Avignon*; Politicorum alij sunt Ducatus, ut SABAVDIA, *Savoye*, & LOTHARINGIA, *Lorraine*; alij sunt Principatus, ut BENEARNIA, *Bearn*, & ARAVSIO, *Aurange*; alij Comitatus, ut BVRGVNDIA, *La Conte de Bourgoigne* & CAROLESIVM, *Charolois*. Has Regiones si fideliter ordine à me indicato perambularo, Lectores spero ita judicaturos, me nullam non partem, vel obiter, attigisse: plerasque Vrbes adijsse; &, si non omnia, præcipua saltem de singulis dixisse. Illud obiter hic monendum duxi, Appianum testari Galliarum ἔθνη fuisse τετρακόσια· πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας. Minor est numerus in Templo, quod ab omnibus communi consilio Gallis Augusto Lugduni exstructum: de quo Strabo lib. IV. Τό, τε ἱερὸν τὸ ἀναδειχθὲν ὑπὸ πάντων κοινῇ τῶν Γαλατῶν Καίσαρι τῷ Σεβαστῷ. πρὸ ταύτης ἵδρυται τῆς πόλεως, ἐπὶ τῇ συμβολῇ τῶν ποταμῶν. Ἔστι δὲ βωμὸς ἀξιόλογος ἐπιγραφὴν ἔχων τῶν ἐθνῶν ξ τὸν ἀριθμόν. Vnde tanta in numero Gentium Galliæ discrepantia? Appianum existimo Gentes universim designare totius Galliæ; eas fuisse circiter *quadringentas*: Aram autem Lugdunensem eas tantum habuisse, à quibus illa in Augusti honorem fuit posita, *sexaginta* scilicet. Gallicarum Gentium numerus, florente Romanorum Imperio.

Qui porro, quam ego vel in superioribus attuli, vel in sequentibus sum allaturus, plura, vel saltem mea pluribus fusiusque explicata, petat: consulat moneo, quod quidem ad universæ Galliæ delineationem, præter alios, Robertum Cœnalem, qui integro volumine Gallias descripsit, Gilbertum Cognatum Nozorenum, Ioannem Marium, Chassanæum lib. XII de Gloria mundi, Gulielmum Postellum in libello Vniversitatis, Sebastianum Munsterum, Franciscum Belleforestium, Andream Thevetum, Abrahamum Ortelium & Gerardum Mercatorem; quorum ille XVI, hic XII Chartis Galliam depingit: quod autem ad Gallorum Mores, Resque ab illis gestas, adeat Lector ex Antiquis C. Iulij Cæsaris Libros VII de Bello Gallico, ijsque additum ab A. Hirtio VIII, Appiani Alexandrini Celticum, sive de Bello Gallico, & alios, quos varijs supra locis laudavi; ex Recentioribus, medijque ævi, Scriptores illos Annalium & Historiæ Francorum, quos maximo Reip. litterariæ bono nuper edidit P. Pithœus IC: his addat Hunibaldi libros XVIII, in quibus tamen multa fabulosa & commentitia, sermoque plane barbarus; Gregorij Turonensis Episcopi libros X; Aimoini Monachi Floriacensis Cœnobij Libros de Regibus Francorum V; item Ioannem Tritemium, Froissardum, quique eum supplevit, Enguerranum, Robertum Gaguinum, Philippum Cominæum, Nicolaum Gillium, Paulum Æmilium, Ioannem Ferronium Ioannem Tilium, Henricum Leonardum, Hermannum Comitem, Nicolaum Vignerium, Gulielmum Paradinum, Papirium Massonium, Galeatium Capellam, qui scripsit de bellis in Italia gestis inter Karolum V & Franciscum Galliarum Regem. De Gallorum Imperio & Philosophia libros VII scripsit elegantes & eruditos Stephanus Forcatulus IC. Alios alijs, quibus otium curiosius hæc talia consectandi, adponendos nominaris à me relinquo. Scriptores Rerum Gallicarum.

Ad specialiora Galliarum pergo. Occurrit in mea Distributione primo loco *Picardia*.

Picardia.

Cap. XX.

Picardia.

PICARDIA. *Picardi.* unde dicta. PICARDIÆ Nomen quamvis non magnæ antiquitatis, nulla tamen ejus certa potest reddi ratio. Alij aliam augurantur: Inter eos Robertus Cenalis, Episcopus Abrincantensis, vel, ut alij, Arboriensis, *Picardos* dicit vere esse Gallos; se nihilominus ignorare, num à *Begardis* hæreticis (quos constat Ludovici Bavari Imperatoris tempore, circa annum cIↄ CCCXIV, quasdam Inferioris Germaniæ Vrbes coluisse) nomen hoc sint mutuati. Belleforestius *Picardos* antea fuisse vocatos scribit, quam *Becardi* in rerum essent natura, quamque ulla istius Sectæ audiretur mentio. Sunt qui appellatos censent Picardos: quod ab his ortus primo usus Lancearum, quæ vulgo *Picques* nuncupantur. Ego rem in medio relinquo.

Ejus Fines olim. hodie. Hujus Regionis, quæ quomdam in Antiqua Belgica (ea præcipue, quæ *Secunda* posteriori ævo) appellatio latius olim patuit; complexa Artesiam Flandriæque partem ad Lisam usque Amnem: alijs multo etiam ulterius tendentibus ad Scaldim usque & Renum Fluvios. Hodie *Picardiam*, ut crasse diffiniam, ad Occasum respicit, cum nonnulla Normanniæ portione, Oceanus Britannicus: ad Septemtrionem istæ Veteris Belgicæ jacent Regiones, quæ hodie Artesia & Hannonia: ad Ortum Leuceburgum & Lotharingia sunt porrectæ: ad Meridiem denique Campania, isque nobilissimi Regni Tractus, qui specialiore notione Francia vocatur, occurrunt.

Qualitas. Regio est fertilissima, Horreumque Parisiorum, atque adeo pleræque Franciæ. Vino caret, ignava potius Incolarum socordia, quam vel Cœli vel Soli injuria.

Veteres Incolæ. *Ambiani.* *Picardiam* habitarunt olim *Ambiani*, *Suessones*, *Veromandui*, *Essui*, *Oromansaci*, *Morini*, & alij fortean.* *Ambianorum* Sedes, ubi hodie opulentissima Vrbs *Ambianum*, vulgo *Amiens*: Eorum frequens apud antiquos Scriptores mentio, Cæsarem, Plinium, alios. Α'μβιανοὶ Ptolemæo, & Straboni. Cæsar *Ambianos Morinis* jungit, quorum fines *Nervij* attingebant: Strabo *Ambianos Morinis* facit propinquos, & *Suessones*: Ptolemæus post *Bellovacos* in Gallia Belgica statuit *Ambianos*. *Suessones*, vel, ut alij scribunt *Suessiones*, sæpe apud Cæsarem (qui & *Eleutheros*, Liberos, prænominat lib. VII quemadmodum & *Cadurcos*, de quibus cap. XXXV) memorantur. Σουεσσίωνες apud Strabo-

Suessones.

Strabonem: ubi Isaacus Casaubonus legit Σουεσσίωνες: Ptolemæo Οὐέσσονες, repono Σουέσσονες. Hodie *Souessons*. Apud *Suessones* ætate memoriaque Cæsaris Rex *Diviciacus*, totius Galliæ potentissimus, fuit; qui cum magnæ partis harum Regionum, tum etiam Britanniæ Imperium obtinuit: Deinde *Galba* successit. Et cujusmodi Regnum hoc fuerit, hinc intelligi potest, quod Suessones Remorum Fratres Consanguineique eodem jure ijsdemque legibus uterentur, unum Imperium, unumque Magistratum cum illis haberent. *Suessonum* latissimi feracissimique fuerunt Agri, & Opida duodecim; quorum unicum ab Cæsare nominatur *Noviodunum*, quod ipse post Belgarum discessum ex itinere oppugnare conatus, propter latitudinem Fossæ, murique altitudinem, paucis licet defendentibus, expugnare non potuit. *Veromandui* Cæsari (qui in libris de bello Gallico de ijs multa) Plinioque Galliæ Belgicæ Populi: qui Ῥωμάνδυοι Ptolemæo, & in nonnullis Exemplaribus Ῥομάνδυες pro Οὐερομάνδυες, inquit Surita; *Veromandui* Epitomæ Livianæ libri CIV, item Lapidi antiquo, qui, teste apud Abrahamum Ortelium Iacobo Carondiletio, Cancellario Leodiensi, in Pago Hannoniæ, qui vulgo *Arsaures* prope Bavacum. *Essuos* Cæsar nominat: Eorum Sedes ubi hodie illa Picardiæ portio, quæ *Tiraschia*, quasi, ut Bovillus cum alijs opinatur, *Terra Essuorum*. Alij *Essuos* ponunt ubi nunc *Retelois*: alij ubi *Bessin*, prope Baiocasses, *Bayeux*: Divæus Comitatum *de Eu* putat. Hubertus Leodius tradit eos *Æthum* Hannoniæ Vrbem occupare: sic quot Capita, tot Sententiæ incertiores nos relinquunt. *Oromansaci, juncti Pago*, inquit Plinius, *qui Gessoriacus appellatur*: fuisse censentur, ubi hac tempestate *Comitatus Gusnensis*. *Morini* Virgilio, Cæsari, Plinio, alijsque noti; Ptolemæo & Straboni Μόρινοι: olim, ubi nunc in ruinis jacet *Teroana*, quæ in Notitia, ut alibi vidimus, *Civitas Morinorum*, id est *Ponticum*. *Morinorum* meminit Lapis, qui in Gelria, dimidiato ab Vrbe Neomagensi Miliario, repertus.

Veromandui. *Essui.* *Oromansaci.* *Morini.*

MINERVAE
CVR. LADAE
T. FVNICIVS. G
NIALIS. II. VIR. C
LON. MORINO
RVM. SACERDOS
ROMAE. ET. AVG
OB. HONOREM
P. V. A. M. D. V. L

Vadicasses sunt apud Plinium, qui Οὐαδικάσιοι Ptolemæo: quondam, ubi nunc *Noion*, *Noviomagus* Antonino inter Suessones & Ambianos; Νουιόμαγος *Vadicassium* Ptolemæo. Alij sunt *Vaducasses* ab *Baiocassibus*; de quibus in Normannia: nam temere quidam confundunt.

Vadicasses.

Picardia porro in tris dividitur partes, *Veram, Inferiorem, Superiorem*. De postrema nihil hoc libro dicam. Occupatur enim Tota fere ab ijs Regionibus, quæ in Inferiore Germania, interque Septemdecim Provincias principem obtinent locum; de quibus libro V.

Picardia Triplex;

Vera (*La vraye Picardie*) cœpto Parisijs itinere, superatisque Bellovacorum Agris, initium est ad Crepacorium. Comprehendit *Vicedamias* (Communibus utar Vocabulis, ut melius intelligat) *Ambianam, Corbiensem & Pequignyam: Comitatus Veromanduorum & Retelorum; Ducatum Tiraschensem*.

Vera, in qua Vicedamiæ.

Ambiana (*Visdamie d'Amiens*) nomen dedit *Ambianum*, vulgo *Amiens*: olim uti censent V. N. Iosephus Scaliger, Petrus Divæus, Goropius Becanus, Iosias Simlerus, & alij, Samarobriva. Sigebertus etiam *Ambianum* idem facit cum *Sommonobria*; sic ille scripsit pro *Samarobriva*. Alij, quum *Samarobrivam* & *Ambianos* duo diversa se dicerent legere opida apud Antoninum, in eam ierunt sententiam, ut arbitrarentur *Samarobrivæ* memoriam hodieque servari in opido, quod ad *Somonam* (vel, ut alij scribunt, *Suminam*) *Brayum* nominatur. Sed potuit eadem urbs & *Samarobriva* vocari & *Ambiani*, quod horum Populorum ea esset caput. Itinera Antonini, quæ utriusque faciunt mentionem, alibi videbimus: Prius quidem, quod ad Pi-

Ambiana, cum Vrbe Ambiano, olim Samarobriva.

ad Picardiam proprie pertineat, ad finem hujus capitis, alterum, quod multas simul Galliæ Regiones complectatur, ad Libri finem. *Samarobrivæ* meminerunt, præter posterioris ævi Scriptores, aliquoties Cæsar lib. V de Bello Gallico & Cicero lib. VII. Epist. ad Trebatium; ut falsum sit, quod superioribus adscribit Sigebertus, Vrbem hanc ab Antonino Pio Imperatore fuisse conditam. Majorem habet vetustatem. Ptolemæo appellatur Σαμαρόβριγα. Quidam Antonini Codices *Samarabrivam*, alij *Samarabrigam* præferunt. *Brigam* antiqua Hispanorum Lingua, & *Briam* Thracio sermone, Vrbem nuncupari alias dixi. Nonnulli *Somonobrigam* scribunt à *Ponte* (Belgice *Brug*) quo Somona fluvius traijciebatur. *Ambianum* certe Vrbs est ad Somonam, qui eam hic ibi findit (unde quidam *Ambianum* putant dictum ab Imperatore Gratiano, quod Aquis ambiatur) munitioribus Galliarum & ab natura & ab hominum industria merito connumeranda; Fossis pulcris præaltisque vallata; Clavis ea parte Regni. Templum habet speciosissimum. Incolæ multis clarent Privilegijs; inter ea, quod cum ab exterorum militum Præsidijs, tum ab subsidijs sint immunes. Probitate sane Fidelitateq; sunt insignes. Fabulantur quidam ab Alexandri Magni Militibus conditum. Ambiano tribuit Antonini Itinerarium *Legionem* XXIII. Episcopos ejus Belleforestius recenset LXIII; inter eos autem ultimum *Ioannem Crequium*.

Corbiensis, cum opido Corbia, quondam Curmiliaca.

Corbiensis ab *Corbia*, quod Opidum est ad Somonam; quo loco fluvius, cui adjacet, Somonam ingreditur: Clavis itidem, qua parte jacet, Franciæ. *Curmiliaca* forte Antonini, inter *Samarobrivam*, *Amiens* & *Cæsaromagum*, *Roye*, ni fallor.

Pequignya, cum suo item Opido.

Pequignya denique à *Pequignyo*, vulgo *Pequigny*. Opidum est sic dictum, si vulgo fides, à *Pignone*, Alexandri Magni Milite. Historiographis nobilitatum, quod ibi Gulielmus Nortmanniæ Dux, cui cognomen erat *Longa-Spatha*, positis insidijs fuerit obtruncatus per factionem Balduini Comitis Cameracensis, qui cum pacis ineundæ prætextu eo loci pellexerat. Testantur Nortmanniæ Annales. Memoriæ etiam produnt Francicarum rerum Scriptores Anglos, postquam prælio jam essent victi, superstites omnes ibidem fuisse occisos, qui nomen *Pequigny* literis omnibus pronunciare nequibant, *Pequenÿ* loco *Pequigny* proferentes.

Veromandui, Vermandois.

Veromandui de quibus antea dixi, hodie vulgo *Vermandois*, retento, si qui alij Galliæ populi, prisco Nomine. Picardiæ pars, aliquando Comitatus titulo celebris. Inter Comites primum invenio *Hugonem*, Henrici I Francorum Regis filium, Philippi Regis fratrem: qui cum alijs Proceribus Bello Sacro, quod in Palæstina, Duce Godefredo Bilionæo, anno CIↄ XCIX gestum, interfuisse legitur. Successerunt huic duo *Rudolphi* Filius & Nepos; quorum hoc sine Liberis defuncto, Comitatus ad Regnum est devolutus. Wandali, facta in Gallias cum Burgundionibus irruptione, Provinciam hanc miserum in modum adflixerunt. Comprehendere vero sub se Comitatum hunc signant Franciæ Geographi *Suessonum*, *Laudunensium*, *Tartenorum* Ditiones; Vrbes item *Noviomagum* & *Fanum S. Quintini*.

Suessones

Sueßones, quorum antea memini, hodie vulgo *Soueßones*, vel, ut alij pronunciant, *Soissonnois*. *Sueßonum* Vrbs, quæ hodie *Soiſſon*, Arce prædita; *Sueſſones* gentis voce, apud Antoninum, qui Legionem ei XXV attribuit; Σουεσσίωνες Straboni; Αὔγουστα Σουεσσόνων (ſic enim emendandum, pro Οὐεσσονῶν) Ptolemæo; *Civitas Sueſſonum* in Dignitatum libello dicitur. Eripuit hanc Vrbem Siagrio, Gilonis Romani Prætoris filio Hlodovæus: quo defuncto, Filij decus illi Regiæ Civitatis, quo Cæſaris tempore claruerat, reddiderunt. Poſtea Comitatus Titulo fuit inſignis. *Karolus* Ludovici Principis Condæi filius Comes audit Sueſſonum. Epiſcopatus eſt, cujus Belleforeſtius Præſules numerat nominatque LXXIX; ultimum *Matthiam Pariſinum*.

Sueſſones, Soiſſonnois, Soiſſon. olim Auguſta Sueſſonum.

Laudunenſium Ager, *Laonnois*, dictus ab *Lauduno*: cujus meminit Vita Karoli Magni, quodque inemendatius forte apud Antoninum *Alauna*, quod denique plenius effert ſuis ad me Litteris Magnus Scaliger, *Laudunum Clavatum*: hodie *Laon*. Conditam vult hanc Vrbem Papirius Maſſonius ab Macrobio Prætore. Situs ipſi in Colle. Invaſit eam Karolus Lotharingiæ Dux, Ludovici Regis Francorum, Stirpis Karolinæ ultimi, Patruus; quum ſe jure Succeſſionis videret privatum ab Hugone Capeto. Præſules ſe Duces & Pares Franciæ ſcribunt. Eorum Syllabus apud Belleforeſtium, cui LXXIII recenſentur, eorumque poſtremus *Ioannes Burſerius*.

Laudunenſes. Laonnois. Laon olim Laudunum.

Tartenorum, vernacule *Tartenois*, Metropolis eſt *Fera*, vulgo *La Fere*: Vrbs egregie munita, ſituque commodiſſimo, ad Oyſam Servamque confluentes; Arcem habens ſatis validam.

Tarteni. Tartenois. La Fere.

Quæ nunc Vrbs *Noion*, Antonino *Noviomagus* nuncupatur, inter Sueſſonas & Ambianos, ut antea dixi, eam collocanti, Decimamque octavam Legionem illi tribuenti. Νουιόμαγος Vadicaſſium eſt Ptolemæo. Vulgo Eccleſiaſticorum *Noviomus* vocatur per compendium; ut *Treſſes* pro *Tricaſſes*. Falluntur, qui eamdem faciunt cum *Novioduno*. Quatuor quidem *Novioduna* nominantur ab varijs Scriptoribus, ſed eorum nullum commune quid habet cum *Noviomago*, de quo agimus. Vir N. Ioſephus Scaliger ſuis ad me Litteris, Se Nugatoribus hac in re, etiam jurantibus, crediturum negat. Vrbs eſt, Antiquitatis ſuæ notas non paucas præferens. Epiſcopalis Sedes; cujus Præſules Comites ſe Noviomagienſes & Franciæ Pares ſcribunt. Catalogus eorum apud Belleforeſtium, qui poſtremum edit *Ioannem Hangeſtum*, Senliſij Dynaſtæ filium.

Noion. olim Noviomagus.

Fano S. Quintini, quod Comitum Veromanduorum aliquando Domicilium & Regiunculæ caput, nomen à *Quintino*, qui Martyrium ibi paſſus. Olim *Auguſta Veromanduorum*. Sic etiam diſerte dicitur in Vita S. Quintini. Robertus tamen Cœnalis ſcribit hanc *Auguſtam* omnino dirutam, ejuſque hodie nihil reſtare præter Cœnobium, quod vulgo *Vermand-Abbaye*. Quidquid ſit, *Fanum S. Quintini*, Arce nunc

S. Quintin. olim Auguſta Veromanduorum.

nunc potens, multa ſustinuit Damna, Calamitateſque Bello inter Philippum Hiſpaniarum & Henricum Galliarum Reges: quæ plenius à me explicata in Hiſtoria Rerum per Belgicam nuperis hiſce Tumultibus geſtarum.

Retelí, Retelois.

Hæc de *Veromanduis*: *Retelorum* (vulgo *Retelois*) ditio ſita eſt inter Hannonios, Lotharingos & Barros. Metropolis *Retelium*.

Tiraſchæ, La Tiraſche. Metropolis Guiſa.

Tiraſchæ (*La Tiraſche*) de qua ante nonnihil, primaria Vrbs eſt *Guiſa*: Arce ſuperbiens; Propugnaculum contra Leuceburgenſes: Vetus Patrimonium Fratrum Primogeniti Lotharingiæ Ducis. Ducum *Guiſæ* proximorum hoc lego Stemma:

Nuperorum Guiſæ Ducum Stemma.

CLAVDIVS *Lotharingius, Dux Guiſæ & Aumaliæ.*

FRANCISCVS, Dux Guiſæ obiit XII Kal. Mart. CIↃ IↃ LXIII; in Obſidione Aurelianenſi.

- HENRICVS, Dux Guiſæ: cæſus XVIII Kal. Ianuar. CIↃ IↃ LXXXVIII in Comitijs Bleſenſibus.
  - FRANCISCVS Dux Ianivillæ.
- LVDOVICVS Cardinalis Lotharingiæ: cæſus cum Fratre eodem tempore, iiſdem Comitijs, in conſpectu Regis.
- CAROLVS Dux Meyennæ.

MARIA, defuncto Priore Marito Duce Longevillano, coniux inde Iacobi V Scotiæ Regis.

- MARIA Stuarda Scotiæ Regina; ſupplicio adfecta XII Kal. Mart. CIↃ IↃ XXCVII.

CLAVDIVS Dux Aumalius.

Inferioru Picardia Partes.

Sic ſe habet *Vera Picardia*: *Inferiori* (*La Baſſe*) variæ ſunt partes: *Sancterra, Pontium, Boloneſium, Guynæum, Oyum.*

I Sancterra, in qua Mons S. Deſiderij.

Sancterra, *Santerre*, concluditur inter *Montem S. Deſiderij*, *Peronam & Roiam*: Frumenti variorumque Fructuum valde ferax. *Monti S. Deſiderij*, vulgo *Mondidier*, unde ſit nomen, notum eſt. *Perona*, bellicis cladibus ſæpe fatigata. Clavis ibi Franciæ, Arce potens. Hic Heribertus Veromanduorum Comes Captiuum detinuit Karolum Simplicem, Galliarum Regem. Late Papirius Maſſonius rerum Francicarum lib. x, & alij. *Roia*, opidum non contemnendum, Arce, ut fere omnia liminaneis his locis, validum: *Cæſaromagus*, niſi fallor, Antonino & Itinerariæ Tabulæ: *Cæſaromagi* etiam in Bellovacis meminit Ptolemæus. Alij *Rodrinam* eſſe volunt: quæ mihi *Romorantin*, ut ſuo dicam loco. Eſt ibidem *Nella*, Propugnaculum, ut multa alia; hac parte Regni, Arce munitum, ad Fontem fere Ingonis Fluvij; qui, exiguo curſu confecto, mox inter Rouyam & Voiennam in Somonam ſe exonerat. *Nella* Clarorum Virorum genitrix. Ejus Dynaſtæ Marchiones adfinitate juncti leguntur Familiæ Ceurteneæ, quæ originem traxit ab Regibus Franciæ.

Perona. *Roia, olim Cæſaromagus.* *Nella.*

II Pontium, Ponthieu.

Pontium, vernacule *Ponthieu*, Comitatus eſt, cui nomen creditur datum à *Pontium*, qui paſſim ibi, multitudine. Eſt enim Regio inter Somonam & Authyam fluvios: Paludibus plena: quæque Stagnis ſuis, ut ipſe deprehendi, multis in locis invia. Cogitandum alijs relinquo, an non Nomen hujus opinione quorundam vetuſtius. Ego hoc Tractu apud Antoninum invenio *Pontes* cum *Legione* XXIV. inter Ambianos & Geſſoriacum. In Notitia item Romanarum Dignitatum ſcribitur *Civitas Morinorum*, id eſt *Ponticum*. Comitatus fulget dignitate. Meminerunt Annales Gulielmi hujus Provinciæ Comitis, qui vixit tempore Lotharij Francorum Regis. Anglici Iuris factus eſt, quum Eduardus I Angliæ Rex uxorem duceret Eleonoram, Ferdinandi Caſtellæ Regis Filiam ex Ioanna Conjuge, quæ Filia erat Simonis *Pontium* Comitis. Anglo plenius ſolidiuſque adquiſitum fuit Ius per Pacem inter Ioannem & Eduardum factam CIↃ CCCLX. Non multo poſt Incolæ, inſtigante Guidone S. Pauli Comite, Præſidiarios, quos Rex Eduardus ibi reliquerat, exturbarunt; Regique Francorum Karolo V ſe dediderunt. Sic nobiliſſimus Comitatus Franco ceſſit, poſt annos CXII, quam ipſum Dotis nomine Rex Eduardus I accepiſſet. Primarium Comitatus opidum *Abbatiſ-Villa*, *Abbevılle* vulgo; non antiquum valde, uti nomen indicat: Baillivatus titulo inſignitum. Opida habet & alia non magni nominis, *Crotoyam*, *Ruam*, *Treportum*, *Fanum S. Richierij*. *Creſſiacum*, *Creſſy*, Vicus eſt, Gallorum clade memorabilis, de qua Papirius Maſſonius lib. IV Annalium. Comprehendere autem notatur ſub ſe hic Comitatus duos alios *Monſtrolienſem & S. Paulli*; utriq; nomen à principibus Vrbibus, quæ vulgo *Monſtreul* & *S. Pol*. *Montreul* quibuſdam quaſi

Comitatus. *cujus Metropolis Abbatiſ-Villa.* *quique complectitur duos alios comitatus. Monſtrolienſem, Monſtreul. & Fani S. Pauli, S. Pol.*

quasi *Mont-Royal*; alijs ab *Monstro*, quod eo loci domicilium habuisse fingitur. Comites *S. Paulli*. Progenitorem memorant ex Stirpe Leuceburgica *Walleramum Leuceburgium*, Lignij Comitem, germanum Henrici VII Romanorum Imperatoris fratrem. Vltimam ejus Stemmatis lego *Mariam Leuceburgicam*, Petri Filiam, Fani D. Paulli ac Lignij Comitem, Anhiani Dominam; Vxorem prius Iacobi Sangij Ramondi Vaussiique Comitis; inde vero Francisci Comitis Vendomij; Matrem ex illo Filiæ, quæ nupsit Henrico Nassavio; ex hoc autem Karoli Primi Vendomiæ Ducis.

Boloniæ, vel ut alij, *Bononiæ* Comitatus (*Comté de Boulongne*) satis est amplus. Initium illi ab Montibus S. Ingelberti: procurritque ad Fluvium Cancham, quæ ejus Longitudo; Latitudo ad Lucum usque Tournohensem porrigitur. Totus Tractus arenosus est, ejus generis arenæ, quam Vrentem vocant: unde & nonnulli *Boloniam* censent dirivatam à *Bouiller*; quod ridere soleo. Nomen Comitatui à *Bolonia* Opido, quod in Superius hodie & Inferius divisum. Illud altiore situm loco, Burgus tantum, anteaquam ab Anglis obsidione premeretur:

III Bolonenses; Boulonnois,

cum Metropoli Bononia.

Caletenses & Bononienses.

Hoc autem planiora occupans Mare adluit. Alterum ab altero passibus distat centum, aut circiter. *Bononiam* etiam nominant hac Galliarum parte, præter Ammianum lib. XX, Olympiodorus & Sozomenus. Scripsit ille Historiam Honorij Senioris, Theodosij & Honorij Iunioris, inque scrinijs adhuc & Armarijs Bibliothecarum delitescit. Loquens autem de Constantino Tyranno, τὰς Βρεττανίας ἰάσας, ait, περαιωθῆναι ἅμα τοῖς αὐτῷ ἐπὶ Βονωνίαν, πόλιν οὕτω καλουμένην, παραθαλασσίαν, καὶ πρώτην ἐν τοῖς τῶν Γαλατῶν ὅροις κειμένην. Emendandus hinc, cujus memini, Sozomenus, qui libro IX loquens eadem de re, περαιωθεὶς δὲ Κωνσταντῖνος, inquit, ἀπὸ Βρεττανίας ἐπὶ Βυβονίαν (leg. Βονωνίαν) πόλιν τῆς Γαλατίας, παρὰ θάλασσαν κειμένην, προσηγάγετο τοὺς παρὰ Γαλάταις καὶ Ἀκυιτανοῖς στρατιώτας. *Bononiense opidum* habet quoque Panegyricus Incerti Auctoris Imperatori Constantino dictus. *Civitas Bononiensium* est in Notitia Provinciarum inter Belgicæ Secundæ Civitates. Hodie Francorum Vulgo *Boulongne*; Flandris, reliquisque Inferioris Germaniæ Populis, propius ad Veterem appellationem accedentibus, *Bennen*. Antiquissimis temporibus, uti censent V. N. Iosephus Scaliger suis ad me Litteris (nam ad Ausonium *Gessoire* opidum hoc tractu nomen retinere docet) Papirius Massonius, Lelandus, Abrahamus Ortelius, & alij, *Gessoriacum*. Diserte Tabula Peutingeriana, quam cum maximo Reip. litterariæ bono nuper editam à se mihi liberaliter transmisit Vir Nobiliss. Marcus Velserus Patritius & II- Vir Augustanus: *Gessogiaco*, *Quod nunc Bononia*;

quæ olim Gessoriacum.

nonia; reponendum *Gessoriaco*. *Gessoriacum* Antonino dicitur, qui ei *Legionem* adscribit X V; Et alibi *Gessoriacensis Portus*; item *Gessoriagensis Portus* in Maritimis: Ptolemæo Γησοριάκον, ἐπίνειον μορίνων. *Gesorigia* est in Panegyrico, qui Maximiano dictus; & eo fere modo in quibusdam Antonini Codicibus *Cesoricia*. De eo Pomponius Mela: *Pertinentque ad ultimos Galliarum gentium Morinos, nec Portu, quem Gessoriacum vocant, quidquam notius habent*. Sic Suetonius in Claudio cap. X V I I, ubi de expeditione Principis in Britanniam: *Quare à Massilia Gessoriacum usque pedestri itinere confecto, inde transmisit*. Ab eo Plinius lib. I V. nat. hist. cap. XVI. *Gessoriacum Morinorum Gentis Littus* nominat: Et *Gessoriacus* eidem *Pagus*, totus ille Tractus, qui pertinet ab Nort-mannis Belgis *Bononiam* usque. *Pagi* enim appellatio late solet apud Veteres Scriptores patere; ut *Pagus Tigurinus*, *Pagus Velaunus*, & alij: quemadmodum & *Civitatis* passim in Notitia Provinciarum, pro tota aliqua Præpositura, pro magno modo Agri, pro Gente quamtumvis numerosa. Alij Gessoriacum non idem volunt cum *Navali Bononiensi*: *Calesium* putat Ioannes Talbotus; *Fanum S. Audomari* Incertiores apud Hieronymum Suritam ad Antonini Itinerarium; *Vicum Scaci*, haud procul eodem Fano, Hadrianus Turnebus lib. V I I I Adversar. cap. XXI; *Sinum* Brugensium Coloniam, Hector Boëtius; *Brugas* ipsas Hermolaus Barbarus ad Plinium; *Gandavum* Bilibaldus: Robertus Cœnalis libro de re Gallic. II Perioche III diversa ponit *Gessoriacum Portum* & *Gessoriacum Navale*; illum *Bononiam* censens; hoc autem *Castellum*, quod vulgo *Cassel*. *Boloniensis* porro fuit Godefridus, Eustathij Boloniensis Comitis Filius, Lotharingiæ Dux, qui Christianorum Primus Rex Solymorum. Prope Bononiam erat *Itius Portus*: quem qui *Calesium* Opidum esse arbitrantur, inter quos Lhuydus, nullo negotio refelluntur à Ptolemæo, qui post Sequanæ Fluminis Ostia prius ponit Ἴκιον ἄκρον, deinde Γησοριακὸν, ἐπίνειον Μορίνων: à quo opidum *Calesium* distat plus quam X X millibus Passuum, hoc est, Leucis Belgicis septem. *Gessoriacum* idem esse cum *Itio* persuasum videtur M. Velsero ad Fragmentum Tabulæ Itinerariæ. *Itius portus* quibusdam *Fanum S. Audomari* censetur, adductis cum vetusto Vrbis nomine, quo *Sitieu* vocabatur, quasi, ut volunt, *Sinus Itij*; tum Loci situ, qui quum valde sit humilis, præaltis tamen littoribus Vrbem quodammodo cingentibus, Sinum Maris olim capacissimum fuisse indicat. Cambdenus in sua Britannia docet *Itium Portum* diu fuisse in loco, quem hodie *Withsan* vocamus, prope *Blanestum*. Ego sic argumentari soleo: Quum apud Ptolemæum & *Itio Promontorio* & *Gessoriaco Navali* (quod *Bononiam* esse jam dixi) ejusdem Gradus Latitudinis, nimirum L I I I, idem omnino Scrupulus, X X X scilicet, tribuatur: in Longitudine autem nonnihil differant, quod uterque locus eidem quidem subsit Longitudinis Gradui X X I I, sed *Itium Promontorium* sub indicati Gradus Scrupulo X V. *Gessoriacum* vero sub Scrupulo X L V: necessum prorsus est, *Itium portum* haud procul fuisse *Gessoriaco Navali*, eodem plane inter Septemtrionem & Meridiem Parallelo, non eodem inter Ortum & Occasum Meridiano: hoc est *Itium Portum Navali Gessoriaco* fuisse Occidentaliorem, Britanniæque littoribus paulo propiorem: ideoque, quum *Gessoriacum* vel *Bononiam* Mari jam-nunc adsidere conspiciamus, *Itium Portum* Oceano, ut multa alia ad Mare Britannicum Aquitanicumque Loca, haustum esse, nudamque ejus memoriam & appellationem exstare fortean in Vico, qui, Portu licet Orientalior & magis Mediterraneus, prope Bononiam, ad Mare, vernacule dicitur *Portet*, quasi *Portus Itius*, κατ' ὑποκοριςμὸν. Accedit, quod ex *Portu Itio* ad proximam Britanniæ partem Trajectum notent, Cæsar quidem *millium passuum* X X X X, Strabo vero *Stadiorum* C C C X X; Cæsaris verba lib. V sunt hæc: *Atque omnes ad Portum Itium convenire jubet: quo ex Portu commodissimum in Britanniam Transjectum esse cognoverat, circiter millium passuum* XXXX; sic in melioribus fideique probatioris libris legitur, non XXX: Strabonis autem lib. I V, ubi de Morinis sermo, sic habent, παρ' οἷς ἐστὶ καὶ τὸ Ἴτιον, ᾧ ἐχρήσατο ναυστάθμῳ Καῖσαρ ὁ θεὸς, διαίρων εἰς τὴν νῆσον. Νύκτωρ δ' ἀνήχθη, καὶ τῇ ὑστεραίᾳ κατῆρε περὶ τετάρτην ὥραν, τῶν καὶ εἴκοσι σταδίους τοῦ διάπλου τελέσας. Miror Strabonem, diligentissimum alioqui satisque sui memorem Auctorem, eundem Stadiorum numerum ponere inter *Flumina Celtica* (intelligit *Ligerim* & *Sequanam*; nam de ijs egerat) & *Britanniam*: Δίαρμα δ' ἐστὶν εἰς τὴν Βρεττανικὴν, ait, ἀπὸ τῶν ποταμῶν τῆς Κελτικῆς εἴκοσι καὶ τριακόσιοι στάδιοι. Quod esse non potest. Trajectus enim ab ostio Sequanæ in Britanniam major est, quam CCCXX Stadiorum; & multo major ex Ligeris

Itius Portus, ubi locorum.

geris ostio. Quidquid sit, Strabonis *Stadia* CCCXX, Cæsaris autem XL. *Millia passuum* si cum hodierna mensurandi ratione committantur, dabunt XIII Leucas vel Milliaria. Tantum hodie circiter est intervallum inter finitima *Bononiæ* Littora & proximas Angliæ oras. Iam quod Antoninus à *Portu Gessoriaco* ad *Rutupium* numeret Stadia CCCCL; quod Plinius lib. IV. cap. XVI Britanniam notet abesse ab *Gessoriaco* Morinorum Gentis Littore, proximo Trajectu L millium, minimum; quod denique Dio Trajectum brevissimum ab Gallijs in Britanniam Stadiorum esse scribat CCCCL: dicendum, aliud esse, metiri maritimum hoc Iter ab *Gessoriaco*, aliud ab *Itio*; *Gessoriacum* enim *Itio* erat Orientalius, *Itiumq*; propius à Britannia, quam *Gessoriacum* aberat: aliud item fortean fuisse, *Rutupium* Britanniarum petere, aliud occurrentia primum littora: aliud denique, ex Celtica in Britanniam, aliud ex Belgica solvere. *Portum Itium* Florus lib. III. *Morinum* appellat: *In Britanniam transit mira celeritate: quippe quum tertia vigilia Morino solvisset à Portu, minus quam medio die Insulam ingressus est.* Quo loco nescio quid nonnullos impulerit, ut *Monino* rescriberent; quum Veteres Geographi *Portum Itium* omnes fateantur esse *Morinorum*.

Bononiensi Comitatui succedit *Guinensis*, *Guisnes*: qui disterminatur ab Comitatu *Ojo* per Canalem Majorem, qui Opidum ipsum præterlabitur, Territorium fere reddens inexpugnabile. Primarium Opidum *Guinesium*, *Guisnes*; in duas divisum Partes, quarum una in Paludibus sita, altera in Continenti; Loci natura munitum & validum. Cepit Rex Henricus II, misso illuc Francisco Lotharingio, Guisæ Duce, anno CIↃ IↃ LVIII. De Danorum quomdam in Guinensem terram Iure, multa Mejerus in Annalibus Flandriæ, deque eodem Comitatu alia apud alios Historiographos, quæ hujus non sunt loci. Visuntur & alia Opida, *Hastincourt*, *Peuplinge*, *Conquelle*, *Portus Nievelletius*. Continet Comitatus hic sub se *Baronatus Ardresium* & *Courtembronensem*, singulos ab suis dictos opidis, quorum unum *Ardres* vulgo, alterum *Courtembrone*. IV *Guinæum*, *Guisnes*. cum Metropoli. sub quo *Baronatus Ardresius* & *Courtembronensis*.

Duobus *Ardresio* Milliaribus versus Oceanum occurrit, *Calesium*, opidum natura arteque munitissimum, Galliæ Clavis & Ianua semper habitum; Muris primo, ut fertur, cinctum ab Philippo Bononiensi, S. Ludovici Patruo. Arcem habet cum Turri valida, quæ ingressum ex mari in portum prohibet. Captum fuit ab Eduardo V Anglorum Rege, pridie Nonas Augusti, undecimo mense post horrendam pugnam, quam contra Philippum VI, Francorum Regem, ad Cressiacum anno CIↃ CCCXLVII pugnatam, multis depingit Paulus Æmilius lib. IX. Possessum ab Anglis annos CCXI (nam frustra obsederat anno CIↃ CCCCXXXI Philippus Bonus Burgundus, Flandris ipsum deserentibus) & tamquam Galliæ Clavem in Loculis, ut loqui consueverant Angli, servatum, expugnatum, Guisio Duce, Galli recuperarunt anno CIↃ IↃ LVIII, mense Februario: à quo tempore quas conditiones subierit, qualque calamitates fuerit passum; plenius explicat Historia Belgica, quam jussu & auspicijs Illustrissimorum Ordinum Fœderatarum Provinciarum paro. *Caletibus* Populis in Normannia potius, quam hic sua sunt Domicilia, ut ibi dicam. *Calesium*.

Æquali fere Itinere versus Mediterranea *Calesio Bononiaque* distat *Teroano Morinorum*, vulgo *Teroane*; nomen retinens, quamquam ab Karolo V deleta, Episcopali Sede Bononiam translata: Flandris, *Terrennerberch*: *Tervanna* vel *Tarvenna* Antonino: *Tervanna* Itinerariæ Tabulæ; Ταρουάνα Ptolemæo. Quosdam *Tarubanum* appellare Bovillus adserit. *Tarubanorum* meminit Trithemius in Francorum Historia. *Tervana* quibusdam quasi *Terra-Vana*, ob vilitatem Territorij. In Notitia Provinciarum, ubi Belgicæ Secundæ Civitates recensentur, nominatur etiam *Civitas Morinorum, id est Ponticum*, *L'Eveschê de Teroane*. *Colonia* forte *Morinorum* in antiquo Lapide, qui superioribus annis repertus fuit in Gelria, Sugambrorum olim Principatu, dimidiato ab Vrbe Neomagiensi milliario: Exemplar ejus paulo ante à me positum, ubi de *Morinis* Populis. *Teroana*.

Ditio porro *Oyana*, *Terra de Oye*, porrigere se scribitur Duynkerkam usque, Flandriæ Opidum. Sunt ibi præter *Oyam*, alia quædam Opida, sed ignobiliora. V *Oyam*, *Oye*.

VT Picardiæ finem imponam, pertinet eo Iter, quod Antoninus ab *Teroana* describit *Durocortorum*: Illud cum Itineraria Peutingeri Tabula, vulgatisque nunc temporis Locorum appellationibus conlatum hoc se habet modo: Aliquot Antonini Itinera, ad Picardiam pertinentia.

Πατελάρχαι. Μητροπολῖται, Ἀρχιεπίσκοποι, Ἐπίσκοποι.

πόλεις, sed & Ἐξαρχίας, & Πατελαρχίας nominant; & Præsules earum Ἐξάρχυς ϗ Πατελάρχας. reliquos Μητροπολίτας ϗ Ἀρχιεπισκόπυς, qui sub se tantum Ἐπισκόπυς habent: Nam οἱ Ἔξαρχοι sub se, præter Ἐπισκόπυς, etiam Μητροπολίτας habent: Μητροπολῖται vero tantum Ἐπισκόπυς. In Ecclesia Latina *Archiepiscoporum* & nomen & jus manet, & Iurisdictio Canonica in suos Episcopos Suffraganeos: sed Ἐξαρχιῶν nulla vestigia extant: nisi forte quædam umbra ejus fuerit, quod *Metropolita* sive *Archiepiscopus Viennensis Primatem Primatum* sese appellat. Eo enim ostendit sub se *Primates* habuisse, qui sub eo essent, *Narbonensem Primatem Provinciæ*, *Bituricensem Primatem Aquitaniæ*. Aliter quo modo, aut quo jure, *Primas Primatum* diceretur, nisi ratione Diœceseos *Vicarij Viennensis Præfecti Prætorio*, qui septem Provincias sub se habebat, in quibus *Prima Narbonensis* & *Prima Aquitania*? Quod vero *Lugdunensis Primatem* se vocari gaudeat, nuperum est, & illi ex benificio Romani Pontificis indultum: neque tamen adeo novum est. Nam Gurlielmus Brito in sua Philippeide ita canit:

Archiepiscopus Viennensis *Primas Primatum* quo modo? Lugdunensis Archiepiscopus *Primas*.

Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat,
Vt fama est, Primate regi.

At *Primas Primatum* antea dici jure non potuit, quia nullam *Primam Provinciam* sub se habebat. *Viennensis Primas* quidem *Primatum* vocari vult, sed Caussam tam ille, quam omnis Ecclesia ignorat. Quapropter Divisio Galliarum per *Diœceses Ecclesiasticas* & *Episcopatus*, ut omnium antiquissima, ita certissima nobis sequenda erat, neque ulla melior erat quærenda, si integræ illæ Ἐξαρχίαι adhuc Finibus Regni Francorum continerentur, ut olim sub Karolo Magno, & ejus Filio & Nepotibus: sed quia ex illo amplissimo Imperio multæ Provinciæ detractæ sunt, alia nobis Tributio instituenda. Galliæ igitur sive Franciæ Imperium octo Tribunalibus temperatur, quæ Ius reddunt Provincijs suis, à quibus Provocatio non est, quorumque & Majestas augustissima est & Auctoritas sacrosancta. *Parlamenta* Galli Idiomate suo vocant, ut prolixius docui capite XVII. Non possum meliorem Partitionis rationem inire, quam si in octo hæc Parlamenta omne Francorum Regnum dividam, & ea in Provincias suas. Provincias quidem novi, quot Gallia Reges adipiscitur, tot fere Mutationes, Nomina & Regimina subire; eam ob caussam non ignorans consultius esse ut à Parlamentis Divisio procederet porro per *Diœceses* & *Episcopatus*, quum etiam illa proxime accedat ad priscam Imperij Romani notitiam: sed quia Geographis in more positum, ut quæ suis temporibus obtineant in Regnorum Regionumque terminis, ea quam fidelissime fieri potest, indicent & proponant, religio mihi ab recepta tam multis probataque hactenus consuetudine discedere. Quamobrem talem ego docendi, Galliasque commode cumque fructu explicandi gratia, Distributionem excogitavi.

Galliarum hodierna distributio.

Provinciæ quæ in Galliarum delineatione ab Geographis hodie solent exponi, aliæ Francorum sunt Regis, vel Regi subjectæ; aliæ extra Francorum Ditionem. Quæ prioris generis optime meoque Instituto conuenientissime, divido in sua *Parlamenta*, quæ, ut dixi, octo sunt numero: Vnum quidem Principale; reliqua Accessoria. Principale est *Parisiense*, omnium Primum, & olim unicum solumque. Parlamenti Parisiensis Sedes Præsidiales, ut multæ (nam latissime ejus se extendit Iurisdictio) sic variæ admodum sunt, in varijs constitutæ Provincijs. Eas Ligeris facit alias Septemtrionales, alias Meridionales. Quod ad Priores in Vetere quidem Belgica, hodie est PICARDIA *La Picardie*; in Celtica vero versus Occidentem FRANCIA, *La France*, strictius sumta (cujus tamen etiam nonnulla incidunt in Belgicam) & BELSIA, *La Beausse*: versus ortum CAMPANIA, *La Campaigne*, & LVGDVNENSIS TRACTVS, *Païs de Lionnois*. Quod ad Meridionales, possidebat eas olim ex Veterum delineatione, cum Narbonensi, Aquitanica. Dicebatur autem Aquitania in dextra Garumnæ ripa, partim Prima, ubi hodie cis Vigennam BITVRICIVM, *Berry*, & BORBONIVM, *Bourbonnois*; ultra vero PICTONIVM *Poictou*, Agerque & INCVLISMENSIS *Angoulesme*, & ALNISIENSIS, *Le Païs d'Aulniz*: partim Secunda, ubi nunc ARVERNIA, *Auuergne*. Accessoria Parlamenta sunt, quæ Principale illud quasi circumeunt, versus Occidentem ad Ligeris dextram *Rotomagense*, sub quo NORTMANNIA, *La Normandie*; & *Redonense* cui subest BRITANNIA, *La Bretaigne*: ad sinistram *Burdigalense* & *Tolosanum*, quorum quodque sua extendit jura nunc integre & separatim; nunc vero mistim in aliquot adsignatas sibi Veteris Aquitaniæ Narbonensisque Galliæ Ditiones.

Integre

Integre quidem *Burdigalensi* subsunt LEMOVICIVM, *Limosin*, PETROCORIVM, *Perigort*, GVIENNA, *La Guienne*; *Tolosano autem* CADVRCIVM, *Querci*, RVTENIVM, *Rouargue*, LANGVEDOKIVM, *Languedoc*: Mistim vero utrique VASCONIA, *La Gascoigne*: quemadmodum plenius ex sequentibus parebit. Iam versus Orientem ad Mare Galiicum, Parlamentum est *Aquense*, cujus Iurisdictioni obtemperat PROVINCIA, *La Provence*; in Mediterraneis *Gratianopolitanum*, ab cujus nutu pendet DELPHINATVS, *Le Dauphiné* & *Divionense*, quod in Iure Summo dicundo adgnoscit DVCATVS BVRGVNDIÆ, *La Duché de Bourgongne*. Hactenus quæ Regis. Extra Ditionem Francorum, in Francia tamen, suos habent etiam Dominatus alij Principes, & Ecclesiastici & Politici. Pontificis enim Romani est COMITATVS AVENIONENSIS, *Avignon*; Politicorum alij sunt Ducatus, ut SABAVDIA, *Savoye*, & LOTHARINGIA, *Lorraine*; alij sunt Principatus, ut BENEARNIA, *Bearn*, & ARAVSIO, *Aurange*; alij Comitatus, ut BVRGVNDIA, *La Conte de Bourgongne* & CAROLESIVM, *Charolois*. Has Regiones si fideliter ordine à me indicato perambularo, Lectores spero ita judicaturos, me nullam non partem, vel obiter, attigisse: plerasque Vrbes adijsse; &, si non omnia, præcipua saltem de singulis dixisse. Illud obiter hic monendum duxi, Appianum testari Galliarum Ἔθνη fuisse Τετρακόσια· Πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας. Minor est numerus in Templo, quod ab omnibus communi consilio Gallis Augusto Lugduni exstructum: de quo Strabo lib. IV. Τό, τε ἱερὸν τὸ ἀναδειχθὲν ὑπὸ πάντων κοινῇ τῶν Γαλατῶν Καίσαρι τῷ Σεβαστῷ, πρὸ ταύτης ἵδρυται τῆς πόλεως, ἐπὶ τῇ συμβολῇ τῶν ποταμῶν. Ἔστι δὲ βωμὸς ἀξιόλογος ἐπιγραφὴν ἔχων τῶν Ἐθνῶν ξ τὸν ἀριθμόν. Vnde tanta in numero Gentium Galliæ discrepantia? Appianum existimo Gentes universim designare totius Galliæ; eas fuisse circiter *quadringentas*: Aram autem Lugdunensem eas tantum habuisse, à quibus illa in Augusti honorem fuit posita, *sexaginta* scilicet.

Gallicarum Gentium numerus, dissentiente Romanorum Imperio.

Qui porro, quam ego vel in superioribus attuli, vel in sequentibus sum allaturus, plura, vel saltem mea pluribus fusiusque explicata, petat: consulat moneo, quod quidem ad universæ Galliæ delineationem, præter alios, Robertum Cœnalem, qui integro volumine Gallias descripsit, Gilbertum Cognatum Nozorenum, Ioannem Marium, Chassanæum lib. XII de Gloria mundi, Gulielmum Postellum in libello Vniversitatis, Sebastianum Munsterum, Franciscum Belleforestium, Andream Thevetum, Abrahamum Ortelium & Gerardum Mercatorem; quorum ille XVI, hic XII Chartis Galliam depingit: quod autem ad Gallorum Mores, Resque ab illis gestas, adeat Lector ex Antiquis C. Iulij Cæsaris Libros VII de Bello Gallico, ijsque additum ab A. Hirtio VIII, Appiani Alexandrini Celticum, sive de Bello Gallico, & alios, quos varijs supra locis laudavi; ex Recentioribus, medijque ævi, Scriptores illos Annalium & Historiæ Francorum, quos maximo Reip. litterariæ bono nuper edidit P. Pithœus I C: his addat Hunibaldi libros XVIII, in quibus tamen multa fabulosa & commentitia, sermoque plane barbarus; Gregorij Turonensis Episcopi libros X; Aimoini Monachi Floriacensis Cœnobij Libros de Regibus Francorum V; item Ioannem Tritemium, Frossardum, quique eum supplevit, Enguerranum, Robertum Gaguinum, Philippum Cominæum, Nicolaum Gillium, Paulum Æmilium, Ioannem Ferronium Ioannem Tilium, Henricum Leonardum, Hermannum Comitem, Nicolaum Vignerium, Gulielmum Paradinum, Papirium Massonium, Galeatium Capellam, qui scripsit de bellis in Italia gestis inter Karolum V & Franciscum Galliarum Regem. De Gallorum Imperio & Philosophia libros VII scripsit elegantes & eruditos Stephanus Forcatulus I C. Alios alijs, quibus otium curiosius hæc talia consectandi, adponendos nominaris à me relinquo.

Scriptores Rerum Gallicarum.

Ad specialiora Galliarum pergo. Occurrit in mea Distributione primo loco *Picardia*.

Picardia.

CAP. XX.

Picardia.

PICARDIA. Picardia. PICARDIÆ Nomen quamvis non magnæ antiquitatis, nulla tamen ejus certa potest reddi ratio. Alij aliam augurantur: Inter eos Robertus Cenalis, Episcopus Abrincantensis, vel, ut alij, Arboriensis, *Picardos* dicit vere esse Gal- *unde dicta.* los; se nihilominus ignorare, num à *Begardis* hæreticis (quos constat Ludovici Bavari Imperatoris tempore, circa annum cIↄ CCCXIV, quasdam Inferioris Germaniæ Vrbes coluisse) nomen hoc sint mutuati. Belleforestius *Picardos* antea fuisse vocatos scribit, quam *Becardi* in rerum essent natura, quamque ulla istius Sectæ audiretur mentio. Sunt qui appellatos censent Picardos; quod ab his ortus primo usus Lancearum, quæ vulgo *Picques* nuncupantur. Ego rem in medio relinquo.

Ejus Fines olim. Hujus Regionis, quæ quomdam in Antiqua Belgica (ea præcipue, quæ *Secunda* posteriori ævo) appellatio latius olim patuit; complexa Artesiam Flandriæque partem ad Lisam usque Amnem: alijs multo etiam ulterius tendentibus ad Scaldim usque & Renum Fluvios. *hodie.* Hodie *Picardiam*, ut crasse diffiniam, ad Occasum respicit, cum nonnulla Normanniæ portione, Oceanus Britannicus: ad Septemtrionem istæ Veteris Belgicæ jacent Regiones, quæ hodie Artesia & Hannonia: ad Ortum Leuceburgum & Lotharingia sunt porrectæ: ad Meridiem denique Campania, isque nobilissimi Regni Tractus, qui specialiore notione Francia vocatur, occurrunt.

Qualitas. Regio est fertilissima, Horreumque Parisiorum, atque adeo pleræque Franciæ. Vino caret, ignava potius Incolarum socordia, quam vel Cœli vel Soli injuria.

Veteres Incolæ. Ambiani. *Picardiam* habitarunt olim *Ambiani*, *Suessones*, *Veromandui*, *Essui*, *Oromansaci*, *Morini*, & alij fortean.* *Ambianorum* Sedes, ubi hodie opulentissima Vrbs *Ambianum*, vulgo *Amiens*: Eorum frequens apud antiquos Scriptores mentio, Cæsarem, Plinium, alios. Ἀμβιανοὶ Ptolemæo, & Straboni. Cæsar *Ambianos Morinis* jungit, quorum fines *Nervij* attingebant: Strabo *Ambianos Morinis* facit propinquos, & *Suessones*: *Suessones.* Ptolemæus post *Bellovacos* in Gallia Belgica statuit *Ambianos*. *Suessones*, vel, ut alij scribunt *Suessiones*, sæpe apud Cæsarem (qui & *Eleutheros*, Liberos, prænominat lib. VII quemadmodum & *Cadurcos*, de quibus cap. XXXV) memorantur. Σουεσσίωνες apud Strabo-

Strabonem: ubi Isaacus Casaubonus legit Σουεσσίωνες: Ptolemæo Οὐέσσονες, repono Σουέσσονες. Hodie *Soueßons*. Apud *Sueßones* ætate memoriaque Cæsaris Rex *Diviciacus*, totius Galliæ potentissimus, fuit; qui cum magnæ partis harum Regionum, tum etiam Britanniæ Imperium obtinuit: Deinde *Galba* successit. Et cujusmodi Regnum hoc fuerit, hinc intelligi potest, quod Suessones Remorum Fratres Consanguineique eodem jure ijsdemque legibus uterentur, unum Imperium, unumque Magistratum cum illis haberent. *Sueßonum* latissimi feracissimique fuerunt Agri, & Opida duodecim; quorum unicum ab Cæsare nominatur *Noviodunum*, quod ipse post Belgarum discessum ex itinere oppugnare conatus, propter latitudinem Fossæ, murique altitudinem, paucis licet defendentibus, expugnare non potuit. *Veromandui* Cæsari (qui in libris de bello Gallico de ijs multa) Plinioque Galliæ Belgicæ Populi: qui Ῥωμάνδυοι Ptolemæo, & in nonnullis Exemplaribus Ῥομάνδυες pro Οὐεϱομάνδυες, inquit Surita; *Veromandui* Epitomæ Livianæ libri CIV, item Lapidi antiquo, qui, teste apud Abrahamum Ortelium Iacobo Carondiletio, Cancellario Leodiensi, in Pago Hannoniæ, qui vulgo *Ausaures* prope Bavacum. *[Veromandui.]* *Essuos* Cæsar nominat: Eorum Sedes ubi hodie illa Picardiæ portio, quæ *Tirasch.ha*, quasi, ut Bovillus cum alijs opinatur, *Terra Essuorum*. Alij *Essuos* ponunt ubi nunc *Retelois*: alij ubi *Beßin*, prope Baiocasses, *Baieux*: Divæus Comitatum *de Eu* putat. *[Essui.]* Hubertus Leodius tradit eos *Æthum* Hannoniæ Vrbem occupare: sic quot Capita, tot Sententiæ incertiores nos relinquunt. *Oromansaci, juncti Pago*, inquit Plinius, *qui Gessoriacus appellatur*: fuisse censentur, ubi hac tempestate *Comitatus Guinensis*. *[Oromansaci.]* *Morini* Virgilio, Cæsari, Plinio, alijsque noti; Ptolemæo & Straboni Μόϱινοι: olim, ubi nunc in ruinis jacet *Teroana*, quæ in Notitia, ut alibi vidimus, *Civitas Morinorum*, id est *Ponticum*. *[Morini.]* *Morinorum* meminit Lapis, qui in Gelria, dimidiato ab Vrbe Neomagensi Miliario, repertus.

MINERVAE
CVR. LADAE
T. PVNICIVS. GE
NIALIS. II. VIR. C
LON. MORINO
RVM. SACRDOS
ROMAE. ET. AVG
OB. HONOREM
F. V. A. M. O. V. L

Vadicasses sunt apud Plinium; qui Οὐαδικάσιοι Ptolemæo: quomdam, ubi nunc *Noion*, *Noviomagus* Antonino inter Suessones & Ambianos; Νουιόμαγος *Vadicassium* Ptolemæo. *[Vadicasses.]* Alij sunt *Vadicasses* ab *Baiocassibus*; de quibus in Normannia: nam temere quidam confundunt.

Picardia porro in tris dividitur partes, *Veram, Inferiorem, Superiorem*. De postrema nihil hoc libro dicam. *[Picardia Triplex.]* Occupatur enim Tota fere ab ijs Regionibus, quæ in Inferiore Germania, interque Septemdecim Provincias principem obtinent locum; de quibus libro V.

Vera (*La vraye Picardie*) cœpto Parisijs itinere, superatisque Bellovacorum Agris, initium est ad Crepacorium. *[Vera, in qua Vicedamiæ.]* Comprehendit *Vicedamias* (Communibus utar Vocabulis, ut melius intelligat) *Ambianam, Corbiensem & Pequignyam: Comitatus Veromanduorum & Retelorum*; *Ducatum Tiraschensem*.

Ambiana (*Visdamie d'Amiens*) nomen dedit *Ambianum*, vulgo *Amiens*: olim uti censent V. N. Iosephus Scaliger, Petrus Divæus, Goropius Becanus, Iosias Simlerus, & alij, Samarobriva. *[Ambiana, cum Vrbe Ambiano, olim Samarobriva.]* Sigebertus etiam *Ambianum* idem facit cum *Sommonobria*; sic ille scripsit pro *Samarobriva*. Alij, quum *Samarobrivam & Ambianos* duo diversa se dicerent legere opida apud Antoninum, in eam ierunt sententiam, ut arbitrarentur *Samarobrivæ* memoriam hodieque servari in opido, quod ad *Somonam* (vel, ut alij scribunt, *Suminam*) *Brayum* nominatur. Sed potuit eadem urbs & *Samarobriva* vocari & *Ambiani*, quod horum Populorum ea esset caput. Itinera Antonini, quæ utriusque faciunt mentionem, alibi videbimus: Prius quidem, quod ad Pi-

ad Picardiam proprie pertineat, ad finem hujus capitis, alterum, quod multas simul Galliæ Regiones complectatur, ad Libri finem. *Samarobrivæ* meminerunt, præter posterioris ævi Scriptores, aliquoties Cæsar lib. v de Bello Gallico & Cicero lib. v I I. Epist. ad Trebatium; ut falsum sit, quod superioribus adscribit Sigebertus, Vrbem hanc ab Antonino Pio Imperatore fuisse conditam. Majorem habet vetustatem. Ptolemæo appellatur Σαμαρόβριγα. Quidam Antonini Codices *Samarabrivam*, alij *Samarabrigam* præferunt. *Brigam* antiqua Hispanorum Lingua, & *Briam* Thracio sermone, Vrbem nuncupari alias dixi. Nonnulli *Somonobrigam* scribunt à *Ponte* (Belgice *Brug*) quo Somona fluvius traijciebatur. *Ambianum* certe Vrbs est ad Somonam, qui eam hic ibi findit (unde quidam *Ambianum* putant dictum ab Imperatore Gratiano, quod Aquis ambiatur) munitioribus Galliarum & ab natura & ab hominum industria merito connumeranda; Fossis pulcris præaltisque vallata; Clavis ea parte Regni. Templum habet speciosissimum. Incolæ multis clarent Privilegijs; inter ea, quod cum ab exterorum militum Præsidijs, tum ab subsidijs sint immunes. Probitate sane Fidelitateq; sunt insignes. Fabulantur quidam ab Alexandri Magni Militibus conditum. Ambiano tribuit Antonini Itinerarium *Legionem* XXIII. Episcopos ejus Belleforestius recenset LXIII; inter eos autem ultimum *Ioannem Crequium*.

Corbiensis, cum opido *Corbia*, quomdam *Curmiliaca*.

Corbiensis ab *Corbia*, quod Opidum est ad Somonam; quo loco fluvius, cui adjacet, Somonam ingreditur: Clavis itidem, qua parte jacet, Franciæ. *Curmiliaca* forte Antonini, inter *Samarobrivam, Amiens* & *Cæsaromagum, Roye*, ni fallor.

Pequignya cum suo item Opido.

Pequignya denique à *Pequignyo*, vulgo *Pequigny*. Opidum est sic dictum, si vulgo fides, à *Pignone*, Alexandri Magni Milite. Historiographis nobilitatum, quod ibi Gulielmus Nortmanniæ Dux, cui cognomen erat *Longa-Spatha*, positis insidijs fuerit obtruncatus per factionem Balduini Comitis Cameracensis, qui cum pacis ineundæ prætextu eo loci pellexerat. Testantur Nortmanniæ Annales. Memoriæ etiam produnt Francicarum rerum Scriptores Anglos, postquam prælio jam essent victi, superstites omnes ibidem fuisse occisos, qui nomen *Pequigny* literis omnibus pronunciare nequibant, *Pequeny* loco *Pequigny* proferentes.

Veromandui, *Vermandou*.

Veromandui de quibus antea dixi, hodie vulgo *Vermandois*, retento, si qui alij Galliæ populi, prisco Nomine. Picardiæ pars, aliquando Comitatus titulo celebris. Inter Comites primum invenio *Hugonem*, Henrici I Francorum Regis filium, Philippi Regis fratrem: qui cum alijs Proceribus Bello Sacro, quod in Palæstina, Duce Godefredo Bilionæo, anno CIↃ XCIX gestum, interfuisse legitur. Successerunt huic duo *Rudolphi* Filius & Nepos; quorum hoc sine Liberis defuncto, Comitatus ad Regnum est devolutus. Wandali, facta in Gallias cum Burgundionibus irruptione, Provinciam hanc miserum in modum adflixerunt. Comprehendere vero sub se Comitatum hunc signant Franciæ Geographi *Suessonum*, *Laudunensium*, *Tartenorum* Ditiones; Vrbes item *Noviomagum* & *Fanum S. Quintini*.

Suessones, quorum antea memini, hodie vulgo *Souessones*, vel, ut alij pronunciant, *Soissonnois*. *Suessonum* Vrbs, quæ hodie *Soisson*, Arce prædita; *Suessones* gentis voce, apud Antoninum, qui Legionem ei XXV attribuit; Σουεσσίωνες Straboni; Αὐγοῦστα Σουεσσόνων (sic enim emendandum, pro Οὐεσσονῶν) Ptolemæo; *Civitas Suessonum* in Dignitatum libello dicitur. Eripuit hanc Vrbem Siagrio, Gilonis Romani Prætoris filio Hlodovæus: quo defuncto, Filij decus illi Regiæ Civitatis, quo Cæsaris tempore claruerat, reddiderunt. Postea Comitatus Titulo fuit insignis. *Karolus* Ludovici Principis Condæi filius Comes audit Suessonum. Episcopatus est, cujus Belleforestius Præsules numerat nominatque LXXIX; ultimum *Mathiam Parisinum*.

Suessones. Soissonnois; Soisson. olim Augusta Suessonum;

Laudunensium Ager, *Laonnois*, dictus ab *Lauduno*; cujus meminit Vita Karoli Magni, quodque inemendatius forte apud Antoninum *Alauna*, quod denique plenius effert suis ad me Litteris Magnus Scaliger, *Laudunum Clavatum*: hodie *Laon*. Conditam vult hanc Vrbem Papirius Massonius ab Macrobio Prætore. Situs ipsi in Colle. Invasit eam Karolus Lotharingiæ Dux, Ludovici Regis Francorum, Stirpis Karolinæ ultimi, Patruus; quum se jure Successionis videret privatum ab Hugone Capeto. Præsules se Duces & Pares Franciæ scribunt. Eorum Syllabus apud Belleforestium, cui LXXIII recensentur, eorumque postremus *Ioannes Bursierius*.

Laudunenses. Laonnois. Laon olim Laudunum.

Tartenorum, vernacule *Tartenois*, Metropolis est *Fera*, vulgo *La Fere*: Vrbs egregie munita, situque commodissimo, ad Oysam Servamque confluentes; Arcem habens satis validam.

Tarteni. Tartenois. La Fere.

Quæ nunc Vrbs *Noion*, Antonino *Noviomagus* nuncupatur, inter Suessonas & Ambianos, ut antea dixi, eam collocanti, Decimamque octavam Legionem illi tribuenti. Νοιόμαγος Vadicassium est Ptolemæo. Vulgo Ecclesiasticorum *Noviomus* vocatur per compendium; ut *Tresses* pro *Tricasses*. Falluntur, qui eamdem faciunt cum *Novioduno*. Quatuor quidem *Novioduna* nominantur ab varijs Scriptoribus, sed eorum nullum commune quid habet cum *Noviomago*, de quo agimus. Vir N. Iosephus Scaliger suis ad me Litteris, Se Nugatoribus hac in re, etiam jurantibus, crediturum negat. Vrbs est, Antiquitatis suæ notas non paucas præferens. Episcopalis Sedes: cujus Præsules Comites se Noviomagienses & Franciæ Pares scribunt. Catalogus eorum apud Belleforestium, qui postremum edit *Ioannem Hangestum*, Senlisij Dynastæ filium.

Noion. olim Noviomagus.

Fano S. Quintini, quod Comitum Veromanduorum aliquando Domicilium & Regiunculæ caput, nomen à *Quintino*, qui Martyrium ibi passus. Olim *Augusta Veromanduorum*. Sic etiam diserte dicitur in Vita S. Quintini. Robertus tamen Cœnalis scribit hanc *Augustam* omnino dirutam, ejusque hodie nihil restare præter Cœnobium, quod vulgo *Vermand-Abbaye*. Quidquid sit, *Fanum S. Quintini*, Arce nunc

S. Quintin. olim Augusta Veromanduorum.

nunc potens, multa sustinuit Damna, Calamitatesque Bello inter Philippum Hispaniarum & Henricum Galliarum Reges: quæ plenius à me explicata in Historia Rerum per Belgicam nuperis hisce Tumultibus gestarum.

Reteli, Retelois.

Hæc de *Veromanduis*: *Retelorum* (vulgo *Retelois*) ditio sita est inter Hannonios, Lotharingos & Barros. Metropolis *Retelium*.

Tirascha, La Tirasche. Metropolis *Guisa.*

Tirashæ (*La Tirasche*) de qua ante nonnihil, primaria Vrbs est *Guisa*: Arce superbiens; Propugnaculum contra Leuceburgenses: Vetus Patrimonium Fratrum Primogeniti Lotharingiæ Ducis. Ducum *Guisæ* proximorum hoc lego Stemma:

Nuperorum *Guisæ* Ducum Stemma.

CLAVDIVS *Lotharingius, Dux Guisæ & Aumaliæ.*

FRANCISCVS, Dux Guisæ obiit XII Kal. Mart. CIƆ IƆ LXIII; in Obsidione Aurelianensi.

- HENRICVS, Dux Guisæ: cæsus XVIII Kal. Ianuar. CIƆ IƆ LXXXVIII in Comitijs Blesensibus.
  - FRANCISCVS Dux Ianvillæ.
- LVDOVICVS Cardinalis Lotharingiæ: cæsus cum Fratre eodem tempore, ijsdem Comitijs, in conspectu Regis.
- CAROLVS Dux Mayennæ.

MARIA, defuncto Priore Marito Duce Longevillano, coniux inde Iacobi V Scotiæ Regis.

- MARIA Stuarda Scotiæ Regina; supplicio affecta XII Kal. Mart. CIƆ IƆ XXCVII.

CLAVDIVS Dux Aumalius.

Inferioris Picardiæ Partes.

Sic se habet *Vera Picardia*: *Inferiori* (*La Basse*) variæ sunt partes: *Sancterra, Pontium, Bolonesium, Guynæum, Oyum.*

I *Sancterra*, in qua *Mons S. Desiderij.*

Sancterra, *Santerre*, concluditur inter *Montem S. Desiderij*, *Peronam & Roiam*: Frumenti variorumque Fructuum valde ferax. *Monti S. Desiderij*, vulgo *Mondidier*, unde sit nomen, notum est.

Perona.

Perona, bellicis cladibus sæpe fatigata. Clavis ibi Franciæ, Arce potens. Hic Heribertus Veromanduorum Comes Captiuum detinuit Karolum Simplicem, Galliarum Regem. Late Papirius Massonius rerum Francicarum lib. x, & alij.

Roia, olim *Cæsaromagus.*

Roia, opidum non contemnendum, Arce, ut fere omnia limitaneis his locis, validum: *Cæsaromagus*, nisi fallor, Antonino & Itinerariæ Tabulæ: *Cæsaromagi* etiam in Bellovacis meminit Ptolemæus. Alij *Rodrinam* esse volunt: quæ mihi *Romorantin*, ut suo dicam loco.

Nella.

Est ibidem *Nella*, Propugnaculum, ut multa alia; hac parte Regni, Arce munitum, ad Fontem fere Ingonis Fluvij; qui, exiguo cursu confecto, mox inter Rouyam & Voiennam in Somonam se exonerat. *Nella* Clarorum Virorum genitrix. Ejus Dynastæ Marchiones adfinitate juncti leguntur Familiæ Ceurtenecæ, quæ originem traxit ab Regibus Franciæ.

II *Pontium*, *Ponthieu*.

Pontium, vernacule *Ponthieu*, Comitatus est, cui nomen creditur datum à *Pontium*, qui passim ibi, multitudine. Est enim Regio inter Somonam & Authyam fluvios: Paludibus plena: quæque Stagnis suis, ut ipse deprehendi, multis in locis invia. Cogitandum alijs relinquo, an non Nomen hujus opinione quorundam vetustius. Ego hoc Tractu apud Antoninum invenio *Pontes* cum *Legione* XXIV. inter Ambianos & Gessoriacum. In Notitia item Romanarum Dignitatum scribitur *Civitas Morinorum*, id est *Ponticum*.

Comitatus.

Comitatus fulget dignitate. Meminerunt Annales Gulielmi hujus Provinciæ Comitis, qui vixit tempore Lotharij Francorum Regis. Anglici Iuris factus est, quum Eduardus I Angliæ Rex uxorem duceret Eleonoram, Ferdinandi Castellæ Regis Filiam ex Ioanna Conjuge, quæ Filia erat Simonis *Pontium* Comitis. Anglo plenius solidiusque adquisitum fuit Ius per Pacem inter Ioannem & Eduardum factam CIƆ CCCLX. Non multo post Incolæ, instigante Guidone S. Pauli Comite, Præsidiarios, quos Rex Eduardus ibi reliquerat, exturbarunt; Regique Francorum Karolo V se dediderunt. Sic nobilissimus Comitatus Franco cessit, post annos CXII, quam ipsum Dotis nomine Rex Eduardus I accepisset.

cuius Metropolis *Abbatis-Villa.*

Primarium Comitatus opidum *Abbatis-Villa*, *Abbevilie* vulgo; non antiquum valde, uti nomen indicat: Baillivatus titulo insignitum. Opida habet & alia non magni nominis, *Crotoyam*, *Ruam*, *Treportum*, *Fanum S. Richierij*. *Cressiacum*, *Cressy*, Vicus est, Gallorum clade memorabilis, de qua Papirius Massonius lib. IV Annalium.

quique complectitur duos alios comitatus. *Monstroliensem, Monstreul. & Fani S. Pauli, S. Pol.*

Comprehendere autem notatur sub se hic Comitatus duos alios *Monstroliensem & S. Paulli*; utriq; nomen à principibus Vrbibus, quæ vulgo *Monstreul & S. Pol.* *Montreul* quibusdam quasi

quasi *Mont-Royal*; alijs ab *Monstro*, quod eo loci domicilium habuisse fingitur. Comites *S. Paulli*. Progenitorem memorant ex Stirpe Leuceburgica *Walleramum Leuceburgium*, Lignij Comitem, germanum Henrici VII Romanorum Imperatoris fratrem. Vltimam ejus Stemmatis lego *Mariam Leuceburgicam*, Petri Filiam, Fani D. Paulli ac Lignij Comitem, Anhiani Dominam; Vxorem prius Iacobi Sangij Ramondi Vaussiique Comitis; inde vero Francisci Comitis Vendomij; Matrem ex illo Filiæ, quæ nupsit Henrico Nassavio; ex hoc autem Karoli Primi Vendomiæ Ducis.

Boloniæ, vel ut alij, *Bononiæ* Comitatus (*Comté de Boulongne*) satis est amplus. Initium illi ab Montibus S. Ingelberti; procurritque ad Fluvium Cancham, quæ ejus Longitudo; Latitudo ad Lucum usque Tournohensem porrigitur. Totus Tractus arenosus est, ejus generis arenæ, quam Vrentem vocant: unde & nonnulli *Boloniam* censent dirivatam à *Bouiller*; quod ridere soleo. Nomen Comitatui à *Bolonia* Opido, quod in Superius hodie & Inferius divisum. Illud altiore situm loco, Burgus tantum, anteaquam ab Anglis obsidione premeretur:

III Bolonienses; Boulonnois,

cum Metropoli Bononia,

Caletenses & Bononienses.

Hoc autem planiora occupans Mare adluit. Alterum ab altero passibus distat centum, aut circiter. *Bononiam* etiam nominant hac Galliarum parte, præter Ammianum lib. XX, Olympiodorus & Sozomenus. Scripsit ille Historiam Honorij Senioris, Theodosij & Honorij Iunioris, inque scrinijs adhuc & Armarijs Bibliothecarum delitescit. Loquens autem de Constantino Tyranno, τὰς Βρεττανίας ἰάσας, ait, περαιοῦται ἅμα τοῖς αὐτοῦ ἐπὶ Βονωνίαν, πόλιν οὕτω καλουμένην, παραθαλασσίαν, καὶ πρώτην ἐν τοῖς τῶν Γαλατῶν ὅροις κειμένην. Emendandus hinc, cujus memini, Sozomenus, qui libro IX loquens eadem de re, περαιωθεὶς δὲ Κωνσταντῖνος, inquit, ἀπὸ Βρεττανίας ἐπὶ Βυβονίαν (leg. Βονωνίαν) πόλιν τῆς Γαλατίας, παρὰ θάλασσαν κειμένην, προσηγάγετο τοὺς παρὰ Γαλάταις καὶ Ἀκυιτανοῖς στρατιώτας. *Bononiense opidum* habet quoque Panegyricus Incerti Auctoris Imperatori Constantino dictus. *Civitas Bononiensium* est in Notitia Provinciarum inter Belgicæ Secundæ Civitates. Hodie Francorum Vulgo *Boulongne*; Flandris, reliquisque Inferioris Germaniæ Populis, propius ad Veterem appellationem accedentibus, *Beunen*. Antiquissimis temporibus, uti censent V. N. Iosephus Scaliger suis ad me Litteris (nam ad Ausonium *Gessoire* opidum hoc tractu nomen retinere docet) Papirius Massonius, Lelandus, Abrahamus Ortelius, & alij, *Gessoriacum*. Diserte Tabula Peutingeriana, quam cum maximo Reip. litterariæ bono nuper editam à se mihi liberaliter transmisit Vir Nobiliss. Marcus Velserus Patricius & II-Vir Augustanus: *Gessogiaco, Quod nunc Bononia*;

quæ olim Gessoriacum.

nonia;

nonia; reponendum *Gessoriaco*. *Gessoriacum* Antonino dicitur, qui ei *Legionem* adscribit x v; Et alibi *Gesoriacensis Portus*; item *Gessoriagensis Portus* in Maritimis: Ptolemæo Γισοῤῥίακον, ἐπίνειον μοζίνων. *Gesorigia* est in Panegyrico, qui Maximiano dictus; & eo fere modo in quibusdam Antonini Codicibus *Cesoricia*. De eo Pomponius Mela: *Pertinentque ad ultimos Galliarum gentium Morinos, nec Portu, quem Gessoriacum vocant, quidquam notius habent.* Sic Suetonius in Claudio cap. x v i i, ubi de expeditione Principis in Britanniam: *Quare à Massilia Gessoriacum usque pedestri itinere confecto, inde transmisit.* Ab eo Plinius lib. i v. nat. hist. cap. xvi. *Gessoriacum Morinorum Gentis Litius* nominat: Et *Gessoriacus* eidem *Pagus*, totus ille Tractus, qui pertinet ab Nort-mannis Belgis *Bononiam* usque. *Pagi* enim appellatio late solet apud Veteres Scriptores patere, ut *Pagus Tigurinus*, *Pagus Velaunus*, & alij: quemadmodum & *Civitatis* passim in Notitia Provinciarum, pro tota aliqua Præpositura, pro magno modo Agri, pro Gente quamtumvis numerosa. Alij Gessoriacum non idem volunt cum *Navali Bononiensi*: *Calesium* putat Ioannes Talbotus; *Fanum S. Audomari* Incertiores apud Hieronymum Suritam ad Antonini Itinerarium; *Vicum Scas*, haud procul eodem Fano, Hadrianus Turnebus lib. v i i i Adversar. cap. xxi; *Sluisam* Brugensium Coloniam, Hector Boëtius; *Brugas* ipsas Hermolaus Barbarus ad Plinium; *Gandavum* Bilibaldus: Robertus Cœnalis libro de re Gallic. ii Perioche iii diversa ponit *Gessoriacum Portum* & *Gessoriacum Navale*; illum *Bononiam* censet; hoc autem *Castellum*, quod vulgo *Cassel*. *Boloniensis* porro fuit Godefridus, Eustathij Boloniensis Comitis Filius, Lotharingiæ Dux, qui Christianorum Primus Rex Solymorum. Prope Bononiam erat *Itius Portus*: quem qui *Calesium* Opidum esse arbitrantur, inter quos Lhuydus, nullo negotio refelluntur à Ptolemæo, qui post Sequanæ Fluminis Ostia prius ponit Ἴκιον ἄκρον, deinde Γισοριακον, ἐπίνειον Μορινῶν: a quo opidum *Calesium* distat plus quam xx millibus Passuum, hoc est, Leucis Belgicis septem. *Gessoriacum* idem esse cum *Itio* persuasum videtur M. Velsero ad Fragmentum Tabulæ Itinerariæ. *Itius portus* quibusdam *Fanum S. Audomari* censetur, adductis cum vetusto Vrbis nomine, quo *Sitieu* vocabatur, quasi, ut volunt, *Sinus Iy*; tum Loci situ, qui quum valde sit humilis, præaltis tamen littoribus Vrbem quodammodo cingentibus, Sinum Maris olim capacissimum fuisse indicat. Cambdenus in sua Britannia docet *Itium Portum* diu fuisse in loco, quem hodie *Withsan* vocamus prope *Blanestum*. Ego sic argumentari soleo: Quum apud Ptolemæum & *Itio Promontorio* & *Gessoriaco Navali* (quod *Bononiam* esse jam dixi) ejusdem Gradus Latitudinis, nimirum l i i i, idem omnino Scrupulus, x x x scilicet, tribuatur: in Longitudine autem nonnihil differant, quod uterque locus eidem quidem subsit Longitudinis Gradui x x i i, sed *Itium Promontorium* sub indicati Gradus Scrupulo x v, *Gessoriacum* vero sub Scrupulo x l v: necessum prorsus est, *Itium portum* haud procul fuisse *Gessoriaco Navali*, eodem plane inter Septemtrionem & Meridiem Parallelo, non eodem inter Ortum & Occasum Meridiano: hoc est *Itium Portum Navali Gessoriaco* fuisse Occidentaliorem, Britanniæque littoribus paulo propiorem: ideoque, quum *Gessoriacum* vel *Bononiam* Mari jam nunc adsidere conspiciamus, *Itium Portum* Oceano, ut multa alia ad Mare Britannicum Aquitanicumque Loca, haustum esse, nudamque ejus memoriam & appellationem exstare fortean in Vico, qui, Portu licet Orientalior & magis Mediterraneus, prope Bononiam, ad Mare, vernacule dicitur *Portet*, quasi *Portus Itius*, κατ' ἀποκοπήν. Accedit, quod ex *Portu Itio* ad proximam Britanniæ partem Trajectum notent, Cæsar quidem *millium passuum* xxxx, Strabo vero *Stadiorum* cccxx; Cæsaris verba lib. v sunt hæc: *Atque omnes ad Portum Itium convenire jubet: quo ex Portu commodissimum in Britanniam Transjectum esse cognoverat, circiter millium passuum* xxxx; sic in melioribus fideique probatioris libris legitur, non xxx: Strabonis autem lib. i v, ubi de Morinis sermo, sic habent, παρ' οἷς ἐστι καὶ τὸ Ἴτιον, ᾧ ἐχρήσατο ναυστάθμῳ Καῖσαρ ὁ Θεός, διαίρων εἰς τὴν νῆσον. νύκτωρ δ' ἀνήχθη, καὶ τῇ ὑστεραίᾳ κατῆρε περὶ τετάρτην ὥραν, τῶν καὶ εἴκοσι σταδίους τὸν διάπλουν ποιησάμενος. Miror Strabonem, diligentissimum alioqui satisque sui memorem Auctorem, eundem Stadiorum numerum ponere inter *Flumina Celtica* (intelligit *Ligerim* & *Sequanam*; nam de ijs egerat) & *Britanniam*: Δίαρμα δ' ἐστιν εἰς τὴν Βρεττανικήν, ... ἀπὸ τῶν ποταμῶν τῆς Κελτικῆς εἴκοσι καὶ τῶν σταδίων. Quod esse non potest. Trajectus enim ab ostio Sequanæ in Britanniam major est, quam cccxx Stadiorum; & multo major ex Ligeris

Itius Portus, vbi locorum.

geris ostio. Quidquid sit, Strabonis *Stadia* cccxx, Cæsaris autem XL. *Millia passuum* si cum hodierna mensurandi ratione committantur, dabunt XIII Leucas vel Milliaria. Tantum hodie circiter est intervallum inter finitima *Bononiæ* Littora & proximas Angliæ oras. Iam quod Antoninus à *Portu Gessoriaco* ad *Rutupium* numeret Stadia CCCCI; quod Plinius lib. IV. cap. XVI Britanniam notet abesse ab *Gessoriaco* Morinorum Gentis Littore, proximo Trajectu L millium, minimum; quod denique Dio Trajectum brevissimum ab Gallijs in Britanniam Stadiorum esse scribat CCCCL: dicendum, aliud esse, metiri maritimum hoc Iter ab *Gessoriaco*, aliud ab *Itio*; *Gessoriacum* enim *Itio* erat Orientalius, *Itiumq*; propius à Britannia, quam *Gessoriacum* aberat: aliud item fortean fuisse, *Rutupium* Britanniarum petere, aliud occurrentia primum littora: aliud denique, ex Celtica in Britanniam, aliud ex Belgica solvere. *Portum Itium* Florus lib. III. *Morinum* appellat: *In Britanniam transit mira celeritate: quippe quum tertia vigilia Morino solvisset à Portu, minus quam medio die Insulam ingressus est.* Quo loco nescio quid nonnullos impulerit, ut *Monino* rescriberent; quum Veteres Geographi *Portum Itium* omnes fateantur esse *Morinorum*.

Bononiensi Comitatui succedit *Guinensis*, *Guisnes*: qui disterminatur ab Comitatu *Ojo* per Canalem Majorem, qui Opidum ipsum præterlabitur, Territorium fere reddens inexpugnabile. Primarium Opidum *Guinesium*, *Guisnes*; in duas divisum Partes, quarum una in Paludibus sita, altera in Continenti; Loci natura munitum & validum. Cepit Rex Henricus II, misso illuc Francisco Lotharingio, Guisiæ Duce, anno CIƆ IƆ LVIII. De Danorum quomdam in Guinensem terram Iure, multa Mejerus in Annalibus Flandriæ, deque eodem Comitatu alia apud alios Historiographos, quæ hujus non sunt loci. Visuntur & alia Opida, *Hartincourt*, *Peuplinge*, *Conquelle*, *Portus Nieulettus*. Continet Comitatus hic sub se *Baronatus Ardresium* & *Courtembronensem*, singulos ab suis dictos opidis, quorum unum *Ardres* vulgo, alterum *Courtembrone*.

IV *Guinaeum, Guisnes.* cum Metropoli. sub quo *Baronatus Ardresius* & *Courtembronensis.*

Duobus *Ardresio* Milliaribus versus Oceanum occurrit, *Calesium*, opidum natura arteque munitissimum, Galliæ Clavis & Ianua semper habitum; Muris primo, ut fertur, cinctum ab Philippo Bononiensi, S. Ludovici Patruo. Arcem habet cum Turri valida. quæ ingressum ex mari in portum prohibet. Captum fuit ab Eduardo V Anglorum Rege, pridie Nonas Augusti, undecimo mense post horrendam pugnam, quam contra Philippum VI, Francorum Regem, ad Cressiacum anno CIƆ CCCXLVII pugnatam, multis depingit Paulus Æmilius lib. IX. Possessum ab Anglis annos CCXI (nam frustra obsederat anno CIƆ CCCCXXXI Philippus Bonus Burgundus, Flandris ipsum deserentibus) & tamquam Galliæ Clavem in Loculis, ut loqui consueverant Angli, servatum, expugnatum, Guisio Duce, Galli recuperarunt anno CIƆ IƆ LVIII, mense Februario: à quo tempore quas conditiones subierit, quasque calamitates fuerit passum; plenius explicat Historia Belgica, quam jussu & auspicijs Illustrissimorum Ordinum Fœderatarum Provinciarum paro. *Caletibus* Populis in Normannia potius, quam hic sua sunt Domicilia, ut ibi dicam.

Calesium.

Æquali fere Itinere versus Mediterranea *Calesio Bononiaque* distat *Teroano Morinorum*, vulgo *Teroane*; nomen retinens, quamquam ab Karolo V deleta, Episcopali Sede Bononiam translata: Flandris, *Terrennerberch*: *Tervanna* vel *Tarvenna* Antonino; *Tervanna* Itinerariæ Tabulæ; Ταρουάνα Ptolemæo. Quosdam *Tarubanum* appellare Bovillus adserit. *Tarubanorum* meminit Trithemius in Francorum Historia. *Tervana* quibusdam quasi *Terra-Vana*, ob vilitatem Territorij. In Notitia Provinciarum, ubi Belgicæ Secundæ Civitates recensentur, nominatur etiam *Civitas Morinorum, id est Ponticum, L'Evesché de Teroane*. *Colonia* forte *Morinorum* in antiquo Lapide, qui superioribus annis repertus fuit in Gelria, Sugambrorum olim Principatu, dimidiato ab Vrbe Neomagiensi milliario: Exemplar ejus paulo ante à me positum, ubi de *Morinis* Populis.

Teroana.

Ditio porro *Oyana*, *Terra de Oye*, porrigere se scribitur Duynkerkam usque, Flandriæ Opidum. Sunt ibi præter *Oyam*, alia quædam Opida, sed ignobiliora.

V *Oyam, Oye.*

Vt Picardiæ finem imponam, pertinet eo Iter, quod Antoninus ab *Teroana* describit *Durocortorum*: Illud cum Itineraria Peutingeri Tabula, vulgatisque nunc temporis Locorum appellationibus conlatum hoc se habet modo:

Aliquot Antonini Itineraria, ad Picardiam pertinentia.

 Itiner.

Iter Teroana ducens Durocortorum.

Itiner. Antonini.	Itiner. Tabula.	Vulgat. Nomencl.
A Tarvenna Durocortorum, M. P. CIII.	*Tervanna,* XXII	*Teroane,* Opidum hodie, dirutum ab Karolo V, in ruinis jacet.
Nemetacum, M.P.XXII.	*Nemetaco,* XIV.	*Mayny* Pagus Flandriæ, Agri Insulensis, haud procul Insulis. Alij volunt *Lentium* opidum esse.
Cameracum, M.P.XIV.	*Cameraco,* .·.·.·. *Augustam* monstrans Linea caret numero; nam qui adscriptus legitur, *Hermoniacum* ducit.	*Cambray.*
Augustam Veromanduorum, M.P.XVIII.	*Aug. viro Muduon,* XXV. Leg. *Aug. Veromanduor.*	*S. Quintin en Vermandois.*
Contra Aginnum, M.P.XIII.	.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.	*Chauny:* unde reponendum censeo apud Antoninum *Contaunium:* Certe *Aginno*, quod Nitiobrigum est, nullus hic est locus.
August. Suessonum, M.P.XIII.	*Aug. Suessor.* Emendand. *Aug. Suesson.*	*Suessons.*
Fines, M.P.XIII. Forte, quod hic *Suessonum* essent *Fines.*	.·.·.·.·.·.·.·.·.·. .·.·.·.	Nescio, an *Sine*, vel *Igny*; certe eo fuit loco.
Durocortorum, M.P.XII.	*Durocortoro.*	*Reims.*

Aliud Iter *Samarobriva Suessonas* usque.

Iter Samarobrivam Suessionas.

Itinerar. Antonini	Itiner. Peuting. Tabula.	Vulgat. Nomencl.
A Samarobriva Suessonas usque, M.P.LXXXIX.	*Sammarobriva.* XXXI.	*Amiens.*
Curmiliacam, M.P.XII.	.·.·.·.·. .·.·.·.·. Linea ducta à *Samarobriva Cæsaromagum* caret adscripto Vrbis nomine. Non enim *Seucis* vel *Rodium*, ut magni Viri putant, pro *Curmiliaca* in Tabula ponitur.	*Corbie.*
Cæsaromagum, M.P.XIII.	*Cæsaromago,* XXII.	*Roye.* In Libro Notit. dicitur etiam *Rodrium*, novo Vocabulo.
Litanobrigam, M.P.XVIII.	.·.·.·.·.·.·.·.·.·. .·.·.	.·.·.·.·.·.
Augustomagum, M.P.IIII.	*Aug. Magus,* XVI.	*Aussemont* ad Oysam, vel *Auchry* ad Aynam.
Suessonas, M.P.XXII.	*Aug. Suessor.* turbatiore ordine.	*Suessons.*

Pertinet item ad Picardiam pars Itineris, *Ticino Gesseriacum* ducentis, postrema, quod ex Antonino descripsi ad Caput huius libri ultimum.

CAP.

Cap. XXI.

Francia ſpecialius ſtrictiuſque ſumta.

BELGICAM, cui varias *Picardiæ* Partes tribui, qua potui fide, diligentia, brevitateque percurri: ſuccedit in mea diſtributione Vetus *Celtica*, cui verſus Occidentem dedi *Franciam* & *Belſiam*; verſus Ortum vero, *Campaniam* & *Lugdunenſem Tractum*.

FRANCIÆ nomen hoc capite locoque Limitibus, quam alibi, anguſtioribus circumſcribitur; & toti alioquin Regno proprium, pro Parte tantum ejus (quam ſequentia docebunt) hic accipitur. FRANCIA.

Coluerunt hanc Galliæ Partem olim cum alijs *Bellovaci* & *Pariſij*. *Bellovaci* ſæpe nominantur apud Cæſarem & Plinium. Straboni, Βελλοάκοι; Ptolemæo, Βελλόακοι: Mediæ ætatis Chronographis Gregorio Turonenſi, Adoni Viennenſi, Reginoni, Aimoino, & alijs, *Belgivaci*; Notitiæ Provinciarum *Civitas Bellovacorum*: Hodie *Beauvoiſin*, *L'Eueſché de Beauvais*. Teſtatur Cæſar, *Bellovacos* inter Belgas plurimum & virtute, & auctoritate, & hominum numero valuiſſe. Scribit etiam Auctor Libri VIII de Bello Gallico, *Bellovacos* belli gloria Gallos omnes Belgaſque ſuperaſſe. De ijſdem Strabo lib. IV: Αὐτῶν δὲ τῶν Βέλγων Βελλοάκους ἀρίστους φασί. μετὰ δὲ τούτους Σουεσσίωνας. *Bellovacorum* Remp. aliquo modo depingit Cæſar; quum docet, eos Principes ſuos ex ſe diligere ſolitos; ut, inter cæteros, Corbeum illum; qui, licet Civium ſuorum exercitu deleto, nulla tamen calamitate victus adduci potuit, ut excederet prælio, aut ſilvas peteret, aut, licet Romanis invitantibus, ſeſe dederet; quin fortiſſime præliando compluresque vulnerando cogeret elatos iracundia Victores in ſe tela conijcere. Senatus item *Bellovacorum* memoratur ab Cæſare, & Plebis auctoritas: unde illa fuit ad Cæſarem Bellovaci Senatus excuſatio, *Numquam Senatum in Civitate tantum vivo Corbeo, quantum imperitam Plebem potuiſſe*. *Pariſiorum*, qui Populi ad Sequanam (ubi hodie *Lutetia*, vulgo *Paris*) frequens paſſim apud Latinos mentio, præcipue Cæſarem, qui initio libri VI confines eos facit Senonibus, Civatemque Patrum memoria conjunxiſſe. Παρίσιοι Straboni & Ptolemæo: *Civitas Pariſiorum* in Notitia Provinciarum. *Pariſiorum* Prælium pro Libertate Patriæ, communi variarum

Ejus Veteres Incolæ; Bellovaci.

Pariſij.

riarum Civitatum Concilio, susceptum, Ducemque belli Camulogenum, propter scientiam rei militaris electum, legimus lib. Ephemerid. belli Gallici VII. *Parisios* quidam dictos autumant vel in *Paridis* Trojani memoriam, vel à *Parrhasijs* Asiaticis, Herculis Comitibus, vel ab Iside παρ' Ἴσιδος, hoc est, *prope Templum Isidis*: cujus Statuam scribunt nonnulli ad D. Germani Pratensis paucis ante annis adhuc fuisse (*Idolum S. Germani* vocatum) sed anno CIƆ IƆ XIV sublatæ Crucem rubram ab Episcopo Melodunensi substitutam. Fuerunt & in his Galliæ locis *Silvanectes*. quorum *Civitas* nominatur in Notitia Provinciarum sub Belgica III *L'Evesché de Senlis*. *Silvanectes* fortean in vitio cubant apud Plinium libro IV capite XVIII. Nam ubi leguntur *Vlbanectes Liberi*, reponendi sunt, ni fallor, *Silvanectes Liberi*. Nec minus arbitror recte apud Ptolemæum vocantur Οὐβάνεκτοι.

Silvanectes.

Franciæ Partes hodie:

Francia autem, de qua hic ago, comprehendere sub se scribitur hodie *Præfecturam* & *Comitatum* (vel ut alij, *Vicecomitatum*) *Parisiensem*, *Ducatum Valesium*, *Ditionesque Hurepensium* & *Gastinensium*.

Prima, Præfectura Parisiensis, La Prevosté de Paris, sub qua, I Parisium, Le Parisys.

Præfectura Parisiensis, *La Prevosté & Comté de Paris*, in quatuor dividitur Ditiones, *Parisium*, *Goellam*, *Insulam Franciæ*, *Vexinum Francicum*

Parisiam appello, quod vulgo *Le Parisis*. Complectebatur olim quidquid erat hinc à Porta Parisiensi, de qua paulo post, usque ad Pontem Æsiæ (*Pontoise*) inde vero Clayam usque, versus Brienses. Nomen fere perijt, nisi quod ejus etiamnum memoria servetur cum in quibusdam Pagis, *Louvres*, *Cormeilles*, *Esioua*, & alijs, qui *Parisij*, (*en Parisis*) cognominantur: tum in Nummis, qui vulgo *Solidi Denarijque Parisij*, *Sols & Deniers Parisis*, & quibusdam Parlamenti Parisiensis Taxationibus. Quin etiam sunt qui *Portæ*, quam nunc Lutetiam incolentes *Parisiensem* vocant, non aliunde nomen esse censent, quam quod ea in *Parisium*, de quo mihi sermo, duceret. *Parisij* hujus Vrbs, totiusque nunc Galliæ Metropolis est *Lutetia*. Sic Cæsari nominatur: Λουκοτεκία, Ptolemæo; Λουκετία, Iuliano; *Lutetia*, *Castellum Parisiorum* Marcellino, digitum proculdubio intendenti in AEdificium antiquissimum, quod hodieque ibi cum stupore visitur: *Parisium* Zosimo lib. III, qui Germaniæ facit Vrbem, quod Franci Sugambri Germaniæ Populi hunc præcipue Tractum quomdam obtinuerint. Nuperis istis *Lutetia Parisius*; non tam barbare, ut quidam hodie putant. Sic dicebatur *Santonius Mediolanum*, *Augusta Vindelicius*; item apud Frontinum libro de Colonijs, *Colonia Tarquinius*, *Colonia Graviscius*, *Colonia Vejus*. Hodie *Paris*, Vulgo, ab ipsis hujus Agri Populis: quod passim per Gallias accidit, ut Vrbes, antiquis Nominibus rejectis & obliteratis, augustiores ipsarum Gentium appellationes adsumserint. *Lutetia* quibusdam à *Luto*, propter Paludes vicinas, quarum apud Cæsarem lib. VII est mentio: earum hodieque, ut ferunt, memoriam servante Foro Primario, quod *Marche-Palus* dictum, quasi *Forum Paludosum*: alijs ab Gypsi fodinis proximis, quasi Λουκοτειχία, quod fere tota crustario constet opere. *Civitatem Iulij* Boëtius lib. de Discipl. Schol. nominat, quod is multa fortean illic ædificarit. *Lutetia* multo quomdam fuit, quam hodie, minor: in Insula tantum, quam ambit Sequana. Describit eam genuine Iulianus Cæsar in Oratione, cui Titulus Ἀντιοχικὸς ἢ Μισοπώγων. ubi inter alia: Ἐτύγχανον ἐγὼ χειμάζων περὶ τὴν φίλην Λουκετίαν. Ὀνομάζουσι δ' οὕτως οἱ Κελτοὶ τῶν Παρισίων τὴν πολίχνην. Ἔστι δὲ οὐ μεγάλη νῆσος ἐγκειμένη τῷ ποταμῷ, καὶ αὐτὴν κύκλῳ πᾶσαν τὸ τεῖχος καταλαμβάνει. Ξύλιναι δὲ ἐπ' αὐτὴν ἀμφοτέρωθεν εἰσάγουσι γέφυραι: & quæ alia de ipso Fluvio sequuntur. Faciunt etiam nonnihil quæ scribit Cæsar lib. VI: *Dum hæc apud Cæsarem geruntur, Labienus eo supplemento, quod nuper ex Italia venerat, relicto Agendici, ut esset impedimentis præsidio, cum IV Legionibus Lutetiam proficiscitur. Id est Opidum Parisiorum, positum in Insula Sequanæ fluminis.* Et paulo post: *Exercitum transducit, & secundo Flumine ad Lutetiam iter facere cœpit. Hostes, re cognita ab ijs, qui à Meloduno profugerant, Lutetiam incendi, Pontesque ejus Opidi rescindi jubent: ipsi profecti Palude in ripis Sequanæ è regione Lutetiæ, contra Labieni castra considunt.* Sic Strabo lib. IV: Περὶ δὲ τὸν Σηκουάναν ποταμόν εἰσι καὶ οἱ Παρήσιοι, νῆσον ἔχοντες ἐν τῷ ποταμῷ καὶ πόλιν Λουκοτοκίαν. Ammianus: *Matrona & Sequana Amnes magnitudinis geminæ, fluentes per Lugdunensem post circumclausum ambitu insulari Parisiorum Castellum, Lutetiam nomine, consociatim meant, meantesque protinus prope Castra constantia funduntur in Mare.* Ex quibus omnibus paret, quam tenue tantæ Vrbi fuerit initium. Tantilla Insula adcrescen-

cum Metropoli Lutetia, hodie Paris: Ejus varia Nomina,

unde dicta,

Quanta olim,

& Qualis;

crescentem indies hominum multitudinem paullatim capere non fuit potis. Ductis in utramque Continentem quasi Colonijs, additisque Locis Suburbanis, ita sensim, productis varie Pomerijs, excrevit, ut jam totius Galliæ sit maxima. In tres nunc secatur Partes: quarum Major, eaque ad Ripam Fluminis dextram, humilior est, ad Ortum & Septemtrionem vergens, *Villa* vulgo dicitur, *La Ville:* Minor ad sinistram versus Austrum & Occidentem loco altiore, & qui per colliculos suos nonnihil adsurgit, *Universitas* vocatur, *L'Université:* Media est *Insula*, quam *Civitatem*, antiqua appellatione, *La Cité*, nuncupant; Fluvio undique cincta; Pontibus, duobus quidem Minori, tribus vero Majori juncta. *Villa* speciem præbet Lunæ *διχοτόμου*; hinc Sequana, illinc Mœnibus, Vallis, Fossisque in Hemicycli figuram circumdata. *Portas* habet septem, *D. Antonij, Templi, D. Martini, D. Dionysij, Montis Martyrum, S. Honorij, Novam: Suburbia* quinque; *Templi, D. Martini, S. Dionysij, Montis Martyrum, S. Honorij*. Hujus Vetera Mœnia pro incrementi ratione contractiora fuere. Ad Arcis Lupariæ caput orsa, D. Eustachij Templum, Hospitaliaque DD. Iacobi & Iuliani complectebantur; juxta Sacellum Braccorum ad D. Catharinæ Vallis Scholarium adsurgebant; D. Antonij Portam continebant; hinc ad Monasterium, quod *Ave Maria* vulgo, Sequanæ vicinum, desinebant. Successerunt Nova, quibus Suburbia etiam inclusa fuere, Vallo atque Fossis, ex Sequana irriguis, munita; Vetustis illis vel dejectis soloque æquatis, vel in Privatarum ædium usum conversis. *Civitas* quatuor parvulis Insulis superioribus ordine & in linea sitis, tamquam obicibus contra vim Fluminis defenditur; primum, ut dixi, propter situs commoditatem habitata; Ligneisque Pontibus adiri solita: totius Urbis veluti Cor, propter Episcopale Regiumque Palatium. *Portas* habuisse olim videtur quatuor ad totidem Pontium capita: *Castelli Majoris* seu *Parisiensis, Superiorem* quidem ad Pontem Virginis, *Inferiorem* autem sive *Inferni Portam* ad Pontem Trapezitarum, *Castelli Minoris* ad Pontem Parvum, *Quartam* denique ad D. Michaëlis. *Pontes* habet tamquam Alas, dextras quidem *D. Virginis, Trapezitarum, Molitorum*, qui *Villam* respiciunt; Sinistras autem, *Pontem Parvum & D. Michaëlis*, quibus in *Universitatem* tenditur. *D. Virginis & Parvus* lapidei sunt; ceteri tignis & sublicis impositi. Lapideorum sane Major, qui *D. Virgini* sacratus, olim longitudinem habebat LXX passuum, latitudinem XVIII; Ordines XVII (ordo quivis XXX Tignis constabat) Ædes utrimque lateritias, pari magnitudine & altitudine, LX impositas gerens. LXXX post anno sub Ludovico XII, quum mole sua corruisset, refectus est summo artificio sex Arcubus lapideis; Domibus LXVIII æqualibus superstructis, Pavimentoque Lapidibus strato, ut Pontem esse multi nesciant. *Pons Parvus* restauratus est sub Karolo VI, ex Iudæorum multis. *S. Michaëlis* ædificatus ab Hugone Aubrioto, Præfecto Parisiensi, sub Karolo VI. quum anno CIↃ IↃ XLVII Navium impetu convulsus corruisset, non multo post refectus est, æqualibus Domibus Lateritijs hinc inde ornatus. Est & hodie *Pons* inter Arcem Lupariam & Augustinensium Cœnobium Sextus; cujus fundamentum posuit Henricus III Franciæ Rex, Pridie Kalend. Iunij CIↃ IↃ LXXVIII. In eo absolvendo adhuc serio laboratur. *Civitas* autem hæc Muris olim fuit cincta, qui inferiore parte Palatium & Domum Regiam adhuc circumdant; reliquis dejectis. *Universitas* quamdam Galeri speciem exhibere videtur, quo Caput tantæ Urbis tegatur quasi, & ornetur. *Portæ* illi septem, *D. Victoris, D. Marcelli, D. Iacobi, S. Michaëlis, S. Germani, Bussia & Nella. Suburbia* quinque, *S. Germani, S. Michaëlis, D. Iacobi, D. Marcelli, D. Victoris*. Hæc Lutetiæ pars Mœnibus etiam, ut Villa, est cincta, sed Fossis propter Loci situm siccis. Longum esset enumerare quæ in tribus hisce Partibus occurrunt, deque ijs adferri possunt, Singularia. Brevis ero, & in Brevitate, spero, non obscurus. Episcopus Parisiensis Spiritualibus præest. Episcopi numerantur CVII; quorum ultimum novi *Petrum Gondium*. *Urbs* Regi paret, habens peculiarem quamdam Iurisdictionem. *Suburbiis* idem Ius cum Urbe concessit Karolus V Francorum Monarcha anno CIↃ CCCLXXIV. *Academia* Rectoris unius arbitratu regitur, Magistratu trimestri. Philippus I Galliæ Rex anno CIↃ XC *Eschevinos* (Viros Consulares) Urbi dedit: Iocoque Insignium Navem Lilijs aureis ornatam. Civibus Parisiensibus Iura *Nobilitatis* largitus est Karolus V, cujus memini, anno CIↃ CCCLXXI. Templa numeravi LXII universim: inter ea augustissimum, *Cathedrale D. Virginis*; quod, jactis

Quanta hodie, quotque Partium, ut sunt:
I Villa.
ejusq; Portæ & Suburbia.
II Civitas,
ejusq; Portæ quondam,
& Pontes hodie,
III Universitas,
ejusq; Portæ & Suburbia.
Quibus in Lutetiam Iurisdictio.
Urbis Scabini, Insignia Civium Nobilitas.
Templa & inter ea D. Virginis.

ab Philippo Augusto anno CIↃ CXCI, sub Mauricio Parisiorum Episcopo, fundamentis, serio ædificari cœptum anno CIↃ CCLVII, mense Februario, Ioanne Kalensi Latomo, regnante, D. Ludovico; ex Galliæ Miraculis præcipuum. Columnis CXX sustinetur. Longitudo Passuum CLXXIV; Latitudo LX; Altitudo C. Chorus Lapide cinctus; Historijs ex Veteri Novoque Testamento insculptis, quas anno CIↃ CCCLI absolutas, loquitur Inscriptio. In Ambitu habet Sacella XLV, ferreis Clathris munita. Vniversim Portæ XI. In Fronte tres biforæ, Statuis XXVIII Regum insignes. Ad latera Turres visuntur, seu Moles verius Campanariæ, altitudine XXXIV Cubitorum. Campana Maxima, cui ab Maria Virgine cognomen, viginti Viros flagitat pulsanda; Sonitus sereno cœlo per septem Leucas auditur.

Sacella. Interque ea Sanctum. *Sacella* Parisijs non pauca, XIII circiter: inter quæ primi contendum loci, quod in Palatio Regio *Sanctum* audit, ab D. Ludovico exstructum; omnium Cis-montanorum audacissimum; nam Sacellum Sacello fornicato incumbit, nullis Columnis medijs, sed lateralibus tantum subfultum: Porta Inferior veram D. Virginis imaginem; Superior Iesu Christi fertur exhibere. Servantur ibi (sic perhibent Curiones) Corona Spinea, Toga Purpurea, Arundo, Spongia, Sudarium, Mappaque Cœnæ ultimæ: quæ omnia à Balduino Imperatore Constantinopolitano Venetis oppignerata, Gallus redemta ibi reposuit.

Cœnobia. interque ea Templariorum. *Cœnobia* plurima (XXIV, si recte numerum memini) & ampla: *Templariorum* sane circuitum notavi spaciosissimum, Vrbis instar: Templarijs anno CIↃ CCCIX è medio sublatis, Bona Hospitalarijs S. Ioannis fuerunt adsignata.

Filiarum DEI. Est & *Cœnobium Filiarum* DEI prope Portam S. Dionysij, quæ Damnatis ad supplicium ducendis tres Panis bolos cum Vino porrigere sunt solitæ.

S. Victoris. *D. Victoris Cœnobium* Canonicorum Regularium S. Augustini ab Ludovico Crasso CIↃ CXIII, victoria de Perduellionibus parta, ædificatum: sub Francisco I magnifice reparatum.

DD. Petri & Pauli. *Templum DD. Petri & Paulli* ab Hlodoveo ædificatum est, anno CCCCXCIX, hortatu Genovefæ, quæ ibi sepulta, annō IↃXXI. Canonicorum Secularium prius, post ab Ludovico Crasso Regularium est factum. Turris anno CIↃ CCCCXXCIII fulmine conflagravit.

D. Germani Pratensis. *S. Germani Pratensis Cœnobium* Benedictinorum; ab Childeberto II in honorem S. Vincentij exstructum; post, sepulto illic D. Germano Episcopo Parisiensi, nomen ejus induit. Opulentia nulli Cœnobio cedit; Privilegijs & Iurisdictione liberrimum: Muris clauditur. Forum habet annuum.

Collegia; inter ea, Navarræum, Sorbonna, *Collegia* adii innumera; Publica XX; Privata ex amplissimorum hominum benificio XXX. Omnium pulcherrimum *Navarræum*, ab Ioanna Navarræa, Philippi Pulcri Conjuge, exstructum. *Sorbonnæ Collegium* instituit Robertus de Sorbona, Theologus, D. Ludovico Regi familiaris.

Bernardinorum, *Bernardinorum Collegium & Templum*, à Benedicto XII P. M. excitatum, auxit Guilielmus Cardinalis Tolosanus & Bibliotheca, & XVI Studiosorum, qui Theologiæ darent operam, stipendijs.

Officinæ variæ. *Officinæ Mechanicæ* in suas quasi Regiones sunt distributæ, certisque locis adsignatæ: *Membranariorum* sunt ad Pontem D. Michaëlis; *Fullonum*, prope S. Ioannem Grevensem: *Monetariorum*, prope Lupariam Arcem; ubi Mola Monetaria Sequanæ sublicis imposita: Aliorum, alibi. Apud Celestinos *Officina* est *Regia Tormentorum aneorum*.

Plateæ. *Plateæ* sunt supra CCCC, inter quas facile principes: Viliæ quidem, *Piscorum Antonij, Martini, Dionysij, Honorij, Templi Vetus & Nova, Montis Martyrum, Luparia* ad ripam Sequanæ; Vniversitatis, *Sanctorum Victoris, Marcelli, Iacobi, Germani*, & aliæ; Civitatis denique, præter Pontes ipsos, *Via* hinc ad Cathedralem, inde Palatium.

Domus. Iam *Domus Parisienses*, cum Publicæ, tum Privatæ, universim anno CIↃ IↃ XLIX ad X millia sunt numeratæ; exceptis Collegijs, Templis, Cœnobijs, ijsque, quæ in Suburbijs. Eminent inter reliquas *Domus Regia* vicina Palatio, *Nella, Flandra, Artesia, Aurelianensis, Albretia, Lotharinga, Nivernensis, Alençonia, Senonum, Remensis, Lugdunensis, Fescampia, Bellovacensis, Rotomagiensis, Bituricensis, Heuresia, Sabauda, Claromontia, Cabillonensis, Bavara, Burgunda, Reginæ, S. Paulli*, & aliæ. *Palatium Thermarum* prope D. Mathurini quidam ab C. Iulio Cæsare conditum volunt. Cœnaculum illic est fornicatum, cui Hortus cum Arboribus imminet. Nomen habere creditur ab Thermis Iuliani Apostatæ, Aquis ex Pago vicino Gentillio eo deductis. *Domus Publica Parisiensium.* anno CIↃ IↃ XXXIII cœpta ab fundamentis exstrui, sub Francisco I.

Arces. Quid vero dicam de *Arcibus*? *Majus Castellum* ab Iulio Cæsare ædificatum ajunt: magis censeo ab Iuliano Cæsare, qui aliquamdiu hic habita-

habitavit. Prima Parisiorum Porta fuisse fertur: Vulgo *Le grand Chastelet*. *Castellum Parvum, Le petit Chastelet*, refectum legitur sub Karolo VI. contra nocturnas Studiosorum grassationes. *Arx Bastilia, La Bastille*, excitari cœpit sumtibus regijs, anno CIↃ CCC LXIX, sub Karolo V Rege, per Hugonem Aubriotum Præfectum Parisiensem, qui post hæresios nomine in perpetuos Carceres fuit relegatus. *Turnellensem, Lupariam, Divique Germani Layensis* fieri fecit Karolus V, cujus paullo ante memini: *Lupariam* Franciscus I. ampliare cœpit; absolvitque Henricus II anno CIↃ IↃ LVIII. Quid de *Turribus*? *Turrim Arcis Lupariæ* editissimam Franciscus I, ut Area Regiæ major fieret, demolitus est. *Turres.* *Turris* in Cœmiterio *Innocentium* ædificata creditur initio contra Latrocinia, quum vicina omnia Loca silvestria essent & parum tuta. *Turris Billia* Pulvere Tormentario plena, fulmine tacta, adsita Templa Monasteriaque Celestinorum, S. Paulli, Gervasij, Victoris, Marcelli, maximis adfecit damnis anno CIↃ IↃ XXXVIII. Quid de *Xenodochijs*, *Nosocomijs*, *Ptochodochijs*, & *Orphanotrophijs*? *Xenodochia, &c.* *Domum* in villa CCC *Cæcorum*, ab Saracenis excæcatorum, D. Ludovicus condidit. Alia prætereo. Quot Vrbis *Areæ* (inter quas primas obtinent *Grevensis, Templaria, Luparia*) *Foraque*, ut *Mauberti* & aliorum; tot & plura *Suppliciorum* sunt *Loca*, Maleficijs plectendis destinata; quorum Cadavera post in *Montem Falconium* extra Portam D. Martini transferuntur. *Areæ. Fora. Suppliciorum Loca.* Restauravit Petrus Remigius, Thesaurarius & Regni Gubernator sub Karolo Pulcro; Reusque sub Philippo Valesio factus Repetundarum ibidem est suspensus. Inter *Sepulcreta*, prima censere soleo, *SS. Innocentum* & *S. Ioannis Grevensis*: *Sepulcreta.* illud amplissimum est, muris ab Philippo Augusto circumdatum, Sepulcrorum numero & Sceletis admirandum; Cadavera novem dierum spatio absumi ajunt. *Sepulcra* vero, præsertim Regum, Principum, Ducum, Comitum, Nobiliumque utriusque sexus quot in hac Vrbe vidi! *Sepulcra virorum.* Eorum plena est enumeratio apud Ægidium Corrozetium, cujus exstat accuratum de Parisiensis Vrbis antiquitate opus. Variorum etiam (liceat enim hæc speciatim commemorare) quorum præclara Ingenij monimenta cum admiratione leguntur, quorumque fama jam volitat docta per ora virûm, Cineres varijs hic locis reverenter adservantur: *Petri Lombardi*, in S. Marcelli Suburbio: *Roberti Cenalis* Episcopi Abrincantensis, Viri doctissimi, ad D. Paullum; ubi & *Nicolai Gillij* Secretarij Regij & Historici Gallorum; *Petri Berchovi* Prioris, qui fecit quinque Opera solennia, Dictionarium, Reductorium, Breviatorium, Descriptionem Mundi, & Translationem cujusdam Libri Latini in Gallicum, ad D. Eligij; *Petri Comestoris*, *Hugonis Richardi* & *Adæ de S. Victore*, ad D. Victoris; *Aegidij de Roma*, Archiepiscopi Bituricensis, Philosophi summi, & *Philippi Commines* Historiographi, apud Augustinianos; *Roberti Gagnini*, *Ioannis de Sacrobosco*, *Francisci Balduini* I. C. ad D. Maturinum; *Paulli Aemilij Veronensis*, Historiographi, ad Cathedralem; *Cosmæ Guymier*, qui Glossas scripsit ad Pragmaticam Sanctionem, in Cœmiterio Innocentum, *Gulielmi Budæi* apud Maturinos; *Ioannis Ravisij Textoris* in Sacello Collegij Navarræi; *Claudij Espencæi* Theologi, in Templo S. Cosmæ; *Christophori Thuani* & *Petri Signierij*, Præsidum, ad D. Andreæ Artium; Aliorum alibi. *Fontes* gustavi publicos supra XVI; inter quos admiratus sum, qui Innocentum dictus, quique in S. Martini Cœnobio. *Fontes.* *Statuas* etiam stupui varijs locis *Regum* omnium in Palatio Regio; *Statuæ.* *Karoli Magni* in Templo S. Marcelli, *Philippi Valesij* in Primario; ubi & *D. Christophori* Gigantea, anno CIↃ CCCC XIII ab Antonio *d'Essars*, Equite erecta. Est ibi & effigies *Petri Cugneri*, juxta Chorum in angulo ad altare Beatæ Mariæ. Fabulantur per ludibrium positam, quum Bona Ecclesiastica nomine regio in Fiscum trahere conaretur, sub Philippo Valesio; sed frustra. *Bibliothecas* inspexi varias, publicas quidem, cum primis *Regiæ Majestatis*, & *S. Victoris*: *Bibliothecæ.* privatorum autem infinitas, præcipue, CL. *Puteani*, *Pithoeorum*, *Nicolai Fabri*, *Barnabæ Brissonij*, & aliorum; omnes optimis rarissimisque cum editis, tum Manu-scriptis refertas libris. Quot porro Parisiensis Vrbs *Seditionibus* agitata, quot *Incendijs* deformata, quot *Inundationibus* vastata, quotque *Hostium Incursionibus* fuerit concussa & laniata, copiose notant Francorum Annales. *Seditiones, Incendia, Inundationes, Incursus Hostium.* Hæc de Vna Vrbe sufficiant. Qui plura desiderat, adeat Ægidium Corrozetium, cujus antea memini, & Iacobum Capellum, qui de Lutetia singulares scripserunt Libellos. Exstat & Carmen Eustachij à Cnobbeldorf Pruteni. Franciscus Belleforestius omnium accuratissime Lutetiam delineavit.

Academia Parisiensis.

vit. Anteaquam ad alia pergam, cum pace fiat Lectoris, ut pauculis, quæ cap. XVIII. de *Academia Parisiensi* à me notata sunt, paucissima hic addam. Institutam dixi ab Karolo Magno, Romanorum Imperatore, incitantibus eo Magnanimum Principem quatuor Venerabilis Bedæ discipulis Alcuino, Rabano, Claudio, Ioanne Scoto. Quatuor firmissimis nititur Columnis, *Facultatibus*, inquam, *Theologiæ*, *Iuris Canonici*, *Medicinæ*, *Artium*. Tribus, quas nominavi primo loco, singulis præsidet *Decanus*, duoque inserviunt *Cursores*, quos *Pedellos* vulgo dicimus. Toti Corpori præest *Rector*, ab Artium Facultate, singulis Trimestribus legi solitus, Festis Solennibus, I mense Decembri, Nativitatis Christi; II Martio, Divæ Virginis; III Iunio, S. Ioannis Baptistæ; IV Octobri, Divi Dionysij. Quatuor sunt *Cancellarij*, duo quidem Baccalaureorum, ut vocant; Tertius, Ecclesiæ Divæ Virginis Parisiensis; Quartus, S. Genovefae. Sunt & Sex *Advocati*: Quatuor quidem, cum duobus *Procuratoribus* in Parlamento; Duo vero, cum uno *Procuratore* in Castello. Nihil hic dicam de *Librarijs*, alijsque id genus Academiæ Ministris; singularum item Nationum *Nunciis* & *Tabellariis*, qui omnes magnis fruuntur Privilegiis. Ex quatuor autem constat Academia *Nationibus*, ut sequens indicat Synopsis:

- Quatuor *Parisiensis Academiæ* sunt *Nationes*:
  - In ipsa quidem Gallia,
    - PARISIENSIS. Hæc in quinque dividitur Provincias,
      - PARISIENSEM. Comprehendit hæc Diœceses *Parisiensem*, *Meldensem*, *Carnutensem*.
      - REMENSEM. Habet sub se *Remensem*, *Catalaunensem*, *Tullensem*, *Virdunensem*, *Metensem*, *Suessionensem*. *Silvanectensem*.
      - BITVRICENSIM. Complectitur ea *Bituricensem*, *Burdegalensem*, *Pictaviensem*, *Narbonensem*, *Auxitanensem*, *Arelatensem*, *Aquensem*, *Ebredunensem*. Item *Romaniam*, *Hispaniam*, *Arabiam*, *Armeniam*, *Ægyptum*, *Mediam*, *Persiam*, *Syriam*, *Palæstinam*, *Samariam*, *Italiam*, aliasque Provincias, reliquis non adscriptas.
      - SENONENSEM. Continet *Senonensem*, *Tricassensem*, *Autissiodorensem*, *Antisiodorensem*, *Nivernensem*, *Burgundicam*, *Viennensem*, *Bisontinam*, *Lugdunensem*, *Sabaudam*.
      - TVRONENSEM. Sub ea sunt *Turonensis*, *Andegavensis*, *Cenomanensis*, Novem item Britanniæ Diœceses. *Briocensis*, *Macloviensis*, *Dolensis*, *Nannetensis*, *Venetensis*, *Leonensis*, *Trecorensis*, *Redonensis*, & *Corisopitensis*.
    - PICARDICA. Distribuitur in duas Diœceses.
      - In *Priore* censentur V Diœceses, *Belvacensis*, *Ambianensis*, *Noviomagensis*, *Atrebatensis*, *Morinensis*.
      - In *Posteriore* totidem, *Cameracensis*, *Tornacensis*, *Trajectensis*, *Laudunensis*, *Leodiensis*.
    - NORMANNICA. Eo pertinent *Rotomagensis*, ejusque Suffraganeæ, *Abrincatensis*, *Constantiensis*, *Ebroicensis*, *Lexoviensis*, *Sagiensis*, & *Baiocensis*.
  - Extra Galliæ Limites, ALEMANNICA. Hæc in tres abit Partes; quarum
    - *Prima* est *Superioris Germaniæ*; cui concensentur *Bohemia*, *Polonia*, *Hungaria*, *Dania*, & aliæ Conregionales.
    - *Secunda Inferioris Germaniæ*, cui etiam adjungitur Pars *Tractus Leodiensis*; reliqua enim ad *Picardiam* spectat ex limitatione, qua facta fuit [illegible] anno Christi nati [illegible]. Sub hac item sunt [illegible], *Prussia*, *Saxonia*, *Lotharingia*, & aliæ.
    - *Tertia*, comprehendens *Angliam*, *Scotiam*, *Hiberniam*.

Pons Charentonius. Echo mirabilis.

Haud procul Parisijs *Pons Charentonius* est, vulgo, *Le Pont Charenton*, non ignobilis vicus, ubi Matrona Sequanæ miscetur. Auditur hic ἠχὼ τρισκαιδεκάφωνος, quæ terdecies humanam reddit Vocem; quæque, quod admiratione dignum majore, quadrisillabum integre & perfecte, quater quinquiesque resonat.

Hæc

II Sub Præfectura Parisiensi est Goella, La Goelle. cum Comitatu Dam-Martinensi.

Hæc de *Parisio* : sequitur *Goella*, ut quam minime potest, discedam ab Vulgato nomine, *La Goelle*. Huic etiam antiqui perierunt Limites. Manet ejus tantum memoria quibusdam in locis, ab *Goella* cognominatis. Est ibi *Comitatus Dam-Martinensis, La Comté de Dam-Martin*, ab insigni quomdam Opido, *Dam-Martino*, quod nunc in Vici formam est redactum, in Colliculo collocatum.

III Insula Franciæ. L'Isle de France. cum Fano S. Dionysii.

Insula Franciæ, *L'Isle de France* (quam tertio loco sub Præfectura Parisiensi posui) ex ipsorum Gallorum diffinitione comprehendit quidquid Terrarum est ab *Fano S. Dionysij Possiacum* usque & *Mommorancium*; atque universim quidquid inter Sinus Gyrosque jacet Sequanæ, hinc Picardiam, inde Normanniam versum. Alij alios ipsi Fines statuunt. Ego in his non statui pugnare. Mutationi enim hæc talia ex arbitrio Regum Principumque nutu perquam obnoxia. *San Dionysianum*, quod vulgo *Sainct Denys en France*, non alia re nobilitari solet, quam Fano superbissimo, cui initium tenue satis ab Dagoberto Francorum rege. Auxit mirum in modum anno cIↃCXLI aut circiter, Suggerus Abbas, ut ipse in sua testatur Historia. Servari memorantur ibi Corpora SS. *Dionysij*, Francorum Apostoli, *Eleutherij*, & *Rustici*; item *Dionysij*, Corinthiorum Episcopi (cujus Historia Ecclesiastica subinde meminit) *Hippolyti*, & aliorum. Vidi hic aliquando, præter alia Singularia, grande *Monocerotis Cornu*, sex-semis pedum: *Labrum* vel *Solium ex Iaspide*, rosei coloris; quo usum ferunt in Balneis Regem Dagobertum: *Crucem auream*: *Lychnum pensilem ex argento*, quem pro accepto S. Eugenij corpore obtulit Philippus Hispaniarum Rex; anno CIↃ IↃLXV. Servantur in Thesauro S. Dionysij, quæ ad Regem pertinent Ornamenta, Diadema, Sceptrum, & alia; quæ quoties quis Rex consecrandus, Remos solenniter deportantur. Longitudo hujus Templi CCCXC pedum; Latitudo C; Altitudo LXXX ad interiorem Fornicem. Nam Tectum altius multo exsurgit. Turres habet duas excelsas, quadrata forma, inque iis Campanas ex puro ære. Sunt etiam Valuæ æreæ, auro obductæ. Locus hic à multis jam annis destinatus Regum aliorumque Principum Sepulcris. Sitos ibi notavi quamplurimos. Sunt illic, præter Dagobertum Cœnobij Conditorem, in Choro versus Meridiem, ut Nomina loquuntur: *Ludovicus*, Rex, Filius Dagoberti; *Karolus Martellus*, Rex; *Pipinus* Rex, Pater Karoli Magni; *Berta* Regina, Vxor Pipini Regis; *Kallomanus* Rex, Filius Ludovici Balbi; *Ludovicus* Rex, Filius Ludovici Balbi. Visuntur ibidem paullo inferiore loco tres Effigies ex Alabastrite Lapide, cippis nigri Marmoris impositæ, quæ perhibentur (nam carent Inscriptionibus) *Philippi* Regis, S. Ludovici Filij; *Isabellæ Aragoniæ*, ipsius Conjugis; *Philippique Pulcri*, ipsorum Filij. In Choro versus Septemtrionem leguntur *Kallomanus* Rex, Filius Pipini; *Hirmintrudis* Regina, Vxor Karoli Magni; *Constantia* Regina II (adscriptis his verbis, *Venit de Hispania*) *Odo*, Rex; *Hugo Capet*, Rex; *Robertus*, Rex; *Constantia*, Vxor Roberti; *Henricus*, Rex, Filius Roberti; *Ludovicus Grossus*, Rex; *Philippus* Rex, Filius Ludovici Grossi. Ad Latus Summi Altaris Septemtrionale sitos testantur Effigies Titulique, *Philippum Longum*, cum corde *Ioannæ*, ipsius conjugis; & *Karolum* cum *Ioanna* Vxore, Franciæ Navarræque Reges, Philippi Pulcri Filios; *Philippum Valesium*, *Ioannemque* ejus filium. Ad Latus fere Matutini, ut vocant, Altaris Septemtrionale Sepulcrum est & Effigies Marmorea *Ludovici Huttini*, ejusque Filij *Ioannis*, & Filiæ *Ioannæ*, Navarræorum Reginæ. Haud procul inde Statua est *Karoli* VIII in genua procumbentis, cum Epitaphio non indocto. In medio Choro, ubi Monachi cantare soliti, Sepulcrum spectatur Karoli Calui Regis & Imperatoris. Post Altare Matutinum Sepulcra sunt (quorum tamen exigua adparent vestigia) *Philippi Augusti*: qui *Conquæstor* cognominatus, *Ludovici* VIII, *Ludovici Sancti*, cujus Corpus postea fuit elevatum. Ante Primum Altare positam legi, *Margaretam*, S. Ludovici Conjugem. Conditos item in Choro memorant Monachi, licet indicia desint, *Hlotarium* III, *Theodoricum* II, *Hlotarium* penultimum Stirpis Karolinæ, & *Alphonsum* Comitem Pictaviensem, S. Ludovici Fratrem. Isti igitur in Choro: extra eundem; versus Meridiem quidem in Sacello Karoli V, sitos didici ipsum *Karolum* V Ioannis Filium, cum Conjuge *Ioanna Borbonia* Petri Filia; *Karolum* VI, Karoli V Filium, cum *Isabella* Conjuge, Stephani Bavariæ Ducis, Comitis Palatini, Filia; *Karolum* VII, Karoli VI Filium, cum vxore *Maria* Regis Siciliæ Filia: præter hos, *Bertrandum de Guesclin*, Longæ-Villæ Comitem, Franciæ Connestablium; *Ludovicum Sancerraum*, Franciæ IV-Virum,

moxque Conneſtablium, fratrem germanum Comitis Sancerræi; *Arnaldum Guillenium*, Barbazanis Dynaſtam, Karoli VII Regis conſiliarium; *Karolum* denique *Delphinum Viennenſem*, Karoli VI Francorum Regis Filium. Viſitur haud procul inde magnificum *Franciſci* I, *Magni* cognomine, ejuſque Conjugis *Claudiæ Britannæ*, Ludovici XII Filiæ, Mauſoleum; ipſorumque Liberorum, *Franciſci Delphini*, Britanniæ Ducis, *Karoli* Ducis Aurelianenſis, & *Karolottæ* Filiæ; adſculptis, præter omnium effigies, Bellorum, Victoriarum, Rerumque ab eodem geſtarum monimentis. Ad Septemtrionem in varijs Sacellis conſpiciuntur Buſta, in Blancæ quidem Sacrario, *Mariæ Blancæque*, Karoli IV Franciæ Navarræque Regis Filiarum; *Ludovici Abrincantenſis*, Stamparum Comitis, Paris Franciæ; *Ioannæ d'Eu*, Stamparum item Comitis, Athenarumque Ducis, Rudolphi Comitis Filiæ: in S. Hippolyti, *Blancæ*, Francorum Reginæ, Philippi Navarræorum Regis Filiæ, cum *Ioanna* Filia: in S. denique Martini, *Alphonſi* comitis Euenſis, Ioannis Bainenſis, Hieroſolymarum Regis & Imperatoris Conſtantinopolitani Filij. In ipſo Templo, qua Septemtrio eſt, viſitur Monumentum ex Alabaſtrite, *Ludovici* XII, ejuſque Conjugis *Annæ Britannæ*. In Novo Sacello, quod rotunda forma ſe extendit ad Septemtrionem in Cœmiterium, magnifice poſiti leguntur *Henricus* II; ejuſque Filij, *Franciſcus* II, *Karoluſque* IX; Franciæ Reges. Hæc de *San-Dionyſiano*: *Poiſſiacum*, *Poiſſy*, opidum non ignobile. Arx ibi Regibus quondam in delitijs. Eo Reginas ſe conferre ſolitas, anteaquam D. Germani Arx eſſet, lego, Partum edituras. Ibidem Regum Liberi educabantur, ut poſtea Blæſis & Ambaxiæ. Rex Ludovicus IX *Poſſiacenſem* ſe cognominabat, quod *Poſſiaci* eſſet baptizatus. Celebre ibi Nobilium Virginum eſt cœnobium. Inter *Poſſiacum* & *Lutetiam Fanum* eſt *D. Germano* conſecratum, quod vulgo *S. Germain en Laye*: Opidum nonnullius antiquitatis. Arcis fundamenta iecit, vel ſaltem, ut quidam volunt, Arcem reſtauravit Karolus V Francorum Rex. Reſtituit etiam Franciſcus I, Venationibus addictior. Superat omnes Regias Domos; Aeris ſaluberrimi. Nullius cenſetur Diœceſios. Silva adjacet cædua, Quercubus conſita; quæ vulgo *Le Fois de Trabiſon*. In ejus angulo, qui opidum ipſum reſpicit, Menſa Lapidea mihi monſtrata prægrandis, ad quam Proditio fertur concepta: quæ qualis fuerit & à quibus facta, malo ab alijs explicari, quam in re ſatis dubia & incerta errare. Quod quidam narrant Silvæ ramos, ſi in Sequanam projiciantur, ſtatim, Lapidum inſtar, fundum petere, non ego ſum expertus: ideoq; nihil temere volo adſerere. *Mommorancium* vernacule dicitur *Mommoranci*. *Mommoranctorum* Domus admirandæ cenſetur ab Francis antiquitatis. Ex ea namq; fuiſſe memorant, quem omnium Gallorum Primum ad Fidem Chriſtianam convertit S. Dionyſius: eamque ob cauſſam *Mommorancios* inter Barones Equeſtriſq; Dignitatis Viros ſemper primos duxiſſe ordines ferunt. Summam in *Euerardo Mommorancio* Fidelitatem expertus eſt Hugo Capetus. Ejus Filius fuit *Ioannes*, cui recta Linea ſucceſſerunt *Bouchardus*, *Gualtherus*, *Bouchardus* II. *Mathæus* cognomine *Magnus*, Conneſtabilis Franciæ. Huic duo fuerunt Filij, *Mathæus* II & *Guido*. *Mathæus* duas habuit Filias, *Ioannam*, quæ nupſit Thibaldo Barrenſi Comiti, & *Emmam* Godefridi Guyerchæ & Provinciæ Domini Conjugem. *Guidoni* ex ſecunda Vxore (Prima enim fuerat Philippa Vitrenſis, Andreæ Vitreæ filia, cum qua in Dotem acceperat Dynaſtiam Vitream) duo fuerant Filij, *Mathæus* Mari Præfectus, poſtea vero Conneſtabilis, & *Bouchardus*: à quibus Familia hæc nobiliſſima eſt propagata, non per Franciam ſolum longe lateque, verum etiam in Inferiore Germania, in Comitibus Hornanis.

Poſiaco.

Fano S. Germani.

& Mommorancio.

Insula ſuccedit *Vexinum Francicum*, *Vexin*, vel, ut alij, *Vulxin Le François*. Continet quidquid eſt ab Aeſia Fluuio Claromontem uſque, verſus Picardiam. Perijt & hujus memoria, niſi quod quodammodo ſervetur, vt Actuarij quidam mihi narrarunt, in antiquis quibuſdam Chartis & Monimentis.

Et Vexinum Francicum, Vexin le François.

Hactenus de *Præfectura Pariſienſi*, quatuorque ejus Ditionibus, *Pariſio*, *Goella*, *Inſula Franciæ*, & *Vexino Francico*: Alteram Franciæ, ſtrictius ſumtæ, partem ſtatui, cum ipſis Regni Geographis, *Valeſium*, quod vulgo *Le Pais de Valois*. Nomen habere putatur ab amœniſſimis, quibus hæc ditio ſuperbit, Vallibus. Alij aliunde derivant. Comitatus olim, hodie Ducatus. Primus Valeſiorum, ut & Alençonij, Comes dictus fuit *Karolus* Philippi III, Franciæ Regis Filius, Philippi Pulcri Frater: à quo per *Philippum* VI Filium Regium Valeſiorum Stemma in Gallijs fuit propagatum,

Secunda Franciæ pars *Valeſium*, *Le Pais de Valois*, quid comprehendit.

gatum. Extendit se Ducatus Valesius in Picardiam usque. Primarium Opidum (præter *Crespiacum, Crespy*) *Silvanectum* est, Francis *Senlis*. Dictum Latinis quidam augurantur, quod Silvæ nectatur. Meminit Notitia Provinciarum Galliæ in Belgica II, ubi *Civitas Silvanectum*, hodie *L'Eveſché de Senlis*. Opidum est antiquum, præter Episcopatum, Præfectura & Baillivatu nobile. Episcopos numerat Fr. Belleforestius LXXIV, postremum nominans *Renatum Roulierum*.

Silvanectensem Praefecturam.

Ditavit Silvanectensis Præfectura Valesium Ducatum Dynastijs, quæ vulgo audiunt *Pierrefons, Bethisi*; & *Verberie*, comprehensis opidis quæ nunc *Angy*, *Le Pont S. Maxence* (Paludibus hoc cinctum est, Limitemque statuit Franciæ & Picardiæ) *Pongoing*, *Brenonville*, &c.

Cujus variæ sunt Dynastiæ; & Opida.

Complectitur eadem Præfectura *Compendium*, *Compiegne*; Sedem olim Principum; *Karolopolin* alijs appellatum, ab Karolo Calvo, qui Pomeria ejus scribitur produxisse & munijsse. Eundem Karolum Comitia Statuum Regni Francici, Conciliumque Nationale Præsulum Ecclesiæ Gallicanæ in hoc opido celebrasse, loquuntur Historiæ. Transgressis Compendium occurrunt statim Picardiæ Populi, Suessones & Laudunenses. Sub Compendio sunt *Magny*, *Thorette*, *Creil*. Haud procul *Creila* Stagnum visitur unius semis Leucæ; Munimentum item in Monte, quod ab Iulio Cæsare fertur conditum.

Inter alia etiam *Compendium*,

Continet quoque Silvanectum *Pontis Aesiæ* (*Pontoise*, vulgo; *Pontesium* nominat Ivo epistola CV) Baillivatum, Præfecturam & Vicecomitatam; cui parent *Ville-neuve le Roy* & *L'Isle Adam*. Si *Pontesium* non sit, quæ Antonino *Brivaisaræ*, Itinerariæ autem Tabulæ corruptius *Brivisura*; fuit certe in agro Pontesij suburbicario. Scribit ad Antonini Itinerarium Hieronymus Surita, summo consensu in omnibus Exemplaribus esse *Brivanisare*; in Blandinianæ autem Bibliothecæ Codice ita distinctum esse, ut *Briva* videatur Opidum esse, cognomento *Isara* Fluminis. *Isara* tamen hic nullus, sed in Gallia Narbonensi; ut fere, nisi Veteres obclamarent Membranæ, reponere auderem *Briva-Aesiæ*; vel saltem in *Brivaisare* nullum agnoscerem fluuium. *Briva* simpliciter est apud Gregorium Turonensem Episcopum, qui lib. VII magno incendio Basilicam B. Martini apud *Brivam* Vicum ab imminente hoste conflagratam fuisse perhibet; & Avitum ad *Brivatensem Vicum* mortuum delatum. Meminit idem *Brivatensis Diœcesis*. Ad rem.

Pontesium,

Ponte-Aesiæ superato, se offert Normannia. Silvanectensis insuper Præfecturæ Ius agnoscit *Comitatus Belmontius ad Aesiam*, *La Comte de Beaumont sur Oyse*. antiqua Præfectura, cui subsunt *Persang* & *Meru*. *Comitatus Belmontius* Dominos agnoscit proprios, Principes regiæ stirpis Vendomensis. Ad hoc opidum ultra Aesiam initium capit Bellovacensis Ditio. Bellum hunc Montem fere est, ut opiner esse *Augustomagum* Antonini, quodque corrupte apud Ptolemæum *Ratomagus*. Videtur & quibusdam esse opidum, quod ab Cæsare describitur lib. II. Belli Gall. egregie natura munitum, ex omnibus in circuitu partibus altissimas habens rupes & despectus; Aditum autem una ex parte, leviter adclivem.

Bellus-Mons, ad Aesiam,

Sub Silvanectensi denique Præfectura, simulque sub Valesio Ducatu est *Comitatus Belovacensis*, *Comté de Beaunais, Beauvoisin*. De *Belovacis* antea dixi. Agricolæ hujus Territorij tempore Ioannis Regis Seditionem moverunt, quæ vulgo dicebatur *Iaquerie*. Petebantur ea præcipue Nobiles, quorum non pauci leguntur trucidati. Compescuit tandem Karolus Delphinus Franciæ. Metropolim habet *Belovacum*: sic nominem opidum, quod vulgo *Beauvais*. Apud Cæsarem, ut Nob. Vir Iosephus Scaliger ad me scribit, *Bratuspantium*, addens sub Cæsaribus transnominatum *Cæsaromagum*. *Bratuspantium* tamen, ne quid dissimulem, Karolo Bovillo Pagus hodie putatur *Granviller*, vel *Grattepance*: alijs *Clermont en Beauvoisin*; Vigenereo *Beaumont ad Aesiam*. *Bratuspantij* memoria servatur in Vita S. Guiberti: item in Historia Ansfridi Episcopi Vltrajectensis apud Sigebertum. Est autem *Belovacum* Vrbs situ amœnissimo, adsitos habens hinc Montes fertiles non adeo excelsos; inde Agros excipiendæ Sementi commodos. Nec desunt vina. Incolis, præsertim Fœminis, magna sunt Privilegia, ab Ludovico XI Francorum Rege ipsis concessa, anno CIↃ CCCCLXXII; quod Karolum Burgundiæ Ducem obsidionem solvere, reque infecta abire coëgerint. Episcopi *Belovacenses* Comites se scribunt & Pares Franciæ. Numerat eos Belleforestius LXXXIV; eorumque ultimum *Karolum Borbonium*.

Belovacium,

Haud procul Belovaco est *Claromontium*, *Clermont*; Comitatus, jure Apannagij ab Rege Ludovico IX (qui Sanctus cognominatus) datus Roberto Filio. Hujus Filius Ludouicus cognomine Magnus, Comes

& Claromontium.

mes *Claromontanus* II, ab Philippo VI Valesio Francorum Rege Primus Borbonij Dux fuit factus, anno CIↃ CCC XXIX; à quo deinceps Borboniorum Stemma productum. Opidum est Arce munitum.

Tertia Franciæ Pars *Heurepense Territorium*, *Heurepois*.

Hæc de *Valesio*: sequitur tertia Franciæ Pars *Heurepense Territorium*, *Heure pois*. Initium capit ad Sequanam, sub Ponte Parisiensi, qui Parvus cognominatur; secusque eundem fluvium procurrit Corbolium, Melodunum, & Moretum, ubi Verina Amne, qui in Lonium se exonerat, sejungitur ab Gastinensium Agro. Adhæret Brientibus, ubi respicit Fanum, cui cognomen ab S. Columba Grandi apud Senones. Continet autem Vicecomitatum & Baillivatum *Melodunensem*. Metropolis est *Melodunum*. Nomen hoc perperam apud Cæsarem bis est insultum; pro quo Veteres omnes scripti Codices Commentariorum de Bello Gallico habent *Mettosedum*. Verum quidem est *Melodunum* & *Mettosedum* unum idemque opidum esse: sed *Melodunum* posterius est. Antiquum nomen corruptum videtur apud Antoninum, ubi legitur *Methedum*: reponere autim *Mettosedum*. Sic in Tabula Peutingeri Itineraria *Meteglo* scriptum est pro *Mettosedo*. In aliis Antonini libris exstat *Medetum* & *Mecletum*. *Melodunense Castrum* apud Gregorium Turonensem est lib. x. Hodie *Meiun*, in Insula Sequanæ, instar Lutetiæ Parisiorum. Vnde Fabula nata: *Melodunum* olim *Isis* nomen habuisse; indeque Vrbem, quæ totius nunc Galliæ Metropolis, cui idem in Insula erat situs, appellatam fuisse, quod *Par-Isis* esset. Credant, qui velint, non Ego. Hoc addam, alios pro *Mettosedo* legere *Iosedum*, idque *Corbolium* interpretari; quibus bonam mentem precatur suis ad me litteris Scaliger.

In quo *Melodunum*,

Corbolium,

Melodunum Arce validum. Quod Opidum bonis piscibus, præcipue Cancris suavissimis, nobilitatum & celebre, nunc *Corbueil* vulgo, *Corbolium* nominatur in Vita S. Petri Tarentasij. Habet & hoc, cum multis aliis, Arcem. *Fons Bellæ-Aquæ*, vernacule *Fontaine-Belle-eau*; Secessus Regum amœnissimus quietique aptissimus: vere Palatium: Domicilium olim S. Ludovici, post Philippi, postremo Francisci Valesij. Multa ibi Singularia.

Fons Bellæ-Aquæ,

Quarta Franciæ Portio *Gastinensium Ditio*, *Gastinois*, in qua

Ducatus Stampensis, *Estampes*,

Quartum in Francia locum dedi *Gastinensium Ditioni*; vulgo *Gastinois*; quæ ab Heurepensi separatur Verina fluvio. Comprehendit sub se *Ducatus Stampensem* & *Nemurcensem*, *Comitatumque Rupis-Fortis*, & alios. *Stampæ*, *Estampes* vulgo; Opidum, medio inter Lutetiam Parisiorum & Genabum Aurelianentium itinere, ad Iunnam Fluvium: Cammarorum, qui delicatissimi, parentem largum, ad Corbolium in Sequanam se exonerantem. *Stamparum* meminerunt Aimoinus & Gregorius Turonensis. *Stampensis Pagus* est apud Nithardum de Dissensionibus Filiorum Ludovici Pij lib. I. *Stampense* etiam *Comitium* nominatur apud Ivonem. Ducatus (qui olim Comitatus fuit) claret dignitate. Vide quæ dicam cap. XLI, vbi de Comitibus Nivernensibus. *Nemursium* *Nemours* opidum ad Lonium Flumen, quod paullo infra Moretum Sequanæ concurrit. Inter Ducatus Franciæ etiam non postremi loci. Vixit nuper *Philippus Sabaudus*, *Nemursij* Dux; cujus Filia *Ioanna* secundo loco nupsit Nicolao Lotharingo, Duci Mercuerrio, Marchioni Nomenenj, & Vandalimontis Comiti. *Rupes Fortis*, *Roche-fort* Gallo-Romanis dicta, Comitatus gaudet titulo. Loco parum esse, aut nihil antiquitatis, ipsum loquitur nomen: nisi Transnominationum frequentia sit passim admittenda. In Gastinensium quoque Ditione cum *Millio* & *Moreto* (quod Limes Gastinenses inter & Heurepenses) utroque Arce prædito, alijsque opidis, est *Montargium*, quasi *Mons-Argi*, ut quidam ratiocinantur; quod in circumitu adspectus ejus procul extendatur. Incendio vastatum circa annum CIↃ IↃ XVIII, postea renovatum fuit. Arcem & hoc habet, in qua depicta visitur Historia Canis Venatici, qui heri sui mortem vindicavit; occiso eo, qui necem illi attulerat.

& *Nemursium*, *Nemours*,

Comitatusque Rupis Fortis, *Roche-fort*,

item *Millium*, *Moretum*, *Montargium*, & alia opida.

CAPVT

Cap. XXII.

Belsia.

Belsia, quæ in nostra Veteris Celticæ Distributione secundo se offert loco, vulgari voce *La Beausse* dicta, Regio est, quæ siccitate Aquarumque laborat penuria; fertilis nihilominus, & frumenti valde ferax. Meminit ejus Venantius Fortunatus Poeta. *Belsia, La Beausse.*

Coluerunt olim quidquid *Belsiæ* nunc nomine censetur, *Carnutes*, *Aurelianenses*, *Andicavi*, *Cenomani*, & *Turones*. *Veteres Incolæ.* *Carnutes* ab Cæsare celebrantur: Καρνῦται Ptolemæo; *Carnutæ*, Plinio, qui eos *Fœderatos* cognominat; *Carnuti* Tibullo: *Civitas Carnotum* Notitiæ Provinciarum Galliæ in Lugdunensi Quarta; Hodie *L'Evesché de Chartes*, *Le Pais Chartrain*. *Carnutes.* Tempore Cæsaris erat in Carnutibus, summo loco natus, *Tasgetius*; cujus Maiores in sua Civitate Regnum obtinuerant. Huic Cæsar, ut ipse scribit, pro ipsius virtute atque insigni in se benivolentia, quod in omnibus bellis singulari ejus opera fuisset usus, Maiorum locum & dignitatem restituerat. Quum vero tertium jam annum regnaret, Inimici palam, multis ex Civitate Auctoribus, interfecerunt. Habebant nempe tunc etiam Veterum Gallorum Civitates suos Brutos. *Carnutum* frequens mentio apud Antiquos Scriptores. In ijs Locum fuisse annuis Druidum Comitiis dicatum, alibi à me est dictum. *Carnutes* dictos quidam arbitrantur ab Græca voce Κάρυα, quæ *Nucem* significat, ob ingentem Nucum copiam, quam ea Regio producit. *Aurelianenses* sunt apud Paullum Diaconum lib. v. de Gestis Longobardorum cap. 11: ubi male nonnulli absque disiunctiva particula legunt, *Venientes de Cenomannicorum Aurelianensium Regione Franci*: quasi *Cenomanni* cognominati fuissent *Aurelianenses*: quod falsum. *Aurelianenses.* Sunt enim diversi Populi. *Civitas Aurelianorum* in Notitia Provinciarum Galliæ, in Lugdunensi Quarta & in Præfatione Concilij Aurelianensis 1. *Le Duché & Evesché d'Orleans*. Qui *Andicavi* vel *Andecavi* Tacito, Ptolemæo Ἀνδικαῦαι vocantur: in Vulgatis exemplaribus vitiose leguntur Ὀνδικαῦαι. *Andicavi.* *Andegavi* Plinio nominantur: apud quem in Editis quibusdam *Andegavenses*. *Civitas Andegavorum* Notitiæ in Lugdunensi Tertia. *Andes* apud Cæsarem, quorum Ducem *Dumnacum* ab eodem Cæsare victum, scribit lib. VIII Hirtius. Vulgo *Duché d'Anjou*, *L'Evesché d'Angiers*, *Angevins*. *Cenomani* Galliæ Populi celebrantur Cæsari, Ptolemæo, & alijs: *Civitas Cenomanorum* Notitiæ, in Lugd. Tertia. *Cenomani.* *Pais de Maine*, *L'Evesché de Mans*. *Aulercos* (Prænomen puta-

tur fuiſſe aliquot Antiquæ Galliæ Populis) *Cenomanos* habet Plinius. *Cenomanorum* in Italiam inruptiones commemorantur apud varios Hiſtoriographos, Polybium, Livium, Iuſtinum. Hinc in Italia Tranſ-Padana, ut ſuo videbimus loco, Κενομανοὶ Ptolemæo; *Cenomanni*, Plinio: Hinc item Κενομανοὶ apud Strabonem ſupra Venetos, Carnis vicini: Hinc denique, quod ſuis Sedibus parum eſſent contenti, *Cenomannos* locat Plinius lib. III. cap. XIX in Gallia Narbonenſi, in Volcis. *Turones* apud Cæſarem & Tacitum, qui Τυρόνιοι Ptolemæo lib. II. cap. VIII Tabula III Europæ: Sic enim ibi legendum pro Τυρύπιοι: *Civitas Turonorum* Notitiæ in Lugdunenſi Tertia: *La Duché de Tourraine, L'Archeveſché de Tours.*

Turones.

Belſia Triplex.

1 Superior. La Haulte Beauſſe.

Belſia porro triplex eſt, *Superior, Media, Inferior.*

Superior, La Haulte Beauſſe, initium capit ab Vico, qui vulgo *Ablys* indigetatur, petens porro Carnutum Agros & ulteriora. Concenſentur illi *Carnutum Regio, Ducatus Andegavenſis, Comitatus Perchenſis. Carnutum Territorium* (quod Galliæ totius, vt notat Cæſar, medium, & quaſi Centrum) vulgo *Le Pais Chartrain*, adhæret hinc Perchenſi Comitatui, inde Ducatui Aurelianenſi. *Caſtrenſis Pagus* dicitur Nithardo, de Diſſenſionibus Filiorum Ludovici Pij lib. I. Carnuticum Solum nulli reliquæ Galliæ parti fertilitate vel amœnitate ceditt omni genere Frumenti, Pecoris, Fructuum abundans; Vino non deſtitutum. Primarium Opidum *Carnutum* audit. Sic nominat Rofinus, quod Ptolemæo Αὔτρικον appellatur; quodque nunc temporis *Chartres*. Vetus apud Onuphrium Panuinium Lapis Coloniam fuiſſe teſtatur. Opidum hodie non poſtremi loci; ſitum partim in planicie, partim in Colle; frequentibus Ædificijs refertum; Mœnibus firmis cinctum; Aggeribus Foſſiſque circumvallatum; Incolarum divitijs pollens. Perluit ad Collis pedem Fluvius, Piſtrinis verſandis commodus, qui è Perchenſibus ortus, hucque civium induſtria derivatus apud Luparias (*Louviers*) paullo ſupra Rotomagum in majores Sequanæ undas influit. Summum Templum Mariæ Virgini eſt conſecratum, in cujus Crypta Puteus oſtenditur, *Sanctorum Fortium* dictus: in quem, quum Carnutes Chriſto nomen primitus dediſſent, magnus Chriſtianorum numerus ab Quirino Galliæ Proconſule dicitur præcipitatus. Adſervari fertur hic etiam ingenti pietate Subucula Divæ Virginis. Portas habet opidum VIII: quarum ſex patent; reliquas Bella clauſerunt Civilia; quibus anno CIↃ IↃ LXVII fuit obſeſſum oppugnatumque, ſed virtute Lignerij fortiter defenſum. Loquitur Carmen, quod ad Mœniorum partem, quæ Hoſtium Machinis proſtrata, poſt fuit reſtituta, Lapidi inciſum legi:

In qua Carnutum Regio, Pais Chartrain, cum Opido Carnuto, Chartres.

Dum NOVA *Relligio Studia in contraria cæcas*
Gallorum Mentes agit, & Bello omnia miſcet,
Carnutum premitur magna obſidione: globiſque
Machina ſulphureis oppugnat Mœnia, quæ nunc
Sarta & tecta vides: Salva incolumiſque remanſit
Vrbs, Duce Lignerio; Populi curaque fidelis
Atque manu parva numeroſum reppulit agmen.
Quam pro Rege ſuo Patriaque Ariſque Focisque
Sit pulcrum pugnare atque Haſtà cedere numquam;
Exemplo hoc diſcant Nati ſerique Nepotes.

Dies, quo ab Obſidione repulſi Hoſtes, Feſtis eſt adſcriptus. Suos olim habuit Comites. Eorum, ni fallor, Progenitor Otho; cuius Pater Theobaldus Senior; Rollonis Normanni Adgnatus, Comes Bleſenſis Carnutum armis adquiſierat. Otho quoſdam habuit Succeſſores: Filios *Theobaldum* II ἄπαιδα, & *Stephanum*; Nepotem ex Poſteriore *Theobaldum* III, & Pronepotem *Theobaldum* IIII, Inprolem: poſt quem nihil amplius de Carnutenſibus Comitibus ego quidem invenio. *Carnutum Territorio* ſolitus eſt adcenſeri *Comitatus Druidenſis*; nec non, ut quibuſdam placet, *Montfortius. Druidenſis, La Comté de Dreux*, ortum habet ab *Roberto*, Ludovici VI Craſſi Francorum Regis Filio. Succeſſit huic *Robertus* II Iunior, cuius Filiorum maximus natu Petrus conditor fuit Britanniæ Principum: ſecundus, *Robertus* III Comites Druidenſes continuavit per Filium *Ioannem* I, Nepotem *Robertum* IV; Pronepotem *Ioannem* II; Abnepoteſque *Robertum* V, *Ioannem* III & *Petrum*, ἀπαιδας mortuos: quibus Soror *Ioanna* ſuccedens, nupſit primo Ludovico Thoarenſi, inde

Comitatibuſque, Druidenſi, Comte de Dreux.

inde autem Gawino Beausardo; Maritisque caussam dedit Novos quasi Comites Druidenses condendi, quorum tamen haud magna est apud Historiographos memoria. Opidum hoc, quod vernacule *Dreux*, Druidum quondam sedes creditum; ad Fluvium, qui *Ebrus*, *Eureux* vulgo. *Montfortius Comitatus*, *La Comté de Montfort*, non minus, quam superior, nobilis. Inter alios obtinuisse legitur eum *Robertus* IV, de quo paullo ante, Dreusii Comes; Vxore ducta Beatrice, Ioannis Comitis Montfortii Filia & Herede. *Montfortium* opidum, medio fere inter Druidum urbem & Lutetiam itinere. *& Montfortius, Comté de Montfort.*

Hæc de *Carnutum Regione*: sequitur *Ducatus Andegavensis*, *La Duché d'Anjou*, incipiens ab Vico *Chousay*; finem autem accipiens inter *Moncontour* & *Herraut*, vbi initium Pictaviensis Territorij, quod illi ab Meridie; versus Orientem Confinia sunt Turonensium & Vindocinorum; ad Septemtrionem Comitatus, qui vulgo *Maine* & *Laval*: ad Occidentem denique Britanniam attingit. In ea Provincia plus quam XL sunt Flumina, multa Stagna, magnus Lacuum numerus, Rivuli non pauci: sunt & Vivaria Paludesque, Fontes item infiniti. Regio fertilis & montosa. Colles ibi Vitibus passim consiti; Valles Silvis Saltibusque viridantes; læta Prata; Eryceta gratissimum Pecori Pabulum præstantia. Vina hic alba, notæ nobilissimæ, vulgo *Vins d'Anjou*. In nonnullis hujus Provinciæ locis illud genus Lapidis cæruleum & fissile effoditur, quo Templorum ubique Ædiumque tecta contra cœli injurias muniuntur. *Ardoises* vernacule vocantur. Suos olim habuerunt Andes Regulos & Duces, quorum *Dumnacum* ab Cæsare victum scribit octavo libro Hirtius. Postea cum alijs Galliarum populis in Francorum venerunt ditionem. Rex Chilpericus, occiso Comite *Paullo*, Andegavensem Vrbem obtinuit; suisque eam Posteris reliquit, Franciæ Regibus: quorum Karolus Calvus Superiorem quidem Provinciæ partem *Torquato* (alij aliter vocant) dedit, reservato sibi supremo in eam jure; Inferiorem autem *Eudoni* Parisiorum Comiti, cujus ex fratre *Ruperto* Comite Andegavensi, Duceque Celticæ Nepos, *Hugo Magnus* eam largitus est *Fulconi*, Torquati ex Ingelgero Filio Nepoti. Fulconi ordine successerunt *Fulco* II; *Gotefridus*, vulgo dictus *Grisgonella*: *Fulco* III; *Gotefredus* II, *Fulco* IV; *Fulco* V: qui Hierosolymorum Rex fuit, post Balduinum, cujus Filiam ipse viduus duxerat uxorem; *Gotefredus* denique VI *Barbatus*, cui sociata fuit Machthildis, Henrici I Angliæ Regis F. Hujus Filij, Henricus quidem Rex fuit Angliæ, ejus nominis II; Anduum vero Comites *Gotefredus* VI & *Gulielmus*: quos quum paricidiali bello victos terris suis pepulisset Frater Rex, Filios natu majores in Angliæ Regno, *Gotefredum* autem VIII in Comitatu Andegavensi Successores habuit. Gotefridi Filio *Arturo* Comiti, Britanniæque per Matrem Duci, bellum movit Patruus Ioannes Angliæ Rex. Fecerat jam *Arturus* *Ducatus Andegavensis, Duché d'Anjou.*

Homagium, vt loquuntur, & Fidem Principatus sui nomine promiserat Francorum Regi Philippo Augusto: à quo instigatus quum Pictones Regi Patruo ereptum properaret, cum exercitu Ligerim jam transgressus, ab eo ex improviso superveniente captus, Rotomagum est abductus, ibique non multo post occisus. Id non ferendum rata *Arturi* Mater, Constantia Conani Britanniæ Principis Filia & Heres, Regem Ioannem Paricidij accusavit apud Franciæ Regem, quem dixi: quumque vocatus non sisteret, Paricidij damnatus est sententia Parium Franciæ; ejusque Provinciæ, quas in Galliis habebat, Fisco Regis sunt adjudicatæ: quam sententiam ipse Rex exsequens Andegavenses sibi deditione subjecit, Regique Francorum *Ludovico* Filio Nominis ejus VIII reliquit. Huic successit Filius *Ludovicus* IX, *Sanctus* cognominatus, qui Provinciam hanc *Karolo* Fratri, Apennagij jure, concessit. Hunc sequutus *Karolus* II, qui Clementiam Filiam locans *Karolo Valesio* Provinciam hanc Dotis nomine largitus est. Huic successerunt Franciæ Reges, *Philippus Valesius* Filius, & ex eo Nepos *Ioannes*, qui nobilissimam hanc Regni portionem Ducatus titulo, anno CIↃ CCC L, decoratam Filio *Ludovico* Apennagij jure dedit. Hunc sequuti sunt descendente linea *Ludovicus* II, & *Ludovicus* III, quo sine Herede mortuo Principatum adit *Renatus* Frater. Hic, defunctis Liberis, Heredem dixit sui Fratris Filium *Karolum* (alij Fratrem fuisse volunt) qui Heredem scripsit *Ludovicum* XI. Regem. Et sic Coronæ Franciæ fuit adnexus, eique unitus mansit; nisi quod *Franciscus* I eundem suæ Matri *Aloisiæ Sabaudæ* in usumfructum tradiderit. Rex Karolus IX eum jure Apennagij tribuit *Henrico* Fratri, qui deinde Poloniæ & Franciæ Rex.

cujus Metropolis *Andegavum*, *Angiers*;

Metropolis Ducatus *Andegavum* est; *Andegavensis Civitas* Paullo Diacono; vulgo *Angiers*. Ptolemæo dicitur Ἰουλιόμαγος *Andicavarum*, sic enim legendum antea monui. In utraque *Meduanæ*, *Maine*, Ponte strati lapideo, ripa est magnifice exstructa. Insignis ibi Politia. Episcopali fulget dignitate: Senescallatu etiam & Baillivatu, Sedeque superbiens Præsidiali. Academiam habet celebrem, ab *Ludovico* II Andegavensium Duce, anno CIↃ CCCXXCIX institutam, & nuperrime ab *Henrico Valesio* Andium Duce, Karoli IX Fratre, restauratam; evocato, qui Ius ibi profiteretur, Francisco Balduino, qui hac de re legendus ad l. Si pacto. C. de Pactis. Extra Vrbem vetustæ monstrantur Ruinæ, quæ vulgo *Grohan* dicuntur, Nomine ab *Romano* non abludente. Hic quomdam Theatrum ab Romanis exstructum fuisse perhibetur. Apparent multæ Parietinarum Murorumque reliquiæ. Effodiuntur & infinita probæ notæ Numismata. Habet hic Ducatus multa insignia

Alia opida, *Samur*, &c.

Opida, alia aliis majora. Pauca, ut vernacule sonant, dabo: *Samur* ad Ligerim cum Arce: Academiam, quam apud Regem Magni Viri moliuntur, brevi habiturum; *Montreneau, Bauge, Beau-fort, Brissat, Monstreul-Belay, Malevrier, Chantonceau, Vibers, Duretail, La Flesche, Chasteau-Goutier, Segre.*

cum *Comitatu Cenomanensi*, *Comte de Maine*,

Andegavensibus, Turonensibus, Normannis & Perchensibus contiguus est *Comitatus Cenomanensis*, vulgo *Comté de Maine*. Provincia, quæ tribus præcipue Fluviis irrigatur *Meduana* (*Maienne*,) *Ledo* (*Loir*) & *Sartra*. Ornatus illi multus ab Silvis Saltibusque accedit.

cujus Partes *Civitas Cenomanensis*, *Le Mans*. *Vrbs Menua*, *Mayne*.

Tota Regio superioribus annis in duas quasi abijt Partes. *Civitas Cenomanensis*, *Le Mans*, Ditioni addita est Regis Franciæ; *Vrbs* autem *Mania*, *Maine*, cum Marchionatu, nunc in Ducatus decus erecto, Guisiæ gentis agnoscit Dominium. Novi *Karolum* Ducem *Manium*, sive *Maienna*, Francisci Ducis Guisiæ Filium, Henrici Ducis Fratrem. Opidum Primarium ad Sartram Fluvium, quod vulgo *Le Mans*. Nobilissimus Vir Iosephus Scaliger suis ad Me litteris putat esse Οὐίνδινον Ptolemæi, Aulerciorum Cenomanorum Caput, de quo ante dixi. Ab initio Sedes Baillivatus; post Henricum II Præsidialis est facta: ad quam variorum Opidorum appellationes devolvuntur. Hanc Provinciam, sub Aquitania comprehensam, aliquando paruisse lego Ducibus Aquitanis, donec inter Reges Franciæ Ludovicum IX & Angliæ Henricum III pactum fuit, vt Anglus Aquitania, quam ab Septemtrione Carantonus Fluvius, ab Meridie Pyrenæi Montes terminarent, contentus, in perpetuum cederet Normannia Territque Cenomanorum & Andegavensium; eique numerarentur CIↃ IↃ aureorum millia. Rex Franciæ Ioannes Andium & Cenomanorum Comitatum *Ludovico* Filio Secundo-genito dedit. Donationis Diploma anni CIↃ CCC LX in Scrinio Regis adhuc visitur. *Ludovici* Stemma est tale:

LVDO-

LVDOVICVS I Valesius, Dux Andegavensis, Cenomanorum Comes; ab Ioanna I Neapolis Regina adoptatus, & Rex Hierosolymorum, Siciliæ Neapolisque designatus. Obijt CIↃ CCCXCIV, mense Septembri:

LVDOVICVS II Dux Andegavensis, Cenomanorum Comes; Rex Hierosolymorum & Siciliæ. Obijt CIↃ CCCCXVII:

LVDOVICVS III Dux Andium & Cenomanorum Comes, ab Ioanna II Neapolis Regina adoptatus in Regem Siciliæ, Ducem Calabriæ, Comitemque Provinciæ. Sine liberis defunctus est CIↃ CCCCXXXIV.

RENATVS Dux Andegavensis, Comes Cenomanorum, Dux Calabriæ & Barri, Comes Provinciæ & Guisiæ; ab Ludovico Fratre Germano, consensu Ioannæ II Heres institutus. Mortuus est CIↃ CCCC LXXX:

IOANNES Calabriæ Dux, &c Huic Pater supervixit. Defunctus enim anno CIↃ CCCC LXX:

NICOLAVS Calabriæ Dux. Marchio Pontensis, &c. Ante Avum Renatum mortuus anno CIↃ CCCC LXXIII.

IOLANTA nupta Friderico Vadimontano Obijt anno CIↃ CCCC LXXXIII:

RENATVS præteritus ab Avo Renato. Obijt anno CIↃ IↃ VIII.

CAROLVS, cui Renatus Frater, mortuis Fillo Ioanne, Nepoteque Nicolao, reliquit iura Regni Neapolitani, Comitatus Provinciæ & Cenomanorum. Hic Ludovicum XI suarum Rerum Hæredem instituit.

Sequitur postremo loco cum Superiore Belsia explicandus *Comitatus Perchensis*, *Comté du Perche*. Dividitur hic in duas Partes, quarum una *Inferior* dicitur, vulgo *Le Perche Gouet*; Castellania Carnutensi Territorio quasi inclusa; Primarium habens opidum, quod *Nogent le Rotrou* vernacule: Altera *Superior* est, quæ proprie Comitatum constituit. Opidum cum alijs habet *Mortanium*, *Mortaigne*; ubi Sedes Baillivi Perchensis. Terminatur, qua Normannos respicit, in *Vernuelio*, *Vernueil*; qua Cenomanos, in *Memersio*, *Memers*. *& Comitatus Perchensis, Comté du Perche.*

Illa de *Superiore* Belsia, ejusque Partibus: succedit ordine *Media*, cui tribui solitum quidquid est, inde quidem ad utramque Ligeris ripam ab *Ratomago*, *Romorantin* vernacule, quod opidum ad *Saudram* est Fluvium, qui *Grandis* cognominatur, Vendomium usque: hinc autem in dextra ejusdem Ligeris ripa quidquid Castelloduno (*Chasteau-dun*) porrigitur Blesas & ad Turonensium usque Agros. Vocatur hæc Belsiæ Pars *Vindocina*, *Vendosmoise*; quod finem ibi capiat versus Septemtrionem. Reliquas fertilitate sua Belsias superat. Comprehendit partim Comitatus *Blesensem*, *Dunensem* & *Tonnortensem*; partim Ducatus *Vindocinensem* & *Turonensem*. *Comitatui Blesensis* (*La Comté de Blois*; *Pagus Blesensis* forte Nithardo) nomen dedit Opidum antiquum *Blesense*. *Blesenses* Gregorio Turonensi noti circa annum IↃ LX. *Castri Blesensis* ad Montis cujusdam, quem Liger præterfluit, latus in Agiulphi Vita fit mentio. Certe Castrum hodieque est in Rupe eleganti situm, ab Opido versus Occasum separatum; Sedem Palatiumque Regibus præbens: unde prospectus cum in Vrbem ipsam, tum in vicinos Agros. *Regalis Civitas* vulgo vocari solita, quod & amœnissimus sæpe Regum Secessus, & educandis Ipsorum Principumque aliorum Liberis consecrata. Saluberrimi enim Aëris est: gratissimi Soli: Agri amœnissimi, Vitibus pulcherrimis consiti, omnique Frumentorum genere, fructiferisque Arboribus luxuriantis. Fontes habet dulcissimos, Rivulosque dulcissimi ob sinuosos amfractus Murmuris. Templa habet duo: unum in Arce S. Salvatori dicatum; à Comitibus, quique ipsis successerunt Regibus, amplissimis dotatum Reditibus: Alterum in ipsa Vrbe, D. Iacobo sacrum. In Priore Sepulcra spectantur, summi Artificij, Comitum Blesensium *Ludovici* & *Guidonis*; item *Ioannis* Albaniæ Ducis, aliorumque complurium. Visunda se præbent apud Blesenses admiranda Aquæductuum vestigia, tanti spatij, tantæ altitudinis, ut tribus Equitibus junctim incedentibus facile transitum concedant. Romanorum esse Opera vero simile est. Cives & Incolæ comes admodum sunt, faciles & humani; munditiei & splendoris in Victu, Potu, Amictuque studiosissimi; in quorum denique ore purissima quasi habitat Franciciæ Linguæ Proprietas. Secundo ab hac Vrbe Lapide conlapsæ Ædificiorum ruinæ monstrantur. Locum *Orcheze* vulgo nominant. *Orchæstra* pars apud Veteres Romanos Theatri. Nihil adfirmo. Adcolæ C. Iulij Cæsaris Horreum fuisse volunt. Inter Primos Blosij Comites invenio *Theobaldum*, cognomine *Seniorem*, Gedonis F. Rollonis Roberti, Primi Normanniæ Ducis, adgnatum. Filium hic habuit *Othonem* (alijs *Eudo* dicitur) qui auctis cum Patris, tum sua Virtute Principatibus, Comes fuit Campaniæ, Blosij, Briæ, Turonum & Carnutum. Liberos pro-

II Media, Moyenne Beausse.

in qua Comitatus Blesensis, La Comté de Blois,

creavit *Theobaldum* II & *Stephanum*, qui Fratri sine prole mortuo successit. Hoc ex Adela Gulielmi Conquæstoris Angliæ Regis Filia geniti, cum alijs, *Theobaldus* III & *Stephanus*: quorum Prioris Filius Patri cognominis, quum inprolis vita defungeretur, amplissimas hæreditates reliquit sui Patrui Stephani, qui Angliæ Regnum adeptus fuerat, Posteris: inter quos legitur *Ludovicus*, Henrici II Comitis Campaniæ, Briæque Filius, Henrici Largi N. Stephani Regis Pronepos, Comes fuisse Blesensis; donatus insuper ob egregia ad Constantinopolin facinora, Romaniæ Ducatu. Ἄπαιδι mortuo successit, post *Theobaldum* etiam improlem, *Margareta* Soror, Vxor primo Othonis Burgundiæ Comitis, secundo Gualtheri Avennatis Dynastæ: quo nata *Maria* Avennæ Domina, Comes Carnutum & Blosij, quæ nupsit Hugoni Castilionæo, Comiti Fani S. Pauli: Post eam nihil de hoc Comitatu certi tradunt Historiographi.

Comitatus Dunensis, La Comté de Dunon.

Comitatus Dunensis, La Comté de Dunois principem habet Vrbem *Castrodunum, Chasteau-dun*. Opidum est cum Arce ad Loiram (vulgo *Loir*, qui alius ab Ligeri; in quem ad Andegavensium Vrbem se effundit) conditum in eminentiore Rupe, ad quam haud facilis patet accessus, ne ad Septemtriones quidem, qua parte Regio latissime se oculis pandit. Recte *Castrodunum*, quod Castrum vel Propugnaculum in Duno sit exstructum. *Dunum* alias docui Gallorum Veterum Idiomate *Collem* vel *Rupem* sonare. Turri munitum est amplissima. Majus aliquando fuisse testantur in Suburbijs hic ibi augusta Ædificiorum Rudera. Templi Primarij, D. Magdalenæ sacri, conditor fertur Karolus Magnus. Suburbia habet quatuor, ipsa Vrbe majora, Ædibus, quam ipsa Vrbs, splendidioribus, Templisque duodecim decorata. Vrbis, superioribus bellis horrendum in modum vastatæ, magnam partem restaurarunt Cives, qui ut sibi studium illud perpetuandi animum esse declararent, in Vrbis Insignibus utuntur tribus Semilunulis cum Inscriptione in περιφερείᾳ, EXSTINCTA REVIVISCO.

Comitatus Tonnorensis, La Comté de Tonnoirre, Ducatus Vindocinensis, Duché de Vendosme.

De *Comitatu Tonnortensi*, *Comté de Tonnoire* nihil in præsentia mihi est quod scribam; destitutus ab ijs auctoribus, qui eum potuerunt diffinivisse. *Ducatus*, olim Comitatus, *Vindocinensis*, *Duché de Vendosme*, initium capit à Baugenciaco, Limite inter duas Belsias, quæ cognominantur *Solonia* & *Vindocina*: fines longe lateque extendens, ad Santonas usque, ut quidam volunt.

cuius Vrbs primaria Vindocinum, Vendosme;

Dictus ab *Vindocino* Opido: sic Venantius Fortunatus appellat, quod vulgo *Vendosme*. Ptolemæo forte ὐίνδικον (sic enim legendum) est Aulerciorum Cenomanorum, in Gallia Lugdunensi vrbs. Nihil hic adfirmo. Nam ὐίνδικον illud, certius fortean, est opidum, quod hodie *Le Mans*; quæ Magni Scaligeri sententia, ut antea monui. *Vindocinum* Arcem habet vetustam & ejus ævi, quo Gallias invaserunt Franci. *Vindocini* Comites originem ducunt ex Borboniorum Stemmate. Primum Comitem lego *Ludovicum Borbonium*, Ioannis Marcæ Clermontijq; Comitis F. Successerunt huic recta linea Filius *Ioannes*, *Franciscus* Nepos, & *Karolus* Pronepos, quem Primum Vindocini Ducem creavit Franciscus I Galliarum Rex. Filium *Karolus* habuit *Antonium*, Vindocini Ducem, Franciæ Parem, & per Ioannam Albretam Conjugem, Navarræorum Regem, quo natus *Henricus Borbonius*, Galliæ ejus nominis IV, Navarræque Monarcha potentissimus, Bearnij Princeps, Dux Vindocini, &c.

Turonensis Ducatus, Duché de Touraine.

Turonensis Ducatus, *Duché de Touraine*, incipit tribus supra Ambaciensem Vrbem Miliaribus, versus Blesas; terminatur in Vicis, qui vulgo *La Chapelle Blanche*, in Spiritualibus agnoscens Episcopum Andegavensem, & *Chousé*. Hi enim Limites statuunt inter Turonenses & Andegavenses. Incredibilem Regionis Amœnitatem amœniorem facit placidissima suave-spirantis Aëris constitutio; adeo ut totius Galliæ *Hortus* atque *Pomarium* vocetur. Vini Frumentique ferax est: Nemora habet Venationi commoda.

cuius Metropolis Cæsare-dunum Turonum, Tours:

Metropolis Ducatus est *Cæsarodunum Turonum*; quod Ptolemæo Καισαρόδουνον Turoniorum; hos enim *Turupiis* exturbatis apud Nobilissimum Geographum substituendos antea monui: *Turonem* vocat Sidonius Apollinaris; *Turonicam* Gregorius Turonensis: Vernacule *Tours*. Iactant Incolæ Conditorem Vrbis *Turnum*, ejusque audent monstrare Sepulcrum. *Martinopolin* etiam ab *D. Martino* nominat Mathæus Vindocinensis in sua Tobiæ Historia. Vrbs opibus & Ædificiorum præstantia nobilis. Vicinus illi ad Orientem Ligeris, cujus benificio multæ ex Oceano Merces Incolis subvehuntur: ad Meridiem & Occidentem Idra fluit. Mercatura & Lanificio claret. Populus ibi sincerus, Regi suo fidelis & obsequens. Archiepiscopalis est Sedes, cui Antistites præfuerunt multi, doctrina

ctrina sanctitateque præstantes: inter eos etiam D. Martinus, de quo tres exstant Libri Sulpitij Severi. Suffraganei sunt huic Sedi omnes fere Episcopi Britannorum, Cenomanorum & Andium. Vrbs Turonum ab initio Coronæ Francicæ fuit inserta. Primus Ludovicus III post factas Danorum & Normannorum in Galliam irruptiones, eam transtulit in *Ingelgerum* Comitem Andegavensem; quo hostiles Barbarorum impetus copijs suis validius repelleret, & Ligeris oram commodius propugnaret. In Campestribus & Territorio Turonij memorabili pugna aliquot Saracenorum millia (quadringenta fuisse narrant) sunt cæsa, obtruncato etiam Rege ab Karolo Martello, anno ɔɔ ccxxv, ut Beda notat. Mirum est Rusticos ejus rei, tamquam nuperæ, memoriam conservare. Locus dicitur *S. Martinus Bellus*. Minorum gentium hujus Ducatus opida sunt *Ambocia*, *Langersum*, *Chinonum*, & alia. *Ambociam*, *Vicum Ambociensem* vocat Gregorius Turonensis; hodie *Amboise:* opidum ad Ligerim loco tam amœno situm, ut cum omnibus alijs hujus Regi certare audeat; ut mirum non sit, Reges ibi sæpe degere solitos. *Langersum*, *Langers* opidum non ignobile, paulo supra confluentes Ligerim & Indrum versus Orientem. *Chinonum*, *Chinon*, Opidum Arce præditum, Francorum Regibus olim in delicijs, præsertim Karolo VII, quo tempore Æmuli non alio illum dignabantur titulo, quam Regis Biturigum. Territorium habet fertile & amœnum. Ab hoc Opido grandes initium capiunt versus Pictones Leucæ. Visitur haud procul hinc Pons, qui vulgo *de la Nonnain*. Arcus sunt lapidei ad medium procurrentes milliare. *Insula Bouchardi*, *L'Isle Bouchard*, ad Vigennam est Fluvium, quo circumdatur, instar olim Lutetiæ. *Caudi*, *Caude*, situm habet, ubi Vigenna cum Ligeri concurrit. *Castellum*, *Chastillon*, opidum Regale ad Indrum Fluvium. *Lochum*, *Loche*, ibidem est opidum firme munitum. In Crypta Arcis repertum olim Corpus Viri, staturæ raræ: Ossa loquuntur hominem fuisse octo Pedum: inventus narratur insidens grandi Lapidi, Capite in ambas Manus inclinato. *Asayum* duplex, unum ad Indrum, quod *Asay le Brusse*; alterum ad Carim (*Cher*) *Asay le Ferron*. *Mons Richards*, *Mont-Richard*, opidum in amœna planitie situm, rupibus silvisque (quæ vulgo *Les Forests de Mont-Richard*) cinctum. In Suburbanis Domus sunt Subterraneæ, superque eas Horti & Vineta. *Paulmium*, Arx, Vicecomitatus titulo gaudet, sita loco edito. Vivarium adjacet, duorum fere milliarium, muro cinctum. Dominum ejus novi *Renatum Voyerum*, Turonensis Ditionis Baillivum, Caput sine controversia in eo tractu Nobilitatis, Regis Cubicularium, Conchyliatique Ordinis Equitem. *Lodonum*, *Lodon* vel *Loudon*, Pictaviensi Ditioni ab nonnullis adscribi solitum: Olim Privatis paruit, nunc Sedes Tribunalis Regij est. Sunt qui *Iuliodunum* vocant, nescio quo antiquo Scriptore.

Opida vero Minorum gentium. *Ambocia*. *Amboise*. *Langers*. *Chinon*. *L'Isle Bouchard*. *Chastillon*. *Loche*. *Asay*. *Mont-Richard*. *Paulmi*. *Lodon*.

Belsia mihi restat *Inferior* percurrenda, quæ vulgo *Basse Beausse*. Ea Campestris omnino est & plana; Frumenti valde ferax, totius Galliæ, ut Sicilia quomdam Latij, horreum: Porrecta inter Episcopatus Aurelianensem & Carnutensem ab opido Stampensi procurrit, versus Orientem quidem ad Senones usque, versus Meridiem ad Pontem Aurelianensem. Comprehendit *Ducatum Aurelianensem*, *Ditioneśq;* vel *Territoria Lorriacum* & *Solonium*. *Ducatui*, *Duché d'Orleans*, nomen ab Vrbe Primaria ad Ligerim sita, quæ *Genabum* Cæsari lib. VII, & Hirtio lib. IIX; quod qui negant, habent opposita omnia veri vestigia & multa argumenta. Nam quo nomine vocandi sunt, inquit suis ad me litteris Scaliger, qui *Giam* Opidum ad eumdem Fluvium esse putant: inter eos autem Paradinus & Vigenereus. Clare Aimoinus lib. I. cap. V. *Genabus*, *ubi nunc Aurelianis*. Vrsini & Manutij Codices apud Cæsarem habent *Genabin*. *Cenabum* est apud Antoninum; Κήναβον apud Ptolemæum: an in prima syllaba vitiose? Vitiosius, & contra fidem etiam historiæ, apud Orosium lib. VI cap. XI *Cenapum*. Γήναβον τὸ τῶν Καρνούτων ἐμπορεῖον Straboni lib. IV. *Aurelianensis Vrbs* legitur apud Sidonium lib. VIII. Epist. XV ad Prosperum Papam, & Gregorium Turonensem lib. V. Historiæ cap. XXXIII, & Aimoinum lib. I. cap. V:. *Aureliana Civitas* apud Iordanem de Rebus Geticis. *Aurelianus* simpliciter nulla inflexione Aimoino paulo ante, Idacio, Bedæ XV Kalend. Decembr. Vsuardo VII Eid. Sept. & alijs. Herricus Poëta ad Karolum:

Obvius adveniens Vrbem, cui Genabus olim
Nomen erat, noto quod deinde recessit ab usu,
Diversumque illi nunc Aurelianis habetur.

III *Inferior*. *Basse Beausse*. cujus Partes *Ducatus Aurelianensis*. *Duché d'Orleans*, in quo *Genabum*. vulgo *Orleans*.

Aurelia

Aurelia item Turonensi lib. I. cap. VII Histor. & in Historia S. Galli & S. Aniani. Vnde transnominata? ab *Aureliano* Imperatore, nisi fallit Otho Frisingensis lib. IIII. cap. XLI. Ridendi qui ab *Aurelia* Cæsaris Matre, qui item ab *Auro* dirivant. Tempore Cæsaris hæc Vrbs Carnutibus adcensebatur: præclara hodie, iisq; Franciæ connumeranda, quæ primi nominis. Aëre gaudet puro atque salubri. Qua Septemtrionem spectat, paulo editiore est loco; unde Templum *S. Crucis* magnificum, sed non ita pridem cum alijs omnibus, quod dolendum sane, dirutum, advenientibus auguste se ostentabat. Multum ejus prolata sunt Pomeria ab ea parte, qua itur in Burgundiam. Visuntur etiam nunc antiqua Mœnia post ædem S. Stephani: monstratur & ibi Porta magni ævi, quæ hodie *Porta Vetus Burgundiæ* dicitur; & quidquid Ædificiorum ultra est ad recentiorem usque Portam, *Nova* vocatur *Civitas*. Mœnia adluit Ligeris, Ponte stratus per Mediam Insulam lapideo, in quo Monimenta videre est, *Ioannæ Darciæ* Virgini, quæ sub Karolo VI obsessam ab Anglis Vrbem anno CIↃ CCCC XXVIII scribitur liberasse, erecta. Libellum integrum ea de re composuit Ioan. Ludovicus Micquellus Aurelianensis ad Karolum Lotharingum Cardinalem. In perpetuam Liberationis memoriam Cives, cujuscumque generis, quotannis die VIII mensis Mai, Supplicationibus publice decretis, gratulabundi Civitatem obeuntes ad Pontem procedunt; ibique ad Crucem, ubi inhibitus perhibetur Anglorum irruentium impetus, re divina peracta, in Vrbem redeunt. Appellatur κατ' ἐξοχὴν vernacule *La Feste de la Ville*. Ad Pontis Caput Suburbanum est egregium, quod *Portereau* vulgo. Forum Primarium *Estappe* audit, quod ibi Vina stabulentur, alio exportanda. Suppliciorum locus *Martroy*, ab Martyrum, ut volunt, memoria, nominatur. Academiam habet inter alias Galliæ celebrem; quæ anno CIↃ CCC XII ab *Philippo Pulcro* instituta, Iurisprudentiæ cum primis est conservatrix. Ex ea quot Viri Docti olim prodierint, hodieque prodeant, longum esset commemorare. Silentio certe non prætereundus *Bertrandus Burdigalensis Archiepiscopus*, qui postea P. M. creatus *Clemens* V fuit dictus. Ibi docentes audivi anno CIↃ IↃ LXXXIII & seqq. *Ioannem Robertum* & *Gulielmum Fornerium*; hunc certe, Virum cum in sua Palæstra versatissimum, tum facundissimum, atque etiam meliorum litterarum doctissimum; quod edita ab eo testantur Opera. Lingua Franco-Romana hic tam pura, ut Gallis omnibus sit Aurelianismus, Vocibus quibusdam emotis, qui Græcis quomdam Atticismus. Ejus elegantiæ Virgines mirum in modum dant operam, itaque in ea excellunt, ut Pindarum exprimere se glorientur, quod *Pindariser* appellant. Vrbs Episcopatus titulo superbit. Inter Primos illos & Sanctiores Præsules primus facile fuit *Anianus*, qui ob Vitæ sanctitatem Sanctorum adscriptus est numero, Divusque Tutelaris Vrbi lectus. exstat ejus Vita. Legendi de eo Sidonius Apollinaris lib. VIII. Epist. XV. Gregor. Turon. lib. II. cap. VII. Hist. Petrus Equilinus libro VIII, cap. XLVIII, Beda XV Kalend. Decembr. Martyr. Roman. Reges hic quoque aliquot inauguratos fuisse, ut Remis, loquuntur Historiæ. Ager illi undique rerum omnium fertilissimus: Vinorum ferax, quæ nobilissima in alias Europæ partes magna copia evehuntur, nomen ab Vrbe consequuta. Olim hæc, ut Galliarum reliquæ, proprios & indigenas habuisse videtur Principes: postea cum cæteris paruit Romanis; quibus vel ejectis vel pacto digressis, Francorum Reges, qui eam Regni titulo decorarunt, cœpit agnoscere. Primus ejus Rex fertur *Clodomirus*; cui cum prole mortuo *Clotarius* frater successit, qui item totius Galliæ Imperium, Fratribus omnibus exstinctis, est adeptus. Ita semper Coronæ mansit connexa usque ad Valesiorum tempora. Ioannes Rex à Patre Philippo jussus eam Ducatus titulo ac perpetuo quasi Regni Feudo, Fratri *Philippo* Comiti Valesio contulit. Ab eo tempore Ducatus appellationem retinuit. *Philippo* sine Prole mascula defuncto, secundo ad Regnum Francicum redijt. Cautum postremo, ut semper Aurelianensis Ducatus Secundo Regis Filio, quemadmodum Primo Delphinatus, cederet. Quomdam ab Attila Hunnorum Rege, qui se DEI *Flagellum* nominabat, obsessa, & paulum aberat capta legitur; sed liberata rursum partim strenua Civium pugnantium industria, partim adcurrentibus cum auxilio validaque Militum manu Aetio Patricio, Merovæo Francorum & Theodorico Gothorum Regibus, qui Hunnos fugarunt, & ab Vrbe discedere, relictis spolijs, compulerunt. Consulendi Aimoinus lib. I. cap. VI, & seq. Petrus Equilinus lib. X. cap.

cap. LXXI, Sigebertus ad annum CCCC LIII, Gregorius Turonensis lib. II, cap. VII, Iornandes cap. XXXVII, qui tamen ab Historia nonnihil recedit: & alij ejus ævi. *Aniani* Merita & Orationes magni hic ponderis fuisse, notant Sidonius Apollin. lib. VIII. Epist. XVI, Idacius in Chron. M S, Auctor Historiæ S. Aniani, cum Gregorio Turonensi & Aimoino, quorum jam memini. Addam hic quod fidem excedere videtur. Memorant Cives, duos olim captivos fuisse apud Turcas Viros Christianos: de quibus quum Supplicium esset sumendum, pridie firmissimis Arcis fuisse inclusos: eos autem, quum nocte, cui Supplicij dies inluceret, majorem in modum se commendassent Reliquijs S. Crucis, quas in Aurelianensi Vrbe servari fama erat, una cum Arcis ex tam longinqua Regione Aureliam fuisse per Aërem transportatos, intraque ædem positos S. Crucis: Mox, pulsantibus nullo movente Campanis, factoque ab Civibus concursu, Arcas ante Altare fuisse inventas; apertis, Captivos, qui apud Turcas adhuc esse se, quæque ad Supplicium spectabant jam parata, putabant, prodijsse; re cognita, vovisse se oblaturos singulis annis Canales duas, magnitudine qua Arcæ fuerant, Cera plenas. Quidquid sit hujus miraculi in medio relinquo. Ipse certe fieri Oblationem hanc vidi, pridie S. Crucis, secunda Mai; atque adeo ab coactis Heredibus, hujusmodi Voti, Majorum facto, damnatis. Multa de hac Vrbe apud Franciscum Belleforestium. Leo Trepautius, Senator Aurelianensis, peculiarem de Patria sua scripsit Libellum. Nostro tempore bello Civili miserum in modum jactata est.

Territorium Lorriacum, Pais de Lorris dicitur ab *Lorriaco*. Opido quomdam non ignobili. In Castellania Lorriaci primo factæ sunt Consuetudines, quibus hodieque utuntur Aurelianenses. *Territorium Lorriacum, Pais de Lorris:*

Solonia, Solongne, restat delineanda; pars Inferioris Belsiæ, comprehendens quidquid est trans Ligerim ab Aurelianensi Vrbe ad Ambocienses usque; & hinc porrigens se versus Orientem per adjacentia Cari Fluvio loca. Duplex est: *Superior*, ubi Agri Siliginei, Ericeta, Silvæ. *Inferior* multis Rivulis Pascuisque ornata; arenosior, & non ita pinguis. Præcipua Vrbs, quæ vulgo *Romorantin*. Antiquam esse docent Rudera. *Rodrina* forte in Notitia M. S. Incolæ, ne nimium discedant ab Vulgata appellatione, *Romam Antiquam* suum opidum audent dicere. *Castellum Novum, Chasteau-neuf* opidum Castro validum. Multa hic quomdam Viridaria, Prætoriaque exhilarandis animis consecrata; Melsensium Principum hodie Dominium. *Aubinium, Aubigny*, Sedes quomdam Regalis, quam ibi erexerat Ludovicus XI. *Clariacum*, cujus mentio in Vita S. Liphardi, hodie *Nostre Dame de Clery*; Opidum Peregrinationibus Religionis caussa nobile. *Iargolium*, vernacule *Iargeau* nominatur. *Solonia, Solongne, in qua Romorantin, Chasteauneuf, Aubigny, Nostre Dame de Clery, Iargeau.*

CAP. XXIII.

Campania.

CAMPANIÆ, quæ tertium in Celtica mea locum occupat (*Comté de Champaigne*) nomen, quemadmodum Italicæ, à Camporum latitudine longitudineque, ut notat Gregorius Turonensis lib. IX. Hist. cap. XIV, & libro de Gloria Confessor. cap. LXVII. Est enim Campestris admodum & plana, Sementique apta. Circundant eam vndique Briensium, Burgundionum, Karolesiorum & Lotharingorum Ditiones atque Territoria. Cœlum ibi serenum; Aër temperatus; Flumina magna, salubria, piscosa: Populus industrius, suisque commodis & rei faciendæ invigilans: Nobilitas frequens & generosa: Civitates lautæ: Pagi Incolis referti: Agri passim Frumento, Vino, omnique Pecorum genere abundant: nec desunt Silvæ, opimas quæ præbent Venationes, jucundaque Aucupia. CAMPANIA, *Comté de Champaigne*, unde dicta. Qui illi Fines. Qualitas.

Sedes hic olim habuerunt suas *Tricasses*, *Lingones*, *Remi*, *Catalauni*, *Meldæ*, *Senones*, & fortean alij, quorum memoria jam obliterata. *Tricasses* nominantur in melioris notæ Plinij libris; qui Τρικάσσιοι Ptolemæo, *Tricassini* Ammiano, Panegyricis quibusdam & Antiquo Lapidi; *Trecæ* Herico in Vita S. Germani, *Tresses* Vulgo Ecclesiastico per compendium; *Civitas Trecassium* in Notitia Lugdunens. IV. Hodie ubi *Trois en Champaigne*. *Lingones* Cæsari, Plinio, alijsque sunt qui Λόγγονες Ptolemæo: Veteres Incolæ. *Tricasses.* *Lingones.*

Campania.

mæo: *Fœderatos* idem Plinius indigetat: *Civitatem Lingonum* habet Notitia Provinciarum in Lugdunensi I. Exstat COHORTIS II. LING. EQ. memoria in elegante Inscriptione, quæ visitur in Piceno vel Marchia Anconitana, in opido, quod olim *Forum Sempronij*, vulgo *Fossambrone*: Hodie *La Duché, Pairie & Eueſché de Langres*. *Lingonum* sæpe meminit Martialis, oblique eos subinde perstringens. Occurrunt crebro apud eundem *Lana, Saga, Tomenta, & Bardocuculli Lingonum*. *Remi* apud Cæsarem & Plinium, qui Ῥῆμοι apud Ptolemæum & Strabonem: *Fœderatos* Plinius nominat: *Civitas Remorum* Notitiæ Provinciarum in Lugdunensi II: *Duché, Pairie & Archeveſché de Reims*. *Remorum* fines Romanorum tempore latissimi fuere; Sequanis, Mediomatricibus, Treviris, Veromanduis, Suessionibus conregionales. Cæsare Gallias administrante post Heduos secundum Dignitatis locum obtinebant. Nominat ipsorum Senatum idem Cæsar, & ciuitatis Principem atque Præfectum *Vertiscum*, de quo in Ephemeridibus Belli Gallici multa. *Catalaunos*, præeuntibus Membranis; scribendos monent Viri docti, qui in Vulgatis Ammiani Marcellini libris *Cathelauni*. Sic etiam nominantur in exaratis calamo codicibus Eutropij, qui Tetricum notat ab Aureliano superatum apud *Catalaunos*. *Catalaunorum Civitas*, Notitiæ Provinciarum Galliæ in Lugdunensi II, *L'Eueſché de Chaallon*. Ad hos *Catalauni* pertinent *Campi*, in quibus prælio magno superatus ab Romanis, Gothis & Francis, Ducibus Aetio Patricio, Theodorico & Merovæo, Hunnorum Rex Attila, anno ab V. C. CIↃ CC III. Imper. Cæsare Fl. Marciano P. F. Augusto & Clodio Adelphio V. C. Romæ COSS. ab Christo nato CCCCL, cæsis utrimque CLXII millibus, exceptis XC millibus Gepidarum & Francorum, qui paulo ante occubuerant. Legendi Sidonius Apollinar. Carm. VII, Cassiodorus lib. III Variar. Epist. I & alibi, Paulus Diaconus lib. V, Isiodor. in Chronic. Iornandes de Rebus Goth. cap. XXXVI, & seqq. Gregorius Turonensis varijs locis, Aimoinus lib. I. cap. VI, Sigebertus in Chronic. Otto Frisingensis lib. IV, cap. XXVI, Freculphus Lexoviensis lib. V, cap. XIV, Tom. II, Idacius M. S. Sabellicus Ennead. VIII, lib. I, Gaguinus lib. I, & alij. Delineat hos Campos, locumque Pugnæ Iornandes, cap. XXXVI: *Convenitur itaque in Campos Catalaunicos, qui & Mauricij nominantur, C. Leugas, ut Galli vocant, in longum tenentes, & LXX in latum*: cap. XXXVIII; *Erat autem positio loci declivi tumore, in modum collis excrescens*. Et in fine cap. *Fit ergo de loci oportunitate certamen. Attila suos dirigit, qui cacumen montis invaderent, sed à Thorismundo & Aetio præventus est, qui eluctati collis excelsa ut conscenderent, superiores effecti sunt, venientesque Hunnos Montis beneficio*

Remi,

Catalauni,

ficio facile turbavere. Indicat ibi Iornandes hos *Campos* etiam *Mauricios* fuisse nominatos: Sic quoque vocat Callimachus Experiens; *Mauriacos* autem Freculphus: *Mauriacus Campus* est apud Gregorium Turonensem lib. II, cap. VII; *Mauriacum* & *Mauriacensis Campania* apud Idacium; unde & *Mauriacensis Pugna* in Legibus Burgundionum. Alij *Catalaunos Campos* Tolosæ proximos locant, cumque *Catalanis*, qui ibi, confundunt. Male. Numquam enim eo progressus Attila. Sunt qui sic dictos volunt ab *Catalaco*, quod in Montanis Arverniæ situm, cujusque mentio in Historia MS. S. Ægidij. Certe qui posterioris sententiæ non invalida habent argumenta: Loci Naturam, ab Iornande Pauloque Diacono descriptum, mire concinere: esse in planicie *Catalacensi* Collem; in ejus apice Crucem fixam, quæ vulgo *Croix des Batailles*: in eadem planicie Vicos esse quibus cognomen *de Catalaco*; inter alios vetustissimum, qui in Panchartis *de Veteribus Campis* vocatur; alterum, qui *Entilsacus Catalacensis*, quem ab Attila nomen sumsisse sibi persuadent doctiores Indigenæ: Rivulum item præterlabi, qui planiciem in XII Aquitanicas Leucas protensam intersecat; Rivulum autem in Campis Catalaunicis fluxisse, tradere Paulum Diaconum lib. IV: &, quod omnium validissimum argumentum, Tractum dici *Mauriacum*, vulgo *Prevoste de Mauriac* ab *Mauriaco* Vrbe, quam huic planiciei adjacentem olim in his Montanis præcipuam fuisse loquitur Historia Austremonij, quæ adhuc in Membranis. Sed pugnat cum his, & quæ alia in medium adferri possunt, obstatque considerata pensitatius Attilæ Expeditio. Eum quidem Pannonijs egressum in Belgicam primum per Germaniam venisse, certo est certius. Adfirmant omnes, quos paulo ante laudavi. Sequutum mox Metensis Vrbis excidium, Gregorio Turonensi teste lib. II, cap. VI: Hinc Treuirorum direptio, quæ apud Aimoinum lib. I, cap. VI: mox Tricassium obsidio, de qua Sidonius Apollin. lib. VIII, Epist. XV: ad extremum Aurelianis irruptio, nec direptio, cujus ibidem meminit Sidonius. Iam si verum, quod unanimi consensu traditur, Attilam fractum, exque confinalibus Ligeri locis, cum ab alijs, tum ab Aetio (qui inde *Ligeris liberator* Sidonio lib. VII, Epist. XII) pulsum & fugatum, evestigio ad Belgas se contulisse: qui esse poterit, ut in montana Arverniæ, centum ab Aurelianensi Vrbe Leucis dissita, præcipitem se dederit; præcipue quum tam magnis copijs tamque multis impedimentis onerato trajiciendi essent Ligeris, Alanio, & Elaver; peragranda item invia, confragosa, aspera & dura loca. Si Ligerim numquam (quod omnino verum est) Attila transgressus fuerit, fallit falliturque Paradinus, qui Lugdunum ab eo eversum, ab Majorano autem Augusto restitutum scribit: labuntur item, qui ulteriora Lugduno versus Meridiem loca, Vasatum, Nemausensium, aliorumque, Attilæ ignes & furores sensisse, memoriæ produnt. Fuerunt igitur in Belgica *Campi Catalaunici*, sic dicti à *Catalauno*, de quo post. Designat eos, inque Belgica notat non obscure Sidonius Apollinaris Carmine VII:

Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In Campos se Belga tuos.

Ipse, quum potissimam *Camporum Catalaunicorum* partem aliquando peragrarem; Pugnæ locum attentius inspectum deprehendi prorsus convenire cum ijs, quæ ab Iornande, &, qui eum exscribit, Paulo Diacono memorantur. Certe Planicies est maxima, neque eo solum prælio memorabilis. Ammianus Marcellinus lib. XXVII; *Et maturato*, inquit, *itinere omen prope Catalaunos invenit, ad congrediundum promtissimum; &, vallo oportune metato, suisque pro temporis copia cibo recreatis & somno, primo Auroræ exortu in aperta planicie composuit aciem*, &c. qua de re consulendi etiam Panegyricus Flaviensium Constantino dictus, & Eutropius in Aureliano. Sed de his satis: ad Veteres, qui superant, Campaniæ Incolas pergo. *Meldæ* Cæsari & Plinio, qui eos *Liberos* cognominat, noti: Μέλδοι Straboni: Μέλδαι Ptolemæo; *Meldi* antiquo Lapidi. *Meldos* Strabo imprudenter cum Lexovijs παρωκεανίτας facit, qui sunt in ipso Galliæ meditullio; ubi nunc ad Matronam amnem *Meaulx* opidum. *Senones* Cæsari, Plinio, & alijs celebrati: Σένονες Ptolemæo, qui eos in Gallia Lugdunensi describit. *Civitas Senonum* Notitiæ Provinciarum Galliæ in Lugdunensi IV: Alij, credo, sunt *Senones* Straboni Nervijs vicini, versus Occasum, de quibus in Normannia. Prioribus, ut mage notis, adscribendas censeo horrendas in Italiam Incursiones: unde & ibi ab Strabone circa Flaminiam, à Polybio in Piceno, ab Suda in Albano-

Meldæ,

Senones.

rum terra *Senones*, describuntur; de quibus in Italia fusius. Atrocissimum sane Romanis bellum moverunt anno V. C. CCCLXIV *Galli Senones*, quod ab ijs *Bellum Senonicum Gallicum* dicebatur. Dux erat Brennus, Gallorum Regulus. Post pugnam Alliensem (a qua *dies Alliensis* in Romanorum Fastis) Vrbem ingressi, cæsis obvijs, omnibusque incendio fœde vastatis, Capitolium, in quod Romana Iuventus confugerat, obsederunt multos menses; tandemque facta cum Obsessis Pace, Aurique quantitatem stipulati, contra fidem ab M. Furio Camillo Dictatore, Vrbem cum copijs conlectis ingresso, partim obtruncati sunt, partim in fugam acti. Quæ omnia suis coloribus plene delineant Livius lib. V, Florus lib. I, cap. XIII, Eutropius lib. I, Plutarchus in Camillo & Probl. XXIV, Auctor de VV. Inlustr. cap. XXIII, Augustinus lib. II. de Civitate Dei cap. XXII, & lib. III, cap. XVII, Ovidius lib. VI, Fastor. Orosius lib. II, cap. XIX, Valerius Maximus lib. I, cap. V, in pr. & multi alij Scriptores. *Senones* scribit Verrius Flaccus apud Festum ideo appellari, quia novi venerunt ex Trans-Alpina Gallia quasi *Καινονες*, littera immutata. *καινὸς* enim Græce, Latine *Novus* dicitur. Hæc talia ridere soleo.

Comites Campaniæ, Briæ, Blosij, &c.

Inter primos Comitum Campaniæ, ut & Briæ, Blosij, Turonum & Carnutum Progenitores, *Gerlonem* lego Normannum, qui Rollonem, de quo alibi, in eam Franciæ partem, quæ nunc Normannia, est comitatus; ejusque in recta linea Successores *Theobaldum*, *Eudonem*, *Stephanum*, *Theobaldum* II: cujus Filium *Theobaldum* III sine liberis defunctum sequutus est Patruelis *Henricus Largus* cognomine, Filius Stephani Angliæ Regis, qui *Theobaldi* II erat Frater. *Henricus* Filium habuit cognominem, Campaniæ & reliquarum Ditionum Comitem. Eo improli mortuo, Comitatum invasit Frater *Theobaldus*, qui se *Comitem Palatinum Campaniæ* scripsit; Rex Navarræ morte Avi materni factus, Comitatum in Domum regiam intulit; Successorem, ut fertur (nam ego hujus generis timidius scribo) nactus tam in Comitatu Campaniæ, quam in Navarræ Regno *Henricum*, cujus filia *Ioanna*, Philippo Pulcro Francorum Regi nupta, Campaniam reliquasque Provincias Coronæ univit: à qua numquam deinceps separatæ.

Divisio Campaniæ.

Campania porro, quam paulo ante sum ingressus, explicari solet hodie, cum Per Se, tum per Conjacentes ipsi Principatus. Per Se, proprieque considerata duplex est, *Inferior* & *Superior*. *Inferiori* adcensentur *Tricassium*, Ditionesque, quæ vulgo *Ivigny*, *Bassigny*, *Vallage*.

Inferior, in qua

Tricassium, Troes,

Tricassium nominatur ab ævi posterioris Scriptoribus, quæ hodie *Trois*, Vrbs ad Sequanam. *Tricasis* Antonino, qui Legionem ibi ponit XXII; *Tricassæ* Ammiano lib. XVI; *Trecassa* Bedæ, *Tricasinum* Nithardo lib. I. de Dissensionibus Filiorum Ludovici Pij, &c. *Trecæ* Sigeberto, Aimoino Monacho, Gregorio Turonensi; *Augusta Trecarum* Herico lib. III. Vitæ S. Germani. Nobilissimus Vir Iosephus Scaliger suis ad me Litteris monet Veteribus *Augustobanam Trecassium* appellatam. *Augustobanam* habet etiam alio itinere Antoninus, apud quem jam dixi esse *Tricasis*. Quum tamen *Augustobona* Antonini uno quidem itinere fere incidat in eum locum; ubi *Tricasis* alia est via; dicendum hanc Vrbem duplex habuisse, quod sæpe fiebat, nomen; vel Transnominationem sensim fuisse factam: quod si verum, certum est, quod vitiose legatur apud Ptolemæum *Αὐγουστόμανα*. In Itineraria Tabula Peutingeriana scribitur *Aug. Bona*. Qui *Campaniæ* quomdam erant, ab hac Vrbe sæpe se *Trecarum* dicebant *Comites*. Episcopalis nunc Sedes, cujus Præsules habet Belleforestius XXCIII. In eorum fuit numero *Lupus* ille conclamatissimus, quem ab suis Virtutibus laudat passim Sidonius Apollinaris lib. VI Epist. I. IV. & I., item lib. IX Epist. XI, ad ipsum scriptis: & lib. VIII Epist. XIV, quæ ad Principium Papam; Carmine quoque XVI. Videndi & Paulus Diaconus in Marciano, Beda lib. I. Histor. cap. XVII, Eucherius de Eremi laudibus, Constantius Presbyter in Vita S. Germani lib. I cap. XIX, & seqq. Vetus Historia S. Lupi. Vrbs ad Sequanam (qui Charearijs hic magno est usui & commodo) in plano sita est, fertilis mercaturæque dedita; Arce potens.

Ditionesque Ivigny.

Ivigny Comitatus Campaniam separat a Burgundia; adhærens Senonibus. Oppidum Primarium *Ivigny*, Iurisdictionem agnoscens Ballivatus Trecensis.

Bassigny.

Bassigny sic nominatur, quod potiorem constituat Inferioris Campaniæ partem. *Bas* Francis *Infra*. Cincta Fluminibus Matrona & Mosa, exiguaque Moseliæ portione, Aquis magis irrigatur, quam hujus Ditionis reliqua. Metropolin habet, cui ab *Cal-*

ab *Calvo Monte* (qui notus Ivoni Epist. cv.) nomen: *Chaumont en Bassigny* vulgo; Baillivatus titulo claram; Arce antiqua, quæ in Rupe sita beneque munita, superbientem: Turris ad Occidentem vernacule *Domon* & *La haulte fueille*. Tribui solent illi (præter *Andomatunum Lingonum*, Vulgo *Langres*; de quo postea) *Montigny, Goeffy, Nogent le Roy, Monteclar, Andelot, Bisnay, Choiseul, Visnorry, Clesmont*; omnia opida non invalida, pleraque Arcibus firmata.

cujus Metropolis *Chaumont*. alia Opida;

Vallense Territorium, *Vallage* vulgo, nomen gerere creditur ab *Vallibus*, quas habet pulcras admodum & fertiles: Partensibus hinc contiguum, inde Barrensibus. Opida primi facile loci *Vassetum*, *Vassy*, ad Blosam, Ditionis Guisiæ. Profectus eo Franciscus, Dux Guisius, anno CIↃ IↃ LXII Vassetianam illam Stragem, ab Gallis Historiographis nobilitatam, in eos, qui Reformatam profitebantur Religionem, edidit Kalendis Martij, multis concisis. Haud procul inde genus Terræ invenitur, ex qua *Bolus* fit *Armenius*. *Fanum S. Desiderij*, *S. Desier*, vel *Didier*; quod expugnatum ab Karolo V Imperatore, pace facta, Gallis fuit restitutum; Arcem habet: *Iani-Villa*, *Ianville*, quod ab Iano fabulantur dictum, Familiæ Guisiæ Apanagium, ut vocant; alijs *Ieanville* scribitur. Visitur ibi Tumulus Claudij Ducis Guisiæ, superba stupendaq; structura, *Baronia* quomdam, cognominata *La Fontaine de Blanche Roche*; instituta ab *Eustathio* Comite Bononio & Bilionæo; cui tres fuerunt Filij; *Gotefredus Bilionæus*, post Avunculi sui Gotefredi Strumosi excessum, Dux Lotharingiæ, primusque ex Christianis Rex Hierosymorum; *Balduinus*, Remorum & Cameraci Præsul; *Gulielmus*, *Iani-Villæ* Baro; de cujus Filij *Gotefredi* Successoribus & Posteris nihil invenio. *Principatus* titulo clarere cœpit tempore Henrici II. In præsentia Dux Iani-Villæ *Franciscus* est, Henrici Ducis Guisij, qui Blesis in cubiculo conspectuq; Regis mandantis Henrici III, anno CIↃ IↃ XXCIIX decimooctavo Kalendis Ianuarij pugionibus est confossus, Filius & Heres unicus. Ab eo dependent Baronatus, qui vulgo *Sully*, aliæque Arces & Pagi. Sunt & in Vallensi Ditione *Montirandelium*, Abbatia insigne; *Domtierant*, *Le Chasteau aux forges*, *Esclaron*, & alia. *Arsy* ad Albam Fluvium Burgum est; Antonino *Artiaca*, ubi Legio XII ab ipso ponitur.

Vallage; in quo *Vassy*. *S. Didier*. *Ianville*. *Montirandel*, & alia. *Arsy* Burgus, olim *Artiaca*.

Hæc de *Inferiore Campania*: succedit *Superior*, quæ vere *Territorium Partense*, *Le Païs de Pertois*: Nomen illi á Burgo, qui vulgo *Perte* ad Matronam; quomdam, ut perhibent, quam nunc, nobiliore. Meminit *Pagi Partensis* Nithardus lib. I. Dissens. Liberorum Ludovici Pij; nisi *Pagus Partensis* ibi tota Partensium sit Ditio. Regio est fertilissima; abundans Frugibus, Lignis, Cannabi. Metropolis illi *Victriacum*, *Vitry*, ad Saltum Matronamque concurrentes; quod ab *Legione Romana Victrice* putatur nuncupatum. Sedes hic Baillivi, cujus Iurisdictio ad XXXV & amplius millia in quadratum sese extendit. Continentur sub eo *Argilliers*, *Lisaincourt*, *Louvement*, & alia Opida.

Superior, quæ proprie *Ager Partensis*, *Le Pais de Pertois*, in quo *Vitry*. *Argilliers*, & alia.

Sic *Campania* quodammodo sit inlustrata per se: Conjacentia designo *Ducatus* quidem *Remensem* & *Lingonensem*: *Comitatus* autem *Catalaunensem*, *Lignensem* & *Motensem*, sui juris, Campaniæque non subjectos.

Principatus sui juris, Campaniæ conjacentes:

Remensis Ducatus (*Duché, Pairie & Archevesché de Reims*) nomen ab Vrbe, quæ Veteribus *Durocortorum* (ut in Melioribus Antonini Codicibus & Itineraria Peutingeri Tabula dicitur) hodie *Reims*. Δουροκόττορον, Ptolemæo; Δουρικόρτορα, Straboni; Δουροκόρτορος, Stephano; *Durocortum Remorum*, Cæsari, apud quem in quibusdam libris *Datocortorum*: Antoninus illi Legionem adscribit XVIII. Vrbs est inclusa, &, ut ita dicam, incorporata Campaniæ, sui tamen juris; unde in antiquis Chartis quasi cognominatur *Reims lez Champaigne*. Archiepiscopum habet, qui Dux Primusque Par Franciæ. Præsules numerat Belleforestus LXXX: quorum ultimus *Karolus*, Cardinalis Lotharingiæ. Hic Galliarum Reges Oleo cœlitus, ut scribunt, misso, inaugurari solent. Portæ nomina adhuc retinent Veterum Deorum *Martis* & *Bacchi*, Dearumque *Cereris* & *Veneris*. Haud procul Vrbe locus est, qui vulgo *Le Fort de Cæsar*.

1 *Ducatus Remensis*, *Duché, Pairie & Archevesché de Reims*, cujus Metropolis *Durocortorum*, hodie *Reims*;

Lingonensis Ducatus (*Duché, Pairie & Evesché de Langres*) Vrbem habet, quæ quomdam *Andomatunum Lingonum*, vulgo *Langres*. Ἀνδομάτουνον, Ptolemæo; *Anteman-tunum* vitiose apud Antoninum; paulo melius *Andematunum* in Itineraria Peutingeri Tabula: Tacito *Lingonum Vrbs*; Gregorio Turonensi, *Vrbs Lingonica*. Episcopalis est, cujus Antistites Duces sunt & Pares Franciæ. Inter Vetustatis monimenta, quæ illic visuntur, non postremi est loci Triumphalis Arcus, in ipsis Mœnibus excita-

& *Lingonensis*, *Duché, Pairie, & Evesché de Langres*; cujus Metropolis *Andomatunum*, hodie *Langres*.

excitatus; Ger[illegible]nici exercitus cæsi haud dubie Trophæum: qui quum pugnandi copiam Cæsari Constantino pene puero fecisset, pro ipsis Mœnibus, & spectante Lingonum Vrbe, obtritus est; sexaginta hominum millibus eo prælio desideratis. Ejus pugnæ pluribus locis exstant etiamnum testimonia, Leonum, Equorum, Virorumque Statuæ, Via regia, quæ ad Sequanos pertinet. Vidend. Guilhel. Paradinus de Antiquo Statu Burgundiæ.

II Comitatus Catalaunensis, Evesché, Comte & Pairie de Chaalon, cujus Metropolis Catalaunum, Chaalon,

Comitatus Catalaunensi (Evesché, Comté & Pairie de Chaalon) nomen impositum ab Vrbe *Catalauno: Cathelaunum* posterioris ævi Scriptores vocant, quæ *Chaalon* hodie, cognomine *en Champagne*. Morboniam istos, quibus *Chaalon à Campis Longus*. Episcopalis Civitas, cujus Præsul Comes est & Par Franciæ. Vrbs ad Matronam plani situs, excelsis decorata Turribus, Pyramidum instar exsurgentibus: Frumento Pannisque linteis Mercaturam exercens.

Lignensis, Comté de Ligny,

Lignensis Comitatus (Comté de Ligny) opidum est *Ligninm*, insignis vetustatis, ad Saltum Fluvium. Abbatia hic in Vertice Montis ad latus Opidi Orientale, cum Fonte admirandæ pulcritudinis.

& Mottensis, Comte de la Motte.

De *Mottensi (Comté de la Motte)* præter nomen, nihil adhuc ad me perlatum. Parum comperta scribere, prorsus à me sit alienum.

III Briensis Ditio, Pays de la Brye,

Cum Campania solet explicari *Briensium (Brionenses* appellantur Nithardo lib. I. de Dissensionib. Filiorum Ludovici Pij) Tractus, Heurepentibus contiguus, *La Brye*, antiquus Comitatus, de quo quædam cap. XXII. De Nomine varie disputant. *Abri* Francis *Vmbram* inter alia notat & *Opacitatem*, locumque, quo Venti non perflant. Quum autem omnia hic valde sint opaca, fructiferisque consita arboribus; nusquam non, si vel Pluviæ ingruant subitæ, vel nimius Solis ardor adurat, umbrosa se offerunt Loca, quorum benificio vel Incolæ, vel Viatores gratam auram captare, seque inopacare, quod Francis *Se mettre à l'abri*, consueverunt. Alij ab *Sicambris*, quos hic volunt habitasse, *κατ' ἀφαίρεσιν* dirivant; quod longe petitum & contra Historiarum fidem. Ridicula quorumdam Etyma prætereo. Initium illi ad *Cretelium* Pagum, haud procul Ponte Charantonio, ubi Matrona Sequanæ committitur: quorum ille Campanos fere, hic Gastinenses à Briensibus separat. Nam quidquid ferme inter duo hæc Flumina est, ad Burgundiæ usque Ducatum, Briensibus adscribi solet. Manet nomen in Opido, quod vulgo *Brye* vel *Bray Comte Robert*, sic dictum à Comite *Roberto*, Briensium quomdam Principe, cui hic erat Domicilium.

In qua, præter alia, Iatinum Meldarum, hodie Meaulx,

Briensium Vrbes *Castellum Theodorici*, *Chasteau Thierry*, *Iatinum Medorum* vel *Meldarum*, *Provinsium* & aliæ. *Iatinum*, Ἰάτινον Meldarum Vrbs, ad Matronam Fluvium, Ptolemæo nota: *Meldarum Civitas* Notitiæ Provinciarum: Hodie *Meaulx*; Præfectura, Vicecomitatus, Sedesque Ballivatus *de Nogent*. Forum, instar Arcis, vidi Matronæ cinctum alveo; Pars una *Briensium* est, altera Valesiorum: Episcopatus item, cujus Præsules apud Bellefforestium CI, ultimus *Ludovicus Bresius*. *Provinsium*, *Provins*, Opidum ab Rosis suave-olentibus, Conditis & Dulciarijs celebre. Quædam hic Antiquitatum Rudera.

IV Archiepiscopatus Senonensis, Archevesché de Sens, in quo Agendicum, Sens hodie.

Adcensetur item huic Tractui *Archiepiscopatus Senonensis, L'Archevesché de Sens*, cum Opido *Pontio*. *Senonum Vrbs* olim *Agendicum*, vulgo *Sens*; ad Icaunam*, qui vernacule *Tonne*. Meminit Cæsar. Ἀγήδικον Ptolemæo; *Agredicum*, & alijs modis, vitiose apud Antoninum; *Agetincum* Itinerariæ Tabulæ. Ad Portam Ædificium est, cui nomen *Carcer Cæsaris*: Extra Vrbem quædam sunt Antiquitatum Monimenta. Stultos vocat suis ad me litteris V. N. Iosephus Scaliger, quibus *Agendicum* censetur *Provins*. Inter eos Marlianus. Vigenereo videtur *Milly en Gastinois*.

CAP.

CAP. XXIV.

Lugdunensis Tractus.

LVGDVNENSIS TRACTVS, *L'Archevesché de Lion.*

LVGDVNENSIVM CIVITATI, ut in Notitia Provinciarum dicitur, *L'Archevesché de Lion, (Le Pais & Seneschaucée de Lionnois)* postremum in Veteri mea Celtica locum occupanti, Limites scribuntur ad Septemtrionem Bressia; ad Orientem Sabaudia: qua Meridiem spectat, Delphinatus est cum Languedokia, qua Occidentem, Forenses jacent & Arverni.

Veteres Incolæ, Segusiani.

Sua hic olim habuerunt Domicilia *Segusiani*. Sic dicuntur Plinio, Veterique Inscriptioni, qui Σεγυσιανοὶ Ptolemæo, Σεγοσιανοὶ Straboni: (alio apud eumdem loco vitiose Ἐργοσιανοὶ nominantur) *Secusiani*, vel, ut alij scribunt, *Sebusiani* Cæsari, *Secusani* Antiquo Lapidi, si fides Hermolao Barbaro: Hodie *Le Pais & Seneschaucée de Lionnois*, uti censet V. N. Iosephus Scaliger: *Nam*, inquit suis ad me Litteris, *Lugdunum est in Segusianis, ut illud alterum in Convenis ad Garumnam. Sed & totus Pagus Forensis, qui hodie* Le Pais de Fores *dicitur, continetur in Segusianis, & vetus Inscriptio exstat in Opido* Furs, *in qua mentio est Fori Segusianorum. Nam à Foro Forenses dicti, & ipsum Opidum* Furs. *Segusianos Bresse* vertit Villanovanus; *Foresiens* P. Saniulianus; *Lionnois* Abrahamus Ortelius: *Sebusianos Brixiam* & *Baugiacum* putat Philibertus Pingonius; *Pais de Bresse* & *Bressantz* Pinetus & Vigenereus; eam Sabaudiæ partem, quæ hodie *Burgo Presso* Scudus: *Sebusianos Bugey* facit magnum Dalechampij Herbarium: *Secusianos* denique *Bellicenses*, vulgo *Bellay*, censet Marlianus. An vero *Segusiani*, *Secusiani*, & *Sebusiani* varij sint Populi, disquirendum alijs relinquo. *Segusianos* Plinius vocat *Liberos*: *Secusiani* Cæsari *Aeduorum* dicuntur *Clientes*, & *extra Provinciam Primi*.

Metropolis Lugdunum, olim *Lion*. Varia Nomina.

Caput hujus Tractus ad confluentem Ararim cum Rodano (κατὰ τὴν συμβολὴν τοῦ τε Ἄραρος ποταμοῦ καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ, inquit Strabo lib. IV.) *Lugdunum* est. Sic amplissimam, ornatissimam, florentissimam Vrbem nominant Tacitus, Plinius, Antoninus; & qui Latinorum Scriptorum non? Λούγδουνον Straboni, Ptolemæo, alijsque Græcis: Λούγδουνα Stephano. Notat Dio Λουγούδουνον prius, postea Λούγδουνον appellatum: *Lugudunum* sane in Antiquis ejus loci Lapidibus non semel animadverti: Testantur idem alij de Numismatibus. Plutarchi libellus de Montibus & Fluminibus in voce Araris tradit *Civitatem* Λούγδουνον vocari; *Montem* autem, cui insidet, Λούγδουνον: Historiam adducens de Nomine, deque Origine fabulosam, Rationesque prorsus frivolas & ridendas. Vetus nomen hodie, sed contractius, servat. Ludunt enim, qui in vulgata appellatione *Lion*, *Leonem Gallicum* quærunt. Paradinus in sua Lugdunensi

Historia, quam Gallice edidit, docet ab Livio & Plutarcho *Insulam* vocatam; inque vetustis Inscriptionibus *Civitatem Sequanorum* dici. Memorat idem ab Sidonio lib. I. epist. V. *Rodanusiam*, *Arariam* item cognominari in Historia S. Lupi, Præsulis Lugdunensis: ab Fluminibus eam, ut cap. IX. scripsi, interfluentibus. *Ornamentum Provinciarum* audit apud Plinium in Epistolis: *Nobilissima* Gregorio Turonensi, ex eo, quod Martyrum sanguine fuerit inlustrata. Fuisse dicuntur XVIII millia; eorumque laniena facta, Antonino Vero Imperatore, quo loco nunc Athenatense visitur Templum. Consulenda Historia Ecclesiastica. Nomen dirivant quidam ab *Lugere*, quod illi proprium fuit post fatale Incendium, de quo post: nonnulli ab *Lucere*, quod in Monte, tamquam Specula, longe lateque luceret: alij ab *Lugdo* Celtarum Rege. Maccis & Bucconibus sua linquenda. *Vetus* Itinerarium à Burdigala Hierosolymas usque, quod Pithœo debemus, in fine *Lugdunum Desideratum Montem* interpretatur, Idiomate proculdubio Veterum Gallorum: cujus penitiora scrutati, sunt qui diducunt ab Voce *Luck*, quæ hodieque Gallis Belgis, Germaniæque Inferioris Populis pro *Fortuna* in usu, ut *Lugdunum* fuerit, *Fortunæ* quasi dicatus *Mons*. Ericus Monachus lib. IV. de Vita S. Germani in *Lugduno* dictionem *Lucht*, quæ Gallorum Belgarum Lingua *Lucem* sonat, agnoscere videtur:

& Epitheta. *Vnde dictum.*

Lugduno celebrant Gallorum famine nomen
Impositum quomdam, quod sit Mons Lucidus. ——

Dunum sane antiquis Gallis *Montem* esse, dixi cap. XV. *Montis Lugdunensis* etiam meminit Petrus Arvernus Cluniacensis Abbas lib. IV Epist. II: *At postquam de Vivarensium colle ad Lugdunensium Montem divina Dispositio te transtulit.* Sic Seneca in Ludo Claudij:

Vidi duobus imminens Fluviis Iugum.

Aër. *Montem* hunc Adcolis crassiorem caussari Aërem innuit apud Sidonium lib. I. Epist. VIII Candidianus: *Nebulas ergo mihi meorum Lugdunensium exprobras, & diem quereris nobis matutina caligine obstructum vix meridiano fervore reserari? Et tu ista hæc mihi Cesenatis furni potius, quam Opidi Verna deblateras?* Sic etiam apud Strabonem Λούγδουνον ἐκτισμένον ὑπὸ λόφῳ. Quis Vrbis conditor, incertum. Amplificavit & ex Monte, qui primo habitatus, in planiora loca Pomerium produxit *L. Munatius Plancus*: *Colonia* in eam Augusti principatu ducta; anno Vrbis IↃCCXI. Testatur Inscriptio, quæ Cajetæ in Neapolitanorum Agris reperta dicitur:

Colonia.

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS. COS. IMP. ITER. VII. VIR
EPVLON. TRIVMPH. EX. ROETIS. AEDEM. SATVRNI
FECIT. DE. MANVBIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA
BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT
LVGDVNVM. ET. RAVRICVM

Privilegia. *Coloniam* etiam nominant Tacitus lib. I Historiar. & Plinius lib. IV cap. XVIII natur. histor. In vetere quadam Inscriptione lego COL. AVG. LVG. Ab eo tempore semper cum primis Galliarum Vrbibus censeri solita, dignaque habita, quæ cum Vicinis Inmunitate gauderet. Nam *Segusianos Liberos* vocat Plinius lib. IV cap. XVIII, & *Lugdunenses Gallos* cum *Viennensibus Iuris Italici* facit Paulus IC. lib. I. Digestor. Tit. XV. cap. ult. Digna item, ex qua totius Galliæ Itinera ab Agrippa distinguerentur; cui Ius Monetæ cudendæ tribueretur; in qua Gallorum omnium Tributa & Vectigalia colligerentur. Digna denique, ubi *Templum* ad Confluentes Ararim & Rodanum ab omnibus Galliæ Civitatibus in honorem Augusti cum formidanda illa ineptis Scriptoribus *Ara* exstrueretur. De *Templo* sane Strabo lib. IV: Τό τε ἱερὸν τὸ ἀναδειχθὲν ὑπὸ πάντων κοινῇ τῶν Γαλατῶν Καίσαρι τῷ Σεβαστῷ, πρὸ ταύτης ἵδρυται πόλεως, ἐπὶ τῇ συμβολῇ τῶν ποταμῶν. *Ex huius Templi ruinis*, inquit Paradinus de Antiquo Burgundiæ Statu, *concreta est illa Summi Templi structura: quod Ioannis Burgundiæ quomdam Regis Opus dicitur, ut ex antiquis marmorum ruderibus Saxorumque Inscriptionibus conjicere licet.* *Ara* varijs Scriptoribus nota. Augusto dedicatam, Iulo Antonio Africano & Q. Fabio Maximo Coss. anno ab V. C. IↃCCXLIV, memoriæ prodit Suetonius in Claudio cap. II. Sic ad ea tempora Epitoma Livij lib. CXXXVII. *Ara Cæsari ad confluentem Araris & Rodani dedicata.* Ad eam vivente adhuc Augusto, ut scribit Dio sub finem lib. LIV, Ludi celebrabantur; addens eos sua quoque ætate perman-

Templum Augusti. Ara ejusdem.

permansisse. Caligulam Certamen ibi quoque instituisse Græcæ Latinæque facundiæ, scribit idem Suetonius in ejus vita cap. XX. *Quo certamine*, inquit pergens, *ferunt Victoribus præmia Victos contulisse, eorumdem & Laudes componere coactos; eos autem, qui maxime displicuissent, Scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut Flumine proximo mergi maluissent.* Respicit eo Iuvenalis:

Palleat ut nudis pressit qui calcibus anguem:
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad Aram.

De hac *Ara* Strabo; Ἔστι δὲ βωμὸς ἀξιόλογος ἐπιγραφὴν ἔχων τῶν ἐθνῶν ξ τὸν ἀριθμὸν, καὶ εἰκόνες τούτων ἑκάστου μία, καὶ ἄλλος μέγας. Hujus *Aræ Sacerdotem* edit Inscriptio, quæ in ipsa Vrbe ad Murum Templi vetustissimi Divi Petri.

IOVI. O. M.
Q. ADGINNIVS. VRBICI
FIL. MARTINVS. SEQ
SACERDOS. ROMÆ. ET. AVG
AD. ARAM. AD. CONFLVENTES
ARARIS. ET. RHODANI
FLAMEN. II. VIR. IN. CIVITATE
SEQVANORVM

Quid jam dicam de reliquis, quas ibi & nunc est legere, *Inscriptionibus*? Superat omnes Tabula ærea, quæ Claudij Imperatoris Orationem continet super Civitate Gallis danda. Legitur cum apud alios, tum accuratissime descripta apud Iustum Lipsium, & in Commentario ad XI Annalium Taciti, & in Auctario, quod Vir Magnus adposuit Thesauro Inscriptionum Martini Smetii. Priscam ejus Magnificentiam testantur passim *Templorum*, *Arcuum Triumphalium*, *Aquæductuum*, & alia Antiquitatis Monimenta. *Fori Veneris* memoriam servari ajunt in *Forviere*. Ab ea Vrbe nobilissima Galliæ Pars in quinque distincta quomdam est *Lugdunenses* I, II, III, IV, V; uti in Notitia Provinciarum Galliæ, de qua supra, est videre. Igne Fatali miserandum in modum suo tempore exustam conqueritur, Cladem que inde acceptam deplorat epistola ad Lucilium XCII Seneca. Accidit centesimo anno ab Colonia deducta, eodem Seneca observante. Solatium isti calamitati adhibitum ab Nerone, septimo post Incendium anno. Legendus Tacitus lib. XVI Annal. Quum ejus Mœnibus se continuisset Albini exercitus, ab Imperatore Severo obsessa, brevi post capta, direpta, iterumque incensa fuit: uti refert Herodianus lib. III. *Lugdunum* Philippus Pulcher Francorum Rex Pontificis jussu Ditioni suæ adjecit, scribente in Annalibus Papirio Massonio. Vrbem hanc magna cum voluptate conspexi superioribus annis amœno commodoque sitam loco; natura fere inexpugnabilem: ab una parte duobus munitam Collibus, ijsque fructiferis, ab altera totidem beatam Fluviis, Arari, Rodanoque: Templorum Ædificiorumque, cum publicorum, tum privatorum magnificentia superbientem; opibus & mercatura supra modum florentem: ut celeberrimum facile sit hodie totius Galliæ Emporium, Regnique Cor & Clavis instar, qua Aditus recluduntur in Italiam, Germaniam, aliasque Provincias: confluentibus eo ad publicas Nundinas solenniter, & ex condicto quasi, quater singulis annis undique variarum Gentium Mercatoribus. Regnante Karolo IX, quum tota arderet Bellis Civilibus Gallia, Arcem futuris Motibus averruncandis, invita satis, accepit. Sedes est cum Archiepiscopalis, cujus Præsules Belleforestius recenset CII, quique, ut antea dixi, Primates se gerunt Cleri Gallicani; tum Præsidialis & antiquus Seneschallatus, cui subsunt *Territoria Lugdunense*, *Forense*, *Matisconense* & *Bellololesium*; quæ postea nonnihil mutata. *Ecclesiam Lugdunensem* Bernardus Abbas Clarevallensis hoc celebrat Elogio: *Inter Ecclesias Galliæ constat profecto Lugdunensem anteire, sicut dignitate Sedis, sic honestis Studiis & laudabilibus Institutis. Vbi enim æque viguit Disciplinæ Censura? Morum Gravitas? Maturitas Consiliorum? Auctoritatis Pondus? Antiquitatis Insigne? Præsertim in Officiys Ecclesiasticis haud facile umquam visa est repentinis Novitatibus adquiescere, nec se aliquando juvenili passa est decolorari Levitate.* Lugdunensis Episcopus fuit aliquando *Ireneus*, Græcus Scriptor: cujus exstant Libri V contra impias Veterum Hæreticorum opiniones. De Antiquitate & Origine Vrbis Lugdunensis Virisque ejusdem inlustribus, cum Episcopis, tum alijs (inter

Inscriptiones.

Magnificentia priscæ indicia.

Incendia.

Iuris Francici factum Lugd.

Quale nunc quantumque Lugdunum.

Ecclesiæ Lugdunensis laus.

quos *L. Plotius Gallus*, qui primus Rhetoricam Romæ professus est, teste Suetonio, & à quo cum Q. Fratre Latine primum se doctum refert M. Cicero) plene scripsit Symphorianus Champerius Lugdunensis Medicus. Adeundus & Gulielmus Paradinus de Statu Antiquæ Burgundiæ.

Cap. XXV.

Bituricensis Tractus.

REGIONES, quæ in *Belgia Celticaque* Veteri Iurisdictionem nunc agnoscunt Parlamenti Parisiensis, perlustravi: succedunt quæ ejusdem sunt conditionis in *Aquitania*; in Prima quidem *Bituricum*, *Borbonium*, *Pictonium*, Agerque & *Inculismensis* & *Alnisiensis*; Secunda vero *Auvernia*.

BITVRICVM, *Duché de Berry.*

BITVRICVM vel BITVRICENSIS DVCATVS, *Duché de Berry*, cum alijs, tum Pecore abundat, quod ab Incolis per universam distrahitur Galliam. Infinitus hic Opidorum, Burgorum, Pagorum, Saltuum, Montium, Pratorum, Pascuorum, Rivulorum, Fontium, Vinetorum numerus. Ab Septemtrione Soloniam Inferioris Belsiæ partem; à qua Caris fluentis disterminatur; ad Orientem Hurepentes, Nivernenses, & Borbonios respicit, constituente hic Limitem Rivulo, cui nomen *La Faye*: qua Meridies est, Lemovices habitant, ubi *Croure* fluit; qua Occidens, Pictones & Turones, à quibus Fluviolo, qui *Clery* vulgo, separatur.

Eius Qualitas, Fines,

Veteres Incolæ, *Bituriges Cubi.*

Domicilium hic olim fuit *Biturigibus*, quos Κύβους scribunt cognominatos Strabo, Ptolemæus, alij. *Bituriges* enim Galliæ Populi, duplices erant, cognomentis distincti, *Bituriges Cubi*, quorum Metropolis *Avaricum*, Primæ Aquitaniæ; *Bituriges Vibisci*, aut *Vivisci*, quis, ut postea dicam, primaria Vrbs *Burdigala*, Secundæ Aquitaniæ. Vtraque Civitas libera sub Romanis, teste Plinio. *Civitas Bituricum* vel *Beturigorum* Notitiæ Provinciarum, in Aquitania Prima vel Sexta Viennensi. De Gentis appellatione multa Ioannes Calamæus (*Chaumeau*) qui *Biturigum* Historiam sex libris complexus est. Esse apud hos Populos magnas Ferrarias testantur Cæsar lib. VII & Strabo lib. IV. Sic Rutilius lib. I:

Non Biturix largo potior Strictura Camino.

Metropolis, *Avaricum*, hodie *Bourges.* Varia Nomina.

Metropolim habet *Avaricum*: sic Cæsar, sic Antoninus, sic alij, qui paullo humaniores, vocant Vrbem, quæ nunc vernacule *Bourges.* Stultos dicit in suis ad me litteris Iosephus Scaliger, qui esse putant (inter eos video Marlianum & Petrum San-Iulianum) opidulum Bituricensis Diœceseos nomine *Vierzon*, vel, ut quibusdam scribitur,

bitur, *Viarons*. *Biturigæ*, Ammiano lib. XV sub finem, Gregorio Turonensi lib. I. cap. XXXI. & lib. VI. cap. XXXI. Bedæ XVIII Kalend. Febr. & V Eid. Nov. Vsuardo IV Eid. Ianuar. XIII Kal. Iunij, IV Eid. Oct. & V Eid. Nov. *Biturica* eidem Gregorio Turonensi lib. II. cap. XVIII; *Bituricæ*, Sidonio Apollinari lib. VII epist. V: *Biturigæ Vrbs* eidem Turonensi non semel: *Bituricа Civitas* Bedæ dicitur IIII Nonas Julij & Vsuardo ibidem. *Avaricum* quidam volunt dictum ab *Eura* flumine, quo adluitur. Locatam hanc Vrbem aliquando ipse notavi in Agro perquam amœno; qui non modo Frumentorum omnium & Leguminum, verum etiam Vinorum præstantissimorum, Pecorum, Piscium, Volucrum, & quorumcumque Fructuum feracissimus. Quatuor beata est Rivulis, qui vulgo *Aufren*, & *Aurette* ab una; *Ture* & *Molon* ab altera fluentes parte. Quis condiderit, ut pleraque alia Opida, incertum est. Veteris paullo sequior, quam Hodiernæ, Vrbis fuit situs. Ad Paludes scilicet vergebat, cujus etiam nunc cum admiratione visuntur Muri, propemodum integri, solidissima materia, ut passim Veterum Romanorum Opera, constructi: initium capiunt ab Turri, quam *Magnam* vocant, pergentes per medium D. Stephani Templum, Plateam D. Ioannis Campestris, Portamque Gordianam usque ad Novam, cui olim ab S. Andrea nomen; inde per Plateam Amphitheatri, vulgo *des Arenes*, se ad Portam Turonensem extendunt; hinc autem, porrecto ambitu versus Portam D. Paulli, paullatim Turrim, quam dixi, repetunt. Postea prolatis varie Pomerijs ita fuit hæc Vrbs amplificata ab Karolo Magno & alijs; ut jamnunc cum maximis & munitissimis Galliæ Civitatibus contendat; Formam habens oblongam, amplissimam & spaciosissimam. Munita est octoginta editis crassisque *Turribus*. Inter eas principem tuetur locum, quam antea *Magnam* dixi appellatam, *La grosse Tour*, ab insolita crassitudine, Minoribus undique Turribus Muroque & Fossis profundissimis, Philippo II Augusto Galliarum Rege circa annum CIↃCXC. curante, cincta: Forma est rotunda, magnæ altitudinis. Aliam omnino similem fuisse ajunt, sed dirutam; à binis Turribus *Biturigibus* nomen inditum fabulantes. Et laudat antiqui Grammatici Carmen Calamæus:

Turribus à binis, inde vocor Biturix.

Avaricum unde dictum. Situs. — Rivi adfluentes. — Veteris Vrbis Ambitus. — Hodiernæ Forma. — Turres.

Hæc talia patior alijs persuasa magis, quam mihi. Septem habet Vrbs *Suburbia*, totidemque *Portas*, præter Minores aliquot, quæ hac ibi flagitanti sunt factæ Necessitati. Ingruente ab hostibus metu, quatuor tantum patent; *Burbonia*, *S. Privati*, *S. Sulpicij* & *Aronia*. Septemdecim sunt *Ecclesiæ*, quas *Collegiatas* vulgo vocant: Septemdecim *Parochiæ*: Quatuor *Mendicantium Ordines*: duæ *Virorum Abbatiæ*; una *S. Sulpicij*, potens & dives, extramuranea; altera intra Vrbem *D. Ambrosii*, valde etiam dotata: tres *Mulierum*; prima *Nuntiade* vulgo, in honorem *D. Virginis*; altera *D. Laurentij*; tertia *Sororum Mendicantium D. Claræ*. *Artes* hic florent *Mechanicæ*, cum primis *Textrina*; & ab ea, *Mercatura Pannaria*. Annuas habet *Nundinas* valde celebres, *D. Laurentii*, *D. Lazari*, *D. Martini*, *S. Vrsini*, & alias. Exstructum ibi non ita pridem fuit à pio Magistratu *Ptochodochium*, Pauperibus alijsque Adflictis alendis consecratum. Inter splendida *Aedificia*, quorum magnus semper hic fuit numerus, primum agmen ducit *Domus Iacobi Cordi*, qui vixit tempore Karoli VII, superba & sumtuosa; Dominos, quum ibi essem, agnoscens Alba-Spinæos. Sunt & *Ædes Almannorum*, qui quomdam Regiæ Gazæ præfuerunt, antequam Nundinæ, quæ ibi maximo Peregrinorum concursu celebrari solitæ, Lugdunum transferrentur anno CIↃCCCCXCVII. Hæc Vrbs *Archiepiscopali* fulget *Sede*, cujus Præsules numerat nominatque Belleforestius XCVII; postremum *Antonium Vallatum Parisiensem*. Sua floret *Academia*, cui nulla per totam Galliam par; Doctissimorum Virorum genitrix & Emporium. Viget in ea maxime *Iurisprudentia*, quam ibi professi sunt Professores excellentissimi, *Andreas Alciatus*, *Eguinarius Baro*, *Petrus Rebuffus*, *Franciscus Duarenus*, *Franciscus Balduinus*, *Antonius Contius*, *Hugo Donellus*, & alij; meo vero tempore *Iacobus Cujacius*, Vir omni laude superior. Infinita monstrantur Avarici cum intra, tum extra Muros Veterum Ædificiorum elaborati operis & materiæ præstantis Rudera: multa & quotidie eruuntur, præsertim ex Fossa Arenarum, uti vocant; ubi quomdam *Amphitheatrum*. Vrbem maximæ non semel Calamitates adflixerunt. Quinquies & amplius expugnata ab hostibus, fere funditus diruta fuit, incendioque absumta; sed magnificentius semper restaurata. Recepisse se in eam scribitur Karolus VII, pressus

Suburbia, Portæ. — Ecclesiæ Collegiatæ, Parochiæ, Abbatiæ; — Artes Mechanicæ; Nundinæ; — Ptochodochium, Aedificia. — Domus Iacobi Cordi. — Ædes Almannorum. — Archiepiscopatu gaudet. — & Academia. — Antiquitates. — Calamitates.

Locus Castrorum Vercingentorigis.

pressus ab hostibus, bello Anglico; nominatus ab Adversarijs, quod ea una & sola ipsi superesse videretur, *Rex Biturigum.* Prope *Bituriges* inter Vicos *Solange* & *Nohant,* locum monstrant Incolæ, quo *Vercingentorix* Castra sua posuerat contra Cæsarem, qui opidum obsidione cinxerat, ut eum inde moveret.

Ducatus Diœceses sunt. Præfectura Bituricensis, sub qua

Est autem Avarici summum totius Ducatus Tribunal, cui præsidet Monarcha Biturigum, qui vulgo *Le Baill. de Berry.* Ad hunc devolvuntur omnes Appellationes cum à Prætore Vrbano, tum ab omnibus finitimorum aliorumque Territorij Bituricensis locorum Magistratibus. Habet autem Præfectus Bituricensis sub se Metropolim ipsam *Avaricum* & v Diœceses, quas vulgatis nominibus exprimam, ne mea translatione obscurentur, *Yssoudun, Dun le Roy, Vierzon, Mehun, Concressault.*

I. Comitatus Sancerre,

Metropoli, de qua abunde dictum, adcensentur Comitatus *Sancerre* & *S. Aignan;* Baronia *Montfaulcon;* Castellaniæ, ut loquuntur, fere XL. *Sancerram* quidam arbitrantur dictam ab *Cerere,* quæ ibi culta perhibetur; tamquam *Sacrum* vel *Sacellum Cereris.* Doctiores Latine scribentes hujusmodi Etymologiam aversati *Xantodorum* vocant. Comitatus gaudet titulo, qui anno CIↃ XV permutatus cum *Belovacensi.* Rogerius namque Præsul Belovacensis Eudoni Campaniæ Comiti pro Comitatu *Belovacensi* tradidisse legitur in Historijs *Sancerranum.* Artissimam sustinuit Sancerra Obsidionem anno CIↃ IↃ LXXIII: Famem passa tam sævam, ut post devoratos avide Canes, Feles, Equos, Glires, Mures, Talpas; post consumta Cornua, Corium, Pergamenas, & similia, ne excrementis quidem Carnibusque humanis fuerit parcitum. Parent ipsi Castellaniæ sive Municipalia Magisteria, *Sancergues, Beaufeu, Chapelle d'Angillon, Le Chastel de Boucard, Sauonges, Tarenay, Verdigny, Menesme, Charentonnay, Boec,* & aliæ.

& S. Aignan.

S. Aignan nomen habet ab S. Aniano Episcopo, de quo antea dixi ex Sidonio, Idacio, alijs.

II. Baronia Montfaucon,

Baronia *Montfaulcon,* Latine sonans *Montem Falconis,* complectitur Dominia *Baugy* & *Gron:* item *La Fane, Lyuron, Cony, Villabon, Seny, Marcilly, Marnay, Farges, Avor, Suigny, Percigny, Cru, Lassay, Bouboson, Nuissement, Villiers, Compoy.*

III. Castellaniæ paullo minus XL:

Castellaniæ denique nominantur: *Ays d'Angillon, Sury en Vaux, S. Soulange, S. Palais, La Salle du Roy, Bueil, Quantilly, Fomorigny, Franche-Ville, La Chapelle, Nançay, Drye, Leureux* (*Leprosus Vicus* Gregorio Turonensi; opidum probe Muris cinctum) *Beaulieu, Brecy, Bengy, S. Pleurant, Neufuy sur Baranjon* (vel, ut nonnullis scribitur, *Berenion;* quidam putant esse *Noviodunum Biturigum,* cujus meminit Cæsar lib. VII. de Bello Gallico) *Morthonnier, Marmaignes, Maubranches, S. Vrsin, Tillay, Bruiers, Vatan* (Arcem habet) *S. Satur, Lury* (antiquum cum Arce Opidum, cujus Iurisdictioni etiam, quæ se extendit ad Carim usque Fluvium, alia subjacent Opida) *Estrechies, Mantpas, Ville-neufue, S. Crapaix, Asselly, Iussy le Chaudrier, La Corne, Les Chaizes, Vaurilles, Les Cloyes, Bouges.*

Hæc de ipsa Metropoli latissimaque ejus Iurisdictione: succedunt explicandæ paucis reliquæ Diœceses.

Yssoudunensis, sub qua I Baronia Chasteauroux.

Yssoudon Regia Civitas & Ballivatus, qui sub se habet Baronias aliquot, & Castellanias supra XX. Baronias quidem, *Chasteau-roux,* *Castellum rufum* sonat Latinis: opidum insigni Arce ornatum; in Comitatus decus ab Karolo IX Francorum Rege erectum, ut Baroni gratificaretur Aumontio, cujus Filius natu maximus *Comitem* se gessit Primum *Castelli Rufi.* Is antea *Dominus* audiebat *Estrabonnæ.*

Graçay, S. Seuere; Lynieres. & Argenton

Sequuntur inde *Graçay,* cui Arx, *S. Seuere, Lynieres,* cui adnexa est Castellania *Rizay; Argenton,* in qua *Ravennes* Seneschallatus & *Seraignet* Præfectura. *Argantomagus* autem hoc putatur Antonini & Itinerariæ Tabulæ. Opidum est cum Arce, cui Turres decem; Maiores septem, tres Minores, quarum una dicitur *Heracly,* in qua Tauri effigies, cui insculpta Cæsaris illa, VENI, VIDI, VICI. Dominos agnoscit Montpenserios. Antiquitates, quæ quotidie ex Terræ Visceribus exturbantur, vetustum esse loquuntur.

II Castellaniæ circiter XX.

Castellaniæ vero numerantur *Boussac, Chasteau Meillant, Mareul, Neuffy S. Sepulcre, Rully, Paudy, Massay, Cahors, Lerouse, Chastelet, Massenure, Augurande, S. Chartier, le Palleteau, Pommieres, Moche Fully, Voullon, la Ferte, Nohant, Ville Dieu; Chastre, Castra* Latine, opidum validissimum, firmis cinctum Muris, Turresque habens fortes, Fossas profundas, Arcemque insignem: nunc Comiti subest Castri-Rufi: *Charroux* denique, Opidum inter Avaricum & Yssoudunum, quod ex multis indicijs satis paret antiquum esse.

Hæc

Hæc de *Yssoudunensi Diœcesi*; tertio loco nominavi *Dunum Regium*, vernacule *Dun le Roy*. *Dunum* quid sit, alibi dictum. Hujus Tribunalis Iurisdictio late etiam se extendit. Subsunt illi Castellaniæ præter alias, *Pra dict Callaut*, Baronia; *Chasteau-neuf*, ad Carim, *S. Iulian*.

Dunum Regium, sub quo Castellaniæ variæ

Sequitur *Vierzon*, Civitas Regia & Diœcesis; sub se habens Dominia, *Champre*, *Motte d'Aisy*, *Saragosse*, *Brinay*, *Mery*.

Virzonium, cui varia Dominia:

Succedit inde *Mehun*, *Milidunum* vel *Milidunum* apud Aimoinum: *Mediolanium* Antonini quibusdam, nescio quâ bene. Ius dicit Castellanijs *Loue* & *Forcy*, alijsq; fortean.

Milidunum, cui suæ sunt etiam Castellaniæ:

Postremo posui loco *Concressault*, vel, ut alij scribunt, *Concoursault*. Latine nonnullis redditur *Concordiæ Saltus*. Burgus est Habitatore frequens. Arcem habet situ opereque inexpugnabilem. Subsunt ejus Iurisdictioni *Vailly*, *Clemon*, *Beau-jeu*.

Concressaultum in alia quoque suas extendens Iurisdict.

Principatum apud Francos Hugone Capeto tenente, *Bituri gibus* præerat nomine regio *Gotefredus*. Ab eo originem traxisse perhibetur *Harpinus* is, qui ab Rege Henrico I emit *Comitatum Biturigum*. Hic non multo post accingens se ad expeditionem Palæstinæ cum alijs Principibus, eundem Coronæ uniendum vendidit *Philippo* I. Aliquot post annis Apannagii jure *Comitatum*, in *Ducatus* dignitatem tunc evectum, obtinuit à Patre *Ioanne Valesio* Francorum Rege *Ioannes Valesius*: quo sine Prole mascula mortuo, Ducatus ad Regnum rediit. Adsignatus est postea *Ioanni* Karoli VI, qui numerosa prole gravatus erat, Filio. Hic, quum ἄπαις obiisset, successorem reliquit *Karolum* Fratrem, qui Rex Francorum inauguratus Sponsalibus, quæ inter Henricum Angliæ Regem & Katharinam ipsius Germanam contracta jam ante fuerant, insuperhabitis, quum ei major Regni pars ab Anglis esset erepta, per ludibrium *Biturigum Rex* fuit appellatus. Patri Karolo subrogatus est *Karolus*, Ludovici XI Francorum Regis Frater. Post eum *Margareta*, Regis Francisci Soror, nupta primo Karolo Alençonio Duci, deinde Henrico Albretano Navarræ Regi, *Ducatum Biturigum* ab Fratre in Vsum-fructum accepisse scribitur. *Margareta* denique, eiusdem Francisci Regis Filia, *Bituriges* accepisse traditur ab Fratre Henrico II, quum nuberet Emanueli Philiberto Allobrogum Principi.

Biturigum Comites, & *Duces*.

Cap. XXVI.

Borbonius Tractus.

Borbonii, *Le Pais & Duché de Bourbonnois*, qua Corus est Occidensque, Bituriges & Lemovices habent conterminos; qua Septemtrio, Nivernenses: ad Orientem Burgundi fere jacent, ad Meridiem sunt Lugdunenses.

BORBONIUM, *Pais & Duché des Bourbonnois*.

Putantur hic olim suæ fuisse Sedes Populis, quos *Boios*, Æduis adtributos, nominat Cæsar lib. I. de bello Gallico; quorumque Opidum *Gergoviam* dicit lib. VII: ubi etiam *Boiæ*, Boiorum proculdubio Opidi, fit mentio. *Segusianos* quoque totum Pagum Forensem, qui hodie *Le Pais de Forez*, habitasse antea monui, quum de Lugdunensi agerem Territorio; addam nonnihil paullo post.

Ejus Fines. Veteres Incolæ, *Boii* & *Segusiani*.

Totum hoc Territorium, ut multa alia Conregionalia, Aquitaniæ quomdam Regibus paruisse scribitur. Postea suos habuit Proceres, qui ab non postremæ dignationis Opido *Borbonij* audiebant. Eorum postremus legitur *Archibaldus*, cui unica fuit Filia & Heres *Agnes*. Hæc nupta Ioanni Burgundiæ Duci, *Beatrici* Filiæ, quam ex eo susceperat, quum eam Roberto, Ludovici IX Filio, elocaret, Borbonium Dominium in dotem dedit, cavens ut nomen Vxoris, id est Borboniæ Gentis (sic enim illud ad Posteros studebat transmittere) gereret. Quod factum. *Robertus* igitur Ludovici IX, qui in Sanctorum relatus numerum, Filius Borboniorum porro fuit Progenitor. Filius enim illi fuit *Ludovicus Magnus* cognomine, quem Philippus VI Valesius primum Borbonij Ducem fecit anno CIↃ CCCXXIX, aut circiter. Hunc sequuti sunt recta linea *Petrus* I (cujus Frater *Iacobus* Marchiæ Vendomæque Comites produxit) *Ludovicus* II, *Ioannes* I, *Karolus* & *Ioannes* II. Huic, licet Trigamo, improli tamen defuncto, successit *Petrus* II; cujus Filia Heresque *Susanna*, nubens *Karolo Borbonio*, Mompenserio Comiti (*Gilberti* Borbonii Filio, *Ludovici* Nepoti, *Ioannis* I, de quo dixi, Ducis Borbonii, Comitis etiam Mompenserij & Arverniæ Delphini, Pronepoti) Maritum suis nuptijs *Borbonij* fecit *Ducem*. Hic ille

Principes Borbonij.

Karolus,

Karolus, qui Franciæ Comestabilis, facta ab suo Principe Francisco I Galliarum Rege defectione, ad Karoli V Imperatoris Partes transgressus, Romam ejus auspicijs oppugnans, plumbeaque glande anno CIↃ IↃ XXVII pridie Nonas Mai trajectus, Victoriæ suæ caruit fructu. Post *Susannæ* Conjugis obitum, Rege *Borbonium* sibi vindicante, Vendomæ Duces Arma sibi nudumque Titulum Cognationis jure retinuerunt; de quibus alio loco.

Borbonius Tractus duplex, *Inferior* in quo cum Opida. *Molinum.*

Borbonius porro *Tractus* hodie Geographis Franciæ duplex describitur, *Inferior* & *Superior*.

Inferior comprehendit Vrbes ipsas, duosque Comitatus. Quod ad Vrbes, Metropolis totius Ducatus censetur *Molinum*, opidum ad Flumen, quod Cæsari *Elaver*, hodie *Allier*, ut alibi docui: Antiqua Ducum Sedes; post autem Domus Deliciarum, amœnissimusque Regum Franciæ Secessus. Sunt qui putant *Gergobinam* Cæsaris esse; sed vide quæ dicam cap. sequenti: Arce superbit *Molinum* perquam elegante: cui Hortus conjacet nitidissimus, Aureorum etiam Citreorumque Pomorum ferax. In quodam Arcis Xysto videre est Ducum Borboniorum ad vivum effigies, eorumque Genealogiam. Augustissimum quoque hic conspexi Fontem. Reliquæ Vrbes Opidaque sunt *Borbonium*, *Borbon*, antiquitate clarum; dignumque quomdam habitum, quod nomen daret Provinciæ; *Boia*, quorundam judicio, Cæsaris lib. VII. Arcem habet validissimam & Thermas: *L'Archimont*; *Montmeraut*; *Cosne*, cognominatum *en Bourbonnois* ad Ligerim, Arce præditum, Territorio suo, quod Pecori pascendo idoneum, reliqua superans, *Montlusson*; *S. Porcin*, cujus Ager præstantia producit Vina, (de hujus tamen jure disceptatur: quidam enim Arverniæ adscribunt) *Cusset*; *Chancelle*; *Charroux*; *Vernueil*, Vinis suis celebre; *Varennes* ad Elaverem Opidum clarum; *Gannat* Arverniæ conterminum; *Le Mont aux Moines*: *Souuigny le Comté* ou *aux Moines*; *La Palisse*, insigni superbiens Arce, *Erisson*; *Sanceings*; *S. Pierre le Monstier*; *Ainay le Chasteau*, sic cognominatum ab Arce; *S. Amand*; & alia. Hæc de Vrbibus opidisque: Comitatus sunt duo, qui vulgo *Beau-jolois* & *Forest*. Prior *Bello-Iolesius* complectitur quidquid est inter Ligerim & Ararim, situs Orientem versus inter Forenses & Burgundos: Antiquum *Borboniorum* Patrimonium. Vrbs primaria vernacule dicitur *Beau-jeu*. Alter nomen habet non ab Silvis Saltibusque, ut quidem vox videtur sonare; sed ab *Fori* nomine, de quo mox. *Forenses*, sic enim Populos nominem, versus Septemtrionem Borbonensibus germanis suis objacent; ad Occidentem Arvernis; qua Meridiem spectant, Lugdunenses habent confinales; qua Orientem, Bello-Iolesios. Præfuerunt quomdam *Comites*, ex quorum etiam stirpe prognati *Bello-Iolesii Proceres*. Celebratur Francorum Historiographis *Comes* quidam *Lugdunensis*, Foresii, ut cum vulgo loquar, & *Bello-Iolesii*, cui tres fuerunt Filij, *Arthauldus Comes Lugdunensis*, *Stephanus Foresii*, *Emfridus Bello-Iolesii*. Quum ita *Comitatus Foresii* & *Bello-Iolesii* longo tempore fuissent distracti, coaluerunt rursum morte *Guicardi*, *Comitis Bello-Iolesii* qui tempore Philippi II Francorum Regis cum honore Comitem Stabuli egerat. Ipsius enim Soror *Isabella Bello-Iolesii Comes*, matrimonio collocata est *Reginaldo*, *Foresii Comiti*, qui procreatus erat stirpe *Arthauldi*, de quo dictum; ut ipsa ex prosapia *Stephani*, qui *Arthauldo*, ut paullo ante scriptum, erat Frater. Eo autem Conjugio editi leguntur *Guido*, cui hereditate obvenit *Comitatus Foresii*: & *Ludovicus*, cui *Dominium* obtigit *Bello-Iolesij*. Post eos nihil traditur certi. Rex Galliarum Henricus III, anteaquam ad Monarchiam veniret Franciæ, una cum Ducatu Andegavensi Apanagij jure possedit *Ducatus Borbonii* & *Arverniæ*, *Comitatumque Foresii*. Primarium *Forensium* Opidum *Roana*, ad Ligerim, qui Ponte ibi stratus: Regiæ versus Lugdunenses Viæ imminet, Arcem habens. Secundum facile tuetur locum *Forum Segusianorum*: Sic olim nuncupabatur, quod nunc vulgo *Feurs*: Φόρ⊙ Σεγυσιανῶν Ptolemæo: *Forum Segustavarum* corrupte Tabulæ Itinerariæ. Exstat in hoc Opido Vetus Inscriptio, mentionem faciens antiquæ Appellationis:

Borbonium, olim *Boia*, ut quidam censent,

& alia;

tum Comitatus, *Bello-Iolesius*,

& *Forensis*,

cuius primarium opidum *Roana*, reliqua. *Forum Segusianorum*, hodie *Feurs*,

NVMINI. AVG
DEO. SILVANO
FABRI. TIGNVAR
QVI. FORO. SEGVS
CONSISTVNT
D. S. P. P

Ab hoc

Ab hoc igitur *Foro Pagus Forensis*, vulgo *Le Pais de Forest*, corrupte; quum dicendum potius esset, *de Fores*. Hoc Opidum hodieque locus est Commercij totius Provinciæ. Reliqua sunt *Mombrisonium*, Sedem Baillivo præstans: *Fanum S. Stephani, S. Estienne de Furan*, Officina Armorum & Cannarum ferrearum, quæ inde per omnes Galliæ ditiones exportantur: Artem suggesserunt Incolis cum Aquæ commoditas, quæ Ferrum egregie temperat, tum Carbones, qui ibi eruuntur: *Fanum S. Galmari, S. Galmier*, in cujus Suburbanis Fons est aluminosus, qui vulgo *Font-Foule*: *Fanum S. Germani, S. Germain Laval*, generosissimi Vini ferax: *Fanum D. Boveti, S. Bovet le Chastel*, in quo fabricantur optimæ notæ Forcipes: *Fanum D. Remberti, S. Rembert*, primo Ligeris Ponte famosum. Alia prætereo.

Mombrison. S. Estienne de Furan. S. Galmier. S. Germain. S. Bovet. S. Rembert.

Sic se habet *Inferior* Borbonij Tractus: *Superior* proprio vocabulo dicitur *Le Pais de Combraille*; Inferiore montosior.

Superior, Le Pais de Cambraille.

Cap. XXVII.

Pictonius Tractus.

PICTONIUM vel PICTAVIA, *Poictou*, Regio est Frugum, Pecorisque, Lanæ, Linique feracissima; Vino Frumentoque dives; Piscium abundans; Avium Ferarumque magnam habens copiam: comprehendens mille ducentas Parœcias, sub tribus Episcopatibus, Pictaviensi, Maleacensi, Luxonensi: in Primi quidem Diœcesi Abbatiæ numerantur XXVII; in Secundi, IV; in Tertij, X. Agricolæ nonnihil habent peculiaris Linguæ; quibus qui parum fidit, sapere perhibent. Hominum genus, quod, Feras prohibitum, Lites venatur, contentiosum, & in simpulo fluctus excitare gnarum. Urbani dissimilis plane genij & ingenij, faciles, benifici, liberales, candidi, fucos & imposturas detestantes, Eruditionis & Eruditorum, qui hic non pauci, amantes. Nobilitas provida, strenua, audentior. Spectat versus Meridiem hæc Regio Ecolismenses & Sanctones; ad Occidentem habet Oceanum; qua Septemtrio est, Britannos respicit & Andegavenses; reliqua Turones, Bituricenses, & Lemovices claudunt.

Pictonium. Ejus Qualitas. Incolæ. Fines.

Veteres Incolæ fuerunt *Pictones*, ut Cæsar, Strabo, & Plinius nominant: Πήκτονες scribuntur Ptolemæo, Pictavi sunt Ammiano Marcellino. *Pictonicam Regionem* appellat Ausonius: *Civitatem Pictavorum* vel *Pectavonum* Notitia Provinciarum in Aquitania II, vel VII Viennensi. Hodie *Le Pais de Poictou*. Sunt qui *Pictones* à *Pictis* Britanniæ Populis ortos dictosque fabulantur. Consulendi plenius Ioannis Boucheti Annales Aquitanici, Belleforestius, Thevetus & alij. Peculiarem de hac Regione

Veteres Incolæ. Pictones.

gione scripsit libellum Ioannes *de la Haye*, Gallico Idiomate. *Pictonibus* Populos *Agesinates* jungam cum Plinio. Horum verisimile est memoriam adhuc superesse in Pago *Aigounois*, haud procul Fano S. Maxentii, quod Opidum ad Severum Fluvium. Toto cœlo errant, qui *Aginnates* cum *Agesinatibus* confundunt: quum inter utrosque minimum inter quinque dierum sit interjectum. Videndus Iosephus Scaliger Ausonianar. Lection. lib. II. cap. X.

& Agesinates.

Pictonum Principes.

Regni Titulo decorata legitur hæc Provincia ab Gothis; quos hinc, ut tota Aquitania, exegit Francorum Rex Clodovæus. Imperator Ludovicus Pius Aquitaniæ Regnum Filio *Pipino* dedit; cujus Filios *Pipinum* & *Karolum* quum Karolus Calvus, ipsorum Patruus, Aquitania dejectos Monasterijs inclusisset, ipse Principatum invasit, donoque Consanguineo suo *Arnulpho* dedit; sed, abrogato Regni Titulo, Ducatus honore insignitum. Arnulpho successerunt ordine *Gulielmus Bonus*; *Eblo* I, *&* II; *Gulielmus* II, *&* III; *Guido*; *Gulielmus* IV *&* V; huius unica Filia & Heres *Eleonora* elocata fuit *Ludovico* VII, Francorum Regi: à quo propter Adulterij & Proditionis suspicionem repudiatam duxit *Henricus* Normanniæ Dux, qui defuncto Stephano Angliæ Regi successit. *Henricum* tam in Angliæ Regno, quam in Dotalibus paternisque in Francia Ditionibus, sequuti sunt ipsius Filij *Richardus* & *Ioannes*. Quum autem *Arthurus* Filius Godefredi (qui Regis Ioannis major natu fuerat) præferendum se *Ioanni* diceret, persuasus ab Francorum Rege *Philippo Augusto*, ut Pictones Patruo *Ioanni* eriperet, rem viribus adgressus, ab *Ioanne*, qui ex improviso supervenerat, fusis copijs, captus est, Rotomagumque raptus temeritatis suæ pœnas dedit. Eam ob caussam *Ioannes* Rex ab Constantia *Arthuri* Matre apud *Philippum* Regem Paricidij accusatus, damnatus fuit; ejusque bona *Philippo*, tamquam Feudorum Domino, sunt adjudicata, cum alia, tum *Pictavia*: quam mox Successor ipsius *Ludovicus* VIII *Alphonso* Filio concessit: quo Inproli defuncto, in potestatem Regis *Philippi* III venit, penesque ipsius Posteros mansit, donec, regnante Philippo Valesio, ab *Eduardo* III Anglorum Rege fuerit recuperata, retentaque plenius cum tota Aquitania per sancitam inter eumdem & *Ioannem* Francorum Regem Pacem. Factum mox ex Aquitaniæ Ducatu Principatum Rex *Eduardus* Filio concessit; qui quum Aquitanis gravissimum imperasset Tributum, magnam partem amisit, defectione ab ijs facta ad *Karolum* V Francorum Regem: cuius Filius *Karolus* VII Anglos tota Aquitania, anno CIↃ CCCCLIII exturbavit, Filioque Regi *Ludovico* XI reliquit. Hic eam Fratri largitus est *Karolo*; quo mortuo, rursus Rex *Ludovicus* receptam ad Regem Karolum VIII Filiam transmisit: à quo tempore *Aquitania*, cujus non ignobilis portio *Pictavium*, deinceps in potestate permansit Regum Franciæ.

Augustoritum Pictonum, hodie Poictiers, Situs.

De varij generis Principatibus, qui *Pictonio* concenseri soliti, quæ habeo adscribam, si prius de Metropoli & regia ejus Civitate nonnihil dixero. Ea est *Pictavia*. Sic Latini nunc vocant, quæ Αὐγουστόριτον Ptolemæo, *Augustoritum* Antonino. *Pictaviam Vrbem* appellat Gregorius Turonensis. Vrbs amœnissimo sita est loco, clivoso tamen: nisi quod una parte, quam *Tranchæam* patrio vocabulo dicunt, in planiciem abeat; latissimi, si quæ in Gallijs alia, ambitus; sed cujus ingens portio ab Habitatoribus vacua; Pratis, Vineis, alijsque agrestibus Operibus occupata: reliqua excellentibus Ædificiorum structuris veneranda. Adluit latus illud *Clanus* Fluvius, Aqua satis copiosa manans; Insulasque diducto Alveo efficiens, aliquot inde versus Septemtrionem miliaribus Vingennæ commiscetur. Visuntur ibi præter *Arcem* Validam, *Palatium Gallieni*; vasta *Amphitheatri* rudera, vulgo *Les Arenes*, nota voce; *Aquæductuum* Fornices, quos *Arceaux de Parigne* Vulgus dicit: Romanorum hoc loco Imperij vestigia. Primarium *Templum* D. Petro est consecratum. Claram reddit hanc Vrbem Episcopalis Sedes; cujus Bellesorestius Præsules commemorat XCIII; eorum postremum nominans, *Karolum Desiursium*. Præfuit inter alios *D. Hilarius* Antistes, invictum se gerens Arrianis Antagonistam; à quo Regionem hanc ad Christianam Religionem conversam tradunt Ecclesiastici Scriptores. *Academiam* habet florentissimam, cui alter post Parisiensem locus solet tribui. Instituit Karolus VII Francorum Rex, anno CIↃ CCCC XXXI. Rebuffus in Authentic. Habita. C. Ne Filius pro Patre, vehementer improbat, quod ibi Studiosis homines vilissimi turpissimique graves sæpe injurias inferre permittantur, contra saluberrimam piissimi Impe-

Antiquitates.

Templum primarium.

Episcopatus.

Academia.

toris

ratoris Constitutionem. Docuit aliquando Augustoriti Grammaticam *Ammonius Anastasius Burdigalensis*, ut notat Ausonius Carm. de Professoribus XI. Magnas sustinuerunt aliquoties Incolæ Calamitates ab Anglorum aliorumque Incursionibus. Medio circiter ab Vrbe miliari, itinere, quod Avaricum Biturigum ducit, in Via Regia ingens spectatur Saxum, forma quadratum, quinque lapidibus fulcitum, unde vulgo *La Pierre Levée*. De eo Distichon hoc exstat:

La Pierre Levée.

Hic Lapis ingentem superat gravitate Colossum
Ponderis, & grandi Sidera Mole petit.

Viatores plerumque sua insculpunt Nomina. Inscriptos legi cum alijs Obertum Gifanium Buranum, Gerardum Mercatorem, Abrahamum Ortelium, Philippum Gallæum, Georgium Braun Coloniensem, Gerardum Hovenaglium. Curia Pictaviensis regitur manu Præsidis & duorum Vicariorum, quorum unus Civiles, alter Criminales cognoscit caussas. Ad hanc multorum hujus Provinciæ Opidorum Tribunalia pertinent: ut præter Pictaviam ipsam, de qua dixi, sunt: *Niort* cum Arce; hic amplissimi Pictonum Merkatus ter anno: *Fontenay le Comte*, Arce item præditum; Mœnia hujus Opidi præterfluit Rivulus Vendæus (*Vendee*) qui subinde adeo excrescit, ut totum Fontenæi Territorium vicinaque Loca inundet: *Lusignan*, ubi Castrum antiquum, quod vulgo *Melusine* (sunt & alia loca ab hac denominata *Vouvant* & *Matrevant*, *quæ fit Melusine*) *Montmorillon*, *La basse Marche*; *Dorat*; *S. Maxent*, & alia fortean: quibus additum *Sivray* erectum in Seneschallatus dignitatem, Arce potens.

Est autem, ut eam nunc partem adgrediar, sub Pictonio Principatus Titulo ornata (præter *Talmontem*, *Talmont*: sic dictum quasi *Talon du Monde*, *Calcaneus Mundi*, ut quidam volunt) *Rupes super Ionnam*, *Roche sur-Ion*, Familiæ regalis Borboniæ. Noverunt Avi nostri *Ludovicum Borbonium*, Ioannis Vendomæ Comitis F. *Rupis ad Ionnam* Principem, Comitem Mompenserium, ejusque Filium *Karolum*. Ducatus dignitate claret *Castellum Heraldi*, *Chastelherault*, ad Vingennam. Vicecomitatus sunt *Touars* ad Touium Fluvium, *Brosse*, *Bridieres*, *Roche-Chouart*. Baronatus Dominiique honore insignita sunt Opida non pauca, quæ turbato, ut in oculos veniunt & mentem, ordine ponam: *Mainlers*, ubi Piscatio Salmonum, Alosarum, quæ Clupeæ alijs, Balænarum & Asellorum præcipue; qui arefacti Ventoque & Frigore indurati in varias Regiones solent exportari: *Partenay*; *S. Maxent*; *Melle*; *Chizay*; *Chauvigny*; *Lussac*; *Bressuyre*, *Charrou*; *Chasteneraye*; *S. Mesmin*; *S. Gillis*; *Chasteaumur*; *Les Sables d'Aulonne*; *S. Hermine*; *Montaign*, Opidum cum Arce, Salinis nobile; *Mirebeau*; *La Motte*: *S. Beraye*: *Vouuant*; *S. Hilaire*; *Mortemer*; *Luzay*; *S. Sauin*; *l'Isle Iourdain*; *S. Benoist du Sault*; *Bourg-neuff*: *Mereil*, *Meruant*; *Brige*; *Vouuert*, *Ville-faignaix*, & alia.

Principatus Talmond, & Roche sur Ion; Ducatus Chastel-herault. Vicecomitatus Touars, & alij; Baronatus, Dominiaque magno numero.

Silentio non est prætereundus hic *Pagus Doveus*, vulgo *Dovve*; paucis ab hinc annis celebrari cœptus vel ob *Amphitheatrum*, quod ipsi adjacet, seminativum; manu quidem & arte humana factum, sed ita, ut videri possit à natura. Totum enim excisum & cavatum est in Monte, sine ulla externa Materiatione Calcis, Lapidis, Ligni. Montis ipsius & *Amphitheatri* plenissima est delineatio, ex fide Levini Kersmakeri, Consulis quomdam Zirickzæi, Zelandiæque primis hujus belli Motibus Gubernatoris, apud Iustum Lipsium libello de Amphitheatris, quæ extra Romam cap. VI. qui *Pagum Doveum* addit aliquid amplius olim fuisse, cum ex eo non pagani Operis argumento, tum ex Viæ antiquæ publicæque reliquijs, quæ ex pago eodem pertinuit ad *Pontem Cæsarianum*, vulgo *Pont du Sey*: cujus Viæ Pars adhuc variis locis conspicitur, Pars autem maxima corrupta est, Lapidibus in ædificia varie absumtis aut avectis. Sed & Incolas scribit Antiquitatem aliquam jactare, Druidesque apud se sedes habuisse. Pagum autem Ptolemæi *Daveonam* fuisse suspicatur ex claro Nominis, quod nunc præfert, argumento, exque Situ, qui ab ipsa Ptolemæi collocatione non abscedit. Vide tamen quæ dicam cap. XXXV. ubi de *Cadurcibus*.

Pagus. Doveus, Dovve, ipsique adjacens Amphitheatrum.

Fuisse & in Pictonibus *Limonum*, colligitur ex Antonini Itinere, quod Burdigala ducitur Augustodunum: Λίμωνον Ptolemæo; In Tabula Itineraria scribitur *Lemonum*. Illud magni Viri putant idem esse transnominatione quadam, cum *Augustorito*, *Poictiers*. Ego nihil ausus sum hic adfirmare. *Limoni* mentio in Commentario Gallico A. Hirtij ter; ubi tamen quidam Libri *Lemovicum* contra fidem & auctoritatem Manuscriptorum Codicum præferunt.

Limonum.

Cap. XXVIII.

Inculismensis Ager.

INCVLISMENSIS AGER, Engoulesme. Ejus Fines. Quantitas, Qualitas, Incolæ.

INCVLISMENSIS AGER, qui vulgo *Engoulesme* ad Septemtrionem Pictonibus est conterminus; ad Orientem Santonibus; ed Meridiem Burdigalensibus & Petrocorijs, ad Orientem denique Lemovicibus. Longitudo ejus ab Ortu in Occasum XXIV est milliarium: Latitudo ab Meridie in Septemtrionem, XVI. Fertilis Vini optimi, Frugum, Cannabis. Silvam habet, quæ *Bacona*, CIↃ IↃ L jugerum. Familiæ hic Antiquitate inlustres & Factis. Litteræ magni pretij. Qui Metropolin ceteraque colunt Opida, præstantes sunt ingenio, excelsi animi, candidi pectoris, Mercaturæ dediti, Opibus adfluentes; in novis rebus, quod cum Vicinis reliquisque adeo Francis habent commune, se supra modum oblectantes. Qui ruri degunt, bardi sunt & rudes, Laborumque patientissimi. Universum vero ad Arma apti, feroces in hostem, impavidi nihilque timentes.

Veteres habitatores.

Ecolismenses appellat Veteres hujus Agri Incolas Notitia Provinciarum Galliæ; qui in alijs Codicibus *Inculismenses*. Nam in quibus *Etolisnenses* vocantur; improbioris sunt notæ: pro quibus qui substituunt vel *Lemovicenses* vel *Helvienses*, sunt frustra. Hodie *les Engoulmois* nominantur.

Metropolis *Inculisma*, *Engoulesme*.

Ecolismensium vel *Inculismensium* Metropolis *Inculisma*; quæ apud Ausonium Epistola XI ad Tetradium, pro Librorum diversitate, varie legitur, *Ichnusa* vitiosissime; *Inculisna* vel *Iculisna* ferendo modo; *Iculisma* vere germaneque, & ex Poëtæ ipsius mente, *Ecoiesma* & *Ecolisma* in Antiquis ipsorum monimentis, *Ecolesina* mendose in Sigeberti Chronicis ad annum IↃ IX, ut quidem ea sunt edita ab Henrico Stephano Lutetiæ. *Engolisma* Gregorio Turonensi in Vita S. Eparchii. *Equosilina* alijs, ejusdem Vitam scribentibus; male. *Vrbs Equolenensis* corrupte pro *Ecolismensis* apud eumdem Gregorium Turonensem in Confessoribus extremis. Hodie *Engoulesme*. Est autem Vrbs Antiquitate insignis. In Veterum Mœnium, quæ quod olim fuit Suburbium ab Vrbe dividebant, fundamentis reperta sunt superioribus annis, quum muniretur, signa certa & vestigia pervetustæ Vrbis. Sita est in Colle, qui Flumini Carantono imminet, Agro devio & ab Regiis Viis remotiore, quod etiam indicat Ausonius:

Iculisma quum te absconderet;
Et invidebam devio ac solo loco
Opus Camænarum tegi.

Ecolismensium Episcopus.

Commentarium fecit de *Engulisma* Antiquitate Elias Vinetus, quem Pictavis edidit Enguilbertus Marnefius. Scripsit item de *Engulisma* sua, *Engulismensium*que Comitibus Librum Franciscus Corlieus, Regius *Engulismæ* Procurator. Persancte colunt *Engulismenses* & pro magno habent Numine *Ausonium* quemdam; quem suorum Episcoporum fuisse primnm, & ab Santonibus *Engulismam* accersitum dictitant: qui an idem sit cum *Ausonio Poeta* Burdigalensi, dubitant adhuc docti Viri. Certe *Ausonius* Agrum habuit apud Santones, ut innuit in Epistolis ad Axium, Paullum & Tetradium, ubi Senex non illubenter commorabatur. Quin quibus temporibus *Engulismenses* *Ausonium* suum volunt vixisse, ea non male quadrant cum *Ausonij Poetæ* seculo.

Alia Ecolismensium opida.

Minorum gentium apud *Inculismenses* Opida sunt, quæ vulgo; *Marton*, ad Fluvium Bandiatum, quod Secundo genitis Rupisfocaldæ gentis adsignari solitum; *Chasteau-neuf*; *Blassac*; *Chabannes*; *Confollant*, *Ruffec*; *Aigres*; *Gourville*; *La Roche-foucault*, Opidum cum Arce, Comitatus Titulo clarum: *Marueil*, *Lanzac*, *Villebois*, quæ illustri Familiæ *Mareulæ* sunt in patrimonio: *Momberon* & *Boutevillæ* Mommeranciorum sunt Dynastarum.

Burgi & Arces. *Varsay*.

Visuntur in hac Provincia multi Burgi passim, Arces & Castella. *Varsay* non magnus est Vicus, ad octo circiter millia passuum supra *Inculismam*, in sinistra Carantoni ripa. Hic anno CIↃ IↃ XLI Agricultor quidam Scrobem in Agro suo serendæ Arbori faciens, terramque altius versans, *Arcam* plumbeam invenit, oblonga forma; lapideo

lapideo Sepulcro sic impositam, ut illud media nullibi contingeret, sed undique lateribus abesset plus tertia pedis parte, sic, ut Pixides solent, opera. Operculum enim, ut illas, extremis oris replicatis & ad tres digitos demissis, ipsam obtegebat: accedentibus quatuor Cingulis ferreis, tres latis digitos, unum crassis. Operculo sublato, in conspectum venit Corpus humanum; quod, accepto Aere, statim in Cineres abiit: Ossibus solum manentibus, quæ mediocri statura situm ibi hominem loquebantur. Excussis omnibus, reperta fuit & Bractea, & purissimo auro, parva, perquam tenuis, longior quam latior, Semiducatum pendens. In ea expressæ erant Vocales Græcæ septem, totidem repetitæ mutato ordine versibus, hoc modo: *Antiquum Sepulcrum.*

Α Ε Η Ι Ο Τ Ω
Ω Τ Ο Ι Η Ε Α
Ε Η Ι Ο Τ Ω Α
Τ Ο Ι Η Ε Α Ω
Η Ι Ο Τ Ω Α Ε
Ο Ι Η Ε Α Ω Τ
Ι Ο Ε Ω Α Ε Η

Quæ Arcana, si quidem talia sint, quid sibi velint, divinent Pythagoræi, & quibus, quam mihi, plus ocij.

Karolus V Francorum Rex cognomine Sapiens, *Inculismensium* Comitatum Anglis ereptum Filio *Ludovico* dedit; cui ad Regnum evecto successit Filius *Ioannes*; huic vero *Karolus*, Regum Franciæ, qui nunc Rerum potiuntur, Progenitor. Hujus Filius *Franciscus*. ex Comite *Inculismensium*, Rex factus, quum Comitatum Ducatus Titulo auxisset, eum *Matri* dedit: qua defuncta Titulum Ducis gessit Filius ejus *Karolus*; eoque sine Liberis mortuo, Ducatus Coronæ Franciæ fuit unitus, donec *Karolus* Henrici II F. enim consequutus, moxque Rex factus, eum dedit *Henrico* Fratri, qui postea Rex Poloniæ & Franciæ. *Inculismensium Principes.*

Inculismensi *Almsiensem* obiter jungam *Agrum*, hodie vulgo *Le Pais d'Aulnis*. Nomen factum quidam putant ab Francorum Rege, quem Anglos bello persequentem dixisse ferunt, Se suis rebus satis superque prospicere, modo singulis diebus hostibus unam solum Agri *Vlnam* (quæ Gallo-Romanis *Aulne*) ademtam suo Principatui adjiceret. Ego scio *Annedonnacum*, hodie *Aulnay*, ab Antonino haud procul Mediolano Santonum collocari, & *Anedonacum* vitiosius in Itineraria Tabula legi. Cogitandum censeo. Certe *Pagi Almsiensis* appellatione vetera Monimenta intelligunt *Territorium Rupellæ*; & adcensebatur Seneschalliæ Santonum. Sed ex quo Rupella, excusso Anglorum jugo, dedidit se Regi Franciæ, *Pagus Almsiensis* in privatam cessit Præfecturam, estque ab Santonio seclusus, neque ulli Curiæ potest subditus esse præterquam Parisiensi. Id enim inter Capita ipsorum continetur Privilegiorum. *Almensis Pagi Angolismensis* meminit Historia de Revelatione Capitis S. Ioannis, quæ cum D. Cypriano excusa. *Almsiensis Ager. Le Pais d'Aulnis.*

Cap. XXIX.

Arvernia.

FRANCIÆ Provincias, quæ nunc in Prima Veterum Aquitania sunt, indicavi: succedit, quæ in Secunda est, ARVERNIA, *Le Pais & Duché d'Avergne.* Situs illi in locis partim planis, partim montosis. Vicinos habent Arverni ad Orientem Forenses & Lugdunenses; ad Meridiem, Languedokios; ad Occidentem, Cadurces, Petrocorios & Lemovices: Septemtrionem versus, Bituricenses & Borbonios. *Arverniam* qui possem universim elegantius fideliusq. depingere, quam verbis C. Solli Apollinaris Sidonii, Arvernorum Episcopi, qui de ea sic scribit lib. IV. Epist. XXI ad Asprum suum: *Taceo Territorij peculiarem Iecunditatem, taceo illud æquor Agrorum, in quo sine periculo quæstuosæ fluctuant in Segetibus Vndæ, quod industrius quisque quo plus frequentat, hoc minus naufragat: Viatoribus molle, fructuosum Aratoribus, Venatoribus voluptuosum: quod Montium cingunt dorsa Pascuis, latera Vinetis, terrena Villis, saxosa* *ARVERNIA Arvergne. Fines ejus, Qualitas.*

Castellis, opaca Lustris, aperta Culturis, concava Fontibus, abrupta Fluminibus. quod denique ejusmodi est, ut semel visum Advenis multis Patriæ oblivionem sæpe persuadeat. Egregie Theodoricus Gothorum Rex apud Gregorium Turonensem lib. III. cap. IX & XI; his verbis Milites animans: *Ad Advernos me sequemini, & ego vos inducam in Patriam, ubi Aurum & Argentum accipiatis, quamtum vestra potest desiderare cupiditas; de qua Pecora, de qua Mancipia, de qua Vestimenta in abundantiam adsumatis.* Petrus Pictaviensis:

Hunc Cluniace tibi Tellus Arvernica misit,
Quo nihil uberius Gallia nostra tenet.

Arverni Populi.

Arvernorum nomen valde celebre cum apud alios, tum apud Cæsarem in libris de Bello Gallico: Ἀρούερνοι, Ptolemæo & alijs; Ἀρβέρνοι, Plutarcho; Ἀρόερνοι, vitiose Stephano; *Civitas Arvernorum*, Notitiæ Provinciarum Galliæ in Aquitania I vel VI Viennensi. *Arvernorum Resp.* prima quomdam Galliæ Respublica fuit. Erant enim olim Galliæ totius (ut Cæsar scribit lib. I.) Factiones duæ: alterius principatum tenebant *Ædui*, alterius *Arverni*. Horum autem potiorem potentioremque fuisse Factionem, docet Strabo lib. IV, quum eorum principatum ad Narbonensium Massiliensiumque Fines, Pyrenæos Montes, Oceanum & Rhenum extendit. Ostendunt etiam id duo cruenta Gallorum, *Bituito Arverno* Duce, contra Romanos prælia; de quibus ibidem Strabo, Livius lib. LXI, & alij: alterum contra Domitium ad Sulgæ & Rodani; alterum adversus Fabium ad Isaræ ejusdemque Rodani confluentem commissa. Victos tunc Gallos, aut certe Romanæ Provinciæ Finibus repulsos Senatus Romanus (ut idem Cæsar tradit) liberos esse, suisque Legibus uti voluit: quinetiam, quo liberior esset Gallia, *Bituitum* ipsum *Arvernorum Regem*, ut Livius appellat, quum Romam Satisfactionis caussa venisset, Albæ custodiendum censuit; decrevitque, ut *Congentiatus* ejus Filius comprehensus Romam mitteretur. Postea *Celtillus Vercingetorigis* Pater, licet Principatum totius Galliæ obtinuisset, Bello quippe aliquo; attamen eam ob caussam, quod Regnum adpeteret, ut est libro VII, ab Civitate interfectus est. *Vercingetorix* autem ipse suorum quorundam Factione *Rex Arvernorum* salutatus est, & videtur eodem libro ab Gallis omnibus *Rex* appellari: verum ab iisdem Proditionis insimulatur, & ad eos, tamquam superioris auctoritatis Iudices Caussam dicit: nec denique Filio Regni Cupiditas fortunatior fuit, quam Patri. Regibus igitur exactis, *Arvernorum Civitas* libera permansit ad Cæsaris usque tempora. Plinius etiam sua ætate lib. IIII natur. histor. cap. XIX *Liberos* vocat *Arvernos*. Nec solum Liberi, ut multi in Gallijs alij, fuerunt; verum etiam, ut *Aedui, Romanorum Fratres*. Lucanus lib. I.

Potentes olim.

Liberi.

Romanorum Fratres.

Arverni Latio sese ausi dicere Fratres,
Sanguine ab Iliaco.

Lucani hæc transcripsit Sidonius Apollinaris in suam ad Græcum Episcopum Massiliensem Epistolam, quæ exstat lib. VII ordine VII: *Arvernorum, proh dolor, Servitus, qui (si Prisca replicarentur) audebant se quomdam Fratres Latio dicere, & Sanguine ab Iliaco Populos computare: si Recentia memorabuntur; ij sunt, qui viribus proprijs Hostium publicorum arma remorati sunt.* Sic Petrus Pictaviensis in Panegyrico Petri Venerabilis:

Hunc Latiæ Gentes, Regum de stirpe potentes
Arverni Populi progenuere Ducem.

Sidonius Carmine VII: *Est mihi quæ Latio se sanguine tollit alumnam*
Tellus clara Vrbis, cui non dedit optima quomdam
Rerum Opifex Natura parem, &c.

Videndus & Aimoinus libro V, cap. XLIX.

Arvernia duplex Superior, cui Metropolis Fanum S. Flori, S. Flour,

Arvernium porro hodie *duplex* est, *Superius* vel Montanum; & *Inferius*, quod planum. *Superius, Le hault Pais d'Avergne*, & *Arvernia* κατ' ἐξοχὴν, Primariam habet Vrbem *Fanum S. Flori, Sainct Flour*, in edita Rupe sitam; Vicum olim, cui nomen *Mons planus*: Prioratu quomdam, hodie Episcopatu, qui ex Claromontensi delibatus, claram. Præsules numerat XIX Belloforestius; eorum postremum nominans *Antonium Levium*. Reliqua Opida vulgo dicuntur *Orillac* Latinis *Aureliacus* (Sedes antiqua Baillivatus, cujus Iurisdictioni subsunt præter Opidum & Primariam Vrbem, de qua dixi, *Carlatum, Muratum*; Pagique, qui vernacule, *Sailleres, Mauriac, S. Martin*, & alij) *Billons, Le Puy*, &c. Territorium quoque & Ballivatus *Beaucaire*.

& alia Opida:

Prope

Prope *Pongibautum* Opidulum Pagus est *Roia*, in quo Argenti ferax Fodina.

Inferior, quæ propriè Limania, Vnde dicta.

Inferius vel Planum *Arvernium*, *le bas Pais d'Arvergne*, *Alimaniam*, *l'Alimaigne*, propriè dictam lego; eamque vocem quosdam ab *Alimonia*, nonnullos à pingui *limosoque* Solo dirivare. Potius est, ut sic vocata censeatur ab Amne, qui hodie *Lamone* & *Lymone*, quemque Elaver Fluvius ingens in se recipit. Parum laboro. *Lemanem Arvernam* nuncupat forte Gregorius Turonensis lib. IV. cap. IX. Historiæ: *Dicere enim erat solitus Rex: Velim umquam Arvernam Lemanem, quæ tantæ jocunditatis gratia refulgere dicitur, oculis cernere.* *Limaniam* hanc putant quidem designari *Anguli* appellatione apud Sidonium Apollinarem lib. IV. Epist. I, & lib. VII Epist II, in Carmine denique, quod insertum ejusdem Libri Epistolæ XVII. Longitudo à Ponte Veteris Brivatæ Ganatum usque (alijs procurrit ulterius) circiter leucarum est viginti; Latitudo ab Monte, qui vulgo *Poy de Dome* (hic totius Galliæ altissimis solet adnumerari; Simplicium judicio Medicorum feracissimus, in summo culmine multa Rudera testantur Arcem ibi fuisse, vel quid aliud: *Poy*, Arvernica Lingua, *locus excelsus & montosus*) ad Opidum *Tyert* vel *Croppiere*, fere octo. Regio opima est & fertilissima: Civitatibus amplissimis, Vicis, Villis, Prætorijs magnificis exculta, Vinis præstantissimis, Frugibus, Melle, Pecudibus, Lana, Croco, Pascuis, Nemoribus, Fluminibus, Fontibus, Lacubus, Balneis, alijsque Naturæ Donis supra modum referta. Metropolis illi *Claromontium*, *Clermont* vulgo: Sidonio ejus Vrbis Episcopo *Arvernum Opidum* lib. VI. Epist. XII, & lib. VII. Epist. V. Eidem Sidonio *Arvernum* forte *Municipiolum* lib. III Epist. I. & lib. VII Epist. II. Iornandi *Arverna Civitas* & *Vrbs Arvernas*, qui eam occupatam memorat ab Errico Visigothorum Rege. Αὐγουστονέμετον Ptolemæo, ut suis ad me litteris censet Scaliger. Νεμωσσὸν, quam Strabo lib. IV *Arvernorum* dicit Caput, Ligeri adpositam notans, cujusque meminit Lucanus lib I, non eamdem esse, ut quidam opinantur, cum hac Vrbe, ipse clamat Situs. Vrbem hanc olim etiam Propugnaculis undique circumseptam & munitissimam fuisse docet Gregorius Turonensis de Vita Patrum & de S. Quintiano: *Ecce Muri Civitatis istius fortissimi sunt, eamque Propugnacula ingentia vallant.* *Propugnaculorum* etiam ipsius meminit Sidonius lib. V. Epist. XII, & lib. VII Epist. I. Terror quomdam Gothorum, à quibus sæpe obsessa tandemque post Calamitates multas ad Deditionem coacta. Passim Sidonius, prætertim lib. VII. Epist. VII. Cinctam Ego hanc Vrbem vidi anno CIϽ IϽ LXXXV Colliculis fertilissimis, ex quibus magnus Rivulorum & Fontium profluit numerus, qui Hortos & Loca Incolarum Delicijs consecrata irrigant. Arce superbiit, & Episcopalis est Sedes. Inter Præsules fuit etiam *C. Sollius Sidonius Apollinaris*, quem sæpe laudavi. Hic Ecclesiæ Arvernæ se immerito præpositum conqueritur lib. III Epist. I, quod & de eo testatur Gregorius Turonensis lib. II cap. XXI: *Vnice autem laudo & amplector Sidonij modestiam, qui se immerito Arvernæ Ecclesiæ præpositum esse conqueritur.* Eleganter & ipse Sidonius lib. V Epist. III: *Ego autem infelicis Conscientiæ mole depressus vi febrium nuper extremum Salutis accessi, utpote cui indignissimo tantæ Professionis pondus impactum est, qui miser ante compulsus docere, quam discere, & ante præsumens Bonum prædicare, quam facere, tamquam sterilis Arbor, quum non habeam Opera pro Pomis, spargo verba pro Folijs.* Sunt & aliæ Inferioris Arverniæ Vrbes & Opida: in quis principis loci *Rionium*, *Rion*, Arcem habens; Sedes Seneschalli Inferioris Arverniæ, cui cum ipsa Metropoli subsunt & Opida, & Vici, Opidorum Privilegijs gaudentes. Succedunt *Montferrantum*, Arce præditum, ut & *Yssoira* & *Brionda*. Sequuntur inde *Combraillia*; *Mons Acutus*, *Mont-aigu* ad *Iovum* Fluvium, qui prope *Mariganum* miscetur cum *Elavere*; *Aqua persa*, *Aigueperse*; *Vichium*, *Bilhonum*, *Auzona*, *Fanum S. Germani*, *Lambonum*, *Eusbreula*, *SanPoursainum*, & alia. Fuit in hac Arverniæ parte semileuca ab Augustonemeto quomdam Vrbs celebris *Gergovia*: cujus adhuc quædam supersunt vestigia in edito loco cum veteri appellatione, *Gergoie* enim audit. *Gergoviæ* rerumque ad Opidum illud gestarum mentionem sæpe facit Auctor Commentariorum de Bello-Gallico, in cujus quibusdam libris etiam legitur *Gergobia*: item quodam loco *Gergobina*, sed vitiose. Nam *Gergobinam* aliud esse ab *Gergovia* Opidum, nondum mihi possum persuadere, *Gergoviam* quidem Strabo Arvernis, *Gergobinam* autem Cæsar Bois tribuit: at nihil refert. Illud enim sæpe fieri animadvertimus in Populis Confinalibus, ut Opida nunc his, nunc illis adscribantur. Γεργοουία dicitur Straboni; Γεργοβίνη, Polyænos Γερ-

Longitudo.

Latitudo.

Qualitas.

Metropolis Claromontium, olim Arvernum, & Augustonemetum.

Ejus Episcopi, inter quos Sidonius Apollinaris.

Alia opida.

Gergovia.

no; Γεργοβυΐα, Dioni. Apud Cæsarem *Gergovia* in altissimo posita legitur Monte, omnes aditus habens difficiles; apud Strabonem, ἐφ' ὑψηλοῦ ὄρους. Sidonius in Panegyrico Aviti:

> *Quosvis vincis equo: testis mihi Cæsaris esto*
> *Hic nimium Fortuna parens, quum Colle repulsus*
> *Gergoviæ, Castris miles vix restitit ipsis.*

Notat idem Opidum & Sidonius lib. III. Epist. III: *Subducta est tota protinus acies in supercilium Collis abrupti, quæ quum prius adplicata esset oppugnationi, te viso non est explicata congressui. Castellum* vocat Orosius lib. VII cap. XI. Quo loco quomdam fuit *Gergovia*, hodieque disiecta passim visuntur Rudera, Lateres, & coagmentati Cæmentorum acervi.

Vici Volvic, & Marsac.

Non ignobiles hodie sunt Arverniæ Vici, qui vulgo *Volvic* & *Marsac*. *Pagi Violvascensis* (ut quidem in melioribus Libris legitur) meminit Sidonius lib. II. Epist. XIV. *Marsac* ipsi *Violvico* adfinis & contiguus; olim, eodem Sidonio, scribente, *Martialis*, propter hiberna Legionum Iulianarum. *Martiacus Villa* nominatur in Pancharta Nigra S. Martini Turonensis M. S. *Beluacus ad calciamenta Fratrum cum omnibus sibi pertinentibus, pro qua subdole decepti Martiacum Villam in Pago Arvernensi in concambium Fratres dederunt.* Non procul erat ab *Vrbe Ricomagensi*, cujus mentio apud Gregorium Turonensem lib. I. de Gloria Martyrum, & Vico qui *Mousiacus* eidem Turonensi de Gloria Confessorum cap. XLI, qui vulgo *Mousac*.

Arverniæ Principes

De *Comitibus* qui *Arverniæ* præfuerunt alij multa scribunt, sed intricata, incerta, quæque haud magnæ apud me, quamvis meliora non habentem, sunt fidei.

Mompenserij Comites & Duces.

Addam hic Coronidis loco *Comites & Duces Arcis Mompenserii*, quæ in hac Regione sita.

Ioannes Valesius, Ioannis Francorum Regis Filius, Biturigum & Arverniæ Dux; Vxorem habuit secundo loco *Ioannam*, Iohannis III Boloniæ Arverniæque Comitis Filiam & Hæredem. Ex eo Conjugio nati:

- *Ioannes* Mompenserij Comes, Inprolis
- *Maria* Biturica, quæ Fratri successit in Ducatum Arverniæ & Comitatum Mompenserium: Vxor Ioannis I. Borbon. Ducis.
- *Bona* Biturica nupta Amadeo Comiti Sabaudiæ; eoque mortuo, Bernardo Comiti Armeniaco.

Ex Maria:

- Karolus I Borbon. Dux V.
- *Ludovicus* Borbonius, Comes Mompenserius: Duxit primo Ioannam Beroaldi Iunioris Delphini Arverniæ Filiam sterilem: inde Gabrielem Turensem, ex qua suscepti:
- Ioannes Abbas Cluniacensis.

Ex Ludovico:

- *Gilbertus* Borbonius, Comes Mompenserij & Arverniæ, Vxor illi Eleonora Gonzaga Friderici Marchionis Mantuani F.
- Gabriela Vxor Ludovici Tremouliani.
- Karolotta, Vxor VVolfhardi Barallani Comitis Buscanensis.

Ex Gilberto:

- Ludovicus Borbonius, mortuus in regno Neapolit.
- Franciscus Borbonius, Castelli Heraldini Dux.
- *Karolus* Borbonius, Comes Mompenserij, Dux Borboniorum VIII, Comestabilis Franciæ.
- *Ludovica* Borbonia. Successit Fratri in Comitatu. Nupsit primum Andreæ Caluigniano, postea Ludouico Borbonio, Ioannis Vindocinensis F. Rupis ad Ionnam Principi
- Renata Borbonia Antonij Ducis Lotharingiæ conjux.

Ex Ludovica:

- *Ludovicus* Borbonius, Dux Mompenserius Primus: Conjux ipsi Iacoba Longovicana,
- Karolus Borbonius Rupis ad Ionnam Princeps.
- Susanna Borbonia nupsit .... Riusso Dynastæ.

Ex Ludovico:

- *Franciscus* Borbonius, Dux Mompenserij Secundus, Delphinus Arverniæ. Vxor illi in Conjugio .... Heres de Melieres.
- Filiæ aliquot.

Ex Francisco:

- *Henricus* Borbonius, Princeps Dombensis.

CAPUT XXX.

Normannia.

AMPLISSIMAM Parlamenti Parisiensis Iurisdictionem, quæ per Belgicam, Celticam Aquitaniamque Galliarum Regiones agnoscunt, diligenter, spero, percurri, fideliterque notavi: succedunt in mea Distributione, quæ reliquis sub-

sunt Parlamentis, Principale, quod hactenus præ manibus fuit, quasi circumeuntibus. Initium ijs statuit mea Methodus versus Occidentem ad Ligeris dextram in NORMANNIA, quæ sub Rotomagensi est Tribunali; inde in Britanniam, quæ Redonensi paret, transitura.

NORMANNIÆ nomen à Populis Septemtrionalibus. *Norr*, enim, Idiomate Germanico, *Septemtrionalis Orbis terrarum plaga*; *Man*, *Vir*: *Normannia*, Terra Franciæ, Viris eo ab Septemtrionaliore vel Arctoo orbe ex Dania Norvegiaque profectis ad habitandum data. Notæ sunt *Normannorum* in Germaniam Galliamque Excursiones. Omnium atrocissima fuit: quæ facta Rollone Duce in pleraque Galliarum littoralia, & inde porro in Loca mediterranea & penitissima; de qua in Præfatione quadam Meldensis Synodi, quæ anno Christi Redemtoris IↃ CCCXLV, Karoli Regis anno VI celebrata est: *Quia divinas Iussiones non est sequuta Obedientia, dedit Dominus ab Aquilone, unde juxta Prophetam pandetur Malum, dignos Meritis nostris Apostolos, crudeles videlicet & inmanissimos Christianitatis Persequutores, qui Parisios usque venientes, quod jussit Dominus, monstraverunt.* Eo tempore ad tantam tandem redactus est necessitatem Karolus Simplex Francorum Rex, ut *Rolloni*, ad Christianam Pietatem invitato, Filiam *Gillam* dederit Vxorem, totamque Dotis nomine *West-richam* (quæ vulgo corrupte *Neustria*) &, qui super Ligerim, Britannos. Successorum ejus hæc legitur series:

NORMANNIA. *Normandie.*

Normannorum in Galliam Irruptio, Rollone Duce.

NORMANNIÆ *Ducum Stemma I ex Normannis.*

Rollo Normannus, Christianus factus cum Gente sua, ab Karolo Simplice Francorum Rege *Neustriam* (*West-Richam* proprie, id est Occidentalis Franciæ Regnum) incolendam obtinuit, circa annum IↃ CCCCXI. Primusque factus est Dux Normanniæ. Vxorem habuit priore loco Pupam, Berengarii Comitis Bellinensis & Belovacensis F. Gulielmi Successoris Matrem; qua repudiata duxit Ægidiam (vulgo Gilla audiebat) Karoli Simplicis F. improlem. Obiit IↃCCCCXX.

Ducum *Normanniæ* series.

Gulielmus, cognomine *Longa-Spatha*, Rollonis ex priore Conjuge F. Dux Normanniæ II. Rudolpho Francorum Regi Fidem omnem pollicitus tota donatus scribitur Britannia. Vxor illi Sphotta Herberti Comitis Silvanectensis Filia. Ab Arnolpho Flandriæ Comite occisus Rotomagum delatus est & sepultus, anno IↃ CCCCXXIV.

Richardus

Richardus Intrepidus, Dux Normanniæ III obiit ID CCCCXXC, Sepultus Fescampi. Vxorem habuit Annam (alijs Agnes dicitur) Hugonis Magni Filiam, improlem, qua mortua duxit Gonnoram Danam, ex qua nati:

Richardus II, Dux Normanniæ IV. obiit CIↃ XXVI, Sepultus Fescampi apud Patrem. Vxores habuit duas, Iuditham Comitis Britanniæ Sororem, & Paullam, Gueunnis Regis Daniæ & Norvegiæ Filiam. Natiex

Robertus Comes Eburovicensis. Vxore, ex qua duos susceperat liberos, mortua, Archiepiscopus factus Rotomagensis XLIII.

Maugerius Archiepiscopus Rotomagensis XLIV, post Fratrem.

* Filiæ aliquot.

Priore. — Posteriore

Richardus III, Dux Normanniæ V. A Fratre veneno sublatus scribitur. Vxorem non duxit. Leguntur aliquot eius illegitimi.

Robertus, *Liberalis* cognomine, Dux Normanniæ VI post Fratrem. Obiit in Peregrinatione Hierosolymitana, Sepultus Niceæ, anno CIↃ XXXV, A'γαμος. Natus illi ex Concubina.

Gulielmus Filiæ III. Monachus Fescampi.

Gulielmus Comes Talionis & Marquesii.

Maugerius Archiepiscopus Rotomagensis XLV post Patruum.

Gulielmus Nothus, Natalibus à Patre ante Peregrinationem Hierosolymitanam restitutus, Dux Normanniæ VII, *Conquestor* cognominatus, quod Angliæ Regnum ab Eduardo Cognato ipsi legatum testamento, conquisierit; sibique Armorum vi subjecerit. Mortuus est anno CIↃ XCIII, Sepultus Cadomi in Æde S. Stephani, ubi non indoctum ejus legitur Epitaphium. Vixit illi in matrimonio Machtildis, Balduini Pii Flandriæ Comitis Filia. Ex qua nati:

Robertus II, Normanniæ Dux VIII Bello Parricidali se contaminavit primo contra Patrem, inde in Fratrem. Obiit in Carcere CIↃ CXXIV in Anglia. Vxor illi ...... Rogerij Ducis Apuliæ Filia.

Gulielmus Dux Normann. IX. Obiit CIↃ CXXVIII improlis.

Richardus Puer obiit.

Gulielmus Rufus Patri successit in Angliæ Regno I Avarus Tyrannus: Cæsus ob impotentem Dominationem CIↃ CXI.

Henricus I *Beau-clerus* Fratri Gulielmo successit in Angliæ Regno, Dux item Normanniæ X. Vxores duas habuit Machtildim Scoticam, & Alexiam Gothefredi Andeg Filiam. Ex priore nati.

Gulielmus in Oceano submersus.

Machtildis Vxor Henrici V Imperatoris.

Filiæ V; inter quas Alexia (alijs Adela) quæ nupsit Stephano Comiti Boloniensi.

Stephanus Boloniensis Comes post Henricum I Avunculum, Regnum Angliæ invasit. Dux Norm. XI.

Henricus II. Hic cum Stephano Comite Boloniensi (Stephani & Alexiæ F. qui Angliæ Regnum Normanniæque Ducatum invaserat) bella varia gessit. Pax tandem facta, ut Stephanus, quoad viveret, Angliam obtineret, Henricus Normanniam; qui ita factus Normanniæ Dux XII: Adoptatus autem ab eodem Stephano successit eidem in Angliæ Regnum anno CIↃ CLIV. Vxorem duxit Eleonoram, unicam Filiam & Heredem Gulielmi Aquitaniæ & Pictonum Ducis, ab Ludovico VII Francorum Rege repudiatam: sicque per Vxorio Aquitaniam & Pictones, Paterno Andegavorum, Turonum & Cenomanorum Comitatus; Materno denique Angliæ Regnum & Normanniam habuit.

Henricus III Normanniæ Dux XIII, Patris Donatione. Vxor Margareta Ludovici Junioris Francorum Regis F. Improlis. Sepultus Rotomagi CIↃ CLXXXII.

Richardus, *Cor Leonis*, Rex Angliæ post Patrem, & Dux Normanniæ post Fratrem XIV. Vxor Berengaria Garsiæ Regis Navarræ F. obiit CIↃ CC *Improlis*.

Gotefredus Vxor Constantia unica Filia & Heres Conani Britanniæ Comitis: Ex qua natus illi, præter Eleonoram,

Ioannes Richardo successit in Angliæ Regnum & Normanniæ Principatum, Dux XV. Obiit anno CIↃ CCXVI.

Henricus III Angliæ Rex: de quo ante.

Alij.

Arturus Dux Britanniæ. Hic Patruo Ioanni bellum movens Andegavos, Cenomanos & Turones eripuit, & ab eodem superveniente captus Rotomagumque tractus, occisus est. Ægre ferens hoc Arturi Mater, Ioannem Parricidij accusavit apud Regem Philippum. Qui eum vocatus judicio non stitisset, Parium Franciæ sententia, Principatus ejus omnes, ut Franciæ beneficiarij, Coronæ suæ adjudicat. Sic Normannia iterum Francici facta.

NORMANNIÆ DVCVM *Stemma* II *ex Francis*.

Philippus Augustus, Francorum Rex, Dux Normanniæ, post Arturi cædem, XVI.

Ludovicus VIII Francorum Monarcha, Dux, post Patrem, Normanniæ XVII.

Ludovicus IX. *Sanctus*, Francorum Rex, Dux Normanniæ XVIII, cum quo Henricus III Angliæ Rex Ioannis F. pactus est, ut Anglus in perpetuum Normanniæ, Andegavensiumque & Cenomanorum Ditionibus cederet, & ille Anglo numeraret CL millia Coronatorum, Anglusque Aquitania contentus esset.

Philippus III *Audax* Francorum Rex, Dux Normanniæ XIX.

Philippus IV *Pulcher* Francorum Rex, Dux Normanniæ XX.

Karolus Valesius Primus Valesiorum & Alençonis Comes.

Ludovicus

Ludovicus Hutinus Rex Franciæ, Dux Norm. xxi.

Philippus v Longus Rex Franciæ, Dux Norm. xxii.

Karolus Pulcher Rex Franciæ, Dux Norm. xxiii.

Philippus Valesius, post Karolum *Pulchrum*, Francorum Rex. Dux Normanniæ xxiv.

Ioannes ex Patris Donatione Dux Normanniæ xxv, Rex Franciæ. Contra hunc bellum gessit Eduardus Angliæ Rex pro Normannia. — Alij.

Karolus ex Donatione Patris Dux Normanniæ xxvi, Rex Franciæ post Patris mortem.

Karolus Rex Franciæ & Dux Normanniæ xxvii. Huic Rex Angliæ Henricus v Normanniam eripuit; sed postea interventu Matrimonii inter eundem Henricum & Katharinam Karoli F. cautum fuit, ut, dum Rex Karolus viveret, Henricus Franciæ Regnum gubernaret, post Regis Karoli mortem ipse id obtineret, & si prior moreretur, ejus Filio natu majori, ex Katharina genito, id cederet: Karolo Delphino Viennensi, Regis Karoli Filio, Hoste patriæ judicato, quod Ioannem Burgundiæ Ducem sub specie Colloquij evocatum Monasteroli (vulgo *Monterreau au faut Ionne*) occidi curasset.

Karolus, nulla habita ratione Sponsaliorum inter sororem Katharinam & Henricum Angliæ Regem, post Patris mortem Franciæ Monarcham se scripsit. Rex Biturigum per ludibrium vocatus ab Anglis, quibus Normanniam eripuit, totaque Francia profligavit. Dux Normanniæ xxviii.

Ludovicus Valesius, Franciæ Rex, Normanniæ Dux xxix.

Karolus, Normanniæ Dux, Fratris benificio, xxx: qua tamen mox privatus est, accepta ejus loco Aquitania. Ab eo tempore *Normannia* in Franciæ Regum potestate mansit, nec Regiorum Filiorum alicui data est.

Normanniam porro sic describit Robertus Gaguinus lib. vii: *Est Normannia una Metropoli & sex Vrbibus, quatuorque & nonaginta munitissimis opidis, atque Arcibus potens, plerisque Vicis frequens ad Civitatum speciem extructis, quam sexto vix die expeditus pertranseat: Piscium & Pecorum ferax, Frumenti uberrima; Pomorum atque Pirorum tam passim conserta, ut hinc Potum Gens sibi adfatim exprimat, & ad Exteros copiose Fructus exportet. Lanificij Plebs studiosa; & bibax etiam Pomacij, quod* Siceram vocant. *Gens omnis suapte natura callida; nullis exteris Legibus obnoxia; Moribus suis & Consuetudine, quam pertinacissime tuetur, vivit: Doli quidem & Litis adprime gnara: quo fit, ut cum illa Societatem aut Negocium sortiri Exteri reformident; alioqui Doctrinæ & Religioni dedita; Bello insuper idonea & fortis, cuius egregia in Exteros Gesta plurima referuntur.* Ego sane, nobilissimum Franciæ Regnum peragrans, nusquam maiorem vel Soli fertilitatem, vel Urbium Pagorumque vidi copiam. Quid? quod exercendæ Mercaturæ non solum Mare habeat *Normannia* oportunissimum; verum etiam Incolas ingeniosos, cautos, deceptu difficiles, adfabiles, humanos, Lucro intentiores; quin & facundos Litterisque addictos, animi insuper contra hostes præsentissimi. Nobilium ibidem ingens numerus. Normanniæ descriptio.

Nobilissimam autem Galliæ Partem, hodie *Normanniæ* nomenclatura notam, coluerunt quondam *Venellocasses*, *Baiocasses*, *Abrincanti*, *Aulerci Eburovices*, *Sai*, *Sesuni*, *Constantienses*, *Lexovij*, *Caletes*, & *Nervij*. De Primis illud præmonendum duxi: Tres Populos, *Venellocasses*, *Baiocasses* & *Vadicasses* in antiquorum Historiographorum Libris nunc mirum in modum confundi, nunc nimisquam vitiose scribi. Illud satis constat varia ab ijs Loca fuisse habitata: *Venellocasses* & *Baiocasses* ad Normanniam nunc pertinent, *Vadicasses* ad Picardiam: ut quum eam Franciæ Regionem perambularem, docui. *Venellocasses* (sic enim scribendi, ex Variorum Auctorum commissione, Doctorumque Virorum, cum primis Iosephi Scaligeri, suis ad me litteris, judicio) οὐελλοκάσιοι dicuntur Ptolemæo, pro quibus levi fortean mutatione reponendi οὐενελλοκάσιοι: *Velocasses* apud Cæsarem lib. ii (in alijs libris leguntur *Verocasses*) syllaba mutilati, pro *Venellocasses*; *Velocasses* tamen Cæsaris Scaliger scribi vitiose censet pro *Baiocassibus*. Olim *Venellocasses*, ubi nunc *Civitas Rotomagensium*, ut in Notitia Provinciarum Galliæ sub Lugdunensi ii legitur, *l'Archeveſché de Rouen*. *Rotomagum* enim Ptolemæus *Venellocassium* statuit Vrbem. Cogitandum alijs relinquo, an veteris *Venellocassium* appellationis memoria non sit reliqua in ijs Normanniæ Populis, qui vulgo nunc *Veulquessins* ad Sequanam (alij *Vergassins*, quibusdam contractius *Vulxin*) quorum primarium Opidum *Gisortium* vocatur. Certe ejus mentis esse video Hadrianum Turnebum lib. ix. Adversarior. cap. viii, Petrum Divæum, Abrahamum Ortelium, Robertum Cœnalem, & alios. Deviat Marlianus, qui ex *Velocassibus* Cæsaris facit *Cassel* Opidum Flandriæ, in cacumine Montis

Veteres Incolæ. Venellocassi.

Baiocasses.

Montis situm. Iam ab *Venellocassibus* alij omnino erant *Baiocasses*. Ausonius de Professoribus Carmine IV de Attio Patera, ex emendatione Petri Pithei lib. I Adversarior. cap. III: *Tu Baiocassis stirpe Druidarum satus.*
Baiocassini Gregorio Turonensi lib. v. cap. XXVI: *Civitas Baiocassium* Notitiæ Provinciarum in Lugdunensi II, *Le Baillage & Evesché de Baieux en Normandie*. Vitiose *Pellocassi* apud Cæsarem lib. VII. *Vellocasses* apud Plinium lib. IV cap. XVIII. *Velocasses* apud Orosium lib. VI. cap. VII. *A Baiocassibus Prædia Baiocassina* in Lugdunensi II, Sidonio lib. IV Epist. ad Lucontium, quæ ordine XVIII. Sic *Baiocassini Saxones*, Gregorio Turonensi lib. v. cap. XXVI & lib. x. cap. IX: *Baiocassinus Pontifex*, eidem lib. IX. capite XIII. *Baiocassinus Civis*, eidem lib. II de Vita S. Martini cap. LIIII: *Baiocassinus Incola*, eidem lib. IV. cap. XXII.

Abrincanti.

Abrincanti, ut in Antiquo Notitiæ exemplari legitur, Plinio lib. IV. cap. XIIII. *Abrincatui*; Ἀβριγκάτουοι Ptolemæo: *Civitas Abrincantorum*, Notitiæ Provinciarum in Lugdunensi II. In Bonaventuræ Vulcanij Membranis, quarum antea memini, *Civitas Abrincantum*: Vulgo, *L'Evesché d'Auranches*. *Aulerci Eburovices*, apud Cæsarem lib. VII, & Plinium lib. IV nat. hist. cap. XVIII. Male enim in Vulgatis legitur: apud

Aulerci Eburovices.

illum quidem, *Aulercis, Eburonibus*, interjecta etiam distinctione, quasi duo essent Populi; apud hunc vero, *Aulerci, qui cognominantur Eburones*. Ptolemæo Αὐλίρκιοι Ἐβουραϊκοί: *Ebores* vel *Ebures* Ausonio, Epistola ad Paullum de Ostreis Nobilibus: *L'Evesché d'Evreux en Normandie*, ut censent Scaliger ad me scribens, Orontius, Vigenereus, Vinetus, & alij; quorum tamen nonnulli *Aulercos* ab *Eburovicibus* separant, contra Veterum Scriptorum, præcipue Plinij & Ptolemæi, mentem: Ego alibi docui *Aulercorum* sive prænomen, sive cognomen sit habendum, aliquot Veteris Galliæ Populis fuisse commune. *Eburovices* autem sunt, quos cap. XIX dixi vitiose notari in MS. Codice Bonaventuræ Vulcanij *Ebroreos*, hoc modo, *Civitas Ebroreorum*. Scribendum enim fuerat *Civitas Eburonum, Eburum*, vel *Eburovicum*. Hoc addam, *Aulercorum*, de quibus hic ago, Vrbem *Mediolanum* nominari apud Antoninum, Itinere, quod Rotomago ducit Lutetiam, pro quo in Itineraria Tabula vitiose, *Mediolano Autercorum*.

Sai.

Sai nusquam noti, quam in Notitia Provinciarum Galliæ, ubi in Lugdonensi II *Saiorum Civitas*, hodie *L'Evesché de Sés* vel *Sais*: *Sagiensis Episcopi* mentio apud Ivonem in

Sesuni.

Epistolis, item in Concilio Aurelianensi, Vitis denique S. Ansiberti, & S. Oportu-

Constantienses.

næ, non semel. *Sesuni* apud Cæsarem fortean, ubi hodie Vicus, qui vulgo *La Sezai*: alijs Civitas Episcopalis Provinciæ Turonensis, quæ vernacule *Exisms*. *Constantienses* nominat eadem Provinciarum Notitia, ubi in Lugdunensi II. *Civitas Constantiensium, L'Evesché de Contances*.

Lexovij.

Lexovij vel *Lexobij* Cæsari lib. III, Plinioque lib IV. c. XVIII. qui Ληξοούιοι Straboni lib. IV; Λεξούιοι Ptolemæo, & in quibusdam Codicibus Λεξούβιοι: *Civitas Lexoviorum* Notitiæ Provinciarum in Lugdunensi II; *L'Evesché & Pais de Lisieux en Normandie*.

Caletes.

Caletes Cæsari, qui *Caleti* Orosio lib. IV. cap. XI (nam in quibusdam Exemplaribus mendose scribuntur *Saletes*) Καλέτοι Straboni, μέχρι τῆς ἐκβολῆς τοῦ Σηκουάνα ποταμοῦ pertingere eos ajenti: apud eundem alio ejusdem libri loco prave, Ταδέτοι nominantur, unde in Britanniam diurno brevior notatur Cursus: Καλῆται sunt Ptolemæo. *Galleti* corrupte apud Plinium lib. IV. cap. XVIII, qui emendare *Caleti* apud eumdem lib. XIII. cap. II. Hodie, *Le Baillage de Caus en Normandie*, ex sententia Scaligeri, Turnebi, Divæi, aliorum: ubi nescio, an Opidum *Cailly* memoriam etiam servet *Caletum*. Errant enim, qui ex similitudine nominis Morinorum Opidum, quod Anglis eripuerunt anno CIↃ IↃ LVIII Franci, *Calesium* vulgo, esse arbitrantur. Vero similius, eo ab *Caletibus* Coloniam una cum appellatione aliquando

Nervij.

ductam. Videntur & in hoc Galliæ angulo fuisse *Nervij*. Liber Notitiæ Imperij Occidentis *Nervicanum Tractum & Limitem* habet circa Armoricam. Legitur enim ibi: *Sub Dispositione Viri Spectabilis Ducis Tractus Armoricani & Nervicani*. Et paullo post: *Extenditur tamen Tractus Armoricani & Nervicani Limitis per Provincias quinque: Per Aquitanicam Primam & Secundam, Senoniam, Secundam Lugdunensem & Tertiam.* Divus etiam Paullinus *Nervici* meminit *Littoris* ad Victricium, Præsulem Rotomagensem. Olim, ubi nunc pars Normandiæ, quæ vulgo *Bessin*, aut circiter. Quæ de *Nervijs* Ptolemæi ad Normanniam adferunt nonnulli, non magnum hic habent locum. Nam si bene examinentur, pertinent illi cum ijs, quorum meminerunt Cæsar, Tacitus, Plinius, alij, ad Inferiorem Germaniam.

In ex-

Normanniæ, qualis hodie, distributio.

In explicanda porro, qualis hodie, *Normannia*, cum Dignitatum Sedes expendam, tum Partes Maiores, Dignitates ibi partim Ecclesiasticæ, partim Politicæ. Ecclesiasticas appello Archiepiscopatum, &, qui sub eo, sex Episcopatus.

Archiepiscopatus Sedes Rotomagum, Rouen; Unde dicta; Situs; Pons; Acte; Templum.

Archiepiscopatus Sedes est Vrbs, quæ Latinis *Rotomagum*, vulgo *Rouen*: Ptolemæo, ut ad me scribens sentit Vir Nobilissimus Iosephus Scaliger, Ῥωτόμαγος ἐπιθαλασσίων: Alijs alia mens est. *Rotomagum* apud Antoninum inter Iuliobonam & Lutetiam: *Retumagus* vitiose in Itineraria Tabula. Ammianus *Caput* facit *Galliæ Lugdunensis Secundæ*. Dictam hanc Vrbem fabulantur ab *Romo* nescio quo Rege; quidam ab *Roto* Idolo; nonnulli, similem meo judicio insanientes insaniam, ab rubicundo Lapidum, ex quibus Pons exstructus, colore: Alij aliunde. Qui Germanice callemus, non ignoramus vocem *Magus Vrbem* significare; unde & *Magen*, qui ejusdem Vrbis, maxime vero qui Cognationis inter se vinculo juncti. Fluviis adsidet ad Meridiem quidem *Sequanæ*, maximarum Navium (unde ingens Mercaturæ commoditas) capaci: ad Orientem Minoribus *Rubeco* & *Aubettæ*: qua Septemtrio est, latissimos Pratorum habet Campos, Montesque præcelsos. Sequana Ponte stratus est ingeniosi artificij structuræque, si quid in Gallijs aliud, admirabilis; lapide quadrato, validis columnis, pulcris Arcubus, qui tredecim numero; altitudinis latitudinisque insignis. Per eum rari permittuntur onustis Curribus Carrucisq; transitus. Magno namque constat reparatio, si quid forte destructum vel ruptum. Vehiculis Sequanam transportandis præsto semper jacent duo Pontones, longi satis latique. Acten Navibus onerandis exonerandisque commodam habet. Vrbs ad eundem Sequanam, interposito Ponte bipartitam: Inferiori ab Navibus nomen, *Le Quay des Navires*; Superiori ab Franciæ Metropoli, *Le Quay de Paris*. Primarium Templum, quod D. Virgini sacrum, artis absolutissimæ, tres habet Turres; quarum quæ media *S. Romani*, Rotomagiensium Archiepiscopi vocitatur: Secundæ nomen inditum *Butyraceæ*; ædificatam enim ferunt stipibus è populo corrogatis ad obtinendum quadragenarij Iejunij tempore Butyri usum. Ejus Canonici egregijs ab Francorum Regibus donati sunt Privilegijs, cum alijs, tum quod singulis annis Ascensionis Christi die vinculis eximere possint Hominem aliquem facinorosum, Damnationi proximum, certoque supplicio jamjam destinandum. Peragi Negocium illud varijs Cerimonijs, Capsulamque magni pretij, qua D. Romani ossa Ceneresque contineri dicebantur, Reum humeris portare vidi, non sine stupore, anno CIƆ IƆ-LXXXVII. Ritus ejus caussam narrabant mihi Cives, liberatam aliquando ab Serpentis cujusdam incursu Vrbem; D. Romani precibus, Latronis autem ope; quam quod postea in Ecclesiastica Rotomagensium historia multis perscriptam viderim, meis his non adponam. In Turri *Butyracea* Campanam spectavi, cujus pondus Librarum triginta sex millium, Lingua septingentas decem pendente. Nomen illi *Georgius Ambosius*, ab Archiepiscopo, qui anno CIƆ IƆ I Civitati donavit. Latitudo decem est pedum; Altitudo totidem, comprehensis Ansis. Circuitus triginta sex est pedum, continens hos versus:

Campana.

Ipsa ego sum, quamvis sonitu veneranda Tonanti,
Prima est Auctori gloria danda meo.
Namque ter & denis cum ternis millibus æris
Obtulit hac vero dona dicata DEO
Scilicet Ambosius, qui sancta Georgius arma,
Cunctaque Francigenis tractat habenda viris.
Rotomagum tanto felix Antistite gaudet,
Quum sit cardinei gloria summa Chori.

Festum anniversarium.

Vas omnium, quæ in Gallijs, vastissimum. Festum Rotomagi celebratur XII Augusti anniversarium, in memoriam exactorum cum Vrbe, tum tota Francia Anglorum. Res incidit in annum CIƆ CCCC XLIX. Est ibi, præter alia splendida variorum Principum Nobiliumque Familiarum Palatia, *S. Ouenij* Cœnobium, ab Hlothario Rege conditum, loco situm totius Vrbis pulcherrimo; cui jucundissimus ad Orientem prospectus, Hortique mirum in modum amœni. Hic Reges Galliæ, quoties Rotomagum veniunt, plerumque excipiuntur. Sedes porro hæc Vrbs non solum Archiepiscoporum Normanniæ, quos XXCI recenset Belleforestius, postremum nominans *Karolum* Cardinalem Borbonium: verum etiam Parlamenti, quod per

S. Ouenij Cœnobium. Archiepiscopi Sedes. Parlamenti Domicilium.

Normanniam eamdem institutum antea dixi ab Ludovico XII, circa annum CIↃ CCCC XLIX. Incendia quatuordecim numerantur horrenda, quibus nunc hic, nunc ibi potissimæ Vrbis partes fuerunt disjectæ & subversæ, annis IↃ CCCXLII, CIↃ CXVIII, bienniоque post, CIↃ CXXVI, CIↃ C LXXIII, CIↃ C XCIIII, CIↃ CCIII & sequenti, CIↃ CCX, succedenteque, CIↃ CCXX, & octennio post, CIↃ CCXLIII, & CIↃ IↃ XIIII.

Incendia.

Hæc de Vrbe Archiepiscopali: Episcopales sunt, quæ vulgo, *Aurenches*, *Eureux*, *Baieux*, *Sais*, *Contances*, *Lisieux*. *Aurenches*, Latinis olim *Ingena Abrincantorum*: Ἴγγενα Ἀβριγκαντούων Ptolemæo: *Abrincanta Vrbs Armorica* est in libro Notitiarum. *Abrincantinam Villam* nominat Sigebertus, quæ vocatur *Landa Aronis*. *Cohors I. Ingenuorum*, quæ in antiqua Inscriptione visitur Florani, in Agro Veronensi, nescio an huc pertineat: quod moneo, quum in ea sententia videam doctissimum Virum Abrahamum Ortelium. Ea sane sic habet:

Reliquæ Vrbes Normanniæ. Aurenches, olim Ingena Abrincantorum;

Q. CAICILIO. CISIACO
SEPTICIO. PICAI
GAICILIANO

PROCVR. AVGVSTOR. ET. PROLEG
PROVINCIAI. RAETIAI. ET. VINDELIC
ET. VALLIS. POENIN
AVGVRI. FLAMINI. DIVI. AVG
ET. ROMAI

C. LIGVRIVS. L. F
VOL. ASPER
7. CON. I. CR. INGENVOR

Abrincantenses Præsules nominat Belleforestius XLV; ultimum *L. Sitierum Parisiensem*. *Abrincanta Vrbis* fere mœnia pulsat Mare, quod Montem D. Michaelis circundat. *Eureux*, olim, ut videre est apud Ptolemæum *Mediolanum* (Μεδιολάνιον) *Aulercorum Eburovicum*, quod suis ad me litteris monet Nobiliss. Vir Iosephus Scaliger: *Mediolanum Aulercorum*, Antonino. Episcoporum Nomenclaturam nullus adhuc vidi. In huius Vrbis Territorio sunt opida *Vernon*, *Aigle*, *Passey*, *Tullieres*, *Ingles*, *Canches*, *Bertueil*, *Rugles*, *Bruin*, *Hermenville*. *Baieux*, *Baiocensis Vrbs* in vita S. Vegoris ejus Episcopi apud Surium. *Baiocas* in Catalogo Metropoleωn, & Vsuardo pridie Eid. Septembris, Kalendisque Novembris; necnon Aimoino lib. V. cap. XLIII. Sic Notitia Imperij: *Sub dispositione V. Spectabilis Ducis Moguntiacensis*; *Præfectus Latorum*, *Batavorum*, *& Gentilium Suevorum Baiocas & Constantia Lugdunensis Secundæ*. Vrbs Arce prædita adsidet Auræ Fluvio, qui haud procul Estrehaino in abismum se condit. Templum ibi visendum cum insigni Horologio. Qui quotque Præsules Ecclesiæ præfuerint, nondum didici. An altera *Retomagus* Ptolemæi, videant peritiores. Res parum certa formulam veterem mihi exprimit, N. L. Adeat præter alios Lector Eliam Vinetum ad Professores Ausonij, Carmine IV. *Sais*, *Ses*, vel *Seez* (varie enim scribitur) *Sagium* legi Latinis appellari, sed apud quem non occurrit in præsentia Scriptorem. *Saiorum Civitas* in Notitia Provinciarum non tam opidum, quam totus eorum Pagus & Ditio. Multa huic parent opida, & fere totum Alençoniense Territorium, Parsque Regionis, quæ vulgo *La Perche*. De Episcopis nihil habeo certi. Opidi, quod Arce præditum, pars una Regni est, sub judicium cadens Magistratus Regii, cui Sedes est Falaisæ, altera Ducatus Alençonij. *Contances*, vel, origini suæ convenientius, *Constances*, *Constantina Castra* Ammiano; *Flavia Constantia* in Libro Notit. Opinantur nonnulli Κρουκιάτωνον *Venelorum* esse apud Ptolemæum, quod *Caracotinum* Antonini, *Crouciaconnum* Peutingeri Tabulæ: cui sanius & emendatius, nondum capio. Opidum hodie nullis muris, nullo vallo cinctum: Arcem tamen habens. Magna & multa ibi Antiquitatis vestigia. Pontem egregium hic construxerunt Proceres, quibus cognomen *Les Puisneaux*, super Rivum, qui *Basart* vulgo. Episcopos numerat Belleforestius LXXII, ultimumque nominat *Arturum Cossæum*, Marescalli Brisaccii Filium. *Lisieux* opido quod olim Nomen, quosque & quot ad hoc usque tempus habuerit

Eureux, olim Mediolanum Aulercorum Eburovicum.

Baieux, Baiocas.

Sais, Sagium.

Constances, Constantina Castra quondam.

Lisieux, Lexovium.

habuerit Antistites, mihi non est compertum: Hodie *Lexovium* Latine scribentibus nuncupatur.

Hæc de Dignitatibus, quæ Maiores per Nortmanniam, Ecclesiasticis: sequuntur Politicæ in Ducatibus, & Comitatibus: nam minorum gentium præteribo, ne sim prolixior. Ducatus sunt tres *Alençon, Aumale, Longue-Ville.* *Alençonium* ad Sartram Fluvium, qui apud Andegavenses in Ligerim provolvitur, Comitatus olim titulo fuit celebre. Primus Valesiorum & *Alençonii* Comes legitur *Karolus*, Philippi III Franciæ Regis Filius. Hic tres habuit Conjuges; Clementiam, Karoli II Regis Apuliæ; Katharinam, Philippi Filiam, Balduini I Imperatoris Byzantini Neptem: Mechtildem Guidonis Castilionæi, Comitis S. Paulli Filiam. Ex aliis alij utriusque sexus nati: ex postrema *Ludovicus*: quo sine liberis mortuo, Comitatus ad *Karolum* II, Fratrem Consanguineum, quem ex prima Conjuge Karolus Valesius procrearat, est devolutus. Karolo successit Filius *Karolus* III, quo in Archiepiscopum Lugdunensem lecto, Comes v factus est frater *Petrus*, Pater *Ioannis*, quem primum *Alençonij* Ducem inauguravit Karolus VI, Rex Franciæ: Hunc recta linea sunt sequuti *Ioannes* II, Dux II; *Renatus* Dux *Alençony* III, & Comes Perchæ; *Karolus* denique IV, Dux IV: quo sine Liberis non multo post Pugnam Ticinensem exstincto, Ducatus ad *Franciscum* I Francorum Regem rediit. Renatum rursus Ducatus nomen in *Hercule Andegavensi*, qui postea *Francisci* nomen adsumsit. Hic improlis anno CIↃ IↃ XXCIII mortuus Ducatum Regno restituit.

Ducatus. Alençon.

In hoc Opido Baillivatus Nortmanniæ est præcipuus. Quod ad *Aumaliæ* Ducatum, legitur ab Antonio, Comite Vadimontio, ducta *Maria*, Filia & Heres *Ioannis* Harcuriæ & *Aumaliæ* Comitis. Ex eo Conjugio natus, cum Margareta (quæ Antonio Crouiaco, Porciæ Comiti, in dotem attulit Airschotum & Birbecam Brabantiæ opida) *Fridericus*, Comes Vadimontius & *Aumalius*. Hic, ducta Iola Renati Andegavensis Regis Siciliæ Filia, Lotharingiæ Ducatum Herede vacuum ad veterem Stirpem Bilionæam reduxit: Successorem nactus Filium *Renatum*, Lotharingiæ Ducem, Comitemque Vadimontium & *Aumalium*: cui quum plures essent Liberi, Antonius tertio-genitus Dux fuit Calabriæ, Lotharingiæ, Barri; Marchio Montisummopontis, Comes Provinciæ, Vadimontis & Alpromontis: *Claudius*, septimo loco natus, Dux Guisiæ & *Aumaliæ*: Comitatu jam in Ducatus dignitatem erecto: Ludovicus, qui Liberorum nonus, Vadalamontis Comes: Franciscus denique postremus, Lambesci & Orgonis Comes. *Claudio* duo fuerunt Filij, Franciscus, Dux Guisius; & *Claudius*, Dux *Aumalius*; Filia vero Maria, quæ, priore Conjuge Longovillano Duce mortuo, nupsit Iacobo V. Regi Scotiæ, mater ex eo Mariæ Stuardæ, Scotiæ Reginæ. *Claudius*, de quo dixi, unicam habuit Filiam & Heredem *Katharinam*, quæ nupsit Nicolao Comiti Vadimontio suo Agnato. De *Longovillano Ducatu* nihil, quam quod obiter paullo ante dictum, habeo.

Aumale. Longueville.

Hæc de Ducatibus: Comitatus sunt *Eu, Harcourt, Eureux, Tancarville, Maleurier, Mortain, Mongommery, Thorigny, Gisors*. *Eusium Comitatum* (cujus pars est in Francia, sic speciatim dicta) translatum lego in Comitum Nivernensium & Stamparum Familiam, quum Philippus, Philippi Valesij, Burgundiæ Ducis, Filius, Comes Neversij, Rethelli, & Stamparum, Conjugem duceret *Bonam* Philippi Artesij, *Comitis Eusij* Filiam. Vide quæ plenius dicturus cap. XXXIX, ubi de Comitibus Nivernensibus. *Harcuriæ Comitatus*, una cum Aumalio ad Vadimontios Comites pervenit, Conjugio inter Antonium Vadimontium Comitem & Mariam Filiam Heredemque Ioannis Harcuriæ & *Aumaliæ Comitis* Filiam, de quo antea. De *Ebroicensi, Tancarvillano, Meleurensi, Mortanio & Gisortio* (de ipso opido post dicam) *Comitatibus* nihil jam explorati occurrit. Præstat enim nihil adferre, quam parum cognita. *Mongommerium Comitatum* nobilitavit supra modum non ita pridem *Gabriel Lorgius, Comes Mongommerius*, Princeps magnanimus, cujus res fortiter gestæ Suppliciumque inciderunt in annum CIↃ IↃ LXXIV. *Thorignyum* obtinuit nuper *Iacobus Matignonius*, cujus contra Mongommerium gesta in Francorum Historiis leguntur ad annum, cujus memini. Opidum est ruinis & Porticuum, quæ dives fuisse loquuntur, ruderibus deformatum. Sedes Baillivatus. Addam hic nonnihil de *Regno*, quod vulgo *Yvetot*, *Royaulme d'Yvetot*, exiguis finibus circumscriptum, haud procul Urbe Rotomagensi, in ea Nortmanniæ parte, quæ vernacule *Constantin*. Regni Titulus

Comitatus. Eu. Harcourt. Eureux. Tancarville. Maleurier. Mortain. Gisors. Thorigny. Royaulme d'Yvetot.

natus fertur sub Hlotario I, Francorum Rege, qui Vici Dominum obtruncarat, ipso Parasceues die. Damnatus enim rex scribitur Romani Pontificis sententia, ut Cæsi heredibus tantum in suam Dynastiam juris, præter Regium Titulum, concederet, quamtum Regibus deinceps in totum Franciæ competeret Regnum.

Sic se habent per Nortmanniam Dignitates & Ecclesiasticæ & Politicæ: succedit explicatio Partium Majorum. Nortmannia quibusdam statuitur Duplex *Superior* & *Inferior*.

Haulte Normandie, cujus pars Vesquecin, Vrbs primaria Gisors.

Superior, *La Haulte Normandie*, continet (præter Ducatus, Comitatusque præscriptos) illam Regionis portionem, quæ vulgo *Vesquecin*, aliis *Vulx* & *Vulxin* cognomine *Le Normand*. Vrbs primaria *Gisortum*, *Gisors* vulgo; quam Metropolin agnoscunt, quæ notis nominibus *Estrepaigny*, *Escouys la grande*, *Forest de Lybonis*, *S. Clair sur Astre*, *Les deux Andelys*, *Chasteau Gaillard*.

La Basse Normandie, Partes ejus I Caulx,

Inferior, *La Basse Normandie*, in Minores distrahitur Partes, quæ vernacule, *Caulx*, *Bessin*, *Constantin*. *Caulx*, *Caletum* quis Latine dixerit. Veterum Caletum, ut antea dixi, Sedes. Faciem habet Peninsulæ, quæ Sequana minoribusque aliquot Fluviis & Oceano fere jacet inclusa. Extendit se Treportum usque & Fanum S. Valerij, quod prope Abbatis-Villam & opidum Eusium. Promontorium habet, quod Francis *Capo de Caulx*; vel *Le Groing du Caulx*; quod ex Sequana petentibus Angliam est

cujus Metropolis Diepa,

præternavigandum. Metropolis *Diepa*, cui nomen ab Fluvio perlabente. Cives maximam sibi famam pepererunt suis in Orbem remotiorem Navigationibus.

reliqua Opida, Harfleu, Honfleu, olim Iuliobona.

Minorum gentium Opida sunt *Harfleu* ad dextram Sequanæ ripam, quasi *Arcus*, ut quidam conjiciunt, *Fluctus Maris*: *Honfleu* ad ejusdem sinistram, cum Arce: insignis Portus: Ptolemæo, ut nonnulli censent, Ἰουλιόβονα, ut & Antonino, & Itinerariæ Tabulæ, in qua vitiose *Luliobona*. Meminit & *Iuliobonæ* Sigebertus, qui dicit eam ab Iulio Cæsare conditam & nominatam, destructa Vrbe Caleta. *Iuliobona* Hadriano Turnebo *Villebon* putatur: *Havre de grace*, Portus Gratiæ Latinis sonat, opidum,

Havre de grace,

quod Piratis terrori; Francici Regni ea parte Clavis & Ianua; Condidit contra Anglorum irruptiones Franciscus I; Ejus incunabula inciderunt in annum CIↃ IↃ IX:

Caudebec, Fescamp.

Caudebec ad ripam Sequanæ dexteram: *Fescamp* quasi, ut quidam augurantur, *Fisci Campus*; Abbatiam habet celebrem, ubi Mausolæum Nortmanniæ Ducum; Sepultos ibi scio Richardum I & Richardum II Intrepidum, Patrem & Filium, Tertium & Quartum Nortmanniæ Duces.

II Bessin, cujus opida Caen,

Bessin habet præter Baiocensem Vrbem, de qua paullo ante, *Cadomum*, vulgo *Caen*, opidum ad Fluvium, qui Ὄλινα Ptolemæo, *Aulne* & *Orne* vernacule vocatur; Arce præditum, Baillivatus sede nobilitatum, Academia celebre, quam instituit Henricus V Angliæ Rex anno CIↃ CCCCXVIII; Antiqua igitur, sed ob Viciniores ignobiliore; Sunt qui nuncupatum volunt, quasi *Car*, id est *Cæsaris*, *Domum*; Insignis ibi Architecturæ Curiam est videre. Ca-

Falaise,

domum sequuntur: *Falaissa*, opidum ad Antam Fluvium: Formam Navis refert; Arcem habens, quæ Puppis quasi vicem subit; Ambitur Fossis profundissimis, duobusque cingitur Stagnis; Patria Gulielmi Conquæstoris, cujus in Ducum Catalogo feci mentionem; Superioribus annis, quum forte Terra foderetur, inventa fuit magna vis Nummorum Æreorum, quibus & nomen & imago C. Iulij Cæsaris erant insculpta: In Suburbanis opidi locis Sacellum est Divæ Virgini dicatum, cui cognomen *La Guibray*, ubi Mercatus, maximis propositis Immunitatibus, celebra-

Hyesmes, Vire, Mortain,

tur singulis annis famosissimus; *Hyesmes*, *Oximum* Surio in vita S. Oportunæ; Arce præditum. *Vire*, opidum ad Fluvium cognominem, qui innumeras versat Molas, subigendis eluendisque pannis, quorum magnus hic Mercatus: *Mortain*, opidum cum Arce ad Auram Fluvium; Reliquiæ hic servantur S. Gulielmi; in Primario Templo Canonici Sacra celebrant ritu Parisiensi; Majoribus Festis Regius Adparitor nomine Regis se sistit, nudum manu tenens, donec Sacrum peractum, Ensem; nec

III Constantin, cujus opida Valloignes, Cherbourg, S. Lo,

aliud, quam hunc Ensem in publicis Supplicationibus gestant Signum. *Constantia* complectitur (præter Constantiensem vrbem; Baroniam Honyvet, & Regnum Yverot) opida *Valloignes*, cujus Incolæ Litibus addictiores, Arce nobile, ut & quæ sequuntur pleraque: *Cherbourg*, quasi *Cæsaris Burgum*; exstructum enim ab Cæsare creditur; Postremum fuit eorum, quæ Karolus Rex Anglis eripuit: *S. Lo*, opidum ad Viram Fluvium, anno CIↃ IↃ LXXIV ab Comite Mongommerio captum, mox-

Quarentan, & alia.

que ab Matignone Regis nomine recuperatum: *Quarentan*, Portum Maris: *S. Saulveur*: *S. Hermont*,

S. Hermont, S. Gilles. In eodem hoc Tractu *Ville-Dieu*, Commendatariam, ut nota utar voce, habet Rodiensem.

Ad *Normanniam* referenda pars Itineris, quod Antoninus Augustus, siquidem is Auctor Itinerarii, quod circumfertur, ducit ab Carocotino Augustobanam. Non gravabor adscribere commissam cum Tabula Peutingeriana.

Iter Carocotino ducens Lutetiam,

Antonini Itiner.		Tabula Peutingeri Itiner.		Vulgat. Nomencl.
A Carocotino Augustobanam, Ptolemæo Κροκιάτωνον.	M. P. CLIII.	*Crouciaconnum,* Vitiose. Legend. *Crociatono.* Quid si *Cruciacordo?*	XXI	*Creveceur.*
Iuliobonam,	M. P. X.	*Luliobona,* Emendand. *Iuliobona.*	XVIII.	*Honfleu.*
Lotum,	M. P. VI.	.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.		*Ponteau de Mer.*
Latomagum,	M. P. XIII.	*Rattumagus,* Mendose.	VIII.	*Vanteville,* aut circiter.
Rotomagum,	M. P. IX.	*Ritumagus,*	XII.	*Roan.*
Petromantalum,	M. P. XVI.	*Petrum viaco,* Inemendate.	XV.	*Mante,* ad Sequanam.
Desideratur hic Mansio *Brivalsara*, quæ in Itineraria Tabula. Paullo post tamen nominatur ab Antonino, alio Itinere, quod *Cæsaromago* ducit *Lutetiam.*		*Brivisura,* Reponend. *Brivalsara.*	XV.	*Pontoise.*
Lutetiam,	M. P. XVIII.	*Luteci,*	XVII.	*Paris.*

Cap. XXXI.

Britannia.

BRITANNIA, Bretaigne. Ejus Fines.

BRITANNIA, vulgo *La Duché de Bretaigne*, nomen habet à *Britannis* Populis, de quibus paullo post dicam. Ad Orientem Nortmannos habet, Cenomanos & Andegavenses confinales; ad Meridiem Pictones: reliqua Latera claudit Mare Britannicum. Provinciarum Galliæ ad Oceanum est ultima; in altum ultra reliquas omnes procurrens, Peninsulæ instar. Vere Plinius lib. IIII. natur. Histor. cap. XVIII: *Sed Peninsulam spectatiorem excurrentem in Oceanum à fine Osismiorum, circuitu* IↃ CXXV. M. *Pass. cervice in latitudinem* CXXV M. Non inconcinne igitur *Cornu Galliæ* vocatur in Veteris Historiæ Francorum libellulo. Ejus verba paullo post dabo. (Species.) Soleæ ferreæ speciem referre dicitur, cujus exterior pars subrotunda Mare: interior vero, quæ concava, respicit Mediterranea. (Magnitudo, Qualitas.) Longitudo ejus sex dierum est itineris, trium autem Latitudo. Regio est amœnissima & fertilissima. Pratis abundat & Erycetis, ex quibus gratum Pecori Pabulum. Mare ibi Commercijs aptissimum: unde Sal extrahunt Adcolæ, quod ab Sole induratum Conregionalibus vendunt. Venas Fodinasque habet Britannia Argenti, Ferri, Plumbi. (Incolæ,) Incolæ non omnes eadem animi alacritate; non omnes eadem comitate: plerique tamen cauti Lucrique cupidi; gravissima Negocia ad Pocula tractare soliti. (Lingua,) Bilingues. Quum enim novem habeat Episcopatus, ut antea monui; in Briocensi, Nannetensi & Venetensi absque discrimine utuntur Francica Lingua & Britonismo; in Leonensi, Tricoriensi & Curosopitensi, solo Britonismo, in Machloviensi denique, Dolensi & Redonensi Gallica tantum.

(Britannia olim Armorica,) Olim *Armorica* (cuius vocis latiorem fuisse notionem innuit Plinius lib. IIII. nat. Hist. cap. XVII.) fuit appellata; præcipue, qua ad Mare vergit, ubi nunc Inferior est Britannia. *Ar-Mor* enim veteribus Britannis nihil aliud, quam *ad Mare*, vel *supra Mare*, ut etiam docet cum Ioanne Lelando doctissimus Vir Gulielmus Cambdenus. (à qua Armorica Civitates,) *Armoricas Civitates* Oceanum attingentes celebrat Cæsar lib. VII, earumque in numero ponit Curiosolites, Redones, Ambibaros, Cadetes, Osismios. Lemovices, Venetos & Vinellos. Easdem in ultimis Galliæ finibus positas Oceanoque conjunctas ait A. Hirtius, sive quis alius, qui septem Ephemeridum de Bello Gallico Libris Octavum adjecit. De ijsdem, earumque pro Libertate sua in Romanos Conjuratione multa memorantur lib. III. Belli Gallici. (Aremoricus Lar,) *Aremoricus Lar* apud Ausonium in Ver-

in Versibus, qui à Monosyllabis cœpti in ijsdem finiuntur, *Viridomarus* Gallorum Dux, de quo Tertia Opima Spolia retulit M. Claudius Marcellus Consul. *Druides Gentis Aremoricæ* nominantur ab eodem Ausonio Carmine x de Grammaticis Latinis Burdigalensibus. *Aremoricum* quinque syllabarum est & alijs apud eumdem Poëtam locis; ut in Technopægnio versu LXXXIII, & Epistola ad Paulum de Ostreis versu XXXV, item apud Plinium lib. IV, & Sidonium in Panegyrico, qui Avito Augusto dictus: apud alios, ut Cæsarem & Eutropium est Tetrasyllabum *Armoricum*. *Armorica Letavia* quomdam etiam vocata, si fides Pontico Virunnio: hodie sane antiquo Britannorum Idiomate *Lhydaw* dicitur, ut scribit Humfredus in suo Britannicæ Descriptionis fragmento. Illud etiam hoc loco monendum duxi, totum Britanniæ Normanniæque, ut & ex adverso ipsius Insulæ Britanniæ, Littus longe lateque *Saxonicum* in Libro Notitiarum vocari ab *Saxonibus*, Piraticam ibi exercere solitis. Eo spectant hi Sidonij Apollinaris Versus in Panegyrico, quem Avito Augusto Socero dixit:

Druides Armoricani.

Letavia.

Saxonicum Littus.

Quin & Aremoricus Pyratam Saxona Tractus
Sperabat, cui pelle Salum sulcare Britannum
Ludus, & adsuto glaucum Mare findere Lembo.

Quanta autem immanitate per hæc littora grassati fuerint *Saxones*, docet idem Sidonius lib. VIII. Epist. VI. ad Nammatium: *Sed ecce dum jam Epistolam, quæ diu garrit, claudere optarem, subditus à Santonis nuncius, cum quo dum tui obtentu aliquid horarum sermocinanter extraximus, constanter adseveravit, nuper vos Classicum in Classe cecinisse, atque inter officia nunc Nautæ, modo Militis, littoribus Oceani curvis inerrare contra Saxonum pandos Myoparones, quorum quot Remiges videris, totidem te cernere putes Archipiratas; ita simul omnes imperant, parent, docent, discunt latrocinari. Vnde nunc etiam ut quamplurimum caveas, caussa successit maxima monendi. Hostis est omni Hoste truculentior. Improvisus adgreditur, provisus elabitur: spernit objectos, sternit incautos; si sequatur, intercipit, si fugiat, evadit. Ad hoc, exercent illos Naufragia, non terrent. Est eis quædam cum discriminibus Pelagi non notitia solum, sed familiaritas. Nam quoniam ipsa, si qua tempestas est, hinc securos efficit occupandos; hinc prospici vetat occupaturos in medio Fluctuum Scopulorumque confragosorum spe superventus læti periclitantur. Præterea, priusquam, de continenti in patriam vela laxantes, hostico mordaces anchoras vado vellant, mos est remeaturis decimum quemque captorum per æquales & cruciarias pœnas, plus ob hoc tristi, quod superstitioso ritu, necare; superque collectam turbam periturorum Mortis iniquitatem Sortis æquitate dispergere. Talibus se ligant Votis, Victimis solvunt: & per hujusmodi non tam Sacrificia, quam Sacrilegia polluti, religiosum putant Cædis infaustæ perpetratores de Capite captivo magis exigere Tormenta, quam Pretia.* De *Saxonibus* plura erunt dicenda in mea Germania. Certe crebriores *Saxonum* infestantium deprædantiumque Superventus pepererunt tandem huic Tractui Præfecturas Præsidiaque Militum Grannonæ, Blaviæ, Marcis, quorum in Imperij Notitia fit mentio. Inde item nati Vicarij, Comites, Duces *Britanniarum*, qui Tractum *Britannicum* sub sua haberent Dispositione: ut legere est in eadem Notitia, & apud Constantium in vita S. Germani, nec non apud Gildam Sapientem de Excidio Britannico.

Redijt postremo toti huic Provinciæ Nomen antiquum, *Britanniaque* cœpit iterum audire; Britannis eo ex adversa Insula ab Anglo-Saxonibus, Pictis, Scotisque circa annum CCCCL contra fidem compulsis. Fragmentum Historiæ Francicæ, quod cum alijs edidit ex sua Bibliotheca non ita pridem P. Pithœus I. C. *Iuxta quos* (loquitur de Nortmannis) *habitationem habent Britanni, qui pulsi à Britannica Insula dudum à Saxonibus, eamdem Regionem, quam modo incolunt, sibi vindicantes, appellavere à sua gente Britanniam, quæ prius Cornu Galliæ dicebatur.* Aliorum hac de re testimonia prætereo. *Rediisse* autem dixi. Sciendum enim *Britannos Insulanos* sic in Galliam ex Insula tunc temporis transgressos; ut olim *Britanni Galli* ex Celtica in adversam Insulam Colonias ducturi transierant. *Britanni* namque *Insulani Britannorum Celtarum* antiquissimi sunt censendi Coloni. Plenius hoc explicabo Parte Operis mei postrema; ubi de Insulis, Reginaque Insularum omnium Anglia. *Britannos* sane (ut ad Veterum Incolarum sensim deveniam indicium) in hac maritima Galliarum parte Populos habet Plinius lib. IIII. natur. Histor. cap. XVIII; eosque disertis verbis *super Ligerim sitos* notat. Sidonius Apollinaris lib. I. Epistola VII ad Vincentium

Britannia unde Nomen.

Veteres Incolæ, Britanni.

Βρετανοὶ sunt hi Dionysio Afro; *Britanniciani* in Libro Notitiarum; *Britones* vel *Brittones* cum apud Iuvenalem in Satyris:

Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones umquam;

Ausonium Epigrammate CVII, de quodam Silvio Bono, qui erat *Brito*: & in antiquo Lapide, qui visitur Romæ in Pariete Porticus S. Mariæ Rotundæ: tum apud ætatis mediæ Scriptores, Iornandem, Freculphum, Bedam & alios: *Brettons* hodie vulgo. Ab his *Britannis* tota hæc Regio *Britannia Cis-Marina* & *Minor* ad differentiam *Insulanæ*, quæ *Maior* & *Trans-Marina*, vocatur apud Sigebertum & alios. Ab iisdem *Limes* dicitur *Britannicum*, quod Eginarthus describit. Pergo ad reliquos Veteres *Redones,* hujus Ditionis Incolas. Sunt illi, *Redones, Nannetes, Curiosolitæ, Veneti, Osismii, Diablintes, Ambibari, Veneli, Ambiliates, Biducesij, Lemovices,* & alij. *Redones* apud Cæsarem lib. III, qui Ῥήδονες Ptolemæo; *Redonica Regio* Gregorio Turonensi; *Civitas Redonum* in Notitia Provinciarum in Lugdunensi III; *L'Evesché de Renes.* In hujus Diœcescos Agro Abbatia est, quæ *Redon* vulgo Populi memoriam plane adhuc servat. *Namnetes,* *Nannetes* vel *Namnetes* (varie enim pro Codicum diversitate scribuntur) Cæsari lib. III; Ναμνῖται Straboni lib. IV; Σαμνῖται Ptolemæo vitiose. *Civitas Namnetum* *Curiosopiti,* Notitiæ Provinciarum in Lugdunensi III: *L'Evesché de Nantes.* *Curiosolitas* apud Cæsarem *Corisopitenses* esse plerisque placet, inquit in Geographico Alphabeto Raimundus Marlianus. Notitia Provinciarum in Lugdunensi III *Civitatem* habet *Curosopitorum*, ut quidem legitur in optimis Codicibus: in Bonaventuræ Vulcanij, amicissimi mei Collegæ, Membranis est *Civitas Crisopotum: L'Evesché de Cornouaille.* *Veneti,* *Veneti*, Resque ab ijs contra Cæsarem gestæ in ipsius Ephemeridibus satis sunt nobiles. Οὐένετοι Straboni, qui & ipsorum navale cum Cæsare prælium celebrat lib. IV. Mirum autem Vulgares Strabonis Editiones *Venetos* Belgis adscribere, his verbis: μετὰ δὲ τὰ λεχθέντα ἔθνη, τὰ λοιπὰ Βελγῶν ἐστιν ἔθνη τῶν παρωκεανιτῶν, ὧν Οὐένετοι μέν εἰσιν &c. *Veneti* non Belgicæ, sed Celticæ sunt Populi; unde legendum pro Βελγῶν apud Strabonem censeo Κελτῶν. In Notitiæ Provinciarum Lugdunensi, cujus sæpe memini, III *Civitas* scribitur *Ciantium, id est, Venetorum: L'Evesché de Vennes ou Vannes.* *Venetos* hosce putat Strabo Venetiarum in Adriatico Sinu esse auctores. *Osismii* Plinio lib. IV. cap. XVIII. & Pomponio Melæ; Ὀσίσμιοι Straboni & Ptolemæo; qui *Ossismii,* *Ossini* in Commentario de Bello Gallico, corruptius. *Civitas Osismiorum* in Notitia Provinciarum. Τιμίους apud Strabonem nominat Pytheas, sedesque illis tribuit in Promontorio quodam, προπεπτωκυίας ἱκανῶς, porrecto satis. Sunt qui eos locant, ubi *Diablintes,* hodie Tricoriensium Vrbs, vulgo *Triguier*, vel *Landtriguier*. *Diablintes* (sic enim, ut censent Iosephus Scaliger, Fulvius Vrsinus, & alij, non *Diablintres*, ex Membranis scribendi) apud Cæsarem, qui *Diablindi* Plinio; Διαυλῖται vero Ptolemæo, minus bene. Notitia Provinciarum, *Civitas Diablintum*, id est *Carifes*; quid hoc sit, non adsequor. *Diablintes* olim, ut quibusdam videtur, ubi nunc *Leondoul*. Goropius Becanus in suis Advaticis eos longe ex Britannia removet, exque ijs facit Pagum Brabantiæ, qui vulgo *Linter*, ad Flumen Getam; quem non mihi animus hic refellere. In S. Domnoli, Cenomanorum Episcopi, Vita hæc leguntur: *Villa Tri-* *Ambibari,* *denta sita in Condita Diablintica*: quæ quid sibi velint, nondum capio. *Ambibaros* Cæsaris existimat fuisse Vigenereus, ubi nunc *Ambie*, prope Montem S. Michaëlis: *Veneli,* Qui Οὐένελοι, *Veneli*, Ptolemæo; *Venelli*, Plinio; *Vnelli* sunt in Commentarijs belli Gallici; Οὐενέτιοι, Dioni inemendatius. Constituuntur a plerisque ubi hodie *Laval* *Ambiliates.* opidum, Comitatus titulo clarum. *Ambiliates* (quidam Codices *Ambialites* præferunt) apud Cæsarem; hodie, voce parum abludente, *Lambalois*. Alij putant habitasse, *Biducesii.* ubi nunc Nortmanniæ Vicus *Amblie*, haud procul Baiocassibus. Qui Βιδουκέσιοι *Lemovices.* Ptolemæo interpretantur nonnulli *Briocenses*, *S. Brieu*. *Lemovices*, alij apud Cæsarem ab *Lemovicibus* Aquitaniæ, *Leonenses* (*S. Paul. de Leon*) esse censentur. Ego in his, ut in multis alijs, nihil temere adfirmo. Leguntur & in hoc Tractu, apud Ptolemæum *Arvii.* quidem Ἄρβιοι, apud Cæsarem autem *Cadetes*; de quorum Prioribus nihil habeo *Cadetes.* certi quod dicam: Posteriores explodit Fulvius Vrsinus; *Caletes*, de quibus in Nortmannia, substituens. *Cadetes* tamen audent nonnulli interpretari *Castellum Briantum*, vulgo *Chasteau Briant*, quod in Superiore Britannia paret Mommorancijs.

Britannia duplex Superior. La Haulte Bretaigne, Britannia hodie duplex est: *Superior* & *Inferior*. *Superior*. *La Haulte Bretaigne*, pars Orientalior ab Inferiore separatur Linea, ex Vico ducta, qui (inter Guingantum, & Brio-

& Briocense Opidum) vulgo dicitur *Chasteau-Andron*, cujusque Incolarum pars Britannice, pars Francice loquuntur; porrectaque porro inter Quintinum & Corlayum versus extremitatem Sinus Venetensis ad Flumen usque Vilanium; sic tamen, ut Fanum S. Ioannis, *S. Iean*, in Inferiore relinquatur Britannia. Metropolis est Vrbs *Nannetica*. Sic Gregorius Turonensis indigetat, quæ vulgo *Nantes*. Ptolemæo Κονδιούικνον *Nannetum*, ut censent Iosephus Scaliger suis ad me Litteris, Cognatus, & alij. Secus videtur Abrahamo Ortelio, qui *Corbilonem* Strabonis ex Polybio hoc loco mavult collocare. Sedes fuit olim Britanniæ Ducum; Comitatus habens Titulum, Ducisque Primogenito adscribi solita: ad Ligerim duosque alios Fluviolos sita loco peropportuno, haud procul mari. Episcopalis Statio, ut & quatuor quæ sequuntur.

cujus Metropolis Vrbs Nannetica, olim Condivicnum Nannetum;

Vrbs Redonica nuncupatur Gregorio Turonensi, quæ vernacule *Renes*. Κονδάτε *Redonum* Ptolemæo; *Condate*, Antonino & Itinerariæ Peutingeri Tabulæ, ut censent Iosephus Scaliger, Villanovanus, & alij. *Dolum*, Opidum nunc, olim Arx: vulgo *Dol* vel *Doul*. *Dolensis Vici*, Biturigum termini, meminit Gregorius Turonensis in vita S. Lusoris, qui apud eumdem lib. II. Historiar. poni videtur in Britannia. Addit Cœnalis *Neodunum* etiam quomdam appellatum: Νοιόδουνον Ptolemæus habet *Aulirciorum Diablintarum*. Præsules *Dolenses*, ut alibi a me dictum, jus habent Pallij, eamque ob caussam locum inter Archiepiscopos. *Fanum Briocense*, vulgo *S. Brieu*, opidum non ignobile. Rupes ibi excelsa tutam præbet Navibus Stationem: in ea Arx Vrbi protegendæ excitata. *Fanum S. Machlovij*, vernacule *S. Malo*. *Aletum* esse putatur in Libro Notitiarum, Nervicani Littoris. *Aletham* Vrbem Galliæ maritimam, quam Rinctus Fluvius adluit, haud procul Aaronis Insula, describit Surius ex Gemblacensi in S. Machlovij, Primi hujus opidi Præsulis, Vita. Patria Iacobi Cartieri, insignis Navarchæ, qui auspicijs Regis Francisci I. Canadam invenit, aliasque Terras in Mari, quod Septemtrionem versus est, sitas. In hujus Diœcesi Abbatiæ sunt opulentæ, *Belli-Loci*, *Montis-fortis*, *Preaa*. *Dinan*, opidum pulchritudinis eximiæ, in delicijs aliquando Britanniæ Ducibus. *Rieulx* ad Vilanium Flumen. Nescio an apud Ptolemæum sit Δαριόριγον: quod tamen Cœnali & Villanovano Venetensis est Vrbs, *Vannes* vulgo, in Inferiore Britannia: *Dartoritum* vitiose scribitur in Itineraria Peutingeri Tabula. *Chasteau-Briant*, opidum Arce præditum, Limitaneum inter Britannos Armoricos & Andegavenses; Proceribus parens Mommorancijs. *Lamballum*, *Lamballe* vulgo; à quo Ditio *Lamballois*; Sedes olim fortean *Ambiliatum*, ut antea dixi. Officinæ hic Membranarum, quæ Chartæ Pergamenæ nominantur. *Vitray*, opidum, quod inter & Vicum, qui vulgo *Croisille*, rivulus est, qui Britannos ab Cenomanis hic sejungit: quin & ea parte, haud procul Herucio Burgo, Vlmus visitur, eumdem statuens terminum. Sunt & Britanniæ Superioris alia opida *Iugon*, ubi Arces visuntur insignis Antiquitatis; *S. Aulbin du Cormier*, in cujus Territorio commissum scribitur Prælium, quod in Francorum Historijs *La Bataille S. Aulbin*: Item *Mont-contour*, *Plerel*, *Iocelin*, *Malestroit*, *Pontigny*, *S. Iulian*; *Encenis* denique, extremum versus Pictones, sub quo comprehendi solent Ditiones, quæ vulgo *Clissonnois*, *Raiz*, & aliæ.

Aliæ Vrbes & opida. Renes olim Condate Redonum; Dol vel Doul; S. Brieu, S. Malo, Dinan, Chasteau-Briant, Lamballe, Vitray, Iugon, S. Aulbin du Cormier, & alia.

Inferior, *La Basse Bretaigne*, porrigit se ab communibus cum *Superiore* Limitibus in Occidentem versus Oceanum, qui tria ejus Latera late pulsat. Vrbes in ea & opida celebriora: *Venetia* ab Cæsare lib. III de Bello Gallico cum primis nobilitata, *Venetorum* Metropolis & Caput facile *Armoricarum*: *Vannes* hodie. Arcem habet, quæ vulgo *L'Hermine*, Palatium quondam Ducum Britanniæ. Adhuc quæro, an Arci ab Insignibus, an vero his ab Arce nomen & ratio. Argutantur hic nonnulli. Insignia certe, quorum nunc in Britannia usus, Caudæ sunt Mustellarum, quæ vulgo *Harmelina*, in Area candida. *S. Paulli Fanum*, *S. Paul de Leon*, Ptolemæi putatur esse Σταλιοκανὸς Portus: de quo antea dixi. In Latinis Ptolemæi exemplaribus *Saliocanus* legitur, vitiose; quod videre nolens Cœnalis Portui nomen inditum scribit ab *Sale* conficiendo. In hujus Diœcesi Abbatiæ sunt; *Gerber des Religieux*, *S. Mathurin du fin de terre*, *S. Marie de Gerler*. *Tricortense Opidum*, vulgo *Triguier*, *Landtriguier*, insignem habens Portum. *Blabia* in Libro Notitiarum Armoricani vel Nervicani opidum dicitur, quod nostro tempore *Blavet*, ad Maris Sinum, in quem commisti se infundunt hinc inde duo Fluvij; quorum qui Vulturnum versus, opido est cognominis; qui Caurum spectat, *Ella* vocatur. Portum, omnium hac Franciæ parte princi-

Inferior, La Basse Bretaigne, cujus Vrbes & opida; Vannes, olim Venetiæ; S. Paul de Leon, Triguier, Blavet.

Brest. principem, qui hodie *Brest*, Βρεγάτιον in Gallia Lugdunensi Ptolemæo dici censet Iosephus Scaliger. Alias monui. Sunt qui hinc *Britanniæ* nomen dirivant. Ego nec ajo, nec nego. Sunt & alia opida, quæ vulgo: *Morlaye.* *Morlaye*, commodissimus Anglis Portus; *Guincampum*, Dominos agnoscens Heredes antiquorum Comitum Stamparum, qui *Guincamp.* Domo Britannica sunt editi. *Guincampi* Dominum lego *Petrum*, Britanniæ Ducem *alia.* septimum, Ioannis v, Ducis quinti Filium. Dicam paulo post. Item, *Quimpeiras*, *Conquerneaux*, *Quimpercorentin*, *S. Regnant des bois*; & alia. Præter Superiores Vrbes & opida, commodissimos etiam Portus præstant *Aurayum*, haud procul Venetia; *Hanebontum*, *Pontscorf*, ubi magna Ostrearum copia legitur.

Comites Ducesque Britanniæ. *Britannia*, ut concludam, Comitatus olim titulo ornata, Ducatus dignitatem adsequuta est tempore Henrici II Angliæ Regis, circa annum CIƆ CXXC. Comitum Ducumque hæc traditur series:

Conanus, Britanniæ Comes.

Constantia, Unica Patris Heres, nupsit duobus

Gotefrido, Henrici II Angliæ Regis Filio. Ex eo conjugio suscepit:

Arturum, qui Britanniæ Princeps, Comesque Andium & Turonum ab Ioanne Patruo Angliæ Rege Rotomagi est obtruncatus.

Eleonora, quæ itidem à Patruo in Carcere est necata.

Guidoni Vicecomiti Theatensi. Ex eo nata,

Alix [illegible], Matris Heres. Nupsit Petro Roberti II Druidensis Comitis Filio; quem Britanni *Maclerc* [illegible] cognominabant, quod Idem Franciæ Regi pro Britanniæ Comitatu deiisset, quem illi exutum Regno cupiebant. His Henricum Avangorium [illegible], Iugonem, Montaltanum, aliisque in Britannia locis spoliavit. Captus ab Ioanne Angliæ Rege, & cum multa nobilitate in Angliam abductus, tandem Regis Francorum Philippi Augusti opera liberatus, mortem obijt anno ab Christo nato CIƆ CCL.

Ioannes I cognomine Rufus, Britanniæ Britanniæque Comes. Vxor ejus Blanca, Theobaldi VI Navarræorum Regis, Comitisque Campaniæ & Briæ Filia.

Iola, Conjux Hugonis Bruni, Marchæ, Angolismensium & Ponteriæ Comitis.

Ioannes II Dux Britanniæ I. Lugduni periit in Coronatione Clementis V P. M. anno CIƆ CCCV. Vxor Beatrix Henrici III Angliæ Regis Filia.

Alij Filij, Filiæque.

Arturus, Dux Britanniæ II, infelix Francorum Regi Miles. Liberi leguntur ejus ex

Alij Liberi.

Beatrice Lemovicum Comite,

Ioannes III, Dux Britanniæ III. Improlis, qui Ioannam Guidonis Fratris Filiam testamento heredem in Ducatu Britannico reliquit.

Guido Britannicus Ponthieuræ Comes.

Ioanna Clauda, Ioannis Patrui testamento Heres instituta, de Ducatu Britanniæ contendit aliquamdiu cum Ioanne Britanno [illegible]. Nupsit Karolo Blesensi Comiti, qui acie contra Ioannem IV cæsus.

Iola Roberti IV Druidensis Filia, Comitis Montfortia.

Ioannes Britannus, Comes Montfortius. Cum hic post mortem Ioannis III Fratris Consobrinæ [illegible] Ioannæ Claudæ & licet in Parlamento [illegible] causa cecidisset, non contentus tamen Senatus Decreto, Eduardi III Angliæ Regis [illegible] Ducatum [illegible]. Vxor Clauda Roberti Flandriæ Comitis Filia.

Alix Filia.

Ioannes IV ab Claudia Matre Britannis suæ Factionis Principibus commendata, Dux Britanniæ V renunciatus est. Karolo Blesensi debellato, [illegible] Transactione facta cum Ioanna [illegible] contenta [illegible] Familia Britannica superstitem, in Ducatum succederent. Vxores ejus fuerunt Maria, Eduardi III Regis Angliæ Filia, Ioanna [illegible] & Ioanna Philippi [illegible] Filia ex qua procreavit, quaedam Filios, totidemque [illegible].

Ioannes V, Dux Britanniæ V. Vxor Ioanna Karoli VI Regis Francorum Filia.

Ægidius, Improlis.

Arturus [illegible], Dux Britanniæ [illegible] Vxores [illegible] illi duæ, Improles.

[illegible] Stamparum Comes & Dominus Cliçonis [illegible]. Vxor Margareta [illegible], Comes Virtutum, ex qua procreat:

Franciscus I Dux Britanniæ VI [illegible]. Vxor Isabella Iacobi I Scotorum Regis Filia.

Petrus Guincampi Dominus, Dux Britanniæ VII. Vxor Francisca, Ludovici [illegible] Burgundiæ unica Filia & Heres, Improles.

Ægidius, Rokæ Dominus, ab Fratre Francisco in Carcere necatus.

Franciscus II, [illegible] & [illegible] Comes, Arturo Patruo Successit [illegible] Britanniæ IX. Vxor Margareta, Gastonis Comitis Fuxensis & Regis Navarræ [illegible].

Ali Liberi.

Francisca, Ioanni Albretano nupta.

Maria, Conjux Ioannis Domini Rohanensis.

Isabella,

Isabella, tenera ætate extincta.

Anna Britannica, deficiente Stirpe mascula, Dux Britanniæ x. Desponsata primum Richardo VValliæ Principi, Eduardi IV Regis Angliæ Filio, inde autem Maximiliano I, Cæsari Augusto, nupsit tandem Karolo VIII, eoque mortuo, Ludovico XII Galliarum Regibus: sicque Ducatus Britanniæ Regno connexus fuit.

Inlustres in Britannia Familiæ sunt *Montfort* Comitatus, ***Rohan*** **Vicecomitatus**, *Ponthievura*, *Rieux*, *Rais*, *Blossac*, *Avaulgour*, *Clisson*, *Leon*, *Vitre*, *Foulgeres*, *Ancenis*, *Grello*, & aliæ, quarum quædam ab ipsis Britanniæ Ducibus, ut ex ipsorum patet Genealogia, originem ducunt. Familiæ Britannicæ nobiles.

Cap. XXXII.

Lemovicium.

SEQUUNTUR inter *Parlamenta*, quæ Accessoria dixi, ad ripam Ligeris sinistram *Burdigalense*, & *Tolosanum*. Hæc duo coactus fui in Distributione mea conjungere, quod suprema Iura exerceant Singula, nunc integre & separatim, nunc vero mistim in varias, quæ cuique sunt adsignatæ, Veteris Aquitaniæ Narbonensisque Galliæ Provincias. Integre, *Burdigalensi* quidem subsunt *Lemovicium*, *Petrocorium*, *Guienna*; *Tolosano* autem *Cadurcium*, *Rutenium* & *Languedokium*: Mistim, perque Partes & quasi Sectiones utrique obtemperat *Vasconia*. Singulas ordine expediam. Principis est hic loci *Lemovicium*.

LEMOVICIO, *Pais ou Comté de Limosin*, ad Septemtrionem & Aquilonem adjacent Bituricenses; ad Ortum Borbonij; ad Meridiem & Vulturnum Arverni; ad Africum & Occidentem Petrocorij: ad Caurum denique Pictones. Vlmus visitur, grandioris ætatis, inter Vicum, cui ab *Nova Domo* nomen, *La Maison neufve*, & Argentonium, Bituricense opidum, Septemtrionem versus, quæ quatuor Ditionum regit Fines, Bituricensium, Borboniorum, Arvernorum & Lemovicum; adeo ut aliquando quatuor horum Populorum Principes dicantur hic sermones inter se conseruisse, quique in suo Territorio. Terra non ejusdem ubique indolis: universim sterilior; producens tamen omnis generis fruges, cum primis Siliginem, Hordeum, Panicum; Castaneas item, Rapas, Vinum, sed ignobilius, quod tamen in Inferiore Lemovicio generosius. Incolæ Cibi Potusque sunt ἁπλῶς parcissimi, parvo contenti, Lautitiarumque osores; Panis tamen helluones, ut Proverbio locum dederint: Vini usum Pagi fere ignorant. Industrij sunt, ingeniosi, cauti catique, non præci-

LEMOVICIUM *Limosin.* Ejus Fines. Qualitas. Incolæ.

præcipites; egregie sibi suisque rebus consulentes. Vulgus tenax, domique sordidius: Nobilitas magnifica, altioris animi, liberalis. Ad provectissimam plerique perveniunt ætatem. Sunt qui in Familia sua vident Abnepotes. Dicuntur Cognati inter se, ne soluti quidem per Pontificem ab Iure communi, Matrimonia contrahere; Bonaque non partiri. Scribit Belleforestius vidisse se Familias, in quibus centum Cognatione per Nuptias juncti simul vivebant; ut Collegia quædam agnoscere quis posset.

Veteres Habitatores.

Lemovices (sic enim Veteres Incolas nominat Plinius, qui Λεμοβίκες Straboni: Ptolemæo Λιμύικοι, forte Λιμουίκοι, hodie *Limosins*; Notitiæ Provinciarum Galliæ *Civitas Limovicum*; alijs interim, quos Capite præcedente ex Cæsare laudavi, censendis) quidam Indigenas esse volunt & Aborigines; eorumque Conditorem faciunt Lemovicem, ab Gomoritis oriundum. Subjugarunt eos aliquando Gothi cum tota Aquitania. Scribuntur inde Franci, Gothis exturbatis, Lemovicibus dedisse Gubernatores. Leguntur & constituti ipsis Comites & Duces; hi quidem gerendo Bello, illi vero Iustitiæ administrandæ.

Lemovicium duplex: *Superius*, cujus Metropolis *Limoges*, olim *Ratiastum*;

Lemovicium plerique duplex statuunt, *Superius* & *Inferius*. *Superius* (proprie *Limosin*) Inferiore planius. Metropolin habet *Lemovicum*. Sic A. Hirtio vocari censent multi lib. VIII. de Bello Gallico, quæ hodie *Limoges*. *Limonum* legit Fulvius Vrsinus, fretus Veterum Codicum auctoritate. Ῥατίαστον Ptolemæo dicitur in Gallia Aquitanica, ut ad me scribens arbitratur Iosephus Scaliger; consentiente ipsi Villanovano. *Ratiastum* tamen *Raiz* esse putat Bertrandus, ob similitudinem nominis. Quidquid sit, Vrbs est ad Vigennam, partim in Valle, partim in Monticuli sita fastigio; Arce Murisque bene munita, ipsissima Diligentiæ Officina, Desidiæ Ergastulum. Castitas hic Feminis in pretio, & Misericordia. Episcopatus gaudet dignitate. Alia hic Opida, quæ vernacule *La Soubsterraine, Le Boisson, Barat, Dorat, Consoulat*, & cætera, brevitati studens prætereo. Inter ea *Chassusio* famam conciliant annuæ Pecudum Equorumque Nundinæ, D. Georgij Festo. Sunt & hic Abbatiæ; inter quas *Grandimons*, caput Ordinis *Grandimontensis*; item *Fanum D. Leonardi*, *S. Lenard*, magni nominis, inter Lemovicum & Felletinum. Familiæ hic inlustres sunt, quæ vulgo *Pierre-Bussiere, Chasteau-neuf, Carsie*, quæ Vicecomitatus honore fulget, *Roche-Chouart*, cui inter antiquissimas Aquitaniæ locus; *Maygnac*, & aliæ.

(alia opida, Abbatiæ, Familiæ nobiles;)

Inferius: cujus Vrbes & opida, *Tulle*, *Vsarche*, *Brive*, & alia.

Inferius Superiore montosius: dicitur proprie *La Marche de Limosin*; limitaneum Arvernis & Petrocorijs. Primaria ibi Vrbs *Tutela*, *Tulle*; in aspero montosoque collocata Territorio: Sedes non Baillivatus solum, sed & Episcopatus novi, ex Monasterio deminuti, ut antea dixi de Lemovicensi. *Tutelensem* Latini nominant. Est ibidem *Vsarcha*, *Vsarche*, opidum non inamœnum, grati aëris, ad Flumen Vezeram: quod expugnari non posse Fama jactitat. Proverbium sane fertur: *Cui Vsarcha est Domus, Arcem eum possidere in Lemovicum ditione.* Non silent Virtutem Civium Historiæ, quibus narrantur Anglis, per totam Aquitaniam Triumphos agentibus, restitisse; suoque Principi Francorum Regi fideles summa constantia perstitisse. *Briva*, opidum in læta fertilique planicie situm, Silvis obsitum, Vinetis non destitutum. Sedes est Seneschalli. Quomdam Ditionis fuisse perhibetur Petrocoriorum; sed, volente Karolo VI Francorum Rege, Lemovicibus accessisse. Sunt & alia: *Treignacum, Donzenacum, Allassacum, Bellus-Locus, Meissacum, Vssetum, Bello-Montium.* Nobilitant & hanc Limogiæ partem Nobiles Familiæ, *Pampadoura, Aumontia, Roffignaca, San-Iala*, & aliæ Infinitæ.

Familiæ.

CAP. XXXIII.

Petrocorium.

PETROCORIVM, Perigort. Ejus Fines, Qualitas.

LEMOVICIO succedit in mea Methodo PETROCORIVM; *Civitas Petrogoriorum* in Notitia Provinciarum Galliæ; vulgo *Le Pais de Perigord.* Conjacent illi, qua Septemtrio est, Lemovicium; qua Occidens, Sanctonia; ad Meridiem Vasconum gentes occurrunt; ad Ortum Cadurces & Arverni. Regio Lapidosa, Montosa, Silvosa; Castanearum valde ferax; Vinis beata, pro locorum genio varij generis:

ris: Aëre fruens sereno salubrique rarioribus obnoxia est Morbis: Herbariæ Rei studiosis commodissima, quod Simplicium ad stuporem sit fertilis: Argenti-fodinis abundat: Fontibus scatet, quorum non pauci deprehenduntur Medici, quod Venas permeent sulphureas.

Incolæ (quos *Petrocorios* Cæsar, *Petrogoros* Plinius, *Petrogorios* Sidonius lib. VII. Epist. VI, *Vesunnicos* ab Metropoli *Vesunna* idem lib. VIII. Epist. XI. appellat) sunt alacres, sani, longævi, paucis contenti, adfabiles, ad omnes honestas Actiones, Litteras, Arma, Scientias Mechanicas nimis-quam idonei. Nobilitas antiqua, facilis, humana, Progenitores adserens sibi Francos, qui primi Gallias irruperunt. Feminæ forma sunt præstanti; non luxui deditæ, modestæ probæque Matres-familias, omnem aversantes Desidiam. Incolæ.

Metropolis vulgo *Perigeux*, quæ Ptolemæo lib. II. cap. VII. Οὐέσουνα *Petrocoriorum*; *Vesuna* Antonino; *Vesonna* Tabulæ Itinerariæ: *Petrogoricum* Aimoino: Latine scribentibus hodie *Perigordium*, & *Periguria*. *Vesuna* etiam meminit Inscriptio, quæ ibi exstat: Metropolis *Perigeux*, olim *Vesunna*.

TVTELÆ AVG
VESVNNÆ
SECVNDVS
SOTTID. S. D

Vesunam sane quomdam fuisse dictam, adeo verum est, ut quum Vrbs in duo divisa sit hodie opida, Vetus & Novum; Illud nunc quoque temporis dicatur *Vesuna* prisca voce, populariter *Visune*; eamdem insuper appellationem etiam servante antiquissima ibi Turre, quæ satis integra conspicitur. Sita est autem in planicie, haud asperis leviterque adsurgentibus undique circumdata Montibus, qui Vini generosissimi feraces. Ad partem Vrbis Septemtrionalem vastæ visuntur Ruinæ Amphitheatri; vulgo *Les Rolphies* dicuntur. Vocant etiam *La Cacarotá*, cum Accentu in ultima, qui numerum denotat Pluralem. Longitudo protenditur in Orgyias XXX; Latitudo fere in XX. Ejusdem operis est & structuræ, cujus Turris *Vesuna*. In Interioribus Caveæ monstrantur, quibus Feræ edendo Muneri includebantur. Haud procul Vrbe Fontes sunt acidi, Alumen sapientes. Est autem Episcopalis hæc Vrbs; quemadmodum & *Sarlatum* vulgo *Sarlat*, cujus Præsulatus Petrocoriensi est detractus, ut antea dixi. *Bregeratum* Tribunali superbit regio. *Riberacum* opidum, Vicecomitatus Titulo clarum. *Nontronum* Baronatus dignitate nobilitatum; Arcem habens inexpugnabilem. *Lunellum* in Rupe situm ad Duranium; cujus Dynastæ ex inlustri gente Turonia. *Bironium* opidum limitaneum inter Petrocorios & Aginnenses. *Brathomme* opidulum, Abbatiam prædivitem; præter quam sunt & aliæ multæ: *Marsacum* Pagus, Fontem, qui Maris instar fluit & refluit: *Rupes* denique opidum, vulgo *la Roche*, Cryptam habet largam & speciosam, ex qua Terra ecfoditur subrubra, ejusdem coloris virtutisque, cujus Bolus, quam *Armeniam* Medici vocant. Haud procul opido, quod vulgo *Miraumont*, Crypta monstratur, quæ Incolis *Le Cluzeau*. Ingressi mira solent narrare: Protendi eam sub terra ad V aut VI milliaria; Aulas ibi esse pulcherrimas & Cubicula vermiculato strata lapide; Altaria item, & multis in locis Picturas; Vestigia quoque omnis generis Pecudum apparere; Fontes item & Fluvios inesse, eorum unum centum & amplius pedes largum rapide fluere, cavum admodum & profunditatis admirandæ, eum neminem audere transmittere, licet ultra longe lateque Terra pateat. Cryptam nemo subit, nisi pluribus concomitatus, magnoque Facium accensarum & Laternarum numero prælucente, cibisque coctis adsumptis. Cryptæ non aliud perhibetur Lumen, quam quod ex Aditu.

Alia opida. *Sarlat*. *Bregerat*. *Riberac*. *Nontron*. *Lunel*. *Biron*. *Brathomme*. *Marsac*. *La Roche*. Crypta mirabilis.

Magna in hac Regione Miliaria, quorum initium ad Burgum *Roffignac*. Miliaria magna.

Cap. XXXIV.

Guienna.

GVIENNA, *Guienne.* Fines, olim. Anglorum Principum tempore. Principatu Ludovici XI. Hodieque. Guiennæ qualitas. Incolæ. Veteres Habitatores, *Aquitani, Garumni,* &c.

POST *Petrocorium* pandit mea Methodus *Guiennam*: GVIENNA depravatum nomen est ex *Aquitania*, ut res ipsa loquitur. Quis *Aquitaniæ* quomdam, & tempore Cæsaris & sub Octaviano Augusto, fuerint Fines, dictum est supra Capite XIX. Angustioribus determinari cœpit Limitibus, ex quo tempore Reges Angliæ, per Adfinitatem cum Francorum Monarchis contractam, ejus fuerunt Domini. Quum Eduardus III nomine, *Aquitaniæ* Homagium, ut usitata notaque utar voce, faceret Regi Franciæ, has Præfecturas sive Seneschallias nominatim comprehendisse legitur: citra Garumnam quidem *Pictonium*, amplissimam Regionem; *Xantonium*, *Engolismenses*, *Lemovicium*, *Petrocorium*, *Agennenses*, *Cadurcium* & *Rutenenses*; ultra vero Garumnam, totam *Novem populaniam* vel *Vasconiam*, præter *Benearnum*, quod absoluti semper fuit imperij. Itaque omnium illorum Tractuum nomine Rex, aut Primogenitus Angliæ (*Prince des Galles* dictus) fidem clientelarem pollicebantur Regi Franciæ: Comites autem *Armaniacus*, *Bigorrensis*, *Fuxensis*, & alij faciebant ipsi Anglo Homagium, non Regi Franciæ. Hæc latissima, amplissima & prædives Regio nomine *Guiennæ* censebatur usque ad Regnum Ludovici XI. Hic quum Fratri Karolo adtribuisset Ducatum *Aquitaniæ*, ipsique quinque promisisset Seneschallias, ex una *Burdigalensi* tres fecit, *Burdigalensem*, quæ unam tantum Diœcesin complectitur, *Burdigalam* ipsam; *Vasatensem*; in qua duæ Diœceses, nempe *Adurensis* & ipsa *Vasatensis*: Tertiam *Lapurdensem*, in qua itidem duæ Diœceses, *Aquæ Tarbellicæ* & *Lapurdensium Civitas* sive *Baiona*; Quartam Seneschalliam addens *Xantonium*. Ab eo tempore *Aquitania* vel *Guenna* vocari cœpit totum illud, quod quatuor tantum indicatas à me continet *Seneschallias*. Sed Regum est mutare Terminos Provinciarum, non memoriam rerum. Nam Hactenus *Nitiobriges* (*ceulx d'Agennois*) & omnes reliquæ Seneschalliæ vocant se *Aquitanos* vel *Guiennenses*; atque adeo Seneschallus Burdigalensis dicitur *Magnus Seneschallus*, non quidem, quod hodie talis sit (est enim minimus omnium) sed quod Burdigalensis Seneschallia quinque olim Diœcesibus finiretur. Nam eo nomine *Magnus*, ut re vera erat, olim appellatus, hodie, Ditione licet imminuta, nomen integrum retinet. Quin etiam quidquid ad Burdigalam solam pertinet, id non *Burdigalense* hodie nuncupatur sed *Aquitanum* vel *Guiennense*; & Curia Minor Burdigalæ, à qua Provocatio est ad Parlamentum, *Curia Guiennæ* & *Iudices Guiennæ* nominantur, non *Burdigalæ*. Hæc igitur *Guenna*, quæ hodie quatuor Seneschallijs censetur, appellari jure merito potest *Aquitania* sive *Guenna Ludovici* IX. De *Pictonio*, quod in Feudo *Aquitaniæ* sive *Guiennæ* comprehendit Eduardus III, sciendum sæpe exclusum fuisse ex *Aquitania*, & sub Ludovico IX ejusdem finibus sæpe restitutum. Certe hodie non parva pars Pictonij dicunt se *Guiennenses*, ut olim erant revera. *Guenna* igitur *Ludovici* XI, quæ mihi hoc loco explicanda, versus Occidentem Sinu cognomine, impetuosis Oceani undis tumente clauditur; qua Meridies est, Montes adjacent Pyrenæi: ad Ortum, Languedokium, Cadurcium, Petrocorium, Lemovicium, aliæque Regiones occurrunt; ad Septemtrionem Pictonium illi est confinale. Regio est non unius passim genij: qua ad Pyrenæos vergit, quam reliqua Gallia, horridior adsurgit, frigida & Vini inferax; unde ἀσαφύλον χῶρον nominat Ausonius Epist. XV: versus Curianum Promontorium humilior est & paludosior, Inundationibusque frequenter obnoxia: in Mediterraneis cultior, variarum Rerum non prorsus parca est genitrix. Vniversim autem ab Locustarum Incursibus sæpenumero infestatur. Inter Burdigalam & Baionam Territorium est sterile: *Landas* vocant Indigenæ. Incolæ proceriores sunt reliquis Gallis; agilitate præstantes, corporis viribus pollentes; excelsi masculique Animi, liberales, hilares, subacti Ingeni; Libertatis amantes, Armorum tractandorum peritissimi.

Sedes hic quondam habuerunt varij Populi, quos *Aquitanos* in genere Plinius vocat lib. IV. natur. hist. cap. XIX; *Garumnos* paulo strictius, quod Garumnæ illorum multi

multi essent adcolæ, nuncupat Cæsar lib. III. Erant autem *Tarbelli*, *Lapurdenses*, *Boi*, *Meduli*, *Bituriges Vibisci*, *Aturenses*, *Vassates*, *Santones*. *Tarbellorum* nomen his locis latis satis Finibus diffinitum fuisse constat. Quum enim eos Strabo lib. IV cum alijs collocet ad Pyrenen & Oceanum; Ptolemæus II Geographicῶν inter Pyrenæos ponit & Agrum Burdigalensem. Plinius in Aquitania *Tarbellos Quatuor-Signanorum* cognomine celebrat. *Tarbellorum* memoria servari putatur hodie in *Tarba*, primario Bigerronum, alterius scilicet gentis, oppido. Ab his *Tarbella Pyrene* Tibullo, ex emendatione Magni Scaligeri; *Tarbellus Oceanus* Ausonio in Parentalibus Carmine IV; & *Tarbella Mater* ibidem Carm. II, quæ & *Tarbellica* eidem in Professorum Syllabo Carmine XVII: *Tarbellius Fluvius* Aturrus in extremo Mosella, qui per Tarbam Bigerronum, Aquas Augustas (quæ & Aquæ Tarbellicæ, hodie *Aqs*, Tarbellorum Metropolis, ut suo loco dicam) & Baionam in Oceanum exit. *Tarbellica Arma* eidem Ausonio, Epistola XXIII ad Paullinum: *Tarbellicum Aequor* Lucano lib. I. In Tarbellis erant cum alijs Populis *Lapurdenses*, ut à Pyrenæis cum Ptolemæo ordiar. Horum fuisse totum illum Tractum Syrtium, quas *Landas* vocant, scribit ad me Iosephus Scaliger. *Lapurdum* etiam notum Libro Notitiarum Imperij in Provincia Novempopulana: *Tribunus Cohortis Novempopulanæ Lapurdo*. Sic enim legendum. Videndum & Exemplar Pactionis inter Guntramum & Childebertum Reges apud Gregorium Turonensem lib. IX. cap. XX. Hodie, *Le Pais de Lapord*: vel, ut alijs scribitur, *Labord*; alijs etiam contractius *Lorda* & *Lourde*. *Lapurdensium* Metropolis hodie *Baiona*, de qua suo loco: unde & Baionensis Episcopus, *Lapurdensis* dicitur in Veteribus Episcopij Chartis. *Lapurdensium Locustarum* meminit Sidonius lib. VIII. Epist. XII, quæ ad Trigetium. *Boij*, qui memorantur Paullino, ad Ausonium scribenti Epist. I, *Piceos*que cognominanti à Picis Resinæque copia, ad ostia sunt hodieque Garumnæ Fluvij, *Buies* dicti, ut notat Vinetus, agrum colentes, qui vulgo *Buchs*. Eorum quoque mentio in Itinerario; quo ponuntur inter Loca, per quæ ab Aquis Tarbellicis Burdigalam est iter; sedecim millium passuum intervallo ab Vrbe Burdigalensi: In Notitiæ Provinciarum Aquitania III Novempopulania legitur *Civitas Boatum*, id est *Borus*, quæ nihil aliud, quam *Le Pais de Buchs*. *Voiates* pro *Boates* male apud Cæsarem. Coloni fortean *Boij* vel *Boiates Boiorum*, de quibus cap. XXVII. Apud *Boios* Sinum facit Oceanus, in quo Promontorium est, quod *Caput Boiatum*, vel, ut ipsorum lingua efferam, *Cap de Butz* appellatur. Ad eumdem Sinum aliæ hodie nominantur nominis haud magni Gentes, quas omnes Baionam usque *Boios* quomdam fuisse dictos, quin & *Medulos* ipsos *Boiorum* fuisse partem, facilis credo; quum verisimile sit *Boionam*, de qua post, à *Boiis* nomenclaturam habere. Nam & nunc *Boiona* quibusdam pronunciatur. *Meduli* sane, qui apud Ausonium leguntur, coluerunt quidquid Agri hodie jacet infra Burdigalam; inter mare Aquitanicum & Garumnam, Mari se miscentem;

—— extremis Telluris in oris,
Oceani finem juxta, Solemque cadentem,

uti canit Epistola V ad Theonem *Medulinum* Ausonius, cui ille non inscite *Cultor Arenarum Vates* appellatur. Est enim in *Medulorum* Angulo, ubi nunc Solacus Pagus, magna Arenæ vis, Cumulique, qui multis Pyrenes aut Alpium jugis magnitudine nihil cedant. Abundantem etiam Tractum Arboribus, quæ Picem & Resinam ferunt, innuit non obscure idem Ausonius hoc versu:

Et tingit piceo lacrumosa Colonica fumo.

Medulica Ostrea, cum Baianis certantia, celebrat idem Ausonius Epist. VII, quæ item ad Theonem; & Epist. XIII ad Paulum:

Sed mihi præ cunctis ditissima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalensia nomen
Vsque ad Cæsareas tulit admiratio mensas,
Non laudata minus nostri quam gloria Vini.

Et quæ sequuntur. *Medulinus Notus* ab *Medulis* spirans, apud eumdem nominatur Epistola V, cujus antea facta mentio. Qui Meduli quomdam, hodie *Medoc* appellantur. *Bituriges* in Gallijs duplices leguntur, cognomentis distincti; vel *Cubi*, quorum Metropolis *Avaricum* Primæ Aquitaniæ, de quibus capite XXV; vel *Vibisci* aut *Vivisci*, Aquitaniæ Secundæ, de quibus hoc loco. Βιτούριγες Οὐιβίσκοι Ptolemæo,

Tarbelli. *Lapurdenses.* *Boij.* *Meduli.* *Bituriges Vibisci.*

ἰοσκοὶ vitiosius Straboni, qui innuit hos *Bituriges* Superiorum, *Cuborum* inquam, fuisse Colonos; *Beturiges* simpliciter Itanerariæ Tabulæ. Designat eosdem Lapis Burdigalensis, in quo hæc sculpta:

AVGVSTO. SACRVM
ET. GENIO. CIVITATIS
BIT. VIV

Exsulant apud Plinium lib. IV cap. XIX. Lacuna enim locanda inter illa, *Sesignani & cognomine Vibisci*. *Biturigis Vivisci* meminit etiam ecfossus nuper ex fundamentis antiquorum Mœnium Burdigalæ Lapis, in quo sic fuisse scriptum Architectus, qui vidit, apud Vinetum adseverat:

IVL. LVPVS. C
BITVRIX. VR
D. E. ANN. XXXI.
FIL. EIVS. P. C.

Ibi VR puto fuisse VB, ut sit triplex littera pro VIB. Canit Ausonius in Epilogo Mosellæ, se

Vivisca ab origine ducere gentem:

Vbi male quomdam, *Vivifica*. *Bituriges Vivisci* Notitiæ Provinciarum in Aquitania Secunda, *Civitas Burdigalensium*, *L'Archevesché de Bourdeaux*. *Biturigum* enim *Vibiscorum* Metropolis est apud Strabonem & Ptolemæum *Burdigala*. Ardente nimis in Vibiscos amore abripi puto Burdigalenses, & inter eos Gab. Lurbeum IC, Civitatis Amplissimæ Procuratorem & Syndicum (qui videndus ad calcem Burdigalensium Rerum Chronici, ab ipso non ita pridem editi) Inscriptionem hanc antiqui operis Statuæ ad memoriam *Vivisci* nominis trahentes:

D. M
TARQVINIÆ. FASTI
NAE. M. CALVENT
SABINIANVS. VIV
SIBI. ET. CONIVG.

VIV. enim ibi non *Viviscus*, sed, ut in infinitis alijs Marmoribus, *Vivens*. Ignoscent mihi, spero, optimi Cives. Non enim hæc ego; ut *Viviscorum* (qui aliunde satis nobiles) memoriam obscurem, sed ut veram istius Sabiniani aperiam mentem & quasi scitum. Littorales fere habemus: repetito Pyrenæo, inter Mediterraneos excellunt hic *Aturenses*, qui sua habuerunt Domicilia, ubi hodieque ipsorum *Vrbs Aturensis*: quæ Idiomate Vasconico & depravate, *Airensis*, vulgo *Aire*, de qua post. *Civitas Aturensium* in Notitia Provinciarum, *L'Evesché d'Aire*. *Aturenses* dicti, ut *Garumni*, quod *Aturi* Fluminis, de quo alibi, essent Adcolæ. Qui *Vasates*, ibidem, Ammiano Marcellino lib. XV, Sidonio lib. VII. Epist. VI, Ausonio in Epicedio de Vita sua, item in Epistol. XXXIV, & in Parentalibus; inemendate *Οὐασάριοι* dicuntur Ptolemæo, *Vasses* Plinio lib. IV, cap. XIX. Nomen Gentis manet in Vrbe *Basatz*; quæ, ut paulo post dicam, olim *Cossio Vasatum*. Sic enim sæpe factum animadvertimus, ut Vrbibus, quæ principem in aliqua Gente locum obtinebant, & Metropoles erant, rejectis & abolitis proprijs appellationibus, Gentis suæ vel totius Populi nomen induerint. Exempla sunt in *Lutetia Parisiorum*, *Mediolano* tam *Santonum*, quam *Aulercorum Eburovicum*, *Avarico Biturigum*, *Vesuna Petrocoriorum*, *Ratiaste Lemovicum*, *Ingena Abrincantorum*, & alijs. A *Vasatibus Vasatica Reda* apud Ausonium Epistola VII. ad Theonem. Et hi Vltra-Garumnani fere Veteres Guiennæ nostræ Populi: cis Garumnam sunt *Santones*. Novit eos, cum alijs, Cæsar lib. I. de Bello Gallico; in cujus nonnullis Codicibus eduntur *Xantones*: *Santoni* eidem lib. II; item *Santona* lib. III. de Bello Civili, nisi si mendum subsit. *Σαντόνοι* Straboni: *Σάντωνες* Ptolemæo, pro *Σάντωνες*, ut scribuntur Stephano. *Santones Liberos* tradit Plinius cap. XIX,

Aturenses, *Vasates*, *Santones*.

cap. XIX, cujus memini. Σαντωνικὰ Galeno, *Santonicam herbam* nomen inde sortiri scribenti. *Saintonge* vel *Xantoigne* hodie. *Civitas Santonum* in Notitia Provinciarum Galliæ, *L'Evesché de Sainctes*. Ab *Santonibus Oceanus Santonicus*, Tibullo lib. I. Eleg. VII; *Santonicum Salum*, Ausonio Epistola XIII; Σαντονικῷ κάμπτει eidem Epistola XV; *Santonicum Absynthium*, Plinio; *Santonica Herba*, Columellæ lib. VI: *Santonica Virga*, Martiali lib. V. Epigr. XCVI, cui & *Santonicus Rufus* Epigr. ejusdem libri XC; *Santonius Cucullus*, Iuvenali Satyra III, qui *Bardocucullus* Martiali lib. XIV, de quo ante nonnihil à me dictum, cap. XII.

De Antiquis Incolis hactenus: quum autem *Guiennam* antea monuerim habere nunc temporis quatuor *Seneschallias*; *Burdigalensem*, *Vasatensem*, *Lapurdensem* & *Xantonicam*: primo loco explicandam se offert *Burdigalensis*; cujus Metropolis *Burdigala*. Vrbs est in Aquitania (Κελτογαλατίας facit Sudas) *Biturigum Viviscorum* nobilissima. Sic autem Latinis dicitur prioris ævi: Βυρδίγαλα Græcis, Straboni, Ptolemæo, alijs: *Burdegala* Recentioribus, ut Ammiano, Eutropio, reliquis; *Burdegalum* Isidoro. Hodie *Bourdeaux*. Eam inter Metropoles Imperij Romani nominat Testamentum Karoli Magni. Quod ad Etymon; non hic adferam, quæ (non meo solum judicio) ineptit ad Epigr. XXXIII. Libri IX. Martialis Domitius Calderinus, *Burdigalos* nominatos esse quasi *Bardigalos*, id est stultos Gallos. Audiendus potius, quamquam sæpe etiam vanus, Isidorus, cujus *Burdigalam*, *Biturigalam* quamdam esse & ab *Biturigibus* Gallis conditam innuentis, ut vult Vinetus, hæc sunt lib. XV verba: *Burdegalum appellatum ferunt, quod Bituriges Galli primum habuerit Colonos, quibus ante Cultoribus adimpleta est*. Sic lego ex Veterum Codicum auctoritate. In Vulgatis sunt *Burgi Galli*. Sita est in Garumnæ ripa, ad Pyrenæos pertinente vel Occidentem spectante: adversa ripa Collibus surgit amœnissimus, vario Arborum genere consitis, in primis Vite. In ijs Clivus est in Vrbem & Meridiem obversus, pervetusto Cupressino Luco, qui nunc vix septem est jugerum; olim longe major fuit, cum primis visendus. Cupressus enim Arbor in Gallia satis est rara: quam ob rem hoc suo se Cupresseto valde jactant Burdigalenses. Quin jam inde antiquitus duravit hic mos usque ad nostra, inquit Vinetus, tempora; ut quicumque Vinum Burdigala asportaturi sunt, solvere ante non liceat, quam Cupressinum Ramum ab Magistratu acceperint; pro quo pendit quælibet Navis Drachmam unam & Drachmæ duas septimas partes. De Situ, ut eo redeam, sic Strabo lib. IV: Ἔχει δὲ (loquitur de Aquitania) Ἐμπορεῖον Βυρδίγαλα ἐπικείμενον λιμνοθαλάττῃ τινὶ, ἣν ποιοῦσιν αἱ ἐκβολαὶ τοῦ ποταμοῦ. Innuit scilicet, quod verum est, hodieque cernitur, Burdigalam, ut notat Casaubonus, ad Garumnæ Ostia esse sitam, in quæ effundens se Oceanus, Lacum veluti quemdam efficit, qui eosdem æstus patitur cum Oceano; quod, ipse Burdigalensis, Ausonius, Patriam suam docto carmine celebrans, etiam non obscure docet, ut ex sequentibus patebit. Nam Paludem significare Strabonem, quæ lapsu temporis purgamentis Vrbis, arena, silice, alijsque injectis exsiccata, uti vult doctissimus Vinetus, non est verisimile. De Climate quasi, & ex eo Soli Burdigalensis Qualitate, idem Poëta:

Burdigala est natale Solum: Clementia Cæli
Mitis, ubi & rigua larga Indulgentia Terræ,
Ver longum, Brumaque breves, Iuga frondea subsunt.

Idem, prima conditione, ut Roma, Quadratam fuisse canit his verbis:

Quadrua Murorum species, sic Turribus altis
Ardua, ut aërias intrent fastigia nubes.
Distinctas interne vias mirere, Domorum
Dispositum & latas nomen servare Plateas.
Tum respondentes directa in Compita Portas.

Notat Vinetus, qui omnino legendus, Burdigalam Ausonij centum & quatuor fuisse jugerum: hodie multo majorem, quadringentorum & quinquaginta. Docent antiqua hodieque in media Vrbe Mœnia. Pomerium Vrbis productum est cum alias, tum vero præcipue circa annum CIↃ CCCII. Videndum Gab. Lurbei Chronicon Rerum Burdigalensium. Est Burdigalæ inter alios Vicus non ignobilis, cui cognomen ab *Lupis*, quorum in Vrbem incursus incidit in annum IↃ XXCII. Sunt hodie ibi duæ insignes Ecclesiæ Collegiatæ, quarum una est Metropolitana; XII Paroiciæ; octo

Hodierna Guienna Distributio.
Seneschallia Burdigalensis. cujus Metropolis Burdigala, nunc Bourdeaux:
Ejus Etymon.
Situs.
Clima. Qualitas;
Quantitas.
Vid.
Templa.

octo Cœnobia Monachorum; unum Sacrarum Virginum; & Collegium Societatis Iesu, quod institutum anno CIↃ IↃ LXXIII, cura & liberalitate Fr. Baulonij Senatoris Burdigalensis. *Palatium Galieni.* *Palatium* quod *Galieni* vocant vel *Galiena*, ab Gallieno Augusto (facessant enim Fabulæ) nomen videtur habere. Tristes sunt & tenues insignis quomdam Amphitheatri Reliquiæ. Id circumdabant, ut notat oculatus testis Vinetus, Parietes sex; eratque Extimi, qui reliquos altitudine superabat, & Intimi omnium humillimi intervallum octoginta sex pedes, quantum quidem semiruta & jacentia Monimenta metiri licuit. Mediæ Areæ Longitudo, quam excipiebant utrimq; Portæ singulæ, CCXXIV; Latitudo CXL pedes patebat; ut hæc Ovi figura construi mos erat. Extra Vrbem semper fuit, distabatque a proximo Mœnium Ausonianæ Burdigalæ angulo passus minimum CCCC. *Palatium Tutelæ.* *Tutela*, vel *Palatium Tutelæ* quod appellatur, & ipsum extra Quadratam erat Vrbem, sed propius Garumnam, & juxta Fossam, qua Latus Vrbis Septemtriones spectans, muniebatur: tandem Pomerio ea parte prolato, in ipsa inclusum est Vrbe. Peristylium est quadrangulum orthogonium, longum pedes LXXXVII, latum LXIII. Pilis (sic etiam Vulgus vocat) sive Columnis adsurgebat striatis octo in longitudine, & sex in latitudine: quæ fiebant in toto ambitu Columnæ quatuor & viginti. Earum adhuc steterunt decem & octo. Subest vero Camera antiquo artificio; in qua Vinum conditur. Templum fuisse patens quidam suspicantur, & ex ipso nominis vestigio DEI Tutelaris Fanum. *Podium Paullini.* *Podium Paullini*, vel *Puy Paulin* nomen habet à *Pontio Paullino*, Ausonij Discipulo, ex inlustri Paulinorum & Leontiorum Familia, ad quem Sidonius Carmen de Burgo scripsit, cujus meminerunt DD. Ambrosius & Augustinus. Inde *Domini de Candale*, tamquam Possessores ejus Domus, primum inter Cives Burdigalenses locum sibi vindicant. *Navale.* *Navale* in media quomdam Vrbe fuisse canit non solum Ausonius;

Per mediumque Vrbis Fontani Fluminis Alveum,
Quem pater Oceanus refluo quum impleverit æstu,
Adlabi totum spectabis classibus Aequor:

verum etiam Poëta Anonymos Burdigalensis in Eucharistico;

Tandem autem exacto longarum fine Viarum,
Majorum in patriam, tectisque advectus avitis,
Burdigalam veni: cujus speciosa Garumna
Mœnibus Oceani refluas Maris invehit undas
Navigeram per Portam: quæ Portum spaciosum
Nunc etiam Muris speciosa includit in Vrbe.

Sed ejus Navalis nullum nunc exstat Vestigium: nisi in ostio Peugæ Fluvioli, ad cujus utrumque latus duæ stant Turres præaltæ, per quas olim Catena, quæ adhuc visitur, traducebatur, juxta Portam Vrbis, quæ vocatur *du Caillau*. Postea tamen Interstitium illud anno CIↃ IↃ LXXXI est muratum. Hodie nullum Navigij genus Burdigalam ingreditur: sed omnibus Portus & Navale tutissimum & amplissimum est totus Garumna. *Fons Divona.* De *Divona* autem, qui prorsum exhaustus hodie evanuit, idem Poëta sic canit:

Quid memorem Pario contectum Marmore Fontem·
Euripi fervere Freto? quanta unda profundi?
Quantus in Amne tumor? quanto ruit agmine præceps
Margine contenti bissena per ostia Cursus,
Innumeros Populi non umquam exhaustus ad usus?

Et paulo post:

Salve, Fons ignote Ortu, sacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, sonore, inlimis, opace.
Salve Vrbis Genius, medico potabilis haustu
Divona, Celtarum Lingua Fons addite Divis:
Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus
Purior, æquoreo non plenior amne Timavus.

Nobilis est Burdigala Aquæ Fontanæ Ductuum quorumdam Rudera eruit extra Burdigalam Vinetus in Fontis ipsius explicatione. Quibus Patriam celebrat Ausonius,

—— *Insignem Baccho, Fluvijsque, Virisque,*
Moribus, Ingenijsque hominum, Procerumque Senatu,

canens;

canens: ijs adhuc maxime est nobilis. In Gallia nulla Regio Vino magis abundat, coque generoso. Vulgo *Vin de Grave* dicitur. *Grave*, quod, quamvis Vasco, non intellexit Belleforestius, per totam Galliam significat *Arenam*, ut me docuit Scaliger, & Terram Arenosam sive Saburretum. Solum autem Suburbanum, in quo præstantissimum illud Vinum nascitur, dicitur *Grave*, quia totum arenosum est: quod nec tacuit Strabo, qui illud viderat: Ἔστι δ' ἡ παρωκεανῖτις, inquit, τῶν Ἀκυιτανῶν ἀμμώδης ἡ πλείστη καὶ λεπτὴ, &c. Sunt & alia Vina, notæ vix vilioris, *La Larmont*, & *de la Bastide*. Alluit Burdigalam hodieque Garumna, Maris æstum sentiens plus I passuum mill. supra Vrbem: latitudinem habet ad superiorem partem duorum millium pedum; ad inferiorem multo est latior. Minorum gentium Fluvios, inter quos Peuga & Divisa, prætereo. *Ostrea Burdigalensia* celebrat Ausonius sua illa nobili de diversarum Nationum Ostreis Censura. Scribit Sidonius Apollinaris lib. VIII. epist. XII, Burdigalæ quoque fuisse *Ostrearum* Vivaria. *Ostrea* hæc Medulorum proprie *Solacensia* nunc vulgo nominant, ab *Solaco*, ultimorum Medulorum Vico. Rempublicam administrant, cum Senatus sui Principe, qui *Maior* dicitur, *Magistratus*, qui *Iurati* vulgo vocantur; olim Triceni numero, & viceni-quaterni; inde anno CIↃ CCC LXXVIII pro numero Regionum Vrbis, Duodeni; hodie ex Constitutione Henrici II, Seni biennes, redactis etiam ad eundem numerum Vrbis Regionibus. His autem adjungitur Concilium XXX Civium ordinarie, sin de rebus maximi momenti agendum, CCC. *Majoris* libere creandi jus Burdigalensibus concessit anno CIↃ C LXXIII Henricus Angliæ Rex, Eleonoræ, quam Ludovicus Francorum Monarcha repudiarat, Maritus. Lectus à Populo Primus Dominus *de Monedei*, Civis Burdigalensis. Ejusdem electio iterum Civium consensu ad Principem est translata in gratiam Eduardi, Henrici Angliæ Regis Primogeniti, anno CIↃ CC LX. Nec hoc prætereundum, Eduardum Angliæ Regem, Aquitaniæ Principem, anno CIↃ CCC LXXVIII Rescripto suo prohibuisse, *Ne quis Nobilis aut Miles generosus* (sic enim verba habent) *deinceps Iuratus foret*: quod consensu Civium anno CIↃ CCC XCII abrogavit Ioannes Dux Lancastriæ, suam relinquens Suffragiorum Civibus Libertatem. Nec illud tacendum, Philippum Francorum Regem in Burdigalensium gratiam, utque eorum sibi animos devinciret, Rescripto suo, quod adhuc religiose in Aerario publico servatur, concessisse Collegio Majoris & Iuratorum Vrbis omne Imperium & Iurisdictionem, non solum in Vrbe & Suburbiis, sed etiam in Terris ultra primum Lapidem, sive Territorio, quod *Banleucam* vocant, cum omnimoda potestate; sibi tantummodo Iure Imperij Supremi recepto, & Iurisdictione Civili, inter Extraneos exercenda per Præpositum Vmbrariæ. Hæc Constitutio vulgo *Philippina* vocatur. Hinc fit etiam hodie, ut in Supremi Imperij notam & tanti beneficij memoriam, etiamsi Præpositi Vmbrariæ nulla sit Iurisdictio, & ab Seneschallo exerceatur, Sententiam Capitalem ab Iuratis latam & ab Senatu confirmatam, non prius exsequi, & lege agere in damnatum liceat, quam Reus ante Castrum Vmbrariæ ductus sit, & ibi a Lictore ter nomen Præpositi Vmbrariæ, etiam nemine respondente, proclamatum fuerit. Præter quam quod jus habeat *Seneschalliæ*, de qua antea quædam à me dicta, Burdigala, digna quoque fuit judicata, quæ Domicilium daret *Parlamento* Regio, quod ibi ab Civibus anno CIↃ CCCC LI, in Conventione post diuturnum Bellum cum Karolo VII Francorum Rege facta pactum, decennio post (nam Rebellio intervenerat: Vide quæ Capite XVII obiter dixi) Ludovico XI jam regnante, haberi cœpit, Novembris XII; quo die juratum in Leges more Senatus Parisiensis; statutumque, ut ab eo Parlamento Provinciæ *Burdigalensis*, *Vasatensis*, *Agennensis*, *Condomiensis*, *Landarum*, *Armeniacensis*, *Cadurcensis*, *Lemovicensis*, *Petracoriensis*, *Angolismensis*, *Santonensis* & *Rupellensis* Iura peterent. Postea tamen Provinciæ *Armeniacensis*, *Angolismensis*, *Rupellensis*, & maxima pars *Cadurcensis* distractæ sunt. Quum autem, septimo post Institutionem Primam anno, Rex Ludovicus Aquitaniam jure Apannagii, ut usitata utar voce, Legeque Fiduciæ Karolo Fratri cessisset, Parlamentum, mutato loco, ad Pictones fuit translatum: sed mox anno CIↃ CCCC LXXII. Karolo mortuo, omnique Aquitania ab Ludovico Rege recepta, Kalendis Iunii solenniter, unde moverat, reductum, & non multo post ab Karolo Rege tribus Præsidibus decemque & octo Consiliarijs, Edicto anni CIↃ CCCC XCIII Decembr. IV, est compositum. Adjecit anno CIↃ IↃ XIX, mense Maio

Vinum. Fluvius. Respublicæ administratio. Magistratus Burdigal. Seneschallia. Parlamentum.

Franciscus I novam Senatorum Decuriam, quæ Iudicijs Caussarum Criminalium præesset, quam *Tornellam* vocant. Tam insigni Prærogativa, ut & alijs multis Privilegijs, Burdigalenses ob motos à Plebe Tumultus, privavit anno CIƆ IƆ XLVIII Annas Mommorancius, Equitum Magister; accipereque coegit è Parisiensi, Tolosano & Rotomagensi Senatu Iudices, qui Populo jus dicerent: quibus demum anno sequenti regredi jussis, amplissima Senatus Dignitas ab Henrico II Civibus in gratiam receptis est restituta; quæ quum aliquamdiu de Antiquitate certasset cum Divionensi, tandem ejusdem Regis Rescripto anno CIƆ IƆ LIII triumphavit. Domicilium autem Parlamenti est in Castro, *Vmbrariæ* cognominato, eam ob caussam, quod antiquitus undique Aquifolio & alijs Arboribus Vmbram facientibus circumdatum esset: nomen retinens, etiamsi, Vrbe aucta Incolis & Ædificiis, hodierno die Arbores desint. Habuit cum alijs Præsidem *Nicolaum Boerium*, cujus doctissimæ exstant Lucubrationes. Obiit Burdigalæ, legata Senatui Bibliotheca, mense Maio, anno CIƆ IƆ XXXVIII; sepultus in Xenodochio publico, ab ipso Ædificiis aucto & multis Reditibus locupletato.

Sedes Archiepiscopalis.

Sedes olim quidem Episcopalis, hodie Archiepiscopalis & Metropolitana fulgens dignitate. Primum Præsulem lego *D. Gilbertum*, circa Principatum Vespasiani Imperatoris. Meminerunt antiquissima Monimenta litis, quæ adhuc sub Iudice pendet, inter Archiepiscopos Burdigalensem & Bituricensem, de Primatu Aquitaniæ: quem Clemens V, antea Bertrandus Gotthus dictus, exque Archiepiscopo Burdigalensi creatus anno CIƆ CCC V Pontifex Maximus, altero Pontificatus anno, Burdigalensi contra Bituricensem adseruit; *idque optimo*, inquit in suo Chronico Gab. Lurbeus, cujus antea memini, *jure, quidquid dicat Massonius*; qui etiam hic consulendus. Archiepiscopi autem Burdigalenses, eorumque in perpetuum Successores, Consiliarij Senatus cum libero Suffragio, mense Februario anni CIƆ IƆ LIV Principis Diploma[illegible] sunt declarati. De Suffraganeis ipsorum, ut & reliquorum, dictum antea. Anno CCCLXXXVII *Concilium Burdigalense* celebratum est, jussu Maximi Tyranni, cui D. Martinus, Turonensis Episcopus, præfuisse scribitur. In eo Priscillianitarum Hæresis damnata est, & Instantius Episcopatu dejectus. A sententia Synodi quum appellasset Priscillianus ad Maximum, quem dixi, Treviris Capite pœnas luit, & aliquot ejus Sectatores, inter quos fuit Euchrotia Burdigalensis, Nobilis Matrona, Vxor Delphidij Oratoris; cujus mortem ideo felicem vocat Ausonius, quod non viderit supplicium suæ Conjugis. Inter Episcopos quatuor Sanctorum numero memorantur adscripti, *Gilbertus*, de quo dixi; *Amandus* I, cujus Reliquiæ Lutetiæ feruntur esse in Monasterio D. Germani Suburbani, *Severinus* & *Amandus* II.

Academia.

Academia Burdigalensis ad instar Tolosanæ erecta est VII. Eidus Mai, CIƆ CCCC XLI, Rescripto Eugenii Summi Pontificis; comprobata vero, confirmata, Privilegiisque ornata varijs, anno CIƆ CCCCLXXII, ab Ludovico Francorum Rege. *Gymnasium Aquitanicum κατ' ἐξοχὴν* vocatur. Docetur ibi omne genus Artium. Est antiquissima, si primam originem spectemus; ejusque numerat aliquot, nominatque Professores, qui Rhetoricam ibi magna cum laude fructuque docuerunt, Ausonius, *Tiberium Victorem Minervium*, Præceptorem suum: cujus Patrem Romæ etiam Rhetoricam florentissime professum, circa annum CCCLIX, tradit Eusebius: *Latinum Alcimum Alethium*: cujus etiam (ut & *Delphidij*, de quo post) mentio apud Eusebium ad annum CCCLX, & Sidonium Apollinarem lib. V. Epist. X, & lib. VIII, Epist. XI: *Luciolum*, Condiscipulum suum primo, Magistrum hinc, postremo autem in Docendi Munere Conlegam: *Attiam Pateram*: *Attium Tironem Delphidium*, quem Hieronymus, se Adolescentulo, omnes Gallos Prosa Versuque suo inlustrasse Ingenio, scribit in Epistola ad Hedibram; cujus abundantiam laudat Sidonius Apollinaris lib. V, Epist. X: quem denique Ammianus Marcellinus Oratorem dicit acerrimum, initio lib. XVIII: *Alethium Minervium* Filium. Grammaticos deinde Latino quidem *Leontio Beato* subjungit Græcos quosdam; rursus Latinos, *Iucundum* Leontij fratrem, *Macrinum*, *Concordem*, *Phœbicium*, *Ammonium Anastasium*, *Herculanum Thalassum* & *Citarium Siculum Syracusanum*, Grammaticum Græcum: quibus deinde addit *Censorium Atticum Acræcium*, Rhetorem: & *Nepotianum* Grammaticum, eumdemque Rhetorem. Prodierunt & ex hac Burdigalensi Schola, qui alibi docuerunt, *Ammonius Anastasius*, Grammaticus, qui Augustoriti Pictonum; *Aemilius Magnus Arborius*,

Exsuperius

Exsuperius & *Sedatus* Rhetores, qui Tolosæ; *Dynamius*, qui in Hispania, Ilerdæ. Plerorum tamen Reliquiæ & *Λείψανα*, morte obita, Burdigalam sunt translata, ut non obscure varijs locis innuit Poeta. *Sedato* sane magnum habuerunt Concives honorem, qui non solum Ossa ejus in Municipium suum transtulerunt, sed & Imagine hominem honorarunt. Loco enim, qui hodie *Podium Paulini* vocatur, saxea Imago locata fuit, Capillo & Barba crispa, Librum manu tenens, cum hac Inscriptione:

D. M
SEDATVS

Quin & ipse *Ausonius* ibidem Professorem egit, quemadmodum ipse de se scribit in Carmine xxv. de Professoribus Burdigalensibus, in Protreptico ad Nepotem, & in Semigræca ad Paullum Axium Epistola. Scholæ Burdigalensi proximis annis præfuerunt, ibique cum maxima laude docuerunt *Math. Corderius*, *Antonius Goveanus*, *Ioannes Costanus*, *Georgius Buchananus*, *Nicolaus Gruchius*, *Gulielmus Guerenteus*, *Ia. Teuius*, & *Elias Vinetus*, qui, postquam Collegio Aquitanico per xxv. annos cum summa gloria præfuisset, tandem post multas vigilias & indefessos labores ibidem mortuus est xiv Mai, anno CIↃ IↃ XXCVII. Impetrarunt Burdigalenses ab Karolo IX anno CIↃ IↃ LXV. *Ius Nundinarum*, quæ ad instar Lugdunentium libere, mensibus Martio & Octobri, per xv dies haberi solitæ. Res à Burdigalensibus gestas commemorare non Cosmographi est, sed Historiographi: Hoc obiter dicam, *Tetricum* unum ex xxx Tyrannis, sub Galieno ex Præside Provinciæ factum hic esse Imperatorem; Purpuramque, quod Crimen erat læsæ Majestatis, sumsisse. Ferro Igneque cum ab aliis feris Gentibus, tum ab Vandalis, Gothis, Saracenis & Nortmannis sæpe vastata, decorem illum amisit & elegantiam, quam ejus Vijs Plateisque tribuit Ausonius.

Nundinæ. Res gestæ.

De ipsa Vrbe potiora, ni fallor, dixi: illud addam, anno CIↃ CCC LXXIX Societatem arctam initam fuisse inter Vrbes *Burdigalam* & *Burgum*; ut *Burdigala* quasi Princeps præesset *Burgo*, ceterisque Provinciæ Opidis: Inde autem servatum fuisse usque ad extremum Anglici Imperii diem; ut, urgente Bello, Maior & Iurati Burdigalenses ex Civium numero aliquos seligerent, futuros Vrbibus Castrisque Provinciæ Burdigalensis Præfectos. Hæc caussa fuit, quod opida *Blavia*, *Burgus*, *Liburnia*, *Fanum S. Aemiliani*, *Castellum*, *Cadillacum*, *Fanumque S. Macarij*, *Filiolæ* dictæ fuerint *Civitatis Burdigalensis*. De Prioribus nonnihil addam.

Filiolæ Civitatis Burdigalensis, præter alias.

Blavia, quæ vulgo *Blaie*, munitissimum est opidum, ad dexteram, quæque Santonos spectat, Garumnæ Ripam, xii leucis ab ejus ostio, vii à Burdigala, ab Santonis xv. Meminerunt ejus, præter Gregorium Turonensem de Gloria Confessorum & Aimoinum Floriacensem in Rebus Karoli Martelli, etiam Ausonius Epistola xii ad Paullum, *Militarem* appellans. In posteriore Tabulæ Peutingerianæ Editione *Blaviam* quoque nuncupari video, quum in prioribus Schidis *Blauutum* vel *Blanutum* legi, Viri Docti indignentur. *Blavtum* est Turpino in Vita Karoli: *Blabia* Notitiæ Imperij Romani, adsignato illi Præfecto Militum Carronensium. Sane pergit esse, quod olim fuit, *Blavia*; vix quadraginta Iugera obtinens Soli, Custodes Vigilesque habet perpetuos, qui nocte dieque non modo Locum illum custodiant diligenter, verum etiam ex ea Specula, quid toto late fiat Garumna, sursum deorsumque, studiose observent: & si qua fortean hostilis Classis præterire conetur, prohibeant inde illi naviter Tormentis, quamtum per Fluminis liceat latitudinem, quæ illic duum millium & ducentorum est passuum: ut vere Ausonio sit *Militaris*, vereque etiam *Castrum* dicatur Gregorio Aimoinoque; quorum ille *Romanum Blaviensem* laudat inter Confessores, Ausonio Poetæ & Martino Turonensi Episcopo coætaneum, quem Sigebertus mortem obiisse notat anno CCCXXCV; cuiusque Sepulcrum *Blaviensi Castello* contiguum, ut idem Gregorius loquitur, & Basilicam, in qua sepultum fuisse Regem Charibertum Ado Viennensis scribit, Civilia Bella solo nuper æquarunt. Incolæ volunt *Rolandum Palatinum*, Præfectum sub Karolo Magno Littoris Britannici, apud se natum, suum fuisse Comitem, apud se denique tumulatum in Ecclesia D. Romani; Ense adposito, quem *Durandal* vocitant, Cornuque ipsius ad pedes Tumuli; quod tamen postea in Ecclesiam D. Severini Burdigalam

Blavia, vulgo Blaie.

digalam perhibetur translatum. De hoc *Rolando*, aniles circumferuntur Fabulæ.

Burgus, olim Ebromagum.

Burgus, *Ebromagum* videtur Antiquis appellatum, si emendate scriptum (nam in quibusdam Codicibus legitur *Ebromagnus*, sed perperam proculdubio) Paullino Epistola v ad Severum Sulpicium Fratrem. In Iambis Ausonij ad Paullinum *Hebromanum* paret appellatum, ubi Vinetus testatur se & *Hebromagum*, item utramque vocem sine adspiratione in Libris scriptis reperisse. Erat autem hoc opidum *Pontii Leontii Paullini*. Probat non obscure Ausonius Epist. xxii, quæ ad ipsum scripta:

Is nunc adusque vectus Ebromagum tuam,
Sedem locavit mercibus.

Et alibi: *Qui apud Ebromagum conditis Mercibus, quas per agros diversos coemit, concesso ab hominibus tuis usus hospitio.* Quum igitur in modum Castrorum, ut scribit Scaliger lib. ii. Auson. Lect. cap. ix, Horreis publicis & Turribus postea esset amplificatum ab eodem Pontio Leontio *Burgus* vocatum fuit: ita enim eo tempore oportuna Bello & munita Annonæ copia Castra vocabant. In hunc *Burgum* Carmen Panegyricum exstat Sidonij Apollinaris, qui ab Munitione Horreorum & Propugnaculorum sic vocatum fuisse manifesto canit his versibus:

Cernere jam videor, quæ sint tibi Burge futura.
Diceris sic: namque Domus de Flumine surgunt,
Pendentesque sedent per Propugnacula Thermæ, &c.

Liburnia Libourne, vulgo.

Elias tamen Vinetus *Ebromagum* agnoscit in Vico, qui intra Blaviam, vulgo *Embrau*, vel *Bran* nuncupatur, quatuor leucis à *Burgo*. *Liburnia* ad Confluentes Duranij & Liliæ frequenter Parlamenti Burdigalensis legitur fuisse Sedes, grassante in Metropolitanos Peste. Opidum Novum. Nam qui mentionem faciat, non est antiquior Frossardo. Conditum lego circa Philippi Pulcri Francorum Regis tempora; Eduardi Angliæ Regis & Aquitaniæ Ducis auspiciis, qui suo Diplomate (Exscriptum est Gallo Romano Idiomate apud Vinetum ad Epistolam Ausonij vi) anni cIↃ ccxxcix jus Collegij & Civitatis *Liburniam* habitantibus est largitus: ut credibile putetur Muris *Liburniæ* factis, *Condatenses* Vicinos in novum opidum commigrasse: sicque *Liburniæ* ortum & incrementum *Condati Portus* fuisse decrementum & interitum.

ubi olim Condate.

Hodieque enim paullum supra *Liburniam*, secundum Dordoniam, Paludes sunt & Pascua *Condatis* nomine, quo locus Portus olim fuit & Vicus; manentibus nunc solis priscarum Fossarum Reliquiis. De *Portu* testatur Ausonius Epistola vi:

Unus à Domnotoni te littore perferet usius
Condatem ad Portum, si modo deproperes.

De *Vico* Paullinus Epistola i ad Ausonium:

In Condatino diceris degere Vico.

Est & *Condate* in Itineraria Tabula. Et post Ausonij Paullinique tempora annis plus nongentis Eduardus i Angliæ Rex, Aquitaniæ Dux *Condati* morabatur. Ejus exstant duorum Diplomatum exempla: in quorum priore est; *Datum & actum apud Condatum prope Liburniam, anno millesimo ducentesimo, octogesimo nono.* In altero; *Datum apud Condat. prope Liburniam, secundo die Iunij, anno Regni nostri decimiseptimo.* *Liburnenses* porro, ut ad eos redeam, quum anno cIↃ IↃ xliv contra Civitatis Burdigalensis auctoritatem obtinuissent à Principe Ius & Sedem Seneschalliæ, jussi sunt ejusdem Edicto ab Senatu comprobato vii Iulij moribus antiquis vivere, & Ius ab Seneschallo Burdigalensi petere.

Seneschalliæ Burdigalensi adcensetur Le Pais entre deux Mers,

Sunt autem & in Burdigalensi Seneschallia Territoria, quæ vulgo *Terra inter duo Maria*, *Medocum*, *Buchsium* & *Fronsaca*. *Terra inter duo Maria*, vulgo *Le Pais entre deux Mers*, pinguissimus est Tractus inter Garumnam & Duranium, ingentes Fluvios, qui propter magnitudinem vocantur *Maria* ab Incolis. Huic adscribi solent Opida cum aliis, Parlamento Burdigalensi subjectis, *Fanum S. Macarij* & *Liburnia*, de quibus paullo ante dixi.

Le Pais de Medoc, olim Medulorum Domicilium.

Medocum Medulorum Domicilium, vulgo *Le Pais de Medoc*. Huic tribui consuevit quidquid Agri inter Burdigalam est, Oceanum & Garumnam in eum influentem. *Ager Medulicus* nihil fere est, quam Arena: circa Paludes valde depressus; Aquarum Inundationibus supra modum obnoxius, ut mirum non sit Littus *Medulicum* indies atteri, & ab Oceano *Medulos* sensim sepeliri & obrui.

Curian Promontorium.

Sic ibi periit *Curianum Promontorium*, de quo alibi, cujus memoria servari

vari videtur in Scopulo, *Cordan* vulgo, qui in *Medulico* Oceano non procul vel potius in ipso Garumnæ ostio, *Φάρον* sustinens vel Turrim præaltam, & à proximo Medulorum quinque circiter passuum millibus distans angulo, cujus olim partem fuisse non est dubitandum. Sic ibidem periit *Νοιόμαγος*, Vrbs Ptolemæo Biturigum Vibiscorum: *Novioregum* fortean Antonino; cujus Rudera, retrocedentibus Fluctibus, subinde conspici narrantur, inter Arenas. Erat Burdigalensibus versus Caurum, sub eodem cum Santonis Meridiano sita, & æque ad Occasum vergens; sed australior, quam illa, unius Partis dimidio, ut omnino collocata fuisse videatur ad Ostium Garumnæ, ubi fere nunc *Solacus*, Vicus nobilis infra Burdigalam ad octoginta fere passuum millia. Sic denique ex eiusdem Loci adverso, in Littore Santonico perierunt vel Opida vel Vici; quod summa quædam docent Aedificia, in Arenaceis Montibus apud Arvertinos apparentia. Sunt sane sui Rebus omnibus, etiam maximis, Ortus: sui Interitus. Abundat porro *Medulorum* Ager Arboribus, quæ Picem & Resinam ferunt. An Tædam habeant, inquit ad Ausonij Epist. v. Vinetus, mihi non est compertum; sed hoc scio, illos Tædas vocare (hoc ipso vocabulo Latino Vulgus utitur) quas faciunt ex Arboribus, Resinam Picemque ferentibus. Fissæ namque ardent propter ingenitum illum Succum, tamquam Faces Candelæque, quas ex Canabino filo, cera, sevoque obducto facere solemus. *Carrota*, Vibisco Idiomate, *Medulicus* est Piscis apud Ausonium Epistola v, quem fere est ut Vinetus putet *Acipenserem* esse, qui *Medulis*, *Boijs*, aliisque Aquitaniæ Populis *Creac*, Burdigalensibus cum adjectione *Creac de Buch* à Bois dicitur. Nominat ibidem Ausonius & alios *Medulorum Boiorum*que Pisces: qui hodieque iis in locis & Burdigalæ noti. *Pauliacus*, cujus meminit Ausonius Epist. v i ad Theonem, hodieque Vicus est nobilis, nomen adhuc retinens *Pauliac*, apud eosdem Medulos in sinistra Garumnæ ripa, novem Leucis à Burdigala, ut vulgus illic metitur itinera. Fuit non procul Pauliaco in Medulis, in eadem Garumnæ ripa, etiam *Pagus Domnotinus* (alij alio modo scribunt) cujus mentio apud Ausonium Epist. v i, non uno loco. Vestigium videtur manere in Vico, qui *Donissam* hodie, *Pauliaco* minor & obscurior, Burdigalæque propior. Natus hic erat *Theon* Poeta: quem, alioquin Amicum, Ausonius eadem Epistola nimia exagitat Libertate, Stuporem Medulum Vibisco Sale supra modum perfricans. Inde *Theon Domnotinus*, indeque *Domnotina Domus* eidem Ausonio gens & familia Theonis. *Medoco* conregionale est *Buchsium* vel *Buzium*, *Boiorum* vel *Boatum*, de quibus alibi, Sedes: vernacule *Le Pais de Buchs*, Principatus Titulo clarum. Dynasta vulgo *Capdal* (Capitalis, Princeps, Dominus) *de Buchs*, id est *Buziorum* seu *Boiorum*, nominatur; estque sub Dominio inlustris *Candalarum Comitum* Familiæ, quæ Gastonem Capdalem Buziorum, Arcembaldi Filium, Progenitorem suum agnoscens, Navarræ Pannoniæque Regibus etiam Adfinitate juncta fuisse, Præsulesque & Præfectos Aquitaniæ dedisse legitur. *Bois* autem supra Medulos sunt, secundum Oceani Aquitanici littus. Ipsorum Ager, infelicissimum Solum, non alius fere genij, quam Medulorum; Arenis (quarum cultorem facit suum Theonem falso nimis Ausonius Epistola v) obductus, Frugibus infœcundus, præter Secali & Milio: Arboribus Resinam Picemque ferentibus abundat, cujus utriusque speciei magna vis Burdigalam singulis Veneris diebus Carris advehitur. De ipsa Gente, ut & de aliis, alibi a me dictum, ubi *Boiorum* etiam mentio mihi facta *Sinus*. Exit in hunc *Leria*, Vicinæ Gentis Fluvius, in Vasatensi Agro ortus; qui Ponte, Cymba nonnumquam Vado transitur apud Vicum *Montes*: qua via brevissima Baionam Burdigala solet iri. Qui *Leria* si non est, quem Ptolemæus lib. i i nominat *Sigmanem*, cujusque ostium constituit inter Aturri Baionam, & Garumnæ Burdigalam præterfluentis Ostia, totus ille *Sigmas* cum suo nomine prorsus disparuit. Nulla namque alia est aqua, quam *Leria* inter Garumnam & Aturrum in Oceanum influentes, quæ Fluvii nomine digna videatur. *Fronsaca*, *Le Pais de Fronsac*, Marchionatus Dignitate celebris est. Nomen illi ab Opido Castroque *Fronsiaco*, cujus ad Confluentem cum Duranio Lilam fundamenta posuit Karolus Magnus, quum Hunoldum Aquitaniæ Ducem bello peritum profligaret.

Novimagus Vrbs Mari fortean absorpta.

Solacus Vicus.

Locorum quorundam interitus in Littore Santonico.

Carrota, Piscis *Medulorum*.

Pauliacus, Vicus, hodie *Pauliac*.

Domnotinus Pagus, hodie forte *Donissam*.

Le Pais de Buchs, ubi Boiorum Sedes. *Capdal de Buchs*.

Leria Fluvius, olim forte *Sigmas*.

Le Pais de Fronsac.

Hæc de *Burdigalensi Seneschallia*: sequitur *Vasatensis*, *La Seneschaussée de Bazadois*, vicinos habens alios Guiennæ Vasconiæque Populos. Ager hic ibi Frugum, Vini, Fructuum,

Senescallia *Vasatensis*.

Fructuum, Pecorumque fertilis: plerusque alioquin sabulosus, & Arenis fluens; quemadmodum eum describit Pontius Paullinus:

Quique superba tua contemnis mœnia Roma
Consul, arenosas non dedignare Vasatas.

Item Sidonius Apollinaris lib. VIII. Epistola XII ad Trigettium: *Tantum te Vasatium Civitas non Cespiti imposita, sed Pulveri. tantum Syrticus Ager, ac vagum Solum, & volatiles Ventis altercantibus Arena sibi possident: ut te magnis flagitatum precibus, parvis separatum spatiis, multis exspectatum diebus attrahere Burdigalam non Potestates, non Amicitia, non opimata Vivariis Ostrea queant? an temporibus hibernis Viarum te dubia suspendunt. Et quia solet Bigerricus turbo mobilium Aggerum Indicia confundere, quoddam vereris in Itinere terreno naufragium.* Non potuit melius *Solum Vasaticum* describi. Quin & hodie totus ille Tractus *Vasatium* usque ad Flumen Aturrum patria Lingua vocant Incolæ *Landas*, ut & alibi notavi, hoc est, deserta & inculta Loca. *Hoc enim*, inquit ad Ausonium Scaliger, *propter arenosam Soli naturam, Arenosum Solum Syrtes vocabant temporibus Ausonianis, & Sidonius Agrum Syrticum dixit in verbis à me prolatis.* Duas habet Diœceses; *Vasatensem* & *Aturensem*. In Priore Metropolis est, quæ olim *Cossio Vassatum*. Sic nominat Ausonius in Parentalibus, Carmine XXIV: Κόσσιον Οὐασατῶν Ptolemæo: Vide quæ supra dixi, ubi de Populis: Alijs Κοσσίον scribitur; *Civitas Vasatas*, Itinerario, quod Burdigala ducit Hierosolymas; *Vasatum Civitas* Sidonio, ut jam audivimus, & Gregorio Turonensi lib. VI cap. XXI, cui & *Vasatensis Urbs* eodem libro, cap. XVI, & lib. I. de Miraculis cap. XII & XIII. *Vasata* simpliciter Pontio Paullino in Eucharist. & Ammiano Marcellino: *Basatz* pro *Vasatz* Vasconice B pro V. Nam Galli *Vazas* vocant. Parvum opidum XX. fere jugerum, unius diei itinere à Burdigala: duorum, ab Aquis Tarbellicis. Inspecta curiosius Mœnia antiquum esse loquuntur, & certare posse cum jam nominatis. *Aturensis*, *Aturensium* vel *Atyrensium Civitas* in libello Provinciarum, ab Flumine *Atyro* vel *Aturro* nomen retinet, sed depravatione Vasconica. Vocatur enim *Atrensium Civitas* vulgo *Atre*. Consulendæ Iosephi Scaligeri Lectiones Ausonianæ lib. II. cap. VII. Seneschalli Vasatensis Iurisdictio cis & ultra Garumnam vires exercet. Ad dextram sunt *Fanum Bazilia*, *Regula*, ubi Arx valida, *Monsigur*, *S. Ferme*, *Castel Muron*, *Geronde*, *Sauveterre*, & Pagi non pauci ad Duranium usque: ad sinistram vero, *Mont de Marsan*, *Castes*, *Geloux*, & nonnulla alia.

In qua duæ Diœceses; *Vasatensis*, cujus Metropolis *Cossio Vasatum*, hodie *Vasatz*;

Aturensis, cujus primaria Vrbs *Aire*.

Seneschallia *Lapurdensis*,

Vasatensem Seneschalliam sequitur *Lapurdensis*. *Lapurdenses* Populi, ubi quomdam fuerint, alibi notavi. Eorum Sedes *Lapurdum*, ut quibusdam placet, appellatur Notitiæ Imperij, Pactionique inter Gunthramum & Childebertum Reges initæ, cujus Exemplar notavi apud Gregorium Turonensem lib. IX. cap. XX. Hodie vulgo, *Le Pais de Lapord*, vel ut alij *Labord*; etiam *Lorda* & *Lourda*. Duas habet Diœceses, *Baionam* & *Aquas Tarbellicas*.

In qua duæ Diœceses,

Baiona Lapurdensium, hodie *Baionne*,

Baiona vulgo *Baionne*: Antiquis *Baiona Lapurdensium in Tarbellis*. Vrbs perantiqua, ut veterum Murorum indicat fabrica, in Radice sedens Pyrenæi, inque ripa Aturri, (qui mox cum Gravia maritimis ibi se miscet undis) Hispaniam spectante, quatuor fere millibus passuum ab Oceano. A *Boiis*, ut antea obiter monui, nomen habere videtur. Primum enim non omnibus *Baionam*, sed nonnullis *Boionam* fuisse perhibent. Egregie est munita: quæ, quum Anglorum jugum abjecisset, se in Karoli VII Francorum Regis fidem tradidit. Ejus Iurisdictio protenditur ultra Flumen *Iron*, usque ad Fanum D. Ioannis, cui cognomen *de Luz*, quod Franciæ Regnum ab Hispania sejungit. Gubernatorem habet seu Provinciæ Præfectum. Singulare est Baionæ, quod Vrbem nemo ingrediatur Armatus, nisi Rex ipse, quique Regij Sanguinis: reliqui, cujuscumque dignitatis & loci, sua ad Inferiorem Vrbis partem Arma coguntur relinquere. Episcopali fulget dignitate. *Episcopus Baionensis* etiam *Lapurdensis* dicitur in Veteribus Episcopii Chartis. *Aquæ Tarbellicæ* Antonino, quæ *Tarbellæ* Ausonio; *Tarbellorum* alijs: *Civitas Tarbella* Vibio Sequestro: *Aquæ Augustæ*, Ὕδατα Αὔγουστα, Ptolemæo lib. II; *Aquæ* simpliciter Itinerariæ Tabulæ: Hodie *Aqs*: & *Aquensium Civitas* Notitiæ Provinciarum in Aquitania: *L'Evesché d'Aqs*. Errant, qui vel *Tarbam Bigerronum* vel *Baionam* esse volunt; nimisque argutantur, qui Ptolemæi Δάκιον censent. Videndus omnino Ioseph. Scaliger lib. I Ausonian. Lection. cap. VI, plene solideq; probans, *Aquensem* hanc *Aquas* esse *Tarbellicas*, non aliam; non, quod maxime conatur evertere, *Tarbam Bigerronum*. Distat hoc opidum ab Oceano,

& *Aquæ Tarbellicæ*; vulgo *Aqs*.

ab Oceano, extremum Pyrenæum adluente, non plus diei unius itinere. Parvum sed munitissimum; Vetustatem in Mœnibus non exiguam ostentans. Balneis nobilitatum. In medio Fons illi calidus, perpetuo fervens; Aquas (a quibus primum Loco nomen; accedentibus mox cum ab Gente, tum ab nescio quo Augusto, cognominibus) multas in propinquum Aturrum emittens. Habet quidem totus hic Tractus propius Pyrenæum multos alios Fontes Calidos, magis celebres hoc tempore, quod Valetudini conducere magis deprehendantur: verum *Aquensem* olim celeberrimum fuisse, argumento sunt vetusta Solia marmorea, quæ in Margine adhuc exstant. Cives Gregorio Turonensi & alijs *Aquenses* vocantur. Paullini Mater, quæ *Aquensis* vel *ex Aquis Augustis* erat, *Stirpis Aquitanæ* dicitur Ausonio in Parentalibus Carmine XXIV. Quo tempore Guienna parebat Anglis, *Vrbs Nobilium* dicta scribitur, quod ab XII Nobilibus regeretur, quorum unusquisque in ea Turrim habebat suæ Genti cognominem.

Quarta superat describenda Guiennæ Seneschallia, *Santonia*, cujus Veteres Incolas alibi indicavi *Santones*. Habet ad Septemtrionem Pictones, ad Orientem Eculismenses & Petrocorios; ad Meridiem Garumnam, ad Occidentem Oceanum. Olim latiores Santonibus fuisse Terminos, non obscure colligitur ex Auctore Ephemeridum de Bello Gallico; qui scribit eos non longe ab Tolosatium Finibus abesse; illisque, in magno illo contra Cæsarem Bello, Concilium Principum Gallorum XII millia hominum imperasse, quum octo tantum millia Pictonibus, Lemovicibus decem fuerint imperata. Vulgo *Le Pais de Saintonge*. Metropolis vernacule *Saintes*, terminatione plurali; ut reliqua fere, quæ Gallis in S desinunt; cujus Classis sunt *Paris*, *Reims*, & similia. Non dubium, quin *Mediolanium* sit *Xantonum* vel *Santonum*: *Mediolanum Santonum*, Antonino, Itinere à Burdigala Augustodunum; *Mediolanum Sancon*, corrupte in Itineraria Tabula: Μεδιολάνιον Straboni & Ptolemæo: Μεδιόλανον Stephano. Quid ni? Antiquitatem testantur varia. Primo multæ priscorum Mœnium adhuc manentes hic ibi particulæ: Deinde nobiles extra Mœnia versus Occidentem Amphitheatri, Petrocoriensi quam Burdigalensi similioris, Reliquiæ: Tertio in Ponte Carantoni, Vrbem præterfluentis, antiquæ Structuræ cum Inscriptione duplici Arcus: Postrema non exigua, qua Mediolanio Iter Angeriacum ducit, Aquæductus Rudera. Vrbs etiam *Santonus* appellatur Ausonio Epistola XXIII, & Lucano, ni fallor, lib. I. *Santones* item eidem Ausonio Epistola XIV; & XVIII: ut & forte Tacito lib. V Histor. Augusti. Sidonioque Apollinari lib. VIII. Epist. VI. Ab hoc *Mediolano* nomen ei fuisse impositum, quod Galli, ut testatur Livius, in Agro Insubrum condiderunt, per est vero simile, ne dicam, ut Casaubono adsentiar, certum. Hujus Vrbis Agrum si diligentius inspexisset Strabo, pro arenoso & sterili, præpinguem Frugumque omnium feracissimum dixisset. De Saxonum in *Santonum* Solum Incursionibus, legendus Sidonius lib. VIII. Epist. VI. Episcopalis est Civitas, cujus Præsules Belleforestius numerat LXIII; postremum nominans *Tristanum Bisetum*. Mediolanium, vel, ut quidam Latine scribentes vocant, Santoniam sequitur *Rupella*, vernacule *La Rochelle*. Vrbs non antiqua, ab Franciæ Regibus exstructa ob Portus commoditatem. Est enim ibi fidissima Navium Statio. Viribus humanis inexpugnabilis creditur. Nulli sane cedit. Meridionale fere Latus insignis Oceani Sinus; adversum Paludes Locaque Vliginosa (quæ conficiendo Sali non inidonea, *Salantes* vulgo dicuntur) muniunt: reliqua Muri, Foveæ, Turres, validaque Propugnacula, quibus omnibus sua sunt Cognomina, mirandum in modum firmant; ut Tormentis bellicis nullus fere sit ad eam aditus. Libera Civitas, quamque multis & magnis Immunitatibus atque Privilegijs ornarunt retro Principes; cum alijs, quæ rei Maritimæ faciunt promovendæ, tum quod Cives ex suo Corpore Maiorem Scabinosque legant, qui Vrbis Politiæ præsint; quod nullam Peregrinorum gubernationem admittere cogantur; quod nullis Militum Præsidijs divexentur: quod denique Arcis ab suis Pomerijs arcendæ jus habeant: quorum pleraque consequuti anno CIↃ CCC LXII, quum, exturbato Anglorum præsidio, se Francorum Regi Karolo V submitterent. Gravem obsidionem passi sunt anno CIↃ IↃ LXXIII ab Henrico Valesio Andegaventium Duce, qui Rex postea Poloniæ Franciæque, de qua nulli non Historiographi. Reliquæ Santonum Vrbes & opida vulgo nominantur, *S. Jean d'Angely*, *S. Ioannes de Angeria*; *Lorgairo*, *Archant*, *Pont*

Seneschallia Santonia.

cujus Metropolis Saintes, olim Mediolanium Santonum.

Rupella, La Rochelle.

Alia Santonum opida

Loubleze, Tallebourg, Iarnac, Barbesieux, arcipotens, Rupefocaldios agnoscens Dominos, *Iosac*, & alia. *Brouage* Vicus est, Belgis alijsque Salipetis notissimus.

Cap. XXXV.

Cadurcium.

DE Tribus Provincijs, quæ Integre Burdigalensi parent Parlamento, verba feci; succedunt quæ Tolosano *Cadurcium, Rutenum, Languedokium.*

CADVRCIVM. *Querci*, Fines, Qualitas, Veteres Incolæ. *Cadurci*;

CADVRCIVM cingunt Petrocorij, Nitiobriges, Ruteni, Arverni & Lemovices. Regio est montibus innexa. Vulgo *Querci*; vel, ut alijs pronunciatur, *Crecy*.

Habitarunt olim *Cadurci*; quos, præter Plinium lib. IV cap. XIX (an & lib. XVIII cap. I? nondum liquet) cum infinitis alijs Galliæ Populis, celebrat Cæsar lib. VII, cui & *Eleutheri*, Ἐλεύθεροι, id est, *Liberi* cognominantur. Sic enim vocem illam scribens accipio: non adsentiens novos inde fabricantibus Populos. Sic apud eumdem Cæsarem post paucula verba *Suessones Eleutheri* prænominantur, ut dixi cap. XX. Ita alij multi apud Plinium Populi vocantur *Liberi*.

Duæ Diœceses: *Doveona*, hodie *Cahors*;

Duas habet Diœceses, *Doveonam Cadurcorum* & *Montalbanum*. Δουέονα Ptolemæo nota; pro qua *Ducona* vitiose Interpretibus. *Cahors* vulgo, ad Lothum Fluvium. *Divona* dicitur quibusdam doctis Viris. Certe, quocumque modo scribenda, *Cadurcorum* esse Metropolin censent Iosephus Scaliger suis ad me Litteris, Vinetus ad Ausonium, & alij. Iustus Lipsius, ne quid celem, in aureo de Amphitheatris Libello, *Doveonam* arbitratur esse Pagum, qui vulgo *Dowe*, plus minus diei mediæ itinere distantem ab Ligeri, parte ea, qua ab Andegavis in Pictones fit iter. Consule quæ dixi cap. XXVII. Adsonat quidem Pagi nomen: sed sic *Doveona* non posset esse ex mente Ptolemæi *Cadurcorum* Metropolis, quæ ab eo loco plus LX leucis dirimitur. Aliud addo. Cum *Doveona* Ptolemæi, si quidem vulgo *Cahors*, non potest idem esse, quod putant magni viri, *Aunedonacum* Antonini, vel *Auedonacum* Tabulæ Peutingerianæ, in Itinere, quod Burdigala ducit Augustodunum. Inter enim *Aunedonacum* ibi & *Mediolanium Santonum* millia passuum scribuntur XVII inter *Doveonam* autem & *Mediolanium*, id est inter opida, quæ vernacule *Cahors* & *Santes*, XL circiter sunt leucæ, quæ constituunt centum, & quæ excurrunt, passuum millia. Accedit & illud, quod *Cadurcorum* Metropolis tanto intervallo vergat Ortum versus, ut in iter illud Burdigala Augustodunum incidere non possit. Ego igitur censeo, *Aunedonacum* esse opidum illud, quod vulgo *Aulnay*, Mediolanio Santonum distans versus Septemtrionem paullo amplius sex leucis. Quædam obiter dixi in fine cap. XXVIII. *Cadurcorum* autem Metropolin designat Ausonius libro Professorum, Carmine XVIII, de Exsuperio Tolosæ Rhetore:

Decedens placidos mores, tranquillaque Vitæ
Tempora prædives finisti Sede Cadurca,

& *Montalbanum*, *Mont-Aulban*,

Altera Diœcesis *Montalbanum* est, hodie *Montaulban*, *S. Theodard de Montaulban*. Vrbs, Arcem habens, ad Tarnim Fluvium, stratum hic Ponte, cujus pars media Languedokiæ est Ditionis. Sunt & alia Opida, quæ vulgo *Burelle*, *Nazareth*, *Souillac*, *Gourdon*, *Martel*, & alia.

Vxellodunum, *Vsoldun*,

Fuit prope Opidum Martellum in Finibus Cadurcorum, ut Auctor quoque notat lib. VIII. de Bello Gallico, *Vxellodunum*, nomen retinens: Vocatur & *Vssoldun*, & *Lo Puech d'Vsoldun*, id est *Podium Vxelloduni*, quod in editissimo & valde prærupto loco situm. Horrendum est adspectu Præcipitium. Multæ sunt ibi Reliquiæ Vetustatis venerandæ. Quotidie ab Arantibus Numismata Romana ecfodiuntur. Vix reperias Rusticum, qui de Loco interrogatus non statim respondeat Castrum *Vxellodunum* illud ab Cæsare magnis Operibus fuisse oppugnatum Auctor, quem dixi, sic inter alia: *Flumen infimam Vallem dividebat, quæ pene totum montem cingebat, in quo positum erat præruptum undique Vxellodunum. Hoc avertere loci natura prohibebat. Sic enim imis radicibus Montis ferebatur, ut nullam in partem, depressis fossis, derivari posset. Flumen*, cujus nomen tacet auctor, est quod vulgo *Dordonia*. Idem paullo post: *Sub ipsum*

ipsum Opidi murum magnus Fons prorumpebat, ab ea parte, qua fere pedum trecentorum intervallo Fluminis circuitu vacabat. Hoc Fonte prohiberi posse Opidanos quum optarent reliqui, Cæsar unus videret; non sine magno periculo, è regione ejus, Vineas agere adversus Montem & Aggeres struere cœpit, magno cum labore, & continua dimicatione. Fontem hunc, cujus usum Obsessis interclusisse scribuntur hic Romani, hodieque ostendunt Adcolæ. Si uspiam Scriptores hujus ævi in notandis veterum locorum appellationibus hariolati sunt, hic vero unus est locus; de quo melius fuisset illos tacuisse.

CAP. XXXVI.

Rutenium.

CADVRCIO versus Ortum conjacet RVTENIVM; reliqua claudunt Languedokij, Arverni, alijque Conregionales Populi. Vulgo *Rovargois*, *La Seneschaussée de Rovargne.* RVTENIVM. *Rovargue.* Ejus fines.

Sedes olim *Rutenorum*. *Ruteni* in Itineraria Tabula, apud Sidonium lib. VII. Epist. VI, Plinium lib. IV. cap. XIX, item lib. III cap IV (nisi alij sint à Prioribus) & Cæsarem lib. I. & VII varijs locis, ubi & *Rutheni* scribuntur; qui Ρουτανοὶ Ptolemæo. Veteres Incolæ, *Ruteni.*

Seneschallia Rutenensis duas complectitur Diœceses, cum *Vabris*, *Segodunum Rutenorum*; Σεγόδουνον Ptolemæo, vulgo *Rodais*; *Rutena* apud Turonensem: Vrbs, quæ multa ab Gothis, Francis, Saracenis passa, tandem in Francorum venit ditionem. Gregor. Turonensis lib. II. Histor. cap. XXXVI & seq. & de Vita Patrum cap. III. Sunt & alia Opida: *Ville Franche de Rovargne*, *Gordon*, *Estanges*, *Espeiron*. Seneschallia Rutenensis duas habet Diœceses. *Vabras*, & *Segodunum*, hodie *Rodaus*.

CAPVT XXXVII.

Languedokium.

RESTAT in Tolosani Parlamenti Iurisdictione Major Superioribus, Cadurcio Rutenioque, Portio, LANGVEDOKIVM. LANGVEDOKIVM, Languedoc.

Provinciæ nomen; quod Incolæ, reliquis Gallis pro *Næ* vel *Ita* Latinorum, *Oui* proferentibus: *Oc* dicant. Quum capite XV Romanensem Galliæ Idiotismum, ex litteris Nobilissimi Viri Iosephi Scaligeri, in duo summa diducerem fastigia, *Francium*, & *Tectosagicum* sive *Provinciale*; *Francici* duas feci Species, quæ vulgo Ejus Etymon.

Langue d'Oui, & *Langue d'Oc*. In Posteriore plene est Provinciæ Nomenclatura: ut Regio quasi sit, quæ huic Linguæ dicata & consecrata. Nugantur, qui aliam quærunt Appellationis rationem; inter quos maxime, qui Gothos hic somniant, *Languedokium* scribentes nominari, quasi *Langothiam*, id est, *Terram Gothicam*: quo nihil dici potest absurdius. Morboniam tales. Stupiditas ipsa non posset stupidius. Scimus ex Sidonij lib. III. Epist. ad Avitum, Gregorio Turonensi lib. VIII, cap. XXX & alijs locis, Gothos olim hic habitasse; sed Provinciam ab ijs dictam, sanus nemo credet. Quum vero Lingua *Oc* latissime pateret, Regio, quæ delineanda nobis præ manibus, hoc nomine præcipue notata est, quod Sedes ibi esset Regiminis Linguæ *Oc*. Nam Regnum Franciæ ante ducentos annos in duo summa Regimina dividebatur; in *Linguam Oui*, cujus caput Lutetia; & *Linguam Oc*, cujus caput alternis erat nunc Tolosa, nunc Mompelius. Franci hoc Regimen vocabant etiam *Gubernamentum Linguæ Tortæ*; ita nominantes Linguam *Oc*, quam illi putant esse Distortam, Suam vero Rectam.

Fines. Habent Linguam *Oc* loquentes ad Occidentem Vascones, interfluente Garumna; ad Caurum, Cadurces; ad Septemtrionem, Arvernos & Forenses, ad Orientem, Delphinates & Provinciales, sic, ut totus Rodanus sit Languedokiæ Ditionis, & sub Parlamento Tolosano; Meridionale denique Latus partim pulsat Mare Mediterraneum, quod Gallicum ibi audit; partim Montes claudunt Pyrenæi: quem Tractum sic finit Strabo lib. IV: Ἔνιοι δὲ τὸν τόπον, ἐν ᾧ ἐστι τὰ Πομπηΐου τρόπαια, ὅριον Ἰβηρίας ἀποφαίνουσι, καὶ τῆς Κελτικῆς. Ἔστι δ' ἔνθεν εἰς Νάρβωνα μίλια ξγ΄· ἐκεῖθεν· εἰς δὲ Νέμαυσον, ὀγδοήκοντα ὀκτώ· Ἐκ Νεμαύσου δὲ διὰ Οὐγέρνου καὶ Ταρασκῶνος εἰς τὰ θερμὰ ὕδατα, τὰ Σέξτια καλούμενα, ἅπερ πλησίον Μασσαλίας ἐστί, νγ΄.

Qualitas. Regio est nobilissima. Scriptoribusque Romanis cum primis celebrata: quæ caussa, quod Veteres ejus Incolæ multo nominentur numerosiores, quam reliquarum Galliæ partium. Eos, anteaquam, quo modo se nunc habeat Regio, doceam, animus est recensere paucis, non servato curiosius ordine.

Veteres Incolæ. Sedes igitur hic suas olim habuisse leguntur *Volcæ* & *Arecomici* & *Tectosages*, *Septimani*, *Decumani*, *Atacini*, *Tolosates*, *Gabali*, *Albigenses*, *Velauni*, *Consaranni*, *Helvij*, *Nemausenses*, *Aletenses*, *Beterienses*, *Agathenses*, *Lutevani*, *Magalonenses*, *Sontiates*.

Volcæ. *Volcarum* Nomen in primis hic magnum, quod varie scribi reperio. Nam qui *Volcæ* Cæsari, Livio, Plinio, Silio, Melæ, alijs, οὖολκαι autem Straboni & Ptolemæo: in quibusdam Cæsaris Codicibus *Volgæ* dicuntur; Dionysio Halicarnassæo οὐλούσκοι: *Belcæ* Ausonio in Tolosæ Vrbis Delineatione. Quod ad *Volgas*, magnam scimus cognationem inter γ & κ, Græcorum litteras: Dionysij οὐλούσκους, in morbo cubare censeo, restituendosque saltem οὐόλκας. In *Belcis* Ausonij varie laboratur: Versus in postrema Editione sic habet:

Vsque ad Tectosagos primævo nomine Belcas:

Testatur doctissimus Vir Elias Vinetus in quibusdam Exemplaribus esse,

Panaque nomina Belgas;

In alijs autem, *Paganaque nomina Belgas:*

Emendat Beatus Rhenanus lib. I. rerum Germ. *Germanaque nomina Belgas*.

Legerat enim lib. II. Ephemerid. Belli Gallici, Cæsarem ab Remis didicisse, plerosque Belgas ab Germanis ortos, Renumque antiquitus traductos propter loci fertilitatem ibi consedisse; Gallos autem, qui ea loca incolebant, expulisse. Ingeniose quidem, ut multa alia: sed quid conjectura illa ad *Tectosages*, Galliæque Narbonensis Fines, quos ibi regit Ausonius? Iosephus Scaliger lib. I. Ausonianar. Lect. cap. XXIII legit, *Paganaque nomina Belcas;*

& quid *Pagana* sint *nomina*, quidque *Pagi*, docte explicat. Non improbæ nihilominus notæ censendi sunt illi Codices, qui præferunt, *Primævo nomine Belcas*. Nam *Belcæ*, si quidem ita scripserit Ausonius, homo Gallus, forte ex genuina Incolarum pronunciatione, ijdem omnino sunt cum reliquorum *Volcis*: quorum nomen hodie in ore Vulgi nusquam agnoscitur, nisi quis velit in *Belcaria* (modo *Belcæ* Ausonio sint, ut dixi, qui ceteris *Volcæ*) servari, quæ nunc vernacule ea Galliæ Narbonensis vel Languedokij pars, ut notat Vinetus, cujus princeps est *Nemausus*. Recte autem Ausonius *Tectosagos*, qui *Tectosages* alijs, *primævo nomine Belcas*, canit; iudicans eos *Belcas* vel *Volcas* prænominatos.

Iique vel Arecomici. *Volcæ* enim duplices erant, *Arecomici* & *Tectosages*. Qui *Arecomici* Cæsari & Plinio; Ἀρηκόμιοι scribuntur Ptolemæo,

mæo, Ἀρεκομικοὶ, & non ſemel Ἀρεκομισκοὶ Straboni lib. IV, qui eos maximum incolere ſpatium ſcribit, cuique ἐπίνειον ipſorum ἡ Ναρβών. Hi olim, ubi nunc, ut ſuis ad me Litteris monet Nobiliſſimus Vir Ioſephus Scaliger, *Nemauſus*, *Vcetenſes*, *Magalonenſes*, *&* *Bitierræ*. *Civitates Nemauſenſium*, *Magalonenſium*, *&* *Beterienſium*, item *Caſtrum Vcetienſe* ponit Notitia Provinciarum in Viennenſi II; hodie, *Les Eveſchez de Nimes, Mompeliers, Beſiers & Vſetz*. Qui *Tectoſages* Plinio lib. V, Pomponioq. Melæ lib. II, Τεκτόσαγες Straboni; *Tectoſagi* vocantur eidem Plinio lib. III, Livio lib. XXXVIII, nec non Iuſtino, ex lib. XXXII Trogi Pompei, cujus Majorum hic fuit Patria, ut ipſe ait lib. XLIII. VOLCETECTOSI in Itineraria Tabula: ubi reſtituendi VOLCÆ TECTOSAGI. *Teutoſagi* autem, ut jam vidimus, Auſonio. Τεκτόσαξ eſt apud Stephanum, ut Ἄτραξ, Ἄσφαξ: quibus ſubſcribit, Τεκτόσαγες, ἔθνος Γαλατικόν. Εὕρηται Τεκτόσαγης διὰ τοῦ η. καὶ Τεκτόσαγαι, &c. Inepte faciunt, qui apud Cæſarem lib. VII. de Bello Gallico, & lib. I. de Bello Civili, diſtinctionem inter *Volcas* & *Arecomicos* ponunt: ineptius, qui Copulam apud Ptolemæum interjiciunt, cum inter *Volcas* & *Tectoſages*, tum inter *Volcas* & *Aricomios*; ineptiſſime, qui in ejuſdem Cæſaris Ephemeridum VII legunt *Cadurcoſque ad Fines Volcarum Arecomicorumque depopulabundos mittit*, contra Membranarum fidem & auctoritatem, in quis, *Arecomicorum depopulabundos*. Non enim duo, ſed unus Populus, cum *Volcæ Arecomici*, tum *Volcæ Tectoſages*. *Tectoſages* autem *Arecomicis* fuerunt celebriores, à quibus Colonias in Aſiam, Pannoniam, Germaniamque ductas, ſcribunt Cæſar, Livius, Iuſtinus, Strabo, Florus, alij; apud quos de antiqua Gentis virtute, Rebuſque præclare geſtis, multa. *Tectoſages* apud Plinium tenent eam Galliæ partem, quæ eſt inter Pyrenæos & Cebennam: Pomponius Principem *Tectoſagum* Vrbem *Toloſam* appellat; Iuſtinus antiquam *Tectoſagorum* Patriam: apud Ptolemæum *Tectoſagum* Vrbes, præſertim Mediterraneæ, nominantur *Illiberis*, *Ruſcino*, *Toloſa Colonia*, *Ceſſero*, *Carcaſo*, *Betira*, *Narbo Colonia*. *Tectoſages* igitur quondam, ubi nunc præcipue *Carcaſſo* & *Toloſa*: quæ mens, ut alijs, ſic etiam Ioſepho Scaligero. Ex quibus omnibus liquet, *Volcas* habitaſſe ad alteram tantum Rodani ripam; licet in utraque eos conſtituat Livius lib. XXI. *Arecomicorum* pars fuerunt *Septumani*, Galliæ Narbonenſis Populi apud Plinium lib. III. cap. IV, & Melam lib. II. cap. V, qui eorum Vrbem faciunt *Blitteras*, & *Bliteram*: *Bitteras* & *Biteras* lego in Libris melioribus. De ea poſt. *Septumanorum* etiam mentio in Imperij Notitia. Eorum Regio *Septumania*, Sidonio lib. III, Epiſt. I, Eginartho in Vita Karoli Magni, Gregorio Turonenſi lib. VIII. cap. XXVIII, & XXX, item lib. IX. cap. VII, Aimoino lib. IV. cap XXCIV, Vſuardo XI. Kal. April. Ionæ Aurelianenſi lib. I, Petro Arverno Cluniacenſi cap. I, & alijs. Nomen proculdubio ab VII. *Legionis Militibus*, quibus ſua ibi fuerunt Præſidia. Meminit, ni fallor, Inſcriptio, quam Dianij in Hiſpania extare ſcribit ex Apiano Martinus Smetius:

vel Tectoſages. Septumani.

D. M.
Q. MONEIO
VERECVNDO
NARBONENSI
VET. LEG. VII. GEM. FEL
ÆLIA. VALENTINA
MARITO. BENEMERENTI

Haud procul *Septumanis* erant *Decumani*; in quis, Plinio Pomponioque Auctoribus, erat *Narbo Marcius*. *Decumanos* accipio, Decimæ Legionis Veteranos: *Civitas Narbonenſium*, Notitiæ Provinciarum in Viennenſi II, *L'Archeveſché de Narbone*. Per Narbonem exit in Mare Internum *Atax* Fluvius, in Saltu Pyrenæo ortus. Ab *Atace* *Atacini* Populi, eidem Pomponio. *Atacinorum* Vrbs erat *Atax*, ubi natus P. ille *Terentius Varro*, *Atacinus* inde cognominatus, qui ſcripſit Argonauticõ lib. IV, Epigrammata, Bellum Sequanicum, quod citat Priſcianus lib. X. & alia. Videndi Plinius lib. I. & Euſebius in Chronicis. *Toloſates* apud Cæſarem lib. I. & VII, *Toloſani* vero Plinio, qui ſint, notius, quam ut à me dicatur. *Civitas Toloſatium*, Notitiæ Provinciarum, *L'Archeveſché de Toloſe*, Metropolis eorum *Toloſa*, de qua poſt. *Gabali*

Decumani. Atacini. Toloſates. Gabali.

 apud

apud Cæsarem lib. VII sunt, qui *Gabales* Plinio, Γαβαλεῖς Straboni; Ptolemæo corrupte Ταβαλλοι. *Gabali* hodie *Le Pais de Gevauldan*. *Vicus Mimates Gabalorum* vel *Gabalitanorum*, ut nominatur Sidonio lib. VII. Epist. VI. hodie *Mende de Gevauldan*. Nam Syllabam *Ga* primam in Vocibus Galli mutant in *Ge*: *Gabalis* enim *Gevauldan*, *Gabalum*, *Gibet*; *Garumna*, *Gironde*. Marlianus dicit fuisse quomdam Provinciæ Bituricensis, nunc vero Provinciæ Arelatensis. Certe & nunc quoque Provinciæ, ut me monet Scaliger, Bituricensis. *Mimatensis* enim Episcopatus Tribunalis est vel Parlamenti Tolosani, sub Metropoli Bituricensi. Inter *Gabalos* & Provinciam Arelatensem,

Longa procul longis Via dividit invia terris.

Arecomici. *Gabalici Cases* meminit Plinius lib. XI. nat. Hist. cap. XLII. *Albigenses* in Aquitania ad Flumen Tarnum; hodie *Albigeois*: *Albigensium Civitas* in Notitia Provinciarum. *L'Eveschè d'Albi*. De *Albigensibus Hæreticis* alij. Vide quæ infra dicam de *Helviis*. *Velauni*

Velauni. Plinio lib. IV. cap. XIX (corrupte enim vulgo *Venami*) sunt, qui *Vellaunij* Cæsari lib. VII (in cujus antiquis Codicibus *Velavi*) Οὐέλαυνοι Ptolemæo, Οὐελλάιοι Straboni lib. IV, ad cujus scripturam proxime accedit hodierna appellatio, qua Languedokij Tractus vocatur *Velat*, vel *Velaie*. *Civitas Velaunorum* Notitiæ Provinciarum Galliæ in Aquitania I vel VI Viennensi, *Le Pais de Velai*, ut notant Iosephus Scaliger, Ioannes Poldus, Belleforestius, & alij. Martyrologia scribentibus *Pagus Velaunus*; doctius, quam ipsi opinabantur, pro tota Præfectura *Velaunorum*. *Pagus* enim Latinis Veteribus, non tam Vicus, quam magnus modus Agri, Gensque una quamtumuis numerosa, ut alibi noto. Ab hujusmodi latiore *Pagi* notione Gallis vox manavit *Pais*, numquam *G* ante Vocalem pronunciare soliti, quemadmodum & in *Plaga*, *Playe* & alijs, quæ prætereo. Quæ *Civitas Consantanorum* in Vulgatis Notitiæ

Consorani. Provinciarum est Exemplaribus; *Consaraunorum* vel *Conseranorum* in Antiquis scribitur: *L'Eveschè de Conserans*: *Consuarani* vocantur Plinio lib. III. cap. IV: *Seranni* Petrean Gregorio Turonensi. Qui *Helvij* apud Cæsarem lib. VII. de Bello Gallico,

Helvij. duobus locis, & initio fere lib. I. de Bello Civili, *Helvi* apud Plinium, Ἐλουοι apud Strabonem: Ptolemæo putantur esse Ἐλυικοί; *Albenses*, in Notitia Provinciarum

Helviorum Albenses. Galliæ, ubi sub Viennensi Prima, *Civitas Albensium*, *nunc Vivario*: *L'Eveschè de Viviers*. Sic in Scriptis legitur Codicibus. Nam inepta est, quæ in Vulgatis libris est, Scriptura, *Civitas Albensium, hoc est Belisio*. Habitarunt olim, ut suis ad me Litteris monet Scaliger, ut item sentire video Dalechampium; ut denique satis ex Notitia Provinciarum paret, *Helvij* Agrum, qui vulgo nunc *Vivarais* nuncupatur. *Helvios* Cæsaris omnes (inter quos Orontius, Belleforestius, Poldus, Cænalis) hactenus interpretati sunt *Albigenses*, *Albigeois*; eorumque Vrbem, *Albi*. At *Albigenses* sunt in Aquitania, ad Fluvium Tarnim; *Albenses* autem vel *Elvij* ad Rodanum. Cæsar lib. VII trans Rodanum esse dicit extra Provinciam Romanam, proximos Arvernis & Cebennis Montibus. De *Alba* Helviorum Plinij, & *Alba Augusta* Ptolemæi, hodie *Aubenas*, paullo post, ubi de *Vivartensi Oppido*, *Vivartensis Diœcesis*, id est *Albensium*, vel *Elviorum* nunc Metropoli. Nominantur & in Notitia Provinciarum, cujus

Nemausienses. Atacini. Biterrenses, Agathenses, Lutevani, sæpe jam memini, *Nemausenses*, *Aletenses*, *Beterrenses* & *Agathenses*; quorum omnium Domicilia nunc etiam notissima, ubi hodie Episcopatus *de Nimes*, *d'Alet*, *de Besiers*, *d'Agde*. Adduntur & alij: *Lutevani*, qui & *Foro-Neronienses* Plinio; quomdam, ubi nunc *Luteversis Episcopatus*. *L'Eveschè de Lodeve*, vel, ut alij scribunt, *Lo-*

Magalonenses. *desve*: *Castrum Luteva* Notitiæ Provinciarum in Viennensi II. *Magalonenses* ab Insula *Magalone*, ubi prius Sedes fuit Episcopalis, quæ nunc in Monte Pessulo. Demum adhuc gerit Insula cum Templo, in medijs Stagnis. *Civitas Magalonensium* in

Sontiates, Notitia Provinc. *L'Eveschè de Magalone, ou Mompelier*. *Sontiates* apud Cæsarem lib. III. interpretantur nonnulli *Lavedans* (*Lavedan*) Incolas. In quibusdam Libris *Sotiates* scribuntur. Fulvius Vrsinus ex Orosio M. S. legit *Sociates*: *Sottiates* sunt apud Plinium; Σωτιᾶται apud Athenæum lib. IV. Qua autem Reip. ratione *Sontiates* fuerint, indicat non obscure Cæsar, qui Principem eorum nominat *Adcantuannum*; Athenæus, Ἀδιάτομον: Milites ejus ille *Soldurios* hic Σιλοδούρους. Fuerunt & inter

Vmbranici. Galliæ Narbonensis Populos *Vmbranici*, notante Plinio; quorum Ager in Tabula Peutingeriana *Vmbranicia* dicitur.

Hæc de Antiquis hujus Galliarum Tractus Incolis sufficiant: ad Hodierna venio.

Lan-

Languedokium Vrbes habet præclarissimas: quarum aliæ *gentium* quasi sunt: *Majorum* aliæ *Minorum*. *Majorum* mihi *Archiepiscopales* & *Episcopales*. Prioris Classis sunt *Tolosa* & *Narbona*. [illegible]

Tolosæ primum dabo locum, quod non solum Archiepiscopatui, verum etiam amplissimo totius *Languedoky* Parlamento, Supremæque Curiæ præbeat Domicilium: quodque inter tres ingentes Languedokii Seneschallias principem facile tueatur locum. *Tolosa* Cæsari, Plinio, Melæ, Marcellino, Iustino, aliisque Latinis Scriptoribus; Τολῶσα Straboni & Ptolemæo: *Tolosa* vitiose in Tabula Peutingeri Itineraria. Galliæ Narbonensis *Volcarum Tectosagum Colonia* Geographis: sed a quo & quando ducta, nondum est compertum. *Vrbs Tolosatium*, Sidonio lib. IV. Epist. XXII, & Gregorio Turonensi lib. I. de Miraculis cap. VIII. *Vrbs Tolosana* Ennodio in Vita Epiphanij. Nomen retinet: Vulgo *Tolouse*. *Civis Tolosensis*, ni fallor, mentio in Marmore, quod Romæ, prope Arcum Camillarem: Tolosa. Vulgo Tolouse.

DIIS
MANIBVS
C. FABRICI. C. L.
VOL. PROXIMI
TOLOSENSIS
C. FABRICIVS
VICARIVS
PATRONO. BENE
MERENTI. FECIT
IN. FRONTE. P. VII
IN. AGRO. P. VII

Antiquissima clarissimaque Vrbs, quam *Opulentam* vocat Ausonius libro de Professoribus, Carmine XVII, qui & libro de Vrbibus, Carm. XI. *Tolosam* sic suis coloribus delineat: Descriptio eius [illegible]

Non umquam Altricem nostri reticebo Tolosam,
Coctilibus muris quam circuit Ambitus ingens,
Perque latus pulchro prælabitur amne Garumna;
Innumeris cultam Populis, confinia propter
Ninguida Pyrenes, & pinea Cabennarum,
Inter Aquitanas Gentes, & nomen Iberum.
Qua modo quadruplices ex se quum effuderit Vrbes,
Non ulla exhausta sensit dispendia plebis,
Quos genuit cunctos gremio complexa Colonos.

Qui Poëtæ Ingens Ambitus, nunc quoque Magnus est. Paucas namque habet Gallia Vrbes, Tolosa majores, soli cedente Parisiorum Lutetiæ. Fuit aliquando multo, quam nunc est, amplior opulentiorque, uti patet, cum ex his Ausonij Ver[illegible], tum ex Epistola ad Paullinum, quæ ordine XXIII, ubi eam *Quincuplicem* [illegible] quasi ex quinque Vrbibus conflatam. Sed multa gravia & acerba tulit, M[illegible] que ejus magnopere imminuta est, cum alias, tum Albigensis Dogmatis te[illegible] Templum quod *D. Virgini*, cognomine *de la d'Aurade*; aliudque, quod [illegible] consecratum; illud *Iovi*, hoc *Apollini* sacrum fuisse memorant Cives [illegible] *team Portariam* volunt dictam, quod *Iupiter* ibi cultus *Arietinus*, vel [illegible] esset Signi Zodiaci *Arietis*, quasi *Porta Arietis*. Non pugno. De [illegible] *Amphitheatri* Vestigijs magis constat: *Capitoly* item, apud Lo[illegible] cupatur. Arx enim ibi rotundioris structuræ. *Tolosatum Cap*[illegible] nit Sidonius lib. IX. Epist. XVI:

E quibus primum mihi psallas Hymnum,
[illegible] *tum tenuit Cathedram,*
[illegible]

Tolosa Sedes oli[illegible]
cium & Walli[illegible]

Legendi Prosper, Cassiodorus, Iornandes in Historia Gothor. cap. xxxii, Diaconus lib. iv, Isidorus in Chron. Gothor. & alij. Sic Rutilus Itinerario i:

Errantem Tuscis considere compulit agris,
Excolere externos capta Tolosa Lares.

Idacius M. S. *Gothi sedentes in Aquitania Tolosæ sibi sedem eligunt.* Et inde *Reges Tolosæ* nominati. Sic *Alaricus Rex Tolosæ* in Commonitorio Aniani; Sic alij. Hinc *Torismundus*, ut Regnum auspicaretur, *Tolosam*, Regni Gothici caput, ingreditur apud Iornandem in Hist. Gothorum: Hinc *Theodoricus*, Torismundi Successor, Larem ibi fovet apud Sidonium Carm. viii; ut Theodorici Successor *Euarix*, apud eumdem Sidonium lib. v. Epist. xiii, & Ennodium in vita Epiphanij: Hinc denique *Alaricus*, Eorici filius, apud Tolosatem Vrbem Gothorum Rex factus scribitur Isidoro in Chronic. Gothorum: quo interfecto *Regnum Tolosanum*, occupantibus Francis, est destructum; eodem, & Gregorio Turonensi lib. ii. cap. xxxvii. scribentibus. Ce-

Academia,

lebrem habet *Academiam*; olim omnium Artium & Disciplinarum, hodie autem cum primis Iurisprudentiæ studio florentem; diligentiaque cum Professorum, tum Studiosorum stupendam. Meminerunt ejus Baldus in l. omnia Privilegia. C. de Episc. & Cleric. Iason ad l. i. D. de Legat. i. Abbas in c. fin Extra. Ne Clerici vel Monachi. Multa etiam de ea Rebuffus. Rhetoricam *Tolosæ* docuerunt *AEmilius Magnus Arborius, Exsuperius & Sedatus*; quorum Manibus justa solvit Ausonius libro

Aurum Tolosanum,

de Professoribus, Carminibus xvii, xviii & xx. De *Auro Tolosano* (quod *Tolosense* dixit Iustinus lib. xxxii.) natoque inde Proverbio in eum, cui Fata res secundas esse nolunt; cuique Malum malo congeritur & exaggeratur, legendi Agellius lib. i. Noct. Attic. Strabo lib. iv, & alij. De ejus raptu quæstionem aliquando habitam Romæ,

Tolosatium Coloniæ,

scribunt M. Tullius lib. de Nat. Deor. iii, Orosius lib. v. cap. xv; & alij. Quæ sint autem quatuor *Tolosatium Coloniæ*, quas ex se Tolosam effudisse canit paullo ante Ausonius, non constat: quin & plurima de *Tolosa* memorant Strabo lib. iv. & Iustinus

Tolosensis Lacus.

lib. xxxii, quorum hodie paucissima agnoscas. *Tolosensis Lacus* meminit Trogus Pompeius apud Iustinum lib. xxii circa Tolosam.

Narbo, hodie Narbone:

Tolosæ proxima dignitate est *Narbona*. Sic Suetonio in Tiberio cap. iv (apud quem tamen in MSS. *Narbo* legitur) Eutropio, Ammiano, & plerisque Latine nunc scribentibus appellatur, quæ *Narbo* Martiali lib. viii. Epigr. lxxi, & alijs; Ναρϐὼν Polybio lib. iii, & Ptolemæo; *Narbo Martius*, Plinio lib. iii. natur. Hist. cap. iv, Pomponio Melæ, Ausonio in Vrbibus, & alijs. Ναρϐωνησία Marciano apud Stephanum: Apud Avienum *Naro* dicitur. Ptolemæus *Tectosagum Vrbem* facit in Gallia Narbonensi; *Arecomicorum Navale* Strabo; *Decumanorum Coloniam* esse ait Plinius; Eorumdem quoque & *Atacinorum* Pomponius Mela lib. ii. A *proprijs Colonis* conditam notat Isidorus lib. xv. Etymologiar. Quæ caussa *Narbonem* Coloniam deducendi Romanis fuerit: quod primum Nomen antiquissima Vrbs, & unde *Martij*

Colonia quando primum deducta.

cognomen habuerit, adhuc quærunt Docti. Deductam lego non semel. Deduxit Primus, post domitos & debellatos ab Longinis, Domitiis, Fabiisque Gallos TransAlpinos, *L. Licinius Crassus* Orator, quum adhuc esset adulescens, testibus Cicerone in libro de Claris Oratoribus, Paterculo lib. i, & Eutropio. Factum illud anno ab V. C. ɪↄcxxxvi, L. Porcio Catone & Q. Marcio Rege Coss. Vnde sunt, qui *Marcium* ab altero Coss. cognominatum velint. Sed quur Cognomen illi ab *Marcio* potius *Rege*, quam à *Porcio Catone*? & quur ab altero potius Coss. quam ab eo, uti moris erat, qui deduxerat? Quin *Marcia* Gens quartam in Nomine litteram C habet, non T, apud omnes Græcos Latinosque Scriptores, in omnibus Membranis, in multis, quæ apud Aldum Manutium, Inscriptionibus, & Nummis. *Narbo* autem quartam sui Cognominis *Martij* litteram T agnoscit, non C, in quotquot reperiuntur, Scriptis Codicibus: contra quorum fidem & auctoritatem inique facit Dionysius Lambinus, Vir doctissimus, qui per C vult scribi. Aliunde igitur Co-

Vnde dicta, Martius,

gnominis ratio quærenda, & fortean ab *Veteranis Martiæ Legionis Militibus*. Respicere videtur eo Sidonius Apollinaris in Epistola ad Pontium Leontium de Burgo: *Dum apud Narbonem, quondam Martium dictum, sed nuper factum, moras necto.* Innuit primo *Martium* non *Marcium* cognominatum; deinde Narbonem olim quidem *Martium* vocatum, sed quod *Martij* appellatione designabatur, hoc nuper esse effectum; Civitatem scilicet *Martiam*, id est bello potentem, & strenuam, quum nimi-

rum

rum Gothos obsidentes oppugnantesque diu fortissime sustineret. Certe ab Rebus Bellicis, Militarique Virtute laudant hanc Vrbem & alij. Cicero in Oratione pro Fonteio: *Est in eadem Provincia Narbo Martius, Colonia nostrorum Civium, Specula Populi Romani, ac Propugnaculum istis ipsis Nationibus oppositum & objectum.* Pomponius Mela lib. II. *Sed antistat omnes Atacinorum Decumanorumque Colonia; unde olim iis Terris auxilium, nunc & nomen & decus est, Martius Narbo.* Deductam iterum *Narbonem* Coloniam C. Iulio Cæsare Dictatore; & Ti. Claudium Neronem, Ti. Imperatoris Patrem, deduxisse, Suetonius auctor est in Ti. Principis Vita cap. IV. A quo tempore *Narbo* non solum *Martij* usurpavit cognomen, verum etiam *Iuliæ Paternæ* quasi Prænomen, dictaque fuit *Iulia Paterna Narbo Martius: Iulia* quidem ab C. Cæsaris Dictatoris Nomine; *Paterna* vero, quod Iulij Patris, id est Dictatoris, non Iulij Filij, id est Octaviani Augusti, auspicijs esset deducta. Testatur elegans Marmor in ipsa Vrbe ecfossum anno CIƆ IƆLXVI. Exstat typis excusa, cujus pars, quæ dictis à me probandis facit, sic habet: HISCE. LEGIBVS. HISQVE. REGIONIBVS. SIC. VTI. DIXI. HANC. TIBI. ARAM. PRO. IMP. CÆSARE. AVG. P. P. PONTIFICE. MAXIMO. TRIBVNITIA. POTESTATE. XXXV. CONIVGE. LIBERIS. GENTEQVE. EIVS. SENATV. POPVLOQVE. R. COLONIS. INCOLISQVE. COL. IVL. PATERN. NARB. MART. QVI. SE. NVMINI. EIVS. IN. PERPETVVM. COLENDO. OBLIGAVERVNT. DOQVE. DEDICOQVE. VTI. SIES. VOLENS. PROPITIVM. Celebrant *Narbonem* Ausonius & Sidonius Apollinaris: ille quidem in Vrbium suarum Catalogo, Carm. XII, ubi inter alia sic canit:

unde Iulia Paterna.

Narbonis Martij Encomium ex Ausonio,

Quis memoret Portusque tuos, Montesque, Lacusque?
Quis Populos vario discrimine Vestis & Oris?
Quodque tibi quondam Pario de Marmore Templum
Tanta molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius, Catulusque iterum, postremus & ille,
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar?
Te Maris Eoi merces, & Hiberica ditant
Aequora, te Classes Libyci, Siculique Profundi:
Et quidquid vario, per Flumina, per Freta, cursu
Advehitur: toto tibi navigat orbe navimaus.

Hic vero Carmine XXIII. ad Consentium Clariss. Civem Narbonensem, cujus hæc inter alia:

& Sidonio Apollinari.

Salve Narbo potens Salubritate,
Vrbe & Rure simul bonus videri
Muris, Civibus, Ambitu, Tabernis,
Portis, Porticibus, Foro, Theatro,
Delubris, Capitoliis, Monetis,
Thermis, Arcubus, Horreis, Macellis,
Pratis, Fontibus, Insulis, Salinis,
Stagnis, Flumine, Merce, Ponte, Ponto,
Vnus qui venerere jure Divos
Lenæum, Cererem, Palem, Minervam;
Spicis, Palmite, Pascuis, Tapetis,
Solis fise Viris, nec expetito
Natura auxilio, procul relictis
Promens Montibus altius cacumen.
Non te Fossa patens, nec hispidarum
Objectu Sudium coronat Agger.

Item: *Quid quod Cæsaribus ferax creandis,*
Felix Prole Virum simul dedisti,
Natos cum Genitore Principantes?

Versus digni sane, quos publico loco scribundos curet S.P.Q. Narbonensis; ut qualis quantaque quomdam Vrbs fuerit *Narbo*, Aetas hæc sequensque cum stupore cognoscat. Sic *Narbo* dicitur *Speciosa* Prudentio in Hymno Martyrum Cæsar-Augustanorum; Vrbs *Decora* Theodulpho Aurelianensi. *Capitolium*, id est Arcem vel Palatium, etiam *Narbonem* habuisse indicant suis Carminibus non obscure Ausonius

Capitolium Narbonense.

nius & Sidonius. Ejus operis hodie nullum exstat Vestigium, sive Vetustas consumserit, seu diruerint Gothi, alijque Barbari. De *Capitolio Narbonensi*, id est Palatio, videndus Gregorius Turonensis lib. de Mirac. I. cap. XCII. *Lacuum* appellatione Ausonius, *Stagnorum* Sidonius exaudiunt *Rubresium*, de quo præter alios eleganter Pomponius Mela lib. II. cap. V: Hodie *L'Estang de la Rubine*. De eo obiter cap. X. Per *Flumen* intelligit Sidonius *Atacem*, de quo Plinius lib. III. cap. IV. Strabo lib. V, Sidonius lib. VIII. cap. IV. lib. IX. cap. XVI, & alibi. Vibius: *Atax è Pyrenæo, circa Narbonam decurrit in Tyrrhenum.* *Atacis* cum alijs Fluminibus meminit Theodulphus Episcopus Aurelianensis, qui in Scrinijs adhuc Petri Danielis, Poëmate contra Iudæos iniquos:

Lacus vel Stagnum, Rubresium; Flumen, Atax.

Præfectura mihi fuerat peragenda tributa,
Rex dedit hanc Karolus, primus ad omne bonum.
Cui parent Walis, Rodanus, Mosa, Renus & Oenus,
Sequana, Visurgis, Warda, Garumna, Padus,
Rusa, Mosella, Liger, Vulturnus, Matrona, Ledus,
Ister, Atax, Gabarus, Olitis, Albis, Arar.

Ab *Atace*, *Atacini* Populi & *Varro Atacinus*, ut alias dixi. *Narbo* Straboni lib. IV, Μέγιστον Ἐμπορεῖον. *Narbone* Grammaticam docuit Marcellus Marcelli F. de quo Libro Professorum Ausonius, cap. XIX. *Narbonam* Vrbem celebrat Benjaminus in Itinerario, Legis (*Iudaicam* intelligit) Antesignanam. Ex ea enim proficisci Legem in omnes Regiones: ibi Sapientes esse & magnos & suspiciendos; in primis *Kalonymon*, Theodori Filium, ex Semine Dauid, recta Genealogia, Prædia & Fundos habentem à Principibus Regionis, nullius hominis vim aut impetum metuentia.

Episcopales Languedocy Vrbes.

Hæc de Vrbibus Archiepiscopalibus: Episcopales in duplici sunt mihi discrimine. Inter eas enim quædam, quæ Metropoles sunt, & quasi Capita nobilissimorum quorundam hujus Provinciæ Pagorum. Sic appello Suburbicarios Agros, fusioresque quorundam Opidorum Iurisdictiones: quales sunt *Gabali*, *Albigenses*, *Velauni Consarani* & *Albenses*. *Gabali*, hodie *Givauldan*. Eorum Metropolis *Mimates Vicus* Antiquioribus, vulgo *Mende de Givauldan*: Reginoni *Mitanensis in Territorio Cavallitano*, corrupte: *Mimatensis Montis* Galliæ circa Gaballitanam Vrbem, cujus Episcopus erat S. Privatus, meminit Gregorius Turonensis, apud quem etiam legitur *Memmatensis*. *Albigenses*, nunc *Albigeois*: Vrbs *Albiga* Gregorio Turonensi lib. II. *Albi* vernacule. *Velauni*, *Velai*. Eorum Civitas quibusdam *Anicium*, *Le Pui en Velai*, id est, *Podium in Velauno*, quia Vrbs est in editissimo loco, qui Gallorum lingua *Pui*, id est *Podium* dicitur. *Consarannorum*, *Ceserans*, Civitas *S. Legier de Ceserans*; opidum antiquitate non incelebre. *Albenses*, *Vivarais*. *Civitas Albensium, nunc Vivario*. Sic scribitur in melioribus Notitiæ Provinciarum Codicibus: Vitiose in Vulgatis, *Civitas Albensium, hoc est Belisio*. *Vivario* Opidum est ad ripam Rodani dextram, vulgo *Viviers*. Ait autem recte Notitia, *Nunc Vivario*. Civitas enim & Metropolis *Albensium* olim erat *Alba*; quæ Plinio *Helviorum* cognominatur, Ptolemæo autem *Augusta*. Legitur enim apud eum Ἀλβαύγουστα Ἐλυικίων: vocat *Helviectos*, quos Latini *Helvios*. *Alba* autem illa hodie *Aubenas* dicitur; Opidum in Vivariensi Diœcesi, quinque minimum leucis ab *Viviertone* versus Occidentem situm, quatuor ab Vcetensium Civitate, cum qua communem habet Amnem. *Aubenas* autem est nomen Pluralis numeri *Albanates*: ut ab *Tolosa Tolosates*, ab *Nola Nolates* in Veteri Inscriptione.

Mimate Vicus, hodie Mende, Metropolis Gabalorum, Givaudan; Albiga, Albi, civitas eorum, regni prima sua; Anicium, Pui en Velai, Velaunorum, Velai caput; S. Legier Consarannorum, Ceserans, Vrbs Princeps; Vivario, Viviers, Albensium, Vivarais caput, quod olim Alba Helviorum:

Reliquæ Episcopales;

Tantum de Episcopalibus, quæ Suburbicariorum Agrorum, latiorumque quarumdam Iurisdictionum sunt Metropoles: reliquum est, ut ceteras explicem: in quis recensendis si non legitimum servem ordinem, vel si ejusdem cum indicatis iam naturæ ad earum non referam classem, ignoscant velim Lectores, præsertim Incolæ. Non enim omnia penitissime licuit novisse.

Nismes, olim Nemausus,

Nismes, *Nemausus Volcarum Arecomicorum* Plinio lib. III. cap. IV, Ausonio libro de Vrbibus Carmine XIII, Pomponio Melæ lib. II. cap. V. Sidonio lib. II, Epist. IX. Itinerario Antonini: Νέμαυσος Straboni lib. IV, & Ptolemæo. Numismati vetustissimo COL. NEM. ARECOMICORVM. In Itineraria Peutingeri Tabula *Nemuso* scribitur, corruptius. Νέμαυσος, inquit Stephanus, πόλις Γαλλίας, ἀπὸ Νεμαύσου Ἡρακλείδου, ὡς Παρθένιος. Qualis fuerit florente Romanorum Imperio, notat eleganter Strabo; cujus ea de re pauca verba non possum non adscribere: Μητρόπολις δ᾽ ἐστὶ τῶν Ἀρηκο-

Vnde dicta, Qualis antiquitus;

Ἀρεκομισκῶν ἐστι Νέμαυσος, κατὰ μὲν τὸν ἀλλότριον ὄχλον καὶ τὸν ἐμπορικὸν, πολὺ Νάρβωνος λειπομένη, κατὰ δὲ τὸν πολιτικὸν ὑπερβάλλουσα. ὑπηκόους γὰρ ἔχει κώμας τέτταρας καὶ εἴκοσι τῶν ὁμοεθνῶν, εὐανδρίᾳ διαφερούσας, συντελούσας εἰς αὐτὴν, ἐχούσας καὶ τὸ καλούμενον Λάτιον, ὥστε τοὺς ἀξιωθέντας ἀγορανομίας καὶ ταμιείας ἐν Νεμαύσῳ Ῥωμαίους ὑπάρχειν. Διὰ δὲ τοῦτο οὐδ' ὑπὸ τοῖς προστάγμασι τῶν ἐκ τῆς Ῥώμης στρατηγῶν ἐστι τὸ ἔθνος τοῦτο. Ἵδρυται δ' ἡ πόλις κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἐκ τῆς Ἰβηρίας εἰς τὴν Ἰταλίαν, θέρους μὲν εὔβατον οὖσαν, χειμῶνος δὲ καὶ ἔαρος πηλώδη καὶ ποταμόκλυστον. In Opidorum, quæ Nemausiensibus adtributa, numero, Plinio convenit cum Strabone. Ejus verba lib. III. nat. hist. cap. IV sic habent: *Vocontiorum Civitatis Fœderata duo Capita, Vasco & Lucus Augusti: Opida vero ignobilia XIX; sicus XXIV Nemausiensibus adtributa.* *Decurionum Nemausi* mentio in Antiqua Inscriptione, quæ ibi visitur: Decuriones Nemausi.

DIS. MANIBVS

....

FIRMI. LVCANI

IIIIII. VIRI. AVG

ORNAMENTIS. DE

CVRIONVM. NEMAVSI

HONORATO

Miram undique redolet cum in veteri Muro, qui testatur multo, quam hodie, ampliorem fuisse, tum in alijs, Antiquitatem. Antiquitates. *Amphitheatrum* ibi conspicitur, exteriore parte non minus integrum, quam quod Veronæ. Amphitheatrum. Ante Amphitheatrum *Campus Martius* fuisse perhibetur, qui, ut Romanus, Aedificiis jam oppletus, & in alios tractus est usus. Campus Martius. Aedificium, quod vulgo *Le Cap duesl*, *Capitolium* (sic enim nomen illud corruptum) vel *Basilica* fuisse fertur, ab Imperatore Hadriano exstructa in gratiam & honorem, ut legere est apud Spartianum, Conjugis Plotinæ. Capitolium. Forma est ἑτερομήκης, quadrata quidem, sed quæ in longitudinem nonnihil vergit. Latera X. Columnis fulciuntur: Frons VI: pars Fronti adversa totidem. Tectum ex magnis compositum est Lapidibus; Deambulationibus adcommodatum. Templum. Templum, Fonti propinquum, integrum adhuc est, forma quadrata. Duos habent latera columnarum Ordines, artis absolutæ. Visuntur adhuc ibi Aquilæ. Romani quomdam Imperij notæ & insignia, sed quæ Capitibus truncatæ. Id factum volunt ab Gothis, ut Romanum Imperium Corpus esse capite minutum, quum Imperatorum caderent vires, ostenderent. Ad mœnia Veteris Opidi annosa est Structura in Colle, qui Fonti vicinus vulgo *Toarremagne* vocatur, id est, ut quidam putant, *Turris Romana* vel *Turris Magna*. Turris Romana. Statuæ. Lapidibus constat exiguis, ijsque quadratis. Videre ibidem est & perantiquas aliquot Statuas, & nonnulla melioris notæ Variorum Epitaphia: Columnam item ad Portam, cui ab Corona nomen. Epitaphia, Columna. Imperatorum Domitiani, & Antonini Pij Philosophi, aliorumque claret Natalibus. Qui vulgo *Fons* Incolis appellatur, sed qui *Lacus* potius, quam *Fons*, dubitatur an sit, quem celebrat Ausonius Carmine, quod indicavi. Fons. Qui penitius inspexerunt, suspicantur alium fuisse, qui ex proximis Collibus in Vrbem ducebatur; sed cui acciderit, quod Divonæ Burdigalensi, id est perijsse. Incolæ Nemausenses. Incolæ *Nemausenses* nominantur. De ijs Lapis mutilus:

IIIIII. VIR ....

CORPORATI. NEMAVSENSES

PATRONO

EX. POSTVLATIONE. POPVLI

L. D. D. D.

Leguntur etiam *Nemausenses* apud Suetonium cap. XIII. Tiberij Principis Statuas & Imagines subvertisse; ubi tamen plerique Codices *Nemausenses* habent: Membranæ pleræque *Remausenses*: Vaticanus Liber, *Remansisses*. Exstat Libellus de *Antiquitatibus Nemausensibus* Ioannis Poldi. Tribus Nemauso milliaribus, *Pons* est, qui Pons mirabilis.

vulgo

vulgo *Du Gard*. Nomen hoc illi ab Fluvio *Guardone*: quem, Francorum Veterum enunciatione (de qua Agathias) *Wardonem* appellant Sidonius lib. II. Epist: x. Theodulphus Aurelianensis duobus locis, Fulbertus in Historia MS. Ægidij & Petrus Aquil. lib. VIII. cap. XVIII. Pons triplici serie fornicatus est, stupenda sane in- [*Aquæ ductus.*] dustria: Prima Hominibus Iumentisque præbet transitum, altera Aquæductum sustinet. Inter *Fanum S. Privati & Rimolinum* Vestigia monstrantur *Aqueductus*, quo Romani Aquam in Nemausensium Opidum ducebant. [*Vsetz, Vtica;*] *Vsetz*, *Vcetensium Civitas*: nonnullis Latine scribentibus *Vtica*. *Vticensis* Galliæ *Episcopi* meminit Aurelianum Concilium v. Opidum quod in Ducatus honorem, ad *Wardones* confluentes. Alter enim Occidentalior *Gardo* cognominatur *d' Alaix*; Orientalior autem *d' Anduze*, ab opidis, quæ singulorum Ripis adsident. *VVardo*, ut jam monui, dicitur Theodulpho [*Lodeve, Luteva,*] Aurelianensi Episcopo, & alijs. *Lodeus*, vel, ut alij, *Lodesve*, *Luteva*; Notitiæ Provinciarum Galliæ *Castrum Luteva*, in Viennensi Secunda. [*S. Pont de Tomieres; Alet, Alezium; Mompelier, Mons Pessulanus,*] *S. Pont de Tomieres*, *Fanum S. Ponty Tomeriarum*. *Alet*, *Aletensis Civitas*: *Alezium* quibusdam Latine scribentibus, Opidum Vicecomitatus titulo insignitum. *Mompelier*, Latine nominantibus *Mons Pessulanus*: *Mons Puellarum*, *Puellerius*, item *Pisciculanus* ab nonnullis dicitur, ut notat Cœnalis. *Mons Tremulus* vocatur à Benjamino Tudelensi: apud quem insigne est hujus Vrbis Elogium. *Substantionem* nuncupatam scribit Blondus I. Decadis lib. x. Videat ille, qua fretus auctoritate. Male quibusdam *Agatha* vel *Agathopolis*, quæ ho- [*ejusque Situs.*] die *Agde*. Situm est Colliculo, decem leucis ab Mari Mediterraneo. Aer ibi pla- [*Territorium.*] cidissimus & saluberrimus. Vrbe nihil amœnius, Civibus nihil humanius; Territo- [*Academia.*] rio nihil fertilius, Simpliciumque feracius: quæ res Medicos præcipue invitavit, ut Sedem ibi figerent, atque Medicinam cum laude docerent. *Academiam* enim Vrbs habet, quæ instituta memoratur circa annum CIↃ CXCVI; vel saltem quo tempore, Saracenis Hispania pulsis. Medicina cum Discipulis Arabum, Avicennæ, Averrois, & aliorum, huc migravit. Rectoris ibi tanta est auctoritas; ut Studiosi quacumque etiam de caussa egredientem comitari honoris gratia cogantur, quod se non sine maximo Studiorum suorum, multarumque Horarum jactura nimis frequenter fe- [*Collegia:*] cisse, conqueritur Rebuffus. Collegia sunt ibi varia, inter quæ amplissimum est, *Papa* cognominatum. quod ab Vrbano Pontifice fundatum, & copiosissimis ornatum est Reditibus. Nec minus elegans est *Regium*, ab Henrico II Galliarum Rege erectum. [*Besiers olim Bitera Septimanorum;*] Tertium est, quod vulgo *Du Vergier*; optimæ spei Adulescentibus Studiorum Victusque necessaria in decennium præbens. *Besiers*, *Bitera*, aut *Bitera Septimanorum in Arecomicis*: Βαιτίραι, Ptolemæo; Βαιτιῤῥῆς, Stephano, *Bliterra*. Plinio lib. III. cap. IV: Βιλτίρρα. Straboni lib. IV; *Beterra*, Pomponio Melæ lib. II. cap. V, & Antonino, cui & *Peternæ*; *Beterris*, Tabulæ Peutingeri Itinerariæ in Auferendi casu; *Biterra* Itinerario Burdigalensi, & Vsuardo XI. Kalend. Aprilis. Hinc *Biterrenses* Sidonio lib. VIII. Epist. IV; qui *Bitterienses* in Notitia Provinciarum, in Viennensi Secunda. בידרש, id est *Bidrasch* vi- [*Agde, quondam Ἀγαθὴ,*] tiosius Benjamino in Itinerario. Opidum pervetustum, multis agitatum calamitatibus, cum ab Gothis, tum ab ipsis Francorum Regibus. *Agde*, Ἀγαθὴ τύχη Timostheni ἐν τῷ σταδιασμῷ apud Stephanum: Ἀγάθη, Straboni & Ptolemæo: *Agatha*, Plinio: Opidum ab Massiliensibus Græcis conditum in Volcis Arecomicis: unde & Stra- [*Carcassone, Carcasso,*] boni Κτίσμα Μασσαλιωτῶν. *Carcassone*, *Carcasso Volcarum Tectosagum*: Καρκασὼ, Ptolemæo: *Carcassum*, Plinio: *Carcasio*, Procopio: *Carcassio*, Itinerariæ Peutingeri Tabulæ. Secundum inter tres Languedokij Seneschallias locum obtinet: *La Senechaussée de Carcassone*. [*Castres, Cesseros*] *Castres*, *opidum Castrense*: *Cessero*, Plinio; Κεσσερὼ, Ptolemæo: *Cetero*, *Casero* & *Tesero* corrupte apud Antoninum. Scaligero tamen apud Plinium legitur *Cestero*, ut illud sit Provinciæ opidum, quod hodie *Cisteron*. *Pamies*, *Apamea*. de qua post; *Mirepoix*, *Mirapicense opidum*. *S. Papol*, *Fanum S. Papuli*: *La Vaur*, *Vaurense*: *Ricus Rivi*, *Rivense Monasterium*. *Lombes*, *Lambariense Monasterium*: postea erecta in Episcopatus, suffraganeos Tolosano.

[*& alia Opida Languedokij minora.*] Et hæc de Maiorum gentium tam Episcopalibus, quam Archiepiscopalibus *Languedoky* Vrbibus: Minorum gentium appello reliqua opida, inter quæ: *Belloquadra*, *Beaucaire*; tertium nacta locum inter tres *Languedoky* Seneschallias, *La Seneschaussée de Beaucaire*, *Aiguesmortes*, *Aqua Mortua*: quæ falso quibusdam creduntur *Fossæ Marianæ*, de quibus in Provincia. *Piseaux*; *Pezenas*, *Piscena*, Plinio: *S. Gillis*, *Burgum S. Aegidy*, ניר קדם ניל Beniamino in Itinerario. *Chasteau-garry*: *Lusignen*; *Montasgnac*; *Millant*, *Montillac*, & alia.

Latare

Latara Castellum Pomponio est in Gallia Narbonensi: Ioanni Poldo *Lates* est. *Latara Vicus, Castellum.* *Laterra* quoque *Stagnum* Plinio in Agro Nemausiensi: de quo alij alia adferunt. De *Stagnum; hodie Lates.* utroque sic Karolus Clusius, oculatus testis, suis ad Abrahamum Ortelium litteris: *Recte Poldus. Nam* Lates *etiamnum vocatur hoc Castellum cum Vico adjacente: Vicinum Stagno Volcarum, qua Ledum flumen in Stagnum labitur. Id Stagnum aliquot milliaria* (sedecim memini me numerare ab Ortu in Occasum) *in longitudinem porrigitur, cui aliquot Vici & Opidula adjacent* (ad Septemtrionalius præcipue latus) *Nonnullis locis* Estang, *& ubi altius vadum habet*, Estau *ab Indigenis appellatur: qui Pisces in altiore Stagni gurgite captos præferunt aliis, quod cœnum adeo non resipiant. Littus Maris, quod Incolæ* Playe de la Mar *dicunt, Stagnum à Mari sejungit: Aqua tamen marina Fluxum quibusdam in locis in Stagnum præbet: & haud dubie id Stagnum tutiorem à Piratarum atque Hostium incursionibus eam Galliæ Narbonensis oram reddit.* Designat, *Volcarum Stagna* nominans, Pomponius Mela. *Fauces Laterræ Stagni* apud Plinium lib. IX. nat. hist. cap. VIII., ubi scilicet cum Mari communicatur: Nemausiensibus hodie *La Crau pres de Mangueil*, ut notat Dalechampius.

Languedokio ante paucos annos adtributus est *Ducatus Fuxensis*, *La Duché de Foix*; *Ducatus Fuxensis, Duché de Foix;* quum antea Guiennæ censeretur. Ad Orientem illi ipsum Languedokium: ad Occidentem Convenarum Ager; qua Septemtrio est, Territorium spectat Ripense, vulgo *de la Riviere*; Meridionale Latus Montes claudunt Pyrenæi; qui Ducatum hunc reddunt ut horridiorem, sic Ferri Carbonumque feraciorem.

Nomen illi ab opido *Fuxio*, quod Antiquitatis laude clarum. Continet unum *in quo Episcopatus Apamiensis.* Episcopatum, *Apamiensem*. Opidum vulgo *Pamies*, Latine scribentibus *Apamia* & *Pamia*; ad confluentes Amnium, qui vulgo *Lers* & *Lagiere*. Ab hoc opido dici videtur *Epaunense Concilium*, habitum sub Gelasio I Papa, & Sigismundo Rege. Episcopi enim, qui illi interfuerunt, omnes hujus sunt Tractus. *Empanensis* etiam Synodus XV citatur in Decretorum I Distinct. 16. *Eupanense* Decret. II Caussa II, fortean ab hoc eodem opido. Sunt & alia opida, *Saverdunum* & *Masera*, Comitum Domicilia. Errare graviter, qui Sedem hic collocant *Elusatium*, dicam Capite sequente.

Cap. XXXVIII.

Vasconia.

QVÆ Veteris Aquitaniæ Narbonensisque Provinciæ hodie sint sub Parlamentis & Burdigalensi & Tolosano, integre, ex Superioribus didicimus: superest *Vasconia*, quæ utrisque paret mistim. Partes enim ejus quædam sunt sub Burdigalensi, quædam sub Tolosano.

VASCONIA proprie nunc temporis est, quidquid continetur intra Garumnam, VASCONIA, *Gascogne.* *Ejus Fines,* *Unde dicta;* Pyrenæos Montes, Oceanumque & Guiennam hodiernam, vel Aquitaniam Ludovici XI. Dicta est *Vasconia* ab *Vasconibus*, ferocissimis Pyrenæorum Populis: quos devictos primum à Pipino, deinde ab Ludovico Karoli Magni Filio (qui postea dictus fuit *Pius*) Rege Aquitaniæ in plana Novempopulaniæ deductos, postea nomen huic Regioni dedisse certum est & indubitatum. Fuerunt enim *Vascones* (ut lib. II. capitibus XI. & XIII. docui) pars Cantabrorum, quos etiam hodieque Hispani *Vascuença* vocant. Itaque, quum prius hæc Regio ab Cæsare *Aquitania*, postea *Novempopulania* audiret; ea ab *Vasconibus* devictis, inque eam à Pyrenæorum Saltibus demissis, *Vasconia* fuit appellata. Est autem tertia pars Aquitaniæ Augusteæ. *Tertia Pars Aquitaniæ Augusteæ.* Nam ab Augusto *Aquitania* triplex fuit instituta: Prima, cujus Caput *Avaricum* erat *Biturigum Cuborum*; *Bourges*: Secunda, cujus Metropolis erat *Burdigala*, *Biturigum Vibiscorum*; Tertia tota Trans-Garumnana, in qua principem tenebat locum *Augusta Auscorum*, vel *Auchs*: quæ Provincia, ut jam dictum est, ab Augusti temporibus ad Pipinum usque nominata fuit *Novempopulania*: inde ad hunc usque diem *Vasconia*. *quæ & Novem-populania.* Petrus Arvernus Cluniacensis Epist. I: *Migravit tamen, sicut audivi, ad Loca satis vobis contigua & à Septimanis vestra, vobis persequentibus expulsa in Provincia Novempopulana (quæ vulgo* Gasconia *vocatur) & in partibus ei adiacentibus sibi foveas præparavit. Novempopulania* ab *Novem Populis*, quos alij alios numerant, & nominant: *sic dicta ab Novem Populis.*

Loubleze, Tallebourg, Iarnac, Barbesieux, arcipotens, Rupefocaldios agnoſcens Dominos, *Ioſac*, & alia. *Bronage* Vicus eſt, Belgis aliјſque Salipetis notiſſimus.

Cap. XXXV.

Cadurcium.

CADVRCIVM, *Querci*, Fines. Qualitas, Veteres Incolæ. *Cadurci;*

DE Tribus Provincijs, quæ Integre Burdigalenſi parent Parlamento, verba feci; ſuccedunt quæ Toloſano *Cadurcium, Rutenum, Languedokium.*

CADVRCIVM cingunt Petrocorij, Nitiobriges, Ruteni, Arverni & Lemovices. Regio eſt montibus innexa. Vulgo *Querci*; vel, ut alijs pronunciatur, *Crecy.*

Habitarunt olim *Cadurci*; quos, præter Plinium lib. IV cap. XIX (an & lib. XVIII cap. I? nondum liquet) cum infinitis alijs Galliæ Populis, celebrat Cæſar lib. VII, cui & *Eleutheri*, Ἐλεύθεροι, id eſt, *Liberi* cognominantur. Sic enim vocem illam ſcribens accipio: non adſentiens novos inde fabricantibus Populos. Sic apud eumdem Cæſarem poſt paucula verba *Sueſſones Eleutheri* prænominantur, ut dixi cap. XX. Ita alij multi apud Plinium Populi vocantur *Liberi.*

Duæ Diœceſes: *Doveona*, hodie *Cahors*,

Duas habet Diœceſes, *Doveonam Cadurcorum* & *Montalbanum.* Δουήονα Ptolemæo nota; pro qua *Ducona* vitioſe Interpretibus. *Cahors* vulgo, ad Lothum Fluvium. *Divona* dicitur quibuſdam doctis Viris. Certe, quocumque modo ſcribenda, *Cadurcorum* eſſe Metropolin cenſent Ioſephus Scaliger ſuis ad me Litteris, Vinetus ad Auſonium, & alij. Iuſtus Lipſius, ne quid celem, in aureo de Amphitheatris Libello, *Doveonam* arbitratur eſſe Pagum, qui vulgo *Dowe*, plus minus diei mediæ itinere diſtantem ab Ligeri, parte ea, qua ab Andegavis in Pictones fit iter. Conſule quæ dixi cap. XXVII. Adſonat quidem Pagi nomen: ſed ſic *Doveona* non poſſet eſſe ex mente Ptolemæi *Cadurcorum* Metropolis, quæ ab eo loco plus LX leucis dirimitur. Aliud addo. Cum *Doveona* Ptolemæi, ſi quidem vulgo *Cahors*, non poteſt idem eſſe, quod putant magni viri, *Aunedonacum* Antonini, vel *Auedonacum* Tabulæ Peutingerianæ, in Itinere, quod Burdigala ducit Auguſtodunum. Inter enim *Aunedonacum* ibi & *Mediolanium Santonum* millia paſſuum ſcribuntur XVI; inter *Doveonam* autem & *Mediolanium*, id eſt inter opida, quæ vernacule *Cahors* & *Santes*, XL circiter ſunt leucæ, quæ conſtituunt centum, & quæ excurrunt, paſſuum millia. Accedit & illud, quod *Cadurcorum* Metropolis tanto intervallo vergat Ortum verſus, ut in iter illud Burdigala Auguſtodunum incidere non poſſit. Ego igitur cenſeo, *Aunedonacum* eſſe opidum illud, quod vulgo *Aulnay*, Mediolanio Santonum diſtans verſus Septemtrionem paullo amplius ſex leucis. Quædam obiter dixi in fine cap. XXVIII. *Cadurcorum* autem Metropolin deſignat Auſonius libro Profeſſorum, Carmine XVIII, de Exſuperio Toloſæ Rhetore:

Decedens placidos mores, tranquillaque Vita
Tempora prædives finiſti Sede Cadurca.

& *Montalbanum*, *Mont-Aulban*,

Altera Diœceſis *Montalbanum* eſt, hodie *Montaulban*, *S. Theodard de Montaulban.* Vrbs, Arcem habens, ad Tarnim Fluvium, ſtratum hic Ponte, cujus pars media Languedokiæ eſt Ditionis. Sunt & alia Opida, quæ vulgo *Burelle, Nazareth, Soullac, Gourdon, Martel*, & alia.

Vxellodunum, *Vſſoldun*,

Fuit prope Opidum Martellum in Finibus Cadurcorum, ut Auctor quoque notat lib. VIII. de Bello Gallico, *Vxellodunum*, nomen retinens: Vocatur & *Vſſoldun*, & *Lo Puech d'Vſoldun*, id eſt *Podium Vxelloduni*, quod in editiſſimo & valde prærupto loco ſitum. Horrendum eſt adſpectu Præcipitium. Multæ ſunt ibi Reliquiæ Vetuſtatis venerandæ. Quotidie ab Arantibus Numiſmata Romana ecfodiuntur. Vix reperias Ruſticum, qui de Loco interrogatus non ſtatim reſpondeat Caſtrum *Vxellodunum* illud ab Cæſare magnis Operibus fuiſſe oppugnatum Auctor, quem dixi, ſic inter alia: *Flumen infimam Vallem dividebat, quæ pene totum montem cingebat, in quo poſitum erat prææruptum undique Vxellodunum. Hoc avertere loci natura prohibebat. Sic enim imis radicibus Montis ferebatur, ut nullam in partem, depreſſis foſſis, dirivari poſſet. Flumen*, cujus nomen tacet auctor, eſt quod vulgo *Dordonia.* Idem paullo poſt: *Sub*

ipsum Opidi murum magnus Fons prorumpebat, ab ea parte, qua fere pedum trecentorum intervallo Fluminis circuitu vacabat. Hoc Fonte prohiberi posse Opidanos quum optarent reliqui, Cæsar unus videret; non sine magno periculo, è regione ejus, Vineas agere adversus Montem & Aggeres struere cæpit, magno cum labore, & continua dimicatione. Fontem hunc, cujus usum Obsessis interclusisse scribuntur hic Romani, hodieque ostendunt Adcolæ. Si uspiam Scriptores hujus ævi in notandis veterum locorum appellationibus hariolati sunt, hic vero unus est locus; de quo melius fuisset illos tacuisse.

Cap. XXXVI.

Rutenium.

CADVRCIO versus Ortum conjacet RVTENIVM; reliqua claudunt Languedokij, Arverni, alijque Conregionales Populi. Vulgo *Rovargois*, *La Seneschaussée de Rovargne.* RVTENIVM. *Rovargou.* Ejus fines.

Sedes olim *Rutenorum*. *Ruteni* in Itineraria Tabula, apud Sidonium lib. VII. Epist. VI, Plinium lib. IV. cap. XIX, item lib. III cap IV (nisi alij sint à Prioribus) & Cæsarem lib. I. & VII varijs locis, ubi & *Rutheni* scribuntur; qui *Ρουτανοὶ* Ptolemæo. Veteres Incolæ, *Ruteni.*

Seneschallia Rutenensis duas complectitur Diœceses, cum *Vabris*, *Segodunum Rutenorum*; *Σεγόδουνον* Ptolemæo, vulgo *Rodais*; *Rutena* apud Turonensem: Vrbs, quæ multa ab Gothis, Francis, Saracenis passa, tandem in Francorum venit ditionem. Gregor. Turonensis lib. II. Histor. cap. XXXVI & seq. & de Vita Patrum cap. III. Sunt & alia Opida: *Ville Franche de Rovargne, Gordon, Estanges, Espeiron.* Seneschallia Rutenensis duas habet Diœceses. *Vabras*, & *Segodunum*, hodie *Rodais.*

Caput XXXVII.

Languedokium.

RESTAT in Tolosani Parlamenti Iurisdictione Major Superioribus, Cadurcio Rutenioque, Portio, LANGVEDOKIVM. LANGVEDOKIVM, *Languedoc.*

Provinciæ nomen; quod Incolæ, reliquis Gallis pro *Na* vel *Ita* Latinorum, *Oui* proferentibus: *Oc* dicant. Quum capite XV Romanensem Galliæ Idiotismum, ex litteris Nobilissimi Viri Iosephi Scaligeri, in duo summa diducerem fastigia, *Francium*, & *Tectosagicum* sive *Provinciale*; *Francici* duas feci Species, quæ vulgo Ejus Etymon.

Langue d'Oui, & *Langue d'Oc*. In Posteriore plene est Provinciæ Nomenclatura: ut Regio quasi sit, quæ huic Linguæ dicata & consecrata. Nugantur, qui aliam quærunt Appellationis rationem: inter quos maxime, qui Gothos hic somniant, *Languedokium* scribentes nominari, quasi *Langothiam*, id est, *Terram Gothicam*: quo nihil dici potest absurdius. Morboniam tales. Stupiditas ipsa non posset stupidius. Scimus ex Sidonij lib. III. Epist. ad Avitum, Gregorio Turonensi lib. VIII, cap. XXX & alijs locis, Gothos olim hic habitasse: sed Provinciam ab ijs dictam, sanus nemo credet. Quum vero Lingua *Oc* latissime pateret, Regio, quæ delineanda nobis præ manibus, hoc nomine præcipue notata est, quod Sedes ibi esset Regiminis Linguæ *Oc*. Nam Regnum Franciæ ante ducentos annos in duo summa Regimina dividebatur; in *Linguam Oui*, cujus caput Lutetia; & *Linguam Oc*, cujus caput alternis erat nunc Tolosa, nunc Mompelius. Franci hoc Regimen vocabant etiam *Gubernamentum Linguæ Tortæ*: ita nominantes Linguam *Oc*, quam illi putant esse Distortam, Suam vero Rectam.

Fines. Habent Linguam *Oc* loquentes ad Occidentem Vascones, interfluente Garumna; ad Caurum, Cadurces: ad Septemtrionem, Arvernos & Forenses; ad Orientem, Delphinates & Provinciales, sic, ut totus Rodanus sit Languedokiæ Ditionis, & sub Parlamento Tolosano; Meridionale denique Latus partim pulsat Mare Mediterraneum, quod Gallicum ibi audit; partim Montes claudunt Pyrenæi: quem Tractum sic finit Strabo lib. IV: Ἔνιοι δὲ τὸν τόπον, ἐν ᾧ ἐστι τὰ Πομπηΐου Τρόπαια, ὅρον Ἰβηρίας ἀποφαίνουσι, καὶ τῆς Κελτικῆς. Ἔστι δ' ἔνθεν εἰς Νάρβωνα μίλια ξγ΄ ἐκεῖθεν: εἰς δὲ Νέμαυσον, ὀγδοήκοντα ὀκτώ: Ἐκ Νεμαύσου δὲ διὰ Οὐγέρνου καὶ Ταρασκῶνος εἰς τὰ θερμὰ ὕδατα, τὰ Σέξτια καλούμενα, ἅπερ πλησίον Μασσαλίας ἐστί, ργ΄.

Qualitas. Regio est nobilissima. Scriptoribusque Romanis cum primis celebrata: quæ caussa, quod Veteres ejus Incolæ multo nominentur numerosiores, quam reliquarum Galliæ partium. Eos, anteaquam, quo modo se nunc habeat Regio, doceam, animus est recensere paucis, non servato curiosius ordine.

Veteres Incolæ. Sedes igitur hic suas olim habuisse leguntur *Volcæ* & *Arecomici* & *Tectosages*, *Septimani*, *Decumani*, *Atacini*, *Tolosates*, *Gabali*, *Albigenses*, *Velauni*, *Consaranni*, *Helvij*, *Nemausenses*, *Aletenses*, *Betertenses*, *Agathenses*, *Lutevani*, *Magalonenses*, *Sontiates*.

Volcæ. *Volcarum* Nomen in primis hic magnum, quod varie scribi reperio. Nam qui *Volcæ* Cæsari, Livio, Plinio, Silio, Melæ, alijs, Οὐόλκαι autem Straboni & Ptolemæo: in quibusdam Cæsaris Codicibus *Volgæ* dicuntur; Dionysio Halicarnassæo Οὐλσκοι: *Belcæ* Ausonio in Tolosæ Vrbis Delineatione. Quod ad *Volgas*, magnam scimus cognationem inter γ & κ, Græcorum litteras: Dionysij Οὐλσκους, in morbo cubare censeo, restituendosque saltem Οὐόλκους. In *Belcis* Ausonij varie laboratur: Versus in postrema Editione sic habet:

Vsque ad Teutosagos primævo nomine Belcas:

Testatur doctissimus Vir Elias Vinetus in quibusdam Exemplaribus esse,

Panaque nomina Belgas;

In alijs autem, *Paganaque nomina Belgas:*

Emendat Beatus Rhenanus lib. I. rerum Germ. *Germanaque nomina Belgas.*

Legerat enim lib. II. Ephemerid. Belli Gallici, Cæsarem ab Remis didicisse, plerosque Belgas ab Germanis ortos, Renumque antiquitus traductos propter loci fertilitatem ibi consedisse: Gallos autem, qui ea loca incolebant, expulisse. Ingeniose quidem, ut multa alia: sed quid conjectura illa ad *Tectosages*, Galliæque Narbonensis Fines, quos ibi regit Ausonius? Iosephus Scaliger lib. I. Ausonianar. Lect. cap. XXIII legit, *Paganaque nomina Belcas;*

& quid *Pagana* sint *nomina*, quidque *Pagi*, docte explicat. Non improbæ nihilominus notæ censendi sunt illi Codices, qui præferunt, *Primævo nomine Belcas.* Nam *Belcæ*, si quidem ita scripserit Ausonius, homo Gallus, forte ex genuina Incolarum pronunciatione, ijdem omnino sunt cum reliquorum *Volcis*: quorum nomen hodie in ore Vulgi nusquam agnoscitur, nisi quis velit in *Belcaria* (modo *Belcæ* Ausonio sint, ut dixi, qui ceteris *Volcæ*) servari, quæ nunc vernacule ea Galliæ Narbonensis vel Languedokij pars, ut notat Vinetus, cujus princeps est *Nemausus*. Recte autem Ausonius *Teutosagos*, qui *Tectosages* alijs, *primævo nomine Belcas*, canit: judicans eos *Belcas* vel *Volcas* prænominatos.

Iique vel Arecomici. *Volcæ* enim duplices erant, *Arecomici* & *Tectosages*. Qui *Arecomici* Cæsari & Plinio: Ἀρηκόμιοι scribuntur Ptolemæo,

mæo, Ἀρηκομικοὶ, & non ſemel Ἀρηκομισκοὶ Straboni lib. IV, qui eos maximum incolere ſpatium ſcribit, cuique ἐπίνειον ipſorum ἡ Ναρβών. Hi olim, ubi nunc, ut ſuis ad me Litteris monet Nobiliſſimus Vir Ioſephus Scaliger, *Nemauſus*, *Vcetenſes*, *Magalonenſes*, & *Bitterræ*. *Civitates Nemauſenſium, Magalonenſium, & Beterrenſium*, item *Caſtrum Vcetienſe* ponit Notitia Provinciarum in Viennenſi II; hodie, *Les Eveſchez de Nimes, Mompeliers, Beſiers & Vſetz*. Qui *Tectoſages* Plinio lib. v, Pomponioq. Melæ lib. II, Τεκτόσαγες Straboni; *Tectoſagi* vocantur eidem Plinio lib. III, Livio lib. XXXVIII, nec non Iuſtino, ex lib. XXXII Trogi Pompei, cujus Majorum hic fuit Patria, ut ipſe ait lib. XLIII. VOLCETECTOSI in Itineraria Tabula; ubi reſtituendi VOLCÆ TECTOSAGI. *Teutoſagi* autem, ut jam vidimus, Auſonio. Τεκτόσαξ eſt apud Stephanum, ut Ἄτραξ, Ἄσφαξ: quibus ſubſcribit, Τεκτόσαγες, ἔθνος Γαλατικόν. Εἴρηται Τεκτοσάγης δ' ἐθνικά, καὶ Τεκτόσαγαι, &c. Inepte faciunt, qui apud Cæſarem lib. VII. de Bello Gallico, & lib. I. de Bello Civili, diſtinctionem inter *Volcas* & *Arecomicos* ponunt: ineptius, qui Copulam apud Ptolemæum interjiciunt, cum inter *Volcas* & *Tectoſages*, tum inter *Volcas* & *Aricomios*; ineptiſſime, qui in ejuſdem Cæſaris Ephemeridum VII legunt *Cadurcoſque ad Fines Volcarum Arecomicorumque depopulabundos mittit*, contra Membranarum fidem & auctoritatem, in quis, *Arecomicorum depopulabundos*. Non enim duo, ſed unus Populus, cum *Volcæ Arecomici*, tum *Volcæ Tectoſages*. *Tectoſages* autem *Arecomicis* fuerunt celebriores, à quibus Colonias in Aſiam, Pannoniam, Germaniamque ductas, ſcribunt Cæſar, Livius, Iuſtinus, Strabo, Florus, alij; apud quos de antiqua Gentis virtute, Rebuſque præclare geſtis, multa. *Tectoſages* apud Plinium tenent eam Galliæ partem, quæ eſt inter Pyrenæos & Cebennam: Pomponius Principem *Tectoſagum* Vrbem *Toloſam* appellat; Iuſtinus antiquam *Tectoſagorum* Patriam: apud Ptolemæum *Tectoſagum* Vrbes, præſertim Mediterraneæ, nominantur *Illiberis*, *Ruſcino*, *Toloſa Colonia*, *Ceſſero*, *Carcaſo*, *Betirra*, *Narbo Colonia*. *Tectoſages* igitur quomdam, ubi nunc præcipue *Carcaſſo* & *Toloſa*: quæ mens, ut alijs, ſic etiam Ioſepho Scaligero. Ex quibus omnibus liquet, *Volcas* habitaſſe ad alteram tantum Rodani ripam; licet in utraque eos conſtituat Livius lib. XXI. *Arecomicorum* pars fuerunt *Septumani*, Galliæ Narbonenſis Populi apud Plinium lib. III. cap. IV, & Melam lib. II. cap. V, qui eorum Vrbem faciunt *Bliterras*, & *Bliteram*: *Bitteras* & *Biteras* lego in Libris melioribus. De ea poſt. *Septumanorum* etiam mentio in Imperij Notitia. Eorum Regio *Septumania*, Sidonio lib. III, Epiſt. I, Eginartho in Vita Karoli Magni, Gregorio Turonenſi lib. VIII. cap. XXVIII, & XXX, item lib IX. cap. VII, Aimoino lib. IV. cap XXCIV, Viuardo XI. Kal. April. Ionæ Aurelianenſi lib. I, Petro Arverno Cluniacenſi cap. I, & alijs. Nomen proculdubio ab VII. *Legionis Militibus*, quibus ſua ibi fuerunt Præſidia. Meminit, ni fallor, Inſcriptio, quam Dianij in Hiſpania exſtare ſcribit ex Apiano Martinus Smetius:

vel Tectoſages

Septumani.

D. M.
Q. MONEIO
VERECVNDO
NARBONENSI
VET. LEG. VII. GEM. FEL
ÆLIA. VALENTINA
MARITO. BENEMERENTI

Haud procul *Septumanis* erant *Decumani*; in quis, Plinio Pomponioque Auctoribus, erat *Narbo Marcius*. *Decumanos* accipio, Decimæ Legionis Veteranos: *Civitas Narbonenſium*, Notitiæ Provinciarum in Viennenſi II, *L'Archeveſché de Narbone*. Per Narbonem exit in Mare Internum *Atax* Fluvius, in Saltu Pyrenæo ortus. Ab *Atace Atacini* Populi, eidem Pomponio. *Atacinorum* Vrbs erat *Atax*, ubi natus *P.* ille *Terentius Varro*, *Atacinus* inde cognominatus, qui ſcripſit Argonauticῶν lib. IV, Epigrammata, Bellum Sequanicum, quod citat Priſcianus lib. X, & alia. Videndi Plinius lib. I. & Euſebius in Chronicis. *Toloſates* apud Cæſarem lib. I. & VII, *Toloſani* vero Plinio, qui ſine, notius, quam ut à me dicatur. *Civitas Toloſatium*, Notitiæ Provinciarum, *L'Archeveſché de Toloſe*, Metropolis eorum *Toloſa*, de qua poſt. *Gabali* apud

Decumani.

Atacini.

Toloſates.

Gabali.

apud Cæsarem lib. VII sunt, qui *Gabales* Plinio, Γάβαλεις Straboni; Ptolemæo corrupte Ταβαλλοι. *Gabali* hodie *Le Pais de Givaudan.* *Vicus Mimates Gabalorum* vel *Gabalitanorum*, ut nominatur Sidonio lib. VII. Epist. VI. hodie *Mende de Givaudan.* Nam Syllabam *Ga* primam in Vocibus Galli mutant in *Gi*; *Gabalitanum Givaudan*, *Gabalum*, *Gibet*, *Garumna*, *Gironde*. Marlianus dicit fuisse quondam Provinciæ Bituricensis, nunc vero Provinciæ Arelatensis. Certe & nunc quoque Provinciæ, ut me monet Scaliger, Bituricensis. *Mimatensis* enim Episcopatus Tribunalis est vel Parlamenti Tolosani, sub Metropoli Bituricensi. Inter *Gabalos* & Provinciam Arelatensem,

Longa procul longis Via dividit invia terris.

Albigenses, *Gabalici Casei* meminit Plinius lib. XI. nat. Hist. cap. XLII. *Albigenses* in Aquitania ad Flumen Tarnim; hodie *Albigeois*: *Albigensium Civitas* in Notitia Provinciarum, *L'Evesché d'Albi*. De *Albigensibus Hæreticis* alij. Vide quæ infra dicam de *Helviis*. *Velauni*

Velauni, Plinio lib. IV. cap. XIX (corrupte enim vulgo *Venami*) sunt, qui *Velaunij* Cæsari lib. VII (in cujus antiquis Codicibus *Velavi*) Οὐέλαυνοι Ptolemæo, Οὐελλάιοι Straboni lib. IV, ad cujus scripturam proxime accedit hodierna appellatio, qua Languedokij Tractus vocatur *Velai*, vel *Velaie*. *Civitas Velaunorum* Notitiæ Provinciarum Galliæ in Aquitania I vel VI Viennensi, *Le Pais de Velai*, ut notant Iosephus Scaliger, Ioannes Poldus, Belleforestius, & alij. Martyrologia scribentibus *Pagus Velaunus*; doctius, quam ipsi opinabantur, pro tota Præfectura *Velaunorum.* *Pagus* enim Latinis Veteribus, non tam Vicus, quam magnus modus Agri, Gensque una quamtumuis numerosa, ut alibi noto. Ab hujusmodi latiore *Pagi* notione Gallis vox manavit *Pais*; numquam *G* ante Vocalem pronunciare solitis; quemadmodum & in *Plaga*, *Playes* & alijs, quæ prætereo.

Consoranni, Quæ *Civitas Consantanorum* in Vulgatis Notitiæ Provinciarum est Exemplaribus; *Consaraunorum* vel *Consorannorum* in Antiquis scribitur: *L'Evesché de Conserans*: *Consuarani* vocantur Plinio lib. III. cap. IV; *Soranni* fortean Gregorio Turonensi.

Helvij, Qui *Helvij* apud Cæsarem lib. VII. de Bello Gallico, duobus locis, & initio fere lib. I. de Bello Civili, *Helvi* apud Plinium, Ἕλουοι apud

Helvoci. Albenses, Strabonem: Ptolemæo putantur esse Ἐλουοκιοι; *Albenses*, in Notitia Provinciarum Galliæ, ubi sub Viennensi Prima, *Civitas Albensium*, *nunc Vivario*: *L'Evesché de Viviers.* Sic in Scriptis legitur Codicibus. Nam inepta est, quæ in Vulgatis libris est, Scriptura, *Civitas Albensium, hoc est Belisio.* Habitarunt olim, ut suis ad me Litteris monet Scaliger, ut item sentire video Dalechampium; ut denique satis ex Notitia Provinciarum paret, *Helvij* Agrum, qui vulgo nunc *Vivarais* nuncupatur. *Helvios* Cæsaris omnes (inter quos Orontius, Belleforestius, Poldus, Cænalis) hactenus interpretati sunt *Albigenses*, *Albigeois*; eorumque Vrbem, *Albi*. At *Albigenses* sunt in Aquitania, ad Fluvium Tarnim; *Albenses* autem vel *Elvij* ad Rodanum. Cæsar lib. VII trans Rodanum esse dicit extra Provinciam Romanam, proximos Arvernis & Cebennis Montibus. De *Alba* Helviorum Plinij, & *Alba Augusta* Ptolemæi, hodie *Aubenas*, paullo post, ubi de *Vivariensi Opido*, *Vivariensis Diœcesis*, id est *Albensium*, vel *Elviorum* nunc Metropoli. Nominantur & in Notitia Provinciarum, cujus

Nemausenses, Aletenses, Beterrenses, Agathenses, Lutevani, sæpe jam memini, *Nemausenses*, *Aletenses*, *Beterrenses* & *Agathenses*; quorum omnium Domicilia nunc etiam notissima, ubi hodie Episcopatus *de Nimes*, *d'Alet*, *de Besiers*, *d'Agde*. Adduntur & alij: *Lutevani*, qui & *Foro-Neronienses* Plinio; quondam, ubi nunc *Luteversis Episcopatus*, *L'Evesché de Lodeve*, vel, ut alij scribunt, *Lodesve*: *Castrum Luteva* Notitiæ Provinciarum in Viennensi II.

Magalonenses, *Magalonenses* ab Insula *Magalone*, ubi prius Sedes fuit Episcopalis, quæ nunc in Monte Pessulo. Demum adhuc gerit Insula cum Templo, in medijs Stagnis. *Civitas Magalonensium* in Notitia Provinc. *L'Evesché de Magalone, ou Mompelier*.

Sontiates, *Sontiates* apud Cæsarem lib. III. interpretantur nonnulli *Lavedani* (*Lavedan*) Incolas. In quibusdam Libris *Sotiates* scribuntur. Fulvius Vrsinus ex Orosio M. S. legit *Sociates*: *Sottiates* sunt apud Plinium; Σωτιᾶται apud Athenæum lib. IV. Qua autem Reip. ratione *Sontiates* fuerint, indicat non obscure Cæsar, qui Principem eorum nominat *Adcantuannum*; Athenæus, Ἀδιάτομον: Milites ejus ille *Soldurios*, hic Σιλοδούρους.

Vmbranici. Fuerunt & inter Galliæ Narbonensis Populos *Vmbranici*, notante Plinio; quorum Ager in Tabula Peutingeriana *Vmbranicia* dicitur.

Hæc de Antiquis hujus Galliarum Tractus Incolis sufficiant: ad Hodierna venio.

Langue-

Languedokium Vrbes habet præclarissimas: quarum aliæ *gentium* quasi sunt *Majorum*, aliæ *Minorum*. *Majorum* mihi *Archiepiscopales* & *Episcopales*. Prioris Classis sunt *Tolosa* & *Narbona*. Archiepiscopales Languedokii Vrbes.

Tolosæ primum dabo locum, quod non solum Archiepiscopatui, verum etiam amplissimo totius *Languedokij* Parlamento, Supremæque Curiæ præbeat Domicilium: quodque inter tres ingentes Languedokii Seneschallias principem facile tueatur locum. *Tolosa* Cæsari, Plinio, Melæ, Marcellino, Iustino, aliisque Latinis Scriptoribus; Τολῶσα Straboni & Ptolemæo: *Tolosa* vitiose in Tabula Peutingeri Itineraria. Galliæ Narbonensis *Volcarum Tectosagum Colonia* Geographis: sed a quo & quando ducta, nondum est compertum. *Vrbs Tolosatium*, Sidonio lib. IV. Epist. XXII, & Gregorio Turonensi lib. I. de Miraculis cap. VIII. *Vrbs Tolosana* Ennodio in Vita Epiphanij. Nomen retinet: Vulgo *Tolouse*. *Civis Tolosensis*, ni fallor, mentio in Marmore, quod Romæ, prope Arcum Camillarem: Tolosa. Vulgo Tolouse.

DIIS
MANIBVS
C. FABRICI. C. L.
VOL. PROXIMI
TOLOSENSIS
C. FABRICIVS
VICARIVS
PATRONO. BENE
MERENTI. FECIT
IN. FRONTE. P. VII
IN. AGRO. P. VII

Antiquissima clarissimaque Vrbs, quam *Opulentam* vocat Ausonius libro de Professoribus, Carmine XVII, qui & libro de Vrbibus, Carm. XI. *Tolosam* sic suis coloribus delineat: Descriptio Civitatis generalis.

Non unquam Altricem nostri reticebo Tolosam,
Coctilibus muris quam circuit Ambitus ingens,
Perque latus pulchro prælabitur amne Garumna;
Innumeris cultam Populis, confinia propter
Ninguida Pyrenes, & pinea Cebennarum,
Inter Aquitanas Gentes, & nomen Iberum.
Quæ modo quadruplices ex se quum effuderit Vrbes,
Non ulla exhausta sensit dispendia plebis,
Quos genuit cunctos gremio complexa Colonos.

Qui Poëtæ Ingens Ambitus, nunc quoque Magnus est. Paucas namque habet Gallia Vrbes, Tolosa majores, soli cedente Parisiorum Lutetiæ. Fuit aliquando multo, quam nunc est, amplior opulentiorque, uti paret, cum ex his Ausonij Versibus, tum ex Epistola ad Paullinum, quæ ordine XXIII, ubi eam *Quincuplicem* appellat, quasi ex quinque Vrbibus conflatam. Sed multa gravia & acerba tulit, Majestasque ejus magnopere imminuta est, cum alias, tum Albigensis Dogmatis tempestate. Templum quod *D. Virgini*, cognomine *de la d'Aurade*, aliudque, quod *D. Quintino* consecratum; illud *Iovi* hoc *Apollini* sacrum fuisse memorant Cives: qui & *Plateam Portariam* volunt dictam, quod *Iupiter* ibi cultus *Arietinus*, vel quod figura ibi esset Signi Zodiaci *Arietis*, quasi *Porta Arietis*. Non pugno. De nonnullis ibi Veteris *Amphitheatri* Vestigiis magis constat: *Capitolij* item, apud Locum, qui *Inquisitio* nuncupatur. Arx enim ibi rotundioris structuræ. *Tolosatis Capitolij*, id est Arcis, meminit Sidonius lib. IX. Epist. XVI: Ambitus. Templa. Platea Portaria. Amphitheatrum. Capitolium.

E quibus primum mihi psallat Hymnis,
Qui Tolosatum tenuit Cathedram,
De Gradu summo Capitoliorum
Præcipitatum.

Tolosa Sedes olim fuit *Regum Gothorum*, ex Fœdere, quod inter Constantium Patricium & Walliam Gothorum Regem, pactum, Theodosio VII & Palladio Coss. Sedes olim Gothorum Regum.

Legendi Prosper, Cassiodorus, Iornandes in Historia Gothor. cap. xxxii, Diaconus lib. iv, Isidorus in Chron. Gothor. & alij. Sic Rutilus Itinerario i:

Errantem Tuscis considere compulit agris,
Excolere externos capta Tolosa Lares.

Idacius M. S. *Gothi sedentes in Aquitania Tolosæ sibi sedem eligunt.* Et inde *Reges Tolosæ* nominati. Sic *Alaricus Rex Tolosæ* in Commonitorio Aniani; Sic alij. Hinc *Torismundus*, ut Regnum auspicaretur, *Tolosam*, Regni Gothici caput, ingreditur apud Iornandem in Hist. Gothorum: Hinc *Theodoricus*, Torismundi Successor, Larem ibi fovet apud Sidonium Carm. vii; ut Theodorici Successor *Euarix*, apud eumdem Sidonium lib. v. Epist. xiii, & Ennodium in vita Epiphanij: Hinc denique *Alaricus*, Eorici filius, apud Tolosatem Vrbem Gothorum Rex factus scribitur Isidoro in Chronic. Gothorum: quo interfecto *Regnum Tolosanum*, occupantibus Francis, est destructum; eodem, & Gregorio Turonensi lib. ii. cap. xxxvii. scribentibus. Celebrem habet *Academiam*; olim omnium Artium & Disciplinarum, hodie autem cum primis Iurisprudentiæ studio florentem; diligentiaque cum Professorum, tum Studiosorum stupendam. Meminerunt ejus Baldus in l. omnia Privilegia. C. de Episc. & Cleric. Iason ad l. i. D. de Legat. i. Abbas in c. fin Extra. Ne Clerici vel Monachi. Multa etiam de ea Rebuffus. Rhetoricam *Tolosæ* docuerunt *Æmilius Magnus Arborius, Exsuperius* & *Sedatus*; quorum Manibus justa solvit Ausonius libro de Professoribus, Carminibus xvii, xviii & xx. De *Auro Tolosano* (quod *Tousense* dixit Iustinus lib. xxxii.) natoque inde Proverbio in eum, cui Fata res secundas esse nolunt; cuique Malum malo congeritur & exaggeratur, legendi Agellius lib. i. Noct. Attic. Strabo lib. iv, & alij. De ejus raptu quæstionem aliquando habitam Romæ, scribunt M. Tullius lib. de Nat. Deor. iii, Orosius lib. v. cap. xv; & alij. Quæ sint autem quatuor *Tolosatium Coloniæ*, quas ex se Tolosam effudisse canit paullo ante Ausonius, non constat: quin & plurima de *Tolosa* memorant Strabo lib. iv. & Iustinus lib. xxxii, quorum hodie paucissima agnoscas. *Tolosensis Lacus* meminit Trogus Pompeius apud Iustinum lib. xxii circa Tolosam.

Academia. — *Aurum Tolosanum.* — *Tolosatium Coloniæ.* — *Tolosensis Lacus.*

Narbo, hodie Narbona.

Tolosæ proxima dignitate est *Narbona*. Sic Suetonio in Tiberio cap. iv (apud quem tamen in MSS. *Narbo* legitur) Eutropio, Ammiano, & plerisque Latine nunc scribentibus appellatur, quæ *Narbo* Martiali lib. viii. Epigr. xxi, & alijs: *Νάρϐων* Polybio lib. iii, & Ptolemæo; *Narbo Martius*, Plinio lib. iii. natur. Hist. cap. iv, Pomponio Melæ, Ausonio in Vrbibus, & alijs. *Ναρϐωνησία* Marciano apud Stephanum: Apud Avienum *Naro* dicitur. Ptolemæus *Tectosagum Vrbem* facit in Gallia Narbonensi; *Arecomicorum Navale* Strabo; *Decumanorum Coloniam* esse ait Plinius; Eorumdem quoque & *Atacinorum* Pomponius Mela lib. ii. A *propriis Colonis* conditam notat Isidorus lib. xv. Etymologiar. Quæ caussa *Narbonem* Coloniam deducendi Romanis fuerit; quod primum Nomen antiquissima Vrbs, & unde *Martij* cognomen habuerit, adhuc quærunt Docti. Deductam lego non semel. Deduxit Primus, post domitos & debellatos ab Longinis, Domitiis, Fabiisque Gallos TransAlpinos, *L. Licinius Crassus* Orator, quum adhuc esset adulescens, testibus Cicerone in libro de Claris Oratoribus, Paterculo lib. i, & Eutropio. Factum illud anno ab V. C. ɔɔcxxxvi, L. Porcio Catone & Q. Marcio Rege Coss. Vnde sunt, qui *Marcium* ab altero Coss. cognominatum velint. Sed quur Cognomen illi ab *Marcio* potius *Rege*, quam à *Porcio Catone*? & quur ab altero potius Coss. quam ab eo, uti moris erat, qui deduxerat? Quin *Marcia* Gens quartam in Nomine litteram C habet, non T, apud omnes Græcos Latinosque Scriptores, in omnibus Membranis, in multis, quæ apud Aldum Manutium, Inscriptionibus, & Nummis. *Narbo* autem quartam sui Cognominis *Martij* litteram T agnoscit, non C, in quotquot reperiuntur, Scriptis Codicibus: contra quorum fidem & auctoritatem inique facit Dionysius Lambinus, Vir doctissimus, qui per C vult scribi. Aliunde igitur Cognominis ratio quærenda, & fortean ab *Veteranis Martiæ Legionis Militibus*. Respicere videtur eo Sidonius Apollinaris in Epistola ad Pontium Leontium de Burgo: *Dum apud Narbonem, quondam Martium dictum, sed nuper factum, moras necto.* Innuit primo *Martium* non *Marcium* cognominatum; deinde Narbonem olim quidem *Martium* vocatum, sed quod *Martij* appellatione designabatur, hoc nuper esse effectum; Civitatem scilicet *Martiam*, id est bello potentem, & strenuam, quum nimirum

Colonia quando primum deducta. — *Vnde dicta, Martius.*

rum Gothos obsidentes oppugnantesque diu fortissime sustineret. Certe ab Rebus Bellicis, Militarique Virtute laudant hanc Vrbem & alij. Cicero in Oratione pro Fonteio: *Est in eadem Provincia Narbo Martius, Colonia nostrorum Civium, Specula Populi Romani, ac Propugnaculum istis ipsis Nationibus oppositum & objectum.* Pomponius Mela lib. II. *Sed antistat omnes Atacinorum Decumanorumque Colonia; unde olim iis Terris auxilium, nunc & nomen & decus est, Martius Narbo.* Deductam iterum *Narbonem* Coloniam C. Iulio Cæsare Dictatore; & Ti. Claudium Neronem, Ti. Imperatoris Patrem, deduxisse, Suetonius auctor est in Ti. Principis Vita cap. IV. A quo tempore *Narbo* non solum *Martij* usurpavit cognomen, verum etiam *Iuliæ Paternæ* quasi Prænomen, dictaque fuit *Iulia Paterna Narbo Martius: Iulia* quidem ab C. Cæsaris Dictatoris Nomine: *Paterna* vero, quod Iulij Patris, id est Dictatoris, non Iulij Filij, id est Octaviani Augusti, auspicijs esset deducta. Testatur elegans Marmor in ipsa Vrbe ecfossum anno CIↃ IↃLXVI. Exstat typis excusa, cujus pars, quæ dictis a me probandis facit, sic habet: HISCE. LEGIBVS. HISQVE. REGIONIBVS. SIC. VTI. DIXI. HANC. TIBI. ARAM. PRO. IMP. CAESARE. AVG. P. P. PONTIFICE. MAXIMO. TRIBVNITIA. POTESTATE. XXXV. CONIVGE. LIBERIS. GENTEQVE. EIVS. SENATV. POPVLOQVE. R. COLONIS. INCOLISQVE. COL. IVL. PATERN. NARB. MART. QVI. SE. NVMINI. EIVS. IN. PERPETVVM. COLENDO. OBLIGAVERVNT. DOQVE. DEDICOQVE. VTI. SIES. VOLENS. PROPITIVM. Celebrant *Narbonem* Ausonius & Sidonius Apollinaris: ille quidem in Vrbium suarum Catalogo, Carm. XII, ubi inter alia sic canit:

unde Iulia Paterna.

Narbonis Martij Encomium ex Ausonio,

Quis memoret Portusque tuos, Montesque, Lacusque?
Quis Populos vario discrimine Vestis & Oris?
Quodque tibi quondam Pario de Marmore Templum
Tanta molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius, Catulusque iterum, postremus & ille,
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar?
Te Maris Eoi merces, & Hiberica ditant
Aequora, te Classes Libyci, Siculique Profundi:
Et quidquid vario, per Flumina, per Freta, cursu
Advehitur: toto tibi navigat orbe κατάπλους.

Hic vero Carmine XXIII. ad Consentium Clariss. Civem Narbonensem, cujus hæc inter alia:

& Sidonio Apollinari.

Salve Narbo potens Salubritate,
Vrbe & Rure simul bonus videri
Muris, Civibus, Ambitu, Tabernis,
Portis, Porticibus, Foro, Theatro,
Delubris, Capitoliis, Monetis,
Thermis, Arcubus, Horreis, Macellis,
Pratis, Fontibus, Insulis, Salinis,
Stagnis, Flumine, Merce, Ponte, Ponto,
Vnus qui venerere jure Divos
Lenæum, Cererem, Palem, Minervam;
Spicis, Palmite, Pascuis, Tapetis,
Solis fise Viris, nec expetito
Naturæ auxilio, procul relictis
Promens Montibus altum cacumen.
Non te Fossa patens, nec hispidarum
Objectu Sudium coronat Agger.

Item: *Quid quod Cæsaribus ferax creandis,*
Felix Prole Virum simul dedisti,
Natos cum Genitore Principantes?

Versus digni sane, quos publico loco scribundos curet S.P.Q. Narbonensis; ut qualis quantaque quondam Vrbs fuerit *Narbo*, Aetas hæc sequensque cum stupore cognoscat. Sic *Narbo* dicitur *Speciosa* Prudentio in Hymno Martyrum Cæsar-Augustanorum; Vrbs *Decora* Theodulpho Aurelianensi. *Capitolium*, id est Arcem vel Palatium, etiam *Narbonem* habuisse indicant suis Carminibus non obscure Ausonius

Capitolium Narbonense.

nius & Sidonius. Ejus operis hodie nullum exstat Vestigium, sive Vetustas consumserit, seu diruerint Gothi, alijque Barbari. De *Capitolio Narbonensi*, id est Palatio, videndus Gregorius Turonensis lib. de Mirac. I. cap. XCII. *Lacuum* appellatione Ausonius, *Stagnorum* Sidonius exaudiunt *Rubresium*, de quo præter alios eleganter Pomponius Mela lib. II. cap. V: Hodie *L'Estang de la Rubine*. De eo obiter cap. x. Per *Flumen* intelligit Sidonius *Atacem*, de quo Plinius lib. III. cap. IV. Strabo lib. V, Sidonius lib. VIII. cap. IV. lib. IX. cap. XVI, & alibi. Vibius: *Atax è Pyrenæo, circa Narbonam decurrit in Tyrrhenum. Atacis* cum alijs Fluminibus meminit Theodulphus Episcopus Aurelianensis, qui in Scrinijs adhuc Petri Danielis, Poëmate contra Iudæos iniquos:

Lacus vel Stagnum, Rubresium.

Flumen, Atax.

Præfectura mihi fuerat peragenda tributa,
Rex dedit hanc Karolus, primus ad omne bonum.
Cui parent Walis, Rodanus, Mosa, Renus & Oenus,
Sequana, Visurgis, Wardi, Garumna, Padus,
Rusa, Mosella, Liger, Vulturnus, Matrona, Ledus,
Ister, Atax, Gabarus, Olitis, Albis, Arar.

Ab *Atace*, *Atacini* Populi & *Varro Atacinus*, ut alias dixi. *Narbo* Straboni lib. IV, Μέγιστον Ἐμπορεῖον. *Narbone* Grammaticam docuit Marcellus Marcelli F. de quo Libro Professorum Ausonius, cap. XIX. *Narbonam* Vrbem celebrat Benjaminus in Itinerario, Legis *(Iudaicam* intelligit*)* Antesignanam. Ex ea enim proficisci Legem in omnes Regiones: ibi Sapientes esse & magnos & suspiciendos; in primis *Kalonymon*, Theodori Filium, ex Semine Dauid, recta Genealogia, Prædia & Fundos habentem à Principibus Regionis, nullius hominis vim aut impetum metuentia.

Episcopales duplices Vrbes:

Hæc de vrbibus Archiepiscopalibus: Episcopales in duplici sunt mihi discrimine. Inter eas enim quædam, quæ Metropoles sunt, & quasi Capita nobilissimorum quorundam hujus Provinciæ Pagorum. Sic appello Suburbicarios Agros, fusioresque quorundam Opidorum Iurisdictiones: quales sunt *Gabali*, *Albigenses*, *Velauni Consaranni* & *Albenses*. *Gabali*, hodie *Givauldan*. Eorum Metropolis *Mimates Vicus* Antiquioribus, vulgo *Mende de Givauldan*: Reginoni *Mitanensis in Territorio Cavallitano*, corrupte: *Mimatensis Montis* Galliæ circa Gaballitanam Vrbem, cujus Episcopus erat S. Privatus, meminit Gregorius Turonensis, apud quem etiam legitur *Memmatensis*. *Albigenses*, nunc *Albigeois*: Vrbs *Albiga* Gregorio Turonensi lib. II. *Albi* vernacule. *Velauni*, *Velai*. Eorum Civitas quibusdam *Anicium*, *Le Pui en Velai*, id est, *Podium in Velauno*, quia Vrbs est in editissimo loco, qui Gallorum lingua *Pui*, id est *Podium* dicitur. *Consarannorum*, *Coserans*, Civitas *S. Legier de Coserans*: opidum antiquitate non incelebre. *Albenses*, *Vivarais*. *Civitas Albensium, nunc Vivario*. Sic scribitur in melioribus Notitiæ Provinciarum Codicibus: Vitiose in Vulgatis, *Civitas Albensium, hoc est Belsio*. *Vivario* Opidum est ad ripam Rodani dextram, vulgo *Viviers*. Ait autem recte Notitia, *Nunc Vivario*. Civitas enim & Metropolis *Albensium* olim erat *Alba*; quæ Plinio *Helviorum* cognominatur, Ptolemæo autem *Augusta*. Legitur enim apud eum Αὐγοῦστα Ἐλουκωνίων: vocat *Helvecios*, quos Latini *Helvios*. *Alba* autem illa hodie *Aubenas* dicitur: Opidum in Vivariensi Diœcesi, quinque minimum leucis ab *Vivertone* versus Occidentem situm, quatuor ab Vcetensium Civitate, cum qua communem habet Amnem. *Aubenas* autem est nomen Pluralis numeri *Albanates*: ut ab *Tolosa Tolosates*, ab *Nola Nolates* in Veteri Inscriptione.

Mimate Vicus, hodie Mende, Metropolis Gabalorum, Givauldan;

Albiga, Albi, Albigensium, Albigeois primaria;

Anicium, Pui en Velai, Velaunorum, Velai caput;

S. Legier Consarannorum, Coserans, Vrbs Princeps;

Vivario, Viviers, Albensium, Vivarais caput, quod olim, Alba Helviorum.

Reliquæ Episcopales;

Tantum de Episcopalibus, quæ Suburbicariorum Agrorum, latiorumque quarumdam Iurisdictionum sunt Metropoles: reliquum est, ut ceteras explicem: in quis recensendis si non legitimum servem ordinem, vel si ejusdem cum indicatis iam naturæ ad earum non referam classem, ignoscant velim Lectores, præsertim Incolæ. Non enim omnia penitissime licuit novisse.

Nismes, olim Nemausus,

Nismes, *Nemausus Volcarum Arecomicorum* Plinio lib. III. cap. IV, Ausonio libro de Vrbibus Carmine XIII, Pomponio Melæ lib. II. cap. V. Sidonio lib. II, Epist. IX. Itinerario Antonini: Νέμαυσος Straboni lib. IV, & Ptolemæo. Numismati vetustissimo COL. NEM. ARECOMICORVM. In Itineraria Peutingeri Tabula *Nemuso* scribitur, corruptius. Νέμαυσος, inquit Stephanus, πόλις Γαλλίας, ἀπὸ Νεμαύσου Ἡρακλείδου, ὡς Παρθένιος. Qualis fuerit florente Romanorum Imperio, notat eleganter Strabo; cujus ea de re pauca verba non possum non adscribere: Μητρόπολις δ᾽ ἐστὶ τῶν Ἀρηκο-

Vnde dicta,

Qualis antiquitus.

Ἀρεκομισκῶν ἐστι Νέμαυσος, κατὰ μὲν τὸν ἀλλότριον ὄχλον καὶ τὸν ἐμπορικὸν, πολὺ Ναρβῶνος λειπομένη, κατὰ δὲ τὸν πολιτικὸν ὑπερβάλλουσα. ὑπηκόους γὰρ ἔχει κώμας τέτταρας καὶ εἴκοσι τῶν ὁμοεθνῶν, εὐανδρίᾳ διαφερούσας, συντελούσας εἰς αὐτὴν, ἔχουσα καὶ τὸ καλούμενον Λατῖνον, ὥστε τοὺς ἀξιωθέντας ἀγορανομίας καὶ ταμιείας ἐν Νεμαύσῳ Ῥωμαίους ὑπάρχειν. Διὰ δὲ τοῦτο οὐδ' ὑπὸ τοῖς πράγμασι τῶν ἐκ τῆς Ῥώμης στρατηγῶν ἐστι τὸ ἔθνος τοῦτο. Ἵδρυται δ' ἡ πόλις κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἐκ τῆς Ἰβηρίας εἰς τὴν Ἰταλίαν, θέρους μὲν εὔβατον οὖσαν, χειμῶνος δὲ καὶ ἔαρος πηλώδη καὶ ποταμόκλυστον. In Opidorum, quæ Nemausiensibus adtributa, numero, Plinio convenit cum Strabone. Ejus verba lib. III. nat. hist. cap. IV sic habent: *Vocontiorum Civitatis Fœderata duo Capita, Vasco & Lucus Augusti: Opida vero ignobilia XIX; sicut XXIV Nemausiensibus adtributa.* *Decurionum Nemausi* mentio in Antiqua Inscriptione, quæ ibi visitur: *Decuriones Nemausi.*

DIS. MANIBVS
....
FIRMI. LVCANI
IIIIII. VIRI. AVG
ORNAMENTIS. DE
CVRIONVM. NEMAVSI
HONORATO

Miram undique redolet cum in veteri Muro, qui testatur multo, quam hodie, ampliorem fuisse, tum in alijs, Antiquitatem. *Amphitheatrum* ibi conspicitur, exteriore parte non minus integrum, quam quod Veronæ. Ante Amphitheatrum *Campus Martius* fuisse perhibetur, qui, ut Romanus, Aedificiis jam oppletus, & in alios tractus est usus. Aedificium, quod vulgo *Le Cap duesl*, *Capitolium* (sic enim nomen illud corruptum) vel *Basilica* fuisse fertur, ab Imperatore Hadriano exstructa in gratiam & honorem, ut legere est apud Spartianum, Conjugis Plotinæ. Forma est ἑτερομήκης, quadrata quidem, sed quæ in longitudinem nonnihil vergit. Latera X. Columnis fulciuntur: Frons VI; pars Fronti adversa totidem. Tectum ex magnis compositum est Lapidibus; Deambulationibus adcommodatum. Templum, Fonti propinquum, integrum adhuc est, forma quadrata. Duos habent latera columnarum Ordines, artis absolutæ. Visuntur adhuc ibi Aquilæ. Romani quomdam Imperij notæ & insignia, sed quæ Capitibus truncatæ. Id factum volunt ab Gothis, ut Romanum Imperium Corpus esse capite minutum, quum Imperatorum caderent vires, ostenderent. Ad mœnia Veteris Opidi annosa est Structura in Colle, qui Fonti vicinus vulgo *Tourremagne* vocatur, id est, ut quidam putant, *Turris Romana* vel *Turris Magna*. Lapidibus constat exiguis, ijsque quadratis. Videre ibidem est & perantiquas aliquot Statuas, & nonnulla melioris notæ Variorum Epitaphia: Columnam item ad Portam, cui ab Corona nomen. Imperatorum Domitiani, & Antonini Pij Philosophi, aliorumque claret Natalibus. Qui vulgo *Fons* Incolis appellatur, sed qui *Lacus* potius, quam *Fons*, dubitatur an sit, quem celebrat Ausonius Carmine, quod indicavi. Qui penitius inspexerunt, suspicantur alium fuisse, qui ex proximis Collibus in Vrbem ducebatur; sed cui acciderit, quod Divonæ Burdigalensi, id est perijsse. Incolæ *Nemausenses* nominantur. De ijs Lapis mutilus:

Antiquitates. Amphitheatrum. Campus Martius. Capitolium. Templum. Turris Romana. Statuæ. Epitaphia. Columna. Fons. Incolæ Nemausenses.

IIIIII. VIR ....
CORPORATI. NEMAVSENSES
PATRONO
EX. POSTVLATIONE. POPVLI
L. D. D. D.

Leguntur etiam *Nemausenses* apud Suetonium cap. XIII. Tiberij Principis Statuas & Imagines subvertisse; ubi tamen plerique Codices *Nemausenses* habent: Membranæ pleræque *Remansenses*: Vaticanus Liber, *Remansisses*. Exstat Libellus de *Antiquitatibus Nemausensibus* Ioannis Poldi. Tribus Nemauso milliaribus, *Pons* est, qui *Pons mirabilis.*

vulgo

vulgo *Du Gard.* Nomen hoc illi ab Fluvio *Guardone*: quem, Francorum Veterum enunciatione (de qua Agathias) *Wardonem* appellant Sidonius lib. II. Epist: x. Theodulphus Aurelianensis duobus locis, Fulbertus in Historia MS. Egidij & Petrus Aquil. lib. VIII. cap. XVIII. Pons triplici serie fornicatus est, stupenda sane industria: Prima Hominibus Iumentisque præbet transitum, altera Aquæductum sustinet. Inter *Fanum S. Privati* & *Rimolinum* Vestigia monstrantur *Aquæductus*, quo Romani Aquam in Nemausensium Opidum ducebant. *Vsetz, Vcetensium Civitas*: nonnullis Latine scribentibus *Vtica*. *Vticensis* Galliæ *Episcopi* meminit Aurelianum Concilium v. Opidum quod in Ducatus honorem, ad *Wardones* confluentes. Alter enim Occidentalior *Gardo* cognominatur *d'Alaix*; Orientalior autem *d'Anduze*, ab opidis, quæ singulorum Ripis adsident. *VVardo*, ut jam monui, dicitur Theodulpho Aurelianensi Episcopo, & alijs. *Lodeus*, vel, ut alij, *Lodesve*, *Luteva*; Notitiæ Provinciarum Galliæ *Castrum Luteva*, in Viennensi Secunda. *S. Pont de Tomieres*, *Fanum S. Pontij Tomeriarum*. *Alet*, *Aletensis Civitas*; *Alezium* quibusdam Latine scribentibus, Opidum Vicecomitatus titulo insignitum. *Mompelier*, Latine nominantibus *Mons Pessulanus*: *Mons Puellarum*, *Puellertus*, item *Pisciculanus* ab nonnullis dicitur, ut notat Cœnalis. *Mons Tremulus* vocatur à Benjamino Tudelensi apud quem insigne est hujus Vrbis Elogium. *Substantionem* nuncupatam scribit Blondus I. Decadis lib. x. Videat ille, qua fretus auctoritate. Male quibusdam *Agatha* vel *Agathopolis*, quæ hodie *Agde*. Situm est Celliculo, decem leucis ab Mari Mediterraneo. Aer ibi placidissimus & saluberrimus. Vrbe nihil amœnius, Civibus nihil humanius; Territorio nihil fertilius, Simpliciumque feracius: quæ res Medicos præcipue invitavit, ut Sedem ibi figerent, atque Medicinam cum laude docerent. *Academiam* enim Vrbs habet, quæ instituta memoratur circa annum CIↃ CXCVI; vel saltem quo tempore, Saracenis Hispania pulsis. Medicina cum Discipulis Arabum, Avicennæ, Averrois, & aliorum, huc migravit. Rectoris ibi tanta est auctoritas; ut Studiosi quacumque etiam de caussa egredientem comitari honoris gratia cogantur, quod se non sine maximo Studiorum suorum, multarumque Horarum jactura nimis frequenter fecisse, conqueritur Rebuffus. Collegia sunt ibi varia, inter quæ amplissimum est, *Papæ* cognominatum. quod ab Vrbano Pontifice fundatum, & copiosissimis ornatum est Reditibus. Nec minus elegans est *Regium*, ab Henrico II Galliarum Rege erectum. Tertium est, quod vulgo *Du Vergier*; optimæ spei Adulescentibus Studiorum Victusque necessaria in decennium præbens. *Besiers*, *Bitera*, aut *Bitera Septimanorum in Arecomicis*: Βαιτίραι, Ptolemæo; Βαιτιῤῥῦς, Stephano, *Bliterra*, Plinio lib. III. cap. IV; Βιλτίερα, Straboni lib. IV; *Beterra*, Pomponio Melæ lib. II. cap. V, & Antonino, cui & *Peternæ*, *Beterris*, Tabulæ Peutingeri Itinerariæ in Auferendi casu; *Biterra* Itinerario Burdigalensi, & Vsuardo XI. Kalend. Aprilis. Hinc *Biterrenses* Sidonio lib. VIII. Epist. IV; qui *Biterienses* in Notitia Provinciarum, in Viennensi Secunda. בידרש, id est *Bidrasch* vitiosius Benjamino in Itinerario. Opidum pervetustum, multis agitatum calamitatibus, cum ab Gothis, tum ab ipsis Francorum Regibus. *Agde*, Ἀγαθὴ τύχη Timosthenι ἐν τῷ σταδιασμῷ apud Stephanum; Ἀγάθη, Straboni & Ptolemæo; *Agatha*, Plinio. Opidum ab Massiliensibus Græcis conditum in Volcis Arecomicis: unde & Straboni κτίσμα Μασσαλιωτῶν. *Carcassone*, *Carcasso Volcarum Tectosagum*: Καρκασὼ, Ptolemæo; *Carcassum*, Plinio; *Carcasio*, Procopio: *Carcassio*, Itinerariæ Peutingeri Tabulæ. Secundum inter tres Languedokij Seneschallias locum obtinet: *La Senechaussée de Carcassone*. *Castres*, *opidum Castrense*: *Cessero*, Plinio; Κεσσερὼ, Ptolemæo: *Cetero*, *Casero* & *Tesero* corrupte apud Antoninum. Scaligero tamen apud Plinium legitur *Cestero*, ut illud sit Provinciæ opidum, quod hodie *Cisteron*. *Pamies*, *Apamea*, de qua post; *Mirepoix*, *Mirapicense opidum*. *S. Papol*, *Fanum S. Papuli*: *La Vaur*, *Vaurense*: *Ricus Rivi*, *Rivense Monasterium*. *Lombés*, *Lambariense Monasterium*: postea erecta in Episcopatus, suffraganeos Tolosano.

Et hæc de Maiorum gentium tam Episcopalibus, quam Archiepiscopalibus *Languedokij* Vrbibus: Minorum gentium appello reliqua opida, inter quæ: *Belloquadra*, *Beaucaire*; tertium nacta locum inter tres *Languedokij* Seneschallias, *La Seneschaussée de Beaucaire*, *Aiguesmorses*, *Aqua Mortua*; quæ falso quibusdam creduntur *Fossæ Marianæ*, de quibus in Provincia. *Piseaux*; *Pezenas*, *Piscena*, Plinio: *S. Gillis*, *Burgum S. Aegidij*, ניירקר כל גיל Beniamino in Itinerario. *Chastean-garry*: *Lusignen*; *Montaignac*; *Millant*, *Montillac*, & alia.

Margin notes: *Aquæ ductus.* — *Vsetz, Vtica.* — *Lodeus, Luteva.* — *S. Pont de Tomieres;* *Alet, Alezium;* *Mompelier, Mons Pessulanus,* — *eiusque Situs.* *Territorium.* — *Academia.* — *Collegia:* — *Besiers olim Bitera Septimanorum.* — *Agde, quondam Ἀγαθὴ,* — *Carcassone, Carcasso.* — *Castres, Cessero* — *& alia Opida Languedokij minora.*

Latara Castellum Pomponio est in Gallia Narbonensi: Ioanni Poldo *Lates* est. *Latara Vicus, Castellum.*
Laterra quoque *Stagnum* Plinio in Agro Nemausiensi: de quo alij alia adferunt. De *Stagnum: hodie Lates.*
utroque sic Karolus Clusius, oculatus testis, suis ad Abrahamum Ortelium litteris:
Recte Poldus. Nam Lates *etiamnum vocatur hoc Castellum cum Vico adjacente: Vicinum*
Stagno Volcarum, qua Ledum flumen in Stagnum labitur. Id Stagnum aliquot milliaria (se-
decim memini me numerare ab Ortu in Occasum) *in longitudinem porrigitur, cui*
aliquot Vica & Opidula adjacent (ad Septemtrionalius præcipue latus) *Nonnullis locis*
Estang, *& ubi altius vadum habet*, Estau *ab Indigenis appellatur: qui Pisces in altiore Stagni*
gurgite captos præferunt aliis, quod cœnum adeo non resipiant. Littus Maris, quod Incolæ Playe
de la Mar *dicunt, Stagnum à Mari sejungit: Aqua tamen marina Fluxum quibusdam in*
locis in Stagnum præbet: & haud dubie id Stagnum tutiorem à Piratarum atque Hostium in-
cursionibus eam Galliæ Narbonensis oram reddit. Designat, *Volcarum Stagna* nominans,
Pomponius Mela. *Fauces Laterræ Stagni* apud Plinium lib. IX. nat. hist. cap. VIII., ubi
scilicet cum Mari communicatur: Nemausiensibus hodie *La Crau pres de Mangueil*,
ut notat Dalechampius.

Languedokio ante paucos annos adtributus est *Ducatus Fuxensis*, *La Duché de Foix*; *Ducatus Fuxensis, Duché de Foix;*
quum antea Guiennæ concenseretur. Ad Orientem illi ipsum Languedokium: ad
Occidentem Convenarum Ager; qua Septemtrio est, Territorium spectat Ripen-
se, vulgo *de la Riviere*; Meridionale Latus Montes claudunt Pyrenæi; qui Duca-
tum hunc reddunt ut horridiorem, sic Ferri Carbonumque feraciorem.

Nomen illi ab opido *Fuxio*, quod Antiquitatis laude clarum. Continet unum *in quo Episcopatus Apamiensis.*
Episcopatum, *Apamiensem*. Opidum vulgo *Pamies*, Latine scribentibus *Apamia* &
Pamia; ad confluentes Amnium, qui vulgo *Lers* & *Lagiere*. Ab hoc opido dici vide-
tur *Epaunense Concilium*, habitum sub Gelasio I Papa, & Sigismundo Rege. Episcopi
enim, qui illi interfuerunt, omnes hujus sunt Tractus. *Empanensis* etiam Synodus XV
citatur in Decretorum I Distinct. 16. *Eupanense* Decret. II Caussa II, fortean ab
hoc eodem opido. Sunt & alia opida, *Saverdunum* & *Maseræ*, Comitum Domicilia.
Errare graviter, qui Sedem hic collocant *Elusatium*, dicam Capite sequente.

CAP. XXXVIII.

Vasconia.

QVÆ Veteris Aquitaniæ Narbonensisque Provinciæ hodie sint sub Parlamen-
tis & Burdigalensi & Tolosano, integre, ex Superioribus didicimus: superest
Vasconia, quæ utrisque paret mistim. Partes enim ejus quædam sunt sub Bur-
digalensi, quædam sub Tolosano.

VASCONIA proprie nunc temporis est, quidquid continetur intra Garumnam, *VASCONIA, Gascoigne*
Pyrenæos Montes, Oceanumque & Guiennam hodiernam, vel Aquitaniam Lu- *Ejus Fines,*
dovici XI. Dicta est *Vasconia* ab *Vasconibus*, ferocissimis Pyrenæorum Populis: quos *Unde dicta:*
devictos primum à Pipino, deinde ab Ludovico Karoli Magni Filio (qui postea
dictus fuit *Pius*) Rege Aquitaniæ in plana Novempopulaniæ deductos, postea no-
men huic Regioni dedisse certum est & indubitatum. Fuerunt enim *Vascones* (ut
lib. II. capitibus XI. & XIII. docui) pars Cantabrorum, quos etiam hodieque Hi-
spani *Vascuença* vocant. Itaque, quum prius hæc Regio ab Cæsare *Aquitania*, postea
Novempopulania audiret; ea ab *Vasconibus* devictis, inque eam à Pyrenæorum Salti- *Tertia Pars Aquitaniæ Augustæ,*
bus demissis, *Vasconia* fuit appellata. Est autem tertia pars Aquitaniæ Augusteæ.
Nam ab Augusto *Aquitania* triplex fuit instituta: Prima, cujus Caput *Avaricum*
erat *Biturigum Cuborum*; *Bourges*: Secunda, cujus Metropolis erat *Burdigala*, *Bituri-*
gum Vibiscorum; Tertia tota Trans-Garumnana, in qua principem tenebat locum *Au-*
gusta Auscorum, vel *Auchs*: quæ Provincia, ut jam dictum est, ab Augusti temporibus
ad Pipinum usque nominata fuit *Novempopulania*: inde ad hunc usque diem *Vasco-* *quæ & Novempopulania.*
nia. Petrus Arvernus Cluniacensis Epist. I: *Migravit tamen, sicut audivi, ad Loca satis*
vobis contigua & à Septimania vestra, vobis persequentibus expulsa in Provincia Novem-
populana (quæ vulgo Gasconia *vocatur) & in partibus ei adiacentibus sibi foueas præpa-* *sic dicta ab Novem Populis.*
ravit. *Novempopulania* ab *Novem Populis*, quos alij alios numerant, & nominant:

Scaliger autem suis ad me litteris, hos: *Convenas*, *Consarannos*, *Bigerrones*, *Lactoratenses*, *Vasates*, *Eloronenses*, *Lascarienses*, *Tarbellos*, & *Atyrenses*: quorum *Convenæ*, *Bigerrones* & *Lactoratenses* sunt in hodierna *Vasconia*; *Consarannі* in *Languedokio*; *Vasates*, *Tarbelli* & *Atyrenses* in *Guienna Ludovici* XI; *Eloronenses* denique & *Lascarienses* in *Benearnsa* Principatu: adeo ut *Vasconia* major olim, quam nunc, fuerit; quum comprehenderet etiam *Guiennam Ludovici* XI & nonnullam *Languedoky* portionem; quum tamen ante Ludovicum XI *Guienna* major esset *Vasconia*; & *Guienna* totum quasi esset, *Vasconia* autem Pars.

Despectum' Hominum in Vasconia genus.

Stupendum, quod referam. Est in plerisque *Vasconiæ* locis, præcipue apud *Bigerrones* & *Benearnenses*, hominum genus, qui nunc *Capots*; nunc, variante Dialecto, *Gabets* appellantur. Detestandi sunt Suis; eorumque Commercia fugiuntur. Habentur pro Lepra infectis. Quasi essent, vel quod sint interdictæ iis Civitates & opida, incolere coguntur Suburbia, Locaque semotiora. Adsignatæ sunt & iis suæ in Templis Stationes. Creduntur alios inficere. Plerique Fabri sunt Lignarij & Vietores; aliisque Artibus Mechanicis dediti; Laboris patientissimi. In Facie & Actionibus illorum quiddam paret, quod eos contemtui detestationique reddit obnoxios. Femininus Sexus liberali satis forma. Omnium Halitus & Os grave olet, unde ingrati quid odoris manat in constantes & conloquentes. Quidquid sit, Maledictionis perhibetur genus, quod ab Majoribus in Posteros manifestissimis indiciis dirivatur. Pauperiores semper in diem vivunt, diurno labore: Servorum censentur loco, ne ausi quidem mutire, si quid injuriæ inferatur vel ab Vilissimo. Si quis eorum forte ditior, liberi tamen non fiunt heredes, nisi Mobilium, quæ omnes tamquam certam luem avorsantur.

Veteres Incolæ Cantabri.

Veteres *Vasconiæ*, ut quidem ea hodie est; & nos eam accipimus, Incolæ fuerunt Varij: *Cantabri*, *Vascones*, *Ausci*, *Tarusates*, *Lactorates*, *Bigerrones*, *Nitiobriges*, *Convenæ*; *Elusates*, *Garites*, *Cocosates*, & proculdubio plures. *Cantabri*, de quibus lib. II. cap. XI. quatenus ad Galliam pertinent, Cis-Pyrenæi fuerunt, ubi nunc *Le Pais de Basques*: Nomen corruptum ex *Vasconibus* Hispaniæ Populis, qui Pyrenæos traducti, Sedibus inter Gallos fixis, *Gascons* hodieque nominantur: nisi quis malit *Hispanos Vascones*, quorum memini eodem libro Capite XIII, seminis esse Gallici, de quo non magnopere contenderim. De *Vasconibus Galliæ* Iuvenalis hæc plerique accipienda censent, Satyra XV:

Vascones.

ultimus autem
Qui stetit absumto jam toto corpore ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones (fama est) alimentis talibus usi

Produxere

Produxere Animas: sed res diversa, sed illic
Fortuna invidia est, Bellorumque ultima, casus
Extremus, longæ dira obsidionis egestas.

Ausci Plinio lib. IV, cap. XIX, Populos Aquitaniæ supra XLIX numeranti, & Melæ lib. III. cap. II. Ptolemæo Αὔσκιοι, cui ipsorum Urbs Αὔγουστα, hodie *Auch*, de qua suo loco. *Auci* Itinerariæ Tabulæ; *Auscensis* Sidonio lib. VII. Epist. VI. *Novempopulis*, de quibus paullo ante, ab nonnullis concenseri soliti. *Novempopulos*, inquit Ammianus, *Ausci commendant.* Sic Ausonius in Professoribus, de Staphylio Cive Auscio: Ausci.

Te Staphyli genitum stirpe Novempopulis.

Civitas Ausciorum Notitiæ Provinciarum in Aquitania Tertia Novempopulania vel Octava Viennensi, Hodie *L'Archevesché d'Auch*: unde *Ausciensis Archiepiscopus*. Imperite facit Vulgus Ecclesiasticum, cui *Auxitanus* vocatur; & ineptos se probant, qui *Augustæ Auscorum* Incolas nuncupant *Auxitanos*. Veterum *Auscorum* Tractus hodie *Armaignac* fere appellatur. *Tarusates* Cæsaris extremo libro III. de Bello Gallico, putant quidam esse nunc temporis *Tursa* Urbis Incolas in Auscitana Provincia. Tarusates. *Lactorates* nominantur in Itineraria Tabula: *Lactoratium* vel *Lactoratium Civitatem* habet eadem Notitia in Aquitania III Novempopulania, vel Octava Viennensi: Lactorates. Hodie *L'Evesché de Lectoure. Lactorate sium Civitatis* meminit Inscriptio, quæ in eadem Urbe exstat:

PRO. SALVTE. IMP. M. ANTON. GORDIANI
PII. FEL. AVG. ET. SABINÆ. TRANQVILLINA
AVG. TOTIVSQVE. DOMVS. DIVINA. PROQVE
STATV. CIVITATIS. LACTORATEN. TAVROPOLIVM
FECIT. ORDO. LACT. DOMINO. NOSTRO. GORDIANO
AVG. II. ET. POMPEIANO. COSS. VI. ID
DEC. CVRANTIB. M. EROTIO. FESTO
ET. M. BLARINIO. CARO. SACERD. TRAIANIO
NVNDINIO

Bigerrones apud Cæsarem sunt, qui *Bigerri* Plinio lib. IV. cap. XIX, & Pontio Paullino ad Ausonium scribenti Epistola I. vers. CXLIII, eosque *Pellitos* indigitanti, quod ob intentum iis in locis frigus *Pellibus* ovium, Caprarum, aliarumque Bestiarum se, ut hodieque, tegerent. Bigerrones. *Bigerritani* nominantur Ausonio. Hinc *Bigerricus Ager*, Sidonio libro VIII. Epist. XII; & *Bigerritana Palla*, Ausonio Epist. XIIII. ad Paullinum. *Civitas Tarba, ubi Castrum Begorra*, in Notitia Provinciarum; hodie, *L'Evesché de Tarbe de Bigorre; La Comte de Bigorre*. De *Tarba Bigerronum* alibi. *Nitiobriges* apud Cæsarem lib. VII non uno loco; hodie *Le Pais & Seneschaucée d'Agenois.* Nitiobriges. In Plinio male excusum, *Antobroges Tarne Amne discreti à Tolosanis*: Legendum enim, *Nitiobriges Tarne Amne* &c. Vide Scaligerum in Auson. *Nitiobroges* in Itineraria Peutingeri Tabula procul ponuntur ab suis Sedibus XV. Long. IV. Lat. prope Augustobanam Tricassium; quum scribere oportuisset V. Long. VII. Lat. supra Aginnum. Distinctionem, qua in eadem Tabula, docendi commodiusque quid & certiore digito indicandi gratia, utor, aperio in Epistola ad Lectorem. *Nitiobrigum* Civitas *Aginnum*, de qua postea. Ridenda scribit ad me Iosephus Scaliger, quæ hactenus omnes de his delirarunt: quorum alij (sunt illi Marlianus & Poldus) *Mompelier*, ejusq; Territorium esse dicunt; qui locus sex dierum itinere distat ab Nitiobrigibus: alij *Engoulesme* somniant: alij jubent pro *Aginno* legendum esse *Agesinates*: *Et*, inquit Vir Magnus, *quo non progressa audax inscitia? Nitiobrigum* Rex nominatur in Ephemeridibus Belli Gallici lib. VII. *Theutomatus*, cujus Pater ab S. P. Q. R. Amicus fuerat appellatus. Qui *Convenæ* Plinio lib. III. cap. IV. & Sidonio lib. VII. Epist. VI; in Ptolemæi libris vitiose dicuntur Κωνουενοί: Legendum enim Κωνουεναί. Convenæ. Eleganter Strabo lib. IV. τὴν τῶν Κονουενῶν, ὅπερ ἐστὶ Συγκλύδων. Sic enim emendat eruditissimus Casaubonus. Explicat Strabo quid Latinorum *Convenæ* sint Græcis; Συγκλύδες scilicet ἄνθρωποι. Exturbati sunt hi *Convenæ* ex Doctissimo illo Glossario, impuris Magistellulorum manibus non ferendo. Scribitur enim, Σύγκλυδες .... Reponendi *Convenæ*. *Civitas Convenas* in Notitia, *L'Evesché de Cominges.* Metropolis *Lugdunum Convenarum*, de quo infra. Elusates. *Elusates*, ut Plinio & Claudiano vocantur, apud Cæsarem

ſub finem lib. III. corrupte in quibuſdam Codicibus *Fluſſates* & *Fluſtates* ſcribuntur: *Eluſani* Sidonio ſunt lib. VII. Epiſt. VI: *Eluſatium* (mendoſe in quibuſdam Libris *Elloſatium*) *Civitas* in Provinciarum Libello, Aquitania III, *Le Pais d'Euſe en Gaſcoigne*. De ipſa Vrbe *Elſa* vel *Euſa* paullo poſt. Qui *Fluſſates* legebant, ut ſcribit ad me Nobiliſſimus Vir Ioſephus Scaliger, dicebant (in eorum numero video Cœnalem & Belleforeſtium) eſſe *Comitatum de Fuxio*; & hoc ſtupore ſuo perſuaſerunt illuſtri Viro nomen *de Foix* in *Fiuiſſatem* recudere; quo nihil abſurdius. Aliud enim eſt *Franciſcus de Fluſſa*; aliud, *Franciſcus Fluſſas*. Nam *de Fluſſa* eſſet verum cognomen Familiæ; ſed *Fluſſas* eſſet nomen Nationis. Itaque *Franciſcus Fluſſas* eſſet *natione Fluſſas*, non *de Familia de Fluſſa*. Sed *Fluſſa* non eſt *Foix*. Nam id eſſet *Foxium*, aut aliud quidvis potius, quam *Finſa*. *Garites*, quorum Cæſar meminit, haud procul *Nitiobrigibus* habitaſſe notat Orontius, quum eos in ſua Galliæ Tabula locet in Agro, qui hodie *Aginnenſium*. Certe *Garites* non iidem ſunt cum *Aginnenſibus*. *Garites* enim Cæſar ponit in ſua Aquitania, ultra Garumnam: *Nitiobriges*, quorum Caput Aginnum, extra ſuam conſtituit Aquitaniam, cis Garumnam, in Celtica. Marlianus *Lactoratenſe opidum*, *Lactoure*, *Garitibus* adſignat. Finiam antiquas huius Tractus Gentes in *Cocoſatibus* Cæſaris; quos Plinius *Cocoſſates* vocat, *Sex-ſignanos* cognominans; qui quo loco fuerint, nondum didici.

Garites.

Cocoſates.

Et hæc de antiquis *Vaſconiæ* noſtræ Populis. Eiuſdem porro, ut hodie conſiderari ſolet, Partes Garumnæ conjacent quædam ultra tantum Flumen, ut *Ager* cum *Armaniacenſis*, tum *Bigerronum*, quædam confuſe ultra citraque, ut *Aginnenſis Seneſchallia*, *Albrets Ducatus* & *Comitatus Convenarum*. *Armaniacenſis* mihi dicitur, qui vulgo *Armaignac*, cuius Limites plurimum ſe extendunt. Latitudo eius ab opido Lactoratenſium Nogerentium uſque: Longitudo minor eſt, Magnaco ad Bigerrones uſque. Sunt qui putant memoriam in eo ſervari Arecomicorum. Ego nihil hic volo adfirmare. Comitatus titulo eſt inſignis. Continet duas Diœceſes, *Auſcenſem* & *Lactoratenſem*. *Auſcenſis* ab *Auguſta Auſcorum*, quæ totius *Novempopulaniæ* ſive *Vaſconiæ* Metropolis. Sic Ptolemæo dicitur Galliæ Aquitanicæ Vrbs, quæ vulgo nunc *Auch*: *Civitas Auſcius* Veteri Itinerario à Burdigala Hieroſolymas; *Auſcenſis Vrbs* Gregorio Turonenſi lib. X. cap. XXII: *Auſcium* & *Civitas Auſcium* Martyrologio Romano Vſuardoque Kalend. Mai. Hinc *Epiſcopus Auſcenſis* Gregorio Turonenſi lib. VIII, cap. XXII. Opidum eſt ad Gerſum Fluvium, Rupi inædificatum, aditu difficile. Pulcherrimum ibi Templum, Deiparæ Virgini conſecratum, ſtructura faſtuoſum. Viſuntur ibi multa Antiquitatum Monimenta. Partim Regem Franciæ, partim Civitatis Præſulem Dominos agnoſcit. *Lactoratenſis* ab Opido, quod vulgo *Lactoure*: *Lactura* Antonino; *Lacerra* corruptius Itinerariæ Tabulæ: *Lactorum Civitatem* habet Goltzius ex Veteri Inſcriptione in ſuo Theſauro, ut & *Lactorium* & *Lectorium*. In opido ſane Lactoratenſi duo Lapides leguntur, in uno propugnaculorum; his verbis concepti:

Partes Vaſconiæ.

Armaniacenſis Ager, Armaignac.

[illegible]us Vrbes, [illegible]

& Lactora, Lectoure.

MATRI. DEVM
POMP. PHILVMENE
Q. PRIMA. LECTOR
TAVROBOLIVM
FECIT

Ibidem

PRO. SALVTE. IMP. ANTONINI. GORDIANI
PII. FEL. AVG. TOTIVSQVE. DOMVS. DIVINÆ
PROQVE. STATV. CIVIT. LACTOR. TAV
ROBOLIVM. FECIT. ORDO. LACT. D. N.
GORDIANO. II. ET. POMPEIANO. COS
VI. ID. DEC. CVRANTIB. M. EROTIO
ET. FESTO. CANINIO. SACERD

Qui putant *Lactoratium* vel *Laſtoratium* dici in Notitia Provinciarum, falluntur. Sunt enim, ut cum Grammaticis loquar, Genitivi, quorum Recti *Lactorates*, vel *Laſtorates*, ſi recta ſit in hac voce ſcriptura. Opidum eſt in faſtigio Montis, ubi multa Antiquitatis veſtigia. Arcem habet, quam ab Romanis volunt factam. Sunt item alia

alia *Armaniacensis Diœcesis* Opida, inter quæ quod vulgo *L'Isle Iordain*, ubi Tribunal Senetchalli. Fuit quidem parvus Comitatus, sed hodie vix memoria superest, ut mihi adfirmat V. N. Iosephus Scaliger. *Bigerrones* vel *Bigerri*, vulgo *Le Comté de Bigorre*, Regionem possident inter Benearnenses & Convenas, Cœlo Soloque asperam, ventosam, frigidam, Vini inferacem: ad Pyrenæos Montes, quorum magna pars huic Comitatui est subjecta, ab Montibus, qui vernacule *d'Aure* nominantur usque ad Saltum Pyrenæum (vulgo *du Sault*) eosque qui *d'Aspe* dicuntur, Benearnensium Ditionis. *Bigerrones* elati scribuntur ingenij, Armis dediti, celeres ad aliquid adgrediundum, egregie simulantes, inhumani, asperi, ingratiores. Opidani urbaniores. Nobilitas, quæ hic frequens, animosa, humana, cultis moribus. *Civitas Tarba, ubi Castrum Begorra.* Sic vocatur in Notitia Provinciarum, si meliores consulantur Codices. Nam male excusum est, *Tursa* & *Turba*; vitiosissime etiam in aliis *Tursambica Frasugorra.* Vulgo *Tarbe de Begorre*, aut *Bigorre*, ubi Sedes Episcopalis, quæ in hoc Comitatu unica, sub Metropoli Auscensi. Marlianus insanit, ut scribit ad me Ioseph. Scaliger, qui ait ibi hanc *Tursam* esse & *Castrum Begorram*, ubi est Episcopatus Bitteriensis Provinciæ Narbonensis; quæ sententia non est sobrij capitis. *Begorram Bigerronum* Civitatem habet Gregorius Turonensis. Olim vicus erat, ut monet Scaliger, unde & *Vicani Aquenses* dicti. Id patet ex egregia Inscriptione:

Bigerronum Le Comté de Bigorre.

cujus Metropolis Tarva, vulgo Tarbe de Bigorre.

NVMINI. AVGVSTI
SACRVM
SECVNDVS. SEMBEDO
NIS. FIL. NOMINE
VICANORVM. AQVEN
SIVM. ET. SVO. POSVIT

In Finibus *Bigerronum* sunt Comitatus, qui vulgo *Gavre* & *Estrac*. *Aginnensis Seneschallia*, vulgo *La Seneschaucee d'Agenois*, Sedes quondam *Nitiobrigum*. His ad Orientem confinales sunt Cadurci, ad Septemtrionem Petrocorij, qua parte *Aginnenses* excurrunt Bironium usque, Petrocoriorum Opidum: ad Occidentem Vascones occurrunt cum Garumna; a quo & ad Meridiem lambuntur. Continet duos Episcopatus, nempe citra Garumnam, *Aginnum Nitiobrigum*; ultra Garumnam, *Condomium*. *Aginnum*, vernacule *Agen*. Ἄγιννον Ptolemæo lib. II. cap. VII; *Aginnum* Ausonio Epist. XXIII, Antonino, & Itinerariæ Peutingeri Tabulæ; *Aginum*, Bedæ in Martyrolog. V. Eid. Iunij, Adoni, & aliis; *Agennum* in Libro Provinciarum, apud Hieronymum item de Claris Scriptoribus, & Honorium, qui ejus Episcopum *Phœbadium* memorat: *Agenensis Urbs* Gregorio Turonensi lib. I. cap. CV. de Mirac. *Agavinum* Bedæ, varianti in scriptura, Pridie Non. Oct. & *Agaunum* eidem XIII. Kal. Novembr. Sanctissima Vocis Scriptura, *Aginnum*. Opidum venerandæ Antiquitatis, in Garumnæ ripa situm, duodeviginti ab Metropoli Burdigalensi leucis, totius Aquitaniæ ditissimum. Sedes Seneschalli, cujus Iurisdictio, excepto Pictaviensi, totius Aquitaniæ latissima. Ius inde petunt *Portus D. Mariæ*, *Villa Nova* (*Ville Neuve d'Agenois*, ad Lothum, quæ & specialiorem hujus Tractus partem constituit, Arcem habens) *Hautesina*, *Clairacum*, *Marmanda*, *Fanum Magnæ Fidei* consecratum, *Foy la grande*, Clavis; & alia ad Garumnam opida. *Aginnum* vel eo nomine magnum, quod Magnus ille *Iosephus Scaliger* ejus primum Solo institerit, ejusque Aerem primum hauserit. *Condomium*, vulgo *La Seneschaucee de Condomois*. Hoc peculiari nomine vocari solet *Vasconia*. Quemadmodum enim *Africa* dicitur tota illa Magna Continens, quæ patet ab Nilo ad Gades, & tamen in ea erat Provincia, quæ peculiariter appellabatur *Africa*, in qua Karthago: ita *Vasconia* quidem nominatur amplissima illa Regio, quæ olim dicta fuit *Novempopulania*; sed stricte *Vasconia* quoque nuncupatur in ea *Episcopatus Condomiensis*. Itaque *Seneschallus Aginnensis* vocat se *Seneschallum Aginnensium & Vasconiæ*, id est, *Condomij*. Quæ appellatio vetus est. Nam temporibus Pipini *Pagus Aginnensis citra Garumnam* & *ultra Garumnam* dicebatur. Itaque sub Pipino in Vetustissimis Annalibus refertur, plurisse frumento in *Pago Aginnense ultra Garumnam*, id est in ea Regione, quæ proprie *Vasconia*, in qua *Condomium*: vulgo *Condom*; opidum amplum in Territorio sterili, undique fere Collibus, qui Vineis consiti, cinctum; extra Viam regiam situm, haud procul Baisa Flu-

Aginnensis Seneschaussée d'Agenois.

continens duos Episcopatus, Aginnum, vulgo Agen;

& Condomium, Condom.

vio. Sedem præbet non solum Episcopatui Novo, quem delibatum dixi supra de *Aginnensi*; verum etiam Seneschalliæ, jus dicenti Opidis, quæ Indigenis, *Valence ad Baisam, Latrac ad Garumnam, La-Romeo, Mon-Real*, & aliis. Familiæ sunt hic illustres non paucæ. Viccecomites novimus hic *Fismaconos, Gourdonos, Forcaos*, & *Monlucios*. *Ducatus Allebreti, La Duché d'Allebret*, nomen accepit amplissimum ab opidulo, quod vulgo *Allebret*, in Syrtibus Lapurdensibus, quas *Landas* vocant. Institutus est ante annos non multos, compositus ex mutilatione *Seneschalliarum Aginnensis, Armaniacensis*, & *Vasatensis*; adeo ut de eo dicere liceat, quod de Constantinopoli Hieronymus, eam nuditate omnium Civitatum constructam fuisse. Caput Ducatus est *Neracum*, opidum prædives. Avorum nostrorum memoria *Ioannes Alani F. Dynasta Allebretanus*, ducta Katharina Gastonis F. Navarræ Regnum cum ea Dotem accepit: hujus ex Filio *Henrico* Neptis fuit *Ioanna Allebretana*, Navarræ Regina, Mater Henrici IV, Christianissimi Franciæ Navarræque Regis. *Convenarum Comitatus, La Comté de Cominges*: Vulgo Latinorum *Comingia*. Huius Tractus Incolæ Primi Aquitanorum Christianæ Militiæ nomen dedisse scribuntur, multa indigna perpessi ab Christiani nominis Hostibus. Dividitur *Convenarum Ager* in Superiorem & Inferiorem, totusque Montibus attollitur. Gentis Caput *Lugdunum Convenarum*; Λούγδουνον Κωνουενῶν (legendum Κονουενῶν) Ptolemæo & Straboni lib. IV: *Lugdunum* simpliciter Antonino, in Itinere ab Aginno ad hoc opidum: quod quum per multos annos summopere floruisset, tandem ab irato Guntchranni Regis exercitu fuit dirutum, anno IↃLXXXIV, Indictione II: ex cujus reliquiis *Fanum S. Bertrandi*, ubi hodie Sedes est Episcopalis, in Valle Capraria fuit constructum. Vetustatem & Splendorem ejus Civitatis facile testantur Monimenta & Epigraphæ quamplurimæ, quæ ibi hodie exstant. Coluerunt inter alios Deos Lugdunenses Convenæ, aliique forte Conregionales, *Abellionem*: de quo quidam ibi Lapides, ut alibi vidimus, ubi de Diis Gallorum. Quid in Inscriptione, quæ Romæ legitur in ædibus Mellinorum ad Agonem, sit *Covena Aquitania*, alij videant. Ea sic habet:

Ducatus Allebreti, La Duché d'Allebret; *cujus Caput, Neracum:* *Comitatus Convenarum, Comté de Comenge,* *cuius Metropolis Lugdunum Convenarum, dirutum.* *ex cuius reliquiis Fanum S. Bertrandi:*

D. M.
VALERIÆ. IVSTINÆ
NATA CONVENA
AQVITANIA
VIXIT. ANNOS. XXI
IVN. VALERIANVS
MIL. COH. III. PR
7. FELICIS. CONI. B. M. F.

Elusatium Ager, Le pais d'Euse.

Vasconia priusquam egrediar, addam tria verba de *Elusatium Agro*, qui vulgo *Le Pais d'Euse en Gascoigne*. Ejus Metropolis *Elusa*. Sic dicitur Ammiano Marcellino lib. XV, & Itinerario, quod Burdigala ducit Hierosolymas; quæ Paullino Epistola ad Severum VI. *Eluso*. Ammiani verba, quod corruptiora, adscribam: *In Narbonensi Elusa, & Narbo, & Tolosa, & principatum urbium tenent: Viennensis Civitatum exsultat decore multarum: quibus potiores sunt Vienna ipsa & Arelate & Valentia, quibus Massilia jungitur.* Pro *Elusa* vulgati Codices habebant *Clusa*. Hinc *Elusana Plebs* apud Sulpitium Severum Historiæ Sacræ lib. II. Fuisse videtur olim Episcopatus. *Laban Elusensis Episcopus* nominatur Gregorio Turonensi lib. VIII. cap. XXII.

Cap. XXXIX.

Provincia.

PROVINCIAS Parlamentis subjectas Accessorijs, Parisiensque illud ad Occidentem Meridiemque quasi circumeuntibus, quanta fieri potuit industria perlustravi: sequuntur jamnunc Regiones, quæ reliquis parent Tribunalibus, Orientaliora ejusdem Parisiensis Latera velut claudentibus. Ea sunt *Aquense, Gratianopolitanum, Divionense*. *Aquensis* Iurisdictioni obtemperat *Provincia*.

Vnde & qua occasione PROVINCIÆ nomen inditum præstantissimo huic Galliarum Tractui, etiam ultra Rodanum ad Garumnam usque, petendum est ex Capite huius libri XVI; ubi omnia Romanorum contra Veteres Gallos Bella paucis commemorantur. *Narbonensis* enim *Gallia* ab Romanis in *Provinciæ* formam multis ante Christum natum annis redacta, hodieque illud impositæ quondam conditionis nomen mordicus in exigua sui portione, in qua *Massilia* & *Aquæ Sextiæ*, retinet, κατ' ἐξοχὴν quasi & αὐτονομαστικῶς, utque ostenderet se Primam, non quidem ordine, sed dignitate inter omnes Imperij Romani fuisse Provincias. Est enim totus ille Narbonensis Ager pars totius Franciæ præstantissima. Paucis Plinius lib. III. cap. IV, *Agrorum cultu; Virorum Morumque dignatione, amplitudine opum nulli Provinciarum post ferenda, breviterque Italia verius, quam Provincia*. *Provincia* sane, de qua mihi sermo, præter Segetes, Fructus profert, non solicita cultura, nobilissimos. Vvarum Passarum Ficuumque tanta hic Copia, ut potiori Europæ sufficiat. Ros-Marinus, Myrtus, Iuniperi Baccæ, aliaque id genus larga hic manu ab Natura proveniunt. Castaneæ nusquam majores. Mala Citria, Cydonia, Granata; item Crocus, Oryza, similiaque pleno ibidem cornu funduntur. Vites generosissima dant Vina. Solum denique passim gratum, ferax, benignum: Cœlum mire, clemens, & valde purgatum. Conjacet *Provincia* ad Septemtrionem Delphinatus, Montium interpositu Velæorum, qui vulgo *Velaye*, intercursuque magnam partem Druentij Fluminis; Orientale ejus Latus claudunt & Alpes, & Varus Fluvius, cujus sinistræ Ripæ adsidet Nicæa, Italiæ hic principium; qua Meridies est, ab Gallico pulsatur Mari; Occidentalis illi Limes partim Arausiorum Principatus & Avenionensis vel Venissæ Comitatus, hujus quomdam Partes. Francorumque Ditionis, nunc autem aliorum Principum; partim Rodanus, integer, Lugduno Arelatem usque, ad Languedokij Parlamenti Iurisdictiones, ut antea dixi, spectans.

PROVINCIA, *La Provence*.

unde dicta.

Qualitas.

Fines.

nius & Sidonius. Ejus operis hodie nullum exstat Vestigium, sive Vetustas consumserit, seu diruerint Gothi, alijque Barbari. De *Capitolio Narbonensi*, id est Palatio, videndus Gregorius Turonensis lib. de Mirac. I. cap. XCII. *Lacuum* appellatione Ausonius, *Stagnorum* Sidonius exaudiunt *Rubresium*, de quo præter alios eleganter Pomponius Mela lib. II. cap. V: Hodie *L'Estang de la Rubine*. De eo obiter cap. X. Per *Flumen* intelligit Sidonius *Atacem*, de quo Plinius lib. III. cap. IV. Strabo lib. V, Sidonius lib. VIII. cap. IV. lib. IX. cap. XVI, & alibi. Vibius: *Atax è Pyrenæo, circa Narbonam decurrit in Tyrrhenum. Atacis* cum alijs Fluminibus meminit Theodulphus Episcopus Aurelianensis, qui in Scrinijs adhuc Petri Danielis, Poëmate contra Iudæos iniquos:

Lacus vel Stagnum, Rubresium;

Flumen, Atax.

Præfectura mihi fuerat peragenda tributa,
Rex dedit hanc Karolus, primus ad omne bonum.
Cui parent Walis, Rodanus, Mosa, Renus & Oenus,
Sequana, Visurgis, Warda, Garumna, Padus,
Rusa, Mosella, Liger, Vulturnus, Matrona, Ledus,
Ister, Atax, Gabarus, Olitis, Albis, Arar.

Ab *Atace*, *Atacini* Populi & *Varro Atacinus*, ut alias dixi. *Narbo* Straboni lib. IV, μέγιστον ἐμπορεῖον. *Narbone* Grammaticam docuit Marcellus Marcelli F. de quo Libro Professorum Ausonius, cap. XIX. *Narbonam* Vrbem celebrat Benjaminus in Itinerario, Legis (*Iudaicam* intelligit) Antesignanam. Ex ea enim proficisci Legem in omnes Regiones: ibi Sapientes esse & magnos & suspiciendos; in primis *Kalonymon*, Theodori Filium, ex Semine Dauid, recta Genealogia. Prædia & Fundos habentem à Principibus Regionis, nullius hominis vim aut impetum metuentia.

Episcopales Languedocy Vrbes:

Hæc de vrbibus Archiepiscopalibus: Episcopales in duplici sunt mihi discrimine. Inter eas enim quædam, quæ Metropoles sunt, & quasi Capita nobilissimorum quorundam hujus Provinciæ Pagorum. Sic appello Suburbicarios Agros, fusioresque quorundam Opidorum Iurisdictiones: quales sunt *Gabali*, *Albigenses*, *Velauni Consaranni* & *Albenses*. *Gabali*, hodie *Givauldan*. Eorum Metropolis *Mimates Vicus* Antiquioribus, vulgo *Mende de Givauldan*: Reginoni *Mitanensis in Territorio Cavallitano*, corrupte: *Mimatensis Montis* Galliæ circa Gaballitanam Vrbem, cujus Episcopus erat S. Privatus, meminit Gregorius Turonensis, apud quem etiam legitur *Memmatensis*. *Albigenses*, nunc *Albigeois*: Vrbs *Albiga* Gregorio Turonensi lib. II. *Albi* vernacule. *Velauni*, *Velai*. Eorum Civitas quibusdam *Anicium*, *Le Pui en Velai*, id est, *Podium in Velauno*, quia Vrbs est in editissimo loco, qui Gallorum lingua *Pui*, id est *Podium* dicitur. *Consarannorum*, *Coserans*, Civitas *S. Legier de Coserans*: opidum antiquitate non incelebre. *Albenses*, *Vivarais*. *Civitas Albensium, nunc Vivario*. Sic scribitur in melioribus Notitiæ Provinciarum Codicibus: Vitiose in Vulgatis, *Civitas Albensium, hoc est Belsio*. *Vivario* Opidum est ad ripam Rodani dextram, vulgo *Viviers*. Ait autem recte Notitia, *Nunc Vivario*. Civitas enim & Metropolis *Albensium* olim erat *Alba*; quæ Plinio *Helviorum* cognominatur, Ptolemæo autem *Augusta*. Legitur enim apud eum Αὐγοῦστα Ἐλουικίων: vocat *Helvecios*, quos Latini *Helvios*. *Alba* autem illa hodie *Aubenas* dicitur; Opidum in Vivariensi Diœcesi, quinque minimum leucis ab *Viverione* versus Occidentem situm, quatuor ab Vcetensium Civitate, cum qua communem habet Amnem. *Aubenas* autem est nomen Pluralis numeri *Albanates*: ut ab *Tolosa Tolosates*, ab *Nola Nolates* in Veteri Inscriptione.

Mimates Vicus, hodie Mende, Metropolis Gabalorum, Givauldan;

Albiga. Albi, Albigensium, Albigeois primaria;

Anicium, Pui en Velai, Velaunorum, Velai caput;

S. Legier Consarannorum, Coserans, Vrbs Princeps;

Vivario, Viviers, Albensium, Vivarais caput, quod olim Alba Helviorum;

Reliquæ Episcopales;

Tantum de Episcopalibus, quæ Suburbicariorum Agrorum, latiorumque quarumdam Iurisdictionum sunt Metropoles: reliquum est, ut ceteras explicem: in quis recensendis si non legitimum servem ordinem, vel si ejusdem cum indicatis iam naturæ ad earum non referam classem, ignoscant velim Lectores, præsertim Incolæ. Non enim omnia penitissime licuit novisse.

Nismes, olim Nemausus;

Vnde dicta.

Qualis antiquitus;

Nismes, *Nemausus Volcarum Arecomicorum* Plinio lib. III. cap. IV, Ausonio libro de Vrbibus Carmine XIII, Pomponio Melæ lib. II. cap. V. Sidonio lib. II, Epist. IX. Itinerario Antonini: Νέμαυσος Straboni lib. IV, & Ptolemæo. Numismati vetustissimo COL. NEM. ARECOMICORVM. In Itineraria Peutingeri Tabula *Nemuso* scribitur, corruptius. Νέμαυσος, inquit Stephanus, πόλις Γαλλίας, ἀπὸ Νεμαύσου Ἡρακλείδου, ὡς Παρθένιος. Qualis fuerit florente Romanorum Imperio, notat eleganter Strabo; cujus ea de re pauca verba non possum non adscribere: Μητρόπολις δὲ τῶν Ἀρηκο-

Ἀρεκομισκῶν ἐστι Νέμαυσος, κατὰ μὲν τὸν ἀλλότριον ὄχλον καὶ τὸν ἐμπορικὸν, πολὺ Ναρβῶνος λειπομένη, κατὰ δὲ τὸν πολιτικὸν ὑπερβάλλουσα. ὑπηκόους γὰρ ἔχει κώμας τέτταρας καὶ εἴκοσι τῶν ὁμοεθνῶν, εὐανδρίᾳ διαφερούσας, συντελούσας εἰς αὐτὴν, ἐχούσας καὶ τὸ καλούμενον Λάτιον, ὥστε τοὺς ἀξιωθέντας ἀγορανομίας καὶ ταμιείας ἐν Νεμαύσῳ Ῥωμαίους ὑπάρχειν. Διὰ δὲ τοῦτο οὐδ᾽ ὑπὸ τοῖς προστάγμασι τῶν ἐκ τῆς Ῥώμης στρατηγῶν ἐστι τὸ ἔθνος τοῦτο. Ἵδρυται δ᾽ ἡ πόλις κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἐκ τῆς Ἰβηρίας εἰς τὴν Ἰταλίαν, θέρους μὲν εὔβατον οὖσαν, χειμῶνος δὲ καὶ ἔαρος πηλώδη καὶ ποταμόκλυστον. In Opidorum, quæ Nemausiensibus adtributa, numero, Plinio convenit cum Strabone. Ejus verba lib. III. nat. hist. cap. IV sic habent: *Vocontiorum Civitatis Fœderata duo Capita, Vasco & Lucus Augusti: Opida vero ignobilia XIX; sicut XXIV Nemausiensibus adtributa. Decurionum Nemausi* mentio in Antiqua Inscriptione, quæ ibi visitur:

Decuriones Nemausi.

DIS. MANIBVS

....

FIRMI. LVCANI

IIIIII. VIRI. AVG

ORNAMENTIS. DE

CVRIONVM. NEMAVSI

HONORATO

Miram undique redolet cum in veteri Muro, qui testatur multo, quam hodie, ampliorem fuisse, tum in alijs, Antiquitatem. *Amphitheatrum* ibi conspicitur, exteriore parte non minus integrum, quam quod Veronæ. Ante Amphitheatrum *Campus Martius* fuisse perhibetur, qui, ut Romanus, Aedificiis jam oppletus, & in alios tractus est usus. Aedificium, quod vulgo *Le Cap dueil*, *Capitolium* (sic enim nomen illud corruptum) vel *Basilica* fuisse fertur, ab Imperatore Hadriano exstructa in gratiam & honorem, ut legere est apud Spartianum, Conjugis Plotinæ. Forma est ἑτερομήκης, quadrata quidem, sed quæ in longitudinem nonnihil vergit. Latera X. Columnis fulciuntur: Frons VI; pars Fronti adversa totidem. Tectum ex magnis compositum est Lapidibus; Deambulationibus adcommodatum. Templum, Fonti propinquum, integrum adhuc est, forma quadrata. Duos habent latera columnarum Ordines, artis absolutæ. Visuntur adhuc ibi Aquilæ. Romani quomdam Imperij notæ & insignia, sed quæ Capitibus truncatæ. Id factum volunt ab Gothis, ut Romanum Imperium Corpus esse capite minutum, quum Imperatorum caderent vires, ostenderent. Ad mœnia Veteris Opidi annosa est Structura in Colle, qui Fonti vicinus vulgo *Tourremagne* vocatur, id est, ut quidam putant, *Turris Romana* vel *Turris Magna*. Lapidibus constat exiguis, ijsque quadratis. Videre ibidem est & perantiquas aliquot Statuas, & nonnulla melioris notæ Variorum Epitaphia: Columnam item ad Portam, cui ab Corona nomen. Imperatorum Domitiani, & Antonini Pij Philosophi, aliorumque claret Natalibus. Qui vulgo *Fons* Incolis appellatur, sed qui *Lacus* potius, quam *Fons*, dubitatur an sit, quem celebrat Ausonius Carmine, quod indicavi. Qui penitius inspexerunt, suspicantur alium fuisse, qui ex proximis Collibus in Vrbem ducebatur; sed cui acciderit, quod Divonæ Burdigalensi, id est perijsse. Incolæ *Nemausenses* nominantur. De ijs Lapis mutilus:

Antiquitates. Amphitheatrum. Campus Martius. Capitolium. Templum. Turris Romana. Statuæ. Epitaphia. Columna. Fons. Incolæ Nemausenses.

IIIIII. VIR ....

CORPORATI. NEMAVSENSES

PATRONO

EX. POSTVLATIONE. POPVLI

L. D. D. D.

Leguntur etiam *Nemausenses* apud Suetonium cap. XIII. Tiberij Principis Statuas & Imagines subvertisse; ubi tamen plerique Codices *Nemausenses* habent: Membranæ pleræque *Remansenses*: Vaticanus Liber, *Remansisses*. Exstat Libellus de *Antiquitatibus Nemausensibus* Ioannis Poldi. Tribus Nemauso milliaribus, *Pons* est, qui vulgo

Pons mirabilis.

vulgo

vulgo *Du Gard.* Nomen hoc illi ab Fluvio *Guardone*: quem, Francorum Veterum enunciatione (de qua Agathias) *Wardonem* appellant Sidonius lib. II. Epist: x. Theodulphus Aurelianensis duobus locis, Fulbertus in Historia MS. Egidij & Petrus Aquil. lib. VIII. cap. XVIII. Pons triplici serie fornicatus est, stupenda sane in-

Aquæ ductus.

dustria: Prima Hominibus Iumentisque præbet transitum, altera Aquæductum sustinet. Inter *Fanum S. Privati* & *Rimolinum* Vestigia monstrantur *Aquæductus*, quo Romani Aquam in Nemausensium Opidum ducebant. *Vsetz*, *Vcetensium Civitas*:

Vsetz, *Vtica*,

nonnullis Latine scribentibus *Vtica*. *Vticensis* Galliæ *Episcopi* meminit Aurelianum Concilium v. Opidum quod in Ducatus honorem, ad *Wardones* confluentes. Alter enim Occidentalior *Gardo* cognominatur *d'Alaix*; Orientalior autem *d'Anduze*, ab opidis, quæ singulorum Ripis adsident. *VVardo*, ut jam monui, dicitur Theodulpho

Lodeus, *Luteva*,

Aurelianensi Episcopo, & alijs. *Lodeus*, vel, ut alij, *Lodesve*, *Luteva*; Notitiæ Provinciarum Galliæ *Castrum Luteva*, in Viennensi Secunda. *S. Pont de Tomieres*, *Fanum S.*

S. Pont de Tomieres, *Alet*, *Aletum*; *Mompelier*, *Mons Pessulanus*,

Pontij Tomeriarum. *Alet*, *Aletensis Civitas*; *Alezium* quibusdam Latine scribentibus, Opidum Vicecomitatus titulo insignitum. *Mompelier*, Latine nominantibus *Mons Pessulanus*: *Mons Puellarum*, *Puellerius*, item *Pisciculanus* ab nonnullis dicitur, ut notat Cœnalis. *Mons Tremulus* vocatur à Benjamino Tudelensi; apud quem insigne est hujus Vrbis Elogium. *Substantionem* nuncupatam scribit Blondus I. Decadis lib. x. Videat ille, qua fretus auctoritate. Male quibusdam *Agatha* vel *Agathopolis*, quæ ho-

ejusque Situs. Territorium.

die *Agde*. Situm est Colliculo, decem leucis ab Mari Mediterraneo. Aer ibi placidissimus & saluberrimus. Vrbe nihil amœnius, Civibus nihil humanius; Territo-

Academia.

rio nihil fertilius, Simpliciumque feracius: quæ res Medicos præcipue invitavit, ut Sedem ibi figerent, atque Medicinam cum laude docerent. *Academiam* enim Vrbs habet, quæ instituta memoratur circa annum CIↃ CXCVI; vel saltem quo tempore, Saracenis Hispania pulsis. Medicina cum Discipulis Arabum, Avicennæ, Averrois, & aliorum, huc migravit. Rectoris ibi tanta est auctoritas; ut Studiosi quacumque etiam de caussa egredientem comitari honoris gratia cogantur, quod se non sine maximo Studiorum suorum, multarumque Horarum jactura nimis frequenter fe-

Collegia:

cisse, conqueritur Rebuffus. Collegia sunt ibi varia, inter quæ amplissimum est, *Papa* cognominatum. quod ab Vrbano Pontifice fundatum, & copiosissimis ornatum est Reditibus. Nec minus elegans est *Regium*, ab Henrico II Galliarum Rege erectum.

Besiers olim *Bitera Septimanorum*,

Tertium est, quod vulgo *Du Vergier*; optimæ spei Adulescentibus Studiorum Victusque necessaria in decennium præbens. *Besiers*, *Bitiera*, aut *Bitera Septimanorum in Arecomicis*: Βαιτίραι, Ptolemæo; Βαιταῤῥῆς, Stephano, *Bliterra*. Plinio lib. III. cap. IV: Βιλτίεγα. Straboni lib. IV; *Beterra*, Pomponio Melæ lib. II. cap. V, & Antonino, cui & *Peterna*; *Beterris*, Tabulæ Peutingeri Itinerariæ in Auferendi casu; *Biterra* Itinerario Burdigalensi, & Vsuardo XI. Kalend. Aprilis. Hinc *Biterrenses* Sidonio lib. VIII. Epist. IV; qui *Biterienses* in Notitia Provinciarum, in Viennensi Secunda. בידרש, id est *Bidrasch* vi-

Agde, quondam Ἀγαθὴ,

tiosius Benjamino in Itinerario. Opidum pervetustum, multis agitatum calamitatibus, cum ab Gothis, tum ab ipsis Francorum Regibus. *Agde*, Ἀγαθὴ τύχη Timosthe-ni ἐν τῷ σταδιασμῷ apud Stephanum: Ἀγάθη, Straboni & Ptolemæo: *Agatha*, Plinio. Opidum ab Massiliensibus Græcis conditum in Volcis Arecomicis: unde & Strabo-

Carcassone, *Carcasso*,

ni Κτίσμα Μασσαλιωτῶν. *Carcassone*, *Carcasso Volcarum Tectosagum*: Καρκασὼ, Ptolemæo: *Carcassum*, Plinio: *Carcasio*, Procopio: *Carcassio*, Itinerariæ Peutingeri Tabulæ. Secundum inter tres Languedokij Seneschallias locum obtinet: *La Senechaussée de Carcassone*. *Ca-*

Castres, *Cessero*

stres, *opidum Castrense*: *Cessero*, Plinio; Κεσσερὼ, Ptolemæo: *Cetero*, *Casero* & *Tesero* corrupte apud Antoninum. Scaligero tamen apud Plinium legitur *Cestero*, ut illud sit Provinciæ opidum, quod hodie *Cisteron*. *Pamies*, *Apamea*, de qua post; *Mirepoix*, *Mirapicense opidum*. *S. Papol*, *Fanum S. Papuli*: *La Vaur*, *Vaurense*: *Rieus Rivi*, *Rivense Monasterium*. *Lombes*, *Lambariense Monasterium*: postea erecta in Episcopatus, suffraganeos Tolosano.

& alia Opida Languedokij minora.

Et hæc de Maiorum gentium tam Episcopalibus, quam Archiepiscopalibus *Languedoky* Vrbibus: Minorum gentium appello reliqua opida, inter quæ: *Belloquadra*, *Beaucaire*; tertium nacta locum inter tres *Languedoky* Seneschallias, *La Seneschaussée de Beaucaire*, *Aiguesmortes*, *Aqua Mortua*; quæ falso quibusdam creduntur *Fossæ Marianæ*, de quibus in Provincia. *Piseaux*; *Pezenas*, *Piscena*, Plinio; *S. Gillis*, *Burgum S. Aegidij*, ניל נירקד סל Beniamino in Itinerario. *Chasteau-garry*; *Lusignen*; *Montaignac*; *Millant*, *Montillac*, & alia.

Latara

Latara Castellum Pomponio est in Gallia Narbonensi: Ioanni Poldo *Lates* est. *Laterra* quoque *Stagnum* Plinio in Agro Nemausiensi: de quo alij alia adferunt. De utroque sic Karolus Clusius, oculatus testis, suis ad Abrahamum Ortelium litteris: *Recte Poldus. Nam* Lates *etiamnum vocatur hoc Castellum cum Vico adjacente: Vicinum Stagno Volcarum, qua Ledum flumen in Stagnum labitur. Id Stagnum aliquot milliaria* (sedecim memini me numerare ab Ortu in Occasum) *in longitudinem porrigitur, cui aliquot Vici & Opidula adjacent* (ad Septemtrionalius præcipue latus) *Nonnullis locis* Estang, *& ubi altius vadum habet*, Estau *ab Indigenis appellatur: qui Pisces in altiore Stagni gurgite captos præferunt aliis, quod cœnum adeo non resipiant. Littus Maris, quod Incolæ* Playe de la Mar *dicunt, Stagnum à Mari sejungit: Aqua tamen marina Fluxum quibusdam in locis in Stagnum præbet: & haud dubie id Stagnum tutiorem à Piratarum atque Hostium incursionibus eam Galliæ Narbonensis oram reddit.* Designat, *Volcarum Stagna* nominans, Pomponius Mela. *Fauces Laterræ Stagni* apud Plinium lib. IX. nat. hist. cap. VIII., ubi scilicet cum Mari communicatur: Nemausiensibus hodie *La Crau pres de Mangueil*, ut notat Dalechampius.

Latara Vicus, Castellum. Stagnum, hodie Lates.

Languedokio ante paucos annos adtributus est *Ducatus Fuxensis*, *La Duché de Foix*; quum antea Guiennæ censeretur. Ad Orientem illi ipsum Languedokium: ad Occidentem Convenarum Ager; qua Septemtrio est, Territorium spectat Ripense, vulgo *de la Riviere*; Meridionale Latus Montes claudunt Pyrenæi; qui Ducatum hunc reddunt ut horridiorem, sic Ferri Carbonumque feraciorem.

Ducatus Fuxensis, Duché de Foix;

Nomen illi ab opido *Fuxio*, quod Antiquitatis laude clarum. Continet unum Episcopatum, *Apamiensem*. Opidum vulgo *Pamies*, Latine scribentibus *Apamia* & *Pamia*; ad confluentes Amnium, qui vulgo *Lers* & *Lagiere*. Ab hoc opido dici videtur *Epaunense Concilium*, habitum sub Gelasio I Papa, & Sigismundo Rege. Episcopi enim, qui illi interfuerunt, omnes hujus sunt Tractus. *Empanensis* etiam Synodus XV citatur in Decretorum I Distinct. 16. *Eupanense* Decret. II Caussa II. fortean ab hoc eodem opido. Sunt & alia opida, *Saverdunum* & *Masera*, Comitum Domicilia. Errare graviter, qui Sedem hic collocant *Elusatium*, dicam Capite sequente.

in quo Episcopatus Apamiensis.

CAP. XXXVIII.

Vasconia.

QUÆ Veteris Aquitaniæ Narbonensisque Provinciæ hodie sint sub Parlamentis & Burdigalensi & Tolosano, integre, ex Superioribus didicimus: superest *Vasconia*, quæ utrisque paret mistim. Partes enim ejus quædam sunt sub Burdigalensi, quædam sub Tolosano.

VASCONIA proprie nunc temporis est, quidquid continetur intra Garumnam, Pyrenæos Montes, Oceanumque & Guiennam hodiernam, vel Aquitaniam Ludovici XI. Dicta est *Vasconia* ab *Vasconibus*, ferocissimis Pyrenæorum Populis: quos devictos primum à Pipino, deinde ab Ludovico Karoli Magni Filio (qui postea dictus fuit *Pius*) Rege Aquitaniæ in plana Novempopulaniæ deductos, postea nomen huic Regioni dedisse certum est & indubitatum. Fuerunt enim *Vascones* (ut lib. II. capitibus XI. & XIII. docui) pars Cantabrorum, quos etiam hodieque Hispani *Vascuença* vocant. Itaque, quum prius hæc Regio ab Cæsare *Aquitania*, postea *Novempopulania* audiret; ea ab *Vasconibus* devictis, inque eam à Pyrenæorum Saltibus demissis, *Vasconia* fuit appellata. Est autem tertia pars Aquitaniæ Augusteæ. Nam ab Augusto *Aquitania* triplex fuit instituta: Prima, cujus Caput *Avaricum* erat *Biturigum Cuborum*; *Bourges*: Secunda, cujus Metropolis erat *Burdigala*, *Biturigum Vibiscorum*; Tertia tota Trans-Garumnana, in qua principem tenebat locum *Augusta Ausciorum*, vel *Auchs*: quæ Provincia, ut jam dictum est, ab Augusti temporibus ad Pipinum usque nominata fuit *Novempopulania*: inde ad hunc usque diem *Vasconia*. Petrus Arvernus Cluniacensis Epist. I: *Migravit tamen, sicut audivi, ad Loca satis vobis contigua & à Septimania vestra, vobis persequentibus expulsa in Provincia Novempopulana (quæ vulgo* Gasconia *vocatur) & in partibus ei adjacentibus sibi foveas præparavit. Novempopulania* ab *Novem Populis*, quos alij alios numerant, & nominant: Scaliger

VASCONIA, Gascogne. Ejus Fines. Unde dicta;

Tertia Pars Aquitaniæ Augusteæ.

quæ & Novem-populania.

sic dicta ab Novem Populis.

Scaliger autem suis ad me litteris, hos: *Convenas*, *Consarannos*, *Bigerrones*, *Lactoratenses*, *Vasates*, *Eloronenses*, *Lascarienses*, *Tarbellos*, & *Atyrenses*: quorum *Convenæ*, *Bigerrones* & *Lactoratenses* sunt in hodierna *Vasconia*; *Consarannis* in *Languedokio*; *Vasates*, *Tarbelli* & *Atyrenses* in *Guienna Ludovici* XI; *Eloronenses* denique & *Lascarienses* in *Benearnia* Principatu: adeo ut *Vasconia* major olim, quam nunc, fuerit; quum comprehenderet etiam *Guiennam Ludovici* XI & nonnullam *Languedokij* portionem: quum tamen ante Ludovicum XI *Guienna* major esset *Vasconia*; & *Guienna* totum quasi esset, *Vasconia* autem Pars.

Despectum Hominum in Vasconia genus. Stupendum, quod referam. Est in plerisque *Vasconiæ* locis, præcipue apud *Bigerrones* & *Benearnenses*, hominum genus, qui nunc *Capots*: nunc, variante Dialecto, *Gabets* appellantur. Detestandi sunt Suis; eorumque Commercia fugiuntur. Habentur pro Lepra infectis. Quasi essent, vel quod sint interdictæ iis Civitates & opida, incolere coguntur Suburbia, Locaque semotiora. Adsignatæ sunt & iis suæ in Templis Stationes. Creduntur alios inficere. Plerique Fabri sunt Lignarij & Vietores: aliisque Artibus Mechanicis dediti; Laboris patientissimi. In Facie & Actionibus illorum quiddam paret, quod eos contemtui detestationique reddit obnoxios. Femininus Sexus liberali satis forma. Omnium Halitus & Os grave olet, unde ingrati quid odoris manat in constantes & conloquentes. Quidquid sit, Maledictionis perhibetur genus, quod ab Majoribus in Posteros manifestissimis indiciis dirivatur. Pauperiores semper in diem vivunt, diurno labore: Servorum censentur loco, ne ausi quidem mutire, si quid injuriæ inferatur vel ab Vilissimo. Si quis eorum forte ditior, liberi tamen non fiunt heredes, nisi Mobilium, quæ omnes tamquam certam luem aversantur.

Veteres Incolæ: Cantabri, Veteres *Vasconiæ*, ut quidem ea hodie est; & nos eam accipimus, Incolæ fuerunt Varij: *Cantabri*, *Vascones*, *Ansis*, *Tarusates*, *Lactorates*, *Bigerrones*, *Nitiobriges*, *Convenæ*; *Elusates*, *Garites*, *Cocosates*, & proculdubio plures. *Cantabri*, de quibus lib. II. cap. XI. quatenus ad Galliam pertinent, Cis-Pyrenæi fuerunt, ubi nunc *Le Païs de* Vascones, *Basques*: Nomen corruptum ex *Vasconibus* Hispaniæ Populis, qui Pyrenæos traducti, Sedibus inter Gallos fixis, *Gascons* hodieque nominantur: nisi quis malit *Hispaniæ Vascones*, quorum memini eodem libro Capite XIII, seminis esse Gallici, de quo non magnopere contenderim. De *Vasconibus Galliæ* Iuvenalis hæc plerique accipienda censent, Satyra XV:

ultimus autem
Qui stetit absumto jam toto corpore ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones (fama est) alimentis talibus usi

Produxere

Produxere Animas: sed res diversa, sed illic
Fortunæ invidia est, Bellorumque ultima, casus
Extremi, longæ dira obsidionis egestas.

Ausci Plinio lib. IV, cap. XIX, Populos Aquitaniæ supra XIIX numeranti, & Melæ Ausci.
lib. III. cap. II: Ptolemæo Αὔσκιοι, cui ipsorum Urbs Αὐγοῦστα, hodie *Auch*, de qua suo loco. *Ausci* Itinerariæ Tabulæ: *Auscenses* Sidonio lib. VII. Epist. VI. *Novempopulis*, de quibus paulo ante, ab nonnullis concenseri soliti. *Novempopulos*, inquit Ammianus, *Ausci commendant*. Sic Ausonius in Professoribus, de Staphylio Cive Auscio:

Te Staphyli genitum stirpe Novempopulis.

Civitas Ausciorum Notitiæ Provinciarum in Aquitania Tertia Novempopulania vel Octava Viennensi, Hodie *L'Archevesché d'Auch*. unde *Auscensis Archiepiscopus*. Imperite facit Vulgus Ecclesiasticum, cui *Auxitanus* vocatur; & ineptos se probant, qui *Augustæ Auscorum* Incolas nuncupant *Auxitanos*. Veterum *Auscorum* Tractus hodie *Armaignac* fere appellatur. *Tarusates* Cæsaris extremo libro III. de Bello Gallico, putant quidam esse nunc temporis *Tursa* Urbis Incolas in Auscitana Provincia. Tarusates.
Lactorates nominantur in Itineraria Tabula: *Lactura* vel *Lactoratium Civitatem* Lactorates.
habet eadem Notitia in Aquitania III Novempopulania, vel Octava Viennensi: Hodie *L'Evesché de Lactoure*. *Lactoratesium Civitatis* meminit Inscriptio, quæ in eadem Urbe exstat:

PRO. SALVTE. IMP. M. ANTON. GORDIANI
PII. FEL. AVG. ET. SABINÆ. TRANQVILLINÆ
AVG. TOTIVSQVE. DOMVS. DIVINÆ. PROQVE
STATV. CIVITATIS. LACTORATEN. TAVROPOLIVM
FECIT. ORDO. LACT. DOMINO. NOSTRO. GORDIANO
AVG. II. ET. POMPEIANO. COSS. VI. ID
DEC. CVRANTIB. M. EROTIO. FESTO
ET. M. HILARINIO. CARO. SACERD. TRAIANIO
NVNDINIO

Bigerrones apud Cæsarem sunt, qui *Bigerri* Plinio lib. IV. cap. XIX, & Pontio Paullino ad Ausonium scribenti Epistola I. vers. CXLIII, eosque *Pellitos* indigetanti, quod ob intentum iis in locis frigus *Pellibus* ovium, Caprarum, aliarumque Bestiarum se, ut hodieque, tegerent. *Bigerritani* nominantur Ausonio. Hinc *Bigerricus Ager*, Sidonio libro VIII. Epist. XII; & *Bigerritana Patria*, Ausonio Epist. XIIII. ad Paullinum. *Civitas Tarba*, *ubi Castrum Bogorra*, in Notitia Provinciarum: hodie, *L'Evesché de Tarbe de Bigorre*; *La Comté de Bigorre*. De *Tarba Bigerronum* alibi. *Nitiobriges* apud Cæsarem lib. VII non uno loco: hodie *Le Pais & Seneschaucée d'Agenois*. In Plinio male excusum, *Antobroges Tarnecamne discreti à Tolosanis*: Legendum enim, *Nitiobriges Tarne Amne* &c. Vide Scaligerum in Auson. *Nitiobroges* in Itineraria Peutingeri Tabula procul ponuntur ab suis Sedibus XV. Long. IV. Lat. prope Augustobanam Tricassium; quum scribere oportuisset V. Long. VII. Lat. supra Aginnum. Distinctionem, qua in eadem Tabula, docendi commodiusque quid & certiore digito indicandi gratia, utor, aperio in Epistola ad Lectorem. *Nitiobrigum* Civitas *Aginnum*, de qua postea. Ridenda scribit ad me Iosephus Scaliger, quæ hactenus omnes de his delirarunt; quorum alij (sunt illi Marlianus & Poldus) *Mompelier*, eiusq; Territorium esse dicunt; qui locus sex dierum itinere distat ab Nitiobrigibus: alij *Engoulesme* somniant: alij jubent pro *Aginno* legendum esse *Agesinates*: *Et*, inquit Vir Magnus, *quo non processit audax inscitia? Nitiobrigum* Rex nominatur in Ephemeridibus Belli Gallici lib. VII. *Theutomatus*, cujus Pater ab S. P. Q. R. Amicus fuerat appellatus. Qui *Convenæ* Plinio lib. III. cap. IV. & Sidonio lib. VII. Epist. VI; in Ptolemæi libris vitiose dicuntur Κωνουενοί: Legendum enim Κονουενοί. Eleganter Strabo lib. IV. τὴν τῶν Κονουένων, ὅπερ ἐστὶ Συγκλύδων. Sic enim emendat eruditissimus Casaubonus. Explicat Strabo quid Latinorum *Convenæ* sint Græcis; Συγκλύδες scilicet ἄνθρωποι. Exturbati sunt hi *Convenæ* ex Doctissimo illo Glossario, impuris Magistellulorum manibus non ferendo. Scribitur enim, Σύγκλυδες .... Reponendi *Convenæ*. *Civitas Convenas* in Notitia, *L'Evesché de Cominges*. Metropolis *Lugdunum* Convenæ.
Convenarum, de quo infra. *Elusates*, ut Plinio & Claudiano vocantur, apud Cæsarem Elusates.
sub finem

sub finem lib. III. corrupte in quibusdam Codicibus *Flussates* & *Flustates* scribuntur: *Elusani* Sidonio sunt lib. VII. Epist. VI: *Elusatium* (mendose in quibusdam Libris *Ellosatium*) *Civitas* in Provinciarum Libello, Aquitania III, *Le Pais d'Euse en Gascoigne*. De ipsa Vrbe *Elsa* vel *Eusa* paullo post. Qui *Flussates* legebant, ut scribit ad me Nobilissimus Vir Iosephus Scaliger, dicebant (in eorum numero video Cœnalem & Belleforestium) esse *Comitatum de Fuxio*; & hoc stupore suo persuaserunt illustri Viro nomen *de Foix* in *Flussatem* recudere; quo nihil absurdius. Aliud enim est *Franciscus de Flussa*; aliud, *Franciscus Flussas*. Nam *de Flussa* esset verum cognomen Familiæ; sed *Flussas* esset nomen Nationis. Itaque *Franciscus Flussas* esset *natione Flussas*, non *de Familia de Flussa*. Sed *Flussa* non est *Foix*. Nam id esset *Foxium*, aut aliud quidvis potius, quam *Fussa*.

Garites. *Garites*, quorum Cæsar meminit, haud procul *Nitiobrigibus* habitasse notat Orontius, quum eos in sua Galliæ Tabula locet in Agro, qui hodie *Aginnensium*. Certe *Garites* non iidem sunt cum *Aginnensibus*. *Garites* enim Cæsar ponit in sua Aquitania, ultra Garumnam: *Nitiobriges*, quorum Caput Aginnum, extra suam constituit Aquitaniam, cis Garumnam, in Celtica. Marlianus *Lactoratense opidum, Laictoure, Garitibus* adsignat.

Cocosates. Finiam antiquas huius Tractus Gentes in *Cocosatibus* Cæsaris; quos Plinius *Cocossates* vocat, *Sex-signanos* cognominans; qui quo loco fuerint, nondum didici.

Partes Vasconiæ. Et hæc de antiquis *Vasconiæ* nostræ Populis. Eiusdem porro, ut hodie considerari solet, Partes Garumnæ conjacent quædam ultra tantum Flumen, ut *Ager* cum *Armaniacensis*, tum *Bigerronum*, quædam confuse ultra citraque, ut *Aginnensis Seneschallia*, *Albreti Ducatus* & *Comitatus Convenarum*.

Armaniacensis Ager, Armaignac. *Armaniacensis* mihi dicitur, qui vulgo *Armaignac*, cuius Limites plurimum se extendunt. Latitudo eius ab opido Lactoratensium Nogerentium usque: Longitudo minor est, Magnaco ad Bigerrones usque. Sunt qui putant memoriam in eo servari Arecomicorum. Ego nihil hic volo adfirmare. Comitatus titulo est insignis. Continet duas Diœceses, *Auscensem* & *Lactoratensem*.

…ius Vrbes [illegible] *Auscensis* ab *Augusta Auscorum*, quæ totius *Novempopulaniæ* sive *Vasconiæ* Metropolis. Sic Ptolemæo dicitur Galliæ Aquitanicæ Vrbs, quæ vulgo nunc *Auch*: *Civitas Auscius* Veteri Itinerario à Burdigala Hierosolymas; *Auscensis Vrbs* Gregorio Turonensi lib. X. cap. XXII: *Auscium* & *Civitas Auscium* Martyrologio Romano Vsuardoque Kalend. Mai. Hinc *Episcopus Auscensis* Gregorio Turonensi lib. VIII, cap. XXII. Opidum est ad Gersum Fluvium, Rupi inædificatum, aditu difficile. Pulcherrimum ibi Templum, Deiparæ Virgini consecratum, structura fastuosum. Visuntur ibi multa Antiquitatum Monimenta. Partim Regem Franciæ, partim Civitatis Præsulem Dominos agnoscit.

& Lactora, Laictoure. *Lactoratensis* ab Opido, quod vulgo *Laictoure*: *Lactura* Antonino; *Lacerra* corruptius Itinerariæ Tabulæ: *Lactorum Civitatem* habet Goltzius ex Veteri Inscriptione in suo Thesauro, ut & *Lactorium* & *Lectorium*. In opido sane Lactoratensi duo Lapides leguntur, in uno propugnaculorum, his verbis concepti:

MATRI. DEVM
POMP. PHILVMENE
Q. PRIMA. LECTOR
TAVROBOLIVM
FECIT

Ibidem

PRO. SALVTE. IMP. ANTONINI. GORDIANI
PII. FEL. AVG. TOTIVSQVE. DOMVS. DIVINÆ
PROQVE. STATV. CIVIT. LACTOR. TAV
ROPOLIVM. FECIT. ORDO. LACT. D. N.
GORDIANO. II. ET. POMPEIANO. COS
VI. ID. DEC. CVRANTIB. M. EROTIO
ET. FESTO. CANINIO. SACERD

Qui putant *Lactoratium* vel *Lastoratium* dici in Notitia Provinciarum, falluntur. Sunt enim, ut cum Grammaticis loquar, Genitivi, quorum Recti *Lactorates*, vel *Lastorates*, si recta sit in hac voce scriptura. Opidum est in fastigio Montis, ubi multa Antiquitatis vestigia. Arcem habet, quam ab Romanis volunt factam. Sunt item

alia *Armaniacensis Diœcesis* Opida, inter quæ quod vulgo *L'Isle Iordain*, ubi Tribunal Senescalli. Fuit quidem parvus Comitatus, sed hodie vix memoria superest, ut mihi adfirmat V. N. Iosephus Scaliger. *Bigerrones* vel *Bigerri*, vulgo *Le Comté de Bigorre*, Regionem possident inter Benearnenses & Convenas, Cœlo Soloque asperam, ventosam, frigidam, Vini feracem: ad Pyrenæos Montes, quorum magna pars huic Comitatui est subjecta, ab Montibus, qui vernacule *d'Aure* nominantur usque ad Saltum Pyrenæum (vulgo *du Sault*) eosque qui *d'Aspe* dicuntur, Benearnensium Ditionis. *Bigerrones* elati scribuntur ingenij, Armis dediti, celeres ad aliquid adgrediundum, egregie simulantes, inhumani, asperi, ingratiores. Opidani urbaniores. Nobilitas, quæ hic frequens, animosa, humana, cultis moribus. *Civitas Tarba, ubi Castrum Begorra.* Sic vocatur in Notitia Provinciarum, si meliores consulantur Codices. Nam male excusum est, *Tursa* & *Turba*; vitiosissime etiam in aliis *Tursambica Travigorra.* Vulgo *Tarbe de Begorre*, aut *Bigorre*, ubi Sedes Episcopalis, quæ in hoc Comitatu unica, sub Metropoli Auscensi. Marlianus insanit, ut scribit ad me Ioseph. Scaliger, qui ait ibi hanc *Tursam* esse & *Castrum Begorram*, ubi est Episcopatus Bitteriensis Provinciæ Narbonensis; quæ sententia non est sobrij capitis. *Begorram Bigerronum* Civitatem habet Gregorius Turonensis. Olim vicus erat, ut monet Scaliger, unde & *Vicani Aquenses* dicti. Id patet ex egregia Inscriptione:

Bigerronum vel le Comté de Bigorre.

cujus Metropolis Tarba, vulgo Tarbe de Bigorre.

NVMINI. AVGVSTI
SACRVM
SECVNDVS. SEMBEDO
NIS. FIL. NOMINE
VICANORVM. AQVEN
SIVM. ET. SVO. POSVIT

In Finibus *Bigerronum* sunt Comitatus, qui vulgo *Gavre* & *Fstrac*. *Aginnensis Seneschallia*, vulgo *La Seneschaucee d'Agenois*, Sedes quondam *Nitiobrigum*. His ad Orientem confinales sunt Cadurci, ad Septemtrionem Petrocorij, qua parte *Aginnenses* excurrunt Bironium usque, Petrocoriorum Opidum: ad Occidentem Vascones occurrunt cum Garumna; à quo & ad Meridiem lambuntur. Continet duos Episcopatus, nempe citra Garumnam, *Aginnum Nitiobrigum*; ultra Garumnam, *Condomium*. *Aginnum*, vernacule *Agen.* Ἄγιννον Ptolemæo lib. II. cap. VII; *Aginnum* Ausonio Epist. XXIII, Antonino, & Itinerariæ Peutingeri Tabulæ; *Aginnum*, Bedæ in Martyrolog. v. Eid. Iunij, Adoni, & aliis; *Agennum* in Libro Provinciarum, apud Hieronymum item de Claris Scriptoribus, & Honorium, qui ejus Episcopum *Phœbadium* memorat: *Agenensis Vrbs* Gregorio Turonensi lib. I. cap. CV. de Mirac. *Agaunum* Bedæ, varianti in scriptura, Pridie Non. Oct. & *Agaunum* eidem XIII. Kal. Novembr. Sanissima Vocis Scriptura, *Aginnum*. Opidum venerandæ Antiquitatis, in Garumnæ ripa situm, duodeviginti ab Metropoli Burdigalensi leucis, totius Aquitaniæ ditissimum. Sedes Seneschalli, cujus Iurisdictio, excepto Pictaviensi, totius Aquitaniæ latissima. Ius inde petunt *Portus D. Mariæ*, *Villa Nova* (*Ville Neuue d'Agenois*, ad Lothum, quæ & specialiorem hujus Tractus partem constituit, Arcem habens) *Hautefuja*, *Clarracum*, *Marmanda*, *Fanum Magnæ Fidei* consecratum, *Fay la grande*, Clavis; & alia ad Garumnam opida. *Aginnum* vel eo nomine magnum, quod Magnus ille *Iosephus Scaliger* ejus primum Solo institerit, ejusque Aerem primum hauserit. *Condomium*, vulgo *La Seneschaucee de Condomois*. Hoc peculiari nomine vocari solet *Vasconia*. Quemadmodum enim *Africa* dicitur tota illa Magna Continens, quæ patet ab Nilo ad Gades, & tamen in ea erat Provincia, quæ peculiariter appellabatur *Africa*, in qua Karthago: ita *Vasconia* quidem nominatur amplissima illa Regio, quæ olim dicta fuit *Novempopulania*; sed stricte *Vasconia* quoque nuncupatur in ea *Episcopatus Condomiensis*. Itaque *Seneschallus Aginnensis* vocat se *Seneschallum Aginnensium & Vasconiæ*, id est, *Condomij*. Quæ appellatio vetus est. Nam temporibus Pipini *Pagus Aginnensis citra Garumnam* & *ultra Garumnam* dicebatur. Itaque sub Pipino in Vetustissimis Annalibus refertur, pluisse frumento in *Pago Aginnense ultra Garumnam*, id est in ea Regione, quæ proprie *Vasconia*, in qua *Condomium*: vulgo *Condom*; opidum amplum in Territorio sterili, undique fere Collibus, qui Vineis consiti, cinctum; extra Viam regiam situm, haud procul Baisa Fluvio.

Aginnensis Seneschallia, d'Agenois.

continens duos Episcopatus, Aginnum, vulgo Agen;

& Condomium, Condom.

vio. Sedem præbet non solum Episcopatui Novo, quem delibatum dixi supra de *Aginnensi*; verum etiam Seneschalliæ, jus dicenti Opidis, quæ Indigenis, *Valence ad Batsam, Lairac ad Garumnam, La-Romeo, Mon-Real*, & aliis. Familiæ sunt hic illustres non paucæ. Vicecomites novimus hic *Fesmacones*, *Gourdonos*, *Forcaos*, & *Monlucios*. *Ducatus Allebreti*, *La Duché d'Allebret*, nomen accepit amplissimum ab opidulo, quod vulgo *Allebret*, in Syrtibus Lapurdensibus, quas *Landas* vocant. Institutus est ante annos non multos, compositus ex mutilatione *Seneschalliarum Aginnensis*, *Armaniacensis*, & *Vasatensis*; adeo ut de eo dicere liceat, quod de Constantinopoli Hieronymus, eam nuditate omnium Civitatum constructam fuisse. Caput Ducatus est *Neracum*, opidum prædives. Avorum nostrorum memoria *Ioannes Alani F. Dynasta Allebretanus*, ducta Katharina Gastonis F. Navarræ Regnum cum ea Dotem accepit: hujus ex Filio *Henrico* Neptis fuit *Ioanna Allebretana*, Navarræ Regina, Mater Henrici IV, Christianissimi Franciæ Navarræque Regis. *Convenarum Comitatus*, *La Comté de Cominges*: Vulgo Latinorum *Comingia*. Huius Tractus Incolæ Primi Aquitanorum Christianæ Militiæ nomen dedisse scribuntur, multa indigna perpessi ab Christiani nominis Hostibus. Dividitur *Convenarum Ager* in Superiorem & Inferiorem, totusque Montibus attollitur. Gentis Caput *Lugdunum Convenarum*; Λούγδουνον Κουενῶν (legendum Κονουενῶν) Ptolemæo & Straboni lib. IV; *Lugdunum* simpliciter Antonino, in Itinere ab Aginno ad hoc opidum: quod quum per multos annos summopere floruisset, tandem ab irato Guntchramni Regis exercitu fuit dirutum, anno IↃLXXXIV, Indictione II: ex cujus reliquiis *Fanum S. Bertrandi*, ubi hodie Sedes est Episcopalis, in Valle Capraria fuit constructum. Vetustatem & Splendorem ejus Civitatis facile testantur Monimenta & Epigraphæ quamplurimæ, quæ ibi hodie exstant. Coluerunt inter alios Deos Lugdunenses Convenæ, aliique forte Conregionales, *Abellionem*: de quo quidam ibi Lapides, ut alibi vidimus, ubi de Diis Gallorum. Quid in Inscriptione, quæ Romæ legitur in ædibus Mellinorum ad Agonem, sit *Covena Aquitania*, alij videant. Ea sic habet:

Ducatus Allebreti, vulgo Allebret,

cujus Caput, Neracum:

Comitatus Convenarum, Comte de Cominges,

cuius Metropolis Lugdunum Convenarum, dirutum.

ex cuius reliquiis Fanum S. Bertrandi:

D. M.
VALERIÆ. IVSTINÆ
NATA CONVENA
AQVITANIA
VIXIT. ANNOS. XXI
IVN. VALERIANVS
MIL. COH. III. PR
7. FELICIS. CONI. B. M. F.

Elusatium Ager, Le pais d'Euse.

Vasconia priusquam egrediar, addam tria verba de *Elusatium Agro*, qui vulgo *Le Pais d'Euse en Gascoigne*. Ejus Metropolis *Elusa*. Sic dicitur Ammiano Marcellino lib. XV, & Itinerario, quod Burdigala ducit Hierosolymas; quæ Paullino Epistola ad Severum VI. *Eluso*. Ammiani verba, quod corruptiora, adscribam: *In Narbonensi Elusa, & Narbo, & Tolosa, & principatum urbium tenent: Viennensis Civitatum exsultat decore multarum: quibus potiores sunt Vienna ipsa & Arelate & Valentia, quibus Massilia jungitur.* Pro *Elusa* vulgati Codices habebant *Clusa*. Hinc *Elusana Plebs* apud Sulpitium Severum Historiæ Sacræ lib. II. Fuisse videtur olim Episcopatus. *Laban Elusensis Episcopus* nominatur Gregorio Turonensi lib. VIII. cap. XXII.

CAPVT

Cap. XXXIX.

Provincia.

PROVINCIAS Parlamentis subjectas Accessorijs, Parisiensque illud ad Occidentem Meridiemque quasi circumeuntibus, quanta fieri potuit industria perlustravi: sequuntur jamnunc Regiones, quæ reliquis parent Tribunalibus, Orientaliora ejusdem Parisiensis Latera velut claudentibus. Ea sunt *Aquense, Gratianopolitanum, Divionense*. *Aquensis* Iurisdictioni obtemperat *Provincia.*

Vnde & qua occasione PROVINCIÆ nomen inditum præstantissimo huic Galliarum Tractui, etiam ultra Rodanum ad Garumnam usque, petendum est ex Capite huius libri XVI; ubi omnia Romanorum contra Veteres Gallos Bella paucis commemorantur. *Narbonensis* enim *Gallia* ab Romanis in *Provinciæ* formam multis ante Christum natum annis redacta, hodieque illud impositæ quondam conditionis nomen mordicus in exigua sui portione, in qua *Massilia* & *Aquæ Sextiæ*, retinet, κατ' ἐξοχὴν quasi & αὐτονομαστικῶς, utque ostenderet se Primam, non quidem ordine, sed dignitate inter omnes Imperij Romani fuisse Provincias. Est enim totus ille Narbonensis Ager pars totius Franciæ præstantissima. Paucis Plinius lib. III. cap. IV, *Agrorum cultu; Virorum Morumque dignatione, amplitudine opum nulli Provinciarum post ferenda, breviterque Italia verius, quam Provincia.* *Provincia* sane, de qua mihi sermo, præter Segetes, Fructus profert, non solicita cultura, nobilissimos. Vvarum Passarum Ficuumque tanta hic Copia, ut potiori Europæ sufficiat. Ros-Marinus, Myrtus, Iuniperi Baccæ, aliaque id genus larga hic manu ab Natura proveniunt. Castaneæ nusquam majores. Mala Citria, Cydonia, Granata; item Crocus, Oryza, similiaque pleno ibidem cornu funduntur. Vites generosissima dant Vina. Solum denique passim gratum, ferax, benignum: Cœlum mite, clemens, & valde purgatum. Conjacet *Provincia* ad Septemtrionem Delphinatus, Montium interpositu Velæorum, qui vulgo *Velaye*, intercursuque magnam partem Druentij Fluminis; Orientale ejus Latus claudunt & Alpes, & Varus Fluvius, cujus sinistræ Ripæ adsidet Nicæa, Italiæ hic principium; qua Meridies est, ab Gallico pulsatur Mari: Occidentalis illi Limes partim Arausiorum Principatus & Avenionensis vel Venissæ Comitatus, hujus quomdam Partes. Francorumque Ditionis, nunc autem aliorum Principum; partim Rodanus, integer, Lugduno Arelatem usque, ad Languedokij Parlamenti Iurisdictiones, ut antea dixi, spectans.

PROVINCIA, & Provence.

unde dicta.

Qualitas.

Fines.

Veteres Incolæ.

Habitarunt hic olim *Salyi*, *Aquenses*, *Arelatenses*, *Sextani*, *Sentij*, *Ebroduntij*, *Dinienses*, *Vesdiantij*, *Sanicienses*, *Nerusij*, *Vencienses*, *Vulgientes*, *Aptenses*, *Resenses*, *Octavani*, *Commoni*, *Foro-Iulienses*, *Segestorij*, *Albici*, *Oxubij*, *Deciates*, & alij.

Salyes.

Salyios primo posui loco. *Sallyi* sunt Plinio; Σάλυες Straboni, Λίγυας olim, id est *Ligures* vocatos addenti, eorumque Regionem Λιγυστικήν: unde & Posteriores Κελτολίγυας, *Gallo-Ligures*, nominarunt, ut distinguerent ab *Liguribus* Italiæ Populis. *Ligures* enim Sedes suas habuerunt longe lateque in his Galliæ oris, etiam ultra Rodanum. Σάλικες dicuntur Ptolemæo: *Salvios* appellat Livius Epitome Libri LXI; *Salluvies* Fasti Triumphales & Ammianus Marcellinus. Olim, ubi nunc Archiepiscopatus *Aquensis*, quæ *Civitas Aquensium* in Notitia Provinciarum Galliæ, Viennensi III, & *Arelatensis*, quæ & *Civitas Arelatensium*; *Les Archeveschez d'Air & d'Arles*. Certe Domicilium ipsorum non obscure notat Strabo lib. IV, ubi scribit Sextium, redactis in potestatem *Salyibus*, non longe ab Massilia sui nominis ædificasse opidum; de quo postea. Et de *Salyibus* idem paullo post: Ἅμα δ' ἥ τε τῶν Σαλύων ὀρεινὴ πρὸς ἄρκτον ἀπὸ τῆς ἑσπέρας κλίνει μᾶλλον, καὶ τῆς θαλάττης ἀφίσταται κατὰ μικρόν, καὶ ἡ παραλία παρὰ τὴν ἑσπέραν περιάγεται. Habitasse eos satis ample, docet idem his verbis: Ἀπὸ Μασσαλίας τοίνυν ἀρξαμένοις, καὶ προϊοῦσιν ἐπὶ τὴν μεταξὺ χώραν τῶν τε Ἄλπεων καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ, μέχρι μὲν τοῦ Δρουεντία ποταμοῦ Σάλλυες οἰκοῦσιν ἐπὶ πεντακοσίους σταδίους. Ptolemæus *Salyum* opida inter alia nominat *Arelatum* & *Aquas Sextias*. Pagum Provinciæ, qui *Soiles* vulgo, Veteris Appellationis vestigium servare censet Dalechampius. Ab his *Salyis Francos Salios*, legemque *Salicam*, nomen habere putat Gulielmus Bellaius Langius apud Paradinum de antiquo Statu Burgundiæ. Mihi alia mens est, ut doceo in Germania.

Arelatenses. Aquenses.

Sextani.

Inter *Salyos* habitasse *Sextanos* constat ex Plinio lib. III, Pomponioque lib. II. qui *Arelatem* ijs adsignant: *Sextani* dicti, quod Milites essent VI. Legionis Veterani. De ijs Vetus Inscriptio, quæ Romæ eruta anno CIↃ IↃ LXII:

DIVAE
FAVSTINAE
AVG
SEXTANI
ARELATENSES

Sentij. Ebroduntij. Dinienses.

Sentij, Σέντιοι Ptolemæo; *Ebroduntij* videntur esse Plinio lib. III. cap. IV. Nam uterque Civitatem ijs tribuit *Diniam*. Civitas *Diniensium* Notitiæ Provinciarum in Viennensi IV & Alpibus Maritimis. Plinius auctor est Galbam imperatorem Narbonensi Provinciæ adjecisse ex Inalpinis Gentibus *Ebroduntios*.

Vesdiantij.

Vesdiantij, Οὐεσδιάντιοι, Ptolemæo; *Vediantij*, Plinio. Eorum Metropolis *Sanitium*, *Senas* hodie: Notitiæ *Civitas Saniciensium*, *L'Evesché de Senás*.

Sanicienses. Nerusij. Vencienses. Vulgientes.

Nerusij Plinio in Alpibus Maritimis, ubi hodie *Ventium*, *S. Paul de Vences*: Notitiæ *Civitas Venciensium*, *l'Evesché de S. Paul de Vences*. *Vulgientes* Plinio, *Aptam Iuliam* ijs Metropolim tribuenti, sunt, qui *Vulcientes* in Fastis Triumphalibus, ab Verrio Flacco concinnatis.

Aptenses.

Civitas Aptensium Notitiæ Provinciarum in Viennensi III, *L'Evesché d'Apt*, ubi male *Athensium*.

Resenses.

Civitas Resensium, legitur in eadem Notitia, *L'vesché de Riés*: *Regenses* Galliæ Narbonensis Populis connumerat Sidonius lib. VI. Epist. ad Papam Patientem: apud quem reponendi *Resenses*. *Reis Apollinaris*, quod in Itineraria legitur Tabula, Long. XXII. Lat. VIII. huc videtur pertinere, nihil tamen certi diffinio.

Octavani.

Octavani Plinio in melioribus Codicibus, qui *Octaviani* in Vulgatis, quique *Octoviani* Pomponio Melæ, ijdem forte cum *Commonis* Ptolemæi.

Commoni.

Forum Iulij, quod *Octavanorum* Coloniam facit Mela, apud Ptolemæum *Commonis* tribuitur, apud Plinium autem *Pacensis* & *Classica* vocatur.

Forojulienses.

Est & in Augusti Nummo apud Goltzium, COL. IVL. OCTAV. *Civitas Forojuliensium* est in Notitia Provinciarum sub Viennensi III. Meminit ejusdem Lapis, qui Nemausi in Horto Ioannis Poldi, Antiquitatum Nemausensium descriptoris:

Q. SOLO-

Q. SOLONIO. Q. F. VOL
SEVERINO
EX V. DECVRIIS. EQVO
PVBLICO ⊖ LVPERCO
IIII. VIR. AB. AERAR
PONTIFIC
FLAMINI. PROVINCIÆ
NARBONENSIS. TRIB
MILITVM. LEG. VIII. AVG
CIVITAS. FOROIVLIENSIVM
PATRONO

Hodie *L'Evesché de Feriuls*. *Segestorios* notat melioris notæ Notitia Provinciarum, sub Viennensi, quam dixi. III. eorum mentionem faciens *Civitatis*, quæ hodie *L'Evesché de Sisteron*. *Segestorij* corrupte nominantur *Selteri* in Itineraria Tabula, VII. Lat. XXV. Long. ut mihi quidem videtur. Certe si non illi, qui tandem sint *Selteri*, nescio. *Albiœcos* Populos, Montes supra Massiliam incolentes habet Cæsar lib. I. Bell. Civil. Putant nonnulli eosdem esse cum *Albensibus*, de quibus in Languedokio. Sunt sane non alij, quam qui nunc Ἀλβιεῖς, nunc Ἀλβιοικοὶ apud Strabonem, eos post Salyas collocantem. Ὀξύβιοι Straboni lib. IV. & Quadrato Ῥωμαικῆς χιλιαρχίας ιδ΄ βιβλ. apud Stephanum ; qui *Oxibij* Plinio : *Onelie* Comitatum esse vult Pingonius : *Oberrois* Dalechampius. Ab his Ὀξύβιος λιμὴν apud Strabonem legitur eodem libro ; unde patet *Oxubios* littorales fuisse populos, ad Mare Mediterraneum Gallicum. Qui *Deciates* Plinio Melæque, censet Plinetus habitasse Loca illa, ubi nunc Comitatus *Raigni* ; Cœnalis, ubi *Draguinien*, Pingonius, ubi *Marri* : Ego nihil habeo certi. Sunt autem hi, Δεκιῆται, Straboni ; Δεκιάτιοι, Ptolemæo ; Δεκιῆται denique, Stephano. Leguntur & præter alios apud Plinium lib. III. cap. IV. *Tasgoduntari* & *Cononienses* : fabricati fortean ex *Tarasconensibus*, quorum Caput & Metropolis ad Rodanum *Tarasco*, de qua postea. Reliquos incertioris positionis Populos prætereo ; quales inter alios apud Ptolemæum Ἀνάτιλοι, item in Notitia Provinciarum Galliæ sub Viennensi III. *Rigomagenses*, *Sollinienses*, & *Cemelevenses*. Nam nihil est mihi de iis explorati. Ex *Sollinienfibus Senez* facit Cœnalis : *Cemelevensibus* Vrbs forte Κεμέλεον Ptolemæo ; *Cemelion*, Plinio ; *Cemenelum*, Antonino : *Cenez* eidem Cœnali, sed dubitanti ; *Monte Camelione* apud Leandrum.

Segest. *Albiœci.* *Oxubij.* *Deciates.* *Tarasconum,* *Anatilij.* *Rigomagenses, Sollinienses, Cemelevenses.*

Anteaquam ad hodiernam Provinciæ explicationem veniam, nonnihil dicendum mihi de *Campis Lapideis*, qui in hac Galliæ parte inter Massiliam & Orientalissimum Rodani Ostium. Herculis Præliorum memoriam servare eos dicit Plinius ; ex eo, quod Herculem hic dimicantem contra Albiona & Bergionem Neptuni Filios, quum Tela ei defecissent, ab invocato Iove adjutum Imbre Lapidum ferunt. Credas pluisse, adeo multi & passim & late jacent. Huic Fabulæ adsentiuntur quoque Pomponius Mela, Iulius Solinus, & Marcianus ; quibus Strabonis sententia plane præponenda, qua certius nihil dari dicique possit. Is enim hoc modo *Campum* hunc depingit lib. IV: μεταξὺ γὰρ τῆς Μασσαλίας καὶ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥοδανοῦ πεδίον ἐστὶ, τῆς θαλάττης διέχον εἰς ἑκατὸν σταδίους : τοσοῦτον δὲ τὴν διάμετρον, κυκλοτερὲς τὸ σχῆμα. καλεῖται δὲ Λιθῶδες ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος. Μεστὸν γάρ ἐστι λίθων χειροπληθῶν, ὑποπεφυκυῖαν ἐχόντων αὐτοῖς ἄγρωστιν, ἀφ᾽ ἧς ἄφθονοι νομαὶ βοσκήμασιν εἰσίν. Ἐν μέσῳ δ᾽ ὕδατα, καὶ ἁλυκίδες ἐνίστανται, καὶ ἅλες. Ἅπασα μὲν οὖν καὶ ἡ ὑπερκειμένη χώρα, προσήνεμός ἐστι. Διαφερόντως δ᾽ εἰς τὸ πεδίον τοῦτο, Μελαμβόρειον καταιγίζει πνεῦμα, βίαιον καὶ φρικῶδες. Φασὶ γοῦν σύρεσθαι καὶ κυλινδεῖσθαι τῶν λίθων ἐνίους. καταχλᾶσθαι δὲ τοὺς ἀνθρώπους ἀπὸ τῶν ὀχημάτων, καὶ γυμνοῦσθαι, καὶ ὅπλων, καὶ ἐσθῆτος ἀπὸ τῆς ἐμπνοῆς : & quæ sequuntur. Describit hunc eumdem Campum, quamvis non nominet, & Ventum infestantem Diodorus lib. V. Visitur hodieque hic Campus, vocaturque *Las Craux* inter Arelate & Massiliam ; suntque in eo Opida quædam & Vici.

Campi Lapidei. *hodie Las Craux.*

Sunt porro in Provincia sub Parlamento Aquensi, præter multa minorum gentium Opida, Vrbes, duæ quidem Archiepiscopatus, undecim autem Episcopatus dignitate nobiles. Archiepiscopales sunt *Aqua Sextia* & *Arelata*.

Archiepiscopales Provinciæ Vrbes.

Aqua

Aquæ Sextiæ, hodie Aix.

Aquæ Sextiæ, Colonia, Latinis, Paterculo, Solino, aliisque dicuntur; quæ Ὕδατα Σέξτια, Κελωνία, Ptolemæo: Σεξτιλία est apud Plutarchum in Vita C. Marii: *Aquæ Sextiæ* Itinerariæ Tabulæ. *Coloniam Iuliam Aquas* vocat Lapis qui hodie Lugduni ad D. Benedicti:

COL. IVL. AQVIS. ET
COL. IVL. P. AREL

Item alius ad ipsas Aquas:

F. SEXTIVS. FLORVS
IIIIII. VIR. AVG. COL. IVL
AQVIS. ET. COL. AREL
VALERIÆ. SPVRIÆ. FLASSINÆ
VXORI. PIENTISS
SEX. VALERIO. PROCVLO. ET. SVIS

Plinius nominat *Coloniam Iuliam Augustam Aquas Sextias* Monimentum, quod in Agro Arelatensi hodie reperiri notat ad Ausonium lib. 1. cap. xxx, Vir Nobilissimus Iosephus Scaliger:

M. FRONTONI. EVPOR
IIIIII. VIR. AVG. COL. IVLIA
AVG. AQVIS. SEXTIS. NAVICVLAR
MAR. AREL. CVRAT. EIVSD. CORP
PATRONO. NAVTAR. DRVENTI
CORVM. ET. VTRICLARIORVM
CORP. ERNAGINENSVM
IVLIA. NICE. VXOR
CONIVGI. KARISSIMO

Colonia item *Iulia Aquæ Sextiæ*, *Legio* xxv vocatur in antiqua Inscriptione, Nummoque Vespasiani; si fides Huberti Goltzij Thesauro. *Aquæ* quidem, quod *Aquarum* ibi *Calidarum* Balnea; unde & hodie *Aix*: *Sextiæ* ab C. Sextio Calvino cos. anno ab V. C. Iɔcxxx. Hic enim, victa Salyorum Gente, *Coloniam Aquas Sextias* condidit, eo consilio, ut Romanum illic collocaret præsidium; quo Barbaros ex iis reprimeret Littoribus, quæ ex Massilia ducunt in Italiam, quum Massiliensibus, illis coercendis, non suppeterent vires. Legendus Livius lib. lxi. ab V.C. Paucis Strabo lib. iv: Σέξτιος μὲν ὁ καταλύσας τοὺς Σάλυας, οὐ πολὺ ἄπωθεν τῆς Μασσαλίας. κτίσας πόλιν ὁμώνυμον ἑαυτῷ τε καὶ τῶν ὑδάτων τῶν θερμῶν, ὧν τινα μεταβεβλῆκέναι φασὶν εἰς ψυχρά. ἐνταῦθά τε φρουρὰν κατῴκισε Ῥωμαίων, καὶ ἐκ τῆς παραλίας, τῆς εἰς τὴν Ἰταλίαν ἀγούσης ἀπὸ Μασσαλίας, ἀνέστειλε τοὺς βαρβάρους, οὐ δυναμένων τῶν Μασσαλιωτῶν ἀνείργειν αὐτοὺς τελέως, &c. *Iulia Augusta* vero ab *C. Iulio Cæsare Augusto*, qui eam Colonis auxit, deductis eo Legionis xxv. Veteranis. Parlamenti Provincialis Sedes, quod inde *Aquense*. Partim ad *Aquas Sextias*, partim in Italia, in Campo Raudino, vicit Cimbros Teutonosque Germaniæ Populos, quique ipsis se junxerant, Tigurinos Ambronesque, Gallicas Nationes, C. Marius D. Hieronymus ad Gerontiam: *Gens Teutonum*, inquit, *ex ultimis Germaniæ profecta Littoribus omnem Galliam inundavit, sæpiusque cæsis Romanis exercitibus, apud Aquas Sextias, Mario pugnante, superata est*. Nota est Historia. Aliis locis etiam hac de re nonnulla. *Arelas* simpliciter Orosio & Ausonio lib. de Vrbibus in Epigraphe & ipso Carmine vii: *Arelatus*, eidem Ausonio in eodem Carmine, & aliis; *Arelate*, Cæsari, Plinio, Suetonio in Ti. Principis Vita, Pomponio Melæ, & aliis; Ἀρελάται denique Straboni: quæ Ἀρελᾶτον, *Salyorum Colonia*, Ptolemæo lib. ii. cap. x; & *Arelate*, *Sextanorum*, Plinio lib. iii. nat. Hist. cap. iiii. & Cassiodoro. Vt *Coloniæ* meminerunt Lapides paullo ante ad *Aquas Sextias* à me positi. *Salyorum* quidem, ab antiquissimis Galliæ Populis, de quibus ante: *Sextanorum* vero, ab Legione vi, cui hic sua fuerunt Stativa, quorum etiam initio huius Capitis memini. Hodie *Arles*, plurali voce. *Thelinen* olim nuncupatam ab Græcis eam incolentibus, memoriæ prodit Festus Avienus:

Et Arelate, vulgo Arles.

Arelatus

Arelatus illic Civitas attollitur,
Theline *vocata sub priore seculo*
Graio incolente.

Mamiliaria cognominatur, quam ob caussam nescitur, in Inscriptione pulcherrima, quæ ibidem in Columna legitur, teste V. N. Iosepho Scaligero, in ædibus honestissimæ Matronæ Vallensis: cognominata Mamiliaria.

SALVIS. DD. NN
THEODOSIO. ET
VALENTINIANO
P. F. V. AC. TRIVM
SEMPER. AVG. XV
CONS. VIR. INL
AVXILIARIS. PRAE
PRAETO. GALLIA
DE. ARELATE. MA
MILIARIA. PONI. S
M. P. I

Constantina ut diceretur, ibique Septem Provinciarum, Viennensis, utriusque Narbonensis, utriusque Aquitaniæ, Novempopulaniæ, & Alpium Maritimarum, Conventus ageretur; sanxit Fl. Constantinus Imperator: cujus egregiam ea de re Constitutionem videre est apud Scaligerum lib. I. Ausonianarum Lectionum, cap. XXIV. Constantina.
Gallulam Romam vocat Ausonius, Carmine, cujus memini, quod esset celeberrimum & oportunissimum Emporium; quodque Romanorum Colonia, ab Ti. Claudio Nerone, Ti Principis Patre, deducta, teste Suetonio, Romam Genitricem suam in multis æmularetur & exprimere conaretur, indeque parva quædam videretur Roma. Gallula Roma. Vrbs ad Rodanum sita. Situs olim; Eo pertinet Philostrati illud in Vita Favorini Galli Arelatensis: ἦν μὲν γὰρ τῶν ἑσπερίων Γαλατῶν οὗτος, Ἀρελάτου πόλεως, ἣ ἐπ' Ἐριδανῷ ποταμῷ ᾤκισται. Vbi nemo non videt legendum, Ῥοδανῷ pro Ἐριδανῷ. Sic Strabo lib. IV: Πρὸς δὲ τῷ Ῥοδανῷ πόλις ἐστὶ καὶ ἐμπορεῖον οὐ μικρὸν, Ἀρελάτη. Simpliciter uterque: Hic, πρὸς Ῥοδανῷ: ille, ἐπὶ Ῥοδανῷ. Ad Sinistram autem ripam hodie. Itineraria Tabula collocat ad dextram, ubi hodie Languedokium. Antoninus etiam in Itinerario Maritimo ab Vrbe Arelatum usque, in fine; *A Gradu*, inquit, *per Fluvium Rodanum Arelatum* M. P. XXX. Non male; si Rodani Brachia, ut tunc se diducebant, considerentur. Ausonius *Arelatum* Rodani Fluentis interscindi, notat. Carmen ejus, ut semel hic ponam, sic habet:

Pande, duplex Arelate, *tuos blanda hospita Portus*
Gallula Roma Arelas: *quam Narbo Martius, & quam*
Adcolit Alpinis opulenta Vienna Colonis.
Præcipitis Rodani sic intercisa fluentis,
Vt mediam facias navali Ponte Plateam:
Per quem Romani commercia suscipis orbis,
Nec cohibes: Populosque alios & Mœnia ditas:
Gallia quis fruitur, gremioque Aquitania lato.

Arelas hic, item in extremo Mosella & Epistola XXIII ad Paullinum, *Duplex*, quod in duas partes ab Rodano secaretur. Quin & *Pontis* in Rodano, præter Ausonium, meminit etiam Cassiodorus in Epistola quadam ad Senatum Vrbis Romæ lib. VIII, Epistola X: *Arelate est Civitas supra undas Rodani constituta: quæ in Orientis prospectum, tabulatum Pontem, per nuncupati Fluminis dorsa, transmittit. Hunc & Hostibus capere, Nostris defendere, necessarium fuit.* Hodie, mutata ibi rerum facie, Simplex est, Hodie; tota in ripa Rodani, quæ Italiam respicit, posita: septa undique Paludibus, in quibus præferoces aluntur Boves. Putatur hinc major fuisse, creduntque magni Viri partem Vrbis olim florentissimæ alteram ab Gothis excisam. Olim major. Videndi obiter Iornandes in Histor. Goth. Cassiodorus lib. III, Epist. XXXIV, Prosper in Chronicis ad Theodosij XI & Valentiniani Consulatum, apud quem vitiose legitur *Archillus*, pro *Arelas*; ut & apud Paulum Diaconum in Theodosio Iuniore. Consulendi item Sidonius

Ejus Forum cum ornamentis. Emporium.

donius lib. VII. Epist. XII, Isidorus in Chronico Gothor. Sigebertus in Chron. ad annum CCCCLXXI. *Forum Arelatense*, &, quæ ibi erant, *Statuas Columnasque* numerat idem Sidonius lib. I. Epist. XI. *Emporium* autem fuisse satis constat ex Ausonio, cujus Versus paulo ante laudavi: unde & Strabo, Ἐμπορεῖον οὐ μικρόν. Audiendus hic Fl. Constantinus Imp. ad Agricolam Præfectum Prætorio Galliarum: *Tanta est Loci opportunitas, tanta est copia Commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quidquid usquam nascitur, illic commodius distrahatur. Neque enim ulla Provincia fructus sui facultate lætatur, ut non nisi hæc propria Arelatensis Soli credatur esse fœcunditas. Quidquid enim dives Oriens, quidquid odoratus Arabs, quidquid delicatus Assyrius, quod Africa fertilis, quod speciosa Hispania, quod fœcunda Gallia potest habere præclarum, ita illi exhibeatur adfatim, quasi ibi nascantur omnia, quæ ubique constat esse magnifica. Iam vero de cursu Rodani & Turoni recursu, necesse est, ut vicinum faciant & pene conterminum; vel quod iste præterfluit, vel ille quod circuit. Quum ergo huic serviat Civitati quidquid habet Terra præcipuum: ad hanc vel Navi, vel Vehiculo, Terra, Mari, Flumine deferatur, quidquid singulis nascitur:* &c. Cæsar bello contra Massilienses suum ibi habuisse legitur *Navale*. *Amphitheatrum Arelate* esse ajunt, sed parum integrum: vulgo *Les Arenes*.

Navale. Amphitheatrum; An Ara ibi, quondam Augusto sacra? An Camargue, tamquam Campus Marij? Columnæ Arelatenses. Burgundionum Regum olim Sedes.

Quod nonnulli augurentur *Arelaten* fuisse nuncupatam, tamquam *Aram Latam* (adeundus, præter alios, Gulielmus Paradinus de Antiquo Statu Burgundiæ) quod item non pauci scribant, extra Vrbem loco, qui vulgo *La Roquette*, super duas Columnas *Aram* fuisse prægrandem & exsecrandam, Cæsari Augusto dicatam; inque ea duos Iuvenes huic Sacrificio destinatos, publicisque sumtibus in eum finem saginatos, immolari quotannis stato die solitos; quod denique quidam velint Canalem ex Rodano deductum *Camargue* dici, tamquam *Campum Marij*; mera sunt otiosorum & ignavorum hominum somnia, puraque delirantium figmenta. In Collegio, quod in Vrbis summitate, duæ visuntur *Columnæ*; quas, Romanorum proculdubio, Herculis esse persuasum habet Vulgus. Grata olim Regibus Burgundiorum Sedes fuisse legitur, cum apud alios, tum apud Procopium Græcum, qui à Burgundionibus occupatam fuisse, principatu Iustiniani Augusti, scriptum reliquit, quum tamen prius constet fuisse. Sic Ligurinus Poëta:

Quaque caput Regni, Sedesque fuisse vetusti
Fertur Arelatum, priscorum Curia Regum.

Et paullo post:

Nomen apud Veteres Regni, Titulumque gerebat:
Cujus Arelatum Sedes.

Post Comitum Provincialium. Præsules. Arx.

Postea Comitum Provincialium fuit Domicilium. Primus ibi Episcopum egisse scribitur *D. Trophimus*, Paulli Apostoli Discipulus, anno Imperij Neronis secundo in Gallias ab eo destinatus: ex cujus fontibus, ut Zosimus Pontifex Maximus scribit, universa Gallia Fidei rivulos accepit. *Arce* potens hodie, *Honorato Hilarioque*, Præsulibus quomdam suis, est clara.

Episcopalis Vrbs. Massilia, vulgo Marseille. Colonia Phocæensium Græcorum.

Et hæc de Archiepiscopalibus *Provinciæ* Civitatibus: Episcopales sunt undecim, in quis, quod absque aliarum fiat indignatione & præjudicio, primas dabo *Massiliæ*. *Massiliam* Latini omnes, Græcique nominant nonnulli; quæ Μασσαλία Straboni lib. IV, Stephano, Veteribusque Nummis; Μασαλία Ptolemæo; *Marseille* vulgo: *Græcorum* cognominatur in Itineraria Tabula; quin & Suburbicarius ipsorum Ager ibidem *Græcia* dicitur. Nam *Phocaensium Græcorum* in Asia Minore est *Colonia*. Μασσαλία, inquit Stephanus, ἄποικος Φωκαίων: κτίσμα Φωκαίων. Pomponius lib. II: *Hæc à Phocæis orsunda, & olim inter asperas posita, nunc ut pacatis, ita dissimillimis tamen vicina Gentibus. Mirum quam facile & tunc Sedem alienam ceperit, & adhuc morem suum teneat.* Condita Olympiade XLV, scribente Solino, cap. VIII; tempore Tarquinij Regis, ut notat Iustinus lib. XLIII. qui totam *Iuventutis Phocaensis*, Persicam Servitutem fugientis, Navigationem, ejusque Caussam & Effecta pluribus commemorat. Consulendi & Agellius lib. X. Noct. Att. Ammianus lib. XV. Agathias, & alij. Hinc *Phocæus*, id est *Massiliensis*, *Iuventus* Lucano, in libris de Bello Pharsalico;

Phocais in dubiis ausa est servare Iuventus
Non Graia levitate fidem.

Hinc *Phocaica*, id est *Massiliensis*, *ora*, Silio lib. IV de Bello Pœnico,

Scipio Phocaicis sese referebat ab oris:

Hinc

Hinc denique *Phocaicum Littus* circa Massiliam & Emporias, de quo alibi. A *Phocaea* scilicet, quae Φωκαια, Ptolomaeo Aeolidis Stephano Ioniae opidum; *Phocis* Pomponio & Lucano lib v. Hinc enim in has oras profecti Massiliae Conditores. Plutarchus in Solone conditam scribit a *Proto*, qui *Protis* aliis dicitur. Vnde autem dicta *Massilia*, paucis indicat ex Timaeo Stephanus: Τιμαιος δε φησιν, ὅτι προσπλέοντα ἐκυβερνήτης καὶ ἰδὼν ἁλιέα, κελεῦσαι μάσαι τὸ ἀπόγειον σχοινίον. Μάσαι γὰρ τὸ δῆσαι φασιν Αἰολεῖς. ἀπ' ἐκείνου τοῦ Ἁλιέως καὶ τοῦ Μάσαι ὀνομασθῆναι. Situm petroso in loco, ἐπὶ χωρίῳ πετρώδους, indicat Strabo: prope ostia Rodani Amnis, in remoto Sinu, velut in Angulo Maris, ait ex Trogo Iustinus. De Situ sic Caesar lib. II. Bell. Civil. *Massilia fere ex tribus opidi partibus mari alluitur: reliqua quarta est, quae aditum habet a terra: huius quoque spatii pars ea, quae ad arcem pertinet, Loci natura & valle altissima munita longam & difficilem habet expugnationem* Et addit Strabo, ὑποπέπτωκε δ' αὐτῆς ὁ λιμὴν θεατροειδεῖ πέτρᾳ, βλέπουσῃ πρὸς τὸν Νότον. De *Portu* isto Dionysius:

Massiliae nomen dicta; / Eius Situs. / Arx. / Portus.

ἔνθα τι γαῖα
Μασσαλίη τέτυκται, ἐπιστρεφὲς ὅρμον ἔχουσα.

Nomen *Portus* fuit vt Eustathius notat Λακυδών. Hinc apud Melam ex veteribus libris legendum: *Et Lacidon Massiliensium Portus & in eo ipsa Massilia.* Pergit Strabo: τετείχισται δὲ καλῶς καὶ ἡ πόλις σύμπασα, μέγεθος ἔχουσα ἀξιόλογον. ἐν δὲ τῇ ἄκρᾳ τὸ Ἐφέσιον ἵδρυται, καὶ τὸ τοῦ Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερόν. Rempublicam porro *Massiliensium* tantopere laudat M. Tullius; ut, audiente Populo Romano, dicere auderet in Defensione Fontei, *Civitatis illius Disciplinam atque Gravitatem non solum Graeciae, sed pene cunctis Gentibus anteponendam.* Ejus (vt plene scribit Strabo) *Sexcenti* erant Senatores, quos Τιμούχους vocabant, quique totam vitam isthoc honore potiebantur: ex eo numero *Quindecim-viri* quotidianis Litibus dirimendis legebantur. Atque ij nimirum sunt *Sexcenti Massiliensium, & Quindecim-Primi*, quos libro belli civilis I apellat Caesar. *Sexcentorum* etiam meminit Valerius Maximus lib. II. cap VI Ex *Quindecim-viris* autem *Tres-viros* optabant, in quibus auctoritas esset summa Τιμοῦχος. nemo creabatur qui Liberos non haberet, quive à tertia vsque progenie ac stirpe civis non esset. *Massiliensium* igitur Respublica Ἀριστοκρατικῶς (haec Strabonis est vox) administrabatur Aristoteles Πολιτικ. lib v. & VIII. eos ὀλιγαρχίᾳ usos testatur. *Oliarchicum* sane fuit, genere, ut audivimus, non virtute, Reip Principes fieri. Eorum leges Ionici genii, Ἰωνικοί inquit Strabo, publice sunt propositae. Instituta Reip. *Massiliensium* paucis recenset Iustinus lib XLIII Consuevisse scilicet, ab condita fere urbe *festis diebus portas claudere, vigilias agere, stationem in muris observare, peregrinos recognoscere curas habere: ac veluti bellum habeant, sic Vrbem pacis temporibus custodire? adeo illic bene instituta non temporum necessitate, sed recte faciendi consuetudine servari.* Alia de Manumissionibus Spectaculis Validis mendicantibus, Suppliciis, Funeribus Sepulchris & hospitiorum jure leguntur apud Valerium, capite quod indicavi. Consonabant optimis institutis Sanctissimi publice privatimque Mores. Τῆς δὲ λιτότητος, inquit Strabo lib. IV, τῶν βίων καὶ τῆς σωφροσύνης τῶν Μασσαλιωτῶν οὐκ ἐλάχιστον ἄν τις θείη τοῦτο τεκμήριον. ἡ γὰρ μεγίστη προὶξ αὐτοῖς ἐστιν ἑκατὸν χρυσοῖ, καὶ εἰς ἐσθῆτα πέντε, καὶ πέντε εἰς χρυσοῦν κόσμον: πλέον δ' οὐκ ἔξεστι. *Massiliam* Tacitus ait locum graeca comitate & provinciali parsimonia mistum & bene compositum. Sed isti morum integritati multum ademit unum, quo se infamare soliti Massilienses, vitium Notum est proverbium Πλεύσειας εἰς Μασσαλίαν *Massiliam naviges*, de quo Athenaeus lib. XII, Svidas & alij Credebantur enim Γυναικοπαθεῖν Hinc *Massilienses Mores* Plauto in Casina, molles impudici, effoeminati: Huc illa Clementis Alexandrini IX, Recog. referenda. *Apud Gallos*, inquit, *Lex prisca constituit nuptum tradi publice pueros, nec opprobrium ex hoc aliquod duci*, innuere videtur eadem Diodorus scribens, Gallos licet habeant speciosas foeminas, ad Mares tamen esse proniores: Strabo item, ubi memorat, apub Gallos turpe non judicari, si adolescentes aetatis flore abuterentur. Tradit & Athenaeus lib XIII Gallos super pellibus saepius cum duobus catamitis concumbere. Haec enim talia non de Gallis veteribus generatim, sed de Massiliensibus Graeca mollitia fractis exaudienda censent Magni viri. Sidonius aperte carmine XXII:

Qualitas. / Tempus. Respublica. / Leges & Instituta. / Mores laudati. / Deteriores facti.

Et te Massiliensium per hortos
Sacri Stipitis Arbiter colonum
Hellespontiaco parem Priapo &c.

Infamibus *Massiliensium* Moribus adscribam quæ notat ad illud Virgilij,

Auri sacra fames,

[Mos tempore Pestis.] Servius, *id est*, inquit, *exsecrabilis, ut Sacræ panduntur Portæ. Tractus est autem Sermo ex more Gallorum. Nam Massilienses quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis & purioribus Cibis. Hic postea ornatus Verbenis & Vestibus sacris, circumducebatur per totam Civitatem cum Exsecrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius Civitatis, & sic præcipitabatur*, &c. Agathias sua ætate *Massiliam* ex Græca Civitate jam barbaram notat factam: Nam patrio priscoque vivendi more rejecto, Imperantium Institutis usam fuisse. *[Res gestæ.]* *Massiliensium* porro Bella, Resque contra Ligures, Gallos, Karthaginienses, aliosque Conregionales & Remotiores Populos gestas; item Victorias eorundem, Triumphos, Trophæa & Exuvias; Fœdera denique cum Romanis, Hispanis, alijsque, commemorant Strabo lib. IV, Iustinus lib. XLIII, & alij. *[Massilienses Romanorum Fratres.]* Quin *Fratres* appellatos fuisse *Romanorum*, patet ex Panegyrico, qui Constantino & Maximiano dictus; *Cujus*, inquit, *Civitatis antiqua Nobilitas & quondam fraterno Populi Romani nomine gloriata*. Certe in magno erant Romanis honore. Princeps Rodiorum Legationis, Oratione in Senatu Romæ habita, de ijs apud Livium lib. XXXVII, sic loquitur: *Massilienses, quos, si natura insita, velut ingenio terræ vinci posset, jam pridem efferassent tot indomitæ circumfusæ Gentes, in eo honore, in ea merito dignitate audimus apud vos esse, ac si medium umbilicum Græciæ incolerent. Non enim sonum modo Linguæ Vestitumque & Habitum, sed ante omnia Mores & Leges & Ingenium sincerum, integrumque à contagione Incolarum servarunt*. *[Coloniæ ab Massiliensibus ductæ,]* Colonias ex hac Vrbe ductas non paucas indicant ijdem Scriptores. Iustinus: *Qui pericula propulsando in tantum enituerunt, ut victis Hostibus in captivis Agris multas Colonias constituerent*. *[certis Ritibus,]* Quos autem Ritus servare fuerint soliti in Colonijs deducendis, sic notat Strabo: Ἔν τε ταῖς ἀποικίαις πόλεσι πανταχοῦ τιμᾶν ἐν τοῖς πρώτοις ταύτην τὴν θεὸν (loquitur de *Aristarcha*) καὶ τοῦ ξοάνου τὴν διάθεσιν τὴν αὐτὴν, καὶ τ' ἄλλα νόμιμα φυλάττειν τὰ αὐτά, ἅπερ ἐν τῇ Μητροπόλει νενόμισται. Et paulo post scribit *Massilienses* Colonijs ab se ductis *Dianæ Ephesiæ* Sacra, more patrio, tradidisse; &, ut Græcanicis Ritibus immolarent, jussisse. Colonias enumerat varijs locis idem Strabo; in ijs *Aphrodisium* Pyrenæorum Promontorium, *Agatham*, *Antipolin*, *Nicæam*: & alia, quæ ipsa nomina satis arguunt. *[Calamitates,]* Concussa supra modum fuit ejus Felicitas anno I. Belli Civilis inter Cn. Pompeium Magnum & C. Iulium Cæsarem, cujus in eam Victoria fuit talis, tamque moderata, ut pro Nomine & Vetustate potius, quam pro Meritis salva ipsi sua relicta fuerit Libertas. Legendi, præter Cæsarem ipsum, Strabo lib. V, & Lucanus lib. III. de Bello Civili: Ab Gothis postea captam, posterioris ævi scribunt Auctores. Iornandes in Histor. Gothor. *Et quomodo Euricus Rex Vesegothorum Romani Regni vacillationem cernens, Arelatum & Massiliam propriæ subdidit Ditioni*. Isidorus in Chronic. Era IↃ IIII: *In Gallias autem regressus, Arelatum & Massiliam Vrbes capit, suoque Regno utramque subjecit*. Sigebertus in Chronic. ad annum CCCCLXXI, *[Academia,]* *Arelatum & Massiliam Galliarum Vrbes invasit*. Mercatus hic olim fuit, ut memoriæ prodit Strabo lib. IV, bonarum Artium & Disciplinarum celeberrimus. Eo, tamquam ad alteras Athenas, Romani, Galli, Hispani, omnesque, quibus licebat Philosophiæ Græceque Linguæ gratia se conferebant. Testatur Tacitus in Vita Agricolæ Soceri, eum parvulum sedem ac Magistram Studiorum habuisse Massiliam; Locum, ut antea etiam monui, Græca Comitate & Provinciali Parsimonia mistum beneque compositum. Hæc *Eumenidis*, qui tam accurate quæsivit de Nilo; Hæc *Pytheæ* quem tam studiose insectatur Strabo: Hęc aliorum, quorũ, Scripta interciderunt, fuit, Patria. Hic verisimile est Philosophiam didicisse *Favorinum Arelatensem*. Hæc Gallos omnes ita φιλέλληνας reddebat, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν, ut Contractus omnes Grçco Idiomate conficerent, & in omnibus publicis privatisque Rationibus Græcis Litteris uterentur, Strabone Teste. Inde Tabulæ in Helvetiorum Castris repertæ Græco Charactere conscriptæ, ad Cæsarem perlatæ, ut in Ephemeridibus Belli Gallici est legere. Hinc hodieque tam frequens in Gallo-Romano sermone Hellenismus. Alia prætereo: Nam plura à me alibi notata. *[Navale, Armamentarium, Territorium olei vinique ferax.]* Habuisse *Massilienses Navalia & Armamentarium*, copiam item Navium, Armorum, Machinarum, quibus & contra Barbaros se tuebantur & Romanorum societatem sibi compararunt, tradit idem Strabo: qui & Territorium ipsorum celebrat, Ἐλαιόφυτον καὶ κατάμπελον.

Vinum

Vinum Massiliense ait Athenæus esse καλὸν, sed ὀλίγον, ἐ παχὺ καὶ σαρκῶδες. *Ostrea Massiliensia* laudat Ausonius Epist. XIII; eadem forte cum iis, quæ Strabo magna copia reperiri scribit in Rodani ostiis. *Lateres* apud Massilienses fieri, qui projecti in aquam natent, notat Vitruvius. Incolas Trilingues fuisse, ut qui Græce, Latine, Gallicęque loquerentur, refert ex Varrone D. Hieronymus. Digna igitur maximis Elogiis *Massilia*, cum quod tantæ Antiquitatis, tum quod hodieque Situ Opereque sit præpotens, Regique suo fidelissima: quod item suorum Incolarum industria per Asiam, Africam, aliasque remotissimas Regiones longe lateque negocietur. Theatralem & nunc fere servat formam; sed ita, ut in Septentrione Cornu petior sit Civitas in Australiore Collis, in quo Munimenta, quæ vulgo *Le Fort de Nostre Dame de la Garde, & de S. Nicolas.* adjacente Colli *domo gubernatoris* cum *Armamentario* Inter utrumque Cornu *Portus* est: cui præjacent insulæ, vulgo *Les Pomegues*, in quarum una Stationem navium habuit D. Iunius Brutus, quum Vrbs ab Cæsare, cujus ille erat Legatus, esset obsessa. Visitur ibi hoc tempore *Arx*, quæ vernacule *Le Chasteau d'If.* Vrbe per Portam Franciscam egresso ad sinistram se offerunt magna *Aquæductuum* Rudera, quæ ad ipsum Opidum junguntur Monimento, quod inter eamdem Franciscam & Aquensem Portas, *Magnum* cognomine. Episcopos suos numerant ab *D. Lazaro*, quem Christus ab morte suscitavit. Eum bonis suis cibusque exutum, sæviente Persequutione, quæ Stephanum abstulerat, cum sororibus Maria Magdalena & Martha in has oras venisse, Christique fidem nunciasse, narrant Massilienses. Quin & caput ejus monstrant in Primario templo: quod incolis *La Mateur*, ad urbis Mœnia, versus Mare. Hæc de *Massilia*: reliquæ urbes Episcopales sunt: *Dine*: *Dinia* Plinio in Ebroduntiis; Δίνια Ptolemæo in Sentiis. *Grasse*, *Grassense oppidum*. *Glandeve*, *Glannatte* Viris Doctis Latine scribentibus, *Glannatena Civitas*, Notitiæ Provinciarum Galliæ in Viennensi IV: in aliis libris est *Glanatica*, in quibusdam *Glannatena*. *Glandetensis Episcopi* meminit concilium Aurelianum VI. Falluntur, qui *Glanum* Plinii, Pomponii & Antonini cum *Glannate* confundunt. *Glanum* enim Antoninus ponit inter Cabellionem & Arelatum: at quam procul inde *Glannate*? Quid *Glanum* hodie, ignoratur. *Senas*, Σανίτιον, Veldantiorum opidum in Alpibus Maritimis, Ptolemæo. *S. Paul de Vences*, Οὐίντιον, Nerusiorum Opidum in Alpibus Maritimis, Ptolemæo, Οὐίντια, Dioni lib. XXXVII. *Apt*. *Apta Iulia* Vulgientium Plinio, *Avia Iulia* & *Abtejulia* corrupte apud Antoninum: Nam in melioribus est *apta Iulia*: ut & in Itineraria Tabula. *Aptensis Episcopatus* meminerunt concilium Aurelianense, & alia. *Ries*, *Reius* Notitiæ Provinciarum Galliæ, in qua sub Viennensi III sic legitur, *Civitas Reiensium, id est Reias*. In Tabula Itineraria, ut paullo ante dixi, scriptum est, *Reis Apollinaris*; quod nondum liquet. *Fereuls Forum Iulii* Planco Imperatori Epistola ad M. Tullium, addenti abesse ab *Foro Voconii* XX. M. P. Tabula Itineraria inter *Forum Voconii* & *Forum Iulii* notat XVII. M. P. Φόρος Ἰούλιος, Commonorum urbs Ptolomæo; COL. IVL. OCTAV. in Augusti Nummo apud Hubertum Goltzium: *Forum Iulium Octavanorum Colonia, quæ Pacensis appellatur & Classica*, Plinio lib. III. cap. IV. τὸ Ναύσταθμον τοῦ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ ὃ καλοῦσι Φόρον Ἰούλιον inquit Strabo lib. IV: Et hodie Portus est marinus. *Cisteron*, *Segustero* apud Antoninum & in itineraria tabula: *Cestero* inquit suis ad me litteris Iosephus Scaliger, Plinio; apud quem tamen excusum est *Cessero*. Sed mihi semper Pliniana *Cessero* eadem censeri solet cum ea, quæ Κεσσερὼ apud Ptolemæum, Tolosæ & Carcassoni connumerata, quæ hodie in Languedokio *Castres*, ut ibi monui. Plinius enim *Cesseronem* locat inter Opida Volcarum Tectosagum, qui ad dextram Rodani ripam. *Tolon*, *Telonum* Doctis Latine scribentibus; *Telo Martius*, Antonino, Opidum in interiore Maris recessu, novem Leucis Massilia.

Ostrea. Lateres. — Incolæ trilingues. — Hodierna descriptio. — Reliquæ Episcopales urbes. — Dine. Dinia. — Grasse. — Glannate. — Senas. Sanitium. — S. Paul de Vences. Vintium. — Apt. Apta Iulia. — Ries. Reius. — Fereuls. Forum Iulii. — Cisteron, Segustero. — Tolon. Telo Martius.

Hæc de Episcopalibus: sunt alia non minoris nominis & antiquitatis opida: *Antibe*; Ἀντίπολις, Deciatorum opidum Ptolemæo; *Opidum Latinum*, *Antipolis*, Plinio: Tacitus *Antipolim Narbonensis Galliæ Municipium* appellat. *Coloniam* vocat Nummus Titi imperatoris: Meminit Ἀντιπόλεως. & Strabo, scribens inter eam & Olbiam constructum esse *Forum Iulium*. *Olbia* sane, quæ & Ptolemæo Melæque nota, *Teres* vel *Hieres* hodie censetur ad Mare, tribus fere leucis Telono. Contra Opidum jacent nobilissimæ insulæ, quæ Ptolemæo Στοιχάδες, Λιγυστίδες Stephano & Apollonio lib. IV. De iis lib. ultimo. Hodie, Opido cognomines, *Les Isles* dicuntur *de Teres*, vel

Aliæ Vrbes & opida. — Antibe. Antipolis. — Hieres, Olbia.

vio. Sedem præbet non solum Episcopatui Novo, quem delibatum dixi supra de *Aginnensi*; verum etiam Seneschalliæ, jus dicenti Opidis, quæ Indigenis, *Valence ad Batsam, Lairac ad Garumnam, La-Romeo, Mon-Real*, & aliis. Familiæ sunt hic illustres non paucæ. Vicecomites novimus hic *Fismaconos, Gourdonos, Forcaos*, & *Monlucios*.

Ducatus Allebreti, vulgo Allebret,

Ducatus Allebreti, La Duché d'Allebret, nomen accepit amplissimum ab opidulo, quod vulgo *Allebret*, in Syrtibus Lapurdensibus, quas *Landas* vocant. Institutus est ante annos non multos, compositus ex mutilatione *Seneschalliarum Aginnensis, Armaniacensis*, & *Vasatensis*; adeo ut de eo dicere liceat, quod de Constantinopoli Hieronymus, eam nuditate omnium Civitatum constructam fuisse.

cujus Caput, Neracum:

Caput Ducatus est *Neracum*, opidum prædives. Avorum nostrorum memoria *Ioannes Alani F. Dynasta Allebretanus*, ducta Katharina Gastonis F. Navarræ Regnum cum ea Dotem accepit: hujus ex Filio *Henrico* Neptis fuit *Ioanna Allebretana*, Navarræ Regina, Mater Henrici IV, Christianissimi Franciæ Navarræque Regis.

Comitatus Convenarum, Comté de Comenges;

Convenarum Comitatus, La Comté de Cominges: Vulgo Latinorum *Comingia*. Huius Tractus Incolæ Primi Aquitanorum Christianæ Militiæ nomen dedisse scribuntur, multa indigna perpessi ab Christiani nominis Hostibus. Dividitur *Convenarum Ager* in Superiorem & Inferiorem, totusque Montibus attollitur.

cuius Metropolis Lugdunum Convenarum, dirutum.

Gentis Caput *Lugdunum Convenarum*; Λούγδουνον Κωνουενῶν (legendum Κονουενῶν) Ptolemæo & Straboni lib. IV: *Lugdunum* simpliciter Antonino, in Itinere ab Aginno ad hoc opidum: quod quum per multos annos summopere floruisset, tandem ab irato Guntchranni Regis exercitu fuit dirutum, anno ІƆLXXXIV, Indictione II:

ex cuius reliquiis Fanum S. Bertrandi:

ex cujus reliquiis *Fanum S. Bertrandi*, ubi hodie Sedes est Episcopalis, in Valle Capraria fuit constructum. Vetustatem & Splendorem ejus Civitatis facile testantur Monimenta & Epigraphæ quamplurimæ, quæ ibi hodie exstant. Coluerunt inter alios Deos Lugdunenses Convenæ, aliique forte Conregionales, *Abellionem*; de quo quidam ibi Lapides, ut alibi vidimus, ubi de Diis Gallorum. Quid in Inscriptione, quæ Romæ legitur in ædibus Mellinorum ad Agonem, sit *Covena Aquitania*, alij videant. Ea sic habet:

D. M.
VALERIÆ. IVSTINÆ
NATA CONVENA
AQVITANIA
VIXIT. ANNOS. XXI
IVN. VALERIANVS
MIL. COH. III. PR
7. FELICIS. CONI. B. M. F.

Elusatium Ager, Le pais d'Euse.

Vasconia priusquam egrediar, addam tria verba de *Elusatium Agro*, qui vulgo *Le Pais d'Euse en Gascoigne*. Ejus Metropolis *Elusa*. Sic dicitur Ammiano Marcellino lib. XV, & Itinerario, quod Burdigala ducit Hierosolymas; quæ Paullino Epistola ad Severum VI. *Eluso*. Ammiani verba, quod corruptiora, adscribam: *In Narbonensi Elusa, & Narbo, & Tolosa, & principatum urbium tenent: Viennensis Civitatum exsultat decore multarum: quibus potiores sunt Vienna ipsa & Arelate & Valentia, quibus Massilia jungitur.* Pro *Elusa* vulgati Codices habebant *Clusa*. Hinc *Elusana Plebs* apud Sulpitium Severum Historiæ Sacræ lib. II. Fuisse videtur olim Episcopatus. *Laban Elusensis Episcopus* nominatur Gregorio Turonensi lib. VIII. cap. XXII.

Cap. XXXIX.

Provincia.

PROVINCIAS Parlamentis subjectas Accessorijs, Parisiensque illud ad Occidentem Meridiemque quasi circumeuntibus, quanta fieri potuit industria perlustravi: sequuntur jamnunc Regiones, quæ reliquis parent Tribunalibus, Orientaliora ejusdem Parisiensis Latera velut claudentibus. Ea sunt *Aquense, Gratianopolitanum, Divionense*. *Aquensis* Iurisdictioni obtemperat *Provincia*.



Vnde & qua occasione PROVINCIÆ nomen inditum præstantissimo huic Galliarum Tractui, etiam ultra Rodanum ad Garumnam usque, petendum est ex Capite huius libri XVI; ubi omnia Romanorum contra Veteres Gallos Bella paucis commemorantur. *Narbonensis* enim *Gallia* ab Romanis in *Provinciæ* formam multis ante Christum natum annis redacta, hodieque illud impositæ quondam conditionis nomen mordicus in exigua sui portione, in qua *Massilia* & *Aquæ Sextiæ*, retinet, κατ' ἐξοχὴν quasi & αὐτονομαστικῶς, utque ostenderet se Primam, non quidem ordine, sed dignitate inter omnes Imperij Romani fuisse Provincias. Est enim totus ille Narbonensis Ager pars totius Franciæ præstantissima. Paucis Plinius lib. III. cap. IV, *Agrorum cultu; Virorum Morumque dignatione, amplitudine opum nulli Provinciarum post ferenda, breviterque Italia verius, quam Provincia.* *Provincia* sane, de qua mihi sermo, præter Segetes, Fructus profert, non solicita cultura, nobilissimos. Vvarum Passarum Ficuumque tanta hic Copia, ut potiori Europæ sufficiat. Ros. Marinus, Myrtus, Iuniperi Baccæ, aliaque id genus larga hic manu ab Natura proveniunt. Castaneæ nusquam majores. Mala Citria, Cydonia, Granata; item Crocus, Oryza, similiaque pleno ibidem cornu funduntur. Vites generosissima dant Vina. Solum denique passim gratum, ferax, benignum: Cœlum mite, clemens, & valde purgatum. Conjacet *Provincia* ad Septemtrionem Delphinatus, Montium interpositu Velæorum, qui vulgo *Velaye*, intercursuque magnam partem Druentij Fluminis; Orientale ejus Latus claudunt & Alpes, & Varus Fluvius, cujus sinistræ Ripæ adsidet Nicæa, Italiæ hic principium; qua Meridies est, ab Gallico pulsatur Mari: Occidentalis illi Limes partim Arausiorum Principatus & Avenionensis vel Venissæ Comitatus, hujus quomdam Partes. Francorumque Ditionis, nunc autem aliorum Principum; partim Rodanus, integer, Lugduno Arelatem usque, ad Languedokij Parlamenti Iurisdictiones, ut antea dixi, spectans.

PROVINCIA, La Provence; unde dicta; Qualitas; Fines

Veteres Incolæ. Habitarunt hic olim *Salyi, Aquenses, Arelatenses, Sextani, Sentij, Ebroduntij, Dinienses, Vesdiantij, Sanicienses, Nerusij, Vencienses, Vulgientes, Aptenses, Reienses, Octavani, Commoni, Foro-Iulienses, Segestorij, Albici, Oxubij, Deciates*, & alij.

Salyi. *Salyios* primo posui loco. *Sallyi* sunt Plinio; Σάλυες Straboni, Λίγυας olim, id est *Ligures* vocatos addenti, eorumque Regionem Λιγυστικήν: unde & Posteriores Κελτολίγυας, *Gallo-Ligures*, nominarunt, ut distinguerent ab *Liguribus* Italiæ Populis. *Ligures* enim Sedes suas habuerunt longe lateque in his Galliæ oris, etiam ultra Rodanum. Σάλικες dicuntur Ptolemæo: *Salvios* appellat Livius Epitome Libri LXI; *Salluvies* Fasti Triumphales & Ammianus Marcellinus. Olim, ubi nunc Archiepiscopatus *Aquensis*, quæ *Civitas Aquensium* in Notitia Provinciarum Galliæ, Viennensi III, & *Arelatensis*, quæ & *Civitas Arelatensium*; *Les Archeveschez d'Air & d'Arles*. Certe Domicilium ipsorum non obscure notat Strabo lib. IV, ubi scribit Sextium, redactis in potestatem *Salyibus*, non longe ab Massilia sui nominis ædificasse opidum; de quo postea. Et de *Salyibus* idem paullo post: Ἅμα δ' ἤτε τῶν Σαλύων ἐξὴς πρὸς Ἄρκτον ἀπὸ τῆς ἑσπέρας κλίνει μᾶλλον, καὶ τῆς θαλάττης ἀφίσταται κατὰ μικρὸν, καὶ ἡ παραλία παρὰ τὴν ἑσπέραν περιάγει. Habitasse eos satis ample, docet idem his verbis: Ἀπὸ Μασσαλίας τοίνυν ἀρξαμένοις, καὶ προϊοῦσιν ἐπὶ τὴν μεταξὺ χώραν τῶν τε Ἄλπεων καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ, μέχρι μὲν τοῦ Δρουεντία ποταμοῦ Σάλλυες οἰκοῦσιν ἐπὶ πεντακοσίους σταδίους. Ptolemæus *Salyum* opida inter alia nominat *Arelatum* & *Aquas Sextias*. Pagum Provinciæ, qui *Soltes* vulgo, Veteris Appellationis vestigium servare censet Dalechampius. Ab his *Salyis Francos Salios*, legemque *Salicam*, nomen habere putat Gulielmus Bellaius Langius apud Paradinum de antiquo Statu Burgundiæ. Mihi alia mens est, ut doceo in Germania. Sextani. Inter *Salyos* habitasse *Sextanos* constat ex Plinio lib. III, Pomponioque lib. II. qui *Arelatem* ijs adsignant: *Sextani* dicti, quod Milites essent VI. Legionis Veterani. De ijs Vetus Inscriptio, quæ Romæ eruta anno CIↃ IↃ LXII:

DIVAE
FAVSTINAE
AVG
SEXTANI
ARELATENSES

Sentij. Ebroduntij. Dinienses. *Sentij*, Σέντιοι Ptolemæo; *Ebroduntij* videntur esse Plinio lib. III. cap. IV. Nam uterque Civitatem ijs tribuit *Diniam*. Civitas *Diniensium* Notitiæ Provinciarum in Viennensi IV & Alpibus Maritimis. Plinius auctor est Galbam imperatorem Narbonensi Provinciæ adjecisse ex Inalpinis Gentibus *Ebroduntios*. Vesdiantij. *Vesdiantij*, Οὐεσδιάντιοι, Ptolemæo; *Vediantij*, Plinio. Eorum Metropolis *Sanitium*, *Senas* hodie: Notitiæ *Civitas Saniciensium*, *L'Evesché de Senás*. Sanicienses. Nerusij. Vencienses. Vulgientes. *Nerusij* Plinio in Alpibus Maritimis, ubi hodie *Ventium*, *S. Paul de Vences*: Notitiæ *Civitas Venciensium*, *l'Evesché de S. Paul de Vences*. *Vulgientes* Plinio, *Aptam Iuliam* ijs Metropolim tribuenti, sunt, qui *Vulcientes* in Fastis Triumphalibus, ab Verrio Flacco concinnatis. Aptenses. *Civitas Aptensium* Notitiæ Provinciarum in Viennensi III, *L'Evesché d'Apt*, ubi male *Athensium*. Reienses. *Civitas Reiensium*, legitur in eadem Notitia, *L'vesché de Riés*: *Regenses* Galliæ Narbonensis Populis connumerat Sidonius lib. VI. Epist. ad Papam Patientem; apud quem reponendi *Reienses*. *Reis Apollinaris*, quod in Itineraria legitur Tabula, Long. XXII. Lat. VIII. huc videtur pertinere, nihil tamen certi diffinio. Octavani. *Octavani* Plinio in melioribus Codicibus, qui *Octaviani* in Vulgatis, quique *Octoviani* Pomponio Melæ, ijdem forte cum *Commonis* Ptolemæi. Commoni. *Forum Iulij*, quod *Octavanorum* Coloniam facit Mela, apud Ptolemæum *Commonis* tribuitur, apud Plinium autem *Pacensis* & *Classica* vocatur. Foroiulienses. Est & in Augusti Nummo apud Goltzium, COL. IVL. OCTAV. *Civitas Forojuliensium* est in Notitia Provinciarum sub Viennensi III. Meminit ejusdem Lapis, qui Nemausi in Horto Ioannis Poldi, Antiquitatum Nemausensium descriptoris:

Q. SOLO-

Q. SOLONIO. Q. F. VOL
SEVERINO
EX V. DECVRIIS. EQVO
PVBLICO & LVPERCO
IIII. VIR. AB. AERAR
PONTIFIC
FLAMINI. PROVINCIÆ
NARBONENSIS. TRIB
MILITVM. LEG. VIII. AVG
CIVITAS. FOROIVLIENSIVM
PATRONO

Hodie *L'Evesché de Feriuls*. *Segestorios* notat melioris notæ Notitia Provinciarum, sub Viennensi, quam dixi. III. eorum mentionem faciens *Civitatis*, quæ hodie *L'Evesché de Sisteron*. *Segestorij* corrupte nominantur *Selte i* in Itineraria Tabula, VII. Lat. XXV. Long. ut mihi quidem videtur. Certe si non illi, qui tandem sint *Selteri*, nescio. *Albicos* Populos, Montes supra Massiliam incolentes habet Cæsar lib. I. Bell. Civil. Putant nonnulli eosdem esse cum *Albensibus*, de quibus in Languedokio. Sunt sane non alij, quam qui nunc Ἄλβιεις, nunc Ἀλβίοικοι apud Strabonem, eos post Salyas collocantem. Ὀξύβιοι Straboni lib. IV. & Quadrato Ῥωμαικῆς χιλιαρχίας ιδ΄ βιβλ. apud Stephanum; qui *Oxiby* Plinio: *Onelie* Comitatum esse vult Pingonius; *Oberrois* Dalechampius. Ab his Ὀξύβιος λιμὴν apud Strabonem legitur eodem libro; unde patet *Oxubios* littorales fuisse populos, ad Mare Mediterraneum Gallicum. Qui *Deciates* Plinio Melæque, censet Plinetus habitasse Loca illa, ubi nunc Comitatus *Raigni*; Cœnalis, ubi *Draguinien*, Pingonius, ubi *Marri*: Ego nihil habeo certi. Sunt autem hi, Δεκιῆται, Straboni; Δεκιάτιοι, Ptolemæo; Δεκιῆται denique, Stephano. Leguntur & præter alios apud Plinium lib. III. cap. IV. *Tasgodunitari* & *Conontenses*: fabricati fortean ex *Tarasconensibus*, quorum Caput & Metropolis ad Rodanum *Tarasco*, de qua postea. Reliquos incertioris positionis Populos prætereo; quales inter alios apud Ptolemæum Ἀνατίλιοι, item in Notitia Provinciarum Galliæ sub Viennensi III. *Rigomagenses*, *Sollinienses*, & *Cemelevenses*. Nam nihil est mihi de iis explorati. Ex *Solliniensibus Senez* facit Cœnalis: *Cemelevensibus* Vrbs forte Κεμέλεον Ptolemæo; *Cemelion*, Plinio; *Cemenelum*, Antonino; *Cenez* eidem Cœnali, sed dubitanti; *Monte Camelione* apud Leandrum.

Segestorij. Albici. Oxubij. Deciates. Tarasconens. Anatilij. Rigomagenses. Sollinienses. Cemelevenses.

Anteaquam ad hodiernam Provinciæ explicationem veniam, nonnihil dicendum mihi de *Campis Lapideis*, qui in hac Galliæ parte inter Massiliam & Orientalissimum Rodani Ostium. Herculis Præliorum memoriam servare eos dicit Plinius; ex eo, quod Herculem hic dimicantem contra Albiona & Bergionem Neptuni Filios, quum Tela ei defecissent, ab invocato Iove adjutum Imbre Lapidum ferunt. Credas pluisse, adeo multi & passim & late jacent. Huic Fabulæ adsentiuntur quoque Pomponius Mela, Iulius Solinus, & Marcianus; quibus Strabonis sententia plane præponenda, qua certius nihil dari dicique possit. Is enim hoc modo *Campum* hunc depingit lib. IV: μεταξὺ γὰρ τῆς Μασσαλίας καὶ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥοδανοῦ πεδίον ἐστὶ, τῆς θαλάττης διέχον εἰς ἑκατὸν σταδίους· τοσοῦτον δὲ τὴν διάμετρον, κυκλοτερὲς τὸ σχῆμα. καλεῖται δὲ Λιθῶδες ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος. Μεστὸν γάρ ἐστι λίθων χειροπληθῶν, ὑποπεφυκυῖαν ἐχόντων αὐτοῖς ἄγρωστιν, ἀφ' ἧς ἄφθονοι νομαὶ βοσκήμασιν εἰσίν. Ἐν μέσῳ δ' ὕδατα, καὶ ἁλυκίδες συνίστανται, καὶ ἅλες. Ἅπασα μὲν οὖν καὶ ἡ ὑπερκειμένη χώρα, προσήνεμός ἐστι. Διαφερόντως δ' εἰς τὸ πεδίον τοῦτο, μελαμβόρειον καταιγίζει πνεῦμα, βίαιον καὶ φρικῶδες. Φασὶ γοῦν σύρεσθαι καὶ κυλινδεῖσθαι τῶν λίθων ἐνίους. καταβάλλεσθαι δὲ τοὺς ἀνθρώπους ἀπὸ τῶν ὀχημάτων, καὶ γυμνοῦσθαι, καὶ ὅπλων, καὶ ἐσθῆτος ἀπὸ τῆς ἐμπνοῆς: & quæ sequuntur. Describit hunc eumdem Campum, quamvis non nominet, & Ventum infestantem Diodorus lib. V. Visitur hodieque hic Campus, vocaturque *Las Craux* inter Arelate & Massiliam; suntque in eo Opida quædam & Vici.

Campi Lapidei. hodie *Las Craux*.

Sunt porro in Provincia sub Parlamento Aquensi, præter multa minorum gentium Opida, Vrbes, duæ quidem Archiepiscopatus, undecim autem Episcopatus dignitate nobiles. Archiepiscopales sunt *Aqua Sextia* & *Arelata*.

Archiepiscopales Provinciæ Vrbes.

Aqua

Aquæ Sextiæ, hodie Aix.

Aquæ Sextiæ, Colonia, Latinis, Paterculo, Solino, aliisque dicuntur; quæ Ὕδατα Σέξτια, Κολωνία, Ptolemæo: Σεξτιλία est apud Plutarchum in Vita C. Marii: *Aquæ Sestiæ* Itinerariæ Tabulæ. *Coloniam Iuliam Aquas* vocat Lapis qui hodie Lugduni ad D. Benedicti:

COL. IVL. AQVIS. ET
COL. IVL. P. AREL

Item alius ad ipsas Aquas:

P. SEXTIVS. FLORVS
IIIIII. VIR. AVG. COL. IVL
AQVIS. ET. COL. AREL
VALERIÆ. SPVRIÆ. FLASSINÆ
VXORI. PIENTISS
SEX. VALERIO. PROCVLO. ET. SVIS

Plinius nominat *Coloniam Iuliam Augustam Aquas Sextias* Monimentum, quod in Agro Arelatensi hodie reperiri notat ad Ausonium lib. I. cap. XXX, Vir Nobilissimus Iosephus Scaliger:

M. FRONTONI. EVPOR
IIIIII. VIR. AVG. COL. IVLIA
AVG. AQVIS. SEXTIIS. NAVICVLAR
MAR. AREL. CVRAT. EIVSD. CORP
PATRONO. NAVTAR. DRVENTI
CORVM. ET. VTRICLARIORVM
CORP. ERNAGINENSVM
IVLIA. NICE. VXOR
CONIVGI. KARISSIMO

Colonia item *Iulia Aquæ Sextiæ*, *Legio* XXV vocatur in antiqua Inscriptione, Nummoque Vespasiani; si fides Huberti Goltzij Thesauro. *Aquæ* quidem, quod *Aquarum* ibi *Caldarum* Balnea; unde & hodie *Aix: Sextiæ* ab C. Sextio Calvino cos. anno ab V. C. IↃCXXX. Hic enim, victa Salyorum Gente, *Coloniam Aquas Sextias* condidit, eo consilio, ut Romanum illic collocaret præsidium; quo Barbaros ex iis reprimeret Littoribus, quæ ex Massilia ducunt in Italiam, quum Massiliensibus, illis coercendis, non suppeterent vires. Legendus Livius lib. LXI. ab V.C. Paucis Strabo lib. IV: Σέξτιος γοῦν ὁ καταλύσας τὰς Σάλυας, οὐ πολὺ ἄπωθεν τῆς Μασσαλίας, κτίσας πόλιν ὁμώνυμον ἑαυτοῦ τε καὶ τῶν ὑδάτων τῶν θερμῶν, ὧν τινα μεταβεβλῆσθαί φασιν εἰς ψυχρά. Ἐνταῦθά τε φρουρὰν κατῴκισε Ῥωμαίων, καὶ ἐκ τῆς παραλίας, τῆς εἰς τὴν Ἰταλίαν ἀγούσης ἀπὸ Μασσαλίας, ἀνέστειλε τοὺς Βαρβάρους, οὐ δυναμένων τῶν Μασσαλιωτῶν ἀνείργειν αὐτοὺς τελέως, &c. *Iulia Augusta* vero ab *C. Iulio Cæsare Augusto*, qui eam Colonis auxit, deductis eo Legionis XXV. Veteranis. Parlamenti Provincialis Sedes, quod inde *Aquense*. Partim ad *Aquas Sextias*, partim in Italia, in Campo Raudino, vicit Cimbros Teutonosque Germaniæ Populos, quique ipsis se junxerant, Tigurinos Ambronesque, Gallicas Nationes, C. Marius D. Hieronymus ad Gerontiam: *Gens Teutonum*, inquit, *ex ultimis Germaniæ profecta Littoribus omnem Galliam inundavit, sæpiusque cæsis Romanis exercitibus, apud Aquas Sextias, Mario pugnante, superata est.* Nota est Historia. Aliis locis etiam hac de re nonnulla. *Arelas* simpliciter Orosio & Ausonio lib. de Vrbibus in Epigraphe & ipso Carmine VII: *Arelatus*, eidem Ausonio in eodem Carmine. & aliis: *Arelate*, Cæsari, Plinio, Suetonio in Ti. Principis Vita, Pomponio Melæ, & aliis; Ἀρελάται denique Straboni: quæ Ἀρελᾶτον, *Salyorum Colonia*, Ptolemæo lib. II. cap. X; & *Arelate, Sextanorum*, Plinio lib. III. nat. Hist. cap. IIII. & Cassiodoro. Vt *Coloniæ* meminerunt Lapides paullo ante ad *Aquas Sextias* à me positi. *Salyorum* quidem, ab antiquissimis Galliæ Populis, de quibus ante: *Sextanorum* vero, ab Legione VI, cui hic sua fuerunt Stativa, quorum etiam initio huius Capitis memini. Hodie *Arles*, plurali voce. *Thelinen* olim nuncupatam ab Græcis eam incolentibus, memoriæ prodit Festus Avienus:

& Arelate, vulgo Arles.

Arelatus

Arelatus illic Civitas attollitur,
Theline *vocata sub priore seculo*
Graio incolente.

Mamiliaria cognominatur, quam ob caussam nescitur, in Inscriptione pulcherrima, quæ ibidem in Columna legitur, teste V. N. Iosepho Scaligero, in ædibus honestissimæ Matronæ Vallensis: *cognominata Mamiliaria.*

SALVIS. DD. NN
THEODOSIO. ET
VALENTINIANO
P. F. V. AC. TRIVM
SEMPER. AVG. XV
CONS. VIR. INL
AVXILIARIS. PRAE
PRAETO. GALLIA
DE. ARELATE. MA
MILIARIA. PONI. S
M. P. I

Constantina ut diceretur, ibique Septem Provinciarum, Viennensis, utriusque Narbonensis, utriusque Aquitaniæ, Novempopulaniæ, & Alpium Maritimarum, Conventus ageretur; sanxit Fl. Constantinus Imperator: cujus egregiam ea de re Constitutionem videre est apud Scaligerum lib. I. Ausonianarum Lectionum, cap. XXIV. *Constantina.* *Gallulam Romam* vocat Ausonius, Carmine, cujus memini, quod esset celeberrimum & opportunissimum Emporium; quodque Romanorum Colonia, ab Ti. Claudio Nerone, Ti Principis Patre, deducta, teste Suetonio, Romam Genitricem suam in multis æmularetur & exprimere conaretur, indeque parva quædam videretur Roma. *Gallula Roma.* Vrbs ad Rodanum sita. Eo pertinet Philostrati illud in Vita Favorini Galli Arelatensis: ἦν μὲν γὰρ τῶν ἑσπερίων Γαλατῶν οὗτος, Ἀρελάτου πόλεως, ἣ ἐπ' Ἐριδανῷ ποταμῷ ᾤκισται. *Situs olim.* Vbi nemo non videt legendum, Ῥοδανῷ pro Ἐριδανῷ. Sic Strabo lib. IV: Πρὸς δὲ τῷ Ῥοδανῷ πόλις ἐστὶ καὶ ἐμπορεῖον οὐ μικρὸν, Ἀρελάτη. Simpliciter uterque: Hic, πρὸς Ῥοδανῷ: ille, ἐπὶ Ῥοδανῷ. Ad Sinistram autem ripam hodie. Itineraria Tabula collocat ad dextram, ubi hodie Languedokium. Antoninus etiam in Itinerario Maritimo ab Vrbe Arelatum usque, in fine; *A Gradu*, inquit, *per Fluvium Rodanum Arelatum* M. P. XXX. Non male; si Rodani Brachia, ut tunc se diducebant, considerentur. Ausonius *Arelatum* Rodani Fluentis interscindi, notat. Carmen ejus, ut semel hic ponam, sic habet:

Pande, duplex Arelate, *tuos blanda hospita Portus*
Gallula Roma Arelas: *quam Narbo Martius, & quam*
Adcolit Alpinis opulenta Vienna Colonis.
Præcipitis Rodani sic intercisa fluentis,
Vt mediam facias navali Ponte Plateam:
Per quem Romani commercia suscipis orbis,
Nec cohibes: Populosque alios & Mœnia ditas:
Gallia quis fruitur, gremioque Aquitania lato.

Arelas hic, item in extremo Mosella & Epistola XXIII ad Paullinum, *Duplex*, quod in duas partes ab Rodano secaretur. Quin & *Pontis* in Rodano, præter Ausonium, meminit etiam Cassiodorus in Epistola quadam ad Senatum Vrbis Romæ lib. VIII, Epistola X: *Arelate est Civitas supra undas Rodani constituta: qua in Orientis prospectum, tabulatum Pontem, per nuncupati Fluminis dorsa, transmittit. Hunc & Hostibus capere, Nostris defendere, necessarium fuit.* Hodie, mutata ibi rerum facie, Simplex est, tota in ripa Rodani, quæ Italiam respicit, posita: septa undique Paludibus, in quibus præferoces aluntur Boves. *Hodie;* Putatur hinc major fuisse, creduntque magni Viri partem Vrbis olim florentissimæ alteram ab Gothis excisam. *Olim major;* Videndi obiter Iornandes in Histor. Goth. Cassiodorus lib. III, Epist. XXXIV, Prosper in Chronicis ad Theodosij XI & Valentiniani Consulatum, apud quem vitiose legitur *Archillus*, pro *Arelas*; ut & apud Paulum Diaconum in Theodosio Iuniore. Consulendi item Sidonius

Hinc denique *Phocaicum Littus* circa Massiliam & Emporias, de quo alibi. A *Phocæa* scilicet, quæ Φωκαία, Ptolomæo Æolidis Stephano Ioniæ opidum; *Phocis* Pomponio & Lucano lib v. Hinc enim in has oras profecti Massiliæ Conditores. Plutarchus in Solone conditam scribit a *Proto*, qui *Protis* aliis dicitur. Vnde autem dicta *Massilia*,

Massilia unde dicta.

paucis indicat ex Timæo Stephanus: Τίμαιος δὲ φησιν, ὅτι προσπλέων ἐκβιβάζειν τῆς νηὸς ἰδὼν ἁλιέα, κελεῦσαι μάσαι τὸ ἀπόγειον σχοινίον. μάσαι γὰρ τὸ δῆσαι φασὶν Αἰολεῖς. ἀπ' οὖν τοῦ ἁλιέως καὶ τοῦ μάσαι ὀνομάσαι. Situm petroso in loco, ἐπὶ χωρίου πετρώδους, indicat Strabo: prope

Eius Situs.

ostia Rodani Amnis, in remoto Sinu, velut in Angulo Maris, ait ex Trogo Iustinus. De Situ sic Cæsar lib. II. Bell. Civil. *Massilia fere ex tribus opidi partibus mari alluitur; reliqua quarta est, quæ aditum habet a terra: huius quoque spatii pars ea, quæ ad arcem, pertinet,*

Arx.

Loci natura & valle altissima munita longam & difficilem habet expugnationem Et addit Strabo, ὑποπέπτωκε δ' αὐτῆς ὁ λιμὴν θεατροειδεῖ πέτρᾳ, βλέπων πρὸς τὸν Νότον. De *Portu* isto

Portus.

Dionysius:

> ἔνθα τε γαῖα
> Μασσαλίη τέτυκται, ἐπιστρεφὲς ὅρμον ἔχουσα.

Nomen *Portui* fuit ut Eustathius notat Λακυδών. Hinc apud Melam ex veteribus libris legendum: *Et Lacidon Massiliensium Portus & in eo ipsa Massilia*. Pergit Strabo: τετείχισται δὲ καλῶς καὶ ἡ πόλις σύμπασα, μέγεθος ἔχουσα ἀξιόλογον. ἐν δὲ τῇ ἄκρᾳ τὸ Ἐφέσιον ἵδρυται, καὶ τὸ τοῦ Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερόν.

Qualitas. Templa. Respublica.

Rempublicam porro *Massiliensium* tantopere laudat M. Tullius; ut, audiente Populo Romano, dicere auderet in Defensione Fontei, *Civitatis illius Disciplinam atque Gravitatem non solum Græciæ, sed pene cunctis Gentibus anteponendam*. Ejus (ut plene scribit Strabo) *Sexcenti* erant Senatores, quos Τιμούχους vocabant, quique totam vitam isthoc honore potiebantur: ex eo numero *Quindecim-viri* quotidianis Litibus dirimendis legebantur. Atque ij nimirum sunt *Sexcenti Massiliensium, & Quindecim-Primi*, quos libro belli civilis I appellat Cæsar. *Sexcentorum* etiam meminit Valerius Maximus lib. II. cap VI Ex *Quindecim-viris* autem *Tres-viros* optabant, in quibus auctoritas esset summa Τιμοῦχος. nemo creabatur qui Liberos non haberet, quive à tertia usque progenie ac stirpe civis non esset. *Massiliensium* igitur Respublica Ἀριστοκρατικῶς (hæc Strabonis est vox) administrabatur Aristoteles Πολιτικ. lib V. & VIII. eos ὀλιγαρχίᾳ usos testatur. *Oliarchicum* sane fuit, genere, ut audivimus, non virtute, Reip Principes fieri. Eorum leges Ionici genii, Ἰωνικοὶ inquit Strabo, publice sunt propositæ. Instituta Reip. *Massiliensium* paucis recenset

Leges & Instituta.

Iustinus lib XLIII Consuevisse scilicet, ab condita fere urbe *festis diebus portas claudere, vigilias agere, stationem in muris observare, peregrinos recognoscere curas habere: ac veluti bellum habeant, sic Vrbem pacis temporibus custodire? adeo illic bene instituta non temporum necessitate, sed recte faciendi consuetudine servari.* Alia de Manumissionibus Spectaculis Validis mendicantibus, Suppliciis, Funeribus Sepulchris & hospitiorum jure leguntur apud Valerium, capite quod indicavi. Consonabant optimis institutis Sanctissimi publice privatimque Mores.

Mores laudati.

Τῆς δὲ λιτότητος, inquit Strabo lib. IV, τῶν βίων καὶ τῆς σωφροσύνης τῶν Μασσαλιωτῶν οὐχ ἥκιστα ἄν τις θείη τοῦτο τεκμήριον. ἡ γὰρ μεγίστη προὶξ αὐτοῖς ἐστιν ἑκατὸν χρυσοῖ, καὶ εἰς ἐσθῆτα εἰς πέντε, καὶ πέντε εἰς χρυσοῦν κόσμον: πλέον δ' οὐκ ἔξεστι. *Massiliam* Tacitus ait locum græca comitate & provinciali parsimonia mistum & bene compositum. Sed isti morum integritati multum ademit unum, quo se infamare soliti Massilienses, vitium

Deteriores facti.

Notum est proverbium Πλεύσειας εἰς Μασσαλίαν *Massiliam naviges*, de quo Athenæus lib. XII, Suidas & alij Credebantur enim Γυναικοπαθεῖν Hinc *Massilienses Mores* Plauto in Casina, molles impudici, effœminati: Huc illa Clementis Alexandrini IX, Recog. referenda. *Apud Gallos*, inquit, *Lex prisca constituit nuptum tradi publice pueros, nec opprobrium ex hoc aliquod duci*, innuere videtur eadem Diodorus scribens, Gallos licet habeant speciosas fœminas, ad Mares tamen esse proniores: Strabo item, ubi memorat, apub Gallos turpe non judicari, si adolescentes ætatis flore abuterentur. Tradit & Athenæus lib XIII Gallos super pellibus sæpius cum duobus catamitis concumbere. Hæc enim talia non de Gallis veteribus generatim, sed de Massiliensibus Græca mollitia fractis exaudienda censent Magni viri. Sidonius aperte carmine XXII:

> *Et te Massiliensium per hortos*
> *Sacri Stipitis Arbiter colonum*
> *Hellespontiaco parem Priapo* &c.

Infamibus *Massiliensium* Moribus adscribam quæ notat ad illud Virgilij,

Auri sacra fames,

Mos tempore Pestis.

Servius, *id est*, inquit, *exsecrabilis, ut Sacræ panduntur Portæ. Tractus est autem Sermo ex more Gallorum. Nam Massilienses quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis & purioribus Cibis. Hic postea ornatus Verbenis & Vestibus sacris, circumducebatur per totam Civitatem cum Exsecrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius Civitatis, & sic præcipitabatur*, &c. Agathias sua ætate *Massiliam* ex Græca Civitate jam barbaram notat factam: Nam patrio priscoque vivendi more rejecto, Imperantium Institutis usam fuisse.

Res gestæ.

Massiliensium porro Bella, Resque contra Ligures, Gallos, Karthaginienses, aliosque Conregionales & Remotiores Populos gestas; item Victorias eorundem, Triumphos, Trophæa & Exuvias; Fœdera denique cum Romanis, Hispanis, alijsque, commemorant Strabo lib. IV, Iustinus lib. XLIII, & alij.

Massilienses Romanorum Fratres.

Quin *Fratres* appellatos fuisse *Romanorum*, patet ex Panegyrico, qui Constantino & Maximiano dictus; *Cujus*, inquit, *Civitatis antiqua Nobilitas & quondam fraterno Populi Romani nomine gloriata*. Certe in magno erant Romanis honore. Princeps Rodiorum Legationis, Oratione in Senatu Romæ habita, de ijs apud Livium lib. XXXVII, sic loquitur: *Massilienses, quos, si natura insita, velut ingenio terræ vinci posset, jam pridem efferassent tot indomitæ circumfusæ Gentes, in eo honore, in ea merito dignitate audimus apud vos esse, ac si medium umbilicum Græciæ incolerent. Non enim sonum modo Linguæ Vestitumque & Habitum, sed ante omnia Mores & Leges & Ingenium sincerum, integrumque à contagione Incolarum servarunt.*

Coloniæ ab Massiliensibus ductæ,

Colonias ex hac Vrbe ductas non paucas indicant ijdem Scriptores. Iustinus: *Qui pericula propulsando in tantum enituerunt, ut victis Hostibus in captivis Agris multas Colonias constituerent.*

certis Ritibus,

Quos autem Ritus servare fuerint soliti in Colonijs deducendis, sic notat Strabo: Ἔν τε ταῖς ἀποικίαις πόλεσι πανταχοῦ τιμᾶν ἐν τοῖς πρώτοις ταύτην τὴν θεὸν (loquitur de *Aristarcha*) καὶ τοῦ ξοάνου τὴν διάθεσιν τὴν αὐτὴν, καὶ τ' ἄλλα νόμιμα φυλάττειν τὰ αὐτὰ, ἅπερ ἐν τῇ Μητροπόλει νενόμισται. Et paulo post scribit *Massilienses* Colonijs ab se ductis *Dianæ Ephesiæ* Sacra, more patrio, tradidisse; &, ut Græcanicis Ritibus immolarent, jussisse. Colonias enumerat varijs locis idem Strabo; in ijs *Aphrodisium* Pyrenæorum Promontorium, *Agatham*, *Antipolin*, *Nicæam*: & alia, quæ ipsa nomina satis arguunt.

Calamitates,

Concussa supra modum fuit ejus Felicitas anno I. Belli Civilis inter Cn. Pompeium Magnum & C. Iulium Cæsarem, cujus in eam Victoria fuit talis, tamque moderata, ut pro Nomine & Vetustate potius, quam pro Meritis salva ipsi sua relicta fuerit Libertas. Legendi, præter Cæsarem ipsum, Strabo lib. V, & Lucanus lib. III. de Bello Civili: Ab Gothis postea captam, posterioris ævi scribunt Auctores. Iornandes in Histor. Gothor. *Et quomodo Euricus Rex Vesegothorum Romani Regni vacillationem cernens, Arelatum & Massiliam propriæ subdidit Ditioni*. Isidorus in Chronic. Era DXIIII: *In Gallias autem regressus, Arelatum & Massiliam Vrbes capit, suoque Regno utramque subjecit*. Sigebertus in Chronic. ad annum CCCCLXXI, *Arelatum & Massiliam Galliarum Vrbes invasit*.

Academia.

Mercatus hic olim fuit, ut memoriæ prodit Strabo lib. IV, bonarum Artium & Disciplinarum celeberrimus. Eo, tamquam ad alteras Athenas, Romani, Galli, Hispani, omnesque, quibus licebat Philosophiæ Græcæque Linguæ gratia se conferebant. Testatur Tacitus in Vita Agricolæ Soceri, eum parvulum sedem ac Magistram Studiorum habuisse Massiliam; Locum, ut antea etiam monui, Græca Comitate & Provinciali Parsimonia mistum beneque compositum. Hæc *Eumenidis*, qui tam accurate quæsivit de Nilo; Hæc *Pytheæ* quem tam studiose insectatur Strabo; Hæc aliorum, quorū, Scripta interciderunt, fuit, Patria. Hic verisimile est Philosophiam didicisse *Favorinum Arelatensem*. Hæc Gallos omnes ita φιλέλληνας reddebat, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν, ut Contractus omnes Greco Idiomate conficerent, & in omnibus publicis privatisque Rationibus Græcis Litteris uterentur, Strabone Teste. Inde Tabulæ in Helvetiorum Castris repertæ Græco Charactere conscriptæ, ad Cæsarem perlatæ, ut in Ephemeridibus Belli Gallici est legere. Hinc hodieque tam frequens in Gallo-Romano sermone Hellenismus. Alia prætereo: Nam plura à me alibi notata.

Navale, Armamentarium, Territorium olei vinique ferax.

Habuisse *Massilienses Navalia & Armamentarium*, copiam item Navium, Armorum, Machinarum, quibus & contra Barbaros se tuebantur & Romanorum societatem sibi compararunt, tradit idem Strabo: qui & Territorium ipsorum celebrat, Ἐλαιόφυτον καὶ κατάμπελον.

Vsum

Vinum Massiliense ait Athenæus esse καλὸν, sed ὀλίγον, ἢ παχὺ καὶ σαρκῶδες. *Ostrea Massiliensia* laudat Ausonius Epist. VIII; eadem forte cum iis, quæ Strabo magna copia reperiri scribit in Rodani ostiis. *Lateres* apud Massilienses fieri, qui projecti in aquam natant, notat Vitruvius. Incolas Trilingues fuisse, ut qui Græce, Latine, Gallicеque loquerentur, refert ex Varrone D. Hieronymus. Digna igitur maximis Elogiis *Massilia*, cum quod tantæ Antiquitatis, tum quod hodieque Situ Opereque sit præpotens, Regique suo fidelissima; quod item suorum Incolarum industria per Asiam, Africam, aliasque remotissimas Regiones longe lateque negocietur. Theatralem & nunc fere servat formam; sed ita, ut in Septemtrione Cornu petior sit Civitas in Austrabore Collis, in quo Monumenta, quæ vulgo *Le Fort de Nostre Dame de la Garde, & de S. Nicolas*, adjacente Colli *de Notre Dame gubernatori* cum *Armamentario*. Inter utrumque Cornu *Portus* est; cui præjacent insulæ, vulgo *Les Pomegues*, in quarum una Stationem navium habuit D. Junius Brutus, quum Vrbs ab Cæsare, cujus ille erat Legatus, esset obsessa. Visitur ibi hoc tempore *Arx*, quæ vernacule *Le Chasteau Dif*. Vrbe per Portam Franciscam egresso ad sinistram se offerunt magna *Aquæductuum* Rudera, quæ ad ipsum Opidum junguntur Monimento, quod inter eamdem Franciscam & Aquensem Portas, *Magnum* cognomine. Episcopos suos numerant ab *D. Lazaro*, quem Christus ab morte suscitavit. Eum bonis sedibusque exutum, sæviente Persequutione, quæ Stephanum abstulerat, cum sororibus Maria Magdalena & Martha in has oras venisse, Christique fidem nunciasse, narrant Massilienses. Quin & caput ejus monstrant in Primario templo: quod incolis *La Maieur*, ad urbis Mœnia, versus Mare. Hæc de *Massilia*: reliquæ urbes Episcopales sunt: *Dine*: *Dinia* Plinio in Ebroduntiis; Δίνια Ptolemæo in Sentiis. *Grasse*, *Grasiense Opidum*. *Glandeve*, *Glannate* Viris Doctis Latine scribentibus, *Glannatena Civitas*, Notitiæ Provinciarum Galliæ in Viennensi IV: in aliis libris est *Glanatina*, in quibusdam *Gamnatena*. *Glandetensis Episcopi* meminit concilium Aurelianum VI. Falluntur, qui *Glanum* Plinii, Pomponii & Antonini cum *Glannate* confundunt. *Glanum* enim Antoninus ponit inter Cabellionem & Arelatum: at quam procul inde *Glannate*? Quid *Glanum* hodie, ignoratur. *Senas*, Σανίτιον, Veldantiorum opidum in Alpibus Maritimis, Ptolemæo. *S. Paul de Vences*, Οὐέντιον, Nerusiorum Opidum in Alpibus Maritimis, Ptolemæo, οὐέντια, Dioni lib. XXXVII. *Apt*. *Apta Iulia* Vulgientium Plinio, *Atta Iulia* & *Abtejulia* corrupte apud Antoninum: Nam in melioribus est *apta Iulia*: ut & in Itineraria Tabula. *Aptensis Episcopatus* meminerunt concilium Aurelianense, & alia. *Ries*, *Reius* Notitiæ Provinciarum Galliæ, in qua sub Viennensi II sic legitur, *Civitas Reiensium, id est Reias*. In Tabula Itineraria, ut paullo ante dixi, scriptum est, *Reis Apollinaris*; quod nondum liquet. *Feriuls Forum Iulii* Planco Imperatori Epistola ad M. Tullium, addenti abesse ab *Foro Voconii* XX. M. P. Tabula Itineraria inter *Forum Voconii* & *Forum Iulii* notat XVII. M. P. Φόρος Ἰουλίου, Commonorum urbs Ptolomæo; COL. IVL. OCTAV. in Augusti Nummo apud Hubertum Goltzium: *Forum Iulium Octavanorum Colonia, quæ Pacensis appellatur & Classica*, Plinio lib. III. cap. IV. τὸ Ναύσταθμον τοῦ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ ὃ καλοῦσι Φόρον Ἰούλιον inquit Strabo lib. IV: Et hodie Portus est marinus. *Cisteron*, *Segustero* apud Antoninum & in itineraria tabula: *Cettero* inquit suis ad me litteris Iosephus Scaliger, Plinio: apud quem tamen excusum est *Cessero*. Sed mihi semper Pliniana *Cessero* eadem censeri solet cum ea, quæ Κεσσερὼ apud Ptolemæum, Tolosæ & Carcassoni connumerata, quæ hodie in Languedokio *Castres*, ut ibi monui. Plinius enim *Cesseronem* locat inter Opida Volcarum Tectosagum, qui ad dextram Rodani ripam. *Tolon*, *Telonum* Doctis Latine scribentibus; *Telo Martius*, Antonino, Opidum in interiore Maris recessu, novem Leucis Massilia.

Hæc de Episcopalibus: sunt alia non minoris nominis & antiquitatis opida: *Antibe*; Ἀντίπολις, Deciatorum opidum Ptolemæo; *Opidum Latinum, Antipolis*, Plinio: Tacitus *Antipolim Narbonensis Galliæ Municipium* appellat. *Coloniam* vocat Nummus Titi imperatoris: Meminit Ἀντιπόλεως & Strabo, scribens inter eam & Olbiam constructum esse *Forum Iulium*. *Olbia* sane, quæ & Ptolemæo Melæque nota, *Teres* vel *Hieres* hodie censetur ad Mare, tribus fere leucis Telono. Contra Opidum jacent nobilissimæ insulæ, quæ Ptolemæo Στοιχάδες, Λιγυστίδες Stephano & Apollonio lib. IV. De iis lib. ultimo. Hodie, Opido cognomines, *Les Isles* dicuntur *de Teres*,

Ostrea. Lateres.

Incolæ trilingues.

Hodierna celebritas.

Reliquæ Episcopales Vrbes. Dine. Dinia. Grasse. Glandeve, Glannate.

Senas, Sanitium. S. Paul de Vences, Ventium.

Apt. Apta Iulia.

Ries, Reius.

Feriuls, Forum Iulii.

Cisteron, Segustero.

Tolon, Telo Martius.

Aliæ Vrbes & opida. Antibe, Antipolis.

Hieres, Olbia.

vel *Hieres*. Coralium ibi colligitur optimum, & quo non aliud præstantius in Mari Ligustico. *S. Maximin*, *Tecolata* videtur Antonino in Itinerario; sex grandioribus leucis Massilia, versus Boream. *Tarascon*, Ταρασκων Straboni: Ταρουσκων Ptolemæo; ad sinisteriorem Rodani ripam; cui in dexteriore opposita visitur *Belloquadra*, vulgo *Beaucarre*, Fluvio tantum intercurrente: unde usitatum illud Gallis; *Entre Beaucarre & Tarascon, Ne repaist. Brebis ne Oison, Non plus qu'entre Tain & Tournon.* Nam & hæc apud Valentinos utrimque ad Rodanum. Comitatus dignitate fulgent Opida, *Sault*, *S. Cellis*, & alia. Iam quas hodie habeant appellationes ignoro Opida, quæ apud Antoninum & in Itineraria Tabula scribuntur, *Alaunium* & *Catoluca*, quæ *Catuiacia*, Tabulæ Itinerariæ. Vtrumque certe locatur inter Segusteronem & Aptam Iuliam. Neque certiora habeo de *Glano* & *Ernagino*, quæ quomdam inter Cabellionem & Arelate. *Glanum* Plinio, Pomponio, Antonino; Γλανὸν Ptolemæo in Salyis: quod Itinerariæ Tabulæ *Clanum*. Falluntur, ut alibi moneo, qui *Glanum* idem faciunt cum *Glannate*, hodie *Glandeve*. Et *Ernaginum*, quod Ε'ρνάγινον Ptolemæo, *Ernagina* Itinerariæ Tabulæ; οὐργινον Straboni esse videtur; apud quem MS. Codicibus οὔγερνον legi notat Casaubonus: *Vgernum* nominat Gregorius Turonensis. *Ernaginensium* memoria in antiquo exstat Lapide, quem paullo ante posui, ubi de Aquis Sextis. Præter *Massiliam*, *Telonum*, *Olbiam*, *Forum Iulium* & *Antipolin*, alia quoque ab Veteribus opida nominantur Provinciæ hujus Mari adposita. Ea animus est ordine enumerare ex Parte Itinerarij Maritimi, quod sub Antonini nomine circumfertur, collata cum alijs:

S. Maximin. Tecolata forte. Tarascon, nomen retinent.

Alia.

Alaunum, Catoluca.

Glanum.

Ernaginum.

Pars Itinerarii Maritimi, ad Provinciam pertinentis.

Pars Itinerarij Maritimi apud Antoninum, ad *Provinciam*, pertinens.

A *Nicia Antipolim*. Port.	M.P.XVI.	*Antibe*, suo loco.
Ab *Antipoli Lero & Lerina Insulæ*.	M.P.XI.	*Les Isles de S. Margarete & de S. Honorat.* Λήρων, Straboni; Λη̃ρώνη, Ptolemæo *Lerina* Plinio. *Lirinense* ibi *Monasterium: S. Honorati*, hodie.
A *Lerone & Lerina Forum Iulij*. Port.	M.P.XXIV.	*Feriuls*. Alibi dixi.
A *Foro Iulio Sinus Sambracitanus*. Plag.	M.P.XXV.	*Goulfe de Grimault.*
A *Sinu Sambracitano Heraclia Caccabaria*, Portus,	M.P.XVI.	. . . .
Ab *Heraclia Caccabaria*, *Alconis*,	M.P.XII.	
Ab *Alconi Pompeianas* Portus.	M.P.XXX.	
A *Pompeianis Telonem Martium* Port.	M.P.XV.	
A *Telone Martio Taurentum*. Port.	M.P.XII.	Cæsari *Taurenta* Castellum Massiliensium; Straboni, Ταυρέντιον: Ταυρόεντιον, Ptolemæo; Ταυροεὶς Stephano: Cenalis, Albenas, Massonius, alij censent esse Opidum, quod hodie *Telon*: sed hoc esse non posse, patet hic ex Antonino, qui *Telonem* præmittit. Vbi sit, ignoro.
A *Taurento Carsicim*. Portus.	M.P.XVIII.	Memoria loci servatur ad Promontorium *Cerchiech.*
A *Carsici Citharista* Portus.	M.P.XVIII.	Κιθαρίστης Ptolemæo; *Citharista* Plinio & Melæ. Hodie alijs alia Promontoria inter se vicina, *Capo de S. Sigo*, *Circelli*, *S. Bacro.*
A *Citharista Portus Aemines*. Posit.	M.P.VI.	In alijs Exemplaribus *Mines*, item *Hemines.*
A *Portu Aeminis Immadras*. Posit.	M.P.XII	Forte ubi hodie *Maire*. Varie legitur apud Antoninum.
Ab *Immadris Massiliam Græcorum*. Port.	M.P.XII.	*Marseille.*
A *Massilia Græcorum Incarum*. Posit.	M.P.XII.	Incidit fere in locum, qui hodie ad Sinum Massalioticum, *Carri.*
Ab *Incaro Dilim*. Posit	M.P.VIII.	. . . .
A *Dili Fossas Marianas*. Portus.	M.P.XX.	Nomen servare videtur opidum *Fos*, in Campis Lapideis.

A *Fossis*

A *Fossis ad Gradum Massilitanorum. Fluvius Rodanus.*	M.P. X.V.I.	*Gras de Passon.*
A *Gradu per Fluvium Rodanum Arelatum.*	M. P. XXX.	*Arles.*

Adponam & aliud Antonini Iter, Magis Mediterraneum, *Provinciæ* Opida proponens; collatum cum Itineraria Peutingeri Tabula: Aliud Iter per Loca magis mediterranea.

Antonini Itinerat.		Tabula Peuting. Itiner.		Vulgata Nomencl.
Cemenelum,	M. P. V. III.	*Gemenello,*	VI.	*Varo.*
Plinio *Cemelion, Vediantiorum* Civitas: Ptolemæo Κεμενέλεον in *Vesdiantiis.*		Leg. *Gemeneleo.*		*Antibe.* *Feriuls.*
Varum Flumen,	M. P. V. X.	*Varum,*	X.	
Antipolim,	M. P. X.	*Antipoli,*	XII.	
Ad Horrea,	M. P. XII.	*Ad Horrea,*	XVII.	
Forum Iuli,	M. P. X. VIII.	*Foro Iulij,*	XVII.	
Forum Voconi,	M. P. X. II.	*Foro. Voconi,*	XXII.	
Plancus M. Tullio scribens, *Forum Voconi* ab *Foro Iuli* quatuor & viginti millia passuum abesse prodit.		Vitiosa Interpunctione Numerus hic magis accedit ad Planci rationem, Ciceroni scribentis.		
Mantavonium,	M. P. XII.	*Matavone,*	XVII.	
Ad Turrem,	M. P. XIIII.	*Ad Turrem,*	XVI.	
Tegulatam,	M. P. XVI.	*Tegulata,*	XV.	
Aquas Sextias,	M. P. XVI.	*Aquis Sestis,*	XVIII.	*Aix.*
Massiliam,	M. P. XVIII.	*Massilia Græcorum,*	.....	*Marseille.*
Calcariam,	M. P. XIIII.	*Calcaria,*	XXXIII.	
Fossas Marinas,	M. P. XXIV.	*Fossis Marianis,*	XXXIII.	
Arelate,	M. P. XXXIII.	*Arelato,*	.....	*Arles.*

Provinciæ Comites.

De Antiquissimis porro *Provinciæ Comitibus* pauca inveniuntur. Tempore Ludovici VIII, Francorum Regis, lego in vetustissimis Annalibus fuisse *Raimundum Berengarium Provinciæ Comitem*; ejusque Filiam unicam & Heredem *Beatricem*, Vxorem fuisse ductam ab *Karolo* Andium & Cenomanorum Comite, ejusdem Ludovici Regis Filio, qui hoc Matrimonio *Provinciæ Comitatum* est adeptus. Successit huic *Karolus*, *Claudius* cognomine, Princeps Salernitanus, & Rex Neapolis. Hunc sequutus est Filius *Robertus*, Dux Calabriæ, & Rex Neapolitanus. Robertum Avum excepit *Ioanna* (cujus Pater Karolus, Calabriæ Dux, jam vitam cum morte commutarat) testamento cum Regina Neapolis, tum *Provinciæ Comes* facta. Hæc *Ludovicum Andegavensem*, Ioannis Francorum Regis Filium, quem explendo in Adversarios odio adoptarat, Successorem & in aliis Principatibus, & in eodem Comitatu reliquit. Post Ludovicum Comes factus est Filius ejus *Ludovicus* II; quem sequutus *Ludovicus*, III Filius, quum etiam ab Ioanna II. Neapolis Regina in Regem Siciliæ, Calabriæque Ducem esset adoptatus, in prolis Successorem habuit in suis Principatibus, ex consensu ejusdem Ioannæ II, *Renatum Andegavensem*, Fratrem. Hic quum Regni Neapolitani *Provinciaque Comitatus* jura resignare nollet Renato Lotharingiæ Duci, ex Filia Iolanta Nepoti, ea transscripsisse memoratur in *Karolum* Fratrem, Cenomanorum Comitem: qui Filio Karolo orbatus *Ludovicum* XI, Francorum Regem, omnium Bonorum Hæredem instituisse scribitur. Alij suprema id *Renati* voluntate factum volunt; non absque gravissima justissimaque Renati Lotharingici expostulatione.

Delfinatus.

Cap. XL.

Sic se habet *Provincia*, quæ Aquensi paret Parlamento: sequitur *Delfinatus*, qui Gratianopolitano.

Delfinatus, Dauphiné. Delphinatvi ad Meridiem adhæret Provincia; ad Septemtrionem Territorium, quod vulgo *Bresse*, interfluente Rodano: qua Occidens est, Venisse se
Eius Fines. pandit Comitatus; qua Oriens, Conregionalia jacent Pedemontium & Sabaudia.
Etymon, Qualitas. Nomen illi volunt ab *Castello Delphini*, quod vernacule *Chasteau-Dolphin.* Regio est non ejusdem ubique genij: ferax plerisque locis variarum rerum; nonnullis etiam sterilior præcipue qua vestita Montibus; qui crebri hic suis distincti Cognominibus.
Incolæ. Incolæ magni suæ sunt Libertatis æstimatores: sam: Deo, suoque Sanguini acceptam ferunt: Militiæ contra Hostem feroces; domi peragundis inter se Negocijs satis industrij, ab Vicinis astu facile superantur. Agricolæ bardi sunt, stupidi, crassæque naris: Nobiles, quique Vrbes habitant, humani, nihil præ se ferunt Fastus, procul ab omni Arrogantia; Moribus, citra Gravitatis detrimentum, amœnis; alacris ingenij; Scientiarum omnium, maxime vero Matheseos, mirum quam capaces; studiosissimi rerum Naturalium indagatores.

Qui olim. Floruerunt hic olim præter *Allobroges* (de quibus *Delfinatus* etiam olim Incolis, in Sabaudia mea) *Viennenses; Caturiges, Ebrodunenses, Segalauni, Valentini, Vocontij, De-*
Viennenses. *enses, Gratianopolitani, Tricastini, VVapincenses, Brannovij. Viennensium* Civitas nominatur in Notitia Provinciarum Galliæ; Hodie. *L'Archeveschè de Vienne: Viennensium*
Caturiges. *Colonia*, quæ hodie *Vienna*, nominatur in Oratione Claudij, de qua post. *Caturiges* Plinio Cæsarique dicuntur, qui Κατόριγας Straboni & Ptolemæo. Eorum Nomen manere putatur hodieque in opido, quod ad Druentiam *Chorges* audit, haud pro-
Ebrodunenses. cul *Ebroduno*, quod *Caturigum* Metropolis Viris doctis censentur. *Ebrodunensium* certe Civitas Notitiæ Provinciarum in Viennensi iv, hodie *L'Archeveschè d'Ambrun.* Dicam plenius paullo post. Vide & præcedente Capite quæ scripsi de *Ebroduntiis*, qui iidem videntur cum *Ebrodunensibus*: an non & cum *Ambivaritis*, Eduorum
Segalauni. Clientibus, apud Cæsarem lib. vii? *Segaulani*, Σεγαλλαυνοὶ Ptolemæo, qui forte Plinio *Segellauni*, restituendi, ni fallor; apud Iustinum lib. xiii, in locum *Segobrigiorum*: hodie, *Pais de Valentinois. Valentia* enim apud Ptolemæum *Segaulaunorum* est
Valentini. Metropolis, non autem *Cavarum*, ut est apud Plinium. *Valentinorum Civitas* Notitiæ Provinciarum in Viennensi i, *L'Eveschè de Valence. Vocontij* Cæsari, Tacito, Me-

læ;

læ; Οὐοκόντιοι, Straboni; qui Οὐισγόνδιοι corrupte Ptolemæo. *Vocontij* apud Iustinum *Vocontij.*
lib. XLIII. reponendi, exturbatis *Vossis*, suffragante Manu exarato Codice. Plinius
Fœderatam Gentem vocat. Triumphantur in Fastis Romanorum, ab Verrio Flacco
concinnatis, cum vicinis Liguribus Salluviisque. Hodie *Le Pais de Die jusques à Vai-
son*. Nam, uti notat suis ad me litteris V. N. Iosephus Scaliger, *Augusta Dea Vocontio-
rum* legitur in Inscriptionibus. *Civitas Deensium* in Notitia Provinciarum, *L'Evesché* *Deensii.*
de Die. Ibidem *Civitas Gratianopolitanorum*, *L'Evesché de Grenoble*. *Tricastini* Livio & Pli- *Gratianopolitani, Tricastini.*
nio qui eorum Metropolin vocat *Augustam*: Τρικαστινοὶ Ptolemæo cui Civitas ipsorum Ἰσάλιμαγ@-, ut quidem meliores habent Codices. Nam in aliis Νεόμαγ@-, le-
gitur. *Tricastini*, inquit Ammianus lib. XV. *Apud Cottias incolunt*. Notitiæ Provincia-
rum in Viennensi: *Civitas Tricastinorum*: Hodie *L'Evesché S. Ancet de Tricastin*. Habet
& eadem Notitia in Viennensi *Civitatem Vapincensium*, *L'Evesché de Gap, Le Pais* *Vapincenses.*
de Gapençois. Nescio an huc etiam referendi *Brannovij*, quos cum aliis Eduorum *Brannovij.*
Clientes facit Cæsar lib. VII. Adsonat Vrbs, quæ vulgo *Briançon*.

Hæc de Antiquis *Delfinatus* nostri Populis: venio ad Vrbes, quarum duæ Ar-
chiepiscopales, quinque Episcopales, reliquæ minorum gentium. Archiepiscopa-
les sunt *Vienna* & *Ebrodunum*. *Vrbes Archiepiscopales.*

Vienna (cui nomen fertur ab Venerio Afro Exsule, qui *Biennio* exstruxisse dicitur: *Vienna, nomen retinens.*
quod quis non rideat?) Cæsari lib. VI. belli Gallici, Tacito, aliisque Auctoribus,
inscriptionibus item passim notissima: Οὐιέννα *Allobrogum Metropolis*, Straboni lib. IV.
eorumdem *Vrbs mediterranea*, Ptolemæo, Βιέννη@-, Stephano: *Ornatissima Colonia* in
Oratione Claudij, quæ Lugduni exstat, æreæ Tabulæ incisa: Vulgo *Vienne*, Ve-
tus nomen retinens. *Iuris* quondam *Italici*, inquit Paullus IC. Tit. D. de Censibus.
Ad decimum sextum lapidem abesse Lugduno, testatur in Ludo Mortis Claudij
Imperat. Seneca. Sita ad Rodanum, ἵδρυται ἐπὶ τῷ Ῥοδανῷ, inquit de ea Strabo. *Al-
pinam* dixit Ausonius Epist. XXIII. Sic & Carmine IV Parental.

quaque potentes
Aedues, Alpino quaque Vienna iugo.

Hinc apud eumdem Libro de Vrbibus, Carmine VII:

Alpinis opulenta Vienna Colonis.

Senatoriam aliquando appellatam notat Paradinus, de antiquo Statu Burgundiæ,
quo Auctore, mihi nondum constat: & sic eam nominat Papirius Massonius in An-
nalibus. Non Archiepiscopatus solum honorata Titulo; verum etiam in Ducatus
hodie dignitatem evecta: *Duché de Viennois*. Episcopus Primus perhibetur fuisse *Cre-* *Duché de Viennois.*
scens, D. Paulli Discipulus. Eiusdem Vrbis Antistes fuisse scribitur *Mamertus*; qui *Primus Episcopus.*
Cladem Vrbi imminentem deprecatus fertur indictis, quas & ad Posteros transmi-
sit, Supplicationibus. De Vetere inter Lugdunenses Viennensesque ob principa- *Supplicationum Institutio.*
tum discordia, mutuoque odio, legendus Cornelius Tacitus lib. I. Historiarum.
Memorat Suetonius, Vitellio Imperatori, *Viennæ* pro Tribunali Iura reddenti, Gal-
linaceum supra humerum, ac deinde in Capite adstitisse; nec fefellisse coniectu-
ram eorum, qui Augurio non aliud portendi prædixerant, quam venturum in alicu-
ius Gallicani Hominis potestatem: si quidem ab Antonio, primo Adversarum Par-
tium Duce, oppressus, cui Tolosæ nato cognomen in pueritiæ *Beco* fuerat: id valet
Gallinacei rostrum. *Vienna* Calamitatem magnam passa est ab Rodani exundantis im-
petu, anno CIↃ IↃ XLIII. In gratiam porro *Turnonij Vini* generosissimi non abs re *Turnonium Vinum in Agro Viennensi.*
videtur addendum: quod Plinius de eo jam olim prodidit: *Iam inventa*, inquit,
Vitis, per se in Vino Picem resipiens, Viennensem Agrum nobilitans, Arverno, Sequanorumque
& Helvetiorum generibus non pridem illustrata. *Pontij Pilati* Fabulam; famosum illud *Fabulæ de Pontio Pilato.*
Specus, quod Nebulis perpetuo obumbratur: Pyramidesque, quas mon-
strant in Vineis ad Vrbem Incolæ, exsulantis ibi Domum fuisse perhibentes,
alij majore præconio celebrent: Nam mihi non magnæ hæc talia solent esse
fidei. *Ebrodunum*, Ἐβρόδουνον Ptolemæo, *Caturigum* vel *Alpium Maritima-* *Ebrodunum, Ambrun.*
rum, Ἐπιβρόδουνον κώμη, Straboni: *Ebrodunum*, Antonino; *Eburunum*, vitio-
se, Tabulæ Itinerariæ: Vernacule *Ambrun*. Aliud est *Ebrodunum* in Finibus Hel-
vetiorum, *Iverdum*. In Notitia Imperij legitur: *Sub Duce Magontiacensi Præfectus*
Classis Barcariorum Ebruduni Sapaudiæ. Vnde nomen *Ebroduno*, solicite non quæ-
ram. Quid *Dunum* alibi à me dictum. Montibus cingitur, qui Vini, Fructuum,

Simplicium que innumerorum feraces. Suis parere Præsulibus, eosque Principes se dicere, lego; multis magnisque donatos ab Regibus Franciæ Privilegijs; inter quæ absoluta Iustitiæ Administratio, Ius cudendæ Monetæ, aliaque id genus Regalia. Metropolis est Pagi, qui vulgo *Ambrunois*.

Primaria Pagi [illegible]. [illegible] Vrbes.

Episcopales Vrbes sunt quinque: *Valentia, Dia, Gratianopolis, Augusta, Vapincum*. *Valentia*, Antonino; Οὐαλεντία, Ptolemæo, *Segalaunorum* Vrbs, non autem *Cavarum*, ut est apud Plinium: *Valentina Vrbs*, Sidonio lib. VI. Epist. XII. & Prospero in Chronico; *Civitas Valentia*, Itinerario Burdigalensi; *Valentina Civitas*, Bonifacio Papæ ad Episcopos Galliæ: *Nobilissima Galliarum Civitas*, eidem Prospero: Vulgo *Valence*; Ducatus titulo gaudens. Metropolis Territorij, quod Indigenis *Valentinois*, *Duché de Valentinois*. Audiens semper Romanorum Imperio, circa annum CCCCXV occupata legitur ab Gothis; inde a Burgundionibus; passa etiam obsidionem anno IↃ LXXVI ab Langbardis, frustra. Visuntur ibi Singularia quædam. In Monasterio Iacobitarum, Effigies *Gigantis Buardi*, XV Cubitos proceri; eiusque Ossa: Extra Vrbem, in Ædis D. Petri Ruderibus, Antrum sub Rodani Fluenta productum: Alia prætereo. De invento extra Portam Divi Felicis Vineis Corpore *Iustinæ*, cum quibusdam Ornamentis, alij legendi: Nam ego parum hic certus. *Dia Vocontiorum*, Antonino, in melioribus Libris: in alijs *Dea Vocontiorum*: *Augusta Dea Vocontiorum*, in antiquis Inscriptionibus, ut suis ad me Litteris testatur V. N. Iosephus Scaliger. *Deas Castrum* forte an Gregorio Turonensi lib. III. *Die* vulgo; Metropolis Agri, qui vernacule, *Pais de Diois*. *Gratianopolis* olim *Cularo* vocabatur. In Epistola Planci ad Ciceronem, quæ incipit, Numquam me hercle, in fine ita editum vulgo: *Octavo Idus Iunias, Civarone in Finibus Allobrogum* ubi legendum, *Cularone*. In Notitia Imperij ita excusum est, *In Provincia Gallia Ripartensi, Tribunus Cohortis Primæ Flaviæ Sapaudiæ Calarone*; ubi reponendum, *Cularonæ*, aut *Cularone*. Et quum non sit dubium, quin & Ptolemæus Vrbis tam præclaræ, Priscisque etiam celebratæ, fecerit mentionem: fere est, ut putem nomen apud eum periisse. Legitur hodie lib. II. cap. X. quo Galliæ Narbonensis Situs delineatur, Ἀκουσιῶν, Latinis Interpretibus, imperitius huiusmodi Voces, quasi pluralis essent numeri, vertentibus, *Acusiorum Colonia*, quum simpliciter scribenda fuisset *Acusio*. Sed reponendum ibi, meo quidem iudicio, antiquum illud Vrbis Nomen Κυλαρὼν, *Cularo*. Ab *Curalone* porro *Cularonenses Muri* in Antiquis Inscriptionibus; quarum una quidem in Vrbis Porta visitur, quæ ad Meridiem pertinet, *Romana* dicta; altera vero in Porta, qua Viennam itur, quæque ad Septemtriones vergit. Post, ampliata fortean ab Imperatore *Gratiano*, *Gratianopolis* fuit appellata: Eo nomine nota Augustino lib. XXI. De Civitate DEI, cap. VII, Sidonio Apollinari lib. III. Epistol. XIV, Gregorio Turonensi lib. IV. cap. XLIV. Paullo Diacono lib. III. de Gestis Langbardor. cap. VIII. *Civitas Gratianopolitana*, Isidoro. Vulgo *Grainople*. Sedes amplissimi Senatus Delfinatensis, Isarsi, cujus sæpe meminit Plancus, adsita; ad Pedem Montis, qui vulgo *Chalemont*. Qua fuerit olim forma, monstrant antiqui Muri Portæque. Mœnia ab Francisco I Galliarum Rege cœpta, quum absoluta fuerint, Vrbem fere facient quadratam. Ad Septemtrionem inter ipsam Vrbem & elegans Suburbium, cui ab *D. Laurentio* cognomen, fluit *Isara*, *Ponte* stratus, omnium pulcherrimo. Ad Meridiem præterlabitur *Dracus*, Torrens valde vehemens, Agros non raro limosis deformans Inundationibus, nulloque volens valensque Aggere coerceri. Territorium vel potius Ager Suburbicarius vocatur *Graisivauldan* ab Vulgo Delfinatium, & á quibusdam contracte *Givauldan*, voce corrupta ex *Gratianopolitano*. Haud procul Vrbe, qua Septemtrio est, *Fodinæ* sunt, ex quibus Lapides in Civitatis usum eruuntur. Primo ab Vrbe Lapide Vicus est, qui vulgo *Parisset*: ibi Turris visitur, quæ Incolis *La Tour S. Venin*. Appellationis caussam intelligo, quod quale quale Venenatum Animal in eam inlatum evestigio enecetur. Ab nemine interim mortalium habitatur. *Augusta Tricastinorum*, Plinio lib. IV. cap. III. *Tricastina Vrbs*, Sidonio lib. VI. Epist. XII: Ιουλιόμαγος forte Ptolemæo, apud quem in Vulgatis legitur Νοιόμαγος. Hodie, uti censet V. N. Iosephus Scaliger, *S. Antoni de Tricastin*. Alij aliud fabricant huic *Augustæ* opidum. Ioannes Poldus *Aymargues*, vel *Trois Chasteaux*; Cœnalis, *S. Paul*; Simlerus *Tricuti*. *Augusta* putatur Antonini: sed situs non patitur. *Vapingum* Antonino, vel quemadmodum in quibusdam Libris legitur *Vapincum*, ut & in Itineraria Tabula; *Vapinquum*

Primaria urbs Agri qui vulgo Grivauldan.

Augusta Tricastinorum, *S. Antoni de Tricastin*.

Vapingum.

pincum Aimoino: *Cap* hodie. Caput Agri, qui vernacule *Gapençois* montibus obsiti. Ipsum Opidum, ut hodie, sic & olim celebre (Nam Antoninus Iter *Vapincum* designat ducitque Mediolano) ad pedem est situm Montis excelsi, qui Adcolis *Le Col S. Digne*: Sedes Baillivatus.

Gap, Caput Pagi Gapençois.

Præter Pagos illos Suburbicarios, quos jam nominavi, *Viennois, Ambrunnois, Valentinois, Diois, Graisivaudan, & Gapençois*: sunt & alij quidam; qui vernacule, *Les Pais au Trieves, des Baronnies, & Briançonnois*. Primi primarium opidum est *Mens*; Secundi, *Nyons*; Tertij *Briançon*: *Brigantio* Antonino & Itinerariæ Tabulæ, Βριγάντιον Straboni & Ptolemæo, *Segusianorum*, de quibus alibi, Vrbs: *Virgantia* Ammiano, cuius, de Via Alpium Cottiarum loquentis, verba sunt hæc: *Vnde declive quidem iter, sed expeditius adusque Castellum Virgantiam patet*. Haud procul *Brigantio* Rupes est in formam Portæ pertusa, cui insculpta leguntur: D. CÆSARI. AVGVSTO. DEDICATA. SALVTATE EAM: quæ mihi non sapiunt Antiquitatem. Factam perhibent ab C. Iulio Cæsare, ut ea in Gallias penetraret. Comitatus Titulo nobilia sunt *Champsaut* & *Royllion*, quod *Visolis* omnino Antonini. Alia multa habet *Delfinatus* minorum gentium opida: quæ, cum Superioribus, Francorum Geographi trium faciunt generum. Fluvijs adsident; Rodano quidem, cum *Vienna* & *Valentia*, *Montilmartum* & *Tinnium*; quorum hoc Proceribus paret Tournonensibus: Isaræ vero, præter *Gratianopolin*, item *Mon-Melianum* & *Romanum*, opida Arcipotentia; hoc etiam dives admodum, insignem habens Pontem, Romanos, ut multi censent testans sua Nomenclatura Conditores; vel eos saltem, qui Romani Nominis studiosi, sic dixisse volunt. In Montanis, præter *Ebrodunum, Diam, Vapincum, Brigantium & Buzeum*, quorum jam memini sunt, quæ Francico Idiomate; *Talart*, *Alamontis* Antonino; apud quem & *Alapuntis* & *Alabuntis*, item *Alabontis*: *Alarante* est in Itineraria Tabula hoc loco, bis, nullo alio opido interjecto. *Charges*, *Caturigum* Sedes, ut antea monui; *Caturiga* & *Caturrigæ* Antonino, ni fallor: *Catorigomagus* Itinerariæ Tabulæ, in qua sequitur *Ictodurum* inter *Caturigas* & *Vapincum*. *Chasteau roux*, Laminarum hic Fons, quæ Scandulæ solent dici, *Ardoises* Francis. *S. Crespin*: nisi hoc *Rame* sit Antonini, & *Rama* Itinerariæ Tabulæ; certe haud procul inde fuit. Montana item sunt *Vayne, Sarre, Le Bayz, S. Euphemie, Vauxerre, Corp, La Mentre, Men, Visible*, magna hic Marmoris & Alabastritæ copia; *Ours*; *Essilles*, Delfinatus Clavis, quibusdam *Ocelum* Cæsaris, Ὄκελλον Strabonis: *Chasteau-Doifin*, unde nomen putant impositum Provinciæ; *Guillestre, Seyne, Meulon, Chastillon, Montbrun, Romullianette, Vraiz*; *S. Clement*, Pagus interiori Montis Recessui, quod mirandum, inædificatus. In planioribus porro locis, præter *Augustam Tricastinorum & Rosilionem* sunt: *Quirien, Cremieu, La Vorpilere, Bourgoing, La Tour du Pin, Le Pont Beauvoisin*, cujus pars media Sabaudiæ est, *La Cotte S. André, S. Donat, Macelan, Villeneuve, S. Marcelin, Tulins, Lamben, Modian, Moretel, S. Vallier, Beau repaire, Beaupais, Muraz, Neiron, Len*, cui fertile Territorium, *Ten*, ubi præstantia Vina: *Chasteu-d'Imbie, Aleissan, Montelier, Beaumont, Laurel, Crest, Salliens*, locus Monaulis Lituisque nobilitatus, *Verane, S. Paul, Avallon*.

Alia opida.
Mens, Metropolis Agri Trievis.
Nyons de Baronnies. Briançon, olim Brigantio, Caput Briançonnois.
Champsaut.
Royllion, olim Visolis.
Tinnium.
Mons Melianum.
Romanum.
Talart, olim Alamontis.
Charges, Caturigæ.
Chasteauroux.
S. Crespin, Rama forte.
Visible. Essilles, Ocelum olim.
Chasteau Doifin.
S. Clement.
Pont Beauvoisin.
Len.
Ten.
Salliens.

Inter postremos Delfinatium Principes legitur Guido, qui bellum cum Sabaudo gerens acie perijt. Meminerunt plene Francici posterioris ævi Scriptores: inter quos nonnulli incredibile quid de Guidone narrant. Improli successit Frater Humbertus, qui circa annum CIƆ CCCXL dolore ardens amissi Filij, quem unicum habebat, nolensque ut nobilissima Provincia post obitum ipsius hæreditaria Divisione in partes discerperetur, Cœnobio Dominicanorum se sacraturus, Principatum Ioanni Francorum Regi addixit, ea lege, ut semper Primogenitus Franciæ Delfinus esset. Quod factum: sicque primus Delfinus fuit Karolus ejusdem Ioannis Filius. Dixi nonnihil supra cap. XVII. Humbertus sane Monachum egit Parisijs in Iacobitarum Cœnobio; ubi eius Sepulcrum visitur cum hoc Elogio: *Cy gist le Pere & tres-illustre Seigneur Humbert jadis Dauphin de Viennois: puis laissant sa Principaute fut faict frere de nostre Ordre, & Prieur de ce Convent de Paris, & en fin Patriarche d'Alexandrie & perpetuel Administrateur de l'Archevesche de Reims, & principal Bienfacteur de ce nostre Convent. Il mourut l'an de grace, mil trois cens cinquante cinq.*

Principes Delfinatium.

Adscribam huc Partem itineris, quod Antoninus ab Mediolanensi Vrbe describit Arelatum per Alpes Cottios; conlatam cum itineraria tabula:

Iter Brigantione Arelatum.

Itinerar.

Itinerar. Antonini.		Itineraria Tabul.		Vulgata Nomencl.
Brigantionem (præcedebat, *ad Martis*)	M.P.XXIV.	*Brigantione,*	XVIII.	*Briançon.*
Rame,	M.P.XXIV.	*Rama,*	XVII.	*S. Crespin,* aut circiter.
Eburodunum,	M.P.XVIII.	*Eburuno,*	VII.	*Anbrun.*
Caturigas,	M.P.XVII.	*Catorigomagus,*	VI.	*Charges.*
		Ictodurum,	. .	
Vapincum,	M.P.XVII.	*Vapincum,*	XVIII.	*Gap.*
Alabontem,	M.P.XVIII.	*Alarante,*	XVI.	*Taiart.*
. . . . .	.....	*Alarante,* iterum,	XVI.	*Forebree,* aut circiter.
Segusteronim.	M.P.XVI.	*Seguiterone,*	XIV.	*Cisteron.*
Alaunium,	M.P.XXIV.	*Alaunio,*	XVI.	. . . . .
Catolucam,	M.P.XVI.	*Catuiacia,*	XII.	. . . . .
Apta Iuliam,	M.P.XV.	*Apta Iulia,*	XII.	*Apt.*
Fines,	M.P.XVI.	*Ad Fines,*	XII.	*La coste.*
Cabellionem,	M.P.XII.	*Caballine,*	XII.	*Cavaillon du Contat.*
Glanum,	M.P.XVI.	*Clano,*	VIII.	Prope *S. Andiol* vel *Romany.*
Ernaginum,	M.P.XII.	*Ernagina,*	VI.	Prope *Romany* vel *Monpaon.*
Arelate,	M.P.VII.	*Arelato,* &c.		*Arles.*

CAP. XLI.

Burgundiæ Ducatus.

HÆC pro Methodi ratione de Delfinatu sint satis; succedit Burgundiæ Ducatus, qui Divionensis Parlamenti Iurisdictionem suscipit.

BVRGVNDIÆ Ducatus, Duché de Bourgogne. Burgundia unde dicta.

BVRGVNDIÆ Nomen à *Burgundionibus*; qui Germaniæ Populi, ex Vandalorum orti sanguine. dictique à *Burgis*, ut suo dicam loco. ab Almannis (in horum enim Agris violenter in Capellatio, ubi hodie Palatini Comitis Ditio, consederant) exturbati, sub Theodosio Arcadij Filio, Iuniore, expulsis late Sequanis Eduisque,

Eduisque, hanc Veteris Galliæ partem cum Nuithonibus (quorum Tacitus meminit) occuparunt. Legendum, cum alijs, Mamertini Panegyricon. Eleganter Orosius lib. VII. cap. XXXII: de Burgundionibus: *Galliæ hodieque testes sunt, in quibus præsumta possessione consistunt, quamvis providentia* DEI *omnes Christiani modo facti Catholica Fide, nostrisque Clericis, quibus obedirent, receptis, blande, mansuete, innocenterque vivant; non quasi cum subjectis Gallis, sed vere cum Fratribus Christianis.* Petrus Sancto-Julianus *Burgundiæ* Etymon ab Loco quodam diducit, qui vulgo *Burg-Ogne* in Agro Langrensi. *Burgundiones* Romanis, quorum virtute non semel fuerant profligati, facta cum ijs Pace, suppetias tulerunt adversus Chunnos in Campis Catalaunicis. Imperium illis fuit olim vastum. Partem enim Vallis Pœninæ, Sedunos, Allobroges, Lugdunum item, Viennam & alias Civitates *Burgundia* complectebatur, uti multis Francorum commemorant Annales. Gregorius Turonensis. lib. II cap. IX. *In his* (Thoringorum) *Partibus, id est ad Meridionalem plagam habitabant Romani, usque Ligerim Fluvium; ultra Ligerim vero Gothi dominabantur; Burgundiones quoque Arrianorum sectam sequentes, habitabant trans Rodanum, qui adjacet Civitati Lugdunensi.* Et Ligurinus Poeta, scite Regni quomdam Fines indicans: sic canit: Fines olim.

Hæc adeo Tellus a Sedibus incipit illis,
Qua Basilea suos vicino Flumine Muros
Adluit, & Rhenum venientem læta salutat:
Innumerosque tenens Populos, hinc Gallica Rura
Mordet, & hinc rigidis scopulosæ Rupibus Alpis
Arctatur, tractuque maris protenditur usque,
Qua rapidus primas Rodanus maris influit undas.
Quaque Caput Regni, Sedesque fuisse vetustis
Fertur Arelatum priscorum Curia Regum.
Atque sibi jungens æquo Provincia fine.
Nomen apud Veteres Regni, titulumque gerebat,
Cujus Arelatum Sedes, & Finis ab illa
Parte ferebatur, donec suprema voluntas
Regis Radulphi, Regnis accedere nostris
Jussit, & antiqui detraxit nomen honoris;
Ut jam non Regnum, sed sit bona portio Regni,

Aliorum Testimonia prætereo. Dissensiones ijsdem erant immortales fere cum Gothis, qui late tunc temporis per Gallias imperabant. Notat hoc Sidonius Epistola ad Felicem, de Arvernis loquens lib. III. Epist. IV: *Opidum siquidem nostrum, quasi quemdam sui Limitis obicem, circumfusarum nobis gentium arma terrificant. Sic æmulorum sibi in medio positi populorum lacrymabilis præda, suspecti Burgundionibus, proximi Gothis, nec impugnantum ira, nec propugnantum caremus invidia.* Idem lib. I. Epist. VII. ad Vincentium de Arvando Præfectorio, Læsæ Majestatis Reo, *Litteras interceptas fuisse*, scribit, *quibus ille Theodorico Gothorum Regi suadebat, cum Burgundionibus jure Gentium Gallias dividi debere.* Fracta tandem est tanta ipsorum Felicitas ab Francis Sugambris; qui, facta post ipsos in Gallias irruptione, non solum Romanos potenter ejecerunt, verum etiam viribus Burgundionum armorum vi supra modum imminutis, potentiam eorum angustioribus concluserunt terminis. Consulendi, præter Francorum Annales, Agathias, cui *Burgundiones* appellantur, & alij. Olim *Regnum*, cujus Sedes, nunc, ut alibi doceo, & proxime ex Ligurino indicavi, *Arelate*, nunc *Aurelia* fuisse legitur. Regum in Gallijs primus nominatur Francis Scriptoribus *Gundiochus* stirpis, ut quidam notant, Gothicæ. Cæso ab Attila, cum multis alijs, in Campis Catalaunicis superstites fuerunt quatuor Filij, *Gundebaldus*, *Gundegisilus*, *Hhilpericus* & *Gothomarius*; quos scribunt ab excessu Patris *Burgundionibus* simul imperasse, Ditione in Tetrarchias partita. Sed quum rara sit Fratrum Concordia; orta inter eos simultate, *Gundebaldus* & *Gundegisillus*, icto fœdere, in *Hhilpericum* & *Gothomarium* arma movent, signisque conlatis utrumque obtruncant, Filijs ipsorum securi percussis. Filiæ erant *Hhilperico* duæ: earum altera *Corona* detonsa Monasterio includitur; altera *Hlothildis*, forma & indole regia, in Aula Patrui educatur *Gundebaldi*: quo in Italiam profecto, ibique rebus gerendis occupatiore, Conjux ab *Hlodoveo* Francorum Rege petita, eique mox solenniter data, Maritum paucis post nuptias

Dissensiones inter Burgundiones & Gothos.

Regnum olim.

nuptias diebus ad Patrem ulciscendum, Regnumque recuperandum exstimulavit. Belli inter ipsos finis fuit: quod *Gundegisilo* occiso, *Gundebaldus*, facta indignissimis conditionibus Deditione, universæ *Burgundiæ* Rex, Francorum quasi patientia & beneficio, manserit: cui defuncto successit cum *Gundemaro* Fratre *Sigismundus*. Hunc quum *Hlodomirus*, Aurelianensium Princeps, bello victum captumque in altissimum puteum præcipitem cum Vxore Liberisque provolvisset; *Gundemarus*, *Hlodomiro* debellato, ab *Hlotario* Suessonum, & *Hhildeberto* Parisiensium Regibus *Hiothildis* instigatione, Augustoduni obsessus est, urbeque capta jugulatus. Sic Regnum *Burgundionum* ad Francos devolutum, datum est, *Theodorico*, *Hlodovei* Filiorum natu maximo. Hic *Burgundiam Theodoberto* Filio reliquit, qui Successorem habuit *Theobaldum*. Eum sine Liberis defunctum sequutus est *Hlotharius*, Galliæ totius Monarcha: à quo tempore *Burgundia* penes Francorum Reges mansit. *Regnum* hoc circa annum CIↃ XXXIV, bipartitum in *Ducatum* & *Comitatum* abijt: quorum ille, versus Occidentem, *Burgundia Inferior* & *Regia*: hic, ad Orientem, *Superior* & *Imperatoria*. De *ducatu* hoc Capite mihi agitur: De *Comitatu* postea dicetur.

a Burgundionum ad Francos devolutum.

in Ducatum Comitatumque distributum.

Ducatus Fines.

Ducatum cingunt, qua Oriens est Rodano interfluente Sabaudia & Burgundiæ Comitatus; qua Meridies, Lugdunense Territorium: ad Occasum lætissimi Nivernensium Borboniorumque occurrunt Agri: ad Septemtrionem Campania se offert. Controversiæ vero de jure in amplissimum *Burgundiæ Ducatum*, quæ partim superioribus annis inter varios Principes, partim autem anno CIↃ IↃLV, & ab Imperatore Karolo, Hispaniæ Rege, &c. & Henrico Galliarum Monarcha, quum de Pace inter ipsos sancienda per Legatos frustra laboraretur, fuerunt magnis clamoribus motæ, à me plene explicantur libro Historiæ Belgicæ VI. Vide quædam huc pertinentia capite XLVII.

Controversia de Burgundiæ Ducatu inter Magnos Principes.

Veteres Incolæ. Edui.

Floruerunt olim ante *Burgundionum* ijs in locis principatum, *Edui*. Sic in melioribus Cæsaris, Livij, Taciti, Plinij, Pomponij, & aliorum Scriptorum Latinorum, Codicibus scribuntur; qui Straboni Ἔδουοι Ptolemæo Αἰδουοὶ, *Aedui* vetustis Marmoribus vocantur; *Aedues* Ausonio Parentalibus, Carmine IV:

Qua Lugdunensis Provincia, quaque potentes
Aedues, Alpino quaque Vienna jugo.

Ab *Aeduibus Aeduicum Stemma* eodem Carmine dicitur Ausonio, & *Aeduicus Pater* ibidem Carmine II, & Libro Professorum Carmine XVII: Male enim in Vulgatis, priore loco *Aeducii*, posteriore *Aedui* legitur Testatur Cæsar non semel, *Eduos* ab Senatu Romano Fratres Consanguineosque fuisse aliquoties nominatos. Leguntur eadem apud Ciceronem lib. VII. Epist. X. & ad Attic. lib. I. Epist. XVI, Tacitum lib. II. Plutarchum in Cæsare. Sic Strabo lib. IV: οἱ δὲ Ἔδουοι καὶ συγγενεῖς Ῥωμαίων ὠνομάζοντο, καὶ πρῶτοι τῶν ταύτῃ προσῆλθον πρὸς τὴν φιλίαν καὶ συμμαχίαν. Auctor Panegyrici, qui Flaviensium nomine Constantino Augusto dictus: *Quaenam*, inquit, *igitur gens toto orbe terrarum in amore Nominis Romani Heduis se postulet anteponi? qui primi omnium inter illas immanes & barbaras Galliæ Gentes plurimis Senatusconsultis Fratres Populi Romani appellati sunt: & quum à ceteris Rodano ad Rhenum usque populis ne Pax quidem posset nisi suspecta sperari, soli & Consanguinitatis nomine gloriati sunt.* Et derivarunt Edui Amicitiam illam Romanorum in Successores suos *Burgundiones*. Ammianus lib. XXVIII: *Prima, quod iam inde temporibus priscis sobolem se esse Romanam Burgundii sciunt.* *Edui*, Cæsare bellum Gallicum administrante, clarissimi Gallorum fuerunt. His *Vergobretus* (sic dictus, ut nonnullis placet, tamquam *Verg-oberste, Supremus Exsequutor*) regia potestate per Sacerdotes certo loco, certoque tempore, ex diversis familijs quotannis creabatur; cui extra fines excedere non licebat. Sic enim libro I. Cæsar de *Eduis*: *Convocatis eorum Principibus, quorum magnam copiam in Castris habebat, in his Divitiaco & Liscio, qui summo Magistratui præerat, quem Vergobretum Edui appellant, qui creatur annuus, & vitæ necisque habet potestatem.* Cetera sunt lib. VII, & Senatus & Populus Eduus, propter hunc Magistratum seditione commotus, describitur, ad eamque Seditionem sedandam Cæsar evocatur. *Eduorum* Clientes apud Cæsarem nominantur præter *Segusianos*, *Ambivaritos* & *Brannonios*, de quibus alibi, etiam *Aulerci Brannovices*, quos *Moriane* interpretantur nonnulli. Fuerunt &, ubi hodie Burgundia, *Mandubij*, quorum mentio apud Cæsarem: Μανδούβιοι sunt Straboni lib. IV, qui eorum Opidum appellat Ἀλησίαν: in qui-

Aulerci Brannovices, Mandubij, Vrbes olim florentissimæ. Alesia.

in quibusdam Codicibus scribuntur *Μανδούβιοι* opidumque *Ἀλησία*. Eam ab Hercule conditam, ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν στρατείαν ἄλης Ἀλησίαν fuisse nuncupatam scribit lib. v. Diodorus. *Alesia*, quæ aliis per ξ *Alexia* scribitur contra Membranarum auctoritatem, meminerunt Cæsar, Dio (apud quem male ἐς Σαλησίαν pro ἐς Ἀλησίαν) Plutarchus in Cæsare, Velleius Paterculus lib. II, Orosius lib. VI. cap. XII, & alij. Describit his verbis Cæsar lib. VII: *Ipsum erat Opidum in Colle summo, admodum edito loco, ut nisi obsidione, expugnari non posse videretur: cuius collis radices duo, duabus ex partibus, Flumina subluebant: ante id Opidum Planicies circiter millia passuum III in longitudinem patebat; reliquis ex omnibus partibus Colles, mediocri interiecto spatio pari altitudinis fastigio, Opidum cingebant. sub muro, quæ pars Collis ad Orientem spectabat, hunc omnem locum Copiæ Gallorum compleverant* &c. Expressit Cæsaris illa Strabo: καὶ ταύτην, inquit: ἐφ᾽ ὑψηλοῦ λόφου κειμένην, περιεχομένην δ᾽ ὄρεσι καὶ ποταμοῖς δυσί. Hodie tantæ Vrbis vix supersunt Rudera. Nominis umbra servatur in Pago, *Alise*, ad radicem Montis, qui vulgo *Auxois*, haud procul *Flavignio*, secundo ab *Semurio*, de quo post, lapide. Sæviorem fere, quam *Alexia*, fortunam subire coacta quondam fuit his in locis *Bibracte*, Βίβρακτα Straboni; opidum *Eduorum*, quum res ipsorum florerent, longe maximum & copiosissimum: *Beinam* nunc esse putant Orontius & Vigenereus, *Augustodunum* Petrus Sancto Iulianus; Alij aliud. Marlianus scribit *Fibracten* nomen retinere: & notat Ortelius habere se ab Ioanne Macario, *Beurect* hodie vocari, quatuorque miliaribus distare ab Augustoduno, versus Septemtrionem, & paullulum ad Occidentem; sed locum esse desertum, Vepribus & Dumis obsitum. *Fibracten* Cæsar lib. I. tamquam in principem *Eduæ* Nationis Vrbem, Frumenti ab *Eduis* impetrandi caussa, contendere statuerat: eo (ut est septimo libro) quum Litavicus receptus esset, quia opidum apud *Eduos* maximæ auctoritatis erat, Convictolitanes Magistratus magnaque pars Senatus ad eum convenit: eo Galliæ Obsides, interfectis Noviodunum Cæsaris Custodibus deducti sunt: eo totius Galliæ Concilium adversus Cæsarem indictum est; eo denique Cæsar, tandem receptis Eduis, hiematum secessit. *& Bibracte.*

Metropolis Ducatus *Divio*, *Divio Castrum* in Martyrologiis Vetustissimis; *Divionum*, si proba sit scriptura (nam alij alio modo legendum censent) Gregorio Turonensi lib. III, qui Vrbem non ineleganter delineat. Vulgo *Dyon*. *Divionis* Conditor habetur vulgo, mihi potius Restaurator, Pomeriique Productor, Aurelianus Imperator. Nomen ab *Divis*, quis plurimus ibi fuit cultus, impositum putatur. Hac Vrbe nihil in Burgundia pulcrius. Sita est in planitie amœnissima, duobus Fluminibus Suzione & Oscara (*Suson* & *L'Ouche* vernacule) utrimque Muros adluentibus: Ille quidem periculosissimis Exundationibus Vrbem infestare consuevit; hic pisculentus admodum alueo fluit quietiore, Rerum multarum usum subministrare solitus. Muri ad iustam propugnandi magnitudinem in altum sunt educti; Turribus Propugnaculisque, quæ nuper exstructa, muniti. Sub Cœnobio *D. Benigni*, quod ab Gregorio conditum Lingonensium Episcopo, vastum ostenditur *Specus*, Cryptas Cisternasque habens, in quo *Benignus* Vir sanctus vinctus fuisse traditur, quum Populum ad Christum traduceret, Dæmonum adhuc Sacris operantem. Iustitiæ ibi est Tribunal & Parlamenti Sedes; unde, veluti ex Sinu, Patriæ Iura petuntur. Qui in *Maiorem* huius Opidi legitur, non tam Honorem, quam Onus suscipere, vel invitus & renitens, cogitur. Iusque-iurandum præstare in Templo D. Virginis, præeunte verba Procuratore Regio, se Regi fidelem futurum, defensurumque sua Civitati Iura, Libertates, & Privilegia, adversus quoscumque, Regem etiam, quoties flagitat necessitas. Gregorius Turonensis memoriæ prodit, *Hilarium* quemdam, Senatorem Divionensem, adeo uxorem adamasse; ut quum defuncta inferretur Tumulo ipsius, qui retro multis annis obierat, avida iam dextra fuerit eius Cadaver artissime complexus. In vicinis Vrbi Montibus optima crescunt Vina. Haud procul Vrbe versus Meridiem duo visuntur Colles; in quorum uno Arx *Talentum*, natura loci arteque & perpetuis limitaneorum Militum excubiis ad stuporem valida; in Altero situm est Castellum, cui ab *Fontibus* nomen cum Pago cognomine, Bernardi, qui Caput ordinis Clarevallensis, Patria.

Metropolis Divio. Dyon.
Eius conditor. Etymon.
Pulcritudo, Situs.
Muri.
D. Benigni Cœnobium.
Parlamentum, Magistratus.
Miraculum.
Suburbicarius Ager.

Episcopales porro Ducatus huius Vrbes sunt *Augustodunum* & *Caballinum*; sua utrumque suspiciendum Antiquitate. *Episcopales Vrbes.*

Augustodunum. Priori nomen *Augustoduni* natum ab Augusto (Octaviano, an quo alio, non valde laborandum: nam qui ab *Auge*, Apollinis Conjuge, dirivant, Fabulas mihi narrant,) qui dirutum Bello, quod Cæsar contra Gallias gessit, restauravit. Eo enim An olim Bibracte? tempore alіud habebat Nomen: quod autem, mihi nondum satis liquet. *Bibracten* (cujus præclara frequensque est apud Cæsarem mentio) appellatam fuisse, varijs Argumentis probare conatur in sua Burgundia Petrus Sancto-Iulianus, apud Cabillonenses Canonicorum Decurio: Cujus sententiæ nondum ego adduci possum An & Edua? ut subscribam. *Eduam* olim fuisse nominatam colligit ex Cæsare Aimoinus lib. I. cap. v *Augustidunum*, inquit, *quam Iulius Eduam nominat*. Cæsaris verba, in quæ digitum intendit Aimoinus, lib. v. de Bello Gallico sunt hæc; *Hæc à compluribus ad Cæsarem deferebantur: qua re cognita, Cæsar, quod tantum Civitati Eduæ dignitatis tribuebat, coercendum atque deterrendum quibuscumque rebus posset*, &c. Licet Ego semper fuerim arbitratus *Eduam Civitatem* ab Cæsare dici, non Opidum aliquod, sed, more docte scribentium, totum Eduorum Imperium & Nomen: tamen, quum apud Aimoinum etiam paullo ante laudata à me verba, legatur, *Edua, qua Augustidunum*, quumque Andochium, quem passum reliqui omnes *Augustoduni* notant, *Eduæ* Martyrio coronatum scribat Petrus Venerabilis lib. I. cap. de Basilicis; quum denique nonnihil juvare videatur & Sidonius lib. v. Epist. XVIII, & Notitia Provinciarum Galliæ, ubi sub Lugdunensi I. scribitur, *Civitas Eduorum, hoc est Augustodunum*: facile dabo, ut antiquissimis temporibus *Edua*, ab ipsa gente, quod Caput ejus esset, fuerit dicta; diruta autem Bello, quod inter Cæsarem Gallosque magnis viribus patratum, & ab *Augusto*, fortean Octaviano, restaurata, *Augustodunum*, tamquam Augusti Collis, transnominatione quadam, quod sæpe fieri solitum, cœperit audire. Ab *Augusto* dixi restauratum. Qui enim ab *Augusto* non solum dictum, sed & conditum volunt, graviter meo judicio falluntur, planeq; refelluntur ab Ammiano Marcellino, qui lib. xv. maximam *Augustoduni* Antiquitatem Iuliani tempore ostendit: *Cæsar*, inquit, *quum in ea Vrbe* (*Viennam* intelligit) *Hiemem ageret, inter ceteros, qui quotidie dissipabantur, Rumores, intellexit, in Augustodunenses Muros, qui magnum complecterentur spatium, & Vetustate nimia exesi corruptique essent, à Barbaris subitas fieri Impressiones*. Idem lib. XVI; *Comperit Augustoduni Civitatis antiquæ Muros spatiosi quidem ambitus, sed carie vetustatis invalidos, Barbarorum impetu repentino insessos*. Nimiam Murorum Vrbis vetustatem diserte prædicat: quæ certe non fuisset, si ab *Augusto* condita, dictaque, in Iuliani usque tempus tantum stetisset. Neque enim ab ejus Conditione plus tum quadringentis annis exactum esse poterat: quod tempus si nimiam Aedificio Vetustatem conciliare quis dicat, ridendum se præbebit. Esto igitur, dum certius nomen occurrit, ut ante Augustum, & Cæsaris tempore, dicta fuerit hæc Vrbs *Edua*; post Augusti vero principatum *Augustodunum*, qua appellatione nota cum alijs, tum Antonino, qui *Legionem* ibi locat XXII. & Itinerariæ Peutingeri Tabulæ, in qua notatur *Aug. Dunum*. Nomen hodie retinet, contractius: An & Aurelianum? *Austun* enim scribitur, diciturque. Pergo. *Aurelianum* etiam videtur appellatum. Quos enim Martyres *Andochium*, *Thyrsum* & *Felicem* apud *Aurelianum* Martyrij coronam accepisse tradit Petrus Equilinus lib. VIII. cap. CXVI; eos *Augustoduni* mactatos signant Martyrologium Romanum, Beda, Vsuardus & Ado; *Andochium* autem *Eduæ* Petrus Venerabilis, ut antea dixi. Hinc Appendix in Gregor. Turon. cap. LXXXIX initio: *Aurelianus in Burgundiæ Regnum venit*: & Aimoinus lib. IV. cap. XXXIX, *Aurelianus, Caput Regni Burgundiæ*: quemadmodum etiam antea Tacitus lib. v. *Augustodunum* nominarat *Caput Gentis*. *Aurelianum* autem fortean ab *Aureliano* Imperatore, qui Gallias peragravit, ut scribunt Vopiscus & Victor in ejus Vita, quique *Eduam* (quæ iterum paullo ante, circa Gallieni tempora, magnas fuerat Calamitates passa) restituit, ut indicat Gregorius Turonensis lib. III. Hist. cap. XIX. Putat Paradinus An & Flavia? etiam nuncupatam fuisse *Flaviam Eduorum*, ex Panegyrico, quem Rhetor Gallus dixit Fl. Constantino Imperatori, Claudij Filio, ab ipsius Principis prænomine. Sed secus videtur Magnis Viris, qui *Flaviæ* memoriam conservari censent in Vico non Augustoduni Situs. ignobili, qui Incolis *Flavigni* vocitatur, ut postea dicam. Adsitum est *Augustodunum* Radicibus Montium, qui vulgo *Les Mons de Cenis*, ad Fluvium Arrousium. Qualitas. Vrbs rudibus adhuc Mundi initijs amplissima & populosissima: hodie Aedificijs supra modum vacua; & diu quomdam in Gallijs Rerum potita, Populoque Romano Fœ-

no Fœderata, in ordinem quasi & ad Inferiorum fere opidorum conditionem est redacta. Superbis hodie nihilominus coruscat Templis, quorum maximum est *Nazarij*, Sedes Episcoporum, quos Bellefortius numerat LXXXV, ultimum nominans *Karolum Ailleboustium*. Alia Templa, Xenodochia, Cœnobia, Collegiaque, ne sim prolixior, silentio prætereo. Non enim mihi animus, omnia persequi & colligere. Est etiam, inquit Paradinus, *Rachonis*, pridem Vrbis Episcopi, monasticum Septum, miræque magnitudinis Sepulchrum: ibique *Polyandrion*, cujus Gregorius Turonensium Episcopus meminit. Multa visuntur *Augustoduni* cum intra, tum extra Vrbem Antiquitatum Monimenta, quæ paucis ita commemorat Paradinus de Antiquo Statu Burgundiæ: *Ad Septemtrionalem aspectum non procul à fluentis Aroti Fanum Proserpinæ & Plutonis visebatur; ubi Augures, Aruspices, Genethliaci de Futuris pronunciabant: cujus Fani adhuc vetusta quædam Turris exstare dicitur ad Vrbis Portam, vulgo Genethoyez* (Ego Structuræ formam intuitus, quum didicerim vulgo dici scribique *La Ianitoye*, censeo vel *Iani Templum* fuisse, vel *Ianum*: *Iani* Veteribus Aedificia erant quadriformia & perviaꝗ quales Romæ per omnes Regiones fuisse notat P. Victor. Pergit Paradinus) *In Vrbe insuper media fuisse Martis Templum contendunt*. Est enim Vrbis pars, forma rotundiore & ovali, ab reliqua suis quasi Portis Mœnibusque secluta, quæ Gallica voce corruptius *Marchault*, quasi, ut quidam volunt, *Martis Campus*) *Tum etiam in Plaga, quæ ad Orientem pertinet, Collis est Phrygius, in quo Cupidinis ædem struxerant Edui: nec ab eo procul erant Speluncæ & Fornices Veneris, Scortorum Diversoria. In eo Confinio in Vepreto est Cucubarius, Locus vocatus à Cuculo Eburneo (si fides habenda Recentioribus) qui illic impudenti Deo, impudentissima victima cadebatur. Est enim Avis Adulterijs Lenocinijsque infamis. Visuntur & magnæ ruinæ Theatri eo loci, ubi sacra olei scaturigo fuit ad Murorum antiquorum fundamenta, ubi Fons limpidissimus. In superiore etiam Vrbis parte erat Capitolium, cujus tantum restat Nomen. Deinde Via Fraxinea erat Apollinis Templum, quod haud absurde in editissima Vrbis parte exædificatum censeatur, nempe quod Arcem Acropolinque Ingenij Apollo teneat. Caninus præterea Vicus, in quo Anubis Simulacrum canino capite celebrabatur, ad Occidentalem plagam, ubi convicti furti Anubi mactabantur. Erat rursus Rochi Dei Delubrum. Hunc in Deorum Albo non agnoscunt Poetæ: cujus Auspicijs ab Eduis permulta gerebantur. Porro sunt ruinæ Statuarum, Columnarum, Aquæductuum, Pyramidum, Theatrorum, Arcuum, atque alia innumera Vetustatis opera. Effodiuntur insuper annis prope singulis antiquorum Numismatum Vascula auri atque argenti, cujusmodi quamplurima Mançarius meus, doctissimus apud Eduos, superioribus annis corrasit*. Scribunt etiam quidam *Augustoduni* Senatum fuisse *Druidum*, Locumque ei dicatum ab *Druidibus* vulgato sermone *Mont-Druide* vocari: prætera mille ab Vrbe passibus ad Occidentem Montem esse editissimum, cui ab *Iove* cognomen: ubi in hanc usque diem Familia illustris floret *Mont-Iovi-orum*. Et quis, hæc omnia si vera, non videt Vrbem hanc Vrbis (Romæ) Simiam esse voluisse? & quis miretur *Augusta* quondam appellatione non contentam, ad Augustiorum adspirasse. Canit ætatis mediæ Poeta Hericus lib. I. Vitæ S. Germani;

Templa. Polyandrium. Antiquitates: Fanum Proserpinæ & Plutonis. Iani Templum Ianus. Martis Templum. Martis Campus. Phrygius Collis. Cupidinis Aedes. Veneris Fornices. Cucubarius. Theatrum. Capitolium. Apollinis Templum. Caninus Vicus. Rochi delubrum. Statuæ. Columnæ. Aquæductus. Arcus. Numismata Vetera. Mons Druidum. Mons Iovis

Celtica Roma *dein voluit cæpitque vocari*.

In hac Vrbe *Magnentius*, natione Gallus, post Constantem in Gallijs fraude occisum Purpuram Imperialem induit. Magistratum habuerunt olim *Vergobretum*, de quo dixi paullo ante: Vulgus hodie, ut notat idem Paradinus, antiqui Nominis vestigia retinens, *Vierg* appellat. *Augustodunum* olim Hospitium Musarum, & Bonarum Artium Sedes; ubi, ut Tacitus scribit lib. III. Annalium, nobilissima Galliarum Soboles Liberalibus Studijs operabatur. In Scholis *Augustodunensium* restaurandis occupatur tota Oratio Eumenij Rhetoris, quæ inter Panegyricos legitur: ubi celebratissimi Gymnasij famam Beatus Rhenanus, mutata contra Veterem Editionem Scriptura, transferre voluit ad *Augusto Clivienses*. Restituit suam *Augustoduno* gloriam, adductis in medium paucis Panegyristæ verbis, V. Cl. Iustus Lipsius ad Taciti lib. III Annalium; *Civitatem istam & olim Fraterno Populi Romani Nomine gloriatam*; ubi ille: *Quis è Gallis*, inquit, *Fratres Populi Romani præter Eduos, quorum hæc Vrbs Caput?*

Celtica Roma. Magnentius Augustoduni Imperium invadit. Magistratus. Schola.

Hæc de *Augustoduno*: sequitur *Caballinum* vel *Caballionum Eduorum*; vulgo *Challon sur Saone*: ita scribi debet, ut me monuit Magnus Scaliger, Gallice, non *Chaallon*. *Nam hoc est*, inquit, *Catalaunum*, de quo alibi. *Cabillo* appellatur Bedæ, Vsuardo & Adoni; *Cabellio*, Antonini Itinerario, ubi *Legio* illi tribuitur XIII, & Pomponio Me-

Caballinum, vulgo Challon.

læ, *Cabillo* Itinerariæ Tabulæ; Καβυλλῖνον Straboni ἐπὶ τῷ Ἄραρι, lib. IV: *Cabillonum*, Ammiano lib. XV, D. Ambrosio Epist. XXVII sub finem, & Gregorio Turonensi lib. X. cap. XI. *Cabilonum* Cæsari lib. VII. de bello Gallico: *Cabillonum*, Sidonio Apollinari lib. IV. Epist. XXV: *Caballodunum* in Notitia Imperij, ubi: *In Provincia Lugdunensi Prima Præfectus Classis Araricæ, Caballodano. Caballionense Castrum*, in Notitia Provinciarum Galliæ sub Lugdunensi Prima. Καβυλλίνον Κολωνία Ptolemæo. Quis condiderit, non constat. Displicet Fabula de tribus Heroibus, eorumque Torquibus; in Gynæceo nata. Sita est ad dextram Araris ripam; Agri uberrimi, Cœlique saluberrimi. Eximie felix, convehendisque secundo Arari Mercimonijs idonea: unde ab Cæsare Commeatui parando, Exercituique, qui sæpe in plures distractus erat partes, distribuendo delecta. Testatur hoc ipse sub finem lib. VII, *Profligato*, inquiens, *ad Alexiam Gallorum Exercitu, Cæsar T. Labienum cum duabus Legionibus & Equitatu in Sequanos proficisci jubet. Huic M. Sempronium Rutilum adtribuit. Q. Tullium Ciceronem & P. Sulpicium Cabiloni & Matiscone in Heduis ad Ararim, rei Frumentariæ causa collocat. Ipse Bibracte hiemare constituit.* Majorem olim fuisse loquuntur antiqua Rudera. Rerum apud Francos potiente Hlodovæo, Concilium hic habitum legitur ab Christianis Antistitibus. Regiam hic Sedem habuit *Guntchrannus* Hlotharij I. Filius, Chereberti Francorum Regis Frater, Aurelianensium Princeps, qui eam supra modum varijs Aedificijs ornavit; in S. Marcelli Cœnobio ibi conditus. Evertit contra, cum quatuor Suburbijs, *Hlotharius*, Ludovici Pij Augusti Filius, quum in Italiam Solum vertere cogeretur; Augusto Patre ex Cœnobio ad Regni gubernacula ab Optimatibus retracto: idque odio Anselmi *Cabilonensium* Comitis: quem, Procerum nomine, in Hlotharium potius, quam apud Hlotharium orationem habuisse ferunt. Primarium Templum, consecratum olim sub nomine *D. Stephani*, hodie *D. Vincentio*, quod ejus ibi Reliquiæ ab Hhildeberto I. conditæ, est dicatum. Est & Templum *D. Georgij*: quod, quo tempore Vrbs ab Hlothario vastata, nullis Incendij facibus aut Tormentis unquam dejici potuisse memoratur. Binis ornata quondam fuit Nundinis: utrisque ad totum mensem durantibus, alterisque *Brandonis*, alteris ab *Augusto* mense nuncupatis: quæ tamen, Vrbe suis Cladibus fere sepulta, primo quidem Genevam, quæ tunc etiam Regni Burgundici erat, postea vero Lugdunum, ubi nunc quoque habentur, sunt translatæ. Retinet tamen *Cabillorum*, quas Nundinarum beneficio solitum habere, Immunitates. Vsurpat enim *Cabillonensis* Magistratus Nundinarum & Mercatuum Magistri nomen: & quo anni tempore Nundinę habentur, nemo *Cabilonij* Adparitor vel Regius, vel alius, quemquam potest jure sistere, vel in ejus bona manus injicere. Comitatus olim fuit, quem anteaquam *Burgundiæ* Duces sui Iuris fecissent, acceptum circa annum CIↃ CCLVI ab Ioanne *Cabilonensi* Comite, Stephani Comitis *Burgundiæ* & Salinarum Principis Filio, Episcopus erat præcipuus Vrbis Dominus & Patronus: Edictaque promulgabantur sub Nominibus & Episcopi & Comitis. Hodie Civitas pro dimidia tantum parte Episcopi est; pro altera Regis, ut *Burgundiæ* Ducis. In duas enim divisa Iurisdictiones habet & Curiam Iudicialem Castelli, quæ Regia est; & Episcopæi Collegijque Canonicorum Cathedralium, in qua Episcopalis Nomarcha jus dicit. Subjecta quondam Matisconensium Nomarchiæ, nunc quoque Mensura Vini Matisconensi utitur. *Cabillonensium* Familia secundum Principes longe fuit clarissima, cujus Parens *Gulielmus* ille *Magnus* fertur, cui ab *Venatorio Cornu* erat cognomen. Quæ gesserint, non mei est instituti commemorare. De *Ioanne Cabillonensi*, qui Arausiorũ Principatum suæ Genti quæsivit, postea dicendi erit locus.

Conditor. Situs. Qualitas. Res Gestæ. Templa. Nundinæ. Comitatus olim. Cujus hodie juris.

Hæc de Metropoli, Vrbibusque Episcopalibus: sequuntur nonnulla Ducatus hujus minorum gentium Opida. Inter *Caballinum* & *Matisconem*, medio fere itinere opidum est, quod vulgo *Tornus*. *Tinurtium* Spartiano in Vita Severi Imperatoris, & Antonino, qui Legionem XIII. vocat. Solo situm est fertilissimo; ab Arari undique cinctum. Colles in Agro Suburbicario Vini generosissimi feraces. Quidam in tres divisum olim fuisse partes perhibent: qua de re nihil habeo certi. Spectatur ibi Abbatia loco editiore; quæ, nisi Templi Turres eminerent, Arx potius, quam Monasterium videretur. Ordinis est S. Benedicti; Caput multorum, ut vulgata utar voce, Prioratuum, qui non solum in locis Conregionalibus, verum etiam in Delfinatu, Arvernia, Pictonio, Britannia, & alibi. Ab utraque etiam Vrbe Matisconensi

Tornus, olim Tinurtium.

conensi & Cabillonensi itineris spatio prope æquali distat *Cusellum*, Regiæ Ditionis opidum, ut Paradinus centet, *Secusianorum*, *Secusiumque* Ammiano dictum. Contendere nolo. Situm ad radices Juræ Montis, multis hodie licet ruinis deformatum, miram tamen præ se ferens antiquitatem. Ab Oriente Montes habet, ut idem Paradinus scribit, excelsos, Amnesque perennes, qui limpidas & potu suaves edunt Aquas: unde Fons saluberrimus ex Topho & vasta Rupe in opidum longe porrigitur per ligneos tubos. Montes initio leviter adclives generosum Vinum proferunt; qua se altius tollunt, densiore saltu horrent, in quo omnis generis Feræ stabulantur: magnus etiam illic Vrsorum concursus, qui maturas uvas deglubunt avidissime. Qui rem Herbariam Medicamque curant, eo advolare solent, atque illinc non vulgatas Herbas legere. Nascitur enim illic Elleborum, aliæque Simplices, ut loquuntur, Herbæ ac Stirpes. Accedunt & Boli Armenæ Fodinæ, Argentique Venæ. Ab Occasu planicies se in Sinum laxissimum pandit; Agri optimi uberisque, qui Frugum omnium Fructuumq; haud parce subministrat. annonam. Laccum etiam piscosum habet ad primum Lapidem, ex Rivis undique concurrentibus. Opidum ipsum Structuris non ita conspicuis excultum est: sed incendio ruinisque lacerum, ut tantum Vrbis Cadaver agnoscas. Cives rei Rusticæ, quam Negotiationum studiosiores. Tertia fera leuca ab Vrbe Cabillonensi versus Septemtrionem est *Belna*, vulgo *Beaulne*, ad Amnem, Adcolis *Bourfoize* dictum. Sunt qui volunt *Bibracten* esse Cæsaris & Strabonis. Aliis, ut alibi dico, alia mens est. Situm est hoc opidum loco uliginoso; & quod, ut scribit Paradinus, nullo pene negocio, nulloque ab Hostibus discrimine, posset Lacum Verbi ad primum Lapidem offundere, quo hostes ab se submoveat. Vrbs tota valido Mœnium sepimento circumdata Propugnacula habet, quibus omnium Tormentorum vim queat excipere. In ea insigne Monimentum Pietatis, impensis Raulini Burgundiæ olim Archigrammatei ædificatum est, *Xenodochium*, quod Nosotrophii Ptochotrophiique vice sit. Totius Galliæ est amplissimum; Regum Palatio, quam Pauperum Hospitio similius. Arcem ibi exstruxit Ludovicus XII Francorum Monarcha. *Belnensis* Ager pinguis est, & optimæ notæ: Vites habet toto Terrarum orbe nominatissimas, & Vino non vulgari nobilissimas. In eodem Agro visitur *Cistertium* ab Cisternis, Odonis Ducis opus stupendum in vastissimo Nemore, exstructum anno CIↃXCVIII. Ejus Cœnobiarchiam agnoscunt supra mille octoginta Virorum Cœnobia; ac totidem prope Velatarum, ejusdem instituti, quod hinc *Cisterciense* dicitur. *Semurium*, quod vernacule *Semur*, situm est in meditullio Territorii quod vulgo *Auxois*; terminati ab Oriente quidem Divionensi Agro, ab Occidente Nivernensi; qua Meridies est, Augustodunensi; qua denique Septemtrio, Altissiodorensi. *Semurium* in tres dividitur Partes, ita Muris separatas, ut singulæ sint opidi instar. Prima, quæ præcipua frequentiusque habitata, *Burg* nomen habet; quæ in medio, *Le Donjon* dicitur: Tertiæ Nomen ab *Arce* inditum. Inter Divionem & Belnam itinere medio *Nuithonium* est, vulgo *Nuys*: quod conditum putatur ab *Nuithonibus*, quos Burgundionum partem fuisse testis est *Nuithlandia* quæ in Maxima Sequanorum *Minor Burgundia* dicitur. Hoc opidum semper Gladiorum opificio fuit celeberrimum. *Nuithonum* meminit Tacitus de Moribus Germanorum. Quod Opidum hodie *Avalon*, apud Antoninum *Aballon*, ubi *Legio* XVI dicitur; *Abalium* in Itineraria Peutingeri Tabula. De prodigiosa *Aballonis Arcis* expugnatione legendi Burgundionum Annales. Quod *Saulieu* vernacule, *Sidolucum* est Antonino, qui *Legionem* illi tribuit XVIII: *Sidotocum* corruptius Itinerariæ Tabulæ. Quod *Flavigni*, sesquileuca Semurio versus Orientem, *Flavia Eduorum* censetur olim dictum. De eo Rhetor Gallus in Panegyrico ad Constantinum: *Si Flavia Eduorum Sacer Imperator commovere se funditus, atque huc venire potuisset, tota profecto coram de tuis in se maximis pulcherrimisque Beneficiis una voce io pæneretur, tibique Restitutori suo, imo, ut verius fatear, Conditori in ea potissimum Civitate gratias ageret: cuius caussam similem facere cœpisti. Sed, quoniam non potest, gestit, quæ natura non patitur; Clamoresque suos, quibus quotidie laudes tuas tollit in cælum, qui exaudiri à te non possunt; tamen interjecta longinquitate, id quod fieri decebat, gaudiorum patriæ meæ nuncium sponte suscepi, ut essem iam non privati Studii litterarum, sed publicæ Gratulationis orator* Sunt & alia *Burgundiæ* opida Burgique, quis delineandis brevitati studens, supersedeo: ut sunt *Ausone*, Arcem habens, Clavis Ducatus Orientalis,

Cusellum. Secusianum Veteribus.

Belna. Ambarri.

Cistertium.

Semurium.

Nuithonium.

Aballon.

Saulieu. Sidolucum.

Flavigni, Flavia.

Alia.

talier,

talior, Arari Mœnia lambente; *Noiers, Ravieres, Letone, Memi ard, Cha llon, S. Seigne* (Abbatiam habet: haud procul hinc Sequanæ Fons) *Seaigne, Cre aut, Viteau, Verdum, Arnay, Seure: Tonnerre, Tronoderum*, Antonino.

Episcopales Vrbes Burgundiæ Ducatui consenseri solitæ.

Burgundiæ Ducatui consenseri solent , hæ tres Vrbes Episcopales, quæ tamen Parlamenti Parisiensis Iurisdictionem agnoscunt: vernacule nominantur *Nevers*, *Aussere*, *Mascon*. Primum dignitate gaudet & Honore Ducatus, cujus Ditio, (*Duché de Nivernois*) late patens tribus qui navigeri , Fluvijs irrigatur, Icauna, Flavere, Ligeri. Incolæ Pastioni, Reique Pecuariæ sunt dediti. Frumenti producit Ager parum, Vini fere nihil. Præter Ferri, Venas etiam habet Argenti, circa Fanum D. Leonardi. Carbonum Lapideorum, qui haud procul Decisa opido effodiuntur, magnus ibi usus. Numerantur ibi XIII. Opida clausa, quorum *Nivernum* est Metropolis, Iurisdictionem exercens in XXX ut vocant, Castellanias.

Nevers, olim Noviodunum Nivernensium.

Noviodunum (*Dunum* namque, quod Vetere Gallorum Lingua *Monticulum*, occupat) Cæsari notum, cujus lib. VII hæc de eo sunt verba: *Noviodunum erat Opidum Eduorum, ad ripas Ligeris oportuno loco positum:* & quæ multa sequuntur. *Nevidunum* Floriacensi vocatur. Et ne quis amplius ambigat, Vrbem Ligeri adpositam, quæ *Nevers* vulgo, esse *Noviodunum* Cæsaris; diserte addita Gentis voce, *Noviodunum Nivernensium* dicitur in quadam Notitia Provinciarum Galliæ, quæ penes Magnum IC. Iacobum Cujacium fuit, quod suis ad me Litteris testatur V. N. Iosephus Scaliger; addens multis conjecturis jam antea sibi exploratum fuisse *Noviodunum* illud Eduis proximum *Civitatem* esse *Nivernensium*, eaque ejus Opidi investigatione multos multa nugatos esse: Alia duo Opida hoc nomine Cæsarem memorare, sed sibi ignota. Nam Nugatoribus etiam jurantibus se non credere. Accedit & Aimoinus Historiæ suæ initio; *Noviodunum, quam hodie Nivernus esse putant*, inquiens. Antonino *Nivernium* vocatur in Itinere, quod Augustoduno ducitur Lutetiam Parisiorum: ubi in quibusdam Codicibus *Nevirnum* legitur; in alijs *Niverunm* & *Nevurnum*. In Itineraria Tabula Long. XII, Lat. V. *Ebirno* mutile.

Eius Situs, & Qualitas.

Opidum est omni ex parte mœnibus cinctum firmissimis, Turribusque amplissimis, & Fossis profundissimis probe munitum. Qua Meridies est, Mœnia Ligeris lambit, Pontem habens, pulcerrime quadrato Lapide constructum , viginti Arcuum. *Nivernis*, unde vernaculum opido Nomen, ab Ortu circumfluens, duobus acceptis Ponticulis, mox in Ligerim se exonerat. Ab Septemtrionem & Occasum Fontes sunt, ex quibus etiam Aquæ in Vrbis Fossas deduci possunt.

Palatium Templum. Episcopæum.

Arcem habet & Palatium *Principum Nivernensium*, juxta Primariam Ecclesiam, quæ *D. Cyro* sacra, cuique Episcopæum adhæret. Nihil, aut certe parum, Suburbiorum; quod secus in alijs Galliæ opidis: & hinc *Nivernum* munitius, minusque Insidijs obnoxium. Infra opidum dimidij fere miliaris itinere; nobilissimus Arvernorum Fluvius *Elaver*, vulgo *Allier*, Ligeri committitur: Locus *Constans* ab *Confluentibus* dicitur.

Ducatus Nivernensis opida: Decisa, hodie Desize.

Inter præcipua *Ducatus Nivernensis* Opida sunt *Desize*; *De ise* apud Antoninum, ut quidem in melioribus Libris legitur in Itinere, quod Burdigala ducitur Augustodunum; Nam in alijs *Decidæ*, *Decidæ* & *Decide* exaratum est; *Decetia* vero dicitur alio Itinere , quod Augustoduno pergit Lutetiam, *Degena*, mendose in Itineraria Tabula: *Clamecyum*, *Donzyum*, *Molinum*, *Angilbertsum*, *Corbignium*, *Fanum D. Leonardi*, *Luzyum*, *Premecyum*, & alia.

Nivernensis Principes.

Comitatus olim, hodie *Ducatus* floret titulo. Memoratur in Annalibus Franciæ *Philippus* Nivernij, Rhetelli & Estampij Comes, Philippi Valesij Burgundiæ Ducis Filius; qui cum Fratre in pugna Azincurtiana cecidit: Successores nactus Filios; in Nivernensi quidem & Rhetellano Comitatu *Karolum*; in Stampano autem *Ioannem*, qui, Fratre sine Liberis defuncto, reliquos quoque Principatus est adeptus. Hic ex tribus Conjugibus plures quidem suscepit Liberos: sed, præmortuis ceteris, unam tantum Filiam habuit superstitem *Karolam*: cujus, Ioanni Albretano, Orsvallæ apud Britones Regulo, nuptæ, *Comitatuque Nivernij* a Patre donatæ, Filia fuit *Maria Albretana*, uxor *Karoli Clivensis*. Ioannis II Cliviæ Ducis Filij: qui *Primus Nivernij Dux* legitur. Huic Filius fuit *Franciscus* II Dux, cui ex Margareta Borbonia, Karoli I Ducis Vendocinensis Filia, Liberi fuerunt *Franciscus*, Dux III. Niversij, Comes Eusij, qui nulla Prole relicta perijt Pugna Drensiana, anno CIↃIↃLXIII; *Iacobus*, Ilæ Marchio, Dux Niversij IV, qui etiam ἄπαις obijt: *Henricus*, Niversij Dux V, qui item, ut Fratres, improlis est defunctus; quibus omnibus suffecta est Soror

tot *Henric. I.* Dux Niverlij VI; quæ Vxor facta *Ludovico Gonzagæ* Marchioni Mantuano, *Principatum Nivernensem* Dotis nomine ad eum attulit. Ex eo Conjugio natus *Karolus Gonzaga Clivensis*, Dux Niverlij VII, &c. quem utilissime peregrinantem, & Magnorum Principum, anteaquam proprijs Gubernaculis tenendis se admoveant, exemplo, noscendis penitissime variorum Populorum Rerumque publicarum Moribus & Institutis invigilantem, vidi, salutavi, conveni, quum hæc scriberem, Lugduni Batavorum, anno CIↃ IↃ CII, die Mensis Mai VIII.

Auxerre sequitur: *Autissiodorum* Antonino, *Legionem* hic locanti XXII: ubi male quidam *Antissiodorum* & *Antesiodorum*, per N litteram, contra Veterum Codicum fidem & auctoritatem. *Autosiodorum*. Ammiano lib. XVI. Corruptum huius Vrbis Nomen video in Itineraria Peutingeri Tabula, in qua sic scriptum, *Autessio. Duro*: emendandum *Autissiodoro*, junctim. *Civitas Autissiodorum* in Notitia Provinciarum Galliæ, sub Lugdunensi IV; *l'Evesché d'Auxerre*. Territorium huius Vrbis, quod vulgo *Le Païs d'Auxerrois*, Vino cognomine est nobilitatum. Cum *Autissiodoro* Antonini, eadem facit Gulielmus Paradinus *Vellaunodunum* Cæsaris, & Αὐτρικον Ptolemæi; Αὔτρικον & *Autissiodorum* idem etiam esse scribit Hericus Benedictinus lib. I. Vitæ S. Germani. *Vellaudonum* Vigenereus docet potius constitui debere, ubi hodie *Chasteau-Laudon*. Ego adhuc hæreo.

Vrbs, quæ hodie *Mascon*, Cæsari dicitur *Matiscona*: *Matisco*, Itinerariæ Tabulæ; *Matisconense Castrum*, Notitiæ Provinciarum Galliæ, & Antonino, qui *Legionem* ibi ponit X; *Mastico* in Veteri quodam Diplomate, ut notat Philippus Bugnonius, qui huius Vrbis Historiam concinnavit. *Machaonem Villam* puto dici Paullo Diacono in Longobardicis: *Matiscina* est Gregorio Turonensi, & alijs. Caballino, si Situm quis Cultumque & Artes respiciat, simillima. Porrecta jacet ad Ararim, qui Ponte insigni stratus, recto longoque ad Orientem tractu; reliquis Lateribus in Arcus Arcus. speciem se formantibus. Inter Sacras Aedes, quarum Cathedralis *S. Vincentio* est Templa. consecrata, pulcherrimum fuit Dominicanorum Cœnobium, quo loco ante Comitum erat Palatium, ab S. Ludovico exstructum; vastatum cum reliquis omnibus publicis Ædificijs annis CIↃ IↃ LXII, & CIↃ IↃ LXVII, ab ijs, qui Reformatam Religionem se profiteri ajebant. Hic primum celebrari cœpit ab Christianis Dies Dies Dominica hic primum celebrata. Dominica, ut videre est ex Guntchranni Aurelianensium Regis Edicto, quod in Synodo ibi celebrata promulgatum. Exstat apud Paradinum de Antiquo Statu Burgundiæ. *Comitatus* Titulo claruit: quem Francorum Rex Ludovicus IX emit Comitatus ab Ioanne, eiusque Conjuge, *Comitibus Matisconensibus*. Tragœdiam de *Gulielmo*, Tragœdia de Gulielmo Comite. *Matisconensi Comite*, quem, quod Cluniacenses Monachos indignis modis tractasset, ex Convivio ab Ignoto raptum fama loquitur vulgatissima, aliunde petat Lector: eique, quod per me licet, fidem habeat.

CAP. XLII.

Avenionensis Comitatus.

Hæc de Galliarum Provincijs, quæ sub octo Parlamentis Francorum hodie sunt Regis, eique subjectæ: ordo flagitat, ut quæ ab Francorum ditione separatæ sunt, indicemus, quæque aliorum Principum, vel Ecclesiasticornm, ut Pontificis Romani; vel Politicorum.

Pontificis Romani est COMITATVS AVENIONENSIS, qui & VENISSÆ: Vulgo, COMITATVS AVENIONENSIS. Comté de Venisse. *Le Comte de Venissy*: cui ad Occidentem, interposito Rodano, Languedokij; ad Meridiem, interfluente Druentia, Provinciales: ad Ortum, idem: ad Septentrionem denique Delfinates. Varios habuit Dominos, cum primis, amissa Libertate, *Romanos*: ut reliqua Narbonensis Gallia, cuius hic Comitatus erat pars. Romanis pul- Eius Fines. Domini. sis, successerunt *Gothi*: his profligatis, *Burgundiones*: quibus in contractiores fines coactis, *Franci*. Horum Rex *Karolus Calvus* cum dedit *Bosoni*, qui se *Regem Arelatensem* dixit. Regno Arelatensi potitus *Imperator Otho*, Comitatum etiam hunc occupavit: quæ caussa, quod adhuc Loca ibi non pauca Cameræ Imperialis Iurisdictionem agnoscant. Pervenit inde hæc Civitas in Ditionem *Comitum Provinciæ*. *Karolus*, Ludovici IX Frater, ducta in uxorem *Beatrice*, *Raimundi* Provinciæ Comitis Filia,

Comitatum est consequutus. Idem postea Regna Neapolitanum & Siciliæ subegit; in quibus, ut & in Provinciæ Comitatu, ipsius successerunt Posteri. inter quos fuit *Ioanna* I, Karoli Calabriæ Ducis Filia; quæ nobilissimum Comitatum dedit

Cur hodie Pontifices

Pontifici Clementi VI, ad compensationem Tributi, Romanæ Sedi per multos annos non soluti, nomine Regni Neapolitani, cujus Beneficiarium Dominum se dicit Pontifex Maximus, à quo *Terra Papæ* vocatur: cuique aliquando per LXX annos Sedem præbuit hujus Comitatus Metropolis *Avenio*. Irrigatur ab Rodano,

Flumina.

Druentia & Sorga, Fluvio Petrarchæ decantatissimo.

Veteres Incolæ. Cavares. Memini. Alij.

Habitarunt hic olim *Cavares, Memini*, & alij. *Cavares* Plinio; qui *Cavara*, Pomponio Melæ; Καύαροι, Ptolemæo: Κάαροι, Straboni. Servari videtur eorum memoria in toto illo Tractu, qui ad Rodanum ab Vrbe Valentia Avenionem usque *Gavotz* indigetatur. *Memini* Plinio lib. III. cap. IV. & lib. XVIII. cap. VIII, ubi quidam Codices *Menini*; Μίμηνοι, Ptolemæo. Dalechampius *Merosque*, vel *Mornas* interpretatur, opidum antiquum, Rodano adsitum; alij *Mure*, prope Gratianopolin. De *Vocontijs*, quorum hic etiam Sedes fuerunt, dixi cap. XL; de *Allobrogibus*, quis hic quoque latum fuit aliquando Nomen & Imperium, postea dicturus.

Primariæ Comitatus Vrbes.

Habet hic Comitatus quatuor Diœceses: unum Archiepiscopatum, *Avenionem*: tres Episcopatus, Avenioni suffragantes; *Carpentoractæ, Cabalionem, Vasionem*: Omnes olim in Viennensi I, ut indicat Notitia Provinciarum Galliæ. in qua *Civitas Avennicorum, L'Archeveschè d'Avignon: Civitas Carpentoractensium, Caballicorum, & Vasionensium: Les Evesche de Carpentras, Caballon & Vaison.*

Archiepiscopalis Vrbs Avenio, Avignon.

Avenio, Ἀουενίων, *Cavarum*, Plinio lib. III. cap. IV, Melæ lib. II. cap. V. & Ptolemæo; Ἀουενιών simpliciter Straboni lib. IV; & *Avenio*, Vibio Sequestro de Fluminibus; Cassiodoro lib. III. Variar. Epist. XXXVIII. ad Wandilium, & Veteri Itinerario Burdigala Hierosolymas: *Avinio*, Gregorio Turonensi lib. VII, cap. XXXVI; *Avennio* eidem lib. II. cap. XXXII, & Itinerariæ Peutingeri Tabulæ. *Avenioeus*, Sidonio Apollinari lib. VI. Epist. XII; *Avennica Vrbs*, eidem Turonensi lib. VII. cap. X. & lib. X. cap. XXIII. Qodie *Avignon. Avennici Muri* nominantur apud Turonensem lib. VI.

Situs, Qualitas, Pons.

cap. I. Sita est in sinistra Rodani ripa, Arce potens. Agri gaudet bonitate; Pannorum Byssique tinctura; Papyraceis item Molis nomen merita. Pontem hic habet Rodanus. Is cum Fluvio, quod notandum, totus Regis est Franciæ; non Papæ, præter modicam particulam, Portæ Vrbis propiorem. Hanc Vrbem Septenarius numerus, omnium perfectissimus, reddit laudabilem. Septies enim ibi, & hæc quidem septies inter se septenario numero repetita, visuntur præcipua urbis Ornamenta: *Septem Palatia*; totidem *Parochia Xenodochia, Monasteria Fæminarum, Collegia,*

Septenarius Numerus.

Canven-

Conventus, Porta. Cathedralis Ecclesia *D. Virgini* est sacra. Carthusianorum ibi est Cœnobium, quo nullum in Gallijs celebrius. Academia claret; florentissima, quum Romani Pontifices ibi morabantur. Huic *Paulus Castrensis*, multum attulit splendoris, ut ipsius ad Ius Civile Commentaria, quæ *Prælectiones Avenionicæ* dicuntur, ostendunt. Docuit ibidem inter alios *Andreas Alciatus.* Inter Palatia est, cui nomen *Brusle*, in quo Pontificem quemdam insignis Crudelitatis Facinus perpetrasse Fama loquitur.

Academia.

Carpentoracte Plinio est opidum, quod hodie *Carpentras.* In Notitia Provinciarum scribitur, *Civitas Carpentoractensium, nunc Vindausica*, ubi alijs legitur *Vindesica.*

Episcopales Vrbes: Carpentoracte, Carpentras. Cavaillon.

Cabalio, Doctis, Latine scribentibus; *Cabellio*, Plinio & Antonino in Itinere, quod Mediolano per Alpes Cottias Arelatum ducit: in Itineraria Tabula hic *Caballine* legitur: Καβελλίων πόλις Μασσαλίας, Stephano de Vrbibus ex Artemidoro: Καβελλίων, Ptolemæo; ubi quidam inepte vertunt, quasi pluralis esset, *Cabelliorum Colonia*: Καβαλλίων, Straboni: Hodie *Cavaillon de Comtat. Cabellonensis Portus* meminit Panegyricus Constantino dictus.

Vasio Vocontiorum Pomponio Melæ lib. II. cap. V. Οὐασιὼν Οὐοκοντίων, Ptolemæo lib. II. cap. X. (apud quem male Interpretes *Vasorum Civitatem* vertunt) quæ simpliciter *Vasio* dicitur Plinio lib. III. cap. IV. apud quem in nonnullis Exemplaribus mendose *Vaso*: *Vasio Civitas*, Concilio Arelatensi II; *Vasionensis Civitas*, Bedæ, & Vsuardo XV. Kalend. Mart. *Vasionense opidum*, Sidonio lib. V. Epist. VII. ad Apollinarem, & lib. VII. Epist. ad Fontelum IV; *Civitas Vasensium* in Catalog. Metropol. *Civitas Vasensis.* Can. I. Concilij Valensis: *Vicus Vasensis*, initio Concilij Valensis II. Hodie, *Vaison. Vasionis* meminit Inscriptio, quæ Romæ in Æde D. Pudentianæ:

Vasio, Vaison.

C. ACILIO. C. F. VOL. MARTIALI
VASIONE. VETER. EX. COH. XII. PR
MILITAVIT. ANNIS XVII. VIXIT. AN
NIS. LV. M. I. Q. DOMITIVS. ADIVTOR
HERES. CONSORTI. SVO. BENE. MER
FECIT. ET. SIBI

Alia minorum gentium opida prætereo. Fuit olim haud procul Avenione ad Confluentem cum Rodano *Sorgam* (sic hodie dicitur, qui Straboni Σούλγας: *Vindelicus*, Floro, ab opido conjacente) Vrbs potens, quæ *Vindelium* Floro: *Vindalium* Epitomæ Livianæ libri LXI, & Orosio lib. V. cap. XIII. Οὐίνδαλον, Straboni lib. IV. apud quem V. N. Iosephus Scaliger emendat Οὐίνδαλον. Intercidisse monet idem, ejusque loco hodie esse *Portum Trallia*; *Trallium* Nautas Rodanicos vocare Trasennam, quæ in utramque Fluminis ripam extenditur qua Pontonibus trajicitur Rodanus; eamque positam esse propter Fluvij rapiditatem, ne ab ejus impetu Pontones, vel potius traiectoria Navigia abripiantur. Paradinus *Vindalum* fuisse notat, ubi hodie *Pons Sulga.* Ioannes Poldus in Nemausiensium Historia scribit putare se *Vindalum* fuisse in Provincia circa locum, quem vulgo *S. Remy* vocant; ibi exstare hactenus Mausoleum, Arcum Triumphalem, & Statuas subjugatorum Gallorum. Ad hoc porro opidum magnam de Gallis Victoriam consequutus est *Cn. Domitius Ahenobarbus.* Docent Strabo, Florus, aliique. Præter *Sulgam* nominantur Straboni & alij duo Fluvij, Κουάρων & Οὐάρων; de quibus idem Scaliger consulendus.

Vindalum excisa. ubi quondam.

Inter Avenionem & Aquas Sextias *Vallis Clausa* est, quæ vulgo *Vaucluse*: quo conferre se solitus scribitur Franciscus Petrarcha, Philosophicis Meditationibus operam daturus. Vallis est amœnissima; Rupibus, unde Fontes manant limpidissimi, cincta.

Vauclusa.

CAP.

CAP. XLIII.

Sabaudiæ.

PONTIFICIS igitur Romani in Franciæ Regno hodie est Avenionensis vel Venissæ Comitatus: sunt & suæ Politicis quibusdam Principibus ibidem Partes; quæ in triplici sunt differentia. Aliæ enim *Ducatus*, aliæ *Principatus*, aliæ denique *Comitatus* clarent titulo & dignitate. *Ducatus* sunt *Sabaudia* & *Lotharingia*; vulgo, *Les Duchez de Savoye & Loraine.*

SABAVDIA. SABAVDIÆ unde nomen impositum, varij varie quærunt. Quidam à *Sabatiis Vadis* dirivant. *Sabatium Vadum* Plinio Liguriæ Vrbs, quæ *Sablatia* Pomponio Melæ; Σαβάτα, Ptolemæo: Σαββάτων οὐάδα Straboni, ut libro sequenti videbimus. Alijs *Sabaudia* dicitur, quasi *Sabbatorum*, quos *Sabaudienses* scribit Volaterranus, *Auvve*, id est, Ager, Pratum, Locus Pascuus. Quibusdam quasi *Saul-Voie*, Via per Silices, Dumosaque & aspera quondam Loca. Nonnullis, ne quos omittam, quasi *Saulve Voie*, Salva Via; quam ex mala Latronibusq; obsessa fecisse fingitur nescio quis ab ijs, qui Fabulis Lectores distinere solent. *Sabaudia* certe non semel in Libro Notitiarum nominatur inter Galliæ Narbonensis Provincias. Meminerunt ejusdem, nunc *Sabaudiam*, nunc variante scriptura *Sapaudiam* nominantes, & medij ævi Scriptores. Conjacent *Sabaudiæ*, qua quidem Septemtrio est, Burgundiæ Comitatus, turbationibus Limitibus; & Helvetia, Lemanno Lacu interposito: qua Ortus, Valesia Pedemontiumque, finibus non multo certioribus: nisi quod Montes intercurrant editissimi: ad Meridiem & Occasum Delfinatus se offert, cum nonnulla Rodani portione, Sabaudos separantis ab Burgundiæ Ducatus Incolis. Aer *Sabaudiæ* purus est. Regio valdequam montosa: ad Septemtrionem altissima Iuræ, quem alibi descripsi, Iuga respicit: in Veragris Pœninæ Alpes exsurgunt; in Salassis, Graiæ; in Medullis, Cottiæ; de quibus omnibus libro sequenti. Quod ad Valles & Campestria Loca, Solum amœnum satis & fœcundum, præcipue versus Septemtrionem, secundum Lemanni Lacus Tractum; ubi Vinum gignit generosum, quod *Ripalium* vocatur ab Lacus Ripa. Pascua Animantibus omne genus enutriendis optima; cum alibi, tum qua Mons Minor S. Bernardi attolitur. Irrigant *Sabaudiam* Fluvij, præter *Ararim* & *Isaram*, de quibus suo loco dixi, *Doria*, *Arva*, *Danius*, alij.

Vnde dicta.

Ejus Fines.

Qualitas.

Fluvij.

Veteres Incolæ. Allobroges. Sedes hic quondam habuerunt suas cum *Allobrogibus* (quis quasi in reliquos principatus, vel quorum nomen reliquis fortean commune erat) *Centrones*, *Nantuates*, *Garoceli*, *Medulli*, *Veragri*, *Salassi*, & alij. *Allobroges* Latinis omnibus, ut Sallustio, Cæsari,

vio, Plinio, alijs. Ἀλλόβρογας etiam vocant Charax, teste Stephano, & Strabo lib. IV. qui Ἀλλόβρυγας, υ pro ο Apollodoro apud eumdem Stephanum, Ptolemæo lib. II, apud quem tamen in multis Exemplaribus Ἀλλόβρογες; Ἀλλόβρυγες Polybio apud eumdem Stephanum, Dioni, alijsque Græcis. De eorum Etymo antiquus Interpres ad Iuvenalis Satyram VIII: *Allobroga Galli sunt. Ideo autem dicti Allobroga, quoniam Broga Galli Agrum dicunt, Alla autem aliud. Dicti igitur quia ex alio loco fuerant translati.* Quid *Brega* Germanis, sæpe dixi: ea nimirum voce, transposita Canina, ut sit *Burg*, hodieque multa ipsorum Opida terminari. Nugas de Allobrogum Etymo huc non conferam Annij Viterbiensis, ad XVIII Assyriorum Regem supposititij Berosi. *Allobrogas Sabaudos* interpretatur Scudus; *Delfinates* Marlianus, Poldus & Rhenanus. Non male. Latum enim & potens fuit olim *Allobrogum* nomen ijs in locis, ubi hodie *Sabaudia, Delfinatus*, & Regiones Confinales. ἔθνος δυνατώτατον Γαλατικὸν, Apollodoro apud Stephanum. Livius Gentem notat nulla Gallica Gente opibus aut fama inferiorem: Hannibalemque, quum per ea loca Italiam peteret, jam tum inter duos Principes Fratres, de Allobrogum Regno ambigentes, Arbitrum factum, Imperium Maiori natu Branco adseruisse. Ptolemæus *Viennam Allobrogum* facit Metropolim: Cæsar lib. I. extremam Allobrogum, proximamque Helvetiorum Finibus *Genevam* dicit. Multa contra eos gesta memorantur in Historijs Romanis. Legendi Strabo lib. IV, Cæsar in Commentarijs Belli Gallici, Dio lib. XXXVII, Sallustius in Conjuratione Catilinaria, Plutarchus in Vitis, Appianus in Celtico, Velleius lib. II, Epitomæ Livianæ lib. LXI, Orosius lib. V. cap. XVI, Plinius lib. VII, Iustinus lib. XXXVII, Eutropius lib. V. & alij. Triumphavit de ijs, eorumque Rege *Bituito* Q. Fabius Maximus: inde *Allobrogicus* cognominatus, ut ijdem testantur; vel *Allobrox*, ut Pædianus; vel, ut in antiquo Lapide, qui Romæ, expressum est, *Allobrogicinus*. Horatio in Epodis Carmine ad Populum Romanum, quo commiseratur Reip. propter Bella civilia, *Novis Rebus infideleis Allobrox* nominatur: ubi Vetus Commentator, *Allobroges sunt Galli rufi & Sequanis dicti, incolentes illum Tractum Alpium, qui est à Visontio in Germaniam, qui vehementer res novas adfectabant. unde & Ducibus suis raro fidem servant, habentque flavum præcipue Capillitium.* Ad alios huius Regionis Populos venio.

Centrones.

Qui *Centrones* Cæsari lib. I. Belli Gallici, Straboni, & Antonino, Grajarum Alpium Populi; habitasse eos censent Marlianus, Vigenereus, Scudus & alij, ubi hodie *Tarantaise*. Legitur in Notitia Provinciarum Galliæ sub Viennensi V, *Civitas Centronum, hoc est Tarantasia, L'Archevesche de Tarentaise.* Male nonnulli apud Cæsarem legendum arbitrantur *Centrones*. In multis Plinij Exemplaribus *Acitavones* scribuntur pro *Centronibus*.

Nantuates.

Nantuates Plinio & Cæsari lib. IV. (apud quem, initio lib. III. vitiose *Antuates*) qui Ναντουᾶται Straboni. Eos alijs atque alijs locis recentiores ponunt Scriptores. Marlianus locat ad Lacum Acronium; ubi hodie *Constantienses*, Ægidius Schudus scribit Tractum eorum, hodie *Dewaut & Vchtlandt* (*Nuithlandia*, ab Nuithonibus) Germanice: Gallice vero, *Le Pais de Vault* dici. Paradinus *Nantuatium* Regionem & Nomen exstare hodieque notat in Opidulo, quod etiamnum *Nantua*, haud procul Chamberiaco. Adscribam huc, quæ ad me suis litteris Vir Nobiliss. Iosephus Scaliger: *Cave credas*, inquit de Nantuatibus, *esse Monasterium hoc nomine in Sabaudia, ut quædam non sana Capita volunt. Sunt ij, in quibus Pagus Octodurus est, id est Sanctus Mauritius: cujus rei fidem faciunt Monumenta Passionis Legionis Thebæorum, in quibus Octoduri est mentio: Octodurum autem à Cæsare in Nantuatibus, Veragris proxime, collocatur. Quidam legunt Antuates. Sed qui Nantuates ad Lacum Acronium constituunt, & Constantienses esse dicunt, non minus desipiunt, quam qui Monasterium illud Benedictorum interpretantur.* Hæc ille.

Garoceli.

Garoceli apud Cæsarem lib. I. de Bello Gall. putantur esse Raimundo Marliano, ubi hodie *Mons Cinesius*, vel *Cinerum*; *Mont-Cenis* vulgo: Vigenerens Vallem ijs tribuit, cui cognomen *Morienne*.

Medulli.

Vicini superioribus fuerunt *Medulli*, quorum meminit Vitruvius lib. VIII. Philander & Barbarus eos *Vallis Celera* habitatores faciunt; Dalechampius, *Miollantij & Tarantasiæ*. Μέδυλλοι apud Strabonem & Ptolemæum altissimis insident Montibus. Iosias Simlerus *Vallem Marianam*, de qua ante, ijs adsignat.

Veragri.

Veragrorum, qui cum alijs apud Cæsarem lib. III, quosque *Varagros* vocat Plinius, ditio, *Wallisserlandt* Gulielmo Paradino dicitur: *Pais du Valois*, Aegidio Scudo: *Chablasii Ducatus*, Pingonio, *Montes S. Bernardi & Briga*,

Raimun-

Raimundo Marliano, Caput Gentis ſtatuenti Vicum; ubi *Abbatia S. Mauritij*. Hoc certum, *Nantuatibus*, de quibus paullo ante, *Veragros* fuiſſe confinales. Apud Cæſarem *Nantuates*, *Veragri*, & *Seduni* ab Finibus Allobrogum & Lacu Lemano Flumineque Rodano ad ſummas Alpes pertinent. *Salaſsij*, Σαλάσσοι apud Ptolemæum, olim fuiſſe putantur, ubi hodie *Augſtall*, ut Germani vocant; vel, ut Itali, *Val d'Oſta*. *Salaſſos* à Polybio Λάας dici notat Gaudentius Merula. De *Salaſsiis* plura dicendum in Italia. *Civitatis* etiam *Genevenſium* fit mentio in Notitia Provinciarum ſub Viennenſi Prima; *L'Eveſche de Geneve*. Fuerunt proculdubio & alij Regionis, quæ nunc *Sabaudia*, Incolæ, quorum vel memoria perijt, vel Sedes ſunt incertiores. De *Seguſianis*, qui huc etiam aliquo modo pertinebant, dictum in Lugdunenſi; de *Caturigibus*, in Delfinatu de *Lepontiis* dicam in Rhetia; de *Sedunis*, in Valleſia: de *Latobrigis*, in Helvetia. *Sablatos* etiam Populos hodie *Sabaudienſes* eſſe ſcribit Volateranus; quorum ego apud Veteres nullam reperio mentionem.

Salaſsij. — *Genevates, Alij.*

Totus hic Tractus, ubi hodie *Sabaudia*, *Delfinatus*, aliæque Conregionales Provinciæ, *Regni* titulo quomdam ſuperbierunt, quemadmodum patet ex Livij lib. XXI, ubi Hannibal Arbiter lectus legitur ab duobus Fratribus, qui de *Allobrogum Regno* inter ſe digladiabantur. *Regni* pars, de qua agimus, *Sabaudia*, varios inde Dominos Principeſque nacta, hoc tempore Imperium, agnoſcit *Ducum*: quibus ante quingentos annos contractiores fuerunt Limites. Tunc enim *Maurienna* tantum *Comites* dicebantur: quorum Primus legitur *Bertholdus*, qui patrium Solum vertere coactus in eam Burgundiæ Tranſ-Iuranæ partem abijſſe ſcribitur, quæ inter Allobroges *Comitatus Maurienna* appellatur; rebuſque pro Imperio bene feliciterque geſtis eumdem obtinuiſſe *Comitatum*; quem Filius ejus *Humbertus* I, Iure Beneficiario, ab Henrico III Imperatore plenius acceptum tranſmiſit ad Filium *Amedæum* I. & *Humbertum* II. Nepotem; qui ſucceſſione Adelheidæ, Humberti I Conjugis, *Marchionis* quoque fuerunt *Seguſiani*; *Tarantaſia* etiam Ditionibus ſuis adjecta. Humberti II Filius fuit *Amedeus* II, *Primus Sabaudiæ Comes*, Marchio Taurinorum & Seguſianorum. Eum recta linea ſequuti ſunt *Humbertus* III, *Thomas*, qui *Pedemontanum Principatum* bello ſibi adquiſivit; *Amedæus* III, qui *Vallis Auguſtæ Petram* & *Chablaſij Ditionem*, hæredibus maſculis vacuas, occupavit: & *Bonifacius*: cui improli defuncto ſucceſſerunt Patrui, *Petrus*, qui Principatum ſuum ſupra modum auxit, expugnatis pleriſque ad Lacum Lemanum Opidis; & *Philippus*, Archiepiſcopus antea Lugdunenſis, qui ſpe prolis orbatus potiorem Hereditatis Partem tranſmiſit ad Fratris Thomæ Filium *Amedæum* V, cui *Magni* erat cognomen. Exceperunt hunc Filij *Eduardus*, Hærede carens maſculo & *Amedæus* V: poſt quem Sabaudorum Rebus, deſcendente ſerie, præfuerunt *Amedæus* VI, Ordinis Equeſtris Annunciatorij inſtitutor: *Amedæus* VII; *Amedæus* VIII, quem *Primum Sabaudiæ Ducem* creavit Sigiſmundus Imperator, anno CIↃ CCCCXVI, quemque poſt voluntariam Principatuum ſuorum in Filium *Ludovicum* tranſcriptionem, Monachum jam factum, Concilij Baſilienſis Patres Pontificem Maximum contra Eugenium IV conſecrarunt, ſub Felicis V. appellatione. Dignitatem tamen illam nono poſt anno conceſſit Nicolao V, ſolo Cardinalatus honore contentus, Obijt CIↃ CCCCLII Ripali: ad Lacum Lemanum. *Amedæi* porro VIII Stemma tale legitur:

Regnum, Olim. — *Maurienna Comitatus.* — *Sabaudiæ Comitatus.* — *Sabaudiæ Ducatus.*

Amedæus VIII, Dux Sabaudiæ Primus: de cujus Abdicatione, Pontificatuque alij plura.

Ludovicus. Dux Sabaudiæ Secundus, defunctus anno CIↃ CCCC LXII. Vxor Anna Ioannis Cypri Regis F.

Alij utriuſque ſexus Liberi

Amedæus IX, Dux Sabaudiæ III, *Divus Paterque* cognominatus: Obit CIↃ CCCC LXXV Vxor ſola Karoli VII Valeſij. Galliarum Regis, F.

Ludovicus Rex Cypri. Duxerat enim Karolatam, Ioannis Regis Filiam unicam & Heredem.

Philippus Breſſanus. Bengiaci Comes, & Breſſiæ Dominus: Adgnatis mortuis Dux Sabaudiæ VII In humanis eſſe deſiit Chamberiaci anno CIↃ CCCC XCVIII. Vxores illi fuerunt.

Alij multi utriuſque ſexus.

Philibertus Dux Sabaudiæ IV obijt CIↃ CCCCLXXV.

Karolus. Dux Sabaudiæ V. Veneno perijt CIↃ CCCCLXXXIX. Vxor Blanca Gulielmi Marchionis Montisferrati F.

Alij Liberi.

Margareta Karoli I Ducis Borbonij F. Ex qua nati,

Claudia Ioannis Broſſij Buſſaci Domini Filia. Ex qua procreati.

Karolus

Karolus II, Dux Sabaudiæ VI. Mortuus septennis anno CIↃ CCCC XCVI.

Philibertus Pulcher. Dux Sabaudiæ VIII. Vxor Margareta Maximiliani I Imperat. F. Obiit Improlis anno CIↃ IↃ IV.

Ludovica Mater Francisci I. Galliarum Regis.

Karolus III, Dux Sabaudiæ IX. Hunc Bernates, Genevensibus suppetias ferentes, male mulctatum, Franciscus I Galliarum Rex & Valesij maxima Principatus parte spoliarunt, patriisque Ditionibus eiecerunt. Obiit Vercellis anno CIↃ IↃ LIV. mense Iunio. Vxor Beatrix Emanuelis Lusitaniæ Regis Filia

Alij.

Karolus Emanuel, Emanuel, Ioanna Maria, tenera ætate sunt exstincti.

Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ X. Principatu eiectus, militarem operam præstitit Karolo V & Philippo Regi, cujus ope restitutum avitum Ducatum duxit Margaretam Francisci I. Regis Galliarum F. Obiit anno CIↃ IↃ LXXX. quarto Nonas Augusti.

Katharina & aliæ, tenellæ rebus humanis sunt exemptæ.

Karolus Emanuel Dux Sabaudiæ XI. Pedemontis Princeps &c Vxor Katharina, Philippi Hispaniarum Regis F. natu minor.

Metropolis Sabaudiæ *Chamberiacum*, vulgo *Chamberi*, quod *Camerinum* Antiquis appellatum fuisse notat in sua Sabaudia Paradinus. Auctoritatem adducenti fidem dabo. Putat Pinetus Veteribus vocatum *Forum Voconij*, cujus meminerunt Plinius lib. III. cap. IV. & Antoninus in Itinerario. Atqui fieri hoc non posse, satis inde constat, quod *Forum Voconij* uterque numeret inter ea Opida, quæ hodie ad Mare fere Mediterraneum in Provincia. Et ibidem etiam *Forum Voconij* locat, haud procul littore Maris Gallici, Tabula Peutingeri Itineraria, inter Forum Iulij, hodie *Frejul*, & Mataronem. Vide Caput XXXIX. Frustra quoque est in Chorographia Lusitanica Varrerius; qui ex *Foro Voconij*, *Forum* facit *Voconty*, quasi illud *Vocontiorum*, de quibus ego in Delfinatu, fuisset Metropolis, quum primaria Gentis ejus Vrbs *Augusta Dia Vocontiorum*, hodie *Die*. *Chamberiacum* etiam Cœnali & Castilionio censetur *Civaro*, cujus meminit Cicero in Epistolis: sed *Cularonem*, quæ hodie *Gratianopolis*, restituendam ibi, ante monui. *Chamberiacum* porro, Arce præditum, Domicilium præbet plurimum Sabaudiæ Ducibus, qui Sedem hic signarunt Iustitiæ, Supremoque Provinciæ Tribunali, quod *Parlamentum* vulgo.

Chamberiacum Metropolis, vulgo Chamberi;

An olim Forum Voconij?

An Civaro?

Cum Sabaudia tamquam Partes ejus explicantur *Comitatus Genevensis*, *Maurianensis*, *Tarantasius*, *Marchionatus Susæ* & aliquot Dominiis *Ditio* denique *Bressanensis*. De singulis pauca.

Partes quasi Sabaudiæ;

Comitatui Genevensi nomen ab *Geneva*, cujus media corripienda, ut in *Elusa*, quod non solum Helveticus Germanismus ostendit, qui *Genff* vocat, sed docent etiam ipsi Rustici Suburbicarij & reliqui Sabaudi, qui *Zenevam* accentu in prima enunciant. Sed Gallorum proprium est, mediam correptam producere, ut in *publique*, *facile*, & id genus alijs; quæ Latine corripitur. Et, hodierna fere Adcolarum pronunciatione, *Cenava* dicitur Antonino in Regio Exemplari, in Itinere, quod ducitur Mediolano per Alpes Graias Argentoratum: In reliquis Codicibus non habetur. Vrbs est miræ antiquitatis. Meminit Cæsar lib. I. Belli Gallici *Pontis* ad *Genevam* super Rodanum Fluvium siti, & ab ipso rescissi: *Murique*, hic ab Lacu Lemano ad Montem Iuram ducti per millia Passuum decem & novem; in altitudinem pedum sexdecim. Et *Muri* & *Pontis* non obscura vidi vestigia. Quod apud reliquos, Strabonem, Plinium, Ptolemæum, aliosque nulla Vrbis tam præclaræ sit memoria, summopere mirari soleo. Sita hodie est ad Lacum Lemanum; bipartita in duabus Rodani ripis, conjuncta Ligneo Ponte; cui, per interiectam Insulam firmiori, utrimque Domus impositæ: Major Meridiem est versus, Minor ad Septemtrionem. In Insulæ extremitate, qua Oriens, *Specula* cernitur, quam quidam ab Cæsare volunt factam. Ego hæreo. In Majore Templum est, præter alia, Primarium, *D. Petro* consecratum: olim, ut Inscriptiones, quas hic aliquando vidi, docent, *Apollinis*. In Minore Ædes est *S. Gervasij*; à quo & tota illa Vrbis Pars habet denominationem. De antiquo hujus Vrbis statu, Controversijsque pro ejus Principatu inter Episcopos & Sabaudiæ Comites Ducesque, consulenda, quæ cum alijs scribit, ad Sebastianum Munsterum Franciscus Bonivardus. In Libertatem se vindicavit circa annum CIↃ IↃ XXXV, teste Tabula, quæ publice ibi posita ad Curiam. Cum Bernatibus Helvetiæ Populis Ius Civitatis pactum firmavit anno CIↃ IↃ XXXVI. postea aliquoties renovatum.

Comitatus Genevensis dictus ab Geneva;

novatum. Quas ob caussas quoties Insidijs impetiti; quantisque proximis annis fuerint adfecti confectique cladibus; memoriæ produnt Scriptores non pauci.

Maurianensis, La Morienne, cuius primarium opidum Fanum S. Ioannis Maurianensis,

Maurianensis, vulgo *La Morienne*, expansus est ad Archum Fluvium, ubi Fanum S. Ioannis, cui inde Cognomen. Dicitur enim *S. Iean de Morienne*. Opidum non ignobile, Arce superbiens; ubi sepultus *Humbertus* I, qui *Maurianensem Comitatum*, nunc Sabaudiæ Ducatum, Iure beneficiario ab Henrico III Imperatore acceperat. Mortem obiit anno CIↃ XLVIII. Conjacet Patri Filius, *Amedæus* I, *Cauda* cognomine. *Maurianensis Episcopi* meminit Concilium Matisconense I.

Tarantasius, cuius Metropolis Musterium,

Tarantasius, vernacule *Tarentaise*, conclusus fere spectatur inter Montes Alpinos, Fluviosque Archum, & Aram, Archo se ad Chamezium miscentem. Appellationem habet ab Vrbe *Tarantasia*; quæ hodie scribente Scudo, *Monstier* Incolis; Germanis autem *Munster in Tarantasen*; ut censet Iosias Simlerus: *Musterium* est Latine scribentibus. Sepultus ibi in Basilica *Humbertus* II, *Maurianensis* vel *Moriennæ Comes*, & Segusianorum Marchio, qui Ditioni suæ *Tarantasiam* bello domitam adjecit. Obiit circa annum CIↃ CIX. Legitur hæc Vrbs apud Antoninum, variante scriptura, *Tarentasia*, & *Darantasia*; posteriore modo etiam in Itineraria Tabula. In Notitia Provinciarum Galliæ sub Viennensi V Alpium Graiarum Peninarum est *Civitas Centronum, hoc est Tarantasia*; *L'Archeveschè de Tarantaise*.

Marchionatus Susa, Marquisat de Suse, ab Opido Susa.

Marchionatus Susæ ab Opido *Susa*, haud procul Fonte Doriæ Fluvij, qui infra Turinum in Padum se exonerat. Censent viri docti *Susam* in Graiis Alpibus Σεγούσιον Ptolemæo dici; *Segusionem*, Plinio, Ammiano, Antonino, Tabulæque Itinerariæ. Notat Ammianus lib. XV. Cottiarum Alpium *Segusionem* opidum initium esse. Dicit idem *Cottii Reguli Sepulcrum Segusione* esse, Mœnibus proximum. Pertinet huc Nazarius in Panegyrica Oratione, quæ Constantino dicata: *Differamus*, inquit, *parumper Italicas Expeditiones, quibus Segusiensium Civitatem, qua superatis Alpibus Italiæ Claustrum objicit, quum vi & virtute velut Ianuam Belli refregisses, inde per objectas acies, per exercitus obvios, usque ad Romana Mœnia inoffensus Victoriarum impetus percurrit.* Alij *Susam* adscribunt Pedemontanæ Regioni: quod mihi non displicet.

Domin. Fossigni, Ripalia.

Addam nonnihil de Dominiis. *Fossigni* prope Lacum est Lemanum. In eo esse ferunt (Ego incertior sum) *Ripaliam*, *Ripam* ἁλὸς (ludere liceat: nam Lacus Lemanus Adcolis quibusdam *Mare* audit, & sane sæpe Maris instar sævit) *Ripaille* vulgo. Locus est non inamœnus; vel eo nomine celebris, quod ibi *Amedæus* VIII, Dux *Sabaudiæ* Primus, facta Principatuum suorum abdicatione, Monachum fuerit professus: & in Pontificem Maximum ab Concilij Basiliensis Patribus postulatus contra Eugenium IV, consecratusque IX Kalendas Septembris, anno CIↃ CCCCXL, & Felix V dictus, aliquamdiu egerit: constrictus sibi suisque, operis Sumtusque non magni, Ædificijs, quæ superesse vidi ipse anno CIↃ IↃ XXCV. Mortuus ibi est anno CIↃ CCCC LII mense Ianuario; quum triennio ante dignitatem Pontificiam Nicolao, pacis caussa, concessisset, solo Cardinalatus honore contentus. *Fossignij* Domini Filia *Eleonora* nupsisse legitur *Petro* Comiti *Sabaudiæ* Sexto. *Maria* item Amedæi IV, Comitis *Sabaudiæ* VIII ex Brabantina Filia, locata perhibetur huius Ditionis Dynastæ. De reliquis nihil habeo.

Domin. Chablais.

Chablasij Principatum, qui Fossinio versus Orientem, *Chablais* vulgo, adquisisse, suisque Dominijs adjecisse memoratur *Amedæus* III; quum legitimi heredes masculi jam defecissent. Adcensent illi quidam *Tononium*, *Evianum*, *Gningaunum*, & alia; quæ, ut non satis comperta, timidius scribo.

Tononium, &c. Dominia alia.

De Dominio, quod vulgo *Val d'Osta*, dicendum erit commodiore loco in Italia, ubi de Pedemontio. De reliquis Dynastiis *Vault*, *Gex*, *Dombe*, & si quæ aliæ, silere malo, quam parum explorata meis his adscribere.

Reliqua Sabaudiæ opida.

Sunt & alia *Sabaudiæ* Opida: *Aiguebelle* ab Aquis bellis, ad Fluvium, qui haud procul inde Archo se jungit; *Mont-belial*, *Bellay*. *Niey* ad Lacum cognominem, *Montmelian*: *Insilles*, supra Segusionem, Ὄκελλα Ptolemæo, qui Cottiis Alpibus (male in Vulgatis *Scutiis*) Lepontiorũ adscribit, quibus quæ superant curiosioribus adponenda relinquo. Vide interim huc Partẽ Itinerarij Antonini, quæ infra cap. XLVII.

Regio Bressanensis, Pais de Bresse, Bourg en Bresse, an olim Forum Segusianorum?

Concenseri solet *Sabaudiæ Regio Bressanensis*, vulgo *Pais de Bresse* inter Ararim & Rodanum Fluvios, intercurrente fere Dænio: *Segusianorum* olim Sedes, ut quidam censent. Opidum ibi *Bourg en Bresse*, quod male quidam putant *Forum Segusianorum*. Vide quæ dixi cap. XXVI. In hac Regione sunt *Comitatus Varax*, *Montrevel*, *Pont de Vaulx*,

Vaulx, Basgey, Vlricus Basgai Comes & Bressiæ Dominus Filiam reliquit unicam & Heredem *Sibyllam*, quamquum Vxorem duxisset *Amedaus* IV. Sabaudiæ Comes VIII. *Comitatum Basgeensem*, totamque *Bressiam* suæ fecit Ditionis.

CAPVT XLIV.

Lotharingia.

SABAVDIAM in mea Partitione sequitur *Lotaringia Ducatus*. LOTHARINGIA, ut quidem Latine scribentes vocant, dicta ab *Lotario*, Ludovici Imperatoris; Francorumque Regis vel Filio, vel Nepote. Parum refert. Ludovico sane Pio quatuor fuerunt Filij; qui, moto paricidiali in Parentem Bello, eoque apud Suessones in Monasterium detruso, omnes ejus Principatus inter se diviserunt; constitutaque Tetrarchia, Proceribus Imperij intervenientibus; Res eo deducta est, ut *Lotarius* Primogenitus Imperij Titulo, cum Italia, Narbonensi Gallia, iisque Ditionibus, quæ mox *Lotaringia* appellatione innotuerunt, frueretur: Ludovicus, Germaniam Karolus, Franciam ab Mosa ad Oceanum: Pipinus denique, vel ex eo Filius cognominis, Aquitaniam possideret. Lotario Filius fuit, præter Ludovicum in Imperio Successorem, *Lotarius* Lotaringiæ Rex. Quæ igitur initio *Lotar-ryk*, vel *Lot-reych* Germanis, id est, *Lotarij Regnum*; Latina, eaque depravatiore Terminatione postea *Lotaringia* cœpit audire: *Loraine* Incolis, reliquisque Francis, quasi *Lot-regne*, concisis litteris. Memoriæ produnt Rerum Francicarum Scriptores, *Lotaringiæ* quondam ampliores fuisse Limites, *Austrasiamque* olim nuncupatam vel *Austriam, Oost-reych* (quum ex adverso esset *VVestrasia* vel *VVestria, VVestreych*; corrupte etiam *Neustria*, Occidentale Regnum) divisam in Superiorem & Inferiorem; contentamque inter Renum, Scaldim, Mosamque Flumina: Inferiorem hodie varia nomina obtinere, diversisque subesse Principibus; Superiorem, quæ & *Mosellanica* & *Tullingia* cognominabatur, exceptis aliquot ejus Portionibus, sub unius nunc esse Imperio, & Quotam Totius Partem antiquo nomine florere: adeo ut *Lotaringia* hodie conjaceant ad Orientem quidem Alsatia, & quæ specialiore notione VVestrasia: ab Meridie vero Burgundia: qua Occidens est, Campaniam habeat; qua Septemtrio Arduenna Silva terminetur (occurrentibus mox Leuceburgijs, Trevirensibus, alijsque Populis ibi Conregionalibus) quæ olim etiam *Lotaringiæ* Partes fuerunt nobilissimæ. *Lotaringia* hæc nostra, licet altissimis innexa Montibus Silvisque densissimis, externæ tamen opis non indiget, per se ferax Frumenti & Vini: Animalia producit varia: Stagna habet piscosa: Salinas Thermasque

LOTARINGIA. Unde dicta. Fines ejus qui olim. Qui hodie. Qualitas.

que insignes: Metalla generat varij generis, Argentum, Æs, Ferrum, Stannum, Plumbum: Nec Gemmæ desunt; quarum ad Vogesi radices lucrosa est Piscatio. Reperiuntur & Lapides, quos ab cæruleo colore *Lazulos* nominant Incolæ, magnum inde Lucrum facientes. Est & Materia, qua Specula & Vitrinæ fabricantur: qualis in reliquis Europæ Provinciis non invenitur. Nascuntur insuper hic miræ magnitudinis Calcidoniæ, ita ut e frustis permagni Calices conficiantur. Equos procreat *Lotharingia* generosissimos, Neapolitanis Turcicisque subinde non impares.

Flumina. Fluminibus irrigatur celeberrimis *Mosa, Mosella, Saravo, Volsa, Mortana, Murta, Sella, Nida,* & alijs. De *Mosa* ad Inferiorem Germaniam. Reliqui ad hunc Ducatum proprie pertinent: *Mosella* quidem & *Saravus* potiore parte: ceteri fere integri.

Mosella. Oritur *Mosella* in Monte Vogeso, haud procul Araris fontibus, paullo supra Vicum, qui vulgo *Bussan*; lapsusque ab Vulturno ad Caurum, perlustratis Opidis, quæ vernacule *L'estraye, Remiremont, Espinal, Charmes, Faron*, flexoque ab Oriente in Occidentem cursu, recta petit *Tullum*, Vrbem Episcopalem: unde in Orientem resurgens, *Frouardum* usque versus Aquilonem tendit; visitque Mediomatricibus, Trevirensibus, aliisque Populis, *Confluentium*, cui ab re nomen, Reno confluit. Germanis *Mosel*: Gallis *Moselle*. Ὀβρίγγας putatur ab Rhenano & alijs Ptolemæo dici lib. II. cap. IX. Ioannes tamen Heroldus Ὀβρίγγαν apud Ptolemæum non Fluvium esse notat, sed designari Tractum eum ad Renum, qui nunc temporis *Ober-Rhingaw* appellatur: Clemens etiam Trelæus Mosellanus citatur, ut scribit Abrahamus Ortelius, quemdam ad Mosellam Tractum *Obrinci*, nomen hactenus retinere. *Mosellam* singulari doctoque Carmine celebrat Ausonius Eidyll. III. ab Aquæ limpitudine, Navigandique facilitate; Villis Agrisque, quibus utraque Ripa decoratur, Piscibus *Capitone, Salari, Redone, Vmbra, Barbo, Salmone, Mustella, Perca, Tinca, Alburno, Alausa, Gobio,* & *Siluro*, quibus abundat; Fluminibus denique in ipsum decurrentibus, *Pronæa, Nemesa, Sura, Gelbis, Erubro, Lesura, Drahone, Salmona, Saravo, Alsontia*. *Mosellam* & Ararim, facta inter utrumque Fossa, connectere, Imperatore Domitio Nerone, adgressus est L. Vetus; ut Copiæ ex Italia per Mare, dein Rodano & Arare subvectæ per eam Fossam, mox Fluvio *Mosella* in Renum, exin in Oceanum decurrerent; sublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter se Occidentis Septemtrionisque litora fierent, uti scribit Cornelius Tacitus lib. XIII.

Saravus. *Saravus*, haud procul Salmensibus ortus, Fluviorum omnium, qui in *Mosellam* exeunt, est maximus; Navigiorum patiens, & aliorum Amnium, quos in se recipit, clarus Lustratis Vrbibus Opidisque, quæ vulgo *Sar-Burg, Feneistrange, Sar-Werden, Sar-Alben, Guemund, Sar-Pruck, Waderfing, Sar-Burg*, & alijs, tandem sub Mœnia Augustæ Trevirorum Mosellam convenit, non longe à *Kentherbruk*. Meminit ejus Ausonius in Mosella. Nomen hodie retinet. *Sar* enim Adcolis audit. *Sarra* etiam Veteribus dictus, docente Inscriptione, quæ Treviros translata ex opido ad eum Fluvium sito, quod hoc tempore vocatur *Sar-Pruk*, hoc est *Sarræ-Pons*:

CÆS. RO. EXTER. IMP. P. P
S. C. AV. TREVE. INGR
ESSVM. H. CASTRA. SARRÆ
FLV. PRO. MIL. CVSTODIA
BIEN. POTITVS. EST

Volsa. Mortana. Murta. *Volsa* Fluvius est Margaritiferus, qui ad Vicum *Charmesi* Mosellam ingreditur. *Mortana* ad Pagum cognominem Murtæ miscetur. *Murta* vel *Meurta*, multis in se receptis Amnibus, Mosellam loco plano inter Prata paullatim accedit; & longo tractu, æquali quasi cursu, comitatur, relicta inter utrumque alveum exigua admodum terra, donec tandem paullum supra Condeium Arcem, quæ à dextris in rupe est Pago sibi cognomini impendens, facto cum Mosellæ Alveo Angulo acutissimo, eius & Aquis miscetur.

Sella. Iungit se eidem ad Mediomatricum Vrbem *Sella*, initium quasi capiens ex Lindero Lacu, qui Sale dives & Piscatura.

Nida. Duplex denique *Nida* (Orientalior enim *Germanicus*, Occidentalior *Gallicus* dicitur) facto ad Pagum Northenum concursu, duobus infra *Bossonis-Villam* (Abbatiæ nomen est) milliaribus in Saravum exoneratur.

Habi-

Veteres Incolæ. Mediomatrices.

Habitarunt olim Lotaringiam, quæ nobis præ manibus, *Mediomatrices* & *Leuci*. *Mediomatrices* Cæsari lib. IV, Tacito, Plinio; *Μεδιοματρικες* Straboni & Ptolemæo; *Mediomatrici* etiam Cæsari lib. VII. quorum Metropolis *Divodurum*, hodie *Metz* appellatur. *Civitas Mediomatricum, hoc est, Metis*, Notitiæ Provinciarum sub Belgica I; *L'Evesché de Metz, Le Pais Messin.* *Leuci* Cæsari lib. I, Lucano lib. I. & Plinio *Liberos* cognominanti, Λεῦκοι Ptolemæo, qui Metropolin ipsorum facit Τοῦλλον. Sic in Notitia Provinciarum sub Belgica I, *Civitas Leucorum, hoc est Tullo, L'Evesché de Toul.* Sunt etiam qui *Tulingos* Cæsaris ad Lotaringiam referunt. *& Leuci.*

Lotaring. Regnum.

Decorata fuit olim Lotaringia Regni titulo, uti paret ex Francicorum Scriptorum Monimentis. Reges pauci admodum, & vix duo tresve, memorantur. Statim enim Karolus Calvus, post Fratruelis Lotarij excessum, ipsius Ditiones invasit, suisque adjecit Principatibus. Non multo post ad Ducatus dignitatem est redacta. Primi Duces sparsi per Historias & Variorum Scripta. Proximos produxit Stirps Bilionæa, ex qua natos cum Antiquioribus legimus Comites Vadimontios, Ducum, qui hodie *Lotaringiæ* Guisæq. præsunt, Progenitores. Eorum hoc statu solet Stemma: *Ducatus.* *Stemma Ducum Lotaringiæ.*

Antonius Comes Vadimontius. Uxor Maria, Filia & Heres Ioannis, Harcuriæ & Aumaliæ Comitis, & Mariæ Ducis Aurelianensis.

Fridericus Comes Vadimontius. Hic ducta Iola, Renati Andegavensis Regis Siciliæ Filia, *Lotaringiæ* Ducatum Herede vacuum ad Veterem Stirpem Bilionæam reduxit.

Renatus Dux *Lotaringiæ* & Comes Vadimontius. Hic ab Karolo Burgundo magnis impetitus in urbe & Ducatu quoque pulsus cum ope Helvetiorum, Adversario ad Nanceium cæso, recuperavit. Prima Coniuge, Tancarvillæ Comitis Filia sterili repudiata, Philippam duxit, Adolphi Egmondani Ducis Geldriæ Filiam. Obijt anno CIƆ IƆ VIII.

Antonius Calabriæ, *Lotaringiæ*, Barri Dux, Montisrum-inopontis Marchio, Vadimontis & Alpimontis Comes Princeps rebus feliciter summaque cum gloria gestis clarissimus. Natus CIƆ CCCCXXCIX pridie Nonas Iunij, obijt XIIX Kalendas Quinctilis anno CIƆ IƆ XLIIII. Uxor illi Renata Borbonia, Gilberti Ducis Montispenserij Filia:

Franciscus Dux Calabriæ, *Lotaringiæ* Barri, Geldriæ, Montisflumminopontis Marchio, &c. Obijt CIƆ IƆ XLVI, quarto Idus Quinctil. Uxor Christina Danica:

Carolus, Calabriæ, *Lotaringiæ*, Barri, Geldriæ Dux, Montisflumminopontis Marchio, &c. Uxor Claudia Valesia, Henrici II Gallarum Regis Filia:

Henricus Calabriæ, *Lotaringiæ* &c. Dux, Montisflumminopontis Marchio, &c.

Carolus Cardinalis Lotaringus Episcopus Mediomatricum.

Alij.

Alij.

Nicolaus Lotharingus, Dux Mercurij, Marchio Nomenij, &c. Multas habuit ex tribus Conjugibus Proles, inter eas Ludovicam, Henrici III Francorum regis Conjugem.

Claudius Lotaringus Dux Guisiæ & Aumaliæ. Artis Bellicæ peritissimus, merita pro Gallorum Regibus fortiter & præclare patravit. Natus legitur XIII Kalend. Quinctilis anno CIƆ CCCC XCVI. Uxorem habuit Antoniam Borboniam, Francisci Vendomiensis Filiam.

Franciscus Dux Guisius, rebus multis gestis, tandem in obsidione Aureliacensi ab Ioanne Poltrotto globo trajectus obijt XIII Kalend. Martij, CIƆ IƆ LXIII. Uxor Anna Herculis Ducis Ferrariensis Filia:

Henricus Dux Guisius, cæsus in conspectu Regis Henrici III.

Franciscus Dux Ianivillæ.

Ludovicus Cardinalis Guisius interfectus cum Fratre.

Karolus Dux Madenniæ Fratrum necem vindicare frustra conatus tandem quiescere cœpit.

Maria uxor primo Ducis Longævillani, post Iacobi V Scotorum regis.

Claudius Dux Aumaliæ. Cum Guisiorum vindictam Conilha Virtute Duci Madenniæ communicasset. Unicam habuit Filiam Katharinam, Agnato nuptam Nicolao Comiti Vadimontio.

Alij.

De *Lotaringiæ* Ducum Stemmatibus, Rebusque gestis Volumen satis magnum edidit Franciscus Roseus.

De Guisiæ Ducatu quædam à me sunt commemorata capite hujus libri vicesimo, in Picardiæ Historia.

Metropolis *Lotaringiæ* est *Nanceium*, vulgo *Nancy*: Opidum non amplum, sed Situ pulcro commodoque, loco plano, forma quadrata, magnifico Lotaringicorum Ducum Palatio nobile. Adjacet illi Aedes D. Georgij, in qua Monumentum visebatur *Karoli Audacis*, Burgundiæ Ducis, ab Helvetiis & Lotaringis Nonis Ianuarij anno CIƆ CCCC LXXVII acie cæsi: cujus reliquias, Karoli V Imperatoris, ipsius Pronepotis jussu, anno CIƆIƆL mense Octobri inde Leuceburgum solenniter transtulit Boisotus, Ordinis Aurei Velleris Præco: Brugas hinc mox, Mariæ Hungariæ Reginæ mandatu, transportandas. Sunt in eadem D. Georgij Aede aliquot Lotaringicorum Ducum Tumuli, qui Inscriptionibus carent: ut & in alijs Templis. *Metropolis Nanceium, vulgo Nancy.*

Sſ 3 Nam

Nam certum Sepulturæ Locum non habent. Posteriorum Ducum pars potior ad D. Francisci Ædem (quæ ad alterum Palatij latus) sita est. Spectare ibi est superbum *Renati*, qui Victoria potitus est contra Karolum Burgundiæ Ducem, Monimentum. Conditi jacent ibidem Dux *Antonius*, ejusque Filius *Franciscus*, Karolique Ducis Vxor *Claudia Valesia*, Henrici II. Galliarum Regis Filia. *Nanceï* Mœnia lambit *Murta*, qui tribus inde miliaribus paullo supra Arcem Candei Mosellam intrat. Armamentarium habet *Nanceium*, Machinis bellicis omnis generis instructissimum.

an *Nasium* olim.

Putant Petrus Divæus aliique *Nanceium* hodie esse, quod *Nasium* Ptolemæo, *Nasium* Antonino in Itinere, quod Durocortoro ducit Divodurum. Sed si quis penitius Itineris illius rationem consideret, ejusque ductum & sila fideliter sequatur: facile deprehendet Antonini *Nasium* incidere non posse in locum illum, ubi hodie *Nanceium*: adeo ut *Nasium* illud sit, non quod nunc *Nanceium* dicimus, sed Pagus XII. indè miliaribus dissitus non procul ab Mosa in Barroducana Provincia, qui vulgo *Nas* dictus, unde *Nasiensis* in Lapide, qui ecfossus ibi: FABRICIVS NACIENSIS CVRATORIBVS ET MINIS TRIS IVVENTIDIO FIRMO ET ATEVLA SOLLI F. HVIVS FANI FACIENDI. Certe *Nasium* illud amplissimam aliquando Vrbem fuisse, satis paret ex Ruderibus: quod etiam testatur apud Ortelium Clemens Trelæus Mosellanus. Iter Antonini, quo *Nasij* fit mentio, conlatum cum Itineraria Tabula & hodierna nomenclatura, sic se habet:

Antonini Itinerar.		Tabula Peutingeriana		Vulgata Nomencl.
Durocortoro Divodurum usq. Millia Pass. LXXXVII. *sic:*		*Durocortoro,*	XIX.	*De Reims à Metz Lieues* 30.
Fanum Minervæ,	M.P.XIIII.	*Tanomia,* Legendum *Fano Min.* id est *Minerva*		ubi hodie *Basones*, aut circiter.
Arielam,	M. P. XVI.	. . . . . .		ubi *Bony* vel *Meneboult*.
Caturigas,	M. P. IX.	*Caturices,*	IX.	*Clermont* forte.
Nasium,	M. P. IX.	*Nasie*, Leg. *Nasio,*	. .	*Nas.*
Tullum,	M. P. XVI.	*Tullio*, Leg. *Tullo,*	X.	*Toul.*
Scarpona,	M. P. X.	*Scarponna,*	XIIII.	*Sarpaigne*, ad Mosellam.
Divodurum,	M. P. XII.	*Divo. Durimedio. Matricorum.* Scrib. *Divoduro Mediomatricum.*		*Metz.*

Scarpona Vicus olim Opidum.

Scarponæ, quæ in Itinerariis nominatur, meminit etiam Ammianus lib. XXVII. Retinet hodie Veterem Appellationem Vicus *Scarpaigne*, ubi multa Antiquitatis Rudera visuntur. De iis non possum, quin adscribam Petri Divæi verba ex ipsius Itinerario: *Hic*, inquit, *paullo ulterius ad eamdem Mosellæ ripam Vicus est exiguus Sarpaigne, de cujus Antiquitate multa Incolæ referebant. Opidum olim amplum fuisse à Sarpignia quadam Regina* (non absunt hæc ab Fabulis) *denominatum, quæ & in eo Regiam habuerit. Ostendunt in cius rei testimonium Ruinas quasdam Murorum, ubi Thermas quondam fuisse volebant: Nos quæ eorum figura fuisset, non valebamus conjicere; tantum subdubitabamus, num Castrorum inservivissent Munitioni, quum eorum magna sit crassitudo, & Foramina in eis cernantur adhuc rotunda & angusta, quasi ad ejaculanda Missilia. Hic & Numismata antiqua eruu; & Hospes, ad quem diverteramus, nobis dedit aureum Nummum C. Cæsaris Caligulæ, quem se ibidem reperisse adfirmabat. Exstat in Pariete Domus cujusdam rustica antiquum Marmor, in quo Reginæ illius Imaginem esse volunt. Est manu omnino artifice sculpta Imago muliebris, longioribus induta Vestibus, Equæ insidens, quam Pullus videtur lactare; ipsa vero Calathum, aut simile quidpiam gestat, in quo Pomorum figuram, ficubus haud absimilium videbamur dignoscere. Suspicari sane est ex hac Scalptura Locum hunc alicujus olim nominis fuisse, sed de hoc, ut & de alijs quamplurimis desiderantur Historiæ: Fabellarum vero inanium apud profanum Vulgus nullum esse modum, nemini non exploratum existimamus.*

Haud procul Nanceio Locum vidi, ubi obtruncatus Karolus Burgundus, ad Rivulum

vulum quemdam, quem quum, cæsis jam copijs, fugiens pararet transilire effuso Equo, mifere fuit ab Insequentibus confossus. Testatur rem gestam Crux Lapidea cum Inscriptione Gallica in ærea Lamina, cujus Exscriptum est apud Divæum in Itinerario Belgico. Paullo altius, ubi Prælium id commissum volunt, Sacellum mihi monstratum est à *Burgundionibus* cognominatum, cum adjuncto Cœmiterio & Tabula ærea, in qua Gallici Versus memoriam atrocissimi Prælij conservant. Prope Nanceium ad Montium Radices Pagus est *Marche-Ville*, cujus Incolas perfidia aliquando in suum Ducem (eum Historiæ *Fridericum* II appellant) notatos ferunt, atque ea de caussa, quotiescumque cum reliquis Principibus domesticis epulari contingit, Panem eis inversum apponi consuevisse. Extant ibidem Rudera rotundæ Turris, in qua Dux, quem dixi, ex Venatione subductus ad triennium detentus memoratur.

Locus Cædis Karoli Audacis.
& Prælij inter Lotaringos & Burgundos.
Marchevillæ Pagus

Nanceium dignitate sequitur *Fanum S. Nicolai*, vulgo *S. Nicolas*, duobus inde distans versus Orientem milliaribus, ad Murtam Fluvium, Loco plano & fertili. Templum non magnæ est antiquitatis, sed vastæ molis, editæque structuræ. Columnæ, quæ totum Fastigium sustinent, tantæ sunt cum gracilitatis, tum altitudinis, ut tanto oneri ferendo vix judicentur pares. Turres habet duas, in quarum una Karoli Lotaringici Cardinalis, qui idem Metensis erat Episcopus, cuique hæc parebat Ecclesia sub Prioratus, ut loquuntur, titulo, in summo Culmine Symbolum: obeliscus scilicet cum Hedera circumplicata, & Inscriptione, TE STANTE VIREBO. Adservari fertur in hac Æde ex D. Nicolai, Myræ Episcopi, quæ urbs erat Lyciæ, ex eadem Lycia, Patara Urbe, oriundi, Manu Articulus unus inclusus Auro, Gemmis multis interstincto: unde hujus primum loci nata Religio; qui advenarum frequentia in eam excrevit amplitudinem, ut jam non Pagum, sed Urbem, & quidem totius Lotaringiæ cultissimam, quis posset dicere, si muro clauderetur: ea est Ædificiorum venustate, apta Viarum dispositione, Incolarum multitudine, ut nihil requiri queat: sed ob Mercaturam præcipue, & omnis generis opificia commendatur: Mercatores habens perquam opulentos, Vicinis suis ditiores.

Fanum D. Nicolai

Alia minorum gentium Opida, ne Lectori tædium pariam, prætereo. Uno distat milliari Nanceio *Fruart*, tribus, *Ormes*; paullo amplius, *Bayon* & *Luneville*; quatuor, *Le Pont a Monson* & *Gerbeviller*; quinque, *Charmes*; sex, *Chaitenoy*, *Morhanges* & *Vaucoleur*; paullo plus, *Maxen soubs Bresse* septem, *Dompaire*, *Deneuvre*, *Hodon Chasteau*; octo, *Rambervile*, *Raon*, *Bellemont*, *Neuff-Chasteau*, *Mugstat*, *Marchain-Ville*; novem, *Espinal*, *Bruyeres*, *Darney*; decem, *Ormont*, *VValdersing*, *Beaurains*; tredecim, *Vaigny*; quatuordecim, *L'Estraye*.

Alia opida.

Comitatus titulo & dignitate clarent; quæ vernacule *Vaudemont*, quinque Nanceio milliaribus. *Chaligny* ad dextram Mosellæ, Leuca semi Nanceio. *Amance* septem milliaribus ab Mediomatricum Urbe versus Meridiem; *Almentia* Latine scribentibus: Scrinium olim & antiqua Lotaringiæ Cancellaria, testantibus Archivis ab Rosiero prolatis. *Richecourt* haud procul Lacu, qui vulgo *La Garde Lac*, unde Amnis profluit, qui inter Fanum S. Nicolai & opidum *Rosieres* Murtæ miscetur. *Remiremont* ad sinistram Mosellæ, Insulam ibi facientis, in Lotaringiæ Meridionalissimis: *Rumaricum Castellum* habet hic Aimoinus Monachus; *Adromarici* corrupte legitur apud Reginonem, pro *Ad Romarici*, divisim; *Rimelsberg* Germanice nominatur Spigelio ad Bartholini Austriad. Spectantur haud procul inde Valles, quæ vulgo *L'Estraye* & *Vagny*. *La Mothe* ad amnem situm est, qui mox in Mosam se exonerat. Visitur ibi Territorium, cui nomen *Le Sanctoy*. Sunt & Comitatus quidam Imperij *Salmensis*, *Kirchinganus* & *Blanckoburgius*. *Blanckenberg*, Gallis *Blanc-mont*, opidum est non magnum, sed pulcrum & amœnum. Spectatur ibi Castrum Vetus, spaciosum & magnificum, cui Palatium Novum Ducis, venusta structura insigne, est conjunctum. Incolæ Agriculturæ dant operam.

Comitatus.

Nomeny Baronatus est ad dextram Sellæ Fluvij, tribus milliaribus ab Urbe Mediomatricum, Meridiem versus.

Dominia sunt: *Marsal* ad Sellæ sinistram, haud procul Lacu Lindero, in quo Insula cum Opido *Techemsul*. *Remereville* tribus Nanceio milliaribus. *S. Bellemont*, totidem Mora. *Rambert-Ville* ad dextram Mortanæ, haud procul Fonte, ubi Silva Mortanensis. *Rosieres* ad Murtam, prope Fanum D. Nicolai, duobus Nanceio

milliaribus. *Homburg* grandiore Leuca ab opido *Sarbruck*, ad Amnem, qui mox Saravo concurrit. *Mariemont* ab Monte, cui opidum impositum, uno ab Lindero Lacu milliari, meridiem versus. *Sandacourt* medio fere itinere inter Vaudimontem & Mottam, in Agro, qui vulgo *Sanctoy*.

Mediomatricum Status.

Mediomatricum Urbem, quæ cum Tullo alijsque Imperialis olim erat, in suam potestatem redegit Galliarum Monarcha, Henricus II. Præsidet Urbis Senatui missus ab Rege Magistratus. Tribunal autem Mediomatricis Urbis tres habet Episcopatus, sub Metropoli Trevirensi: *Mettensem*, *Tullensem*, *Verdunensem*, sic ab Locis nuncupatos, in quis suæ singulis Sedes.

Urbs, Metensis.

Quæ vulgo *Metz*, & posterioris ævi Scriptoribus *Metæ*, Gregorio autem Turonensi & alijs *Urbs Metensis*; *Divodurum Mediomatricum* Antiquis fuit appellatum. Itineraria Tabula: *Divo*, *Durtmedio*. *Matricorum*; Lege, *Divoduro Mediomatricorum*, ut antea monui. Simpliciter Διουόδουρον Ptolemæo; *Divodurum* Tacito lib. IV & Antonino, qui eo varia ducit Itinera. Variorum Nugas de recentis Nominis ratione non lubet adscribere. Sedes olim fuit Regni *Lotaringiæ*. Luitprandus: *Metensem Urbem, quæ potentissima in Regno Lotarij claret.* De ea eleganter Petrus Divæus in Itinerario: *Metensis Urbs in ampla sita est Planitie, quam Mosella in varios divisus alveos irrigat, & pars quidem eius muros ad lævam lambit, pars & eosdem subit, ut Civium usibus inserviat, atque sic divisum fluit ad inferiorem usque eorum ambitum, ubi recepto Sella, altero Flumine, qui dextram Urbis partem adluit, in unum denuo alveum colligitur. Sed Situ imprimis ipsius Urbis delectabamur: quum enim Agrum late circumjacentem planum habeat, ejus tamen Area paullum prominet, ut in eo Veterum rationem in condendis Urbibus agnoscas. Ad Summum siquidem Templum multis gradibus ascenditur: juxta quod Forum Rerum Venalium altiorem totius Areæ partem occupat, & ab eo undique versus Muros paullatim descenditur, prærupto tantum in una parte Clivo, ubi Vias duas Lapidibus stratas sic dispositas videas, ut altera per alterius domorum culmina excurrat. Templum D. Stephani nomen tenet, qui Civitatis est Patronus, pulcerrimum vero opus, si quod aliud toto hoc Itinere vidimus, & sua mole spectabile; quodque raro accidit, omni ex parte consummatum. Dicebatur, in eo fuisse Crucifixi ligneam Imaginem, totam Laminis aureis superinductam. Vidimus Labrum Porphyreticum rubei Coloris, magnæ capacitatis, Pedes X. longitudine excedens, in quo Lustrales Aquas adservant. Sunt & alia in hac eadem Urbe sumtuosa Templa, & multa erant in eius Suburbijs, inter quæ D. Arnolphi Basilica, Imp. Ludovici Pij Augusti, Karoli Filij & Filiarum aliquot Pipini Regis sepultura celebris. Omnia hæc absumsit Belli rabies, ita ut Suburbij ne Vestigium quidem nunc supersit, neque ultra Muros quidquam præter Campestria videas.* De Bello Nupero consulendus Historiæ meæ Belgicæ Liber V. *Cives Mediomatrices* nominantur in Inscriptione, quæ exstat Moguntiæ ad S. Albanum:

D. M

PRIMVLÆ. COMITILLÆ

QVÆ. VIXIT. ANNIS. XX

CIVES. MEDIOMATRIC

A. MATERNIVS. NEMAVSVS.

STRATOR. COS. ET

LVCIVS. LVCINVS. MENSOR.

FRVMENTI. NVMER.

Haud procul Metis, prope Pagum *Iovy*, in Mosella antiqui Aquæductus sunt Vestigia. De iis sic Divæus in Itinerario: *In hoc Itinere Pagus est Iouy vulgo dictus inter Montium radices & Mosellam, ubi quantacumque est inter Montes utrosque, qui Ripas ambiunt, distantia, Aquæ-ductum antiquitus fuisse, indicant eiusdem, quæ adhuc exstant, reliquiæ. Arcuum adhuc restant multi, suntque ex albo Lapide, in Laterum formam dissecto; & nonnulli quoque eiusdem operis in adversa ripa cernuntur. Incolæ adserebant in eodem loco Fontem hodieque esse, quamvis hos Arcus (falsa inscitia) Ponti inservijsse putantes, & ab hoc Pago in Montis ipsius jugo minores alios Arcus fuisse dicebant, qui versus Urbem Metensem quæ uno hinc distat Miliari, excurrisse viderentur. Altitudo juxta Ripam Pedum est circiter LX: Unde conjicere est, quanta totius Operis moles fuerit, quantaque altitudo Arcuum, qui in ipso erant Fluminis alveo, quorum hodie nihil superest. Referebant ijdem Incolæ,*

superio-

superiorem Arcuum Partem planam omnino esse, cæmento rubei coloris inductam; & in eius medio Domunculam non ita multis abhinc annis adhuc fuisse, ab utraque parte patentem, quam nos partem Tecti fuisse, quæ Tubum tegeret, suspicabamur.

Quæ *Toul* vernacule, *Tullum* olim; Τοῦλλον, Leucorum opidum, Ptolemæo: *Tullum* Antonino, Itinere à Durocortoro Divodurum, & alibi: *Tullium* Itinerariæ Tabulæ. *Tullensis.*

Quæ denique *Verdun*, Latinis vocatur hodie *Virdunum* & *Verdunum*: *Verodunum* Antonino dicitur. *Civitas Verdonensium* in Notitia Provinciarum sub Belgica I. *L'Evesche de Verdun.* Leguntur autem tres Vrbes, quas commemoravi, Comitatus etiam titulo & dignitate insignes. Postremi sane Ambitum diligentissime notatum reperi in vetustissima quadam Charta. Non gravabor ipsissima adscribere Verba. Condonet Lector ad Sermonis, si quæ est, scabritiem, crebrasque quarundam Vocum Repetitiones. Ea sic se habet: *Circuitus Comitatus Verdunensis Incipit enim à Leone Montis Falconis, & usque ad Pertusam Petram tendit. De Pertusa Petra usque ad Subtriam Villam, & inde usque ad Villam de Falley. Dehinc usque ad Longmon, ubi Crima cadit in Caram Fluvium; &, sicut Crima, sursum decurrit usque ad Nasiam, quæ usque ad Briezum tendit, & usque ad Baninadum, ubi cadit in Ornam. Et in longitudine superius usque ad Fontem, apud Ayoncourtem; & inde usque ad Quercum Sadert; & inde Sulmotionis ad Fontem Lupimontis, dehinc ad Mesbors Fontem. Deinde Petrisuadura; dehinc usque Consancia, ubi cadit in Mosam Fluvium: dehinc usque Warnoncourtem per Nuclearios iuxta Bussey & Warnoncourt: & deinde contra Vallem iuxta Longum Campum, recta Via ad Herisiam: & inde usque ad Fontem apud Sarindum ad Fontes tres. Exhinc usque ad summam Asinæ: & postea usque ad Vlmos. & inde usque ad locum, ubi Gronna fluit in Asinam: & inde per descensum Asinæ juxta Vitsnam: Et usque Viennam per Ferrieres, & per Momblainvillam, & per Concecours per Castrum juxta Quarnayum, & inde per Superiorem Partem Villæ, quæ dicitur Cuche y: & inde recta via usque ad Iemas & inde usque ad Spanulphivillam: Et inde recta via usque ad Montem-Falconis: & usque ad Leonem, à quo primus cœpimus.* *Virdunensis.*

Cum Lotharingia porro solet explicari *Territorium Barrense*, vulgo *Le Barrois*, quod extendit se ad *Novum* usque *Castellum*, *Neuf Chastel*. Metropolis illi *Bar le Duc*, sic cognominata ad differentiam aliarum, quæ *Bar sur Seyne*, & *Bar sur Aube*. Minorum gentium Opida sunt *La Motte*, *Ligny*, *Arq*, & alia multa; ad Mosam se offerunt *Commercy* & *Vaucouleur*, quæ partim Franciæ, partim Barri. *Territorium Barrensis, Le Barrois.*

CAPUT XLV.

Benearnia.

HÆc de Ducatibus, Francorum potestate exemtis; sequuntur Principatus *Benearnensis* & *Arausionensis*. PRINCIPATUS, BENEARNENSIS, La Principauté de Bearn.

BENEARNENSIS, vulgo *Bearn*, semper separatus fuit ab Francorum Ditione, eodemque, quo Regnum ipsum, habitus jure, id est, optimo maximo: sed accrevit quasi Regno Franciæ, quum Christianissimus Henricus, Navarræ Rex, Regni Francici capesseret Sceptrum, Iure Successorio. Vnde Nomen nobilissimo Principatui, varie disputant Novitij Scriptores; inque eo eruendo incredibile, quantum se torqueant, ne dicam ineptiant. Memoriæ produnt quidam *Benearnium*, tempore Regis Hlodovei, subditam fuisse Francis, inque dotem datam Galesvindæ Brunechildis Reginæ, quæ Sigeberto nupta erat, Sorori; sub nomine *Benarnum*. Nonnulli denominatos putant *Benearnenses* à *Biarmis* Septemtrionalibus Populis, quos, cum Gothis, alijsque, Hispaniam petentes ijs in locis sedes fixisse volunt. Sunt qui scribunt originem traxisse à *Bernatibus*, Helvetiæ nunc Populis; ijsque Regionem ab Karolo Martello dono fuisse datam. Alij alia adferunt: quam vera, prudentiores judicent. Scimus nos *Benearni* (de quo postea) mentionem fieri apud Antoninum in Itinere, quod ad illud opidum ducit Cæsar-Augusta ex Hispania Citeriore. Legitur etiam in Notitia Provinciarum Galliæ sub Aquitania Tertia Novempopulania, *Civitas Benearnensium, id est Benearnus*. A *Benearno* si quis Toti Tractui nomen inditum censeat, fortean non errarit: sed *Benearnum* unde dictum, *Vnde dicta Benearnia.*

nescire

Situs eius & Fines; Partes, Qualitas

nescire me fateor. Sita est *Benearnia* ad radices Pyrenæorum Montium, inter Bigerronum, Baionensium, aliorumque Confinalium Populorum Territoria & Agros: in duas divisa Partes; quarum una, Montibus obsita, Eloronum habet Opidum; altera, ab Vallibus Locisque planioribus occupata, Lascariensem Civitatem, Regioni cum in Montibus, tum in Planicie, mirandus est genius & stupenda indoles: vix Opidum ibi, vix Pagus, cui non aliquid singulare. Potior Pars Millo, Lino, Canabi (quarum rerum maximam Incolæ exercent Mercaturam) abundat: Frumento etiam hic ibi beata: Pascuis valde dives, Pecoreque: unde incredibilis Butyri Caseique copia: Capris supra modum scatet; quæ hic nullo labore nutriuntur in Rupibus, & Ericetis, citra Fructuum teneriorumque Arborum perniciem & detrimentum. Nec Vina desunt. Generosum valde, nullique Francico bonitate sua cedens, producit Territorium, quod vulgo *Iurancon*. Balnea habet passim Thermasque, omnium, quæ in Europa, præstantissimas. De *Aquis Benearnensibus* Plinius lib. XXI. nat. hist. cap. XI: *Emicant*, inquit, *benigne, passimque in plurimis terris alibi frigida, alibi calida, alibi iuncta, sicut in Tarbellis, Aquitanica Gente, & in Pyrenais Montibus, tenui intervallo discernente:* Ad quæ Nobiliss. Vir Iosephus Scaliger: *Qui Aquas Benearnensis Saltus in Pyrenais viderunt & biberunt, non dubitabunt Plinium de illis sensisse.* Incolæ elatos habent animos: strenui sunt & fortes; Armorum periti; candidi proculque ab omni fuco; adfabiles & ad omnem humanitatem propensissimi; cauti interim subtilesque; lingua sua eloquentes: Libertatis amantes, Magnis gaudent Immunitatibus & Privilegijs. Ad Doctrinas eos varias capessendum non ineptos docent Magni Viri, qui inde oriundi. Omnes Nobilitatem adfectant: qui reipsa nobiles, contendunt magis, ut bene fortiterque agant, quam ut splendide molliterque vestiantur. Inter ipsos primum obtinent locum inlustres Familiæ, quas ex Cantabris ajunt ortas, *Grammontia* & *Lussea*. Baronatus clarent dignitate *Mirens, Iadre, Monens, S. Celombe, Esganalabagne, Coderch, Navailes, Castelnau, Maseres, Luz, Suz*, & aliæ.

Veteres Incolæ, Benearnenses, Eloronenses, Preciani.

Sedes hic olim suæ fuerunt *Benearnensibus*, *Eloronensibus* & alijs. *Civitatem Benearnensium* nominat Notitia Provinciarum sub Aquitania tertia Novempopulania, vel Octava Viennensi; hodie *Le Pais de Bearn*. Scribitur ibidem & *Civitas Eloronensis* nunc, *L'Evesché d'Oleron en Bearn*. *Precianos* etiam, quos cum alijs Aquitaniæ Populis recenset Cæsar, nonnulli, ut Vigenereus habet, in suis ad Cæsarem Adnotationibus, esse volunt, ubi hodie *Bearn*; alij, ubi *Precins*; quidam, quo loco *Baiona*.

Principes Benearnenses.

Principum Benearnensium series hæc traditur:

Gasto

Gasto Gulielmi Moncadæ Hispani Filius, *Benearnensium* Princeps primus: Vxore ducta Martha, Filia & Herede unica Esquivati Bigerronum Comitis Filia, Bigerronum Comitatum Ditionibus suis adquisivit. Duæ fuerunt illi Filiæ:

Margareta nupta Rogerio Bernardo, Comiti Foxio, Rogerij Bernardi & Margaritæ Narbonensis Filio. Hæres Patri successit Princeps II, Dominiaque & Domos Bearniæ, Bigorræ & Foxij conjunxit.

...... collocata Comiti Armagnacano.

Gasto II Princeps Benearniæ III, Comes Foxij & Bigorræ. Vxor Ioanna Lodovici Franci, Ebroicensis Comitis Filia.

Brunice, Comitis Elia Comitis Petrocoriorum.

Constantia Coniux Antonij Levysij, Mirepoisij Dynastæ.

Ioanna, Petro Aragonio in matrimonium data.

Gasto III, Princeps Benearniæ IV. Vxorem habuit Eleonoram Consanguineam, Comitis Convenarum Filiam.

Gasto IV Princeps Benearniæ V, laudatus plurimum ab Froissardo. Vxor illi Agnes, Caroli Navarræ Regis Soror.

Gasto, quem Pater suis manibus interfecit.

Rogerius Bernardus, Moncadæ Dynasta, Vicecomes Castelloboni, vel Castelbonii.

Mattheus, Vice-comes Castelloboni, Gastonis IV Successor, Princeps Benearniæ VI. Vxor Ioanna Aragonia, Sterilis.

Isabella deficientibus Masculis, Fratri *Mattheo* successit, Princeps Benearnij VII. Vxor Archembaldi, Capitalis Buchij.

Ioannes, Princeps Benearnij VIII Comes Foxij & Bigorræ, Moncadæ Dominus. Duas habuit Vxores, Mariam Navarream improlem; alii Agnetem nominant: & Ioannam Albretanam.

Gasto Capitalis Buchsius, Francici Nominis inimicus; Candalecorum Comitum Progenitor; Vxor Ioanna, Philippi Artesij Filia.

Archambaldus Noalliij Dynasta.

Petrus Episcopus Elcarsius, postea Cardinalis, & Legatus; qui Collegium Foxium Tolosæ extruxit, reditibusque dotavit.

Gasto V, Princeps Benearniæ VIII, Comes Foxij, &c. Vxor Eleonora, Ioannis Navarræ Regis Filia: quæ vidua, post Patris excessum, Regnum est potita.

Gasto VI, Princeps Benearniæ X, Comes Foxij Bigorræ Vienna, &c. Obiit ante Parentes, ideoque Regnum Navarræ non accepit. Vxor illi Magdalena Karoli VII Gallorum Regis Filia.

Ioannes Foxius, Vicecomes Narbonensis. Vxor Maria, Karoli Valesij, Ducis Aurelianensis Filia.

Alij utriusque sexus.

Franciscus Phœbus. Rex Navarræ XXIV, A ix Eleonoræ Successit. Princeps Benearniæ X, Comes Foxij, &c. Obiit ... CIↃ CCCC LXXXI. Sepultus in Lascariensi oppido.

Katharina Regina Navarræ XXV Princeps Benearniæ XII, Comes Foxij &c. Nupsit Ioanni Alani Magni Filio Dynastæ Albretano, eique Regnum in dotem attulit. Is, sumtis contra Iulium II P. M. pro Ludovico XII, Francorum Rege, Armis, ab eo proscriptus universam pene Navarream Ditionem amisit, occupatam ab Ferdinando Catholico, Hispaniarum Rege.

Gasto, Comes Foxij, Dux Nemurci. Acie cecidit contra Iulium II, Pontificem Maximum. Vxor Maria Karoli I Ducis Borbonii Filia, Improlis.

Germana, nupta Ferdinando Regi Aragoniæ, inde Ferdinando Regi Calabriæ.

Henricus Albretanus, Rex Navarræ XXVI, Princeps Benearniæ XIII Comes Foxij, &c. Obiit CIↃ IↃ LV. Vxor Margareta Valesia Karoli Engolismensium Comitis Filia, Francisci I Regis Franciæ Soror, Karoli Alenconij Vidua.

Karolus extinctus ad Neapolim, extra matrimonium.

Filiæ aliquot

Ioanna Albretana Regina Navarræ XXVII, Princeps Benearniæ XIIII, Comes Foxij, &c. Desponsata Gulielmo Cliviæ Duci, nupsit ex Pontificis Maximi dispensatione Antonio Borbonio, Vendomæ Duci, qui Socero successit in Regno. Obiit illa Parisijs CIↃ IↃ LXXII, sexto Eidus Iunij, ætatis XLIII, diebus aliquot ante Filij nuptias.

Henricus Borbonius, Gallorum Monarcha (Successor Henrici III) Navarræ Rex XXVIII, Princeps Benearniæ XV, Comes Foxij, &c.

Katharina.

Metropolis porro *Benearniæ* est *Castrum Palum*: sic Docti, Latine scribentes, vocant, quod vulgo *Pau*. Sedes hic Principum: fastuosumque Ædificium ab Henrico Albretano Navarræ Rege, Christianissimi Regis Henrici IV Avo Materno, exstructum. Tribunal ibidem Benearnense, ab eodem Henrico institutum, & Curia totius Principatus suprema, ubi Controversiæ omnes dijudicantur secundum Regionis Leges & Consuetudines. Metropolis Benearniæ.

Sub

Episcopales Vrbes. *Lescar.* & *Oleron*;

Sub eo Tribunali Episcopatus sunt duo, Auscorum Metropoli suffraganei, *Lascariensis* & *Oloronensis*. *Lascariensis* dictus ab Opido, quod Indigenis *Lescar*, Domicilium quomdam Principum, qui postea Castrum-Palum ei prætulerunt. In *Lascariensi* Civitate sepultus est Franciscus-Phœbus, Princeps Benearniæ XI, qui Eleonoræ Aviæ in Regno Navarræ fuit Successor. *Oloronensis* appellatus ab eo, quod vernacule *Oleron*, in fastigio positum Montis: *Iluro* vocatur apud Antoninum Itinere, quod Cæsar-Augusta ducit Benearnum, ubi quidam Codices *Nurone*, corruptius, pro *Ilurone*. *Olorensis Episcopi* meminit Concilium Aurelianum V, fortean pro *Oloronensi*. *Olarionenses Lepusculi* sunt apud Sidonium Apollinarem lib. VIII Epist. VI. *Oleronum* hoc Λυγδοῦνον esse *Convenarum* apud Ptolemæum censet Villanovanus: sed Lugdunum illud in ruinis jacere, exque eius reliquijs Fanum S. Bertrandi esse exstructum, docui cap. XXXVIII: ubi de Vasconia.

Alia opida; *Orthes* olim *Benearnum*,

Sunt & alia minorum gentium Opida; *Orthes*, ad Fluvium *Gaven*, antiqua Comitum Foxij, Benearniæque Principum Sedes. *Benearnum* (unde Principatui nomen, ut antea monui) Antonino dici, idque certissimum esse, notat ad Ausonium V. Nobiliss. Iosephus Scaliger lib. II. cap. VII. *Benearni* mentio apud Gregorium Turonensem lib. IX: *De Civitatibus*, inquit, *hoc est, Burdegala, Lemovica, Cadurco, Benarno & Begorra, quas Galesuindam, Germanam Domina Brunihildis, tam in Dote, quam in Morgenegiba, hoc est matutinali dono in Franciam venientem, certum est adquisisse*, & quæ sequuntur. *Morlais*, Officina A. A. A. F. F. quomdam consecrata. *Navarrins* (unde *Navarra* nomen videtur natum) Opidum ad Pyrenæorum Pedem, probe munitum, iussu mandatuque cum aliorum, tum Henrici I Navarræ Regis. *Serrance* in Monte situm est, Galliæ versus Hispanias postremum. *Sabaulada* Abbatia est.

Morlais, *Navarrins*, *Serrance*, *Sabaulada*, Abbatia.

CAPVT XLVI.

Arausio.

ARAVSICENSIS Principatus, unde dictus; eius Fines, Forma, Qualitas,

ARAVSICENSI PRINCIPATVI nomen ab Metropoli *Arausione*, cujus meminerunt Veteres Scriptores, uti paullo post videbimus. Vulgo *La Principauté d'Oraigne*. Innexus undique jacet Avenionensi Comitatui; fluente illi ad Occidentaliora Rodano: forma fere semilunari, exsurgentibus utrimque versus Septemtrionem Cornibus. Terra variarum Rerum ferax, fluminibus irrigatur, quæ vulgo *Maine, Seille, Ouenze*, & alijs, cum Rodano se miscentibus.

Veteres Incolæ, *Cavares*, & *Arausici*.

Habitarunt hic olim & *Cavares* Populi, de quibus cap. XLII; Nam latius *Cavarum* nomen accipitur quibusdam Geographis, præcipue Straboni: & *Arausici*, quorum *Civitas*, id est Ager vel Pagus, nominatur in Notitia Provinciarum sub Viennensi Prima, *L'Eveſché d'Aurange*.

Metropolis *Aurange*, olim *Arausio*.

Metropolis Francis dicitur *Aurange* vel *Orange*: Indigenis *Aurage*; Vulgo Latinorum inepto *Aurasio* & *Auraica*; Doctioribus *Arausio Cavarum*; Ἀραυσίων Ptolemæo, apud quem vitiosius in quibusdam Libris Ἀρυβίων: *Arausio* apud Plinium lib. III. cap. IV & Pomponium Melam lib. II: qui *Secundanorum* cognominant. Sic in Antiquo Lapide legitur: COL. ARAVSIO SECVNDANORVM. COH. XXXII. VOLVNT. *Arausio Civitas* Veteri Itinerario, quod Burdigala ducit Hierosolymas: *Arausica Civitas* Concilij Arausicani II Canoni I, Vluardo XVI Kalendas Novembr. Bedæ & Adoni VI Kalend. Iunij, Sigeberto de Viris Illustrib. cap. LXXIII. *Arausionensis Vrbs* Sidonio lib. VI. Epist. XII. *Arausio* Episcopatu claret & Academia, quamvis non admodum nobili. Magna ibi Antiquitatum Vestigia, cum aliarum, tum Theatri & Arcus Triumphalis in Porta, per quam in Lugdunensium Agros patet iter. Arcui Equestres Pugnæ spectantur insculptæ, Spectatores mirum in modum delectantes. Sunt & minoris rei opida *Martignan, Cap de Rousse, Courthezon, Causans, S. André de Ramieres, Prabion*, & alia. *Darbous* cum nonnullo Territorio extra formam semilunarem jacet; Occidentaliori obvorsum Cornui.

Alia Opida.

Principes Arausionum ex stemmate,

Habet hic Principatus hodie Proprium Dynastam ex Gente Illustrissima Nassawia.

sawia. Nuperi *Arausionensis* Principes cum ex *Cabillonensi*, tum ex *Nassavvio* Stemmate orti sic se habent:

Stemma Cabillonense:

cum *Cabillonensi*,

Ioannes Cabillonensis Ludovici Patris unicus heres, ducta Maria Baussia, Reinoldi Baussij Arausiorum Principis Filia & Herede, Primus suæ Familiæ factus est *Arausionum* Princeps.

Ludovicus Cabillonensis, *Arausionum* Princeps. Vxores illi fuerunt Ioanna Henrici ultimi Comitis Mompelgardi, Filia, & Eleonora Armeniaca [illegible].

Mompelgardica. | Armeniaca.

Guilelmus Cabillonensis, *Arausionum* Princeps, cui Vxor fuit Katharina, Soror Francisci, Ducis Britanniæ.

Ioannes Cabillonensis, *Arausionum* Princeps. Vxores eius, I Ioanna Karoli Ducis Borbonij Filia, sterilis: II Philiberta, Antonij Lenceburgij Filia, Charnij Comes, ex qua nati.

Ludovicus Cabillonensis, qui cum Karolo Burgundo bello contra Helvetios perijt.

Hugonis Cabillonensis, [illegible] & Dolæ Domini. Obijt [illegible].

Philibertus Cabillonensis *Arausionum* Princeps, Prorex Neapolis Karoli V [illegible] perijt in obsidione Vrbis Florentiæ, anno CIↃ IↃ XXX, ætatis XXVII.

Claudia Cabillonensis, *Arausionum* Princeps, omnium Fortunarum Fratris Heres. Nupsit Henrico Nassavvio.

Renatus Nassavvius *Arausionum* Princeps.

Stemma Nassavvium.

tum *Nassavvio*.

Ioannes Iunior Comes Nassavvius, Dillenbergæ, Viandæ, Bredæ, &c. Dominus. Vxor Elisabetha, Henrici Landgravij Hassiæ, & Annæ Comitatus Cattimelibocensis Heredis Filia.

Henricus Comes Nassavvius, [illegible] Aurei Velleris & [illegible] Obijt CIↃ IↃ XXXVI. Vxor illi *Claudia*, *Ioannis* Cabillonensis, Principis *Arausionum*, Filia.

Renatus Comes Nassavvius & Cattimelibocensis, Viandæ & Diestij Dominus, Eques Aurei Velleris, ab Philiberto Avunculo adoptatus & *Arausionum* Princeps nominatus. Obijt in Obsidione [illegible] anno CIↃ IↃ XLIV [illegible] Gulielmo Patrueli herede instituto. Vxor Anna Lotharinga, quæ postea nupsit Philippo Croiiaco.

Gulielmus Senior, Dives cognominatus, Comes Nassavvius, Cattimelibocensis, &c. Obijt CIↃ IↃ LIX. Duas habuit Vxores; VValpurgim Egmondanam, [illegible], & Iulianam, Bothonis Comitis Stolbergæ Filiam, matrem ex ipso factam XII Liberorum; in quis Primogenitus.

Filiæ.

Gulielmus Arausionum Princeps, Comes Nassavviæ, &c. Heros rebus præclare domi militiæque gestis nobilissimus. Obijt confossus ab submisso Sicario Delphis anno CIↃ IↃ LXXXIV, quarto Idus Iunij. Quatuor ordine duxit Vxores: quarum I Anna, Maximiliani Egmondani, Comitis Burani, Filia & Herede, ex qua nati.

Maria Nassavvia, Philippi Comitis Hohenloi Coniux.

Philippus Gulielmus Nassavvius, *Arausionum* Princeps, Comes Buræ, Helsteini &c. Dominus.

Cap. XLVII.

Burgundiæ Comitatus.

TANTVM de Principatibus, qui licet in Francia, Francorum tamen Imperium non agnoscunt: explicandi succedunt eiusdem genij Comitatus, *Burgundiæ* & *Karolesium*.

Vnde Nomen *Burgundiæ*, dictum cap. XLI, ubi docui Regnum olim circa annum CIↃ XXXIV bipartitum abijsse in Ducatum & Comitatum: quorum ille versus Occidentem, *Burgundia Inferior* & *Regia*: hic, ad Orientem, *Inferior* & *Imperatoria*:

BVRGVNDIAE COMITATVS Francis audit *Franche Comté*, id est, *Liber Comitatus*. Provincia namque plane sub suo est Comite; ab omnibus, ut aiunt, Tributis & Exactionibus libera. Feudum est Imperij, sub protectione Bernensium Helvetiorum. Conregionales illi sunt ad Septemtrionem Lotaringa Superiorque Germania; ad Occidentem Burgundiæ Ducatus; qua Oriens est, occurrunt Helvetij; qua Meridies, Allobroges & Segusiani. Longitudo XC, latitudo LX est milliarium. Regio Silvis, Montibus, Vallibus gratissima vicissitudine spectatur variata: uberis Agri, qui Pecori alendo, faciendæ Sementi, Arboribus serendis, Vinetis Vini laudatissimi sustollendis commodissimus. Varij generis videre est ibi Animalia magnamque Iumentorum & Pecudum copiam. *Granvellenses* Equos Gradarios, Canesque eiusdem tractus ferocissimos probant omnes. Summa est ubique Tritici, Siligi-

BVRGVNDIAE Comitatus

Fines.

Quantitas, Qualitas.

Animalia. Frumenta.

Siliginis, Hordei, Avenæ Fabarum, Milij, aliorumque Leguminum fertilitas. Arborum haud minor fœcunditas. Ager passim, præterquam qua umbilicus est & Regionis meditullium, Colles habet præstantissimorum, primæque nobilitatis Vinorum feraces. Præteruntur reliquis bonitate, quæ colliguntur ad *Arbosium, Vadam, Grimontiam*

Vina. *Arcem, Pontilentum, Lothanum, Castrum Karoli, Villephanum, Gyum, Morellum*: quorum quædam, cum primis *Arbosium* natis in suo Territorio suam etiam Nomenclaturam communicant. Quod prope *Gyum* nascitur cum Optimis consuevit certare; vehi solitum in Germaniam, non quidem publicitus distrahendum, sed distribuendum Magnatibus: Apud *Arbosianos* & *Vadanos* Vasa Vinaria sunt adeo magna, ut Domos alti-

Fodinæ. tudine videantur æquare. Prope Regiam Veterum Burgundiæ Regum, quæ Adcolis hodie *Chambrette au Roy*, ex Terra Gypsum, Materiam Calci similem, effodiunt. Eruitur ibidem & in *Dolano Agro* in Magnatum sepulturas Marmor candidi coloris, quod Ἀλαβαςρίτης Græcis appellatur: & aliud nigerrimum, maculis purpureis variatum. Quatuor fere milliaribus Bisontione versus Aquilonem Antrum est in Monte, quod hieme fervet, æstate vero frigore riget. Flumina scindunt eam beantque plurimum

Flumina. Arar, Dubis. non pauca, *Araris, Dubis, Lougnonius, Danus, Lupus*, alij. De *Arari* dictum alibi. *Dubis* totus ad hunc Comitatum pertinet. Δοῦβις Ptolemæo vocatur: Apud Iulianum Imperatorem Epistola ad Maximum Philosophum non sine Mendi suspicione Δαναβις dicitur. *Alduabis* est Cæsari, si proba sit conjectura Fulvii Vrsini. In alijs Codicibus *Alduasdubis* & *Aldnasialis* vitiose legitur Vulgo *Doux*: Oritur ex Monte Iura paullo supra Pagum amœnissimum, quique instar opidi, Motam. Mirari soleo, quod Paradinus scribat *Dubis* Fontem esse haud procul ab Arari. *Dubis* porro, cœpto ab Meridie in Septemtrionem cursu, per Pontium Lacum lapsus, nonnullis Amfractibus prætergressus Pontarlum, Mortuam & Vasrum, Fanum petit S. Hippolyti: unde in Occidentem flexus, ad Pagum *Chasteiot* versus Africum tendens, Vesuntionemque permeans, & facta ad Dolam Insula, post multas ambages receptosque Fluvios prope

Longuonius. Virdunum Arari commiscetur. Totus etiam Burgundiæ Superioris est *Longnonius*, vulgo *Lougnon*, qui in Lotaringiæ Finibus ortus, varijs Opidis Pagisque lustratis, paul-

Danus. lo supra Auxonam in Ararim se fundit. *Danum* evomit ex sinuoso recessu Mons arduus, Syrodo, grandi & celeberrimo Pago, incumbens, hoc modo: Postquam descenderis, est Antrum profundi Præcipitij, & intus Fons inperscrutabilis profunditatis, latitudine forsitan decem passuum. Huic Rupes horrendæ imminent; quæ contemplantibus horrorem plane incutiunt: ac per Gurgitem altissimum tanta Aquarum copia ebullit, ut statim in ipso ortu (dictum incredibile) Flumen Navigijs, si ob rupes & saxa, per quæ devolvitur, liceret, satis capax esset. Incolis hoc Flumen *Dain* vocatur. Fluvios

Sena. in se recipit varios: cum alijs prope Fontem, *Senam*, Amnem fama & natura ingentem,

tem, ex *Fons. Sens* Pago, qui immensus multisque constans Villis, ab eo denominatus, exorientem, & saxosa convalle per Plancas & Sienum vicos labentem iuxta Burgum opidum. Et sic aliis LX auctus Fluminibus decurrens ac praeterlabens per Superioris Burgundiae meridionalem partem, in Rodanum tribus Lugduno versus Orientem miliaribus invehitur: unde *Dani* nomen in posterioribus *Rodani* sunt qui arbitrantur latere. Pisces habet *Danus* gratissimi saporis, praeter alios Troctam & Auratam. *Lupus* vel *Lupa*, vulgo *Loue*, altissimus, lautissimus, rapacissimus Burgundiae Fluvius, multa habet Piscium genera: inter quos numerantur Alosa, Barbatulus, Anguilla, & Aurata. Oritur paullo supra Villephanum in Ovino pago, & non procul ab Dola cum Dubide in Ararim aquis properantibus devolvitur. Lacus habet haec *Burgundia* ingentes & mirabiles: Inter eos non postremi loci, cui ab *Voraginibus* nomen, mirum Naturae ludentis opus. Super enim Aqua fit Limus, qui adeo durescit, ut Continens videatur: super quo tamen Equites Currusq. secure non ambulant, sed soli Pedites. Is coelo pluvioso & nebuloso non emergit, nisi Serenitas sit futura: tunc per Foramina brevi tempore auctus totam Columbanem Planiciem rigat. Ei Mons celsus ab Oriente imminet, unde crebri Fontes in illum diffluunt. Inter Nozerethum porro & Ripariam alius est Lacus in Bonvalli, Lupis, Parcis, & aliis Piscibus abundans, qui septimo quoque anno in aliquot hebdomadas suffugiens & delitescens, iterum emergit. Quae res in Miraculum exit, Fidemque vincit. Tractus huius Comitatus Australior Lacubus scatet: Videre ibi est, qui vernacule *Maleseux* Maior Minorque: *Narlay*, profunditatis vix credendae, *Vernoy*, duo *Chambises*, *Frogesy*, *Ronchault*, & alij. Thermae quoque cum magna Calidarum Aquarum copia ad Luxovium opidum scaturiunt.

Lupus.

Lacus.

Voragines.

Bonvalle.

& alij.

Thermae.

Floruerunt longe lateque his locis olim *Sequani*. Sic Caesar lib. I, & alibi, Cicero in Epist. ad Atticum, Ammianus Marcellinus lib. XV, Sidonius lib. I. Epist. XI, aliique nominant; qui Σηκουανοὶ Straboni libro IV; Σηκανοί, Ptolemaeo, Σηκοανοί, Dioni Cocceio. Hodie *Le Pais de Besancon* & *Franche Comte*: quae *Maxima Sequanorum* apud Sex. Rufum. Scribit Caesar lib. I Montem Iuram *Sequanorum* Fines ab Helvetiis dividere. *Sequanicum*, *Provinciam* appellat Notitia Imperij Occidentis. *Civitas Sequanorum* universim pro tota Ditione, in Inscriptione, quam Lugduni exscriptam posui cap. XXIV. *Dumnorigem* gratia & largitione apud *Sequanos* plurimum potuisse, notat Caesar lib. I. item eodem lib. & VI Ariovistum in Germanorum Regem ab *Sequanis* contra Eduos evocatum, tertiam partem *Agri Sequani*, qui esset optimus totius Galliae, occupasse. Alia praetereo. De iis Strabo lib. IV. Πέραν δὲ τοῦ Ἄραρος οἰκοῦσιν οἱ Σηκουανοί, διάφοροι καὶ τοῖς Ῥωμαίοις ἐκ πολλοῦ γεγονότες καὶ τοῖς Ἐδούοις, & quae ibi alia. *Sequanos* etiam ultra Iuram versus Euronotum habitasse, innuit Eutropius lib. VI. *Helvetii*, inquit, *qui nunc Sequani appellantur*. *Sequanus*, τὸ ἐθνικόν, nominatur in Inscriptione, quae Lugduni legitur in Templo vetustissimo D. Petri, ad Basin Columnae, quae ad sinistram est Arae Maximae:

Veteres Incolae, Sequani.

Q. FVLIO. SEVERINO
SEQVANO. OMNIB
HONORIBVS. IN
TER. SVOS FVNCTO
&c.

De Antiquis huius Burgundiae Comitibus, Stirpis etiam Imperatoriae Franciaeque, multi multa memoriae produnt. Nuperorum hoc est Stemma:

Burgundiae Comites.

Philippus V Cognomine Longus, Francorum Rex. Vxor *Ioanna Othonis*, vel *Ottonis* Burgundiae Comitis, Filia & Heres:

- *Ioanna* Comes Burgundiae, defunctis Othone, Avo materno, & Roberto Avunculo. Duxit eam Otho (alij Eudo) Dux Burgundiae, qui hoc Coniugio Ducatum Comitatumque coniunxit.
  - Philippus Burgundus ante Patrem mortuus.
    - *Philippus*, Dux Comesque Burgundiae, Avi Othonis Successor. Impubis obiit.
- *Margareta* Philippo, Nepoti ex Sorore Ioanna succedens, Comitatum adepta est *Burgundiae*. Nam Ducatum dederat Filio suo Philippo, qui Audax cognominatus, Francorum Rex Ioannes. Nupta fuit Ludovico Nivernensi, Flandriae Comiti.
  - *Ludovicus Malanus*, Comes Flandriae, Nivernij & Retellij, & post excessum Matris, Superioris Burgundiae. Vxor Margareta, Ioannis III, Ducis Brabantiae Filia & Heres.

Margareta

Nam certum Sepulturæ Locum non habent. Posteriorum Ducum pars potior ad D. Francisci Ædem (quæ ad alterum Palatij latus) sita est. Spectare ibi est superbum *Renati*, qui Victoria potitus est contra Karolum Burgundiæ Ducem, Monimentum. Conditi jacent ibidem Dux *Antonius*, ejusque Filius *Franciscus*, Karolique Ducis Vxor *Claudia Valesia*, Henrici II. Galliarum Regis Filia. *Nancei* Mœnia lambit *Murta*, qui tribus inde miliaribus paullo supra Arcem Candei Mosellam intrat. Armamentarium habet *Nanceium*. Machinis bellicis omnis generis instructissimum.

an Nasium olim.

Putant Petrus Divæus alijque *Nanceium* hodie esse, quod *Nasior* Ptolemæo, *Nasium* Antonino in Itinere, quod Durocortoro ducit Divodurum. Sed si quis penitius Itineris istius rationem consideret, ejusque ductum & fila fideliter sequatur: facile deprehendet Antonini *Nasium* incidere non posse in locum illum, ubi hodie *Nanceium*: adeo ut *Nasium* illud sit, non quod nunc *Nanceium* dicimus, sed Pagus XII. inde miliaribus dissitus non procul ab Mosa in Barroducana Provincia, qui vulgo *Nas* dictus, unde *Nasiensis* in Lapide, qui ecfossus ibi: FABRICIVS NACIENSIS CVRATORIBVS ET MINIS TRIS IVVENTIDIO FIRMO ET ATEVLA SOLLI F. HVIVS FANI FACIENDI. Certe *Nasium* illud amplissimam aliquando Vrbem fuisse, satis paret ex Ruderibus: quod etiam testatur apud Ortelium Clemens Trelæus Mosellanus. Iter Antonini, quo *Nasij* fit mentio, collatum cum Itineraria Tabula & hodierna nomenclatura, sic se habet:

Antonini Itinerar.		Tabula Peutingeriana		Vulgata Nomencl.
Durocortoro Divodurum usq. Millia Pass. LXXXVII. *sic:*		*Durocortoro,*	XIX.	*De Reims à Metz Lieues* 30.
		.		
Fanum Minervæ,	M.P.XIIII.	*Tanomia,* Legendum *Fano Min.* id est *Minervæ*		ubi hodie *Basones*, aut circiter.
Ariolam,	M.P.XVI.	. . . . . .		ubi *Bony* vel *Meneboult*.
Caturigas,	M.P.IX.	*Caturices,*	IX.	*Clermont* forte.
Nasium,	M.P.IX.	*Nasie,* Leg. *Nasio,*	. .	*Nas.*
Tullum.	M.P.XVI.	*Tullio,* Leg. *Tullo,*	X.	*Toul.*
Scarpona,	M.P.X.	*Scarponna,*	XIIII.	*Sarpaigne,* ad Mosellam.
Divodurum,	M.P.XII.	*Divo. Durimedio. Matricorum.* Scrib. *Divoduro Medsomatricum.*		*Metz.*

Scarpona Vicus, olim Oppidum.

Scarponæ, quæ in Itinerariis nominatur, meminit etiam Ammianus lib. XXVII. Retinet hodie Veterem Appellationem Vicus *Scarpaigne*, ubi multa Antiquitatis Rudera visuntur. De ijs non possum, quin adscribam Petri Divæi verba ex ipsius Itinerario: *Hic*, inquit, *paullo ulterius ad eamdem Mosellæ ripam Vicus est exiguus Sarpaigne, de cujus Antiquitate multa Incolæ referebant. Opidum olim amplum fuisse à Sarpigma quadam Regina* (non absunt hæc ab Fabulis) *denominatum, quæ & in eo Regiam habuerit. Ostendunt in ejus rei testimonium Ruinas quasdam Murorum, ubi Thermas quondam fuisse volebant: Nos quæ eorum figura fuisset, non valebamus conjicere: tantum subdubitabamus, num Castrorum inservivissent Munitioni, quum eorum magna sit crassitudo, & Foramina in eis cernantur adhuc rotunda & angusta, quasi ad ejaculanda Missilia. Hic & Numismata antiqua eruit: & Hospes, ad quem diverteramus, nobis dedit aureum Nummum C. Cæsaris Caligulæ, quem se ibidem reperisse adfirmabat. Exstat in Pariete Domus cujusdam rustica antiquum Marmor, in quo Reginæ illius Imaginem esse volunt. Est manu omnino artifice sculpta Imago muliebris, longioribus induta Vestibus, Equæ insidens, quam Pullus videtur lactare; ipsa vero Calathum, aut simile quidpiam gestat, in quo Pomorum figuram, ficubus haud absimilium videbamur dignoscere. Suspicari sane est ex hac Scalptura Locum hunc alicujus olim nominis fuisse, sed de hoc, ut & de alijs quamplurimis desiderantur Historiæ: Fabellarum vero inanium apud profanum Vulgus nullum esse modum, nemini non exploratum existimamus.*

Haud procul Nanceio Locum vidi, ubi obtruncatus Karolus Burgundus, ad Rivulum

vulum quemdam, quem quum, cæsis jam copijs, fugiens pararet transilire effuso Equo, misere fuit ab insequentibus confossus. Testatur rem gestam Crux Lapidea cum Inscriptione Gallica in ærea Lamina, cujus Exscriptum est apud Divæum in Itinerario Belgico. Paullo altius, ubi Prælium id commissum volunt, Sacellum mihi monstratum est à *Burgundionibus* cognominatum, cum adjuncto Cœmiterio & Tabula ærea, in qua Gallici Versus memoriam atrocissimi Prælij conservant. Prope Nanceium ad Montium Radices Pagus est *Marche-Ville*, cujus Incolas perfidia aliquando in suum Ducem (eum Historiæ *Fridericum* II appellant) notatos ferunt, atque ea de caussa, quotiescumque cum reliquis Principibus domesticis epulari contingit, Panem eis inversum apponi consuevisse. Exstant ibidem Rudera rotundæ Turris, in qua Dux, quem dixi, ex Venatione subductus ad triennium detentus memoratur.

Locus Cædis Karoli Audacis. & Prælij inter Lotaringos & Burgundos.

Marcheville Pagus

Nanceium dignitate sequitur *Fanum S. Nicolai*, vulgo *S. Nicolas*, duobus inde distans versus Orientem milliaribus, ad Murtam Fluvium, Loco plano & fertili. Templum non magnæ est antiquitatis, sed vastæ molis, editæque structuræ. Columnæ, quæ totum Fastigium sustinent, tantæ sunt cum gracilitatis, tum altitudinis, ut tanto oneri ferendo vix judicentur pares. Turres habet duas, in quarum una Karoli Lotaringici Cardinalis, qui idem Metensis erat Episcopus, cuique hæc parebat Ecclesia sub Prioratus, ut loquuntur, titulo, in summo Culmine Symbolum: obeliscus scilicet cum Hedera circumplicata, & Inscriptione, TE STANTE VIREBO. Adservari fertur in hac Æde ex D. Nicolai, Myræ Episcopi, quæ urbs erat Lyciæ, ex eadem Lycia, Patara Urbe, oriundi, Manu Articulus unus inclusus Auro, Gemmis multis interstincto: unde hujus primum loci nata Religio; qui advenarum frequentia in eam excrevit amplitudinem, ut jam non Pagum, sed Urbem, & quidem totius Lotaringiæ cultissimam, quis posset dicere, si muro clauderetur: ea est Ædificiorum venustate, apta Viarum dispositione, Incolarum multitudine, ut nihil requiri queat: sed ob Mercaturam præcipue, & omnis generis opificia commendatur; Mercatores habens perquam opulentos, Vicinis suis ditiores.

Fanum D. Nicolai

Alia minorum gentium Opida, ne Lectori tædium pariam, prætereo. Uno distat milliari Nanceio *Fruart*; tribus, *Ormes*: paullo amplius, *Bayon* & *Luneville*; quatuor, *Le Pont a Monsson* & *Gerbevillers*; quinque, *Charmes*, sex, *Chattenoy*, *Morhanges* & *Vaucoleur*; paullo plus, *Maxen soubs Bresse* septem, *Dompaire*, *Deneuvre*, *Hodon Chasteau*: octo, *Ramberville*, *Raon*, *Bellemont*, *Neuff-Chastean*, *Mugstat*, *Marchain-Ville*: novem, *Espinal*, *Bruyeres*, *Darney*; decem, *Ormont*, *VValdersing*, *Beauraius*: tredecim, *Vaigny*; quatuordecim, *L'Estraye*.

Alia opida.

Comitatus titulo & dignitate clarent; quæ vernacule *Vaudemont*, quinque Nanceio milliaribus. *Chaligny* ad dextram Mosellæ, Leuca semi Nanceio. *Amance* septem milliaribus ab Mediomatricum Urbe versus Meridiem; *Almentia* Latine scribentibus; Scrinium olim & antiqua Lotaringiæ Cancellaria, testantibus Archivis ab Rosiero prolatis. *Richecourt* haud procul Lacu, qui vulgo *La Garde Lac*, unde Amnis profluit, qui inter Fanum S. Nicolai & opidum *Rosieres* Murtæ miscetur. *Remiremont* ad sinistram Mosellæ, Insulam ibi facientis, in Lotaringiæ Meridionalissimis: *Rumaricum Castellum* habet hic Aimoinus Monachus; *Adromarici* corrupte legitur apud Reginonem, pro *Ad Romarici*, divisim; *Rimelsberg* Germanice nominatur Spigelio ad Bartholini Austriad. Spectantur haud procul inde Valles, quæ vulgo *L'Estraye* & *Vagny*. *La Mothe* ad amnem situm est, qui mox in Mosam se exonerat. Visitur ibi Territorium, cui nomen *Le Sanctoy*. Sunt & Comitatus quidam Imperii *Salmensis*, *Kirchinganus* & *Blanckoburgius*. *Blanckenberg*, Gallis *Blanc-mont*, opidum est non magnum, sed pulcrum & amœnum. Spectatur ibi Castrum Vetus, spaciosum & magnificum, cui Palatium Novum Ducis, venusta structura insigne, est conjunctum. Incolæ Agriculturæ dant operam.

Comitatus.

Nomeny Baronatus est ad dextram Sellæ Fluvii, tribus milliaribus ab Urbe Mediomatricum, Meridiem versus.

Dominia sunt: *Marsal* ad Sellæ sinistram, haud procul Lacu Lindero, in quo Insula cum Opido *Techemsul*. *Remereville* tribus Nanceio milliaribus. *S. Bellemont*, totidem Mora. *Rambert-Ville* ad dextram Mortanæ, haud procul Fonte, ubi Silva Mortanensis. *Rosieres* ad Murtam, prope Fanum D. Nicolai, duobus Nanceio

 millia-

milliaribus. *Homburg* grandiore Leuca ab opido *Sarbruck*, ad Amnem, qui mox Saravo concurrit. *Mariemont* ab Monte, cui opidum impositum, uno ab Lindero Lacu milliari, meridiem versus. *Sandacourt* medio fere itinere inter Vaudimontem & Mottam, in Agro, qui vulgo *Sanctoy*.

Mediomatricum Status.

Mediomatricum Urbem, quæ cum Tullo alijsque Imperialis olim erat, in suam potestatem redegit Galliarum Monarcha, Henricus II. Præsidet Urbis Senatui missus ab Rege Magistratus. Tribunal autem Mediomatricis Urbis tres habet Episcopatus, sub Metropoli Trevirensi: *Mettensem, Tullensem, Virdunensem*, sic ab Locis nuncupatos, in quis suæ singulis Sedes.

Urbs, Metensis.

Quæ vulgo *Metz*, & posterioris ævi Scriptoribus *Metæ*, Gregorio autem Turonensi & alijs *Urbs Metensis*; *Divodurum Mediomatricum* Antiquis fuit appellatum. Itineraria Tabula: *Divo, Durimedio. Matricorum*; Lege, *Divoduro Mediomatricorum*, ut antea monui. Simpliciter Διούδουρον Ptolemæo; *Divodurum* Tacito lib. IV & Antonino, qui eo varia ducit Itinera. Variorum Nugas de recentis Nominis ratione non lubet adscribere. Sedes olim fuit Regni *Lotaringiæ*. Luitprandus: *Metensem Urbem, quæ potentissima in Regno Lotarij claret.* De ea eleganter Petrus Divæus in Itinerario: *Metensis Urbs in ampla sita est Planitie, quam Mosella in varios divisus alveos irrigat, & pars quidem eius muros ad lævam lambit, pars & eosdem subit, ut Civium usibus inserviat, atque sic divisum fluit ad inferiorem usque eorum ambitum, ubi recepto Sella, altero Flumine, qui dextram Urbis partem adluit, in unum denuo alveum colligitur. Sed Situ imprimis ipsius Urbis delectabamur: quum enim Agrum late circumjacentem planum habeat, ejus tamen Area paullum prominet, ut in eo Veterum rationem in condendis Urbibus agnoscas. Ad Summum siquidem Templum multis gradibus ascenditur; juxta quod Forum Rerum Venalium altiorem totius Areæ partem occupat, & ab eo undique versus Muros paullatim descenditur, prærupto tantum in una parte Clivo, ubi Vias duas Lapidibus stratas sic dispositas videas, ut altera per alterius domorum culmina excurrat. Templum D. Stephani nomen tenet, qui Civitatis est Patronus, pulcerrimum vero opus, si quod aliud toto hoc Itinere vidimus, & sua mole spectabile; quodque raro accidit, omni ex parte consummatum. Dicebatur, in eo fuisse Crucifixi ligneam Imaginem, totam Laminis aureis superinductam. Vidimus Labrum Porphyreticum rubei Coloris, magnæ capacitatis, Pedes X. longitudine excedens, in quo Lustrales Aquas adservant. Sunt & alia in hac eadem Urbe sumtuosa Templa, & multa erant in eius Suburbijs, inter quæ D. Arnolphi Basilica, Imp. Ludovici Pij Augusti, Karoli Filij & Filiarum aliquot Pipini Regis sepultura celebris. Omnia hæc absumsit Belli rabies, ita ut Suburbij ne Vestigium quidem nunc supersit, neque ultra Muros quidquam præter Campestria videas.* De Bello Nupero consulendus Historiæ meæ Belgicæ Liber V. *Cives Mediomatrices* nominantur in Inscriptione, quæ exstat Moguntiæ ad S. Albanum:

D. M

PRIMVLÆ. COMITILLÆ

QVÆ. VIXIT. ANNIS. XX

CIVES. MEDIOMATRIC

A. MATERNIVS. NEMAVSVS.

STRATOR. COS. ET

LVCIVS. LVCINVS. MENSOR.

FRVMENTI. NVMER.

Haud procul Metis, prope Pagum *Iovy*, in Mosella antiqui Aquæductus sunt Vestigia. De ijs sic Divæus in Itinerario: *In hoc Itinere Pagus est Iouy vulgo dictus inter Montium radices & Mosellam, ubi quantacumque est inter Montes utrosque, qui Ripas ambiunt, distantia, Aquæ-ductum antiquitus fuisse, iudicant eiusdem, quæ adhuc exstant, reliquiæ. Arcuum adhuc restant multi, suntque ex albo Lapide, in Laterum formam dissecto; & nonnulli quoque eiusdem operis in adversa ripa cernuntur. Incolæ adserebant in eodem loco Fontem hodieque esse, quamvis hos Arcus (solita inscitia) Ponti inservijsse putantes, & ab hoc Pago in Montis ipsius jugo minores alios Arcus fuisse dicebant, qui versus Urbem Metensem quæ uno hinc distat Miliari, excurrisse viderentur. Altitudo juxta Ripam Pedum est circiter IX: Unde conjicere est, quanta totius Operis moles fuerit, quantaque altitudo Arcuum, qui in ipso erant Fluminis alveo, quorum hodie nihil superest. Referebant ijdem Incolæ,*

superio-

superiorem Arcuum Partem planam omnino esse, cæmento rubei coloris inductam; & in eius medio Domunculam non ita multis adhinc annis adhuc fuisse, ab utraque parte patentem, quam nos partem Tecti fuisse, quæ Tubum tegeret, suspicabamur.

Quæ *Toul* vernacule, *Tullum* olim; Τοῦλλον, Leucorum opidum, Ptolemæo: *Tullum* Antonino, Itinere à Durocortoro Divodurum, & alibi: *Tullium* Itinerariæ Tabulæ. *Tullensis.*

Quæ denique *Verdun*, Latinis vocatur hodie *Virdunum* & *Verdunum*: *Verodunum* Antonino dicitur. *Civitas Verdonensium* in Notitia Provinciarum sub Belgica 1. *L'Evesche de Verdun.* Leguntur autem tres Vrbes, quas commemoravi, Comitatus etiam titulo & dignitate insignes. Postremi sane Ambitum diligentissime notatum reperi in vetustissima quadam Charta. Non gravabor ipsissima adscribere Verba. Condonet Lector ad Sermonis, si quæ est, scabritiem, crebrasque quarundam Vocum Repetitiones. Ea sic se habet: *Circuitus Comitatus Verdunensis Incipit enim à Leone Montis Falconis, & usque ad Pertusam Petram tendit. De Pertusa Petra usque ad Subtriam Villam, & inde usque ad Villam de Falley. Dehinc usque ad Longmon, ubi Crima cadit in Caram Fluvium; &, sicut Crima, sursum decurrit usque ad Aufsiam, qua usque ad Ertezum tendit, & usque ad Baninadum, ubi cadit in Ornam. Et in longitudine superius usque ad Fontem, apud Ayoncourtem; & inde usque ad Quercum Saider: & inde Sulmotioni ad Fontem Lupimontis, dehinc ad Meabort Fontem. Deinde Pertusuadura; dehinc usque Consancia, ubi cadit in Mosam Fluvium: dehinc usque Warnoncourtem per Nuclearios iuxta Bossey & Warnoncourt: & deinde contra Vallem iuxta Longum Campum, recta Via ad Hersiam: & inde usque ad Fontem apud Sarindum ad Fontes tres. Exhinc usque ad summam Asinæ & postea usque ad Vlmos. & inde usque ad locum, ubi Gronea fluit in Asinam: & inde per descensum Asinæ iuxta Vitsnam: Et usque Viennam per Ferrieres, & per Momblarvillam, & per Concecours per Castrum iuxta Quarnayum, & inde per Superiorem Partem Villa, qua dicitur Chehe y: & inde recta via usque ad Iemas & inde usque ad Spanulphivillam: Et inde recta via usque ad Montem Falconis: & usque ad Leonem, à quo prius cœpimus.*

Cum Lotharingia porro solet explicari *Territorium Barrense*, vulgo *Le Barrois*, quod extendit se ad *Novum* usque *Castellum*, *Neuf Chastel*. Metropolis illi *Bar le Duc*, sic cognominata ad differentiam aliarum, quæ *Bar sur Seyne*, & *Bar sur Aube*. Minorum gentium Opida sunt *La Motte*, *Ligny*, *Arq*, & alia multa; ad Mosam se offerunt *Commercy* & *Vauconleur*, quæ partim Franciæ, partim Barri. *Territorium Barrense, Le Barrois.*

CAPUT XLV.

Benearnia.

HÆc de Ducatibus, Francorum potestate exemtis; sequuntur Principatus *Benearnensis* & *Arausionensis*. **PRINCIPATUS, BENEARNENSIS.** *La Principauté de Bearn.*

BENEARNENSIS, vulgo *Bearn*, semper separatus fuit ab Francorum Ditione, eodemque, quo Regnum ipsum, habitus iure, id est, optimo maximo: sed adcrevit quasi Regno Franciæ, quum Christianissimus Henricus, Navarræ Rex, Regni Francici capesseret Sceptrum, Iure Successorio. Vnde Nomen nobilissimo Principatui, varie disputant Novitij Scriptores; inque eo eruendo incredibile, quantum se torqueant, ne dicam ineptiant. Memoriæ produnt quidam *Benearnum*, tempore Regis Hlodovei, subditam fuisse Francis, inque dotem datam Gailesvindæ Brunechildis Reginæ, quæ Sigeberto nupta erat, Sorori; sub nomine *Benarm*. Nonnulli denominatos putant *Benearnenses* à *Biarmis* Septemtrionalibus Populis, quos, cum Gothis, alijsque, Hispaniam petentes ijs in locis sedes fixisse volunt. Sunt qui scribunt originem traxisse à *Bernatibus*, Helvetiæ nunc Populis; ijsque Regionem ab Karolo Martello dono fuisse datam. Alij alia adferunt: quam vera, prudentiores judicent. Scimus nos *Benearni* (de quo postea) mentionem fieri apud Antoninum in Itinere, quod ad illud opidum ducit Cæsar-Augusta ex Hispania Citeriore. Legitur etiam in Notitia Provinciarum Galliæ sub Aquitania Tertia Novempopulania, *Civitas Benearnensium, id est Benaanus.* A *Benearno* si quis Toti Tractui nomen inditum censeat, fortean non errarit: sed *Benearnum* unde dictum, nescire *Vnde dicta Benearnia.*

Situs eius & Fines; Partes, Qualitas; nescire me fateor. Sita est *Benearnia* ad radices Pyrenæorum Montium, inter Bigerronum, Baionensium, aliorumque Continalium Populorum Territoria & Agros: in duas divisa Partes: quarum una, Montibus oblita, Eloronum habet Opidum: altera, ab Vallibus Locisque planioribus occupata, Lascariensem Civitatem, Regioni cum in Montibus, tum in Planicie, mirandus est genius & stupenda indoles: vix Opidum ibi, vix Pagus, cui non aliquid singulare. Potior Pars Millo, Lino, Canabi (quarum rerum maximam Incolæ exercent Mercaturam) abundat: Frumento etiam hic ibi beata: Pascuis valde dives, Pecoreque: unde incredibilis Butyri Caseique copia: Capris supra modum scatet; quæ hic nullo labore nutriuntur in Rupibus, & Ericetis, citra Fructuum teneriorumque Arborum perniciem & detrimentum. Nec Vina desunt. Generosum valde, nullique Francico bonitate sua cedens, producit Territorium, quod vulgo *Iurancon*. Balnea habet passim Thermasque, omnium, quæ in Europa, præstantissimas. De *Aquis Benearnensibus* Plinius lib. XXI. nat. hist. cap. XI: *Emicant*, inquit, *benigne, passimque in plurimis terris alibi frigida, alibi calida, alibi iuncta, sicut in Tarbellis, Aquitanica Gente, & in Pyrenæis Montibus, tenui intervallo discernente:* Ad quæ Nobiliss. Vir Iosephus Scaliger: *Qui Aquas Benearnensis Saltus in Pyrenæis viderunt & biberunt, non dubitabunt Plinium de illis sensisse.* Incolæ elatos habent animos: strenui sunt & fortes: Armorum periti: candidi proculque ab omni fuco; adfabiles & ad omnem humanitatem propensissimi: cauti interim subtilesque: lingua sua eloquentes: Libertatis amantes, Magnis gaudent Immunitatibus & Privilegijs. Ad Doctrinas eos varias capessendum non ineptos docent Magni Viri, qui inde oriundi. Omnes Nobilitatem adfectant: qui reipsa nobiles, contendunt magis, ut bene fortiterque agant, quam ut splendide molliterque vestiantur. Inter ipsos primum obtinent locum inlustres Familiæ, quas ex Cantabris aiunt ortas, *Grammontia* & *Lussea*. Baronatus clarent dignitate *Mirens, Iadre, Monens, S. Celombe, Esganalabagne, Coderch, Navailes, Castelnau, Maseres, Luz, Suz*, & aliæ.

Veteres Incolæ, Benearnenses, Sedes hic olim suæ fuerunt *Benearnensibus*, *Eloronensibus* & alijs. *Civitatem Benearnensium* nominat Notitia Provinciarum sub Aquitania tertia Novempopulania, vel Octava Viennensi; hodie *Le Pais de Bearn*. Scribitur ibidem & *Civitas Eloronensis* Eloronenses, nunc, *L'Evesché d'Oleron en Bearn*. *Precianos* etiam, quos cum alijs Aquitaniæ Populis Preciani. recenset Cæsar, nonnulli, ut Vigenereus habet, in suis ad Cæsarem Adnotationibus, esse volunt, ubi hodie *Bearn*; alij, ubi *Precins* quidam, quo loco *Baiona*.

Principes Benearnenses. *Principum Benearnensium* series hæc traditur:

Gasto

Gaſto Gulielmi Moncadæ Hiſpani Filius, *Benearnenſium* Princeps primus. Vxore ducta Martha, Filia & Herede unica Eſquivati Bigerronum Comitis Filia, Bigerronum Comitatum Ditionibus ſuis adquiſivit. Duæ fuerunt illi Filiæ:

Margareta nupta Rogerio Bernardo, Comiti Foxio, Rogerij Bernardi & Margaritæ Narbonenſis Filio. Hæres Patri ſucceſſit Princeps II, Dominiaque & Domos Bearniæ, Bigorræ & Foxij conjunxit.

.... conlocata Comiti Armagnacano.

Gaſto II Princeps Benearniæ III, Comes Fox. & Bigorræ. Vxor Ioanna Ludovici Franci, Eburovicenſis Comitis Filia.

Brunice, Coniux Filiæ Comitis Petrocoriorum.

Conſtantia Coniux Antonij Levyſi Mirepoixij Dynaſtæ.

Ioanna, Petro Aragonio in matrimonium data.

Gaſto III, Princeps Benearniæ IV. Vxorem habuit Eleonoram Convengeanam, Comitis Convenarum Filiam.

Rogerius Bernardus, Moncadæ Dynaſta, Vicecomes Caſtellobons, vel Caſtelbann.

Gaſto IV Princeps Benearniæ V, laudatus pluri mum ab Froiſſardo. Vxor illi Agnes, Karoli Navarræ Regis Soror.

Gaſto, quem Pater ſuis manibus interfecit.

Mattheus, Vice-comes Caſtelloboni, Gaſtonis IV Succeſſor, Princeps Benearniæ VI. Vxor Ioanna Aragonia, ἄπαις.

Isabella deficientibus Maſculis, Fratri *Mattheo* ſucceſſit, Princeps Benearniæ VII. Vxor Archembaldi, Captalis Buchij.

Ioannes, Princeps Benearniæ VIII Comes Foxij & Bigorræ, Moncadæ Dominus. Duas habuit Vxores, Mariam Navarream ſine prole, alij Agnetem nominant: & Ioannam Albretanam.

Gaſto Captalis Buchſius, Francici Nominis inimicus; Candaleorum Comitum Progenitor; Vxor Ioanna, Philippi Attelij Filia.

Archanbaldus Noailleij Dynaſta.

Petrus Epiſcopus Elcarſius, poſtea Cardinalis, & Legatus; qui Collegium Foxiorum Toloſæ erexit; reditibuſque dotavit.

Gaſto V, Princeps Benearniæ VIII, Comes Foxij, &c. Vxor Eleonora, Ioannis Navarræ Regis Filia: quæ vidua, poſt Patris exceſſum, Rerum eſt potita.

Gaſto VI, Princeps Benearniæ X, Comes Foxij Bigorræ Vicennæ, &c. Obiit ante Parentes, ideoque Regnum Navarræ non accepit. Vxor illi Magdalena Karoli VII Galliarum Regis Filia.

Ioannes Foxius, Vicecomes Narbonenſis. Vxor Maria, Karoli Valeſij, Ducis Aurelianenſis Filia.

Alij utriuſque ſexus.

Franciſcus Phœbus, Rex Navarræ XXIV. Aviæ Eleonoræ Succeſſor, Princeps Benearniæ X, Comes Foxij, &c. Obiit ἄπαις CIↃ CCCC LXXXI. Sepultus in Lafcarienſi oppido.

Katharina Regina Navarræ XXV Princeps Benearniæ XII, Comes Foxij &c. Nupſit Ioanni Alani Magni Filio Dynaſtæ Albretano, eique Regnum in dotem attulit. Is, ſumtis contra Iulium II P. M. pro Ludovico XII, Francorum Rege, Armis, ab eo proſcriptus univerſam pene Navarream Ditionem amiſit, occupatam ab Ferdinando Catholico, Hiſpaniarum Rege.

Gaſto, Comes Foxij, Dux Nemurci. Acie cecidit contra Iulium II, Pontificem Maximum. Vxor Maria Karoli I Ducis Borbonij Filia, Inprolis.

Germana, nupta Ferdinando Regi Aragoniæ, inde Ferdinando Regi Calabriæ.

Henricus Albretanus, Rex Navarræ XXVI, Princeps Benearniæ XIII, Comes Foxij, &c. Obiit CIↃ IↃ LV. Vxor Margareta Valeſia Karoli Engoliſmenſium Comitis Filia, Franciſci I Regis Franciæ Soror, Karoli Alenconij Vidua.

Karolus extinctus ad Neapolim, extra matrimonium.

Filiæ aliquot.

Ioanna Albretana Regina Navarræ XXVII, Princeps Benearniæ XIIII, Comes Foxij, &c. Deſponſata Gulielmo Cliviæ Duci, nupſit ex Pontificis Maximi diſpenſatione Antonio Borbonio, Vendomæ Duci, qui Socero ſucceſſit in Regno. Obiit illa Pariſijs CIↃ IↃ LXXII, ſexto Eidus Iunij, ætatis XLIII, diebus aliquot ante Filij nuptias.

Henricus Borbonius Galliarum Monarcha (Succeſſor Henrici III) Navarræ Rex XXVIII, Princeps Benearniæ XV, Comes Foxij, &c.

Katharina.

Metropolis porro *Benearniæ* eſt *Caſtrum Palum*: ſic Docti, Latine ſcribentes, vocant, quod vulgo *Pau*. Sedes hic Principum: faſtuoſumque Ædificium ab Henrico Albretano Navarræ Rege, Chriſtianiſſimi Regis Henrici IV Avo Materno, exſtructum. Tribunal ibidem Benearnenſe, ab eodem Henrico inſtitutum, & Curia totius Principatus ſuprema, ubi Controverſiæ omnes dijudicantur ſecundum Regionis Leges & Conſuetudines. Metropolis Benearniæ.

Sub

sawia. Nuperi *Arausionis* Principes cum ex *Cabillonensi*, tum ex *Nassavvio* Stemmate orti sic se habent:

Stemma Cabillonense:

cum Cabillonensi,

Ioannes Cabillonensis Ludovici Patris unicus heres, ducta Maria Baussia, Reinoldi Baussij Arausiorum Principis Filia & Herede, Princeps [illegible] factus est *Arausionum* Princeps.

Ludovicus Cabillonensis, *Arausiorum* Princeps. Vxores illi fuerunt Ioanna Henrici ultimi Comitis Mompelgardii Filia, & Eleonora Armeniaca. Pater ex

Mompelgarda. | Armeniaca.

Gulielmus Cabillonensis, *Arausiorum* Princeps; cui Vxor fuit Katharina, Soror Francisci Ducis Britanniæ.

Ioannes Cabillonensis, *Arausiorum* Princeps, Vxores eius, 1 Ioanna, Caroli Ducis Borbonij Filia, [illegible] Philiberta, Antonij Lucenburgij Filia, Chatelli Comites, ex qua nati:

Ludovicus Cabillonensis, qui cum Karolo Burgundo bello contra Helvetios perijt.

Hugo [illegible] Cabillonensis, Chourtaugiani & Dolæ Dominus. Obijt [illegible].

Philibertus Cabillonensis, *Arausiorum* Princeps, Prorex Neapolis Karoli V [illegible] perijt in obsidione Vrbis Florentiæ, anno CIↃ IↃ XXX, ætatis XXVIII.

Claudia Cabillonensis, *Arausiorum* Princeps, omnium Fortunarum Fratris Heres. Nupsit Henrico Nassavvio.

Renatus Nassavvius *Arausiorum* Princeps.

Stemma Nassavvium.

tum Nassavvio.

Ioannes Iunior Comes Nassavvius, Dillenbergæ, Viandæ, Bredæ, &c. Dominus. Vxor Elizabetha, Henrici Landgravij Hassiæ, & Annæ Comitatus Catimelibocensis Heredis Filia.

Henricus Comes Nassavvius, [illegible], Eques Aurei Velleris & Karoli V [illegible]. Obijt CIↃ IↃ XXXVIII. Vxor illi Claudia, Ioannis Cabillonensis, Principis *Arausiorum*, Filia.

Renatus Comes Nassavvius & Catimelibocensis, Viandæ & Dietij Dominus. Eques Aurei Velleris, ab Philiberto Avunculo adoptatus, & *Arausiorum* Princeps nominatus. Obijt in Obsidione Lancensiana [illegible] ictus, anno CIↃ IↃ XLIIII, Idibus Quinctilis; Gulielmo Patruele herede instituto. Vxor Anna Lotharinga, quæ postea nupsit Philippo Croiiaco.

Gulielmus Senior, Dives cognominatus, Comes Nassavvius, Catimelibocensis, &c. Obijt CIↃ IↃ LIX. Duas habuit Vxores, VValpurgim Egmondanam, Petri [illegible], & Iulianam, Bothonis Comitis Stolbergi Filiam, matrem ex ipso factam XII Liberorum, in quis Primogenitus.

Filiæ.

Gulielmus *Arausiorum* Princeps, Comes Nassavviæ, &c. Heros rebus præclare domi militiæque gestis nobilissimus. Obijt confossus ab submisso Sicario De[illegible] anno CIↃ IↃ LXXXIV, quarto Idus Iunij. Quatuor ordine duxit Vxores: quarum I Anna, Maximiliani Egmondani, Comitis Burani, Filia & Herede; ex qua nati.

Maria Nassavvia, Philippi Comitis Hohenloi Coniux.

Karolus Gulielmus Nassavvius, *Arausiorum* Princeps, Comes Buræ, Iselsteini &c. Dominus.

CAP. XLVII.

Burgundiæ Comitatus.

TANTVM de Principatibus, qui licet in Francia, Francorum tamen Imperium non agnoscunt: explicandi succedunt eiusdem generis Comitatus, *Burgundiæ* & *Karolesium*.

Vnde Nomen *Burgundiæ*, dictum cap. XLI, ubi docui Regnum olim circa annum CIↃ XXXIV bipartitum abijsse in Ducatum & Comitatum: quorum ille versus Occidentem, *Burgundia Inferior* & *Regia*: hic, ad Orientem, *Inferior* & *Imperatoria*:

BVRGVNDIÆ COMITATVS Francis audit *Franche Comté*, id est, *Liber Comitatus*. Provincia namque plane sub suo est Comite; ab omnibus, ut aiunt, Tributis & Exactionibus libera. Feudum est Imperij, sub protectione Bernensium Helvetiorum. Conregionales illi sunt ad Septemtrionem Lotaringa Superiorque Germania; ad Occidentem Burgundiæ Ducatus; qua Oriens est, occurrunt Helvetij; qua Meridies, Allobroges & Segusiani. Longitudo XC, latitudo LX est milliarium. Regio Silvis, Montibus, Vallibus gratissima vicissitudine spectatur variata: uberis Agri, qui Pecori alendo, faciendæ Sementi, Arboribus serendis, Vinetis Vini laudatissimi sustollendis commodissimus. Varij generis videre est ibi Animalia magnamque iumentorum & Pecudum copiam. *Granvellenses* Equos Gradarios, Canesque eiusdem tractus ferocissimos probant omnes. Summa est ubique Tritici, BVRGVN. DIAE Comitatus Fines. Quantitas. Qualitas. Animalia. Frumenta.

Tt Siligi-

Siliginis, Hordei, Avenæ Fabarum, Milij, aliorumque Leguminum fertilitas. Arborum haud minor fœcunditas. Ager passim, præterquam qua umbilicus est & Regionis meditullium, Colles habet præstantissimorum, primæque nobilitatis Vinorum feraces. Præteruntur reliquis bonitate, quæ colliguntur ad *Arbosiam, Vadam, Grimoniam Arcem, Poncetinum, Lothanum, Castrum Karoli, Villephanum, Gyum, Mocellum*: quorum quædam, cum primis *Arbosium* natis in suo Territorio suam etiam Nomenclaturam communicant. Quod prope *Gyum* nascitur cum Optimis consuevit certare; vehi solitum in Germaniam, non quidem publicitus distrahendum, sed distribuendum Magnatibus: Apud *Arbosianos & Vadanos* Vasa Vinaria sunt adeo magna, ut Domos altitudine videantur æquare. Prope Regiam Veterum Burgundiæ Regum, quæ Adcolis hodie *Chambrette au Roy*, ex Terra Gypsum, Materiam Calci similem, effodiunt. Eruitur ibidem & in *Dolano Agro* in Magnatum sepulturas Marmor candidi coloris, quod Ἀλαβαστρίτης Græcis appellatur: & aliud nigerrimum, maculis purpureis variatum. Quatuor fere milliaribus Bisontione versus Aquilonem Antrum est in Monte, quod hieme fervet, æstate vero frigore riget. Flumina scindunt eam beantque plurimum non pauca, *Araris, Dubis, Lougnonius, Danus, Lupus*, alij. De *Arari* dictum alibi. *Dubis* totus ad hunc Comitatum pertinet. Δοῦβις Ptolemæo vocatur: Apud Iulianum Imperatorem Epistola ad Maximum Philosophum non sine Mendi suspicione Δανοῦβις dicitur. *Alduabis* est Cæsari, si proba sit conjectura Fulvij Vrsini. In alijs Codicibus *Aldualdubis & Adnasialis* vitiose legitur Vulgo *Doux*: Oritur ex Monte Iura paullo supra Pagum amœnissimum, quique instar opidi, Motam. Mirari soleo, quod Paradinus scribat *Dubis* Fontem esse haud procul ab Arari. *Dubis* porro, cœpto ab Meridie in Septemtrionem cursu, per Pontium Lacum lapsus, nonnullis Amfractibus prætergressus Pontarlum, Mortuam & Vafrum, Fanum petit S. Hippolyti: unde in Occidentem flexus, ad Pagum *Chastelot* versus Africum tendens, Vesuntionemque permeans & facta ad Dolam Insula, post multas ambages receptosque Fluvios prope Virdunum Arari commiscetur. Totus etiam Burgundiæ Superioris est *Lougnonius*, vulgo *Lougnon*, qui in Lotaringiæ Finibus ortus, varijs Opidis Pagisque lustratis, paullo supra Auxonam in Ararim se fundit. *Danum* evomit ex sinuoso recessu Mons arduus, Syrodo, grandi & celeberrimo Pago, incumbens, hoc modo: Postquam descenderis, est Antrum profundi Præcipitij, & intus Fons inperscrutabilis profunditatis, latitudine forsitan decem passuum. Huic Rupes horrendæ imminent; quæ contemplantibus horrorem plane incutiunt: ac per Gurgitem altissimum tanta Aquarum copia ebullit, ut statim in ipso ortu (dictum incredibile) Flumen Navigijs, si ob rupes & saxa, per quæ devolvitur, liceret, satis capax esset. Incolis hoc Flumen *Dain* vocatur. Fluvios in se recipit varios: cum alijs prope Fontem, *Senam*, Amnem fama & natura ingentem.

Vina. Fodinæ. Flumina. Arar. Dubis. Lougnonius. Danus. Sena.

tem, ex *Fons-Sens* Pago, qui immensus multisque constans Villis, ab eo denominatus, exorientem, & saxosa convalle per Plancas & Sienum vicos labentem iuxta Burgum opidum. Et sic aliis ex auctus Fluminibus decurrens ac praeterlabens per Superioris Burgundiae meridionalem partem, in Rodanum tribus Lugduno versus Orientem miliaribus invehitur: unde *Dani* nomen in posterioribus *Rodani* sunt qui arbitrantur latere. Pisces habet *Danus* gratissimi saporis, praeter alios Troctam & Auratam. *Lupus* vel *Lupa*, vulgo *Loue*, altissimus, latissimus, rapacissimus Burgundiae Fluvius, multa habet Piscium genera. inter quos numerantur Alosa, Barbatulus, Anguilla, & Aurata. Gritur paullo supra Villephanum in Ovino pago, & non procul ab Dola cum Dubide in Ararim aquis properantibus devolvitur. Lacus habet haec *Burgundia* ingentes & mirabiles: Inter eos non postremi loci, cui ab *Voraginibus* nomen. mirum Naturae ludentis opus. Super enim Aqua fit Limus, qui adeo durescit, ut Continens videatur: super quo tamen Equites Currusq. secure non ambulant, sed soli Pedites. Is coelo pluvioso & nebuloso non emergit, nisi Serenitas sit futura. tunc per Foramina brevi tempore auctus totam Columbanem Planiciem rigat. Ei Mons celsus ab Oriente imminet, unde crebri Fontes in illum diffluunt. Inter Nozerethum porro & Ripariam alius est Lacus in Bonvalli, Lupis, Parcis, & aliis Piscibus abundans, qui septimo quoque anno in aliquot hebdomadas suffugiens & delitescens, iterum emergit. Quae res in Miraculum exit, Fidemque vincit. Tractus huius Comitatus Australior Lacubus scatet: Videre ibi est, qui vernacule *Maieteux* Maior Minorque; *Narlay*, profunditatis vix credendae; *Vernoy*, duo *Chambisei*, *Fregeay*, *Ronchault* & alij. Thermae quoque cum magna Calidarum Aquarum copia ad Luxovium opidum scaturiunt.

Lupus. Lacus. Voragines. Bonvalle. & alij. Thermae.

Floruerunt longe lateque his locis olim *Sequani*. Sic Caesar lib. 1, & alibi, Cicero in Epist. ad Atticum, Ammianus Marcellinus lib. xv, Sidonius lib. 1. Epist. xi, aliique nominant; qui Σηκουανοὶ Straboni libro iv; Σηκανοὶ, Ptolemaeo, Σηκοανοὶ, Dioni Coccejo. Hodie *Le Pais de Besançon* & *Franche Comte*. quae *Maxima Sequanorum* apud Sex. Rufum. Scribit Caesar lib. 1 Montem Iuram *Sequanorum* Fines ab Helvetiis dividere. *Sequanicum*, *Provinciam* appellat Notitia Imperij Occidentis. *Civitas Sequanorum* universim pro tota Ditione, in Inscriptione, quam Lugduni exscriptam posui cap. xxiv. *Dumnorigem* gratia & largitione apud *Sequanos* plurimum potuisse, notat Caesar lib. 1. item eodem lib. & vi Ariovistum in Germanorum Regem ab *Sequanis* contra Eduos evocatum, tertiam partem *Agri Sequani*, qui esset optimus totius Galliae, occupasse. Alia praetereo. De iis Strabo lib. iv. Πέραν δὲ τοῦ Ἄραρος οἰκοῦσιν οἱ Σηκουανοὶ, διάφοροι καὶ τοῖς Ῥωμαίοις ἐκ πολλοῦ γεγονότες καὶ τοῖς Ἐδούοις, & quae ibi alia. *Sequanos* etiam ultra Iuram versus Euronotum habitasse, innuit Eutropius lib. vi. *Helvetii*, inquit, *qui nunc Sequani appellantur*. *Sequanus*, τὸ ἐθνικὸν, nominatur in Inscriptione, quae Lugduni legitur in Templo vetustissimo D. Petri, ad Basin Columnae, quae ad sinistram est Arae Maximae:

Veteres Incolae, Sequani.

Q. FVLIO. SEVERINO
SEQVANO. OMNIB
HONORIBVS. IN
TER. SVOS FVNCTO
&c.

De Antiquis huius Burgundiae Comitibus, Stirpis etiam Imperatoriae Franciaeque, multi multa memoriae produnt. Nuperorum hoc est Stemma:

Burgundiae Comites.

Philippus v Cognomine Longus Francorum Rex. Vxor *Ioanna Othonis*, vel *Othelini* Burgundiae Comitis, Filia & Heres:

Ioanna Comes Burgundiae defuncto Othone, Avo [illegible] materno & Roberto Avunculo Dux: eam Otho (alij Eudo) Dux Burgundiae, qui hoc Coniugio Ducatum Comitatumque coniunxit.

Philippus Burgundus ante Patrem mortuus.

Philippus. Dux Comesque Burgundiae, Avi Othonis Successor. Inprolis obiit.

Margareta Philippo, Nepoti ex [illegible] Ioanna succedens. Comitatum [illegible] Burgundiae. Nam Ducatum dederat Filio suo Philippo, qui A[illegible] cognominatus Francorum Rex Ioannes. Nupta fuit Ludovico Nivernensi, Flandriae Comiti.

Ludovicus Malanus, Comes Flandriae, Niversij & Retellij: & post excessum Matris, *Successor Burgundiae*. Vxor Margareta, Ioannis III. Ducis Brabantiae Filia & Heres.

Margareta Malana, unica Patri Heres. Dux Brabantiæ &c. Comes Flandriæ, Superioris Burgundiæ, &c.

Ioannes Cognomento *Intrepidus*.

Philippus Bonus.

Karolus Bellicosus

Maria, nupta Maximiliano Austr.

Philippus Austriacus

Karolus v. Imperator &c.

Philippus Hispaniarum Rex

Philippus Hispaniarum Monarcha.

} De his alibi satis.

Status Politicus.

Quod ad Statum hujus Liberi Comitatus Politicum, quoties Comitia Provincialia sunt agenda, tres Status conveniunt, convocante eos nomine Comitis Principe Arausiorum, Nozereti & Arlæi Dynasta. Sunt autem Nobiles, Ecclesiastici, Vrbes. Eorum hunc Syllabum debemus Gilberto Nozereno: Superioris Diœcesis Comites; *Montbeliiart, Roche, & Varax, Montruel, Thalamey & Vaulgrenans, Vergey, Rey, Lislenois*: Abbates; *Croissant, Charité, Bilaine, Corneul, Tulley, Clairfont, Luxeul, Bellevaulx, Grace-Dieu, Charlieu, Trium Regum*: Priores; *Vaucluse, Lantenans, Cusance, Marteret, Iussey, Port sus Saosne, Montreul ad Sigonam, S. Marcelli*: Canonici; *Calemostier*, & alij alijs locis: Vrbes; *Gray, Vesoul, Montboison, Iussey, Palma, Port sus Saone, Cromary, Mont-Iustin, Faulcogney*: Domini: *Montmoret & S. Loup, S. Martii, Taulens Villeneufve, Rupt, Montgevelle, Chastillon & Belvoye, Conflandey, Montbarlion, Velleson, Dicey, Tgny & Chemylly, d'Oizelet, Cicon, Trasves, Raincourtieres, Cosfebrune, Sombernom, Valle-fault, Bermont, D'Aviley, Mugnay Verexr, Touraize, Citey, Provanchieres, Grand-mont, Velle Cheurelous, Voysey, Dampierre, Frotey, Beultal, Matay, Notronde, Tromarey, Millesey, Mailleroncourt, Myon, Bennenge, Velleroi le Boz, Cierk, Betoucourt, Mointaillotte, D'Amondans, & de Fraisne, Chavirey, Mortot, Mons S. Legier, Cuvry, Montereul, Sorans, & Lambry*: & alij permulti. Inferioris Comites sunt *Ruffey & S. Aubin*: Baro, *Chevreaulx*: Abbatis; *S. Eugendi, Beaume, Balerne, Mont S. Marie, Mont-Benoist, Beylen, Rausieres*; Priores; *Mainnaul, Vaucluse, Bonlieu, Mente, Lonsle Saulnier, Arbois, Mote, Syrodi, Vallis supra Polichnium, Mortau*: Canonici *S. Mauritij, S. Anatolij, S. Michaelis*, Salinis omnes; *Arbosienses, Polichnienses, Nozeretenses*, & aliarum Vrbium Locorumque alij: Vrbes; *Salina, Arbois, Poligny, Pontarlien, Nozeret, Castrum* Karoli, *Monmorets, Orgelet*. Domini; *Coniognia & Andelest, Courtaou & le Pin, S. Amour, Argento, Laubespin, Ponpet, S. Sorlin, Dannam, & Trameray, Bosia, Cressia, Fitigny, Chamberia Montena, Vecles, Rosait, Narigna, Beau-fort, Nasey, L'Aigle, Courtoon, Vertamboz Largilla, Moiron, l'Estoille, Chasnee, Aresche, Coges, Bar, & Ioussaul, D'Augea Muyre, Charrin, Charlin, Chaumes, Breteryeres, Fontenay, Cognya, Chauix, Montuet, Vadans, Villette, Les Arbois, Aiglepierre, Chastelvillain, S. Iulian. Descrilies, Verges, Chay, Champaigne, Beaulchemin, Villeneufuelez Orgelet, Chastes*. Præfectus Arcis de *Ioulx*, sive *Iura Montis, Vincelles, Visneaulx*, & alij multi. Dolanæ Diœcesis: Dominus de *Givrey*: *Longepierre*, & *Rabon, Clervaus*: Abbates: *Billon, S. Vincentij, S. Pauli Bisantij, D'Acey*: Priores: *Loye, Laval, Damparis, Iouhe, Monterot, Mote* supra Altam Petram, *Faye, Mostier* in Secusia: Canonici, *Dolani, Bisuntinenses*, & alij alijs locis: Vrbes; *Dola, Quingetum, Ornans, Loya, Rochefort, Vercella*: Domini; *Vauidrey, Rainnes, Rye, Monfort, Mont-Richard, Fertans, Maillot, Bermont, Cleron, Verchamps, Dossans, Port, Chasteau Rollant, D'Abbans & Marchault, Reculet, Chantrans, Mont-Gros pain, Mutigny, Chassey, Paressey, Choisey, S. Ilye. Faye, Parrel, Chemin, Rabus, Champ-divers, & Rāsonieres, Rainchecourt, Patntre, Montrambart, Salins, Goussans, Chaverey, Ancier*, & alij. Nobilitas huius Comitatus, ut hinc videmus, valde est frequens.

Familiæ Nobiles.

Quatuor autem sunt Familiæ, quæ à *Burgundiæ* Regibus & Principibus originem trahere, vel cum ijs adfinitatem contraxisse commemorantur: *De Vienne*, cui *Nobilitatis* Epitheton tribuitur; *De Vergy*, cui *Strenua* Titulus datur; *De Chalon*, quæ *Opulenta Divitijsque* nomen obtinet: Arausiorumque Principatus Titulum; *De Neuf Chastel*, quæ *Feudis* est Insignis.

Comitatus Divisio.

Quum autem Comitatus in tres, ut jam vidimus, Diœceses & Præfecturas, quæ *Baillivatus* vulgo, Iuri facilius dicundo, divisa sit; *Dolanam, Superiorem, Inferiorem*:

Prima

Primæ Sedes est *Dola*: Secundæ, *Vesulij*: Tertiæ, *Polichnij*: Singulis suæ sunt Vrbes, Opida, Pagi; quibus, cum Comitibus, Abbatibus, Prioribus, Canonicis Dominisque, ad Comitia Provincialia veniendi, ibique Sessionis & Suffragij Ius est. Eorum, quæ principis loci paucis indicabo, postea alia quædam adscripturus.

Dolanæ Diœceseos Vrbes. *Dola.*

Dolanæ Diœcesi adcensentur *Dola*, *Quingeium*, *Ornatum*, *Rupes fortis*, *Vercellæ*, *Loya*. *Dola*, Arce potens, totius Comitatus est Metropolis, reliquarumque Vrbium celeberrima: ad Dubim sita Fluvium, qui in duo hic brachia scinditur. Putant quidam Ptolemæo esse Διδάττιον, lib. II. cap. IX, Sequanorum Vrbs. Nihil ibi earum rerum, quæ ad Civitatis splendorem faciunt, desideratur. Forum hic vidi elegantissimum & spaciosum; forma quadrata, Longitudine tamen Latitudinem nonnihil superante. In parte Occidentali Prætorium est, cum Carceribus. Primarium Templum, quod pulcherrimum & admirandi operis, Deiparæ Virgini est sacratum. Academiam habet Dola veterem quidem, sed quæ circa annum CIↃ CCCCLXXXIV, sopitis bellis, serio florere cœpit. In collegio Hieronymiano Bibliotheca servatur multorum Auctorum & optimorum Codicum. Sedes hic Supremi Senatus, quo ab Inferioribus Comitatus Tribunalibus, absque ulteriore Provocatione, appellatur. Expugnatam vi ab Ambosio, perniciosoque Incendio funditus fere, anno CIↃCCCCLXXIX mense Maio, deletam, Pij Cives sensim restituerunt; Pontibusque variis, Mœnibus validissimis, stupendis Propugnaculis, magnificis Templis, & sumtuosissimis Aedificijs ornarunt. *Quingeium*, vulgo *Quingey*, vetustissimum est opidum in Lupiæ ripa situm: ab Ambosio solo adæquatum, nunc utcumque restauratum. *Ornatum*, *Ornans*, inter excelsissimos Montes, interfluente Lupa, piscoso Fluvio, positum; Nicolai Perrenoti Granvellani, Supremi Rerum Status Consiliarij & Sigillorum Cæsariæ Majestatis Custodis, ortu & natalibus nobile. *Vrba*, ni fallor, Antonini, in Itinere, quod ducitur Mediolano per Alpes Graias Argentoratum. Vide infra. *Rupes-Fortis*, *Roche-Fort*, Opidulum, deditione captum, postquam aliquamdiu obsessum fuisset, ab Ambosio, anno CIↃ CCCC LXXIX, Maj XVII. *Vercellarum* opidum Mœnia habet ruinis deformia. *Loya*, Pagus est amplissimus.

Quingeium. *Ornatum.* *Rupes-fortis.* *Vercella.* *Loya.*

Superioris Vrbes. *Graium.*

Ad Superiorem Comitatus Diœcesin pertinent *Graium*, *Vesulium*, *Mons-Bosonis*, *Iussium*, *Portus ad Sarnam*, *Cromaræum*, *Mons-Iustini*, *Falconæum*. *Graium*, *Gray*, Vrbs præcipuis, quæ in Burgundiæ Comitatu, connumeranda. Mœnia ipsa amœnissimi situs in Araris ripa; Plateis, Fontibus, Templis, alijsque Aedificijs cum publicis tum privatis, superba. Terra Suburbicana;

Dives opum variarum, & nullius indiga cultus.

Ad alteram Araris ripam patentes habet Campos, omnium rerum copia fœcundissimos; naturali Locorum Vbertate, grata Fructuum Varietate, mira Pascuorum Felicitate Convicinis antecellentes. *Vesulium*, *Vesoul*, ad Amnem locatum, qui haud procul inde Arari miscetur. Validissima habet Mœnia, Aedes luculenter exstructas, Solum valde vitiferum. Incendio vastatum est horrendo circa annum CIↃ IↃ XXXIII. *Mons-bosonis*, vel, ut alij contractius, *Mombosium*, *Montboson*, in dextra Lugonij Fluminis ripa conditum. *Iussium*, *Iussey*, ad Continia Comitatus versus Septemtrionem, Fluvio adsitum, qui Ararim hic ingreditur. *Portus super Sarnam*, quibusdam Latine scribentibus *Portuzona*, *Port sus Saone*, secundum Araris Ripam positum. *Cromaræum*, *Cromary*; *Mons Iustini*, *Mont-iustin*; *Falconæum*, *Faulcongney*; suis singula sunt nobilitata bonis & Dotibus.

Vesulium. *Mons-Bosonis.* *Iussium.* *Portus super Sarnam.* *Cromaræum.* *Mons Iustini.* *Falconæum.*

Inferioris *Salinæ.*

Inferioris Comitatus Præfecturæ sunt *Salinæ*, *Arbesium*, *Polichnium*, *Pontarlium*, *Nozeretum*, *Castrum Karoli*, *Monmorotum*, *Orgelotum*. *Salinæ*, amplissima Civitas, toto terrarum Orbe celebris; ab salsis denominata Fontibus, Saleque inde igne densari solito: qui candore præstans in finitimas Regiones exportatus maximum huius Comitatus est Vectigal. Vrbs supra modum firmissimo Muro, celsissimisque Turribus munita; magnificis altisque Aedibus ornata. Per magnam angustamque Vallem inter horrendos altitudine Montes, Vinum tamen fundentes apricis in locis præstantissimum, extensæ adjacent Arces, Brachiorum instar, duæ; quarum quæ Australior in Rupe edita, *Bracon* vulgo dicitur; quæ ex adverso, ejusdem situs, *Belin*. Vallem ipsam olim *Scodingam* appellatam docet D. Anatolij historia. Fertiles quidem habet Agros, sed qui ob Loca concava montiumque asperitatem cultu difficiliores; alioquin.

Fontibus omnia puris
Hic sunt irrigua, & Rivi de Rupe cadentes,
Prata per & Campos labuntur Murmure dulci.

Vrbem *Forica* Fluvius rapidior perfluit; Molis, quæ ibi non paucæ, versandis aptus. Princeps Templum *D. Anatolio* dicatum est: reliqua sunt *DD. Mauritij* & *Michaelis.* Parochiæ sunt quatuor: *D. Anatolij, Mauritij, Ioannis Baptistæ, Virginis Mariæ.* Pauperum Xenodochia tria, duo quidem in Vrbe, *Montis-Acuti* & *D. Bernardi*; tertium, *Brachtonis*, in Rupe Occidentem versus. [*Arbosium.*] *Arbosium, Arborosa* Ammiano lib. XVI, *Arboise*; peramœno situm loco, omnium Rerum copia, imprimis optimo & in multā ætatem durante Vino, quod inde *Vin d'Arboise*, florens & celebre. Vndique sunt Montes; adspectu Fontium, Vinetorum, Arborum copia suavissimi. *Arbosium* creditur dictum, quod Arboribus conditum. Fructibus enim sic referta est hæc Vallis, ut Pomarium tota videri possit. [*Polichnium.*] *Polichnium*; vulgo *Poligny*: Vox creditur Græcæ Originis. Πολίχνιον sane Platoni lib. II. de Rep. alijsque, quod Latinis *Oppidulum.* Munitum est Mœnibus Turribusque pulcherrimis. Præter Arcem, cui nomen *Grimonia*, Forum habet augustissimum, Plateasque rectas & nitidas; quibus emundandis Rivuli sunt, miræ jucunditatis. [*Pontarium.*] *Pontarium, Pontarlier*, opidum in ima duorum Montium planicie positum, secundum Dubidis ripam. Haud procul inde Arx est Iura, munitissima & inexpugnabilis in Colle summo, loco admodum edito collocata, adeoque difficili adscensu & arduo, ut humanis viribus cessura vix videatur. Ad hanc multæ Helvetiorum copiæ Avorum nostrorum memoria sunt contritæ. [*Nozerethum.*] *Nozerethum, Nozereth*, Opidum est triangularis formæ, Loci natura (eminentiori enim impositum est colli) Ædificiorum splendore, Civium humanitate eximium. Emporium totius *Burgundiæ* celeberrimum. Non admodum amplum augusta quadam angustia quasvis amplissimas Burgundiæ Civitates superat. *Nucillum* antea dictum notat Gilbertus Cognatus, ab *Nucibus*, quarum magnus ibi proventus; Nomen autem mutatum esse ab Ludovico Cabillonensi, ejus appellationis I: Eum enim Hierosolymis in *Burgundiam* reversum, opidum restauratum *Nazarethum* ab Galileæ Vrbe vocasse: inde vero corruptum vulgo, mutatis litteris, *Nozerethum* esse nominatum. In australiore Opidi Parte Arx est Principis (quam *Plumbeam* vocant, eo quod Plumbo sit intecta) amplissima, quadrata, communi cum Vrbe Muro inclusa; Turribus octo præcelsis, præcipitibus Fossis, Machinis omne genus bellicis valida. Iucundus ob Loci amœnitatem, salubritatemque, & Venationis copiam, Arausiorum Principum ante funesta bella Recessus. Natus hic magnus Heros Philibertus Cabillonensis, Arausiorum Princeps. Nundinarum Ius huic opido quater anno; statim post Pentecosten, Initio Novembris & Februarij, Primaque Quadragesimæ septimana. Festum porro *D. Antonij* (cui primarium Templum est dedicatum) ejus est genij, ut veteri ethnicoque ritu undique ingens confluat hominum multitudo, cum ob D. Antonium, tum ob elegantissimarum Puellarum Conventum, quo nullus in *Burgundia* celebratior. Is dies in locis, Ludis, Tripudijs, Convivijsque peragitur. [*Castrum Karoli.*] *Castrum Karoli, Castel Chalon*, opidum ab Karolo Magno, ut volunt Incolæ, nuncupatum, situ validum, Monasterio celebre, in quod Nobilium tantum Filiæ Virgines recipiuntur. [*Monsmoretum.*] *Monsmoretus, Mommores*, opidum in Monte non arduo, vicinum *Lonsalino*, vulgo *Lonlesaunier*, à quo gloriæ suæ detrimentum est passum. [*Orgeletum.*] *Orgeletum, Orgelet*, Opidum Mercimonijs florens. Incolæ Lanificium exercent. Pars altera cū Arce in edito est loco: altera plano, ad radices collis. Ager sterilior, rupibus saxisque asper: de cuius Incolis dici solitum, Ipsos habere Campos sine Graminibus; Fluvios sine Piscibus; Montes sine Nemoribus.

[*Alia quædam.*] Quas, distinctione quadam, indicavi hactenus Vrbes, quæque opida, Sessionis in Comitijs Publicis, Suffragijque Iure sunt donata: sequuntur quædam, ordine turbatiore, quæ non tantæ dignationis. [*Iunia.*] *Iunia*, vulgo *Iougne*, opidum antiquissimum, in excelso & prærupto colle ad Sabaudiæ Limites positum: Nivibus Silvisque opacis gravatum. Hic Iura transitur; hic Vectigal exigitur Rerum, quæ alio exportantur; Hujus Suburbia ad Occidentem dicuntur *Hospitalia*: quod nomen etiam proximo Pago est inditum. [*Vsierum.*] *Vsierum, Vsier*, opidum Arcem habet, cum quatuor vicis, quorum Incolæ Leporum sunt & Facetiarum Patres: Burgundis reliquis ipsorum Dicta Factaque ridicula sæpe fallendo tempori recitantibus. [*Mortua.*] *Mortua* ingens, sed sine Mœnibus, opi-

bus, opidum; sic nuncupatum, quod cum Vicis Prædiisque suis in caussam morticinæ Possessionis ceciderit. *S. Hippolyti Fanum, S. Ippolyte*, Montibus undique natura, velut arte, cinctum. Incolæ hujus Tractus ceteris Burgundis corporis magnitudine sunt procerciores, belloq; magis valent. *Hippolytum*, Patricium Romanum, ferunt Iuvenem ea loca profectum, odio feminei generis Dianę Studijs se totum addixisse, despecto Veneris Numine; Christianum inde factum Martyrij gloriam meruisse. *Burgum* uno milliari distans Nozeretho, Opidum est edito in loco. Ibi, si uspiam, placidissime fluit Danus. Semidirutum est, prostratis ab Ambosio Mœnibus. Hoc solum putatur in Burgundia antiquum servare nomen. *Clara-Vallis, Clervaulx*, Opidum ad Dani fluenta situm, cujus Incolæ Lanificio Pannisque texendis dant operam. *Claudianum*, vel *Fanum S. Claudij, S. Claude*, nomen habere perhibetur ab *D. Claudio*, Salinensium progenie orto, Archiepiscopo Bisontino, cujus ibi reliquias monstrant Sacrificuli. Cœnobium exstruxisse scribitur Chilpertus I. Burgundiæ Rex. Ibi Sepulturas vidi aliquot Regum. Incolæ, factis ex variorum generum Lignis, præcipue Buxo, Vasis, Cochlearibus, Fistulis, Tubis, Precatorijs Sphærulis vel Pilulis, alijsque quamplurimis Instrumentis & varia admodum Supellectile, magnum faciunt quæstum; vendentes hæc talia, & non sine Mendicitatis infamia, expertus loquor, obtrudentes ijs, qui eo religionis caussa superstitiose undique concurrunt. *Turmaya* Lanarijs abundat; tenues habet Muros & circumquaque Aedificijs contiguos & impeditos, ut nullus in liberum ambitum pateat transitus: id quod finitimis Opidis est commune. *Campignola*, opidum est undique natura circumvallatum, ab Dano irrigatum. *Monetum, Monnet*, Opidulum antiquum, summo in Monte, ruinosum & vetustate pene conlapsum. *Mirebellum, Mirebeau*, opidum in Pagum per belli furias redactum, Arcis parte superstite. Non aliud tota Burgundia ruinas ostentat æque memorabiles. *Sorlinum, Sorlin*, in Monte positum, quem Danus adluit. Arcem habet, cui precium decusque conciliat Vetustas: *Castellana*, opidum in excelsa rupe locatum, sine Mœnibus. Antiquitatem loquuntur Rudera, Templique pars superstes. Nunc Vicus est. Arx ab Hortis occupatur. *Balma, Baume*, opidum natura munitum; undique, nisi qua ad Castrum Karoli itur, altissimis, veluti Muro, circumvallatum, rupibus, ex quibus Cella flumen prorumpit. Clarum est antiquo & omnium maximo Monasterio Ordinis Cluniacensis, cujus fundamenta jecit Bonno, Chilperici Burgundiæ Regis Filius; Vetustate conlapsum restituit Gulielmus Poupetus, Loci Antistes. *Celera* Incendijs, parum abest, prostratæ: Arcem habentes etiam semidirutam. *Arlaum, Arley*, antiquum & nobile: Sedes olim Burgundiæ Ducum, qui postea Nozerethum migrarunt. Pars una in Montis planicie, Arci adjacens, *Burgus* vocatur: altera in Cellæ ripa est posita. *Rufacum, Ruffey*, amœnum opidum, lætissima habens rura. *Bleterum, Bleterrans*, in Planicie situm: Mœnibus, Turribus, Arce egregie munitum, Cella Muros obeunte. Ager suburbicarius Tritici feracissimus, unde nomen opido volunt quidam impositum, sicque dictum, quasi *Frumenti*, quod *Ble* Francis, *Terram*. Totum fere incendio perijt anno CIƆ IƆXIX Kalendis Iulij. *Lonsalinum*, vernacule *Lyon* vel *Lon le Saunier*, opidum est cum primis elegans, in plano situm, Emporium celeberrimum, quodque omnem vicinorum Montium, *Moreti* & *Acuti* gloriam ad se transduxit. Ante annos aliquot ter incendio fortuito est corruptum. Plateas habet amplas & rectas: Domos magnificas grandia Suburbia. *Laurentianum, S. Laurens de la Roche*, exiguum quidem est, sed miram referens Antiquitatem. *San-Iulianum, S. Iulian*, ab Iuliano Antiochiensi Martyre volunt dictum, medio est fere itinere inter Burgum Segusianorum & Orgeletum. *Mons Floridus, Mont-fleur*, in excelso & munito natura loco: Vallem habens fœcundam admodum & amœnam. *Chevannæ, Chavannes*, opidum annosum & ruinis deformatum. *Amurcum, S Amour*, Mercatoribus insigne, potens & amplum satis. *Montronis, Montron*, opidi, Bisantio duobus distantis miliaribus, naturam, situm, commoda nemo non miratur. Turres habet & Domos excelsis in rupibus exstructas. *Claravallis, Clervaux* & *Lila, Lille*, ripensia Dubidis opida; quorum prius incendio miserabili conflagravit anno CIƆ IƆXXXIII. *Luxovium, Luxoul*, præter Thermas, Cœnobio, quod Chilpericus Burgundionum Rex construxit, est insigne. Mentio ejus apud Aimoinum, & in Vita S. Galli Abbatis & Confessoris. *Rubimons, Rougemont*, opidum olim opulentum

S. Hippolyti Fanum. *Burgum.* *Clara Vallis.* *Fanum S. Claudij.* *Turmaya.* *Campignola.* *Monetum.* *Mirebellum.* *Sorlinum.* *Castellana.* *Balma.* *Celera.* *Arlaum.* *Rufacum.* *Bleterum.* *Lonsalinum.* *Laurentianum.* *San Iulianum.* *Mons Floridus.* *Chevannæ.* *Amurcum.* *Montron.* *Claravallis.* *Lila.* *Luxovium.* *Rubimons.*

nunc in ruinis fere jacens. Eo quotannis Georgii Festo totius Burgundiæ Nobiles conveniunt, diemque illum sacris Ritibus magnaque lætitia prosequuntur. Institutum id traditur circa annum CIƆ CCCLXX.

Gyum. *Gyum*, *Gy*, opidum adsitum Amni, qui ad *Graum*, *Grey*, in Ararim se exonerat. De *Gyensis Agri* Vino antea dixi.

Ionvilla. *Iunvilla*, *Ionvil'e*, amplum & vetus opidum, Mœnibus senio nutantibus.

Pagi. Mota. Rupes Ioannis. Fraxinum. Sunt & Pagi Famæ celebritate conspicui. Mota, *La Motte*, instar opidi, Dubidis fonte superbiens. *Rupes Ioannis*, *Roche Iean*, Conditoris nomen servat. *Fraxinum*, *Franc*, opidi speciem refert, ab Fraxini copia dictum.

Fons Sena. *Fons-Sena*, Pagus immensus, sic appellatus, quod in eo *Fons* sit Fluvio *Senæ*, qui validus jam ibi xxvii. Rotis, partim ad Molas, partim ad Serras, circumagendis.

Versum. *Versum*, *Vers*, Pagus sesquimiliari distat Nozeretho, ad Angelonem Fluvium, in quo Arx est omnium nobilissima cum Vivario nemoroso, Mœnibus undique septo, inclusos habente Damas, Cervos Lepores, Cuniculos, aliaque id genus Animalia. Vicina est Arx *Montisvallis* in Monte excelso, scatebris Fontium, qui ex Vertice prorumpunt, inclyto.

Crotena. *Crotena*, Pagus Amplissimus ad Occidentem subjectus Arci, quæ vulgo *Saugean*, minor olim, quam est hodie, ut veteres docent Muri.

Castellionum. *Castellionum*, *Chastillon*, Pagus cum Arce cognomine, integra, vicinis dirutis, & munitissima.

Rolandus Mons. *Rolandus Mons*, *Mont Roland* Pagus haud procul Dola, appellationem scribitur traxisse ab Rolando, Karoli Magni ex Sorore Nepote; de cujus Fortitudine bellicaque Virtute alii multa.

Lothanum. *Lothanum*, *S. Lothain*, Pagus opidi instar in fœcundissimo vitiferoque Monte conspicuus, satis dispersus, sed elegantissimis Aedificiis plenus. In Fano monstrant incolæ D. Lothani Sepulcrum.

Salsulsum. *Salsulsum*, vulgo *Saulbie* ab salso Fonte, qui eo loci quondam fuit, denominatum.

Dornon. *Dornon*, Vicus haud procul Salinis, Gallorum clade, Superiorumque Burgundionum victoria nobilitatus.

Arces. Videamus & nonnullas hujus Burgundiæ Arces.

Calx. Tribus ab opido Nozeretho versus Meridiem miliaribus Arx est cum Pago cognomine, *Calx*, *La Cheaux*, celebris; natura (nam in admodum arduo situm est Monte) & Manu munitissima.

Asina. *Asina*, Arx inlustris, opidi instar, omnium celeberrima, natura loci valida, in Colle saxoso, qui in insignem exsurgit altitudinem: aditu difficilis: Vallibus circumdatus omni ex parte, quarum profunditatem visu quis comprehendere nequit.

Mons-Maior. Inde unius Lapidis intervallo est *Mons Maior*, pervetus Arx in excelso Monte, Speculæ instar spectandam se præbens multo splendore multis utriusque Burgundiæ opidis. Inter Laurentianum & Montem Acutum Arx etiam fuit fere inexpugnabilis; quæ quod Viarum obsessores reciperet, & Exsulibus esset Asylum, Burgundionum Armis subversa fertur. Alias prætereo.

Vesontio hodie Besançon. Eius varia Nomina. Ad *Vesontionem* venio, quæ in Comitatus Burgundiæ Vmbilico, Libera, Imperialis, Metropolitana. *Vesontio* Cæsari, & Itinerariæ Tabulæ; *Visontio*, Antonino: *Vesuntium* Ammiano lib. xvi; & Οὐισόντιον Ptolemæo, quam Βισοντίωνα vocat Iulianus Imper. in Epistolis, & idem Ammianus lib. xx. *Besantionem*: Hodie *Besançon*. In Notitia Provinciarum sub Lugdunensi v legitur *Civitas Crisopolinorum, hoc est Vesuntio*: Hodie *L'Archevesché de Besançon*. Scribit Paradinus *Chrysopolin* quoque appellatam, & putat Ortelius sic vocari in Vita S. Petri Archiepiscopi Tarentasii: & sic etiam nominat Ligurinus Poeta, qui Frederici Ahenobarbi Imperatoris Vitam Resque ab eo gestas descripsit. *Visontii* quoque sunt apud Ammianum lib. xv: *Apud Sequanos Visontios vidimus*. Legitur in aliis Codicibus *Bisontios*.

Situs antiquus. *Maximam Sequanorum* nominat Cæsar lib. 1, qui antiquum ejus Situm sic depingit: *Natura loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem: propterea quod Flumen Aldusbis, ut circino circumductum, pæne totum opidum cingit: reliquum spatium, quod non est amplius pedum IƆC, qua Flumen intermittit, Mons continet magna altitudine ita, ut Radices eius Montis ex utraque parte ripæ fluminis contingant. Hunc Murus circumdatus Arcem efficit & cum opido coniungit.*

Hodiernus. Eundem Situm hodieque fere retinet, præterquam quod Fluvius eam nunc magna ex parte intersecet; accepto Ponte; ut Pars Occidentalior post tempora Iulii Cæsaris adcrevisse videatur. Muri, cujus meminit Cæsar, & Dubi Fluvio utroq; ex latere claudi adfirmat, etiam hodie ingentes conspiciuntur Reliquiæ ad D. Stephani montem. Initium illi à Porta Scissa, vulgo *Taillee*, quæ est rupes ferro in usum Portæ excavata: Finis autem ad Portam Mali Passus, vulgo *Maupas*; Sunt qui adserant Plateam, vulgo *Ronchaux*, Dubis olim alveum fuisse: item

se: item Turrim S. Quintini Veteris Urbis fuisse Portam: idem adfirmant de Porta Nigra. Inter publica ibi Aedificia fuisse ferunt olim *Pantheon*: *Campum Martium*, ad Meridionalem Urbis partem, Mœnibus hodie contiguum: *Campum Minervæ*, & alia. Urbs hoc tempore magnifica ad insultus Hostium sustinendos & propulsandos cum natura, Dubis beneficio tum validissimis Propugnaculis mirum in modum munita: silvosis vitiferisque Montibus egregie cincta; Piscium Fructuumque delicatissimorum adfluentia valde dives. Frumentorum autem ubertate tam beata, ut, quemadmodum olim universæ Italiæ Sicilia, sic totius Burgundiæ Granarium suburbicarius Vesontionis Ager semper fuerit habitus. Intra Mœnia sunt Horti spaciosi, Uinera, Viridaria, aptique Studiis & Meditationibus Recessus. Archiepiscopatus dignitate clara est. Præfuisse Primus scribitur *S. Anthidius*, missus ab Irenæo Lugdunensi Episcopo. Suffraganei leguntur in Accepti Papæ Tabulis, Episcopi Basileensis, Lausanensis & Bellicensis: traditurque ibidem pro Archiepiscopatu Bisontino, si contigerit vacare, Apostolicæ Sedi, seu pro Reserva, ut vocant, aut pro Annata, aut pro Provisione CII Florenos numerari.

Publica Aedificia. Qualitas. Ager suburbicarius. Archiepiscopalis Sedes.

Ad *Burgundiæ* Comitatum pertinet Pars Itinerarij, quod Antonius ducit Mediolano per Alpes Graias Argentoratum. Adscribam conlatam cum Itineraria Tabula:

Antoninus		Itineraria Tabula			Vulgata Nomencl.
Bergintro Darantasiam,	M.P. XXIV.	*Darantasia*,		Sabaudiæ	*Munster in Tarantasia.*
Obilonnam; in aliis *Casuariam*,	M.P. XXIV.	*Dendecanius.*			*Creissilles* ... *Conans, Ceran.*
Bautam.	M.P. XVIII.				*Geneve*, vulgo *Genava* Sabaudis.
Genavam; plane, ut hodie pronunciant Sabaudi. Sic in Regio Exemplari: nam in aliis hæc Mansio desideratur.	M.P. XXV.	Magna hic confusio.		Helvetiæ	*Nion.*
Equestrium leg. *Equestrium* (*Civitatem*, quæ aliis Noviodunum vel ex Veteribus lege *Equestribus.*	M.P. XVII.				
Lacum Lausonium, intelligis ipsum opidum,	M.P. XX.	*Lacum Losonne*,			*Losanne.* *Orbe.*
Urbam,	M.P. XVIII.	*Eburoduno*,		Comit. Burg.	*Ornans*, ni fallor aut circiter.
Ariolicam,	M.P. XXIV.	*Abiolica*,	XIV.		*Montron*, aut non procul inde,
. . . .		*Filo Musiaco*,	XV.		
Vesontionem,	M.P. XVI.	*Vesontione*,	XIV.		*Besançon.*

Edidit de *Burgundiæ* Comitatu ingens & peculiare volumen Ludovicus Gollusius, Gallico Idiomate.

CAP. XLVIII.

Karolesium.

ET hæc de Burgundia: restat paucis explicandus KAROLESII Comitatus, vulgo *Charolois*. Nomen illi ab Opido, quod vulgo *Charroles*. Situs est inter Fluvios Ligerim & Ararim. Ad Septemtrionem conregionales illi sunt Burgundiæ Ducatus Incolæ; ad Occidentem Borbonenses & Forenses: qua Meridies est, Bello-Iolesij occurrunt & Lugdunenses; qua Oriens, Bressiani se offerunt.

KAROLESIUS Comitatus. Unde. Situs. Fines. Veteres Inco.

Habitasse quomdam videntur populi, quos Cæsar & Livius *Ambarros* appellant.

Insigniri solet huius Comitatus titulo, Patre Superstite, Filius Burgundiæ Ducis Primus natu quod observatum videmus in *Karolo Audace*, quamdiu in vivis erat Pater, *Philippus Bonus*; isque eo nomine in Belgicis Francicisque Historiis nusquam non occurrit, *Comte de Charrolois*. Idem factum in *Karolo*, qui postea Romanorum fuit Imperator, vivo patre *Philippo*.

De hoc Comitatu, cui iure competeret, magna fuit inter Reges *Phillippum* Hispaniarum, & *Henricum* II Galliarum, Lis & Controversia; quum post atrocissima Bella & funestas Belgarum Francorumque calamitates, per Legatos solidæ perpetuæque Paci sanciendæ, & Nuptiis inter Philippum atque Isabellam, Henrici Filiam, contrahendis in Arce Cambresia sedula navaretur opera. Sed vicisse tandem Rationes & Argumenta eorum, qui Partes Philippi agebant; Comitatumque, qui ab Henrico Rege detentus fuerat, Philippo ex integro fuisse restitutum, plane doceo in Historia Belgica ad annum CIƆ IƆ LIX. Ab eo tempore, uti prius, Provocationes eius Iuridicæ Dolam ad Parlamentum sive Senatum Regis, uti supremi eius Domini, rursus cœperunt devolvi, ibique sisti. Rex interim Franciæ est Dominus Feudatarius.

Lis de eo ... magnos ... pen.

CON-

CONCLVDAM hunc Librum adſcripto Itinere, quod apud Antoninum & in Itineraria Tabula ducitur ex Italia per *Delphinatum*, *Lugdunenſem Tractum*, *Burgundiæ Ducatum* & *Campaniam*, in penitiſſimam *Picardiam*, *Geſſoriacum* uſque *Nauale*. Illud ſic ſe habet:

Antonini Itinerar.	M. P.	Itinerar. Tabula.		Regio	Vulgata Nomencl.
Ticinum,	M. P. XXII.	*Ticeno,*	XXI.		*Pavie,*
Laumellum,	M. P. XXII.	*Laumello,*	XII.		*Lamello,*
Rigomagum,	M. P. XXXVI.	*Cuttas,*	XIII.		*Caſal*, forte,
		Vergellis.	XXXIII.		
Quadratas,	M. P. XVI.	*Eporedia,*	. . . .	Italiæ	. . . .
Taurinos,	M. P. XXI.	*Auguſta Taurinorũ,*	XVIII.		*Taurino,*
Ad Fines,	M. P. XVI.	*Finibus,*	XXII.		. . . .
Segusionem.	M. P. XXIIII.	*Seguſione,*	XVII.		*Suſa,*
Ad Martis,	M. P. XVI.	*Martis,*	VIII.		*Vizes*, aut circiter,
. . . .		*Gadaone,*	V.		. . . .
Brigantionem,	M. P. XVIIII.	*Brigantione, in Alpe Cottia.*	XVIIII.		*Briançon.*
Rame,	M. P. XVIII.	*Rama,*	XVII.		. . . .
Eburodunum,	M. P. XVII.	*Eburuno,*	VII.		*Ambrun,*
Caturigas,	M. P. XVI.	*Catorigomagus.*	VI.		*Charges*, ut quidam volunt, ſed Situs parum convenit.
. . . .		*Iſtodurum,*	. . .		. . . .
Vapincum,	M. P. XII.	*Vaxinco.*	. . .	Delphinatus	*Gap,*
Montem Seleucum,	M. P. XXIIII.	Hinc in aliud iter inciditur.			. . . .
Lucum,	M. P. XXVI.	*Luco,*	XII.		. . . .
Deo Vocontiorum,	M. P. XII.	*Addeam Bocontiorũ.*	XIII.		*Dye.*
Auguſtam,	M. P. XXIII.	*Auguſtum.*	XXII.		. . . .
Valentiam,	M. P. XXII.	*Valentia,*	XII.		*Valence,*
Vrſolim,	M. P. XXII.	*Tegna,*	XVI.		*Roſillon,*
. . . .		*Figlinis,*	XVII.		. . . .
Viennam,	M. P. XXVI.	*Vigenna.*	XVI.		*Vienne,*
Lugdunum.	M. P. XXIII.	*Lugduno, Cap. Galliarum,*	XVI.	Lugd. Tract.	*Lion,*
Aut per compendium.					
Aſa Paullini,	M.P.XV.Leg.X.	. . . .			*Ville Franc*, aut circiter *Belle Ville*, forte.
Lunam.	M.P.XV.Leg.X.	*Luduam,*	XIIII.	Franciæ.	
Matiſconem,	M.P.XV.Leg.X.	*Matiſcone.*	XIIII.		
Tinurtium,	M.P.XIX.Leg.XIII.	*Tenurcio,*	XII.		*Maſcon,*
Cabellionem,	M.P.XXI.Leg.XIIII.	*Cabillone,*	XII.		*Tornu,*
Auguſtodunum,	M.P.XXXIII.Leg.XXII.	*Aũg. Dunum,*	XVIII.		*Challon,*
Sidolucum,	M.P.XXVII,Leg.XVIII.	*Sidoloco,*	XVI.		*Auſtun,*
Aballonem.	M.P.XXIIII,Leg.XVI.	*Aballo,*	XXII.	Campaniæ Burgundiæ Ducatus	*Sanlieu,*
Auteſiodorum,	M.P.XXXIII.Leg.XXII.	*Auteſsio Duro,*	. . . .		*Avalon,*
Eburobrincam,	M.P.XVIII.Leg.XII.	*Eburobriga,*	. . . .		*Auxerre,*
Tricaſes,	M.P.XXXIII.Leg.XXII.	. . . . . .	. . . .		*Brimont*, aut circiter.
Artiacam,	M.P.XVIII.Leg.XII.	. . . . . .	. . . .		*Trois,*
Durocatelaunos,	M.P.XXXIII.Leg.XXII.	. . . . . .	. . . .		*Arſy,*
Durocortorum,	M.P.XXVII.Leg.XVIII.	*Durocortoro,*	. . . .		. . . . .
Sueſſonas,	M.P.XXXVII.Leg.XXV.	*Aũg. Sueſſor.*	. . . .		*Reims,*
Noviomagum,	M.P.XXVII.Leg.XVIII.	. . . . . .	. . . .		*Sueſſons.*
Ambianos,	M.P.XXXIIII.Leg.XXIII.	. . . . . .	. . . .	Picardiæ	*Noion,*
Pontes,	M.P.XXXVI,Leg.XXIV.	. . . . . .	. . . .		*Amiens,*
Geſſoriacum.	M.P.XXXIX.Leg.XV.	*Geſogiaco, quod nunc Bononia.*	. . .		*Ponthieu,*
			. . . .		*Bologne.*

Omnia his locis valde ſunt confuſa.

Quæ in his corruptiora, ſuis ſunt locis cum fide diligentiaque notata.

BREVIA.

BREVIARIVM LIBRORVM TRIVM PARTIS II.

LIBER I.

- CONTINENS, ut folio 259 notatum, Primo Meridiano, qui per Canarias ducitur, divisit in Hemisphærium
  - Eoū, quod Veteribus cognitum. Hoc in Latius dividitur
    - Boream [illegible]
      - EVROPAM Pars [illegible]
        - Præfatus Methodicam Terrarum Orbis Distributionem. Cap. I.
        - Cōtinentalem vel [illegible]
          - Totum. De eo dicatur
            - Vniversaliter de
              - Origine Nomine, & quur ab Europa magis, quam [illegible], [illegible] Cap. II.
              - Europæ variis & { [illegible] Cap. III. / Appellationibus Cap. IIII.
            - Speciatim [illegible] Terrarum Partis examinatio
              - Quantitate [illegible] quibus Continetur, Parallelis, & Meridianis inclusa Europa Cap. V.
              - Qualitatem [illegible]
                - Terræ [illegible] Europæ Cap. VI
                - Incolarum quoad { Mores Cap. VII / Linguas. Cap. VIII.
          - Partes Europæ [illegible] partium [illegible] Matrices Linguæ [illegible] patentes [illegible] in Europa
            - Occidentales [illegible] vetus
              - Meridionem Latina. Eius variæ [illegible] dialecti, cum [illegible] Propaginibus utuntur
                - Hispania. Liber II, Vide A
                - Gallia. Liber III. Vide B
                - Italia. Liber IIII.
              - Septentrionalem Teutonicam [illegible] dux
                - Teutonicum specialiter eorum, quam loquuntur.
                  - Germania superior, Lib. V.
                  - Germania inferior Liber VI
                - Danicum quo utuntur Pars [illegible] ita sunt dictum na.
                  - [illegible], [illegible] Dania Liber VII.
                  - [illegible], quæ in [illegible] Liber VIII.
                  - Septentrionalium, [illegible] Norvegia. Liber IX
            - Orientalioreæ ad
              - Septentrionem [illegible] Hæc in multas Propagines est diffusa Vtuntur ea
                - Cis Carpathium montem Tyramque Fluvium Polonia, ut [illegible] Regno [illegible] adjunctæ, & ut ita dicam incorporatæ, Lituania, Samogitia [illegible], [illegible], [illegible] Russia, [illegible] Prussia, excepta ea parte quæ [illegible] tenet Ducem, Livonia bona pars, & aliæ. Liber X.
                - Trans Carpatium, Tyramque, ad regem Tibisci
                  - Occidentalem. Hungaria Liber XI.
                  - Orientalem, ultra Danubii
                    - Sinistra { Transsilvania. / Walachia. / Moldavia. } Liber XII.
                    - Dextra: quarū aliæ ad Montium Alpium [illegible] Caramantu [illegible], [illegible] rumq.
                      - Septentrionaliora
                        - Cis Moravā { Bosnia / Servia } Lib. XIII
                        - Trans Moravam { Bulgaria potiore parte L. XIIII / Romania L. XIV.
                      - Meridionaliora
                        - Cis Savā quidem { Carniola Lib XV / [illegible] Lib XVI / [illegible] L. XVII / [illegible] L. XVIII
                        - Trans Savam { Carniola L. XIX / Croatia Lib XX
              - Meridiem, Græcia. Huius Matricis plura sunt Idiomata, nec minum, quum tot sint Insulæ. Liber XXI
      - SCYTHIAM Pars III.
    - Australem, Hemis
      - ASIAM Pars IIII.
      - AFRICAM. Pars V.
  - Occiduum, quod iam ante centum, & qui excurrunt, annos detegi cœpit: AMERICA dicitur ab Inventore Pars VI.

A.

Synopsis Partis II *Libri* II, *quo delineatur* Hispania.

- DE HISPANIA agitur vel
  - Generatim. Hic explicantur.
    - Nomen, ubi de Etymo variisque Appellationibus cap. I
    - Res, quoad
      - Regionis,
        - Adiuncta ut sunt
          - Quantitas, quæ consistit in Finibus, Circumitu, Forma, cap. II.
          - Qualitas, quæ consideratur vel { in Causis, ut in Climate. / Per se [illegible] & quæ ex Qualitate proveniant commoda. } cap. III
        - Partes
          - Terrestres { Montes cap. IV. / Promontoria cap. V
          - Aquæ, quales { Sinus, Portus. cap. VI. / Flumina, Lacus, Stagna Fontes &c, cap. VII
      - Incolas. In quibus considerantur.
        - Genius & Indoles: obiter item Lingua cap. VIII
        - Gubernatio per Statum { Politicum. cap. IX / Ecclesiasticum: cap. X.
  - Speciatim. Est enim Hispania ex Veterum distributione duplex
    - Citerior. Postea Tarraconensis [illegible] Regiones alia sunt ad Ripam Iberi
      - Borealem, in
        - Vltramontanis { [illegible]. cap. XI / [illegible] cap. XII
        - Cis-Montanis
          - cis Cingam { Navarra cap. XIII / Aragonia cap. XIV
          - trans Cingam Catalonia cap. XV
      - Africanā, hæc vel
        - Cis Tagam in Durii ripa
          - Dextra, versus { Occidentem [illegible] cap. XVI / Ortum { [illegible] cap. XVII / Legio cap. XIIX
          - Sinistra, Castella { Vetus. cap. XIX / Nova cap. XX
        - Trans-Tagana { Valentia cap. XXI / Murcia cap. XXII

Vlterior,

- *Ulterior* quæ & Exterior
  - *Bætica* [illegible]
    - Trans Bætim
      - *Granada* cap. xxiii
      - [illegible] cap. xxiv
    - Cis Bætim [illegible] cap. xxv
  - *Lusitania*, hodie [illegible] cap. xxvi
  - Fit sub hac *Algarbia Regnum* cap. xxvii.

B

Synopsis Partis II *Libri* III, *quo describitur* Gallia.

- De GALLIA agitur in
  - Genere. Hic exponuntur
    - Nomen, ubi de Etymo variisque Galliæ Appellationibus cap. I.
    - Res quoad
      - Regionis
        - Adjuncta ut sunt
          - Quantitas, quæ consistit in Finibus, Longitudine, Latitudine, Circuitu, cap. II.
          - Qualitas: quæ conspicua est vel
            - in Caulis, ut in Climate.
            - [illegible] ubi & quæ ex Qualitate proveniunt Commoda.
            - cap. III.
        - Partes, eaque
          - Terra, Talia,
            - Montes cap. IV
            - Promontoria cap. V
            - Silvæ, cap. VI
          - Aqua, Qualia sunt
            - Sinus, cap. VII
            - Portus cap. VIII
            - Flumina, cap. IX
            - Lacus Fontes, &c cap. X
      - Incolæ in quibus Adtendenda, eaque vel
        - Recepta, ut sunt
          - Mores Hos præfatus de Genio Incolarumque, consideratio circa Res
            - Sacras, cap. XI
            - Profanas
              - Publicas
                - Domi, cap. XII
                - Militiæ, cap. XIII
              - Privatas, cap. XIV
          - Linguæ, cap. XV
        - Occupata, Gubernatio
          - Prisca, tam in Sacris, quam Profanis, cap. XVI
          - Hodierna
            - Politica, cap. XVII
            - Ecclesiastica, cap. XVIII
- De GALLIA agitur in
  - Specie. Hic de Distributione ait [illegible], qualis [illegible] ea &
    - Antiquis Temporibus, cap. XIX
    - Hodie. Ævo nostro Provinciæ quæ in Galliarum Delineatione ab Cosmographis solent explicari, aliæ
      - Francorum sunt Regi vel Regi subjectæ. Has commode tunc dividere licet in sua Parlamenta, quæ octo numero, quorum
        - Principale, quod est *Parisiense*, cui [illegible] Primum, & alterum [illegible] [illegible] Parlamentis [illegible] Præfecturas ut multæ sub latissime se extendit [illegible] [illegible] varia admodum sunt in varias constituta Provincias, quas [illegible] alias
          - Septentrionales ubi a [illegible] Veterum Scriptorum & præcipue Strabonis Geographi.
            - *Belgica*, quæ tota ad ripam Matronæ Sequanæque dextram. Inest hodie [illegible], cap. XX
            - *Celtica*, inter Matronam Sequanamque & [illegible] [illegible] Hodie ab. [illegible]
              - Occidentem quidem
                - *Francia* [illegible] tamen [illegible] Veterem [illegible] cap. XXI
                - [illegible] cap. XXII
              - Ortum vero
                - [illegible] cap. XXIII
                - [illegible] cap. XXIV
          - Meridionales. Ubi ex eorumdem Veterum descriptione cum Narbonensis est *Aquitania*, quæ tota in sinistra [illegible] que ad Germaniam & Pyrenæos montes [illegible] dextera Garumnæ ripa, vel
            - *Prima* ubi hodie in Vigennæ Ripa
              - Dextra
                - [illegible] cap. XXV
                - [illegible] cap. XXVI
              - Sinistra
                - [illegible] cap. XXVII
                - Ager [illegible] & [illegible] cap. XXVIII
            - *Secunda*, ubi hodie in Durancen sinistra est [illegible] cap. XXIX
        - Accessoria, & Principale quasi circumeuntia versus
          - Occidentem ad Ligeris
            - Dextram
              - [illegible], sub quo [illegible] cap. XXX
              - [illegible] cap. XXXI
            - Sinistrâ, [illegible] quæ sua loca in variâs Aquitaniæ Narbonensisque Provinciis [illegible]. Sunt enim
              - Integre sub
                - [illegible]
                  - [illegible] cap. XXXII
                  - ultra [illegible]
                    - [illegible] cap. XXXIII
                    - [illegible] cap. XXXIV
                - [illegible]
                  - Minores
                    - [illegible] cap. XXXV
                    - [illegible] cap. XXXVI
                  - Major [illegible] cap. XXXVII
              - [illegible] [illegible] [illegible] cap. [illegible]
          - Orientem
            - ultra Druentiam [illegible] cujus [illegible] obtemperat [illegible] cap. [illegible]
            - citra Druentiam
              - [illegible] cap. [illegible]
              - [illegible]
      - Ab Francorum Ditione separatæ sive [illegible] Principum
        - Ecclesiasticorum Pontificis Romani, ut [illegible] cap. [illegible]
        - Politicorum, quorum alii sunt
          - Ducatus, ut
            - [illegible] cap. [illegible]
            - [illegible] cap. [illegible]
          - Principatus, ut
            - [illegible] cap. [illegible]
            - [illegible] cap. [illegible]
          - Comitatus, ut
            - [illegible] cap. [illegible]
            - [illegible] cap. [illegible]

FINIS

PAVLLI G.F.P.N. MERVLÆ,

COSMOGRAPHIÆ

PARTIS II.

LIBER IV.

DE ITALIA.

CAPVT I.

Italiæ Nomen unde, & varia eius Nomina sive Cognomina.

SIc olim habuerunt se, sicque hodie sese habent, & universim & speciatim, *Gallia*: jamnunc Alpibus, de quibus mox dicam, per impervia fere itinera, difficiles & flexuosas vias, immensos & inexplicabiles, expertus loquor, amfractus, superatis, laboriosisque devoratis molestijs, ITALIAM ingredior; Italiam, Regionem Dijs Sacram, inquit Plinius lib. III. natur. histor. cap. XX. totius Europæ beatissimam, optimamque, omnium prope Terrarum Alumnam, Rerum Dominam, Principem Gentium, Mundi Reginam. ITALIA.

Varias habuit olim Appelationes: quæ quibus fuerint priores, quamque late sese extenderint, anxie non quæram. Id enim ab alijs hujus ævi præstitum; licet confuse admodum, incertisque indicijs. Dionysij Halicarnass. Scriptoris diligentissimi, sequar ordinem, qui lib. I. Roman. Antiquit. Regionem hanc nobilissimam Indigenas vocasse scribit *Saturniam*: Græcos vero *Hesperiam*, *Ausoniam*, *Oenotriam*; Herculis denique tempore dici cœpisse *Italiam*. Variæ eius Appellationes:

Saturnia. Σατυρνία igitur, ut inde ordiar, inquit Stephanus in Vrbium Nomenclatore, ἡ Ἰταλία πρότερον ἐκαλεῖτο. Vnde autem? Iustinus ex Trogo, agens de Saturno Rege, *Itaque*, concludit, *Italia Regis nomine Saturnia appellata est.* Notat idem Macrobius lib. I. Saturnal. cap. VII. *Saturnia*, ait Festus lib. XVII. *Italia; & Mons, qui nunc est Capitolinus, Saturnius appellabatur, quod in tutela Saturni esse existimatur.* &c Isidorus lib. XIIII Etymol. cap. IV: *Italia olim à Græcis populis occupata Magna Græcia appellata est: deinde ab Regis nomine Saturnia, mox & Latium.* Crediderim ego *Saturniæ* appellationem non ad totam pertinuisse Regionem, quæ post *Italia*; sed tantum ad eius partem, quæ & *Latium*. Latinis enim *Latium*, quæ Tuscis vicinis *Saturnia*: illud ab *Latendo*; hæc ab Aramæa voce לטר, quæ *Latere, occultare se & abscondere* notat. Varro lib. IV de L.L. ubi de Tarpeio: *Hunc antea Montem Saturnium appellatum prodiderunt, & ab eo late Saturniam Terram, ut etiam Ennius appellat:* ubi pro *late* reponendum esse *Latium*, olim monui in meo ad Poetæ Annales Commentario. Anteaquam autem *Saturnia* fuerit hæc Regio dicta, nomen illi fuisse videtur *Camesene*, ab *Camese Indigena, cum quo* (ut apud Macrobium Higinus, Protarchum Trallianum sequutus, tradidit) *Ianus Regionem* (*Latium* mihi) *participata potentia possidebat, ita ut Regio* (ad sinistram Tiberis ripam) *Camesene, opidum Ianiculum* (ad dexteram Tiberis oram) *vocitaretur.* Addit deinde, post ad Ianum solum Regnum fuisse redactum: *qui quum*, inquit, *Saturnum classe pervectum excepisset hospitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni eum societate muneravit.* Innuit mox *Ianiculum* opidum Nomen retinuisse; Regionem autem, deposita priore, appellationem sumsisse *Saturniæ*; duos vero Reges concorditer regnasse, vicinaque opida opera communi condidisse; indeque apud Maronem legi:

Camesene.

Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia Nomen.

Hesperia. *Hesperiam* (Ἑσπερίαν) nominasse *Hesperum*, ab Atlante Fratre in exsilium actum, inque hæc Loca delatum, scribit ad Virgilium Servius. Quidam *Hesperiam* dictam esse notant hanc Regionem ab Græcis, quod Occasui subiecta, ipsisque Occidentalior esset. Scribunt alij *Hesperias* antiquitus fuisse duas: unam, quæ post *Hispania*; alteram, quæ *Italia*: hanc quidem *Magnam* audiisse *Hesperiam*, ab *Hespero* Atlantis Fratre: eum enim nomen vel suum, vel Regionis, unde pulsus fuerat, indidisse: illam autem, addito cognomine, *Vltimam* appellari solitam, ab *Hespero*, occidentali Stella. *De Italia* sane loquitur Virgilius lib. I. Aen.

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.

De *Hispania* Horatius lib. I. Carminum.

Qui nunc Hesperia victor ab Vltima.

Ausonia. *Ausoniam*, inquit Festus lib. I, *appellavit Auson Vlyssis & Calypsus Filius* (de *Ausone* apud alios alia leguntur) *eam primo Partem Italiæ, in qua sunt Vrbes Beneventum & Cales: deinde paullatim tota quoque Italia, quæ Apennino finitur, dicta est Ausonia ab eodem Duce, à quo etiam conditam fuisse Auruncam Vrbem ferunt.* Videndus & Paullus Diaconus lib. II. Histor. Langbard. cap. XXIIII. Ad priorem sententiam accedunt fere Dion Cocceius, Ioannes Tzetza, & Isacius in Lycophronem, qui scribunt Αὐσονίαν solam dici solitam Auruncorum (Αὐρουγκῶν) Terram, inter Campanos & Volscos, iuxta mare sitam. Ad posteriorem inclinat Stephanus de Vrbibus, Αὔσων, ait, ὁ Ἰταλός: Et paullo post Αὐσονία, ἡ χώρα.

Oenotria. *Oenotria*, Οἰνωτρία, quur dicta fuerit, ingens, & quasi Reip. salus hic laboraret, inter Auctores fuit pugna. Ab *Oenotro* Arcade, Lycaonis Filio, qui primus, transfretato Sinu Ionio, *Italiam* incoluit, ita appellatam scribit Dionysius Halicarnass. Suffragatur Pausanias, *Oenotrum* tradens in Arcadicis, Filiorum Lycaonis natu minimum, ab Nyctimo Fratre Pecuniis Virisque impetratis, in *Italiam* traiecisse, eumque Primum omnium ex Græcia Coloniam navigio deportasse, imo ne Barbarum quidem ullum ante *Oenotrum*, alienam Terram invasisse. Antiochus etiam Syracusanus apud eundem Dionysium lib. I, *Oenotrum*, Lycaonis Filium, Ducem Arcadum, Ionico Sinu transmisso, in Calabriam adpulisse, ibique in ora maritima Colonias posuisse memorat. Varro *Oenotrum*, Latinorum Regem, nomen creasse Regioni existimat. Servius ab *Vino optimo* natam *Oenotriæ* appellationem adnotat, quod οἶνον Græci *Vinum* vocent. *Oenotriam* pro *Italia* habet, Sidonius Apollinaris: inde autem *Oenotria* Virgilio lib. I. Strictiores *Oenotriæ* Terminos indicat Strabo lib. VI, &

ante

ante hunc Aristoteles, uti docent ponenda mox ipsius verba. Sabinorum Terram proprie *Oenotriam* fuisse dictam scribit Servius ad VII Aeneid.

Italiæ nomen acceptum ab *Italo*, quem *Oenotriæ* Regem facit Aristoteles. Eius hæc sunt: Φασὶ γὰρ οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, Ἰταλόν τινα γενέσθαι βασιλέα τῆς Οἰνωτρίας, ἀφ' οὗ τό τε ὄνομα μεταβαλόντας Ἰταλοὺς ἀντὶ Οἰνωτρῶν κληθῆναι, καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς Εὐρώπης Ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν, ὅση τετύχηκεν ἐντὸς οὖσα τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλλητικοῦ καὶ τοῦ Λαμητικοῦ. ἀπέχει γὰρ ταῦτα ἀπ' ἀλλήλων ὁδὸν ἡμισείας ἡμέρας. Polybius etiam lib. I. & Antiochus Xenophanes apud Dionysium Halic. faciunt Regionis Regem; Arcadum autem Regulum, in has oras profectum, Thucydides lib. VI. Memoriæ prodit idem Halicarnass. *Italum*, Siculorum Regem (vide & Isidorum lib. XIIII cap. IV. & Paullum Diaconum Histor. Langbard. lib. II. cap. XXIII) primum, cum Agriculturæ, tum Legum in his locis Auctorem, Regionem sic ab se vocasse. Regem *Italum* simpliciter agnoscit Festus. Hyginus *Italum* Ducem ex Penelope & Telegono natum hic comminiscitur. Alii alio abeunt. *Timæus*, inquit Agellius lib. XI Noct. Attic. cap. I. *in Historiis, quas oratione Græca de rebus P. p. Rom. composuit, & M. Varro in Antiquitatibus Rerum humanarum, Terram Italiam de Græco Vocabulo appellatam scripserunt: quoniam Boves Græca vetere lingua* ἰταλοὶ *vocitati sunt: quorum in Italia magna copia fuit; Bucetaque in ea Terra gigni pascique solita sint complurima.* Festus lib. IX: *Italia dicta, quod magnos Italos, hoc est Boves habeat. Vituli enim Itali sunt dicti.* Paullus Diaconus lib. I. Langbard. Hist. *Sive ob hoc Italia dicitur, quia magni in ea Boves, hoc est Itali habentur.* Timæus etiam fabulatur appellari ab *Italo Bove*, uno ex armento Geryonis, qui abactus ab Hercule Siculi Freti angustias tranaverat, Tyrrhena Lingua *Italum Taurum* dicente. Sic Hellanicus Lesbius apud eundem Dionysium, quoniam opimos Boves gignat ea Regio, eiusdem Vocabuli occasione nuncupatam censet *Italiam*. *Vitalia* quoque quondam dicta, si fides Hellanico, apud eundem Dionysium Halic. lib. I. Antiq. Rom. *Italia.*

Quod Ἀργησσα etiam primo appellata, aut, ut aliis scribitur, Μάργησσα ab *Margetum* gente, quos Dionysius Halicarnass. lib. I. Μοργῆτας vocat ex Antiocho Syracusano, docent Antiquorum Scriptorum Monimenta. Dicitur *Morges* Italo successisse, a quo *Morgetes* dicti, qui prius *Oenotri*. Porro & *Morgetes* & Siculos ex *Italia* in Siciliam traiecisse, etiam ex Thucydide & Diodoro Siculo est notum. *Μάργησσα,*

Alii alias veteres *Italiæ* appellationes in medium adferunt, sed quæ non tam Toti, quam Partibus conveniant: quod etiam de Superiorum nonnullis aliquo modo dici potest. *Tyrrhenia*, Τυῤῥηνία, proprie *Tuscia*, inter Macram & Tiberim fluvios. *Conia*, χωνία vel χώνη, Lucaniæ pars: Βρεττία apud Stephanum Pars tantum, ut & infra videbimus: Antiochus autem, eodem scribente, τὴν Ἰταλίαν φησὶ κληθῆναι Βρεττίαν, εἶτα Οἰνωτρίαν. *Maiorem Græciam*, quam quidam ex Festo antiquis Appellationibus adnominant, certum est fuisse Orientalioris Italiæ partem. *Aliæ Italiæ appellationes, sed Partibus convenientes.*

Quod restat *Ianiculam* ab *Iano* fuisse nuncupatam *Italiam*, quum *Ianiculum* tantum fuerit opidum; *Ogygiam* ab *Ogyge*, qui & Ianus: *Saleumbronam*, ab *Sale* & *Vmbrona*; *Apennium*, id est Taurinam, ab *Api* Deorum Italiæ ultimo: *Palensanam* denique, nescio unde: probent ex suppositiitiis Berosi, Catonis, Myrsili Lesbii, Q. Fabii Pictoris fragmentis cum Annio Viterbiensi Monacho alii, quibus plus temporis, quique maiorem consueverunt Fidem adhibere Commentis Otiosorum & Nugis. *Aliæ item, ficticiæ,*

Quidquid sit; venerandum *Italiæ* Nomen, sive ab initio fuerit, & quæ a me indicatæ Appellationes Cognomina tantum, quod facile credo, sint habenda; sive, posthabitis aliis Nomenclaturis, postea fuerit natum: semper sane mansit; hodieque manet apud omnes fere populos, omnibus propemodum litteris כתים (vide supra part. I. lib. III, cap. IV) vocari Hebræis, tradit in Appendice Biblica Arias Montanus. משך *Mesech*, vel *Mosoch* videntur appellare LXX. Interpretes cap. Isich. LXI. *Wloska* Slavonice dicitur. *Italiæ appellatio hodieque manet:*

Antiquissimos porro *Italiæ* Incolas & Cultores, quique in eam successu temporis vel habitandi, vel prædandi caussa inundarint, recensent Dionysius Halicarnass. lib. I. Livius lib. I, Iustinus ex Trogi lib. XX. Solinus in Polyhist. Ioannes Iovianus Pontanus lib. VI Histor. Leander Albertus in Italiæ Prolegomenis, & alii, *Aborigines*, *Auruncos*, *Pelasgos*, *Lycaones*, *Oenotros*, *Morgetes*, *Ausones*, *Arcades*, *Troianos*, *Italiæ Incolæ.*

nos, Venetos, Ligures, Ardeates, Rutulos, Siculos, Iapyges, Lacedæmonios, aliosque Græci generis: item *Gallos, Pœnos, Herulos, Gothos, Hunnos, Hungaros, Gepidas, Turingos, Avares, Langbardos, Saracenos, Cimbros, Teutones, Francos, Vasiones, Helvetios, Germanos, Hispanos*, & quos non? quorum quidam vel sedes ibi suas fixerunt, hodieque habent, præclaris conditis Civitatibus; vel, Populationibus peractis, ad sua sunt reversi. Ptolemæus XLIV enumerat Veteris *Italiæ* Populos; quos non commemorabo, quum de iis plene in sequentibus.

Cap. II.

Italiæ *Quantitas, quæ patet in Finibus, Longitudine, Latitudine, Circuitu, & similibus*: Italiæ *Dorsum, Vmbilicus, Figura.*

TANTVM de Nomine Regionis Nobilissimæ, eiusque Cognominibus: sequitur Res ipsa in eiusdem vel Adiunctis, vel Partibus. Adiuncta sunt Quantitas & Qualitas. Illa consistit in Finibus, Longitudine, Latitudine, & id genus aliis.

Italia Peninsula. *Peninsulam* χερρόνησον faciunt *Italiam* Strabo libro secundo sextoque & Ptolemæus, quam Natura Mari Supero, Infero, Ionio munivit lateribus tribus; quarto autem vallavit Alpibus. *Eius Fines.* Nam Occasum Caurumque versus adfusæ sunt *Italiæ* Alpes, quæ suis apud Veteres cognominibus distinctæ fuerunt, Maritimæ, Cottiæ, Graiæ, Rheticæque ad Arsiam usque flumen; Septemtrionem respiciens Pœninas habet Iuliasque: succedente mox, qua Aquilo est, Mari Hadriatico ab intimo Recessu usque ad Sinum Ionium, qui ad Orientem Vulturnumque illi obvertus: Qua denique longe lateque spectat Austrum, Africum Zephyrumque ab Mari pulsatur Mediterraneo, quod ad eas oras Tyrrhenum audit & Ligusticum: faciente etiam partem Australem Hadriatico, qua Toti connectuntur Partes, Forum Iulij & Histria. Hos *Italiæ* Terminos agnoscunt, unanimique propemodum consensu, si bene verba perpenduntur, statuunt Polybius, Thucydides, Strabo, Dionysius Halicarnass. Ptolemæus, Dionysius Afer, Plinius, Orosius, Pomponius Mela, Solinus, Auctor incertus de Mensura Orbis Terræ, quem mihi trasmisit sua manu descriptum Vir Nobilissimus Marcus Velserus, Reip. Augustanæ II Viri omnesque, qui accuratiores, Novitij, Natalis Comes lib. Histor XXIV, Leander Albertus initio, & alij

Longitudo. *Italiæ*, Finibus indicatis inclusæ, Longitudo ab Augusta Prætoria Regium usque est (uti scribunt Strabo lib. V, Plinius lib. III. cap. X. aliisque locis, Solinus in Polyhist. P. Rutilius Claudius Numatianus, Auctorque, quem dixi, de Mensura Orbis Terræ, serram tamen inter se nonnihil reciprocantes) decies centenorum & viginti millium passuum; extendens se, ut Strabo indicat lib. VI, ἐπὶ μεσημβρίας ἀπὸ τῆ Ἄρκτων, τὸ πλέον: *Latitudo,* Latitudo varia; Maxima quidem quadringentorum decem millium, inter Varum Arsiamque fluvios; Media, centum triginta senum, circa Vrbem Romam, ab Ostio Aterni amnis usque ad Tiberis in Tyrrhenum Pelagus eruptionem; Minima, non amplius quadraginta millium, inter Portum Magnæ Græciæ, quem Annibalis Castra nominant, & Hipponiatem vel Vibonensem Sinum. Ego, Dimensione curiosius facta, Longitudinem eius ab Augusta Prætoria ad Brutium usque Promontorium vel Leucopetram deprehendi ɪↃ CCXLV plus minus Milliariorum: Latitudinem, qua, ut paullo ante accipiundam monui, Maxima, CCCCI XXV, qua Media, CXXX: qua denique Minima, LXXII: ubi in duplex exit cornu, multo est minor. Minima illa, quam quidam ponunt inter Sinum Vibonensem, & Scylaceum vel Portum, qui ab Annibalis Castris denominatus, non totius est *Italiæ*, sed alterius ipsius versus Meridionaliora cornu: ubi Aristoteles, cuius ante laudavi verba, ὁδὸν ponit ἡμισείας ἡμέρας. Adfirmant Incolæ & Locorum gnari, *Italiam*, ubi Isthmus inter Sinus Sancteuphemianum, qui olim Hipponiates vel Vibonensis, Aristoteli autem Λαμητικός, & Scyllaceum maximas facit eiusdem Cornu angustias, Intervallum habere Continentis, XV, aut ad summum XX Miliariorum. In editissimo ipsius Isthmi

fastigio

fastigio amœnissima sunt Prata, Agrique culti, cum Silva crassissimarum & præcelsarum Ilicum, unde utrumque Mare Tyrrhenum & Hadriaticum conspicitur, tamquam haud magnis sejuncta spatijs.

Circuitus & περιφέρεια *Italiæ* quibusdam apud Leandrum Albertum milliarior. CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CCCC; nonnullis CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CCXL. Castaldus colligit CIↃ CIↃ IↃ L. Qui exactius sunt metiti, signant CIↃ CIↃ CCL: qui exactissime, non multo minus, CIↃ CIↃ CCCLX. Circuitus.

Dorsum *Italiæ* Mons est Apenninus, qui Spinæ instar per mediam sensim incedens eam in duo secat latera; quorum unum Favonio, vel, ut quidam ejus Situm notant, Africo; alterum Euro, vel Aquiloni potius, est obversum. Dorsum.

Vmbilicum M. Terentius Varro statuit in Agro Reatino *Cutiliæ Lacum*, in quo fluctuet Insula, teste Plinio lib. III. Nat. histor. cap. XII. alii *Lacum Velinum*, qui non procul inde, *Italiæ* medium tenere adfirmant. Sive *Cutiliensis*, sive *Velinus Lacus* Regionis hujus Umbilicus sit censendus, Centrum sane sic depingit Virgilius lib. VII. Aeneidos: Vmbilicus.

Est locus Italiæ in medio sub Montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Amsancti Valles: densis hunc frondibus atrum
Vrget utrimque latus Nemoris: medioque fragosus
Dat sonitum saxis & torto vortice Torrens.
Hic Specus horrendum & sævi Spiracula Ditis
Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces, quis condita Erinnys
Invisum Numen terras cœlumque levabat.

In quorum Versuum expositione parum fidi Donatus & Servius. Hic enim Cosmographos ait *Italiæ* Medium prope Venosam designare, nimirum in Herpinis ad Apuliæ Campaniæque confinium, ubi sulphureæ fœtidæque, quod Silvis umbrosis circumdentur, sunt Aquæ; ideoque Viam & Aditum ad Inferos ijs in locis esse, dici, quod ibi Victimæ noxiarum aquarum teterrimo perimi fœtore soleant: Ille autem Locum hunc juxta Canosam ad flumen Calorem esse censet. Errat uterque. Nam quis sanus *Italiæ* Umbilicum statuet in Apulia? Reclamat mensura. Quinimo nec Valles, nec Montes in Apulia reperiuntur illi, quos commemorat Virgilius. Plura dicam alio loco.

Italiam Eustathius Hederæ; Quercus adsimulant folio Plinius lib. III. cap. V, Solinus in Polyhistore, & Rutilius Claudius Numatianus lib. I, ut proceritate multo sit amplior, quam Latitudine; in lævum se flectens cacumine, & Amozonicæ figura desinens Parmæ. Recentiores convenientissime Humano Cruri comparant; cujus Tibia vel Anticnemion Mari objacet Infero; Sura, Supero; Pes universum Ionio abluitur Pelago; Calcaneus Epirum spectat; Vola vel Concavitas Sinum facit Tarentinum; Carnosiores Partes Promontoria statuunt Zephyrium, Carcynum, & Bruttium; Digiti in Siciliam sunt conversi; Genu in Promontorio est Populonio; Coxendix & Femoris Superiora late contingunt Alpes. Figura.

Cap. III.

Italiæ Situs Cælestis.

De Quantitate dixi: succedit explicanda Qualitas, cujus caussa potior solet esse Situs Cœlestis. Plinius *Italiam* per Maria incedere, Cœli regione, si quis id diligenter exigat, inter Horam Sextam Primamque Brumalem, scribit. Nos illud Meridiem & Exortum Solis Hibernum dicere solemus. Hora enim Sexta Antiquis Meridies fuit. Ptolemæus inter Septimum & Quartum Clima, gradu Longitudinis XV, Latitudinis plus VII collocat. Si quis hodie diligentissimam ineat Situs Cœlestis rationem: secundum Longitudinem quidem Occidentalissimum XLIII: secundam Latitudinem complecti Gradus octo; Australissimum enim Parallelum distare ab Aequatore Grad. XXXVIII, & Borealissimum XLVI; sicque occupa- Situs Italiæ cœlestis. Longitudo. Latitudo.

Horarum Varietas.

occupare discet *Italiam* Quintum & Sextum Climata, omnesque Parallelos, qui sunt inter XI & XVI, in quo Terræ tractu contingit Varietas Diei Artificialis unius Horæ. Major enim Dies Aestatis in Parallelo Australi Horarum est XIIII, cum tribus quintis; in Boreali vero Horarum XV cum Quintis totidem.

CAP. IIII.

De Qualitate, quæ pendet plurimum ex Situ Cœlesti, paretque in Commodis, quæ inde proveniunt.

Qualitas in genere.

COELESTI Situ sic se habente, accedentibus etiam Apenninis Montibus, qui per mediam *Italiæ* porrecti Longitudinem, ab utroque Latere, præcipue, quo meridianos excipit Calores, Campos, Collesque relinquunt frugiferos: non magnopere mirandum est, tam moderatam omnium anni Partium in *Italia* esse Tempestatem, tantamque rerum omnium fertilitatem: quæ tamen alijs, quam alijs, locis major. Vere Strabo lib. VI, præcipuas *Italiæ* Qualitates enumerans: *τρίτον δέ, τὸ πολλαῖς ὑποπεπτωκέναι διαφοραῖς ἀέρων τε καὶ κράσεων, παρ' ἃς καὶ ζῷα, καὶ φυτά, καὶ πάνθ' ἁπλῶς τὰ πρὸς τὸν βίον χρήσιμα πλείστην ἐξαλλαγὴν ἔχει, πρός τε τὸ βέλτιον καὶ τὸ χεῖρον.* Huc pertinet locus Plinij lib. XVII. cap. V: *Idem* (inquit, de Catone) *Agrum optimum judicat ad radicem montium, Planicie in Meridiem excurrente: qui est totius Italiæ Situs:* nimirum (ut illustrando Catoni nonnihil addam) ad Apennini latus: qua, si Longitudo ejus (ut idem Cato non obscure innuit) ab Occidente in Orientem vergit, Auster est, vel, si ab Septemtrione in Meridiem (*ἐπὶ μεσημβρίαν ἀπὸ τῶν Ἄρκτων*, inquit Strabo) se extendit, qua Favonius; vel denique, si mediam ingrediundum viam ab Cauro in Vulturnum, qua Africus. Ad alterum Apennini Latus, Planicie in contrarias plagas excurrente, *Italiæ* Agri minus sunt fœcundi ob Frigorum Ventorumque Borealium impetum & violentiam. De Priore Latere exaudiendus præcipue Virgilius, quum inquit:

Hic Ver adsiduum, atque alienis mensibus Aestas,
Bis gravidæ Pecudes, bis Pomis utilis Arbos.

In specie, quod ad Incolas.

Specialiora videamus. Incolarum *Italia* fuit semper, hodieque est ditissima. *Sola,* inquit Plinius lib. III natur. hist. *sine externis ullis auxilys, atque etiam tunc* (annum designat, quo nunciato Gallico tumultu, Coss. Romæ erant L. Aimilius Papus & C. Attilius Regulus, qui ab V. CIↃXXIX) *sine Transpadanis, Equitum LXXX millia, Peditum IↃCC M. armavit.* Quis *Italus* sit genius, quæque indoles, postea peculiari capite dicam. Quosdam autem *Italiæ* incolas CXXVI annos vitæ contingere, tradit idem Plinius lib. VII. cap. XLIX.

Animalia.

Ne recensendis variorum generum *Animalibus* tempus teram, magnam *Boum* (qui vetere lingua Græca Ἰταλοὶ dicebantur) copiam in *Italia* fuisse, *Bucetaque* in ea Terra gigni pascique solita compluria, docent apud Agellium lib. XI. Noct. Atticar. cap. I. Timæus in Historijs, quas oratione Græca de Rebus Populi Rom. composuit, & M. Terentius Varro in Antiquit. Rer. Humanar. *Lucana Armenta* maxima & validissima olim ibidem fuisse, testatur Lucillius:

Quem neque Lucanus oriundi montibu' Tauri
Ducere protelo validis cervicibus possent.

Nutrit *Italia*, præter alias Aves, *Aquilas Vulturesque*, carnivoras & rapaces Volucres, Historijs Romanorum Veterum etiam nobilitatas.

Ager & quæ ex eo.

Ager, valde est temperatus, benignus, lætus, copiosus, ad Segetes aliaque omnia proferenda supra modum adcommodus, magnique suis Cultoribus quæstus, sumtus autem exigui. *Rosellanus Ager* in Umbria juxta Lacum Velinum tantæ fertilitatis fuisse scribitur, ut auctore Varrone, Cæsar Vopiscus, quum Caussam apud Censores ageret, *Campos Roseæ* dixerit *Italiæ Sumen* esse, in quibus Perticas pridie relictas Gramen, una nocte, operiret. Videndi Plinius lib. XVII natur. Hist. & Servius ad VII Aeneidos addit: *Quinetiam quantum per diem demtum esset, tantum per noctem crescebat, quod Virgilius ad suam provinciam transtulit dicens:*

Et

Et quantum longis carpent Armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet,

Fimi usum, scribit eodem libro Plinius, ab Hercule divulgatum in *Italia*, *quæ*, addens, *Regi suo Sterculio, Fauni Filio, ob hoc inventum immortalitatem tribuit.* *Ad Victum optima fert*, inquit Varro Italiæ dotes persequens; *Ager Campanus, Frumentum; Falernus, Vinum; Cassinas, Oleum; Tusculanus, Ficum; Mel, Tarentinus; Piscem, Tiberis.* Plinius, quum dixisset *Tritici* genera esse plura, *Italico*, adscribit, *nullum equidem comparaverim candore ac pondere, quo maxime discernitur; Montanis modo comparetur Italiæ Agris externum, in quo principatum tenuit Bœotia, deinde Sicilia, mox Africa.* Addit idem paullo post, annis fere CXLV Sophoclem Poetam in fabula Triptolemo *Italicum* ante cuncta laudasse, ad verbum translata sententia:

Et fortunatam Italiam Frumento canere candido.

Quæ laus, inquit, *peculiaris hodieque Italico est. Quo magis admiror Posteros Græcorum nullam mentionem huius fecisse frumenti.* Sed istam Italiæ benignitatem exhausit sensim Avaritia, adeo ut tandem vera exstiterit opinio eorum, *qui iam Italiam Terram existimavere lassam*, ut inquit nominatus sæpe Plinius, qui ex quorumdam confessione, *Latifundia*, exclamat, *perdidere Italiam, iam vero & Provincias*, &c.

Italiam porro peculiarem omnium Arborum Parentem videri posse, testatur idem Plinius libri XIV Proœmio. Vulgatas non commemorabo. Earum, quæ vulgo *Aurantia*, *Citria* vel *Medica*, *Cydonia*, aliæque id genus, incredibilis hic copia. Tota ora, ut ea nobis sit exemplo, quæ in Liguria ab D. Remi, atque etiam ulterius, ad Genuam pertinet, tot tamque nobilibus Arboribus, itemque Palmis summæ proceritatis, unde fructus admodum generosi odoriferique percipiuntur, ornata est, ut cum adspectu, tum odoratu sit periucunda; Hortis passim occurrentibus, ad recreandas tristes afflictasque hominum mentes, amœnissimis. Idem de mille aliis dici potest locis. Vivere in Italia *Piperis* arborem, docet laudatus paullo ante Plinius lib. XVI cap. XXXII, steriles autem ibi *Palmas* esse, lib. XIII, cap. IV. *Oleam* omnino non fuisse in Italia, Hispania atque Africa, L. Tarquinio Prisco regnante, scribit Fenestella apud eumdem Plinium lib. XV. cap. I: qui eodem libro cap. II. *Olea* laudat *Venafranum* & *Licinianum*. Præstitisse autem ceteris *Venafranum*, declarat etiam Martialis hoc Distichon: Arbores

Hoc tibi Campani sudavit Bacca Venafri
Unguentum quoties sumis, & istud olet.

Videndus & Horatius lib. II. Carm. Od. VI. lib. II Sat. IV. & VIII. *Oleis* hodie maxime scatet Terra Hydruntina, in qua tanta copia, ut cui *Olearum* his in locis ingentia nemora non sunt visa, incredibile plane videri possit. Ager Barianus in Apulia Peucetia *Oleum*, *Vinum*, *Frumentum*, *Amygdalam*, *Gossypium* aliosque fructus ubertate quadam & abundantia fundit incredibili. Unus Vallis Oneliæ Ager in Liguria tanto gaudet *Olei* proventu, ut quandoque duodeviginti, nonnumquam vicena millia reddat Urnarum, quas Incolæ *Barilas* vocant. Nec *Manna* negavit *Italiæ* Natura. Prope Altomontium in Brutiis *Manna* colligitur, noctu rorans: præcipue quum Imbres diurnos liquidum purumque cœlum noctis excipit. Legitur ex frondibus & Arborum quarumdam truncis. Eodem beata Munere Magna Græcia, quo loco Thuriorum nobis visuntur vestigia. Loca petis plura Lector? Servare se aiunt in Campania Amalphitani ossa D. Andreæ, ex iis peculiarem liquorem (Incolæ *Manna* vocant) exsudare adserentes, eumque voti caussa peregrinantibus elargientes. Commemorantur similia ab Apulis Peucetiis de Mauri Episcopi, Sergii & Pantaleonis Equitum atque Martyrum reliquiis, apud Vigilias; de Nicolai Mireani Antistitis, ab Opidi Bariani Civibus; de Hippolyti denique Martyris Ossibus ab Tripaltinis apud Samnites.

Vitium principatum in tantum proprium esse & peculiarem *Italiæ* notat idem Plinius Proœmio, quod dixi, lib. XIV. *ut vel hoc uno omnia gentium vicisse, quamquam odorifera, possit videri bona; quamquam ubique pubescentium odori nulla suavitas præfertur.* Testantur generosissima, quæ passim nascuntur, *Vina*, ab Antiquis Scriptoribus decantata. De iis universim Athenæus lib. I. δειπνοσοφ. Octoginta fere in toto orbe genera *Vini* nobilia, exque eo numero duas partes Italiæ esse memoriæ prodit Plinius lib. XIV. cap. XI. Idem ejusdem libri cap. VI. pleraque *Italiæ Vina* ad quatuor refert classes. Omnibus aliis præfert, ex alieno iudicio, *Setinum*, ab *Setia* Latii opido dictum. Vites. & Vina. qualia. Primæ quidem Classis, Setinum,

Divus Augustus Setinum, inquit, *prætulit cunctis, & fere sequuti principes*, &c. Commendat etiam cum Strabone, (vide infra, ubi de *Signino*) *Setina Vina* Martialis:

Pendula Pomtinos quæ spectat Sessa Campos,
Exigua vetulos misit ab Vrbe Cados.

& antea Cæcubum. *Nascitur supra Forum Appij*, Plinio; qui addit: *Antea Cæcubo erat generositas celeberrima in palustribus Populetis, Sinu Amyclano, quod iam intercidit & incuria Coloni Locique angustia, magis tamen Fossa Neronis* &c. De *Cæcubo* Athenæus lib. I. Εὔτονος δὲ καὶ ὁ Καίκυβος, πληκτικός, εὔτονος. παλαιοῦται δὲ μετ' ἱκανὰ ἔτη: sensum pungit ac ferit, vehemens est, vetustatem colligit post aliquam multos annos. Martialis:

Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis;
Vitis & in media nata palude viret.

Meminit & Horatius lib. I. Carm. Od. XXXVII, ubi monet ob Victoriam Actiacam Genio indulgendum esse: *Vvam* quoque *Cæcubam* nominans lib. I. Ode XX:

Cæcubam, & prælo domitam Caleno
Tu bibes Vvam: mea nec Falernæ
Temperant Vites, neque Formiani
Pocula colles.

Secunda Falernum. Tribuit secundum locum Plinius *Falerno*: *Secunda Nobilitas Falerno Agro erat, & ex eo maxime Faustiano cura culturaque id collegerat. Exolescit hoc quoque copiæ potius, quam bonitati studentium.* Et paullo post: *Nec ulli in Vino maior auctoritas; solo Vinorum flamma accenditur. Tria eius genera Austerum, Dulce, Tenue. Quidam ita distinguunt, Summis Collibus Gauranum gigni; medijs, Faustianum; imis, Falernum.* Athenæus *Vini Falerni* duas facit species: εἴδη δύο, inquiens, τοῦ Φαλερίνου, ὁ αὐστηρὸς, καὶ ὁ γλυκάζων. Quod illis *Austerum*, Horatio *Severum* est lib. I. Carminum Ode XXVII & *Forte* lib. II. Satyr. IV. Qualitatem hanc indebat fortean Vetustas, quam optime ferebat. *Vetulum* dicitur Catullo Carmine XXVII, Macrobio in Saturnalib. & alijs. Temperabatur autem vel *alio Vino*, vel *Melle*. *Falerni* Austeritatem *Vino Chio*, quod lenius erat ac mitius, obtundi solitam innuit Horatius lib. I. Satyr. X:

—— at Sermo Lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commista Falerni est.

Eandem Austeritatem Veteres *Melle* lenire ac mitigare solitos, indicat idem Horatius lib. II. Sat. IV:

Aufidius Forti miscebat Mella Falerno.

Et eodem libro Sat. II:

—— nisi Hymettia Mella Falerno
Ne biberis diluta. ——

Respicit eo Virgilius lib. IV. Georgic.

Dulcia Mella premes, nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, & durum Bacchi domitura saporem.

Vbi *durus Bacchi Sapor, Vinum Falernum*; quod Plinio & Athenæo *Austerum*. *Dulce*, quod iidem vocant, fieri solitum notat Athenæus, ὅταν ὑπὸ τὸν τρυγητὸν Νότοι πνεύσωσι. *Intima* porro *Nota Falerni* apud Horat. lib. II. Od. III, *Vinum* signat *Falernum*, optimæ notæ, in intima Cella Vinaria, ut volut Interpretes, recondi solitum. Liberalitatem in *Falerno* distribuendo Iulij Cæsaris celebrat Plinius lib. XIV. cap. XV. apud quem & Tertia. Albanum. alijs locis *Falerni* est mentio, ut etiam apud Strabonem lib. V, & alios. Ad Tertiam veniunt apud Plinium palmam *Vina Albana, Surrentina, Massica, Statana, Calena, Fundana, Veliternina, Privernatia, Signina, Albana*, inquit, *Vrbi vicina, ac rara in austero.* Athenæus lib. I, Γίνεται δὲ περὶ τὴν Καμπανίας Κύμην ὁ καλούμενος Ἀλβανὸς, πότιμος, κοῦφος ἀπὸ ἐτῶν πέντε De *Albano* Horatius lib. II. Sat. VIII:

Hic Herus, Albanum Mæcenas, sive Falernum
Te magis adpositis delectat.

Albanum Vinum, si austerius, vetustate in dulcedinem; sin dulcius, in austeritatem transire, subindicat Plinius lib. XIV, cap. II: qui descriptis *Albanis* hæc subiicit: Surrentinum. *Item Surrentina in Vineis tantum nascentia, convalescentibus maxime probata, propter tenuitatem salubritatemque Tiberius Cæsar dicebat consensisse Medicos, ut nobilitatem Surrentino darent, alioquin esse generosum Acetum: C. Cæsar, qui successit illi, nobilem Vappam.* Fuisse certe admodum laudata *Surrentina* declarat Martialis lib. XIV.

Surrenti-

Surrentina bibis? nec Murrhina picta, nec aurum
Sume, dabunt Calices hac tibi Vina suos.

Eadem Vina memorat Strabo, ætate sua Romam deportari solita scribens *Falerna*, *Setina*, *Calenaque*. & cum ijs certantia *Surrentina*; quod experientia vetustatem illa ferre comperta fuissent. Idem confirmat Higinus. Meminit Horatius lib. II. Sat. IIII. *Calicum*, quos canit Martialis, nobilitate Surrentum celebratum auctor etiam est Plinius lib. XXXV. De ijsdem Martialis, quem dixi:

Accipe non vili Calices de pulvere natos,
Sed Surrentina leve toreuma rota.

Pergit Plinius: *Certant Massica aque ex Monte Gaurano, Puteolos Baiasque prospectantia.* Virg. lib. II Georgic.

Sed gravida fruges & Bacchi Massicus humor
Implevere.

Lib. VII Æneidos.

——vertunt felicia Baccho
Massica.——

quem locum exponens Servius, *Massicum Campania Montem* ait *esse*, *Vini generosi feracem*. Silius lib. VII. de Bello Pœn.

Vuiferis late florebat Massicus Arvis,
Miratus Nemora & florentes Sole Racemos.

Et paullo post:

Massicus Vuiferis addebat nomina glebis.

Item Horatius lib. I. Carm. Oda I:

Est qui nec Veteris pocula Massici, &c.

Idem, Indolem *Massicorum* nonnullam indicans, lib. II. Sat. IV:

Massica si cœlo supponas Vina sereno,
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura.

Massicum Athenæus austerum quidem esse notat sed Stomacho utile: ætate maturescebat, austeritatemque minuebat. De *Statanis*, quæ sequuntur, sic loquitur Plinius: *Falerno contermina Statana ad principatus venere non dubie, palamque fecere, sua quibusque terris tempora esse, sicut rerum proventus occasusque.* *Statanum Vinum* celebrat etiam Strabo lib. IX. Dictum videtur ab *Statinis Paludibus* Campaniæ, quarum meminit Statius lib. III. Silvarum. Vide infra cap. XII. Prosequitur sua Vina Plinius: *Juncta his præponi solebant Calena* (sic dicta ab *Calibus*: De *Caleno* Athenæus; ὁ καληνὸς τοῦ φαλέρνου ἀνταγωνιστής: meminit Horatius cum alibi, tum lib. I. Od XX, & XXXI) *& quæ in Vineis Arbustisque nascuntur Fundana* (Strabo quoque *Vinum Fundanum* & *Cæcubum* valde commendat: laudat & his versibus Martialis:

Statanum. *Calenum,* *Fundanum.*

Hæc Fundana tulit fœlix Autumnus Opimi:
Expressit Mulsum Consul, & ipse bibit.)

Ex alia vicinia Vrbis Veliternina, Privernatiaque, Nam quod Signiæ nascitur austeritate nimis continenda utile alvo, inter medicamina numeratur. Sic Strabo lib. V: Σητεᾶνι καὶ Σιγνῖα φέρουσιν: ἡ μὲν τῶν πολυτελῶν ἕνα; ἡ δὲ τὴν σταλτικώτατον κοιλίας, τὸν Σίγνιον λεγόμενον. Legendum Σίγνινον. Sic appellat Priscianus; sic Martialis:

Veliterninum, *Privernatium,* *Signinum,*

Potabis liquidum Signina morantia Ventrem:
Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.

Hinc *Signia spumans inimico Musto* legitur apud Silium lib. VIII. Belli Pœnici. Quartum obtinent, Plinio teste, curriculum, beneficio D. Iulij, qui primus auctoritatem ijs tribuit, ut in ejus epistolis apparet, ad Superum Mare *Prætutia*, *atque Ancone nascentia, & quæ à Palma una forte enata Palmesia appellantur.* *Prætutia* à *Prætutianis*, Samnitium populis, nominata. Haud procul *Ancone Sirolum* est opidum, Vino nobile; quod hic *Anconitani* nomine celebrat Plinius. De *Palmesio* non habeo quod dicam, nisi quod suspecta mihi sit scriptura, in *Vna* voce fortean *Vva* latente. De reliquis ita Plinius: *In Mediterraneo vero; Cesenatia ac Mecenatiana. In Veronensi item Rhetica, Falernis tantum posthabita ab Virgilio. Vinum Rheticum* Theodoricum Ostrogothorum Regem tertium Athesi & Hadriatico Mari, ac deinde iumentis Romam usque sibi adferri curavisse, refert Blondus. Id Cassiodorus *Acinaticum* nominans hoc modo describit, *Colore esse rubens, Saporis regij ac optimi; cuius dulcedo mirifice cum quadam suavitate placeat:* quam is

Quarta denique, *Prætutium,* *Anconitanum,* *Palmesium.* *Cesenas,* *Mæcenas,* *Rheticum,* quod &c. *Acinaticum,*

quamvis autem ad tactum densius crassiusque videatur instar carnis iecoris vel marderda gottonis, tamen esse iucundissimum. Audiamus enarrantem cetera Plinium: *Mox ab intimo sinu Maris Hadriana* (Hadrianum) nominat & Ἀδριανὸν οἶνον Athenæus, quod, cum *Albano Falernoque*, facundum monet [illegible], ponendumque [illegible].) *Ab infero autem Latiniensia, Graviscana, Statoniensia* (ab *Gravisçis* & *Statonia* Etruriæ opidis; de quibus suo loco) *Etruriæ Palmam Luna habet, Liguriæ Genua.* (Latiniense. Graviscanum. Statoniense. Lunense. Genuense. Ligusticum.) Ligurum opida, quę vulgo *Mons Ruber, Vulnetia, Manariola, Rivulusque Maior*, Gallis hodie Anglisque sunt celeberrima, propter nobilitatem *Vini*, quod hinc eas in partes exportatur, Blondo teste. Admirationem profecto habet ingentem, ut notat Leander, qui in tam excelsis præruptisque montium iugis, ad quæ vix ipsæ volucres accedere posse videantur, quæque tam perpetuas habent cautes, nulla ut terræ mica propemodum appareat, tanta queat esse copia Vitium, ut quum æstate vestiuntur pampinis, Murum hederaceo tegmine obductum referant. Hinc tamen suavissima Vina, hinc nobilis ille succus percipitur. Addit Leander: *De Plinio mirari satis nequeo, celebrata illi hæc Vina non esse, nisi forte cum Lunensibus, quæ laudavit quoque Ligurum gignuntur finitimo, æstimat.* (Tabianum.) Est etiam in Liguria *Tabia* Castellum, Vinis Apianis inclutum, ambitu quidem exiguum, sed nomine celeberrimum ob generositatem succi, nec Malvatico Cretæ, nec Cyprio, nec ulli cum Italico, tum exotico Vino suavitate cedentis. Quæ superant, sic recenset Plinius. *Verum & ab Ausonio mari, non carent gloria, Tarentina & Servitiana, & Consentiæ genita, & Tempsæ, ac Babiæ, Lucanaque antecedentibus Thurinis. Omnium vero eorum maxime illustrata Messalæ potu & salute Lagarina, non procul Grumento nascentia.* (Tarentinum. [illegible] Consentinum. Tempsanum. Babianum. Lucanum. Thurinum. Lagarinum.) His omnibus sua ab opidis vicinis, de quibus suo loco, erant nomina. *Servitiana* autem scripta censeo apud Plinium pro *Serniti ana*, vel saltem apud Antoninum in Itinere, quod Mediolano per Picenum & Campaniam ducit ad Columnam, id est Traiectum Siciliæ, *Servitium* positum arbitror pro *Sernitio*, quod opidum Samnitium est, inter Aufidenam & Bovianum: quidam tamen pro *Sernitio* ibi restituunt ex fidelissimis Antonini Exemplaribus *Æserniam*. Quod *Vinum Babiæ* natum laudet Plinius; pro *Babia* legunt alij *Balbiam*: quidam *Barbiam*. Certe *Baritinum Vinum* habet etiam Athenæus. *Campania*, ait item Vinis moliens Plinius, *nuper excitavit novis Nominibus auctoritatem, sive cura, sive casu, ad quartum ab Neapoli lapidem Trebellicis* (laudantur & ab Athenæo lib. I.) *iuxta Capuam Caulinis, & in suo agro Trebulanis* (*Trebulam* vel *Tribulam* habent Ptolemæus & Plinius in Campania, pari, ut quidam putant, inter Capuam & Suessulam intervallo) *alioqui semper inter plebeia & Trifolinis* (ab *Trifolino* Monte, quem Neapoli vicinum memorat Galenus. Meminit *Vitium Trifolini Agri* Iuvenalis Satyr. III:

Te Trifolinus Ager fœcundis Vitibus implet)

(Nova Vinorum Nomina, Trebellicum, Caulinum, Trebulanum, Trifolinum.)

gloriata. Nam Pompeianis summum X annorum incrementum est, nihil Senecta conferente. Dolore etiam capitum in sextam horam diei sequentis infesta deprehenduntur. (Pompeianum.) Vt concludam varia *Vinorum* Nomina, hactenus à Plinio commemorata, circa annum ab V.C. ⅠↃ CXXX, nondum, ut ipse docet lib. XIIII. cap. XIIII, in claritate erant. Itaque omnia tunc genita unum habebant Consulis *L. Opimij* nomen. (Vina Opimiana.) De ijs sic idem Plinius lib. XIIII. cap. II: *Anno fuit omnium generum bonitas, L. Opimio Consule, quum C. Gracchus Tribunus, plebem seditionibus agitans, interemtus, ea Cœli Temperies fulsit, quam Cocturam vocant, Solis opere, Natali Vrbis ⅠↃ CXXXIIII. Durantque adhuc Vina ducentis fere annis, iam in speciem redacta Mellis asperi.* Sed de his alij: ego ad reliquas *Italiæ* Dotes pergo; strictim eas indicaturus.

(Beata suis Herbis Italia.) *Herbarum* omnis generis est fertilissima. Non gignere autem Μυροβάλανον, Κόστον, Ἄμωμον, Κιννάμωμον, Κόμαρον, Καρδάμωμον, & alia multa, prodit memoriæ Plinius lib. XIII. cap. II. Sed magna hic facta est mutatio.

(& Metallis.) Quid vero de *Metallis*, *Lapidibus*, alijsque Muneribus dicam? *Metallorum omnium fertilitate*, ait Plinius lib. III. nat. histor. cap. XX. *nullis cedit Terris*; quod lib. XXXII. cap. IV repetens, *Italiæ*, inquit *parcitum est* (ab inquietandis ad exturbanda Metalla eius Visceribus) *Veteri Edicto Patrum: alioqui nulla fœcundior Metallorum quoque erat Tellus.* (Argentum-Vivum. [illegible] Auripigmentum.) In Foro Iulio Hydra fluvius est, & haud procul inde *Argenti-Vivi Fodina*. In Agro Volaterrano nonnullis locis *Terra* est *lutea*, similis *Auripigmento*, fœtidissima: quamobrem Incolæ Regionis, quam possunt studiose iter hac vitant: odorem enim tam gravem exhalat, ut supervolantes Aves mortuæ statim concidant. Magna

Aluminis

Aluminis copia ante aliquot annos reperta est apud Etruscos in Territorio Massæ. *Alumen.* In Campania Felice Cuniculi sunt, ex quibus ecfoditur *Sulphur*; ibidem etiam Con- *Sulphur,* vallis est, ubi *Alumen* coquitur. In Agro quoque Volaterrano Marantioque Loca putida monstrantur, quorum gravcolentiam & foetorem, Sulphuris Nigri Metallum, quod hic invenitur, & haud procul paratis ad id officinis excoquitur, exhalare censendum est. Ab Volaterris amnem Cæcinam versus, millia tria, Colles aliquot visuntur, ubi Officinæ *Salariæ*. Apud Brutios mille passibus ab Altomontio *Salis fodinæ* sunt, in *Sal,* intima montis viscera excavatæ, longitudine quædam IↃ, quædam CIↃ passuum, aut amplius, unde *Salem* ecfodiunt. Circa Tibur *Latomiæ* occurrunt, ubi *Lapis Tiburtinus* cæditur, Plinio nominatus. In Agro Vicentino, haud procul Pago, qui vernacule *Costoza*, Loca sunt, in longis profundisque Specubus; ex quibus *Lapis* cæditur, non ab- *Lapides,* similis *Tiburtino*, quo antiqua Patavinorum & Vicentinorum Aedificia spectantur confecta. *Gabinus Albanusque* Lapis impervius est igni, ut docet Tacitus lib. XV. Annal. Sic Isidorus lib. XVI: *Savinus* (leg. *Gabinus*) *Lapis fusilis addito Oleo etiam lucere fertur. Est & quidam viridis Lapis, vehementer igni resistens.* Gabiorum Λατομίας meminit etiam Strabo: Γάβιοι μὲν, inquit, ἐν τῇ Πραινεστίνῃ ὁδῷ κείμενοι λατόμιον ἔχουσι, ὑπουργὸν τῇ Ῥώμῃ μάλιστα τῶν ἄλλων: indicat *Latomias Gabinas* non alias Romanis fuisse utibiliores. In Breonia Istriæ, *Lapis* cæditur, qui ab Venetis alijsque Conregionalibus ad Ædificia magnifica expeti solitus. Sunt & Lapidicinæ in Istria, Ædificijs Venetorum cum publicis tum privatis struendis ornandisque non inutiles. In Pedemontana Regione prope Fontes Padi nobilia *Marmora* ex imis Terræ penetralibus eruuntur: Sunt item *Marmorum* Fodinæ in Valdanio Lombardiæ Vico. In Roviensi Istriæ Agro *Marmor* exciditur, quod *Istricum* vocatum; maximi per totam Italiam precij. *Marmora.* Apud Tuscos in Agris Montibusque Lunæ vicinis candidi ac varij *Marmoris* lucidi esse Latomias, perhibet Strabo lib VI ex quibus unico solidoque Lapide Tabulæ integræ, Columnæque cædi solebant immensæ: sumta addit & hinc olim ea *Marmora*, quæ ad Opera nobilissima cum Romæ, tum alijs in partibus expetebantur; tam ob insignem lævorem, quam propter summam exportandi hinc facilitatem; quippe quia vicinæ Littori ipsæ Lapicidinæ opportunitatem maximam haberent Lapidum ad Naves deferendorum; quos ab Mari subvehendos excipiebat Tiberis. Columnæ hic etiamnum peringentes aliaque rudia *Marmorum* frustra cernuntur: quæ florentibus rei Romanæ temporibus excisa, dein autem, ea labente, derelicta nemo exportavit vel expolivit. Importantur nunc quidem adhuc ex his locis *Marmora* Pisas, Genuam, Florentiam, Romam, Bononiam & in Vlteriorem Galliam: sed hauquaquam, teste Leandro, ejus Magnitudinis eaque copia, ut olim solebant Romam, vigente illius Vrbis imperio. Meminit horum *Marmorum* Plinius lib. XXX. cap. X, in Liguria *Lapidum Album* facile serra secari scribens, quem prius, lib. XXX, cap. V. *Lunense Marmor* dixerat. Mentionem facit & horum *Marmorum* Iuvenalis, quum inquit:

Procubuit veluti, qui Saxa Ligustica portat.

Sic Facius Vbertus Cantico VI, lib. III.

E vedemmo Carrara, oue la gente
Troua il candido Marmo in tanta copia,
Che assai n'haurebbe tutto l'Oriente.

Lescalia porro, Volaterranensis Agri Vicus, *Alabastritæ* copia abundat. *Alabastrites.* Eius duo hic genera, durum ac molle: prius è Terra cæditur, dictum *Vitrinum*; aliud supra Terram invenitur, & excoctum igne *Gypsum* fit. Ex primo nobilia fabricantur Opera; veluti illa, quę maximus quidam Artifex Neapolitanus olim Organa fecit, Leoni X P. M. muneri destinata: quo fatis intercepto priusquam absolverentur, Friderico Gonzagæ, Primo Mantuæ Duci, donata fuere. Opus profecto, quod inter rara mirabiliaque nunc quæ uspiam sint, censeri debeat. Ex *Alabastrite* Fistulæ Modulique toti. Apud Graviscas *Corallium* in mari nascitur, retibus reduci solitum. *Corallium.* In Brutijs prope Altomontium Montes sunt editissimi, numquam fere nivibus carentes, ubi *Crystallus*, magna copia, reperitur: etenim quum ea Iuga intentissimis frigoribus *Crystallus.* perpetuo rigeant, Aquæ vi Solis de Nive stillantes, quum sunt congelatæ, postea diuturnitate temporis in saxa durantur. Terria ab Volaterris lapide Castellum est, ubi mira ecfoditur *Chalcitis* abundantia. *Chalcitis.* Haud procul inde Aquæ Rivulus occurrit; iuxta quem, per Convalles quasdam modicas & depressa loca incedendo, *Porphyre-* *Porphyrites.*

tes,

Ophites, Achates, Chalcedonius, aliique.

tes, ophites, Achates, Chalcedonios, aliosque id genus pretiosos Lapides, varij coloris, est invenire: quos plerumque cursus aquarum eruit. In Tuscia prope Libbianum *Terra Nigra* foditur, magnaque *Chalciti*, unde Sutorium fit Atramentum, copia. In agro Vejentino *Lapidem* inveniri *nobilem* memorat his verbis lib. xxx. cap. x. Plinius: *Vejentana Italica gemma est, in Veiis reperta; nigram materiam distinguente Limite albo.* Ad radices Tynnorum Montium *Coccum* tingendæ Purpuræ reperiri constans est rumor. Eruuntur & in Agro Volaterrano, quæ vulgo *Lazulitum, Vitriolum*, aliaque subterranea.

Coccum, Lazulitum, Vitriolum. Italiæ Laus universim.

Infinita, ne prolixior sim, prætereo. Complectitur pleraque duplici Encomio Plinius, quorum unum lib. III cap. v: *Nec ignoro ingrati ac segnis animi existimari posse, merito, si breviter atque in transcursu ad hunc modum dicatur: Terra omnium Terrarum Alumna eadem & Parens; Numine Deum electa, quæ Cœlum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret Imperia Ritusque molliret; & tot Populorum discordes ferasque Linguas Sermonis commercio contraheret ad Colloquia & Humanitatem Homini daret, breviterque una cunctarum Gentium in toto orbe Patria fieret. Sed quid agam? Tanta Nobilitas omnium Locorum, quos quis attigerit, tanta rerum singularum Populorumque claritas tenet. Urbs Roma vel sola in ea & digna tam festa cervice facies, quo tandem narrari debet opere? Qualiter Campaniæ ora per se, felixque illa ac beata amœnitas? ut palam sit uno in loco gaudentis opus esse Naturæ. Iam vero tota ea vita is ac perennis salubritatis Cœli temperies est, tam fertiles Campi, tam aprici Colles, tam innoxij Saltus, tam opaca Nemora, tam munifica Silvarum genera, tot Montium adflatus, tanta Frugum, & Vitium Olearumque fertilitas, tam nobilia Pecori Vellera, tot opima Tauris colla, tot Lacus, tot Amnium, Fontiumque ubertas, totam eam perfundens, tot Maria, Portus, Gremiumque Terrarum commercio patens undique, & tamquam ad iuvandos Mortales ipsa avide in Maria procurrens. Neque Ingenia Ritusque ac Viros, & Lingua Manuque superatas commemoro Gentes. Ipsi de ea iudicavere Græci genus in gloriam suam effusissimum, quotam Partem ex ea appellando Græciam Magnam, &c.* Alterum, quo finem imponit nobilissimo suo Naturæ operi, lib. XXXVII cap. XIII: *In toto Orbe, & quacunque Cœli convexitas vergit, pulcherrima est omnium, Rebusque merito principatum Naturæ obtinens Italia, Rectrix Parensque Mundi altera, Viris, Feminis, Ducibus, Militibus, Servitiis, Artium præstantia, Ingeniorum claritatibus, iam Situ ac salubritate Cœli atque temperie, Accessu cunctarum Gentium facili, Littoribus Portuosis, benigno Ventorum adflatu. Etenim contingit recurrentis Positio in partem utilissimam, & inter Ortus Occasusque mediam Aquarum copia, Nemorum salubritate, Montium articulis, Ferorum Animalium innocentia, Soli fertilitate, Pabuli ubertate. Quidquid est quo carere Vita non debeat, nusquam est præstantius: Fruges Vinum, Olea, Vellera, Lina, Vestes, Iuvenci. Ne Equos quidem in trigariis præferri ullos vernaculis animadverto. Metallis Auri, Argenti, Æris, Ferri, quamdiu libuit* (malim *licuit.* Nam postea vetitum id Senatusconsulto: vide Plinium lib. XXXII. cap. IV. vel *Libuit*, scilicet Patribus, Senatuique Romano) *exercere, nullis cessit. Et iis nunc in se gravida pro omni Dote varios Succos & Frugum Pomorumque Sapores fundit.* *Italiam* etiam valde commendat Dionys. Halicarnass. lib. I. omnes eam Europæ Regiones sua commoditate superare scribens & fertilitate. Non inelegans *Italiæ* Encomium scripsit Baptista Mantuanus ad Philippum Beroaldum, inter alia hæc canens:

Tradidit Italiæ sua munera quisque Deorum:
Et fuit ad dandas ingeniosus opes.
Iuppiter Imperium docuit, Sceptrumque tenere,
Et premere æquali barbara colla iugo.
Arma dedit Mavors, Galeas, Ensesque coruscos,
Et cava lorato Scuta ferenda sinu;
Addidit & latos Humeros Cervicibus amplis,
Aptaque Thoraci Pectora squamifero;
Per Campos Equitum Turmas, & nautica Bella
Per Fluvios docuit currere, perque Fretum.
Fronte graves Italos Lingua Incessuque modestos
Esse facit lento falcifer igne Deus.
Barbaricam stimulat Rabies in bella cohortem:
Itala Consilium, non Furor, arma movet.
Hic Deus Agrorum Cultus, Artemque serendæ
Vitis, & arboreas insinuavit opes.

Cynthius

Cynthius ad Musas animos inflexit Apollo,
Et Disciplinæ tradidit omne genus.
Alma Venus Populis Urbes implevit & Agros,
Silvestresque Casas, Arboreasque Domos:
Ut sint, qui curent Urbana Negocia Cives:
Qui ferat Arma Manu, qui colat Arva Bove.
Fœdera Mercurius docuit Legesque severas,
Et dare Clamori Litigiisque modum.
Luna Pudicitiam suasit, castumque ruborem;
Ne furat ardescens & sine Lege Venus.
Alma Ceres docuit Fruges, quas semine iactô
Decolor incurvo rusticus ense metit.
Vina dedit Bacchus, & quæ multa alia sequuntur.

Beatissimam certe non immerito *totius Europæ Regionem* appellat Aethicus; *Totius Orbis optimam*, Dionysius Halicarnass. lib. 1; *Gentium Dominam*, Mamertinus Panegyristes; *Dominam Rerum*, P. Rutilius Numatianus: *Cœlestem, Mundique Reginam* vocat Aethicus, quem dixi. Et vero quid hic non gestum olim, quid non pro Gloria cum summa Laude ab generosis Animis patratum? Longum esset & tædiosum omnia commemorare. A quibus non Gentibus expugnandi, occupandi, diripiendi gratia quondam petita? Silentium hic iubere mihi malo, quam pauca pro rei dignitate in medium adferre. Quis non hodie visundæ eius cognoscendæque caussa adit? Docent ferventia passim à Peregrinantibus, qui undique eam versus confluunt, Itinera. Ego sane aliquando ingressus suspicere me cum voluptate memini *Montes* nunc vitiferos, nunc aliarum rerum feraces, nunc miraculis suis admirandos: vernantes *Silvas*: *Sinus* amplos & profundos; fidos placidosque *Portus*, alta lataque *Flumina*; *Lacus* limpidos & vivos; nobiles, largos, inlimes & variarum virium *Fontes*. Sed hæc aliaque talia suis locis. Quid enim dicam de *Incolis*, ipsorumque Moribus, cum publice domi militiæque, tum privatim? *Urbes* hic spectavi egregias, florentes, opulentas; *Opida* clara, famosa, Civibus arcta; *Pagos* magnos, Ædificiisque Nobilium & Prætoriis superbientes, &, præter alia infinita, mœstus ibi vidi & attonitus miserandas Veteres *Urbium Structurarumque* Reliquias, & stupenda totius Antiquitatis Monimenta. De *Italiæ Civitatibus* Versus circumferuntur pulcerrimi:

Fama tra noi Roma pomposa & santa;
Venetia ricchia, saggia, & signorile;
Neapoli odorifera, & gentile:
Fiorenza bella, tutto il Volgo canta;
Grande Milano in Italia si vanta;
Bologna grassa; e Ferrara civile,
Padua forte, & Bergamo sottile:
Genoua di superbia altiera pianta:
Verona degna; & Perugia sanguigna;
Brescia l'armata; e Mantoa gloriosa;
Rimini buona; & Pistoia ferrigna,
Siena de bel podere; Lucca industriosa;
Furli bizarro; & Ravenna benigna,
E Singallia del aria notosa;
E Capua amorosa;
Pisa Frendente; & Pesaro giardino;
Ancona del bel porto pellegrino
Fedelissimo Urbino;
Ascali tondo; & longo Recanate;
Foligno delle strade in Zuccarate;
Et par da cielo mandate
Le belle Donne de Fano se dice;
Ma Siena poi tra l'altre piu felice.

Neque illud hoc loco prætermittendum silentio duxi, quatuor *Italiæ* vulgo celebrari *Opida*, sive *Castella* nobilissima: Apuliæ, *Barulum*; Etruriæ, *Pratum*: Piceni, *Fabrianum*; Langbardiæ, *Cremam*.

CAPUT V.

Italiæ Montes.

IN Adjunctis *Italia* quo modo se habeat, habemus: Partes jamnunc eius videamus, cum simpliciter undeque consideratas, tum Miraculis Virtutibusque suis pollentes. Priores duorum faciam generum, alias Terræ tribuens, ut *Mon-*

Saturnia. Σατορνία igitur, ut inde ordiar, inquit Stephanus in Vrbium Nomenclatore, ἡ Ἰταλία πρότερον ἐκαλεῖτο. Vnde autem? Iustinus ex Trogo, agens de Saturno Rege, *Itaque*, concludit, *Italia Regis nomine Saturnia appellata est.* Notat idem Macrobius lib. I. Saturnal. cap. VII. *Saturnia*, ait Festus lib XVII. *Italia; & Mons, qui nunc est Capitolinus, Saturnius appellabatur; quod in tutela Saturni esse existimatur.* &c Isidorus lib. XIIII Etymol. cap. IV: *Italia olim à Græcis populis occupata Magna Græcia appellata est: deinde ab Regis nomine Saturnia, mox & Latium.* Crediderim ego *Saturnia* appellationem non ad totam pertinuisse Regionem, quæ post *Italia*; sed tantum ad eius partem, quæ & *Latium.* Latinis enim *Latium*, quæ Tuscis vicinis *Saturnia*: illud ab *Latendo*; hæc ab Aramæa voce סתר, quæ *Latere, occultare se & abscondere* notat. Varro lib. IV de L.L. ubi de Tarpeio: *Hunc antea Montem Saturnium appellatum prodiderunt, & ab eo late Saturniam Terram, ut etiam Ennius appellat:* ubi pro *late* reponendum esse *Latium*, olim monui in meo ad Poëtæ Annales Commentario. Anteaquam autem *Saturnia* fuerit hæc Regio dicta, nomen illi

Camesene. fuisse videtur *Camesene*, ab *Camese Indigena, cum quo* (ut apud Macrobium Higinus, Protarchum Trallianum sequutus, tradidit) *Ianus Regionem* (*Latium* mihi) *participata potentia possidebat, ita ut Regio* (ad sinistram Tiberis ripam) *Camesene, opidum Ianiculum* (ad dexteram Tiberis oram) *vocitaretur.* Addit deinde, post ad Ianum solum Regnum fuisse redactum: *qui quum*, inquit, *Saturnum classe pervectum excepisset hospitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni eum societate muneravit.* Innuit mox *Ianiculum* opidum Nomen retinuisse; Regionem autem, deposita priore, appellationem sumsisse *Saturniæ*; duos vero Reges concorditer regnasse, vicinaque opida opera communi condidisse; indeque apud Maronem legi:

Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia Nomen.

Hesperia. *Hesperiam* (Ἑσπερίαν) nominasse *Hesperum*, ab Atlante Fratre in exsilium actum, inque hæc Loca delatum, scribit ad Virgilium Servius. Quidam *Hesperiam* dictam esse notant hanc Regionem ab Græcis, quod Occasui subiecta, ipsisque Occidentalior esset. Scribunt alij *Hesperias* antiquitus fuisse duas: unam, quæ post *Hispania*; alteram, quæ *Italia*: hanc quidem *Magnam* audiisse *Hesperiam*, ab *Hespero* Atlantis Fratre: eum enim nomen vel suum, vel Regionis, unde pulsus fuerat, indidisse: illam autem, addito cognomine, *Vltimam* appellari solitam, ab *Hespero*, occidentali Stella. *De Italia* sane loquitur Virgilius lib. I. Aen.

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.

De *Hispania* Horatius lib. I. Carminum.

Qui nunc Hesperia victor ab Vltima.

Ausonia. *Ausoniam*, inquit Festus lib. I, *appellavit Auson Vlyssis & Calypsus Filius* (de *Ausone* apud alios alia leguntur) *eam primo Partem Italiæ, in qua sunt Vrbes Beneventum & Cales: deinde paullatim tota quoque Italia, quæ Apennino finitur, dicta est Ausonia ab eodem Duce, à quo etiam conditam fuisse Auruncam Vrbem ferunt.* Videndus & Paullus Diaconus lib. II. Histor. Langbard. cap. XXIIII. Ad priorem sententiam accedunt fere Dion Cocceius, Ioannes Tzetza, & Isacius in Lycophronem, qui scribunt Αὐσονίαν solam dici solitam Auruncorum (Αὐρούγκων) Terram, inter Campanos & Volscos, iuxta mare sitam. Ad posteriorem inclinat Stephanus de Vrbibus, Αὔσων, ait, ὁ Ἰταλός: Et paullo post Αὐσονία, ἡ χώρα.

Oenotria. *Oenotria*, Οἰνωτρία, quur dicta fuerit, ingens, & quasi Reip. salus hic laboraret, inter Auctores fuit pugna. Ab *Oenotro* Arcade, Lycaonis Filio, qui primus, transfretato Sinu Ionio, *Italiam* incoluit, ita appellatam scribit Dionysius Halicarnass. Suffragatur Pausanias, *Oenotrum* tradens in Arcadicis, Filiorum Lycaonis natu minimum, ab Nyctimo Fratre Pecuniis Virisque impetratis, in *Italiam* traiecisse, eumque Primum omnium ex Græcia Coloniam navigio deportasse, imo ne Barbarum quidem ullum ante *Oenotrum*, alienam Terram invasisse. Antiochus etiam Syracusanus apud eundem Dionysium lib. I. *Oenotrum*, Lycaonis Filium, Ducem Arcadum, Ionico Sinu transmisso, in Calabriam adpulisse, ibique in ora maritima Colonias posuisse memorat. Varro *Oenotrum*, Latinorum Regem, nomen creasse Regioni existimat. Servius ab *Vino optimo* natam *Oenotriæ* appellationem adnotat, quod οἶνον Græci *Vinum* vocent. *Oenotriam* pro *Italia* habet, Sidonius Apollinaris: inde autem *Oenotria* Virgilio lib. I. Strictiores *Oenotriæ* Terminos indicat Strabo lib. VI, &

ante

ante hunc Aristoteles, uti docent ponenda mox ipsius verba. Sabinorum Terram proprie *Oenotriam* fuisse dictam scribit Servius ad VII Aeneid.

Italia.

Italiæ nomen acceptum ab *Italo*, quem *Oenotriæ* Regem facit Aristoteles. Eius hæc sunt: *φασὶ γὰρ οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, Ἰταλόν τινα γενέσθαι βασιλέα τῆς Οἰνωτρίας, ἀφ' οὗ τό τε ὄνομα μεταβαλόντας Ἰταλοὺς ἀντὶ Οἰνωτρῶν κληθῆναι, καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς Εὐρώπης Ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν, ὅση τετύχηκεν ἐντὸς οὖσα τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλλητικοῦ καὶ τοῦ Λαμητικοῦ. Ἀπέχει γὰρ ταῦτα ἀπ' ἀλλήλων ὁδὸν ἡμισείας ἡμέρας.* Polybius etiam lib. I. & Antiochus Xenophanes apud Dionysium Halic. faciunt Regionis Regem; Arcadum autem Regulum, in has oras profectum, Thucydides lib. VI. Memoriæ prodit idem Halicarnass. *Italum*, Siculorum Regem (vide & Isidorum lib. XIIII cap. IV. & Paullum Diaconum Histor. Langbard. lib. II. cap. XXIII) primum, cum Agriculturæ, tum Legum in his locis Auctorem, Regionem sic ab se vocasse. Regem *Italum* simpliciter agnoscit Festus. Hyginus *Italum* Ducem ex Penelope & Telegono natum hic communi citur. Alij alio abeunt. *Timæus*, inquit Agellius lib. XI Noct. Attic. cap. I. *in Historiis, quas oratione Græca de rebus P. p. Rom. composuit, & M. Varro in Antiquitatibus Rerum humanarum, Terram Italiam de Græco Vocabulo appellatam scripserunt: quoniam Boves Græca vetere lingua Ἰταλοὶ vocitati sunt; quorum in Italia magna copia fuit; Bucetaque in ea Terra gigni pascique solita sint complurima.* Festus lib. IX: *Italia dicta, quod magnos Italos, hoc est Boves habeat. Vituli enim Itali sunt dicti.* Paullus Diaconus lib. I. Langbard. Hist. *Sive ob hoc Italia dicitur, quia magni in ea Boves, hoc est Itali habentur.* Timæus etiam fabulatur appellari ab *Italo Bove*, uno ex armento Geryonis, qui abactus ab Hercule Siculi Freti angustias tranaverat, Tyrrhena Lingua *Italum Taurum* dicente. Sic Hellanicus Lesbius apud eundem Dionysium, quoniam opimos Boves gignat ea Regio, eiusdem Vocabuli occasione nuncupatam censet *Italiam*. *Vitalia* quoque quondam dicta, si fides Hellanico, apud eundem Dionysium Halic. lib. I. Antiq. Rom.

Μάργησσα.

Quod Ἄργησσα etiam primo appellata, aut, ut aliis scribitur, Μάργησσα ab *Morgetum* gente, quos Dionysius Halicarnass. lib. I. Μεργητας vocat ex Antiocho Syracusano, docent Antiquorum Scriptorum Monimenta. Dicitur *Morges* Italo successisse, a quo *Morgetes* dicti, qui prius *Oenotri*. Porro & *Morgetes* & Siculos ex *Italia* in Siciliam traiecisse, etiam ex Thucydide & Diodoro Siculo est notum.

Aliæ Italiæ appellationes, sed Partibus convenientes.

Alij alias veteres *Italiæ* appellationes in medium adferunt, sed quæ non tam Toti, quam Partibus conveniant: quod etiam de Superiorum nonnullis aliquo modo dici potest. *Tyrrhenia*, Τυρρηνία, proprie *Tuscia*, inter Macram & Tiberim fluvios. *Chonia*, Χωνία vel Χώνη, Lucaniæ pars: Βρεττία apud Stephanum Pars tantum, ut & infra videbimus: Antiochus autem, eodem scribente, τὴν Ἰταλίαν φησὶ κληθῆναι Βρεττίαν, εἶτα Οἰνωτρίαν. *Maiorem Græciam*, quam quidam ex Festo antiquis Appellationibus adnominant, certum est fuisse Orientalioris Italiæ partem.

Aliæ item fictæ.

Quod restat *Ianiculam* ab *Iano* fuisse nuncupatam *Italiam*, quum *Ianiculum* tantum fuerit opidum; *Ogygiam* ab *Ogyge*, qui & Ianus: *Saleumbronam*, ab *Sale* & *Vmbrona*; *Apenninam*, id est Taurinam, ab *Api* Deorum Italiæ ultimo; *Palensanam* denique, nescio unde: probent ex suppositiciis Berosi, Catonis, Myrsili Lesbii, Q. Fabij Pictoris fragmentis cum Annio Viterbiensi Monacho alij, quibus plus temporis, quique maiorem consueverunt fidem adhibere Commentis Otiosorum & Nugis.

Italiæ appellatio hodieque manet:

Quidquid sit; venerandum *Italiæ* Nomen, sive ab initio fuerit, & quæ a me indicatæ Appellationes Cognomina tantum, quod facile credo, sint habendæ: sive, posthabitis aliis Nomenclaturis, postea fuerit natum: semper sane mansit; hodieque manet apud omnes fere populos, omnibus propemodum litteris כתים (vide supra part. I. lib. III, cap. IV) vocari Hebræis, tradit in Appendice Biblica Arias Montanus. משך *Mesech*, vel *Mosoch* videntur appellare LXX. Interpretes cap. Isich. LXI. *VVloska* Slavonice dicitur.

Italiæ Incolæ.

Antiquissimos porro *Italiæ* Incolas & Cultores, quique in eam successu temporis vel habitandi, vel prædandi caussa inundarint, recensent Dionysius Halicarnass. lib I. Livius lib. I, Iustinus ex Trogi lib. XX, Solinus in Polyhist. Ioannes Iovianus Pontanus lib. VI Histor. Leander Albertus in Italiæ Prolegomenis, & alij, *Aborigines*, *Auruncos*, *Pelasgos*, *Lycaones*, *Oenotros*, *Morgetes*, *Ausones*, *Arcades*, *Troianos*,

nos, Venetos, Ligures, Ardeates, Rutulos, Siculos, Iapyges, Lacedæmonios, aliosque Græci generis: item *Gallos, Pœnos, Herulos, Gothos, Hunnos, Hungaros, Gepidas, Turingos, Avares Langbardos, Saracenos, Cimbros, Teutones, Francos, Vascones, Helvetios, Germanos, Hispanos*, & quos non? quorum quidam vel sedes ibi suas fixerunt, hodieque habent, præclaris conditis Civitatibus; vel, Populationibus peractis, ad sua sunt reversi. Ptolemæus XLIV enumerat Veteris *Italiæ* Populos; quos non commemorabo, quum de iis plene in sequentibus.

CAP. II.

Italiæ *Quantitas, quæ patet in Finibus, Longitudine, Latitudine, Circuitu, & similibus*: Italiæ *Dorsum, Vmbilicus, Figura*.

TANTUM de Nomine Regionis Nobilissimæ, eiusque Cognominibus: sequitur Res ipsa in eiusdem vel Adiunctis, vel Partibus. Adiuncta sunt Qantitas & Qualitas. Illa consistit in Finibus, Longitudine, Latitudine, & id genus aliis.

Italia Peninsula. *Peninsulam χερρόνησον* faciunt *Italiam* Strabo libro secundo sextoque & Ptolemæus, quam Natura Mari Supero, Infero, Ionio munivit lateribus tribus; quarto antem vallavit Alpibus. Eius Fines. Nam Occasum Caurumque versus adfusæ sunt *Italiæ* Alpes, quæ suis apud Veteres cognominibus distinctæ fuerunt, Maritimæ, Cottiæ, Graiæ, Rheticæque ad Arsiam usque flumen; Septemtrionem respiciens Pœnas habet Iuliasque: succedente mox, qua Aquilo est, Mari Hadriatico ab intimo Recessu usque ad Sinum Ionium, qui ad Orientem Vulturnumque illi obversus: Qua denique longe lateque spectat Austrum, Africum Zephyrumque ab Mari pulsatur Mediterraneo, quod ad eas oras Tyrrhenum audit & Ligusticum: faciente etiam partem Australem Hadriatico, qua Toti connectuntur Partes, Forum Iulij & Histria. Hos *Italiæ* Terminos agnoscunt, unanimique propemodum consensu, si bene verba perpenduntur, statuunt Polybius, Thucydides, Strabo, Dionysius Halicarnass. Ptolemæus, Dionysius Afer, Plinius, Orosius, Pomponius Mela, Solinus, Auctor incertus de Mensura Orbis Terræ, quem mihi trasmisit sua manu descriptum Vir Nobilissimus Marcus Velserus, Reip. Augustanæ II Vir; omnesque, qui accuratiores, Novitij, Natalis Comes lib. Histor XXIV, Leander Albertus initio, & alij.

Longitudo. *Italiæ*, Finibus indicatis inclusæ, Longitudo ab Augusta Prætoria Regium usque est (uti scribunt Strabo lib. V, Plinius lib. III. cap. X. aliisque locis, Solinus in Polyhist. P. Rutilius Claudius Numatianus, Auctorque, quem dixi, de Mensura Orbis Terræ, serram tamen inter se nonnihil reciprocantes) decies centenorum & viginti millium passuum; extendens se, ut Strabo indicat lib. VI, ἐπὶ μεσημβρίαν ἀπὸ τῶν Ἄρκτων, τὸ πλέον: Latitudo, Latitudo varia; Maxima quidem quadringentorum decem millium, inter Varum Arsiamque fluvios; Media, centum triginta senum, circa Vrbem Romam, ab Ostio Aterni amnis usque ad Tiberis in Tyrrhenum Pelagus eruptionem; Minima, non amplius quadraginta millium, inter Portum Magnæ Græciæ, quem Annibalis Castra nominant, & Hipponiatem vel Vibonensem Sinum. Ego, Dimensione curiosius facta, Longitudinem eius ab Augusta Prætoria ad Brutium usque Promontorium vel Leucopetram deprehendi ↀ CCXLV plus minus Milliariorum: Latitudinem, qua, ut paullo ante accipiundam monui, Maxima, CCCCIXXV, qua Media, CXXX: qua denique Minima, LXXII: ubi in duplex exit cornu, multo est minor. Minima illa, quam quidam ponunt inter Sinum Vibonensem, & Scylaceum vel Portum, qui ab Annibalis Castris denominatus, non totius est *Italiæ*, sed alterius ipsius versus Meridionaliora cornu: ubi Aristoteles, cuius ante laudavi verba, ὁδὸν ponit ἡμισείας ἡμέρας. Adfirmant Incolæ & Locorum gnari, *Italiam*, ubi Isthmus inter Sinus Sancteuphemianum, qui olim Hipponiates vel Vibonensis, Aristoteli autem Λαμητικός, & Scyllaceum maximas facit eiusdem Cornu angustias. Intervallum habere Continentis, XV, aut ad summum XX Miliariorum. In editissimo ipsius Isthmi fastigio

fastigio amœnissima sunt Prata, Agrique culti, cum Silva crassissimarum & præcelsarum Ilicum, unde utrumque Mare Tyrrhenum & Hadriaticum conspicitur, tamquam haud magnis sejuncta spatijs.

Circuitus & περιφέρεια *Italiæ* quibusdam apud Leandrum Albertum milliarior. CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CCCC; nonnullis CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CCXL. Castaldus colligit CIↃ CIↃ IↃ L. Qui exactius sunt metiti, signant CIↃ CIↃ CCL: qui exactissime, non multo minus, CIↃ CIↃ CCCLX. Circuitus.

Dorsum *Italiæ* Mons est Apenninus, qui Spinæ instar per mediam sensim incedens eam in duo secat latera; quorum unum Favonio, vel, ut quidam ejus Situm notant, Africo; alterum Euro, vel Aquiloni potius, est obversum. Dorsum.

Vmbilicum M. Terentius Varro statuit in Agro Reatino *Cutiliæ Lacum*, in quo fluctuet Insula, teste Plinio lib. III. Nat. histor. cap. XII. alij *Lacum Velinum*, qui non procul inde, *Italiæ* medium tenere adfirmant. Sive *Cutiliensis*, sive *Velinus Lacus* Regionis hujus Umbilicus sit censendus, Centrum sane sic depingit Virgilius lib. VII. Aeneidos: Vmbilicus.

Est locus Italiæ in medio sub Montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Amsancti Valles: densis hunc frondibus atrum
Vrget utrimque latus Nemoris: medioque fragosus
Dat sonitum saxis & torto vortice Torrens.
Hic Specus horrendum & sævi Spiracula Ditis
Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces, quis condita Erinnys
Invisum Numen terras cælumque levabat.

In quorum Versuum expositione parum fidi Donatus & Servius. Hic enim Cosmographos ait *Italiæ* Medium prope Venosam designare, nimirum in Herpinis ad Apuliæ Campaniæque confinium, ubi sulphureæ fœtidæque, quod Silvis umbrosis circumdentur, sunt Aquæ; ideoque Viam & Aditum ad Inferos ijs in locis esse, dici, quod ibi Victimæ noxiarum aquarum teterrimo perimi fœtore soleant: Ille autem Locum hunc juxta Canosam ad flumen Calorem esse censet. Errat uterque. Nam quis sanus *Italiæ* Umbilicum statuet in Apulia? Reclamat mensura. Quinimo nec Valles, nec Montes in Apulia reperiuntur illi, quos commemorat Virgilius. Plura dicam alio loco.

Italiam Eustathius Hederæ; Quercus adsimulant folio Plinius lib. III. cap. V, Solinus in Polyhistore, & Rutilius Claudius Numatianus lib. I, ut proceritate multo sit amplior, quam Latitudine; in lævum se flectens cacumine, & Amozonicæ figura desinens Parmæ. Recentiores convenientissime Humano Cruri comporant; cujus Tibia vel Anticnemion Mari objacet Infero; Sura, Supero; Pes universum Ionio abluitur Pelago; Calcaneus Epirum spectat; Vola vel Concavitas Sinum facit Tarentinum: Carnosiores Partes Promontoria statuunt Zephyrium, Carcynum, & Bruttium; Digiti in Siciliam sunt conversi: Genu in Promontorio est Populonio; Coxendix & Femoris Superiora late contingunt Alpes. Figura.

Cap. III.

Italiæ Situs Cælestis.

De Quantitate dixi: succedit explicanda Qualitas, cujus caussa potior solet esse Situs Cœlestis. Plinius *Italiam* per Maria incedere, Cœli regione, si quis id diligenter exigat, inter Horam Sextam Primamque Brumalem, scribit. Nos illud Meridiem & Exortum Solis Hibernum dicere solemus. Hora enim Sexta Antiquis Meridies fuit. Ptolemæus inter Septimum & Quartum Clima, gradu Longitudinis XV, Latitudinis plus VII collocat. Si quis hodie diligentissimam ineat Situs Cœlestis rationem: secundum Longitudinem quidem Occidentalissimum XLIII: secundam Latitudinem complecti Gradus octo; Australissimum enim Parallelum distare ab Aequatore Grad. XXXVIII, & Borealissimum XLVI; sicque occupa- Situs Italiæ cælestis. Longitudo. Latitudo.

Horarum Varietas.

occupare discet *Italiam* Quintum & Sextum Climata, omnesque Parallelos, qui sunt inter XI & XVI, in quo Terræ tractu contingit Varietas Diei Artificialis unius Horæ. Major enim Dies Aestatis in Parallelo Australi Horarum est XIIII, cum tribus quintis: in Boreali vero Horarum XV cum Quintis totidem.

Cap. IIII.

De Qualitate, quæ pendet plurimum ex Situ Cœlesti, paretque in Commodis, quæ inde proveniunt.

Qualitas in genere.

COELESTI Situ sic se habente, accedentibus etiam Apenninis Montibus, qui per mediam *Italiæ* porrecti Longitudinem, ab utroque Latere, præcipue, quo meridianos excipit Calores, Campos, Collesque relinquunt frugiferos: non magnopere mirandum est, tam moderatam omnium anni Partium in *Italia* esse Tempestatem, tantamque rerum omnium fertilitatem: quæ tamen alijs, quam alijs, locis major. Vere Strabo lib. VI, præcipuas *Italiæ* Qualitates enumerans: Τρίτον δὲ, τὸ πολλαῖς ὑποπεπτωκέναι διαφοραῖς ἀέρων τε καὶ κράσεων, παρ' ἃς καὶ ζῷα, καὶ φυτὰ, καὶ πάντ' ἁπλῶς τὰ πρὸς τὸν βίον χρήσιμα πλείστην ἐξαλλαξιν ἔχει, πρός τε τὸ βέλτιον καὶ τὸ χεῖρον. Huc pertinet locus Plinij lib. XVII. cap. V: *Idem* (inquit, de Catone) *Agrum optimum indicat ad radicem montium, Planicie in Meridiem excurrente; qui est totius Italiæ Situs:* nimirum (ut illustrando Catoni nonnihil addam) ad Apennini latus; qua, si Longitudo ejus (ut idem Cato non obscure innuit) ab Occidente in Orientem vergit, Auster est, vel, si ab Septemtrione in Meridiem (ἐπὶ μεσημβρίαν ἀπὸ τῶν Ἄρκτων, inquit Strabo) se extendit, qua Favonius; vel denique, si mediam ingrediundum viam ab Cauro in Vulturnum, qua Africus. Ad alterum Apennini Latus, Planicie in contrarias plagas excurrente, *Italiæ* Agri minus sunt fœcundi ob Frigorum Ventorumque Borealium impetum & violentiam. De Priore Latere exaudiendus præcipue Virgilius, quum inquit:

Hic Ver adsiduum, atque alienis mensibus Aestas,
Bis gravidæ Pecudes, bis Pomis utilis Arbos.

In specie, quod ad Incolas.

Specialiora videamus. Incolarum *Italia* fuit semper, hodieque est ditissima. *Sola,* inquit Plinius lib. III natur. hist. *sine externis ullis auxilijs, atque etiam tunc* (annum designat, quo nunciato Gallico tumultu, Coss. Romæ erant L. Aimilius Papus & C. Attilius Regulus, qui ab V. CIƆXXIX) *sine Transpadanis, Equitum LXXX millia; Peditum* IƆCC M. *armavit.* Quis *Italiæ* sit genius, quæque indoles, postea peculiari capite dicam. Quosdam autem *Italiæ* incolas CXXVI annos vitæ contingere, tradit idem Plinius lib. VII. cap. XLIX.

Animalia.

Ne recensendis variorum generum *Animalibus* tempus teram, magnam *Boum* (qui vetere lingua Græca ἴταλοι dicebantur) copiam in *Italia* fuisse, *Bucetaque* in ea Terra gigni pascique solita compluria, docent apud Agellium lib. XI. Noct. Atticar. cap. I. Timæus in Historijs, quas oratione Græca de Rebus Populi Rom. composuit, & M. Terentius Varro in Antiquit. Rer. Humanar. *Lucana Armenta* maxima & validissima olim ibidem fuisse, testatur Lucillius:

Quem neque Lucanus oriundi montibu' Tauri
Ducere protelo validis cervicibus possent.

Nutrit *Italia*, præter alias Aves, *Aquilas Vulturesque*, carnivoras & rapaces Volucres, Historijs Romanorum Veterum etiam nobilitatas.

Ager & quæ ex ijs.

Ager, valde est temperatus, benignus, lætus, copiosus, ad Segetes aliaque omnia proferenda supra modum adcommodus, magnique suis Cultoribus quæstus, sumtus autem exigui. *Rosellanus Ager* in Umbria juxta Lacum Velinum tantæ fertilitatis fuisse scribitur, ut auctore Varrone, Cæsar Vopiscus, quum Caussam apud Censores ageret, *Campos Roseæ* dixerit *Italiæ Sumen* esse, in quibus Perticas pridie relictas Gramen, una nocte operiret. Videndi Plinius lib. XVII natur. Hist. & Servius ad VII Aeneidos addit: *Quinetiam quantum per diem demtum esset, tantum per noctem crescebat, quod Virgilius ad suam provinciam transtulit dicens:*

Et

Et quantum longis carpent Armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet,

Fimi usum, scribit eodem libro Plinius, ab Hercule divulgatum in *Italia, quæ,* addens, *Regi suo Sterculio, Fauni Filio, ob hoc inventum immortalitatem tribuit. Ad Victum optima fert,* inquit Varro Italiæ dotes persequens; *Ager Campanus, Frumentum; Falernus, Vinum; Casinas, Oleum; Tusculanus, Ficum; Mel, Tarentinus; Piscem, Tiberis.* Plinius, quum dixisset *Tritici* genera esse plura, *Italico*, adscribit, *nullum equidem comparaverim candore ac pondere, quo maxime discernitur; Montanis modo comparetur Italiæ agris externum, in quo principatum tenuit Bœotia, deinde Sicilia, mox Africa.* Addit idem paullo post, annis fere CXLV Sophoclem Poetam in fabula Triptolemo *Italicum* ante cuncta laudasse, ad verbum translata sententia:

Et fortunatam Italiam Frumento canere candido.

Quæ laus, inquit, *peculiaris hodieque Italico est. Quo magis admiror Posteros Græcorum nullam mentionem hujus fecisse frumenti.* Sed istam Italiæ benignitatem exhausit tandem Avaritia, adeo ut tandem vera extiterit opinio eorum, *qui jam Italiam Terram existimavere lassam*, ut inquit nominatus sæpe Plinius, qui ex quorumdam connexione, *Latifundia,* exclamat, *perdidere Italiam, jam vero & Provincias,* &c.

Italiam porro peculiarem omnium Arborum Parentem videri posse, testatur idem Plinius libri XIV Prooemio. Vulgatas non commemorabo. Earum, quæ vulgo *Aurantiæ, Citria* vel *Medicæ, Cydoniæ,* aliæque id genus, incredibilis hic copia. Tota ora, ut ea nobis sit exemplo, quæ in Liguria ab D. Remi, atque etiam ulterius, ad Genuam pertinet, tot tamque nobilibus Arboribus, itemque Palmis summæ proceritatis, unde fructus admodum generosi odoriferique percipiuntur, ornata est, ut cum adspectu, tum odoratu sit perjucunda; Hortis passim occurrentibus, ad recreandas tristes afflictasque hominum mentes, amœnissimis. Idem de mille aliis dici potest locis. Vivere in Italia *Piperis* arborem, docet laudatus paullo ante Plinius lib. XVI cap. XXXII, steriles autem ibi *Palmas* esse, lib. XIII, cap. IV. *Oleam* omnino non fuisse in Italia, Hispania atque Africa, L. Tarquinio Prisco regnante, scribit Fenestella apud eumdem Plinium lib. XV. cap. I: qui eodem libro cap. II. *Olea* laudat *Venafranum* & *Licinianum.* Præstitisse autem ceteris *Venafranum*, declarat etiam Martialis hoc Distichon:

Hoc tibi Campani sudavit Bacca Venafri
Unguentum quoties sumis, & istud olet.

Videndus & Horatius lib. II. Carm. Od. VI. lib. II Sat. IV. & VIII. *Oleis* hodie maxime scatet Terra Hydruntina, in qua tanta copia, ut cui *Olearum* his in locis ingentia nemora non sunt visa, incredibile plane videri possit. Ager Barianus in Apulia Peucetia *Oleum, Vinum, Frumentum, Amygdalam, Gossypium* aliosque fructus ubertate quadam & abundantia fundit incredibili. Unus Vallis Oneliæ Ager in Liguria tanto gaudet *Olei* proventu, ut quandoque duodeviginti, nonnumquam vicena millia reddat Urnarum, quas Incolæ *Barilas* vocant. Nec *Manna* negavit *Italiæ* Natura. Prope Altomontium in Brutijs *Manna* colligitur, noctu rorans: præcipue quum Imbres diurnos liquidum purumque cœlum noctis excipit. Legitur ex frondibus & Arborum quarumdam truncis. Eodem beata Munere Magna Græcia, quo loco Thuriorum nobis visuntur vestigia. Loca petis plura Lector? Servare se aiunt in Campania Amalphitani ossa D. Andreæ, ex ijs peculiarem liquorem (Incolæ *Manna* vocant) exsudare adserentes, eumque voti caussa peregrinantibus elargientes. Commemorantur similia ab Apulis Peucetijs de Mauri Episcopi, Sergij & Pantaleonis Equitum atque Martyrum reliquijs, apud Vigilias; de Nicolai Mireani Antistitis, ab Opidi Bariani Civibus; de Hippolyti denique Martyris Ossibus ab Tripaltinis apud Samnites.

Vitium principatum in tantum proprium esse & peculiarem *Italiæ* notat idem Plinius Prooemio, quod dixi, lib. XIV. *ut vel hoc uno omnia gentium vicisse, quamquam odorifera, possit videri bona; quamquam ubique pubescentium odori nulla suavitas præfertur.* Testantur generosissima, quæ passim nascuntur, *Vina*, ab Antiquis Scriptoribus decantata. De ijs universim Athenæus lib. I. δειπνοσοφ. Octoginta fere in toto orbe genera *Vini* nobilia, exque eo numero duas partes Italiæ esse memoriæ prodit Plinius lib. XIV. cap. XI. Idem ejusdem libri cap. VI. pleraque *Italiæ Vina* ad quatuor refert classes. Omnibus alijs præfert, ex alieno judicio, *Setinum*, ab *Setia* Latij opido dictum.

Arbores. Vites. & Vina, qualia. Prima quidem Classis, Setinum.

Divus Augustus Setinum, inquit, *prætulit cunctis, & fere sequuti principes*, &c. Commendat etiam cum Strabone, (vide infra, ubi de *Signino*) *Setina Vina* Martialis:

Pendula Pomtinos quæ spectat Setia Campos,
Exigua vetulos misit ab Vrbe Cados.

& antea Cæcubum.

Nascitur supra Forum Applj, Plinio; qui addit: *Antea Cæcubo erat generositas celeberrima in palustribus Populetis, Sinu Amyclano, quod iam intercidit & incuria Coloni Locique angustia, magis tamen Fossa Neronis* &c. De *Cæcubo* Athenæus lib. I. Εὐγενὴς δὲ καὶ ὁ Καίκουβος, πληκτικὸς, εὔτονος. παλαιοῦται δὲ μετ᾽ ἱκανὰ ἔτη: sensum pungit ac ferit, vehemens est, vetustatem colligit post aliquam multos annos. Martialis:

Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis;
Vitis & in media nata palude viret.

Meminit & Horatius lib. I. Carm. Od. XXXVII, ubi monet ob Victoriam Actiacam Genio indulgendum esse: *Vvam* quoque *Cæcubam* nominans lib. I. Ode XX:

Cæcubam, & prælo domitam Caleno
Tu bibes Vvam: mea nec Falerna
Temperant Vites, neque Formiani
Pocula colles.

Secunda Falernum.

Tribuit secundum locum Plinius *Falerno: Secunda Nobilitas Falerno Agro erat, & ex eo maxime Faustiano cura culturaque id collegerat. Exolescit hoc quoque copiæ potius, quam bonitati studentium.* Et paullo post: *Nec ulli in Vino maior auctoritas: solo Vinorum flamma accenditur. Tria eius genera Austerum, Dulce, Tenue. Quidam ita distinguunt, Summis Collibus Gauranum gigni; medijs, Faustianum; imis, Falernum.* Athenæus *Vini Falerni* duas facit species: εἴδη δύο, inquiens, τοῦ Φαλέρνου, ὁ αὐστηρὸς, καὶ ὁ γλυκάζων. Quod illis *Austerum*, Horatio *Severum* est lib. I. Carminum Ode XXVII & *Forte* lib. II. Satyr. IV. Qualitatem hanc indebat fortean Vetustas, quam optime ferebat. *Vetulum* dicitur Catullo Carmine XXVII, Macrobio in Saturnalib. & alijs. Temperabatur autem vel *alio Vino*, vel *Melle*. *Falerni* Austeritatem *Vino Chio*, quod lenius erat ac mitius, obtundi solitam innuit Horatius lib. I. Satyr. X:

—— at Sermo Lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commista Falerni est.

Eandem Austeritatem Veteres *Melle* lenire ac mitigare solitos, indicat idem Horatius lib. II. Sat. IV:

Aufidius Forti miscebat Mella Falerno.

Et eodem libro Sat. II:

—— nisi Hymettia Mella Falerno
Ne biberis diluta. ——

Respicit eo Virgilius lib. IV. Georgic.

Dulcia Mella premes, nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, & durum Bacchi domitura saporem.

Vbi *durus Bacchi Sapor, Vinum Falernum*; quod Plinio & Athenæo *Austerum*. *Dulce*, quod iidem vocant, fieri solitum notat Athenæus, ὅταν ὑπὸ τὸν τρυγητὸν νότοι πνεύσωσι. *Intima* porro *Nota Falerni* apud Horat. lib. II. Od. III, *Vinum* signat *Falernum*, optimæ notæ, in intima Cella Vinaria, ut volunt Interpretes, recondi solitum. Liberalitatem in *Falerno* distribuendo Iulij Cæsaris celebrat Plinius lib. XIV. cap. XV. apud quem & alijs locis *Falerni* est mentio, ut etiam apud Strabonem lib. V, & alios. Ad Tertiam veniunt apud Plinium palmam *Vina Albana, Surrentina, Massica, Statana, Calena, Fundana, Veliternina, Privernatia, Signina, Albana*, inquit, *Vrbi vicina, ac rara in austero.* Athenæus lib. I, Γίνεται δὲ περὶ τὴν Καμπανίας Κύμην ὁ καλούμενος Ἀλβανὸς, πότιμος, κοῦφος ἀπὸ ἐτῶν πέντε. De *Albano* Horatius lib. II. Sat. VIII:

Tertia. Albanum.

Hic Herus, Albanum Mæcenas, sive Falernum
Te magis adpositis delectat.

Albanum Vinum, si austerius, vetustate in dulcedinem: sin dulcius, in austeritatem transire, subindicat Plinius lib. XIV, cap. II: qui descriptis *Albanis* hæc subicit: *Item Surrentina in Vineis tantum nascentia, convalescentibus maxime probata, propter tenuitatem salubritatemque Tiberius Cæsar dicebat consensisse Medicos, ut nobilitatem Surrentino darent, alioquin esse generosum Acetum: C. Cæsar, qui successit illi, nobilem Vappam.* Fuisse certe admodum laudata *Surrentina* declarat Martialis lib. XIV.

Surrentinum.

Surrenti-

Surrentina bibis? nec Murrhina picta, nec aurum
Sume, dabunt Calices hac tibi Vina suos.

Eadem Vina memorat Strabo ætate sua Romam deportari solita scribens *Falerna*, *Setina, Calenaque*. & cum ijs certantia *Surrentina*; quod experientia vetustatem illa ferre comperta fuissent. Idem confirmat Higinus. Meminit Horatius lib. II. Sat. IIII. *Calicum*, quos canit Martialis, nobilitate Surrentum celebratum auctor etiam est Plinius lib. XXXV. De ijsdem Martialis, quem dixi:

Accipe non vili Calices de pulvere natos,
Sed Surrentina leve toreuma rotæ.

Pergit Plinius: *Certant Massica atque ex Monte Gaurano, Puteolos Baiasque prospectantia.* Virg. lib. II Georgic.

Sed gravidæ fruges & Bacchi Massicus humor
Implevere.

Lib. VII Æneidos.

——vertunt felicia Baccho
Massica.——

quem locum exponens Servius, *Massicum Campaniæ Montem* ait *esse*, *Vini generosi feracem*. Silius lib. VII. de Bello Pœn.

Vulturnis late florebat Massicus Arvis,
Miratus Nemora & florentes Sole Racemos.

Et paullo post:

Massicus Vuiferis addebat nomina glebis.

Item Horatius lib. I. Carm. Oda I:

Est qui nec Veteris pocula Massici, &c.

Idem, Indolem *Massicorum* nonnullam indicans, lib. II. Sat. IV:

Massica si cœlo supponas Vina sereno,
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura.

Massicum Athenæus austerum quidem esse notat sed Stomacho utile: ætate maturescebat, austeritatemque minuebat. De *Statanis*, quæ sequuntur, sic loquitur Plinius: *Falerno contermina Statana ad principatus venere non dubie, palamque fecere, sua quibusque terris tempora esse, sicut rerum proventus occasusque. Statanum Vinum* celebrat etiam Strabo lib. IX. Dictum videtur ab *Statinis Paludibus* Campaniæ, quarum meminit Statius lib. III. Silvarum. Vide infra cap. XII. Prosequitur sua Vina Plinius: *Juncta his præponi solebant Calena* (sic dicta ab *Calibus*: De *Caleno* Athenæus; ὁ καληνὸς τοῦ φαλέρνου ὁ στομαχώτερος: meminit Horatius cum alibi, tum lib. I. Od XX, & XXXI) *& quæ in Vineis Arbustisque nascuntur Fundana* (Strabo quoque *Vinum Fundanum* & *Cæcubum* valde commendat: laudat & his versibus Martialis:

Statanum. Calenum, Fundanum.

Hæc Fundana tulit fœlix Autumnus Opimi:
Expressit Mulsum Consul, & ipse bibit.)

Ex aliis vicinis Urbis Veliternina, Privernatiaque, Nam quod Signiæ nascitur austeritate nimia continendæ utile alvo, inter medicamina numeratur. Sic Strabo lib. V: Σητεῖνον καὶ Σιγνῖνα φέρουσιν: ὁ μὲν τῶν πολυτελῶν ἕνα; ὁ δὲ τὸν σταλτικώτατον κοιλίας, τὸν Σίγνιον λεγόμενον. Legendum Σιγνῖνον. Sic appellat Priscianus: sic Martialis:

Veliterninum, Privernas, Signinum,

Potabis liquidum Signina morantia Ventrem:
Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.

Hinc *Signia spumans inimico Mustio* legitur apud Silium lib. VIII. Belli Pœnici. Quartum obtinent, Plinio teste, curriculum, beneficio D. Iulij, qui primus auctoritatem ijs tribuit, ut in ejus epistolis apparet, ad Superum Mare *Pratutia*, *atque Ancone nascentia, & quæ à Palma una forte enata Palmesia appellantur. Pratutia à Pratutianis*, Samnitium populis, nominata. Haud procul *Ancone Sirolum* est opidum, Vino nobile; quod hic *Anconitani* nomine celebrat Plinius. De *Palmesio* non habeo quod dicam, nisi quod suspecta mihi sit scriptura, in *Una* voce fortean *Vva* latente. De reliquis ita Plinius: *In Mediterraneo vero Cesenatia ac Mæcenatiana. In Veronensi item Rhetica, Falernis tantum posthabita ab Virgilio. Vinum Rheticum* Theodoricum Ostrogothorum Regem tertium Athesi & Hadriatico Mari, ac deinde iumentis Romam usque sibi adferri curavisse, refert Blondus. Id Cassiodorus *Acinaticum* nominans hoc modo describit, *Colore est rubens, Saporis regij ac optimi; cuius dulcedo mirifice cum quadam suavitate placeat:*

Quarta denique, Pratutium, Anconitanum, Palmesium. Cesenas, Mæcenas, Rheticum, quod &. Acinaticum,

quam vis

quamvis autem ad tactum densius crassiusque videatur instar carnis ...ei mandenda potioris, tamen esse iucundissimum. Audiamus enarrantem cetera Plinium: *Mox ab intimo sinu Maris Hadriana* (nominat & Ἀδριανὸν οἶνον Athenæus, quod, cum *Albano Falernoque*, faciundum monet πεῤῥὸν χρόνον, ponendumque εἰς ἀνάπαυσιν ..., εἰς τὸ ... τὸ πολὺ τῆς δυνάμεως.) *Ab Infero autem Latiniensia, Graviscana, Statoniensia* (ab *Gravisca* & *Statonia* Etruriæ opidis; de quibus suo loco) *Etruriæ Palmam Luna habet, Liguriæ Genua.* Ligurum opida, quæ vulgo *Mons Ruber, Vuiretia, Manarola, Rivuique Maior*, Gallis hodie Anglisque sunt celeberrima, propter nobilitatem *Vini*, quod hinc eas in partes exportatur, Blondo teste. Admirationem profecto habet ingentem, ut notat Leander, qui in tam excelsis præruptisque montium iugis, ad quæ vix ipsæ volucres accedere posse videantur, quaque tam perpetuas habent cautes, nulla ut terræ mica propemodum appareat, tanta queat esse copia Vitium, ut quum æstate vestiuntur pampinis, Murum hederaceo tegmine obductum referant. Hinc tamen suavissima Vina, hinc nobilis ille succus percipitur. Addit Leander: *De Plinio mirari satis nequeo, celebrata illi hæc Vina non esse, nisi forte cum Lunensibus, quæ laudavit quaque Agro gignuntur finitimo, æstimat.* Est etiam in Liguria *Tabia* Castellum, Vinis Apianis nobilium ambitu quidem exiguum, sed nomine celeberrimum ob generositatem succi, nec Malvatico Cretæ, nec Cyprio, nec ulli cum Italico, tum exotico Vino suavitate cedentis. Quæ superant, sic recenset Plinius: *Verum & ... Italiæ ab Ausonio mari, non carent gloria, Tarentina & Servitiana, & Consentiæ genita, & Tempsæ, ac Babiæ, Lucanaque antecedentibus Thurinis. Omnium vero eorum maxime illustrata Messalæ potu & salute Lagarina, non procul Grumento nascentia.* His omnibus sua ab opidis vicinis, de quibus suo loco, erant nomina. *Servitiana* autem scripta censeo apud Plinium pro *Vernitiana*, vel saltem apud Antoninum in Itinere, quod Mediolano per Picenum & Campaniam ducit ad Columnam, id est Traiectum Siciliæ, *Serenitium* positum arbitror pro *Servitio*, quod opidum Samnitium est, inter Aufidenam & Bovianum. quidam tamen pro *Sernicio* ibi restituunt ex fidelissimis Antonini Exemplaribus *Aeserniam*. Quod *Vinum Babiæ* natum laudet Plinius; pro *Babia* legunt alii *Balbiam*; quidam *Barbiam*. Certe *Barinum Vinum* habet etiam Athenæus. *Campania*, ait, *rursum* Vinis molitens Plinius, *nuper excitavit novis Nominibus auctoritatem, sive cura, sive casu, ad quartum ab Neapoli lapidem Trebellicis* (laudantur & ab Athenæo lib. I.) *iuxta Capuam Caulinis, & in suo agro Trebulanis* (*Trebulam* vel *Tribulam* habent Ptolemæus & Plinius in Campania, pati, ut quidam putant, inter Capuam & Suessulam intervallo) *alioqui semper inter plebeia & Trifolinis* (ab *Trifolino* Monte, quem Neapoli vicinum memorat Galenus. Meminit *Vitium Trifolini Agri* Iuvenalis Satyr. III:

Te Trifolinus Ager fœcundis Vitibus implet)

gloriata. Nam Pompeianis summum x annorum incrementum est, nihil Senecta conferente. Dolore etiam capitum in sextam horam diei sequentis infesta deprehenduntur. Vt concludam varia *Vinorum* Nomina, hactenus à Plinio commemorata, circa annum ab V. C. ɔɔ CXXX, nondum, ut ipse docet lib. XIIII. cap. XIIII, in claritate erant. Itaque omnia tunc genita unum habebant Consulis *L. Opimii* nomen. De iis sic idem Plinius lib. XIIII. cap. II: *Anno fuit omnium generum bonitas, L. Opimio Consule, quum C. Gracchus Tribunus, plebem seditionibus agitans, interemtus, ea Cœli Temperies fulsit, quam Cocturam vocant, Solis opere, Natali Vrbis ɔɔ CXXXIII. Durantque adhuc Vina ducentis fere annis, iam in speciem redacta Mellis asperi.* Sed de his alii: ego ad reliquas *Italiæ* Dotes pergo; strictim eas indicaturus.

Herbarum omnis generis est fertilissima. Non gignere autem Μυροβάλανον, Κόστον, Ἄμωμον, Κινάμωμον, Κύμαρον, Καρδάμωμον, & alia multa, prodit memoriæ Plinius lib. XIII. cap. II. Sed magna hic facta est mutatio.

Quid vero de *Metallis*, *Lapidibus*, aliisque Muneribus dicam? *Metallorum omnium fertilitate*, ait Plinius lib. III. nat. histor. cap. XX. *nullis cedit Terris*; quod lib. XXXII. cap. IV repetens, *Italiæ*, inquit *parcitum est* (ab inquietandis ad exturbanda Metalla eius Visceribus) *Veteri Edicto Patrum: alioqui nulla fœcundior Metallorum quoque erat Tellus.* In Foro Iulio Hydra fluvius est, & haud procul inde *Argenti-Vivi Fodina*. In Agro Volaterrano nonnullis locis *Terra* est *lutea*, similis *Auripigmento*, fœtidissima: quamobrem Incolæ Regionis, quam possunt studiose Iter hac vitant: odorem enim tam gravem exhalat, ut supervolantes Aves mortuæ statim concidant. Magna

Aluminis

Aluminis copia ante aliquot annos reperta est apud Etruscos in Territorio Massæ. *Alumen.* In Campania Felice Cuniculi sunt, ex quibus ecfoditur *Sulphur*; ibidem etiam Convallis est, *Sulphur.* ubi *Alumen* coquitur. In Agro quoque Volaterrano Marantioque Loca putida monstrantur, quorum graveolentiam & fœtorem, Sulphuris Nigri Metallum, quod hic invenitur, & haud procul paratis ad id officinis excoquitur, exhalare censendum est. Ab Volaterris amnem Cæcinam versus, millia tria, Colles aliquot visuntur, ubi Officinæ *Salariæ*. Apud Brutios mille passibus ab Altomontio *Salis fodinæ* sunt, in *Sal.* intima montis viscera excavatæ, longitudine quædam ıɔ, quædam cıɔ passuum, aut amplius, unde *Salem* ecfodiunt. Circa Tibur *Latomiæ* occurrunt, ubi *Lapis Tiburtinus* cæditur, Plinio nominatus. In Agro Vicentino, haud procul Pago, qui vernacule *Costoza*, Loca sunt, in longis profundisque Specubus; ex quibus *Lapis* cæditur, non ab- *Lapides.* similis *Tiburtino*, quo antiqua Patavinorum & Vicentinorum Aedificia spectantur confecta. *Gabinus Albanusque* Lapis impervius est igni, ut docet Tacitus lib. xv. Annal. Sic Isidorus lib. xvi: *Savinus* (leg. *Gabinus*) *Lapis fusilis addito Oleo etiam lucere fertur. Est & quidam viridis Lapis, vehementer igni resistens.* Gabiorum Λατομιῶν meminit etiam Strabo: Γάβιοι μὲν, inquit, ἐν τῇ Πραινεστινῇ ὁδῷ κείμενοι λατόμιον ἔχοντες, ὑπουργὸν τῇ Ῥώμῃ μάλιστα τῶν ἄλλων: indicat *Latomias Gabinas* non alias Romanis fuisse utibiliores. In Breonia Istriæ, *Lapis* cæditur, qui ab Venetis alijsque Conregionalibus ad Ædificia magnifica experti solitus. Sunt & Lapidicinæ in Istria, Ædificijs Venetorum cum publicis tum privatis struendis ornandisque non inutiles. In Pedemontana Regione prope Fontes Padi nobilia *Marmora* ex imis Terræ penetralibus eruuntur: Sunt item *Marmorum* Fodinæ in Valdanio Lombardiæ Vico. In Roviensi Istriæ Agro *Marmor* exciditur, quod *Istricum* vocatum; maximi per totam Italiam precij. *Marmora.* Apud Tuscos in Agris Montibusque Lunæ vicinis candidi ac varij *Marmoris* lucidi esse Latomias, perhibet Strabo lib. v: ex quibus unico solidoque Lapide Tabulæ integræ, Columnæque cædi solebant immensæ: summa addit & hinc olim ea *Marmora*, quæ ad Opera nobilissima cum Romæ, tum alijs in partibus expetebantur; tam ob insignem lævorem, quam propter summam exportandi hinc facilitatem; quippe quia vicinæ Littori ipsæ Lapicidinæ opportunitatem maximam haberent Lapidum ad Naves deferendorum; quos ab Mari subvehendos excipiebat Tiberis. Columnæ hic etiamnum peringentes aliaque rudia *Marmorum* frustra cernuntur: quæ florentibus rei Romanæ temporibus excisa, dein autem, ea labente, derelicta nemo exportavit vel expolivit. Importantur nunc quidem adhuc ex his locis *Marmora* Pisas, Genuam, Florentiam, Romam, Bononiam & in Ulteriorem Galliam: sed hauquaquam, teste Leandro, ejus Magnitudinis eaque copia, ut olim solebant Romam, vigente illius Urbis imperio. Meminit horum *Marmorum* Plinius lib. xxx. cap. x, in Liguria *Lapidum Album* facile terra secari scribens, quem prius, lib. xxx, cap. v. *Lunense Marmor* dixerat. Mentionem facit & horum *Marmorum* Iuvenalis, quum inquit:

Procubuit veluti, qui Saxa Ligustica portat.

Sic Facius Ubertus Cantico vi, lib. iii.

E vedemmo Carrara, oue la gente
Troua il candido Marmo in tanta copia,
Che assai n'haurebbe tutto l'Oriente.

Lescalia porro, Volaterranensis Agri Vicus, *Alabastritæ* copia abundat. *Alabastrites.* Eius duo hic genera, durum ac molle: prius è Terra cæditur, dictum *Vitrinum*; aliud supra Terram invenitur, & excoctum igne *Gypsum* fit. Ex primo nobilia fabricantur Opera; veluti illa, quę maximus quidam Artifex Neapolitanus olim Organa fecit, Leoni x. P. M. muneri destinata: quo fatis intercepto priusquam absolverentur, Friderico Gonzagæ, Primo Mantuæ Duci, donata fuere. Opus profecto, quod inter rara mirabiliaque nunc quæ uspiam sint, censeri debeat. Ex *Alabastrite* Fistulæ Moduli que tori. Apud Graviscas *Coralium* in mari nascitur, retibus reduci solitum. In Brutijs *Coralium.* prope Altomontium Montes sunt editissimi, numquam fere nivibus carentes, ubi *Crystallus*, magna copia, reperitur: etenim quum ea Iuga intentissimis frigoribus *Crystallus.* perpetuo rigeant, Aquæ vi Solis de Nive stillantes, quum sunt congelatæ, postea diuturnitate temporis in saxa durantur. Tertia ab Volaterris lapide Castellum est, ubi mira ecfoditur *Chalcitis* abundantia. *Chalcitis.* Haud procul inde Aquæ Rivulus occurrit; iuxta quem, per Convalles quasdam modicas & depressa loca incedendo, *Porphyrites*, *Porphyrites.*

Cynthius ad Musas animos inflexit Apollo,
Et Disciplinæ tradidit omne genus.
Alma Venus Populis Urbes implevit & Agros,
Silvestresque Casas, Arborcasque Domos:
Ut sint, qui curent Urbana Negotia Cives:
Qui ferat Arma Manu, qui colat Arva Bove.
Fœdera Mercurius docuit Legesque severas,
Et dare Clamori Litigiisque modum.
Luna Pudicitiam suasit, castumque ruborem;
Ne furat ardescens & sine Lege Venus.
Alma Ceres docuit Fruges, quas semine iactô
Decolor incurvo rusticus ense metit.
Vina dedit Bacchus, & quæ multa alia sequuntur.

Beatissimam certe non immerito *totius Europæ Regionem* appellat Aethicus; *Totius Orbis optimam*, Dionysius Halicarnass. lib. 1; *Gentium Dominam*, Mamertinus Panegyristes; *Dominam Rerum*, P. Rutilius Numatianus! *Cælestem, Mundique Reginam* vocat Aethicus, quem dixi. Et vero quid hic non gestum olim, quid non pro Gloria cum summa Laude ab generosis Animis patratum? Longum esset & tædiosum omnia commemorare. A quibus non Gentibus oppugnandi, occupandi, diripiendi gratia quondam petita? Silentium hic iubere mihi malo, quam pauca pro rei dignitate in medium afferre. Quis non hodie visundæ eius cognoscendæque caussa adit? Docent ferventia passim à Peregrinantibus, qui undique eam versus confluunt, Itinera. Ego sane aliquando ingressus suspicere me cum voluptate memini *Montes* nunc vitiferos, nunc aliarum rerum feraces, nunc miraculis suis admirandos: vernantes *Silvas*: *Sinus* amplos & profundos; tutos placidosque *Portus*, alta lataque *Flumina*; *Lacus* limpidos & vivos; nobiles, largos, inlimes & variarum virium *Fontes*. Sed hæc aliaque talia suis locis. Quid enim dicam de *Incolis*, ipsorumque Moribus, cum publice domi militiæque, tum privatim? *Urbes* hic spectavi egregias, florentes, opulentas: *Opida* clara, famosa, Civibus arcta; *Pagos* magnos, Ædificiisque Nobilium & Prætoriis superbientes, &, præter alia infinita, mœstus ibi vidi & attonitus miserandas Veteres *Urbium Structurarumque* Reliquias, & stupenda totius Antiquitatis Monimenta. De *Italiæ Civitatibus* Versus circumferuntur pulcerrimi:

Fama tra noi Roma pomposa & santa;
Venetia riccha, saggia, & signorile;
Neapoli odorifera, & gentile:
Fiorenza bella, tutto il Volgo canta;
Grande Milano in Italia si vanta;
Bologna grassa; e Ferrara civile,
Padua forte, & Bergamo sottile;
Genoua di superbia altiera pianta;
Verona degna, & Perugia sanguigna;
Brescia l'armata; e Mantoa gloriosa;
Rimini buona; & Pistoia ferrigna,
Siena de bel podere: Lucca industriosa;
Furli bizarro: & Ravenna benigna,
E Singallia del aria nosiosa;
E Capua amorosa;
Pisa Frendente; & Pesaro giardino;
Ancona del bel porto pellegrino
Fedelissimo Urbino;
Ascoli tondo; & longo Recanate;
Foligno delle strade in Zuccarate;
Et par da cielo mandate
Le belle Donne de Fano se dice;
Ma Siena poi tra l'altre piu felice.

Neque illud hoc loco prætermittendum silentio duxi, quatuor *Italiæ* vulgo celebrari *Opida*, sive *Castella* nobilissima: Apuliæ, *Barulum*; Etruriæ, *Pratum*; Piceni, *Fabrianum*; Langbardiæ, *Cremam*.

CAPUT V.

Italiæ Montes.

IN Adjunctis *Italia* quo modo se habeat, habemus: Partes jamnunc eius videamus, cum simpliciter undeque consideratas, cum Miraculis Virtutibusque suis pollentes. Priores duorum faciam generum, alias Terræ tribuens, ut *Mon-*

tes, Promontoria, Valles, Campos, Prata, Vias, Silvas, Lucos, Nemora; Aquæ alias, ut *Sinus, Portus, Flumina, Lacus, Paludes, Stagna, Fossas, Fontes, Aquas.*

Alpes. *Montes* primum dabo. Inter eos principem obtinent locum *Alpes*, quas Galliæ quis (*Celticos Montes* nominat Procopius lib. I. Rer. Gothicar.) an Germaniæ, vel Italiæ adscribat, parum refert: sunt certe Montes, qui Italiam hodie ab Gallia Germaniaque, procursu suo, tamquam nativo muro, separant. *Alpes* peculiari libello descripsit docte Iosias Simlerus, quem in compendium traham, adscriptis paucis, quæ illum fugerunt.

unde dictæ. Nomen *Alpibus* datum censet Festus ab Candore, *Sabini enim* Alpum *dixere*, inquit, *quod postea Latini* Album. Scribit ad Virg. Georgic. Iunius Philargyrius, altos Montes Gallorum *Alpes* vocari. Isidorus etiam clarius *Alpium* nomen vult esse Gallicum: *Alpes*, ait, *proprie Montes sunt Galliæ, de quibus Virgilius*, Aerias Alpes: *& dicendo* Aerias, *verbum expressit à verbo. Nam Gallorum lingua* Alpes *Montes alti vocantur. Hæ sunt enim, quæ Italiæ Murorum vicem exhibent.* Agnoscit hodie nomen *Alpium* Idioma Germanicum: cui tamen non id, quod notat Iunius Philargyrius & Isidorus significat. *Alp* enim & *Alpen* Germanis Montes vocantur pascui, in quibus fœnum non secatur, inque hibernos usus colligitur: sed in quos Boves aliaque Armenta pascendi tantum gratia mittuntur: ut **zu Alp faren**, nihil aliud sit, quam Armenta in pascua montana ducere, in quibus plerumque ad summum ternis mensibus æstivis agunt. Accedit, quod & nunc multis in locis hos Montes *Alben* Germani nuncupent.

Veteres scribunt. Notant Græci, & inter eos Stephanus, Veteres non tantum Ἀλπεινὰς vel Ἄλπεις, vel Ἄλπια ὄρη dixisse, διὰ τοῦ π, sed & Ἄλβια, διὰ τοῦ β. Scribit etiam Strabo lib. IV, τὰ Ἄλπια olim vocata fuisse Ἄλβια, & apud Iapodes Montem, qui *Alpium* extremus est, Ἄλβιον dici, quod eousque Alpes se extendant: quum item Ligurum alij sint Ingauni, alij Intemelij; consentaneum fuisse, eorum Colonias maritimas, alteram Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, quasi Ἄλπιον; alteram concisius aliquanto Ἀλβίγγαυνον appellari. Ὄλβια sunt Phavorino; Σάλπια Lycophroni, ut sentit Interpres eius Isacius. *Alpis* singulari numero est apud Ovidium III de Arte Amandi, Lucanum de Bello Pharsalico, Iuvênalem Sat. IX, Sidonium non uno loco, lib. V Epist. XVI, Carmine II, IX & XVI; Priscianum lib. VII, Antoninum, & in Itineraria Tabula. Ἄλπις apud Dionysium Afrum.

Quam latum eorum nomen. *Alpium* Nomen Polybius, Strabo, Plinius, Ptolemæus, Herodianus, & alij, his solum Montibus tribuerunt, qui Italiam ab Gallia Germaniaque dividunt. Mela *Alpes* in Thraciam usque extendit. Meminerunt Tacitus & Sex. Rufus *Alpium Pannonicarum*. Longitudo. Certe, si quis rem bene expendat, *Alpes* ad Mare Ligusticum ortæ per Allobrogas, Helvetios, Rhætos, Vindelicos, Noricos, Carnos, Illurios, perpetuari fere videntur in Serviam usque, ubi in duo scissæ brachia, uno per Thraciam procurrentes ad Pontum Euxinum; altero per Macedoniam, ad Actium Promontorium finiuntur. Latitudo. Et hæc est caussa, quod alia ab alijs statuatur *Alpium Longitudo*, ut etiam *Latitudo*. Variorum, ut Cælij, Timagenis, Cornelij Nepotis & Livij sententias commemorat Plinius lib. III. cap. XIX, in morbo tamen ibi desperatiore cubans. Consulendi & Polybius lib. II. Strabo lib. IV, alijque. Hoc obiter sciendum *Alpium* nomine omnes fere Minores intelligi Montes, qui prope *Alpes* hinc inde surgunt: hinc Salyum Montes *Alpes* appellarunt Veteres, ut Polybius, qui lib. II scribit, τὴν τῶν Ἄλπεων παρώρειαν λαμβάνειν τὴν ἀρχὴν ἀπὸ Μασσαλίας. Sic Strabo etiam lib. IV eorumdem Salyum Montes *Alpes* nuncupat. Quin & Pyrenæi Montes *Alpes* dicti Ausonio ad Paullinum suum scribenti, Epistola XXV.

> *Tristis, egens, deserta colat, tacitusque pererret*
> *Alpinis connexa jugis.*

id est *Montibus Pyrenæis*. Sic eidem Epistola XXIII, ad eumdem Paullinum:

> *Nunc tibi trans Alpes & marmoream Pyrenen*
> *Cæsarea Augustæ domus est.*

Altitudo. Agellius item *Alpinos Hispanos* ex Catone dixit. Sic enim loquens de Catone scribit, *Quum de Alpinis Hispanis scriberet, qui circa Iberum colunt, verba hæc posuit*, &c. De *Altitudine* quoque *Alpium* serras reciprocari video. Adfirmant plerique *Alpes* omnium Europæ Montium esse editissimas. Legendus Polybius apud Strabonem.

Hoc

Hoc certum, non parem ubique esse Altitudinem: qua incipiunt, humiliores sunt; qua finiuntur, mitescunt; intermediæ plerisque locis altiores sunt. Solinus *Vesulo Montis*, unde Padus oritur, maximam tribuere videtur altitudinem, eumdum exsuperantissimum inter *Alpium* Iuga nominans. Alij *Lepontias Alpes* summas esse volunt, hoc argumento, quod inde in varias Orbis partes defluant Renus, Rodanus, Ticinus, Athesis, Vrsa, Arola, & alij. Quin & Rheti suas *Alpes* contendunt omnium esse altissimas.

Descriptio.

Mentionem *Alpium* faciunt nulli non Auctores. Describunt graphice præter alios Herodianus non uno loco, Silius Italicus lib. III Bellici Pœnici, Alciatus Commentarius ad Tacitum de Germania, Iosias Simleri peculiari, ut dixi, libello. Paucis dicam: Summa *Alpium* loca horrida sum expertus, & sterilia, nive inveterata & perpetua fere geluque rigentia. Media vidi pascua, & cultui apta; Radices Campósq; ijs subiectos, præsertim versus Italiam, qua Calores Australiores ab ipsarum lateribus in planiora repercutiuntur, omnium rerum deprehendi fertilissimos.

Qui Primi transiecint.

Primum *Alpes* transisse cum armatis Copijs memoriæ produnt antiqui Scriptores Herculem; & ab eo nomen *Graius Alpibus* impositum: Secundum autem statuunt Hannibalem, Pœnorum Ducem. Quæ de Hercule scribuntur rejicit, & inter fabulas refert Livius, quæ vero de Hannibale gravissimis refutat rationibus Polybius. *Alpes* multo ante Hannibalem, L. Tarquinio Prisco regnante, traducit Gallos, & Celtas & Cenomanos, cum exercitu, Livius. Quin censendum ipsam Locorum utrimque viciniam & humanam curiositatem, quæ semper remotiora rimatur, haud dubie ante Tarquinij tempora *Alpes* pervias fecisse, jam tum scilicet, quum Gallia Italiaque cultæ habitatæque essent. Narrat autem Polybius Itinera per *Alpes* in Italiam fuisse quatuor; unum per Ligures proxime Mare Tyrrhenum, alterum per Taurinos, quo usus fertur Hannibal; tertium per Salassos; quartum per Rhetos.

Varia *Alpium* Nomina: *Maritimæ*, quæ & *Ligusticæ*,

Multa etiam *Alpium* Nomina in Veterum Monimentis occurrunt, quæ indicant multas quoque Alpium Partes fuisse, per quas Itinera patuerunt. Commemorantur cum primis Maritimæ, quæ proximæ sunt Mari Ligustico, inhabitatæ ab Liguribus ut Dion scribit, Comatis, ideoque *Ligurum*, aut *Ligusticæ Alpes* etiam nominatæ. Meminerunt Dion, Tacitus, Ptolemæus, Itineraria Tabula, alij. *Ligustini Montes*, Livio lib. XXXIV, *Ligustici* M. Terentio Varroni dicti. Addam Inscriptionem, quæ ad San-Georgium, Delfinatus opidum, visitur, in via Militari, Mediolanum ducente, prope Druentiam Amnem:

PIO. PRINCIPI
...... INVICTO
RESTITVTORI ORBIS
PROVIDENTISSIMO
RETRO. PRINCIPVM
...... B OMNES
FORTISSIMO
NANIVS. RVF. KARVS. V. F. PROC. II
PRÆFECTVS. ALPIVM. MARITIMAR
DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATIQ
EIVS

Ab his Principium *Alpibus* ponunt Veteres plerique: Recentiorum aliquibus ab Istria & Arsia fluvio, ubi Veteres finem faciebant, inchoare malentibus. Quum autem *Alpes Maritimæ* initio pertinerent partim ad Galliam Narbonensem, partim ad Italiam, Finium postea Rectores peculiarem statuerunt Provinciam, cuius Civitates recensentur in Notitia Provinciarum sub *Viennensi* IV *in Alpibus* (hæc enim adduntur) *Maritimis:*

Civitas Ebrodunensium. *L'Archeveſché d'Ambrun*.
Civitas Diniensium. *L'Eveſché de Dine*.
Civitas Rigomagensium.
Civitas Sollinicnsium.

Civitas Sanicienſium, id eſt Sanici, *L'Eveſché de Senas.*
Civitas Glannatena. *L'Eveſché de Glandeves.*
Civitas Cemeleventium.
Civitas Vencientium. *L'Eveſché de S. Paul de Vences.*

De quibus omnibus plenius ego lib. III. cap. XXXIX & ſequenti. In Itinerario Antonini Iter deſcribitur per Viam Aureliam ab Roma per Tuſciam & *Alpes Maritimas*, Arelatum uſque. *Maritimarum* portio *Acema*, Mons apud Plinium, ex quo Amnis Varus profunditur, Galliam ab Italia diſtinguens. Vocatur hodie *Monte Camelione*. Auguſtinus enim Iuſtinianus Nebiæ Epiſcopus, qui Corſicæ Deſcriptionem in Tabulam redegit, ut ipſemet inquit in Hiſtoria ſua Genuenſi, notat Varum hodie ex *Monte Camelione* oriri.

quarum pars *Acema*,

Cottiæ,

Maritimas Alpes ſequuntur *Cottiæ*, ſic dictæ, ut præter alios opinatur Paullus Diaconus de Geſtis Langbardor. II, cap. XVI, ab Rege *Cottio*, de cuius contra Romanos geſtis, ipſiſque nominatis ab eo *Alpibus*, legendi Suetonius in Nerone, Dio Caſſius, Eutropius, Auctor de Viris Inluſtribus, Ammianus Marcellinus, qui *Cottias* elegantiſſime deſcribit, & alij. Suetonio *Cottiæ*, Tacito *Cottianæ* appellantur: Κόττιαι ſunt Ptolemæo, apud quem male quidam Σκύθιαι. Ammianus in ſummitate *Cottiarum* duos ponit Vertices; unum cognomine *Martis*, alterum *Matronæ*, cuius Vocabulum caſus nobilis Feminæ dedit. Mirandum, quum Regni *Cottiani* tot Auctores meminerint, auſos fuiſſe nonnullos *Alpes* has *Gothicas* ab *Gothis* nominare: Erroris cauſſam præbuerunt Librarij; quorum alij *Cottias*, alij *Gothias Alpes* ſcripſerunt. Iter per *Alpes Cottias* Mediolano ducit Arelatem Antoninus in Itinerario. Pars *Cottiarum*, Iugumque nominatiſſimum, quod ex Pedemontio in Delfinatum euntibus eſt ſuperandum, Mons eſt, qui *Genebre* dicitur: unde, nondum mihi liquet. Hac Hannibalem tranſiſſe putat in eius vita Acciaolus. *Cremonis Iugum* vocat *Alpium* partem Livius, lib. XXI, qua tranſgreſſus creditur Hannibal. Δίοδος Ἀννίβα dicitur Appiano in Ibericis. Neque tamen hoc Iugum duntaxat *Cottias Alpes* eſſe cenſendum eſt, ſed alia quoque, quibus inter *Maritimas* & *Graias Alpes* in Galliam tranſitur. Ab Suſa enim, de qua cap. XLIII lib. III, per Novaleſiam & Ferreram aſcenditur, *Mons S. Dionyſij*, cuius ſummum *La Poſta* vocatur; inde in Vallem Maurianenſem, cuius eodem cap. XLIII memini, vulgo *Morienne*, deſcenditur Lunæ-burgum, ubi *D. Dionyſij* Statua in Foro columnæ impoſita cernitur, & ab Gallis colitur; indeque Monti nomen impoſitum creditur. Quidam *Cineſium*, alij *Cinerum Montem Minorem*, vernacule *Mont Senis*, appellant: Italice *Strada Romana* dicitur. Iter hodie uſitatiſſimum ex Galliis Romam euntibus. Per hoc Iugum ſcribunt quidam Karolum Magnum Exercitum duxiſſe contra Deſiderium, Langbardorum Regem, in Italia tunc late dominantem. *De Cineſio* hoc non incommode exaudiri poteſt Iter illud, quod aperuiſſe ſe gloriatur apud Salluſtium in Hiſtoriis Cn. Pompeius Magnus, cuius rei meminit etiam Appianus lib. I. de Bello Civili. Sunt & alia Itinera inter Montem, qui vulgo *Genebre* & *Alpes Maritimas*, veluti per *Valles Peroſæ, Luſernæ, Angroniæ*, & *Crucis*, quarum Incolæ vulgo *Chriſtiani* nominantur. *Veſulus* etiam *Mons*, cuius mentio apud Plinium & Solinum, ex quo Padus oritur, & ab altera parte paullo altiore jugo Druentia Minor, ad *Alpes Cottianas* pertinet; & Vetus adhuc nomen, *Mont Veſo*, dictus, retinet. Eumdem *Veſevum* Virgilio dici II Georgic. innuit Servius ad eum Verſum,

quæ male quibusdam *Gothicæ*,

quarumque Portio *Iuniperi mons*, vulgo *Genebre*,

olim forte *Cremonis iugum*,

item *Mons S. Dionysij*,

vel *Cinesius*,

quin & *Vesulus*,

> *Talem dives arat Capua & vicina Veſevo*
> *Ora jugo:*

Certum eſt, *Veſevum* Montem eſſe Campaniæ: ideoque Servium puto, vel vitio non carere; vel ſimilitudine Vocis falſum & in animo habuiſſe *Veſulum*. Videndus huc Ioſias Simlerus Commentario de Alpibus, qui Variorum, ut Spiegelij, Iovij, Alciati, Leandri Alberti, & Aventini de *Cottiis Alpibus* opiniones docte ſolideque refutat. Agathias & Procopius contra omnium Scriptorum Sententias ſtatuunt etiam *Alpes Cottias* in Tuſcia.

Graiæ,

Poſt Cottias ſunt *Graiæ*, poſitæ inter Centrones & Salaſſos. Plinius, *Salaſſorum*, inquit, *Auguſta Prætoria, iuxta geminas Alpium fauces, Graias atque Peninas, His Pœnos, Graiis Herculem tranſiſſe memorant. Graiarum* meminit Tacitus. Γραΐαι Ptolemæo: *Graius Mons* appellatur Senecæ in Epiſtolis & Tacitus lib. IV Hiſtor. *Graias Saltus* eſt apud

apud Æmilium Probum in Vita Hannibalis. Describuntur apud Antoninum Itinera duo ab Vrbe Mediolanensi per *Alpes Graias*, unum quidem Viennam, alterum Argentoratum. Quod Viennam ducit exhibet etiam Itineraria Tabula, quæ medio fere itinere Mansionem notat *In Alpe Graia*. Notitia, cuius frequens a me facta est in Gallijs mentio, inter Galliæ Provincias nominat quoque *Viennensem Quintam Alpium Graiarum Penīarum*: cuius *Civitates Centronum*, *hoc est Tarantasia*, *l'Archevesché de Tarantaise* & *Vallensium*, *hoc est Octodurum*, *S. Maurice*. In eadem Provincia ponitur ab Ammiano *Aventicum*, Caput quondam Helvetiorum. *Graiis Alpibus* Cæsarem, quum Bellum Civile spiraret, exercitum in Italiam duxisse, canit Petronius Arbiter, apud quem graphica *Graiarum* delineatio. *Graiæ Alpes* hodie sunt *Mons S. Bernardi Minor*, *Monte Minori de S. Bernardo*; *Petit Bernard*, ut adfirmant probantque Iosias Simlerus, Ægidius Scudus, Ioannes Stumpfius, Leander Albertus, & alij: sic dictus ab Cœnobio, quod *D. Bernardo* sacrum, quo loco Bergintrum ab Antonino locatur. Prope hoc Iugum aliæ etiam sunt *Alpes*, quas *Montem Cales* & *Cinisium Maiorem* appellant: per utrasque ad Centrones itur, ab Taurinis, recto itinere, iuxta Sturam fluvium: de his dubitat Simlerus *Graiisne* an Cottijs Alpibus adnumerari debeant. De *Graiis Alpibus* Errores Paulli Iovij, Raimundi Marliani, Cuspiniani refellit Iosias Simlerus, cuius ante memini. hodie Mons S. Bernardi Minor.

Post Graias *Peninarum Alpium* succedit explicatio. Eas plerique Veterum dictas censent ab Hannibalis transitu, Pœnorum Ducis. Legendi Plinius in libris nat. histor. Ammianus Marcellinus lib. xv, Servius ad Æneidem Virgilianam. Livius lib. xxi a *Pennino Deo* nominatas innuit, quem in summo harum Alpium vertice Veragri colebant. Quidam *Penninas* appellatas arbitrantur, quasi *Pinninas*, ab celsi Cacuminis eminentia, quo ceteras Alpes superant. *Pinna* namque, Germanis *Pinne*, maxime quid elatum significat. *Pennum*, inquit Nonius ex Varrone, *Antiqui dicebant Acutum*. *Peninas Alpes* apud Salassos ostendunt Strabo & Plinius; &, quum, supra Augustam Prætoriam duæ sint Viæ per Alpes, huic, quæ ad Orientem est, & ad Veragros ducit, *Pennini* nomen tribuuntur. Livius etiam, ubi *Penninus* sit, non obscure monstrat libro a me indicato, Veragros eius Iugi Incolas nominans: ubi vero sint Veragri, alibi ex Cæsare patebit. Iter ab Mediolano per *Alpes Penninas* Magontiacum ducit Antoninus, *Summum* ibi *Penninum* edens. *Penninum Montem* multi superioris & nostræ ætatis Scriptores *Montem Iovis* vocāt. Vulgo, ut Ægidius Scudus, Iosias Simlerus, Stumpfius, Leander & alij docent, *Mons S. Bernardi Maior* dicitur; *Monte Maiore de S. Bernardo*, *Grand Bernard*, Groß S. Bernardtsberg. *Pyntzgew* interpretatur Lazius. Meridiem magis versus locant *Penninas* Iovius & Alciatus; ille, ubi Mons Cinesius, hic ubi Druentia: sed utrumque refutat Simlerus. Vestigium antiqui nominis apud Salassos manet. Vallis enim, quæ Augusta Prætoria ad Penninum ducit, Incolis *Pelinna* nuncupatur. Eam hodie *Vallesiam Vallem* opinatur esse Beatus Rhenanus: sed situs vix patitur. Per *Penninas* has existimat Luitprandus Ticinensis Hannibalem in Italiam venisse, scribens Arnulphum Imperatorem ex Italia domum reversum per Hannibalis viam, quam *Bardum* dicunt & *Montem Iovis*. Scribit & Iovius apud *Barrum* Litteras Cotibus insculptas ostendi; monimentum Hannibalis, qui hac Alpes traiecerit. Est autem *Bardum* Vicus inter Eporediam & Augustam Salassorum, ubi Vallis artissime coit, & fere clauditur: Germani vocant *Im Bart*. Quum igitur hic Monimenta Hannibalis ostendantur, & gravissimi tamen Auctores Pœnum alia via transisse in Italiam tradant, ut antea docui, censendum est, totum eius Exercitum in plura agmina divisum pluribus locis traiecisse. Ptolemæus Ποίνας alpes diversas à *Pennino* describit; eæque iuxta ipsius sententiam Rhetiam ab Italia separant, positæque sunt inter Rheticas Alpes & Ocram Montem, ad fines Lyci fluminis. *Alpes* istas Aventinus dictas ait a *Pennone*, Noricorum Rege: *Alpes* etiam *Boias* nominans, addensque ab eodem nuncupatum *Penninum Montem*, unde oriuntur Athesis & Renus, quem vulgo *Venustticum* dicunt. Describit autem *Alpes* istas his verbis: *Vindelicia, quam nunc Boiariam nominamus, clauditur ab Austro perpetuis Montium iugis, & hoc dorsum à Lyco ad Oenum pertinet. Quod amplius, si amfractus sequeris, centum & viginti millia passuum percurrit. Quod si bis ac quincuncem demseris, reliquum est recti Itineris Intervallum. Alpes à Ptolemæo* Penninæ *nuncupantur, sicut celsissimæ undique prærupta & abscissæ rupes. Cacumina perpetua*

Penina.

hodie Mons S. Bernardi Maior.

nive albicant, longe, late, ad quadragesimum & amplius lapidem à peritis discernuntur. Alpium, quas Aventinus describit, Summa Iuga ab nostris, inquit Simlerus, *nominantur,* de Arlberg oder Albelen: *item Venustius* Mons, Vinstermuntz. *atque inter Lycum & Oenum Montes isti longe procurrunt, & Vallem efficiunt, quæ* Intal *a nostris vocatur.* Hanc arbitratur idem Simlerus esse *Pœninam Vallem,* quæ regebatur à Prolegato Rhetiæ & Vindeliciæ, ut habet Inscriptio, quæ Florani visitur in agro Veronensi:

Q. CAICILIO. CISIACO
SEPTICIO. PICAI
CAICILIANO
PROCVR. AVGVSTOR. ET. PROLEG
PROVINCIAL. RÆTIAL ET. VINDELIC
ET. VALLIS. POENIN
AVGVRI. FLAMINI. DIVI. AVG.
ET. ROMAI
C. LIGVRIVS. L. F
VOL. ASPER
Y. COH. I. CR. INGENVOR

Summas. Sequi videntur *Alpes Summæ,* quarum meminit Cæsar; scribens Nantuates, Veragros, Sedunosque ab finibus Allobrogum, Lacu Lemano & Flumine Rodano ad *Summas Alpes* pertinere. Glareanus *Summas Alpes* locat, ubi in omnes mundi plagas Flumina eximia evomuntur, & originem habent, qualia sunt Ticinus, Tosa & Madia, qui ad Meridiem; Rodanus, qui ad Occasum; Arola & Vrsa, qui ad Septemtrionem; Renus, qui duobus fontibus ad Ortum fluunt. Glareano suffragantur Scudus, Stumpfius, Leander. Rhenanus *Summarum Alpium* appellatione designari putat *Penninas,* hoc est partem illarum hoc nomine donari. Alciatus *Summas Alpes* ait ab Cæsare nominari, quæ sunt inter Sedunos & Veragros, ubi nunc Octodurus est pagus: idem adfirmant Raimundus Marlianus, Iovius, Cuspinianus, alijque plures. Iosias Simlerus arbitratur nomen *Summi* apud Cæsarem non poni, ut aliquæ *Alpes* isto quasi proprio titulo discernantur ab reliquis *Alpibus,* sed esse nomen Appellativum, ut Grammatici vocant, & idem esse atque *τὰ ἄκρα τῶν Ἄλπεων,* vel *Alpium Culmina,* ut Cæsari dicuntur. Eum omnino vide. Ego Simlero subscribo: eaque notione accipiendam censeo Antonini *Alpem Summam* in Itinere, quod Roma per *Alpes Maritimas* ducit Arelatum; uti etiam alibi vocantur *Summus Penninus & Summus Pyrenæus.*

Lepontia. *Lepontias Alpes,* quarum Antiqui Scriptores meminerunt, esse, non est dubium, omnes Alpes ab Reni fontibus ad Rodani usque scaturiginem, ubi hodie Levantinæ Breuniæque Vallis, quæ *Palensa* dicitur, Incolæ; ad quos *Crispaltus & Lucumonis Mons,* Crispalt & Luckmanier altera parte pertinent. Certe vestigium adhuc ibi manet antiqui nominis. Vallis enim, per quam Ticinus delabitur, *Levantina* ab Italis, quasi dicas *Lepontina,* nominatur: Adcolæ vocant Liviner tal/ vel Levontiner tal. Mons altissimus, per quem ab Vranis Helvetiis in Italiam trajicitur; *Gothardi Mons* dicitur. Consentiunt hic ætatis nostræ doctissimi viri. Iovius has *Minores Lepontias* vocat, ad differentiam *Alpium,* quibus ab Lario Lacu per Clavennam Curiam Rhetorum iter, quas *Lepontias Maiores* nominat. Alciatus *Lepontias* statuit in Suitensibus, qua Claronam ex Bilitonis Castro recta tenditur.

Rhetica. *Alpes Rhetica* me vocant. Ad Rhetos pertinent Alpes ab Como Veronam usque; Rheti enim, inquit Strabo, ad Italiam spectant supra Comum & Veronam, *Iugorum Rheticorum* mentio apud Tacitum & Plinium. Plurima autem sunt *Rheticarum Alpium* Iuga. *Adulas Mons* principem inter eas tenet locum: Rhetis *Colmen de Olcello,* Germanis der Vogel. ut Simlerus & Scudus notant: utque alij, *Mons S. Bernardini,* per quem ab Rhetis Bellizonam itur. Ἀδούλη Straboni, qui Rhenum inde deducit, & Ptolemæo. *Bralium* vocat Simplicitas vernacula, ut ait apud Simlerum Alciatus; qui, quod Strabonem corruptum censens pro *Adula* reponendum putet *Ad,am,* frustra est. *Grauas* hodie appellari scribit Iovius in Larij Lacus descriptione.

quarum Partes, Adulas.

Adula

Adulæ proximus est *Speluga* (celebris Vici est nomen) *Mons*: Rheti *Colmen del Orso*, Germani **den Vrschler und den Splüger-berg** vocant. Spelugæ. *Rhetico* Germaniæ Mons, inter altissimos à Pomponio Mela, lib. III. numeratus: Scudus **Prettigou-werberg** appellat, qui in Helvetia est. Rhetico. De eo sic in Commentarijs ad Taciti Germaniam Andreas Althamerus: *Rhetico Mons apud Pomponium Melam est Iugum illud Rhetiæ Primæ, inter fines Curiensium & Vallesianorum, Helvetiis imminens; cui adhærens Vallis vetusti nominis reliquias servat: Vulgo enim* **Braetigou** *(Vicum habens Ienatium) id est, Rhetorum Ager, Pagus, aut Vallis pro* Rheticone *appellatur. Puto insuper Pomponium* **Braetigaou** *ad Romanæ Linguæ figuram in* Rheticonem *deflexisse. Dicitur præterea Vallis* Montalum *ab Comitibus de Sonnebergo, quibus paret.* Hæc Althamerus, qui de varijs *Rheticarum Alpium* nominibus sic pergit: *Vbi incipiunt, Grisones* **Graubundter/** *Engedini, & Helvetica Montana,* **das Schueitzer gebirg/zum Einsideln/** *id est, ad Anachoritas, Montes S. Bernhardi, S. Gothardi.* **der Gothart/** *Sprulius, S. Nicolai; ubi desinunt, Tridentinæ Alpes,* **das Triendisch gepirg/** *nuncupantur: ac juxta Adcolarum diversitatem diversa invenerunt vocabula.* & alij: Varia per *Rheticas Alphes* ducuntur Itinera apud Antoninum, de quibus in mea *Rhetia*.

Postremo loco sunt (si quæ *Alpes* Italiam contingunt, consideremus) *Iuliæ & Carnicæ*. Iuliæ. *Iulys*, quarum meminit Mela, nomen ab *Iulio Cæsare* videtur impositum. Nam, ut Sex. Rufus scribit, Iulio & Octaviano Imp. per has Alpes iter est factum. *Iulien* Incolis hodie & Adcolis; quin & *Zelte* vel *Zulien* lingua & pronunciatione Tusca, Z pro I consonante. Positæ sunt inter *Rheticas & Carnicas*; Venetorum Ditionibus incumbentes; unde etiam Ammianus libro XXXI. *Venetas* ab Antiquis dictas notat. quæ & Venetæ, & Tarvisianæ. *Tarvisiam* quoque *Montes* sunt apud Plinium lib. III. cap. XVIII. ab Tarvisanorum agris appellati. Meminere *Iuliarum* Tacitus lib. XIX. & D. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani. Mentionem facere videtur Livius, ubi Gallos per Taurinos Saltus *Iuliasque* Alpes transcendisse, duce Belloveso, scribit: sed reponendæ apud eum ex sententia Magnorum Virorum *Invia*. *Iuliarum* pars *Taurus* apud Melam, in Episcopatu Salisburgensi; quarumque Pars Taurus, ubi hodie multa loca **Thaurn** vocantur, uti sunt **Karn-thaurn/Krumleck-thaurn/Rhadstatter-thaurn/** & alia. Rhenanus tamen pro *Tauro Taunum* legendum scribit apud Pomponium & Tacitum: *Taunus* etiam præfertur in Codice Taciti, qui Venetijs excusus anno CIↃ IↃ XII. Ego nihil muto. Memini namque, quum anno CIↃ IↃ XXCIV. mense Novembri, redux ex Italia, comitatus V. CL. Petro Brederodio, Montem hunc transcenderem; cum alios, tum Hospitem, qui Cauponam in summo ibi vertice exercebat, Iugum illud, quod Radstadio, Salisburgensis Præsulis opido, imminet, litteris omnibus **Radstatter-Thaurn** appellare. Transcendi autem non sine summo Vitæ periculo. Exterioribus enim Artubus (ut obiter hoc dicam) immenso frigore adstrictis, quum Interioribus Visceribus, quæ contra ex operosiore adscensu supra modum æstuabant, refocillandis gelidissimum hausissem, avidius quam par erat, Fontem, aliquamdiu pro conclamato jacui subito stratus; sed adfuit ope sua clementissimus Deus.

Carnicæ Alpibus finem ponunt, ceteris minus arduæ, quæque faciles superari possunt. Carnicæ. Nomen ab *Carnis*, qui hodie **Krainer**. Earum portio Mons *Ocra*; Ὄκρα Straboni lib. IV. & VII. & Ptolemæo, Alpium pars humillima, qua ad Carnos itur. quarum portio Ocra. Itinera quædam per *Alpes* has describit Antoninus ab Aquileia in varias Norici Vrbes: quæ dare explicareque alius est loci. Tam *Iuliæ* quam *Carnicæ Alpes* etiam *Noricæ* audiunt, quod Noricum Germaniæ, Armis adquisitæ, Regio ijs adjaceat. Noricæ.

Iam quo loco dictæ fuerint *Alpes Atrectianæ*, mihi nondum liquet. Atrectianæ. Earum mentio in antiqua Inscriptione, quæ sic habet:

T. APPÆO T. F. VEL
ALPINIO. SECVNDO
PROC. AVGVST. XX HERED
PROC. ALP. ATRECTIANAR
PRÆF. VEHICVL. SVB. PRÆF
CLASS. PRÆT. RAVENN. PR
ALÆ. I AVG. THRAC. TRIB. COH
I ÆLIÆ. BRITTON. PRÆF
COH. IIII. GALLOR. PATRON
COLON. FLAMINI. DIVOR
OMNIVM. AVGVRI
II. VIR. QVINQ. BIS
OB MERITA EIVS

Alpinæ Gentes. *Alpinas* porro *Gentes* universim enumerat Inscriptio, quam ex *Alpium* Trophæo in Opus suum Naturalis Historiæ contulit Plinius lib. III. cap. XX. Initium eius hoc modo conceptum fuisse censendum est:

IMP. CÆSARI. DIVI. F. AVGVSTO
PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIB. POT. XVII
S. P. Q. R.
QVOD. EIVS. DVCTV AVSPICIISQ
GENTES. ALPINÆ. OMNES. QVÆ. A. MARI
SVPERO. AD. INFERVM PERTINEBANT
SVB IMPERIVM P. R. REDACTÆ SVNT

Sequebantur inde Gentes circiter quadraginta quinque: nam eas adsculptas fuisse, satis patet ex subsequentibus Plinij verbis: licet alij sequius sentiant, Inscriptionem ita ponentes, quasi non fuissent adiectæ. De singulis dicendum suis locis, cum in Italia, tum Germania: de nonnullis etiam dictum iam in Gallia libro superiore, de Nantuatibus, inquam. Medullis, Caturigibus, & alijs.

Flumina. *Alpibus* originem suam debent quatuor nobilissima Europæ Flumina, quæ innumeros pene Amnes secum in diversa Maria deferunt: *Padus* per Italiam in mare Hadriaticum defluens; *Rodanus* per Gallias in Ligusticum; *Rhenus*, inter Germaniam & Galliam Finitor, in Oceanum; postremus *Danubius*, (quem ex Alpibus oriri alibi dicam) longissimo cursu Illurici provincias emensus Euxinum intrat Pontum. Lacus. Lacus habent infinitos: inter quos principis loci, qui in editissima Montis Cenisij planicie, ex vivis perennibusque puris scatebris; in Campo summo, celsissimo, planissimo, cui nihil Montium vel Clivorum imminet. Nam non mirum est, Fontes. alibi alios esse, ex nivibus pluvijsque collectos. Fontes frigidos pariter & calidos, quibus Alpina Regio abundat, prætereo. In Alpibus, quæ perpetua rigent glacie, Crystalla. plurima pulcherrimaque Crystalla reperiuntur. Metalla. Metallorum feraces esse, exploratum est: quur autem Fodinas Incolæ fieri nolint, docet Iosias Simlerus. Arbores. Proveniunt ibidem felicissime cum aliæ Arbores, tum Abietes, Pinastri, Piceæ: Abietes certe nonnunquam CXXX pedum inveniuntur; commendari expetique solitæ non solum ob proceritatem, verum etiam ob Materiæ firmitatem. Herbæ. Non tantum Pascuas Herbas Pecoribus gratissimas, suppeditant (quid hic sit zu Alp faren/ alibi noto) sed & multa Plantarum genera, rara & non facile alibi obvia, passim ibi sese offerunt; partim ab Veteribus descripta, partim adhuc antiquo nomine, certaque descriptione destituta. Plerarum enumeratio est apud Conradum Gesnerum, Ioannem Fabricium, Benedictum Aretium & Iosiam Simlerum; Animalia. apud quem & Animalium Alpinorum, Quadrupedumque & Avium est Catalogus diligenter concinnatus.

Apenninus. Hæc de *Alpibus* quæ Italiam secundum Latitudinem ab Gallia Germaniaque separant: sequitur *Apenninus*, qui inter Superum Mare & Inferum excurrens, perpetuo

perpetuo ductu eamdem secundum Longitudinem secat in duo Latera. Sic dictus putatur, quod radices habeat *sub Penino* Hannibalis transitu; ejusque Iuga contingat media sua Latitudine: Nonnullis *Apeninus*, quasi à *Pœnis*, quum, Hannibale Duce, in Italiam irrumperent, patefactus: Quidam ab *Api*, prisco Duce, qui totam Italiam devicit, dirivant. Ἀπέννινα Ptolemæo, & alijs; Ἀπέννιον, Stephano. Scribit Polybius lib. III. oriri hunc Montem paullo supra Inferum Mare ab Alpibus, moxque se magis ac magis ab illis disiungentem recto dorso in Superum Mare ferri, quasi ad Vrbem Senam; inde rursus ad dextram se flectentem per mediam Italiam in Siculum Fretum discurrere. Notat Strabo lib. v, Montes *Apennini*, quum Arimini & Anconis loca contigerint, Iapygiæ Latitudinem ab Mari ad Mare terminare: rursusque flexu totam Regionem in longum secare usque ad Picentes & Lucanos; nec multum ab Hadriatico distare Sinu; quum vero Lucanis adpropinquant ad alterum inclinari Mare; de hinc per Lucanos & Brutios tendere, seque ad Leucopetram, Agri Rhegini Promontorium, terminare. *Apenninus Mons*, inquit Plinius lib. III. cap. v, *Italiæ amplissimus, perpetuis Iugis ab Alpibus tendens ad Siculum Fretum.* Ptolemæus ait *Apenninum* ad Anconem in latus digredi, Hadriaticum Mare versus, idque pene contingere: ac dein ad Garganum explicatum, hinc in meridiem conversum ad Leucopetram procurrere, Rhegioque Iulio finiri. Perpetuum sane Montis hujus Iugum instar est Italiæ Dorsi, quod elatum per mediam Regionem sensim incedens, tandem in duo Cornua diducitur, altero Siculum, altero Ionium Mare respiciens, ut Solinus & Mela tradiderunt. Lucanus lib. II.

Vnde dictus. — *Eius Descriptio, ex Polybio.* — *Strabone.* — *Plinio.* — *Ptolemæo.* — *Solino, Mela, Lucano.*

> *Mons inter geminas medius se porrigit undas*
> *Inferni Superique Maris.*

Longus porro dicitur Iuvenali Satyra I.

Longitudo.

> *Sic, cosiam longo subduximus Apennino.*

Longitudo Monti eadem, quæ ipsi, quam secat, Italiæ. Altitudo eadem fere, quæ Alpibus. Silius Italicus:

Altitudo.

> *Alpibus æquatum tollens caput Apenninus.*

Apenninus utrimque clarissima provomit in utrumque Mare Flumina: In Tyrrhenum quidem præter eos, qui minorum gentium, *Arnum*, *Tiberim*, *Lirim*, *Vulturnum*; in Hadriaticum autem *Rubiconem*, *Truentum*, *Aternum*, *Aufidum*, & alios.

Flumina.

Multos alios habet Italia Montes; vel qui Minores Apennini sunt Portiones & quædam quasi Membra: vel quos idem, tanquam fœcundus multorum Genitor, ex se hinc inde protendit; vel denique, quos haud procul ab se locatos radicibus eos suis contingens majestate quadam & superiore coniacentibus fastigio despicit. Eos, non omnes tamen, paucis indicabo, servato Regionum, in quis illi, ordine.

Alij Italiæ Montes.

Liguriæ sunt *Balista*, *Suimontium*, *Letus*. *Balista* Livio lib. XLI. Mons Liguriæ: *Valestra* Leandro. Adjungit illi Livius non semel alterum, quem *Suimontium* vocat, qui & *Suismontium* scribitur lib. XXXIX: itidem *Letum*, cujus etiam mentio apud Valerium Maximum; Leandro *L'Alpi del Peregrino*.

Liguriæ quidem, Balista. Suimontium. Letus.

Æmiliæ præter *Zibium* & *Petram Pisonianam*, *Bardonis* est *Mons*, qui nominatur apud Paullum Diaconum lib. v. & vi. Langbard. Histor. & Ottonem Frisingensem libro II. de rebus gestis Friderici I. *Pardonis* scribitur, per P. Conrado à Lichtenau. Ab hac voce fluxit, quod non ignobilis *Apennini* pars in Saxonum Chronico (ut Reinechius tradit in suo de Familijs Syntagmate) dicatur **das Parther Gebirge**. *Bardonis Apennini* Iugum Blondus esse conjicit inter Parmensem & Lucensem Agrum.

Æmiliæ, Zibius. Petra Pisoniana. Bardonis Mons.

Insubrorum cum *Lucumone*, *Plontino*, *Iacere*, *Margotio* & *Brigantia* (quæ vulgaria & nota Collium *Apennini* Nomina) est, quem *Sempronium* Latini vocant; alij *Scipionis*: *Sempionio*, Italis; *Simpler* Vallesianis.

Insubrorum, Lucumo. Plontinus. Sempronius.

Apud Cenomanos est *Stella*.

Cenomanorum, Stella.

Apud Venetos vel in Marka Tarvisana cum *Gemula* & *Vinda*, Colles sunt *Euganei*, ab *Euganeis*, qui & Heneti, & postea Veneti, denominati: Lucano, Martiali, alijs Poetis decantati. *Tarvisanos* ibidem *Montes* habet Plinius lib. III. cap. XVIII; ubi in Vulgatis Exemplaribus sunt *Taurisani*. Est & *Baldus*, mons altissimus, Herbarum

Venetorum, Gemula. Vinda. Euganei. Tarvisani. Baldus.

barum Medicinalium abundans copia; quibus ad ſanandos quoſcumque Morbos petendis Herbarij ex omnibus Europæ partibus eo confluere ſunt ſoliti.

Picenorum. Victor. Furcæ Peſcia. Auximus. Corvus.

Apud Picenos præter *Victorem* & *Furcas Peſcas Auximus* eſt, ab *Auximo*, Picenorum Vrbe, & *Corvus*, unde cum *Albula* & *Truento* multi fluunt Amnes per Marrucinos, Prætutianos, Marſos.

Etruriæ. Ciminus.

In Etruria porro offerunt ſe cum alijs, tum *Ciminus*, vel, ut alijs ſcribitur, *Cyminus* Livio Vibioque notus; nec non Virgilio lib. VII.

Hi Soractis habent Arces Flaviniaque Arva,
Et Cimini cum Monte Lacus, Lucoſque Capenos;

Soractes.

Prope Viterbum eſt; vulgo, ut Leander notat, *Monte Viterbo* dictus: *Soractes*, Plinio lib. VII. Tuſciæ Mons apud Hirpos haud procul ab Via Flaminia, teſte Servio: hodie, ut Leander aliique volunt, *Monte di S. Silveſtro*, ab Romano Præſule, qui Conſtantini Principis iram veritus ibi aliquamdiu latitaſſe perhibetur. Erythræus *Monte S. Treſto* interpretatur. Notat ad Horatium Acron eſſe Apuliæ montem; Porphyrius, majore fide, Faliſcorum. Monſtrat quaſi digito Horatius amico ſuo Thaliarcho, ſive in Agro ſuo Sabino, ſive in Vrbe Roma conſtitutus, quum inquit lib. I. Carminum, Ode IX.

Vides, ut alta ſtet nive candidum
Soracte.

Ad hunc Montem Hirpi, ut tradunt Veteres Scriptores, annuum faciebant ſacrificium Apollini, idque operantes geſticulationibus religioſis exſultabant, ſuper ambuſtam lignorum ſtruem, flammis parcentibus, ambulantes; & ob id perpetuo SC. Militiæ omniumque aliorum Munerum habebant vacationem. Hinc Virgilianus Aruns:

Summe Deum Cuſtos ſancti Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Paſcitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus veſtigia pruna.

Eadem ſunt apud Silium Italicum lib. V. Belli Pœnici, qui *Soractis* quoque meminit lib. VII. & VIII. Strabo non Apollini, ſed Deæ Feroniæ Sacrum illud fieri ſolitum notat; Parcentes autem Flammas Varro non Pietati tribuit, ſed Medicamento, quo Hirpi plantas tingebant. *Feſulanos Montes* habet etiam in Etruria Oroſius, ſic appellatos ab *Feſulis*, Tuſciæ Vrbe: *Cortonenſes* ibidem ſunt ad Septemtrionem Lacus Traſumeni, ab *Cortona* opido.

Feſulani Montes. Cortonenſes.

Latij. Albanus.

In Latio, præter ſeptem Vrbis Romæ Montes, de quibus alibi, *Albanus* eſt, Scriptoribus omnibus, Græcis Latiniſque, celebratiſſimus; ab *Alba*, cui imminet, dictus. Mons eſt præcelſus; longitudine ſe porrigens ad Artemiſium; vertice perarduo & aſpero, ut ſcribit Strabo. Fuit olim in eo Iovis Latialis Templum, ab L. Tarquinio Priſco, V Romanorum Rege, ædificari juſſum, quo Latini alijque Fœderati quotannis ad Ferias Latinas, accepturi Viſcerationem, conveniebant. Legendus omnino præter alios Dionyſius Halic. lib. IV. Ejus Templi aliorumque Ædificiorum multa adhuc hodie ibi rudera. In hoc Monte, quum Romæ negaretur, ab Impp. triumphari ſolitum, memoriæ produnt Veteres Scriptores. Mons *Cæcubus* in Sinum Caietanum uſque porrigitur, ab Vini, quod fert, generoſitate nominatiſſimus. Arboribus conſitus eſt fructiferis multis. *Veſtinus Mons* eſt Hygeno de Limitibus conſtituendis, circa Minturnas. *Algidus* XII. ab Vrbe eſt lapide, uti numerat Eutropius lib. I. ab *Algido* opido, quod hodie *Rocha del Papa*. Obſeſſus in hoc monte Q. Minutius coſ. liberatus legitur ab L. Quinctio Cincinnato Dictatore apud Rerum Romanarum Scriptores. *Aventinum* vocat Vibius Sequeſter Montem, in quo Præneſte Civitas. *Lepinus Mons*, in quo Signia Coloniæ de eo Columella lib. X. *Catillus* Mons Tiburti apud eumdem Vibium & Servium, qui eum *Catellum* vocari ait per corruptionem: hodie *Catelli*. *Ceraunios* etiam Montes Latij habet Halicarnaſſæus.

Cæcubus. Veſtinus. Algidus. Aventinus. Lepinus. Catillus. Ceraunij.

Vmbriæ. Ingenium. Eugubinus. Floridus. Ceronnij. Cruſtumeni. Fiſcellus.

In Vmbria, quæ hodie Ducatus Spoletinus, præter *Inginium*, cujus meminit Strabo, *Eugubinum*, *Floridum*, & alios; ſunt, qui Κορνικλοι Halicarnaſſæo lib. I; Latinis forte *Corniculi*: videtur Zonaras Καρῖνας vocare. *Cruſtumeni Montes* ibidem, ex quibus Allia flumen præalto defluit alveo, ut Livius teſtatur. *Fiſcellus* Iugum illud

Apennini Plinio dicitur, unde duobus erumpit Fontibus Nar Fluvius: hodie *Monte Fiscello*. Sequitur inde pars Apennini, quæ *Mons Victor*, ubi Apenninus supra Castellum Arquatam altissimis cacuminibus effertur, ut adeo seipsum celsitudine videatur superare, id est, ut adhærentia circumquaque iuga cetera, quamquam editissima, longe vincat; ideoque & ex re nomen huic Culmini datum *Mons Victor*. *Mons Victor.*

Ad Campaniam Felicem pertinent *Gaurus*, *Massicus*, *Falernus*, alij. *Gaurus* prope Puteolos est, & Vulturnum fluvium, notantibus Iuvenale, Servio, & Auctore de Viris Inlustribus cap. xxvi; Γαυρὸν Straboni: *Gaurani Montes* Plinio in Nat. Histor. libris. Meminit præter Livium, Ciceronem, Statium, Vibium, aliosque, Arnoldus Abbas in Slavorum historia. *Gallicanus* dicitur Plutarcho in Hannibale, unde *Gallicanus Saltus* Ciceroni pro L. Quinctio. Hodie *Monte Gerro & Barbaro*, uti censent, præter Blondum & Leandrum, Fern. Lofredus, Franc. Lombard. & Scipio Mazella Neapolitanus, qui Libellum auxit Ioannis Elysij de Balneis. Ejus inter alia de hoc Monte sunt verba: *Huius Montis pars Occidentalis* Gaurus; *Orientalis & Iuga eiusdem*, Massicus: *& Septemtrionalis* Falernus *dicebatur*. Quod ad *Gaurum* an is qui Γαῦρος, apud Stobæum de Morbis ex Heliodoro, Italiæ Mons, cui ad lævum Regio nivosa, ubi Aqua cum odore, tum potu amarissima, qua Adcolę medicandis oculis utuntur? *Gauranam Nauamachiam* locum nominat hoc tractu Symmachus lib. viii. epist. xxiii. *Massicum* non semel celebrat Virgilius, cujus de eo locum lib. vii. exponens Servius *Massicum* Campaniæ Montem Vini generosi feracem ait. De *Vinis Massicis* antea dixi. *Massicus* hodie *Monte Marso*: ejusdem Promontorium *Monte Dracone*, vel *Mondragone*, ab Arce cognomine, nunc appellari scribit Leander. *Massici* verum nomen *Osinium* esse arbitratur Servius ad x Æneid. *Massicum Montem*, ut propinquum Vesevum, Sulfur exsudare scribit lib. xiiii. cap. vi. Plinius; ut mirum non sit, ex eo haud procul Turre Balneorum calidos Fontes prorumpere, ad plurima Morborum, ut Strabo notat, genera salubres. Per *Massici* juga exercitum ducit, ut Hannibalem Cunctatione frangeret, Q. Fabius Maximus apud Livium lib. xxii & alios. Quod ad *Falernum*, eum Plinius a Ponte Campano incipere ait, læva petentibus urbanam Coloniam Sullanam, antea Capuæ contributam. *Prostripus* vocatur in Libello Lombardi de Balneis Puteolanis: & *Postripus* apud Ioannem Elysium. *Falernos Montes* Massicos dici notat Iunius Philargyrius: hodie *Rocca di Mondragone*. Ab eo *Falernus Ager & Vina Falerna*, de quibus alibi. *Vesuvius Mons* Tacito lib. iv. Plinio lib. iii. nat. hist. cap. v. Melæ lib. ii. Floro lib. iii. hist. Rom. cap. xx. Vitruvio lib. ii. Architect. Cassiodoro, optimisque quibusque Scriptoribus nominatur; qui *Vesevus* Virgilio lib. ii. Georgic. & Suetonio in Tito cap. viii; *Vesebius* mss. Suetonij Codicibus: *Vesbius* Silio Italico lib. xii. Οὐέσβιος Appiano lib. i. bell. Civilium, Βέσβιος Plutarcho, Galeno, Georgio Cedreno; *Bebius* Paullo Diacono lib. vi. Rer. Langbard. *Vesvius* Valerio Flacco, ut apud eum legit Ludovicus Carrio, quemadmodum & reponendum censet idem apud Statium & Martialem; Οὐέσβιος Diodoro lib. iv, qui eum quoque *Phlegræum* vocat, ab ignium exæstuatione. Nominis Etymon ab Conflagratione tractum quidam putant: Nam *Vesuias* olim Favillas fuisse dictas. Alij *Lesbium* initio vocatum ab Lesbijs advenis aiunt, ut Galenus libro v. de Curationibus prodit. *Mævius* appellatur Vibio Sequestro, emendante Simlero: nam antea *Mænius* scribebatur. Hodie *Monte di Somma*, ab Castello *Somma*, radicibus addito; à quo & *Summanus* Latine scribentibus. Depingunt hunc Montem eleganter post Strabonem lib. v. Leander Albertus in Campania & Laurentius Schraderus in Italiæ Monimentis. Legenda etiam scitu digna de eo apud Cassiodorum lib. iiii. Variar. cap. l. Abesse ab Neapoli tradit Procopius lib. ii. Belli Gothici ferme lxx. stadijs, Urbemque ipsam & Aquilonem spectare; undique ab circumjectis Montibus divisum, circum radices Saltibus silvosum, uti etiam in summis cacuminibus: ibi enim invium horridumque esse: Medio ejus Voraginem esse profundam: eam in intima Terrę Viscera penetrare conjecturam esse: inde ignem & flammas prorumpere. *Vesuvius* Floro lib. i. cap. xvi, pulcherrimus omnium Ætnei ignis imitator. Silius Italicus lib. xii. Bell. Pœnici:

Monstrantur Veseva Iuga, atque in vertice summo
Depasti flammis Scopuli, fractusque ruina
Mons circum, atque Aetnæ fatis certantia Saxa.

Con-

Campaniæ hi iis. Gaurus,
qui & Gallicanus,
Massicus,
qui & Osinius,
Falernus,
qui & Prostripus.
Vesuvius,

Conflagravit cum alias, tum sub Tito Imperatore, ut scribunt Suetonius cap.VIII, Dio & Xiphilinus in Tito, Plinius Epist. ad Tacitum, Tertullianus Apologetico cap.XLVIII, Minucius Felix Octavio, Orosius lib.VII cap.IX. Pacianus de Pœnitentia & Confess. Eleganter Martialis lib.I.

Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris,
Presserat hic madidos nobilis Vva lacus:
Hæc Iuga quam Nisæ Colles plus Bacchus amavit;
Hoc nuper Satyri monte dedere Choros;
Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi;
Hic locus Herculeo Numine clarus erat:
Cuncta iacent flammis & tristi mersa favilla,
Nec Superi vellent hoc licuisse sibi.

Perijt eo incendio Plinius Avunculus cum Salcio Basso, quum ad caussas eius explorandas propius, quam oportebat, processisset; scribentibus Plinio Iuniore, Suetonio, Eusebioque de Temporibus. *Vesuvium* magnam emisisse vim flammarum anno CIↃ CCCVI, Conradi Imperatoris temporibus, legimus in Bononiensium Annalibus. Patrum etiam nostrorum memoria circa annum CIↃ IↃ XXXVIII horrendam fecisse eruptionem notat Sebastianus Munsterus lib.II. Cosmograph. Tradit Livius lib.VIII, ad *Vesuvij* radices pugnam illam Romanorum T. Manlio Torquato, P. Decio Mure coss. cum Latinis patratam, quando se Decius pro salute exercitus devovit, & in medios hostes invectus perijt. *Pausilypus.* *Pausilypus Mons*, hodie *Posilipo*, Romа Neapolim tendentibus occurrit; instar Promontorij in mare vergens. Cæsarem haud procul eo Piscinam habuisse scribit Columella, in qua Piscis sexaginta annos vixerit, cujus quoque mentionem facit Plinius lib.IX nat. hist.cap.III Viam, qua Puteolis Neapolim itur, intersecat & præcludit;&, ni perfossus esset, aut ambitu longissimo circumeundus foret, aut arduus jugorum abruptusque ejus Vertex superandus. Pertusus est ad passus plus minus mille, viaque patet lata pedes XII, totidemque alta; qua, sicut Strabo testatur, duo contraria Plaustra simul commeare & transire possunt. *Speluncam* appellat ipse; Seneca *Criptam Neapolitanam*, ubi fortem Athletarum omnem se perpessum scribit ad Lucilium Epist. LVIII; qui *Carcerem longum & obscurum* vocans, satis indicat Neronis temporibus nullas habuisse fenestras vel Aeris spiracula, præterquam in utriq; faucibus. Asserit tamen Strabo, per Montis Crepidinem olim fenestras plures varijs locis ex alto lumen infudisse; quæ lapsu temporis sunt obturatæ; sicque diu manserunt, donec Alphonsus I Aragonum Rex, Provincia in potestatem redacta, Via Faucibusque dilatatis perforari Montis Dorsum jusserit, duasque fieri Fenestras, quæ Lumen obliquum in mediam Speluncam ex adverso nunc infundunt. Ampliavit restauravitque id opus Petrus Toletanus; quum, Karoli V Imperatoris nomine, Regnum Neapolitanum administraret. Quis primus hujus operis auctor fuerit, non admodum est certum. Fabulam de magicis Virgilij Poetæ Incantamentis insulso Vulgo relinquamus. Zenobius Acciaolus in Panegyrico quodam Vrbis Neapolitanæ ejusque Civium, nonnullos ab *L. Lucullo* factum, alios à *Basso* dixisse tantum refert. Leander & alij *Cocceium* auctorem existimant, verbis Strabonis inhærentes, qui *Cocceium* cavam illam ac subterraneam viam a Cumis usq; Baias; & alteram à Puteolis Neapolim fecisse tradit. Plura vide apud eumdem Leandrum in Campania, & Stephanum Vinandum Pighium in Hercule Prodicio. Παυσίλυπος videtur quibusdam appellatus, tanquam ademtor Molestiarum & Laboris, quo ante Perfossionem Viatoribus superandus erat. Benedictus Falconius in sua Neapolitana Descriptione tradit Montem hunc Neapolim cingere; eumque nunc hæc nova habere nomina, *S. Hermo*, *Antoniano*, vel *Antignano*, *Conochia*, *& Cabo di Monte*, quo Promontorium ipsum designatur. *Misenus.* *Misenus* formam Promontorij habet, intimis visceribus adeo perfossus, Cryptisque & ædificijs fornicatis ita excavatus, ut Fornicum Pilis prorsus incumbere & insidere videatur. Meminerunt eius Livius, Virgilius VI Æneid. Silius lib. VIII, Tacitus lib.XIV & seqq. alijque. *Monte Miseno* hodie. In Opicis eum descripsit Halicarnassæus. Vide Caput sequens de Promontorijs. *Calma.* *Calma* mons celsissimus propter altitudinem sic dictus, Templo D. Mariæ imminens, prope Tripergulana *Mons Christi.* Balnea: ubi & *Mons Christi*, ita vocatus, quod imperitum Vulgus Christum ab Infe-

ris cum Sanctorum Manibus revertentem isthac transiisse credat. *Taburnus* Mons altus. De eo Virgil. II Georgic. *Taburnus.*

Non segnes taceant Terræ, juvat Ismara Baccho
Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum:

quem locum exponens Servius, *Taburnum* Campaniæ Montem Oleis abundantem scribit: Vibio Sequestro Samnitium est; Apuliæ Probo Grammatico & Pomponio Sabino. Concors Discordia. Omnium enim Fines aliquo modo premit. De eodem Virgilius lib. XII Æneidos:

Ac velut ingenti Sylva summoque Taburno.

Sic Gratius Poëta, ———*Candentia saxa Taburni.*

Hodie *Tabor*, Erythræo teste: *Taburno* autem Leandro. *Tifata* Livio lib. VII, XXIII, XXVI & XXXII, Velleioque Vol. II. Colles Campaniæ, Capuæ Urbi imminentes. *Tifata.* Festus libro penultimo de Verb. sig. *Tifata locus juxta Capuam.* Apud Dionē lib. XLII *Τιφατηνὸν* legit Robertus Stephanus. Silius lib. XII:

Tifata umbrifero generatum monte Calenum.

Hodie *Monte di Capua.* Habet &, ut alij notant, hæc nova Nomina: *Monte della Caserta, Matalone*, ab opidis conjacentibus. *Planus* editissimus est mons, ex Apennino oriens, in cujus declivitate supra Sarum Arca est opidum, aliaque in ipso Monte. *Planus.* In Agro Puteolano Mons est *Astrunus*, altissimus, in cujus medio tanquam ingens quædam est Lacuna, milliariorum fere trium, circa supremam oram, leniqueque clivo descendens capacitatis in fundo modicæ. *Astrunus.* Formam habet Theatri arte facti, profunditatis stadij plus minus unius. Per imam aream Aquula fluit clarissima, ad quam exiguus est Lucus perbellus, & introitus una in parte patet angustus. Suum de eo judicium aperit in Campania sua Leander Albertus. *Trifolinus.* Τριφόλινος Galeno lib. I. de Antidotis, Mons est Neapolis. Hodie apud Fontem S. Martini monstratur. Nihil in eo nasci scribitur præter *Trifolium*, unde nomen. Meminerunt *Trifolini* ab eo *Vini* Athenæus, Martialis, Plinius. Vide cap. IV.

In Samnitibus porro Montes adeo sunt excelsi, ut etiam ipsos Apenninos superent. *Samnitium.* *Mons Virginus.* Inter eos *Mons Virginus*, ob Divæ Mariæ Templum nominatissimus. Ab Apennino divisus est, itemque ab ceteris Montibus, quos solum radicibus contingit. Et tales etiam plures, ab Apennino ita separatos, tantæque altitudinis, qua etiam ipsa illius juga superent, Beneventanus Ager habet. *Matella* amplitudinis vastissimæ, adscensu difficillimus, rupibus asperrimus. *Matella.* Cacumen perpetua nive tegitur; multa herbida habet Prata; plurimos effundit Fluvios; Silvis superbit immensis, Ferarum copia scatentibus, præcipue Ursorum; Rupibus etiam abruptis horret plurimis. Earum unam coluit Petrus Moronensis, postea Celestinus V. P. M. Auctor Sodalitatis *Celestinorum*, qui & *Moronenses*, & ab hoc Monte *Matellani* cognominantur. Sunt & in Samnitibus Iuga Apennini: quæ *Montes Tremuli* vocantur, unde Sabbatus oritur. *Montes Tremuli. Matthesius.* Item Mons *Mathesius*, qui ab Apennino instar rami longissime latissimeque per Mediterranea protenditur; totus horridus, asper, saxosus & inanis. *Grumus* ibidem Antiquis pars Apennini, quam hodie *Crepacore* vocant, ut inquit Scipio Mazella in historia Neapolitana. *Grumus.*

Sabinis tribuuntur haud procul Reate *Tetricus & Severus.* De *Tetrico* Virgilius lib. VII. Æneid. *Sabinorum Tetricus.*

Qui Tetricæ horrentes rupes:

quod Carmen exponens Servius, Montem hunc difficillimum in Sabinis ait esse: Poëtæque vocari *Tetricum*, id est asperum, uti homines tristes & difficiles *Tetricos* appellare solemus, id est asperos. Mentio ejus apud Silium lib. VIII.

Nursia & a Tetrica comitantur rupe cohortes.

Tetrica Varroni de Re Rustica lib. II. Succedit *Mons Severus*, Virgilio etiam notus, quum addit, *Severus.*

Montemque Severum.

ubi Servius hanc Montis esse propriam appellationem docet. Hodie Monte *de S. Giovanni, Severo, Nero*, ut notat Leander. *Lucretilis* etiam Mons in Sabinis, teste ex Festi Collectaneis Paullo Diacono. *Lucretilis.* Horatius lib. I. Carm.

Velox amœnum sæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus, & igneam

Defendit æstatem capellis
Ipsaque meis, pluviisque ventos.

Cornus. Iuxta Gabios cum describit Acron. *Cornus* Mons Dionysio Halicarnassæo Κέρν@ per η est in Græco Exemplari, qui hodie, ut Leander opinatur, *Monte Corno* dicitur.

Apuliæ Garganus. Apud Apulos visitur cum alijs, qui *Garganus* Plinio, Pomponio Melæ, alijsque; Γάργανος Straboni; Γάργαρον Ptolemæo: *Carchianum* appellant Luithprandus Ticinensis & Sigebertus. Hodie *Monte de S. Angelo.* Meminerunt, præter Livium, Virgilius XI Æneid. Horat. lib. II. Odar. Lucanus lib. V, Silius lib. VIII, & alij. Præcelsus valde est & adscensu difficillimo; Silvis quibusdam peramœnis consitus, Herbisque medicis & salutiferis scatens. Latere, quo Mare spectat, ut Strabo notat, Promontorium habet in exortum spatio CCC stadiorum procurrens. Incipit ab Apennino, ex cujus radicibus Iugum enascitur editissimum, latitudine P. M. duorum, longitudine viginti post quod ita paulatim Mons ipse absurgit, ut in summam altitudinem, vastitatem, amplitudinemque desinat. In mare tam longe protenditur, ut ambitu radicum, quas planicies excipit, ad ducenta P. M. contineat; quamquam Plinius spacium hoc CXXXIV esse prodiderit. Lacum habet cum alijs *Varanum*, cujus ambitus XXX Milliarium. De Promontorio *Gargani* alibi. Scribit Strabo Geographiæ libro VI in Agro Daunio (inemendati Codices *Sauntum* habent)

Drium. circa collem, ῷ ὄνομα Δρίον, duo exstitisse Fana; unum summo in vertice, Calchantis, cui oraculum consulentes Nigrum Arietem cædebant, ejusque pelli stratæ indormiebant; alterum ad Montis infimas radices Podalirij, c ab mari stadijs, ex quo rivulus ad omnes Pecudum Morbos salutaris promanabat. Leander alijque locorum Apuliæ Dauniæ peritiores, Templa hæc Collemque *Drium* Agris *Gargano* Monti finitimis exstitisse arbitrantur.

Locrorum, Clibanus. Apud Locros denique Epizephyrios *Clibanus* Mons est, cujus meminit Plinius, quemque Pinetus *Monte Leone* interpretatur; Barrius *Visardo*, ponens in Calabria. *Olibanum* legendum suadet Celsus Cittadinus, vocari hodie scribens *Il Bolenti di Solano*, esseque in Apennini summitate inter Cosentiam & Rhegium. Est ibidem

Esope. Ε'ζώπη, supercilium Locrorum Epizephyriorum, in quo Strabone teste, urbs Locri condita.

CAPVT VI.

Italiæ *Promontoria, Cornua, Scopuli.*

Promontoria. INDICATIS plerisque Italiæ Montibus, adscribam *Promontoria*. Eorum enarrationem ab Liguria ordiar: prosequuturus porro Italiæ versus Euronotum littora, totamque mox circumspatiaturus.

Liguriæ. Merula. Ad Liguriam igitur pertinet quod hodie *Merulæ Promontorium*, ab *Merula* Fluvio, cuius Plinius meminit: hodie *Capo delle Melle*; aliudque quod ævo superiori *Sumarium*, hodie *Caput Montis*, vulgo *Codemonte*. Mons est saxosus, adscensuque perdifficilis, mare spectans, D. Fructuoso sacer, cui in eo Fanum augustum. Ex altis eius rupibus asperisque claræ præcipitant Aquæ, mox per angustas Fauces Mare petentes.

Sumarium.

Etruriæ. In Etruria *Populonium* est; Ποπλώνιον Straboni & Ptolemæo; nomen habens ab Vrbe *Populonia*, Maritima, hodie penitus excisa, neminique habitata; vulgo *Porto Baratto*. Post Populonium statuo Cherronesum ingentem, seu Promontorium in Mare excurrens, quod *Montem Argentarium* vocant, cui uno in latere D. Stephani Opidum, altero Portus Herculis. Annius *Montem Volcentarium* appellandum contendit, ab Vrbe Etruscorum *Volce*, quam Antoninum & Catonem adserit memorare, quæque vicina ipsi fuit Promontorio; nec procul Roseto, ut Volaterranus perhibet, nunc propemodum exstincta tota. *Voceque* dicta, pro *Volce*. Addit Annius voculam *Vol*, antiquissimum & priscum significare; *Ce* vero vel *Cen*, nihil aliud esse quam Aes, aut Argentum; hinc *Montem Argentarium* nunc pro *Volce* vocari, seu

Populonium. Argentarium.

cor-

corruptione, seu interpretatione. De *Monte Argentario* Rutilius Numatianus Itiner. lib. II:

Tenditur in medias Mons Argentarius Undas,
Ancipitique jugo cærula rura premit:
Transversos Colles bis ternis millibus effert,
Circuitu Ponti ter duodena patet.

Latii est, quod *Circæum* Plinius & Pomponius Mela vocant Κιρκαῖον Strabo, Ptolemæus, & Aristoteles in Admirandis. Latii. Circæum. Hodie *Monte Circello*, uti censet Leander Albertus. Descriptio ejus est apud Theophrastum de Plantis lib. IX. cap. IX. Insulam olim fuisse, circumfluam immenso Mari, ævo autem senescente additam fuisse continenti, ait Solinus in Polyhistore. Sic Plinius: *Circæi quondam Insula, immenso quidem Mari circumdata, si creditur Homero, at nunc planitie.* An fabulosus hic Homerus? Sic videtur Procopio lib. I. rer. Gothic. quem vide. Strabo *Montem Circæum* statuit CCXC stadiis ab Antio, Mari propinquum: ac partim eo, partim Paludibus Insulæ modo, cinctum. Videndus & Servius ad Æneid. Virgil. VII. Dionysius lib. IV. *Circæos* locum oportunum ad Mare situm, Promontoriumque Tyrrheno imminens describit, ubi Circe, Solis Filia, dicitur habitasse; si fides Melæ, Solino, Ovidio, aliis. Fuit in eo quomdam opidum Sacellumque Circes, & Minervæ Ara. Strabonis ætate Poculum ibi ostendebatur, quo bibisse dicebant Ulyssem. Mons efficacissimis Herbis abundasse scribitur; quarum Vi *Circen* homines in bestias commutavisse ferunt. *Circæum Promontorium* etiam Ptolemæus depingit, in quo Civitas parva *Circæum*, Tarquinii Superbi Colonia, loco in Pomptinis Campis totius Latii maximis peropportuno, ut Halicarnassæus & Livius prodiderunt. Refertus hodie hic Mons Robore, Lauro, Myrto, Stirpibusque variis, quæ faciendis Medicamentis potentes & aptæ. Promontorii hujus mentio videtur esse in Antiquo Lapide, *Venerisque* vocari:

PROMVNTORIVM VENERIS
/ / / / / / / / / / / / / / / / / / /
CIRCAEIENSIVM / / / / /
/ / / / / / / / / / XXI / / / /

Exstare testatur in ipsius Montis superficie Angelus Breventanus, rei Antiquariæ Romanæ diligens indagator; putans numeris in Inscriptione indicari Loci istius ab Urbe distantiam.

Occurrunt mox in Campaniæ Littoribus Promontoria *Caieta, Massicum, Misenum,* Campania. Caieta. *& Minervæ.* Primum sic dictum, ut Leander ex Strabone notat, Laconico vocabulo, ab Curvitate: Lacones enim Curva omnia καιάδα appellare solitos. Solinus tamen auctor, sic ab Æneæ Nutrice nominatum, quod etiam canit Virgilius lib. VII.

Tu quoque Littoribus nostris Aeneia Nutrix
Aeternam moriens famam Caieta dedisti.

Quem in locum Servius adnotat, alios hanc Æneæ Nutricem, alios Creusæ, alios Ascanii dicere: lectum tamen etiam in Philologis, hoc loco Classem Trojanorum casu concrematam; indeque *Caietam* ἀπὸ τοῦ καίειν dictam, quod accendere adurereque Latinis significat. Visitur hodieque in altissimo hujus Promontorii Cacumine L. Munatii Planci Oratoris, Ciceronis Discipuli, Mausoleum marmoreum, sub Augusto Cæsare exstructum, adhuc integrum, longe lateque prospectans in Mare. *Turru Orlandina* vulgo nunc vocatur, fabulosis involuta originibus. Describit docte & eleganter Franciscus Schottus IC. ab Corona Pighio, diligentissimo Antiquitatum Investigatore. Inscriptionem, quæ ibidem in honorum Planci posita, vide Lib. V cap. de Rhetia. *Massici Montis Promontorium* Plinio in Campania Felice est: Massicum. hodie *Monte Dracone*, ut cap. præcedente dixi. *Misenum Promontorium* celebratur à Ptolemæo, Strabone, Solino, Plinio, Pomponio Mela, Antonino, Tacito, aliis. Nomen illi ab *Miseno*, Æneæ Tubicine & Remige, qui vel fato raptus vel im- Misenum. molatus ad Avernum, ut Servius tradit, hic sepultus creditur. Virgilius lib. VI Æneidos:

At pius Aeneas ingenti mole Sepulcrum
Imponit, suaque Arma Viro, Remumque Tubamque
Monte sub Aerio: qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per secula Nomen.

Festus: *Misenum Promontorium ab Miseno Tubicine Aeneæ ibi sepulto appellatum est.* Canit Virgilius *Aerium* antea dictum: an quod propter meatus & concavitates Aërem passim & Ventos admittat: Certe ut olim, ita nunc etiam Cryptis & Cavernis multis pertusus est & concavus; ita exhaustis magna ex parte Montis Visceribus, ut suo Cacumine pensilis esse videatur. Promontorium hoc infame naufragijs fuisse, patet ex Taciti lib. XV & Senecæ Epist. LXXVIII, de Alexandrinis Navibus naufragium ibi passis. Innuit idem Seneca, Minervam ibi cultam, & procellosæ loci Deæ libare solitos Nautas, periculo maris defunctos. Statius:

Prima salutavit Capreas & margine dextro
Sparsit Tyrrhenæ Mareotica Vina Minervæ.

Canit autem non abs re Virgilius Æneam hic posuisse Miseni sui Arma,

Remumque Tubamque,

insinuans Montem celebrem perpetuo futurum propter Classem & bellicarum Navium Stationem, quam ibi juxta *Misenum* Augustus ad tutelam Maris Inferi tunc primum collocarat. Adcommodavit Stationem illam M. Vipsanius Agrippa, uti memorat Dio, bello Siculo contra Sex. Pompeium Præfectus Classis ab Augusto factus; atque in eo sinu Maris posuit, qui inter *Misenum* & Cumas collibus cinctus instar Lunæ corniculatæ incurvus & inflexus erat; loco nimirum capacissimo vel maximæ Classi oportuno, propter vicinos Maris Sinus triplices ab altero *Miseni* latere inter Baias & Puteolos ingruentes: Bajanum videlicet, Lucrinum, & Avernum Lacus, quædam *Maris Otia* pulcre nuncupatos ab L. Floro. Legendi Tacitus lib. IV Annal. Suetonius in Octaviano cap. XLIX, Vegetius lib. IV de Re militari, cap. XXXI. *Classis Misenensis* mentio in Antiquo Lapide, qui Romę in hortis Cardinalis Carpensis:

D. M
MAGIA. IANVARIA. TATÆ. SVO
BENEMERENTI. FECI
C. ANTONIO. ANTARINO
MILITI. EX. CLASSE. PRÆTO
RIA. MISENATIVM. VIX. ANN
XL. MIL. ANN. XXIV.

Adscribam & aliam, quæ Romæ itidem, in ædibus Laurentij Vellei:

D. M
T. FLAVI. VALENTIS. MIL
CLASS. PR. MISENIENSIS
AGRADIESIS. VIX. ANN. XXVII
MIL. ANN. VI

Minervæ: *Minervæ Promontorium* Livio lib. XLII. Vitruvio, Melæque dicitur; quod Ἀθήναιον Straboni, alijs addenti Πελωνησον vocari: *Sirenum* appellat *Sedem* Plinius; ex quo Casaubonus Σειρηνουσῶν apud Strabonem emendat. Eum vide. *Campanellam* Iovius nominat; *Capo de Campanella* Scipio Mazella; ut & *Monte de Massa*, ab Vrbe eidem imminente.

Lucaniæ. Posidoniate. Lucania Promontorio superbit *Posidoniate*, ab Vrbe *Posidonia*, cujus in Lucania descriptio: hodie *Caput Leucosium*, *Capo Leucoso*, ab Insula proxima vocant, ut ait Leander. Meminit ejus Strabo; ut & *Pyxunti*, quod nunc vulgo *Caput Pisciotanum*, Pyxuntum. *Capo di Pisciota.* Vlterius *Palinurus*; sic Virgilio, Horatio, Paterculo, Plinio, Melæ, Palinuri. alijsque dicitur, quod Dion, Strabo, Ptolemæus Παλίνουρον nuncupant. Promontorium est Pæstani Sinus. Nomen à *Palinuro*, Classis Æneæ Præfecto, qui hic sepultus

tus fertur, notante Servio ad vi. Æneidos Virgilij, multis Mortem ejus & sepulturam celebrantis. Niger *Paliuro*, Castaldus *Cabo Palenudo* appellat.

Brutiorum. Lampes. Linum. Scyllaeum.

Apud Brutios, præter *Lampen*, *Linum* est, Λινὺ ἄκρα apud Lycophronem: quod hodie, ut opinatur Gabriel Barrius, *Ferre*. *Scyllæum*, Σκυλλαῖον vocant Strabo & Ptolemæus, quod *Garofilo* vernacule, ut Leander scribit; *Vei*, ut Niger. Scopulus præcellus, notante Strabone: exiguo terræ brachio, tamquam Peninsula, Continenti adhærens. Nomen ab *Scylla*, quod Saxum in mari prominens, sua summitate procul intuentibus speciem ostendit humanam. Haud procul est *Canis*, Promontorium Plinio notum, oppositum Peloro Siculo, intervallo Stadiorum xii, ut auctor est Plinius; vel xx, ut Thucydides lib. vi, veritati propior: Καινὺς Stephano; Σκιλαιὶς Polybio lib. i; *Cenus* legitur apud Hieronymum: hodie *Seglio*, *Sciium* ex Leandri; *Coda di Volpe*, ex Fazelli sententia. Ab Mediana abest apud eumdem Leandrum Stadijs ccl. *Leucopetra* ab candore Saxi, Ciceroni lib. i. Philipp. & Itinerariæ Tabulæ; Λευκοπέτρα Straboni lib. v, Ptolemæo, Appiano lib. v, & Thucydidi lib. vii. Promontorium Brutiorum Agri Rhegini. Vox *Albam Petram* significat. Hodie *Capo di Larme* est Nigro, Ananiensi & Leandro: cui etiam, ut & Fazello, *Capo di Spartovento*; Etymo ex vulgari lingua petito, quod huc ex Sicilia navi delatis, quoniam in mare superum veniunt, commutare vela necesse sit, alioque vento cursum instituere, si progredi velint. *Brutium* hoc Promontorium videtur appellari Pomponio Melæ ab ipsis Populis: *Italiæ Humerus*, Plinio. Quod sequitur *Herculeum* dicitur, non ita magni momenti, quod in mare haud multum procurrat.

Canis. Leucopetra. Herculeum.

Offert se mox in Magna Græcia, quod *Zephyrium* Plinio, Melæ, alijsque, Locrorum Promontorium; Ζεφύριον Straboni & Ptolemæo: hodie *Capo di Bursano* dicitur Leandro & Bonacciolo: *Bruzzano*, Scipioni Mazzellæ. Portu est oportunum, ad Ventos ab Occasu spirantes patente, Zephyrum scilicet, unde illi nomen. Inde est quod Κάρκινον Ptolemæo, *Carcinum* Plinio, qui longissimum Italiæ dicit. Veteres Plinij Codices *Cocinthium* habere monet Hermolaus. *Cocinthum* sane præter Polybium, nominat etiam Antoninus, hinc ad Scyllacæum P. M. xxii esse scribens. Hodie *Cabo di Stilo*, uti censent Leander & Celsus Cittadinus. Sequitur *Scyllaceum*, Scopulis & marinorum Æstuum cum ingenti fremitu reciprocatione periculosum; dictum ab Vrbe, quam Coloniam eo duxerunt Athenienses, de qua alibi. Sic nominatum Servius ad Virg. lib iii Æneidos ait ab Scylla, Nautis perinfesta. Scyllacæo succedit quod *Lacinium* Plinio & Pomponio Melæ: Λακίνιον Ptolemæo, *Lacenium* Itinerariæ Tabulæ, *Tacina & Ticina* corrupte Antonino, ni fallor. Hodie, ut sentit Leander, *Cabo delle Colonne* ab exstantibus adhuc Columnis Templi Iunonis Laciniæ, quod olim ibi fuit. De eo cum alij, tum Livius lib. xxiv, xxiix, xlii, Diodorus lib. xiii histor. Appianus lib. xv, Servius ad iii Æneid. Στήρτυγγον appellari ab Lycophrone putat Gabr. Barrius: *Cacumen* vertunt VV. Nobiliss. Iosephus Scaliger & Theodorus Canterus. In habitasse scribitur olim hoc Promontorium Pythagoras Philosophus, ibique Scholam erexisse. *Rusciam* Thurinorum est Promontorium in Sinu Tarentino: dictum ab opido *Rusciano*, quod in eo visitur, nonnullo intervallo distans ab Mari. Videndi Procopius lib. iii de Bello Gothorum, & Agathias lib. iv.

Magnæ Græciæ. Zephyrium. Carcinum vel Cocinthium. Scyllaceum. Lacinium, quod & Sterinngum. Rusciam.

Iam Salentinorum Promontoria sunt *Iapygium* & *Leuca Capus*. *Iapigium*, Ἰαπύγιον Ptolemæo est, & Straboni Σκεπιλ@-, ὃν καλοῦσιν ἄκραν Ἰαπυγίαν, Plinio *Acra Iapygia*; quod *Salentinum* Sallustio; Σαλεντίνη, eidem Ptolemæo; Pomponio, *Sale*, nisi truncata sit vox. Vnde nomen, notum. Ipsa enim Regio *Iapygia* & *Salentina* vocatur. Hodie *Capo de S. Maria*, ut scribit Leander: Mazzellæ *S. Maria de Finibus Terræ* a perangusto, quod ibi Divæ Virgini sacratum, Fano. Olim ibi Templum erat Minervæ, ut scribit Strabo, cujus etiamnum certa supersunt vestigia ad jactum lapidis ab D. Mariæ. Ab hac Minerva etiam Ἀθηναῖον Halicarnassæo videtur nuncupatum. *Staistum* Indigenæ appellant, inquit Barrius. In Maria quam longissime procurrit, ut & Strabo Pliniusq. notant, versus exortum hibernum, paullatim mox se convertens ad Lacinium, à quo abest ιↄ cc stadijs. Testatur Antonius Galateus Philosophus & Medicus, qui de Situ Iapygiæ scripsit, se ex peritis Navigantibus audisse usque ad xl vel l millia passuum in mare protendi Iuga Apennini, quum hic ibi altius metirentur Mare. *Capus Leuca* nomen habet ab *Leuca* opido, quod hic

Salentinorũ. Iapigium, vel Salentinum. Caput Leucæ.

fuit Strabonis ætate: hodie *Capo Leucoso*, vel *Capo de Leuca*. Scribit Sulpitius ad Lucani IV, distare ab Tarento 1? Stadijs, ab Hydrunto, CL; hinc Brundisium CCCC (sic enim legendum) numerari.

Apuliæ. Gargani Monte.

In Apulia Daunia *Mons Garganus*, de quo antea dixi, latere, quo mare spectat, Promontorium habet, in exortum spatio CCC Stadiorum procurrens, præceps & abruptum. Ptolemæus *Promontorium & Montis Gargani* discrimen Ionij Hadriaticiq; Sinus constituit: quod alij Brundisium.

Piceni. Cumerum.

Cumerum Piceni est Promontorium apud Plinium: quod hodie, ut Leander notat, *Monte d'Ancona*, nonnullis *Monte Sancto* dici scribit Nonius Marcellus, recens Auctor, in sua Aigialogia; propter frequentes Eremitarum habitationes. Olim hic Veneris ædem fuisse canit Iuvenalis, ubi de Rhumbo ante id fanum capto munerique Domitiano Cæsari dato, sic inquit:

Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon.

Hodie Templum ibi D. Ciriaci. Loci tanta est altitudo, ut sereno cœlo prospectus pateat in Dalmatiam. Sunt ibi Græcæ Inscriptiones vetustæ, sed quæ ob nimiam Antiquitatem, attritis lapidibus, legi nequeunt.

Flaminiæ, Focaria.

Focaria Blondo Promontorium est Flaminiæ, quæ hodie Romanula, ad mare Hadriaticum. Id Leander dicit Incolis nunc nominari *Monte di Pesaro*, ab Vrbe Pisauro. Vini Oleique suavissimi, ac Ficuum, aliorumque Fructuum mirificam generat copiam.

Istriæ, Fanaticum, &c.

Habet & Istria quædam sua Promontoria, sed haud magni nominis, Veteribus incognita; *Fanaticum, Cisanum, Compatru & Crucifixi*; de quibus quod adferam, nihil habeo singulare.

Cornua Italiæ.

Pertinent ad hoc Caput duo *Italiæ Cornua*, quæ nominantur à Plinio lib. III. cap. V & Pomponio Mela lib. II cap. IV. Nam & Sallustius vocat *Promontoria* in Fragmentis, *Bruttium* nempe & *Salentinum*; ut & Paullus Diaconus lib. II. Langbardic. cap. XVII & XXI: hoc *Dextrum*, illud *Sinistrum* appellans: Inter duo illa Cornua *Frontem Italiæ* statuunt Plinius, Solinus, Marcianus; in Sinu Tarentino.

Scopuli. Scylla.

Referam huc & nominatiores *Scopulos*, *Scyllam* & quę cum illa plurimum solet explicari, licet Siciliæ propior & propria, *Charybdim*. *Scylla* Plinio Scopulus in Freto Mamertino inter Siciliam & Italiam. *Scyllam & Scyllaeum* vocat Strabo. Hodie *Scyllo* nominari, auctor est Fazellus. Magna fuit in *Scylla* Poëtis fingendi materia. Virgilius lib. III. Aeneidos Helenum introducit, ejus formam Aeneæ narrantem his verbis:

Prima hominis facies, & pulcro pectore Virgo
Pube tenus: postrema immani corpore Pristis,
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Fictionis hujus argumentum est, quod, ut antea monui, *Scylla* Saxum sit, in mari prominens summitate procul intuentibus, uti legere est apud Sallustium in Historiarum fragmentis, speciem ostendens humanam, infra vero Scopulos plurimos invicem divisos habens; sub quibus cavernosi recessus, in quos irruentes inlisique fluctus undarum, ingenti sonitu Canum latratum, ejulatumque Luporum & aliorum Animalium voces edere ac imitari videntur: quapropter Poëtæ commenti sunt *Scyllam* à pube succinctam Canibus aliisque Feris esse. Virgilius in Bucolicis:

Quid loquar aut Scyllam Nisi? quam fama sequuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Ah timidos Nautas Canibus lacerasse marinis.

Nec inelegantes Poeta Ovidius:

Altera Scylla tuo monstrum medicamine Circes;
Pube premit rapidos inguinibusque Canes.

Charybdis.

Ad Siciliam *Charybdis* est, nominatissima Scriptoribus; Navigantibus admodum infesta. quod, aut vi ventorum, aut Aestu marino Fluctus propellente in Scopulos, quum eodem illi impetu reciprocant, ita verticosis undis absorberi & obrui navigia soleant. *Syrtim* vocat Isacius Tzetza. *Galofaro* appellatur hodie, Fazello & Aretio testibus. Laurentius Ananiensis scribit *Cannatello* nominari: Auctor est idem Sallustius Charybdim absorbere universa, quæque absorbuerit, ea circa Tauro-

minitanum

minitanum litus egerere: ideoque plus semper discriminis in *Charybdi*, quam in *Scylla*, ponunt Scriptores Veteres; inter quos Homerus Odyss. M. qui periculum utriusque Scopuli describens, Circen facit Vlyssi suggerentem, ut ad *Scyllam* potius inflecteret cursum, quam ad *Charybdin*, propterea quod satius esset, sex e Sociis desiderari, quam pariter omnes interire: Ait enim:

——— μὴ σύ γε κεῖθι τύχης ὅτε ῥοιβδήσειεν,
Οὐ γάρ κεν ῥύσαιτό σ' ὑπ' ἐκ κακοῦ, οὐδ' ἐνοσίχθων,
Ἀλλὰ μάλα Σκύλλης σκοπέλῳ πεπλημένος ὦκα
Νῆα παρὲξ ἐλάαν, ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτερον ἐστι,
Ἓξ ἑτάρους ἐν νηὶ ποθήμεναι, ἢ ἅμα πάντας.

Notum est celebratum Græcis Adagium: Τὴν Χάρυβδιν ἐκφυγών, τῇ Σκύλλῃ περιέπεσον: cui consonat Latinus Versus:

Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

De *Scylla*, deque *Charybdi* multa fabulantur Poëtæ. Videndi præter alios Pausanias in Corinthiacis & Servius ad Virgilij Bucolica. Pergo. *Taurianus Scopulus* est in Bruttiis apud Ptolemæum, quem *Terinæum* vocat Plinius. *Pietra della Nave* nominatur Ligorio; *Nave* simpliciter Barrio. Alios, qui hic ibi ad Italiæ littora, prætereo. Taurianus.

CAPVT VII.

Italiæ *Valles, Campi, Agri, Prata, Viæ.*

VT Italiam Montes horridiorem; sic amœniorem faciunt eamdem, & animos spectantium incredibili explent gaudio *Valles, Campi, Agri*, aliaque id genus planiora loca, quæ utrimque Apenninis adjacent, eorumque lateribus inclusa sunt & quasi vallata. *Valles* huiusmodi sunt innumeræ. Præcipuas notabo, quæ suis distinctæ nominibus. Valles Italiæ

Ligurum sunt *Onelia*, Pagis Vicisque multis nitens, quæ *Diania* quoque dicta ab Opido Diano: *Porcifera* ab Amne cognomine, quo perluitur, appellata; Villis sumtuosis superbiens: *Rapallina* peramœna plane, passimque Citris, Medicis, Limonibus, Oleis, aliisque fructiferis Arboribus ornata; Sinui adiacens *Rapallino*. Ligurum. Onelia. Porcifera. Rapallina.

Tuscorum sunt *Mugelli* Vallis, cui *Mugellum* opidum dedit nomen; & *Arni*, ab *Arno* fluvio dicta: hanc antea Paludes occupabant; sed, post saxum ibi quoddam ferro apertum, exsiccata, totaque nunc exculta, consitaque nobilium hortorum est instar: Mentionem eius facit Livius, Hannibalis iter hac memorans, docensque Paludosam tunc fuisse: Pœnorum Ducem ob Intemperiem vernam, humore nocturno palustriq cœno caput gravante, altero captum fuisse oculo: Elephante insuper, qui unicus supererat, quo altius ab Aquis exstaret, vectum, qua fluvius Arnus per eos dies solito magis inundarat; item in præaltis ac profundis Fluvij voraginibus haustos pene fuisse Duces; maxime tamen omnium confecisse Vigilias, per quatriduum iam & tres noctes toleratas, quum omnia obtinentibus Aquis, nil, ubi in sicco fessa sternerent corpora, posset inveniri. Est ibidem *Vallis Vmbrosa*, ubi Cœnobium cognomine: Eo enim loco id Institutum Vitæ, quod ab *Vmbrosa Valle* cognominatur, primus est exorsus Ioannes Gualbertus Florentinus, anno post Christum natum CIↃ LXX, item *Pisciana*, ab fluvio *Piscia*, qui hac fluit, nuncupata. Tuscorum. Mugelli. Arni. Vmbrosa. Pisciana.

Umbrorum est *Sabina*, Vallis nitidissima, Farfaroque irrigata; cuius meminit Horatius lib. III. Od. qui Villam ibi habebat amœnam: Vmbrorum; Sabina,

Quur Valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

Sunt eorumdem *Spoletina*, ab Vrbe Spoleto, iucunda sane planicies: *Topinia* ab Topino Amne, ipsam percurrente: *Cippia*, seu D. Ioannis, ubi transmissio Tiberis: *Angustiarum*, quæ admodum est saxosa altissimisque clausa rupibus: cuiusque in exitu quarto fere ab Interamnia lapide Olearum Silvæ, Vites, aliaque Arborum genera. Spoletina, Topinia, Cippia, Angustiarum.

Amsancti Valles.

Fuerunt etiam in Vmbria *Amsancti Valles*, quarum Virgilius meminit Æneid. VII. Manet hodieque circa Velinum Lacum Vetus Nomen. Ager enim ibi in hodiernum usque diem Vulgo *Nesanctus* appellatur, perperam pro *Amsancto*, quod undiquaque Sanctum & fertilem significat. Vide quæ dixi cap. II ubi de *Italiæ Vmbilico*. Mentio etiam Vallis huius apud Ciceronem de Divinatione.

Brutiorum. *D. Martini*: Lucanorum. *Pæstanæ*. Samnitium. *Vallis amœna*.

Apud Brutios *Vallis* est *D. Martini*, purissimarum Aquarum fontibus scatens.

Pæstanas Valles à Pæsto, Lucaniæ opido, nominat Solinus.

Apud Samnites Vallis est amœna, quæ inter Apenninum & Crathidem fluvium plurimum longitudine patens, in latum haud valde, per transversum Fluminibus dispescitur quinque, multisque Torrentibus, qui ex Apennino in Crathidem feruntur.

Apulorum. *Caudina*.

Apud Apulos *Caudina* est, quæ nunc *Gardani* dicta, teste Collenutio lib. VI. Hist. Reg. Cernuntur ibi antiquæ Vrbis *Caudy* vestigia. Sunt & *Furcæ Caudinæ*, de quibus alibi.

Flaminiæ, *Anemone*.

Est in Flaminia *Anemonis* Vallis (quæ *Lamone* Adcolis) ab Amne Anemone: supra Faventiam est: perpulcra Colonisque plena, cum opidulis aliquot Vicisque non inhonestis. Exercitum in ea Oddonis, Bracij Montonij filij, anno CIↃCCCCXXIV concisum, ipso etiam Duce peremto, prodit memoriæ Blondus lib. XXII Histor.

Æmiliæ. *Bantasci*. *Rhenique*.

In Æmilia vero *Bantasci*, ab opido *Banisco*; *Rhenique*, sic dicta, quod per eius Amnis ripam pandatur sinistram, amœnissima, ubertateque Frumenti & Vini nobilissimi, maxime Apiani Vulnerianique, ac Fructuum generis omnis copia valde fœcunda. Item *Vesi* supra Salutium inter duos Montes præcelsos: Vulgus *Valionem Vesi* nuncupat. Præcipitat per eam Amnis Bronda magno cum impetu. *Circola* denique Valis, ubi olim Vlmus fuit formosa.

Vesi. *Circola*.

Langbardiæ Transpad. *Tropia*, *Solis*, *Camunia*, *Brembana*, *D. Martini*, *Mancana*, *Telina*, *Malenga*, *Clavenna*, *Bregalia*, *Assina*, [illegible]

Iam in Langbardia Transpadana, quod reliquis Italiæ partibus montosior, quantum passim occurrit cerniturque cum voluptate *Vallium*? Sunt ibi *Tropia*, Colonis haud infrequens: *Solis*, Ollij Fonte, vt quidam eum statuunt, irrigata: *Camunia*, cuius Incolæ *Camuni* Plinio, Καμοῦνοι Straboni, ut quidem emendandus; Καμούνιοι Dioni; hodie *Camunen* teste Ægidio Schudo: *Brembana* ab Flumine, cuius in ripa est, id nominis tenens: *D. Martini*, Pontidam, Cesanum, Caurinum, Callotium, aliaque gestans opida: *Mancana*, cui initium apud D. Peregrinum ubi Villa D. Peregrini, ad D. Ioannem, Platiates & Roncolates: *Telina*, vulgo *Valtulina* pro *Valle Telina*; vel ut quidam volunt, *Turrena* seu *Volturrena*, à Patribus *Volturrenis* Etruscis, qui huc avitis sedibus ab Gallis pulsi cum Rheto commigrarunt, dicta: *Malenga* merito sic appellata, quum tota deserta præcelsis rupibus & abruptis horridisq; Montium, nulla prorsus Arbore vel herba virescentium, culminibus includatur. *Clavennæ*, ab *Clavenna* iuxta Meiram milliar. ab Lario XVI, nobili opido dicta: *Bregalia*, prope Montem Perninnem: *Assina* ab *Assi* Pago infra Comum, Bregantinis propinqua Montibus: *Plumbana* ad ripam Ticini: *Lugana*, ab *Lugano* celebri & opulento opido: *Morobia*, quæ X M. P. Larium Lacum versus, rectaque ad Mussum panditur. *Cluria* ad Verbanum Lacum; ut & *Travalia*; item haud procul inde *Maioris* & *Minoris Consilij* (*Di Conseglio Maggiore & Minore*) inter altissimos Montes modicæ: *Mesauca* ab *Mesauco* munita Arce ad amnem Muetij, montes inter editissimos asperrimosque conclusa; unde *Mesauci* Populi Plinio lib. III natur. histor. cap. XIX: *Caranga* ad eumdem fluvium faucibus perangustis & difficilibus: *Breunia* à Breunio fluvio, pertinens Coriatium versus, P. M. XVI, Incolæ Plinio *Breuni*: *Lepontina*, sic ab Lepontiis Populis, de quibus suo loco, dicta: de hac Valle nonnihil cap. V, ubi de Lepontiis Alpibus: *Intratia*, ab *Intratia* flumine nuncupata: *Verciasca*, ab *Verciasco* fluvio, angusta præcepsque: *Dolia*, ab Amne Dolia, qui ex Monte per eam Madiæ flumini inlabitur, appellata. Pertinet usque ad Locarnum. Habet Vegnotum, Cordaucum, Conum, Sumanum, Suncum, Mogenum, Laveleriam, Brontalium, Marcionium, Broilum, Sornicum & Fusium. *Casearia* prope idem opidum Locarnum, ut & *Antigoria*, multo quam *Casearia*, latior planiorque: Obitur inde *Lusernonia*, *Centumque Valles* iuxta Canobium: *Doveria* ab *Doveria* amne, quem Atiso excipit. *Veggetia* ab fluvio Lamietia percurritur, ex præcelsis iugis in Madiam defluente. Est hæc Convallis in medio longarum faucium & asperrimarum rupium editissimo

Caranga. *Breunia*, *Lepontina*. *Intratia*. *Verciasca*, *Dolia*, *Casearia*, *Antigoria*, [illegible] *Centum Valles*. [illegible] *Veggetia*.

ſimo frigidiſſimoque ſitu: quam ob rem homines alit admodum agreſtes, duros, ingeniis vaſtiſſimis; ex quibus eſt genus illud rude, quod per univerſam Europam oberrans Caminis everrendis locat operam: *Romana* opidis ſuperbit Cerentino, Ruſco, Caprino, Campo & Bugnaſco: *Demodoſcellia* ab opido cognomine, Arcem habente munitiſſimam: *Anctaſca* ab eiuſdem appellationis Amne, ubi via difficilis inter aſperos horridoſq; Montes ad Vallem *Auguſtam* ducit: E regione faucium Vallis Anctaſcæ, læva, propter Atiſonem *Voconia* cernitur, ad Montis radices, Muro ſepta cum Arce permunita. Vallis ibidem apparet *Veonia*, quam *Agonum* Veteribus appellatam tradit Ægidius Tſchudus, ab *Agonibus* populis, quos commemorat Polybius: *Secianam* Amnis *Secia*, nunc *Senza* percurrit: *Vetus* ad lævam eſt Atiſonis ripam: tum Montibus tranſitis ultra Atiſonem *Fagnana*; porroque *Maginiaca*. *Auguſta Prætoriæ Vallis* admodum eſt longa; multiſque pagis, inter celſiſſima iuga ſitis, frequens. Excipit Eporediam. Tractus ibi omnis ediſſimis rupibus concluditur, inter quas maximus eſt Campus, quem Veteres *Bardum* appellarunt; hodie *Bart* dicitur, optimis fructibus nobilique Vino Apiano & aliis generibus fœcundus. Medium Amnis interluit Duria Maior, uti etiam Strabo notat. *Pelina* perperam vocatur pro *Penina*, quod ad Montem *Peninum*: *Padi Vallis* ad Fluminis Cognominis fontem; Planicies amœna, Incolis *Liverna* dicitur ab Opido, quod habet, *Liverna*.

Romana. | Pelina. | Padi, vel Liverna.

Ad Venetiam pertinet *Vallis Peluſella*, ab opido *Peluſio* vocata. Guarinus tamen *Policellam* appellari dicit propter nitorem & pulcritudinem Pomorum, quæ fert; tamquam politam, ut ſcribit Blondus.

Venetiæ.

Habet & ſuas Valles Forum Iulii *Plitianam*, *Caporetinam*, *Roncinam* vel *Sontii*, aliaſque ignobiliores, anguſtas & confragoſas.

Fori Iulij.

Hæc de *Vallibus*: quid iam commemorem Planicies illas, quæ *Camporum* vel *Agrorum* appellatione Veteribus ſunt notæ? Planitiem quamdam (ut hanc in genere præſcribam) amœnam pulcramque, Apennini montibus & Germanibus Alpibus incluſam, Padoque Flumine diviſam, deſcribit Polybius hac ſententia: *Tertio Italiæ Lateri, quod Alpibus terminatur ab Meridiana Regione, verſus Septemtrionem ſubiacent Campi extremi totius Italiæ, totius Europæ maximi & uberrimi. Horum etiam forma triquetra eſt: Apicem Trianguli facit Apennini atque Alpium copulatio non longe ab Mari Sardoo ſupra Maſſiliam. Latus, quo Septemtrionem ſpectat, Alpes, ut dixi, faciunt; quæ ad duo millia & ducenta ſtadia protenduntur: Latus vero, quod ad Meridiem vergit, perficit Apenninus; hic ad tria millia & ſexaginta ſtadia procurrit. Baſis locum tenet littus ipſum Hadriæ. Eius magnitudine eſt ab Sena urbe uſq; ad intimum eiuſdem Maris Sinum: hac duorum millium & quingentorum Stadiorum ſpatio continetur. Ita omnis Camporum circuitus decem Stadiorum millibus clauditur. De Fertilitate haud facile dixerim, ita omnibus frugum generibus abundat.* Sic fere Polybius; immenſam iſtius plagæ ubertatem, & Ingeniorum excellentiam ſigillatim deinde commemorans.

Selonius Campus eſt in Latio, Agri Lanuvini; apud Ciceronem I. & II. de Divinatione, ubi apud focum Angues nundinari ſolent. Scribendus *Solonius*: dictus enim ab *Solonio*, Latii opido; cuius meminerunt Dionyſius Halicarnaſſ. lib. II, Livius lib. VIII, Plutarchus in Mario, Cicero II. ad Attic. epiſt. III. *Pometini* ibidem *Campi*, ab opido *Pometia*: quos omnium Latinorum maximos refert Halicarnaſſæus.

Latij. Selonius Campus. | Pometini.

Sunt in Campania *Campi*, qui quomdam *Laborini*, vel *Laboriæ*, ut videre eſt apud Plinium: à quibus hodie *Campania* ipſa Italis, ut cenſent Viri docti, *Terra di Lavoro*. *Phlegræum*, eodem teſte, lib. XVIII cap. XI. Græci nominarunt. *Campi Phlegræi* Solino. Ἡφαίςυ ἀγορά, *Forum Vulcani* apud Strabonem: Leander ſcribit noſtro ævo *Solfataria* vulgo nuncupari. Vide plenius in mea Campania. *Campus Cumanus* Diodoro lib. IV. Maximam partem hodie *Guadam* dici tradit Lofredus in ſuo de Puteolis libello. Manſit *Laborinorum* nomen multis poſt ſeculis; ſi, quæ ſcribit Raſſanus, ſint vera. Adfirmat enim ſe, quum aliquando Capuæ eſſet, eruditos quoſdam peritoſque Vetuſtatis homines audiviſſe, qui tam Civium privatorum, quam ipſius Urbis Tabulas publicas trecentorum amplius annorum vidiſſe adſeverabant, quibus *Leborinorum Camporum* circum Averſam fiebat mentio: unde, inquit, Terræ Laboris errore Vulgi corrupta defluxit appellatio. *Finiuntur Laboria*, inquit idem Plinius lib.

Campaniæ, Laborini.

XVIII.

XVIII cap. XI, *Via ab utroque latere Consulari, quæ à Puteolis & ab Cumis Capuam ducit.* Idem lib. III cap. V. *Ibi* (de Campania loquitur) *Laborini Campi sternuntur & in delicias Alicæ politur Messis.* Et lib. XVII cap. IV; *Stipulæ crassitudinem tantam in Laborino Campo* notat, *ut Incolæ Ligni vice utantur.* Describuntur ab Silio, Petronio, & Cornelio Severo. *Stellatis.* Fuit ibidem *Stellatis Campus, Montibus & Fluminibus* (verba sunt Livii lib. XXII) *clausus:* meminit idem lib. IX & X. *Stellatis Ager* vocatur Suetonio in Cæsare. Santfelicius ostendit eum hodie in Territorio Carinolo. Quod *Mazzone* vulgo dicatur, testis est Scipio Mazzella. De *Campi Stellatis* præstantia exstat M. Tullii Testimonium in Oratione contra Rullum. *Falernus.* Habet item Campania *Agrum Falernum*, de quo Plinius lib. XIV cap. VI: *Falernus Ager à Ponte Campano lævà petentibus Urbanam Coloniam Sullanam, nuper Capuæ contributam, incipit.* *Faustianus.* Et addit: *Faustianus autem circiter quatuor milliaria ab Vico prope Cedias, qui Vicus à Sinuessa VI millibus abest. Nec ulli in Vino maior auctoritas:* *Faustianum Agrum* circa Cumas locat Athenæus, ubi Vinum eius describit.

Langbardiæ Cispadanæ, Camp. Macri. Visuntur in Langbardia Cispadana *Campi*, qui Livio lib. XII *Macri*; Str. boni Μακροὶ (legebatur antea corrupte Νακροὶ) Κάμποι: qui circa Mutinam & Parmam (ut Columella indicat lib. VII cap. II) hodie *Valle di Montirono*, ut Leandro videtur, sic scribenti: *A Finali sursum incedenti Paludes apparent multæ, vastissimaque Montironi Vallis: quæ ad dextram aggerem habet non latum quidem, sed qui longissime ab Æmilia Via usque in Padi fere ripam excurrat. Adcolæ* Dorsum *vocant, Frumenti ubertate mirabili copiosum. Vallis hæc ab occasu longo illo clauditur tumulo, ab Mirandula, quæ superius inter Austrum & Occasum sita est, millibus quinque distante. Nos hanc longe lateque patentem Planitiem, Italis Vallem appellatam* Campos *esse* Nacros *putamus, quorum meminit Strabo lib. V, ubi quotannis Forum haberi solitum ait. Eos autem hoc modo designat: Inter Placentiam, inquit, & Ariminum sunt Parma, Mutina, Bononia; harum medio exigua quædam iacent oppida, per quæ iter est Romam, Acara, Regium Lepidi, Nacri Campi, Claterna, & quæ sequuntur. Quamquam autem Volaterranus lib. IV Commentar. Urbanor. hos Campos ibi esse censeat, ubi nunc Carpi: Ego tamen,* inquit Leander, *exacte mecum hac planitie considerata, Strabonisque verbis inspectis, hos ipsos esse Nacros Campos arbitror: idque ut sentiam, equidem maxima Antiquitatis vestigia, nobiliumque ædificiorum opere musivo, ut vocant, ornatorum, quæ hic vidimus, faciunt: ubi etiam indies Numismata varia, Pavimenta tesseliata, vetusta Vasa, Sepulcrorum antiquorum ruinæ cum insignibus Lapillis inveniuntur.* Et paullo post: *Patent hi Campi latissime, nullis plane Arboribus, herbam ferentes colore rubellam, sapore salsam, Adcolæ* Porcellanam *vocant, ovinæ Pastioni admodum expetitam: prætereaque Salem hic ex terra igne decocta, magno tamen artificio, conficiunt. Pascua item hæc Planicies peroportuna Gregibus Ovillis præbet; ex quibus Lana cum præcipua excellentia, tum incredibili copia percipiuntur.*

Vmbriæ, Rosea campus. *Roseæ Campus* (sic enim appellatur Varroni, qui Livio lib. X *Rosellanus Ager*) in Umbria locatus legitur iuxta Lacum Velinum, unde apud Virgilium, *Rosea Rura Velini*, ad quem locum Servius notat, Lacum Velinum ei propinquum esse. Campus hic tantæ scribitur Fertilitatis; ut, auctore Varrone, Cæsar Vopiscus, quum Caussam apud Censores ageret, *Campos Roseæ Italiæ* dixerit esse *Sumen*: In iis enim (ut cap. III. dixi) Perticam relictam postridie non apparere propter Herbam tantillo tempore succrescentem: quod etiam à Plinio commemoratur lib. XVII, cap. IIII. Pars huius Campi vel Agri videtur fuisse *Amsancti Vallis*, de qua paullo ante.

Venetiæ, Candinus. *Caudius Campus*, quem in Venetia ponit Florus, ibidem Teutones ab C. Mario trucidatos scribens, hodie *Candia* dicitur, non longe à Pado, in Lacinellini opidi tractu, ut Castilionius refert. Restituitur Floro ab Vineto *Claudius*. *Raudi Campi* leguntur apud Vell. Paterculum lib. II. Nescio an designet Sidonius in Panegyrico, qui Maiorano dicatus:

Perque Cavi quondam dictos de nomine Campos.

Caninos Campos legit Sigonius lib. XVIII Histor. Occident.

Prata Salana. In Romanula non longe ab Forcellis Prata longe lateque diffunduntur, quæ *Salana* vocant Adcolæ, quorum medio Propugnaculum est cum antiqua Turre; tenetque Vicinitatem Opinio *Salam* opidum hoc olim exstitisse loco, unde *Prata Sala* nunc vulgo nuncupentur.

Viarum,

Viæ.

Viarum, quæ per totam Italiam, atque adeo in ipſam uſque Galliam ab Vrbe ducebantur, quarumque hodie paſſim exſtant Veſtigia, enarratio potuiſſet etiam ad hoc Caput referri; ſed commodior earum futura eſt explicatio in Latio, ubi quæ ad Romam (nam in Foro Romano ad Milliarum Aureum pleriſque Viis ſua erant initia & capita) eiuſque ſpectant Magnitudinem, commemorantur.

CAPVT VIII.

Italiæ *Silvæ, Luci, Nemora.*

Silvæ. Lucique, vel Nemora.

ET Montes, & Valles Campique, de quibus proxime dixi, ſuis ſuperbiunt *Silvis, Lucis, Nemoribus*, quorum non pauca apud Priſcos, etiam ſuis Nominibus leguntur celebrata.

Etruriæ. Volſinienſium,

In Etruria, qui hodie Saltus, vernacule *Boſco di Monte Fiaſcone*, Volſinio, quod vulgo *Bolſena*, Viterbium euntibus occurrit, *Volſinienſium Lucum* ab Antiquis (cuius probati Auctoris teſtimonio, nondum liquet) appellatum tradit Leander; addens *Etruriæ* cognominatum apud Plinium, pravius lib. III cap. V lectum & intellectum: Quocumque notus fuerit nomine, videtur deſignari ab Ovidio in Faſtis:

Stat vetus & denſa præ nubibus Arbore Lucus,
Aſpice, concedes Numinis eſſe locum:
Aſpicit Ara preces, votivaque Thura Piorum;
Ara per antiquas facta ſine Arte manus.

Ciminia.

In Cimino Etruriæ Monte quomdam, calcari paucientis ob horrorem ſolita, fuit Silva, de qua ſic Livius lib. IX: *Silva erat Ciminia, magis tum invia atque horrenda, quam nuper fuere Germanici Saltus: nulli ad eam diem, ne Mercatori quidem, adita. Eam intrare haud fere quiſquam præter Ducem ipſum audebat.* Confirmat Florus in Etruſco Samniticoque bello *Ciminium Saltum* ante illa tempora invium plane, quaſi Calidonium aut Hercinium, fuiſſe ſcribens. Hac tamen ætate, repurgatis munitiſque locis illis, iter habet non minus frequens atq; tutum, quam olim infra Viterbum Via Caſſia fuit, Romam Vetralla ducens. Poſt Vicum Bacchanum in Etruria ſilvoſi ſe offerunt Saltus, qui Indigenis *Boſco di Baccano*, cædibus & latrocinio quomdam perinfames. Veteres *Maſiam Silvam* videntur appellaſſe. De ea Livius lib. I, *Silva*, inquit, *Maſia, Tuſcis adempta.* Et alibi pugnam Fabiorum contra Vejentes explicans, ex *Silva Maſia* vocem exauditam ſcribit. Olim ea commeare non ſine ſummo diſcrimine licuit: ſed hac noſtra ætate partim quod maiori ex parte ſit incendio vaſtata partim quod per maximam Romanorum Pontificum curam & diligentiam, præcipueque Iulij II, Leonis X, Clementis VII & Paulli III, luc ibi exciſa, tam eſt tuta, ut abſque metu quovis tempore peragretur.

Maſia.

Latij Lucus Feroniæ,

In Latio apud Capenates *Lucus* fuit *Feroniæ*, quem canit Silius lib. XIII:

Dives ubi ante omnes colitur Feronia Luco,
Et ſacer humectat fluvialia rura Capenas.

Iovis Indigetis,

Livius lib. XXVII in Agro Capenate prope *Silvam Feroniæ* Signa quatuor diem & noctem ſanguine ſudaviſſe narrat. Iuxta Numicum Amnem *Lucus* erat *Iovi Indigeti* ſacer, ut Plinius tradidit lib. III cap. V, quamquam mendoſe apud eum antea *Locus* legeretur, pro *Lucus*: quod Hermolaus Barbarus adnotavit; & ex Livio lib. I, Solino in Polyhiſt. Dionyſio Halic. in Antiq. Rom. & Cicerone lib. III de Natura Deorum convincitur. *Dianæ Ætolicæ Lucus* Livio eſt lib. XXVII ad Anagninum Compitum. *Næviam Silvam* extra Vrbem ad quartum Milliarum fuiſſe notat Feſtus. Ab ea nomen *Porta Nævia*. Extra Portam Capenam *Camœnarum Lucus* ſcribitur ab Livio lib. I. & Aſconio Pædiano in Orat. Cicer. *Luci Capeni Egeriaque Nemus* forte Virgilio lib. VII, ubi Servius notat iuxta Ariciam fuiſſe. An ex hoc Silij verſu ſiniſterius intellecto?

Dianæ Ætolicæ. Nævia Silva. Camœnarum Lucus,

Egeria genitos immitis Aricia lucis.

Algidum Nemus.

Livius propius urbem locat, addens in eius medio fuiſſe *Egeriæ Fontem*, quod & teſtatur Ovidius lib. XV Metamorph. Quod *Algidum Nemus* Livio reliquiſque Scriptoribus, hodie *Selva del Aglio* dicitur, conſentibus Mario Nigro & Leandro. *Albu-*

neam

Albunia Silva. *neam Silvam* in altissimis Tiburtinis Montibus habet Servius ad VII Æneid. aliamque idem ad Georgica, in Laurentinorum agris, cognominem: Vide infra ubi de Fontibus cap. II. *Angitia Nemus* propinquum Albæ Marsorum fuisse, significat Virgilius lib. VII. Æneid. *Furinæ Lucus*, Territorij Romani, est apud Ciceronem III de Nat. Deor. & Cornelium Nepotem, ubi C Gracchum interfectum scribit. *Furinarum Lucum* habet P. Victor in XIIII. Regione Trans-Tiberiana. Plutarcho in Gracchi vita *Furiarum Lucus* ἄλσος Ἐρινύων vocatur.

Angitia Nemus. *Furina Lucus.*

Vmbriæ, Vacunæ Nemora: *Vacunæ Nemora* agnoscit iuxta Montem Fiscellum in Vmbria Plinius.

Campaniæ, Sacer Lucus. Gaudent & suis Campani: cum primis *Luco Sacro & Gallinaria Silva*. *Sacer Lucus* Livio lib. XXIII, ἄλσος ἱερὸν Straboni ad Ostia Liris, qui hodie *Hams*, testibus Scipione Mazzello & Leandro Alberto. Tribus ab Cumis passuum millibus locat Livius, Nympham Maricam ibi coli solitam scribit Strabo. Videndus & Servius ad Æneidem Virgilianam. *Gallinariam Silvam* nominant Cicero ad Pætum scribens & Strabo lib. V, qui Γαλλιναρίαν ὕλην vocat. Pomponius Sabinus, propius ad locum accedens, in Cumano Sinu fuisse ait; addens, *Triviæ Lucum* appellari ab Virgilio VI Æneid. Sanfelicio hodie *La Peneta de Patria* dicitur. Pinus huius vitiosius apud Iuvenalem lib. I. Sat. III *Callinaria* nuncupatur.

Gallinaria Silva:

Lucaniæ, Eboli, Lucanorum sunt *Silvæ Lucique Eboli, Peregrinalis, Veliarum. Eboli Silva* perinfamis nomen habet ab *Ebolo* vicino opido, quod tamen ultra flumen est in Campania seu Picentinis. *Peregrinalis* fauces excipiens Vallis Dianiæ, densitate arborum perobscura est; præsertim Ilicum, tantæ altitudinis, ut cœlum cacuminibus attingere videantur. *Veliarum Lucos*, ab *Velia* Lucanorum Vrbe dictos, Hannibalem evasisse scribit Symmachus lib. II. Epist. XII.

Peregrinalis. *Veliarum.*

Brutiorum, Rheginus saltus, qui & Silva Sila: Brutiorum est *Rheginus* vel *Rheginorum Saltus*; cuius meminit Solinus: *Syla* videtur dici Virgilio, & Vibio Sequestro; *Sila* Sallustio & Plinio; Σίλα Brutiis apud Strabonem lib. VI: *Carminiacensis* fortean in Libro Notitiarum, & *Carmelanus* in eo, qui de Limitibus. *La Sila* hodie per excellentiam ab Incolis vocari scribit Laurentius Ananiensis. Silvam hanc tanta Arborum varietate distinctam notat Gabriel Barrius in sua Calabria, ut id naturæ opus mortalium industria distributum videri possit. Patere in circuitu ad ducenta P.M. prodit Scipio Mazzella. Addit Strabo Picem Silvam hanc ferre optimam, arboribus esse præclare consitam, Aquæ copia præditam, ID CC stadiis longam. Certe *Picem* Βρεττίαν, quam memorant Scriptores, ex hac Silva colligi solitam, est verisimile. Dioscorides Βρυτίαν vocat cap. XCVIII *Vina Saltus* huius laudat Cassiodor. lib. XII Variar.

Apuliæ, Batinus saltus, Apulorum *Batini* sunt *Saltus*, & *Lucus Gargani*. *Batinorum Saltuum*, qui ab opido Apuliæ *Batina* dicti, meminit Horatius, cui *Bantinos* restituit ex M. SS. Codicibus Cruquius. De *Luco Gargani* sic scribit Leander Albertus in Apulia Daunia: *Exteriora Cryptæ* (quam, Michaelis Archangeli Domicilium, paullo ante delinearat) *id est supremum eius Tectum virens densusque Lucus altissimis Arboribus operit; ex quibus multitudo maxima lapidum pendet, quos voti caussa peregrinantes collo adligatos sursum in Montis iugum baiulant; ibique precibus patratis suspensos relinquunt. Admirationem profecto summam hac habet Silva, quod magno circumcirca spatio nullus ne frutex quidem appareat alius: quapropter Miraculum potius, quam res Naturalis habetur, tot & tam ingentes Arbores hic in vivum saxum radicatas.* Pergit Leander: *Mihi Adcola quum hic essem, narravere, circa Karolum VIII Franciæ Regem, qui anno ab Christo nato* CIↃ CCCC XCIIII *Neapolitanum Regnum cepit, unam ab Gallo quodam Milite cæsam, illumque protinus supplicio divino ex animatum concidisse.*

Lucus Gargani.

Romanulæ, Silva Lucina, Pedanea Silva: In Gallia Cis-Padana ubi Senius fluvius in Padusam Paludem defluit, *Silva* est *Lucina*; & prope confluentem cum Pado Renum, *Pedaneæ Silvæ*, quas Succinum flevisse frustra credidit Antiquitas. Videndus Solinus in Polyhist. cap. XXIII.

Trans-Alp Galliæ, Castrorum Lucus In Trans-Padana *Castorum Lucus* ad XII Lapidem distat ab Cremona apud Tacitum lib. XVIII. *Castorum Locus*, inemendatius, Orosio lib. VII, cap. VIII.

Venetiæ, Lucus Iunon. Argivæ, & Dianæ Ætolicæ. Straboni denique apud Venetos suo sunt *Luci*, unus ab *Iunone Argiva* cognominatus; alter ab *Diana Ætolica*, alius ab Superiore, qui in Latio ad Anagninum Compitum.

CAPVT

CAPUT IX.

Italiæ *Sinus*.

Sinus Italiæ.

QVÆ Terræ tribuenda notavi: succedunt, quæ Aquæ: ut sunt, *Sinus, Portus, Navalia, Flumina, Vada, Paludes, Stagna, Fossa, Lacus, Fontes, Aquæ, Balnea.* Agmen ducunt *Sinus*.

Liguriæ, Rapallinus, Ericius.

Liguriæ præiacent *Rapallinus*, & *Ericius*. *Rapallino*, uti & Valli ibidem, nomen ab *Rapallo*, nobili iuxta littus Vico. *Ericius*, sic ab Veneris cognomine dicti, mentio est apud Silium Italicum lib. VIII & alios: hodie *Golfo di Porto Venere* vocatur. Vide quæ dicam in Portuum enumeratione.

Latii, Amyclanus.

Latio, *Amuclanum Mare*, ab Amyclis Latij quomdam opido dictum. Nominat Tacitus lib. IV Annalium. Non tam Mare est, quam Sinus; qui nunc Adcolis, ut notat Sanfelicius, *il mare del Sperlunga*.

Campaniæ, Baianus, qui & Cumanus. Lucrinus, Puteolanus, Avernus.

Campaniæ, *Baianus*. Sic à *Baiis* Cumanorum opido plerisque appellatur; qui Κρατὴρ à Strabone, cum inter Athenæum & Misenum Promontoria describente; addenteque eumdem ab Eratosthene *Cumanum* vocari. Hodie *Golfo di Napoli*. *Lucrinum* nuncupat Symmachus lib. II. Epist. Quidam etiam *Puteolanum & Avernum*. In Itineraria Tabula *Crater fluvius* ter nominatur, Long. CIII, Lat. 7. Long. CIV, Lat. 6; Long. denique CV, Lat. 6. nonnulla confusione: videndum num scribere voluerit, quicumque exaravit Tabulam, *Craterem Sinum*; sed is locandus fuisset in eadem Tabula Long. XCIV, Lat. 8.

Lucaniæ, Pæstanus, qui & Posidoniates, & Acropolitanus.

Ad Lucaniam est *Pæstanus*. Sic cum aliis nominat Plinius: in Itineraria Tabula corrupte *Pesianus* scribitur: Græcis *Posidoniates* appellatur. Nomen est sortitus à *Pæsto*, Lucaniæ Vrbe, quæ Græcis Ποσειδωνία. Hodie, ut Leandro videtur, *Golfo Agropolitano*; unde & quibusdam *Acropolitanus Sinus*; vel, ut Ananiensi placet & Mazzellæ, *di Salerno*. Incipit ab ora Picentinorum, ac inde flexu sinuatur usque ad Promontorium *Posidoniate*, ut Strabo, Plinius & Ptolemæus ostendunt.

Brutiorum, Hipponiates, Vibonensis, qui & Napitinus. Bruttius. Terinæus.

Ad Brutiorum littora *Hipponiates* visitur *Sinus*. Ἱππωνιάτης ab *Hippone* opido, quod Romanis postea Vibo Valentia (unde & *Vibonensis*) Straboni & Ptolemæo vocatur, qui Ναπητῖνος ab Vrbe *Napitia* apud Strabonem. *Bruttius* Marciano à *Bruttiis* Populis: *Terinæus*, ab *Terina* Civitate, hodie *Teriana*, Thucydidi lib. VI & Plinio lib. III nat. hist. qui hunc cum Scyllacæo versus Orientem ex adverso Peninsulam Italiæ & Isthmum Stadiorum CLX, ut notat Strabo, efficere scribit. Facta tamen locorum Plinij commissione, *Vibonensis* pars potius *Terinæi*, quam cum *Terinæo* idem.

Lametinus;

Λαμητῖνος Aristoteli lib. VII de Rep. cap. X, ab *Lametinis*, qui *Lametium*. Vrbem habebant. Ait idem abesse ab Scylletio, itinere dimidiati diei. Hodie *Golfo di S. Eufemia*.

Magnæ Græciæ, Scylleticus.

Ad oram Magnæ Græciæ *Scylleticus* est & *Tarentinus*: Σκυλλητικὸς Straboni, qui hodie *Golfo de Schilaci*. Nomen illi ab *Scylletio* Vrbe, quæ nunc *Schylaci*. Male nonnulli dictum volunt ab *Scylla* Scopulo, qui procul hinc ad Fretum Mamertinum. Versus meridiem Zephyrium, ad Septemtrionem Lacinium habet Promontorium, inque eo Crotonem Vrbem. Superato Lacinio Sinus occurrit *Tarentinus*.

Tarentinus, qui & Thurinus.

Sic ab *Tarento*, urbe quomdam nobilissima, Plinio vocatur; qui *Thurinus* ab *Thuriis*, Salentinorum opido, apud Ovidium lib. XV. Metamorph. Hodie *Golfo di Taranto*; vel, ut quidam notant, *Mar grande*; de qua appellatione dictum à me nonnihil Part. I. lib. III cap. VI. Ingens eius est Ambitus vel Capacitas, inter duo Promontoria Lacinium & Iapygium. De eo Virgilius lib. III Æneidos:

Hinc Sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur.

cuius pars Rosanus.

Tarentini pars est Sinus, qui nunc adcolis *Golfo di Rosano*, ab Civitate munitissima, *Rosano*, tribus ab mari P. M. sita.

Apuliæ, Vrias;

Apuliam ornat Sinus, qui *Vrias* Pomponio Melæ; hodie vero *Golfo di Rode*, nomen habens ab *Roda* opido, quod *Vria* quomdam Latinis, Ὕριον vel Ὑρία Græcis, ut alibi à me notatum.

Forum Iulium *Tergestinus*, quem sic ab *Tergeste* Vrbe nominat Plinius; quique Ptolemæo, Eustathio & Stephano *Aquileius*, ab *Aquileia*, Sinui adlocata. Prius nomen hactenus obtinuit. Dicitur enim hodie *Golfo de Trieste*. Intimus est Maris Hadriatici recessus.

Istriam denique *Largus*, cui illabitur Draconia fluvius: & *Flanaticus*, sic Plinio dictus ab *Flanatibus* incolis: Φλανατικὸς Stephano; *Polaticus* Melæ, *Liburnicus* Orosio: *Carnarius* hodie, vulgo *Quarnero* vel *Carnero*, quasi *Carnivorus*, ob violentiam marinorum Fluctuum, inquit Leander, qua frequenter hic Naufragia fiunt, tamquam in hominum carnificina. Longitudinem habet millium LX; Latitudinem, inter Niam & Santee in Insulas, millium amplius XXX, usque ad XL; continetque modicas Insulas. Nominatur in Itineraria Tabula inter Istriam & Liburniam *Portus Planaticus*, ubi scribendum *Flanaticus*.

Caput hoc in *Freto* finiam (ne nusquam hoc indicetur) quod Brutios inter Italiæ populos & Siculos Insulanos. *Siculia* dicitur Ciceroni lib. III. de Nat. Deorum, Tacito lib. VI Annalium, & Plinio lib. XIX. nat. hist. cap. I; meritissime quod inter duas *Sicilias*. Nam Italiæ partem, à Brutiis aliisque Conregionalibus habitatam, etiam *Siciliam* apud Veteres Scriptores appellatam, suo loco dicitur. *Rheginum* vocatur Straboni ab *Rhegio Iulio*; *Scyllaeum* Athenæo lib. VII ab Scopulo *Scylla*, qui Freto versus Occidentem: *Charybdis* autem Thucydidi lib. IV ab altero, qui ad Orientem, à quibus multa Navigantibus pericula: unde & Fretum ipsum *Naufragum* cognominat Ovidius lib. XIII. Metamorph. Μιζοδὴν Homero & Apollonio lib. IV. *Traiectus* dicitur in Antonini Itinerario. Caussa nota: *Lonia* Benjamino. Hodie *Faro de Messina*, ab *Messana* Civitate, quæ Antiquis etiam *Mamertina* (unde Fretum ipsum quidam *Mamertinum*;) de quo nonnulla fortean Parte postrema, de Insulis, ubi de Sicilia. Describunt Aristoteles in Admirandis & Pausanias in Eliacis.

CAPVT X.

Italiæ *Portus*.

Italiæ importuosa magnam partem.

POST *Sinus* nominavi *Portus*. Italiam plerisque in locis ἀλίμενον esse, scribit Strabo lib. VI; & quos habet *Portus*, magnos esse atque admirabiles, horum illud adversus Exterorum Incursiones usui esse, hoc ad invadendos vicissim Exteros, & expeditam Mercaturæ copiam conducere. *Portus* igitur explicaturus, initium quam commodissime sumturum me arbitror ab Itinerario *Portuum* vel *Positionum Navium*, quod apud Antoninum ab Vrbe Nicæam, & porro Arelatum usque producitur. Quum autem animus mihi sit in *Portuum* indicio ab Occasu versus Ortum, id est ab Vario fluvio, qui Terminus hodie inter Liguriam & Galliæ Provinciam, ad Tiberim, qui inter Etruriam & Latium, progredi, necesse habeo Ordinem, qui apud Antoninum, invertere. Illud sine hac Antonini notatione cōsequemur, ut certam simus habituri cognitionem omnium *Portuum*, qui ad maritimas Liguriæ Etruriæque oras, olim senescente Imperio, fuerunt. Iter Antonini ad præposteram seriem reductum, inque pauciora verba contractum, nec non cum Itineraria Tabula commissum, sic habet:

Portus Liguriæ.

Antonini Itinerar.		Itineraria Tabula.	Hodierna Nomencl.
Antipoli *Niciam* Plag.	M. P. XVI.	. . . .	*Nizza*
Olivulam, Portus,	M. P. V.	. . . .	
Surita legit ad *Olbiam*, cuius alij meminerunt. Sed *Olbia* Situs reclamat. Ptolemæus enim inter Cytharisten Promontorium & Argentij Fluvij Ostium *Olbiam* collocat: Strabo etiā inter *Olbiam* & Anti-			

Olivula,

Mamertin.

& Antipolin Navale Cæsaris Augusti statuit, Forum Iulij nuncupatum: adeo ut *Olbia* omnino pertinuerit ad Partem illam Galliæ Narbonensis, quæ Provinciæ nomen obtinuit.

Anaonem Portus, M.P.XII. .... *Anaonis,*

Iosias Simlerus legit *Naonem*.

Avisionem Portus, M.P.IV. .... *Monaco.* *Avisionis,*

Herculem Monœcum Portus. M.P.XXII. .... *Herculis Monœci,*

Hæc olim vitiosissima scriptura in libris Antonini concepta legebantur. Meminerunt Tacitus, Plinius, Ptolemæus, & Ammianus. Sic Strabo lib. IV: ὁ δὲ τοῦ Μονοίκου λιμὴν ὅρμος ἐστὶν, οὐ μεγάλαις, οὐδὲ πολλαῖς ναυσὶν, ἔχων ἱερὸν Ἡρακλέους Μονοίκου καλουμένου, &c.

Albintimilium Plag. M.P.XVI. *Albentimillum.* *Vintimiglia.*

Consule Liguriam meam. *Mauricii,*

Portum Mauricii, M.P.XII. .... *Porto Mariso.*

Portus non tam re, quam nomine. *Albingauni,*

Albingaunum Portus, M.P.XII. *Albingaunum.* *Albenga.* *Vadorum Sabatiorum,*

Vada Sabatia Portus, M.P.XVIII. *Vadis Sabates.* Leg. *Sabatis.* *Vadi.*

Adi Liguriam meam.

Inter hunc & sequentem celebris hodie *Portus* est *Savona*. *Savona.* *Savona,*

Genuam Portus, M.P.XXX. *Genua.* *Genoa.* *Genua,*

Plene suo loco.

Portum Delphini, M.P.XVI. .... *Porto fino.* *Delphini,*

Meminit Plinius.

Portum Veneris, M.P.XVIII. .... *Porto di Venere.* *Veneris,*

Notus hic etiam in Latino Ptolemæo; quum tamen in Græco non habeatur.

Huic ex adverso *Portus* est *Ericis*: cujus meminit Ptolemæus. *Porto di Frice*; vel simpliciter *l'Erice.* *Ericis,*

Segestam Posit. M.P.XXX. .... *Sestri.*

De Liguriæ porro Portubus sic scribit Strabo lib. IV: ὅλος δὲ ἡ παραλία αὕτη πᾶσα μέχρι τῆς Τυρρηνίας ἀπὸ Μονοίκου λιμένος προσεχής τε (legit Casaubonus τραχὺς vel προσβραχὴς) ἐστὶ καὶ ἀλίμενος, πλὴν βραχέων ὅρμων καὶ ἀγκυροβολίων. Ὑπέρκεινται δὲ αἱ τῶν ὀρῶν ἐξαίσιοι κρημνοὶ, στενὴν ἀπολείποντες πρὸς θαλάττῃ πάροδον. Antoninus ad Etruriæ Portus sic pergit: *Etruria,*

Lunam ad Fluvium Macram. M.P.XXX. *Luna.* *Luna,*

Dicebatur ab hoc opido *Portus Lunensis*, Livio, Straboni, Plinio notus. *Lunai Portum* vocat Ennius I Annalium, & ex eo Persius Satyra VI:

Lunai Portum est opera cognoscere Cives.

Vide quæ noto ad eumdem Poëtam. Portum hunc amplitudine tanta testatur Strabo, ut omnibus, quæ toto Mari versantur, Navigiis excipiendis sufficiat: nec solũ late vasteq; patere; sed etiam tutissimum esse, quod jugis montium præcelsis undiq; claudatur, ideoque longissimum, in omnes partes & utrumq; Littus & Sardiniã prospectũ habeat. Silius Italicus lib. VIII.

Tunc quos à niveis exegit Luna Metallis
Insignis Portu, quo non spatiosior alter
Innumeras cepisse rates & claudere Pontū.

Amplis eius faucibus Insula modica est obiecta, vim Austri Africique prohibens. Flumen in eum se exonerat Macra, contra quod in ostio Portus binæ jacent Insulæ aliæ modicæ, *Tinus* & *Tinettus*.

Pisanum. *Portum Pisanum*, M. P. IX.

Huius nulla apud Veteres mentio: frequens autem in Pisanorū & Genuensium rebus, super Sardiniæ Insulæ imperio; & postea in expeditionibus Aragonensium Regum Maritimis, quibus Sardiniæ Regnum sibi adseruerunt.

Vadorum. *Vada* Portus, M. P. XVIII. — *Vadis Volaterris.* — *Vada.*

Ligurnum. Hodie Latine scribentibus *Portus Ligurnus*, vulgo *Livorno*. Sed Situs non patitur. Ligurnus est inter Pisas & Vada, medio fere itinere. *Ligurnum Labronem* appellare videtur Cicero ad Q. Fratrem lib. II. Epist. III. *Liburnum* Portum habent nescio unde Ptolemæi Interpretes; male etiam collocantes inter Lunam & Arnum. Censet Volaterranus Portum *Ligurnum* esse, quem Antoninus *Salepronem* nominat. Falso. Antoninus enim Iter Arelatense ab Vrbe Roma describens Aurelia Via Salepronem ab Lacu Aprili abesse ostendit M. P. XII: at Ligurnus ab eo Lacu supra L millia distat. Reclamat etiam series, quæ in Itineraria Tabula. Celebris quidem Portus est; sed paucarum Navium capax, & nondum profunde ecfossus. Ante ingressum Turres quatuor, in mari tres ab Maximiliano Imp. disiectæ; quarta jam renovata, & imposita ei custodia est. Plura apud Laurentium Schraderum, in monimentis Italiæ. — *Livorno.*

Populonij. *Populonium* Portus, M. P. XXX. — *Populonio.* — *Porto Ferrato.* Vide plene Leandrum in Tuscia.

Falesia. *Falesiam* Portus, — .... — ....

Faleria legitur Itinerarij Rutilij libro II.

Scabrorum. *Scabros* Portus, M. P. XVIII. — .... — *Scarino.*

Ptolemæo, aliisque *Portus Traianus* dicitur.

Almam Flumen Posit. M. P. VI. — *Arbia flume.*

Lacrum Aprilem Posit. M. P. XVIII. — Lacus ipse pictus est; sed suppresso nomine. — *Prille.*

Telamonis. *Portum Telamonis*, M. P. XVIII.

Telamon Portus etiam Polybio, Plinio, Melæque notus. Hinc Τελαμὼν Ptolemæo Promontorium. Scribit Plutarchus Marium in Portum Etruriæ — *Telamone.* — *Telamone.*

rix *Telamonem* delatum, descensione facta, Servos ad Pileum vocasse.

Alminam Fluvium Posit,	M. P......	*Albinia fl.*	*Albegna fiume.*	
Antoninus hic ex Itineraria Tabula vulgataque appellatione emendandus videtur.				
Domitianas Getarias Posit.	M. P. VIIII.			
Portum Herculis,	M. P. III.	*Port Herculus.*	*Porto Hercole.*	*Herculis.*
Straboni est notus.				
Arminen fluvium Posit.	M. P. XXV.	*Armenita fl.*	*Pescia*, ni fallor.	
Regas Posit.	M. P. IIII.	....	....	
An Ῥηγισουΐλλα Strabonis?				
Quintianum Posit.	M. P. VI.	....	....	
Multánum Posit.	M. P. III.	....	....	
Graviscas Posit.	M. P. III.	*Gravisca.*	*Monte alto.*	
Coralium hic nasci perhibet Plinius.				
Rapinium. Posit.	M. P. VI.	....	....	
In aliis est *Rapionum.*				
Algas Posit.	M. P. III.	....	....	
Centumcellas Posit.	M. P. III.	*Centum cellis.*	*Citta vecchia.*	
Vide Etruriam meam.				
Castrum Novum,	M. P. V.	*Castro Novo.*	*Corneto.*	
Panapionem,	M. P. VII.	*Punicum.*	....	
Anio videtur Melæ.				
Pyrgos Posit.	M. P. III.	*Pyrgos.*	....	
Portum Augusti:	M. P. XXVIII.	Augustam habet Itineraria Tabula huius Portus sculpturam; sed nullum Nomen adscriptũ.	*Porto di Roma.*	*Augusti:*
De eo plene dixi in Tuscia mea: ideoque non futurus hic in explicando prolixior: ad reliquos pergo.				

Portus, Naviumque Positiones Liguriæ Tusciæque hactenus commemoravi ex maritimo Antonini Itinerario: progredior iam, aliorum Auctorum sequutus vestigia, versus Euronotum, lectis Latij, Campaniæ, reliquarumque Italiæ ad Mare cum Inferum, tum Superum Regionum littoribus.

Quod ad Latium, Neronem Principem *Portum* operis sumtuosissimi ad Antium fecisse, scribit in eius Vita cap. IX Suetonius. Αἰαίης λιμένα habet Apollonius ad Circeium Montem: *Aeaam* ab Virgilio nominari, notat Servius, tribus Diphthongis ab adspernantium voce, propter celebratas illic Corporum Mutationes. *Caieta Portum* fuisse celeberrimum, amplissimeque ab Antonino Pio Imperat. refectum, refert Spartianus. Hodie nullus est. *Latii. Antias. Aeaea. Caietae*

Portum Iulium, inquit Suetonius in Augusto, *apud Baias immisso in Lucrinum & Avernum Lacum Mari, effecit.* Virgilius in Georgicis, *Campaniae, Iulius.*

Iulia qua Ponto longe sonat unda refuso.

Iuliam vndam vocat *Puteolanum Portum*, ut addunt Servius & Philargyrius. Legendus de eo Mazzella, in Antiquitatibus Puteolanorum. *Baianus Portus* altissimus in littore conspicitur; qui licet ædificia nulla habeat circumposita, numquam tamen de veteri celebritate quidquam remisit. *Baianus.*

Velinum Portum, ab *Velia*, antiquo Lucaniæ opido, quod periit, sic dictum, memorat Virgilius lib. VI Æn. *Lucaniae, Velinus.*

Portusque require Velinos.

Vtitur multitudinis numero, quod hoc littore plurimi sint Portus, quamquam exigui. Vide Agellium lib. X. noct. Attic. cap. XVI.

Herculis Portus prope Vibonem in Brutiis à Plinio describitur lib. III. cap. V. *Formiculas* vocant Adcolæ, ut tradit Barrius in sua Calabria. *Metaurus* Navium statio Straboni in Brutiis ad Metaurum Fluvium. *Metaurum* vocare videntur Pomponius Mela & Stephanus. *Bruttiorum, Herculis. Metaurus*

Orestis Portus in Magna Græcia apud eumdem Plinium est: qui *Ravagoso* ab Incolis *Mag. Graeciae, Orestis.*

Castra Hannibalis. Tarentinum.

colis dicitur, eodẽ Barrio notante. *Castra Hannibalis*, Magnæ Græciæ Portum, celebrant Solinus & Plinius: hodie *Le Castelle*, ut opinatur Leander. *Tarentinum Portum* habet ibidem Plinius, ab nobilissima quondam Vrbe *Tarento* sic nominatum. Scribit Strabo lib. VI *Portum* hunc, maximum atque pulcherrimum, Ponte fuisse inclusum; stadiisque c amplitudine patuisse. Plura apud ipsum videat Lector. Nominatur vitiose *Portus Salentinus* in Tabula Itineraria; nisi κατ' ἐξοχὴν ita vocetur, quod ad *Salentinorum* Regionem.

Salentinorum. Brundisium.

Brundisium autem Salentinorum Vrbem *Portu* quondam fuisse nobilem, patet ex Ennii versu, qui apud Agellium lib. VI cap. VI:

Brundisium pulcro præcinctum præpete Portu.

Sic Florus lib. I cap. XX: *Salentini Picentibus additi, caputque Regionis Brundisium, incluto Portu, M. Attilio Duce.* Plura ubi de Salentinis, cap. XXXII.

Apulia. Garne. Agasus. Piceni. Anconitanus.

Garne Portus Italiæ, circa Garganum Montem, Plinio. ΓΑΡΝΗΤΑΙ sunt apud Goltzium in Nummis. *Agasus*, eidem Plinio, Portus in Apulia Daunia.

Est suus Anconitanis hodie *Portus*, cum ab natura, tum ab humana industria munitus: aditu peropportunus, multarum Navium capax: ab Traiano Cæsare exstructus, adposito etiam Arcu magni operis. Qualis eius fuerit structura, videre est in Traiani Nummis.

Flaminiæ. Ariminensis. Ravennas.

Gloriatur Flaminia *Portubus*, cum aliis, tum *Ariminensi*; &, quem Bedesis Amnis, Besedus à Plinio nominatus creat, *Ravennate*; de quo plenius in sequentibus.

Markæ Tarvisinæ. Perotolo, &c.

Sunt hodie in Marka Tarvisina *Portus* non pauci, alii tamen aliis celebriores: ut sunt qui vulgo, *Porto Perotolo, Primiero, Magnavaca, de Volame, della Fa, do Goro, del Fornase. Fesson, de Brondolo, de Chioza, de Malamoco, de S. Nicolo, de S Rasino, Treporte, de Piave*, & alii.

Fori Iulii. Livenza, &c.

In Foro vero Iulio, qui Adcolis *Porto de Livenza, S. Margareta, de Caorle, de Baselego, de Taiamento, de Lignano, S. Andrea, de Buso, de Ansora, de Grado, de Canale*.

Istriæ. Pola, &c.

Ad Istriam denique *Portus* est *Polæ*, *Vallisque Borea*, *Africique* & *Flanaticus*, quorum omnium, & aliorum, latiorem explicationem, ne nimium excrescat meum hoc Cosmographicum opus, prudens omitto; quum & plerique *Portus* post etiam in specialiore Vrbium designatione notentur.

CAPVT XI.

Italiæ *Flumina*.

Fluminũ.

PORTVVM Enarrationi succedit *Fluminum*; in quibus describendis, ea primum quæ in Tyrrhenum Mare se exonerant, indicabo; inde, quæ Ionium petunt Pelagus; postremo, quæ Hadriatico se miscent, indicabo. Præmonitum volo hic Lectorem, me ad Margines huius Capitis usurum Signo *; quod Flumini qualicumque præiectum, notat Nomen illud suum servare secumque in Mare deportare: Eo autem nudatum, non Mare Flumen petere designat, sed cum Fluvio, qui proxime præcedit, Asterisco præmunitus, cõmisceri, inque eo nomen amittere.

*Liguriæ. * Varus.*

Inter, quæ primi ordinis, locum primum obtinet *Varus*, non quidem dignitate vel amplitudine; minor enim est multis aliis: sed quod fines regat Galliarum & Italiæ; vel, ut specialius dicam, quod Limitem statuat inter Provinciam, & Liguriam; hanc Italiæ, illam Galliæ Regionem. *Varus* dicitur Lucano, Plinio, Melæ, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, Latinisque ceteris; Οὔαρος Straboni, Ptolemæo, & aliis: *Varo* vernacule. Oritur in Alpium capite ex Monte Sallyo, supra villam D. Stephani. Rapide fluens, haud procul Nicæa, Massiliensium Mari inlabitur. Nulla alia re memorabilis est *Varus*, quam quod, ut dixi, Italiæ Galliæque faciat discrimen, ut Veteres docent Scriptores. Inter eos Lucanus lib. I. de Bello Pharsalico:

Finis, & Hesperiæ, promoto milite, Varus.

Plinius universæ Italiæ ambitum ab eo flumine ad Arsiam designat. Ptolemæus etiam Narbonensem Provinciam ad Ostia *Vari* terminat. Recipit, qua Occidentalior

lior ejus ripa & Gallica, Fluvios, qui Vulgo Gallorum audiunt *Caremp, Lavaire, Esteron*: qua Orientalior & Italiam spectans, *La Lince* & *La Vesubie*: quorum alter in Itineraria Tabula *Vulpis* nominatur; posterior, credo. Sequuntur inde per Liguriæ Littora, *Panion* Pomponio, qui *Paion* hodie: ad Nicæam Mari se miscens. *Rutuba* Lucano lib. II & Plinio lib. III cap. V notus: hodie *Ret.a* Leandro; *Rodo ia* Stunicç, Blondo, Ortelio. *Merula* Plinij subter Andoriam labitur; Vallem amœnam longamque M. P. VIII. percurrens; mari jungitur, ubi Promontorio *Merula* nomen facit. Hodie *Meira* dicitur, ut Iustinianus & Leander notant. Nigro *Centa* est: *Assenta* Stunicæ. Hoc fere loco scribitur in Itineraria Tabula *Fluvius Lu. us.* Vlterius Flumen est *Porcifera* Plinio; Vulgo *Porzevera*. Oritur in Apennini jugis, cursuque millium XV Mare petit, *Porsina* corrupte Antonino. *Ferrior* Plinio & Antonino, hodie *Ferisano*. Qui nunc *Lavagna*, & Itinerariæ Tabulæ, hodieque Latine scribentibus *Labonia*, Ἐντέλλα putatur Ptolemæo. *Macra* fluvius satis notus. Meminerunt præter alios Plinius, Antoninus in Itinerario Maritimo, & Tabula Peutingeriana. Straboni Μάκρας, Ptolemæo Μακράλλα, nescio an bene. *Magra* hodie. Celebratur & Livio, in cujus quibusdam Editionibus scribitur corrupte *Mera*. Profluit ex Apennino: Liguriamque ab Etruria dividens in Inferum provolvitur Mare. Tantus ejus est impetus, ut navigari commode nequeat, notante Sulpitio, in hæc Lucani:

> *Culta Macer, nullasque vado qui Macra moratus*
> *Alnos, vicinæ percurris in æquora Lunæ.*

Macram vocari ad eosdem versus scribit Omnibonus Vicentinus, quod ab Aquis *mareat*; ideoque, inquit, tum quia rapidior, tum quia vadosus, haud navigabilis est. Recipit *Macra*, præter alios, *Laulam*, *Fagnonum*, & *Gravetam*. Connumerandus his qui Βοάκτος Ptolemæo: *Vara* Vulgo ex quorumdam mente.

Hactenus Flumina, vel quorum apud Ligures Ostia sunt, vel quîs in alia Ingressus: sequuntur quæ Etruriæ consueverunt adcenseri. Hic primum ducunt agmen *Laventia* & *Frigidus*. Prioris mentio in Itineraria Tabula, ubi tamen *Aventia*. Posterior Adcolis hodie *Freddo*. Post *Versiliam* inde *Auser* est Amnis; sic Plinio dictus & Cassiodoro, qui *Ausur* Rutilio, Αὔσαρ Straboni; *Osari* vulgo. Leander tamen *Serchium* hodie dici notat; quem vide. *Arnus* mox succedit Livio lib. XXII, Plinio, & alijs memoratus: Ἄρνος Straboni & Ptolemæo; *Arno* vernacule. Nascitur, ut Strabo perhibet, ex Apennini latere dextro. *Falteronam* vocari Fontis locum, Auctores sunt Boccatius in libro Fluminum, Landinus Dantis Interpres in Purgatorio, & Facius Vbertus lib. III. Cant VI. Modicis initijs principio inter Rupes horridas præcipitesque Convalles in Occasum tendit: deinde conlectis Fontibus, Torrentibus, Amnibusq; plurimis tumidior, magna cum Mole Florentinum ingreditur Agrum: Florentiaque & Pisa divisis, Mare petit. Multis adaugetur fluvijs: quorum ad dextram illi ripam sunt inter alios *Craina*; *Solana*; *Rena*, *Resus*, vulgo *Resibo*; *Sera* Mugellum secans, receptis *Ducaria & Ronta*; *Munio*, *Mugnone* vernacule ex Apennino Florentiam adluens, ubi Arno jungitur; *Tersola*; *Fisentium*, cui *Marina* miscetur; *Vmbro*, *Vmbrone* vulgo, qui Stellæ junctim Arnum intrat; *Piscia* denique, *Rivola* dives, qui Piscinæ Valli dedit nomen: ad sinistram occurrunt *Staggia*: *Corsolana*; *Archianum*; *Pisselio*; *Classa*; *Triioga*; *Pesa*, cui *Fina* & *Grieva* confluunt; *Elsa* deniq; & *Era*; quorum ille, paullum supra opidum Collis oriens, modico procursu tantum incrementi sumit, ut tres ingentes frumentarias fullonicasque Molas volvat; recipiens in alveum suum cum alijs *Staggiam* & *Focium*. Post Arnum est *Cecinna*, Plinio Melæque laudatus, *Visidia*, ni fallor corrupte, Itinerariæ Tabulæ; qui ex Monteti radicibus haud procul Massa ortus, Agrum Volaterranum percurrens, ad Vrbem ipsam in Mare se præcipitat: hodie *Cecina*. *Cornia* ab Monte Rotundo profluit per Agrum Campilianum. *Alma* Antonino notus in Itinerario Maritimo, nomen retinens. *Brunus*, *Prilis* Plinio, ex Montibus Massæ vicinis prorumpens *Lacui Prili*, de quo alibi, miscetur. Qui *Vmbrone* vulgo, *Vmbro* (alius ab eo, qui ad dextram Arno jungitur) est apud Plinium, Antoninum & in Itineraria Tabula, Ὄμβρος Stephano: ex Montibus oritur inter Senam & Aretium, supra Ascianum, juxta D. Gusmetij Castellumque Novum. *Vmbronem* Navigiorum ait capacem, memoratque Rutilius his versibus:

XVIII cap. XI, *Via ab eo quoque latere Consulari, qua à Puteolis & ab Cumis Capuam ducit.* Idem lib. III cap. V. *Ibi* (de Campania loquitur) *Laborini Campi sternuntur & in delicias Alicæ politur Messis.* Et lib. XVII cap. IV; *Stipulæ crassitudinem tantam in Laborino Campo* notat, *ut Incolæ Ligni vice utantur.* Describuntur ab Silio, Petronio, & Cornelio Severo. Fuit ibidem *Stellatis Campus, Montibus & Fluminibus* (verba sunt Livii lib. XXII) *clausus:* meminit idem lib. IX & X. *Stellatis Ager* vocatur Suetonio in Cæsare. Santelicius ostendit cum hodie in Territorio Carinolo. Quod *Mazzone* vulgo dicatur, testis est Scipio Mazzella. De *Campi Stellatis* præstantia exstat M. Tullij Testimonium in Oratione contra Rullum. Habet item Campania *Agrum Falernum*, de quo Plinius lib. XIV cap. VI: *Falernus Ager a Ponte Campano lævâ petentibus Urbanam Coloniam Sullanam, nuper Capuæ contributam, incipit.* Et addit: *Faustianus autem circiter quatuor milliaria ab Vico prope Cedias, qui Vicus a Sinuessa VI milliibus abest. Nec ulli in Vino maior auctoritas: Faustianum Agrum* circa Cumas locat Athenæus, ubi Vinum eius describit.

Stellatis. Falernus. Faustianus.

Langbardiæ Cispadanæ. Campi Macri.

Visuntur in Langbardia Cispadana *Campi* qui Livio lib. XLI *Macri*: Str. boni *Macri* (legebatur antea corrupte Νακροὶ κάμποι): qui circa Mutinam & Parmam (ut Columella indicat lib. VII cap. II) hodie *Valle di Montirono*, ut Leandro videtur, sic scribenti: *A Finali sursum incedenti Paludes apparent multæ, vastissimaque Montironi Vallis: quæ ad dextram aggerem habet non latum quidem, sed qui longissime ab Aemilia Via usque in Padi fere ripam excurrat. Adcolæ* Dorsum *vocant, Frumenti ubertate mirabili copiosum. Vallis hæc ab occasu longo illo clauditur tumulo, ab Mirandula, quæ superius inter Austrum & Occasum sita est, millibus quinque distante. Nos hanc longe lateque patentem Planitiem, Italis Vallem appellatam* Campos *esse* Nacros *putamus, quorum meminit Strabo lib. V, ubi quotannis Forum haberi solitum ait. Eos autem hoc modo designat: Inter Placentiam, inquit, & Ariminum sunt Parma, Mutina, Bononia, harum medio exigua quadam iacent oppida, per quæ iter est Romam, Acara, Regium Lepidi, Nacri Campi, Claterna, & quæ sequuntur. Quamquam autem Volaterranus lib. IV Commentar. Urbanor. hos Campos ibi esse censeat, ubi nunc Carpi: Ego tamen,* inquit Leander, *exacte mecum hac planitie considerata, Strabonisque verbis inspectis, hos ipsos esse Nacros Campos arbitror: idque ut sentiam, equidem maxima Antiquitatis vestigia, nobiliumque ædificiorum opere musivo, ut vocant, ornatorum, quæ hic vidimus, faciunt: ubi etiam indies Numismata varia, Pavimenta tessellata, vetusta Vasa, Sepulcrorum antiquorum ruinæ cum insignibus Lapillis inveniuntur.* Et paullo post: *Patent hi Campi latissime, nullis plane Arboribus, herbam ferentes colore rubellam, sapore salsam, Adcolæ* Porcellanam *vocant, ovinæ Pastioni admodum expetitam: prætereaque Salem hic ex terra igne decocta, magno tamen artificio, conficiunt. Pascua item hæc Planicies peropportuna Gregibus Ovillis præbet; ex quibus Lanæ cum præcipua excellentia, tum incredibili copia percipiuntur.*

Vmbriæ. Rosea campus.

Roseæ Campus (sic enim appellatur Varroni, qui Livio lib. X *Rosellanus Ager*) in Vmbria locatus legitur iuxta Lacum Velinum, unde apud Virgilium, *Rosea Rura Velini*, ad quem locum Servius notat, Lacum Velinum ei propinquum esse. Campus hic tantæ scribitur Fertilitatis; ut, auctore Varrone, Cæsar Vopiscus, quum Caussam apud Censores ageret, *Campos Roseæ Italiæ* dixerit esse *Sumen*: In ijs enim (ut cap. III. dixi) Perticam relictam postridie non apparere propter Herbam tantillo tempore succrescentem: quod etiam à Plinio commemoratur lib. XVII, cap. IIII. Pars huius Campi vel Agri videtur fuisse *Amsancti Vallis*, de qua paullo ante.

Venetiæ. Candius.

Candius Campus, quem in Venetia ponit Florus, ibidem Teutones ab C. Mario trucidatos scribens, hodie *Candia* dicitur, non longe à Pado, in Lacinellini opidi tractu, ut Castilionius refert. Restituitur Floro ab Vineto *Claudius*. *Raudi Campi* leguntur apud Vell. Paterculum lib. II. Nescio an designet Sidonius in Panegyrico, qui Maiorano dicatus:

Perque Cavi quondam dictos de nomine Campos.

Caninos Campos legit Sigonius lib. XVIII Histor. Occident.

Prata Salana.

In Romanula non longe ab Forcellis Prata longe lateque diffunduntur, quæ *Salana* vocant Adcolæ, quorum medio Propugnaculum est cum antiqua Turre; tenetque Vicinitatem Opinio *Salam* opidum hoc olim exstitisse loco, unde *Prata Sala* nunc vulgo nuncupentur.

Viarum,

Viarum, quæ per totam Italiam, atque adeo in ipsam usque Galliam ab Vrbe ducebantur, quarumque hodie passim exstant Vestigia, enarratio potuisset etiam ad hoc Caput referri; sed commodior earum futura est explicatio in Latio, ubi quæ ad Romam (nam in Foro Romano ad Milliarium Aureum plerisque Viis sua erant initia & capita) eiusque spectant Magnitudinem, commemorantur. *Viæ.*

Capvt VIII.

Italiæ *Silvæ, Luci, Nemora.*

ET Montes, & Valles Campique, de quibus proxime dixi, suis superbiunt *Silvis, Lucis, Nemoribus*, quorum non pauca apud Priscos, etiam suis Nominibus leguntur celebrata. *Silvæ, Luci, vel Nemora.*

In Etruria, qui hodie Saltus, vernacule *Bosco di Monte Fiascone*, Volsinio, quod vulgo *Bolsena*, Viterbium euntibus occurrit, *Volsiniensium Lucum* ab Antiquis (cuius probati Auctoris testimonio, nondum liquet) appellatum tradit Leander, addens *Etruriæ* cognominatum apud Plinium, pravius lib. III cap. v lectum & intellectum: Quocumque notus fuerit nomine, videtur designari ab Ovidio in Fastis: *Etruriæ. Volsiniensium.*

Stat vetus & densi præ nubibus Arbore Lucus,
Aspice, concedes Numinis esse locum:
Aspicis Ara preces, votivaque Thura Piorum;
Ara per antiquas facta sine Arte manus.

In Cimino Etruriæ Monte quomdam, calcari pauciens ob horrorem solita, fuit Silva, de qua sic Livius lib. IX: *Silva erat Ciminia, magis tum invia atque horrenda, quam nuper fuere Germanici Saltus: nulli ad eam diem, ne Mercatori quidem, adita. Eam intrare haud fere quisquam præter Ducem ipsum audebat.* Confirmat Florus in Etrusco Samniticoque bello *Ciminium Saltum* ante illa tempora invium plane, quasi Calidonium aut Hercinium, fuisse scribens. Hac tamen ætate, repurgatis munitisque locis illis, iter habet non minus frequens atq; tutum, quam olim intra Viterbum Via Cassia fuit, Romam Vetralla ducens. Post Vicum Bacchanum in Etruria silvosi se offerunt Saltus, qui Indigenis *Bosco di Baccano*, cædibus & latrocinio quomdam perinfames. Veteres *Masiam Silvam* videntur appellasse. De ea Livius lib. I, *Silva*, inquit, *Masia, Tuscis adempta.* Et alibi pugnam Fabiorum contra Vejentes explicans, ex *Silva Masia* vocem exauditam scribit, Olim ea commeare non sine summo discrimine licuit: sed hac nostra ætate partim quod maiori ex parte sit incendio vastata partim quod per maximam Romanorum Pontificum curam & diligentiam, præcipueque Iulij II, Leonis X, Clementis VII & Paulli III, hic ibi excisa, tam est tuta, ut absque metu quovis tempore peragretur. *Ciminia.* *Masia.*

In Latio apud Capenates *Lucus* fuit *Feroniæ*, quem canit Silius lib. XIII:

Dives ubi ante omnes colitur Feronia Luco,
Et sacer humectat fluvialia rura Capenas. *Latii Lucus Feroniæ.*

Livius lib. XXVII in Agro Capenate prope *Silvam Feroniæ* Signa quatuor diem & noctem sanguine sudavisse narrat. Iuxta Numicum Amnem *Lucus* erat *Iovi Indigeti* sacer, ut Plinius tradidit lib. III cap. v, quamquam mendose apud eum antea *Locus* legeretur, pro *Lucus*: quod Hermolaus Barbarus adnotavit; & ex Livio lib. I, Solino in Polyhist. Dionysio Halic. in Antiq. Rom. & Cicerone lib. III de Natura Deorum convincitur. *Dianæ Ætolicæ Lucus* Livio est lib. XXVII ad Anagninum Compitum. *Næviam Silvam* extra Vrbem ad quartum Milliarum fuisse notat Festus. Ab ea nomen *Porta Nævia.* Extra Portam Capenam *Camœnarum Lucus* scribitur ab Livio lib. I. & Asconio Pædiano in Orat. Cicer. *Luci Capeni Egeriaque Nemus* forte Virgilio lib. VII, ubi Servius notat iuxta Ariciam fuisse. An ex hoc Silij versu sinisterius intellecto? *Iovis Indigetis.* *Dianæ Ætolicæ.* *Nævia Silva.* *Camœnarum Lucus.*

Egeriæ genitos immitis Aricia lucis.

Livius propius urbem locat, addens in eius medio fuisse *Egeriæ Fontem*, quod & testatur Ovidius lib. XV Metamorph. Quod *Algidum Nemus* Livio reliquisque Scriptoribus, hodie *Selva del Aglio* dicitur, consentibus Mario Nigro & Leandro. *Albuneam* *Algidum Nemus.*

Albunea Silva. *Angitia Nemus.* *Furinæ Lucus.*

neam Silvam in altissimis Tiburtinis Montibus habet Servius ad VII Æneid. aliamque idem ad Georgica, in Laurentinorum agris, cognominem: Vide infra ubi de Fontibus cap. II. *Angitia Nemus* propinquum Albæ Marsorum fuisse, significat Virgilius lib. VII. Æneid. *Furinæ Lucus*, Territorij Romani, est apud Ciceronem III de Nat. Deor. & Cornelium Nepotem, ubi C. Gracchum interfectum scribit. *Furinarum Lucum* habet P. Victor in XIIII. Regione Trans-Tiberiana. Plutarcho in Gracchi vita *Furiarum Lucus* ἄλσος Ἐριννύων vocatur.

Vmbriæ, Vacunæ Nemora: Campaniæ, Sacer Lucus,

Vacunæ Nemora agnoscit iuxta Montem Fiscellum in Vmbria Plinius.

Gaudent & suis Campani: cum primis *Luco Sacro* & *Gallinaria Silva*. *Sacer Lucus* Livio lib. XXIII, ἄλσος ἱερὸν. Straboni ad Ostia Liris, qui hodie *Hami*, testibus Scipione Mazzello & Leandro Alberto. Tribus ab Cumis passuum millibus locat Livius, Nympham Maricam ibi coli solitam scribit Strabo. Videndus & Servius ad Æneidem Virgilianam. *Gallinariam Silvam* nominant Cicero ad Pætum scribens & Strabo lib. V, qui Γαλλιναρίαν ὕλην vocat. Pomponius Sabinus, propius ad locum accedens, in Cumano Sinu fuisse ait; addens, *Triviæ Lucum* appellari ab Virgilio VI Æneid. Sanfelicio hodie *La Peneta de Patria* dicitur. Pinus huius vitiosius apud Iuvenalem lib. I. Sat. III *Callinaria* nuncupatur.

Gallinaria Silva.

Lucaniæ, Eboli, *Peregrinalis.* *Veliarum.*

Lucanorum sunt *Silvæ Lucique Eboli, Peregrinalis, Veliarum. Eboli Silva* perinfamis nomen habet ab *Eboio* vicino opido, quod tamen ultra flumen est in Campania seu Picentinis. *Peregrinalis* fauces excipiens Vallis Dianiæ, densitate arborum perobscura est; præsertim Ilicum, tantæ altitudinis, ut cœlum cacuminibus attingere videantur. *Veliarum Lucos*, ab *Velia* Lucanorum Vrbe dictos, Hannibalem evasisse scribit Symmachus lib. II. Epist. XII.

Brutiorum, Rheginum [illegible], qui & Silva [illegible].

Brutiorum est *Rheginus* vel *Rheginorum Saltus*; cuius meminit Solinus: *Syla* videtur dici Virgilio, & Vibio Sequestro; *Sila* Sallustio & Plinio; Σίλα Brutiis apud Strabonem lib. VI: *Carminiacensis* fortean in Libro Notitiarum, & *Carmeianus* in eo, qui de Limitibus. *La Sila* hodie per excellentiam ab Incolis vocari scribit Laurentius Ananiensis. Silvam hanc tanta Arborum varietate distinctam notat Gabriel Barrius in sua Calabria, ut id naturæ opus mortalium industria distributum videri possit. Patere in circuitu ad ducenta P.M. prodit Scipio Mazzella. Addit Strabo Picem Silvam hanc ferre optimam, arboribus esse præclare consitam, Aquæ copia præditam, ꟾↃ cc stadiis longam. Certe *Picem* Βρυττίαν, quam memorant Scriptores, ex hac Silva colligi solitam, est verisimile. Dioscorides Βρυτίαν vocat cap. XCVIII *Vina Saltus* huius laudat Cassiodor. lib. XII Variar.

Apuliæ, Batinis Saltus, *Lucus Gargani.*

Apulorum *Batini* sunt *Saltus*, & *Lucus Gargani*. *Batinorum Saltuum*, qui ab opido Apuliæ *Batina* dicti, meminit Horatius, cui *Bantinos* restituit ex M. SS. Codicibus Cruquius. De *Luco Gargani* sic scribit Leander Albertus in Apulia Daunia: *Exteriora Cryptæ* (quam, Michaelis Archangeli Domicilium, paullo ante delinearat) *id est supremum eius Tectum virens densusque Lucus altissimis Arboribus operit; ex quibus multitudo maxima lapidum pendet, quos voti caussa peregrinantes collo adligatos sursum in Montis iugum baiulant; ibique precibus patratis suspensos relinquunt. Admirationem profecto summam hac habet Silva, quod magno circumcirca spatio nullus ne frutex quidem appareat alius: quapropter Miraculum potius, quam res Naturalis habetur, tot & tam ingentes Arbores hic in vivum saxum radicatas.* Pergit Leander: *Mihi Adcolæ quum hic essem, narravere, circa Karolum* VIII *Franciæ Regem, qui anno ab Christo nato* CIↃ CCCC XCIIII *Neapolitanum Regnum cepit, unam ab Gallo quodam Milite casam, illumque protinus supplicio divino ex animatum concidisse.*

Romandiolæ, Silva Lucina, Pedanea Silva.

In Gallia Cis-Padana ubi Senius fluvius in Padusam Paludem defluit, *Silva* est *Lucina*; & prope confluentem cum Pado Renum, *Pedanea Silva*, quas Succinum flevisse frustra credidit Antiquitas. Videndus Solinus in Polyhist. cap. XXIII.

Trans-Alp. Galliæ, Castrorum Lucus.

In Trans-Padana *Castorum Lucus* ad XII Lapidem distat ab Cremona apud Tacitum lib. XVIII. *Castorum Locus*, inemendatius, Orosio lib. VII, cap. VIII.

Venetiæ, Lucus Iunonis Argivæ, Et Dianæ Ætolicæ.

Straboni denique apud Venetos suo sunt *Luci*, unus ab *Iunone Argiva* cognominatus; alter ab *Diana Ætolica*, alius ab Superiore, qui in Latio ad Anagninum Compitum.

CAPVT

CAPUT IX.

Italiæ *Sinus*.

QVÆ Terræ tribuenda notavi: succedunt, quæ Aquæ: ut sunt, *Sinus*, *Portus*, *Navalia*, *Flumina*, *Vada*, *Paludes*, *Stagna*, *Fossa*, *Lacus*, *Fontes*, *Aquæ*, *Balnea*. Agmen ducunt *Sinus*.

Sinus Italiæ.

Liguriæ præiacent *Rapallinus*, & *Ericu*. *Rapallino*, uti & Valli ibidem, nomen ab *Rapalio*, nobili iuxta littus Vico. *Ericis*, sic ab Veneris cognomine dicti, mentio est apud Silium Italicum lib. VIII & alios: hodie *Golfo di Porto Venere* vocatur. Vide quæ dicam in Portuum enumeratione.

Liguriæ, Rapallinus, Ericus.

Latio, *Amuclanum Mare*, ab Amyclis Latij quomdam opido dictum. Nominat Tacitus lib. IV Annalium. Non tam Mare est, quam Sinus; qui nunc Adcolis, ut notat Sanfelicius, *il mare del Sperlunga*.

Latii, Amuclanum.

Campaniæ, *Baianus*. Sic à *Bais* Cumanorum opido plerisque appellatur; qui Κρατὴρ à Strabone, cum inter Athenæum & Misenum Promontoria describente; addenteque eumdem ab Eratosthene *Cumanum* vocari. Hodie *Golfo di Napoli*. *Lucrinum* nuncupat Symmachus lib. II. Epist. Quidam etiam *Puteolanum & Avernum*. In Itineraria Tabula *Crater fluvius* ter nominatur, Long. CIII, Lat. 7. Long. CIV, Lat. 6; Long. denique CV, Lat. 6. nonnulla confusione: videndum num scribere voluerit, quicumque exaravit Tabulam, *Craterem Sinum*; sed is locandus fuisset in eadem Tabula Long. XCIV, Lat. 8.

Campaniæ, Baianus, qui & Cumanus, Lucrinus, Puteolanus, Avernus.

Ad Lucaniam est *Pæstanus*. Sic cum aliis nominat Plinius: in Itineraria Tabula corrupte *Pesianus* scribitur: Græcis *Posidoniate* appellatur. Nomen est sortitus à *Pæsto*, Lucaniæ Vrbe, quæ Græcis Ποσειδωνία. Hodie, ut Leandro videtur, *Golfo Agropolitano*; unde & quibusdam *Acropolitanus Sinus*; vel, ut Ananiensi placet & Mazzellæ, *di Salerno*. Incipit ab ora Picentinorum, ac inde flexu sinuatur usque ad Promontorium *Posidoniate*, ut Strabo, Plinius & Ptolemæus ostendunt.

Lucaniæ, Pæstanus, qui & Posidoniates, & Acropolitanus.

Ad Brutiorum littora *Hipponiates* visitur *Sinus*. Ἱππωνιάτης ab *Hippone* opido, quod Romanis postea Vibo Valentia (unde & *Vibonensis*) Straboni & Ptolemæo vocatur, qui Ναπητῖνος ab Vrbe *Napitia* apud Strabonem. *Brutius* Marciano à *Brutiis* Populis: *Terinæus*, ab *Terina* Civitate, hodie *Teriana*, Thucydidi lib. VI & Plinio lib. III nat. hist. qui hunc cum Scyllacæo versus Orientem ex adverso Peninsulam Italiæ & Isthmum Stadiorum CLX, ut notat Strabo, efficere scribit. Facta tamen locorum Plinij commissione, *Vibonensis* pars potius *Terinæi*, quam cum *Terinæo* idem. Λαμητῖνος Aristoteli lib. VII de Rep. cap. X, ab *Lametinis*, qui *Lametiam* Vrbem habebant. Ait idem abesse ab Scylletio, itinere dimidiati diei. Hodie *Golfo di S. Eufemia*.

Brutiorum, Hipponiates, Vibonensis, qui & Napitinus, Brutius, Terinæus, Lametinus;

Ad oram Magnæ Græciæ *Scylleticus* est & *Tarentinus*: Σκυλλητικὸς Straboni, qui hodie *Golfo de Schilaci*. Nomen illi ab *Scylletio* Vrbe, quæ nunc *Schylaci*. Male nonnulli dictum volunt ab *Scylla* Scopulo, qui procul hinc ad Fretum Mamertinum. Versus meridiem Zephyrium, ad Septemtrionem Lacinium habet Promontorium, inque eo Crotonem Vrbem. Superato Lacinio Sinus occurrit *Tarentinus*. Sic ab *Tarento*, urbe quomdam nobilissima, Plinio vocatur; qui *Thurinus* ab *Thuriis*, Salentinorum opido, apud Ovidium lib. XV. Metamorph. Hodie *Golfo di Taranto*; vel, ut quidam notant, *Mar grande*; de qua appellatione dictum à me nonnihil Part. I. lib. III cap. VI. Ingens eius est Ambitus vel Capacitas, inter duo Promontoria Lacinium & Iapygium. De eo Virgilius lib. III Æneidos:

Magnæ Græciæ, Scylleticus, Tarentinus, qui & Thurinus,

Hinc Sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur.

Tarentini pars est Sinus, qui nunc adcolis *Golfo di Rosano*, ab Civitate munitissima, *Rosano*, tribus ab mari P. M. sita.

cuius pars Rosanus.

Apuliam ornat Sinus, qui *Vrias* Pomponio Melæ; hodie vero *Golfo di Rode*, nomen habens ab *Rodi* opido, quod *Vria* quomdam Latinis, Ὑρίον vel Ὑρία Græcis, ut alibi à me notatum.

Apuliæ, Vrias;

Fori Iulii. [illegible]

Forum Iulium *Tergestinus*, quem sic ab *Tergeste* Vrbe nominat Plinius; quique Ptolemæo, Eustathio & Stephano *Aquileius*, ab *Aquileia*, Sinui adlocata. Prius nomen hactenus obtinuit. Dicitur enim hodie *Golfo de Trieste*. Intimus est Maris Hadriatici recessus.

Istrici. Lorgus & Flanaticus, qui & Polaticus, Liburnicus, Carnarius.

Istriam denique *Lorgus*, cui illabitur Draconia fluvius: & *Flanaticus*, sic Plinio dictus ab *Flanaticus* incolis: Φλανωνικὸς Stephano; *Polaticus* Melæ, *Liburnicus* Crolio: *Carnarius* hodie, vulgo *Quernero* vel *Carnero*, quasi *Carnivorus*, ob violentiam marinorum Fluctuum, inquit Leander, qua frequenter hic Naufragia fiunt, tamquam in hominum carnificina. Longitudinem habet millium LX; Latitudinem, inter Niam & Santecam Insulas, millium amplius XXX, usque ad XL; continetque modicas Insulas. Nominatur in Itineraria Tabula inter Istriam & Liburniam *Portus Planaticus*, uti scribendum *Flanaticus*.

Fretum Siculum, quod &

Caput hoc in *Freto* finiam (ne nusquam hoc indicetur) quod Brutios inter Italiæ populos & Siculos Insulanos. *Siculia* dicitur Ciceroni lib. III. de Nat. Deorum, Tacito lib. VI Annalium, & Plinio lib. XIX. nat. hist. cap. I: meritissime quod inter duas *Sicilias*. Nam Italiæ partem, à Brutiis alisque Conregionalibus habitatam, etiam *Siciliam* apud Veteres Scriptores appellatam, suo loco dicitur.

Rhegium, Scyllæum, Charybdis.

Rhegium vocatur Straboni ab *Rhegio Iulio*; *Scyllæum* Athenæo lib. VII ab Scopulo *Scylla*, qui Freto versus Occidentem; *Charybdis* autem Thucydidi lib. IV ab altero, qui ad Orientem, à quibus multa Navigantibus pericula: unde & Fretum ipsum

πορθμός. Traiectus.

Navifragum cognominat Ovidius lib. XIII. Metamorph. πορθμὸς Homero & Apollonio lib. IV. *Traiectus* dicitur in Antonini Itinerario. Caussa nota. *Lonia* Benjamino. Hodie *Faro de Messina*, ab *Messana* Civitate, quæ Antiquis etiam *Mamertina* (unde

Mamertinum.

de Fretum ipsum quidam *Mamertinum*;) de quo nonnulla fortean Parte postrema, de Insulis, ubi de Sicilia. Describunt Aristoteles in Admirandis & Pausanias in Eliacis.

CAPVT X.

Italiæ *Portus*.

Italia importuosa, magnam partem.

POST *Sinus* nominavi *Portus*. Italiam plerisque in locis ἀλίμενον esse, scribit Strabo lib. VI; & quos habet *Portus*, magnos esse atque admirabiles, horum illud adversus Exterorum Incursiones usui esse, hoc ad invadendos vicissim Exteros, & expeditam Mercaturæ copiam conducere. *Portus* igitur explicaturus, initium quam commodissime sumturum me arbitror ab Itinerario *Portuum* vel *Positionum Navium*, quod apud Antoninum ab Vrbe Nicæam, & porro Arelatum usque producitur. Quum autem animus mihi sit in *Portuum* indicio ab Occasu versus Ortum, id est ab Vario fluvio, qui Terminus hodie inter Liguriam & Galliæ Provinciam, ad Tiberim, qui inter Etruriam & Latium, progredi, necesse habeo Ordinem, qui apud Antoninum, invertere. Illud sane hac Antonini notatione cõsequemur, ut certam simus habituri cognitionem omnium *Portuum*, qui ad maritimas Liguriæ Etruriæque oras, olim senescente Imperio, fuerunt. Iter Antonini ad præposteram seriem reductum, inque pauciora verba contractum, nec non cum Itineraria Tabula commissum, sic habet:

Portus Liguriæ.

Antonini Itinerar.		Itineraria Tabula.	Hodierna Nomencl.
Antipoli *Niciam* Plag.	M. P. XVI.	. . . .	*Nizza*
Olivulam, Portus,	M. P. V.	. . . .	
Surita legit ad *Olbiam*, cuius alij meminerunt. Sed *Olbia* Situs reclamat. Ptolemæus enim inter Cytharisten Promontorium & Argentij Fluvij Ostium *Olbiam* collocat: Strabo etiá inter *Olbiam* & Anti-			

Olivula.

& Antipolin Navale Cæsaris Augusti statuit, Forum Iulij nuncupatum: adeo ut *Olbia* omnino pertinuerit ad Partem illam Galliæ Narbonensis; quæ Provinciæ nomen obtinuit.				
Anaonem Portus,	M.P.XII.	....		*Anaonis,*
Iosias Simlerus legit *Naonem.*				
Avisionem Portus,	M.P.IV.	....	*Monaco.*	*Avision,*
Herculem Monæcum Portus,	M.P.XXII.	....		*Herculis Monæci,*
Hæc olim vitiosissima scriptura in libris Antonini concepta legabantur. Meminerunt Tacitus, Plinius, Ptolemæus, & Ammianus. Sic Strabo lib. IV: Ὁ δὲ τοῦ Μονοίκου λιμὴν ὅρμος ἐστιν, οὐ μεγάλαις, οὐδὲ πολλαῖς ναυσίν, ἔχων ἱερὸν Ἡρακλέους Μονοίκου καλουμένου, &c.				
Albintimilium Plag.	M.P.XVI.	*Albentimillum.*	*Vintimiglia.*	
Consule Liguriam meam.				*Maurici,*
Portum Maurici,	M.P.XII.	....	*Porto Mariso.*	
Portus non tam re, quam nomine.				*Albingauni,*
Albingaunum Portus,	M.P.XII.	*Albingaunum.*	*Albenga.*	*Vadorum Sabatiorum,*
Vada Sabatia Portus,	M.P.XVIII.	*Vadis Sabates.* Leg. *Sabatis.*	*Vadi.*	
Adi Liguriam meam.				
Inter hunc & sequentem celebris hodie *Portus* est *Savona.*			*Savona.*	*Savona,*
Genuam Portus,	M.P.XXX.	*Genua.*	*Genoa.*	*Genua,*
Plene suo loco.				
Portum Delphini,	M.P.XVI.	....	*Porto fino.*	*Delphini,*
Meminit Plinius.				
Portum Veneris,	M.P.XVIII.	....	*Porto di Venere.*	*Veneris,*
Notus hic etiam in Latino Ptolemæo; quum tamen in Græco non habeatur.				
Huic ex adverso *Portus* est *Ericis:* cuius meminit Ptolemæus.			*Porto di Frice,* vel simpliciter *l'Erice.*	*Ericis*
Segestam Posit.	M.P.XXX.	....	*Sestri.*	

De Liguriæ porro Portubus sic scribit Strabo lib. IV: Ὁ λόγος δὲ ἡ παραλία αὕτη πᾶσα μέχρι τῆς Τυῤῥηνίας ἀπὸ Μονοίκου λιμένος προσεχὴς τι (legit Casaubonus τραχὺς vel προσβραχὴς) ἐστι καὶ ἀλίμενος, πλὴν βραχέων ὅρμων καὶ ἀγκυροβολίων. Υπέρκεινται δὲ οἱ τῶν ὀρῶν ἐξαίσιοι κρημνοί, στενὴν ἀπολείποντες πρὸς θαλάττῃ πάροδον. Antoninus ad Etruriæ Portus sic pergit: *Etruria.*

Lunam ad Fluvium Macram.	M.P.XXX.	*Luna.*		*Luna,*

Dicebatur ab hoc opido *Portus Lunensis,* Livio, Straboni, Plinio notus. *Lunai Portum* vocat Ennius I Annalium, & ex eo Persius Satyra VI:

Lunai Portum est opera cognoscere Cives.

• Vide quæ noto ad eumdem Poëtam.

Portum hunc amplitudine tanta testatur Strabo, ut omnibus, quæ toto Mari versantur, Navigiis excipiendis sufficiat: nec solũ late vasteq; patere; sed etiam tutissimum esse, quod iugis montium præcelsis undiq; claudatur, ideoque longissimum, in omnes partes & utrumq; Littus & Sardiniã prospectũ habeat. Silius Italicus lib. VIII.

Tunc quos à niveis exegit Luna Metallis
Insignis Portu, quo non spatiosior alter
Innumeras cepisse rates & claudere Pontũ.

Amplis eius faucibus Insula modica est obiecta, vim Austri Africique prohibens. Flumen in eum se exonerat Macra, contra quod in ostio Portus binæ jacent Insulæ aliæ modicæ, *Tinus* & *Tinettus*.

Pisanum.	*Portum Pisanum*, M. P. IX.		
	Huius nulla apud Veteres mentio: frequens autem in Pisanorũ & Genuensium rebus, super Sardiniæ Insulæ imperio; & postea in expeditionibus Aragonensium Regum Maritimis, quibus Sardiniæ Regnum sibi adseruerunt.		
Vadorum,	*Vada* Portus, M. P. XVIII.	*Vadis Volaterris.*	*Vada.*
Ligurnus.	Hodie Latine scribentibus *Portus Ligurnus*, vulgo *Liverno*. Sed Situs non patitur. Ligurnus est inter Pisas & Vada, medio fere itinere. *Ligurnum Labronem* appellare videtur Cicero ad Q. Fratrem lib. II. Epist. III. *Liburnum* Portum habent nescio unde Ptolemæi Interpretes; male etiam collocantes inter Lunam & Arnum. Censet Volaterranus Portum *Ligurnum* esse, quem Antoninus *Salepronem* nominat. Falso. Antoninus enim Iter Arelatense ab Vrbe Roma describens Aurelia Via Salepronem ab Lacu Aprili abesse ostendit M. P. XII: at Ligurnus ab eo Lacu supra L millia distat. Reclamat etiam series, quæ in Itineraria Tabula. Celebris quidem Portus est; sed paucarum Navium capax, & nondum profunde ecfossus. Ante ingressum Turres quatuor, in mari tres ab Maximiliano Imp. disiectæ: quarta jam renovata, & imposita ei custodia est. Plura apud Laurentium Schraderum, in monimentis Italiæ.		*Liverno.*
Populonij.	*Populonium* Portus, M. P. XXX.	*Populonio.*	*Porto Ferrato.* Vide plene Leandrum in Tuscia.
Falesia.	*Falesiam* Portus,	....	....
	Faleria legitur Itinerarij Rutilij libro II.		
Scabrorum,	*Scabros* Portus, M. P. XVIII.	....	*Scarino.*
	Ptolemæo, aliisque *Portus Traianus* dicitur.		
	Almam Flumen Posit. M. P. VI.		*Arbia fiume.*
	Lacrum Aprilem Posit. M. P. XVIII.	Lacus ipse pictus est; sed suppresso nomine.	*Prille.*
Telamonis.	*Portum Telamonis*, M. P. XVIII.		
	Telamon Portus etiam Polybio, Plinio, Melæque notus. Hinc Τελαμὼν Ptolemæo Promontorium. Scribit Plutarchus Marium in Portum Etru-	*Telamone.*	*Telamone.*

riæ

rit *Telamonem* delatum, descensione facta, Servos ad Pileum vocasse.

Alminam Fluvium Posit,	M. P......	*Albinia fl.*	*Albegna fiume.*	
Antoninus hic ex Itineraria Tabula vulgataque appellatione emendandus videtur.				
Domitianas Getarias Posit.	M. P. VIIII.			
Portum Herculis,	M. P. III.	*Port Herculus.*	*Porto Hercole.*	*Herculis.*
Straboni est notus.				
Arminen fluvium Posit.	M. P. XXV.	*Armenita fl.*	*Pescia*, ni fallor.	
Regas Posit.	M. P. IIII.	....	....	
An Ῥηγισουίλλα Strabonis?				
Quintianum Posit.	M. P. VI.	....	....	
Maltanum Posit.	M. P. III.	....	....	
Graviscas Posit.	M. P. III.	*Gravisca.*	*Monte alto.*	
Coralium hic nasci perhibet Plinius.				
Rapinium. Posit.	M. P. VI.	....	....	
In aliis est *Rapionum.*				
Algas Posit.	M. P. III.	....	....	
Centumcellas Posit.	M. P. III.	*Centum cellis.*	*Citta vecchia.*	
Vide Etruriam meam.				
Castrum Novum,	M. P. V.	*Castro Novo.*	*Corneto.*	
Panapionem,	M. P. VII.	*Punicum.*	....	
Anio videtur Melæ.				
Pyrgos Posit.	M. P. III.	*Pyrgos.*	....	
Portum Augusti:	M. P. XXXVIII.	Augustam habet Itineraria Tabula huius Portus sculpturam; sed nullum Nomen adscriptũ.	*Porto di Roma.*	*Augusti.*
De eo plene dixi in Tuscia mea: ideoque non futurus hic in explicando prolixior: ad reliquos pergo.				

Portus, Naviumque Positiones Liguriæ Tusciæque hactenus commemoravi ex maritimo Antonini Itinerario: progredior iam, aliorum Auctorum sequutus vestigia, versus Euronotum, lectis Latij, Campaniæ, reliquarumque Italiæ ad Mare cum Inferum, tum Superum Regionum littoribus.

Quod ad Latium, Neronem Principem *Portum* operis sumtuosissimi ad Antium fecisse, scribit in eius Vita cap. IX Suetonius. Αἰαίης ἀκτῆς habet Apollonius ad Circeium Montem: *Æeam* ab Virgilio nominari, notat Servius, tribus Diphthongis; ab adspernantium voce, propter celebratas illic Corporum Mutationes. *Caieta Portum* fuisse celeberrimum, amplissimeque ab Antonino Pio Imperat. refectum, refert Spartianus. Hodie nullus est. *Latii. Antiat. Æea. Caietæ*

Portum Iulium, inquit Suetonius in Augusto, *apud Baias immisso in Lucrinum & Avernum Lacum Mari, effecit.* Virgilius in Georgicis, *Campaniæ, Iulium.*

Iulia qua Ponto longe sonat unda refuso.

Iuliam undam vocat *Puteolanum Portum*, ut addunt Servius & Philargyrius. Legendus de eo Mazzella, in Antiquitatibus Puteolanorum. *Baianus Portus* altissimus in littore conspicitur: qui licet ædificia nulla habeat circumposita, numquam tamen de veteri celebritate quidquam remisit. *Baianus.*

Velinum Portum, ab *Velia*, antiquo Lucaniæ opido, quod periit, sic dictum, memorat Virgilius lib. VI Æn. *Lucaniæ, Velinum.*

Portusque require Velinos.

Vritur multitudinis numero, quod hoc littore plurimi sint Portus, quamquam exigui. Vide Agellium lib. X. noct. Attic. cap. XVI.

Herculis Portus prope Vibonem in Brutiis à Plinio describitur lib. III. cap. V. *Formiculas* vocant Adcolæ, ut tradit Barrius in sua Calabria. *Metaurus* Navium statio Straboni in Brutiis ad Metaurum Fluvium. *Metaurum* vocare videntur Pomponius Mela & Stephanus. *Brutiorum, Herculis. Metaurus*

Orestis Portus in Magna Græcia apud eumdem Plinium est: qui *Ravagoso* ab Incolis *Mag. Græciæ, Orestis.*

lior ejus ripa & Gallica, Fluvios, qui Vulgo Gallorum audiunt *Caremp, Lavaire, Esteron*: qua Orientalior & Italiam spectans, *La Lance* & *La Vesubie*: quorum alter in Itineraria Tabula *Vulpi* nominatur; posterior, credo. Sequuntur inde per Liguriæ Littora, *Panon* Pomponio, qui *Pallon* hodie: ad Nicæam Mari se miscens. *Rutuba* Lucano lib. II. & Plinio lib. III cap. V notus: hodie *Reta* Leandro; *Rodo* in Stunice, Blondo, Ortelio. *Merula* Plinij subter Andoriam labitur; Vallem amœnam longamque M. P. VIII. percurrens; mari jungitur, ubi Promontorio *Merula* nomen facit. Hodie *Meira* dicitur, ut Iustinianus & Leander notant. Nigro *Centa* est: *Assenta* Stunicæ. Hoc fere loco scribitur in Itineraria Tabula *Fluvius Lucus*. Vlterius Flumen est *Porcifera* Plinio; Vulgo *Porzevera*. Oritur in Apennini jugis, cursuque millium XV Mare petit, *Porsina* corrupte Antonino. *Feritor* Plinio & Antonino, hodie *Ferisano*. Qui nunc *Lavagna*; & Itinerariæ Tabulæ, hodieque Latine scribentibus *Labonia*, Ἐντέλλα putatur Ptolemæo. *Macra* fluvius satis notus. Meminerunt præter alios Plinius, Antoninus in Itinerario Maritimo, & Tabula Peutingeriana. Straboni Μάκρα. Ptolemæo Μακράλλα, nescio an bene. *Magra* hodie. Celebratur & Livio, in cujus quibusdam Editionibus scribitur corrupte *Mera*. Profluit ex Apennino: Liguriamque ab Etruria dividens in Inferum provolvitur Mare. Tantus ejus est impetus, ut navigari commode nequeat, notante Sulpitio, in hæc Lucani:

Culta Siler, nullasque vado qui Macra moratus
Alnos, vicinæ percurrit in æquora Lunæ.

Macram vocari ad eosdem versus scribit Omnibonus Vicentinus, quod ab Aquis *maceat*; ideoque, inquit, tum quia rapidior, tum quia vadosus, haud navigabilis est. Recipit *Macra*, præter alios, *Laulam, Fagnonum*, & *Gravesiam*. Connumerandus his qui Βόακρος Ptolemæo: *Vara* Vulgo ex quorumdam mente.

Hactenus Flumina, vel quorum apud Ligures Ostia sunt, vel quis in alia Ingressus: sequuntur quæ Etruriæ consueverunt adcenseri. Hic primum ducunt agmen *Laventia* & *Frigidus*. Prioris mentio in Itineraria Tabula, ubi tamen *Aventia*. Posterior Adcolis hodie *Freddo*. Post *Versiliam* inde *Auser* est Amnis; sic Plinio dictus & Cassiodoro, qui *Ausur* Rutilio, Ἄισαρος Straboni; *Osari* vulgo. Leander tamen *Serchium* hodie dici notat; quem vide. *Arnus* mox succedit Livio lib. XXII, Plinio, & aliis memoratus: Ἄρνος Straboni & Ptolemæo: *Arno* vernacule. Nascitur, ut Strabo perhibet, ex Apennini latere dextro. *Falteronam* vocari Fontis locum, Auctores sunt Boccatius in libro Fluminum, Landinus Dantis Interpres in Purgatorio, & Facius Vbertus lib. III. Cant VI. Modicis initijs principio inter Rupes horridas præcipitesque Convalles in Occasum tendit: deinde conlectis Fontibus, Torrentibus, Amnibusq; plurimis tumidior, magna cum Mole Florentinum ingreditur Agrum: Florentiaque & Pisa divisis, Mare petit. Multis adaugetur fluvijs: quorum ad dextram illi ripam sunt inter alios *Craina*; *Solana*; *Rena*, *Resus*, vulgo *Resibo*; *Sera* Mugellum secans, receptis *Ducaria & Ronta*; *Munio*, *Mugnone* vernacule ex Apennino Florentiam adluens, ubi Arno jungitur; *Tersola*; *Bisentium*, cui *Marina* miscetur; *Vmbro*, *Vmbrone* vulgo, qui Stellæ junctim Arnum intrat; *Piscia* denique, *Rivola* dives, qui Piscinæ Valli dedit nomen: ad sinistram occurrunt *Staggia*: *Corsolana*; *Archianum*; *Pisilio*; *Classa*: *Trioga*; *Pesa*, cui *Fina* & *Grievus* confluunt; *Elsa* deniq; & *Era*: quorum ille, paullum supra opidum Collis oriens, modico procursu tantum incrementi sumit, ut tres ingentes frumentarias fullonicasque Molas volvat; recipiens in alveum suum cum alijs *Staggiam* & *Focium*. Post Arnum est *Cecinna*, Plinio Melæque laudatus, *Vesidia*, ni fallor corrupte, Itinerariæ Tabulæ; qui ex Montecti radicibus haud procul Massa ortus, Agrum Volaterranum percurrens, ad Vrbem ipsam in Mare se præcipitat: hodie *Cecina*. *Cornia* ab Monte Rotundo profluit per Agrum Campilianum. *Alma* Antonino notus in Itinerario Maritimo, nomen retinens. *Brunus*, *Prelis* Plinio, ex Montibus Massæ vicinis prorumpens *Lacui Prelis*, de quo alibi, miscetur. Qui *Vmbrone* vulgo, *Vmbro* (alius ab eo, qui ad dextram Arno jungitur) est apud Plinium, Antoninum & in Itineraria Tabula; Ὄμβρος Stephano: ex Montibus oritur inter Senam & Aretium, supra Ascianum, juxta D. Gusmetij Castellumque Novum. *Vmbronem* Navigiorum ait capacem, memoratque Rutilius his versibus:

Tangimus Umbronem, non est ignobile flumen,
Quod tuto trepidas excipit ore rates.
Tam facilis pronis semper patet alveus undis,
In Pontum quoties sæva procella ruit.

[Arbia. Tressa. Sora. Cas. & alii. Orcia. Albengia. Trasta. Flora. Martha.] Augetur Fluvijs cum alijs: tum in dexteriore quidem ripa *Arbia*, qui in Montibus supra Castellinum ortus, historijs Florentinis celebris, *Tressam, Soram* & *Si'am* recipit; item *Mersa*. in sinisteriore autem *Orcia*, quem *Assus*, *Formoque*, & alij ingrediuntur. Sequuntur hinc *Osa*; *Albengia*, supra Sempronianum oriens: *Pescia* fortean *Arminæ* Antonino inter Pyrgos & Portum Herculis; *Albinia* autem Itinerariæ Tabulæ) & *Flora*. Qui *Martha* vulgo, notus etiam est Antonino in Itinere, ab Vrbe per Tusciam & Alpes Maritimas Arelatum usque Via Aurelia, & alibi; item Itinerariæ Tabulæ: sic nominatus, quod ex Lacu cognomine effundatur: *Ὄσα* putatur dici Ptolemæo, alius ab *Osa*, de quo paullo ante. Qui *Mognone* vulgo, *Minio* vocatur Virgilio lib. x. Æneid. & Vibio. *Munio* dicitur Rutilio, qui audiendus: *[Minio.]*

Paullisper littus fugimus Munione vadosum
Suspecto trepidant ostia parva solo.

[Fera. Vacina. Sanguinaria. Arone.] *Eris, Caretanus* est Plinio: *Caritis Amnis* Virgilio lib. VIII. Æneid. Succedunt hinc Tiberim versus *Vacina, Sanguinaria*, & postremo loco *Aron*.

[Latium. Tiberis cum ut variis nominibus. Ianus. Albula. vel Ἄλβα. Rumon. Tiberis. Dehebris. Serra. Terentum. Tiberis Epitheta.] Ad *Tiberim* perveni Fluvium, limitem hic Etruriam inter & Latium. Nescio an Fluminum quid eo in historijs Romanorum celebratius. Varia leguntur ejus Nomina: quorum alia profani, ut sic loquar, genij, alia sacri. Prioris Classis sunt *Ianus, Albula, Rumon, Tiberis*: posterioris *Serra*. *Ianum* antiquissimis temporibus appellatum fuisse, tradit Athenæus lib. XV, ab *Iano*, quem longe lateque ad ejus oras regnasse ferunt. *Albulam* fuisse dictum, patet ex Varrone lib. IV. de L. L. Plinio lib. III. cap. IV, Virgilio lib. VIII. Æneid. Ovidio lib. III. Fast. Silio lib. VIII. Vnde? Ab *Albo Colore* dirivant Paullus Diaconus ex Festi fortean lib. I. & Servius ad VIII Æneid. An vere, cogitandum. Ego non difficulter adsentior: quamvis penitius intuito *Color flavus* adpareat: quod ipse etiam Servius notat ad Æneid. VII; & confirmant Horatius lib. I. Carminum, Ode II, & lib. II. Od. III, Siliusque Italicus lib. IX: unde & *Flavæ* ejus Arenæ apud Virgilium VII Æneidos; vel *Fulvæ* apud Ovidium lib. XIII Metamorph. *Caruleus* etiam est *Tiberis* Virgilio eodem lib. VII, & Sidonio Carmine II. Augustiore voce Ἄλβας vel Ἄλβη scribitur Stephano. Meminit & *Albulæ* M. Terentius Varro lib. I. περὶ ἀλῶ apud Nonium in Amnem. Quod *Rumon* fuerit dictus ab Ruminando, docet Servius ad VIII Æneidos. Omnibus his insuperhabitis nobilissimum nomen induit hic Fluvius *Tiberis*, cujus varia produntur Etyma. Ab *Tibri* Aboriginum Rege trahunt quidam apud Servium ad VIII Æneidos; Tuscorum, Festus lib. XVIII & Servius ipse ad librum à me laudatum: Ab *Tiberino Silvio*, Albanorum Principe, diducunt Livius lib. I, Ovidius II Fastor. & XIIII Metamorph. Festus item lib. XVIII, & Eusebius. Eorum sententias brevibus indicat Servius ad lib. VIII Æneid. Versum LXXII, refutans easdem, sub Livij nomine, ad indicati libri versum CCCXXX, ubi pro *Tiberio* legendum *Tiberino*. Ab ὕβρεως denique *Tiberim*, quasi τὴν ὕβριν appellatum censet Servius, qui ejus Etymi duplicem indicat rationem lib. III & VIII, quem dixi, Æneid. Varro lib. IV de L. L. *Dehebrim* hunc fluvium ab nonnullis nominatum tradit ab *Dehebri*, Veientum Regulo. *Serram* in Sacris nuncupatum memorat Servius ad eundem Æneidos librum ab *Secando*. Ego sic vocatum ausim dicere ab Etrusca vel Syriaca voce שרר, quod nihil aliud, quam *principatum habere, dominari*. *Tiberis Sara* (sic enim scribendum arbitror) quod Princeps quasi esset, & Rex Fluviorum; ad quem Regnator Populus (sic Floro nominatur) habitabat: unde & eleganter idem Fluvius *Regnator Aquarum* ab Virgilio dictus. Partem *Tiberis Terentum* audiisse scribit idem Servius ad VIII Æneid. Non video, quam recte. Quid enim *Terentum*, explicat, præter alios, Festus lib. XVIII. Hæc de Nominibus: in quorum quarto illud notandum, aliquod observatum fuisse discrimen in prolatione Vocum *Tiberis, Tibris* & *Tiberini*. *Tiberis* enim communi sermone dicebatur; *Tibris*, poëtice; *Tiberinus* in Sacris notante Servio ad VIII Æneid. quod tamen non ubique verum. *Tevere* vulgo. Varijs insignitur Epitheris à Poëtis alijsque. Eorum duo præcipua, *Lydus* & *Tuscus*. *Lydus* ab *Lydis*, clara bello gente, quæ Sedibus in Italiam translatis, apud hunc fluvium habitavit:

bitavit: legendi Dionysius Halic. lib. I, Virgil. II. Æneid. & ibi Servius. *Tuscus* ab nobilissimo Populo, ipsius ad occidentaliorem ripam adcola. Sic dicitur Virgilio lib. I Georgic. Silio lib. VIII, Martiali lib. III Epigr. *Tyrrhenum Flumen* vocat Virgil. VII Æneidos. *Tiberis*, ut Strabo lib. V, Plinius lib. III cap. IV, Sidonius Carm. II. Servius ad VIII Æneid. testantur; utque facile videre est, Caput (quod extra Latium ponit Varro lib. IV de L.L.) in Apenninis jugis tollit, ex media propemodum ejus longitudine, finibus Aretinorum, eadem ferme parte, ubi fons Arni supra Aretium: &, ut Dionysius Halic. scribit lib. I, initium ex iisdem Apennini radicibus habet, in quibus etiam Liris, quamquam ostijs, per quæ Mari miscetur uterque, stadijs To ccc vel P. M. c inter se distent. Tenuis admodum est initio & modici rivuli instar, lapsusque aliquamdiu paullum etiam incrementi adsumit, quod præter exiguos Fonticulos Aquæ grandes accedant nullæ. ubi Fluminibus augeri incipit, paullatim crescens, navigabilis efficitur, non procul Tipherno, sed lintribus & naviculis tantum usque Romam. Procurrens non procul Tipherno, Perusia, Otriculo, Etruriam ab Vmbris Sabinisque dirimit: dein citra Romam P. M. fere XIII Veientes ab Crustiminis, & Fidenatibus; item Latium ab Vaticano separat: Romam tam grandis delatus, ut transiri, nisi Pontibus aut Navigio, nequeat, scribente Halicarnassæo. Pergit inde ad Ostia sua, ubi in Mare Tyrrhenum evolvitur. Strabo lib. V. Cursum delineant Plinius lib. III cap. IV, & Servius ad VIII Æn. Videndi & Florus lib. I. Hist. Rom. cap. IV. & Varro lib. IV de L.L. Longitudo ejus ab Fonte ad Ostia P. M. CL. Latitudinem ad Vrbem quatuor fuisse jugerum, notat Dionysius Halicarnass. Profunditas colligitur ex Plinij verbis lib. III. cap. IV, ubi docet Tiberim Magnarum ex Italo Mari Navium fuisse capacem. Augetur, ut alij Fluvij, præcipue ab Imbribus, adeo ut suis Inundationibus maxima sæpe Vrbi detrimenta attulerit. De ijs multa Veteres Scriptores; præter Livium & Iulium Obsequentem, Tacitus I Annalium & I Historiar. & Horatius lib. I. Carm. Ode II. Quæ nostrorum temporum, notant Leander Albertus, Georgius Fabricius, Franciscus Schottus, quem vide. Inundationes hujusmodi Prodigijs adnumerare soliti Veteres, scribente Iulio Obsequente multis locis, præcipue cap. XLV, LII, LIII. Et quamquam Prisci Romani gravissima sentirent damna ex crebris, quas dixi, Inundationibus: Tiberim tamen hoc suo Auctu Monitorem potius religiosum, quam sævum interpretabantur Tyrannum. Legendus Plinius lib. III. cap. IV. Exstant Romæ multis in locis Indicia Marmoribus incisa, ad quantam altitudinem Tiberis proximis annis excreverit. *Rerum omnium in toto orbe nascentium*, inquit Plinius, *Mercator placidissimus*: etenim ab Ostia Naves adverso Flumine vel Remis vel Funibus subvehuntur. Plurimis adcolitur adspiciturque villis, opidis, Vrbibus, præcipue Roma, quam in duas hodie partes dividit; Vetus venerans Septimontium ad Orientem; qua Occidens, Vaticanum & Ianiculum. Observandum *Tiberinam Aquam* multis annis incorruptam servari solitam, suavissimam & saluberrimam, quoties hauritur paullo supra Vrbem usque ad Mare. Accidit hoc ex mistione *Tiberis* cum Aniene, quoniam hic Aquas habet multo infectas nitro; quod, ne putrescant, prohibet. Quique *Tiberim* supra Anienis Ostia adcolunt, utriusque Aquas Romano more, ne corrumpantur, miscent. De *Piscibus Tiberinis* Romanis peculiarem scripsit libellum Paullus Iovius. Præter Pontes, qui Romæ, etiam alios olim habuit. Inter eos unus est haud procul Ocriculo, ubi Pilæ quædam prægrandes hodieque visuntur, quibus quomdam Pons sustinebatur, unus quaternorum è numero, quos Octavianus Augustus Via Flaminia perinsignes & magnificos ædificavit. *Tiberis Riparum & Alvei Curatores* primus instituit idem Augustus, docente in ipsius vita Suetonio c. XXXVII. Eorum frequens mentio in Monumentis, quæ cum apud Martinum Smetium, tum apud Bartholemæum Marlianum lib. V Topograph. Rom. cap. XIII. Consulendi & Dio lib. LVII & Tacitus sub finem lib. I Annal. Amnes vel Fluvios XLII in *Tiberim* influere, docet Plinius lib. III. cap. IV. Inter eos nominatissimi ad Occidentaliorem ejus Ripam incedenti ab Fonte occurrunt *Clereo* infra Citernam, auctus *Sovaria*: *Nero*, qui, *Marte* recepto, in Tiberim exit contra Fratam adversa in ripa sitam: *Nestor* cui *Caina*, *Genna*, *Ferseno*, *Fana*, aliique miscentur. *Clanis* vel *Glanis*; sic enim Plinio in *Tiberis* descriptione dicitur, qui hodie *Chiana*; ΓλάνιΘ Appiano lib. II Γλάνις, Stephano, cui περὶ τὸν Τίβεριν ποταμός. Alioquin instar se habet lenti

pigrique

Ortus.
Cursus.
Longitudo, Latitudo, Profunditas.
Incrementum & Inundationes.
Laus.
Aqua incorrupta.
Pisces.
Pontes.
Curatores.
Tiberim incolæ XLII. inter quos Clereo, Sovaria, Nero, Mars, Nestor, aliique, Clanis.

pigrique Amnis, ut Palus videatur potius, quam Flumen, notante Boccatio de Fluminibus. Adcolis perquam noxius est Aëris gravitate, quam ob cœnosa Vada creat. *Tiberim* Arno conjungit. Agri plurimum amplectitur, Perusinorum & Senensium discrimen efficiens. Recipit *Fisam, Foennam, Astaronem*, &, ut Blondus vult, *Paltam*, vel, ut alij centent, à *Palta* recipitur *Palia* certe, qui vulgo *Paglia*, infra Redicofanum Montesque præcelsos oritur, perque Convalles descendens tantum colligit incrementi, ut subjecta infestet loca. Qui hodie *Treia* vel *Triglia* nominatur, *Clitumnum* putant nonnulli dictum Antiquis: eo conniti argumento, quod apud Plinium lib. II. cap. CII. *Clitumnus* poni videatur in Faliscis: quos ad dexteram Tiberis ripam in Etruria suas sedes, ubi nunc Civitas Castellana, habuisse, satis ex Veterum Monumentis est clarum. Sed quum, ut paullo post dicam, ex conceptissimis Servij ad II. Georgic. verbis, *Clitumnus* fluvius sit in Mevania, quæ pars Vmbriæ, partis Tusciæ, dicendum est, vel Plinium alium ejusdem virtutis designare *Clitumnum*; vel suum Faliscis etiam ad Mevaniam tunc temporis fuisse Imperium; vel denique locum Plinij esse depravatum. Primum & alterum nullam habent Veri similitudinem; Tertium proxime ab eo, quod est, abest. Nam in veteribus Codicibus legitur: *In Falisco omnis (non Clitumni) aqua potata candidos Boves facit.* An recte *omnis*? Malim *Amnis*; ut designet Plinius, Amnem esse apud Faliscos; qui, aqua ipsius potata, colorem album Armentis conciliet; quemadmodum Clitumnus idem præstat in Vmbria. Pergo. *Cremeram*, Fabiorum clade insignem, esse censet Leander Albertus Flumen illud, quod ex Bacchani Lacu prorumpens in Tiberim se exonerat, ad Pagum Varcam, unde & *Varca* nomen sortitur. Raphael Volaterranus putat eum Amniculum esse, qui hodie vicinus Primæ Portæ, quinto ab Vrbe miliario, visitur. Tradit Ortelius Adcolas, ab ipso serio interrogatos, non aliud isti Fluvio nomen dedisse, quam *Fossæ*. Dionysius Amnem hunc parum ab Veiis distare notat. *Cremeram* sane vocant Scriptores omnes: Κρέμερα dicitur Diodoro lib. XI. Pyrrhus Ligorius *Cremeram* putat *Turiam* esse vel *Tutiam* (sic enim legit Sigonius ad XXVI Livij librum ab V. C.) Silij lib. XIII; ubi inquit:

> *Turia deducit tenuem sine nomine rivum,*
> *Et tacite Tuscis inglorius adfluit undis.*

Petrus tamen Marlus *Turiam* Rivulum esse dicit in via Appia, VI ab Vrbe P. M; falso, ut opinatur Ortelius. Prope *Cremeram* CCCVI Fabios, cum quinque Clientum, Servorumque millibus internecione ab Veientibus occisos, scribunt Livius lib. II, Dionysius Halic. lib. IX, Ovidius II Fastorum, Florus lib. I. Histor. Rom. cap. XII, Orosius lib. II. Hist. cap. V, Eutropius lib. I, Agellius lib. XVII. Noct. Attic. cap. XXI, Plutarchus in Vita Camilli, Silius Italicus lib. II & VII, Servius ad VI Æneid. & alij. Infra Romam est *Galera* Fluvius, qui haud procul Maliano *Tiberis* fit incola. Hi cum alijs ad Occidentaliorem Tiberis ripam conspiciuntur: sequentes, qua Oriens est, *Tiberi* adfluunt. Non magni nominis sunt *Reggia, Asinus, Resina, Ventia*, & alij ibidem. Qui in Vmbria *Chiasius* vel *Chiusius* hodie Latine scribentibus, Vulgo autem *Chiazzo*, nec *Asius* est, ut falso quidam iudicant. Ptolemæi: nec *Aesis* Strabonis, Plinij, Pomponijque Melæ; qui eum Semnonum flumen faciunt, locisque ad Mare Hadriaticum sitis adcensent, quemadmodum suo loco videbimus. Potest tamen *Chiasius* paullo Latinius vocari *Asius*, non quod ita Ptolemæo nuncupetur, sed quod ex monte *Asi* profluat. Consulendus Landinus in Dantis Paradis. Cant. Recipit in se præter *Scircam, Rasinam*, qui *Larone* augetur, *Maccaiam* & alios, *Topinum* ad Canariam, ejusque nomen exstinguit, solo *Chiasij* retento; postea que, opido Bertonio lustrato, prope Torsanam in Tiberim evolvitur. Qui nunc *Topinus*, *Tinia* (in quibusdam libris est *Tinna*) Plinio dicitur; Τινίας Straboni. De eo Silius Italicus lib. VIII:

> *Tiniaque inglorius humor.*

Quur ita? Quod non navigabilis, Rivulusque magis, quam Flumen. In *Tiniæ* ripis ingentes passim adparent Ædificiorum ruinæ, fundamentaque maximorum operum, quæ ab Romanis ad tutelam Viæ Flaminiæ quondam excitata. Augetur etiam *Topinus* ab alijs Fluvijs: inter quos vere Viri magni agnoscunt *Clitumnum*. Hic enim, notante Servio ad II. Georgic. Fluvius est in Mevania, quæ Pars Vmbriæ, partis Tusciæ. Iam vero *Mevaniam* opidum esse Vmbriæ, quod hodie *Bevania*, dicam

[Margin notes: *Fisa, Foenna, Astaro, Palia,* — *Treia, an Clitumnus?* — *Cremera,* — *Galera,* — *Reggia, Asinus, Resina, Ventia, Chiasius,* — *Scirca, Rasina, Laro, Maccaia, Topinus, olim Tinia.* — *Clitumnus.*]

cam cap. xxiv. Oritur autem *Clitumnus* ex Trebulanis Collibus, in quibus olim veteres oliviferæque Mutiscæ, limpidissimo copiosissimoque erumpens Fonte; seque infra Fuliginium vel Fulgineum Topino committit. Nomen, quod hodie, in præsentia non occurrit. Philargyrius ait eum Vmbriam ab Tuscia dividere. Quod apud Plinium male Faliscis adscribatur, ante notatum. Constans apud Veteres fuit opinio, Aquam *Clitumni* a Bubus potatam albos creare Fœtus, experti saginarique solitos ab Romanis ad Triumphalia Sacrificia. Virgilius lib. II. Georgic.

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima Taurus
Victima, sæpe tuo perfusi Flumine sacro,
Romanos ad Templa Deum duxere Triumphos.

Propertius in Elegiis:

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, & niveos abluit unda Boves.

Silius Italicus de Bello Punico lib. VIII:

Et lavit ingentem perfusum Flumine Sacro
Clitumnus Taurum.

Clitumnus sane Deus habitus, eique sacrata existimatur fuisse Ædes, quæ in propinquo visitur marmorea & antiquissima, nec non more Corinthio pulcherrime constructa, cujus Scenographiam & ornamenta varia curiose describit, Franciscus Schottus. Sequitur inde post *Topinum* aliosque *Nar.* Sic Virgilio, Straboni, Lucano, Tacito, Silio, Plinio, Procopio, aliisque nominatur, qui hodie *Negra* Italis κατ' ἀντίφρασιν forte, quum Aquas habeat albas. *Nar albus Aquaque Sulphurea*, Virgilio lib. VII Æneidos, ubi Servius rationem Epitheti, vel ab *Aqua sulfurea*, vel ab *Colore saporeve sulphureo* notat sumtam. *Albescentes* illi *undas* tribuit Silius lib. VIII. *Sulphureus Amnis* canitur Martiali lib. VII. Ex Amiternis Montibus oriri notat Pomponius Sabinus ad VII. Æneid. Defluit, ex Leandri diffinitione, ex Apennini jugis; ibique, ut Plinius ait, ex Monte Fiscello, duobus erumpens Fontibus, qui foramina sunt in Saxo, natura sic excavato, ut naribus animalis, seu nasi spiraculis admodum sint similia. quamobrem etiam ab Antiquis *Nar* est vocatus: dein juxta Vacunæ Nemora descendens, ut Plinius testatur, per subjectam Vallem fluit, posteaque Tiberi conjungitur. Augetur prope tres Pontes *Corvo*, ex Coriti Montis radicibus fluente. Cum Lacu Velino conjungi scribit Tacitus. Narniam opidum ab eo dici tradunt Livius & Stephanus in Vrbium Syllabo. Supra *Narem* prætergressis Narniam adparent à dextris admirandi Pontis Fornices, qui duos præcelsos & abruptos Montes, subterlabente Flumine, solebat conjungere, ut æquali via transitus ab opido Narnia pateret in montem adversum. Auctorem memorat Augustum Procopius; qui haud umquam altiores Pontis Arcus ab se visos profitetur. Qualis quantusque fuerit, docent hodieque ex lapide quadrato prægrandi reliquiæ. Exaudiendus de eo Martialis Epigrammate ad Narniam:

Nar. *Corvus.*

Sed jam parce mihi, nec abutere Narnia Quinto,
Perpetuo liceat sic tibi Ponte frui.

Actum olim fuisse in Senatu de *Nare* in rivos deducendo tradit Tacitus lib. I. Annalium. Succedunt Nari Romam versus *Himella, Fabaris, Allia, Rivus Solis*, *Anienus*, & alii. *Himella*, cujus meminerunt Virgilius & Vibius, iis in montibus Caput tollens, qui circa Velini Lacus exitus sunt, transcursa Sabinia, inter Ocriculum & Malianum in Tiberim defluit. Qui *Fabaris* Virgilio Sidonioque, hodie *Farfarus* vocatur; quo nomine notus etiam apud Servium Plauto. *Faber* corrupte apud Vibium Sequestrum. Oritur ex Montibus, qui quomdam Tetrici, ad opidulum, quod ab Amnis Fonte *Caput Farfari*. Plauti locus apud Servium hic est:

Himella. *Fabaris.*

Dissipabo te tamquam Folia Farfari.

Ex quibus patet Arborum circa flumen hoc frequentia, quæ gratissimas efficiunt umbras; unde Ovidio

———*amœnæ Farfarus umbræ.*

Sabiniam hæc ætate intersecat per pulcherrimos Campos, utrimq; frondosis consceptos Arboribus; quarum perjucundis tegitur umbris. *Alliam* Blondus & Volaterranus esse volunt, qui *Curesis* hodie. Longe alia mens est Francisco Florido & Leandro Alberto; quibus *Allia* fluvius ille, qui hodie *Caminato*, vernacule. *Alliam* enim

Allia.

enim vix quarto ab Vrbe lapide Veteres locant Historiæ: *Curesin* autem vicesimo distare confirmat Floridus. Crustumenis defluit montibus. Ad inferiora provolutus prope portum Mentis Rotundi M.P. ab Roma tribus, aut paullo amplius, in Tiberim defertur. Meminerunt *Allia* nulli non Scriptores. Vnico L. scribendum docet in Orthographia Aldus. Quidam etiam, teste Leandro, *Rivum Mussum*, *Rio di Mosso*, pro *Rivo Mortis*, *Rio di Morte* appellare solent ab cruenta illa, ut voluut, Romanorum cum Brenno Gallorum Duce pugna, xv Kal. Sext. qui *Dies Alliensis* dictus. Legendi Livius lib. v, Plutarchus in Vita Camilli, & alii. *Rivus Solis*, *Rivo del Sole*, Blondo Leandroque videtur is, de quo Horatius lib. I. Epist. ad Lollium:

Rivus Solis, olim Digentia.

Me quoties reficit gelidus Digentia *Rivus*,
Quam Mandella bibit rugosus frigore Pagus,
Quid sentire putas, quid credis, Amice, precari?

Quos versus exponens Acron *Mandellam* Vicum in Sabinis esse scribit, ubi *Rivus Solis*, Horatio *Digentia* vocatus. Qui *Anio* dicitur apud Livium in libris ab V.C. non uno loco, Virgilium VII. Æneidos, Horat. lib. I. Carm. Od. VII. Melam in Cosmograph. Silium Italicum lib. VIII & XII, Propertium in Elegiis. Plinium in libr. nat. historiæ; Ἀνίων autem apud Halicarnass. & Strabonem; *Anienus* apud Statium in Tiburtino: *Anien* apud Vibium Sequestrum; quemque Παρθένιον olim vocatum scribit, ni corruptus sit locus, Frontinus lib. II. de Aquæductibus: hodie, Blondo, Leandro, aliisque censentibus, *Teverone* vocatur. Nomen illi, ex Silii Italici lib. XII sententia, ab *Anio*, Etruscorum Rege: ex Vibii Sequestri mente, ab *Aniene*, Apollinis filio. Oritur, ut Plinius scribit lib. III cap. XI, in montibus Trebanorum, tresque Lacus amœnitate nobiles, qui nomen dedere Sublacii, de quo alibi, defert in Tiberim. Strabo eum ex Alba decurrere scribit præter Latinam Marsorum Vrbem, indeque per Campos propinquos in Tiberim defluere. Tacitus ab Montibus Simpruinis descendere, tributisque ab Roma millibus Tiberi conjungi dicit. Ad Trebam Vrbem manare tradit Frontinus II Aquæductuum. Lacui Velinorum infundi scribit Vibius. Ad Tibur ex alta rupe, præcipite Aquæ delectu, qui καταῤῥάκτης apud Strabonem lib. V, maximo cum fragore decidit in subjectam Convallem: indeque per plana & fructuosa loca fluit in Tiberim, Sabinos ab Latinis dividens; potu gratus, aspectu perjucundus, teste Halicarn. lib. v. cuius hęc verba: Οὐαλέριος δὲ ἐγγὺς τῶν πολεμίων παρὰ τὸν ποταμὸν Ἀνίωνα, ὃς ἐκ πόλεως μὲν Τιβούρων καθ' ὑψηλοῦ πολὺ ἐκχεῖται σκοπέλου, φέρεται δὲ διὰ τῆς Σαβίνων καὶ Ῥωμαίων πεδιάδος ὁρίζων τὴν ἑκατέρων χώραν. συμβάλλει δὲ τὸ ῥεῦμα τῷ Τιβέριδι ποταμῷ, καλὸς μὲν ὀφθῆναι, γλυκὺς δὲ πιεῖν. Transitum ejus quatuor coniungunt Pontes. Eorum unus in Via Tiburtina, *Mammolus* vulgo dictus, tamquam *Pons Mammea*, qui primum ab Antonino Pio factus, dein ab *Mammea*, Alexandri XXV Imperatoris Matre restitutus, ac marmore sumtuose fuit exornatus, quo tamen nunc spoliatus cernitur; Alter paullo inferius Viam Nomentanam jungit. Eum quis condiderit, nondum constat. Integer est, sed ornamentis suis plane denudatus. Succedit infra Tertius in Via Salaria, tribus ab Vrbe Roma milliaribus, ab Narsete Iustiniani Imperatoris Augusti Legato, victis Gothis, fabricatus: quod docent positæ ibi Inscriptiones: quarum Prior, litteris ob longis & male proportionatis concepta, ita habet;

Anio.

eiusque Pontes.

IMPERANTE. D.N. PIISSIMO. AC. TRIVMPHALI. SEMPER. IVSTINIANO. PP. AVG. ANN. XXXVIIII
NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX PRÆPOSITO. SACRI. PALATII. EX. CONS.
ATQVE. PATRICIVS. POST. VICTORIAM. GOTHICAM. IPSIS. EORVM. REGIBVS
CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTV. PVBLICO. SVPERATIS. ATQVE. PROSTRATIS
LIBERTATE. VRBIS. ROMÆ. AC. TOTIVS. ITALIÆ. RESTITVTA. PONTEM. VIÆ. SALARIÆ. VS
QVE AD. AQVAM. A. NEFANDISSIMO. TOTILA. TYRANNO. DISTRVCTVM. PVRGATO FLVMINIS. ALVEO
IN. MELIOREM. STATVM. QVAM. QVONDAM. FVERAT. RENOVAVIT

Altera

Altera litteris paullo melioribus sic sonat:

QVAM. BINI. CVRVATI ❦. DIRECTA. EST. SEMITA. PONTIS ❦
ATQVE. INTERRVPTVM ❦ CONTINVATVR. ITER ❦
CALCAMVS. RAPIDAS ❦ SVBIECTI. GVRGITIS. VNDAS ❦
ET. LIBET. IRATÆ ❦ CERNERE. MVRMVR. AQVÆ ❦
ITE. IGITVR. FACILES ❦ PER. GAVDIA. VESTRA. QVIRITES ❦
ET. NARSIM. RESONANS ❦ PLAVSVS. VBIQVE. CANAT ❦
QVI. POTVIT. RIGIDAS ❦ GOTHORVM. SVBDVRE. MENTES ❦
HIC. DOCVIT. DVRVM ❦ FLVMINA. FERRE. IVGVM ❦

Ad Pontem hunc ferunt Hannibalem Imbrium inundatione perterritum, soluto obsidio, castra movisse ab Vrbe. Quartus Pons Tiburi, quam Romæ, propinquior est, *Lucanus*; ubi Moles rotunda conspicitur, & præclarum in marmore Pontis T. Plautij Silvani Elogium, quod commodiore adscribam loco. *Anienis* Aquæ multo infectæ sunt Nitro: ideoque mistæ ijs Tiberinæ bonitatem habent singularem, ut alibi dixi. Pausanias tradit *Anienis* Aquas ea esse natura, ut ad primum contactum gelidissimæ, mox paullatim calescere videantur. Auctor est Martialis Ebur ablutum *Anienis* aqua Candorem accipere, similiterque Dentes humanos. Inter Anienis Arenas leguntur Amygdala, Anisum, Fœniculum, aliaque in Petram versa, ut in Romanorum convivijs in delicijs sint, ludantque arripientes, putantes se dulciaria Tragemata arripere, vocanturque passim *Confetti da Tivoli*. Superioribus quoque annis Corporis Cadaver humani cæsum, & in flumen *Anienem* proiectum Arboris radici adhærens in lapidem conversum est, & à putrefactione alienum, ut Titus Celsus, Patricius Romanus, ab se visum adfirmat. Detraxit juxta Fluvium hunc memorabili Victoria Gallo Provocatori cæso Torquem aureum Torquatus, cognomen inde meritus Torquati, ut pluribus referunt Livius lib. VII, Florus lib. I. cap. XIII, Q. Claudius lib. I. Annal. apud Agellum lib. IX. cap. XII, Orosius lib. II, c. IX, Eutropius lib. II, Valer. Maximus lib. II cap. II, Auctor de VV. In I. cap. XXVIII. *Delicatissimum Amnium* vocat in Epistolis Plinius. Augetur cum alijs Fluviolis, tum *Maliano* & *Veresi*. Οὐερίοις dicitur Straboni. Haud procul Tusculo Frascata est, olim L. Luculli Villa. Ibi non nulli *Aquæ Virginis*, quæ hodieque Romam accedit, Fontem repertum tradiderunt. Eam Aquam Plinius lib. XXXI. cap. III M. Agrippam in Vrbem adduxisse scribit ab octavi Lapidis diverticulo duobus P. M. Prænestina Via. Influit item ad Vrbem Tiberim *Aqua*, quæ *Crabra*, cujus apud M. Tullium & Frontinum est mentio. Hodie *La Marana* vocatur. *Marancella* dicitur Lucæ Peto, libro Mensuris Romanis. Paullo infra Romam est *Almo* sive *Almon* Horatio, Ovidio, Silio, Ammiano, Prudentio, Hieronymo, & quibus non celebratus? Hodie *Dachia* nominatur. De eo Vibius Sequester: *Almon Romæ Fluvius, ubi Mater Deum* VI *Kalend. April. lavatur.* Lucanus lib. I. Belli Pharsalici.

Aqua Virgo.
Crabra.
Almo.

Et lotam parvo revocant Almone Cybellen.

Hactenus de *Tiberi*, Fluminibusque varijs; quæ cum eo, nominibus amissis, Mare petunt: sequuntur reliqua Latij, ut antiquitus appellabantur, *Numicius*, *Loracina*, *Stura*, *Nymphæus*, *Vfens*. *Numicium*, vel ut alij scribunt, *Numicum*, in latio locant Virgilius, Ovidius, Plinius; in Agro Laurenti, Livius, idemque alio loco Ovidius, Vibius; haud procul Lavinio Halicarnassæus lib. I. cui Νομίκιος vocatur, & Silius lib. VIII: *Numicium Stagnum* habet Aurelius Victor. *Rivo* est hodie, ut vult Pyrrhus Ligorius. Notat ad Æneidem Virgilianam Servius *Numicium* ingentem fluvium ante mortem Æneæ fuisse; ceterum post decrescendo paullatim in Fontem redactum, qui & ipse exaruerit, interceptis Sacris; Vestæ quippe non nisi de hoc Fluvio libari licuisse. *Loracina* Fluminis circa Antiates meminit Livius lib. XLIII. De *Stura* sic scribit Festus, *Stura Flumen in Agro Laurenti est, quod quidam Asturam vocant.* Στόρας Straboni nuncupatur, & Livio lib. XXVI, cui sex millibus locatur ab Vrbe. Apud Virgilium VII Æneidos pro *Satura Palude* nonnulli agnoscunt notante Servio, *Asturam Paludem*, eamque Flumen hoc interpretantur. Nomen hodie retinet, indicante Leandro, qui non recte confundit cum *Nymphæo* Plinij. Nam *Stura* & *Nymphæus* duo diversaque Plinio sunt Flumina. *Vfens* Fluvius est iuxta Terracinam & Privernum, Virgilio VII Æneid. Silio lib. I, Vibio Sequestro, Festo, alijs. Apud Strabonem Αὔφιδος scribitur, non

Numicius.
Loracina.
Stura.
Nymphæus.
Vfens.

non sine errore, uti notant docti Viri. *Baldino* dicitur in Tabula Ligorij: aliis est *Bandino*. Hodie *Aufente* vocatur, uti tradit Leander Albertus. In Itineraria Tabula etiam notatur hujus Fluvij Cursus & Alveus, non adscripto tamen nomine.

Campania. Liris. Sic ad *Lirim*, Latij terminum, Campaniæque initium, perventum nobis. *Liris* Plinio, Livio, Melæ: Λεῖρις Straboni, alijsque Græcis: *Lyris* per *y* scribitur in quibusdam Lucani & Taciti libris. Λεῖρις ποταμὸς, Κλάνις δ' ἐκαλεῖτο πρότερον, inquit Strabo; cui consentit Plinius, ut quidem ex Strabone emendandus: *Colonia Minturnæ, Liri Amne divisa Glani quondam appellato*. *Liternum* etiam dictum putat Appianus Alexandrinus I ἐμφυλ. Falso: vide infra. Hodie *Garigliano*. Nomen ab *Gauro* Monte non procul eius ostijs natum existimatur. Initium illi duobus è Fontibus: uno supra Soram VIII P. M. in Apennino, non procul opido Capistrello; altero millibus tribus Sora prope Castellum Pestronum; & hinc est quod circa Soram erumpere notet Strabo. Laudat posteriorem Fontem mirifice Rassanus, numquam clariorem aut perlucidiorem Aquam sibi visam adserens: si quidem in ea, quantumvis & mirabili copia prorumpat, & altitudinem habeat non modicam, tamen quidvis etiam in fundo exiguum inter Pisces, mira cum spectantium voluptate discursantes, posse discerni. Blondus originem eum ex Lacu Fucino vult trahere, uti quoque Plinius tradere videtur. Rivi amborum cursu intra Soram delati confluunt; ita ut superius Peninsula relinquatur, in qua opida sunt Peteum, Posta, Lobrutullium, ipsaque Sora. Pergens inde per Fregellas, Minturnas (testantur id etiam cum Strabone & Plinio, Porphyrius & Acron in Horatium) & Vestinos ad Lacum Frentalem Mari invehitur. *Cæruleus* dicitur Martiali:

Cæruleus nos Liris amat, quem, autem Silva Maricæ
Protegit; hinc Squilla maxima turba sumus.

Sulfureum vocat Silius lib. VIII. Capiuntur in ijs Fontium Rivis Carpiones; sed non, qua in Benaco, magnitudine. Suscipit dextra quidem *Fibrenum*, *Cosam*, *Alabrum*, *Trerum*, & alios; sinistra vero *Casinum*, *Mesam*, & *Omnem*.

Fibrenus. *Fibreni* meminit Silius lib. VIII:

At qui Fibreno miscentem flumina Lirem.

Fluit inter Arpinum & Soram, coniungiturque Liri III ab Arpino P. M. apud Villam S. Dominici, ubi M. Tull. in lucem editus. Eum vide lib. II. de L. L. & lib. Epist. ad Attic. XIII. ubi & de *Fibreno* Arpinatem Insulam faciente. *Fiume de la Posta*, ait Sanfelicius.

Cosa. Trerus. Casinus. De *Cosa*: παρὰ Φρουσινῶνα, Frusinum, ὁ Κόσας ῥεῖ ποταμὸς, inquit Strabo. Hodie *Pissia* dicitur Leandro. Quod ad *Trerum*, παρὰ Φαβρατερίαν, ait Strabo, ὁ Τρῆρος ῥεῖ. De *Casino* idem Strabo: Γεγενημένον, inquit, ἐν συμβολῇ δυεῖν ποταμῶν κειμένον, Λείρεσι καὶ ἑτέρῳ Κασίνῳ. Quod illi hodie nomen, ignoro. Certe non *Mesa*, quod putat Ortelius. Nam qui *Mesa* vulgo, Straboni Μέλπις ibidem appellatur, παρὰ Ἀκύινον ὁ Μέλπις, inquienti, ῥεῖ, ποταμὸς μέγας; non idem, ut putat Leander, cum *Melphe* Plinij, qui circa

Melpa. Columnam Rhegiam. *Melpa* ex Apennino descendit per planiciem usque ad Fregel-

Omnus. las, indeque non procul in Lirim evolvitur. *Omnus* Amnis IIII ab D. Germani P. M. iuxta D. Eliæ, propter Apenninum, caput tollit; modicis admodum initijs; sed permagnus, Aquis multorum Fontium exceptis: cursu P. M. fere XII confecto, in *Lirim* haud procul à Ponte Corvi cadit. Liri succedit *Vulturnus*, Virgilio, Livio, Pli-

Vulturnus. nio (& quibus non?) notus. Οὐουλτοῦρνος Straboni, alijsque Græcis. *Folturnus* Varroni, ἀρχαϊκῶς. *Volturno*, hodieque. Οὐατουρνὸς Plutarcho in Fabio Maximo, qui emendandus. Varie vertunt varii, varijs usi codicibus: *Notaronum* Georgius Fabricius & Petrus Candidus, quem etiam probat Leander: *Lotaronium* Niger; *Alocronum* Cuspinianus in Cassiodorum. Κασουλῖνος etiam vocatur Agathiæ lib. II. de bello Gothico, ab opido fortean, quod in eius ripa situm. Videndi quoque Vibius Sequester, & Strabo lib. V. Sic item appellatur in Vrna lapidea; cuius ad Vulturnum, nobilem quomdam Coloniam, hodie *Castel al Mar di Boterno*, Inscriptio ita habet: *Aquas Casilini Fluminis Mortuis gravatas suscepit Tyrrheni Maris Littus, quando Francorum gentem occidit Ansonius Ensis, ubi misero hac gessit morem Bultino.* Ab Apennino descendens, perexilis primo, Aquarum & Fontium accessione magnam & Latitudinem & Altitudinem nactus, inter Samnitium Montes tractu P. M. XXX in Agrum Venafranum, inde XX. P. M. in Alifanum, hinc XXV in Campanum evolvitur; Capuaque salutata, ad eum locum, ubi quomdam Vulturnum fuit opidum, ut etiam post Varronem lib. IV. Strabo testatur, in Mare se exonerat. Ab *Vulturni* Fonte ad Liris initium inter-

intervallum est modicum. Varro in Samnio oriri tradit. Fluens tribus ab Alisa P. M. antiquitus ibi Campaniæ Felicis & Samnij habebatur discrimen. Livius lib. XXII. dicit eum Falernum ab Agro Campano dividere. *Fluvius est Vulturus Capua*, inquit Pædianus in IV Verrinam, *tribus P. M.* Ad Cursum pertinet quod *Celer* dicatur Lucano lib. II; quodque *Fluctu sonorum* vocet Silius Italicus lib. VIII. Iuxta Cumas in mare labi scribit Servius. Dionysius de *Vulturno* & *Glani* prodigium refert: eos, omisso naturali meatu, vertisse Cursus, aliquamdiu retrocedentes ab Ostijs ad suos Fontes. Nos Belgæ, qui Fluxum Refluxumque Maris novimus, hæc talia non miramur. *Vulturnum Mare* habet Plinius ad huius Fluminis ostium. Amnes Torrentesq; multos colligit: inter ceteros, dextra quidem *Cusanum Correctum*, sinistra *Freddum: Pratellum*, [*Cusanus Correctus.*] *Sabbatum*, *Isclerum*, & alios. *Cusanus Correctus* ex Mathesio Monte ortus prope Pulianellum Vulturni se immergit Aquis. *Freddus* adversa ripa ibidem Vulturno se miscet, [*Freddus,*] cognomine adsitum habens Opidum. Freddum sequitur alius; qui ortus ad Pedem Montis, vulgo *Piedmont*, facto per Agrum Alisanum IIII. P. M. cursu, tandem propter Alisam in Vulturnum se condit. *Pratellus* in radicibus nascitur Montis Mathesij, [*Pratellus,*] ab opido *Pratello*, quod iuxta est, nomen habens. Ab eius Fonte Castellum Galli haud procul abest. *Sabbatus*, ut Antonino vocatur, ex Apennino oritur, qua regione Iuga eius *Montes Tremuli* nominantur: [*Sabbatus.*] & per depressa loca sinuosis flexibus, omnibus fere Beneventani Agri Fontibus uno alveo conlectis, se tandem in Vulturnum, maximo ipsi inlato Incremento, exonerat. Hodie *Fiume de Benevento* dicitur; quod propter eam Vrbem, perque eius fluat Agros. *Sabbatus* Incolas, ut sic loquar, habet varios, inter quos principis facile loci *Calor*, Antiquis notus. Sic etiam nominatur in Itineraria Tabula; sed cum Vulturni alveo ita imperite mistus, ut unus esse Fluvius videatur. Κάλωρ corrupte apud Appianum Alexandrinum. *Ad Calorem* Man- [*Calor,*] sio est apud Antoninum, inter Nuceriam & Nerulum; qua Fluvium hunc designari certum est. Nomen hactenus retinet *Calore*. *Hodie usque Pugna dicitur*, inquit Paullus Diaconus. Testatur Ortelius in M. S. Codice *Pugnam* non esse Fluvij, sed Loci iuxta Fluvium nomen. Scipio Mazzella scribit *Dentecane* vulgo vocari: *etsi*, inquit, *nonnulli sic vocent Tabernulam haud procul inde.* Ex Amsancti Valle præcipitem ferri, inter opidum Aquariam & Pæstanos Agros, Silaroque misceri, tradit Pomponius Sabinus in VII Æneid. Prope Beneventum ponunt Livius lib. XXIV sequenteque, & Vibius Sequester. In Sabbatum influit CCC fere passuum spatio supra Beneventum, prope Pontem Valentinum, qui Calorem stravit Valens Imperator. Augetur autem, antequam ab Sabbato suscipiatur, *Tripalto*, *Miscano*, *Tamara* alijs. [*Tripaltus,*] *Tripalto* nomen ab opido *Tripalta*. Ad ripam eius dextram Silva est peringens & Latronum domicilio infamis, quæ ab Amne vicino *Tripaltina*. [*Miscanus, Tamarus.*] Exit, quemadmodum etiam *Miscanus*, ex Monte Crepacorio. *Tamarus* notus quoque est Antonino, ubi Mansionem nominat *Super Tamari fluvium*. Male nonnulli Codices Super *Mari fluv.* *Tamarus* Aquarum copia non est Calore minor. Præter *Calorem* sunt alij, qui *Sabbato* miscentur. Ad opidum sane Pontem Fontes sunt quatuor, qui corrivati uno ostio in *Sabbatum* feruntur; ex Apennino descendentes, Vicina Fontibus totidem sunt opida; *Ad D. Laurentium*, *ad D. Lupum*, *Pons Landulphi*, & *Casalonium*. *Sabbatus* sinistra sua ripa excipit, præter alios, [*Seritella,*] *Seritellam*, ex Caudinis orientem Montibus. [*Isclerus, Arnus.*] Iam relictis Vulturno etiam suis, ne prolixior sim, *Isclere*, *Arnone*, alijs, ad *Glanim* venio. [*Glanis.*] De *Glani* Lycophron apud Stephanum (cui Γλάνις ποταμὸς Κύμης) περὶ πόλεων:

Γλάνις τε ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνα:

Et Poetarum Latinorum Princeps, Virgilius:

Talem dives arat Capua, & vicina Vesevo
Ora Iugo, & vacuis Clanis non æquus Acerris.

E montibus inter Nolam & Capuam, regione fere media, prorumpit. Amnis hic ille est, ut notat Leander, qui Via inter Capuam & Aversam occurrit; ac sæpenumero nunc in Acerrano Agro, sicut olim in Campano Atellanoque solebat, præsertim hibernis mensibus, stagnat: qua de caussa ligneis Pontibus connexa multis in locis Itinera necessario sunt, qui Veterum Ædificiorum lapidibus ex Vrbium propinquarum ruinis eo delatis plerumque fulciuntur & incumbunt. Meminit & Dionysius Halicarnassæus lib. VII, quum *Glanem & Vulturnum*, naturali quandoque Cursu omisso, contra ab ostijs ad Fontes refluxisse memoriæ prodit. Auctu suo Pestera

mediari muniarique Terris scribit cum Virgilio Vibius Sequester. Spatio ab Mari P.M. VIII [illegible] diffunditur, Lacus in [illegible] latitudine duorum ferme milliarium, quibusdam in locis; alibi [illegible] ideoque circum ostia, quibus in mare [illegible], vulgo *Lacus Patriæ* vocatur; Piscium abundantia, qui fere Neapolim deferri solent, uberrimus. De Lacu alibi.

Linternus. Miscetur cum aliis Glani *Linternus Amnis*, cuius meminit, præter Strabonem, Livius lib. XXIII & XXXII. Hodie *Patria* ab opido, quod vernacule *Torre della Patria*, olim *Liternum*. Appianus lib. I Ε'μφυλ. *Liris* non falsa coniectura eundem facit cum *Liri*.

* Sebetus. Occurrit hinc *Sebetus*, inter Vesevum Montem & Neapolim decurrens; vulgo *Fiume de la Maddalena* vocatur. Vicatim per Neapolitanam Vrbem delabitur, omnibus Civibus usum præstans; & populariter *Fornello* dicitur. Meminerunt Statius I Silvarum, Vibius Sequester, Columella in suo Horto, ubi *Sebethus* scribitur. Quod adspiretur, docet ex Lapidibus Manutius in Orthographia.

* Sarnus. Mox *Sarnus* est. Sic Lucano, Silio, Statio (qui lib. I. Silv. *Pompeianum* cognominat) Orosio, Vibio, aliis appellatur; Σάρνος Straboni & Ptolemæo: qui hodieque *Sarno*, Leandro teste, qui *Scafato* alibi interpretatur, ut & Erythræus, ab *Scaphis*, quæ ibi stationem habent, ad Viatores, qui Nuceriam cogitant, trajiciendos.

* [illegible] Proximus Salerno est *Irno*; qui oritur ex Apennino supra Soleiram. Sequitur inde *Tebelo* supra S. Licandrum prodiens Apennino. Opidum habet ad dextram ripam cognomine.

* Silarus. XII hinc circiter mill. *Silarus* est. Sic Virgilio, Lucano, Silio, Plinio, Melæ, Tabulæ Itinerariæ: Σίλαρος Straboni & Ptolemæo; *Siler* Lucano item Vibio dictus; qui hodie *Sele*, vel, ut alii pronunciant, *Selo*. Oritur ad Persanum in Apennino, parte citeriore, propemodum ex adversum Aufido. Versus Meridiem decurrens in Tyrrhenum, Campaniam ab Lucania hodie dirimit. Campaniæ plerisque adcensetur: Lucaniæ facit Pomponius Sabinus, addens in Mare exire circa Leucasiam Insulam. Strabo cum Campanorum & Picentinorum facit terminum. Salernum præterire notat Sulpicius Verulanus ex male intellecto Lucani loco, canentis lib. VIII:

Vestinus [illegible] Aquis, radensque Salerni
Culta Siler.

Non enim *Silarum* vult Mœnia radere Salerni, quum ab eo absit XXIV P. M. sed Salernitanorum Agros, qui huc usque extendebantur. Naturam eius Strabo, Plinius, Silius, aliique esse tradunt, ut in eum immersa Folia Virgultaque lapidescant, nec tamen immutato colore vel forma; quamquam alias, ut adjicit Plinius eius Aquæ salubris sit potus.

Botta Tusern. & Niger. Defert secum *Tottam Tusernicam & Nigrum*, cui initium ex specu subterraneo iuxta Cauponam quamdam, quæ vulgo *Taverna della Tolla* ab opido *Tolla*, ibi proximo.

Lucaniæ. Hactenus de Campaniæ Fluviis; quos Lucania habeat, iamnunc scrutemur. Post *Silari* ostia succedunt *Pestana* (unde *Caput Pestotanum*, quod olim *Pyxuntum*) *Melfe* (qui Plinio *Melphes*, *Malpes* legunt membranæ) *Cocci* & *Sapri*. Putatur *Sapri*, qui Λάος Straboni; *Laus* Plinio: quod haud procul vero esse video, si verba eorum bene expendantur. Lucanos dirimit á Brutiis; Lainum ab suis Suburbiis, opidum in Lucanis, Suburbia in Calabris relinquens. Oritur prope Viminellum, Lucaniæ opidum, perque Montes asperos Meridiem versus Basilicatam vel Lucaniam, ut dixi, ab Calabria dividens, in Mare Tyrrhenum profluit. Aquas habet perpetuo claras, adeo ut nullo umquam casu turbentur.

Brutiorum. Sequuntur in Brutiis (eo enim delati sumus) tres Amnes, quorum Nomina non occurrunt: Primus ad Scaleam; Secundus ad Cirellam; Tertius ad S. Bonifacij. Mare petunt Tyrrhenum. Subeunt inde alij.

* Freddus. *Freddus* cum eiusdem Nominis opido.

* Acheron. *Acheron* ex Montis Radicibus, in quo Pandosia, nascens, per Vallem fluit profundam, inter altissimos Montes, interque Martoranum & Altiliam: & tandem in Sinum Sancteuphemianum evolvitur. *Acheronten* quidam, inter quos Leander, hodie *Savutum* censent; Niger *Bassentum*; Barrius *Capiananum*; alij *Cersinum*. Ab eo Fluvio Adcolæ dicti Plinio *Acherontini*. Hic Fluvius est *Acheron*, ad cuius ripam; hæc ibidem Pandosia, in cuius Agro fatali casu funestam accepit Cladem Alexander, Epirotarum Rex: Apollinis oraculo præmonitus, ut *Acherusiam Aquam*, utque Pandosiam vitaret: ratus, non alium esse *Acherontem*, non aliam, quam in Epiro, Pandosiam. Vide Livium lib. VIII, Trogum lib. XII, Strabonem, & alios.

* Amatus. Ab Sancteuphemia sexto Lapide Ostium est *Amati*, alti latique Fluminis: inde octavo, peringentis item

Angitu-

Angitula, cuius mentio apud Antoninum. Vulgo *Acitola*. Circumvectis Australius Terinæi vel Hipponiatis Sinus Cornu, occurrit *Mesima*. Sic vulgo vocatur Fluvius, qui Doctis *Meduma*; excipiens sinistra ripa præter alios, paullum infra Rosarnum, *Metremum Amnem*. Decimo hinc miliari *Seminara* visitur, latum profundumque Flumen. Olim, ut censent Bonacciolus & Leander, *Metaurus*, Μέταυρος Straboni, cuius ostium describit in Brutijs Plinius, exadverso Æoliarum Insularum. Idem tamen Leander, sui quasi oblitus, *Metaurum* esse vult in suo Insularum libello, qui hodie *Metremo*. Sed *Metremum Metaurus* esse nequit. Ostio namque ille ad Mare, quod Hunus, ut dixi, Plinius delineat, caret, & ab *Mesima* ad Mare, amisso nomine detergitur. Nescio an *Paccatus* etiam fuerit dictus, quem Probus Grammaticus in Virgilij Vita ex I I. Catonis Originum scribit, Rheginorum & Taurinorum Fines dispescere. In Mare se provolvit aliquot auctus Amnibus. Post nonnullos minoris momenti Fluvios, inter quos nescio an fuerint (nisi fabulosi sint: censent ii) *Engyon*, *Lapadon*, *Atçoae*, *Stacleus*, *Palme*, *Alecesja* & *Argade* (Flumina continua iuxta Rhegium Iulium, quibus Orestes purgatus fuit ab Matris nece, ut ea commemorat Probus Grammaticus in Vita Poetica Virgilij, si Codici fides) aperiunt se alii. Primo, qui vernacule *Aleso*. Ἄληξ Thucydidi lib. III, Straboni, Dionysio, & Antigono in Mirabilibus, Fluvium hunc statuenti Finitorem inter Locrenses & Rheginos. *Halicem* nuncupare videtur M. Tullius ad Trebatium. *Λόκανον* nominat Theocritus. Inde qui Λόκανος Polemæo. Meminit & Plinius, in cuius vetustioribus libris *Locanus* scribitur. Mox, qui vulgo dicitur *Sagriano*; *Sagra* Plinio, Σάγρας Straboni: a quo oppidum *Sagrianum*. *Sagra* tamen Gabrieli Barrio, Laurentio Anamenti & Mazzellæ *Alaro* est, *Sacchi* autem Nigro. Hinc qui Cæcinus Καικῖνος Pausaniæ & Æliano *Cæcinus* Plinio; Κακῖνος Thucydidi lib. III. Addit, sequutus quam Antigonus paullo ante Pausanias in Eliacis Fluvium hunc esse, qui Locrensium Agrum ab Rhegino dividit. *Κακῖνον* appellat Ælianus lib. VIII. Var. Histor. Non procul inde *Crotalus* est, Plinio notus. Hinc apud eundem *Semirus*, *Arocha* & *Targines*, qui hodie *Tacina*, quique e Montibus descendens in Sinum Scylaceum evolvitur. *Æsarus* mox in oculos incurrit, qui Αἴσαρος Lycophroni, Theocrito, Straboni & Dionysio; *Aesar* Ovidio XV Metamorph. Theocriti Scholiastes dicit Fluvium hunc per mediam Vrbem Crotoniensem fluere. Putat Leander Ἠλίαν appellari ab Thucydide lib. VII. Crotone IV. M. P. abest *Neæthus*, antiquum etiam, ut multa alia hoc tractu Flumina, nomen præferens. Νέαιθος Straboni, qui Nominis naturæ rationem indicat. *Neæthus* Plinio, qui in secundo Europæ Sinu collocat; Νήαιθος Siciliæ Fluvius est apud Theocriti Scholiasten ob caussam sæpe indicatam: S[illegible] ab Ovidio nominari notat Gabriel Barrius, qui apud Lycophronem etiam [illegible]moriam eius exstare memorat: sed Ναύαιθος apud eum legitur. Offerunt hinc se [illegible] legenti nonnulli minorum gentium, inter quos ab Cariathi, perhonesta Civitate, XIII lapide *Triuntes*, latus ad usque Fluvius in Sinum erumpens cum reliquis Tarentinum. Ὕλίαν Thucydidis, de quo ante, putat esse Gabriel Barrius.

Magnam iam adnavigemus Græciam. Quindecim ab Triuntis ostio P. M. *Rufillus* occurrit: ab Rufillo quinque, qui *Gratti* vulgo; *Crathis* Ovidio in Fastis & Metamorphosi, Vibioque Sequestro; *Crateis* Plinio; Κρᾶθις Theocrito, Herodoto, Straboni, Æliano Siciliæ Fluvium (quare, notum) dicit Eustathius in Dionysium: addens eum apud Sybarim sive Thurium fluere. Ælianus de Varia Historia nomen à Pastore quodam, sic dicto, accepisse scribit: Herodotus lib. I. nominatum tradit ad memoriam alius in Peloponneso Fluminis ita vocati. Fontem habet exiguum senis ab Consentia millibus, Orientali latere; perque Montes altissimos ad Vrbem accedit, quam paullum ab ortu contingit: hinc ad Septemtrionem se flectens Busentum excipit; quo alijsque sensim amplitudinis factus maximæ, aspectuque terribilis, infra Bisinianum in Sinum Tarentinum, qui hodie Rosanus, se exonerat. Quam habeant ipsius Aquæ Vim, alibi dicitur. Magnam Græciam à Brutijs dividit. Augetur cum alijs, tum *Busento*, *Septimo*, *Surdo*, *Finito Cuciari*: *Busenti*, qui in Montibus Consentinis meridionali plaga nascitur, meminerunt Paullus Diaconus lib. XIII. Hist. Blondus lib. I. Sabellicus lib. IX. Ennead. VII, in Historia Funeris Alarici, Visigothorum Regis. Hic namque in Alveo *Busenti* positus scribitur. Nominant quidam in eius rei commemoratione *Basentium*; ignorantes *Basentinum* alium esse à *Busento*. Hic enim *Crathidi* miscetur; ille in Sinum Tarentinum se exonerat. *Septimus* & *Surdus* ex ijsdem Montibus orium-

Marginal notes: *Angitula*. *Mesima*. *Metremus*. *Seminara*, olim *Metaurus*. *An & Paccatus*. *Engyon & alij*. *Alex*. *Locanus*. *Sagra*. *Cæcinus*. *Crotalus*. *Semirus*. *Arocha*. *Targines*. *Æsarus*. *Neæthus*. *Triuntes*. *Magna Græcia*. *Rufillus*. *Crathis*. *Busentus*. *Septimus*. *Surdus*.

oriuntur ad Opidum, quod vulgo Monte-Alto. Butrus ad S. Agatham habet initium; & haud procul inde Cratati. Praeter hic & *Mocorum* Amnem rapidissimum praetereo. Antiquam Vrbem Sybarin, quae iisdem locis, Amnis sequebatur cognominis, qui nunc *Coscile*. Oritur ad latus Scalae Morani, interque rupes altissimorum Montium in planitiem subiectam fertur, per quam accessione tandem Fontium ac Rivorum plurimum auctus Sinum Tarentinum influit. Σύβαρις Straboni; *Sybaris* Ovidio & Plinio. Qua Viscius alibi notatum. Post *Crathim* Amnis est, qui Adcolis *Sino*, vel, ut alii referunt, *Senno*; Σῖρις Plutarcho & Straboni, qui Navigabilem dicit. *Siris* Plinio & Frontino. Ex Montium delapsus iugis in Sinum Tarentinum evolvitur. Olim illi Vrbs adposita cognominis, ab Troianis, ut volunt, condita. Hinc *Acris* sequitur, antiquum retinens nomen. Ἄκιρις enim Straboni; *Aciris* est Plinio. In Littore os illi profundissimum latissimumque: quamobrem nec ibi transiri potest; sed milliaribus duobus a Mari, ubi Pons Ligneus viam iungit. Acri succedit *Salandra*; *Acalandrus* Straboni & Plinio: qui nonnumquam ex Imbribus adeo abundat Aquis, ab declivi utrimque Iugorum fastigio accedentibus, ut super Alveum excrescens totam Vallem Inundatione compleat, in faciem brachii Maris. Mox in ora *Basienti* Fluminis sunt ostia Vulgo *Vasento*. *Basentinum* vocat Paullus Diaconus. *Casuentus* est Plinio. Quinque aut circiter *Vasentio* milliaribus *Bradanus* occurrit; plurimum etiam hibernis mensibus augere solitus. Designat eum Appianus lib. v. Bell. Civil. ubi Caesaris & Antonij congressum ad Metapontum Tarentumque, iuxta Flumen, quod inter eas Vrbes medium labitur, commemorat. Meminit Antoninus Itinere Mediolano ad Columnam. Iuxta Tarentum Stephano est Τάρας Fluvius. Pausanias etiam in Phocicis dicit Fluvium eodem nomine, quo Vrbs, vocari. *Taras* hodieque ab Incolis dicitur, ut Galateus testatur. Τεάρων corrupte legunt Diodori lib. XII. Codices.

Margin notes: † ... hodie Coscile. — † Siris. — † Acris. — † Salandra. — † Basientus. — † Bradanus. — † Taras

Salentinorum oras legentibus tertio ab Vrbe Tarento lapide *Galesus* se offert. Quinto, dixit Livius lib. XXV, Hannibalem, capto Tarento, ad *Galesum* Flumen profectum cum ceteris copiis ibi castra posuisse, scribens. Facile mutant Cursus suos Amnes: alia etiam fuit olim, quam hodie, Milliarium ratio: fecit denique Temporis iniuria, incuriaque Librariorum, ut depravatos habeamus Scriptorum Veterum Codices. Meminit *Galesi* Virgilius lib. IV. Georgic.

Qua piger humectat flaventia culta Galesus. Vbi Servius notat, *Galesum* Amnem esse Calabriae, non procul Tarento. Mentio eiusdem & apud Horatium, Martialem, Vibium. *Eurotam* nonnulli nominant, ut tradit Polybius lib. VIII. *Bagradam* novo vocabulo appellat Ligorius in Tabula Neapolitana. Praeter *Galesum*, qui inter Magnam Graeciam & Salentinos discrimen facit, etiam duos alios habent Salentini Amnes, unum quidem ad Littus Australius, qui IX Tarento lapide, ad Pulizanum, Sinum Tarentinum ingreditur: alterum, qui in ora Borealiore Hadriatico miscetur Mari, ad S. Marcum, decimo ab Vrbe Brundisina milliari.

Margin notes: Salentinorum. — † Galesus. — † Alij.

Iam Apulia Peuceria ab Fluvijs valde est inops, unum tamen notatum video *Cavam*, XXV Brundisio lapide; XIV Egnatia. Exonerat se in Pelagus ad Corvinum. *Pactius* hic nominatur Plinio. *Pastum* habet inemendate Itineraria Tabula, locans etiam vitiosiore positu ultra Brundisium, quum cis esset. Quod sit in eadem Tabula inter Pactium & Aufidum *Aveldium Flumen*, nondum capio.

Margin note: Apuliae Peucetiae, Cavo.

Peucetiam ab Daunia separat *Aufidus*. Sic Virgilio lib. XI. Æneid. Plinio, Melae lib. II, Antonino, Itinerariae Tabulae: Αὔφιδος Polybio, Straboni, Ptolemaeo dicitur; qui hodie *L'Ofanto*. In Hirpinorum Montibus oriri notat Ptolemaeus. Solus, ut referunt Polybius lib. III. & Plutarchus in Vita Hannibalis, Apenninum, in quo nascitur, secat. Apulia utraque divisa Hadriatico Mari inlabitur. Naturam eius, rapidumque currentis varieque se sinuantis Cursum describit Horat. lib. I. Sat. I.

Quum ripa simul avulsos feras Aufidus acer.

Et lib. III. Carm. Od. XXX;

Dicar, qua violens obstrepit Aufidus;
Et qua pauper aqua Daunus agrestium
Regnavit populorum.

Lib. IV. Ode IX:

Longe sonantem natus ad Aufidum.

Item eiusdem Libri Oda XIIII

Sic

Sic Tauri formis volvitur Aufidus;
Qui regna Dauni perfluit Appuli,
Quum sævit: horrendamque cultis
Diluviem meditatur Agris.

Sic Silius Italicus lib. IX Belli Punici:

At parte in dextra sinuat qua flexibus undam
Aufidus, & curvo circumdat gurgite ripas.

Deo eo sic scribit eleganter Oculatus Testis Leander Albertus sub finem Apuliæ Peucetiæ: *Oritur Apennino in Hirpinis modico fonte, non procul opidulo quodam Mesic: unde, non secus ac exiguus rivus, sic labitur, ut æstivis mensibus spatio P. M. XXX (tum enim decursum habet) vix eius agnoscatur fluvio: hieme tamen Fluminum & Torrentium aliorum accessione, itemque ex Pluviis adeo plerumque crescit; ut, Alveo derelicto, sæpe per latissimos Apuliæ Campos evagetur, & instar alti vastique Pelagi ab antiquo Canusio, quod ad ipsum Amnem erat in planicie, longo tractu Regionem inundet. Apuliam Peucetiam ab Daunia separans primum per Agrum Lacedæmonium, deinde Melphitanum & Lavellinum; inde sinuosis flexibus per Campestria Loca prope Minarvinum, tum ab Canusio per Barulanum Agrum in Mare tribus infra ipsum Barulum milibus influens, ubi Pons Lapideus, mille passibus ab ora.* Hæc ille. Pons, quem nominat, alius censendus ab eo, cuius meminit Antoninus Itinere, quod Benevento ducit Hydruntum. Quum enim, quem habet Leander, haud procul hodie sit mari; qui apud Antoninum, prope Venusiam fuit, ubi in magnum gyrum evolvere se versus Caurum incipit *Aufidus*, XXXV aut circiter ab Hadriatico Sinu Milliaribus. Male editur in nonnullis Antonini Exemplaribus *Pentaufidus*; *Aufidus Canna* vocatur in Fatidico Cn. Marcij Carmine apud Livium lib. XXV. Octodecim ab Aufido milliaribus *Candiaro* visitur, quem cum Lacu Anduriano Strabonem, suppressis nominibus, indicare censeo: quum scribit inter Salapiam & Sipuntum Fluvium esse Navigationi satis oportunum & Lacus ingentis ostium. *Cervaria* mox est; qui *Cerbulus* Plinio. *Cerbarium* etiam Procopio lib. III Goth. locus est in Apulia.

* Candelarlo, † Cervariæ

Samnitium littora lustrantibus offert se primo loco *Phiternus*, quo Samnium ab Apulia dividitur: *Fortore* vulgo: Φιτερνος Ptolemæo; *Tifernus* Plinio & Melæ. Eius in Tiferno Monte, qui nunc Bifanus, Fons est, haud procul à Boviano. Exonerat se in Mare Hadriaticum iuxta Lesinensem Lacũ. Succedunt inde Flumina *Trinius*, quod *Portuosum* notat Plinius; *Asinella, Sentus, Sangrus*. Qui *Sangrus* vel *Sanguinaus* Latine scribentibus hodie, vernacule autem *Sangro* vel *Sanguino*; Σάρος est Ptolemæo; Σαγρος Straboni, *Saron* Vibio Sequestro. Ex Apennino oriens, descensuque, ut Strabo demonstrat, inter Aternum & Ortonem fluens, Frentanos Caracenosque a Pelignis dividit, Hadriaticum tandem infusus. Varios convehit secum ad Mare Amnes; inter quos præcipui *Rasinus*, in Campis Furcæ Palenæ caput tollens, & *Aventinus*, qui ex Superequanis Pelignôrum (sic enim olim vocati) Furcæ Palenæ finitimis oritur; recepto tamen ante *Viridi*, cuius in Maiella Monte Fons inter Monasterium D. Martini Castellumque Faranum. Mox bis mille passibus ab Ortona labitur Flumen * *Morus*. Hoc loco in Itineraria Tabula *Fluvius Clocoris* scribitur, inter Anxanum & Ortonam. Sequitur inde exiguus Amnis *Feltrinus*. Ostia dein *Fori*; & nono inde lapide *Senti*; totidem hinc, qui vulgo *Pescara*. *Aternum* Varroni lib. IV de L.L. & Plinio: Ἄτερνος Straboni & Ptolemæo. Nascitur ex plerorum Italiæ Fluminum Parente Apennino, supra Aquilam, haud procul Monte Regali, qui subter eius est Fontem. Confluunt in *Aternum* vel *Piscariam* multi Amnes. Ripa quidem Australiore cum primis duo, ortum habentes in Agro Sulmonensi, ad opida Pectoranum & Vallem Obscuram; unde uterque peculiari alveo ferme Sulmonem usque procedens, alter alteri inmersus unico Flumine extra Vrbem per extentam planiciem, milliaque passuum VI latam, cursu fere millium XII absoluto, Fontibusque & Aquulis quibusdam prope Populum, ubi ligneo transitur Ponte, haud mediocriter adaucti, tandem in *Aternum* se exonerant: quemadmodum & XVII aut circiter hinc miliaribus ad eamdem ripam uno alveo *Aternum* ineunt *Rasentus* & *Orta*, ex Maiella Monte provoluti. VIII inde Lapide *Liberata* in Aternum se condit, binas item ex Maiella procurrentes Aquulas deferens: *Viperatam* quoq; appellari hunc Fluvium monet Alexander Andreas. Ad Borealiorem vero ripam augetur *Aternus* duobus Amnibus, quorum unus *Caput Aquæ, Capo di Acqua*; alter *Nuria* prope Cœnobium Casæ Novæ, Cistellini ordinis, capiens initium.

Samnitium, † Fortore olim Phiternus, † Trinius, † Asinella, † Sentus, † Sangrus, olim Sarus, Rasinus, Aventinus, Viridus, * Morus, † Feltrinus, † Forus, * Sentus, † Pescara olim Aternus, Rasentus, Orta, Liberata, Caput Aquæ, Nuria, Sabinum.

pigrique Amnis, ut Palus videatur potius, quam Flumen, notante Boccatio de Fluminibus. Adcolis perquam noxius est Aëris gravitate, quam ob cœnosa Vada creat. *Tiberim* Arno conjungit. Agri plurimum amplectitur, Perusinorum & Senensium discrimen efficiens.

Elsa. Foenna. Astaro. Palia.

Recipit *Elsam, Foennam, Astaronem*, &, ut Blondus vult, *Paliam*, vel, ut alij censent, à *Palia* recipitur. *Palia* certe, qui vulgo *Paglia*, infra Redicofanum Montesque præcelsos oritur, perque Convalles descendens tantum colligit incrementi, ut subjecta infestet loca.

Treia, an Clitumnus?

Qui hodie *Treia* vel *Treglia* nominatur, *Clitumnum* putant nonnulli dictum Antiquis: eo connisi argumento, quod apud Plinium lib. II. cap. CIII. *Clitumnus* poni videatur in Faliscis: quos ad dexteram Tiberis ripam in Etruria suas sedes, ubi nunc Civitas Castellana, habuisse, satis ex Veterum Monumentis est clarum. Sed quum, ut paullo post dicam, ex conceptissimis Servij ad II. Georgic. verbis, *Clitumnus* fluvius sit in Mevania, quæ pars Vmbriæ, partis Tusciæ, dicendum est, vel Plinium alium ejusdem virtutis designare *Clitumnum*; vel suum Faliscis etiam ad Mevaniam tunc temporis fuisse Imperium; vel denique locum Plinij esse depravatum. Primum & alterum nullam habent Veri similitudinem: Tertium proxime ab eo, quod est, abest. Nam in veteribus Codicibus legitur: *In Falisco omnis (non Clitumni), aqua potata candidos Boves facit.* An recte *omnis*? Malim *Amnis*; ut designet Plinius, Amnem esse apud Faliscos: qui, aqua ipsius potata, colorem album Armentis conciliet; quemadmodum Clitumnus idem præstat in Vmbria.

Cremera.

Pergo. *Cremeram*, Fabiorum clade insignem, esse censet Leander Albertus Flumen illud, quod ex Bacchani Lacu prorumpens in Tiberim se exonerat, ad Pagum Varcam, unde & *Varca* nomen sortitur. Raphael Volaterranus putat eum Amniculum esse, qui hodie vicinus Primæ Portæ, quinto ab Vrbe miliario, visitur. Tradit Ortelius Adcolas, ab ipso serio interrogatos, non aliud isti Fluvio nomen dedisse, quam *Fossa*. Dionysius Amnem hunc parum ab Veiis distare notat. *Cremeram* sane vocant Scriptores omnes: Κρεμέρα dicitur Diodoro lib. XI. Pyrrhus Ligorius *Cremeram* putat *Turiam* esse vel *Tutiam* (sic enim legit Sigonius ad XXVI Livij librum ab V. C.) Silij lib. XIII; ubi inquit:

Turia deducit tenuem sine nomine rivum,
Et tacite Tuscis inglorius adfluit undis.

Petrus tamen Marlus *Turiam* Rivulum esse dicit in via Appia, VI ab Vrbe P. M; falso, ut opinatur Ortelius. Prope *Cremeram* CCCVI Fabios, cum quinque Clientum, Servorumque millibus internecione ab Veientibus occisos, scribunt Livius lib. II, Dionysius Halic. lib. IX, Ovidius II Fastorum, Florus lib. I. Histor. Rom. cap. XII, Orosius lib. II. Hist. cap. V, Eutropius lib. I, Agellius lib. XVII. Noct. Attic. cap. XXI, Plutarchus in Vita Camilli, Silius Italicus lib. II & VII, Servius ad VI Æneid. & alij.

Galera.

Infra Romam est *Galera* Fluvius, qui haud procul Maliano *Tiberis* fit incola. Hi cum alijs ad Occidentaliorem Tiberis ripam conspiciuntur. sequentes, qua Oriens est, *Tiberi* adfluunt.

Reggia. Asinus. Resina. Ventia. Chiatius.

Non magni nominis sunt *Reggia, Asinus, Resina, Ventia*, & alij ibidem. Qui in Vmbria *Chiatius* vel *Chiusius* hodie Latine scribentibus, Vulgo autem *Chiazzo*, nec *Asius* est, ut falso quidam iudicant, Ptolemæi: nec *Aesis* Strabonis, Plinij, Pomponiique Melæ; qui eum Semnonum flumen faciunt, locisque ad Mare Hadriaticum sitis adcensent, quemadmodum suo loco videbimus. Potest tamen *Chiatius* paullo Latinius vocari *Asius*, non quod ita Ptolemæo nuncupetur, sed quod ex monte *Asi* profluat. Consulendus Landinus in Dantis Paradis. Cant.

Scirca. Rasina. Laro. Marcaia. Topinus, olim Tinia.

Recipit in se præter *Scircam, Rasinam*, qui *Larone* augetur, *Marcaiam* & alios, *Topinum* ad Canariam, ejusque nomen exstinguit, solo *Chiatij* retento; posteaque, opido Bettonio lustrato, prope Torsanam in Tiberim evolvitur. Qui nunc *Topinus*, *Tinia* (in quibusdam libris est *Tinna*) Plinio dicitur; Τινίας Straboni. De eo Silius Italicus lib. VIII:

Tiniaque inglorius humor.

Quur ita? Quod non navigabilis, Rivulusque magis, quam Flumen. In *Tiniæ* ripis ingentes passim adparent Ædificiorum ruinæ, fundamentaque maximorum operum, quæ ab Romanis ad tutelam Viæ Flaminiæ quomdam excitata.

Clitumnus.

Augetur etiam *Topinus* ab alijs Fluvijs: inter quos vere Viri magni agnoscunt *Clitumnum*. Hic enim, notante Servio ad II. Georgic. Fluvius est in Mevania, quæ Pars Vmbriæ, partis Tusciæ. Iam vero *Mevaniam* opidum esse Vmbriæ, quod hodie *Bevania*, dicam

cam cap. XXIV. Oritur autem *Clitumnus* ex Trebulanis Collibus, in quibus olim veteres oliviferæque Mutiscæ, limpidissimo copiosissimoque erumpens Fonte; seque infra Fuliginium vel Fulgineum Topino commiscet. Nomen, quod hodie, in præsentia non occurrit. Philargyrius ait eum Vmbriam ab Tuscia dividere. Quod apud Plinium male Faliscis adscribatur, ante notatum. Constans apud Veteres fuit opinio, Aquam *Clitumni* a Bubus potatam albos creare Fœtus, experi saginarique solitos ab Romanis ad Triumphalia Sacrificia. Virgilius lib. II. Georgic.

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima Taurus
Victima, sæpe tuo perfusi Flumine sacro,
Romanos ad Templa Deum duxere Triumphos.

Propertius in Elegiis:

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, & niveos abluit unda Boves.

Silius Italicus de Bello Punico lib. VIII:

Et lavit ingentem perfusum Flumine Sacro
Clitumnus Taurum.

Clitumnus sane Deus habitus, eique sacrata existimatur fuisse Ædes, quæ in propinquo visitur marmorea & antiquissima, nec non more Corinthio pulcherrime constructa, cujus Scenographiam & ornamenta varia curiose describit, Franciscus Schottus. Sequitur inde post *Topinum* aliosque *Nar*. Sic Virgilio, Straboni, Luca- *Nar.* no, Tacito, Silio, Plinio, Procopio, aliisque nominatur, qui hodie *Negra* Italis κατ' ἀντίφρασιν forte, quum Aquas habeat albas. *Nar albus Aquaque Sulphurea*, Virgilio lib. VII Æneidos, ubi Servius rationem Epitheti, vel ab *Aqua sulfurea*, vel ab *Colore Saporeve sulphureo* notat sumtam. *Albescentes* illi *undas* tribuit Silius lib. VIII. *Sulphureus Amnis* canitur Martiali lib. VII. Ex Amiternis Montibus oriri notat Pomponius Sabinus ad VII. Æneid. Defluit, ex Leandri diffinitione, ex Apennini jugis; ibique, ut Plinius ait, ex Monte Fiscello, duobus erumpens Fontibus, qui foramina sunt in Saxo, natura sic excavato, ut naribus animalis, seu nasi spiraculis admodum sint similia: quamobrem etiam ab Antiquis *Nar* est vocatus: dein juxta Vacunæ Nemora descendens, ut Plinius testatur, per subjectam Vallem fluit, posteaque Tiberi conjungitur. Augetur prope tres Pontes *Corvo*, ex Coriti Montis radicibus *Corvus.* fluente. Cum Lacu Velino conjungi scribit Tacitus. Narniam opidum ab eo dici tradunt Livius & Stephanus in Vrbium Syllabo. Supra *Narem* prætergressis Narniam adparent à dextris admirandi Pontis Fornices, qui duos præcelsos & abruptos Montes, subterlabente Flumine, solebat conjungere, ut æquali via transitus ab opido Narnia pateret in montem adversum. Auctorem memorat Augustum Procopius; qui haud umquam altiores Pontis Arcus ab se visos profitetur. Qualis quantusque fuerit, docent hodieque ex lapide quadrato prægrandi reliquiæ. Exaudiendus de eo Martialis Epigrammate ad Narniam:

Sed jam parce mihi, nec abutere Narnia Quinto,
Perpetuo liceat sic tibi Ponte frui.

Actum olim fuisse in Senatu de *Nare* in rivos deducendo tradit Tacitus lib. I. Annalium. *Himella.* Succedunt Nari Romam versus *Himella, Fabaris, Allia, Rivus Solis*, *Anienus*, *Fabaris.* & alii. *Himella*, cujus meminerunt Virgilius & Vibius, iis in montibus Caput tollens, qui circa Velini Lacus exitus sunt, transcursa Sabinia, inter Ocriculum & Malianum in Tiberim defluit. Qui *Fabaris* Virgilio Sidonioque, hodie *Farfarus* vocatur; quo nomine notus etiam apud Servium Plauto. *Faber* corrupte apud Vibium Sequestrum. Oritur ex Montibus, qui quomdam Tetrici, ad opidulum, quod ab Amnis Fonte *Caput Farfari*. Plauti locus apud Servium hic est:

Dissipabo te tamquam Folia Farfari.

Ex quibus patet Arborum circa flumen hoc frequentia, quæ gratissimas efficiunt umbras; unde Ovidio

———*amœnæ Farfarus umbræ.*

Sabiniam hæc ætate intersecat per pulcherrimos Campos, utrimq; frondosis consceptos Arboribus; quarum perjucundis tegitur umbris. *Alliam* Blondus & Volater- *Allia.* ranus esse volunt, qui *Curesi* hodie. Longe alia mens est Francisco Florido & Leandro Alberto; quibus *Allia* fluvius ille, qui hodie *Caminato*, vernacule. *Alliam* enim

enim vix quarto ab Vrbe lapide Veteres locant Historiæ: *Curesin* autem vicesimo distare confirmat Floridus. Crustumenis defluit montibus. Ad inferiora provolutus prope portum Mentis Rotundi M.P. ab Roma tribus, aut paullo amplius, in Tiberim defertur. Meminerunt *Alliæ* nulli non Scriptores. Vnico L. scribendum docet in Orthographia Aldus. Quidam etiam, teste Leandro, *Rivum Mussum*, *Rio di Moso*, pro *Rivo Mortis*, *Rio di Morte* appellare solent ab cruenta illa, ut voluut, Romanorum cum Brenno Gallorum Duce pugna, xv Kal. Sext. qui *Dies Alliensis* dictus. Legendi Livius lib. v, Plutarchus in Vita Camilli, & alij. *Rivus Solis*, *Rivo del Sole*, Blondo Leandroque videtur is, de quo Horatius lib. I. Epist. ad Lollium:

Rivus Solis, olim Digentia.

Me quoties reficit gelidus Digentia *Rivus,*
Quam Mandella bibit rugosus frigore Pagus,
Quid sentire putas, quid credis, Amice, precari?

Quos versus exponens Acron *Mandellam* Vicum in Sabinis esse scribit, ubi *Rivus Solis*, Horatio *Digentia* vocatus. Qui *Anio* dicitur apud Livium in libris ab V.C. non uno loco, Virgilium VI. Æneidos, Horat. lib. I. Carm. Od. VII. Melam in Cosmograph. Silium Italicum lib. VIII & XII, Propertium in Elegijs, Plinium in libr. nat. historiæ; Ἀνίων autem apud Halicarnass. & Strabonem, *Antenus* apud Statium in Tiburtino; *Anien* apud Vibium Sequestrum; quemque Παρθένιον olim vocatum scribit, ni corruptus sit locus, Frontinus lib. II. de Aquæductibus: hodie, Blondo, Leandro, alijsque consentibus, *Teverone* vocatur. Nomen illi, ex Silij Italici lib. XII sententia, ab *Anio*, Etruscorum Rege: ex Vibij Sequestri mente, ab *Antene*, Apollinis filio. Oritur, ut Plinius scribit lib. III cap. XI, in montibus Trebanorum, tresque Lacus amœnitate nobiles, qui nomen dedere Sublacij, de quo alibi, defert in Tiberim. Strabo eum ex Alba decurrere scribit præter Latinam Marsorum Vrbem, indeque per Campos propinquos in Tiberim defluere. Tacitus ab Montibus Simpruinis descendere, tribusque ab Roma millibus Tiberi conjungi dicit. Ad Trebam Vrbem manare tradit Frontinus II Aquæductuum. Lacui Velinorum infundi scribit Vibius. Ad Tibur ex alta rupe, præcipite Aquæ deiectu, qui καταῤῥάκτης apud Strabonem lib. V, maximo cum fragore decidit in subjectam Convallem: indeque per plana & fructuosa loca fluit in Tiberim, Sabinos ab Latinis dividens; potu gratus, aspectu periucundus, teste Halicarn. lib. V. cuius hęc verba: Ὁ Οὐαλέριος δὲ ἐγγὺς τῶν πολεμίων παρὰ τὸν ποταμὸν Ἀνίωνα, ὃς ἐκ πόλεως μὲν Τιβούρων καθ' ὑψηλοῦ πολὺ ἐκχεῖται σκοπέλου, φέρεται δὲ διὰ τῆς Σαβίνων καὶ Ῥωμαίων πεδιάδος ὁρίζων τὴν ἑκατέρων χώραν. συμμίσγει δὲ τὸ ῥεῦμα τῷ Τιβέρει ποταμῷ, καλὸς μὲν ὀφθῆναι, γλυκὺς δὲ πιεῖν. Transitum ejus quatuor coniungunt Pontes.

Anio.

eiusque Pontes.

Eorum unus in Via Tiburtina, *Mammolus* vulgo dictus, tamquam *Pons Mammeæ*, qui primum ab Antonino Pio factus, dein ab *Mammea*, Alexandri XXV Imperatoris Matre restitutus, ac marmore sumtuose fuit exornatus, quo tamen nunc spoliatus cernitur; Alter paullo inferius Viam Nomentanam jungit. Eum quis condiderit, nondum constat. Integer est, sed ornamentis suis plane denudatus. Succedit infra Tertius in Via Salaria, tribus ab Vrbe Roma milliaribus, ab Narsete Iustiniani Imperatoris Augusti Legato, victis Gothis, fabricatus; quod docent positæ ibi Inscriptiones: quarum Prior, litteris ob longis & male proportionatis concepta, ita habet;

IMPERANTE. D.N. PIISSIMO. AC. TRIVMPHALI. SEMPER. IVSTINIANO. PP. AVG. ANN. XXXVIIII
NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX PRÆPOSITO. SACRI. PALATII. EX. CONS.
ATQVE. PATRICIVS. POST. VICTORIAM. GOTHICAM. IPSIS. EORVM. REGIBVS
CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTV. PVBLICO. SVPERATIS. ATQVE. PROSTRATIS
LIBERTATE. VRBIS. ROMÆ. AC. TOTIVS. ITALIÆ. RESTITVTA. PONTEM. VIÆ. SALARIÆ. VS
QVE AD. AQVAM. A. NEFANDISSIMO. TOTILA. TYRANNO. DISTRVCTVM. PVRGATO. FLVMINIS. ALVEO
IN. MELIOREM. STATVM. QVAM. QVONDAM. FVERAT. RENOVAVIT

Altera

Altera litteris paullo melioribus sic sonat:

QVAM. BENE. CVRVATI ❦. DIRECTA. EST. SEMITA. PONTIS ❦
ATQVE. INTERRVPTVM ❦ CONTINVATVR. ITER ❦
CALCAMVS. RAPIDAS ❦ SVBIECTI. GVRGITIS. VNDAS ❦
ET. LIBET. IRATAE ❦ CERNERE. MVRMVR. AQVAE ❦
ITE. IGITVR. FACILES ❦ PER. GAVDIA. VESTRA. QVIRITES ❦
ET. NAR. IM. RESONANS ❦ PLAVSVS. VBIQVE. CANAT ❦
QVI. POTVIT. RIGIDAS ❦ GOTHORVM. SVBDVRE. MENTES ❦
HIC. DOCVIT. DVRVM ❦ FLVMINA. FERRE. IVGVM ❦

Ad Pontem hunc ferunt Hannibalem Imbrium inundatione perterritum, soluto obsidio, castra movisse ab Vrbe. Quartus Pons Tiburi, quam Romæ, propinquior est, *Lucanus*; ubi Moles rotunda conspicitur, & præclarum in marmore Pontis T. Plautij Silvani Elogium, quod commodiore adscribam loco. *Anienis* Aquæ multo infectæ sunt Nitro: ideoque mistæ ijs Tiberinæ bonitatem habent singularem, ut alibi dixi. Pausanias tradit *Anienis* Aquas ea esse natura, ut ad primum contactum gelidissimæ, mox paullatim calescere videantur. Auctor est Martialis Ebur ablutum *Anienis* aqua Candorem accipere, similiterque Dentes humanos. Inter Anienis Arenas leguntur Amygdala, Anisum, Fœniculum, aliaque in Petram versa, ut in Romanorum convivijs in delicijs sint, ludantque arripientes, putantes se dulciaria Tragemata arripere, vocanturque passim *Confetti di Tivoli*. Superioribus quoque annis Corporis Cadaver humani cæsum, & in flumen *Anienem* projectum Arboris radici adhærens in lapidem conversum est, & à putrefactione alienum, ut Titus Celsus, Patricius Romanus, ab se visum adfirmat. Detraxit juxta Fluvium hunc memorabili Victoria Gallo Provocatori cæso Torquem aureum Torquatus, cognomen inde meritus Torquati, ut pluribus referunt Livius lib. VII, Florus lib. I. cap. XIII, Q. Claudius lib. I. Annal. apud Agellum lib. IX. cap. XII, Orosius lib. II, c. IX, Eutropius lib. II, Valer. Maximus lib. II cap. II, Auctor de VV. Ill. cap. XXVIII. *Delicatissimum Amnium* vocat in Epistolis Plinius. Augetur cum alijs Fluviolis, tum *Maliano* & *Veresi*. Οὐερίους dicitur Straboni. Haud procul Tusculo Frascata est, olim L. Luculli Villa. Ibi non nulli *Aqua Virginis*, quæ hodieque Romam accedit, Fontem repertum tradiderunt. Eam Aquam Plinius lib. XXXI. cap. III M. Agrippam in Vrbem adduxisse scribit ab octavi Lapidis diverticulo duobus P. M. Prænestina Via. Influit item ad Vrbem Tiberim *Aqua*, quæ *Crabra*, cujus apud M. Tullium & Frontinum est mentio. Hodie *La Murana* vocatur. *Maranella* dicitur Lucæ Pero, libro Mensuris Romanis. Paullo infra Romam est *Almo* sive *Almon* Horatio, Ovidio, Silio, Ammiano, Prudentio, Hieronymo, & quibus non celebratus? Hodie *Dachia* nominatur. De eo Vibius Sequester: *Almon Romæ Fluvius, ubi Mater Deum* VI *Kalend. April. lavatur*. Lucanus lib. I. Belli Pharsalici.

Aqua Virgo. *Crabra.* *Almo.*

Et lotam parvo revocant Almone Cybellen.

Hactenus de *Tiberi*, Fluminibusque varijs; quæ cum eo, nominibus amissis, Mare petunt: sequuntur reliqua Latij, ut antiquitus appellabantur, *Numicius*, *Loracina*, *Stura*, *Nymphæus*, *Vfens*. *Numicium*, vel ut alij scribunt, *Numicum*, in latio locant Virgilius, Ovidius, Plinius; in Agro Laurenti, Livius, idemque alio loco Ovidius, Vibius; haud procul Lavinio Halicarnassæus lib. I. cui Νομίκιος vocatur, & Silius lib. VIII: *Numicium Stagnum* habet Aurelius Victor. *Rivo* est hodie, ut vult Pyrrhus Ligorius. Notat ad Æneidem Virgilianam Servius *Numicium* ingentem fluvium ante mortem Æneæ fuisse; ceterum post decrescendo paullatim in Fontem redactum, qui & ipse exaruerit, interceptis Sacris; Vestæ quippe non nisi de hoc Fluvio libari licuisse. *Loracinæ* Fluminis circa Antiates meminit Livius lib. XLIII. De *Stura* sic scribit Festus, *Stura Flumen in Agro Laurenti est, quod quidam Asturam vocant*. Στόρας Straboni nuncupatur, & Livio lib. XXVI, cui sex millibus locatur ab Vrbe. Apud Virgilium VII Æneidos pro *Satura Palude* nonnulli agnoscunt notante Servio, *Asturam Paludem*, eamque Flumen hoc interpretantur. Nomen hodie retinet, indicante Leandro, qui non recte confundit cum *Nymphæo* Plinij. Nam *Stura* & *Nymphæus* duo diversaque Plinio sunt Flumina. *Vfens* Fluvius est iuxta Terracinam & Privernum, Virgilio VII Æneid. Silio lib. I, Vibio Sequestro, Festo, alijs. Apud Strabonem Αὔφιδος scribitur,

Numicius. *Loracina.* *Stura.* *Nymphæus.* *Vfens.*

non sine errore, uti notant docti Viri. *Baldino* dicitur in Tabula Ligorij: alijs est *Baudino*. Hodie *Ausente* vocatur, uti tradit Leander Albertus. In Itineraria Tabula etiam notatur hujus Fluvij Cursus & Alveus, non adscripto tamen nomine.

Campania, Liris.

Sic ad *Lirim*, Latij terminum, Campaniæque initium, perventum nobis. *Liris* Plinio, Livio, Melæ: Λεῖρις Straboni, alijsque Græcis: *Lyris* per y scribitur in quibusdam Lucani & Taciti libris. Λεῖρις ποταμὸς, Κλάνις δ' ἐκαλεῖτο πρότερον, inquit Strabo; cui consentit Plinius, ut quidem ex Strabone emendandus: *Colonia Minturnæ, Liri Amne divisa Glani quondam appellato*. *Liternum* etiam dictum putat Appianus Alexandrinus I ἐμφυλ. Falso: vide infra. Hodie *Garigliano*. Nomen ab *Gauro* Monte non procul eius ostijs natum existimatur. Initium illi duobus è Fontibus: uno supra Soram VIII P. M. in Apennino, non procul opido Capistrello; altero millibus tribus Sora prope Castellum Pestronium; & hinc est quod circa Soram erumpere notet Strabo. Laudat posteriorem Fontem mirifice Rassanus, numquam clariorem aut perlucidiorem Aquam sibi visam adserens: si quidem in ea, quantumvis & mirabili copia prorumpat, & altitudinem habeat non modicam, tamen quidvis etiam in fundo exiguum inter Pisces, mira cum spectantium voluptate discursantes, posse discerni. Blondus originem eum ex Lacu Fucino vult trahere, uti quoque Plinius tradere videtur. Rivi amborum cursu infra Soram delati confluunt; ita ut superius Peninsula relinquatur, in qua opida sunt Pescum, Posta, Lobrutullium, ipsaque Sora. Pergens inde per Fregellas, Minturnas (testantur id etiam, cum Strabone & Plinio, Porphyrius & Acron in Horatium) & Vestinos ad Lacum Frentalem Mari invehitur. *Cæruleus* dicitur Martiali:

Cæruleus nos Liris amat, quem, autem Silva Maricæ
Protegit; hinc Squilla maxima turba sumus.

Sulfureum vocat Silius lib. VIII. Capiuntur in ijs Fontium Rivis Carpiones; sed non, qua in Benaco, magnitudine. Suscipit dextra quidem *Fibrenum*, *Cosam*, *Alabrum*, *Trerum*, & alios; sinistra vero *Casinum*, *Melsam*, & *Omnem*. *Fibreni* meminit Silius lib. VIII:

Fibrenus.

At qui Fibreno miscentem flumina Lirem.

Fluit inter Arpinum & Soram, coniungiturque Liri III ab Arpino P. M. apud Villam S. Dominici, ubi M. Tull. in lucem editus. Eum vide lib. II. de L. L, & lib. Epist. ad Attic. XIII. ubi & de *Fibreno* Arpinatem Insulam faciente. *Fiume de la Posta*, ait Sanfelicius. De *Cosa*: παρὰ Φρουσίνων, Frusinum, ὁ Κόσας ῥεῖ ποταμὸς, inquit Strabo. Hodie *Pissia* dicitur Leandro. Quod ad *Trerum*, παρὰ Φαβρατερίαν, ait Strabo, ὁ Τρῆρος ῥεῖ. De *Casino* idem Strabo: Ἰντεράμνιον, inquit, ἐν συμβολῇ δυοῖν ποταμοῖν κείμενον, διαρρεῖ καὶ ὁ περὶ Κασίνου. Quod illi hodie nomen, ignoro. Certe non *Melsa*, quod putat Ortelius. Nam qui *Melsa* vulgo, Straboni Μέλπις ibidem appellatur, παρὰ Ἀκύινον ὁ Μέλπις, inquienti, ῥεῖ, ποταμὸς μέγας; non idem, ut putat Leander, cum *Melphe* Plinij, qui circa Columnam Rhegiam. *Melpis* ex Apennino descendit per planiciem usque ad Fregellas, indeque non procul in Lirim evolvitur. *Omnis* Amnis IIII ab D. Germani P. M. iuxta D. Eliæ, propter Apenninum, caput tollit: modicis admodum initijs; sed permagnus, Aquis multorum Fontium exceptis: cursu P. M. fere XII confecto, in *Lirim* haud procul à Ponte Corvi cadit. Liri succedit *Vulturnus*, Virgilio, Livio, Plinio (& quibus non?) notus. Οὐολτοῦρνος Straboni, alijsque Græcis. *Volturnus* Varroni, ἀρχαϊκῶς. *Volturno*, hodieque. Οὐατυρνὸς Plutarcho in Fabio Maximo, qui emendandus. Varie vertunt varij, varijs usi codicibus: *Notaronum* Georgius Fabricius & Petrus Candidus, quem etiam probat Leander: *Lotaronium* Niger; *Atocronum* Cuspinianus in Cassiodorum. Κασουλῖνος etiam vocatur Agathiæ lib. II. de bello Gothico, ab opido fortean, quod in eius ripa situm. Videndi quoque Vibius Sequester, & Strabo lib. V. Sic item appellatur in Vrna lapidea; cuius ad Vulturnum, nobilem quondam Coloniam, hodie *Castel al Mar di Boterno*, Inscriptio ita habet: *Aquas Casilini Fluminis Mortuis gravatas suscepit Tyrrheni Maris Littus, quando Francorum gentem occidit Ausonius Ensis, ubi misero hac gessit morem Bultino*. Ab Apennino descendens, perexilis primo, Aquarum & Fontium accessione magnam & Latitudinem & Altitudinem nactus, inter Samnitium Montes tractu P. M. XXX in Agrum Venafranum, inde XX. P. M. in Alifanum, hinc XXV in Campanum evolvitur; Capuaque salutata, ad eum locum, ubi quondam Vulturnum fuit opidum, ut etiam post Varronem lib. IV. Strabo testatur, in Mare se exonerat. Ab *Vulturni* Fonte ad Liris initium inter-

Cosa. Trerus. Casinus. Melpis. Omnis. Vulturnus.

intervallum est modicum. Varro in Samnio oriri tradit. Fluens tribus ab Alifa P. M. antiquitus ibi Campaniæ Felicis & Samnij habebatur discrimen. Livius lib. XXII. dicit eum Falernum ab Agro Campano dividere. *Eminus est Vulturus Capua*, inquit Pædianus in IV Verrinam, *tribus P. M.* Ad Cursum pertinet quod *Celer* dicatur Lucano lib. II; quodque *Fluctu sonorum* vocet Silius Italicus lib. VIII. Iuxta Cumas in mare labi scribit Servius. Dionysius de *Vulturno* & *Glani* prodigium refert: eos, omisso naturali meatu, vertisse Cursus, aliquamdiu retrocedentes ab Ostijs ad suos Fontes. Nos Belgæ, qui Fluxum Refluxumque Maris novimus, hæc talia non miramur. *Vulturnum Mare* habet Plinius ad huius Fluminis ostium. Amnes Torrentesq; multos colligit: inter ceteros, dextra quidem *Cusanum Correctum*, sinistra *Freddum: Pratellum*, *Sabbatum*, *Isclerum*, & alios. *Cusanus Correctus* ex Mathesio Monte ortus prope Pulianellum Vulturni se immergit Aquis. *Freddus* adversa ripa ibidem Vulturno se miscet, cognomine adsitum habens Opidum. Freddum sequitur alius; qui ortus ad Pedem Montis, vulgo *Piedmont*, facto per Agrum Alifanum IIII. P. M. cursu, tandem propter Alifam in Vulturnum se condit. *Pratellus* in radicibus nascitur Montis Mathesij, ab opido *Pratello*, quod iuxta est, nomen habens. Ab eius Fonte Castellum Galli haud procul abest. *Sabbatus*, ut Antonino vocatur, ex Apennino oritur, qua regione Iuga eius *Montes Tremuli* nominantur: & per depressa loca sinuosis flexibus, omnibus fere Beneventani Agri Fontibus uno alveo conlectis, se tandem in Vulturnum, maximo ipsi inlato Incremento, exonerat. Hodie *Fiume de Benevento* dicitur; quod propter eam Vrbem, perque eius fluat Agros. *Sabbatus* Incolas, ut sic loquar, habet varios, inter quos principis facile loci *Calor*, Antiquis notus. Sic etiam nominatur in Itineraria Tabula; sed cum Vulturni alveo ita imperite mistus, ut unus esse Fluvius videatur. Ἄλωρ corrupte apud Appianum Alexandrinum. *Ad Calorem* Mansio est apud Antoninum, inter Nuceriam & Nerulum: qua Fluvium hunc designari certum est. Nomen hactenus retinet *Calore*. *Hodie usque Pugna dicitur*, inquit Paullus Diaconus. Testatur Ortelius in M. S. Codice *Pugnam* non esse Fluvij, sed Loci iuxta Fluvium nomen. Scipio Mazzella scribit *Dentecane* vulgo vocari: *etsi*, inquit, *nonnulli sic vocent Tabernulam haud procul inde.* Ex Amsancti Valle præcipitem ferri, inter opidum Aquariam & Pæstanos Agros, Silaroque misceri, tradit Pomponius Sabinus in VII Æneid. Prope Beneventum ponunt Livius lib. XXIV sequenteque, & Vibius Sequester. In Sabbatum influit CCC fere passuum spatio supra Beneventum, prope Pontem Valentinum, qui Calorem stravit Valens Imperator. Augetur autem, antequam ab Sabbato suscipiatur, *Tripalto*, *Misciano*, *Tamara* alijs. *Tripalto* nomen ab opido *Tripalta*. Ad ripam eius dextram Silva est peringens & Latronum domicilio infamis, quæ ab Amne vicino *Tripaltina*. Exit, quemadmodum etiam *Miscanus*, ex Monte Crepacorio. *Tamarus* notus quoque est Antonino, ubi Mansionem nominat *Super Tamari fluvium.* Male nonnulli Codices Super *Mari fluv.* *Tamarus* Aquarum copia non est Calore minor. Præter *Calorem* sunt alij, qui *Sabbato* miscentur. Ad opidum sane Pontem Fontes sunt quatuor, qui corrivati uno ostio in *Sabbatum* feruntur; ex Apennino descendentes, Vicina Fontibus totidem sunt opida; *Ad D. Laurentium, ad D. Lupum*, *Pons Landulphi*, & *Casalonium*. *Sabbatus* sinistra sua ripa excipit, præter alios, *Seritellam*, ex Caudinis orientem Montibus. Iam relictis Vulturno etiam suis, ne prolixior sim, *Isoclere*, *Arnone*, alijs, ad *Glanim* venio. De *Glani* Lycophron apud Stephanum (cui Γλάνις ποταμὸς Κύμης) περὶ πόλεων:

Cusanus Correctus. *Freddus.* *Pratellus.* *Sabbatus.* *Calor.* *Tripaltus,* *Miscanus,* *Tamarus.* *Seritella,* *Isclerus, Arnus.* *Glanis.

Γλάνις τε ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνα:

Et Poetarum Latinorum Princeps, Virgilius:

Talem dives arat Capua, & vicina Vesevo
Ora Iugo, & vacuis Clanis non æquus Acerris.

E montibus inter Nolam & Capuam, regione fere media, prorumpit. Amnis hic ille est, ut notat Leander, qui Via inter Capuam & Aversam occurrit; ac sæpenumero nunc in Acerrano Agro, sicut olim in Campano Atellanoque solebat, præsertim hibernis mensibus, stagnat: qua de caussa ligneis Pontibus connexa multis in locis Itinera necessario sunt, qui Veterum Ædificiorum lapidibus ex Vrbium propinquarum ruinis eo delatis plerumque fulciuntur & incumbunt. Meminit & Dionysius Halicarnassæus lib. VII, quum *Glanem & Vulturnum*, naturali quandoque Cursu omisso, contra ab ostijs ad Fontes refluxisse memoriæ prodit. Auctu suo Pestem meditari

meditari minarique Terris scribit cum Virgilio Vibius Sequester. Spatio ab Mari P.M. VIII latissime diffunditur, Lacus instar latitudine duorum fere millium, quibusdam in locis; alibi etiam latiorum: ideoque circum ostia, quibus in mare exit, vulgo *Lacus Patria* vocatur; Piscium abundantia, qui fere Neapolim deferri solent, uberrimus. De Lacu alibi. Miscetur cum alijs Glanii *Liternus Amnis*, cuius meminit, præter Strabonem, Livius lib. XXII & XXXII. Hodie *Patria* ab opido, quod vernacule *Torre della Patria*, olim *Liternum*. Appianus lib. I Ἐμφυλ. *Linternum* falsa coniectura eumdem facit cum *Liri*. Occurrit hinc *Sebetus*, inter Vesevum Montem & Neapolim decurrens; vulgo *Fiume de la Maddalena* vocatur. Vicatim per Neapolitanam Urbem delabitur, omnibus Civibus usum præstans; & populariter *Formello* dicitur. Meminerunt Statius in Silvarum, Vibius Sequester, Columella in suo Horto, ubi *Sebethis* scribitur. Quod adspiretur, docet ex Lapidibus Manutius in Orthographia. Mox *Sarnus* est. Sic Lucano, Silio, Statio, qui lib. I. Silv. *Pompeianum* cognominat, Orosio, Vibio, alijs appellatur; Σάρνος Straboni & Ptolemæo: qui hodieque *Sarno*, Leandro teste, qui *Scafato* alibi interpretatur, ut & Erythræus, ab *Scaphis*, quæ ibi stationem habent, ad Viatores, qui Nuceriam cogitant, trajiciendos. Proximus Salerno est *Fuscr*: qui oritur ex Apennino supra Solefram. Sequitur inde *Ibolo* supra S. Leandrum prodiens Apennino. Opidum habet ad dextram ripam cognomine. XII hinc citciter mill. *Silarus* est. Sic Virgilio, Lucano, Silio, Plinio, Melæ, Tabulæ Itinerariæ: Σίλαρος Straboni & Ptolemæo; *Siler* Lucano item Vibio dictus; qui hodie *Sili*, vel, ut alij pronunciant, *Selo*. Oritur ad Pertlagonem in Apennino, parte citeriore, propemodum exadversum Aufido. Versus Meridiem decurrens in Tyrrhenum, Campaniam ab Lucania hodie dirimit. Campaniæ plerisque adcensetur: Lucaniæ facit Pomponius Sabinus, addens in Mare exire circa Leucasiam Insulam. Strabo eum Campanorum & Picentinorum facit terminum. Salernum præterire notat Sulpicius Verulanus ex male intellecto Lucani loco, canentis lib. VIII:

Vestinis impulsus Aquis, radensque Salerni
Culta Siler.

Non enim *Silarum* vult Mœnia radere Salerni, quum ab eo absit XXIV P. M. sed Salernitanorum Agros, qui huc usque extendebantur. Naturam eius Strabo, Plinius, Silius, alijque esse tradunt, ut in eum immersa Folia Virgultaque lapidescant, nec tamen immutato colore vel forma; quamquam alias, ut adjicit Plinius eius Aquæ salubris sit potus. Defert secum *Tortam Picentinam* & *Nigrum*, cui initium ex specu subterraneo iuxta Cauponam quamdam, quæ vulgo *Taverna della Polla* ab opido *Polla*, ibi proximo.

Lucaniæ.

Hactenus de Campaniæ Fluvijs; quos Lucania habeat, iamnunc scrutemur. Post *Silari* ostia succedunt *Pæstana* (unde *Caput Pæstanum*, quod olim *Pyxuntum*) *Melfa* (qui Plinio *Melpes*, *Malpes* legunt membranæ) *Cocci* & *Sapris*. Putatur *Sapris*, qui Λᾶος Straboni; *Laus* Plinio: quod haud procul vero esse video, si verba eorum bene expendantur. Lucanos dirimit à Brutijs; Lainum ab suis Suburbijs, opidum in Lucanis, Suburbia in Calabris relinquens. Oritur prope Viminellum, Lucaniæ opidum, perque Montes asperos Meridiem versus Basilicatam vel Lucaniam, ut dixi, ab Calabria dividens, in Mare Tyrrhenum profluit. Aquas habet perpetuo claras, adeo ut nullo umquam casu turbentur.

Brutiorum.

Sequuntur in Brutijs (eo enim delati sumus) tres Amnes, quorum Nomina non occurrunt: Primus ad Scaleam; Secundus ad Cirellam; Tertius ad S. Bonifacij, Mare petunt Tyrrhenum. Subeunt inde alij. *Freddus* cum eiusdem Nominis opido. *Acheron* ex Montis Radicibus, in quo Pandosia, nascens, per Vallem fluit profundam, inter altissimos Montes, interque Martoranum & Aldham: & tandem in Sinum Sancteuphemianum evolvitur. *Acherontem* quidam, inter quos Leander, hodie *Saruntum* censent; Niger *Bassentum*; Barrius *Capianum*; alij *Cersinum*. Ab eo Fluvio Adcolæ dicti Plinio *Acherontini*. Hic Fluvius est *Acheron*, ad cuius ripam: hæc ibidem Pandosia, in cuius Agro fatali casu funestam accepit Cladem Alexander, Epirotarum Rex: Apollinis oraculo præmonitus, ut *Acherusiam Aquam*, utque Pandosiam vitaret, ratus, non alium esse *Acherontem*, non aliam, quam in Epiro, Pandosiam. Vide Livium lib. VIII, Trogum lib. XII, Strabonem, & alios. Ab Sancteuphemia sexto Lapide Ostium est *Amati*, alti latique Fluminis: inde octavo, peringentis item

Angitu-

Angitula, cuius mentio apud Antoninum. Vulgo *Acitola*. Circumvectis Australius Terinæi vel Hipponiatis Sinus Cornu, occurrit *Meſuna*. Sic vulgo vocatur Fluvius, qui Doctis *Meduna*, excipiens ſiniſtra ripa præter alios, paullum infra Roſarnum, *Metremum Amnem*. Decimo hinc milliari *Seminara* viſitur, latum profundumque Flumen. Olim, ut cenſent Bonacciolus & Leander, *Metaurus*, Μέταυρος Straboni, cuius oſtium deſcribit in Brutijs Plinius, exadverſo Æoliarum Inſularum. Idem tamen Leander, ſui quaſi oblitus, *Metaurum* eſſe vult in ſuo Inſularum libello, qui hodie *Metremo*. Sed *Metremus Metaurus* eſſe nequit. Oſtio namque ille ad Mare, quod Plinius, ut dixi, Plinius delineat, caret, & ab *Meſuna* ad Mare, amiſſo nomine defertur. Neſcio an *Pacteolus* etiam fuerit dictus, quem Probus Grammaticus in Virgilij Vita ex III. Catonis Originum ſcribit, Rheginorum & Taurinorum Fines diſpeſcere, in Mare ſe provolvit aliquot auctus Amnibus. Poſt nonnullos minoris momenti Fluvios, inter quos neſcio an fuerint (niſi fabuloſi ſint, cenſent ij) *Engyon*, *Lapadon*, *Micode*, *Stacines*, *Palme*, *Meleſſa* & *Argade* (Flumina continua iuxta Rhegium Iulium, quibus Oreſtes purgatus fuit ab Matris nece, uti commemorat Probus Grammaticus in Vita Poetica Virgilij, ſi Codici fides) aperiunt ſe alij. Primo, qui vernacule *Aleſſo*. Ἄληξ Thucydidi lib. III, Straboni, Dionyſio, & Antigono in Mirabilibus, Fluvium hunc ſtatuentium Finitorem inter Locrenſes & Rheginos. *Halecem* nuncupare videtur M. Tullius ad Trebatium. Ἀλήκοντα nominat Theocritus. Inde qui Λοκανός Ptolemæo. Meminit & Plinius, in cuius vetuſtioribus libris *Locanus* ſcribitur. Mox, qui vulgo dicitur *Sagriano*; *Sagra* Plinio, Σάγρας Straboni: a quo oppidum *Sagrianum*. *Sagra* tamen Gabrieli Barrio, Laurentio Anania & Mazzellæ *Alaro* eſt, *Sirochi* amnis Nigro. Hinc qui *Caſino*; Καικίνος Pauſaniæ & Æliano, *Cæcinus* Plinio; Καικῖνος Thucydidi lib. III. Addit, ſequius quam Antigonus paullo ante, Pauſanias in Eliacis Fluvium hunc eſſe, qui Locrenſium Agrum ab Rhegino dividit. Καικῖνα appellat Ælianus lib. VIII. Var. Hiſtor. Non procul inde *Crotalus* eſt, Plinio notus. Hinc apud eundem *Semirus*, *Arocha* & *Targines*, qui hodie *Tacina*, quique e Montibus deſcendens in Sinum Scyllaceum evolvitur. *Æſarus* mox in oculos incurrit, qui Αἴσαρος Lycophroni, Theocrito, Straboni & Dionyſio: *Aeſar* Ovidio XV Metamorph. Theocriti Scholiaſtes dicit Fluvium hunc per mediam Urbem Crotonienſem fluere. Putat Leander Ἠλαν appellari ab Thucydide lib. VII. Crotone IV. M. P. abeſt *Neæthus*, antiquum etiam, ut multa alia hoc tractu Flumina, nomen præferens. Νέαιθος Straboni, qui Nominis eius naturæ rationem indicat. *Neæthus* Plinio, qui in ſecundo Europæ Sinu collocat; Νέαιθος Siciliæ Fluvius eſt apud Theocriti Scholiaſten, ob cauſſam ſæpe indicatam: *Sybarum* ab Ovidio nominari notat Gabriel Barrius, qui apud Lycophronem etiam memoriam eius extare memorat: ſed Ναύαιθος apud eum legitur. Offerunt hinc ſe deinceps legenti nonnulli minorum gentium, inter quos ab Cariathi, perhoneſta Civitate, XIII lapide *Triuntes*, latus aliuſque Fluvius in Sinum erumpens cum reliquis Tarentinum. Ὕλίας Thucydidis, de quo ante, putat eſſe Gabriel Barrius.

Angitula. Meſuna. Metremus. Seminara, olim Metaurus. An & Pacteolus. Engyon & alij. Alex. Locanus. Sagra. Cæcinus. Crotalus. Semirus. Arocha. Targines. Æſarus. Neæthus. Triuntes.

Magna iam a ſinu vigemus Græcia. Quindecim ab Triuntis oſtio P. M. *Ruſillus* occurrit: ab Ruſillo quinque, qui *Gratis* vulgo; *Crathis* Ovidio in Faſtis & Metamorphoſi, Vibioque Sequeſtro; *Crateis* Plinio; Κρᾶθις Theocrito, Herodoto, Straboni, Æliano. Siciliæ Fluvium (quare, notum) dicit Euſtathius in Dionyſium: addens eum apud Sybarim ſive Thurium fluere. Ælianus de Varia Hiſtoria nomen à Paſtore quodam, ſic dicto, accepiſſe ſcribit: Herodotus lib. I. nominatum tradit ad memoriam alius in Peloponneſo Fluminis ita vocati. Fontem habet exiguum ſenis ab Conſentia millibus, Orientali latere; perque Montes altiſſimos ad Urbem accedit, quam paullum ab ortu contingit: hinc ad Septentrionem ſe flectens Buſentum excipit: quo alijſque ſenſim amplitudinis factus maximæ, aſpectuque terribilis, infra Biſignanum in Sinum Tarentinum, qui hodie Roſanus, ſe exonerat. Quam habeant ipſius Aquæ Vim, alibi dicitur. Magnam Græciam à Brutijs dividit. Augetur cum alijs, tum *Buſento*, *Septimo*, *Surdo*, *Finito Cuciari*: *Buſentis*, qui in Montibus Conſentinis meridionali plaga naſcitur, meminerunt Paullus Diaconus lib. XIII. Hiſt. Blondus lib. I. Sabellicus lib. IX. Ennead. VII, in Hiſtoria Funeris Alarici, Viſigothorum Regis. Hic namque in Alveo *Buſentis* poſitus ſcribitur. Nominant quidam in eius rei commemoratione *Baſentum*; ignorantes *Baſentum* alium eſſe à *Buſento*. Hic enim *Crathidi* miſcetur; ille in Sinum Tarentinum ſe exonerat. *Septimus* & *Surdus* ex iiſdem Montibus oriun-

Magna Græcia. Ruſillus. Crathis. Buſentus. Septimus. Surdus.

oriuntur ad Opidum, quod vulgo Monte-Alto. *Fuscus* ad S. Agatham habet initium: & haud procul inde *Cratin*. *Frutem* hic & *Mocorum* Amnem sapidissimum prætereo. Antiquam Vrbem Sybarin, quæ eidem locis, Amnis sequebatur cognominis, qui nunc *Cossa*. Oritur ad latus Scalæ Morani, interque rupes altissimorum Montium in planiciem subiectam fertur, per quam accessione tandem Fontium ac Rivorum plurimum auctus Sinum Tarentinum intrat. Σύβαρις Straboni; *Sybaris* Ovidio & Plinio. Quæ Vis eius, alibi notatum. Post *Cylistarnum* Amnis est, qui Accolis *Sino*, vel, ut alij referunt, *Senno*, Σίρις Plutarcho & Straboni, qui Navigabilem dicit. *Siris* Plinio & Frontino. Ex Montium delapsus iugis in Sinum Tarentinum evolvitur. Olim illi Vrbs adposita cognominis, ab Troianis, ut volunt, condita. Hinc *Acris* sequitur, antiquum retinens nomen. Ἄκιρις enim Straboni: *Aciris* est Plinio. In Littore os illi profundissimum latissimumque: quamobrem nec ibi transiri potest; sed milliaribus duobus a Mari, ubi Pons Ligneus viam iungit. Acri succedit *Salandra*; *Acalandrus* Straboni & Plinio: qui nonnunquam ex Imbribus adeo abundat Aquis, ab declivi utrimque Iugorum fastigio accedentibus, ut super Alveum excrescens totam Vallem Inundatione compleat, in faciem brachij Maris. Mox in ora *Basentij* Fluminis sunt ostia Vulgo *Vasento*. *Basentium* vocat Paullus Diaconus. *Casuentus* est Plinio. Quinque aut circiter *Basentio* milliaribus *Bradanus* occurrit; plurimum etiam hibernis mensibus augere solitus. Designat eum Appianus lib. v. Bell. Civil. ubi Cæsaris & Antonij congressum ad Metapontum Tarentumque, iuxta Flumen, quod inter eas Vrbes medium labitur, commemorat. Meminit Antoninus Itinere Mediolano ad Columnam. Iuxta Tarentum Stephano est Τάρας Fluvius. Pausanias etiam in Phocicis dicit Fluvium eodem nomine, quo Vrbs, vocari. *Taras* hodieque ab Incolis dicitur, ut Galateus testatur. *Τεάτρα* corrupte legunt Diodori lib. XII. Codices.

Salentinorum oras legentibus tertio ab Vrbe Tarento lapide *Galesus* se offert. Quinto, dixit Livius lib. XXV, Hannibalem, capto Tarento, ad *Galesum* Flumen profectum cum ceteris copijs ibi castra posuisse, scribens. Facile mutant Cursus suos Amnes: alia etiam fuit olim, quam hodie, Milliarum ratio: fecit denique Temporis iniuria, incuriaque Librariorum, ut depravatos habeamus Scriptorum Veterum Codices. Meminit *Galesi* Virgilius lib. IV. Georgic.

Qua piger humectat flaventia culta Galesus. Vbi Servius notat, *Galesum* Amnem esse Calabriæ, non procul Tarento. Mentio eiusdem & apud Horatium, Martialem, Vibium. *Eurotam* nonnulli nominant, ut tradit Polybius lib. VIII. *Bagradam* novo vocabulo appellat Ligorius in Tabula Neapolitana. Præter *Galesum*, qui inter Magnam Græciam & Salentinos discrimen facit, etiam duos alios habent Salentini Amnes, unum quidem ad Littus Australius, qui IX Tarento lapide, ad Pulizanum, Sinum Tarentinum ingreditur: alterum, qui in ora Borealiore Hadriatico miscetur Mari, ad S. Marcum, decimo ab Vrbe Brundisina milliari.

Iam Apulia Peucetia ab Fluvijs valde est inops, unum tamen notatum video *Cavam*, XXV Brundisio lapide; XIV Egnatia. Exonerat se in Pelagus ad Corvinum. *Pactius* hic nominatur Plinio. *Pastum* habet inemendate Itineraria Tabula, locans etiam vitiosiore positu ultra Brundisium, quum cis esset. Quod sit in eadem Tabula inter Pactium & Aufidum *Aveldium Flumen*, nondum capio.

Peucetiam ab Daunia separat *Aufidus*. Sic Virgilio lib. XI. Æneid. Plinio, Melæ lib. II, Antonino, Itinerariæ Tabulæ: Αὔφιδος Polybio, Straboni, Ptolemæo dicitur; qui hodie *L'Ofanto*. In Hirpinorum Montibus oriri notat Ptolemæus. Solus, ut referunt Polybius lib. III. & Plutarchus in Vita Hannibalis, Apenninum, in quo nascitur, secat. Apulia utraque divisa Hadriatico Mari illabitur. Naturam eius, rapidumque currentis variéque se sinuantis Cursum describit Horat. lib. I. Sat. I.

Quum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.

Et lib. III. Carm. Od. XXX;

Dicar, qua violens obstrepit Aufidus;
Et qua pauper aqua Daunus agrestium
Regnavit populorum.

Lib. IV. Ode IX:

Longe sonantem natus ad Aufidum.

Item eiusdem Libri Oda XIIII.

Sic

Sic Tauri forma volvitur Aufidus:
Qui regna Dauni perfluit Apuli,
Quum ſævit: horrendamque cultis
Diluviem meditatur Agris.

Sic Silius Italicus lib. IX Belli Punici:

At parte in dextra ſinuat qua flexibus undam
Aufidus, & curvo circumdat gurgite ripas.

Deo eo ſic ſcribit eleganter Oculatus Teſtis Leander Albertus ſub finem Apuliæ Peucetiæ: *Oritur Apennino in Hirpinis modico fonte, non procul oppidulo quodam Muſcæ: unde, non ſecus ac exiguus rivus, ſic labitur, ut æſtivis menſibus ſpatio P. M. XXX (eum enim decurſum habet) vix eius agnoſcatur fluxio: hieme tamen Fluminum & Torrentium aliorum acceſſione, itemque ex Pluviis adeo plerumque creſcit; ut, Alveo derelicto, ſæpe per latiſſimos Apuliæ Campos evagetur, & inſtar atri vaſtique Pelagi ab antiquo Canuſio, quod ad ipſum Amnem erat in planicie, longo tractu Regionem inundet. Apuliam Peucetiam ab Daunia ſeparat; primum per Agrum Lacedæmonium, deinde Melphitanum & Lavellinum; inde ſinuoſis flexibus per Campeſtria Loca prope Minarvinum, tum ab Canuſio per Barulanum Agrum in Mare tribus infra ipſum Barulum millibus influens, ubi Pons Lapideus, mille paſſibus ab ora.* Hæc ille. Pons, quem nominat, alius cenſendus ab eo, cuius meminit Antoninus Itinere, quod Benevento ducit Hydruntum. Quum enim, quem habet Leander, haud procul hodie ſit mari; qui apud Antoninum, prope Venuſiam fuit, ubi in magnum gyrum evolvere ſe verſus Caurum incipit *Aufidus*, XXXV aut circiter ab Hadriatico Sinu Milliaribus. Male editur in nonnullis Antonini Exemplaribus *Pentaufidus*; *Aufidus Cannus* vocatur in Fatidico Cn. Marcij Carmine apud Livium lib. XXV. Octodecim ab Aufido milliaribus *Candilaris* viſitur, quem cum Lacu Anduriano Strabonem, ſuppreſſis nominibus, indicare cenſeo: quum ſcribit inter Salapiam & Sipuntum Fluvium eſſe Navigationi ſatis oportunum & Lacus ingentis oſtium. *Cervaria* mox eſt: qui *Cerbulus* Plinio. *Cerbarium* etiam Procopio lib. III Goth. locus eſt in Apulia. * Candilaris, † Cervaria

Samnitium littora luſtrantibus offert ſe primo loco *Phiternus*, quo Samnium ab Apulia dividitur: *Fortore* vulgo: Φιτερνος Ptolemæo; *Tifernus* Plinio & Melæ. Eius in Tiferno Monte, qui nunc Bifanus, Fons eſt, haud procul à Boviano. Exonerat ſe in Mare Hadriaticum iuxta Leſinenſem Lacu. Succedunt inde Flumina *Trinius*, quod *Portuoſum* notat Plinius; *Aſinella*, *Sentus*, *Sangrus*. Qui *Sangrus* vel *Sanguinaus* Latine ſcribentibus hodie, vernacule autem *Sangro* vel *Sanguino*; Σάρος eſt Ptolemæo; Σαγρὸς Straboni, *Saron* Vibio Sequeſtro. Ex Apennino oriens, deſcenſuque, ut Strabo demonſtrat, inter Aternum & Ortonem fluens, Frentanos Caracenoſque a Pelignis dividit, Hadriaticum tandem infuſus. Varios convehit ſecum ad Mare Amnes: inter quos præcipui *Raſinus*, in Campis Furcæ Palenæ caput tollens, & *Aventinus*, qui ex Superequanis Pelignorum (ſic enim olim vocati) Furcæ Palenæ finitimis oritur; recepto tamen ante *Viridi*, cuius in Maiella Monte Fons inter Monaſterium D. Martini Caſtellumque Faranum. Mox bis mille paſſibus ab Ortona labitur Flumen *Morus*. Hoc loco in Itineraria Tabula *Fluvius Clororis* ſcribitur, inter Anxanum & Ortonam. Sequitur inde exiguus Amnis *Feltrinus*. Oſtia dein *Fori*; & nono inde lapide *Senti*; totidem hinc, qui vulgo *Peſcara*. *Aternum* Varroni lib. IV de L.L. & Plinio: Ἄτερνος Straboni & Ptolemæo. Naſcitur ex plerorum Italiæ Fluminum Parente Apennino, ſupra Aquilam, haud procul Monte Regali, qui ſubter eius eſt Fontem. Confluunt in *Aternum* vel *Piſcariam* multi Amnes. Ripa quidem Auſtraliore cum primis duo, ortum habentes in Agro Sulmonenſi, ad opida Pectoranum & Vallem Obſcuram; unde uterque peculiari alveo ferme Sulmonem uſque procedens, alter alteri inmerſus unico Flumine extra Vrbem per extentam planiciem, milliaque paſſuum VI latam, curſu fere millium XII abſoluto, Fontibuſque & Aquulis quibuſdam prope Populum, ubi ligneo tranſitur Ponte, haud mediocriter adaucti, tandem in *Aternum* ſe exonerant: quemadmodum & XVII aut circiter hinc miliaribus ad eandem ripam uno alveo *Aternum* ineunt *Raſentus* & *Orta*, ex Maiella Monte provoluti. VIII inde Lapide *Liberata* in Aternum ſe condit, binas item ex Maiella procurrentes Aquulas deferens: *Viperatam* quoq; appellari hunc Fluvium monet Alexander Andreas. Ad Borealiorem vero ripam augetur *Aternus* duobus Amnibus, quorum unus *Caput Aquæ*, *Capo di Acqua*; alter *Nuria* prope Cœnobium Caſæ Novæ, Ciſtellini ordinis, capiens initium.

Samnitium, † Fortore olim Phiternus, † Trinius, † Aſinella, † Sentus, † Sangrus, olim Sarus, Raſinus, Aventinus, Viridus, * Morus, † Feltrinus, † Forus, * Lentus, + Peſcara olim Aternus, Raſentus, Orta, Liberata, Caput Aquæ, Nuria, * Saturnus

tium. Post *Aternum* vel *Piscariam*, *Salinum* est, qui Plinio *Sutnum flumen*, nisi sit *Sinum*, quo *Salinum* augetur. *Flumen Sinnum* hoc loco est in Itineraria Tabula, vitiose proculdubio. Nomen numquam mutat, sed ab Fonte, qui in Apennino, usque ad Ostium, per quod Hadriatico Mari infunditur, perfert. Intrant in eum *Tavus* & *Sinnus*, ut de hoc paullo ante monui, ex Corvi radicibus nascentes. Vltra Salinum tertio lapide *Plumba* flum. qui ut Doctis videtur, *Ματρῖνος* Straboni & Ptolemæo; *Matrinum Flumen* Plinio. an hic, an illi sanius, nondum video. Ad Maiorem partem inclinare, tutius. Contendunt alij *Helvinum* Plinij eumdem esse cum *Matrino* Strabonis & Ptolemæi, eoque, qui nunc *Plumba*. Quidam *Matrinum* eiusdem Plinij cum eo, qui *Turdinus*, confundunt. Addo *Fl. Cumarum* hoc loco poni in Itineraria Tabula: quod quale sit, non patet. Nam sic dictum esse ab *Cumero* Promontorio, quod ultra LXX hinc milliaribus versus Caurum distat, non videtur. *Matrinum* alij volunt esse qui *Albula* Plinio, quique hodie *Liberata*. Quarto a Plumba milliari sequitur *Vomanus*. Plinio lib. XIII cap. XIII, Silioque lib. VIII notus; nomen retinens, *Vomano*; vel, ut alij pronunciant, *Homano*. Quem hoc tractu Fluvium habet Strabo *Τρυεντὸν*, putat Leander eumdem esse cum *Vomano*. Sed pro iis, quæ apud Strabonem, *εἶτα καὶ Τρυεντὸν*, legendum esse, *εἶτα Καστρονόουν*, postea dicam in Samnitibus, ubi de Prætutianorum Agro. Interpretes alij monstrosum id vocabulum omiserunt. Non neglexit tamen in suo Strabone Bonacciolus, quem ex Græco Italicum fecit. Sexto trans Vomanum lapide *Turdinus* est, quem *Veratinum* a Plinio vocari tradunt Volaterranus & Leander. *Verantius* legitur apud Blondum. Oritur ex Montis Corvi radicibus, nomenque id ad mare perfert, susceptis, qui vulgo *Fiumicello* & *Viciola*, ab Corvo quoque profecti. Succedit Amnis *Liberata*, alius ab superiore: *Albula*, ut volunt docti, dictus Plinio, in cuius nonnullis Codicibus *Abulates* scribitur.

*Tavus. Sinnus. * Plumba, olim Matrinus. * Vomanus. * Turdinus, Fiumicellus, Viciola. * Liberata.*

Sic tandem litora legentes ad Picenos, & Ostia devecti sumus *Truenti*, qui vulgo *Tronto*: *Truentum* Plinio; *Τρουέντιον* Ptolemæo; *Truentinum* Pomponio Melæ; Meminit & Silius Italicus lib. VIII:

*Picenj. * Truentus, vulgo Tronto.*

Quique Truentinas servant cum Flumine Turres,

Fl. Nervinum scribitur hoc loco in Itineraria Tabula. Oritur in asperrimis, altissimisque & perhorrendis Apennini Montibus, qui tamen cum ipso Amnis descensu per eius utramque ripam paullatim ad mare usque ita mitescunt, ut circa Fluminis Ostium peramœni latique Campi cernantur. Iungit se Truento cum aliis *Castellanus*, ex valle Apennini, quæ *Castellana* vocatur, erumpens. Sequuntur inde alij duo Amnes, quorum Prior ad Morcinum, Alter ad Pedassum in Mare præcipitantur. Decimo ab Truento milliar. *Asonus* occurrit: quarto hinc *Letus Mortuus*, cui supra radices Apennini inter opida Belmontium & Petricinium Fons est. *Tenna* hinc succedit, ex Apennino per Agrum Firmianorum in Mare tendens. *Tunia Fl.* notatur hic in Itineraria Tabula, & prope eumdem *Tunna* opidum. *Tignia* Latinis hodie scribitur. Post Tennam octo milliar. *Chientus* se pandit Fluvius, ex Apennino iactus; *Chiento* vernacule. Augetur cum aliis, tum *Flastra*, & *Leto Vivo*. *Flastra* suus ortus in Apennino, haud procul ab Naris, Vmbriæ Fluminis, Fonte; ubi Castellum Flastra: dubium an ab Amne nomen teneat, an illi dederit: prius vero est similius: *Letus Vivus* prope Picæ Campum erumpit. Ab Chiento deinde ad sextum fere milliar. in ora modici Torrentis ostium sequitur *Asini*. Hinc itum Flumen *Potentia*, supra Matelicam in Apennino, ex adversum Nuceriæ Alfaternæ, de qua in Vmbria, oriens. Mox *Musonis* sunt Ostia, quod Flumen *Aspidem* vocant, ab sinuoso, ut videtur, tortuosoque Cursu. Est enim instar Aspidis Serpentis: quum ex Apennino descendens, statimque ad Aquilonem versus, deinde ad Orientem, rursusque multis voluminibus hac illac se flectens, tandem, nonnullis auctus Amnibus, in Mare prorumpat. Circumvectis Crumerum Promontorium *Esinus* se offert: qui vulgo *Fiumesino*, id est *Flumen Esinum*: unde & Latine scribentibus *Flumesinus*. *Æsis* Plinio, Pomponio Melæ, Antonino; *Αἶσις* Straboni; *Αἶσιος* Ptolemæo, fortean inemendatius: *Αἴσαρον* videtur corrupte nominare Plutarchus in Pompeio. Oritur paullo supra Caretum & decimo infra opidum cognomine, quod Veteribus *Æsis*, milliari undis Hadriatici maris conditur. Male quidam distinguunt inter *Æsin* Strabonis, Plinij, Melæ & *Æsium* Ptolemæi, quasi hic is esset qui hodie in Vmbria *Chiazzo* dicitur, & Latine scribentibus *Chiatius*: *Æsis* autem idem cum qui vernacule *Sino* vel *Fiume-Sino*. Ptolemæus certe *Æsij* Fluminis Ostia ad Mare Hadriaticum in Sem-

*Castellanus. * Asonus. * Letus Mortuus. * Tenna. * Chientus. Flastra. Letus Vivus. * Asinus. * Potentia. * Muson. * Esinus, olim Æsis.*

in Semnonibus locat, prope Senegalliam, ut *Clitumnus* esse nequat, qui in Tiberim se evacuat. Duodecimo ab Fano Milliari *Misæ* est Ostium. Ex Apennino, ut pleraque huius tractus Fluvij, devolutus, ad Senam Gallicam Mari Supero committetur: dives cum aliis, tum *Sentino*, propter Saxi ferrati mœnia fluente. Amnem hunc Markæ Anconitanæ & Vmbriæ facere discrimen scribit Volaterranus. Octavo ab Misa lapide *Cesani* visitur in ora exitus: Inde undecimo *Metauri* est. Μέταυρος Straboni; *Metaurus* Livio, Plinio, Melæ, Vibio Sequestro: Hodie *Metro*, consentientibus Leandro, Nigro, Bonacciolo. Strabo in Vmbria locat, alij in Piceno: Valerius Maximus lib. VII cap. IV iuxta Flaminiam; Sidonius eum circa Ariminum describit: ad Senam Auctor de V. V. Inlustribus. Facilis conciliationis ratio, cui notandæ, ne sim prolixior, non immorabor. *Velox* dicitur Lucano lib. II. Eleganter Silius lib. VIII:

——rapidasque sonanti
Vertice contorquens undas & saxa Metaurus.

Misa. Sentinus. Cesanus. Metaurus.

Ex Apennino rapidissime se præcipitat, plurimumque Cantiano auctus præter Forum Sempronij perpetuo citatus fertur, & tandem tribus infra Fanum milliaribus in Mare intrat. Ad hunc Amnem Livius Salinator & Claudius Nero Asdrubalem magna victoria superarunt, ut narrat Livius lib. XXVII. Vt *Cantianus* ab Apennino ortus Incola est *Metauri*, sub Muro longe lateque patentis Leporarij ab Friderico Vrbini Regulo consepti: sic *Cantianum* ad Calium Vrbem *Bossus* ab Vmbriæ Vico Planello provolutus. Post Fanum *Argila* Fluvius in mare mergitur, sic ab Terræ genere; quod Latinis *Argilla*, quam hic in Amnis solo altam atque tenacem est videre, denominatus.

Cantianus. Bossus. Argila.

Flaminiæ nunc indagemus Fluvios. Extra Pisauri portam, quæ spectat in occasum, Amnis est *Foglia*. *Isaurus* olim plerisque: *Pisaurus* Plinio, Vibio & Siculo Flacco. Oritur Apennino, fonte iuxta Cotili Arcem: Mœniaque Pisauri adluit, ubi Pons lapideus Picenum cum Regione Flaminia sociat; moxque mari, Fluviis duobus auctus, inter eos *Albi*, inlabitur Ostio: sæpe arena, Fluctibus deferentibus, adeo completo & obturato, ut vix exiguas recipere naviculas queat. Inveniuntur ultra Isaurum ex Apennino mare petentes primo *Catolica*: inde *Vintinella*; mox *Conca*, *Crustumium* Lucano lib. II. Plinio in VIII Regione & Vibio Sequestro.

Flaminiæ, Foglia olim Pisaurus, Albus: Catolica. Vintinella. Conca olim Crustumium,

Iamnunc, quæ per Aemiliæ Campos exspatientur Flumina, videamus. In ijs primi loci *Marecia*, vel, ut alij pronunciant, *Marida*: qui iuxta muros Arimini mari miscetur: portum exiguum, modicis tantum navigiis aptum propter Vada undique maris, efficiens. *Ariminum* Plinio Procopioque. Flaminiam Aemiliamque separat. Interrumpit eamdem Aemiliam paullo post *Plusa*, *Aprusa* Plinio, Quomdam hic Aemiliæ transitus Ponte iungebatur lapideo; cuius ad hanc ætatem vestigia est cernere. Torrens succedit *Butrius*. In proximo exiguus est Amnis *Pisatellus*. Sic hodie audit, qui *Rubico* Livio, Lucano, Cæsari, Suetonio, Silio, Plinio, Itinerariæ Tabulæ, alijs: Ῥουβίκων Ptolemæo, aliisque Scriptoribus Græcis: Ῥουβίκων Straboni. De *Pisatello* sic Blondus: *Pisatellum nunc qui sub Flaminia Via; Ruconem, qui supra adcolunt, vocant.* Gaudentius Merula in sua Gallia Cisalpina scribit hac ætate ab Circumvicinis Populis materno Idiomate *Rugum*; paullo inferius, *Rugosum*, novissime non procul ab Sinu, in quem influit, *Pisciatellum* ingredi, per duo millia, iuxta Cesenam. Flumen est illud, quo antiquitus post translatos ab Aesi Amne Terminos, Italia finiebatur, auctore Plinio. Sic Lucanus lib. I.

Aemiliæ, Marecia olim Ariminus, Plusa olim Aprusa, Butrius. Pisatellus olim Rubicon,

Puniceus Rubicon quum fervida canduit æstas,
Perque imas serpit Valles & Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat Arva Colonis.

Livius citra *Rubiconem* Italiam, ultra Galliam (Cis-Alpinam scilicet) esse prodit. Videndus & Appianus Alexandrinus lib. II. Cis *Rubiconem* quomdam Militibus Ducibusque à bello redeuntibus Arma ferre non fuisse licitum legimus absque S. P. Q. R. auctoritate; qui secus fecisset, hostis Reip. iudicabatur. Docet illud C. Iulij Cæsaris, ex Galliis in Italiam parantis per *Rubiconem* reditum, Historia, quæ apud ipsum Cæsarem in Commentariis, Suetonium & Plutarchum in eius vita, Appianum Alexandrinum lib. II, Lucanum lib. I, & alios. Pertinet huc Edictum Vetustissimum; quod in Rubiconis ripa ab se conspectum, annoque CIϽ IϽ LXV, quum Venetiis Romam rediret, diligenter exscriptum, testatur in Orthographia sua Aldus Manutius Paulli F: Tale:

IVSSV.

IVSSV. MANDVTVVE. P. R. COS
IMP. MILI. TYRO. COMILITO
MANIPVLARISVE. CENT. TVR
MAEVE. LEGIONARIAE. ARMAT
QVISQVIS. ES. HIC. SISTITO. VE
XILLVM. SINITO. NEC. CITRA
HVNC. AMNEM. RVBICONEM
SIGNA. ARMA. DVCTVM. CO
MEATVM. EXERCITVMQVE. TR
ADVCITO. SIQVIS. HVIVSCE
IVSSIONIS. ERGO. ADVERSVS
IERIT. FECERITVE. ADIVDICAT
VS. ESTO. HOSTIS. P. R. AC. SI. CO
NTRA. PATRIAM. ARMA. TVLER
IT. SACROSQVE. PENATES. E. PEN
ETRALIBVS. ASPORTAVERIT. SA
NCTIO. PLEBISCI. SENATVS
VE. CONSVLTI. VLTRA. HOS. FI
NES. ARMA. PROFERRE. LICEAT
NEMINI

S. P. Q. R

* Savius, olim Sapis,
* Candianus,
* Arcla,
* Besesis,
Montonus, olim Vitis

Ne vero quis dubitet, utrum qui quomdam *Rubico*, sit hodie *Pisatellus*, an vero *Plusa* (nam illud controvertitur) expendat velim Strabonem lib. v; ubi scribit Cesenam *Isapi* Fluvio propinquam & *Rubiconi*. Sic sane res hodie se habet: Cesena non inter *Plusam* & *Pisatellum* locata, sed inter *Pisatellum* & *Savium*. Nam qui *Savius* nunc temporis, Ἴσαπις est (ut recte volunt Volaterranus, Leander & Fabricius) Straboni, *Sapis* Plinio & Silio Italico lib. VIII. Ex Apennino rapidissime delapsus, cadentibus Imbribus; Agros finitimos haud mediocriter infestat: Cesenæ muros fere adluit. Post *Sapis* Ostium Silva nobilis Pinea, vulgo *Pigneda*. Extra Pinetum *Candiani* Amnis, nunc Paludis, Ostium sequitur. Inde Torrens est *Arcla*. Mox *Bedesis* Fluvius, Plinio notus, Aemiliam secans. In antiquis Plinij Exemplaribus *Besed.* scribitur. Blondus in historiis *Roncum* nominat, & *Bidentem*, cuius in Vitis S. Hilarii & Olybrij mentio; quique, nunc Portum creans Ravennatem, Theodorici Regis temporibus, eodem Blondo non uno loco auctore, *Portilius* appellabatur. Vt autem latus unum cingit hic Ravennæ; sic alterum *Montonus*, qui huic æquali *Aquæductus*, Plinianæ *Vitis* dictus. Nascitur in Apennini jugis prope Tiberis Fontem

Langbardiæ Cu Padanæ,
* Padus,
qui olim Eridanus,
& Bodincus.
Eius Fons & Ortus.
Cursus,

Perduxit nos tandem Iter, quod ex Occidentalissima Liguria, per variorum Fluminum Ostia, circum Italiam ad penitiores Hadriatici Maris recessus instituimus littorale, in nobilissimum, quique omnes Europæ Fluvios, ut Strabo adserit, docetque experientia, præter Istrum magnitudine superat, *Padum*. Sic Latinis Scriptoribus, Livio, Virgilio, Ovidio, Tacito, aliis, Tabulæque Itinerariæ vocatur; qui Italis hodie *Po*. *Padus* dictus, notante apud Plinium Metrodoro Scepsio, quod circa Fontem Arbor multa sit picea, quæ *Pades* Gallice. Ἠριδανὸς olim Græcis Poetisque, ut Virgilio, Lucano, Senecæ, aliisque: testibus Plinio lib. III. cap. XVI, Solino in Polyhist. cap. VII, Vibio Sequestro, Polybio lib. II. Sic autem dictus, ut vult Servius, ab Solis filio Phaetonte, qui anteaquam per temeritatem in hunc fluvium esset præcipitatus, *Eridanus* fertur appellatus. Et notat hunc Plinius *Padum* Phaetontis pœna inlustratum: quam tamen Historiam Vistulæ Flumini convenire docet in Hyperboreis Goropius Becanus. *Bodincus*, teste Plinio, Liguribus vocabatur, quod Fundo careat: Βόδιγκος Polybio lib. III. *Padi* Pater Mons Vesus, Antiquis omnibus *Vesulus*; ut docet Plinius lib. III. cap. XVI. In Finibus Ligurum Gabienorum *Fonte* profluit, ut idem Plinius notat, *visendo*; non qui proprio sic nomine, ut Leander putat, dictus, sed qui visu dignus & mirabilis, ut apud Marcianum Capellam. Ex Fonte suo (quem idem Plinius lib. II, cap. CVI, mediis diebus æstivis velut interquiescentem ait arere) nulli Amnium claritate inferior profluens, per angustas confragosasque Rupes, & artas scopulosi Montis Convalles præcipitat; tantaque vi prorumpit, ut summam habeat admi-

admirationem. In Saxa hinc delabens, fragore strepituque maximo resonat. Mox in planiciem effusus Aquæ Copia, quæ versandæ Molæ Frumentariæ sufficit, temere lateque, non ullo certo Alveo discurrit, spatio trium fere milliar. usque ad Paltanam, ubi quasi Cuniculis ita absorbetur, ut exigua plane supra Terram vestigia relinquat, post alterum vero milliar. rursus exoritur ad Paracolum (in Foro Vibienti Agro, inquit Plinius lib. II cap. XVI) unde pergens Aquulas, Torrentes, Amnesque ab Alpibus & Apenninis Montibus varios colligit, quibus tandem mirum in modum auctus altusque, mediam Langbardiam & Romanulæ partem permeans, in Hadriaticum se exonerat Mare septem ostiis prægrandibus. Quia longius vomit, septem Maria efficere dictus, inquit Plinius, apud quem lib. III cap. XVI vide de Cursu plura, ut & apud Polybium lib. II, Strabonem lib. V, Pomponium Melam lib. III, Solinum in Polyhist. cap. VII, Leandrum Albertum, aliosque Novitios: inter quos optime Cursum hodiernum sic delineat M. Antonius Sabellicus lib. Histor. Venet. I. Decad. IV: *Ab ipso Fonte suis letus Incrementis, uno Alveo Ficariolum usque defluit (quod opidum est haud multum infra Hostiliam) tum vero nimia Aquarum crapula victus paullulum sub ipsius Mœnia luxuriari incipit; atque in duas scissus partes primam Insulam facit; Adcola* Polesinum *vocant, transposita, ut opinor, syllaba; ut quum* Polesinum *dicunt,* Polynesum, *id est longam seu multam Insulam dicere se credant; &, quia Ferraria non longe infra ipsum Aquarum divortium sedet,* Frariensem Polynesum *hanc vulgo nominant. Dexter Amnis, priusquam Vrbem attingat, ob pleraque Flumina, quæ brevi spatio se illi insinuant, amissas nuper vires pene ex integro reponit; quo fit, ut nova mole pressus, in ipsis oculis Civium, non præsentiam, non Vrbis ædificia veritus, quasi nova seditione turbatus, in duas divisus partes, diversus abit: fitque recentiore hoc divortio altera Insula, qua Argentia opidum, quæ item Comaclum stagnis circumdatum includitur. Dextera pars Fluminis, quum Argentinos Fines perstrinxit aversa ripa, qua Ianiolum opidum sedet, ex Foro-Corneliensi Agro Vatrenum Amnem accipit: nunc Adcola corrupto nomine Santernum vocant. Hic quasi omnis incrementi inpatiens, non multo post, ubi, circa Comaclum, ad locum venit, quem Divum Albertum vocant, tantumdem pene Aquarum, quantum ex Vatreno acceperat, temere effundit, quæ per stagna Ravennam progressæ, navigabili Fluvio in Mare dilabuntur: atque ita Ravennæ Portus, unum ex Padi Ostiis dici potest.* De reliquis ex Sabellico Portubus, paullo post: Navigabilis esse incipit Padus ab Vrbe Taurino. Propter Imolam fluere, notavit inprudenter libro Fluminum Boccatius. Inusitata eius incrementa, quæ proximis temporibus damnosa fuerunt Adcolis, notat Leander incidisse in annos, supra mille quingentos, XXII, XXIV, & XLIV. De ipsius Auctu Sabellicus, quem antea dixi: Incrementum & Auctus, *Augent ipsum vehementer, præter ipsa Flumina, liquatæ Nives, idque circa Canis ortum: nec, quum maxime intumuit, tam Navigiis est infestus: quam Agris: quo fit, ut perpetuo Adcolarum labore utrimque coerceatur Aggeribus; in eo satis vicinis Campis æquus, quod nihil ex rapto sibi vindicat. Fluviorum Rex Eridanus,* Virgilio IX Aeneidos. *Non Minor hic Nilo* canit lib. II Lucanus, cui paullo post ibidem. *Non minor hic Istro.* Padum maritimorum Commeatuum Italicis Subsidiis *fidum* vocat *Invectorem* Ambrosius. Appianus lib. I. bellor. Civilium Eridanum appellat *intimum Maris Hadriatici Sinum.* De septem Ostiis scribit loco jam indicato Plinius, quem ab aliis Scriptoribus nonnihil iuvabo & inlustrabo. Ait ille: *Quia largius vomit,* Septem Maria *dictus facere. Angusta Fossa Ravennam trahitur, ubi* Padusa *vocatur, quomdam* Massanicus Ostia. ex Plinio, *appellatus* (Παδόα Polybio dicitur lib. II, fortean vitiosius; Iornandes eam *Asconis Fossam* vocat. Novit etiam *Padusam Amnem* Virgilius lib. XI Aeneid. & *Stagna Padusæ* Claudianus: Vibius *Paindem* appellat. Fossa sane est angusta, quæ ex Pado Ravennam ducit: Hodie *Canale di S. Alberto* nominatur, Nigro teste. Extenditur in XII millia passuum, stagnans, vadosa, arta. Pergit Plinius:) *Proximum inde Ostium Magnitudinem Portus habet, qui* Vatreni *dicitur: quo Claudius Cæsar ex Britannia triumphans prægrandi illa domo verius, quam nave intravit Hadriam. Hoc ante* Eridanum Ostium *dictum est, aliis* Spineticum *ab Vrbe* Spina (σπῖνος ποταμός Stephano. *Spinonem* novit & M. Tullius lib. III, de Nat. Deorum: σπινῆτι ςομάτων καὶ ποταμῶν legitur apud Dionysium Halicarnassæum) *Auget ibi* Padum Vatrenus *Amnis* (hinc ostio nomen) *ex Foro-Corneliensi Agro* (à Pomponio videtur *Magnus Padus* appellari. Hieronymus Rubeus & Fabricius *Primarium*, Erythræus, errans tamen in vero eius Situ, *Premerinum*, *Primero* Vulgus nuncupant) *Proximum inde* Caprasiæ (hodie *Magna Vaccha*, Blondo & Leandro)

Leandro) *Dein* Sagis (quem designet, non video: nam inter Caprasias & Volanem nullus est hodie Portus: *Gorus*, ut censet in Itinere Romano Fabricius, esse nequit, quum secundus ille sit ab *Volane*, hodieque in Portuum numero sextus: expungendas existimarem, ut Glossema, duas voces, *dein Sagis*: ut & sequentes mox *à Sagi*; nisi quædam dissuaderent: ideoque notas hic adponam Iudicij vel sententiæ dilatorias ut ita loquar, N. L.) *dein* Volane, *quod ante* Olane *vocabatur* (*Volana* hodie, teste Leandro: ὀλάνα & ὀλόνα est apud Polybium lib. II.) *Inde Ostia plena*, (cubant hæc mihi in morbo: Si, quod verosimile, Plinius per *Carbonariam*, de qua mox subdit, Portum exaudiat, qui hodie *del Fornase*; præterit sane duo, quæ *Volani* & *Carbonariæ* sunt interiecta, quæ vulgo *L'Aba* & *Goro*: quorum Nomina si idem Plinius ignorans non expresserit, facilis erit medicina, si legamus *Inde Ostia bina*, nimirum quæ nunc *L'Aba* & *Goro*: sequitur in Plinio) Carbonaria (Padi Brachium, quod hic Ostium facit, omnium primum infra Ficarolum diffunditur, indeque ad *Fornaces* in Mare profluit, unde Ostium vulgo *Porto del Fornase*: ut Plinius;) *ac* Fossiones (vel *Fossæ*) Philistinæ, *quod alij* Tartarum *vocant*. Hactenus de *Padi* Ostiis Plinius: sic tamen ut *Fossiones Philistinæ*, quæ *Fossona* hodie, Leandro Fabricioque testibus; *Pistrina* autem Rhodigino, in Ostiorum Padi numero non sint censendæ; ad Athesin proprie pertinentes. Sic igitur *septem* ex Plinio, ut quidem emendandum, licet timidius, censeo, habemus *Padi Ostia*: Polybio bina tantum Παδόαν (forte Παδοῦσαν) & ὀλάναν exprimente; quemadmodum etiam patet ex iis, quæ inlustrandis Plinij verbis in medium attuli

Polybio.

Sabellico.

De *Septem Padi Ostiis* distinctissime Sabellicus lib. I Venetæ Historiæ: qui, quum probasset Ravennatem Portum unum ex *Padi Ostiis* dici posse, sic pergit: *Reliqua Pars ac longe maior* (Padi) *ex Alberto, recto ferme cursu in mare evolvitur, eiusque Ostium* Primarium *Adcolæ appellant, olim* Vatrenum *dictum ab Fluvio, qui se illi insinuat. Læva pars Ferrariensis Divortij, eo Aquarum impetu, quo ab Vrbe digreditur, non amissis, non auctis viribus, in mare decurrit; eiusque Ostium* Volanem *vocant. Inter hoc & Primarium, Ostium Comaclina Stagna habent: imo portum potius, quam* Magna-vaccam *appellant. Sed Aestuaria Maris illa sunt, quod ex Salis concretione datur intelligi. Redeo ad primam illam Fluminis scissuram, quam paullulum infra Ficarioli mœnia fieri diximus Eam ut recentem esse existimem, non tam Roberti Neapolitani Regis, & Francisci Petrarchæ Italiæ figuratio facit (in qua id Padi Divortium neutiquam fuisse Blondus adfirmat) quam Polybij, summi Viri, auctoritas: quum duobus Ostiis Padum in Hadriacum exire tradidit.* Padusa & Volane, *quæ ad eum Fluvium, cuius proxime mentionem fecimus, attinere non est dubium. Sed nunc ad reliquam partem redeo, quæ ad lævam inclinans Cursum, sine aliquo maiore detrimento, in Hadrianos Fines usque decurrit. Hic vero bifartam scissus, minor pars ad dextram flectens ipsam pene Hadriam adiuit, ac priusquam Pelagus attingat, duobus Ostiis in Mare elabitur. Id quod Volanæ propinquum est* Abbatis *vocatur, reliquum vero* Gorium. *Maioris Fluminis Ostium, quod Hadriæ sinistrum, in mare decurrit*, Pornaces *Adcolæ appellant.* Hæc Sabellicus: quibus consimilia traduntur ab Volaterrano lib. IV. Comment, Vrbanorum. Videndus etiam Rubeus Ravennatium Histor. lib. I. cap. VI. De *Pado* sic universim Facius Vbertus lib. III. Cant. XI:

Volaterrano, & aliis

Lo Maggior Serpe, c' habbia questa Terra,
Ridano è, che nasce sù inde l'osso,
Che con trenta Figliuoli nel mar si serra.
Entra come Coniglio, e và nascosso
Nel suo camino, e quando fuor riesce
Torbido corre, insino al suo riposso.
Nel Gemine, & nel Cancro, semper cresce,
Adorna il suo bel letto al quanto d'oro,
Benche ad haveri i spesso all' huom increşce.

Quod de XXX canit Filiis, legerat Poëta apud Antiquos Scriptores, Plinium lib. III. cap. XVI, Solinum cap. VII, & alios: qui Padum XXX Fluvios in Mare Hadriaticum deferre memoriæ produnt. Ego supra L. memini me numerare, ijs exceptis, qui Confluentibus illi confluunt. Non omnes recensebo. Magni hoc esset laboris, exigui

igni fructus. Præcipuos dabo. Provomuntur ex Apennini latere, versus dextram Padi ripam celebriores, *Tanarus*, *Scrivia*, *Trebia*, *Tarus*, *Parma*, *Lenza*, *Secia*, *Panarus*, *Rhenus*, *Santernus*, *Senius*, & alij. A Padi Fonte secundum Cursum ejus descendenti, post *Vraytam*, *Mayram*, *Oranam*, aliosque, occurrit, septimo quasi loco, *Tanarus*, qui hodie *Tanaro*. Plinius lib. III. cap. XVI ex Apennino: Strabo ex Ligurum Alpibus, (quod idem) jaci tradit. Fons illi modica in Valle copiosus, tribus primum dimanans Rivis; qui jactus sagittæ spatio prolapsi ad Convallis exitum coeuntes, unum creant Flumen: pergentique per angustas Montium fauces & altas rupes in planiciem postea effusus, collectis XII (quamquam XXX scripserit Sabellicus lib. IV Enead. VI) Torrentibus, quatuor una, octo altera ripa (inter quos *Pex*, *Stura*, *Porbus*, *Tiom*, *Bellus*, *Ler*, & *Vrba* vel *Orba*; *Vrbem* habet Claudianus de Bello Getico ex Conjectura Abrahami Ortelij) tandem in Padum influit. Aurum gignit: quo conflatum Torquem maximi precij, Volaterranus lib. IV. Commentar. Vrban. se vidisse scribit: ab Antonio Trotto Alexandrino, Equite Aurato, gestari solitum. Qui huic sæculo *Scrivia*, putat Georgius Merula in sua Montisferrati descriptione *Iriam* dici Iornandi; *Hiriam* Diacono lib. XVI ad Histor. Eutrop. Majoranum ibi occisum scribentibus. Ingenti cum fragore per Montes præcipitatus, eos magna vi dirumpit. Post *Coronem* inde, *Scapham*, *Copam*, *Versam*, & alios, *Trebia* se offert. *Trebia* Livio, Silio, Plinio, alijsque, Τρεβίας Straboni. Initium juxta Montem Brunum in Apennino prope Cœnobium Sandaligerulorum, instituti D. Augustini tres Aquulæ duplices creant, & quingentis fere passibus prolapsæ corrivant: unde post Amnis à Bobio in Agrum Placentinum descendens, ut Strabo quoque scribit, ultra Placentiam, Æmiliam secat Viam, ubi Ponte lateritio jungitur, *Avanto*que Torrente auctus, in Padum se exonerat. Occurrit hinc, *Nuram*, *Clavennam*, *Lardam*, cui *Longina* miscetur, *Alsenam*, *Rigosam*, aliosque transgressis *Tarus*, Plinio notus, *Taro* hodieque. Oritur Apennino juxta Zazen, & intervallo P. M. V; ab Vrbe Parma fluens, *Spurcana* suscepto, Pado coniungitur. Ex hoc ad Iuliam Augustam Parmam Coloniam duxit Fossam nobilem Scaurus. *Parma* mox sequitur, qui ex nominato sæpe Monte supra Belvederium scaturiens, inde interrupta Via Æmilia, Parmaque Vrbe ab Suburbiis divisa, in Padum defluit. Mirum ab Nemine Veterum esse nominatum. Incolam habet *Lurnum*, à quo opidum ibi, ut quidam volunt, *Colurnum* tamquam Caput Lurni. Qui *Lenza* vel *Lencia*, Boiorum Limes, *Nicia* Plinio vocatur. Male & contra Plinianum ordinem, *Niciam* Plinij Cognatus & Gaudentius Merula interpretantur *Nuram*. *Nura* enim inter *Trebiam* & *Tarum* hodie: quum *Nicia* apud Plinium inter *Tarum* & *Gabellum*. Sic Plinio dicitur, qui nunc *Secia*, vel, ut alij scribunt, *Sicia*. Viam Æmiliam interrumpit. *Panarus* Livio lib. XLI Plinioq: lib. III, *Scultenna* vocatur. In alijs Libris est *Scutelnas*. Σκουλτάνας appellatur Straboni. Ptolemæus eius, ut multorum hoc tractu, non meminit. Bernardinus Corius in vernaculis historijs Pugnam Rotaris cum Theodoro Exarcho narrans, Amnem hunc *Aemilium* vocat, cognominatque *Scultennam*: ex Paullo fortean Diacono; sed ei non *Aemilius*, verum *Scultenna Aemilia* (hanc sane Viam secat) dicitur. Appellationem antiquam *Scultenna* supra Viam Æmiliam nunc quoque retinet: infra in *Panari* mutavit. *Scultenna* Incola Fluvius est, qui *Santurnus* Frontino lib. II Strategemat. Mutinam secans. Fuit & his locis Λαβίνιος, ad quem constituisse III Viros R. P. C. Provinciasq: inter se distribuisse tradit Appianus lib. IV Civilium. Putat Niger esse, qui hodie *Fromigo*. Qui *Reno* vernacule, Plinio *Rhenus* est; *Parvus Rhenus* ad differentiam *Germanici*, Silio lib. VIII. Nascitur ultra Porrectæ Fontem in Apennino, infra Pistorium, ut notat Leander; unde descendens propter Porrectę Balnea, quorum Aquis augetur, deinde per Montes præceps ad alterum ab Vrbe Bononia lapidem accedit, perque Campos late diffusus, Agri plurimum vastat; præsertim Autumnalibus Mensibus, quum Imbrium frequentia maxime solet extumescere; denique supra Ferrariam millibus quatuor in Padum exit. *Rhenum* hunc Calamos generare tradit Plinius lib. XVI. cap. XXXVII, quibus ad sagittas nulli alij sint aptioris, quod plurima ijs Medulla insit, Pondusque volucre, contra Flatus quoque pervicax libra. Post *Savenam*, *Idicem* (qui *Isex* in Itineraria Tabula) *Schiesam*, *Santernus* est, qui Plinio *Vatrenus*: *Vaternus* Martiali lib. III. Prius Padum augebat, in Ostium eius influens, Eridanum antea, scribente Plinio, dictum, & ab aliis Spineticum, ab Vrbe Spina,

Fluvij Pado se commiscentes ex Apennino quidem prolapsi.
Vrayta, *Mayra*, *Orana*, *Tanarus*.
Pex, *Stura*, *Borbus*, *Tiom*, *Bellus*, *Ler*, *Vrba*, *Scrivia*, olim *Iria*.
Corone, *Scapa*, *Copa*, *Versa*, *Trebia*.
Avantus, *Nura*, *Clavenna*, *Larda*, *Longina*, *Alsena*, *Rigosa*, *Tarus*, *Spurcana*, *Parma*.
Lurnus, *Lenza*, olim *Nicia*.
Secia, quondam *Gabellus*. *Panarus*, olim *Scultenna*.
Santurnus.
Labinius, hodie *Formigo*.
Rhenus.
Savena, *Idex*, *Schiesa*, *Santernus*, olim *Vatrenus*.

quæ juxta fuit. *Vatrenus* adeo post ætatem ejusdem Plinij Cursum immutavit, ut hoc tempore quingentis ab Fossa Zibiola pass. in Padum cadat, ostio xx fere millibus ab illo Vetere disjuncto. Nascitur *Vatrenus* Apennino, in Silva Rhodigina, longa P. M. x; perque Foro-Cornelienfem Agrum descendens, Æmiliam Viam intersecat, duobus ab Luco milliaribus. *Senius* ex Apennino, P. M V ab Alpibus, juxta Tortum (ita locum ibi Adcolæ vocant) oriens, Viam Æmiliam interfecat, & in Padusam Paludem defluit, ubi Silva Lucina est, & Fusinianum, Calcagninorum Comitum ex Ferraria Castellum. Ignorare nolo Lectorem Fluvios, quos hactenus commemoravi ex Apennino projectos, plerosque aliis nominibus in Itineraria Tabula exprimi, nisque alios etiam conjici. Sunt illi, ut à Padi Fonte ordiar, & quo modo inibi scribuntur, recenseam, *Fevos, Latis, Iala, Varusa, Bersala, Odubria, Hadra, Nigella, Rigonus* (non dubito, quin sit *Rhenus*, de quo paullo ante) *Pasla, Saternus* (proculdubio qui *Vatrenus* Antiquioribus) *Aminus*, *Isex* (qui *Idex* hodie, si ordo pateretur) *Sinarus*: de quibus, facta etiam cum Superioribus commissione, quid dicam? Non liquet.

Senius.

Alij.

Fluvios hactenus, quos Apenninus generat, indicavi: videamus quos ejaculentur versus *Padum* Alpes. Primas inter eos obtinent, Veteribus etiam plerique celebrati, *Duria Riparia, Stura, Orcus, Duria Balthea, Senza, Ticinus, Lambrus Addua, Ollius, Mincius, Tartarus.* Post nonnullos enim obscurioris nominis Fluvios, *Pallam, Cissolam, Sançonem*, & alios, principis loci, famamque meritus occurrit *Duria*, Fluvius Plinio notus; qui quum duplex fuerit, Antiqui, qui nobis ad manum, *Riparium* nominarunt. Meminit Strabo lib. IV (cui Δουρία, ut Ptolemæo Δώρια) eum ex adversa parte Druentij, qui Rodano inlabitur, caput tollere, perque Salassos & Alpes Galliæ fluere scribens. Padum petit ad Taurinum: vulgo *Dorietta*, id est *Minor Duria.* Sequitur inde *Stura*, à Plinio etiam celebratus, Veterem appellationem hodieque servans: vestientibus ripas ejus utrimque Opidulis multis & Vicis. Malanum prætergressis offert se *Orcus*, vel, ut quidam efferunt, *Orchus* vel *Orca*. Plinius *Morgum* nominat: M. S. Codices fanius *Orgium* scribunt, nec dubium quin M. hujus vocis capiti adhæserit ex præcedentis calce. *Orsus* est in Itineraria Tabula: sed vitiosius. *Duriam*, ad cujus ripam sinistram, prope confluxum cum Pado, Crescentinum est opidum. Antiqui *Baltheam* & *Majorem* dixerunt, ad differentiam Superioris; ut merito duos hujus nominis Amnes, ex Alpibus in Padum decurrentes, Plinius nominarit. Hic caput elevat haud procul Hasturgia. *Dorta Balcia* vulgo. *Senza*, vel, ut alij scribunt, *Sesia, Sexta & Sicta*, fluvius est, qui Plinio *Sesites*. Profluit ex Alpibus supra Burgum per Vallem Sectiam, cui nomen facit. Aliquot auctus Amnibus, inter quos *Sarvis*, Padum ingreditur, juxta Villam Novam. *Ticinus* Livio, Plinio, Silio; Τίκινος Polybio, Straboni, Plutarcho, Ptolemæo, Stephano; *Ticenus* Tabulæ Itinerariæ, qui hodie *Tesino*: Finis hoc latere Insubrum, & Lybicorum initium. Oritur ex Monte Summano, qui nunc D. Gothardi nuncupatur; unde &, in diversum tamen, eunt Renus, Rodanus Athesis, & alij. Ex illo Monte per Lepontios in Austrum inter præcipites rupes ad Belinzonam opidum munitissimum fertur: inde copiosius accessione plurimorum Amnium ac Torrentium in Verbanum evolvitur Lacum, quem supermeat, ut Plinius auctor est lib II cap. CVI; ac tandem redditus per planiciem præcipua claritate Padum influit, quamquã non illa, quam ex Lacu trahit, abundantia: quum dirivationibus & fossis in irrigua passim exhauriatur. Tam est Aquis perlucidis, ut quidvis, etiam minimum, imo in fundo clare demonstret. Aurum quoque & Argentum ex ejus arena percipitur. Piscium nobilitate est inclutus, nominatim laudatissimo Thymallo. Scribit Blondus in Italia *Ticinum* ex Alpibus effluentem prius Lacu Sebino, qui nunc Iseus, dein Verbano inlabi. Falso: quod clamant, cum maximum Sebino Verbanoque intercurrens Intervallum, tum profluens ex Sebino Ollius. Notat Livius lib. V. non procul hoc Fluvio Etruscos ab Gallis, Belloveso Duce, fusos: item Pontem Romanos in eo Hannibalis expugnandi gratia struxisse: Prælium que juxta eum commissum, quo Patrem Scipio, qui postea Africanus, vulneratum cædi eripuit. Recipit cum alios, tum *Muesum*, quem Rheti die Moësa, Itali *La Muesa* vocant. Influit autem *Ticino* paullo supra Bellizonam opidum. *Lambrus* Plinio notus, nomenq; hodie servans, ab Eupili Lacu redditus, infra Larium in Padum defluit, Aquarum perpetua claritate

Sic ftrabant ceu in Longobardia Transpadana Pala, Cissola, deinde Duria Riparia.

Stura,

Orcus,

Duria Balthea

Sesia, quondam Sesites,

Sarvus, Ticinus,

Muesus, Lambrus.

tate nitens, copiaque Piscium optimorum abundans. Ex Lacu Lugano *Lambrum* effundi, scripsit imprudentor Blondus lib. xxi. *Addua* vel *Abdua* (variante scriptura, Posteriori Priorem præfero) Plinio Tacitoque nominatur, qui Α'δδύας Polybio & Straboni; *Adda* Vulgo. Cenomanos dividit ab Insubribus. Pater illi Mons Braulius. Notat inconsideratius Strabo nasci ex Adula Monte. Redditus è Lacu Lario, cujus Aquas supermeat, per planiciem in *Padum* tendit, deferens secum cum alios, ut *Pisclavonem, Meiram, Liram, Tartenem, Lecium orcum, Brembum, Serimortum* (veniam peto si peccem in ordine) tum *Serium* qui in Montibus supra Bergomum ortus, perque Serianam fluens, hibernis mensibus Cuniculis quibusdam se condit, rursusque juxta Cremam copiose exoriens, tandem in *Adduam* inlabitur: æstate tamen, liquescentibus ardore Solis Montium nivibus, adeo solet augere & abundare, ut non solum Meatus subterraneos impleat, sed etiam supra terram fluat perpetuo. *Ollius* Plinio, qui vernacule *Oglio*. Cernuntur in hoc flumine juxta Palatiolum, Castrum frequens & lautum, ubi Pons Amnis transitum jungit, magno numero Excipuli seu Loculi contexti fabricatique Viminibus, in quo annuo certo tempore, deferentibus Aquis, Anguillæ glomeratæ cadunt, quæ mirabili numero extractæ saliuntur. Ortum ejus investigare operosum. Opinio recepta est, duos modicos rivos ex Lacu Frigidulpho, qui inter Alpes est, profluere, unum ad dextram nomen Frigidulphi retinere, *Ollioque* tandem jungi; alterum ad lævam in alium Amnem præcipitari, eumque ab Adcolis *Olly* principium constitui. Alij alia adferunt. In Iseum Lacum influit, ubi Pisonium opidum; effusus in planiciem passim dirivationibus exhauritur: quibus irrigua Brixiani & Cremonensis Agri sic adaquantur, ut ex ieiunis atque calculosis opima benignaque fiant. Aquarum *Olly* perpetua claritas, nec ullo umquam tempore deficiens. Brixianum Agrum ab Cremonensi & Bergomate hac parte seiungit. Recipit alios supra xxxvii Amnes: inter quos celebriores dextra quidem *Aliowe, Delmona, Comasinus*: sinistra vero *Rinus, Sanazara, Talabia, Grinia, Mella, Naviglio, Clusius*, (Κλύσιος Polybio lib. ii: *Clesis* vitiose in Itineraria Tabula; *Chiese* vulgo) quorum tres postremi multis etiam alijs augentur Torrentibus. *Mincius* Virgilio, Straboni, Plinio, Vibio Sequestro, D. Augustino ad Dioscorum, & alijs: qui *Mencio* vel *Menzo* hodie Italis. Lacum ingressus Benacum præcipua claritate: circumdata insigni stagno Mantua, xiii inde lapide in *Padum* evolvitur. Non prætereundus hic *Atiso*: sic Veteribus appellatus, Α'τισών Græcis; *Atisi* Epitomæ Livianæ. qui *Tosa* hodie, Bonaventura Castilioneo, Leandro Alberto, Gaudentio Merula alijsque testantibus. Oritur ex Monte Iacere, non procul ab modico Lacu, supra D. Gothardi Sacellum. Nobilis est Cimbrorum clade, quos ad hujus ripam in Agro Novariensi locisque finitimis, non procul Vrbe Vercellarum & Pado, C. Marius cum Q. Lutatio Catulo Conlega, præclara victoria, cæsis ad cxl, captisq; ad lx millia, devicit. Plutarchus in Marij vita & Apophthegmat. Lutatij Catuli. Male apud Florum *Athesis*, qui dierum etiam nonnullorum itinere hinc distat, appellatur. Inprudentius item Xylander & Cruserus, Plutarchum interpretantes, *Atisonem* eius vertunt *Athesim*. *Afesia* scribitur in Itineraria Tabula pro *Atisone*, vel saltem *Athesi*. *Tartarus* denique capit tollit in Agro Veronensi, juxta Glanum, olim Græcianum: pergens, interque Paludes quasdam labens, in duo scinditur Brachia; quorum lævum ad Pontem Molinum decurrit, dextrum ad Turrim Mediam: tandem tribus ultra P.M. uno Cornu per Ostiæ Fossam, ut Priscianus scribit, in Padum deducitur. Hinc Ostium *Padi Tartarum* Plinio, quod & *Fossiones Philistinæ*, ut alibi dictum. *Fossam Philistinam* describit Priscianus, quem dixi, lib. i. Antiquit. Ferrar. Quos hactenus ab Alpibus in Padum provolvi fluvios ex Plinio ceterisque notavi, alijs indicat nominibus Itineraria Tabula, uti de adversis etiam paullo ante monui; vel quod alijs appellationibus noti essent Theodosij Imperatoris principatu, vel quod alii sint ab Superioribus, vel denique quod depravata ipsorum sit ibi scriptura. Nam certi quid statuere nequeo. Sunt autem *Orsus* (idem cum *Orco*) *Retuctelus, Vicltus, Novaria*, (an *Maior Durta?*) *Ticenus* (alius *Ticinus*) *Ambrus* (certum, *Lambrum* esse) *Vbertus, Vmatta*: qui sequuntur *Medoacus* & *Liquentia*, male in eadem Tabula in Padum trahuntur. Non autem Amnes tantum Apenninos Alpinosque Navigabiles, ut hactenus vidimus, capit *Padus*; sed Lacus quoque immensi in eum sese exonerant, quales sunt *Verbanus, Larius, Sebinus, Benacus*, de quibus suo loco.

Adduas. *Pisclavo. Meira. Lira. Tartene. Lecium orcum. Brembus. Serimortus. Serius.* *Ollius.* *Aliowe. Delmona. Comasinus. Rinus. Sanazara. Talabia. Grinia. Mella. Naviglio. Clusius. Mincius.* *Atiso, hodie Tosa.* *Tartarus.* *Orsus, & alij.*

De *Pado*, Fluviisque, suas in ipsum Vndas deponentibus, hactenus: Addam reliquos, qui ad *Padi* ripam Septemtrionaliorem ad Italiam pertinent, in Hadriaticum Sinum se exonerantes. Sunt illi, ut plerosque cum Antiquis nominem, in Marka Tarvisana, *Athesis*, *Medoacus* duplex, *Anassus*, *Silis*, *Liquentia*: in Foro Iulio, *Romatinus*, *Tilaventus*, *Sontius*, *Frigidus*, *Natiso*, *Alsa*, *Turrus*: in Istria denique *Formio*, *Draconia*, *Quietus*, *Lemus*, *Arsia*.

Marka Tarvisana.

* *Athesis*.

Athesis Virgilio in Bucolicis & Æneide, Livio, Plinio, Auctorique, qui Panegyricum scripsit Constantino: Ἀτησῖνος autem Straboni: qui Italis hodie *L'Adice*, *vel L'Adese*; Germanis Etsch. Tradit Plinius *Athesim* ex Tridentinis Alpibus profluere. Initio perquam exilis lapsu vim magnam Aquarum colligit, accedentibus passim multis Amnibus: subter Bolzanum ad meridiem versus rapido se cursu flectit: dein ab Tridento lenius nonnihil per planiciem evolvitur; at mox iterum emensis campis inter montium angustias tanta cum violentia sævit, ut omnibus, qua fluit, locis infeste minari videatur: eaque vehementia per Veronam præcipitat, infra quam in duo flumina diducitur; uno, quo Paludes petit, altero, quo in mare pertingit ad Fossiones, haud ignobilem Portum. Plura apud Leandrum. Ab Fonte Veronam usque ratibus navigabilis non est ob rapiditatem: Trabibus autem navigatur. Nam ingentes Larices Abietesque cum Asseribus maximis, aliaque prægrandia ligna compacta Tridentinis ex montibus eo deferunt: Verona porro usque ad Fossiones optime navigatur. De *Athesi* sic scribit Sabellicus lib. Hist. Venet. 1. *Athesis, ex Tridentinis Montibus lapsus, Veronam mediam intersecat: inde infra Leniacum ad Castagnarium divisus, pars illa, qua Vicum perstringit, ad dextram flectens, Tartaro ex suis stagnis emerso occurrit, qui una mixti non multum procedunt: quum alteram Athesis partem ad Maloperam majore alveo abruptam adsequuntur, atque ita uno ex pluribus fluminibus facto Rodigianam Polesinum à tergo claudunt; postremo in stagna dilapsi prorsus fluminum nomen amittunt: Athesi vero paullulum supra Marchianam Turrim in duos Amnes diviso; dexter Lendenariam Rodigiumque perfluens, priusquam ad Caput Aggeris sit ventum, cognatis Aquis, quasi in gratiam reversus, se placide insinuat: hic mixto alveo per stagna & Paludes decurrens, ubi locum, quem Turrim Novam vocant, attigit, novissime duobus Ostijs in mare evolvitur: quorum dextrum* Fossiones *vocant; lævum vero* Brundulum. Scribit in Cosmographia sua Sebastianus Munsterus, Italiam delineans, incredibilem cum aliorum Fluminum, tum præsertim *Athesis* Inundationem incidisse in Kalendas Novembris anni ab Christo nato ↄↄ xc: addens maiorem non fuisse post Noachi tempora. Evagantem extra Alveum suum *Athesim* expertus sum ipse non sine magno vitæ periculo, mense Septembri, anno cIↄ IↄLxxxv, quũ cum CL. V. Petro Brederodio comitatus in Italiam proficiscerer. Torellus in Historia Veronensi *Athesin* Ἀτρασὸν vult esse Ptolemæi. Quibusdam idem etiam cum *Athesi* putatur esse Ἀδριας. qui apud Stephanum, Eustathium, Isacium in Lycophronem, & alios.

Pinna. Anaguta. Sulsum. Kyencza. Tallerus. Nevesus. Persona. Vigisonus.

Incolas habet plurimos: inter quos dextram quidem ripam petunt *Pynja*, *Anaguta*, *Sulsum*, sinistram vero *Kyencza* (auctus cum alijs, tum *Tallero*) *Nevesus*, *Persona* notus mihi ab Vitę discrimine. Connumerandus etiam Posteriorum, *Athesi* se miscentium, Classi *Vigisonus*: qui male, quod monent Hermolaus Barbarus & Bernardinus Scardeonius, alijque, *Togisonus* apud Plinium dicitur: In hodiernum enim diem Lacum esse, qui *Visigiolo* cognomine, *Vigacolo* nuncupatur alijs. Succedit illi versus Ortum & Mare Hadriaticum Lacus Anguillaria, per *Vigisonem* Superiori quasi adnexus. *Vigisonus* hodie vernacula lingua *Sciocco* vocatur, notante Leandro Alberto. Ad reliquos, qui in mare Hadriaticum se exonerant, Fluvios venio.

* Medoacus Major, hodie Brenta.

Minor, nunc Bacchilio.

Medoacus, qui Μεδόακος Straboni, duplex apud Plinium: *Maior*, qui Leandro alijsque *Brenta*: *Minor*, qui *Bachilio*. Major *Brentesia* vocatur Auctori de Progenie Augusti. *Brintam* novit hoc etiam loco Fortunatus. Manet antiquum *Medoaci* (cuius etiam mentio apud Livium; quemque *Meduacum* nominat Itineraria Tabula) nomen hodie in *Metamauco*, Venetiarum Portu. *Brenta* principium ab tribus simul Lacubus, decimo fere ab Tridento lapide, constitui, ipse aliquando meis oculis vidi. *Bachilio*, quem *Bambilonem* quidam Latine vocant, ab Alpibus, quemadmodum *Brenta* profluit Tridentinis, per planiciem ad Vrbem Vicentiam: eamque percurrit. De cursu tam *Brentæ*, quem *Bachilionis*, tale Schema posuit in Apodemica Methodo CL. V. Theodorus Zuingerus:

Brenta

- *Brenta ex Tridentinus Alpibus delapsus, Limine, quinto ab Urbe (Patavio) miliari dividitur. Et Alveo quidem.*
  - *Dextro Patavium fertur, ubi Onerarias Naves excipit.*
  - *Sinistro Roslam petit. Ibi obiecto obice, rursus in Alveos duos divisus,*
    - *Sinistra Vicum Stratum adluit.*
      - (with the Dextro branch:) *Coniunctu viribus ad Daulum Vicum fluit: ubi rursus, opposito obice partim*
        - *Dextra Mare petit.*
        - *Sinistra Mole inserviens & transmissioni Onerariarum, Lizesusinam adit, ubi obice novo deflectens (per quem Oneraria machinis in Aestuaria transmittuntur) tandem in lacunas erumpit.*
    - *Dextra per* Brentillam Fossam *Patavium fertur; & non longe a Moenibus* Bacchillioni *iungitur.*
      - (with Bachilio:) *Coniunctus uterque, & denuo divisus, ad*
        - *Laevam partim*
          - *Moenia circumluit.*
          - *Urbem ingreditur.*
        - *Dextram per Agrum decurrit Patavinum: Batalcam usq.: Ibi rursus divisus, alveo*
          - *Maiore ad laevam, Bubulentam petit, & Brentae iunctus in Mare fertur; Portum faciens Metamaucum.*
          - *Minore ad dextram Montem Silicem, Athestem, Montem Antianum alluens, ad Fraxinum Portum perducit.*
- Bachilio, *ante* 15 *annos* Retronus *dictus (ut videatur nomen Germanicum esse) ex iisdem Montibus ortus, Urbi adpropinquans,* Brentellam *recipit:*

Addit deinde idem Zuingerus, diligentissimus locorum hoc tractu prælustrator, in *Medoacos* exonerari *Musenem*, *Tergulam*, *Lavendulam*, *Rusticam*, *Margenicum*, Rivos amœnissimos & fœcundissimos, qui à Septemtrione suos habent Fontes ad Campum S. Petri Bembi carminibus celebratos. Adscribit item *Pluvicum* & *Rosatam*, Nonianam Villam Bembi radentem: *Tesinam* denique, *Pudinam*, *Cerisonum* & *Scandolam*, irrigationi Molisque deservientes. Certe Patavinum Territorium ita ab *Medoacis*, aliisque Fluviis & Amnibus passim est scissum; ut, qui quos recipiant, quique contra quos dominentur & principatum obtineant, distincte diiudicare quis nequeat. Medoacis succedit *Anassus*: Sic Plinio dictus, qui hodie, ut Leandro, Sabellico, Cynthio Acedensi, & Ioanni Flaminio videtur, *Plavis*, *Piave* vulgo: quem tamen *Tiliaventum Minus* esse putat Ioannes Candidus: *Brentam*, Castaldus; *Lugnanum* Marius Niger; *Stellam* esse volunt alij. *Plavis* etiam mentio apud Diaconum & Fortunatum. Oritur Alpibus, & medius inter Feltrium Bellunumque per confragosas Valles inquietus præcipitat; nec prius mitescit, quam in apertos Campos evolutus: quamquam sic quoque citatiore cursu inter Trinos Portus, & Liquentiam in Mare deferatur, ut lib. III. de situ Urbis Venetæ scribit Sabellicus. Quum in planiciem evasit, Flaminius Imolanus auctor est, iterum rapido fluxu ab D. Salvatoris Altoque Colle provectum, mox in duo Cornua scindi tantæ altitudinis, ut haudquaquam vado transiri queant, sed opus sit navigio: ac dein in Mare se effundere. *Plavis* vel *Anassi* Incolæ, cum alijs, sunt *Varamus* & *Silis*. *Varamus* apud Plinium, ut Blondus & Volaterranus censent, est, qui *Calorus* hodie. Hunc ex Alpibus, quos Germani habent, orientem, quinque, aut circiter, augent Torrentes. *Varramus* scribitur in quibusdam Plinij Codicibus, dupliei R. *Silis* Plinio, qui vulgo *Sil.* Erumpit, notante eodem, ex Montibus Taurisanis. Olim Venetiæ finem initiumque Carnorum fuisse testatur idem Plinius. *Liquentia* Plinio, *Licenna* corrupte in Itineraria Tabula; qui nunc *Livensa*. *Liquetis* est apud Virgilium; probante scripturam hanc Servio, improbante Erythræo. Oritur ex Montibus Opiterginis,

Musa, Tergula, Lavendula, Rustica, Margenicus, Pinicus, Rosata, Tesina, Tudina, Cerisonus, Scandula.

** Anassus, qui nunc Piave.*

Varamus hodie Calorus.

Sile.

** Liquentia*

haud longe à Palcinico, Fontibus quibusdam, qui eodem prope loco largissime prorumpunt; & hinc adeo lenis fluit, ut vix commoveri videatur; uti Sabellicus in Carnorum Chorographia, librisque de Vrbis Venetæ Situ, itemque Candidus & Amaseus in Aquileiensibus Commentarijs, exque ijs Leander Albertus in Marka Tarvisina, memoriæ produnt. Dividitur post in Cornua duo, quibus in stagna se condit ea, ubi Insula Æquilij modico ab Continente freto submovetur: uno enim hanc abscindit, altero autem in Paludes Insulæ Caprularum vicinas præcipitat: ibique Portum creat *Plavis* ab Ostio ejus cxl fere stadio.

Fori Iulii.
* *Romatinum*, hodie *Leminus*.

Ad Forum Iulium pertinent *Romatinum*, *Tilaventum*, *Sontius*, *Frigidus*, *Natiso*, *Alsa*, *Turrus*, & alij. *Romatinum*, vel, ut alij scribunt, *Romatum* Plinij, *Leminem* dici vernacule notant Candidus, Amaseus, & Leander. Blondus ita nominatum scribit ab *Limite* Fori Iulij & Markæ Tarvisinæ. Exsurgit in Carnis, ut Sabellicus indicat, lib. III de Situ Vrbis Venetæ, moxque medium Portum Gruarium interfecans Concordiamque præstringens circa Caprulas mari infunditur. *Tilaventum* (quod Τιλάουεντον Ptolemæo; *Tilabinte* vitiose in Itineraria Tabula) apud Plinium duplex est: *Maius*, quod ab Indigenis *Tigliamento*; *Minus*, quod *Stella* dicitur. *Maius* ex Monte Mauro nascitur supra Vicum Phornium, ubi Fons mirabilis, in quo Lignum dejectum lapideo cortice obducitur, & Virgulta Foliaque immersa lapidescunt. Amnes defert *Buttium*, *Decanum* & *Fellem*; deinde ex angustis Alpium faucibus emergens, flumen *Hydram* accipit ex Agro Glemonensi; mox *Arginum*: quorum accessione navigabilis efficitur. *Minus* (hodie *Stella*) nascitur paullo infra Quadrinum, Cuniculis quibusdam ex *Maiori Tilavento* derivatus, ut auctor est Candidus. Aliter Sabellicus lib. III de Situ Vrb. Venetæ, oriri in Carnorum Campis, magnaque ex parte corrivationibus Aquarum palustrium conflari scribit: Quod etiam Gregorius Amasæus in Regionis pictura videtur confirmare. Profluit ad Palatiolum tanta cum Aquarum mole, ut magnas naves capiat: sicque in Mare evolvitur. *Sontius*, cujus mentio apud Paullum Diaconum lib. XVI ad Eutropium, & Cassiodorum lib. I Variar. ad Domitianum & Voilam, fontem in Alpibus habet juxta Iapidiam, quæ nunc Carnia vel Carniola: primum vero per præcipites rupes Vallesq; confragosas in occasum Solis hibernum tanto cum impetu & violentia provolvitur, ut ad cxx pene stadium nec pedibus, nec iumento transitum patiatur: dein crescens perpetuo stadia fere LX per Vallem Plitianam conficit: post eodem amplius spatio per asperrimas fauces ad Caporetum defertur, ubi Pons eximius Arcu uno pedum LX transitum jungit: hinc Vallem Caporetinam LXXX paullo minus stadiorum emetitur, multo lenior, adeo ut ubique transmittere commode liceat: porro circa finem hujus longissimæ Convallis apud Tulminam, Amnem excipit *Tulminam*, eoque non procul alium ex angustis faucibus prorumpentem *Hydram* insignem fluvium, ubi Argenti Vivi Metalla sunt: deinceps LXXX fere stadijs per Vallem Sontij, quam vocant Roncinam, labitur ad Pontem trium Arcuum, juxta quem annis superioribus Turrim struxit Goritianus Comes: hinc per artas Valles è regione Goritiæ, ubi Pons tribus Pilis lapideis innixus, lenis XL paullo amplius stadia defluit, usque dum Amnem *Vipavum* (qui *Frigidus* Antonino, Itinerariæ Tabulæ, & Claudiano in Panegyrico III Consulatus Honorij; Φρίγιδος Socrati in Histor. Ecclesiast. & Nicephoro Callisto; Germanis Wipach) colligat, ex Alpibus per finitimam Goritiæ Vallem accedentem: quo recepto navigabilis efficitur usque ad mare stadijs cxl. Tot Amnes Incolas deferens non procul Aquileia *Natisoni* inlabitur: nomen tamen nunc perferens; *Natisonis*, qui una in mare desinit, exstincto: quamquam Candidus animadverterit è contra Veteres flumen hoc in Mare pertingens *Natisonem* appellasse, non *Sontium*, uti nunc omnibus dicitur. Qui *Natiso* Plinio Melæque; Νατίσων Straboni & Ptolemæo; hodieque *Natisone* dicitur. Oritur Alpibus post juga Ventionis ad Occasum Solis æstivi Solstitij versus, & LXXX fere stadijs prolapsus tum in Occasum hibernum flectit, Civitatemque Fori-Iulij mediam secat: mox ad orientem incedens post cxx fere stadia *Sontio*, quod dixi, Flumini inlabitur. Commiscentur illi *Amphora*, *Ansa*, *Turrus*. Qui nunc *Ansa*, Plinio & Sex. Aurelio in Annibaliano, Constantio & Constantino *Alsa* vocatur; *Alsuanus* Cassiodoro lib. IV Variar. *Alpe* Codicibus Paulli Diaconi M. S. lib. IV. cap. X. Nam in Excusis *Plave* legitur; *Alpha* corrupte in Historia Miscella. *Turrus* Plinio, qui

Torre

* *Tilaventum*, quod *Maius*, hodie *Tigliamento*, recipiens *Buttium*, *Decanum*, *Fellem*, *Hydram*, *Arginum*; * *Minus*, hodie *Stella*.
* *Sontius*.
Tulmina.
Hydra.
Vipavus olim *Frigidus*.
Natiso.
Amphora.
Ansa.
Turrus.

Terræ Adcolis; originem trahit ex Montibus Tarcentinis, & Natisoni infra Civitatem inlabitur. Post *Sontiam* ostium est *Triverini* Amnis, qui olim (ut censet Leander, legendus omnino) *Timavus*. [*Tiverinus. olim Timavus.*] De vero *Timavi* loco magna est inter Doctos ævi superioris nostrique controversia. Blondus variis argumentis *Timavum* eumdem facit cum *Brenta*. Contentiones præterea, brevitatis gratia, quæ inter Georgium Merulam & Domitium Calderinum: item quæ inter Flaminium Imolensem & Joannem Baptistam Pium Bononiensem. *Antenoreus* cognominatur ab Lucano lib. VII: *Euganeus* ab Martiale. Celebrant Livius lib. XLI; Virgilius I. Æn. L. Florus, Plinius lib. III. Pomponius Mela lib. II, & alij. Describit diligenter Strabo lib. V.

Supersunt pervestigandi Istriæ Fluvij, *Risanus*, *Draconis*, *Quietus*, *Lemus*, *Arsia*. [Istriæ.] Qui *Risanus* hodie, Φορμίων dicitur Ptolemæo, testibus Vergerio & Leandro. *Disinum* apud Nigrum, & *Cisinum* apud Blondum atque Volaterranum sequiores fecit ab *Risano* Typographorum incuria. [*Risanus olim Formio.*] Cuidam Anonymo in Tabula Venetijs excusa *Alben* vocatur; ut & Wolffgangus Lazius appellat. [*Draconis*] Hoc fortean Germanorum, illud Italorum est Idiomatis. *Draconis* nomen ab tortuoso sinuosoque lapsu, quo Draconi adsimilatur. Inlabitur in Sinum Largonem. Qui *Quieto* Incolis, Latinis huius ævi *Labatus* nominatur; Italis *Laboso*; Germanis Laybach; [*Quietus vel Labatus.*] Dalmatis *Lubeana*. Putant Blondus, Vergerius & Leander Fluvium hunc Antiquorum esse *Nauportum*, cuius meminit Plinius; sed contra sentiunt magni Viri. Profluit *Quietus* vel *Labatus* ex Alpibus, interque Montes præcelsos millia fere XII conficit: ab Taberna vero navigatur usque ad Mare: nam supra Tabernam, quæ prope circa medium eius est, palustribus impeditur Vadis; sed infra commodam habet altitudinem, ut Fluvius appellari queat. *Lemus* Euripus magis, quam Flumen videtur. [*Lemus.*] Inter Montes rapide fluit, saltusque est usque ad Tabernam: inde supra quomdam ad Castellum geminum opidum flexuoso per Montes Alveo videtur accessisse, &, quamvis nunc in Tabernam Aqua non influat usque ad Castellum geminum spatio millium V, pestilens tamen eo *Lemi* aura pervenit. Os *Lemi* latuum est pass. mille, longum octo usque ad Tabernam, altitudine præcipua, & quæ nec modicis conveniat navibus. Qui *Arsia* Plinio & Itinerariæ Tabulæ, Ἄρψια apud Curopalatem in Maximo; nomen hodie servat, *Arsa* dictus. [*Arsia.*] Terminus est Italiæ. Effluit ex Cosliaceno Lacu; definitque in Carnarium Sinum Ostio lato passibus mille: navigatur ab mari navibus onerariis ad sex millia; dein spatio millium IV modica tantum fert navigia. *Istrum* hic omittam, quem *Istria* fluvium nobis comminiscuntur cum alij, tum Diodorus Siculus, & Pomponius Mela: hic etiam addens, *Istrum* ex adverso Padi ostio in mare effluere, idque ratione duorum Fluminum Alvei dulce existere. [*Ister.*] Sequutum eos video Paullum Diaconum lib. II. Langbard. qui hunc etiam *Istrum* nominat, adscribens ampliorem eum, quam nunc, olim fuisse. *Istrum* autem fabulosum esse docet Plinius lib. III. cap. XVI: *Istriam cognominatam tradunt à Flumine* Istro, *in Hadriam effluente è Danubio Amne: eidemque* Istro *ex adverso Padi fauces, contrario eorum percussu Mari interjecto dulcescente, plerique dixere falso, & Nepos Cornelius etiam Padi adcola. Nullus enim ex Danubio Amnis in Mare Hadriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam Argo navis flumine in Mare Hadriaticum descendit; non procul Tergeste: nec tam constat* (si verum tamen illud) *quo Flumine. Humeris transvectam Alpes, diligentiores tradunt: Subiisse autem* Istro, *dein Sao, dein Nauporto, cui nomen ex ea caussa est, inter Æmonam Alpesque exorienti.* Dom. Marius, aliique de *Istro* persuasi, eumdem esse illum cum Plinij *Nauporto* putant, & hodie *Quieto* dici. Sozomenus, Zosimus & Callistus, ut Ortelius notat, Ἄκυλιν vocant; ex quo *Aquilum* & *Aquilam* ipsorum fecerunt Interpretes.

CAPVT XII.

Italiæ *Lacus, Paludes, Stagna, Fossæ, Fontes, Aquæ.*

Lacus Paludes, Stagna &c.

MONSTRATIS, quæ per Italiam sunt, Fluminibus; sequitur, ut nonnulla diligentia fideque *Lacus* aperiam, non quidem omnes, sed nominatissimos, quique Veteribus etiam noti: adscripturus eodem capite singulis Regionibus propter similitudinem, quodque sæpe confundi consueverint, quæ *Paludum, Stagnorum, Fossarum* & similium appellatione celebrantur: servato, quem in ipsis Regionibus paullo post fere sum sequuturus, ordine.

Liguria.

Ravenna.

Est igitur in Liguria, ab Albingauno quingentis fere passibus, ad Montis pedem, Lacus exiguus *Ravenna:* in quo circumiectis è iugis delabentes Aquæ stagnant. Piscibus fœcundus est optimis.

Etruriæ. Trasumenus, hodie Lago de Perugia.

Visuntur in Etruria non pauci. *Trasumenus* Livio, aliisque: *Trasimenus* Silio lib. v. dicitur: qui hodie ab Vrbe vicina *Lago de Perugia.* *Trasimena Vada* appellat idem Silius lib. xi; *Lydia* lib. xiii, *Tyrrhena* lib. xvii. *Clitorius* nominatur apud Diaconum in Langbardicis, mendose. *Anno* etiam Antiquis, ut innuit Silius lib. v. in cuius veteribus libris legitur *Anno.* Appiano in Hannibalicis Πλεστῖνις appellatur. Mirum apud Cosmographos *Trasumeni* memoriam non referri, quum tamen perinsignis sit: ab Historicis sane supra modum celebratur: propter Cladem, quam ad eum Romanis intulit Pœnorum Dux Hannibal, haud procul Opido, quod ab ossibus Romanorum *Ossaria* dictum creditur. Legendi Polybius lib. iii, Livius lib. xxii, Plutarchus in Vita Hannibalis, Plinius lib. xv cap. xviii, & lib. xxxvii. cap. i, Strabo lib. vi, Lactant. lib. ii, cap. xvii, Silius Italicus lib. ix, Augustinus lib. iii de Civit. Dei cap. xix, Valerius Maximus varijs locis, Frontinus lib. ii Strateg. cap. v, Auctor de VV. Illustr. cap. xlii. Scribit de hoc Lacu Campanus, eum in suo ambitu complecti circiter xxx P. M: lucidum esse & perspicuum, nec alienas recipere Aquas, nec refundere suas: Insignem Aquæ esse Suavitatem, adeo ut vivo manare fonte videatur: Tribus Insulis adornari; earum duas sibi fere contiguas ad Septemtrionem vergere, unamque *Maiorem,* alteram *Minorem* vocari; Hanc incultam & desertam, Templum tantum ferre in acumine; Illam, quæ ad Cortonensem spectat Agrum, ducentis prope familiis habitari: Tertiam, quæ versus Meridiem consistit, maiorem ceteris hominibusque frequentem esse: Incolas solis fere Piscationibus incumbere: Frumentum vix serere, Vinetorum plantationem & curam non negligere; Lignatum pabulatumque in finitimos Campos Silvasque egredi: Insularum mentionem fieri in Archivis Ludovici I Imperatoris; ibique eas vocari *Maiorem, Minorem* & *Pulvensem.* Addit idem, Piscium genera in Lacu non esse multa: copia tamen inaudita; eaque ceteros Italiæ Lacus antecellere: Piscationes fieri toto anno, etiam ipso Brumæ tempore, quod nullus alius admittit in Italia Lacus: Pisces advehi hieme ad Etruscos, Vmbros, Picentes; Romam quoque plurimos quotidie ab iumentis comportari: Lucium ibi capi vario colore, & quasi viridibus adspersum maculis; eum coire cum Serpentibus, indeque hunc varium sortiri colorem. De Piscatione totius anni negat Leander, scribens ab Kalendis Novembribus usque ad Pascha tantum concedi: ceteris vero temporibus, ut, quum opus est, abundantiam captura suppeditet, esse interdictam. Hunc Lacum aliquando totum arsisse tradit Plinius lib. ii. nat. histor. cap. cvii.

Aprilis, hodie Fangosa Palude.

Aprilis Lacus Antonino vocatur, qui hodie *Fangosa Palude,* ut notat Leander: *Lago di Castiglione* dicitur in Tabula Tuscana Hieronymi Bellarmati. Nomen illi ab Amne *Prile.* Confundunt eum cum *Orbitellio Lacu* Flavius Blondus & Niger: male, quum *Orbitellum,* à quo denominari videtur, non ad hunc Lacum sit situm, sed ad *Marinum,* prope Montem Argentarium

Marinus, nunc Orbitello.

Marinus ille, qui & *Salsus,* Λιμνοθάλαττα ab Strabone lib. iii nominatur: *Lago d'Orbitello* vernacule, ab opido, cuius ante memini, ripæ ipsius adposito. In Mare quibusdam faucibus se exonerat. Ante eum Cherrhonesus ingens seu Promontorium in Pelagus excurrit; *Monte Argentato* Adcolis.

Vadimonis, vulgo di Bassanello.

Fuit haud procul Tiberi *Lacus,* qui *Vadimonis* Livio, aliisque. Eum Leander esse censet, qui vulgo *di Bassanello,*

Bassenello, tribus ab Horta P. M. in amœna planicie. Certe iuxta Amerina Prædia locant Plinius lib. II Nat. Hist. & alter lib. VIII. Epist. ad Gallum suum, ubi eius innatantes describit Insulas. Antonius Massa notat eum in Agro Opidi Bassani esse, haud procul à Tiberi sub Collibus Amerinis. *Vadimonis* tamen *Lacum* Blondus putat eum, qui nunc *Montis Roset:* nonnulli eum, qui hodie *Bacchani*; alij alium. *Lacus Viterbiensis, di Viterbo*, est Fabricio; qui hactenus *Vadimono* appellari scribit. *Ciminius* Italiæ *Lacus* apud Volsinios Straboni: hodie *Lago di Vico:* notantibus Pomponio Sabino, cum circa Sutrium ponenti; Leandro, qui *Elby Lacum* ab Antonino dici addit; & Nicolao Erythræo, cui etiam *Lago de Roffillon* nominatur. Meminerunt Virgilius lib. VII Æneid. & Silius lib. VIII Belli Pœnici. Nomen ab *Cimino* Monte, de quo alibi. De eius Origine sic Servius: *Hercules, inquit, quum ad hos populos aliquando venisset, & à singulis provocaretur ad ostendendam virtutem, ferreum vectem, quo exercebatur, defixisse dicitur: qui quum terra esset adfixus, & à nullo potuisset auferri, etiam rogatus sustulit, unde immensa vis Aqua sequuta est, quæ* Ciminium Lacum *fecit*. *Bulsinus Lacus* Procopio & Agathiæ; *Volsiniensis* Plinio; *Vulsiniensis* Columellæ: qui iamnunc *Lago di Bolsena*. Circuitus eius XXIV milliar. Piscibus abundat; præcipue Anguillis. Est in eo Insula, modica quidem, at fertilis & peramœna: nobilis cæde Amalasiunte. Vide Procopium libro I Belli Gothici. Sabatus, Σαβάτος Straboni; *Sabatinus* Columellę, qui vulgo ab adiacentibus opidis, *Lago de Braciano*, uti censent Iovius & Leander; vel *d'Anguillara*, ut Blondus. Platina Latine vocat *Angularem* ab *Angulis* & Trigoni forma, quam habet: Plinio *Lacus Tarquiniensis* nuncupatur: *Sabatia Stagna* Silio Scribitur ab hoc Lacu quomdam Sabatina Aqua Romam ducta. Septimo ab Luco lapide *Palus* est *Bientina*, ab opido adsito dicta, quomdam in Lacum ab Florentinis conclusa; cui opidum imminet *Monte Carlo*. *Caldana Palus* haud procul est Plumbino. Nomen inditum putatur, quod calidas ecfundat Aquas. Memoratur fortean à Plinio lib. II, ubi Patavinorum Aquis calidis herbas innasci virentes, Pisanorum Ranas, ad Vetulonios in Etruria non procul à mari Pisces, notat. Cornia, qui ab Monte Rotundo per Agrum Campilianum profluit, recepto, in Mare se exonerat, optimis fœcunda Piscibus. In Aretinorum Agris *Palus* est *Ciana*, quam Plinius de Tiberi scribens, *Glanem* vocat; Appianus Alexandrinus lib. I. *Glanium Fluvium*, Instar habet lenti admodum & pigri Amnis, quam ob causam *Paludem* potius, quam *Flumen* dici debere scribit in libro Fluminum Boccatius. Adcolis perquam noxius est Aëris gravitate, quam, ut ante dixi, ob cœnosa Vada creat. *Aretinum Stagnum* videtur nominari ab Obsequente, quia Palos hæc Aretio vicina.

Ciminius, hodie di Vico. — *Vulsiniensis, Vernacule di Bolsena.* — *Sabatinus, nunc Lago di Braciano vel d'Anguillara.* — *Palus Bientina.* — *Caldana.* — *Clanes.*

Sunt & sui Latio Lacus. *Hostia Lacum* habet Obsequens de Prodigiis ex Livij lib. XXVIII. *Stagno* vulgo vocatur. Inter Marinum & Albam Longam *Lacus* est *Albanus*, cuius meminit Livius lib. V. Hodie *Lago di Castel Gangolfo*, ab opidulo *Gangulpho*, Lacu imminente, Veteris Albæ fundamentis imposito, cognominatus. Lacus hic ille est, de quo Vates Veiens Populo Romano cecinerat, priusquam ex *Lacu Albano* Aqua emissa foret, numquam potiturum Veiis Romanum, ut memoriæ prodit Livius libro, quem indicavi. Ex hoc stagno per Fossam opere factam Amnis exit, non quidem frequentibus Aquis; sed qui propter locum fluens, ubi D. Paullus securi percussus creditur (*Tres Fontes* hac memoria vocant) *Paludem* efficit, *Aquas Salvias:* ubi Monasterium D. Paulli, teste Adone. Quod tertio sit ab Vrbe Lapide, & *Gutta iugiter manans* appelletur, testis est Baronius in Annalibus Ecclesiastic. *Aqua Silvia* leguntur mendose in Vita S. Gordiani. Ab Lacu Albano P.M. IV. Aricia est; totidem inde inter Montes *Lacus* vel *Stagnum Nemorense*, quemadmodum, ut magni Viri censent, Suetonius cap. XLVI appellat, quum Cæsarem in *Nemorensi* Villam ab fundamentis inchoatam, magnoque sumtu absolutam, quia non tota ad animum responderat, diruisse scribit. Hodie *Lago di Nemo*, ut notat Erythræus; vel, ut vult Ciofanus in Ovidium, *Lago di Iensano*. *Trivia Lacus*, Virgilio lib. VII Æneidos; scribentique in eum Servio, *Speculum Dianæ:* Aliis *Aricinus*, ab Aricia Vrbe; *Hippolyti*, Statio lib. III. Silvar. *Dianæ Stagnum* Ovidio III Fast & XIIII Metamorph. Instar Pelagi fluctuare notat Strabo. *Iuturnæ Lacus* Ovidio lib. II Fastorum, qui *Viturna* Symmacho, corrupte, lib. I. Epist. LXXXIX. *Iuturna* Virgilio lib. XII Æneid. ad quem Servius Fontem esse docet Italiæ iuxta Numicium Fluvium. Gyraldus

Lacus Hostiensis. — *Albanus.* — *Aqua Salvia.* — *Lacus Nemorensis.* — *Iuturna.*

Gyraldus scribit ab nonnullis statui eo in loco, qui nunc vulgo *Treglio*, eosque non infirmis niti rationibus. Meminerunt Valerius Maximus, L. Florus, Lactantius, alij. Alius fuit *Iuturnæ Fons* in VIII Vrbis Regione, testibus P. Victore & Paullo Marso. *Regillus.* *Regillus*, ut indicant Plinius lib. III, Livius lib. II, Florus lib. I, Latij *Lacus* est, in Agro Tusculano ad Algidi Nemoris ingressum: Hodie, testibus Iovio & Leandro, *Fucinus.* *Lago de S. Prassede*; Nardo *de S. Severa*. *Fucinus* Virgilio lib. VII, Tacito lib. XII Annal. Plinio lib. III. Φουκῖνος Dioni & Straboni, Φόρκη commentanti in Lycophronem Isacio; qui hodie ab locis adiacentibus *Lago di Marso*, id est *Massicum*, quod *Marsorum* gentis, ut scribunt Niger & Volaterranus; *Lago di Celano*, uti censent Leander & Andreas Baccius, *Lago di Rossillon*, vel *di Tagliacozzo*, ut Erythræus interpretatur. *Albanum* etiam quidam vocant, quod prope *Albam Albensium*. Stadia ab Vrbe quingenta ad Lacum hunc numerat Isacius. Haud longe ab Liri Flumine fuisse videtur ex lib. XII Annalium Taciti. Pisces in eo reperiuntur pinnis octo; quum ceteri quatuor tantum habeant; quod à Plinio inter Miracula commemoratur. Fluvium *Invectum* Fucinum Lacum transire, tradit idem Plinius lib. II. nat. hist. cap. CIII. *Fucini Lacus* Emissionem in Tiberim concepit C. Iulius Cæsar, non incepit, Suetonio scribente in eius Vita cap. XLIV; nec rite perfecit Claudius, de quo Dion, Plinius lib. XXXVI cap. XV, Eusebius in Chronico; quoniam manus postea admovit & Hadrianus; teste in vita eius Spartiano. Consulendi de hoc *Lacu* Petrus Marsus ad *Pontina Palus.* VIII librum Silij Italici de Bello Pœnico & Leander Albertus in Italia. *Pontina* vel *Pomptina* (variat enim scriptura) *Palus* etiam in Latio describitur à Plinio. Meminit cum aliis Iuvenalis. Sic Lucanus lib. III:

> *Et qua Pontinas Via dividit uda Paludes.*

Saturæ Paludem apud Virgilium VII Æneid. esse putant Hermolaus & Erythræus: Sic Silius lib. VIII:

> *Qua Saturæ nebulosa Palus restagnat, & atro*
> *Liventes cœno per squalida turbidus arva*
> *Cogit Aquas Vfens, atque inficit æquora limo.*

Hodie *Aufente Palude*, Leandro teste. *Decennoniæ Paludes* videntur dici, ut Celsus Cittadinus censet, Cassiodoro lib. II Variar. ad Senatum Vrbis. Vide paullo post Inscriptionem. Nomen à *Pontia* Vrbe deductum putat Strabo. Fit Palus ex Amnibus duobus, Aufido, ut Strabo vocat, aut Vfente, ut Plinius, & altero Minore. Circa Tarracinam esse docet Festus: circa Forum Appij, Vibius, cui *Pontinia* nominatur. Longitudo XXVI milliaria amplectitur; Latitudo VI. *Pontinam Paludem* XXIV Vrbium fuisse, tradit ex Muciano Plinius, Neque mirum tot Opida spatio milliarium VIII, vel paullo maiore exstitisse. Antiquis enim temporibus Civitates erant vel opida potius, ut hodie sunt Vici. *Paludes* hæ fertilissimi quondam *Pometini* erant *Campi*. Sic Livio aliisque appellantur, qui *Pontini* Silio lib. VIII; *Pometinus Campus* Straboni; *Pontinus Ager* Floro lib. I. Hist. Rom. cap. XIII, & Agellio lib. IX. noct. Attic. cap. XI. Neglectis quippe Viis, quibus Aquæ huc propter Loca depressiora confluentes in mare se prius exonerabant, neque stagnare, ut nunc, poterant, Campi in palustrem hanc formam sunt redacti. Livius lib. XLVI ab Cornelio Cethego cos. Aquas quondam egestas maiore ex parte, Agrosque ad culturam reductos scribit. Postea tamen iterum, neglectis meatibus, effectæ Paludes; quas Theodoricus Rex Gothorum exsiccavit. Testatur Tabulæ Marmoreæ Inscriptio, Tarracinæ exstantis, quam Roma sibi missam ab Philippo Winghio scribit Ortelius: CAEC. MAV. BASILIVM. DECIVM. V. INL. ET. ORDO. PAT. EXSICCASSE. PALVDES. DECENNOVII. VIÆ. APPIÆ. A. TRIF. VSQ. TERRACENAM. Nunc denuo, nullo patente Aquarum ad Mare exitu, Amnes Fontesque plurimi vicinis *Fundanus Lacus.* è montibus orientes hic, ut Leander notat, stagnant, ingentemque faciunt Paludem, P. M. ab Roma distantem XL. *Fundanum Lacum*, partem quasi Pontinæ Paludis, habent Tacitus & Plinius, Pisces in eo capiuntur multi, cum primis raræ magnitudinis Anguillæ. Hodie Solum ibi esse Palustre, ita tamen ut Ædificiorum Vestigia ruinæque cernantur, scribit Hermolaus Barbarus; cui, ut & Lean- *Tiburtinus.* dro, vernacule *Lago de Fundi* vocatur. Vno ab Tibure milliario Lacus est, cuius Aquæ sulphureæ, in quo Insulæ natantes hodie spectantur cum Capris & Vaccis sese pascentibus. Mirantur insolentiam Adcolæ; non Batavi nos, quibus magna

natat pars Bataviæ cum Opidis, Pagis, Vicis, Incolis, Viatoribus, Animalibus, Arboribus, Frugibus, & quibus non? *Cæcubum*, Καίκουβον Straboni, locus in Latio Palustris & vitifer, circa Caietanum Sinum: unde *Cæcubi* in Pontinis Paludibus sunt apud Plinium lib. xvii, cap. v. Hinc *Vinum Cæcubum* eidem Plinio lib. xiv, cap vi, Athenæo lib. i. Horatio lib. i. Carm. Od. xx & xxxviii, Martiali, & aliis. *Simbruina Stagna* in Tiburtum finibus memorantur ab Tacito lib. Annalium xiiii: *Nam quia discumbentis Neronis apud* Simbruina Stagna, *cui* Sublaqueum (quidam *Sublacæum*, alij *Sublacum*, nempe ob vicinatem *Lacus*) *nomen est, icta Dapes, mensaque disiecta erat.* Pertinet eo locus alius Taciti lib. xi: *Fontesque Aquarum*, Simbruinis Collibus *deductos Vrbi intulit, idque finibus Tiburtum acciderat.* Vbi tamen V. CL. Lipsius emendat, *Sub Imbruinis.* *Sublacenses Populos* vocatos tradit Plinius ab tribus vicinis *Lacubus*, unde Fluvius Anio proficiscitur. *Cæcubum.* *Simbruina Stagna.*

In Piceno ad latus Montis Victoris, qua in Orientem spectat, Lacus invenitur fama nobilitatus; *Nursinum* dicunt. In eo Cacodæmones innatare Vulgus imperitum dictitat: quoniam Aquæ perpetuis motibus salire, & vicissim subsidere cernuntur, equidem non sine ingenti illorum admiratione, qui caussam ignorant. Fama hinc per Italiam, & alias quoque Mundi partes ab Idiotis sparsa, malignos Spiritus hic habitare, petentibusque dare Responsa. Superioribus sæculis, inquit Rassanus, quidam ex longinquis Regionibus levitate exciti sua, huc venerunt, sceleratorum ac detestabilium voluminum Cacodæmoni dedicandorum gratia: quo certis quibusdam flagitiosis optatis, utpote Divitiarum, Honorum, Voluptatum, aliorumve id genus potirentur: qui, quum inlusum sibi, falsamque Vulgi Famam cognovissent; pudorem ut averterent, neve Itineris labores sumtusq; perdidisse viderentur, apud alios expleta sua desideria sunt mentiti. Addit idem Rassanus, se, quum harum rerum fidem exactius inquirere niteretur, ab Teutonis quibusdam doctis viris gnarisque, qui ipsi hunc locum Vulgi fama commoti adierant, ut cum Cacodæmone Carminibus impiis, Voti impetrandi gratia, magice operarentur, accepisse, ipsos, omnibus Superstitionis Legibus impletis, orbeque descripto cum Signis peculiaribus, nec ullo, quæ requiruntur, exsecrabilium Cerimoniarũ genere prætermisso, nihil toto triduo audivisse quidquam, aut vidisse: Quam ob rem, quum Imposturam intelligerent, & indignarentur, quod Volumina, quibus pravæ Artis præcepta, Characteres, & Signa Magica continebantur, in Stagnum deiecta non fuissent reddita, Voto maximo numquam deinceps in huiusmodi Rebus quidquam fiduciæ habendi nuncupato, & temeritatem gravissime accusasse suam, & Nugarum de Loco Auctores ob mendacia detestatos; simul omnes, qui Cacodæmonum, itemque Magicorum Voluminum ulla ducerentur fide, diris exsecrationibus devovisse: enimvero, quod ad Motum Stagni attinet, eum ab Ventis creari, manifeste cognovisse, qui, quum Aquas angusti Lacus inter altissimos conclusi Montes, agitant atque impellunt, ita fieri, ut summo sane cum stupore nunc intumescere, nunc subsidere videantur. *Piceni Nursinus.*

Habet præter *Floridum*, *Lacum* modicum, præcelsis cinctum Montibus, Vmbria *Velinum*, cuius meminerunt Tacitus lib. i. Annalium, Silius lib. iv Belli Pœn. M. Tullius ad Atticum lib. iv. Epist. xv. Constituit eius Initia extra Reate *Velinus Amnis*, cum aliis Aquarum rivulis, non paucis: qui tamen prius quam in Lacum confluant, Paludem quamdam (*Reatinam* videtur vocare Varro) efficiunt; ex qua deinde rursum emergentes, Lacui dant, ut dixi, principium. Collibus editioribus undique munitur, quamquam in præcelso Montium iaceat iugo. Aquas habet claras; Saxum tamen per quod exoneratur, ita quandoque excrescit, ut id ferro repurgari sit necesse, quo semper exitus illi pateat, neve per vicina loca superstagnet. Ligna circum eum in Agris lapideo cernuntur obducta cortice. Adfirmant, qui adhabitant, Lignum in eo defixum intra paucos dies lapide circumdari. Pisces optimos generat, præcipue Truttas & Tincas, easque sine spinis, præterquam in contextu vertebrarum. Naviculas fert exiguas, quibus deportari ultro citroque Fructus solent. Adcolunt eum, teste Plinio, Sabini. *Lacum* hunc Italiæ Medium tenere, eiusque esse Vmbilicum, adfirmant Scriptores Veteres. De eo, considerata penitus Situs conditione, canit procul dubio Virgilius lib. vii: *Vmbriæ. Floridus. Velinus.*

Est

Est locus Italiæ in medio sub montibus altis
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Amsancti Valles;

Reliqua cap. 11. In eos autem Virgilij Versus, ut ibi dixi, Servio Donatoque, contra receptissimos Geographos sentientibus, non magna est adhibenda fides. Hodie *Lago del Pie de Luco*, ut censet Leander ab opido adiacente; vel, ut Georgius Fabricius, *Lago de Terni*.

Cutiliensis: Septuagesimo ab Reate stadio opidum est, quod hodie *Contigliano*, olim *Cutilia*, de quo infra. Non procul ea Lacus erat amplitudine Iugerum quatuor, immensæ vero profunditatis, numquam, etsi perpetuos ecfunderet rivos, decrescens, propter æternas in eo fontium scatebras. Veteres Numen illi credebant inesse, Victoriæque sacrum autumabant: quam ob caussam etiam summa religione, atque adeo fossa valloq; circumducto Aditum eius custodiebant, ne cui præter Vrbis Primores Accessus umquam pateret: iis quippe statis Sacrificiorum temporibus exiguam in eo Insulam, ambitu fere quingentorum, nec amplius, pedum, sesquipede super Aquas eminentem, instabilem, & hac illac, ut Ventis impellebatur, fluctuantem ingredi tantum ex instituto moreque gentis fas erat. Herbida ea, Dumisque tecta erat humilibus; & præcipuam ferebat herbam carici haud admodum dissimilem. Admiranda vero res illis videbatur, qui summæ Rerum gubernatricis Naturæ vires & facultates ignorabant, Miraculum inde potius nulli inferius, quam rem arbitrantes usitatam. Vide omnino Dionysium Halic. lib. I. Antiq. Roman. cui Κοτυλία scribitur, Ἀβάτων esse notanti. De eius Aquis Strabo lib. v: Καὶ τὰ ἐν Κωτιλίαις ψυχρὰ ὕδατα, ἀφ' ὧν καὶ πίνουσι, καὶ ἐγκαθίζοντες θεραπεύουσι νόσους. *Lacus Cutiliensis* Varroni lib. IV de L. L. *Cutiliensium* Macrobio lib. I. Saturn. cap. VII; *Cutiliæ Aquæ* & *Cutiliæ Lacus* Plinio; *Cotiliæ Lacus* Festo, Κωτυλίας appellat Strabo libro v. Sic enim legendum, non Κωποκολίας. *Cutilæ* etiam simpliciter Senecæ & Antonino, scilicet *Aquæ*; nisi apud hunc Opidum ipsum designetur, quod hodie, ut dixi, *Contigliano*: *Lago di Contiglione* dicitur vernacule. *Aquas Cutilias* etiam *Sabinas* nominat Dion. Inter Reate & Amiternum locat Livius lib. XXVI. Insulæ etiam mentionem faciunt præter Dionysium alij, Varro lib. IV. quem dixi, de L. L. *Nympha Commotiæ ad Lacum Cutiliensem, ab Commotu, quod ibi Insula in aqua commovetur.* Plinius lib. III. cap. XII: *In Agro Reatino Cutiliæ Lacum, in quo fluctuet Insula, Italiæ Vmbilicum esse, M. Varro tradit.* Idem lib. II. cap. XCV: *Et apud Cutilias Aquas opaca Silva, quæ numquam die ac noctu eodem loco visitur.* Seneca Quæst. Natur. lib. III: *Ipse ad Cutilias natantem Insulam vidi:* & paullo post; *Cutiliarum Insula & Arbores & Herbas nutrit.* Sic Festus: *Cotiliæ Lacus appellatur, quod in eo est Insula Cotilia nominata ab Græcis. His enim redditum scribitur Responsum.* Legitur illud apud eumdem Macrobium loco, quem indicavi:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατύρνιον αἶαν
Ἠδ' Ἀβοριγινέων, Κοτύλην οὗ νᾶσος ὀχεῖται:

Et sequuntur.

Sabinorum. Fons Blandusiæ: *Blandusiæ Fons* in Sabinis est Horatio lib. III Carminum: ad quem Acroni *Blandusia* Regio est Agri Sabinensis. Sed *Blandusiæ* habere omnes M. SS. Codices notat Cruquius.

Campaniæ. Inter Lacus Paludesque, quæ Campaniæ, loci principis sunt *Lucrinus* & *Avernus*. Vtriusque Situm, ut universim hoc præmittam, indicant Polybius & Strabo. Ille quidem lib. XLVIII: Ἐν τῇ Κύμῃ τῇ Καμπανίδι χωρίον τι μεταξὺ Μισηνοῦ καὶ Ποτιόλων μηνοειδές ἐστιν, ὄρεσί τε γὰρ μικροῖς καὶ ψιλοῖς πάλιν βραχέων περιείληπται, καὶ θάλασσαν τερπνὴν κολπώδη ἔχει. ἡ μὲν γὰρ ἔξω τι, καὶ πρὸς ταῖς πόλεσιν ἐστιν, ἣ δὲ ὀλίγῃ διαφυῇ ἀπ' αὐτῆς διείργεται. ἄλλη ἐν αὐτῷ τῷ μυχῷ ὁρᾶται, καὶ καλεῖται αὕτη μὲν Ἄορνις, ἡ δὲ μέση Λουκρηνίς. ἡ γὰρ ἔξω τοῦ Τυρρηνικοῦ ἐστι, εἰς ἐκεῖνο καὶ τὴν ἐπωνυμίαν τελεῖ. Hic autem lib. v: Ταῖς δὲ Βαΐαις συνεχής ὅ, τε Λοκρῖνος κόλπος, καὶ ἐν τούτῳ ὁ Ἄορνος, χερρονησίζον ποιῶν τὴν ἀπολαμβανομένην μέχρι Μισηνοῦ γῆν ἀπὸ τῆς πλαγίας τῆς μεταξὺ Κύμης καὶ αὐτοῦ. λειπὸς γάρ ἐστιν ὀλίγων σταδίων διὰ τῆς διώρυγος ἰσθμὸς ἐπ' αὐτὴν Κύμην, καὶ τὴν πρὸς αὐτὴν θάλατταν.

Lucrinus. *Lucrinus* Virgilio, Valerio Maximo, Tacito, Silio, Plinio, Suetonio, Melæ; Λοκρῖνος Κόλπος, Straboni. Solent enim Græci Κόλπους vocare *Lucrinum* & *Avernum*, quos Latini *Lacus* appellant. *Lucrinum* volunt nonnulli denominatum ab *Lucro*, quod ex eo, quia piscosus erat, percipiebatur. Λοκρῖνος Κόλπος, inquit,

Strabo,

Strabo, πλατύνεται μέχρι Βαιῶν, χώματι εἰργόμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης ὀκτασταδίῳ τὸ μῆκος, πλάτος δ' ἁμαξιτοῦ πλατείας, ὅ φασιν Ἡρακλέα διαχῶσαι, τὰς βοῦς ἐλαύνοντα τὰς Γηρυόνου· δεχόμενον δ' ἐπιπολῆς τὸ κῦμα τοῖς χειμῶσιν, ὥστε μὴ πεζεύεσθαι ῥᾳδίως, Ἀγρίππας ἐπεσκεύασεν. εἴσπλουν δ' ἔχει πλοίοις ἐλαφροῖς, ἐνορμίσασθαι μὲν ἄχρηστος, τῶν ὀστρέων δὲ θήραν ἔχων ἀφθονωτάτην. Agger, quo *Lucrinum* ab reliquo mari arceri solitum notat Strabo, *Opus* fuit *Iulium*: de quo Virgilius:

An memorem Portus? Lucrinoque addita Claustra?
Atque indignatum magnis stridoribus Alquor?
Julia qua Ponto longe sonat Unda refuso:
Tyrrhenusque freto immittitur Alstus Avernis.

Quos Versus exponens Servius, duos ait in Sinu Baiano Campaniæ contra Puteolos esse *Lacus*, *Avernum* & *Lucrinum*: unde propter uberes Piscatus amplissimum Vectigal percipiebatur: aliquando tamen marinis undis impetu nimio intrantibus, & eadem celeritate refluentibus, abduci contigisse Piscem, & Vectigalia deteriora fieri. Hac de caussa Publicanis orantibus, ut provideretur, Iulium Cæsarem eo missum; ab eoque toto negocio perspecto, brachia duo iactis aggeribus ducta, quibus Æstus marinorum fluctuum arcerentur, angusto tamen ostio relicto per quod in *Avernum* Piscis convenire posset, Fluctus ingruere non possent: proinde *Opus* id *Iulium* appellatum. De qua re Suetonius etiam memorat in Vita Iulij, Cæsarem Baianum Portum exstruxisse, inmisso in *Lucrinum*, & *Avernum* Mari. Addit Strabo *Lucrinum* capturam habere Ostreorum copiosissimam. Sic Martialis:

Non omnis laudem pretiumque Aurata meretur
Sed cui solus erit Concha Lucrina *cibus*.

Et alibi:

Ebria Baiano *veni modo Concha* Lucrino,
Nobile nunc sitio luxuriosa Garum.

Plinius quoque lib. IX natur. Histor. cap. LIV, Auratas & Ostrea *Lucrini* Baianique Sinus celebrat. *Lucrinum* Lacum λίμνην esse Ἀχερουσίαν opinantur nonnulli apud Strabonem, vehementer, ut scribit Leander, errantes. *Baianum Lacum* habet Tacitus lib. XIV Annal. alium ab Lucrino. Ex *Lucrino* introitus olim erat in *Avernum*: Avernus.
ita Livio, Virgilio, Silio, Senecæ, Plinio, Suetonio, Melæ, Vibio Sequestro, aliis nominatum, qui Ἄορνος Lycophroni, Aristoteli, Straboni, ceterisque Græcis. Ἀορνῖν vocat Antigonus, apud quem vide elegantem Timæi de eo locum. *Styga* quomdam appellatum innuit Silius lib. XII:

Ille olim Populis dictum Styga *nomine verso*,
Stagna inter celebrem nunc mitia monstrat Avernum.

Infernum Lacum vocat Virgilius III. Æneid. Hodie *Lago di Tripergola*, ut notant Erythræus & Georgius Fabricius. *Avernus* dictus putatur, quasi Ἄορνος, *sine Avibus*: quod Aves supervolantes odoris eius gravitate conciderent enecatæ. Legendi Servius in III Æneid. Nonius Marcellus, Isacius in Lycophronem, Eustathius in Odyss. κ locum illum. Ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα. Virgilius lib. VI Æneidos.

Inde ubi venere ad fauces graveolentis Averni
Tollunt se celeres.

Et paulo post:

Quam super haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens supra ad convexa ferebat:
Unde locum Graij dixerunt nomine Avernum.

Sic Lucretius libro VI De Natura Rerum:

Principio quod Averna *vocant: non nomen id abre*
Impositum est: quia sunt Avibus contraria cunctis.

Formam eius rotundiorem describit Aristoteles περὶ θαυμασ. Περὶ τὴν Κύμην, τὴν περὶ Ἰταλίαν, λίμνη ἐστὶν ἡ προσαγορευομένη Ἄορνος. Αὕτη μὲν, ὡς ἔοικεν, οὐκ ἔχουσα οὐ θαυμάσιον. περικειμένους γὰρ λέγουσι περὶ αὐτὴν λόφους κύκλῳ, τὸ ὕψος οὐκ ἐλάττους τριῶν σταδίων, καὶ αὐτὴν τῷ σχήματι κυκλοτερῆ. Sic Lycophron Chalcidensis Cassandra:

Λιπὼν τε Λεθαίωνος ὑψηλὸν κλίτος,
Λίμνην τ' Ἄορνον ἀμφιτορνωτὴν βροχῷ.

De *Averno* scribit in hanc sententiam Strabo lib. v, & aditu & fundo Sinum esse peropportunum, atque tam magnitudine, quam natura loci Portuum commodissimum; usu tamen non frequentatum, quod Portus illi præiaceret *Lucrinus*. Addit deinde, *Avernum* undique ab Rupibus arduis, præterquam ad ostium, circumdari: Rupes illas olim horridis saltibus occupatas, Augusti tempore cultu diligēte fuisse peramœnas: apud Adcolas quoque famam increbuisse, Aves supervolantes ἀπὸ τ̃ ἀναφερομένων ἀέρων exanimatas in eum decidere solitas, quemadmodum in Plutoniis fit locis; indeque Stagnum Plutoni sacrum habitum: quinetiam vicinos illi Cimmerios fuisse, apud quos peractis rite Sacris, placatisque Diis Manibus ad Inferos Descensus esset: Sacerdotes enim in ea gente Duces Itineris ad Plutonem exstitisse, eamque ob caussam Oraculum eo loco fuisse: Fontem etiam ibi prorumpentem in mare defluxisse, ab cuius usu Regionis Incolæ, quod Στυγὸς ὕδωρ arbitrarentur, abstinebant: ob propinquas enim ferventium undarum scaturigines & Paludem Acherusiam, Πυριφλεγέθοντα esse existimabant. Multa alia, quæ de hoc Lacu apud Strabonem, prætereo. Scribit Servius in III Æneid. *Avernum* antea Silvarum densitate ita fuisse conseptum, ut inde per angustias odor Aquæ sulphureæ gravissimus exhalans Aves supervolantes enecaret: inde *Avernum* appellatum tamquam ἄορνον: adjiciens Augustum Cæsarem, ea re intellecta, Silvis deiectis, è pestilentibus amœna hæc reddidisse Loca. Aqua *Lacus Averni* sapore salsa est, colore nigra: quod ob immensam Profunditatem accidere putatur; quum Fundum eius imum non posse deprehendi Vibius Sequester adserat. Testatur Leander se, quum hæc Loca peragraret, ex Adcolis accepisse, inventum *Arverni* fundum ab curiosis quibusdam hominibus fuisse non pridem, Fune scilicet passuum xc, quos singulos Vlnæ quaternæ constituebant: ut sic altitudinem Stagni CCCLX Vlnarum esse constiterit. Boccatius libro de Lacubus rem narrat prodigiosam; se, Roberti Siciliæ, Neapolis & Hierosolymarum regis, temporibus, in littore circa eum lacum maximam vidisse Piscium enectorum multitudinem, Visceribus intus atro colore plane defœdatis odorisque sulphurei tam gravis, ut accessum non permitterent: eos autem scaturigine recentis alicuius venæ sulphureæ contactos ictosque, dein undarum impetu eiectos in ripam, omnes censuisse. Infausto nomini non amplius hoc tempore respondet: quin Aves aquaticæ frequentes in eius undis natantes haud raro visuntur. Docet apud Strabonem Artemidorus *Avernum Lacum* Poëtis celebratissimum Λίμνην esse Ἀχερουσίαν, cuius mentionem sæpe facit Virgilius, præcipue libro VI:

Vnum oro, quando hic Inferni Ianua Regis
Dicitur, & tenebrosa Palus Acherunte refuso.

Ad quem locum Servius, *Avernum Lacum* ait à Poëta describi, quem *Acheron* Inferorum Fluvius efficit: ita dictus, quasi ἄνευ χαρᾶς, *sine gaudio:* cum locum revera haud longe à Baiis esse, undique Montibus septum, adeo ut nec Orientem, nec Occidentem Solem possit adspicere: sed tantum medium diem. Quæ Servius ibi ex Homero de inmolatis ad hanc Paludem Elpenore, Misenoque laudat, hic brevitati studens omitto. *Paludem* nominat Silius lib. VIII, qua ad *Acherontem* eatur:

Hinc vicina Palus fama est Acherontis ad undas
Pandere Iter.

Clanius Fluvius spatio ab mari P.M. VIII latissime diffunditur, Lacus instar, latitudine duorum ferme millium quibusdam in locis, alibi vero centum Vlnarum: ideoque circum Ostia, quibus in Mare exit, vulgo *Lacus Patria*, *Lago della Patria*, vocatur, Piscium abundantia, ut antea obiter monui, uberrimus. *Lacum* hunc Silius lib. VII *Paludis* nomine memorat:

Linterna Palus.

Hinc Linterna Palus ———

Et libro VIII.

——— *Stagnisque Palustre*
Linternum. ———

Statina.

Fuisse videntur & in Campania *Statinæ Paludes*, quarum meminit Statius lib. III Silvarum. Iudicandum relinquit Lectori V. CL. Abrahamus Ortelius, an hæ *Paludes* non perierint apud Plinium lib. II. cap. XXCIIX, ubi hodie legitur, *alioque motu Terra Stagnum emersisse:* Testatur enim in Vetustioribus Codicibus *Statinas* esse.

Certe

Certe ab *Statino Lacu* vel *Palude Statanum Vinum* videtur dici, de quo cap. IV. *Pompeianam Paludem*, quam memorat his verbis Columella: *Pompeian.*

Quæ dulcis Pompeia Palus, *vicina Salinis*
Herculeis;

ad mare circa Pompeianum fuisse in Campania, dicit ad illum locum Pomponius Fortunatus.

In Salentino, inquit Plinius lib. II. cap. CIII, *iuxta oppidum Manduriam Lacus ad margines plenus, neque exhaustis aquis minuitur, neque infusis augetur.* Hodie, ut scribit Leander, *Lago di Andurio*, in Apulia Daunia; *Versentino* autem, si Alexandro Andreæ fides. In Apulia Peucetia, haud procul Lesina, *Lacus* est ab opido cognominatus. Continet in ambitu M. P. XL. Piscium optimorum copia est fœcundus; maximeque, quæ præcipua sunt magnitudine, Anguillarum, quas Adcolæ *Capitones* vocant. Putant quidam *Pantanum* esse *Lacum*, quem Plinius circa Garganum Montem describit. Ego nihil temere volo adfirmare. *Salentino & Apuliæ Lacus Andurio. Lesinensis*

Habet Flaminia vel Romanula Paludes Fossasque non paucas, in quibus principem obtinent locum *Septem-Maria*. Sic appellant Indigenæ *Paludes*, per quas Eridanus Fluvius septem Ostiis (de quibus in Padi Historia) in Mare præcipitatur. Ita etiam nominantur in Itinerario Antonini. Ἑπτὰ τὰ ὕδατα dicuntur Dionysio Halicarnassæo: *Hadriatica Stagna* ab *Hadriatico Mari*, sunt apud Servium in lib. I. Æneid. *Gallica Paludes* vocantur Vitruvio ab *Italia Gallica*, vel *Gallia Cis-Alpina*. Alias speciaIiores habent ab locis vicinis Apellationes. *Atrianorum* (ab *Atria* Urbe) *Paludes*, inquit Plinius lib. III, cap. XVI, *quæ Septem-Maria appellantur*. *Tartari Fluminis Paludes* sunt Tacito lib. III Historiarum; *Ravennæ Paludes* Straboni lib. V. Hodie *Stagni de Venetia* dici notat Blondus. Describit *Paludes* hasce diligenter Cassiodorus lib. XII Variar. ad Maritimorum Tribunos. *Septem-Marium* mentionem facit etiam Herodianus libro VIII, Iter Maximi ab Ravenna Aquileiam, ubi Maximi Pater & Filius interierant, referens. Eorum autem pars *Padusa* est *Palus*, ad Ravennam, haud procul Amne Montono. De ea Plinius lib. III, cap. XVI: *Padus, angusta Fossa Ravennam trahitur, ubi* Padusa *vocatur, quondam* Messanicus *appellatus*. Ea Fossa Naves, inquit Leander, ab Ravenna per spacium millium XII in Padum commeant. Meminit Virgilius: *Flaminiæ. Septem-Maria. Padusa Palus.*

—— *Piscosove Amne Padusa.*

Vibius Sequester nomen illi a *Pado* vicino esse prodit, in quem se exonerat. Olim hæc Palus tractum omnem inter Padum & Æmiliæ Viæ finitima loca occupabat: nimirum ab Fossa, quam dixi, prope Padum per L fere P. M. Occidentem versus: Fluminaque & Torrentes plurimos ex Apennino iactos ab Anemone usque ad Panarum colligebat; quibus ipsum Stagnum creabatur. Sed annis prope L superioribus adeo exsiccata terraque expleta est, ut exigua plane parte relicta sit: etenim ab Ravenna per multorum milliariorum spacium (quæ loca quomdam, ut Strabo perhibet, item Procopius lib. I. de Bello Gothico, omnia fuere palustria) continens pridem adeo excreverat, ut vix illa, cuius memini, Fossa reperiretur: & quæ ibi alia de *Paludis* huius exsiccatione. Haud procul Bononia, prope Flumen Labinium, *Fossa* est *Ghironda*, per quam palustria quædam hoc situ se exonerant loca. Excipit eam Labinius, quem dixi. Extra Pinetum *Candiani Amnis*, nunc *Paludis*, exiguum est Ostium. Ante ICCCC ferme, vel ICCCCC annos, in hoc *Stagnum* Sapis, qui nunc VIII P. M. abest, inlabebatur, Portumque peropportunum efficiebat, auctore Blondo. circa quem Augustus Cæsar ad tutelam Superi Maris tenebat classem, ut Suetonius in eius vita, Tacitusque lib. IV prodiderunt. *Fossa Ghironda. Candiana Lacuna.*

In Æmilia seu Cispadana Langbardia *Fossæ* sunt *Philtorena* & *Mutinensis*, per quas Aquæ ex Locis superioribus corrivatæ in Panarum Flumen exonerantur. *Fossa Tarana*, Torrente aucta Crustulo, per Vicum Suzariam in Padum iuxta Belfortium pertingit. *Æmiliæ. Philtorena Fossa. Mutinensis. Tarana.*

Superat vero reliquas Italiæ partes multitudine magnitudineque *Lacuum* Langbardia Trans-Padana. De iis Plinius lib. III. cap. XIX: *In hac Regione & X Lacus inclusi sunt, Amnesque eorum partus aut alumni, si modo exceptos reddunt; ut Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Mincium Benacus, Ollium Sebinus, Lambrum Eupilis: omnes Incolas Padi.* Sic Strabo lib. IV: Λίμναι δ' εἰσὶ φησὶν ἐν τοῖς ὄρεσι πλείους μὲν, τρεῖς δὲ μεγάλαι: *Langb. Trans-Padana.*

ὧν ἡ μὲν Βήνακος ἔχει μῆκος πεντακοσίων σταδίων, πλάτος δὲ ἑκατὸν πεντήκοντα. ἐκρεῖ δὲ ποταμὸς Μίγκιος. ἡ δὲ ἑξῆς Οὐερβανὸς, τετρακοσίων: πλάτος δὲ στενωτέρα τῆς πρότερον, ἐξίησι δὲ ποταμὸν τὸν Τίκινον. Τρίτη δὲ Λάριος μῆκος ἐγγὺς τριακοσίων σταδίων, πλάτος δὲ τριάκοντα, ποταμὸν δὲ ἐξίησι μέγαν Ἀδούαν: πάντες δὲ εἰς τὸν Πάδον συμπίπτουσι. *Verbanus*, ut ab Occidentalissimo Præcipuorum ordiar, Plinio dicitur: Οὐερβανὸς Straboni, ut iam vidimus: qui hodie, quod reliquis in hoc tractu sit maior, *Lago Maiore* Italis; Germanis autem *Lang-Se* Itinerariæ Tabulæ videtur dici *Cusius*. Sunt qui hunc *Lacum* ab Virgilio *Maximum* vocatum putant, hoc versu

Anne Lacus tantos? te Lari, Maxime, &c.

dicuntque apud Poëtam vocem *Maxime* non esse *Lary Lacus* Epitheton, sed proprium *Lacus* nomen. *Verbanum* dictum putant quidam ab diversis Verbis, hoc est varietate Sermonis, qua Lacus Adcolæ utuntur. Alij ab Verborum multitudine, quibus inter se gentes ad Lacum finitimæ conferre soleant indies propter Negociorum frequentiam. Nonnulli ab herba Verbena sacra, de sacro Capitolij loco sumta, quemadmodum ait Servius, qua coronabantur Feciales & Pater Patratus Fœdera facturi, vel Bella indicturi: proinde quoniam ex Herba Verbena Coronæ illę fiebant, ideo *Verbanum* Euphoniæ gratia, unius litteræ commutatione nominatum hoc *Stagnum*, quod inter alia harum partium plurima dignitate, tamquam corona, præcellat. Non desunt, qui censeant Appellationem hanc ab verna temperie natam, quæ circa ripam *Lacus* perpetua; ceu Veris novi temporibus ubiq; comante virenteque Solo. Longitudinem eius ponit Strabo Stadiorum CCC; Canobius, CCCXX; Machaneus, CCCLXIII; Latitudinem maximam facit idem Strabo Stadiorum XXX; Machaneus, XXXIII; Canobius, LVI. Varietas inde, quod tortuosis Amfractibus Recessibusque multis sit implicitus. Altitudo plerisque locis tam est vasta, ut Fundo videatur carere. Initium eius ad Sextium opidum, ubi Ticinus effluit. Hinc enim perpetuo tractu crescit, nunc se diffundens, nunc contrahens usque ad Magadinum, iuxta quod Ticinus inlabitur: quem invectum supermeare *Verbano* Plinius est Auctor libro III cap. CVI Maxima Procellarum vi sævit, ut & *Benacus*, præsertim ab Australi Vento, qui Incolis *Liverna* agitatus. Pisces generat optimos, cum primis Truttas permagnas, Lucios insignes; Chalcides vel Aquones, Phoxinos vel Veronos, Percas aurei coloris, & alios. Convestiunt *Lacum* huuc honesta Opida; Vicique, Colles, Campi, Prata, Nemora, summæ amœnitatis. *Verbanum* eiusque Situm accurate describunt Dominicus Machaneus, & Iulius Canobius IC. exque ijs Leander Albertus. Hæc de *Verbano*, cui ad occidentem adiacet *Ortanus* ab *Orta* opido, quod adsitum illi, dictus. Exonerat se Strona Amne iuxta Omeniam, mille passibus ab *Verbano* in Athisonem, qui mox in *Verbanum* evolvitur. Idem *D. Iulij* nominatur ab æde in Lacus Insula sita, *Divoque Iulio* sacra. Mentionem *Insulæ* facit etiam Paullus Diaconus lib. IIII. Histor. Langbard Minulphum *Insulæ S. Iulij* Ducem ab Agilulpho Langbardorum Rege, quod se Francis dedidisset, occisum scribens.

Ortanus.

Larius.

Lacus in longum patet millibus IX, in latum V. *Larius* porro *Lacus* Virgilio lib. II Georg. Plinio, alijsque; Λάριος Straboni, Ptolemæo, ceterisque Græcis; qui *Comacenus* ab Urbe adiacente, Paullo Diacono & Antonino. Hodie *Lago di Como* Italis, Germanis autem *Chumer-se*. Pingitur in Tabula Itineraria, sed non addito nomine. Eius Etymon quod ex Catone Semproniooque suppositis ab Annio Viterbiensi Scriptoribus adfertur, nondum probare possum. Nominatum nonnulli volunt ab *Laro* Ave, Græce sic dicta, Latinis *Fulica*, qua abundat. *Benaco* maior est, *Verbano* æqualis fere. Longitudinem Strabo stadiorum scribit CCC; Latitudinem, XXX: Novitij paullo aliter metiuntur. Excurrit ab Septemtrione in Meridiem; pronior tamen in Orientem. Situm *Lacus* Formamque delineant cum cura Angelus Mediolanensis, Iulius Canobius IC. Paullus Iovius, Leander Albertus, & ævi superioris alij: Antiqui autem Strabo lib. V, Plinius in Epistolis, Cassiodorus lib. VI Variar. Coronatur undique Montibus fructiferis, Silvisque Ferarum plenis Piscium optimorum est fertilis; maxime Truttis eximiis & grandibus abundans. Flumen Adduam, quod etiam notat Strabo, accipit ex Iugis Rheticis, quod Lacui invehitur supermeans, ut & Plinius auctor est, & oculis cernere licet: ac dein è Leuci redditum Pado inlabitur. In ipso *Lacu*, millibus ab Como XVI, è regione Balbiani, *Insula Comacena* visitur, quam Paullus Diaconus lib. III, IV & VI Histor. Langbard. nominat, scribens Principes

cipes Ducesq; multos cum Familiis & Thesauris in Propugnaculo, quod hic erat, se continuisse. Conspiciendos se præbent, inter *Verbanum* & *Larium*, *Lacus* quidam minorum gentium. *Luganus Lacus*, quem aliqui *Lucanum* Latine vocant, admodum *Luganus.* est tortuosus, tribus præcipue ramis; quos totiusque *Lacus* περιφέρειαν accurate describit Leander. Pater est amnis Tresiæ, qui hinc in *Lacum Maiorem* tendit. *Gaviratius* *Gaviratius.* Latitudinis passuum mille, Longitudinis ad sena millia, incola *Verbani* est, in quem iuxta Botiam supra Ispratium Fossa P. M. V se exonerat. Ripæ adsidet Gaviratium Opidum, à quo Lacui nomen. *Monatius* dictus ab opido, quod in ripa si- *Monatius.* tum, cognomine. Fossa quadam in *Gaviratium* evacuatur. Altius deinde *Lacus* est *Trinatius*, quem aliqui Latine *Ternati* vel *Terlacum* nuncupant. Sequitur alius ab *Ternatius duplex. Comabius.* opido denominatus, quod iuxta est in læva ripa, *Trinatius* cum *Comebio*, cuius dextra Corcinum & Varranum, à quibus etiam *Corcini Varranique Lacus* idem appellatur. Patet in longum stadiis xvi, in latum viii; ab Sextio abest millibus xxxii; ab *Gaviratio Lacu*, viii: ubi se exonerat quadam propter Blendronium exiguum opidum Fossa, seu potius Stagno 10 passuum, tantum ab *Gaviratio lacu* vicenum quinum intervallo: colliguntur enim hic Aquæ per abditos Meatus è *Lacu* manantes. Ad alterum Larij brachium supra Pontem Lecci modicus est *Lacus* exigua Fossa se in Adduam emittens. Haud procul inde *Lacus* occurrunt *Chiva* & *Pusianus*, ab *Clivensis. Pusianus olim Eupilis.* Vico superposito nomen habens, Plinioque lib. iii. cap. xviii *Eupilis* vocatus: *Lago di Pusciano* Leandro quidem dicitur; sed *di Monte Orphano*, Erythræo; *Mongutij* sive *Montis Acuti*, Bernardino Sacco. Fossis Ostiisque *Eupili* coniuncti sunt, inque eum confluunt *Cervianus* & *Segrenus*. Minores alios prætereo. Nobilioribus Langbardiæ Trans-Padanæ censeri etiam consueverunt *Lacus Sebinus* & *Benacus*. *Sebinus* *Sebinus.* Plinio dictus lib. iii. cap. xix, *Sevinus* autem lib. ii, cap. ciii, qui hodie *Lago d'Iseo*, ab *Iseo* Castro, quod in eius ripa. *Lacus* hic exceptum ad Septemtrionem Ollium, rursus ad Austrum emovit. Insulas habet aliquot. quorum una reliquas magnitudine superat, Rocca Pescheraque nobilis. Evacuantur in Sebinum per diversos Fluvios *Lacus* ignobiliores, qui vulgo *Lago Mazeso*, *Lago Nodan*, *Lago di Areno*. *Benacus* *Benacus.* Virgilio, Plinio, Sex. Aurelio; Βήνακος Straboni; Βένακος autem Ptolemæo, (ab Opido, quod hic olim, cuiusque hodie cernuntur Vestigia: Ego alibi.) qui *Lydius* Catullo ad Sirmionem suam, ab *Lydis*, id est Tyrrhenis, quos fama est quomdam vicinos illi Agros coluisse: *Lago di Gardà*, Italice; *Gard Se* Germanice ab Arce Orientaliori Ripæ adsita. Videndus præter alios Helias Capreolus lib. v. Histor. Brixianæ. Longitudo ex Strabonis indicio 10 Stadiorum; Blondo P.M. fere xxx. Latitudo eidem Straboni ccc Stadiorum; Blondo, minor. Ex Georgij Iodoci Bergani Monachi & Iulij Canobij delineationibus inter opidum Pescheram & Rivam, quæ ad extrema sunt Capita, illud ab Meridie, hoc ab Septemtrione Longitudo P. M. xxxv per directum invenitur: Latitudo autem recta ab Salidio, quod in Occidentali ripa usque ab Gardam aut Lagisum, quæ in Orientali sunt, milliar. censetur circiter xv. Perfluitur ab Mincio, qui *Mencio* nunc, vel *Sarca*. Nonnullæ sunt in eo Insulæ. Versus Meridiem inter Pescheram opidum & Peninsulam in qua Sirmio, Aquæ ex imo ipsius Lacus fundo ebulliunt sulphureæ. Sæpe ingentibus, commoti maris instar, Fluctibus æstuat; Ventis, qui circumiectorum Montium vallo inclusi, sævissimas frequenter procellas creantibus, ut merito Virgilius lib. ii Georgic.

Fluctibus & Fremitu adsurgens Benace marino.

Hic *Lacus*, ut scribit ad Cardinalem Polum in quadam Epistola Alexius Vgonius, optimis Piscibus aliis præstat: amœnissimis Collibus circumseptus: undique fontes scatent; hac illac Nemora, Prata virentia, Vineæ, Olivæ, Abietes, Lauri, Cedri; Opida præterea, rebus omnibus necessariis referta in modum Coronæ illum ambiunt: ita ut nihil omnino illi desit ex hisce rebus, quæ Loca Campestria visu quidē pulcherrima & usu grata atque iucunda efficere possint, &c. De eo item Leander; *Copia, inquit, Piscium optimorum abundat, imprimis Truttarum, itemque Carpionum, qui, uti ferunt, Auro vescuntur; nec alibi Piscis huius speciem inveniri creditur, præterquam in Peitano Lacu, prope Soram Aprutij, magnitudine tamen huic inferiorem.* Inter *Sebinum* & *Benacum Lacus* est *Idrinus*, qui vulgo *Lago d'Idro*, vel *Idro Lago*. Nomen illi ab *Idro* Castello. Alij ab *Hydra* dictum censent, quam Hercules ex Iove & Alcumena na-

tus hic perhibetur peremisse. Helias Capreolus nomen putat inditum ab voce τ̃ ὕδωρ, quæ Latinis *Aqua*. Piscibus abundat. Exonerat se in *Idrinum* per varios Amnes, Minores, qui vernacule *Lago Cap*, *Lago Runcone*, & alij. Nec illud silendum, describi à Ptolemæo ad caput Duriæ Fluminis *Lacum Pœninum*, pro quo in Itineraria Tabula vitiose legitur *Lacus Henus*, pro *Pœnus* vel *Pœninus*.

Pœninus:

Veneria. Vigisiolus.

Nec suis caret *Lacubus F ssisque* Veneria. Visitur in eius agris *Vigisiolus*. Emittitur fossa per Valles hinc Turbanam & Sabadinam, inde Grandem cognominatas in altum, qui vulgo *Lago di l'Anguiara*. Occurrunt haud procul inde *Fossæ*, quæ vulgo *Fossa Monte Sesilana*, *Rozega*, *Nova*, *Sergana*, *Paltana*, & aliæ.

Fossæ variæ.

Istria. Costiacum.

Vt Caput hoc concludam, gloriatur unico Lacu Istria, cui nomen ab *Costiaco*, quod impositum illi cernitur, opido. Arsiam Flumen ecfundit.

CAPVT XIII.

De Varijs, quæ cum in Terra, tum in Aquis Italiæ *sunt*, *Miraculis.*

Italiæ miranda.

PARTES *Italiæ*, simpliciter nudeque, cum in Terra, tum in Aquis consideratas, notavi: earum iamnunc succedit Delineatio, quæ Miraculis pollent Virtutibusque singularibus, & diversæ sunt efficaciæ.

Terra infigurum ignara. Tremens.

Ad Aras Mutias, uti docet Plinius lib. III nat. hist. cap. XXXVIII, in Veiente, & apud Tusculanum, item in Silva Ciminia Loca sunt, in quibus *Terræ depacta non extrahuntur*. Quædam Terræ, eodem docente lib. II. cap. XCIV, *ad ingressus tremunt*; sicut in Gabiensi Agro, non procul Vrbe Roma Iugera ducenta Equitantium cursu, similiter in Reatino. In Vmbria ad Naris ripam Terræ genus inveniri prodit inter Miracula Tullius, teste Plinio, quod *Siccitate in Lutum*, *Pluvijs in Pulverem solvatur*. Scatent miraculis Viscera Campaniæ. In Agro Cumano Antrum est admirabili arte maximisque Sumtibus in Saxum ecfossum, quod hodie *Sibyllæ Caverna* nuncupatur. Designat Virgilius lib. VI Æneidos:

Pluvijs in Pulverem for solubita. Sibyllæ Caverna.

At pius Æneas Arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul Secreta Sibyllæ,
Antrum immane petit.

Et paullo post:

Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt Aditus centum, Ostia centum:
Vnde ruunt totidem voces, Responsa Sibyllæ;

Et infra,

Talibus ex Adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit Ambages, Antroque remugit.
Obscuris Vera involvens.

Describit hoc Antrum Leander his verbis: *Primum in eam partem Montis circa Lacum egressi, quæ inter Septemtrionem & Occasum iacet, de qua Virgilius,*

—— Facilis Descensus Averni,

ad medium Vepreti, quod ibi est, aut paullo inferius inter Dumos & Vrticas, Antrum exiguum instar Aditus Sepulcri collapsi reperimus. In id ingressi per ruinas operum aliquamdiu procedentes, Viam elegantem in saxum excavatam, latitudine pedum X, *altam* XX, *in longum* 1?? *extentam, vidimus; &, quantum coniectura licet adsequi, quum obstructa muro sit, ulterius olim ad Baias procedebat. Hanc esse crediderim, quam Strabo scribit Cocceium fecisse, qua Cumis & ab Averno Baias commeabatur. Ad* CCCCL *pedem Ostiolum in ea cernitur, altum pedes* V, *latum* III, *per quod eiusdem mensuræ Via, in saxum excisa, longitudine pedum* LXXX, *proceditur. Ad eius finem, dextera, perbellum est Conclave, longum pedes* XIIII, *altum* XII, *latum* VIII. *Intus exadversum ingressus iuxta parietem saxum à pavimento elevatum, instar exigui est Tori. Penetrale hoc olim, uti etiamnum ex parte cernitur, magnificentissime perfectum ornatumque fuit: summa Testudo Sile Attico cum auri notis depicta. Parietes Zophoris distincti, ex Margaritarum conchis & Coralio compositis: infra Zophoros usque ad imum solum opere tessellato ex Gemmis, itemque Coralio & Margaritarum*

Conchis

Conchis inducti erant; cuius Operis etiamnum aliqua signa conspiciuntur, non minore sumtu quam artificio quomdam facti. Vulgo fama est: hanc Sibyllæ Cumææ habitationem fuisse. Ad Levam introitus eius Conclavis, eodem in pariete, quædam alia Portula cernitur, paullo latior altiorque, per quam ad Cryptam aliam latitudinis pedum VI, longitudinis XXV, Via lata ped. IV, alta totidem, sed longa XL ducit. Inde tum Via brevi & per angusta, sed altitudinis ped. IV, in quamdam Porticum, altam pedes VIII, latam X, longam XXIV devenitur, quæ directo propemodum in alterius medium desinit, altæ pedes XX, latæ VI, longæ VIII. Contra eius introitum angustum item in saxo excavatum Sacellum est, latitudine pedum X, longitudine VI, altitudine totidem: ad cujus ingressum in eodem pariete dextra Alterum conspicitur, latum pedes IX, longum & altum, ut Superius. Huius in medio Lacusculus Aquæ est; locusque tanta vi caloris æstuat, ut sudorem nemini non excutiat intranti. Qui Recessus hos tenent, aiunt Sibyllam inibi Voti operam dare consuevisse: mihi tamen Sudatorium verius fuisse videtur. Hucusque à primo ingressu, qui Lacum Avernum spectat, nullum omnino Spiraculum est: sed obscuræ Cavernæ perpetuæ in saxum excisæ, per quas absque lucerna commeari nequit, & si quis ingrederetur aliter, evadere profecto haud posset: uti cuidam accidisse constat, per cuius ossa nobis in iis angustiis necessario fuit incedendum. Prius etiam Exitus in fine nullus patebat: sed ad Ostium quo introibatur, retro erat commeandum, quod & prima vice nobis usu venit; nunc autem avulsa montis parte versus Baias Antrum apertum est angustum, per quod non tamen sine difficultate egredi licet, ut manifesto appareat hac olim Via subterranea Baias ab Averno commeari potuisse. Res est equidem admirationis plena, qua ratione tot Cuniculi Cryptæque ferro potuerint excidi, Silexque cæsus egeri: quum præter ullum spiraculum in tenebris Opus omne patratum sit. Utcumque aut Cimmeriorum Habitationes, aut Antiquorum Vatum Adyta, vel Antrum Sibyllæ, vel quidvis denique fuisse dicamus; certe res est, cum Arte Sumtuque, tum Raritate mirabilis. Audiamus & de hoc Antro Agathiam lib. I. de Bello Gothico: *Spelunca erat utrimque patentior ac profunda, penitissimisque & amplissimis Penetralibus, Voraginibusque immensis in abruptum descendebat. Hanc ferunt Sibyllam Italicensem illam & magnam incoluisse, quæ Phœbo capta & Spiritu divino instincta petentibus futura prædiceret: siquidem & Æneæ Anchisæ Filio tradunt ipsam adeunti omnia prædixisse, quæ illi in posterum essent occursura.* Est & alius *Sibyllæ Specus* in Piceno, haud procul Castello D. Mariæ Gallicanæ, in Apennino, immanis sane & horribilis. De eo Vulgi sermo est, aut verius insulsa & putida Fabula: hac ad Sibyllam patere Aditum; quæ Regnum intus luculentum atque speciosum possideat, magnificis ædibus & Basilicis plenum, in quibus innumeræ gentes versentur, oblectationibus Venerijs inter Choros Puellarum lascivientium, & per ea jucundissima Tecta & amœnissimos Hortos diffluentes: Id vero interdiu tantum accidere; noctu enim Viros Mulieresq; pariter, atque una Sibyllam ipsam in terribiles mutari Dracones; simulque cum teterrimis illis belluis primum opere Venerio congredi ijs necesse esse, qui intro admitti cupiunt; nec ante annum exactum quemquam contra voluntatem retineri, nisi quod unum omnino quotannis, ex numero, qui tum recepti fuerunt, manere oporteat: ad hanc porro auram inde reversis tantas Sibyllam prærogativas elargiri, ut felicissimo deinceps toto vitæ cursu utantur. Vide Leandrum, & quæ apud eum scribit Rassanus. Pergamus ad alia Italiæ stupenda Loca. *Spiracula vocant alij* Charoneas Scrobes, *mortiferum Spiritum exhalantes.* Sic Plinius lib. II. nat. hist. cap. XCIII, ubi ea in Sinuessano & Puteolano tractu describit. Eorum unum exstat juxta Lacum Anianum, quod ita depingit Leander: *Ad pedem altæ rupis, qua Lacus cingitur, haud procul ob ipsis Aquis Scrobs adparet in rupem excavata modice, nec lato profundave multum: posito signo præmunita, ne quis eo propius accedat, quod exanimati repente concidant ultra procedentes, uti iniectis sæpe Animalibus compertum fuit, & nos etiam oculis vidimus. Collapsum tamen intus Animal si protinus educatur, aspergine ex stagno Aquæ vitales spiritus recuperat: sed auxilium ea in re vel quavis alia nullum, si commoretur plusculum. Adcolæ Karolum VIII Galliæ Regem, quum Alphonsum Aragonium Regno Neapolitano pepulisset, Asinum inijci jussisse mihi narraverunt, qui statim exspiraverit. Ego puto Vapores noxios & graves hinc ex abditis aut Sulphuris, aut Aluminis, aut similis cujusquam Metalli Venis perpetuo suborientes, eo vehementiores intentioresque esse, quod constrictas per angustum hic Specum exhalentur: quapropter quum vitales Animalium Spiritus subito comprimant atque suffocent, ut in Lacum mox immersis Vigorem pristinum restitui existimamus, tamquam alto somno obrutis, quem repentina ex-*

Aliud Sibyllæ Antrum.

Charoneæ Scrobes necantes.

cutiat Aquarum adſperſio, mora vero morte prorſus finiat. Vernacule *Buco Velenoſo* dicitur, quaſi dicas *Antrum Venenoſum*: alijs *Grotta de i Cani*, eo quod Antri Naturam hoc Animali ſæpius experiantur Peregrini. Supra Balneum Ciceronianum in Rupe

Crypta ſudorem excitans.

graduum aliquot adſcenſu Crypta invenitur, opere exciſa, altitudine pedum VI. latitudine V, ſed in longum ſinuoſo amfractu plurimum extenta, ſuavem & jucundum exhalans odorem: quam ſi quis erectus ingrediatur, repente ſudabit; ſin pronus & ad ſolum inflexus; refrigeſcet. Haud procul inde Specus adparet ad Meridiem vergens, ingreſſu vitandus: quippe ſi quis aliquantum in ima procedat,

Mortem adferens.

abſque caloris vel frigoris exceſſu, abſque Vento vel motu Aeris Vertigine concideret mortuus: caloreque ſurſum exæſtuante ſimul Cera Candelæ deliqueſcet, ſimul lumen ſponte deficiet. Ad finem ruinarum, quæ prope Puteolos, *Sulphurarta* eſt,

Sulphuraria Forum Vulcani.

locus ab conditione & natura ſic dictus. Strabo *Forum Vulcani* (Ἡφαίστου ἀγορὰν) nominat, quum id Puteolis imminere dicit; & Campum eſſe planum, undique flagrantibus ſulphure Collibus incluſum atque ſeptum, unde velut è Fornacibus Exhalationes cum ingenti fremitu proficiſcuntur. Plinius hos ab Antiquis *Campos Phlegræos* ait appellatos; quod etiam probat Silius lib. VIII, quum inquit:

Phlegræi Campi.

———illic quos ſulphure pingues
Phlegræi legere Sinus.———

Loci Naturam plane mirabilem ſcribunt, qui inſpexerunt: primum Aream habere Ovi forma prælongiorem; extendi enim ferme ped. CIↃ IↃ: ſed in latum non amplius CIↃ patere: undique perpetuis altiſque Collibus ita, tamquam opere, conſeptum, ut Aditum unum, qua ſpectat Puteolos, tantum habeat: Solum Areæ totum Sulphure veſtitum eſſe, ſponte ibi nato; ideoque & inceſſu crepitare, quum ſit cavernoſum, uti Vacua contactu ſolent omnia. In fine latam Foſſam, verius rotundam, quam formæ cujuſquam alterius, adparere, Aquæ nigræ ſpiſſæque plenam, quæ *perpetuo fervet, magnaque vi Fumos ingentes emittit*: de ea non ſolum Vulgi Famam, ſed experientia quoque compertum eſſe, *quicquid immergatur, protinus educi coctum, numquam tamen non aliqua parte deficiente.* Adſerit apud Leandrum Hieronymus Linus Bononienſis, ſe, quaternis in eam immiſſis Ovis, tria tantum eduxiſſe. Addit Leander, *Aquam non ſemper eodem in loco, nec æquali magnitudine, conſiſtere*: Se enim poſt annos X. quum iterum ea proficiſceretur, parte ferme tertia minorem, quam prima vice conſpexiſſe; eius rei cauſſam Spiſſitatem Aquæ eſſe; concreſcentibus enim Sulphure ripis extremis, Imminutionem Variationemque contingere. Circa Foſſam porro undique *Scrobes* in Solo conſpici; exque ijs *acutiſſimos Vapores ſulphureos cum intento Calore prodire*: in hac Area multas eſſe Officinas, quibus album Sulphur conficitur. In Tuſcia tri-

Specus Ventos emittens.

bus ab Lecia P. M. haud procul Senenſium Monte Rotundo, inter Silvas *Specus* eſt in altitudinem vaſtiſſimus; *ex quo certis anni temporibus Venti tanto cum impetu ac vi prorumpunt, ut propinquos Arborum ramos convellant, ipſaſque frequenter Arbores ſolo eruant. In Agro Thurino*, inquit Plinius lib. XVI, cap. XXI, *ubi Vrbs Sybaris fuit, ex ipſa Vrbe proſpiciebatur Quercus una, numquam Folia dimittens, nec ante mediam Aeſtatem germinans. In Cruſtumino*, inquit idem lib. II cap. XCVI, *natum Fœnum ibi noxium, extra ſalubre eſt.*

Quercus numquam Folia demittens. Fœnum ibi noxium, alijs ſalubre.

Hæc quibuſdam Italiæ Terris Miracula: quid jam commemorem, quæ in Aquis, Fluvijs, Lacubus, Fontibus, & id genus alijs? Non omnibus me torquebo inveſtigandis. Pauca ex multis ſufficiant. Natura quarundam Aquarum eſt *Indurare Inſecta. Albuneus, Albula Aqua, Anien*, ut adfirmant Adcolæ, vi quadam ſua

Aquæ indurantes Inſecta; Albuneus, Albula, Anien, Anio.

naturali non ſolum *conſolidant & adglutinant Corpora quævis*, verum etiam *Virgulta, Ligna, Folia, Herbas, aliaque ſolidiora*, quæ perfluere contingit, *cortice lapideo ſenſim obducunt.* Quin & in Agro Tiburtino, circum *Anienem, Scopulis Cauteſque* ſæculorum ſucceſſu *ex Aquis concreverunt*; in Planicie vero *Lacus* atque *Paludes* multis in locis *in ſolidum lapideumque Solum.* In Tuſcia Vlimenti Montis radicibus ex Saxo Fons

Fons Tuſciæ.

prorumpit, cujus Aquæ dierum XV ſpatio *quidquid immerſeris lapideo tegunt cortice.* Ibidem *Eiſa* Fluvius, poſt *Sena* exigui Torrentis acceſſum, naturæ eſt talis, ut *iniectum lignum ſaxeo cortice obducat.* Apud Campanos *immerſa in Silarum Folia Virgultaque lapideſcunt*, uti tradunt Strabo, Plinius, alij; nec tamen inmutato colore vel

Eiſa, Sena, Silarus.

forma;

forma: quamquam alias, quod adjicit Plinius, Potus eius sit salubris. De eo & Silius lib. VIII Belli Pœnici:

Nunc Silarus *quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt*
Duritiem lapidum mersis inolescere ramis.

Meminit & *Neptunii Fontis*, qui in Vmbria prope Lacum Velinum, inter Miracula M. Tullius, *Iumentorum Vngulas*, si pluſculum in illo morentur, *indurescere* tradens. Eodem tractu Saxum, per quod *Velinus Lacus* exoneratur, ita quandoq; ab Aquarum indole *excrescit*, ut id ferro expurgari sit necesse, quo semper exitus illi pateat, neve per vicinos agros evagetur. In Foro Iulio Mons Maurus supra Vicum Phornium haud procul ortu Tiliaventi Maioris, Fontem habet mirabilem, in quo *quidquid iniectum Lapidis induit naturam.* Neptuni Fons. Velinus Lacus. Montis Mauri Fons.

Nonnullæ *alios rebus conciliant Colores*. Auctor est Martialis Ebur ablutum *Anienis* Aqua *Candorem accipere*, similiterq; Dentes Humanos. Memorat ad II Virg. Georgic. Servius juxta *Clitumnum*, Amnem Mevaniæ vicinum, *Boves Albos nasci*, Matribus ipso ex Fluvio potantibus. Videndus & Plinius lib. III Natur. Hist. cap. CVI. *Crathidis*, Brutiorum Fluminis, Aquarum natura est, *Capillum efficere flavum*, uti econtra *nigrum reddit Busentus*. Eamdem horum Amnium Vim adserunt Adcolæ in Serico etiam deprehendi: Nam eius Fila si *Crathidis* Aqua redordiantur, *Album*; si *Busentis*, *Fuscum accipere Colorem*. Tribuit eamdem quæ *Crathidis*, efficaciam *Sybari*, qui iamnunc vulgo *Cochilis*, Ovidius in Metamorphosi: quæ Colores mutãt, Anio, Clitumnus, Crathis, Busentus, Cochilus

Crathis, *& hinc* Sybaris, *nostris conterminus oris*,
Electro similes faciunt Auroque Capillos.

De *Crathide* etiam adfirmat Aristoteles: Κρᾶθις τοὺς ἀνθρώπους λευκοὺς ξανθότριχας ποιεῖ: & ex eo Strabo lib. V: Ὁ Κρᾶθις τοὺς ἀνθρώπους ξανθοτριχεῖν καὶ λευκοτριχεῖν ποιεῖ λουομένους. *Sybari* aliam iidem Virtutem adscribunt, ut postea dicam. *Anias* apud Ælianum lib. X. Animal. cap. XXXIX Thuriorum Fluvius, qui tametsi pellucidos habeat liquores: nigerrimos tamen Pisces procreat.

Fatum quoque *vocem quamdam subeunt.* Plinij temporibus, ut ipse testatur lib. II cap. CVI, in Agro Reatino *Fons* erat *Neminia, qui nunc hoc, nunc illo diversoque loco erumpebat*; ea varietate *mutationem Annonæ* significans. Haud procul Narnia quædam Aquarum sunt scaturigines, quarum Vna *Famis Vates*. Nec enim solet erumpere, nisi quum annus proximus gravem & difficilem Annonam est habiturus, uti etiam anno post Christum natum CIↃ IↃ V, maxima indomitaque Fame toti Italiæ calamitoso fuit observatum. Apud Tuscos prope Leciam Aquæ sunt; quæ *Pluviam, densis Vaporibus usque ad Nubes magna vi emissis, prænunciant*, cœlo sereno Fumum rarum humilemque & per vicina se diffundentem exhalantes. Quid velle dicemus Amnes *Sanguine fluentes*? De *Atrato* scribit hoc M. Tullius II de Divinatione, de *Amiterno*, Obsequens in Prodigiorum Historia. An *Aternus* utrobique reponendus, qui hodie apud Samnites *Pescara*? In Piceno idem accidisse tradit præter Obsequentem, quem dixi, Plutarchus in Marcello. quæ quid præsagiunt Fons Neminia, Aqua prope Narniam, & Leciam, Aternus

In Tuscia prope Vicum Abbatiam, inter Florentinorum & Senensium Fines, bini visuntur *Lacus*, intervallo jactus sagittæ disiuncti. Vnus Aquas habet clarissimas, sed, ut aiunt Adcolæ, *Fundo caret*: Alter, paullo minor, *Aqua nigra Atramenti instar, pariterque Vado incomperto est*, totus priori contrarius: quoniam *iniectum lignum extemplo in imum rapit*, ut porro non adpareat, Piscibus omnino carens. Prope Charoneas Scrobes in Campania *Lacus* est, undique ripis altissimis instar Amphitheatri conclusus. Fundum in eo deprehendi non posse, Boccatius etiam est testis. Nihil præter Ranas quidquam generat. Ad Septemtrionem præcelsam habet Rupem, totam Saxo vestitam, ex qua primo Vere tot Serpentium convoluti globi decidunt, & in Aquas magno cum impetu provolvuntur, ut absque vehemente admiratione spectari nequeant. Quamquam autem magna pars in Stagnum delabatur, *nullam tamen omnino conspici, ac ne signum quidem aliquod*, postquam Aquas subierunt, Locorum confirmant Adcolæ. *Aquam* prope Eram Amnem, *Decimas ad Fundum trahentem*, sic describit Facius Vbertus lib. III Cant. VIII. Fundo carentes & in Imũ rapientes Lacus Tusci. Lacus Campaniæ, Aqua Etrusca prope Eram Amnem.

Noi eravamo sopra l'Era, quando
Mi fu mostrato un' Acqua, è per alcuno
Contato a cui di novità domando.

Vsanza

V'sanza è qui fra noi; che ciascheduno,
Che fa Cerchi da Vegge, ivi li moglia,
E ch'e sempre de dieci ne perda uno.
E niun può veder, chi questo toglia:
L'un pensa che i Demoni gli afferra:
E l'altro l'Acqua che da se l'ingoglia.

Apud Etruscos ad pedem Montis Rufoli *Fons* nitidus exsilit *Aqua dulcis, in qua nullo umquam tempore quidquam impuri cernitur: tantæ levitatis, ut* ad trutinam cum ceteris hujus situs Aquis examinata, *cunctis pondere cedat.* In Marka Tarvisina ad exitum amplissimæ Cavernæ, quæ prope Custodiam, Vicentini Agri Pagum, *Lacus* est *Aquæ tam claræ, ut infimum Solum,* ac si nihil obstaret, *perluceat.* Quibusdam in locis altitudine amplius pedum xx est, quemadmodum adferunt Adcolæ, qui multa de Lacu, ejusque amplitudine fabulosa narrant. Pisces omnino nullos habet, præter Squillas minimas, nec iis marinis dissimiles, quæ vulgo Venetiis solent vendi.

Anagniæ, Latij opido propinquus *Fons* est *Tufanus; hieme, Celano Lacu glacie constricto siccus; autumno vere, ac æstate redundans,* ut ab illo Lacu originem habere credi queat. Blondus sane *Fontem* hunc ab eo *Lacu* creari per abditas humo Vias conjectat: ejusque rei non vulgare videtur argumentum, *quod,* ut dixi, *congelato Lacu, exsiccetur.*

Saporem Aquæ quædam *habent singularem.* Prope Linternum in Campania *Acidulus* ille *Fons,* de quo Plinius, hodieque invenitur: cujus Aquæ, vini modo, *faciunt temulentos.* Aquam in Caleni, quæ Campaniæ Vrbs, Agro fluere *homines inebriantem,* ut Vinum, tradit Valerius Maximus, de Miraculis. In Agro Thurino, qui Magnæ Græciæ, Aquæductus adparet veterrimus, quem quidam volunt illius fuisse *Fontis,* à quo Thuriorum nomen acceptum. Huic Ætati vulgo *Aqua che Favella* dicitur, fortassis ab dulcedine suavitateque summa. In Etruria prope Libbianum *Fons* est, *Aqua* dictus, quem quod *acidus, acutique saporis & mordacis,* nulla gustant Animalia.

In Magna Græcia *Sternutamenta excitat Cochilis,* qui quomdam *Sybaris.* Aristoteles: ὁ μὲν Σύβαρις τοὺς πινόντας ἀπ' αὐτοῦ πτυρτικοὺς εἶναι ποιεῖ: quæ diffundens Strabo, ὁ Σύβαρις, inquit, τοὺς πίνοντας ἵππους ἀπ' αὐτοῦ πτυρτικοὺς ποιεῖ: διὸ καὶ τὰς ἀγέλας ἀπείργουσιν ἀπ' αὐτοῦ.

Sunt quæ *supra modum frigent.* In Vmbria propter Narem *Fontes* sunt plurimi, varia natura & conditione. Est inter alios ex caverna magno cum impetu copiosissime prorumpens, *tantæ frigiditatis, tactum ut vix ferat. Amnis* in Vrbe Samnitium Telesia nascitur *tam frigidus, ut nullum generet Piscem. Cutilias Aquas* in Sabinis *gelidissimas* esse scribit Plinius lib. nat. Hist. xxxi. cap. ii.

Contrarium habent aliæ genium. In Agro Viterbiensi *Aquæ* sunt *Caiæ,* Veteribus nobilitatæ, hodie *Bollicane* dictæ; de quarum *ardore* canit Facius lib. iii, Cant. ix:

Io no'l credea perche l'havesse udito
Senza provare si Bolicane fosse
Acceso d'un bollor tanto infinito.
Ma gittavi un Monton dentro si cosse,
In men che l'huomo andasse un quarto miglio,
Ch'altro non vedeva, che proprio l'osse, &c.

Aqua Lecia. Haud procul Lecia quibusdam in locis *Aquæ tanto strepitu, tantaque violentia bulliunt, ut aiit udine pedum x exsiliant, nec minore cum sonitu rursum cadant: præterea tanti sunt fervoris, ut injectis Animalis Vivi Ossa extemplo carne nudata sursum emergant.*

Mistæ quasi sunt quædam *indolis.* Tradit Pausanias *Anieni Aquas* ea esse natura, *ut ad primum contactum gelidissima, mox paullatim calescere videantur.* Sunt & in Tuscia prope Leciam *Aqua* claritatis præcipuæ, quæ *quum bullire magna videantur vi, ad tactum tamen rigent.*

Medicatæ, ut sunt. Quid jam dicam de *Aquis,* quæ *salutarem adferre medicinam solent Corporibus adfectis,* quæque variis conflictantur Morbis? In Campania quomdam fuerunt innumeræ, quarum multas cum variis hic ibi Terræmotibus haustas esse, tum Tri-

pergulana

pergulana Conflagratione, quæ in annum CIↃ IↃ XXXVI incidit, intercidiſſe conſtat. Viſuntur nihilominus circa Baias, locisque Averno vicinis adhuc magna copia. De *Baianis* univerſum Plinius lib. XXXI. cap. II: *Aquæ nuſquam largius, quam in Baiano Sinu, nec pluribus auxiliandi generibus: aliæ Sulphuris, aliæ Aluminis, aliæ Salis, aliæ Nitri, aliæ Bituminis, nonnullæ acida ſalſave mixtura. Vapore quoque ipſo aliquæ proſunt: tantaque eis eſt vis, ut Balineas calefaciant, ac Frigidam etiam in Soliis fervere cogant, quæ in Baiano* Poſidianæ *vocantur, nomine accepto a Cai Cæſaris Liberto. Obſonia quoque percoquunt. Vaporant & in Mari ipſo, quæ* Licinij Craſſi *fuere: medioſque inter Fluctus exiſtit aliquid Valitudini ſalutare*, &c. Prope Baias ad oram Locus monſtratur, ubi quondam ſplendida fuerunt Ædificia; *Balnea Baiana* vocant Adcolæ; Medici vere *Sudatoria*, in ripam nonnihil excavata. Juxta eadem in ora littoris ampla Domus ad Rupis pedem in Saxum exciſa conſpicitur, ubi *Balneum Trituli* (*di Tritoli*) Medicis dictum; ſed vulgo vel *Ciceronianum* (*di Cicerone*) quod in Villa Ciceronis, Academiæ nomine clara, putetur exſtare; vel *Pratenſe*, quod in Prato ſit. Satis conſtat Cicerone vivo Fontes hos nondum fuiſſe apertos. Nam poſt ejus exceſſum C. Antiſtio Vetere Villam poſſidente primum erupiſſe, carmineque Tullij Laureæ Ciceronis Liberti celebratos, Plinius eſt auctor. Verſus adſcribam, ut quid eo etiam tempore virium habuerint, non ignoremus:

Baiana Aqua. · *Balnea Baiana.* · *Tritulianum, quod & Ciceronianum & Pratenſe.*

> *Quo tua, Romanæ Vindex clariſſime Linguæ,*
> *Silva loco melius ſurgere juſſa viret;*
> *Atque Academiæ celebratam nomine Villam*
> *Nunc reparat cultu ſub potiore Vetus:*
> *Hic etiam adparent* Lymphæ *non ante repertæ,*
> Languida quæ infuſo Lumina Rore levant:
> *Nimirum Locus ipſe ſui Ciceronis Honori*
> *Hoc dedit, hac Fontes quum patefecit ope.*
> *Ut, quoniam totum legitur ſine fine per orbem,*
> *Sint plures oculis quæ medeantur Aquæ.*

Locus elegantiam habet ſummam; Cryptaque eſt mirabili artificio in ſaxum excavata: ubi & Imagines erant, Manus ad adfecta corporis loca tenentes, quibus Aquæ Facultas auxiliabatur. Nunc maiore ex parte diſiecta ſunt omnia: nobiliſſimorum tamen Colorum, quibus Ædificium fuit depictum, indicia etiam nunc ſuperſunt. Fons interdiu ſemel, & item noctu, cum Occaſu Exortuque Lunæ, calidam ac fumantem Aquam in Balnei Lacum emittit: quo repleto pars in Mare quodam Rivulo defluit; pars ad Fontem revertitur. Ulterius ad dextram vergenti Aqua puriſſima, ſed pene fervens & tactu vix innoxia offertur, quam pleríque credunt in *Balneum Ciceronianum* vel *Tritulianum* Viis occultis diffluere. Alia ſunt hoc tractu *Balnea Baiana* dicta, quæ nunc omitto. Pleraque memorat Strabo, quum apud Baias Aquarum Calidarum Fontes, non ſolum adfectæ Valitudini multis modis auxiliantes; ſed etiam Voluptati atque Delitijs oportunos, erumpere perhibet. Iam quæ vicinis Averno locis ſunt, indagemus. Pandit ſe ibi primum ad Avernum læva *Balneum Arcus* (*Bagno dell' Arco*) ſic appellatum ab arcuata Ædificij forma. Sequuntur *Aquæ Raverianæ* (*di Raverio*) ita ab Inventore dictæ. Tum alio latere verſus Puteolos *Tripergulana* erant *Balnea* ab Loci ſtructura ſic nominata, Domo nimirum tripartito diviſa. Succedunt *Aquæ D. Nicolai* (*di S. Niccolò*) quæ quod, inquit Leander, inopibus auxilio eſſe ſoleant, illius Divi more, quum alia *Balnea* Potentes plerumque petant, ita fuerunt vocatæ. Poſtea *Balneum Scrofæ* eſt; deinde *D. Luciæ*, ſaluberrimum oculis, unde quoque nomen creditur inditum; Vulgo Divæ huic Tutelam Oculorum tribuente. Occurrit inde *Balneum Arculi* (*dell' Arcolo*) ab Ædificij forma denominatum, aliterque *D. Mariæ* dictum. Hinc *S. Crucis* eſt, imprimis Pedibus, Manibus, Lateri ſalutare; & quod ex CHRISTI in Cruce pendentis partes Vulneribus compunctæ fuerint, *Crucis* nuncupatum. In ora littoris ſunt *Aquæ Cantarellæ* (*di Cantarello*) ſic à Balneorum forma vocatæ: quibus ab latere *Balneum Fontanum* eſt (*di Fontana*) ita dictum, quod inſtar Fontis Aquæ ejus perpetuo ſcaturiant. Sequitur ad littus juxta Templum D. Mariæ *Balneum Olei Petrolei*, ſic vulgo nominatum, quod is Liquor cum ejus Aquis conjunctus eſſe tam aſpectu,

Arcus. · *Raverj.* · *Tripergulana.* · *D. Nicolai.* · *Scrofa.* · *S. Luciæ.* · *Arculi, quod & D. Mariæ.* · *S. Crucis.* · *Cantar. Bal.* · *Fontanum.* · *Olei Petrolei.*

quam

quam odoratu percipiatur. *Culmanum* inde juxta pedem celsiſſimi montis Culmæ eſt, vulgo propter altitudinem ſic dicti, Templo D. Mariæ imminentis. In littore dein *Solis & Lunæ* occurrit ab Vi cognominatum, qua ceteris Aquis, uti Sol & Luna Stellis omnibus, antecellit. Succedit hinc *Gibboroſum* (*Bagno di Gimboroſ*) ita vulgo ab Ædificii forma, quæ tamquam Gibbus eſt, appellatum. Juxta eum Fons adparet *Episcopalis*, Balneum ab Epiſcopo quodam ædificatum, quod Podagræ vehementer auxiliatur. Adſcenſu deinde paſſuum aliquot *Aquæ Fatorum* (*Bagni di Fati*) inveniuntur, ita dictæ, quod repertas Fato credant, vel ut alij cenſent, Etymo ex Italorum lingua ducto, quod ejus Teſtudo opere lautiſſimo ſit perfecta & elaborata. Haud procul inde *Balneum Bracula*, Nominis item Etymologiam ex Italorum Idiomate trahens, nimirum ab humilitate loci ac rotunditate. Poſt hæc *Balneum Speluncæ* eſt, ita dictum, quod ejus in Specu ſit Lavacrum, cujus Aqua Cerebrum adjuvandi vim habet; &, uti Galenus tradit pondere quinum drachmarum pota quotidie, Vitijs tam infra, quam ſupra diaphragma medetur omnibus. Plurimi præterea ſitu hoc ab Agro Falerno uſque ad Miſenum ſaluberrimi, tam Calidarum quam Frigidarum Aquarum, Fontes erumpunt, quorum adhuc incomperta natura; tum quod Ædificiorum abditi ruinis lateant, tum propter Adcolarum incuriam imperitiamque: quapropter æſtimari poteſt Tractum hunc totum ferme non niſi *medicatis Aquis* ſcatere. Multi etiam ultra Puteolos poſt Pilas, quæ vaſtiſſimæ in Mari conſpiciuntur, ſalubrium Aquarum Fontes proſiliunt, cum primis, quod *D. Anastasij Balneum* à propinquo ejus Divi Sacello vocant. Aquam cupienti in arena fodiendum eſt. Haud procul inde Caverna quædam Rupis Aquam habet longe ſaluberrimam, obſtructis Adcolarum incuria Fontis meatibus, in arena depereuntem & occultis in mare dilabentem Vijs: quapropter uti volentibus contra Specum Lacus eſt egerendus, in quo ſcateat. Vulgo propter mirabilem ad plurima medicam Virtutem *Subſidium Hominis* appellant, *Bagno dell' Ajuto dell' Huomo*. In alterius deinde Rupis latere *Balneum Calaturæ* eſt, ita dictum, quia Montem ipſum *Calaturam* vulgo vocitant. Sequitur ſub Monte Rupis *Petranum* ob Aquarum ejus Vim, quæ Calculum frangunt, denominatum. Mox in littore *Balneolum* eſt, ab modica Fontis forma ſic dictum. Vlterius *Aquæ Juncoſæ* (*Bagno di Iuncara*) quibus nomen ab Iuncis ibi naſcentibus. Denique juxta littus *Balneum Cryptæ* eſt. Haud procul Maſſico Monte, ubi nunc Turris Balneorum, Calidi quoque Fontes prorumpunt, ad plurima Morborum, ut Strabo ſcribit, genera ſalubres. Eas Aquas Tacitus *Veſuvianas* appellat, quum de Tigillini morte in hæc verba ſcribit: *Tigillinus, accepto apud Aquas Veſuvianas ſupremæ neceſſitatis nuntio, inter ſtupra Concubinarum & oſcula & deformes moras, ſectis novacula faucibus, infamem vitam fœdavit etiam exitu ſero & inhoneſto.* Propinquo Sinueſſæ loco ſupra Arcem Montis Draconis Aquæ Calidæ reperiuntur, quæ *Balnea Gangiana* nunc Adcolis vocantur. De ijs, puto, loquitur Tacitus lib. XII Annal. *In tanta mole curarum Claudius valetudine adverſa corripitur, refovendiſque viribus mollitie cæli & ſalubritate Aquarum Sinueſſam pergit.* Hactenus *Campanas Aquas*, quæ medicinam Corporum Morbis Vitijſque faciunt, recenſui: neque carent hujuſmodi Naturæ Donis reliquæ Italiæ partes. In Latio ſubiecta Tiburi planicies propter Anienem plurimis *Aquis gelidis* ſcaturit, quas *Albulas* vocant, multa medica virtute cum potæ, tum Balneo adhibitæ pollentes, ut ſcribit Strabo. Nomen *Albularum* ab Coloris albedine captum, quam Metallum Sulphuris, unde Fontes promanant, efficit. Martialis lib. 1 Epigr.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canaque ſulphureis Albula *fumat* Aquis.

Similes natura Labanis in Agro Nomentano, itemque alijs circa Eretum Aquis, ut Strabo memoriæ prodit. In Tuſcia vicina Agillæ (ab Cære Veteri haud multum diſtanti) *Cæretana Balnea* deſcribit Strabo ſaluberrima: quæ hoc ævo *Balnea Sabatina* dicuntur, ab Lacu Sabatino. Ad Vmbronem Fluvium juxta Paganicum oppidum *Balnea* ſunt *Petrioli*, cum alijs in agro Senenſi, quorum priſcis temporibus & pretium & uſus fuit. Patet hoc ex Oratione M. Tullij pro Cælio, *Senenſium Aquas* memorantis. Sic Martialis ad Oppianum:

Etruſcis *niſi tremulus laveris,*
Inlotus morieris Oppiane.

Prequen-

Frequentantur etiamnum Ægris. Non procul Lecia Aquæ sunt, quarum Virtus, *ut salsæ & adsatim potæ, moxque vel ore vel alio naturæ abscessu reddita, mirabilem in modum corpora malis plurimis emundent. Sterilitatem quoque Mulieribus auferunt, Fœcunditate reposita.* Ad Montem Vlmentum, prope Febianum Vicum, *Fons* est *Aquæ dulcis, potu Vbertatem Lactis intermissam Nutricibus restituens.* Refert ex Varrone Plinius ad Soractem esse *Fontem* Latitudinis pedum quatuor; & Sole Oriente *exundare ferventi similem, Avesque, quæ gustaverint, juxta mortuas concidere.* Addit Leander eam rem à Blondo etiam in Italia confirmari, qui nec putandum ait tale quid fieri haud posse, quod & in Silvis Antijs, ubi *Fons* exiguus inter ingentes Ædificiorum ruinas, ipse oculis viderit, *Aviculas duas, iis Aquis gustatis, repente jacuisse mortuas.* Sunt & alterius in Etruria *Fontis* Agro Montis Politiani *Aquæ*, uti sermonibus aliorum accepisse se testatur Leander, quarum par omnino Vis & Natura. Sed quum his adfectæ post potum Aquis, Volucres jam, uti spiritu destitutæ, jacent, si mox alium in locum transferantur, Sensus Integritatemque recipiunt. In Vmbria, haud procul Narnia, multæ *Fontium* ostenduntur Scatebræ, nominatim quæ non ita pridem anno CIↃ IↃ VII repertæ, cujus Aquas Infirmi qui potassent, Morbis Malisque omnibus liberabantur: unde mox maximo concursu Ægri omnibus ex partibus huc confluere cœperunt, quibus hausti Fontis latices salutem impertiebantur. Hac de caussa quum Narnienses Advenarum hospitio Tabernas Aquæ adjicere decrevissent effodiendis Novo operi Fundamentis Vetera Ædificiorum sunt inventa, quo constitit etiam olim hunc in pretio *Fontem* fuisse. Al ibidem sunt *Fontes* in ripa Naris Montisque radicibus Hortam usque permulti; quorum fortassean Natura maxime quoque salutaris, quamquam incomperta. De *Cutiliis Aquis* sic scribit Strabo lib. V. Τὰ ἐν Κωτιλίαις ψυχρὰ ὕδατα, ἀφ' ὧν καὶ πίνουσι, καὶ ἐγκαθίζοντες θεραπεύουσι νόσους. In Flaminia ad Sapin fluvium opidum est D. Mariæ in Balneo, ita cognominatum ab *Aquarum medicatarum* tam potu, quam lotione ad multas Infirmitates salubrium Balneis. In Romanula *Balnea* sunt *Porrectana*, opidum honestum; ubi ex Saxo Medicatæ Aquæ calidæ magna copia prorumpunt: quarum Vis omnibus notissima, Vulgi dicto hujusmodi celebrata: *Chi beve l'Acqua della Porretta; O che lo spazza, o che lo netta.* Bovis ductu *Fontem* ab Agricola quodam anno CIↃ CCCLXXXV repertum, docet pluribus Leander. In Langbardia Cis-Padana Mons est, Apennini portio, Zibius; supra quem ex Saxo latex prorumpit Olei cum Aqua misti specie, Vulneribus mirifice conferens. *Aponus* juxta Montes Euganeos, prope Vicum cognominem, multis scaturit locis; sed quinque maxime nobilibus: I Ad Radices Montis Ortonis Fonte exiguo; II ad pedes Montagnoni, ubi *Balnea* amplissima, vivis lapidibus ab Theodorico Ostrogotho exstructa post exustionem Attilanam; III inter utrumque humili clivo, in medio Agro, ubi Crater vivo saxo sub dio exstat, Aqua fervidissima perpetuo Canale duas Molas Farinarias versante; IV prope Batalleam, ubi *Fons* ab *S. Helena* denominatus è Saxo scaturit; V ad D. Bartholomæi Ædem, ubi Limus sive Lutum Medicatum Artuum doloribus efficacissimum, eruitur. Celebrant *Aponi Fontes* Martialis, Claudianus, Suetonius. Exstat Epistola Theodorici Regis ad Aloysium Architectum Patavinum, de reparandis *Aponi Balneis* elegantissima apud Cassiodorum. Inter reliqua & illud, *Furto ablatam Pecudem Fonti immersam prius decoqui, quam Pilos amittere.* Ad *Aponi Fontem* Divinationem exercere solitos Veteres, ex Suetonio notum; qui C. Cornelium Augurem Patavinum, jactis in Aponi Fontem Talis aureis, quum summum numerum ostendissent, Imperium Tiberio prædixisse testatur. Situm & Virtutes describit Bartholomæus Viottus. Iacobus Dondus Medicus, idemque Horologij Patavini artificiosissimi Inventor, ex *Aquarum Aponi* mille Libris Salis candidissimi Libram effici, absque majore coctione, edito libro docuit anno CIↃ CCCXL. Ea caussa structæ ibi Ædes Novæ, ubi Lacuna parva & ceteris magis salsa est, Carrariensium benificio. Vnde *Balneæ* adhuc nomen retinent *Casa Nova.* Vocari nunc *Bagni d'Abano* notat Leander; vel *Ebano*, docet Savonarola. *Aqua Patavina* fortean Plinio; Ἡλιξείδες Stephano.

Aqua Leciæ. *Fons Febianus.* *Fons ad Soractem Montem.* *Fons Politianus.* *Fons Narnienses.* *Cutiliæ Aquæ.* *Balneum D. Mariæ.* *Balnea Porrectana.* *Aqua Zibia.* *Aponus.*

CAPVT XIV.

Italorum *Genius & Indoles.*

Itali.

REGIONIS ipsius cum Adjunctis, tum Partibus hactenus descriptis: flagitat Methodus, ut ad *Incolas* vertatur sermo. Hos considerabo & Gubernatos, & Gubernantes. In iis Adjuncta perpendam, eaque partim Inhærentia, ut *Indolem* vel *Genium*; partim Adhærentia, ut *Mores* & *Linguas*.

Comes, Ingeniosi. Honorum avidi. Luxuriosi, Vindictæ cupidi,

Quod ad *Indolem Geniumque*, Itali Comitate, Convictus facilitate, faceris Colloquiis alios antecellunt Populos. Felici fœcundoque nati Ingenio, supra modum prompti sunt in excogitando; & Docilitate percipiendis cum Litterarum studiis, tum variis Artibus præstant incredibili: Honoris ab omni ævo & Gloriæ sitientissimi, Laudisque præter alios adpetentes. Cum lacte Voluptatem inbibentes, propensi sunt in Mollitiem; in Luxuriam proclives; in Venerem soluti. Vindictæ vehementer sunt cupidi, eamque Vita ipsa jucundiorem censentes, Testamentis suis mandare consuerunt Posteris.

Mulieres quales.

Mulieres porro variarum hic Civitatum depingit scite admodum Membrana quædam, quam suis Italiæ Monumentis adposuit V. Cl. Laurentius Schraderus Halberstadiensis. Ea, inter alia, hæc habet: *Senenses*, pulcræ; *Florentinæ*, delicatæ; *Perusinæ*, elegantes; *Caietanæ*, formosæ; *Consentinæ*, obstinatæ: *Beneventanæ*, rusticæ; *Bononienses*, arrogantiunculæ; *Mutinenses*, benignæ; *Cesenates*, rapaces; *Genuenses*, falaces; *Cremenses*, fallaces, *Placentinæ*, difficiles; *Lucenses*, castæ. *Pistorienses*, faciles; *Romanæ* graves, *Capuanæ*, superbæ; *Neapolitanæ*, solicitæ; *Brundisinæ*, inertes; *Ferrarienses*, avidæ. *Ravennates*, humanæ; *Urbinates*, adfabiles; *Vincentinæ*, constantes; *Parmenses*, avaræ. *Papienses*, lucri-cupidæ; *Mediolanenses*, urbanæ; *Pedemontanæ*, procaces; *Venetæ*, petulantes; *Veronenses*, gratiosæ: *Brixianæ*, diligentes: *Formianæ*, speciosæ; *Laudenses*, superstitiosæ; *Cremonenses*, sumtuosæ; *Tarvisianæ*, zelotypæ; *Bergomates*, astutæ; *Aretinæ*, tenaces; *Puteolanæ*, bellæ.

Qui quales ament.

Qui vero quales & quo modo ament, sequentibus eadem exponit Membrana: Proceram *Mediolanenses*, non zelotypi; Saltatricem *Mantuani*, soliciti; Arrogantem *Neapolitani*, perditissimi; Pertinacem *Lucenses*, constantes, Carnosam *Veneti*, libidinosissimi; Grandem *Senenses*, indefessi; Audacem *Perusini*, ardentes; Facundam *Urbinates*, cauti; Tumidulam *Brixienses*, firmi; Candidam *Calabri*, pertinaces; Exiguis mamillis *Patavini*, depereuntes; Elegantem *Vincentini*, diligentes; Lacertosam *Genuenses*, odiosi; Purpurissatam *Mutinenses*, gnavi; Gravem *Bononienses*, fideles; Iucundam *Placentini*, acres; Cantatricem *Cremonenses*, avidi; Blandam *Veronenses*, molles; Animosam *Romani*, insani; Obsequentem *Ravennates*, cupidi; Ingenuam *Pisani*, vehementes; Pinguem *Tarentini*, profusi; Bene habitam *Monopolitani*, strenui; Patheticam *Cortonenses*, furiosi; Rubicundam *Pistorienses*, sedati; Nitidam *Saxonenses*, placidi.

Quibus modis adliciant.

Quibus denique Inlecebris Philtrisque Hi Illi Amicas adliciant, his eadem Membrana docet: *Mediolanenses*, magnificentia; *Florentini*, rythmis; *Lucenses*, molestia; *Senenses*, lacrymulis; *Urbinates*, oratione; *Mantuani*, mimis; *Neapolitani*, equis; *Veneti*, auctoritate; *Perusini*, blasphemiis; *Veronenses*, obsequiis, *Bononienses*, donis; *Romani*, jocis; *Cremonenses*, cantilenis; *Vincentini*, perpetua consectatione.

Italicus Color & Statura

Color porro Italis varius, Statura non una. In Cis-Alpina Gallia, Venetoque recessu Color vulgo cādidus, Statura procerior: contra in plera Etruria, Latio, Campania, Lucania & Brutiis, aquilus Color, Capillus niger, Statura brevior, quæ etiam deridiculo fuisse legitur Gallis. Eadem in Picentinis, aliisque qui Superi Maris oram adcolunt in Magnam usque Græciam: nisi quod in Apulis, Calabris, iisque, qui extremam tenent Italiam, Græcos fere æmulentur; Græci plurimum ipsi, origine.

Itali litteratorum Mecœnates. Academiæ per Italiam.

Litterarum Cultores Itali, quantum in ipsis est, tuentur, fovent, alunt, ornant; iisque omnia bonorum Mecœnatum exhibent officia. Hinc tot per Italiam *Academiæ*, quas suis commemoro locis, *Romana*, *Mediolanensis*, *Bononiensis*, *Patavina*, *Papiensis*, *Neapolitana*, *Perusina*, *Salentitana*, *Pisana*, *Ferrariensis*, *Senensis*, *Florentina*, *Veneta*,

neta, Bergomensis, Mutinensis, Taurinensis; Nam *Parmensis*, *Placentina*, *Anconitana*, & *Maceratensis* magna ex parte interierunt. Inde item tanta Doctorum, summaque Eruditione varijs Artibus & Disciplinis præstantium Virorum copia. Stupendum fuit ab ijs omne Ævum. Qui prisci, qui medij, paucis per Satyram quasi colligam: quos nostrum vidit videtque, ad Patrias plerosque suas in sequentibus notabo. Non singularum Facultatum proferam hic Lumina. *Theologos Medicosque* suis adferam locis. Notam mihi ingressurus arenam, *Iurisconsultos* dabo, tanquam in exemplum, utque vel ex ijs pareat solis, quot Soles huic Regioni nullo non tempore inluxerint. Legum scientia claruerunt olim, Iurisque Nodos & Ænigmata solvendi fuerint periti, *Sex. Papirius*, qui Leges Regias in unum collegit, unde *Iuri Papiriano* nomen: *Ap. Claudius Sabinus Regillensis*, unus ex X Viris, cujus maximum fuit in XII Tabulis conscribundis consilium: *Ap. Claudius Crassus Cæcus*, quem de Actionibus & Vsurpationibus scripsisse traditum est: *P. Sempronius*, quem Pop. Rom. Σοφὸν cognominavit: *P. Cornelius Scipio Nasica*, Vir Optimus ab Senatu appellatus; ingenio sapientissimus, unde vulgo *Corculum* dictus: cuique publica Domus in Via Sacra data est, quo facilius consuli posset: *Q. Mucius Scævola*, qui Ciceroni Iurisconsultorum disertissimus: *Ti. Coruncanius*, qui Primus Ius profiteri cœpit: *Sex.* & *P. Aelij Peti* Fratres, quorum ille Librum composuit, qui *Tripertita* inscribebatur, Cunabula Iuris continentem, sic autem vocatum, quod Lege XII Tabularum præposita, jungeretur Interpretatio; deinde subtexeretur Legis Actio: *P. Atilius*, qui Primus a Populo *Sapiens* est appellatus: *M. Porcius Cato*, Porciæ Familiæ Princeps. Hos sequuti sunt *P. Mucius Scævola*, *M. Iunius Brutus*, *M. Manilius*, insignes Iuris Fundatores; quorum Primus X Libellos reliquit, Secundus VII, Tertius III. *Manilius* is, quem L. Crassus apud M. Ciceronem de Oratore III transverso se vidisse Foro ambulantem dicit; quod erat insigne, eum, qui id faceret, Civibus omnibus Consilij sui copiam facere. Ab his profecti sunt *P. Rutilius Rufus*, quem Cicero magnum de Iure Munus sustinuisse, multaque præclara de Iure scripsisse tradit: *Paullus Virginius*, *Q. Aelius Tubero*, Stoicus, *Sex. Pompeius*, Cn. Pompei Magni Patruus, Stoicarum etiam rerum peritia clarus; *L. Cælius Antipater*; multorum etiam, inter illos L. Licinij Crassi, Magister. Post hos *Q. Mucius P. F. Scævola*, Pontifex Maximus, qui Ius Civile Primus constituit generatim in libros XIIX redigendo. Ejus Auditores fuerunt complures; sed præcipuæ auctoritatis *C. Aquilius Gallus*, maximi Populo æstimatus, qui Legem tulit de Dolo Malo; *L. Lucilius Balbus*, summus Stoicus; *Sex. Papirius* & *C. Iuventius*. Successit his *Ser. Sulpitius*, Balbi Gallique Discipulus, qui prope centum & octoginta libros reliquit. Ab hoc plurimi profecerunt; fere tamen hi Libros conscripserunt, *P. Alphenus Varus*; *Cassius*; *A. Ofilius*, Q. Ælij Tuberonis Præceptor; *T. Cæsius*; *Aufidij Tucca & Namusa*; *Flavius Priscus*; *C. Atteius Capito*; *Pacuvius Clemens*; *Q. Antistius Labeo*; *Cornelius Cinna*; *L. Gellius Publicola*, quem Athenis scribit Cicero de Legibus Philosophos omnes convocasse, ipsisque Auctorem fuisse, ut aliquando Controversiarum aliquem facerent modum. Fuerunt eodem tempore *C. Trebatius Testa*, Cornelij Maximi Auditor; *A. Cascellius*; *Q. Mucius*, Volusij Discipulus. Sequutus inde *Q. Aelius Tubero*, qui Ofilio dedit operam. *Atteius Capito*, & *Antistius Labeo*, primum duas quasi sectas fecerunt: hic multa innovavit, ille, in his quæ tradita ipsi fuerant, perseveravit. Capitoni successit *Masurius Sabinus* (de quo Athenæus lib. XIIII. Δειπνοσοφ. Μασούριος ὁ πάντα ἄριστος καὶ σοφός, καὶ γὰρ νόμων ἐξηγητὴς οὐδενὸς δεύτερος) Labeoni *Nerva*, qui Dissensiones auxerunt: Sabino *C. Cassius Longinus*; Nervæ *Proculus*: appellatique ab ijs sunt *Cassiani* & *Proculeiani*. Cassio quasi suffectus *Cælius Sabinus*; Proculo *Pegasus*; Cælio *Priscus Iavolenus*, Pegaso *Celsus*; Patri Celso *Celsus Filius* & *Neratius Priscus*; Iavoleno *Aburnus Valens*, *Tuscianus*, *Salvius Iulianus*. Commemorat hos omnes Auctor. l. 2. D. de Orig. Iuris. Recensentur præter Superiores, nonnulli, qui proxime sequuti, plerique Itali in Indice, qui Pandectis præfixus, *Cerbidius Scævola*, *Papinianus*, *Pomponius*, *Mæcianus*, *Mauricianus*, *Africanus*, *Marcellus*, *Florentinus*, *Venuleius*, *Tertullianus*, *Iustus*, *Vlpianus*, *Paullus*, *Triphoninus*, *Callistratus*, *Menander*, *Marcianus*, *Gallus Aquila*, *Modestinus*, *Tarruntenus Paternus*, *Macer*, *Arcadius*, *Rufinus*, *Maximus* & *Hermogenianus*: ex quorum Scriptis Iuris Pandectæ compositi sunt & conjuncti: quibus, ut & Decretalibus inlustrandis incredibilem suppeditarunt copiam variæ Italiæ Vrbes & oppida. Gaudent

Docti Viri.

præter Theologos Medicosque, Iurisconsulti. A[illegible] Antiqui.

dent suis in Etruria Pisæ *Francisco Tigrino* & *Andrea.* Plumbinum, *Benedicto* Luca, *Hieronymo, Lanfrancoque.* qui alius a Brixiensi. Pistoria, *Cyno*; Florentia, *Accursio, Laurentioque a Podio pilis*; Mugellum, *Dyno* & *Ioanne Andrea*: Mons Sansovinus, *Fabiano*; Sena, *Friderico Petrutio, Bartholomæo Sozino*, *Martino* alio ab Laudensi & Fanensi, *Thoma Doc...o.* Aretium, *Gratiano, Francisco de Albergottis*, alioque *Francisco*, sua ætate Iurisconsultorum Principe, *Angelo de Gambellionibus* & *Bonaguido*; Perusia, *Baldo*, qui Bartoli fuit Discipulus, & Gregorij XI ante Pontificatum Præceptor, *Angelo*, *Benedicto Calla, Angelo de Periglis, Baldo Novello à Bartolinis*, *Ioanne Baptista, Ioanne Petrucio, Nicolao de ...*, *Bartholomæo, Petro Vbaldo* & *Philippo Franco*; Castrum, *Paulo*, qui inde *Castrensis*; Opidum denique D. Geminiani, *Dominico* & *Nello.* Vidit in Latio Forum Livij *Rainerium* Bartoli Magistrum, & *Argentinum.* Mundo dederunt in Campania Minianum *Recuperatum*; Cumæ, *Raphaelem*; Neapolis, *Nicolaum, Iacobum*, *Alexandrum ab Alexandro, Paridem a Puteo.* Superbiunt suis in Piceno Firmum *Ioanne Baptista ...*, Ancona, *Petro Gratiano*: Saxoferratum, *Bartolo*, Iuris Lucerna, Fanum, *Lanfranco a Pa... Rubeo. Martino*que alio ab Laudensi & Senensi. Genuit Pons Castellanus, Vmbriæ opidum, *Ludovicum Pontanum.* Alumnos habuerunt apud Samnites Beneventum *...* & *...*; Æsernia vero, *Andream*, nobilem Vrium Feudalium Interpretem. Censetur apud Apulos S. Severi opidum ab suis *Francisco ...*, & *Ioanne Baptista ....* In venerandam Iustitiæ Officinam miserunt ex Romanula Bononienses *Azonem*, *Guidonem*, *Ioannem Calderinum*, *Petrum Ancoranum, ... à Mantigelis, ... ab Arenguidis*, *Iacobum Buttigarium, Boncontum Andream, Egidium, ... a S. Petro, Ioannem Ananum*, qui & *Archidiaconus, Fredericum a Scalis, Marcum Antonium Bacerium, ... Passagerium, Ioannem Campegium. Matheum Mathesillanum, Petrum Andream Gambarum, Ludovicum Bolognunum, Andream Alciatum*, & alios: Imolenses, *Ioannem* & *Alexandrum*: Ferrarienses, *Felinum Sardum* & *Ludovicum Sardum.* Inlustrarunt legitima scientia suas in Langbardia Cispadana Patrias Regium quidem *Philippus Casolus*, Parmam, *Bernardus, Franciscus Lucanus, Vgolinus a Fontana*; Placentiam, *Raphael Fulgosius, Albertus de ...*, *Ioannes Franciscus Ponzinicus*; Astam, *Albertus Brunus*, & *Ioannes Nevisanus.* Arenam hanc ingressi sunt ex varijs Langbardiæ Transpadanæ Civitatibus, Mantua quidem *Bonifacius à Vitalinis* & *Guido de Susania*; Mediolano, *Philippus Decius, Bernardinus Landrianus, Paullus Cittadinus, ... Maynus, Signorolus de Homodeis, Ioannes ...*; Cremona, *Bosianus, Martinus, Richardus Malumbra,* & *Nicolaus*; Brixia, *Bartholomæus, Laurentius Carasseus, Lanfrancus*, alius ab Lucensi, *Marinus, Stephanus Fridericus*; Papia, *... a Curte, Stephanus Costa, Franciscus Curtius*; Laude Pompeia, *Oldradus, Martinusque* alius a Fanensi & Senensi: Vercellis denique *Franciscus.* Bearunt in Marka Tarvisina Venetias *Nicolaus Superantius, Petrus a Monte, Petrus Marocenus*: Veronam *Bartholomæus Cepolla* & *Iacobus de Arbizono*: Paduam denique *Franciscus Zabarella, Baptista a S. Blasio, Ioannes Iacobus a Canibus, Ioannes Franciscus, Ioannes ...*, & *...*. Prodierunt, ut concludam, ex Pedemontij Civitate Turino *Ambrosius de Vignate*, & *Ioannes Grassus.*

Historijs scribundis memorandum apud Posteros nomen condiderunt *M. Porcius Cato Censorinus, Q. Claudius Quadrigarius, L. Cornelius Sisenna, M. Terentius Varro, Q. Fabius Pictor, L. Calpurnius Piso Frugi, C. Fannius*, C. Lælij Sapientis Gener, *L. Cælius Antipater, Sempronius Asellio*, Trib. plebis, *C. Licinius Macer* (quem Livius lib. VII. notat, ut studio suæ gentis ab Vero digressum) *L. Valerius Antias, L. Cassius Hemina, Q. Aelius Tubero, C. Oppius, C. Sallustius Crispus* (de quo Martialis,

Hic erit, ut perhibent doctorum corda Virorum,
Primus Romana Crispus *in Historia*)

Cornelius Nepos, P. Nigidius Figulus (quem Agellius Romanæ Civitatis doctissimum vocat) *M. Valerius Messala, C. Asinius Pollio* (quem Horatius ab recenti Belli Civilis Historia scribenda dehortatur lib. II Carminum, Ode 1.) *Fenestella, C. Atteius Capito*, de quo alibi, *Masurius Sabinus, Sempronius Tuditanus, Cn. Gelius, Pompeius Trogus* (qui totius Orbis Historiam scribere aggressus est, Herculea, ut inquit Iustinus, audacia) *L. Cornelius Sulla, L. Cincius Alimentus, C. Iulius Higinus, Sammonicus Serenus, T. Livius, C. Iulius Cæsar, C. Velleius Paterculus, C. Cornelius Tacitus, Valerius Maximus, C. Sueto-*

C. Suetonius Tranquillus, L. Iulius Florus, Fl. Eutropius, Paullus Orosius, Paulus Diaconus, Sex. Rufus, Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus, Aelius Lampridius, Trebellius Pollio, Fl. Vopiscus, Volcatius Gallicanus, Ammianus Marcellinus, Sex. Aurelius Victor, Pomponius Letus, Flavius Blondus, Aeneas Silvius, Nicolaus Machiavellus, Franciscus Guicciardinus, Ioannes Pontanus, Galleacius Capella, M. Antonius Coccius Sabellicus, Raphael Volaterranus, Petrus Bembus: Alios infinitos prætereo.

Flagitat quis & quos suæ bearunt æternamintque Musæ? Non omnes signabo. Operosum hoc mihi foret, onerosum Lectori. In memoria mihi vulgatum illud, Manum de Tabula. Famam sibi sua vena pepererunt, rudi adhuc Roma, *C. Livius Andronicus* (qui Primus Bello Pœnico II apud Latinos Fabulas docuit) *Q. Ennius Rudinus* (qui — Poëtæ. rudioris Romæ,

> ——— *Primus amœno*
> *Detulit ex Helicone perenni fronde Coronam,*
> *Per Gentes Italas hominum quæ clara clueret,*

ut de eo cecinit Lucretius) *M. Accius Plautus Sarsinas* (de quo apud Quintilianum lib. x cap. I Varro, *In Comœdiis*, inquit, *maxime claudicamus, licet Varro dicat Musas, Aelij Stolonis sententia*, Plautino sermone *loquuturas fuisse, si Latine loqui vellent*) *Cn. Nævius Campanus*, in Proceres Civitatis Romanæ maledicus; *M. Pacuvius Brundisinus*; *Statius Cæcilius Mediolanensis* (qui Ciceroni malus Auctor Latinitatis, cuique palmam inter Comicos tribuit Volcatius Sedigitus) *L. Accius Pisaurus*, (qui, referente Fabio lib. v cap. XIII, interrogatus, quur caussas non ageret, quum illi in Tragœdijs tanta Vis esset, optime respondit, *Quoniam*, inquit, *illic ea dicerent, quæ vellet, in Foro essent dicturi Adversarij quæ minime vellet*) *C. Lucilius Auruncanus* (quem Horatius Lutulentum & incompositum vocat: rectius est & candidius de eo Quintiliani Iudicium, *Satyra*, inquit, *tota nostra est, in qua Primus insignem laudem adeptus est Poëta* Lucilius, *qui quosdam ita deditos sibi habet Amatores, ut eum non eiusdem modo Operis Auctoribus, sed omnibus Poëtis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui* Lucilium *fluere lutulentum, & esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam Eruditio in eo mira, Libertasque & Acerbitas & abunde Salis.*) *Sex. Turpilius, Cn. Matius, L. Afranius* (Horatius:

> *Dicitur Afrani Toga convenisse Menandro*)

Q. Fabius Dorsennus, M. Attilius (ab Licinio, ut testatur Cicero, *Scriptor Ferreus* dictus) *Q. Trabea, Cn. Aquilius, C. Licinius Imbrex, Q. Novius* (Attellanarum Scriptor in eo Argumenti genere, judice Macrobio, probatissimus.) Hos, Imperio aucto, purioreque ævo, sequuti sunt *T. Lucretius Carus* (de quo Ovidius: — purioris ævi, Imperijque auctioris,

> *Carmina devini tunc sunt peritura* Lucreti,
> *Exitio terras quum dabit una dies*)

L. Pomponius Bononiensis, verbis rudis, sensibus acer; *D. Laberius*, Eques Romanus, Mimorum Pater; *Q. Catullus Veronensis*; *Cornelius Licinius Calvus*; *Q. Cornificius, C. Helvius Cinna*, Smyrnæ Auctor; *M. Furius Bibaculus Cremonensis* (cujus, ut & Catulli Carmina Cæsarum referta Contumelijs fuisse scribit Tacitus libro Annalium IV) *C. Ticida* (Ovidius lib. II Fastorum:

> *Quid referam* Ticidæ, *quid* Memmi *Carmina? apud quos*
> *Nomen adest Rebus, Carminibusque Pudor.*)

A. Furius Antias, L. Iulius Calidius, Tullius Laurea (qui M. Tullij Ciceronis Villam Academiam versibus celebrat apud Plinium) Gravido jam & laborante suis ingenijs Romanorum Imperio, claruerunt *P. Virgilius Maro Mantuanus, Q. Horatius Flaccus Venusinus, C. Valgius Saturninus* (De eo qui convixit ipsi *Albius Tibullus Romanus*:

> *Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,*
> Valgius, *æterno proprior non alter Homero.*)

M. Mallius, Sex. Aurelius Propertius Mevanius, L. Varius (cujus Thyesten Fabius cuilibet Græcorum comparari posse scribit) *C. Cilnius Mecœnas, P. Ovidius Naso Sulmonensis, Cassius Severus Parmensis* (quem in studijs repertū missus ab Augusto Q. Varius

intéremit, ablato cum Libris eius Scrinio) *Domitius Marsus, Cn. Cornelius Gallus, C. Germanicus Cæsar, Cæsius Bassus, Aemilius Macer Veronensis, C. Rabirius, L. Annæus Seneca, C. Asinius Gallus, A. Persius Flaccus, Cornelius Severus, M. Annæus Lucanus, L. Pomponius Secundus, Cn. Getulicus, Saleius Bassus,* (quem Tacitus non modo Poëtam egregium & absolutissimum, sed etiam virum Optimum vocat) *C. Clodius Sabinus, C. Pedo Albinovanus, Volcatius Sedigitus,* cujus hoc de Poëtis est Iudicium apud Agellium lib. xv. Noct. Attic. cap. xxiv:

Multos incertos certare hanc Rem vidimus,
Palmam Poëta Comico quoi deferant.
Eum, me Iudice, Errorem solvam tibi,
Vt contra si qui sentiat, nil sentiat.
Cæcilio *palmam statuo deferre Comico;*
Plautus *secundus facile exsuperat ceteros;*
Dein Nævius, *qui fervet, pretio in tertio est;*
Si quid quarto detur, dabitur Licinio,
Post insequi Licinium facio Attilium;
In sexto consequetur hos Terentius;
Turpilius *septimum,* Trabea *octavum obtinet;*
Nono loco esse facile facio Luscium:
Decimum addo Antiquitatis caussa Ennium.

Successerunt iis, quos Paullo ante dixi, non eodem plane genio, nec eadem scribendi felicitate *P. Papinius Statius, C. Valerius Flaccus Setinus, D. Iunius Iuvenalis Aquinas, L. Aruntius Stella Patavinus, Sentius Augur Romanus, Vestritius Spurina, Vocontius Victor, L. Paullus Passienus, T. Annianus, M. Marullus, A. Serenus, Virgilius Romanus,* alius ab Mantuano. Declinante denique Imperio, Ingeniisque in hac Studiorum facultate paullatim flaccescentibus, vidit Italia *Rufum Festum Avienum, Alphium Avitum,* & alios, quos prudens prætereo; quique vixerunt, Musis pennato gradu jam ab Italis ad Afros, Gallos, Hispanosque abitum parantibus. De iis autem, qui nostra floruerunt ætate, sic canit Nicolaus Leorinus Silesius, Poëta doctus & elegans:

Declinantis Imperii.

Nostri temporis.

Vrbs Venetum Bembos *loquitur* Balbosque *Poëtas;*
Naugeriosque *suos;*
Mantua Virgilii Capilupos *numine plenos,*
Castiliosque *Duces;*
At Molsas *Mutina, &* Sadoletos *iactat alumnos,*
Cortesiosque *suos;*
Brixia Taygetos *celebrat,* Faustumque Sabæum
Cæsare *cum* Duchio;
Felsina cum Bochio *commendat* Achille Camillos,
Flaminioque *pio.*
Te, Dacti, *similemque tibi Florentia vena*
Prædicat Angelium;
Te, Cœli, Bigumque *canit Ferraria culta,*
Strozigenasque *duos:*
Parva colit Vidam, *lepidumque Cremona* Faernum,
Lampridiumque *suum:*
Cum Fracastorio Cottam *Verona recenset,*
Scaligerosque *duos;*
Luca sed Altilio; Maphæo *Lauda triumphat;*
Aonio *Verulum;*
Sirenum Vrbs Ioviane *tuo,* Syncereque *plaudit*
Carmine Parthenope.

Hic sistam, ne Lectori sim molestus.

Oratores ad suam usque ætatem enumerat Orator M. Tullius in Bruto, de Claris Oratoribus: *Philosophos* celebriores, *Architam Tarentinum*, *Alcmaeonem*, *Philolaumque Crotoniates*, & *Hippasum Metapontinum*, Græcos, in Italico solo natos, Diogenes Laërtius: *Grammaticos* C. Suetonius Tranquillus: Alios Alij. Qui Italiæ Populi quibus in Repub. litteraria Facultatibus Artibusque maxime dediti, Membrana notat, de qua paullo ante: In Literis amant *Mediolanenses* Iurisprudentiam; *Calabri*, Linguam Græcam; *Mantuani*, Hebræam: *Veronenses*, humanas; *Bononienses*, Mathesin; *Patavini*, Medicinam; *Papienses*, Sophisticam; *Florentini*, Philosophiam Naturalem; *Neapolitani*, Etruscam; *Lucenses*, Litteras Sacras; *Vincentini* Philosophiam Moralem: *Veneti*, Musicam; *Senenses*, Dialecticam; *Perusini*, Ius Pontificium.

Oratores, Philosophi, Grammatici.

Caput XV.

Italorum *Mores in Rebus Sacris.*

ADIUNCTA Gubernatis Inhærentia, Indolem, inquam, Geniumque aperui: Adhærentia succedunt, Mores Linguæque. Mores considerandi circa Res vel Sacras vel Profanas; hasque partim Publicas cum domi, tum militiæ; partim autem Privatas.

Quod ad Res Sacras; *Itali* quomdam multis magnisque Superstitionibus ad stuporem usque leguntur fuisse dediti. Peculiariter id de *Tuscis*, *Romanis*, *Sabinis* Veterum docent Historiæ, plenissimeque ex singulorum Delineatione in sequentibus patebit. Hodie Sacrorum Cerimonias ex Romanæ Ecclesiæ præscripto atque institutione religiosissime observant omnes nisi quod in Australiore Italia pauci Græcorum sequantur ritus, & ipsi quidem Græci generis. Nullum Italia novit alienum ab Roma Religione Dogma; nullusque permittit Librorum, qui Romanæ Ecclesiæ Sancitis adversantur. *Pontifex* ibi *Maximus* ἱεράρχης est, & Ecclesiarum omnium Caput, numerosam habens Familiam. *Quoties procedit Gemmis conspicitur ornatus, & Sericis Vestibus* (Verbis utar D. Bernardi ex Libro de Consideratione IIII, Papam Eugenius interpellantis) *tectus Auro, vectus Equo albo, stipatus Milite, circumstrepentibus septus Ministris.* Reliquis *Sacerdotibus* admiranda ibi Dignitas & Auctoritas. Honorari magis eos animadverti, quam Nobiles. *Cardinales*, ut Petrus Messias, qui Silvam Variæ Lectionis scripsit Venetiis editam, notat, in locum Consulum, qui Romanum olim Imperium administrabant, successerunt: *Archiepiscopi* Ducibus sunt adæquati: *Episcopi* Comitibus subfecti, eorum *Vicarij* Præsidum Imperij dignitatem: *Præpositi* Præfectorum vicem referunt: *Archiepresbyteri* in locum Tribunorum Militum sunt substituti: *Cancellarij* Tribunos plebis repræsentant; *Archidiaconi* Munus Prætoris; *Decani* Centurionis, *Subdiaconi* locum Duum. Virûm occupant. Alia apud eumdem Messiam; qui numerum *Clericorum* commemorat incredibilem. Plura Ego Capite de Gubernatione Sacra.

Italorum Ritus in Rebus Sacris.

Pontificis Maximi, reliquorumque Sacerdotum Dignitas.

Caput XVI.

Italorum *Mores in Rebus Publicis, cum Domi, tum Militia.*

TANTUM obiter de Ritibus Sacris: addam nonnihil de Profanis, iisque Publicis, & domi, & militiæ. Quod ad prius membrum, hoc solum dicam, brevitati in his talibus studens, Italiam *Iure* uti triplici, *Pontificio*, *Cæsareo*, *Municipali*. Primum Alterumque quale, notum aliunde: Tertium ex Statutis constat & Legibus, quas Civitates sibi singulæ condere sunt solitæ. Sufficiant illa; non hic Iurisconsultum agam; neque, quam profiteor Artem, cum ostentatione venditabo. Referam ad hoc Caput, quæ de Variarum Civitatum *Consiliis* leguntur in Membrana, cuius antea feci mentionem: In Consiliis (scriptum ibi) *Mediolanenses* præstantes;

Italorum Mores in Rebus publicis, cum Domi.

stantes;

ſtantes; *Veneti*, prudentes; *Lucani*, temerarij; *Piſani*, inconſtantes; *Placentini*, providi; *Florentini*, lenti. *Veronenſes*, fideles; *Ferrarienſes*, cauti; *Genuenſes*, ignari; *Lucenſes*, utiles; *Volſci*, maligni; *Brutij*, ſtupidi; *Mutinenſes*, acuti; *Peruſini*, celeres; *Senenſes*, tardi; *Patavini*, ambigui.

…tum Militiæ.

Quod ad poſterius; quam quomdam Bellicoſi fuerint *Itali* Militiæque dediti, loquitur ſubactus ab iis Orbis Terrarum; canente ad Gloriam hanc claſſicum Romano. Quales in Re Militari plerique ſint *Itali*, quæque ad Expeditiones felicius ſuſcipiendas conficiundaſque ſinguli conferant, quibus denique Hi, quam Illi magis valeant præſtentque, docet eleganter Membrana, quam dixi, hoc modo: In Re Bellica *Peruſini* ſtrenui; *Calabri*, præcipites; *Spoletani*, callidi, *Senenſes*, felices; *Bononienſes* efferi; *Neapolitani*, animoſi; *Faventini*, Hoſti inſtantes; *Pratenſes*, ſacrilegi: *Collenſes*, libidinoſi; *Piceni*, rapaces; *Æmiliani*, inconſulti: *Placentini* crudeles: *Romani*, truces; *Mediolanenſes* intrepidi; *Romani*, fortes: *Vincentini*, vindictæ cupidi; *Piſtorienſes*, ſanguinei: *Papienſes*, firmi. Ad Rem Bellicam conferunt *Veneti* Pecunias; *Mediolanenſes*, Galeas: *Placentini*, Carros; *Cremonenſes*, Tentoria, *Papienſes*, Lanceas; *Piſtorienſes*, Pugiones; *Bononienſes*, Arundines, *Florentini* ..... *Romani*, Perſeverantiam; *Ferrarienſes*, Tormenta; *Neapolitani*, Equos; *Parmenſes*, Clypeos; *Tarviſini*, Enſes: *Viterbienſes*, Calcaria: *Laudenſes*, Commeatum; *Neapolitani*, Induſtriam: *Mediolanenſes*, Tolerantiam; *Genuenſes*, Perfidiam. Præſtant *Mantuani* Equitatu; *Piſtorienſes* excipiendo ictus Clypeis, *Brixienſes*, exſtruendis Vallis: *Genuenſes*, Claſſe; *Lucenſes*, obſidendis Vrbibus; *Cremonenſes*, ſtruendis Ordinibus; *Veneti*, adparanda Claſſe; *Patavini*, moderandis Equis; *Bergomates*, locandis Inſidiis.

Caput XVII.

Italorum *Mores in Rebus Privatis.*

Italorum Mores in Rebus Privatis, Olim.

SIc ſe habent *Itali* in Rebus Publicis, cum domi, tum militiæ: videndum, quo modo ſe gerant in Rebus Privatis & Domeſticis. Hic de Veteris *Italiæ* Moribus, ſic canit Virgilius lib. IX. Æneidos:

Qualis Pueritia.

Quis Deus Italiam, quæ Vos Dementia adegit?
Non hic Atridæ, nec fandi Fictor Vlyſſes.
Durum à ſtirpe genus: Natos ad Flumina primum
Deferimus, ſævoque gelu duramus & undis:
Venatu invigilant Pueri, Silvaſque fatigant.
Flectere ludus Equos, & ſpicula tendere cornu.

Iuventus.

At patiens operum, parvoque adſueta Iuventus
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, verſaque iuvencûm

Senectus:

Terga fatigamus haſta: nec tarda Senectus
Debilitat Vires animi, mutatque vigorem:
Caniciem Galea premimus, ſemperque recentes
Convectare iuvat Prædas & vivere rapto:

Ritus ruſtici.

& quæ ſequuntur. Quis maiori *Italiæ* parti *Arandi* quomdam modus fuerit, docet Plinius libro XVIII, cap. XVIII; quis *Arbores ſerendi*, lib. XVII, cap. XVIII; quis *Vineas colendi*, eodem, cap. XXIV; quis *Vina condendi*, libro XIIII cap. XIX; quis *Pinſendi*, lib. quem dixi XVII, cap. X.

Hodie, quales in Victu.

Hodie, quod ad *Victum*, ſobrij ſunt & frugalis vitæ; non operoſi in adornandis ſtruendiſque Menſis, niſi quum neceſſitas flagitat. *Veſtitus* non omnibus eſt unus: ſæpe etenim pro tempore variatur, cum qualitate, tum forma & ritu. *Venetis Veſtitus* eſt laxitate inſigni & prolixitate: & in his Vrbicus Municipali ſumtuoſior. Matronæ ibi ante paucos annos Vlnas, Brachia, Pectus, Humeros nudabant: nunc omnia contegunt, laxioribus utentes Manicis, & in Hiſpanicum degenerantes. Secundum Venetos civilis & nitidus *Florentiæ*, reliquæque *Tuſciæ*. *Mediolanenſibus* totique *Æmiliæ, Liguriæ*que floridior, ſed paullo contractior. *Romæ Aulicus* prolixitate colorumque varietate cunctos alios antecellit: *Romanus* ipſe multo frugalior,

cui

cui tamen suus non deest nitor, præsertim in Feminis, quæ Tuscum nuper adfectabant. *Neapolis* magis nitido utitur, quam sumtuoso. Cetera *Italia* simplicius vestitur. In tota *Gallia Cis-Alpina* Feminæ Principes in Hispanico videri gaudent Habitu; Viri in Gallico malunt conspici. Constanti contenti sunt *Itali Matrimonio*; *Repudium* non permittentes, ex Vrbe Roma, ad malos eam inclinante Mores, Sp. Carvilij ductu quasi protectum. Regum Nobiliumque Primogeniti, Instituto vetere, Principatus obtinent: in privata fortuna virilis stirpis Liberi ex æquo sunt Heredes, modo legitimo nati Toro. Mercaturam summa exercēt industria. Sed de privatioribus Civitatum in *Italia* Moribus; de selectiore quorumdam *Cibo* & *Vestitu*; deque earumdem *erga Hostes & Hospites Adfectu*, loquitur Exemplum Membranæ, de qua ante dixi; ubi hæc: *Florentini* parci; *Lucenses*, elegantes. *Mantuani*, viles, *Anconitani*, sordidi; *Senenses*, magnifici; *Mediolanenses*, copiosi; *Novocomenses*, luxuriosi; *Vincentini*, abundantes. *Cremonenses*, exquisiti; *Neapolitani*, splendidi; *Genuenses*, modici. *Patavini*, mediocres; *Aretini*, tenues. *Veneti* obsonantur parvo; *Papienses*, agrestes; *Bononienses*, lauti; *Astenses*, opipari; *Perusini*, delicati. Delectantur *Florentini* Caseolis; *Lucenses*, Pyris; *Mantuani*, Phaseolis; *Ariminenses*, Anseribus; *Tarvisani*, Ranis; *Cremonenses*, Farcimine; *Neapolitani*, Caulibus; *Genuenses*, Lactucis; *Patavini*, Pisciculis; *Piceni*, Porcis; *Perusini*, Piscibus, *Papienses* Cæpis & Allio. In Vestitu *Mediolanenses* splendidi, *Genuenses*, elegantes. *Mantuani*, pueriles; *Neapolitani*, sumtuosi; *Veneti*, magnifici; *Florentini*, ridiculi. In persequendis Injurijs *Lucenses*, mites; *Mediolanenses*, faciles; *Perusini*, dissimulantes; *Fulginates*, accensi. *Mutinenses*, placabiles; *Senenses*, magnanimi; *Neapolitani*, benigni. *Ferrarienses*, pertinaces; *Veneti*, subdoli; *Cremonenses*, aperti. *Piceni*, maligni; *Romani*, iniqui. Erga Hospites *Calabri* inofficiosi; *Lucenses*, fideles, *Senenses*, amabiles; *Veneti*, blandi. *Patavini*, duri; *Mediolanenses*, incauti; *Ferrarienses*, aspeti; *Mantuani*, deglabratores; *Placentini*, severi; *Piceni*, intensi; *Neapolitani*, benigni. *Florentini* profusi; *Astenses*, benevoli. *Spoletani*, agrestes; *Veronenses*, studiosi; *Papienses*, prudentiores; *Genuenses*, inhospitales; *Parmenses*, inconstantes; *Mutinenses*, prolixi. *Novocomenses* inhumani. Sequitur ibi, quales singuli sint in Mercatura: *Florentini*, callidi; *Genuenses*, tolerantes; *Mediolanenses*, aperti; *Lucenses*, fideles: *Veneti*, spendidi, ... cauti. Adscribam Coronidis loco elegantissimum, de hodiernis Italorum Genio Moribusque, Carmen Iulij Cæsaris Scaligeri:

> *Siticulosus* Appulus; Croton *sanus*:
> Siculus *dolosus*: *laniger* Tarentinus:
> Picenus *unctus*: *rusticus* Ferentanus:
> *Nebulosus* Vmber: Langobardus *astutus*:
> Carnus *vorator*: *potor* Istrus: *insanus*
> Illurius, *arrogantior Typhæo*: *huius*
> *Caputque venti & gloriæ* Ragusæus:
> Venetus *superba nobilis vetustate*,
> *Qui more Rodani carpit Arva vicina*;
> Genuensis *osor pacis ac boni moris*;
> *Vnus Britannis tertius* Ligur *cunctis*,
> *Saxicola*, *Pelagicursor*, *invidus*, *spurcus*,
> *Famelicosus*, *turpis*, *archipirata*.

CAPVT XVIII.

Linguæ Italorum, *quæ olim*, *quæ hodie*.

IN *Linguis*, quarum ab omni ævo ad nostra hæc tempora per verum Mundi Ocellum, cui post *Italiæ* nomen inditum, fuisse creditur usus, quam fieri potest commodissime explicandis, duo scrutandum censeo, quales fuerint olim, quales hodie: *Italorum Linguæ*,

Antiquissimis temporibus, quot Populi, tot fere fuerunt *Linguæ*, quarum aliæ Cis-

Antiquissimis temporibus Cis-Tiberinæ quidem & Principes, Latina & Græca.

Cis-Tiberinæ (tamquam in Foro Romano vel Capitolio positus, loquor) aliæ Trans-Tiberinæ. Cis-Tiberinæ, facta diligente variorum Scriptorum commissione, aliæ erant Principes, ut quidem ex antiquis constat Monimentis, quales *Latina* & *Græca*: aliæ Deincipes, ut *Sabina* & *Campana* vel *Osca*. Sed in Synopsin quæ dixi, quæque sum dicturus, docendi, commodiusque singula explicandi gratia, conjiciam:

In Linguis, quibus ab omni ævo ad hac usque tempora usa creditur Italia, *commode explicandis, videndum sedulo, quales ea fuerint*
- *Olim. Aliæ erant:*
  - *Cis-Tiberina, eaque*
    - *Principes, quales,*
      - Latina; *in qua perpendenda*
        - *Qualitas. Fuit enim* Lingua Latina *initio*
          - *Rudis, in*
            - *Vocibus,*
            - *Vetere Scriptura,*
            - *Pronunciatione.*
          - *Sterilis. Sterilitati subventum, petito Incremento ab*
            - *Græcis,*
            - *Etruscis.*
        - *Dialecti Ea erant:*
          - Tusculana,
          - Lanuvina,
          - Prænestina,
          - Formiana,
          - Marsorum, *&c.*
      - Græca: *Eius Species:*
        - Sicula.
        - Tarentina.
    - *Deincipes, ut*
      - Sabina
      - Osca, Volsca, Campana, Brutiorum.
  - *Trans-Tiberina*
    - Etrusca, *cuius Species:*
      - Falisca,
      - Rhetica.
    - Ligurum.
- *Hodie: ubi explicatur, quibus gradibus ad* communem Italicam *deventum:*

Latina initio

In *Latina Lingua*, quam eorum fuisse censeo, qui primi Colonias in hanc Regionem duxerunt, quæque tandem contra alias obtinuit Principatum, duo considerabo, *Qualitatem* & *Dialectos*.

& Rudis in Vocibus,

Quod ad *Qualitatem*: fuit illa initio non solum valde rudis & inculta, verum etiam ieiuna supra modum, & sterilis. *Ruditatem* & *Incultum* pono in ipsis *Vocibus*, *Vetere Scriptura*, *Pronunciatione*. Grammaticum hic non agam. Toti fuerunt in his tradendis alij. Brevibus pauca dicam. Ipsas Veteris Linguæ *Voces*, quas Carmenta, Fauni, Vates, Salij, hisque proximi, sunt loquuti, collegerunt industria singulari ex M. Terentio Varrone, Sex. Pompeio Festo, Nonio Marcello, reliquaque Grammaticorum Turba, Virorum Eruditorum non pauci. Ego ad Ennij mei Annales nonnullam etiam Symbolam contuli, & Catalogum, præter aliarum, feci quæ quomdam Saliis in usu. Studij quoque nonnihil, aliud tamen agendo, locavi in colligendis reliquis; quæ inventæ mihi immani numero, sed in privatiorem meum usum, & Filiorum; qui fortean ijs aliquando, me Nuces has abjiciente, non invidebunt lucem. Merentur sane in ijs infinitæ, quæ cum summo reip. litterariæ bono in usum revocentur.

Scriptura Vetere,

Scripturam Veterem huius Linguæ diversam ab Nova fuisse, partim Quantitate, additis detractisve nunc Litteris, nunc Syllabis; partim Qualitate in commutatione Vocalium, Consonantium, Diphthongorum, docet insigni Methodo (ne cui suam invideam laudem) V. CL. Franciscus Sylburgius, ad Dionysij Halicarnassæi Historiam Romanam: quem operæ precium est, Lector, harum Rerum curiosior, adeat. Specimen Vocum *Scripturæ Veteris* præbet, præter XII Tabularum fragmenta, in quibus Antiquitati suæ restituendis varie ab variis laboratum, præterque Fœdera inter Romanos variosque Populos, Columna Rostrata, quæ Duilio ob Primam de Pœnis Victoriam Navalem in Foro ab S. P. Q. R. posita, quæque hodie visitur in Capitolio, cum Inscriptione, qua nihil antiquius, ob Vetustatem fere obliterata:

/////

/////ANO/////////////

/////EXEMET. LECIONES ///////////

/// AXIMOSQVE. MACISTRATOS. L/////

//ↃVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACEL////

// VCNANDOD. CEPET. ENQVE EODEM. MAC //

///EM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. C

/// LASESQVE. NAVALES PRIMOS. ORNAVET. PA////

///CVMQVE. EIS. NAVEBOVS. CLASEIS. POENICAS. OMI///

//SVMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. PRÆSENTE //

//ↃICTATORED. OL OM. IN. ALTOD. MARID. PVCN

////QVE. NAVI//// T. CVM. SOCIES. SEPTEM ////

////////OSQVE. TRIRESMOQVE. NAVEIS. X

/ ///ↃM. CAPTOM. NVMEI. ↀ ↀ ↀ .Ↄ ↀ /

//TOM. CAPTOM. PRÆDA. NVMEI (ccIↃↃ) //////////

//////CAPTOM. AES. (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) //

// (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ)

// (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) (ccIↃↃ) ////////////////

//TOQVE. NAVELED. PRÆDAD. POPLO ////////

/// CARTACINI //IS ////////////////

//// / / / // // NVOS D / /

/// / EIS /// //// /// ARTA /// ///

//////////////////////////////

Testatur Polybius, gravis inprimis Auctor, qui cum Africano Superiore vixit, se, quo tempore Historiam Romanam contexuit, vix unum aut alterum Romæ invenire potuisse; qui, quantumvis Antiquitatis curiosus, Fœdera quædam inter Romanos & Carthaginienses vetustissimis illis concepta verbis intelligeret, ac sibi tunc eam rem scribenti interpretaretur. Legitur etiam apud Quintilianum, Carmina Saliorum, quæ dicebantur ab ipso Numa composita, novissimis Reip. temporibus vix ab suis quidem Sacerdotibus satis intellecta fuisse; tanta scilicet Antiquarum Vocum, & tunc pene obsoletarum, erant obscuritate involuta. De Vetere eiusdem Linguæ *Pronunciatione* multa, solide, ut solet, notat V. CL. Pronunciatione. Iustus Lipsius libello aureo de Recta *Lingua Latina* Pronunciatione: cuius Scrinia, ad quæ Litteratiori cuicumque Aditus, non compilabo. Iam Sterilitatem & inopiam & Sterilis. *Latinæ*, ut aliarum consuevit Linguarum, inmensam in ipsis incunabulis fuisse, extra omnem est controversiam. Probare posset hoc hodieque varijs Argumentis, præcipue vero instituta cum Græca, Germanica, alijsque comparatione, vel mediocriter in ijs versatus. Multa proferet Græcus, multa Germanus; ad quæ prorsus, tamquam elinguis, obmutescet Latinus. Quæ stabilire non huius est loci. Rudis ille Horror, qui Linguæ recens ortæ adhæsit, diuque mansit, de- Ruditati quo pacto occursum. tersus est paullatim primo à Poëtis, Ennio, Pacuvio, Plauto; mox ab alijs magis magis, ab Historiographis inquam & Annalium Concinnatoribus; postremo studiosissime ab Oratoribus, palmam ferente M. Tullio, de quo Plinius, Silius, alij: adeo ut Augusti principatu *Latinus Sermo* elegantia sua & nitore gravida laboraret: Sterilitati quo modo. à quo tempore magna ipsi rursus adnasci cœpit Scabrities, qua de re suo loco plura. Sterilitati obviam itum magnis viribus initio, vel Novis quotidie, ut fieri solet, excogitatis Vocibus: vel facta ab Conregionalibus cum Græcis, tum Etruscis alijsque mutuatione. Novarum Vocum Excogitatio (præterquam quod Vulgo magna consuerit hic esse libertas) inprimis fuisse legitur penes viros, qui in Re vel Publica, vel Litteraria Principes, ad conciliandum Novæ Proli maius pondus, solidioremque auctoritatem. Exempla quis me poscit? Scribit M.

Teren-

Terentius Varro lib. IV de L L. ab Latino Rege confictum esse Vocabulum *Neglegere*: Memoriæ prodit idem, ab Scaligero emendatior, Ennium Vocem excogitasse *Caussari*. De Ennio, de Catone, de Se quoque Horatius, Artem scribens Poëticam:

> *— Ego quur adquirere pauca,*
> *Si possum, invideor? quum Lingua Catonis & Enni*
> *Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum*
> *Nomina protulerit. — —*

Non his addam, quæ, florente iam Lingua, finxerint cum alij, tum Imperatores ipsi, Augustus reliquique, de quibus abunde Suetonius: qui etiam de Claris commentans Grammaticis, memoriæ prodit, quum Pomponius, eius Artis Professor, Verbum quoddam Tiberij Principis reprehenderet, C. Atteium Capitonem I. C. adfirmasse, & illud Latinum esse, &, si non esset, futurum certe ob Cæsaris auctoritatem & gratiam: ad hoc autem Pomponium subridendo repolsuisse: *Iam inde mentitur Capito: Tu enim ô Cæsar Civitatem Hominibus dare potes; Verba & Usum Linguæ non potes.* Quod ad Mutuationem, Latinos Veteres summa Vocum inopia laborantes, ab Confinalibus, maxime vero Græcis, infinita sumsisse jam est certum, ut etiam quidam scripserint *Latinam* olim *Linguam* eamdem fere fuisse cum Græca, Declinatione parum mutata. Consulendæ, præter Dionysium Halicarnassæum lib. I. extremo, tristes Verrij Flacci vel Pompei Festi apud Paullum Diaconum, quæ ex inmani superant Naufragio, Tabulæ. *Græca*, inquit Varro lib. IV de L L. ab Scaligero emendatus, *fugit Latium*: addens, dicis gratia, *Ovum*, *Bulbum*: Græcis enim hæc Ὠὸν, Βολβός. Adtribuuntur item *Lana* & *Purpura*; quæ Græcis Λῆνος, Doribus Λᾶνος, & Πορφύρα. Plura quis petit? Dabo; non tamen omnia; sed de quibus controvertitur: dabo, inquam, ut pareat, frustra esse Varronem. Verrium Flaccum, Festum, alios, qui nimio Linguæ suæ obcæcati amore, radices in proprio Agro quæsierunt

Latinæ Voces aliunde sumtæ; multarum Vocum, quæ puriter originis sunt Græcæ; quod ante omnes animadvertit ad Varronem suum magnus Scaliger. Tales sunt, ut per Classes colligam:

Deorum, Hominum & in Homines cadentium. Deorum quidem, *Dis*, Δὶς, Ζὶς; *Ops* Dea, Ὦπις Helychio; *Ceres*, Γῆρυς eidem, de qua voce vide & paullo post; *Flora*, Χλωρίς. Hominum autem, & eorum propriæ: *Pater*, Πατὴρ, *Mater*, Μήτηρ: *Frater*, Φράτωρ; *Nepotes*, Νέποδες, quod πὸς ipse & fundamentum generis non essent: *Levir*, Δαὴρ: *Servus*, Ἔρος Æolice addito sibilo, ut & *Sermo*, εἱρμός; *Mens* à Μένος; *Umbilicus*, Ὀμφαλικός: *Cruor*, Κρύος: *Gaudium*, Γαῦδος, priscum; *Somnus*, *Sopnus*, Ὕπνος: *Pœna*, Ποινὴ, à Πόνος; *Vibices*, Ἴβικες, στιγμαὶ, Hesychio; *Damnum*, *Dapnum*, Δαπάνη: *Susurrus*, Συρὸς, priore duplicata: *Gens* à Γένος; *Populus*, Πολὺς priore geminata, ut in alijs; *Pars* à Φάρος; *Fama*, Φήμη, Dorice Φάμα; *Vis*, Ἴς, alijs à Βία.

Animalium. Ad Animalia spectant *Pecudes*, Πεκάδες, quod tonderentur; *Bos*, Βοῦς: *Forda*, Φοράδες, *Taurus*, Ταῦρος; *Equus*, Ἵππος, mutato P. in Q. ut fit in multis; *Ovis*, Οἶς; *Arvuga* Ἄρχα, Ἄρσεν πρόβατον Hesychio; *Agnus* Ἀμνός; *Sus*, Ὗς; *Porcus*, Πόρκος Aristophani: *Canis*, Κύων, κυνός: *Lupus*, Λύκος: *Vulpes*, *Valopes*, Fαλώπηξ Æolice, Ἀλώπηξ Communiter: *Cervus*, Κεραός; *Cornu*, Κέρας: *Columbus*, Κολυμβός, παρὰ τὸ κολυμβᾶν, *ab gestu*, inquit Scaliger, *quem faciunt ea aves*: *Gallus*, Κάλλος pala Galli gallinacei: *Hirundo*, Veteribus *Helundo*, Χελιδών: *Penna*, Πτερὸς, Æolice Πτεννός: *Lutra*, Ἐνυδρίς.

Elementorum & quæ inde. Elementa, quæque inde nata notant Voces, quæ sequuntur: *Cælum*, Κοῖλον: *Aer*, Ἀὴρ: *Aether*, Αἰθήρ: *Ævum*, Αἰών: *Aurora*, Αὔρα: *Lux*, Λύκη: *Crepum*, quasi *Knepum*, Κνέφας. *Stagnum*, Στεγνὸν, quod Aquam contineat, neque manare possit, στεγνὸν enim Græcis, quod minime rimosum, & fideliter quid continet. *Locus* ab Λέχος quod antiquis Græcis latere, unde λέλοχα λόχος: *Angulus*, Ἀγκών: *Humus*, χαμαὶ, unde *Humilis*, χαμαλός: *Colles*, Κολῶναι. *Rura*, Ἄρουρα: *Pratum*: Πρασιὰ, Dorice Πρασιά: *Termini*, Τέρμονες: *Via*, Οἶα Apollonio: *Campus*, Καμπὸς, quæ vox Siculis Campus aut Hippodromus. *Aurum*, ab Αὐρὸς, quod vetus Græcum esse testatur Festus, unde remansit Θησαυρὸς, vel ab ὠρεῖν, custodire, ut vult Hypsicrates, sic enim legendum pro *Hippocrates*, apud Festum: *Nummus*, Νοῦμμος: *Dos*, Δὼς: *Donum*, Δῶρον. Cibos explicant: *Panis*, Πανὸς, vocabulum Magnæ Græciæ apud Athenæum; *Puls*, Πόλτος Athenæo: & hinc Varro lib. IV de L L. *Puls ita appellatur, quod ita Græci*: *Perna*, Πτέρνη: *Vinum*, Οἶνος: Herbas: *Flos*, Χλόος: *Viola*, ὑποκοριστικῶς ab Ἴον: *Cucumis*, Κικυός, *Rapum* vel *Rapa*, Ῥάπυς: *Brassica*, Πρασικὴ: *Malva*, Μαλάχη: *Raudus*, Rudis

Rudis Virga, Ῥάβδος. Vestimenta: *Vestis*, Ἐσθής: *Rica*, Ῥῆγος, Ῥάκος: *Calami Scrut.* Καλαμίς: *Ocrea*, ab Ὀκρίς: *Pallium*, inquit Tertullianus, de eo scribens, cap. III, *etsi Græcum magis, sed iam penes Latium est: cum Voce Vestis intravit.* Aedificia publica privataque: *Templum*, Τέμενος: *Carcer*, Κάρχαρα: *Turris* Τύρσις, Τύρσις: *Termen* (cuius vocis usum fuisse notat Varro in aliquot Italiæ locis) Τέρμα, *Terminus*; *Domus*, Δῶμα: *Trapetes*, ἀπὸ τοῦ τραπεῖν, Molæ Oleariæ; *Atrium*, Αἴθριον: *Trabes*, Τράφηξ, Ennio *Trabax* vel *Trifax*. Suppellectilem denique: *Patina*, Πατάνη: *Calix*, Κύλιξ: *Cilligna*, Κυλίχνη: *Pelvis*, Πέλυς: *Simpulum*, *Simpo* Antiquis, ab Σίφων: *Cacabus*, Κάκκαβος, Polluci & Athenæo, *Irpices*, *Hirpices*, *Harpices* Catoni cap. X ab Ἄρπαξ καὶ Ἁρπάγη: *Lectus*, ab antiqua voce Λέκτρον, teste Varrone. Voces Militares sunt; *Cohors*, Χόρτος Hypsicrates apud M. Varronem lib. V. de L. L; *Galea*, Γαλέα, quod ex felina fierent pelle. γαλῆ enim feles: sic Κυνῆ, ἰκτιδέη, λυκέη, & similia. *Conus*, Κῶνος: *Scutum*, Σκῦτος quod esset ὠμοβόειον; *Umbones*, Ἄμβωνες. Nec Adiectiva desunt: *Magnus*, Μέγας: *Pinguis*, Παχύς: *Macer* Μακρός, quod Macris longior statura: *Pauper*, Παῦρος, prima reduplicata: *Parens*, Παῖς: *Lætus*, Λαιτός, qui cum corona publice vitulabat: *Densus*, Δασύς, *Vdus*, Ὕδωρ, Vdor, *Aequum*, Ἀϊκός Dorice, Εἰκός cōmuniter. Addam & Verba quædam: *Nasci*, Antiquis *Gnasci*, ἀπὸ τοῦ γενεσθαι, *Oriri* ab ὄρεσθαι, unde ὄρνυμι. *Fari*, φάειν, unde φημί, *Narrare*, Antiquis *Gnarrare* ἀπὸ τοῦ γνωρίζειν: *Legere* ἀπὸ τὸ λέγω, *Docere*, δεικνύειν, *Docere*, δοκεῖν, *Dispicere*, διασκέπτειν: *Lacere*, *Favere*, *Cernere*, κρίνειν, *Noscere*, Antiquis *Gnoscere*, γινώσκειν: *Videre*, εἴδειν: *Cernere*, κρίνειν: *Procare* à προΐξ προῖκος, *Merere*, μείρειν: *Petere*, πιθεῖν obsoletum: *Fallere*, σφάλλειν: *Mærere* à μέριμνα τρεπτικῶς Dolor: *Angere*, ἄγχειν, *Fremere*, βρέμειν, *Gemere* γέμειν, *Tremere* Τρέμειν: *Murmurare*, μορμύρειν: *Arcere*, ἀρκεῖν: *Plectere*, πλέκειν, πλήκτειν: *Metuere*, μεθεῖν: *Claudere*, κλείειν, *Liquere*, unde *Linquere*, λείπειν, mutato p. in q. ut in aliis: *Errare*, ἔῤῥειν; *Pectere*, πέκειν, πεκτεῖν, *Lingere*, λείχειν, unde & *Lingua*: *Spargere*, σπείρειν: *Pascere*, πάσκειν vel βόσκειν: *Mulgere*, ἀμέλγειν: *Serere*, εἴρειν: vel ἔρειν: *Ruminare* ab ῥυκάνη, *Pinsere*, *Pisere* Antiquis, πτίσσειν: *Hiare*, χάειν: *Hiscere*, χάσκειν: *Fritinnire*, φριτίζειν, φριτινίζειν: *Fragere* antiquum pro *Frangere*, φράγνυμι, unde φράγνυμι. Nec sequentes prætermittendæ voculæ: *Ferme*, σχεδόν: *At* ab ἀτάρ: *Am* in *Ambire*, *Ambactus*, & similibus ab ἀμφί. Tales sunt Voces, quas cum aliis Latini Veteres, penuria pressi, ex Græcorum Confinalium, Dorica Aeolicaque Dialecto plurimum utentium, fontibus in Latinos rivulos dirivarunt: de quibus olim scripsit *Hypsicrates*, ab M. Terentio Varrone in Libris de LL. Agellio lib. XVI. Noctium Atticarum, Pompeio Festo in Voce Aurum, ubi vitiose est *Hippocrates*, cum honore laudatus. Neque solum Voces *Latini* multas ab Græcis mutuo sumserunt; verumetiam Characteres ipsos. Plinius lib. VII. nat. hist. cap. LVI de Litterarum agens Inventoribus: *In Latium*, inquit, *eas attulerunt Pelasgi.* Testatur Idem indicati a me Libri cap. LVIII, *Veteres Græcas* easdem pene fuisse, cum iis, quæ tunc erant *Latinæ*: addens, indicio esse Delphicam Tabulam antiqui æris, quæ eius ævo adhuc Romæ servabatur in Palatio, dono Principum Minervæ dicata, in Bibliotheca, cum Inscriptione tali:

Vestium. Aedificiorum. Supellectilis. Voces Militares. Adiectivæ. Verba. Adverbia. Vnde fuit Latinis Characteres.

NAVCIKPATES TICAMENOV AΘENAIOC
KOPAI KAI AΘENAI ANEΘEKEN.

Ita & in Veteribus Tetradrachmis: AΘEI. pro Ἀθῆναι.

Sic ab *Græcis*, Australioris Italiæ quondam Incolis, Incrementum, Linguæ suæ quæsierunt Veteres *Latini*: Mutuationem quoque factam monui ab *Etruscis*, ad dextram Tiberis ripam longe lateque habitantibus: quos si constans doctorum virorum consensus vere tradat, *Aramæa* vel *Syriaca* usos priscis temporibus *Lingua*, non errarit meo iudicio, si quis censeat Originimis *Tusca* esse Voces *Latinas*, quæ hodieque in *Lingua Syriaca* suas habent radices. Earum quum vastum numerum aliquando collegissem, vastiorem multo monstravit mihi V. C. L. Gulielmus Coddæus, Hebraicæ Linguæ in Academia Lugduno-Batava Professor, Collega mihi amicissimus. Operæprecium me facturum arbitror si nonnullam earum partem Meditationibus meis Cosmographicis, Loco Digressionem hanc non aversante, adscripsero. Notandum in primis, quum Romani Veteres, uti ipsorum docent Historiæ, Sacrorum ritus & cerimonias ab *Etruscis*, quos, Religionis ad superstitionem usque

Latinæ Voces, ab Etruscis Syriacæ petitæ.

observantissimos, Confinales ad alteram Tiberis ripam habebant, didicerint, missis etiam ad ipsos huius rei gratia singulis annis quibusdam suis Iuvenibus: non mirum esse, multa quoque Deorum Dearumque Nomina, una cum ijs, ex Etruria Romam migrasse.

quæ ad Deos Deasque,

Exempla suppeditant: *Ianus*, primus Vini plantator, ab יין, quod *Vinum*: *Saturnus*, ab סתר, abscondere, latere, *Latini* licet avide vocem hanc arripuerint, interpretantes tamen *Latium* dixerunt, ipsius autem Coniugem *Latiam*, ut videre est apud Agellium lib. XIII. cap. XXI; Terram denique & Patrimonium eius, quæ *Saturnia* Tusce, *Latium Vesta*, ab אשתן, Ignis, Syro-Chaldaice: *Cybele*, ab קבלה, ab receptaculo, inquit Postellus, totius Naturæ: *Iovis* antique, Iupiter, יהוה: *Apollo*, ὁ λοξίας, obscurus est in Ecstatis, אפתח, & responsis: אפל & אפלה, Caligo, obscuritas, tenebræ; alias פלא, occultum esse, item mirabile, הפליא, mirificum fuit: *Sol* fortean à perpetuo ipsius adscensu, à verbo סלל, adscendere, elevare; sic Ἥλιος Græcis, ab עלה, quod item adscendere: *Luna*, ab לון, pernoctare, vel לבנה ab Albore suo: *Mercurius*, venditor, negociator: מכר, vendere, quod Latini ר interponentes Mercari dicunt. *Pallas*, quæ Virgilio Armipotens, Belli Præses, forte à פלס, quod vibrare, agitare, quatere: *Mars*, Sabinum, מהרס; sic Ἄρης, הרס, destruere; πτολιπόρθος enim, id est Vrbis expugnator: *Aeolus*, fortassis ab איל, Fortitudo, potentia; איל, Aries: *Adonis*, filius Veneris, quid si ex אדון, Dominus? *Ceres* (de qua & in Græcis) Fruges reperit, ideoque spiceam coronam gestare solita: גרש Spicam virentem significat: vel ab חרש Arare: ג & ח sæpe permutantur: Alij ab זרע trahunt, quod serere, seminare, זרע Semen: Nonnulli ab כרש venter, quod hæc Dea omnia, veluti ex Vtero, pariat & procreet. *Parca* fortean à פרק abrumpere, rescindere: פרך alioquin Duritiem notat. *Aesculapius* ex quorumdam sententia ab voce חלף, innovare, instaurare, redintegrare; quod Mortuos solitus sit in Vitam revocare: *Isis*, אשה, uxorem, feminam, Mulierem significat: *Osyris*, cui *Bos* sacrificabatur, fortassis ab שור, quæ vox Bovem sonat: potest alioquin quis Μακαρίτην dicere ex אשר quod beatum prædicare. *Mirsa*, ab מוש, Hebraice vel Chaldaice perscrutari, investigare, indagare. *Herois* Etymon varie traditur; ארעא Chaldæis idem est, quod ארץ apud Hebræos, Terra: *Heroes* enim Veteribus erant Viri nobiles, qui Mortales quum essent, & Terra quasi geniti, rerum tamen gestarum magnitudine quamproxime ad Deos accederent; qualis habitus, præter alios, *Romulus*, sic fortean nominatus ab רם, excelsus, sublimis, clarus; vel רמה, projicere, quod Avunculi iussu expositus & ad Tiberim cum Fratre Remo fuerit projectus. An ab hoc, ut volunt plerique, *Roma*? vel potius ab רמח, Hasta, Lancea? Hinc *Romani*, Hastati; ut *Quirites* ijdem ab voce Sabina *Quiris*; quam Latini Hastam vocant.

ad Sacrificia,

Quid si *Roma* ab רמם, exaltari, elevari? Videntur autem Dij, ex Etruria Romam cum suis Nominibus migrantes, nonnulla quoque, Sacris ibi peragundis secum abstulisse. Hinc, præter quæ non occurrunt, *Salij* Sacerdotes, ab סלל, exaltare, elevare: *Mola*, Far tostum & Sale conspersum, forte ab מלח, sal: *Simpulum*, Vas in Romanorum Sacris usurpari solitum, ab ספל, Phiala, Lagena, Hydria: unde *Sephel*, *Simpel*, *Simpulum*.

ad Homines.

Ad ea, quæ Hominum, pergo: *Rex*, רגם, Princeps Maior: *Nepos* quibusdam, quod nihil possit, vel non Pes suæ Familiæ; forte à נפש, quæ vox sæpe pro libidine & desiderio animi capitur; vel ex נאף adulterare vel Adulterium committere: *Nebulo*, נבל, homo vilis, abiectus, stultus, improbus, perditus: *Stultus*, stultus, ut quidam volunt, ex סכל, pro quo & כסיל: *Axilla*, אצילה:

& Animalia:

Quæ Animalium *Camelus*, גמל; *Taurus*, תור Chaldaice, pro quo Hebr. שור, Bos, Taurus, Iuvencus: *Capra*, עפר, *Hinnulus*, filius Cervi vel Capreæ: *Aranea*, ארג, texere: *Turtur*, תור, geminatione facta: *Cornu*, κέρας, קרן.

Quæ iuvandis Mortalibus:

Iuvandis Mortalibus faciunt *Sicera*, שכר, Potus inebrians; *Byssus*, בוץ; *Sindon*, סדין Linteum tam nocturnum, quam diurnum: *Galbanum* חלבנה. חלב Lac; חלב Pinguedo; Adeps; Vestimenti genus ab Albore: *Saccus* שק: *Pelagus*, פלג, *Ager*, אכר, Agricola: *Pratum*, פרא, multiplicare, fructificare: vel פרה crescere. *Pyrus*, פרי, generale Nomen Hebræis, ad omnes Fructus pertinens: *Taxus* תחש: *Nux* לוז, mutato L in N, ut Lympha, Nympha: *Hyssopus*, אזוב: *Casia*, קציעה, nomen Aromatis: *Canna*, Arundo, קנה. Item *Palatium*, fortean ex פלט, evadere, eripere sc: locus Perfugij פלטין: *Turris*, nescio an ab תור, explorare, scrutari, investigare: quod ex Turri maxima explorandi commoditas: an potius ab צור, quod Saxum, Petra: item F[illegible], Fortitudo, *Mœnia*, מענים. Valla: nam ה pura putaque adspiratio est, sæpeque [illegible]dit, *Scala*, סלם: *Pala*, Pars Anuli cava, qua Gemma vel Lapillus inseritur & quasi absconditur,

ditur, פלא, abscondere, latere: *Fucus*, פוך, Stibium, cuius ad venustandos oculos peculiaris usus: *Falx*, פרך: *Iubilans*, *Iubilare*, יובל. *Moneta* מנה, numerare: *Arrabo*, ערב, spondere, fidem iubere, oppignorare. *Nænia*, נהה, queri, lamentari. Eft & nonnihil, ut cum Grammaticis loquar, Adiectivorum: *Gibbosus*, גבן: *Fortis*, צור, Petra, Saxum, & metaphorice Fortis: *Lassus*, לאה, laborare, fatigari, moleste ferre: *Navus* vel *Gnarus*, ערם, callidum esse: *Amarum*, מרה: *Simius*, סמל, Simulacrum, Sculptile, Idolum. Sunt & Verba quædam: *Miscere*, מסך: *Latere*, לאש, operire, tegere: *Frangere*, *Fragere*, פרק, conterere, lacerare, confringere: *Labi*, לבט, ruere, cadere. Agmen claudat vox *Olim*, non dubium quin ab עלם, quod Seculum, Perpetuum, Tempus Longum. Voces Adiectivæ: Verba.

Hactenus de *Latij Sermonis* Qualitate, sequitur, ut de Dialectis pauca dicam. Eas fuisse censeo *Tusculanam*, *Lanuvinam*, *Prænestinam*, *Formianam*, *Tarracinensem*, *Marsam*, & si quæ fuerint aliæ. *Latinæ* quidem erant (nam qui ijs utebantur, Latij erant Populi) sed peculiares quasdam ab alijs habebant Voces, quarum nonnullas laudant Grammatici; *Tusculanæ* leguntur apud M. Terentium Varronem lib. v. de LL. & Sex. Pompeium Festum lib. xv, *Triatrus*, *Quinquatrus*, *Sexatrus*, *Septimatrus*; Festa sic dicta, quod post diem tertium, quintum, sextum, septimum Idus. Ab *Tusculanis* item *Struppus*, teste Festo in ea voce, vocatur, quod in Pulvinari inponitur Castoris. Citat quoque Varro lib. v. Verba hæc solemnia ex Tusculaneis Sacreis: VINVM NOVVM NE VEHATVR IN VRBEM, ANTEQVAM VINALIA KALENTVR. *Lanuvini* apud Paullum ex Festo Testiculos nominant *Nebrundines*. *Prænestinæ* Voces sunt apud Paullum *Nefrones*, Testiculi; & *Tongitio*, Notio. *Prænestinos* decurtare solitos cum risu audientium Vocabula Latina constat ex Plauti Truculento, Sc. Mirum videtur ubi Stratilax Servus: Latinæ Linguæ Dialectus. Tusculana. Lanuvina. Prænestina.

Vt Prænestinis Conia *est* Ciconia.

Sic Attius Poeta apud Festum: *Tammodo inquit Prænestinus*, pro *Tantummodo*. *Formiani* Tigna, quibus ipsorum Pons surrectus erat, *Sublices* appellasse, colligunt ex Festi Fragmentis in illa Voce docti Viri. *Tarracinæ* *Numisianam* appellabat quamdam uvæ speciem, teste Plinio lib. xiiii, cap. ii. *Marsis* *Herna* sunt Saxa apud Festum lib. viii, unde *Hernici* Italiæ populi. Notat idem de *Sabinis* Servius. Quum autem in omnibus Linguis sæpe peculiare quid soleat esse Feminis, Pueris, Rusticis: quod ad *Latinum Sermonem*, notat Festus libro xi. Potionem illam, quæ Græce *Nectar*, Communiter autem *Murrina* dicebatur, ab *Mulieribus* *Murrhinam* fuisse appellatam. *Atavus*, inquit Festus, *quia Tata est Avi, id est Pater, ut Pueri usurpare solent*. Meminit Martialis: Formiana. Tarracinensis. Marsa. Mulierum. Puerorum.

Mammas *atque* Tatas *habet Afra, sed ipsa* Tatarum
Dici & Mammarum *Maxima* Mamma *potest*.

De *Tata* & *Mamma* plenius in Inferiore Germania. *Inbutum est*, inquit idem Festus, *quod cum ipsam rei succum bibit: unde Infantibus an velint bibere, dicentes* Bu *syllaba contenti sumus*. Varro Catone, de Liberis educandis: *Quum Cibum ac Potionem* Buas *ac* Papas *vocent*; *Matrem*, Mammam; *Patrem*, Tatam. A *Papa Papare* apud Plautum:

Tum Puero dandum, quod papet.

Varro lib. vi de LL. ubi monet in pluribus Verbeis A ante E alios ponere, alios non, id est ea quæ Diphthongo scribebantur, ab nonnullis simpliciter enunciari, adductis exemplis inter alia, *Rustici*, ait, *Pappum Mesum, non Mæsum dicunt*. Ita enim ea invertenda, pro, quæ in Vulgatis, *Pappum Mæsum, non Mesum*. Indicat enim Festus proprie *Rusticorum* fuisse, Diphthongos non pronunciare. Sic *Orum* dicebant pro *Auro* & *Oriculas* pro *Auriculis*, teste Festo in *Orata*. Vtitur Catullus: Rusticorum.

Vel Anseris medullula, vel imula Oricilla.

Paullus ex Festo: *Dissipere farinulam iacere pulsis: inde Dissipare, Obsipare; ut quum Rustici dicunt, Obsipa Pullis Escam*. *Robus Rusticis* apud eumdem Festum *Bos. Rustici*, eodem scribente, in Ruminalis, appellabant *Hedos subrumos*, qui adhuc sub Mammis habebantur. De *Hedo* scribit & Varro lib. iv. de LL. de Sabinorum loquens Vocibus. *Et quod illest* (apud Sabinos) Fedus, *in Latio rure* Hedus: *quod in Vrbe, ut in multeis, A addito*, Hædus. *Solatum*, ut apud eumdem legimus, *genus Morbi maxime ab Rusticantibus dicitur, cuius meminit etiam Afranius*. *Syrus*, inquit Nonius, *ab Græco*

magis tractum est, ἀπὸ τοῦ σύρειν. *Has nos* Scopas, *Rustici eo nomine* Vros *vocant*. *Subrigere*, ait idem, *significat sursum erigere: quo Verbo Rustici utuntur, quum trita Fruges ad ventilandum in areis eriguntur*. Alia, ne prolixior sim, prætereo. Plura enim huius classis apud Rerum Rusticarum Scriptores.

Hæc de *Lingua Latina*: succedit altera Principum, *Græca*.

Magnam Partem Veteris Priscæque Italiæ una cum Sicilia aliquando sub nomine *Magnæ Græciæ* cognitam fuisse, multis postea probabo Capite de ea singulario. Certe quum ducti ex Græcia Coloni multas, ut inquit Festus, magnasque Civitates ibi, ab Tarento, ut notat Servius ad I. Æneidos, ad Cumas usque, condidissent, Linguam suam in Solo Barbarico non solum retinuerunt (videndus Livius lib. XXXI) verum etiam in penitiorem Italiam longe lateque; arripientibus eam certatim

Græca Lingua,

Confinalibus, diffuderunt: adeo ut cum primis Latini infinitas ex illo Fonte Voces in Arva sua dirivarint quod de re dictum in superioribus abunde. Hæc enim est, ex qua non solum multa Romani sunt mutuati, verum etiam quam sensim plenius exactiusque addidicerunt partim Commerciorum, ut fieri solet, iure & benificio, partim Doctoribus Præcepta ad eam præeuntibus. Ab Commercijs, quæ ab Imperitioribus celebrari consueverunt, credo factum, ut germanam non fuerint adsequuti Græcorum Pronunciationem. Testatur ex Festi lib. I. de verb. signific. Paullus Diaconus, Romanos Veteres, Grææ Linguæ nondum adsuetos, *Alumentum* dixisse pro *Laomedonte*; *Melum* pro *Nilo*: *Catamitum* pro *Ganymede*; *Alphium* pro *Alpheo*. Præcepta ad Linguam hanc prævivit inter alios, Ennius meus. Gloriatur hic apud Festum lib. XVII, Se pavisse Romanos Græca lingua: unde Græcos & Graios omnes iam eos vocabant:

diffusa per Italiam & Commerciorum iure,

& Doctorum Virorum Institutione.

Contendunt Græcos; Graios memorare solent sos:
Quod Græca Lingua longo per temporis tractus
Hos pavi. . . . .

Suetonius de Claris Grammaticis: *Antiquissimi Doctorum quidem & Poetæ & Oratores semigræci erant. Livium & Ennium dico, quos utraque Lingua domi forisque docuisse, adnotum; et si nihil amplius, quam Græce interpretabantur.* Et paullatim adeo invaluit eius Linguæ addiscendæ studium, ut M. Cato, qui & ipse Ennium habuerat Præceptorem, in Senatu coactus fuerit exclamare, *Se non posse pati Græcanicam Vrbem*. Huius Idiomatis sunt quæ *Messapiæ* alij tribuunt, nisi *Messapia Lingua* specialior eius fuerit Dialectus: Βρέντιον inquit Stephanus, in Βρεντήσιον. τὸ δὲ Μεσσαπίοις ἡ ἐλάφου κεφαλή, ὡς Σέλευκος ἐν δευτέρῳ γλωσσῶν: & hinc Βρεντήσιον, Latinis *Brundisium*, de quo suo loco. Sic Πάτερ, αὐτὸς inquit Athenæus lib. II. Μεσσαπίοι. καὶ τὴν πλησμονὴν πανίαν, καὶ πάντα τὰ πλήσματα. Deinde: καὶ Ῥωμαῖοι δὲ Πᾶνα τὸν ἄρτον καλοῦσι. Quum autem variæ fuerint Græcæ Linguæ Dialecti, ut suo loco dicemus; satis constat, & docent Scriptorum, qui in his Italiæ locis floruerunt, Monimenta, eam quæ cum Græcis Colonis eo invecta, fuisse *Doricam*. Eius Species ad Italiam pertinentes sunt *Sicula* & *Tarentina*, ad Græciam, Terræ quidem Continentis, *Laconica*, *Macedonica*, *Thessalica*, quamvis non tota: Insularum autem, *Cretensis* & *Rhodiana*. De Prioribus *Sicula* & *Tarentina* hic nonnihil dicendum: de reliquis, in Græcia.

Græca hæreditariò forte cum Messapia.

Græca in Italiam invecta, Dorica fuit Terra.

Eius Species.

Sicula.

Siculam ab *Sicilia* dictam, extra controversiam est. *Sicilia* nomen habuit olim, ut alibi moneo, non solum Insula, quæ ab Italia exiguo freto separata; verum etiam totum illud quod ab Græcis, Brutijs, Calabris, quin & Campanis, alijsque Confinalibus, quondam habitatum. *Siculos Trilingues* appellat Apuleius lib. XI, an quod Græco, Latino, Tertioque ex ijs misto loquerentur? *Sicelissitare* apud Plautum in Menechmis Sc. I. Sicule loqui, Siculum sermonem imitari: Σικελίζειν Græcis. *Momar* (μῶμαρ) *Siculi Stultum vocant*, inquit Festus lib. XI. Isidorus in Glossis *Momar*, *Siculus*. *Stultus*, *qui cito movetur ad iram*. *Plautus*, *Quid tuo Momar*, *Sicule homo*, *præsumis?* Vbi legendum censeo; *Momar Siculis Stultus*; ut non Synonyma sint *Momar*, *Siculus*, *Stultus*: sed *Momar* appelletur *Siculis*, qui Latinis *Stultus*: unde & apud Plautum, quum nescio quis à quo *Momar* esset compellatus, ut cuius gentis ea vox esset, notaretur, additur *Sicule homo*. Omnis enim qui *Momar* dicebatur, *Siculus* erat: sed non omnis *Siculus* erat *Momar*. Si quis tamen stultum etiam *Siculum* apud Veteres fuisse nominatum contendat, non admodum pugnabo, ea tamen lege, ut vox *Siculus* non sit proprium gentis nomen, sed, ut ita loquar cum Grammaticis, appellativum: dirivatum,

vatum, ut antea indicavi, ex Hebraico סבל, pro quo & בסיל. Pergo, Ἐπίτυρον, inquit Varro lib. v, *Vocabulum est Cibi, quo frequentius Sicilia, quam Italia usa*, Plautus Milite Glorioso, Scena i: *Ni unum Epiturum apud illum esuriens insane edim.* Sic enim apud Poetam legendum. Nam Vox *Esuriens*, quæ additur, explicat, quid ibi sit *insane*. Quo modo fiat Ἐπίτυρον, docent M. Porcius Cato cap. de Re Rustica cxix. & Columella lib. xii. cap. xxvii. Hesychius Ἐπίτυρα vocat faeces & Olivarum magmata, id est τὰ ἐλαιῶν ἐκπιέσματα: corrupte enim legitur, Ἐπίτυρα, ἐκπιέσματα ἐλαιῶν. Λέπορις Siculam esse vocem, docet Varro iv. de L.L. Siculos ab Latinis, quibus est Lepus, sumsisse addens. Πατάνη *Sicula* vox, unde Latinis *Patina*: Eubulus Comicus apud Pollucem & Athenæum:

Καὶ πνικτὰ Σικελικὰ πατάνια σωρεύματι.

Κάτινος, apud Varronem, Siculis Vas, ubi Assa ponebant: Latini *Catinum* dicebant. Νοῦμμος, *Nummus Siculorum* est. Pollux lib. ix. ὁ δὲ νοῦμμος δοκεῖ μὲν εἶναι Ῥωμαίων τοὔνομα τοῦ νομίσματος: ἔστι δὲ Ἑλληνικὸν, τῶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ Δωριέων. Ὁ Ἐπίχαρμος τι γὰρ ἐν ταῖς Χύτραις φησίν:

Ἀλλ' ὅμως καλαὶ καὶ πίονες ἄρνες, δὲ ὅμως δὲ
Μοιχῇ νοῦμμοις καὶ γὰρ ἐστι πωλατίας ταῖς ματέρες.

Καὶ πάλιν:

Κάρυξ δ' εὐθὺς ἰὼν πρίαμαι δέκα νούμμων μόσχον καλὴν.

Sic Varro lib. iv. de L.L. *In Argento Nummi: id a Siculis.* Quare inepte Suetonius Tranquillus ab *Numa Nummos* appellari scribit. Οὐγκία, Nummi genus, *Siculorum* item est. Testatur Aristoteles apud Pollucem lib. ix. Καὶ μὴν ἐν Ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ φησὶν Ἀριστοτέλης: ζημιοῦσθαι τινα πεντήκοντα λίτρας: δύναται δὲ τὴν λίτραν ὀβολὸν Αἰγιναῖον: ἀλλὰ μὴν τις καὶ αὖθις τις ἂν ἐν τῇ Ἱμεραίων πολιτείᾳ καὶ ἄλλα ὅροι Σικελῶν ὀνόματα, οἷον Οὐγκίαν, ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα. Δωτίνη *Siculis*, eodem Varrone scribente, *Dos, quæ nuptiarum caussa data*: ubi Δὼς legendum Sic Theocritus:

Δὼς ἀγαθὴ, Ἅρπαξ δὲ κακή.

Siculi, & præcipue *Syracusani Circum aut Hippodromum* Καμπὸν, inquit ad Varronem suum Scaliger, *vocabant ab flexu Equorum & Quadrigarum, quæ ibi certabant: unde omnia Plana* Καμποὶ *dicti. Siculis*, tam qui continentem habitabant, quam qui Insulam ipsam, moris erat adspiratas Consonantes mutare frequenter in suas Tenues. Vbi enim Communis Dialectus habebat χ, φ, θ, vertere consueverant ipsi in κ, π, τ: ut χύτρα, κύτρα; *Olla*. χιτὼν, κιτὼν, *vestis*. χρῆμα, κρῆμα, *pecunia*. φήμη, πήμη *fama*, θάνατος, τάνατος, *mors*; & id genus alia. Declinabatur etiam ipsis Γυνὴ, *Mulier*, γυνῆς, γυνῇ, γυνὰν, quum aliis diceretur Γυνὴ, γυναικὸς, γυναικὶ, γυναῖκα. Citat etiam Hesychius *Siculorum* vocem μοῖτον χάριν; & usurpari solitum ab iis Proverbium, Μοῖτον ἀντίμοιρον, quo significabatur Par Pari, & gratum animum sufficere ad rependendum beneficium. Μοῖτον, inquit, ἀντίμοιρον (sic emendandum pro ἀντὶ μοι) παροιμία Σικελοῖς. ἡ γὰρ χάρις, μοῖτος: μοῖτον χάριν. Sic Varro lib. iv de L.L. in fine: *Si datur, quod reddatur, Mutuum, quod Siculi* μοῖτον. *Ita scribit Sophron* Μοῖτον ἀντὶ μοίτου. *Siculæ* porro species est *Syracusana*, qua Ζάγκλη *Syracusiis*, imo quod quidam notant, *Siculis* omnibus, Δρέπανον, *Falx*: unde *Zancle*, Vrbs Siciliæ. Pro *Falce* utitur Nicand. in Alexip. *Nuncius*, inquit, in Verborum Etymologiis, quæ Coniectaneis ad Varronem coniecit, Scaliger, *plane Syracusana vox, ut ab* ὄγκος, *ὀγκία, sic a* νέος, *νύγκιος. Siculi declinarunt Carcer* etiam Syracusanis Λατομία dicebatur, testibus Varrone libro, quem dixi, de L.L. & Festo lib x. Vsurpat eadem ratione Plato Epist. ii. quæ Syracusana complectitur.

Hæc de *Sicula* sufficiant; non enim huius loci, non mei est instituti omnia conquirere: quod ad *Tarentinam*, ea Ἀναγυρὶς vel Ἀναγύρα dicitur apud Hesychium, ἡ ταῖς πικτὰσιν ὑπηρετοῦσα γυνὴ, ἣν Ἀττικοὶ Μαῖαν καλοῦσιν. *Capys*, inquit Scaliger ad Festum *Græcum vel Tarentinum videtur Latine expressum per Falconem. Nam* Κάπυς *παρὰ τὸ* καπύειν, *ἢ χωλὸ καμπύλος, quod incurvos habeat pedes.* Vt *Siculis* tribuunt Varro & Pollux; sic *Tarentinis* Aristoteles, de quo idem Pollux: Καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ταραντίνων πολιτείᾳ φησὶ, καλεῖσθαι νόμισμα παρ' αὐτοῖς Νοῦμμον, ἐφ' οὗ ἐντετυπῶσθαι Τάραντα τὸν Ποσειδῶνος δελφῖνι ἐποχούμενον.

Non possum hic silentio præterire, quosdam esse, qui memoriæ produnt, *Iapyges* antiquissimos Italiæ Orientalioris Incolas, quorum præcipui fuerunt *Salentini*, ante adventum eas in oras Idomenei, Linguam habuisse propriam, Litterasque peculiares: & Tarentinæ Græca successit Iapygia.

liares: Exemplum autem exstare in Tabula quadam marmorea, quam ante annos aliquot Vastæ, quæ Salentinorum Vrbs, inventam testantur Ioannes Pontanus, Hermolaus Barbarus, Accius Syncerus, Charneus. Summontius alijque qui eam viderunt: quorum quidam addunt, eamdem post modum, inducta Græca, interiisse. Eius autem pars sic habet:

ΚΛΟΗΙΤΙΣΘ ΟΙΟRΙΑ ΜΑRΤΑΓΙΔΟΓ·ΑΣ·ΤΕΙΒΑΣΤΑ
FΕΙΝΑΙΧ ΑRΑΝΙΝ ΔΑRΑΝΘΟΑΣΑΣ ΤΙΣ ΤΑΒΟΟΣ

Lucana Lingua. Iam *Lucana Lingua Græca* ne fuerit an *Latinæ* species, an vero prorsus ab ijsdem alia, certo statui nequit. Quum Magnæ Græciæ *Lucani*, quam Latio fuerint propiores, ad *Græcam* mallem, quam *Latinam* trahere. De ea Varro lib. IV. de LL. *Vrsi*, inquit, *Lucana origo, vel unde illi, nostri ab ipsius voce*. Huc pertinet eiusdem Varronis locus ex lib. VI. ubi disputat, unde *Luca Bos* fuerit appellata, item quur *Panthera* & *Leones* non *Lucæ*, sed *Africana Bestiæ* dicerentur, quur denique *Vrsi Lucani* potius, quam *Luci* vocarentur.

Principes, quæ antiquis cis Tiberim Italiæ Incolis, *Linguas Latinam Græcamque* exposui: succedunt Deincipes, *Sabina*, *Osca*, aliæ, quarum apud Grammaticos mentio. Eæ autem an peculiares fuerint, an vero vel *Latini* vel *Græci sermonis* Dialecti, non ausim, ego quidem, hoc tempore diffinire. *Sabina Lingua.* Quod ad *Sabinam*, censet Isaacus Casaubonus ad initium lib. III. Cæsarum Suetonij, plerasque eius Linguæ Voces originis esse Græcanicæ. *Nam & ipsi*, inquit, *absque dubio ἀναμφιβόλως Dores fuerunt e Peloponneso orti*. Non laborabo his vel confirmandis, vel refutandis. Nisi ex Græcis fontibus hæc Lingua originem habuerit, videntur sane *Sabini* nonnulla ab Græcis mutuati. Nam quod his Ἀλφὸν illis, Festo teste, *Alpum* est, Latinis *Album*. *Atta Sabinorum* vel Prænomen, vel Cognomen, παρὰ τὸ ἄττειν, quod *subsilire & nusquam fide pedem figere*. Consulendi Festus lib. I. de Verbor: signific. & Suetonius in Tiberio cap. I. *Nero Lingua Sabina Fortis* ac *Strenuus*, Suetonio notante in eiusdem principis vita, eodem capite. *Vox Græca*, inquit Casaubonus, *originis. Græci enim hominem bonis lacertis vocant* νευρώδη. Eleganter Agellius lib. XIII. cap. XXII. *Id autem sive* Nerio, *sive* Nerienes *est*, *Sabinum verbum est*, *eoque significantur Virtus & Fortitudo. Itaque ex Claudiis, quos à Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia & præstanti fortitudine, Nero appellatus est. Sed id Sabini à Græcis accepisse videntur, qui vincula & firmamenta membrorum* νεῦρα *dicunt: unde & nos quoque Latine* Neruos *appellamus*. Nerio *igitur Martis vis & potentia, & maiestas quædam esse Martis demonstratur*. Sed laudantur multa *Sabinorum* ab Latinis, quæ nihil cum Græcis habent commune. Eorum hic est Catalogus: *Mamers* Sabine, qui Latine *Mars*. Varro IV. de LL. Novit Lycophron, quum ait:

Καύδαον, ἢ Μαμερτὸν ὁπλίτην λύκον.

Item

Πολλῶν δ' ἐναλλὰξ σωμάτων ἀπάρξεται
Καυδαῖος, ἢ Μαμερτὸς.

Feronia, inquit ibidem Varro, *Minerva, Novemsiles à Sabinis: paullo aliter ab eisdem dicimus Laram* (alij *Herculem* legunt, *Herem* emendat Iosephus Scaliger) *Vestam, Salutem, Fortem Fortunam, Fidem. Fare* (coniectat Scaliger *Lares*) *Sabinorum Linguam olent, quæ Taty Regis voto sunt Romæ dedicatæ. Nam, ut Annales dicunt, vovit Opi, Floræque; Diovi, Saturnoque, Soli, Lunæque; Volcano, Summanoque; itemque Larundæ, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianæ, Cloacinæque. E queis nonnulla Nomina in utraque Lingua habent radices: ut Arbores, quæ in confinio natæ, in utroque agro serpunt. Potest enim esse Saturnus hic alia de caussa dictus, atque in Sabinis; & sic Diana. Sancus Sabina lingua*, qui *Dius Fidius* Latina, notante eodem Varrone libro sæpe iam indicato. *Semonem* eumdem cum *Sanco* facit T. Livius lib. VIII. Meminit omnium Ovidius in Fastis, ex emendatione Scaligeri

Quærebam Nonas, Sanco Fidione *referrem*,
An tibi Semo-Pater:

Sol Sabinum esse vocabulum testatur idem Varro libro nominato. *Talus* in *Sabinorum* nominibus Prænominis loco videtur fuisse, uti notat Festus lib. penultimo. *Catus*, *acutus*, *Sabinis* apud Varronem lib. VI. de LL. *Circulis*, inquit idem Varro lib. VI. *quod*

militia

mixta farina caseo & aqua circuitum aequaliter fundebant. Hoc quidam, qui magis incondite faciebant, vocabant Lixulas *&* Semilixulas, *vocabulo Sabino: idque frequentius Sabini à globo farina dilatato. Scensas* (Scaliger legit *Cesnas*) *Sabini Cenas dicebant*, ait Festus lib. XVII. *Hircus*, inquit Varro, *quod Sabini Fircus; & quod illic Fedus, in Latio rure Hedus, quod in Urbe, ut in multeis, A addito Haedus.* Quae sequuntur, obscuriora sunt: *Porcus, quod Sabini dicunt de Aprino Porco, poridus, unde Porcus*: Veram Lectionem putat Scaliger: *Porcus, quod Sabini dicunt Aprum Porcum, proinde Porcus. Hirpi Sabinis Lupi*, Servio ad Virgilium indicante. *Curis Sabinis Hasta*: unde Iuno *Curis*; item *Quirinus*, Romulus, quod *Curi*, id est Hasta, uteretur: *Quirites* Cives Romani cum Sabinis mixti; *Quiritare*, Quiritium fidem clamando implorare; & similia: videndi Varro lib. IV. de LL. Festus in Celibari, Curis, Curitim, item in fragmentis vocis Quirinalis; & alij. *Cubam Sabini vocant*, inquit idem Festus lib. III, *eam, quam Milites Lecticam; unde videtur dirivatum esse Cubiculum.* Varro lib. IV. *Item dicta Lepesta* (sic enim corrigendum) *etiam nunc in diebus* (quid si *aedibus*?) *sacreis, Sabineis Vasa Vinaria in mensa Deorum sunt posita. Apud antiquos Scriptores Graecos inveni appellari poculi genus Λεπάσται. Quare vel inde radices in Agrum Sabinum & Romanum sunt profecta.* Idem Varro lib. I. de Vita Populi Romani: *Lepestae etiamnum Sabinorum Fanis pauperioribus plerisque aut fictiles sunt, aut aenea.* Λεπαστῶν meminerunt Athenaeus & Pollux. *Ausum Sabinis Aurum*, apud Festum. *Sabinorum Lingua Herna Saxa vocantur*, inquit Servius ad VII. Aeneid. Testatur idem de *Marsorum Lingua* Festus. *Februum* vocant apud Varronem lib. V. *Sabini* purgamentum. *Ciprum* apud eumdem lib. IV. *Sabine* bonum. Scaliger *Cuprum* vocem vult esse Syriacam; addens ea Lingua usos antiquitus Etruscos. *Cascum*, eodem teste lib. VI, *Sabinis* Vetus; indeque *Casinum* opidum, quod olim ab Sabinis Samnites tenuerunt: inde item *Cassinum Forum*, Vetus. *Crepeirum*, eodem notante lib. V. & VI. de LL. *Sabinis*, quod Latinis dubium: unde *Crepusculum*, dubium tempus. *Sabinam Linguam*, radices in *Oscam* egisse docet idem Varro lib VI. *Sabinis Vocabulis* delectatos Poetas Latinos, ex antiquis patet Grammaticis. *Sabina Lingua* Dialectus erat *Samnitica*. Nam quemadmodum ab *Sabinis Samnites* duxerunt originem, sic Linguam etiam, Genitoribus suis propriam & peculiarem, in novas sedes translati, secum asportarunt. Non enim solum *Sabinis Lupi* nominabantur *Hirpi* vel *Irpi*; sed etiam, ut notat ex Festo Paullus Diaconus lib. IX, *Samnitibus*. Samnitica

Haec de *Sabina*, ad *Oscam* venio. *Oscum sermonem* alium ab Latino fuisse docet Titinij versus: Osca

Osce *& Volsce fabulantur: nam Latine nesciunt.*

Corruptior fuit, non plane diversus. Leguntur eius Linguae quaedam apud Grammaticos voces, *Mamers* lingua *Oscorum* Mars: & *Mamercus* praenomen *Oscum*, eo quod *Osci* Martem *Mamertem* appellarent, teste Festo lib. XI. *Meddix*, eodem scribente, apud *Oscos* nomen Magistratus est. Ennius;

Summus ibi capitur Meddix, *occiditur alter.*

Famel Oscis apud eumdem, servus. Sic Varro lib. IV. de LL. *Quod supra Supparus; nisi quod id dicunt Osce. Vngulum* ex Festi notatione lib. ult. *Oscorum* lingua significat Anulum: ut *Veia*, Plaustrum. *Multam*, ait ex Festo Paulus, *Osce* dici putant poenam. Sic eidem *Osce Pipatio*, clamor plorantis; *Sollum*, totum & solidum: *Masius*, Mensis Martius, *Dalivum*, insanum; *Pitpit*, quidquid: *Petora*, quatuor. Nam *Osci* T mutabant in P, ut τὶς, Pis: τὶ, Pit, unde *Pitpit*, quidquid; πίσαρες, πίσυρες, πίτορες, *Osce Petora*; unde *Petoritum*, currus quatuor rotarum. Vide & supra libro III. cap. XV. Notandum hic, quod peculiare *Oscis* usu venisse notat Strabo lib. IV: τῶν μὲν Ὄσκων, inquit, ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις ὥστε καὶ ποιήματα σκηνοβατεῖσθαι κατά τινα ἀγῶνα πάτριον, καὶ μιμολογεῖσθαι. Inde *Oscum Ludicrum* dicebatur; cuius meminerunt M. Tullius Epist. ad Marium, & Tacitus lib. IV. Annalium. Sunt qui idem censent cum *Atellano*; quia Atella *Oscorum* urbs. In *Oscam Linguam* radices suas *Sabinam* egisse tradit M. Terentius Varro lib. VI. de LL. Et inde *Casnar Oscis* Senex: ab *Casco*, quae Vox Sabinis Vetus. Vide & Festum in *Casnar*. Familiaris fuit *Osca Lingua Bruttiis*: *Bilingues*, inquit Festus, *Brutates Ennius dixit, quod Bruttij & Osce & Graece loqui soliti sint*: Item *Canusinis*, Canusij, quod Apuliae Peucetiae opidum, Incolis: Horat.

——*Canusini more bilinguis.*

Ad quem locum Porphyrio vetus Horatij Interpres eadem fere ſcribit, quæ paullo ante laudata ex Feſto: *Bilingues,* inquit, *dicuntur, quoniam utraque Lingua Canuſini uſi ſunt, ſicut per omnem illum tractum Italiæ, quem ex maiori parte Græci incoluerunt: ex quo Magna Græcia nomen accepit. Ideo ergo & Ennius & Lucilius* Bruttates Bilingues *dixerunt.* Licet *Campanam Linguam* Dialectum fuiſſe Græci ſermonis quis poſſit dicere, quod apud Plinium Græci legantur tenuiſſe Campaniam; quodque Avernum Lacum in Magna Græcia deſcribat Maximus Tyrius Orat. XXVI: eam tamen plerique docti Viri eamdem cum *Oſca*, vel ſaltem *Oſcæ* faciunt ſpeciem. *Secuͣ. Falces in Campania*, ait Varro, *ab ſecando. Scirpula Campanis*, uvæ genus apud Plinium lib. nat. hiſt. XIIII, capit. An eandem cum *Oſcis* Linguam habuerint *Volſci*, adhuc incertum. Videtur inter eos nonnihil fuiſſe diſcriminis. Titinius Fabula V, quem antea laudavi:

quæ & Campana.

forſan & Volſca.

Qui Oſce & Volſce fabulantur: nam Latine neſciunt.

Volſcorum ut & *Formianorum* Vocabulo Tigna in latitudinem extenta *Sublices* dicebantur, teſte Feſto lib. de Verb. ſignif. c. XVII.

Tuſca Lingua, ab Aramæo orta ſermone.

Hæc de Cis-Tiberinis Italiæ Linguis: ſuccedit Trans-Tiberina, *Tuſca*. *Tuſcos* antiquitus uſos fuiſſe *Aramæa* vel *Syriaca Lingua*, conſtans Viris doctis mens eſt. Probat illud abunde ingens variarum Vocum numerus. Non illas hic repetam, quas notavi, quum de Incremento Latinæ Linguæ, penuria laborantis, ab Etruſcis profecto, diſſererem. Eas, Aramæi vel Syriaci Fontis, *Tuſci* vero Uſus, in Colonias ſuas transtuliſſe Veteres Latinos multas, non primus ego, monui. Quum tamen Scriptores antiqui Voces, quas ibi memoravi, *Tuſcas* eſſe, concepte non tradant: paucula hic adponam quæ Scriptoribus iisdem diſertis verbis, ſunt *Etruſca*, quæque ſuas habent in *Aramæo ſermone* radices. *Æſar Etruſca Lingua Deus*, ut videre eſt apud Suetonium in Auguſti Vita, cap. XCVII: ab עצר, *Regnum, Dominium* quod cui magis convenit, quam Deo? Quod *Nepos Tuſcis* ſit Luxurioſus, conſtat ex Feſti Fragmentis, ſi quidem legitimum Lacunæ eius ab doctis Viris ſupplementum acceperint. Hæc Vox meo iudicio manat ab Hebraica נפץ, quæ nihil aliud quam *Diſperdere*, vel ab פצץ, quæ *Conterere*, *Proiicere*, *Evacuare* ſignificat; ut vere *Nepotes Tuſcis*, & ab iis hodie Latinis, ſint perditi, luxurioſi, qui Patrimonium & rem familiarem nimia profuſione diſperdunt & evacuant. *Nepos* alia notione Latinis iiſdem inter Agnationis Voces, quaſi *Non Pes*, ut quibuſdam videtur, nec fundamentum Generis. *Falantum Tuſcis* Cœlum, apud Feſtum lib. VI; Vox, ni fallor, ab Hebraico vocabulo derivata פלא, quod *mirabile, difficile, arduum eſſe* notat. *Subulonem*, quo utitur Ennius, Tuſcis Tibicinem eſſe, eiuſque radices in Etruria, non in Latio quærendum eſſe, monet Varro de L.L. lib. VI: qua de re etiam Feſtus lib. XVII: forſan ab צבה, *Tumeſcere Inflari*. *Baiteus*, *Tuſcum* Charilius: *Varro Baitea dixit, & Tuſcum Vocabulum ait eſſe, Rerum humanarum lib.* XVIII. an à בלג, *Roborare*, *Confortare*? Aliarum Vocum Origines aliis indagandas relinquo. Sunt enim plures, quæ ab Grammaticis: ut *Tuſca*, laudantur. *Hera* Iuno, *Etruſcis* Κυπρα dicebatur, teſte Strabone lib. V. *Neptunus Tuſcum*, inquit in Coniectaneis ad Varronem ſuum Vir Nob. Ioſephus Scaliger, *ut Volcanus*. Nomina, quibus tres Veterum Romanorum Tribus deſignabantur, *Tattes*, *Ramnes*, *Luceres*, *Tuſca* eſſe, prodit apud Varronem lib. IV. de L.L. antiquiſſimus Scriptor Volumnius. *Hiſter Etruſca lingua* Ludio apud Livium lib. VII. ab V.C. *Laniſta Tuſce* Carnifex, teſte Iſidoro in Etymologicis. *Capra Tuſca Vox*, Heſychio notante. *Mantiſa*, Additamentum dicitur apud Feſtum *Lingua Tuſcorum*, quod ponderi adiicitur; ſed deterius, & quod ſine ullo eſt uſu. Scaliger tamen negans *Tuſcum*, adſerit purum putum eſſe Latinum pro Manutenta. Vox mihi Latina, ſed ad Etruſciſmum inflexa. *Arſe verſe Tuſcorum lingua, Averte ignem* ſonare ſcribit ex Verrio Flacco Feſtus lib. I. de Verb. ſignif. Aliæ in præſentia non occurrunt. Suſpicantur quidam Vocabula illa, quæ Arnobius lib. VII adverſus Gentes recenſet, de Victimis & earum partibus Originis eſſe *Etruſcæ*: qualia ſunt *Apexabo*, *Longauo*: *Tucetum*: *Tanta*, *Palaſea*, ſive ut quidam nominant, *Plaſea*, *Iſicia*, *Polimina*, *Aſicia*, *Gratilla*, *Catumeum*, *Fendica*, *Magmenta*, *Augmina*, & id genus alia. Quæ Ioannes Annius Viterbienſis *Etruſca vocabula* nobis comminiſcitur, & ſubornatis Catonis adfingit fragmentis ut ſunt *Botigos* pro Pado, *Picena* pro Ancona, *Larinum* pro Metropoli, *Loro* pro Principe, *Sagi* pro Pontificibus & ſacris Expiatoribus: mihi Nugæ ſunt, Quiſquiliæ, Buttubatta Nævij, nul-

lius

lius momenti. *Tuscas Tragœdias* scripsisse Volumnium Poëtam, auctor est lib. IV. de LL. Varro. Mihi igitur, ut magnis Viris, *Sermo Tuscus* ab *Aramæo* sua habet primordia. Sunt qui ex Græcis fontibus dirivant, argumento vocum *Falanti*, *Nepotum*, & similium: Quæ enim *Falantum Nepotes*que *Tuscis*; φάλαντον & Νέποδες esse Græcis. Sed parum hæc probant. Fuerint enim in hac lingua Græca quædam Vocabula, ut vere fuerunt, an necessum, ut ab Græca manarit? Sæpe multa ex una in aliam diffunduntur linguam propter vicinitatem. Inter ea *Lana* Vestimenti genus, habitus duplicis, apud *Tuscos*, ut notat Festus, quę Gręcis χλαῖνα. Sic *Lucumo*, *Tuscum*; & tamen origo ipsi Græca. Nam in Etruria & Latio *Lucumones* ij sunt, qui in Arcadia Λυκάονες. Quin tātas etiam habuit vires Græcorum vicinitas, ut Etrusci Progenitorum suorum Characteribus, qui erant Aramæi, carentes, alios ab iisdem Græcis Confinalibus suis, quique Colonias etiam varias in *Tusciam* jam tunc duxerant, dicantur mutuati, sed mutatis, vel potius inversis, figuris: cum, ne iidem parerent, tum ut Majorum suorum in scribendo ritum, & consuetudinem æmulari aliquo modo viderentur. Repertæ fuerunt ante aliquot annos Eugubij in Vmbria Tabulæ octo æneæ; quarum una litteris, quas dixi, erat concepta. Eius hęc pars est:

an ab Græco.

Tuscorum Characteres Græci, sed inversi.



Alphabetum, ab nonnullis cum veris rectisque litterarum Græcarum formis commissum, adponam: timidior tamen. Nam ego hic nihil ausim adfirmare. Licet enim Characterum cum vel Latinis Potestas reperiretur: tamen & *Etrusca Lingua* & eius Verba prisca funditus fere, paucis exceptis, exciderunt:



Eugubinæ Tabulæ Characteribus non multum absimiles exstant Perusiæ in Etruria, cum publice lapide quadrato, tum ad domum quamdam privatam, in qua Vrnæ *Etruscis litteris* incisæ. Visuntur & similes Characteres Florentiæ in Palatio Reip. ad Scalam quamdam in dextro pede Simulacri cuiusdam Chimærę, quod cum in locum Aretio translatum. Elegantia vero extra controversiam *Etruscæ linguæ*, sed quę paullatim iam ab Vetere degenerarat, specimina, Latinis concepta litteris, exhibent septem reliquę, quas Eugubij in Etruria repertas dixi, Tabulę. In Prima sane hęc visuntur sculpta:

Etrusca Linguæ specimen.

ES. E. PERSCLO AVEIS. ASERIATER. ENETV. PARFA. CVRNASE. DERSVA. PEIQV. PEICA MEESTV. FOFI ANGLA. ASERIATO. BESTESO. TREMNV. SERSE. ARSFERTVRE EHVELTV ST. PLOASEFIAIA. PARFA. DERSVA. CVRNACO. DERSVA. PEICO. MERSTO. PEICA. MERSTA AVEI. MERSTA ANGLA ESOMA. ARFERTVR. ESO. ANTISPAIV. EF. ASERIO. PARFA DERSVA. CVRNACO DERSVA. PEICO. MERSTO. PEICA. MERSTA AVE. E. MERSTA ANGLAF ESONA MENI. TOTE IIOVINE ESMEI. STAHMEI ST HMEITEI SERSI. PIRSI SESVSTAOI. ANGLA. ASERIATO. EST. ERSENEIP. MVGATV. NEP ARSIR. ANDERS ISIV. MERSA. COVRIVST. PORSI. ANGLA ASERIATO. IVSI. SVEMVIETO. SVST. OTE. PISI ARSIR. ANDERSE. SVSPDISLERAALINSVST

VERFALE

VERFALE FVFEARSFERTVR. TREBEIT OCRER. PEIHANER ERSESTAPMITO. ESO. TVDERATO ESTANGEVTO HONDOMV PORSEI NESIMEI ASA DEVEIA EST. ANGLOMF SOMO PORSEI NESIMEI VAFERSVS AVILHCIEIR EST FINE ANGLVTOSGMO VAFEREAVIENCIV IODCOMEI TVDER ANGLVTO HONDOMV. ASAME DEVEIA. TODCOME TVDER EINE. TODCEIR. TVDERVS SEIIODRVHPEI. SERITV

Tusca Lingua Species. Rhetica,
Falisca,

Et quæ sequuntur. Quid autem sibi velint, ne Oedipus quidem, nisi forte Hebraici Rheticique sermonis singulariter peritus, divinare posset. Hæc de *Tusca lingua*. Eius Species putantur *Rhetica, Falisca*, & si quæ fuerint aliæ. De *Rhetica* commodior dicendi erit locus in mea Germania. *Falisci* Etruriæ erant populi. Quemadmodum autem *Tusculanis*, Latii Incolis *Triatrus*, *Sexatrus*, & *Septenatrus* Festi dicebantur dies, quod post Tertium, Sextum, Septimum Iduum celebrarentur, ut ex Verrio scribit lib. xv. Festus; sic, eodem ibi notante, apud *Faliscos* appellabatur, quod post diem decimum Iduum, *Decimatrus*. Apud eosdem *Faliscos*, memoriæ prodit ex Verrio Festus, diem Festum fuisse, qui vocabatur *Struppearia*; caussam addens, quod coronati ambularent: & ab *Tusculanis*, quod in pulvinari imponatur Castoris, *Struppum* nominari. Docent Exempla hæc duo *Faliscis* Etruriæ & *Tusculanis* Latii populis in Sermone multa fuisse communia.

Vmbrica.

Iam *Vmbrorum Linguam Etruscæ* etiam censeo fuisse Dialectum; eo magis, quod octo Tabulæ, quas ante monui, *Etrusca Lingua* conceptas, & earum unam Etrusco quoque Charactere, Eugubij, quod Vmbriæ oppidum, fuerint inventæ. *Vmbrica* certe *Lingua Strebula* Plauto appellantur apud Festum *Coxendices Hostiarum*.

Ligurum Lingua.

Ligurum porro Linguam, quæ ex præscripta Synopsi restat, mere fuisse *Gallicam*, una vox probare potest *Bodincus*, qua *Padum* dici solitum *Liguribus* scribit Plinius, quod fundo careret. *Bodem* certe Gallis antiquis, hodieque Germaniæ & Inferioris & Superioris Populis nihil aliud, quam *Fundus*.

Quibus gradibus ad Communem Italicam deventum.

Quales hodie per Italiam meo iudicio Linguæ fuerint, aliquo modo indicavi: restat, ut quibus Gradibus ad *Communem Italicam* deventum, videamus. *Lingua Latina*, exiguis olim ut ipsa Gens, docente CL. V. Lipsio de Recta eius Pronunciatione, Finibus contenta, circa Romam fere & finitima infero Tiberi hæsit. Italiam ceteram adeo non pervasit; ut, quemadmodum plene dictum doctumque, hinc Tusci Liguresque, inde Magnæ Græciæ Incolæ aliique suæ indolis usi fuerint & diversissimo ab hac Sermone: quem diu, aucto etiam Imperio, tenuerunt.

Romani parci & tardi in communicanda sua Lingua permittenda.

Nam Romanis etsi arma inferre Finitimis acris cura fuit: non etiam Mores, Sacra, *Linguam*: quin contra aliquamdiu arcuisse ista videntur, & communicari ea cum aliis censuisse non pro bono. Certe ut Beneficium tandem indulserunt, & ad eam rem opus venia fuit, ac permissu. Livius lib. xl: *Cumanis* (Græca ipsorum Lingua fuit: quia Colonia Græcanica) *eo anno petentibus permissum, ut publice* (exaudiendum hoc de Scriptis Decretisque Publicis) *Latine loquerentur, Præconibusque Latine vendendi ius esset*. Narrat hoc Livius sub annum Io. xxiii ab V. C. ut videatur etiam tunc post Punica Bella, Finibus valde auctis haud valde auxisse *Lingua*.

Postea largi idque cum Missu Coloniarum.

At mox immensum & diu coercita, velut rupto obice, se effudit: occasione quidem & caussa duplici. *Missu* primum *Coloniarum*, deinde *Communione Civitatis*. Nam de *Coloniis*, quum Romani eas spargerent, firmando Imperio, per omnes Gentes: necessario una etiam *Lingua* spargebatur: quia numerosi isti Coloni, vel æquabant plerumque, vel superabant Civium Veterum partem. Ita si Commercia aut Colloquia inter eos futura, alteros in alterorū *Linguam* migrare paullatim erat necesse: & quos potius, quam qui Victi? Hæc ratio incredibile, quam cito, quam late diffuderit *Romanum* hunc *Sermonem*.

Tum Communicatione Civitatis.

Quod ad *Civitatis Communionem*: Donati namque Civitatis Iure, honeste eo frui non poterant sine Conscientia *Linguæ*: non videbantur merito Cives Romani haberi censerique posse, nisi *Romane* & intelligerent & sonarent.

Turpe Romanam Linguam nescire & periculosum.

Quin Nescisse id, non turpe solum, sed periculo iunctum: ut exstent Exempla ob noxam hanc unam ademtæ Civitatis. Claudius Imperator, docente Suetonio in eius Vita cap. xvi: *Splendidum Virum Græciæque Provinciæ Principem, verum Latini Sermonis ignarum, non modo Albo Iudicum erasit, sed etiam in Peregrinitatem redegit*. Iāque Romani honorem suum agi palam censebant in honore suæ *Linguæ*.

Solus Romanus Sermo publice in usu.

Ita ne Legatis quidem, ut refert Valerius Maximus lib. ii. cap. ii, Gentium exterarum permissum in Curia, nisi per Interpretem loqui: iisque *Latine* semper Responsa data. Idque servatum, *non in Vrbe tantum nostra*, ait Valerius, *sed etiam in Græcia & Asia: quo scilicet Latinæ Vo-*

na Vo-

na Vocis honos per omnes Gentes venerabilior diffunderetur. Hæc in Titulo Crucis Domini, quem scripsit Pilatus, *Hebraice, Græce, Latine*, primum obtinuit locum, uti testatur Nicolaus Papa in Epistola ad Michaelem Imperat. Tomo III Concilior. his verbis: *Hæc cum Hebræa & Græca in Titulo Domini à reliquis discreta, insignem Principatum tenens, omnibus Nationibus prædicat* IESVM NAZARENVM REGEM IVDAEORVM. Ego tamen hic timidior: quum alium in recensendis *Linguis* Ordinem Euangelistas observasse video: quos tamen volunt quidam non ordinem sequutos fuisse, sed tantum quod factum esset, insinuasse. Marcianus Imperator in Chalcedonensi Concilio, coram amplissimo Patrum Conventu concionaturus, licet homo Græcus, & inter Græcos, & in ditione Græcorum, eamdem Orationem *Latine* prius, postmodum *Græce* dixit, ut ex ipsius Synodi Actis constat. Legati etiam Romanæ Ecclesiæ Litteras Romanorum Pontificum, ad Synodos Græcorum Episcoporum conscriptas, nonnisi *Latine* legi, ac coram omnibus ex scripto recitari iubere consueverunt: & nisi flagitantibus eius Consessus Episcopis, *Græce* reddere. Fidem facit vel unus ex Legatis Romanæ Sedis Philippus Presbyter in Concilio Oecumenico Ephesino, ubi, recitatis Celestini Papæ Litteris *Latine* scriptis, universi Episcopi petierunt, ut eadem Epistola *Græce* translata denuo recitaretur: tuncque interloquutus scribitur his verbis Philippus Legatus: *Vetus consuetudo habet, ut Apostolicæ Sedis Diplomata* Latine *proponantur: & hoc sat esse solet. Nunc vero quoniam Beatitudo vestra efflagitat, ut Litteræ allatæ Græce itidem relegantur: necesse fuit vestræ Beatitudinis desiderio satisfacere.* Testatur etiam Nicolaus Papa, quem dixi, scribens ad Imperatorem Michaelem, penes Græcos in Missis celebrandis eam semper viguisse consuetudinem; ut tam Lectiones Euangelicæ, quam Apostolicæ, primum *Latine*, inde *Græce* eadem in Ecclesia publice recitarentur. Præsides Provinciarum aut Prætores non nisi *Latine* Ius dicebant, &, quidquid publice, efferri solitum ea Lingua. Scripsit de Tiberio Suetonius cap. LXXI. *Sermone Græco quamquam alias promptus & facilis, non tamen usque adeo usus est: abstinuitque maxime in Senatu, adeo quidem, ut* Monopoliū *nominaturus, veniam postularit, quod sibi Verbo peregrino utendum esset: atque in quodam Decreto Patrum, cum* ἔμβλημα *recitaretur, commutandam censuerit vocem, & pro Peregrina Nostratem requirendam, aut si non reperiretur, pluribus & per ambitum Verborum rem enunciandam. Militem quoque Græce Testimonium interrogatum, nisi* Latine *respondere vetuit.* Eadem fere de ipso testatur Dio lib. Histor. Rom. LVII. Bene igitur & vere Augustinus lib. XIX. de Civitate Dei, cap. VII: *Data est opera, ut Civitas imperiosa non solum Iugum, verum etiam Linguam suam domitis Gentibus per societatis* (corrigendum censet Vir Magnus Iustus Lipsius, *societatis*; aut certe, *speciem societatis*) *imponeret.* At Plinius lib. III. naturalis hist. cap. V. Beneficentiam id accipit & in Italiæ laudibus ponit: *quod tot Populorum discordes ferasque Linguas Sermonis commercio contraxerit ad Colloquia, & humanitatem homini dederit.* Sic sensim sparsa hæc *Lingua* Bono generis humani, tā longe, late, ut Plutarchus scripserit omnes fere homines, suo ævo, ea usos. Pauca, sed notanda eius verba, in Quæstionibus Platonicis, hæc, ὡς δοκεῖ μοι περὶ Ῥωμαίων λέγειν, ᾧ μὲν λόγῳ νῦν ὁμοῦ τι πάντες ἄνθρωποι χρῶνται). Avide *Afri Europæique* (nā versus Occidentem & Septemtriones maxime est sparsa) arripuerunt: &, inducto novo, paullatim abolitum iverunt Veterem Sermonem De *Afris* Apuleius in Floridis index, & Augustinus, Cyprianus, alijque, qui Plebem in Sacris Conventibus adloquuti *Latine*. Exstant Conciones. De *Gallis*, & quidem iam inde ab Augusti ævo, Strabo, quos negat dicendos ultra *Barbaros*, Μεταβεβλημένους τὸ πλέον εἰς τὸν Ῥωμαίων τύπον καὶ τῇ γλώττῃ καὶ τοῖς βίοις, τινὰς δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ *mutatos in Romanum morem & lingua & vita, quibusdam & civili gubernatione.* Spectat eo Ausonius in Mosella, Galliæ Belgicæ Fluvio: — Vtilis Latinæ Linguæ Diffusio. — Afri, Latini. — Galli.

Aemula te Latiæ *decorat facundia* Linguæ.

De *Hispanis* idem Strabo: Οἱ περὶ τὸν Βαῖτιν, τελέως εἰς τὸν Ῥωμαίων μεταβέβληνται τρόπον, οὐδὲ τῆς διαλέκτου τῆς σφετέρας ἔτι μεμνημένοι. De *Pannoniis* Velleius: *In omnibus Pannoniis non disciplina tantum, sed* Linguæ *quoque notitia* Romanæ. Nec ambigendum etiam de *Britannis*, ex Iuvenale: — Hispani.

Gallia Causidicos docuit facunda Britannos. — Britanni.

qui idem quoque, etsi per Satyricum risum, ostendit de *Thule. Germanorum* denīq: plerosque *Latini sermonis* fuisse gnaros ex aliquot locis patet doctissimi Scriptoris, Cornelij Taciti. Testantur etiam præclarum hoc diffundendi studium *Provinciales*, quas Romani passim instituebant, *Scholæ*, quales fuisse notavi Lugduni, Augustoduni, alijsque — Germani. — Latina Schola per Provincias.

lijsque locis:& fuisse, dicam, in Batavia, haud procul Lugduno. Habebant huiusmodi *Scholæ* suos *Præfectos*; in quorum numero fuit *Latinus Pacatus*, cuius exstat ad Constantinum Imper. Panegyris. Inter eos etiam perhibetur fuisse *Lactantius Firmianus*, qui Crispum Cæsarem, Constantini Augusti F. in Gallia docuit. Romanis omnes, qui alia, quam ipsorum Lingua utebantur, *Barbari* erant, præter Græcos. Cicero in Epist. ad Q. Fratrem *Afros, Gallos, Hispanos* appellat *Barbaros*. Vegetius lib. II. de Re millitari, cap. II. *Barbaricis Nationibus* consenset *Gallos* & *Celtiberos*.

Barbari Romanis qui.

Corruptus sensim Latinus Sermo.

Sparsa iam per Gentes tam varias, variavit & ipsa, nec patrium illum colorem diu tenuit, aut succum. Nec mirum. Ipsos *Italos* ab germanitate illa abijsse fatetur M. Tullius lib. III. de Oratore, quæ in *Romanis. Prænestinos*, ut ante dixi, Plautinus ille irridet in Truculento, Voces *Tantummodo* & *Ciconiam* vitiose efferentes. Pronunciationem germanam, suisque omnibus partibus inlæsam, peregre in Exteros migrasse verosimile est. & si quid germani fuerit, *Hostes* illud corruperunt & *Barbari Gothi, Hunni, Vandali*, alijque Septemtrionaliores (de *Langbardis* quidam addunt, sed falso. Eos enim eorumque Reges non solum *Latinis, Græcisque Litteris* supra modum fuisse delectatos; sed etiam Instituta Romanorum diligenter observasse, memoriæ produnt istius ævi Scriptores) cum Galliæ Hispaniæque, tum Italiæ non Arma solum intulerunt, sed Mores etiam & *Linguam*: corruptis cum Pronunciatione, Verborumque sonis; fac. aque ex Varia fæce, miscella quadam & nova Lingua. Hinc origo *Italica, Gallica, Hispanica*: in quibus clara *Latiæ* Vestigia, semenque prisci ortus. Igitur Festus iure scripsit: *Latine loqui à Latio dictum est, quæ Loquutio adeo est versa, ut vix ulla eius pars maneat in notitia*. Quæ, fere est, ut adserant ante mille annos in usu & Vita fuisse *Italicum Sermonem*, languido aut emortuo *Latino*. Paret idem aliquo modo ex Narratione, quæ in Historia Miscella, de rebus sub Mauritio Imperatore gestis *In Exercitu*, ait, *quum animans cecidisset, clamante quodam* TORNA, TORNA FRATER, *universas Copias in fugam versas ambiguo illo Vocis* Agnoscitur hic clare *Italicismus*. Argumentum etiam perspicuum ab Instrumento, quod Lutetiæ in Bibliotheca Regis: quo Transactio continetur Stephani Tutoris cum Gratiano Pupillo scripta anno Iustinianæi Imperij XXXVIII, & scripta hac vulgare *Lingua*: sed horridiore Paullatim enim ita ab Magnis Viris culta, ut ea hodie nihil elegantius, nihil tersius: apud *Tuscos* præsertim in Agris *Senensi* & *Florentino*. Non magnopere mutarunt, quæ scribit lib. II. Geograph. Sebastianus Munsterus. *Littoralis*, inquit, Istriæ *ora* Veneta *plurimum utitur* Lingua, *quæ comta est & gravis, pluriumque Linguarum flore conflata, quod facile contigit in frequentissimo Italicarum Gentium commercio. Olim multo simplicior fuit, ac minus auribus grata.* Carnicus Sermo *plures sonat Linguas, & aliquid ab* Italico *diversum: dulcior auditu, quo* Tarvisium, Patavium, Verona, Vincentia, Mantua, Ferraria, *utuntur; sed in his* Vrbicus *gratior* Agresti. Ravennæ, Bononiæ, *& universa* Aemiliæ *&* Flaminiæ *Venustus Sermo*: Picenis *&* Marsis *crassior*: Apulis, Lucanis, *&* Brutiis, *ceteraque* Italiæ *rudior Lingua, ac minus peregrinis imbuta, præter* Neapolim, *ubi plerique* Hispanicum *adfectant. In* Calabria *corruptior est, quam usquam locorum.* Hæc ille. Quod de *Calabrorum*, idem etiam de *Foro-Iuliensium Sermone* dicere liceat. Pars *Rhetorum*, qui Alpes, inter Helvetiam & Galliam Cis-Alpinam, Helvetiis confœderati, incolunt, sua utuntur *Lingua*, Vetere illa, ut ante dixi. post eaque sum dicturus, *Tusca*; sed quæ, quo Italię propior, Vocibus Italis mirum in modum, præcipue in Sacris, est infarta: ut *Italicismi* species fere videatur Scribit item Aeneas Pius, *Valachis* etiam *Romanum* esse *Sermonem*, sed magna ex parte mutatum, & Homini *Italico* vix intelligibilem. Succedit iam nunc *Lingua Purioris*, qua pleraque hodie utitur *Etruria* Exemplar, cum in Sanctissima illa IESV CHRISTI, pro Nobis mox morituri, ad Patrem Cœlestem Precatione, tum, ut alibi factum, in Oratione Dominica, commissa cum hodierno non modo *Foro-Iuliensium*, corrupte loquentium: sed etiam *Rhetorum, Italicismum* adfectantium Sermone.

ab Hostibus & Barbaris.

Italicus Sermo hinc ortus.

hodie cultus admodum & elegans.

Arden-

Ardentissima IESV CHRISTI, *mox pro Generis Humani Redemtione ignominiosissima Crucis Morte mactandi, ad Patrem Precatio. Joannis cap.* XVII.

Precatio IESV CHRISTI ante Mortem, Italice.

ITALICE.

QVESTE cose disse IESV; *poi alzò gli occhi suoi al Cielo, e disse: Padre, l'Hora è venuta, glorifica il tuo Figliuolo, accioche il tuo Figliuoo glorifichi Te.*

Si come tu Gli hai data Potestà sopra ogni Carne, a fin ch' ei dia l'Vita æterna a tutti quelli, che Tu gli hai dati.

E questa è la Vita æterna, che conoscano Te solo vero IDDIO, *& colui che Tu hai mandato, cioè,* IESV CHRISTO.

Jo T'ho glorificato sopra la Terra, ho finito l'Opera che tu mi hai data à fare.

Et hora tu Padre, glorificami appresso Te medesimo, con la Gloria, laquale Io havevo appresso di Te prima che il Mondo fusse.

Jo ho manifestato il tuo Nome a gli Huomini, che Tu M'hai dati del Mondo. Essi erano tuoi, & Tu Me gli hai dati, & hanno osservata la tua Parola.

Essi hanno hora conosciuto che tutto cio che Tu M' hai dato, è da Te.

Percioche Io ho date loro le Parole che Tu hai date a Me, & essi l'hanno riceuute, & hanno veramēto conosciuto, che Io sono uscito da Te, & hanno creduto che Tu M' hai mandato.

Jo prego per loro: Non prego gia per il Mondo, ma per quelli che Tu M' hai dati: percioche sono Tuoi.

E tutto cio ch' è Mio è Tuo, & il Tuo è Mio: & sono stato glorificato in essi.

Et gia Jo non son piu nel Mondo, ma essi sono nel Mondo, & Io vengo à te.

Padre

LATINE.

HÆC loquutus est IESVS; &, sublevatis oculis in Cœlum, dixit: Pater, venit Hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet Te.

Sicut dedisti ei Potestatem omnis Carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis, Vitam æternam.

Hæc est autem Vita æterna, ut cognoscant Te solum verum DEVM, &, quem misisti, IESVM CHRISTVM.

Ego te clarificavi super Terram; Opus consummavi, quod dedisti Mihi, ut faciam.

Et nunc, Tu Pater, clarifica Me apud Temetipsum, Claritate, quam habui apud Te, prius quam Mundus esset.

Manifestavi Nomen Tuum Hominibus, quos dedisti Mihi de Mundo. Tui erant, & Mihi eos dedisti, & servaverunt Sermonem tuum.

Nunc cognoverunt, quia omnia, quę dedisti Mihi, abs Te sunt.

Quia Verba, quæ dedisti Mihi, dedi eis; & ipsi acceperunt, & cognoverunt vere, quia à Te exivi, & crediderunt, quia Tu Me misisti.

Ego pro eis rogo: Non pro Mundo rogo; sed pro his, quos dedisti Mihi, quia sunt Tui:

Et Mea omnia Tua sunt; & Tua Mea sunt: & clarificatus sum in eis.

Et iam non sum in Mundo; & hi sunt in Mundo; & Ego venio ad Te.

Ff i Pater

Padre, Io desidero che quelli, che Tu M'hai dati, là doue sono Io, siano ancor essi con meco, accioche contemplino la Gloria mia, laqual Tu M'hai data, perciocheche tu M'hai amato inanzi à la fondation del Mondo.	Pater, quos dedisti Mihi, volo, ut, ubi sum Ego, & illi sint mecum; ut videant Claritatem Meam, quam dedisti Mihi: quia dilexisti Me ante constitutionem Mundi.
Padre giusto, il Mondo non T'hà conosciuto; ma Io T'ho conosciuto; & questi hanno conosciuto, che Tu M'hai mandato.	Pater iuste, Mundus Te non cognovit, Ego autem Te cognovi; & hi cognoverunt, quia Tu Me misisti.
Et Io ho fatto conoscer loro il Tuo Nome, & farollo conoscere: accioche l'Amore, colquale Tu M'hai amato, sia in loro, & Io in essi.	Et notum feci eis Nomen Tuum, & notum faciam: ut Dilectio, qua dilexisti Me, in ipsis sit, & Ego in eis.

Oratio Dominica,

Italorum,	Foro-Iuliensium,	Rhetorum,	Latinorum.
Padre Nostro, che sei ne Cieli;	*Pari Nestri, ch'ees in Cyl.*	*Bab Nos, quael Tu ist in Chesil,*	Pater Noster, qui es in Cœlis;
Sia santificato il Tuo Nome.	*Sanctificaat lu To Nom:*	*Sanctifichio fata ilg Tes Num. (ter nus.*	Sanctificetur Nomen Tuum.
Venga il Tuo Regno.	*Vigna lu To Ream.*	*Ilg Tes Arriginam vigna*	Veniat Regnū Tuum.
Sia fatta la Tua Volontà, si come in Cielo, cosi ancora in Terra.	*Sex fatta la Too Volontaat, sich' in Cyl, ed in Tiarra.*	*La Thia Voelia d'vainta in Terra, scola so in Chesil.*	Fiat Voluntas Tua, quemadmodum in Cœlo, sic & in Terra.
Dacci hoggi il nostro Pane cotidiano.	*Danus hue' l neistri Pan cotidian.*	*Da a nus nos Paunbouts, & in munchia di.*	Panē nostrū quotidianū da Nobis hodie.
Et rimettici Nostri Debiti, si come ancor Noi gli rimettiamo a i nostri Debitori.	*Et perdoni Nus glu nestris Debis, sicù Noo perdunin agl Neistru Debetoors.*	*Pardana a Nus nos Dbits, sco Nus fain a Nos Dbitadours.*	Et dimitte Nobis Debita nostra, sicut & Nos dimittimus Debitoribus Nostris.
E non ci indurre in Tentatione:	*Et no Nus menaa in Tentation.*	*Nus eus mener in Mel ap ovamaint:*	Et ne Nos inducas in Tentationem.
Ma liberaci dal Male. Amen.	*Ma libora Nus dal Mal. Amen.*	*Dim persemaing spendra nus da tuots Mels. Amē.*	Sed libera Nos à Malo. Amen.

Oratio Dominica Idiomate cum Italorum, tum Foro-Iuliensium & Rhetorum.

Italı quales in Oratione.

Addam hic ex Membrana illa, quam ante memoravi, quales in Loquela plerique sint Itali. Scriptum ibi inter alia: *In Oratione* Florentini *inepti*; Veneti; *putidi*; Senenses, *suaves*; Bergomates, *agrestes*; Perusini, *faceti*. Spoletani, *celeres*; Novocomenses, *balbi*: Romani, *elati*: Consentini, *dicaces*: Narnienses, *prompti*; Vmbri, *leves*; Novarienses, *rustici*; Mediolanenses, *rudes*: Genuenses, *ridiculi*: Ferrarienses, *inexhausti*. Brixienses, *duri*. Bonomenses, *iucundi*; Fulginates, *versuti*, Capuani, *graves*; Pistorienses, *festivi*, Neapolitani, *saltabundi*; Piceni, *varij*; Apuli, *Barbari*; Ligures, *mendaces*.

Caput XIX.

Gubernatio Italorum *Civilis & Politica.*

INCOLAS *Italiæ* tamquam Gubernatos, coloribus adumbratos suis, explicui: flagitat ordo, ut Gubernantes inlustrentur, tam qui priscis fuerunt, quam qui nostris sunt temporibus.

Gubernationis & Imperij, sub quo vetustissimi fuerunt *Italiæ Terræ* Habitatores, non magna sunt apud Antiquos Scriptores Documenta, neque Notæ admodum indubitatæ. Ovum hic non quæram, nec temere fidem dabo subornatis ab Annio Viterbiensi Auctoribus, Beroso, Manethoni, Q. Fabio, Myrsilo Lesbio, M. Catoni, C. Sempronio, & alijs. Multa eaque speciosa, Bonorum Scriptorum abusus auctoritate, sollicitatoque ad incredibilem patientiam suo Lectore, comminiscitur Vir ingeniosus quidem, sed ad gerras tricasque Imprudentioribus obtrundendas

Italiæ Principes, hoc tabulæ. nimisquam compositus, de *Comero*, Primo in Regionem hanc Advena, de *Chamo, Iano, Sabatio Saga*, *Crano*, *Aurunno*, *Malote Tage*, *Osiride*, *Hercule*, *Tusco*, *Alteo*, *Kitim*, *Italo*, *Morgete*, *Roma*, *Romanesso*, *Iasio*, & alijs; quorum apud probatos Historiarum Annaliumque Concinnatores nullum est vestigium. Quid igitur? Nihil hic dicere Timidi est: Omnia vero Temerarij: Si Magni Auctores non ausi quidquam in ijs, quæ antiqua & ambigua, adfirmare: certe nec ego temere audebo. *Accipio, Fertur, Fama est*, aliaque id genus (uti Græcis, *ὡς ἀκήκοα, ὥς λέγουσι*, & similia) excusabunt me, ut alios, ab Temeraria Eloquutione, & præcipiti fortean diffinitione.

Variorum igitur, cum Græcorum, tum Latinorum præcipue Dionysij Halicarnassæi, Pompei Trogi, Solini Polyhistoris, & aliorum Monimentis diligenter perlustratis, didici multis ante Conditam Vrbem Ætatibus, varia Variorum in Italia Populorum, cum primis Siculorum; Aboriginum, Ligurum, Vmbrorum, Etruscorum viguisse Imperia: quæ cum ævo senescente vel in Romanorum ditionem, vel ad nihilum redacta: quibus gradibus, quam potero paucissimis indicabo.

Imperium in Italia Siculorum. Nominat ante omnes Dionysius Halicarnassæus, quem dixi, lib. I *Siculos*, Barbaros eos agnoscens & gentem Indigenam. Aliunde tamen in Italiam venisse innuit Virgilius lib. VIII Æneidos, versu CCCXXVIII, ubi Servius scribit *Sicanos* (sic enim Poetæ dicuntur non ibi solum, sed & libro VII & XI) Siculo Duce, ex Hispania profectos in Italiam: eamque, exclusis Aboriginibus, tenuisse. Quamdiu *Siculi* fuerint dominati, qualemque habuerint Reip. formam, non constat. Ipsis certe docet idem Dionysius, diuturno bello victis, & in Insulam Trinacriam, quam inde *Siciliam* ferunt nuncupatam, emotis *Aborigines* successisse. Mansit nihilominus Regioni, in qua suas habuerant sedes, quæque post *Magna Græcia* fuit appellata, *Siciliæ* nomen; manetque hodie in Principum Neapolitanorum Titulis, *Sicilia cis Pharum*

Aboriginum. vocata, ad differentiam Insulæ, quæ *trans Pharum*. Plinius hæc infra. *Aborigines* dicti, quasi sine origine, ut innuit Servius ad VIII Æneidos; vel, ut ex Festo notat Paullus Diaconus, ab Errore, quasi *Aberrigines*; vel denique ab Montibus, quos Græci *ὄρη* vocant. Antiquissimi eorum Reges, quos ob Merita Deos grata fecit Posteritas, recensentur ab Dionysio, Iustino, alijsque, *Ianus* & *Saturnus*. *Ianus*, cuius Regis meminit Eusebius in Chronicis, *Divûm antiquissimus* canitur Iuvenali Satyra VI. De eo cum alij, tum Macrobius lib. I. Saturnal. cap. IX. *Saturnus*, cuius, ut Regis, mentio apud eumdem Eusebium, ad meliorem Vitæ rationem suos transduxisse memoratur Subditos. Certe quales sub eo *Aborigines* fuerint, scribunt Virgilius VIII Æneid. Iustinus lib. XLIII, Iuvenalis Satyra VI, & alij. Ab *Saturno* nomen retinuerunt *Mons Saturnius*, qui post *Tarpeius* & *Capitolinus*; inque eo opidum *Saturnia*, cuius tria apud Varronem IV de L.L. vestigia; quemadmodum *Ianiculum* ab *Iano*. Vtriusque reliquias monstrat Æneæ Euander apud Virgilium libro, quem dixi, VIII. Ab *Saturno* item *Saturnij Populi*, *Carmen*que *Saturnium* Festo lib. XVII. Post *Saturnum* fama est regnasse *Picum Priscum*, *Faunum Priscum*, *Latinum*, & alios: de quibus Virgilius VII Æneidos;

——— *Rex Arva* Latinus *& Vrbes*
Iam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno *& Nympha genitum Laurente Marica*
Accipimus, Fauno Picus *pater, isque parentem*
Te Saturne *refert, tu sanguinis ultimus Auctor.*

Consulendi & Iustinus lib. XLIII. Suetonius in Vitellio cap. I. Lactantius lib. I. de falsa Relig. cap. XXII, Festus lib. XIIII, Eusebius in Chronicis. Subditis autem Regum, quos memoravi, id est *Aboriginibus* adiunxerunt se paullatim, Dionysio Halicar-

licarnassæo, Sallustio, Solino scribentibus, *Pelasgi*, ex Peloponnesso & Argis oriundi, a Pelasgo, Iovis & Niobes Filio, nominati: Secundo *Arcades*, ex urbe Arcadiæ Palanteo profecti: quorum Dux quum fuisset Euander, nonnihil etiam in his locis, adquisivit Gloriæ. Nam *Romanæ conditor Arcis* canitur Virgilio lib. VIII: non quod Romam condiderit, sed quod fundamenta quasi futuræ Urbi posuerit: condito ad Montem, qui post *Palatinus*, opido *Palanteo*; de quo Virgilius, quem sæpe dixi, libro VIII, Iustinus lib. XLIII, & Solinus cap. II. Tertio *Aboriginibus* admissi leguntur *Peloponnesiaci*, *Pheneatæ*, *Epeique*, reduces cum victoria, Hercule Duce, ex Hispania: posito que reditus in patriam desiderio. Adsociarant se his *Troiani*, qui sub Laomedonte, bello Iliaco priore, fuerant ab Hercule capti. Quarto ad *Aborigenes* se contulerunt *Troiani*, Troia diruta, Æneæ, Anchisæ Venerisque Filii (a quo *Æneſi* Veteribus appellati apud Festum lib. I.) ductu & auspiciis in has oras compulsi. Hi ab *Latino*, cuius ante memini, cum suo Duce humaniter excepti, simulque *Aborigines*, quibus ille imperitabat, communi nomine *Latini* perhibenti nuncupati, Catone apud Servium ad I Æneidos adfirmante. *Latinos* hos *Cascos* nominat meus Ennius lib. I Annalium. Quum autem Æneas Laviniam, unicam Latini Filiam, Uxorem duxisset, Turno, qui eam adamaret, Advenam sibi prælatum indignissime ferente, atrox ortum scribitur bellum; quo cæsis non Turno solum, sed & *Latino*, *Æneas* iure Successionis per Coniugem, *Latinorum* Rex factus, tres annos rerum tenuit gubernacula; conditoque de Coniugis nomine Lavinio, non amplius visus (hoc de illo traditur) Successorem est nactus filium, qui dicebatur *Euryleon*, *Ascanius* cognomine *Iulus*, anno Troiani Excidii VIII. Ab *Iulo Iulia Gens* Romæ, uti testantur Virgilius I Æneid. Ovidius IV Fast. Cæsar apud Suetonium cap. VI, Isidorus lib. IX Etymolog. cap. III. *Ascanius*, Alba condita, *Albanorum* condidit Regnum. Fatis functo successerunt ut notant Dionysius Halic. lib. I, Livius lib. I, Virgilius lib. VI Æneidos, Ovidius lib. IIII Fastorum & XIIII Metamorph. Eusebius, Cassiodorus, Messala Corvinus, Auctor Originis Augustæ, meusque ad I Annalium Ennii Commentarius, nobilissima serie *Silvius* (a quo Reges *Albani* omnes *Silvii* cognominati, testibus eodem Virgilio VI Æneidos, Festo lib. XVII & Isidoro lib. IX cap. III) *Æneas* (quem a pietate & armis celebrat idem Poëta lib. VII) *Latinus*, *Alba*, *Capetus* (qui Livio *Atys*) *Capys*, *Calpetus* (aliis *Capetus* II) *Tiberinus*, qui nomen dedisse Fluvio fertur in quo submersus; *Agrippa* (*Remulus* Ovidio) *Alladius* (*Acrota* Ovidio, *Romulus* Livio) *Aventinus*, quem male *Aboriginum Regem* vocat Servius; *Procas*, qui *Troianæ gloria gentis* Virgilio lib. VI Æneidos. *Procas*, duobus procreatis Filiis, *Numitore* & *Amulio*, natu Maiori Regnum vetustum Silviæ Gentis legavit. Sed Vis ab Amulio & Patris evertit Voluntatem, & Ætatis Prærogativam hebetæ facit. Pulso Fratre, non modo Regnum invadit; sed scelus sceleri adcumulans, heu Fratris stirpem funditus stigi studet, ut Accio utar in Ægystho: Filioque eius interemto, Filiam, cui nomen *Rea Silvia*, per speciem honoris Vestalem legit, ne nasceretur inde, quum perpetua teneretur Virginitate, futurus aliquando patrati flagitii vindex. Sed illa ab Marte, ut vetus est opinio, compressa *Romulum* & *Remum* parit. Hinc *Romulus* Ennio lib II Annalium:

Sanguen Diis ortundum.

Amulius Ream, Incestus ream, in vincula compingit; Geminos in Tiberim abiici iubet. Tiberis scelus refugiens, expositos, qui tanti Imperii futuri erant Auctores, in sicco destituit. Sublatos ab littore *Acca Laurentia* (quam nomine vulgato inter Pastores *Lupam* vocatam scribunt Lactantius, D. Augustinus, & alii) *Faustuli* Coniux educat. Hi annos nati XVIII, Eutropio teste, occasionem nacti, *Amulium*, Magnum Patruum, obtruncant, *Numitori* Avo Regnum restituunt: &, confluente ad eos maxima Vicinorum multitudine, *Romam Urbem*, de qua suo loco, impetrata ab Avo beneficii loco nonnulla ad Tiberim in Latio parte Agri Albani, qui primum Populo Romano sufficeret, condunt. *Ager Romanus*, qui exiguus admodum, &, ut Strabo docet lib. V vix sex millibus passuum ab Urbe, qua longissime aberat, se extendebat, ab Occidente, ut diligenter delineat Onuphrius de Imperio Romano, Tiberi terminabatur; ab Septemtrione, Aniene Amne, Urbibusque Fidenis, Crustumeria, Antemnis, & Cænina; ab Oriente, Pedano, Tiburtino, Gabino, & Prænestino Agris; ab Meridie, Mare versus, Tellenis, Politorio, Ficanaque, earumque Agris

Latinorum.

Albanorum.

finem habebat. Qua de re verba Strabonis ita Latine sonant: *Intra quinctum igitur & sextum Lapidem locus erat* Festi *appellatus, ubi Romani tunc Terminus monstrabatur Agri. Sacerdotes & hic, & alijs in locis, perinde ac in Finibus eadem die Sacrificium absolvunt, quod* Ambarvale *vocant.* Ficanam in Latio Via Ostiensi ad Lapidem XI olim fuisse sic tradit Sex. Pompeius: *Rudia Saxa esse ad Portum, qui sit secundum Tiberim, ait Fabius Pictor, quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana, Via Ostiensi ad Lapidem undecimum.*

Romanorum, a quorum imperio, semper, [illegible] [illegible] *Sabini* [illegible]: sub Romulo [illegible] in Cæninensibus, Antemnatibus, Crustuminis, *Latini* in Cameriensibus, Medullinis, Fidenatibus, *Etrusci* in Veientibus.

Sed quum omnis Potestas Consortis consuerit esse impatiens; *Romulus*, Fratre sublato, solus Imperium obtinuit annos XXXVII: quo temporis spatio acceptam ab Avo Ditionem egregie, ut Dionysius tradit, auxit cum Bello I Sabino, *Cænina, Antemnis* & *Crustumeria* debellatis; tum Latino, *Cameria, Medullia, Fidenisque* captis atque singulis in Colonias Romanas deductis, Agrique parte, quam suis divisit, multatis. Quum vero *Veientes*, nobilissimi potentissimique *Etruriæ* Populi, Bellum tertium contra Romanos pro vindicanda *Fidenatium* Clade parantes, validum in Agros Romanos exercitum duxissent, victi fugatique Pacem ab Romulo petitam impetrarunt cum his, tum alijs Legibus, *Vt Agrum Tiberi contiguum, qui vocabatur* Septem-Pagi, *Romanis traderent; utque* Salinis, *quæ circa Fluminis erant Ostia abstinerent.* Sic Romanus Ager propagatus ex Dionysij auctoritate, ab *Romulo*, tribus ductis Triumphis, trans Tiberim, Anienem prope, & in Latio Cameriam versus. *Romulo* exstincto, quum annum unum Rempubl. administrassent Interreges, subfectus est *Numa Pompilius*, Pomponius F. Sabinus, qui nulla Belli laude insignis, Pacis Religionisque studijs XLIV annos floruit. Sequutus eum *Tullus Hostilius*, Hostij F. Hostij N. Alba eversa, Albanisque in Civitatem adscitis, *Albanum Agrum* Romano adiecit: *Fidenates* & *Sabinos* iterum rebellantes domuit, deque iis triumphavit. Idem Rex Bellum cum *omnibus Latinis* suscepit, qui XXX Vrbium conventu regebantur: in cuius adparatu, anno principatus XXXII moriens Regni Bellique Latini Heredem habuit *Ancum Marcium*, Numæ F. M. N, qui annos regnavit XXIV. Hic *Politorium, Tellenas, Ficanam*, Priscorum Latinorum Vrbes, captas diruit: Civibusque Romam transductis, ipsorum Agros Romanis adiecit; *Medulliam*, quam Romulus Romanam fecerat Coloniam, ad Latinos regressam, iterum in Ditionem suam redegit; *Fidenates* & *Sabinos*, qui rebellarunt, bis victos triumphavit: *Silvam Mesiam Veientibus* iterum moventibus victisque ademit; *Ostiam* Vrbem in ore Tiberis condidit, *Salinasque* circa exstruxit. Bellum *Volscis Veliternis* quum indixisset:

sub Tullo autem Hostilio, *Latini* II in Albanis, *Latini* III in Fidenatibus, *Sabini* II, *Latini* IV, idque universum:

sub Anco Marcio, *Latini* V in genere, *Latini* VI in Fidenatibus, *Sabini* III, *Etrusci* II in Veientibus, *Volsci* in Veliternis:

Lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit:

sub Tarquinio Prisco, *Latini* VII, *Sabinique* IV, in Varijs,

ut de ipso loquitur libro Annalium tertio meus Ennius. Subfectus illi *L. Tarquinius*, Damarati F. qui postea *Priscus* dictus, XXX annos dominatus, Bellum primum cum *Latinis* gessit; Opidum ibi *Apiolas* vi cepit, diruit, incendit; Agrum eius Romano adscripsit: *Crustumeriam, Medulliam, Fidenas* & *Cameriam*, Colonias rebellantes: *Nomentum, Collatiam, Ficulneam Veterem, Corniculum, Scaptiam, Pitulum, Tifata, Ameriolam*, Latinorum & Sabinorum Vrbes Romanæ fecit potestatis. *Agrum Collatinum* Sabinis ademit; universum denique *Latium*, ingentibus prælijs superatum, domuit; Vrbibus omnibus Latini Nominis in deditionem acceptis, Fœdereque cum ijs facto, suis vivere eas Legibus permisit: *Sabinos* & *Etruscos*, qui Latinis auxilio venerant, prælijs aliquot profligavit; & cum plerisque ipsorum Civitatibus Fœdus pepigit.

Etrusci III,

sub Ser. Tullio, *Etrusci* IV;

Subrogatus illi *Ser. Tullius*, Ser. F. XLIV regnavit annos: Bellum XX annorum gessit cum *Etruscis*, terque de ijs triumphavit. Novissime cum XII *Etruriæ Populis* pace facta, Belli concitatores, *Veientes, Tarquinienses* & *Cæretanos* Agri parte multavit; ijsque, qui Romam ad habitandum venerant, distribuit. Regnum post Tullium adeptus *L. Tarquinius Superbus Sabinos* devictos triumphavit; Fœdus cum *Latinis* renovavit: Iustum Bellum primus *Volscis* intulit: *Suessamque Pometiam* de ijs vi cepit ac diruit: *Gabios* dolo Sex. Filij in deditionem accepit: *Ardeam* obsidens, Regno Bruti opera cum Vxore, Filijs, Familia, anno XXV est exactus.

sub Tarq. Superbo, *Sabini* V, *Volsci* III, *Latini* VIII in Gabinis & Ardeatibus:

Parta Libertate. *Latini* IX in Auruncis, *Latini* X in Fidenatibus.

Pulsis Regibus, partaque Libertate, primi Bello ab Sp. Cassio & Opitre Virginio Coss. domiti in ditionem Pop. Rom. venerunt anno CCLII, Pometia capta fundit usque deleta, *Aurunci*, vetustissimi Latinorum Populi, ut Plinius tradit lib. III. cap. V: *Fidenates*, sæpe victos, postremo, ut antea Legatorum, sic tunc Novorum Colonorum

lonorum cæde imbutos, delevit Mam. Æmilius Mamercinus Dictator III, anno ab V. C. CCCXXVIII. Tricesimo post anno M. Furius Camillus Dictator, *Faliscis* primum ac *Capenatibus* fusis & Castris exutis, ad *Veios* profectus, cuniculo in arcem hostium acto, Vrbem ipsam decimo ejus Belli anno cepit. Atque ita *Veientes*, qui CCCI annos Romanis negocium fecerant, sunt debellati. Sequuti sunt hos *Praenestini*, quos anno CCCLXXIV ad Alliam fudit fugavitque, Vrbe capta, T. Quinctius Cincinnatus Dictator: & *Tiburtes*, quos Gallis Senonibus adhærentes aliquoties victos, tandem anno CCCC, *Sassula* capta, ad deditionem, positis armis, adegit M. Fabius Ambustus Cos. III. Anno CCCCXI. M. Valerio Corvo III & A. Cornelio Cosso Coss. *Campani*, quum bello ab Samnitibus urgerentur, auxiliumque adversus eos ab Senatu petitum non impetrassent, Vrbem atque Agrum suum Populo Romano dediderunt. Hi post rebellionem Latinorum diu in fide Populi Romani permanserunt: Bello vero Punico II post acceptam Cladē Cannensem, quum ad Hannibalem defecissent, quinquennio post à Q. Fulvio Proconsule *Capua* recepta est, atque in *Campanos* acriter sævitum: qui dein Romanorum fuere Servitia. Triennio post devicti sunt, commisso ad Veterum fluvium prælio, *Latini* ab T. Manlio Imperioso Torquato III Cos. quum Collega ejus P. Decius Mus se pro Legionibus Romanis devovisset. Post hoc Bellum omne *Latium* biennii intervallo ab Q. Publilio Philone Dictatore, L. Furio Camillo & C. Manio Coss. domitum deinceps perpetua atque egregia in Romanos fide semper fuit. *Volsci*, diuturno CC prope annorum Bello fessi, tandem anno CCCCXXV, *Privernο* capto, ab L. Aimilio Mamercino II & C. Plautio Deciano subacti in ditionem venerunt Populi Romani. Q. Publilius Philo Primus Proconsul anno ab V. C. CCCCXXVII, *Palæopoli* capta, *Opicos* subjugavit: *Hernicos*, cum quibus Populus Romanus T. Sicinio & C. Aquillio Coss. bellare cœperat, tandem anno Vrbis CCCCXLVIII Q. Marcius Tremulus Cos. *Anagnia* capta, debellavit. *Aequi* quoque, qui adjunctis Volscis multa bella cum Populo Romano post Reges exactos gesserant, anno CCCCLII C. Iunio Bubulco Bruto Dictatore ad internecionem usque sunt deleti. *Sabinos* anno CCCCLXIV M. Curius Dentatus Cos. intra eum tractum, qua Nar ambit, Fontesque Velini, Hadriatico tenus Mari, igne ferroque vastatos omnino debellavit: qua Victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut in utro plus esset, ne ipse quidem posset existimare, qui vicerat. *Gallos Senones*, qui superatis post Insubres, Cænomanos, Boios & Gessatas, Alpibus, eam, Tuscis Vmbrisque ejectis, Italiæ occuparant partem, quæ inter Amnes Rubiconem & Æsim, conditis ibi Mediolano, Como, Brixia, Verona, Bergomo, Tridento, Vicentia, & aliis opidis, triumpharant jam post L. Furium Camillum Dictatorem varii Consules T. Quinctius, C. Sulpicius, C. Poëtelius, M. Popillius & Q. Fabius; aliique Romanorum Duces: Postremo, anno V. C. CCCCLXXI, omnes eorum reliquias in Etruria ad Lacum Vadimonis P. Cornelius Dolabella delevit, ne quis exstaret in ea Gente, qui incensam ab se Romam Vrbem gloriaretur. *Senonibus* cæsis, eorum Provincia in ditionem Romanam venit: quæ Mari, Tuscia, & Vmbria, Amnibusque Rubicone & Æsi includebatur. Quo tempore etiam *Italia*, quæ Æsim fluvium non excedebat, ab Rubiconem usque extensa est; *Senonum*que Regio, ut inquit Strabo, Vmbris adtributa. Post Senones *Tusci*, quibuscum diuturnū fuerat jam inde ab Romuli tempore Bellum, anno CCCCLXXIV. *Vulsiniensibus* & *Vulcientibus*, florentissimis *Etruriæ* Populis, victis, per Ti. Coruncanium Cos. Romano Nomini sunt adjecti; Imperio ea parte ad Arnum usque propagato. Post id tempus nullum cum *Tuscis* justum memoratur gestum fuisse Bellum. Quantæ fuerint *Etruscis* Vires, quanta potentia, commemorant copiose Diodorus Siculus lib. VI & Livius lib. V: Ipsorum ante Romanum Imperium late terra marique opes patuisse, argumento esse præter alia, Mare cum Superum, tum Inferum; eorum enim hoc *Tuscum* communi Gentis vocabulo nominari solitum; illud autem *Hadriaticum*, ab *Hadria*, *Tuscorum* Colonia, Italicos Populos appellasse: in utrumque porro Mare vergentes incoluisse Vrbibus duodenis (fuisse scribuntur eæ *Luca*, *Pisa*, *Populonia*, *Volaterræ*, *Agyllina*, *Fæsulæ*, *Russellani*, *Aretium*, *Perusia*, *Clusium*, *Phaleria*, & *Volsina*) Terras prius cis Apenninum, ad Inferum Mare: postea trans Apenninum, totidem, quot capita originis erant, Coloniis missis, omnia, etiam quæ trans Padum, excepto Venetorum angulo, Loca usque ad Alpes tenuisse. Illud item

Etrusci v in Faliscis, Capenatibus & Veientibus,

Latini XI in Praenestinis.

Latini XII in Tiburtibus,

Campani.

Latini XIII;

Volsci III.

Campani II in Opicis, Hernicis,

Aequi.

Sabini VI,

Galli Senones.

Etrusci VI.

Etruscæ rei amplitudinem satis superque loquitur, quod Populus Romanus in suos mores & Civitatem inde multa fuerit mutuatus, Prætextam, Trabeam, Vestem Palmatam, Equorum Phaleras, Fasces, Sellam Curulem, Tubas, ornamenta Triumphalia, Auguria, Musicam, aliaque plurima. Legendi præter Livium, Dionysium Halicarnassæum, Strabonem & alios, Florus lib. I. & Silius Italicus lib. VIII. Tantam quoque Romanos de *Tuscis* opinionem habuisse tradunt Livius & Halicarnassæus: ut Liberos suos primum in *Etruriam* Litteris Moribusque imbuendos, uti post in Græciam, amandare consueverint. *Samnitibus* Bello, de quo ante, petitis se contra Romanos conjunxerant *Tarentini*: a quibus Bellum illud *Tarentinum*, quod *Lucanos*, *Apulos*, *Bruttios*, *Picentes*, *Salentinos*, aliosque, & cum ijs omnibus Pyrrhum, clarissimum Græciæ Regem, una veluti ruina pariter involvit. Pyrrhum vicit Italiaq; expulit M'. Curius Dentatus Cos. *Tarentini*, *Lucanis*, *Samnitibus*, *Bruttiis*que, quum ab L. Papirio Cursore II & Sp. Carvilio Maximo II Coss. victi essent, Pax data est. Domiti deinde *Picentes*: capto, capite Gentis, *Asculo*, ab Coss. P. Sempronio & Ap. Claudio. *Salentini* Picentibus additi, Metropolique Regionis *Brundisium*, inclito Portu celebris, ab M. Attilio & L. Iulio Coss. vexata: quos anni sequentis Consules D. Iunius & N. Fabius in potestatem redegerunt. Soli tunc omnium Italicorum supererant *Umbri*, ad quos arma Romana nondum pertinuerant: qui, quum Romanis Viribus opponere se tandem ausi, ab ijsdem Coss. à quibus Salentini, *Sassina* erepta, sunt domiti. Atque ita anno CCCCLXXXIIX *Italia* omnis ab Freto Siculo ad Rubiconem & Arnum Tuscosq; extremos, Liguribus confines, in populi Romani ditionem devenit.

Samnites, Tarentini, Lucani, Bruttij.

Picentes.

Salentini.

Umbri.

Galli Cis-Alpini.

Bellum Gallicum Cis-Alpinum initium est anno IↃ XXIX ab V. C. L. Aemilio Papo & C. Attilio Regulo Coss. Romani, *Gallorum* Tumultu nunciato, maximas, si umquam, Copias, auctore Polybio, compararunt. Tota enim *Italia* enixe pro Imperio Romano laboravit, solaque, teste Plinio sine externis ullis auxilijs, atque etiam tunc sine Trans-Padanis (*Cenomanos* & *Venetos* intelligit, qui ex *Gallis* soli pro Romanis stabant) Equitum octoginta millia, Peditum septingenta armavit. Congressus primus tam fuit vehemens, ut Romani *Gallorum* quadraginta milia cæciderint, decem milia ceperint. Ab eo tempore *Galli Cis-Alpini* ab sequentibus Coss. ita paullatim fracti fuerunt magnis victorijs, & debilitati: ut tandem *Cis-Alpinam Galliam* in Provinciæ formam redegerit M. Claudius Marcellus Coss. anno IↃ XXXII. Rebellantes postea *Gallos* varij Duces Romani, præcipue L. Furius Purpureo Prætor, & C. Cornelius Cethegus Cos. compresserunt. Debellavit eos postremo anno IↃ LVIII M. Claudius Marcellus Cos. eius, qui primo *Galliam* Provinciam fecerat, Filius; Castellis duodetriginta in deditionem acceptis. *Boios*, hi *Galli Cis-Padani* erant, qui sæpissime cum *Trans-Padanis* jam victis rebellarant, iidem Duces cæciderunt; eosque demum magnis cladibus adflictos domuit P. Cornelius Nasica Cos. anno IↃ LXIII, deniq; ijs in Magistratu triumphavit. *Veneti* diu in fide Pop. Romani permanserunt. Cum *Carnis*, *Iapudibus* & *Istris*, Bello suscepto, Marte vario pugnavit C. Claudius Pulcher Cos. anno IↃ LXXVII: domuit eos postremo, & in Pop. Romani ditionem redegit anno IↃ CXXV. C. Sempronius Tuditanus Cos. *Liguribus* primum arma intulerunt L. Cornelius Lentulus Caudinus & Q. Fulvius Flaccus Coss. anno ab V. C. IↃ XVII, eorum viginti quatuor millibus interfectis, quinque captis. Quum inde rebellantes sæpe plures Romani Duces magnis cladibus per octoginta, & qui excurrunt, annos, adfecissent, tandem eos M. Aemilius Scaurus Cos. anno IↃ CXXXIX in deditionem accepit. *Salassos* & *Gentes Alpinas* Ap. Claudius Pulcher Cos. anno IↃ CXI bello vicit. Augustus postea Cæsar ipsos non quiescentes delevit. Hac igitur ratione sexcentorum annorum intervallo Romanum suscepit iugum universa, quæ nunc appellatur, ad Alpes usque Arsiamque Fluvium, *Italia*.

Veneti, Carni, Iapudes, Istri.

Ligures.

Salassi, aliiq; Alpini.

Subiugatarū Italiæ oppidorum variæ conditiones. [illegible]

Romanæ.

Subiugatæ vero *Italiæ* pleraque Opida varias ab Victoribus conditiones suscepisse legimus. Alia enim pro ipsorum erga S. P. Q. R. Meritis vel Demeritis, *Coloniarum* jus induebant: alia *Municipiorum*, alia denique *Præfecturarum*, quædam item *Fœderata* erant. *Coloniæ* dicebantur opida, quo Populus Romanus ex Urbe Cives suos per III. Viros ad id electos, ad incolendum deducebat. *Coloniarum* duo erant genera: Quædam *Civium Romanorum*: quædam *Latinæ*. *Coloniæ Romanæ* sive *Civium Romanorum* appellabantur, quæ donatæ erant *Iure Quiritium*, hoc est, quæ ius habebant

Priva-

Privatum Civium Romanorum, quod consistebat in *Iure Privatæ Libertatis*, *Connubiorum*, *Patriæ Potestatis*, *Legitimi Dominij*, ut *Hereditatis Mancipij*, *Nexus*, *Vsucapionis*, & reliquorum: item in *Iure Testamentorum* & *Tutelarum*: Iura vero Publica Civitatis Romanæ non habebant: quare qui eo adscripti *Coloni* erant, nomine quidem *Cives* erant *Romani*, re vero *Coloni*. *Latinæ Coloniæ* erant, quæ jus habebant *Latij*, sive *Latinitatis*; quod in eo consistebat, ut *suffragiorum* potestatem, Magistratu permittente haberent: &, si in Latina Civitate aut Latii jure donata, Magistratum gessissent, *Cives Romani* ut fierent. *Coloniarum* in Italia series, ab Romulo usque ad Imperij excidium ex SC. vel Populi jussu deductarum, hæc est:

Latina.

Coloniæ sub Regibus, & libera Republica deductæ.

Nomina Coloniarum.	AB. V. C.
I CÆNINA, Aboriginum: *Dionysius Halic.* II.	IV
II ANTEMNÆ, Aborig. *Dionys. Halic. lib.* II.	IV
III CRVSTOMERIVM, Albanorum: *Dionys. lib.* II. *&* III.	IV
IV MEDVLLIA, Latinorum: *Dionys. ibidem.*	V
V . . . . *Dionys. ibidem*	V
VI CAMERIA, Albanorum: *Dionys. eodem libro.*	V
VII FIDENÆ, Albanorũ: *Dionys. ibidem, Plutarch. Strabo, Plinius.*	IIII *Eidus Aprilis.*
Auctus illi Numerus, *teste Livio lib.* III.	CCCXXV
VIII OSTIA: *Dionys. lib.* I. *&* III, *Livius* I, XXVII, XXXVI. *Florus ex Livij lib.* LXXIX, *Eutropius lib.* I, *Plinius Nat. histor.* IV, *cap.* V, *Auctor de VV. Illustr. cap.* V, *Ennius lib.* II. *Annal. apud Festum in Quæsentibus.*	CXXVII
IX SIGNIA, Latinorum: *Dionys. Halic. lib.* IV, *Livius libr.* I, II, XXVII, *Frontinus de Coloniis*; *Strabo libro* V, *Inscription.*	
Auctus Numerus, *Livio lib.* II, *teste.*	CCLVIII
X CIRCEII: *Dionys. libr.* IV *&* VIII, *Livius libr.* I, XXVII, XXIX, *Cicero* III *de Nat. Deor. Plutarch. in Coriolani Vita.*	
XI CORA: *Livius.*	CCLI
XII POMERIA: *Livius.*	CCLI
XIII VELITRE: *Livius lib.* II, *Dionys. lib.* VII, *Frontin.*	CCLIX
Auctus Numerus, *teste Livio.*	CCLXI
XIIII NORBA Latinor. *Dionys. lib.* VII, *Liv.* VII *&* XXVII.	CCLXI
XV ECETRÆ: *Dionys. lib.* VII.	CCLVIII
XVI ANTIVM, Civium Romanorum: *Livius lib.* VIII, *Frontinus, Suetonius in Nerone cap.* IX, *Livius lib.* XXVI, *&* XXXVI. *Florus ex Livij Epitoma libro* XXC.	CCXCVI
Eodem Nova Colonia missa, *Livio lib.* VIII *scribente.*	CCCCXV
XVII VITELLIA: *Livius lib.* V, *Suetonius in Vitellio cap.* I.	
XVIII ARDEA, Latinor. *Livius lib.* IV, XXVII & XXX, *Frontin. de Colon.*	CCCXI
XIX LAVICI: *Livius lib.* IV, *Cicero pro Planc.*	CCCXXXVI
XX SATRICVM, Civium Romanor. *Livius lib.* VI.	CCCLXX
XXI SVTRIVM, *vel* IVLIA SVTRINA, Latinor. *Velleius Paterculus Vol.* I, *Frontinus, Festus, Plinius lib.* III. *cap.* V, *Livius lib.* XVII, & XIX, *Inscript.*	CCCLXXI
XXII SETIA *vel* SETINA, Latinorum: *Patercul. lib.* I. *Frontinus, Livius lib.* VII, & XXVII *&* XXIX.	CCCLXXII
XXIII NEPET, Latinorum: *Paterc. lib.* I, *Frontin. Livius lib.* XXV, & XXIX, *Festus in Municipium.*	CCCXXCI
XXIV CALES, Ausonum Latina: *Livius lib.* VIII. XXVII, XXIX *Patercul. lib.* I.	CCCCXIIX
XXV ANXVR, *vel* TARRACINÆ: *Livius lib.* VIII, *Paterc. l.* I, *Livius item lib.* XXVI *& seq.*	CCCCXXIV
XXVI FREGELLÆ, Volscorum: *Livius libr.* VIII; XXVII; & XXIX.	CCCCXXV
XXVII LVCERIA, Samnitium: *Livius lib.* VIII, XXVII, *&* XXIX, *Paterc. lib.* I, *Plinius lib* III, *cap.* II, *Polybius lib.* III. *de Bello Pœnico* II.	CCCCXXXIX
XXIIX SVESSA AVRVNCIA, Latinorum:	CCCCXL

tinorum: *Liuius libr.* VIII, XXVII & XXIX, *Paterculus lib.* I, *Frontinus, Plin. lib.* III. *cap.* I. *Cicero in Rullum, Inscript.*	
XXIX SATICVLA: *Paterculus lib.* I. *Liuius libro* XXVII, & XXIX.	ccccxl
XXX PONTIA: *Liuius libro* IX & XXVII.	ccccxl
XXXI INTERAMNA, Latinorum: *Paterc. lib.* I. *Liuius lib.* X, XXVII & XXIX.	ccccxli
XXXII CASSINVM: *Liuius ibidem, Cicero pro Planc.*	ccccxli
XXXIII SORA, Latin. Volscorum: *Liuius libro* X. XXVII & XXIX, *Patercul. lib.* I, *Frontin. Plin. lib.* III, *cap.* V, *Cicero pro Planc.*	ccccl
XXXIV ALBA, Latin. Æquorum: *Liuius libro* X, XXVII & XXIX, *Florus ex Liuij Epitoma lib.* LXXII.	ccccl
XXXV CARSEOLI, Latinorum: *Liuius lib.* X, XXVII, & XXIX, *Patercul. lib.* I.	cccclI
XXXVI NARNIA NEQVINVM, Latinorum: *Liuius locis à me sæpe indicatis; Plutarchus in T. Quinctio, Inscript.*	cccclIII
XXXVII SINVESSA: *Liuius dictis locis, Paterc.* I.	ccccLV
XXXVIII MINTVRNÆ: *Liuius ibidem, Patercul.* I, *Frontinus, Dionysius Halic. libr.* I, *Plinius lib.* III, *Cicero pro Planc. Ptolemæus.*	ccccLV
XXXIX VENVSIA: *Paterculus lib.* I. *Plinius libro* III. *cap.* XI.	ccccLX
Auctus illi Numerus, *Liuio lib.* XXXI. *teste.*	IↃ LIII
XL SENA: *Florus ex Liuio, Liuius lib.* XXVII, *Polybius lib.* II, *Tacitus lib.* XXI.	ccccLXII
XLI HADRIA: *Liuius lib.* VIII, & XXVII.	ccccLXII
XLII COSSA, *vel* CONSA: *Patercul. lib.* I, *Florus ex Liuio in Epitoma libri* XIIII, *Plinius lib.* III, *c.* V, *Liuius lib.* XXXIII, *Plutarch. in T. Quinctio, M. Tullius in Verrem.*	ccccxxc
Auctus Numerus, *teste Liuio lib.* XXXIII.	IↃ LVII
XLIII PÆSTVS, *Al.* POSSIDONIA: *Patercul. lib.* I, *Florus ex Liuio ibidem, Liuius l.* XXVII, *Strabo lib.* V.	ccccxxc

XLIV ARIMINVM: *Florus ex Liuij lib.* XV, *Paterculus lib.* I, *Strabo lib.* V, *Plinius lib.* III, *cap.* XV, *Eutropius lib.* II, *Cicero pro Cecinna, Liuius lib.* XXVII & XXIX.	ccccxxcv
XLV BENEVENTVM CONCORDIA: *Liuius, Velleius Paterculus Eutropius ibidem, Frontinus, Festus, Plinius* III, *cap.* XI, *Polybius lib.* III.	ccccxxcv
XLVI FIRMVM: *Paterculus lib.* I, *Liuius lib.* XXVII.	ccccxxcvII
XLVII CASTRVM NOVUM: *Florus ex Epitoma libr.* XI, *Patercul. libr.* I, *Liuius libr.* XXXVI.	ccccxxc,!
XLVIII ÆSERNIA: *Patercul.* I, *Florus ex Liuij libro* XVI, & *in Epitoma lib.* LXII, & LXIIII, *Liuius lib.* XXVII.	ccccxxc,!/
XLIX ALSIVM: *Patercul. lib.* I, *Liuius lib.* XXVII.	IↃ VII
L ÆSVLVM: *Paterculus lib.* I.	IↃ VII
LI FREGENÆ: *Florus in Epit. lib.* XIX. *Paterc. lib.* I, *Liuius lib.* XXXVI.	IↃ VIII
LII BRVNDISIVM, Latinorum: *Patercul. lib.* I, *Florus, Liuius lib.* XXVII & XXIX.	IↃ IX
LIII SPOLETIVM: *Florus in Epitom. lib.* XX, *Patercul. lib.* I, *Liuius lib.* XXII, & XXVII, *Cicero pro Balbo.*	IↃ XII
LIV VALENTIA: *Paterculus lib.* I, *Liuius lib.* XXXV. *Strabo libro* VI.	IↃ XIIII
LV PLACENTIA, Latina: *Asconius in Pisonianam, Florus in Epitoma lib.* XX, *Patercul. lib.* I. *Polybius lib.* III, *Plutarchus in Hannibale, Plinius lib.* III. *cap.* XV, *Liuius lib.* XXXI, *Tacitus lib.* XIII, *Cicero in Pisonem, Festus in Municipium.*	IↃ XXXV Tridie Kalend. Ianuar.
LVI CREMONA, Latina: *Polybius, Liuius, Paterculus, Plutarchus ibidem; Tacitus lib.* XIX *Liuius libr.* XXXI, XXXIII, XXXVII, *Plinius libr.* III, *cap.* XIX, *Ptolemæus lib.* III, *cap.* I.	IↃ XXXV
LVII PVTEOLI, Civium Romanorum:	IↃ LIX

manorum : *Livius libr.* XXXIV, *Paterculus lib.*I, *Frontinus , Festus in Præfectura, Tacitus lib.*XIIII, *Strabo libr.* V, *Inscript.*	
LVIII SALERNVM , Civium Romanorum : *Livius libr.* XXXIV, *Paterc.lib.*I , *Strabo lib.* V, *Appianus lib.*I, *Bellor. Civilium,*	ꝏ LIX
LIX BVXENTVM , Civium Romanorum : *Livius & Paterculus ibidem; Livius item lib.* XXXIX.	ꝏ LIX
LX VOLTVRNVM, Civium Romanorum: *Iidem, Frontinus, Varro* V *de* LL, *Festus in Præfectura.*	ꝏ LIX
LXI LINTERNVM, Civium Romanorum: *Iidem Frontinus. Festus ibidem.*	ꝏ LIX
LXII SIPONTVM, Civium Romanorū: *Livius lib.*XXCIIII.	ꝏ LIX
LXIII TEMPSA, Civium Romanorum: *Livius.*	ꝏ LIX
LXIV CROTON. Civium Romanorum: *Livius lib.*XXXIV.	ꝏ LIX
LXV PIRGI: *Livius lib.* XXXVI.	ꝏ LIX
LXVI BONONIA , Latinorum: *Livius lib.* XXXVII, *Paterculus lib.*I, *Festus in Municipium, Plinius lib.*III *cap.* XV , *Mela lib.*II.	ꝏ LXIV, *tertio Kalend. Iannar.*
LXVII PISAVRVM : *Livius lib.* XXXIX, *Paterc.lib.*I, *Plutarchus in Antonio.*	ꝏ LXIX
LXVIII POLLENTIA, *al.* POTENTIA: *Livius & Paterculus ibidem.*	ꝏ LXIX
LXIX MVTINA , Civium Romanorū: *Livius libro* XXXIX, *Polybius lib.* VIII, *Cicero Philippica* VII, *Plin.lib.*III,*cap.*XV *Mela lib.*II,*cap.*II.	ꝏ LXX
LXX PARMA, Civium Romanorum: *Livius ibidem , Inscript.*	ꝏ LXX
LXXI SATVRNIA, Civium Romanorum: *Livius ibid., Ptolemaus lib.*III,*cap.*I, *Festus in Præfectura.*	ꝏ LXX
LXXII AQVILEIA, Latina: *Livius ibidem & lib.* XI, *Patercul.lib.*I, *Plinius* III *cap.*XIIX, *Strabo libro* V , *Ptolemaus lib.* III, *cap.*I.	ꝏ LXXII
LXXIII GRAVISCÆ: *Livius lib.*XL,*Paterc. lib.*I, *Frontin.*	ꝏ LXXII
LXXIV PISÆ, Latina: *Livius lib.*XL, *Ptolemæus lib.*III, *Festus in Municipium.*	ꝏ LXXIII
LXXV LVCA, Civium Romanorum : *Livius lib.* XLI, *Paterculus lib.*I , *Plinius lib.*III, *cap.*V, *Festus ibidem.*	ꝏ LXXVI
LXXVI AVXIMVM : *Paterculus lib.*I.	ꝏ XCVII
LXXVII FABRATERIA: *Paterculus ibidem.*	ꝏ CXXIX
LXXVIII SCYLACIVM : *Paterculus eodem itero.*	ꝏ CXXIX
LXXIX MINERVIVM: *Paterculus lib.*I.	ꝏ CXXIX
LXXX TARENTVM : *Paterculus ibidem , Plutarchus in Gracchis , Tacitus lib.* IV , *Strabo lib.*VI.	ꝏ CXXIX
LXXXI NEPTVNIA: *Paterculus lib.*I,	ꝏ CXXIX
LXXXII DERTONA: *Paterc.lib.* I, *Plin. lib.*III. *cap.*V.	ꝏ CXX//
LXXXIII NOLA : *Plutarch. in Gracchis, Appianus lib.*I, *Flor. in Epitoma lib.*LX, & LXXIII, *Festus in Municipium, Frontinus, Plin.*III *cap.*V.	ꝏ CXXX
LXXXIV ARICIA, Civium Romanorum: *Florus Epitoma libri* XXX.	ꝏ CXXX//
LXXXV LAVINIVM. *Florus ex Livio lib.*XXX.	ꝏ CXXX//
LXXXVI ABELLINVM : *Frontinus, Paterc. lib.*II.	ꝏ CXXX//
LXXXVII FERENTINVM : *Frontin. Livius lib.*XXXIV.	ꝏ CXXX//
LXXXVIII TARQVINII: *Frontin. Cicero pro Cæcinna.*	ꝏ CXXX//
LXXXIX EPOREDIA : *Paterculus libr.* I. *Plinius libr.* III, *cap.* XVII.	ꝏ CLIII
XC ALBA POMPEIA, Latinorum: *Onuphrius.*	ꝏ CLXIII
XCI AVGVSTA VERONA, Latin. *Panegyric. ad Constantinum, Tacit.lib.*XIX, *Inscript.*	ꝏ CLXIV
XCII ATESTE VENETORVM, Latin. *Plinius libro* III, *cap.* XIX.	ꝏ CLXIV
XCIII BRIXIA CENOMANORVM. Latin. *Inscript.*	ꝏ CLXIV
XCIV COMVM, *al.* NOVOCOMVM; *Strab. lib.*V.	ꝏ CLXIV
XCV LAVS POMPEIA, Latin. *Velcurio in lib.*IV, *Livij.*	ꝏ CLXVI

XCVI ARRE-

XCVI ARRETIVM, Militar. *Cicero pro Murena, Florus Epit. lib.* LXXVII, *Frontin.*

XCVII FESVLÆ. Militar. *Cicero ibidem, Florus eadem Epitoma.*

XCVIII SVESSVLA, Militar. *Frontinus, Festus in Præfectura, Inscript.*

XCVIIII POMPEIA, Militar *M. Tullius oratione pro Sulla, Florus libris* LXXVII *&* XXCIX.

Deductæ iterum a L. Cornelio Sulla.

C CAPVA IVLIA FELIX: *Paterculus libro* I, *Frontinus de Coloniis, M. Cicero oratione in Rullum* II *& Philippica* II, *Plinius libro* III, *natur. histor. cap.* V. IↃ CXCIV

ab C. Iulio Cæsare.

Coloniæ ductæ ab C. Iulio Cæsare: *in quibus digerendis accuratior temporis ordo non potuit observari:*

CI BOVIANVM VETVS: *Frontinus, Plinius libro* III *capite* XII.

CII VLII: *Frontinus.*

CIII AVFIDENA: *Frontinus.*

CIV CASILINVM: *Cicero Philipp.* II, *Festus in Præfectur.*

CV CALATIA; *Velleius Paterculus lib.* II.

CVI LANVVIVM: *Frontinus de Coloniis.*

CVII FORVM IVLI: *Ptolemæus lib.* III *cap.* I.

CVIII HISPELLA IVLIA: *Inscript.*

CIX POLA vel PIETAS IVLIA: *Plinius lib.* III *nat. histor. cap.* XIX.

ab Triumviris.

Coloniæ ab Trium-Viris *deductæ:*

CX AQVINVM: *Frontinus, Plinius lib.* III *nat. histor. cap.* V. *Tacitus lib.* XVII, *Cicero pro Plancio.*

CXI IVNONIA FALISCA ETRVSCORVM: *Frontin. Plinius lib.* III, *cap.* V,

CXII FLORENTIA: *Frontinus, Tacitus.*

CXIII FÆDATVRA: *Frontinus.*

CXIV FORMIÆ: *Frontinus.*

CXV TELESIA: *Frontinus.*

CXVI TVDER FIDA: *Frontinus, Inscriptio.*

CXVII VENAFRVM: *Frontinus de Coloniis, Plinius libro Nat. Histor.* II. *cap.* V, *Festus in Præfectura.*

CXVIII VOLATERRÆ: *Frontinus.*

CXIX VLVBRA: *Frontinus.*

ab Octaviano Augusto

Coloniæ ab C. Iulio Cæsare Octaviano Augusto *deductæ:*

CXX REGIVM: *Strabo lib.* V.

CXXI ACERRÆ: *Frontinus, Festus in Municipium & Præfecturæ.*

CXXII ALATRVM: *Frontinus, apud quem quidam legunt* Aletrium.

CXXIII ATELLA: *Frontinus, Festus in Præfectura.*

CXXIV AVGVSTA TAVRINORVM: *Strabo, Plinius lib.* III, *cap.* XVII.

CXXV AVGVSTA PRÆTORIA SALASSORVM: *Livius, Ptolemæus libro* III, *cap.* I.

CXXVI BOVIANVM VNDECVMANORVM: *Plinius lib.* III. *nat. Hist. cap.* III.

CXXVII COPIA, alias THVRII: *Strabo libro* VI.

CXXVIII CORTONA: *Dionysius Halicarnass.*

CXXIX CVMÆ: *Frontinus de Coloniis, Livius, Festus in Municipium & præfectura.*

CXXX FANVM FORTVNÆ: *alias* IVLIA FANESTRIS: *Plinius natur. histor. libro* III, *cap.* XIII, *Pomponius Mela lib.* II. *cap.* II, *Inscriptiones.*

CXXXI NVCERIA: *Frontinus libello de Coloniis, Livius libro* XXVII, *Ptolemæus lib.* III. *cap.* I.

CXXXII ORIENTIVM: *Frontinus: cui* Arretium *ibi restituit A. Schottus.*

CXXXIII PRIVERNVM: *Frontinus opere sæpe indicato, Festus in Præfectura.*

CXXXIV RAVENNA: *Strabo lib.* V.

CXXXV TERGESTE: *Plinius lib.* III, *cap.* XVIII.

CXXXVI THEANVM SIDICINVM: *Frontinus, Plinius* III, *cap.* V.

ab Druso Cæsare.

Colonia ab Druso Cæsare *deducta:*

CXXXVII ANAGNIA: *Frontinus, & Festus in Municipium & Præfectura.*

Coloniæ

Coloniæ incerto plane tempore *deductæ.*

incert. tempore.

CXXXVIII ABELLA: *Frontinus.*
CXXXIX ÆSIS: *Inscriptiones.*
CXL ANCON, *alias* ANCONA; *Plinius* III, *cap.* XIX.
CXLI APVLESIVM, *Inscriptio.*
CXLII ASCVLVM: *Plinius* XIII *cap.* XIII, *Cicer. pro Sulla,*
CXLIII ASTA: *Ptolemæus libr.* III, *cap.* I.
CXLIV BRIXILLVM: *Plinius libro nat. Hist.* XIII *cap.* XV, *Tacitus libr.* XVII, *&* XIX.
CXLV CADITIA: *Inscriptio Vetus.*
CXLVI CADIS: *Frontinus.*
CXLVII CONCORDIA: *Plinius lib.* III. *nat. Hist. capit.* XIX, *Ptolemæus libr.* III. *cap.* I. *Vetus Marmor.*
CXLIIX GABII: *M. Cicer. Philipp.* II, *Antiquus Lapis.*
CXLIX ISTONIVM: *Inscriptio.*
CL LAVROLAVINIVM: *Frontinus.*
CLI LVCVS FERONÆ: *Plinius libr.* III, *cap.* V.
CLII LVPIA: *Inscriptio.*
CLIII NEAPOLIS: *Inscriptio.*
CLIV PAM IA: *Antiqua Inscriptio. An* Pompeia?
CLV PRÆNESTE: *Agellius lib. Noct. Atticar.* XVI, *cap* XIX, *Festus in Municipium, Inscriptio Vetus.*
CLVI REGIVM LEPIDI: *Ptolemæus libr.* III, *cap.* I.
CLVII RVSELLANA: *Plinius libr.* III, *cap.* V.
CLVIII SATINVM: *Frontinus de Coloniis, Inscript.*
CLIX SALPIS: *Frontinus ibidem.*
CLX SENA: *Plinius lib.* III, *cap.* V.
CLXI SENVI A: *Inscriptio. An* Sinuessa?
CLXII TOLLENTINVM: *Inscriptio, Plinius lib.* III.
CLXIII VERVLÆ: *Frontinus.*

In *Coloniam* autem deducti statim novam administrandæ Reip. rationem, ad exemplum fere Romanæ, constituebant. Posita enim erat plurimum in *Legibus* & *Magistratibus.* *Leges* non unius erant generis: aliæ quidem, quas Coloni vel ab ipso Populo Romano, vel ab Romanis Triumviris, qui *Coloniam* deduxerant, accipiebant; aliæ vero, quas ipsum *Coloniæ* Concilium, id est, Senatus Populusque sibi ferebat. *Magistratus* erant vel *Sacri*, vel *Profani*: *Sacri* vel *Sacerdotes* erant *Pontifices* & *Augures*. Hos enim in *Coloniis* cooptatos, testatur M. Tullij Ciceronis Agraria. An vero certus *Sacerdotum* fuerit numerus, an vero pro *Coloniæ* magnitudine variarit, parum explorata apud Antiquos est memoria. *Profani* erant, cum *Decuriones*, tum *Duumviri*, *Censores*, *Ædiles*, *Prætores*. *Decuriones* in *Coloniis*, ut & in Municipijs, erant illi, qui Romæ Senatores: sic nominati, quemadmodum notat Pomponius IC. quod decima Pars eorum, qui deducerentur, publici consilij gratia, solita esset conscribi. Eorum numerus an in omnibus *Coloniis* idem fuerit, certo sciri non potest. Hoc sane ex Plinio Iuniore paret in *Decurionibus* legendis non aliter, atque in Senatore Romano observatum fuisse Censum, qui centum erat millium. Ex *Decurionibus*, singulis annis, *duo* plerumque, subinde *quatuor Viri* creabantur, juxta Coloniæ magnitudinem vel parvitatem, qui II Viri, vel IV Viri I. D. id est *Iuri dicundo*, vocabantur. Hi Consulum Romanorum speciem, vel certe Prætorum imaginem repræsentabant. Forum annuum erat Imperium. Meminerunt sæpe Antiqui Lapides & Numismata: Imo & iterati *Duumviratus*, ut apud Romanos Consulatus, sunt in ijsdem notæ. *Censores* in *Coloniis* fuisse, inque ijs Censum eos egisse manifestum est ex Livio. *Ædiles* Viarum, Ædificiorum publicorum, Annonæ, & locandorum Redditumm publicorum; *Quæstores* Ærarij publici habebant curam: quorum crebra exstat mentio in antiquis Marmoribus. Hæc de *Coloniis*; de *Municipiis* ut dicam, ordo postulat.

Coloniarum Respublica in Legibus.

Sacerdotibus.

Magistratibus quales erant Decuriones.

Duum viri vel Quatuor Viri.

Censores,

Ædiles.

Quæstores.

Municipia Opida erant jure Civium Romanorum donata: Festus lib. XI de Verbor. signif. *Municipium id genus hominum dicitur, qui quum Romam venissent, neque Cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad Munus fungendum una cum Romanis Civibus, præterquam de Suffragio ferendo, aut Magistratu capiendo: sicut fuerunt* Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani; *qui post aliquot annos Cives Romani effecti sunt. Alio modo, quum id genus hominum definitur, quorum Civitas universa in Civitatem Romanam venit; ut* Aricini, Cærites, Anagnini. *Tertio, quum*

Alia Italiæ devicta Opida erant Municipia.

id genus hominum diffinitur, qui ad Civitatem Romanam ita venerunt, uti Municipia essent, ut sua cuiusque Civitatis & Coloniæ iura essent: ut Tiburtes, *Prænestini*, Pisani, Arpinates, (in alijs sunt *Vrbinates*) Nolani, Bononienses, (in antiquiore Codice *Fobutinienses* leguntur) Placentini, Nepesini, Sutrini, Lucenses. Triplex hæc Festi vel Paulli Distinctio obscurior est, eamque non satis adsequor: certe *Municipiorum* duo erant genera: Vnum, quod jus Civitatis *sine Suffragio* habebat; alterum, cui idem ius *cum Suffragij latione* erat communicatum. Consulendi Agellius lib. XVI. cap. XIII & Sex. Pompeius Festus lib. de Verb. signific. XI.

eaq; duorum generum.

Municipiorũ certioris temporis Catalogus.

Nomina Municipiorum.	AB. V. C. ExFast. Cap.
I CÆRE, sine Suffragio: *Agellius lib.* XVI. *cap.* XIII *& Asconius Pædianus in Verrin. Cicero.* *Festus refert inter eas* Præfecturas, in quas Prætor Vrbanus Præfectos creare solebat. *Huic* Municipio *ante Legem Iuliam* Civitatem cum Suffragio *datam fuisse, videtur innuere aperte Festus, quum illud eo iure, quo Aricini fuerunt donatum scribat: &* Aricinos *ex Livio* Cives Romanos *fuisse constet* cum Suffragij latione. *Meminerunt etiam huius* Municipij *Veteres Lapides.*	CCCLXIII *aut* CCCXIIII.
II TVSCVLVM, cum Suffragio: *Sex. Pompeius Festus, Livius lib. ab V. C.* VI, VIII, *alijsque locis, Valerius lib.* IX *cap.* X, *Cicero pro Plancio.*	CCCLXXIIII
III LANVVIVM, cum Suffragio: *Sex. Pompeius Festus, Livius, Cicero pro Murena. Postea a* Cæsare Dictatore *ex* Municipio Colonia *facta est.*	CCCCXVI
IV ARICIA, cum Suffragio: *Livius lib* VIII, *Velleius lib.* I, *Sex. Pompeius Festus.* Aricia *postmodũ ex* Municipio Colonia *facta est*, exolescentibus *(ut scribit Agellius)* Municipiorum Iuribus & Privilegijs.	CCCCXVI
V NOMENTVM, cum Suffragio: *Livius libro* VIII.	CCCCXVI
VI PEDVM, cum Suffragio: *Livius ibidem.*	CCCCXVI
VII FVNDI, sine Suffragio: *Livius lib.* VIII, *& Paterculus.*	CCCCXVI
Fundanis *postea* Suffragij Ius *fuit datum, scribente. Livio lib.* XXXIIX.	IϽ LXV
Fundos *inter* Præfecturas *refert Festus*, in quas Prætor Vrbanus singulis annis Præfectos ab Vrbe mittebat.	
VIII FORMIÆ, sine Suffragio: *Livius lib.* VIII. *Longo post tempore* Formiæ *ab* III Viris *ex* Municipio Colonia *est facta. Vide supra.* Formias Præfecturis *concenset Festus, ut* Fundos.	CCCCXVI
IX CVMÆ, sine Suffragio, *Livius libr.* VIII, XXIII, *&* XL. *Hoc* Municipiũ *Festus inter ea refert*, quibus postea Civitas cum Suffragio data est. *Meminit ut* Municipij *Vetus ibi Lapis. Inter eas quoq;* Præfecturas *numerat idem Festus* in quas Præfecti à Populo mittebantur, *quod postea Augustus* Cæsar Coloniã Militarem *fecit.*	CCCCXVI
X SVESSVLA, sine Suffragio: *Livius lib.* VIII. *Festus* Præfecturã *refert ex his*, in quas Populus Romanus Præfectos quotannis mittebat. Sulla *postea* Coloniam *deduxit* Militarem.	CCCCXVI
XI EQVITES CAMPANI, sine Suffragio: *Livius lib.* VIII, *&* XXIII, *Velleius Paterculus.*	CCCCXX
XII ACERRÆ, sine Suffragio: *Livius lib.* VIII. *Velleius Paterculus lib.* II. *Hoc* Municipium *ab Festo refertur inter ea*, quibus primo sine Suffragio, post cum Suffragij Iure Civitas est data. *Idem inter* Præfecturas *enumerat*, in quas à Populo Præfecti mittebantur: Coloniam *postea vel ex* Præfectura, *vel ex* antiquo Municipio *deduxit* Augustus.	CCCCXXII
XIII PRIVERNVM, cum Suffragio. *Livius libro* VIII, *& Veteres Inscriptiones. Refert inter*	CCCCXXV

inter ea Præfecturas *Festus*, in quas Prætor Urbanus quotannis Præfectos mittebat. *Post* Colonia *est facta*.

XIV ANAGNIA, sine Suffragio — CCCCXLIIX
Livius lib. IX. *Cicero pro Domo. Inscript. Innuit Festus* Cære & Anagniam Suffragii Ius *quemadmodum* Aricinos *habuisse. Idem* Anagniam *inter* Præfecturas *enumerat*, in quas Prætoris Urbani auctoritate Præfecti ibant. *Frontinus eã ab* Druso Cæsare Coloniã *deductam tradit*.

XV ARPINUM, sine Suffragio — CCCCLI
Livius libr. X. Civitatem *postea* cum Suffragio *consequutum est eodem Livio scribente libro* XXXIIX. *Meminit Cicero pro Plancio & de Claris Oratoribus. Festus* Arpinum *inter eas* Præfecturas *ponit*, in quas Prætor Urbanus singulis annis Præfectos mittebat: *itemque inter ea* Municipia, quæ sui erant Iuris.

XVI TREBULA, sine Suffragii Iure: *Livius libro* X. — CCCCLI
Civitatem *autem* Trebulanis sine Suffragio *concessam fuisse*, *inde patet*, *quod multo tempore post Livius meminit* Arpinates, *quos cum* Trebulanis *eodem lib.* X *nominat*, cum Suffragio Civitatẽ *adeptos fuisse*: *de* Trebulanis *vero nullam facit mentionem*.

XVII ATELLA, cum Suffragio: — [illegible] Punicum II.
Festus libro XV, *qui & libro de Verbor. signif.* XIV Atellam Præfecturis *adjecit*: in quas Præfecti, Populi Suffragiis creati mittebantur. *Utrumque esse potest*, *ut primo* Municipium, *post autem Bellũ Punicum* II, *cum reliquis*, *quas supra enumeravi*, Præfectura *sit facta*. Augustus, *ut pleraque alia*, Coloniam *deduxit*.

Quæ hactenus indicavi *Municipia*, certioris sunt temporis: sequentia quando fuerint facta, non satis constat. Commemorat præter superiores Civitates inter Municipes Festus *Tiburtes*, *Prænestinos*, *Pisanos*, *Nolanos*, *Bononienses*, *Placentinos*, *Nepesinos*, *Sutrinos*, *Lucenses*. Ex his *Tibur* & *Præneste*, quæ Civitates Fœderatæ Latinæ erant, suis Legibus relictæ sunt: *Pisæ*, *Nola*, *Bononia*, *Placentia*, *Nepet*, *Sutrium*, *Luca Coloniæ* deductæ. Recensentur ab Cicerone *Municipia* aliquot præter ea, quæ dixi, quæ haud dubie post Legem Iuliam facta sunt; ut *Asculum* in Oratione pro Sulla: *Aquinum*, *Labici*, *Gabii*, *Bovillæ* in secunda Philippica; *Larinum* in Oratione pro Cluentio; *Ameria* pro Sex. Roscio; *Tarquinii* pro Cæcina; & quædam alia. Tacitus quoque libro XVII *Municipia Trans-Padana* nominat *Mediolanum*, *Novariam*, *Vercellas*, & *Eporediam*. In Antiquis Marmoribus & Lapidibus *Municipiorum Italicorum*, cum aliorum, tum sequentium frequens fit mentio: *Segusini*, *Interamnatis*, *Naburtis*, *Casuentinorum*, *Vindenatium*, *Ocriculani*, *Surrentini*, *Rhegini*, *Tiburtis*, *Hydruntini*, *Sæpinatis*, *Suessani*, *Fori Sempronii*, *Corani*, *Nolani*, *Aeternatis*, *Allifani*, *Amerini*, *Blerani*, *Arretini*, *Clusini*, *Tifernatis*, *Mævaniæ*, & *Mævaniolæ*, *Capenatis*, *Urbini*, *Sassinatis*, *Casinatis*, *Hispelli*, *Foro-Flaminii*, *Numanatis*, *Assisinatis*. Quam porro *Municipia* Reip. formam habuerint, non facile quis dixerit. Innuunt hoc saltem Veterum Scriptorum Monimenta, genus universum ex omnibus fere Rebuspublicis temperatum, Romanæ propemodum fuisse simile. Erant in *Municipiis*, quemadmodum Romæ, tres *Ordines*, *Decuriones*, *Equites*, *Plebs*. *Decuriones* iidem erant, qui Romæ Senatores; in quibus legendis summam adhibitam fuisse curam docet Cicero Epistola quadam libri VI, ad Leptam. Ex horum ordine *Decem-primi* legebantur; qui, uti scriptum est apud Hermogenianum IC. Tributorum Exactioni ita præerant, ut si qua detrimenta Fiscus mortuorum caussa contraheret, ipsi suis sumtibus resarcirent. *Equitum* celeberrimum ordinem in *Municipiis* fuisse patet ex Ciceronis Cluentiana. Iam *Populi* sive *Plebis* summum Ius erat in *Legibus* ferendis, creandisque *Magistratibus Municipalibus*: cujus rei apud M. Tullium in Libris de Legibus, Oratione pro Cluentio, Epistolisque, aliquot exstant testimonia. Erant vero *Magistratus*, *Dictatores*, *DuumViri*, *QuatuorViri*, *Censores*, *Aediles*, *Quæstores*. Scribit Spartianus, Imperatorem Hadrianum per Latina Opida *Dictatorem*, & *Aedilem*, & *DuumVirum* fuisse.

Incertioris.

Municipiorum Reip.

in Ordinibus,

& Magistratibus.

fuisse. *Duum Viratus* & *Quatuor Viratus* annuus erat Magistratus: *Censores*, *Aediles*, *Quæstores* iidem erant in *Municipiis*, qui in Coloniis. *Sacerdotes* item in Municipiis fuisse leguntur, cum primis autem *Flamines*; quorum frequens in Lapidibus est mentio. Quid inter *Colonias* & *Municipia* discriminis fuerit, docet Agellius lib. XVI. noct. Atticarum cap. XIII. Hæc de *Municipiis*: succedit *Præfecturarum* Explicatio.

[Aliæ subjectæ Italiæ oppida erant Præfecturæ.] *Præfecturæ* Opida erant Italiæ, in quibus qui habitabant, nec suis Legibus, ut *Municipes*, vivebant; nec ullos de suo corpore Magistratus creare poterant, ut *Coloni*: sed ab Magistratibus Roma missis regebantur, iis Legibus quas Romanus Magistratus dixisset, qui quoniam *Præfectus* vocabatur, idcirco *Præfecturæ* nominabantur. Ex quibus intelligitur *Præfecturarum*, inter omnes Italicas Civitates, conditionem ac fortunam fuisse durissimam. [Earum durissima conditio.] Sic enim ab Majoribus erat traditum, ut quæ Civitates iniquæ ingratæve erga Pop. Rom. fuissent, ac fidem datam semel atque iterum fefellissent, ubi in potestatem ditionemque essent adductæ, in *Præfecturæ* formam referrentur. Formula vero *Præfecturæ* non longe a *Provinciæ* formula videtur abfuisse. Vt enim quotannis in *Provincias Prætores* Roma mitti soliti: sic in *Præfecturas Præfecti*, qui eas administrarent, iisque ius dicerent. In exemplum veniat *Capua*, de cujus ante Coloniam eo deductam conditione post Bellum Punicum II, sic scribit Livius lib. XXVI: *De Vrbe Agroque reliqua consultatio fuit, quibusdam delendam censentibus Vrbem prævalidam, propinquam, inimicam. Ceterum præsens utilitas vicit. Nam propter Agrum, quem omni fertilitate Terræ satis constabat primum in Italia esse, Vrbs servata est, ut esset aliqua Aratorum Sedes: Vrbi frequentandæ multitudo Incolarum Libertinorumque & Institorum Opificumque retenta. Ager omnis & Tecta publica Populi Rom. facta. Ceterum habitari tantum, tamquam Vrbem, Capuam, frequentarique placuit: nullum Corpus Civitatis, nec Senatus, nec Plebis Concilium, nec Magistratus esse: sine Consilio publico, sine Imperio: Multitudinem nullius rei inter se sociam ad consensum inhabilem fore*: Præfectum *ad Iura reddenda Roma quotannis missuros*. Quibus igitur Oppidis Italiæ hujus [Numerus.] generis *Præfecti* Roma missi jus reddebant, *Præfecturæ* dicebantur. Sex. Pompeius Festus lib. XIV duas & viginti *Præfecturas* enumerat: in iis decem fuisse scribens, in quas *Præfecti*, Populi suffragiis creati mittebantur: quales erant *Capua*, *Cumæ*, *Casilinum*, *Vulturnum*, *Linternum*, *Puteoli*, *Acerræ*, *Suessula*, *Atella*, & *Calatia*: duodecim vero, in quas Vrbanus Prætor pro suo arbitrio *Præfectos* mittebat, leguntur hæ. *Fundi*, *Formiæ*, *Cære*, *Venafrum*, *Allifæ*, *Privernum*, *Anagnia*, *Frusino*, *Reate*, *Saturnia*, *Nursia* & *Arpinum*. Quæ fere omnes aut ex *Coloniis* & *Municipiis Præfecturæ* sunt facta, aut ex *Præfecturis* in *Colonias* & *Municipia* redactæ. Ex his *Capua Præfectura* fuit a Bello Punico II ad Consulatum C. Cæsaris, à quo *Colonia* deducta est. *Cumæ*, *Acerræ*, *Suessula*, *Atella*, *Formiæ*, *Privernum* & *Anagnia* tum *Municipia*, tum *Coloniæ*. *Fundi* vero, *Cære* & *Arpinum Municipia* tantum aliquando fuerunt: *Casilinum*, *Vulturnum*, *Linternum*, *Puteoli*, & *Saturnia Coloniæ*: *Calatia* vero, *Venafrum*, *Allifæ*, *Frusino*, *Reate* & *Nursia Præfecturæ*, dum Libertas Populi Romani stetit, semper fuerunt. Nam quum post Legem Iuliam, æquatis omnium Suffragiis, *omni Italiæ* data fuisset *Civitas*, *Municipiorum*, *Coloniarum* & *Præfecturarum* Iura sunt obliterata; Nominaque hæc confundi cœpta, ut & *Colonia* pro *Municipio* & *Municipium* pro *Colonia* & *Præfectura* aliquando sint accepta. Cicero enim *Placentiam* in L. Pisonem; *Soram* & *Casinum* pro Plancio: *Calenum* in Rullum; *Suessam* in epist. ad Atticum: *Cosam* in Verrem *Municipia* vocat, quas *Colonias* fuisse deductas ostendi. Ad hæc *Præfecturæ* ipsæ, & *Municipia* & *Veteres Coloniæ*, deductis Militibus, *Coloniæ* omnes denuo ab *L. Cornelio Sulla*; deinde *Cæsare*, III *Viris*, & *Augusto* factæ sunt, ut ex præcedentibus manifestum. Præter eas *Præfecturas*, quas ex Festo indicavi, *Cæræ Præfecturæ* Strabo lib. V, *Claudiæ* Plinius lib. III, cap. V, *Atinatis* Cicero pro Plancio, *Reatinæ* idem de Natura Deorum, faciunt mentionem. [Reipublicæ Ordinibus.] In *Præfecturis* etiam, quemadmodum *Municipiis*, tres erant *Ordines*: *Summus*, *Medius*, *Infimus*. *Summus Ordo Conventus* dicebatur; *Medius Equitum* erat; *Tertius Populi* sive *Plebis*. [& Magistratibus.] *Magistratus* erant duplices: Alii enim Roma mittebantur: Alii ex Præfectura ipsa creabantur. Roma mittebantur, qui jus dicturi essent, quos *Præfectos* appellabant: creabantur, qui publicæ Curationi alicui præerant, ut *Aediles* & *Quæstores*, quorum Munera satis nota. Hæc de *Præfecturis*.

Reliqua

Reliqua omnia Italiæ opida, quæ neque *Coloniæ*, neque *Municipia*, neque *Præfecturæ* erant, *Fœderatæ Civitates* vocabantur, ut *Tibur* & *Præneste* in Latio, *Neapolis* & pleræque aliæ, quæ suis Legibus & Magistratibus vivebant, diversisque Fœderibus aut Sponsione, aut Pactione, vario jure, Amicitiam cum Populo Romano contraxerant. Aliquæ enim erant *omnino Liberæ*, aliquæ *Vectigales*, aliquæ *Stipendiariæ*, aut plus vel minus gravatæ, prout Populo Rom. fuisset visum. *Fœderatarum Civitatum* Respublica in *Legibus* & *Magistratibus* consistebat: quales vero *Leges*, qualesque singulis *Magistratus* fuerint, est incertum. Alijs tamen alias *Leges*, aliosque *Magistratus*, pro rerum ac temporum ratione, proque cujusque natura & indole, fuisse vero simile est. Nam *Tusculi Dictator* & *Consul*, antequam *Tusculani* in Civitatem reciperentur, fuisse traditur. Narrat etiam Livius *Capuæ*, anteaquam deficeret, summum Magistratum *Medix-tuticum* fuisse; alioque loco *Prætorum Capuæ* Marium Blosium profitetur. Idem alibi etiam *Prænestinum Prætorem* commemorat. Habuisse easdem *Fœderatas Civitates* etiam *Censores*, *Ædiles* & *Quæstores* ex Livio intelligitur & Strabone. Caruerunt autem omnia *Fœderata opida* Iure Civitatis Romanæ: quam ob caussam multos ex *Fœderatis Civitatibus* nominatim Civitate donatos passim legimus.

Fœderatæ Civitates.

Earum Respublica. In Magistratibus & Legibus.

Omnia autem, quæ de *Italiæ Municipiis*, *Coloniis*, *Præfecturis oppidisque Fœderatis* dixi, tantum ante Bellum Marsicum locum habuerunt & *Legem Iuliam*: qua quum *Italiæ omni* Civitas data fuisset, omnes pari jure Civitatem sunt adepti. Illud ex eo patet, quod omnes in Comitijs Centuriatis jus, tempore Ciceronis, haberent. Quod ipse ostendit in oratione post Reditum ad Quirites; ubi de Comitijs Centuriatis, quibus ab Exsilio revocatus est, loquens, ita scribit: *Nullus in eorum reditu motus* Municipiorum & Coloniarum *factus: at me in patriam ter suis Decretis* Italia cuncta *revocavit*. Et pro Sestio. *Nullum erat* Italiæ Municipium, *nulla* Colonia, *nulla* Præfectura, *nulla Romæ Societas, nullum Collegium aut Concilium, aut aliquod omnino commune Consilium, quod tum non honorificentissime de mea Salute decrevisset.* Quod idem ex multis alijs ejus locis pro Muræna, pro Sulla, pro Plancio intelligi potest. Nam quod Tranquillus in Cæsare scribit, ipsum, Quæstura finita, *Colonias Latinas* de Civitate petenda agitantes adijsse, de *Trans-Padanis* intelligi debet; quibus Bello Marsico, quum Italiæ omni usque ad Rubiconem & Arnum, item *Galliæ Cis-Padanæ* Civitas lege Iulia data esset, à Pompeio Strabone, ut in officio continerentur, Ius Latij datum fuerat: Quibus postea Cæsar, Dictator factus, additis *Insubribus*, *Liguribus*, *Venetis* & *Carnis*, id est *universa Gallia Trans-Padana*, Civitatem Romanam dedit.

Toti Italiæ Civitas data Lege Iulia.

Talis igitur habita sub Romanorum Imperio *Italia*: cujus viribus usa Vrbs Roma plerum Terrarum orbem subjugavit. Mansit autem in *Consulum*, libera Republica; inque *Principum Romanorum*, eadem oppressa, potestate; usque ad *Imp. Cæsarem Fl. Momyllum Augustulum*. quem quum abdicare jussisset *Odoacer Herulus* Gothorum Rex, nobilissimam Regionem in suam redegit Potestatem; cæsusque *Theoderico*, ipsiusque Successoribus possidendam reliquit. Fastos *Consulum Romanorum*, ut Italiæ Principum, hic adponerem, nisi omnibus essent in manu. *Imperatorum Occidentis* (nam Orientis Principes aperiam suo loco) Nomina adscribam; quod in ijs, eorumque Annis, Mensibus, Diebus, quibus imperarunt, recensendis multos supra modum errare videam. Orsus ab *C. Iulio Cæsare* pergam ad *Augustulum*, quem dixi: prosequunturus inde *Gothorum Principes*, *Exarchos* & *Langbardorum Reges*.

Italia in potestate Consulum Romanorum.

Imperatorum.

Numer.	An. Christ.		an. Imp.	Mens.	Dies.
1		Imperator C. Ivlivs C. F. C. N. Cæsar Coss. *Dictator & Censor Perpet. Pater Patriæ*: Primus Populi Romani Imperator. Præfuit Reip.	IV	II	XV
		Trivmviratvs *Remp. Romanam occupat annos*	XII		

C. Iu

II		*C. Iulius, Divi F. C. N. Cæsar Octavianus, Augustus;* Secundus Pop. Ro. Imp. Victo ad Actium *M. Antonio*, Solus Remp. tenuit	XLIII	XI	XVII
III	XV	Ti. *Iulius, Divi Augusti F. Divi Iuli N. Cæsar, Augustus, Germanicus.*	XXII	VI	XXVI
IV	XXXVIII	*C. Iulius, Germanici F. Ti. Augusti N Divi Augusti Pron. Cæsar, August. Germanicus, Caligula.*	III	X	IX
V	XLII	*Ti. Claudius, Drusi F. Cæsar, Augustus Germanicus.*	XIII	VIII	XX
VI	LV	*Imp. Nero Claudius, Divi Claudi F. Cæsar, Augustus, Germanicus.*	XIII	VII	XXIIX
VII	LXIX	*Ser. Sulpicius, C. F. Ser. N. Galba, Imperat. Cæsar, Augustus.*		VII	VII
VIII	LXX	*Imp. M. Salvius, L. F. M. N. Otho Cæsar Augustus.*		III	V
IX	LXX	*A. Vitellius, L. F. P. N. Germanicus, Imperator, Augustus.*		VIII	V
X	XX	*Imp. Cæsar T. Flavius Vespasianus Augustus.*	IX	VI	
XI	LXXX	*Imp. T. Cæsar, Divi Vespasiani F. Vespasianus, Augustus.*	II	II	XX
XII	LXXXII	*Imp. Cæsar, Divi Vespasiani F. Flavius Domitianus, Augustus, Germanicus.*	XV		VI
XIII	XCVII	*Imp. Nerva Cæsar Augustus.*	I	IV	IX
XIV	XCIX	*Imp. Cæsar, Divi Nervæ F. Nerva Traianus, Optimus, Augustus, Germanicus, Dacicus Parthicus.*	XIX	VI	XV
XV	CXXIIX	*Imp. Cæs. Divi Traiani Parthici F. Divi Nervæ N. Traianus Hadrianus Augustus.*	XX	X	XXIX
XVI	CXXXIX	*Imp. Cæs. Divi Hadriani F. Divi Traiani Parthici N. Divi Nervæ Pronep. T. Aelius Hadrianus Antoninus, Aug. Pius*	XXII	VII	XXVI
XVII	CLXII	*Imp. Cæsar, Divi Antonini Pii F. Divi Hadriani N. Divi Traiani Parthici Pron. Divi Nervæ Abn. M. Aurelius* Antoninus *Augustus, Armeniacus, Parthicus, Germanicus, Sarmaticus.*	XIX		XI
XVIII	CLXII	*Imp. Cæsar Divi Antonini Pii F. Divi Hadriani N. Divi Traiani Pronepos, D. Nervæ Abnep. L. Aelius Aurelius Verus* Antoninus *Augustus, Armeniac. Medicus, Parthicus.*	IX		

Imp.

XIX	CXX I	*Jmp. Cæſ. Divi M. Antonini Pij Germanici F. Divi Pij N. Divi Hadriani Pronep. Divi Trajani Parthici Abnep.* Divi *Nervæ Adnep. M. Aelius Aurelius Commodus Antoninus, Pius, Felix, Auguſtus, German. Sarmatic. Britannicus.*	XII	VIII	XV
XX	CXCIV	*Jmp. Cæſar, P. Helvius Pertinax Auguſtus.*		II	XXIIX
XXI	CXCIV	*Jmp. Cæſar M.* Didius *M. F. Commodus Sever. Iulianus Auguſtus.*		II	V
XXII	CXCIV	*Jmp. Cæſar C. Peſcennius Niger, Iuſtus, Auguſtus.*	I	//	//
XXIII	CXCIV	*Imp. Cæſar L. Septimius, M. F. Severus, Pius, Pertinax Auguſtus*, Imperavit poſt occiſum *Iulianum.*	XVII	VIII	III
XXIV	CCXII	*Jmp. Cæſ.* Divi *Severi F. M. Aurelius Antoninus Caracalla, Pius, Felix, Aug. Parthicus, Britannicus, Germanicus.*	VI	II	IV
XXV	CCXIIX	*Imp. Cæſ. M. Opelius Aurelius Severus Macrinus, Felix, Auguſtus.*	I	I	XXIX
XXVI	CCXIX	*Imp. Cæſ.* Divi *Antonini* F. Divi *Severi* N. *M. Aurelius Antoninus, Pius,* Felix, *Auguſtus, Alagabalus.*	III	IX	IV
XXVII	CCXXIII	*Imp. Cæſar* Divi *Antonini* F. Divi *Severi* N. *M. Aurelius Severus* Alexander, *Pius,* Felix, *Auguſtus.*	XIII		IX
XXVIII	CCXXXVI	*Imp. Cæſar C. Iulius Maximinus, Pius, Felix,* Auguſtus, *Germanicus.*	II	//	//
XXIX	CCXXXIIX	Imper. *Cæſ.* M. *Antonius M.* F. Gordianus *Afric.* Felix, Aug. (Imperarunt una.)		I	VI
XXX		Imp. *Cæſar, Gordiani* Aug. F. *M.* Antoninus *Gordianus, Africanus,* Pius, Felix, *Aug.* (Imperarunt una.)			
XXXI	CCXXXIIX	Imp. Cæſ. D. Cælius P. F. *Balbinus,* Pius, *Felix Auguſtus,* (Imperarunt una.)	I		
XXXII		Imp. Cæſ. M. Clodius Pupienus *Maximus, Pius,* Felix, *Aug* (Imperarunt una.)			
XXXIII	CCXXXIX	*Imp. Cæſ. M. Antonius Gordianus,* Pius, *Felix, Auguſtus.*	VI		
XXXIV	CCXLV	*Imp. Cæſar M. Iulius Philippus, Pius, Felix Auguſtus.* (Imperarunt una.)	V		
XXXV	CCXLIIX	*Imp. Cæſar M. Iulius ; Philippi Auguſti* F. *Philippus,* Pius, *Fel.* Aug. (Imperarunt una.)			

XXXVI	CCL	*Imp. Cæsar Cn. Messius Quinctus Traianus, Decius, Augustus.*		II		
XXXVII	CCLII	*Imp. Cæsar C. Valens Hostilian. Mess. Quincti Deci Aug. F. Pius, Felix, Augustus.*	Hi post mortem Decij Impp. appellati, non multo post occisi sunt.			
XXXVIII		*Imp. Cæsar M. Perperna Licinian. Pius, Felix, August.*				
XXXIX	Eodem	*Imp. Cæsar C. Vibius Trebonianus Gallus Pius, Fel. August.*	Imperarunt vna.		VI	
XL		*Imp. Cæsar C. Vibius Galli Aug. F. Volusianus, Pius, Fel. Aug.*		I		
XLI	CCLIV	*Imp. Cæsar C. Iulius Æmilianus Pius, Felix, Augustus.*			IV	
XLII	CDLIV	*Imp. Cæsar P. Aurelius P. F. Licinius Valerius Valerianus, Pius, Felix, Aug.*		VII		
XLII	CCLXI	*Imp. Cæsar P. Aurelius Licinius Valeriani Augusti F. Gallienus, Pius, Felix, Augustus.*		VIII		
		xxx *Tyranni* Romanum sub *Imp Gallieno* Imperium invadunt.				
XLIV	CCLXIX	*Imp. Cæsar M. Aurelius Flavius Claudius Pius, Felix, Augustus.*		I	X	XV
XLV	CCLXXI	*Imp. Cæsar M. Aurelius Quinctillus, Pius, Felix, Augustus.*				XVII
XLVI	Eodem	*Imp. Cæsar L. Domitius Aurelius Valerius Aurelianus, Pius, Felix, Augustus, Gothicus, Max. Palmyrenicus, Maxim. Germanicus Maximus.*		IIII	XI	VII
XLVII	CCLXXVI	*Imp. Cæs. M. Claudius Tacitus, Pius, Felix, Augustus.*			VI	XX
XLVIII	CCLXXVII	*Imp. Cæs. M. Annius Claudius Florianus, Pius, Felix, Augustus.*			II	
XLIX	Eodem	*Imp. Cæs. M. Aurelius Valerius Probus, Pius, Felix, Augustus, Francicus Maximus, Gothicus Maximus, Germanicus Maximus.*		V	IV	
L	CCXXCII	*Imp. Cæsar M. Aurelius Carus Manlius Aurelianus, Pius, Felix, August.*		I		
LI	CCXXCIII	*Imp. Cæsar, Divi Cari F. M. Aurelius Carinus, Pius, Felix, Aug.*	Impe ratut una.			
LII		*Imp. Cæsar, Divi Cari F. M. Aurelius Numerianus, Pius, Felix, Augustus.*		I		
LIII	CCXXCIV	*Imp. Cæsar, C. Aurelius Valerius Diocletianus Iovius Pius, Felix,*				

		lix, Augustus. Imperavit Annos XX; *Solus* II, *cum Maximiano* XVIII.	Persici, Francici, Aleman., Gothici, Germanici			
LIV	CCXCVI	*Imp. Cæsar M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius, Pius, Felix, Augustus: Imperavit cum Diocletiano annos* XVIII.		XX		
LV		*Imp. Cæsar Fl. Valerius Constantius Chlorus, Germanicus, Francicus, Gothicus, Alemanicus, Pius, Felix, Aug.*	Imperarunt.			
LVI	CCCIV	*Imp. Cæsar C. Galerius Valerius Maximianus, Persicus, Pius, Felix, Augustus.*		I	X	VIII
LVII	CCCVI	*Imp. Cæsar Divi Constantij F. M. Aurelius Valerius Flavius Constantinus Maximus, Victor ac Triumphator, Pius, Felix, Invictus, Aug. Germanicus, Sarmaticus, Francicus, Gothicus, Vandalicus.*		XXX	IX	XXVII
LVIII	CCCX	*Imp. Cæsar C. Aurelius Valerius Licinianus Licinius, Pius, Felix, Invictus, Augustus.*	Imperarunt cum Constantino.	I	VI	//
LIX	Eodem	*Imp. Cæsar C. Galerius Maximin. Pius, Felix, Augustus.*				
		Post mortem Divi Constantini divisum est *Imperium Romanum* in *Orientis & Occidentis*: In *Oriente* Primus primas tenuit *Imp. Cæsar Fl. Iulius Constantius, Pius, Felix, Perpetuus Augustus*; quem alij sunt sequuti, de quibus suo loco. In *Occidente* post *Constantinũ* Imperio præfuerũt.				
LX	CCCXXXVII	*Imp. Cæsar Fl. Valerius Constans, Pius, Felix, Augustus.*		XII	IX	//
LXI	CCCL	*Imp. Cæsar Fl. Magnentius, Pius, Felix, Augustus.*		III	VII	//
LXII	CCCLIII	*Imp. Cæsar Fl. Iulius Constantius, Pius, Felix, Augustus.*		VIII	II	XX
		Imperarunt iterum tam in *Oriente*, quam *Occidente*:				
LXIII	CCCLXI	*Imp. Cæsar Divi Constantij Senioris* N. *Fl. Claudius Iulianus, Pius, Felix, Augustus, Invictus.*		I	VII	XXVII

Imp.

LXIV	CCCLXIII	*Jmp. Cæsar Fl. Iovianus, Varroniani* F. *Pius, Felix, Invictus, Augustus.*	//	VII	XXII
		Rursus in *Occidente* tantum Imperio sunt potiti:			
LXV	CCCLXIV	*Imp. Cæsar Fl. Valentinianus Pius, Felix, Augustus.*	XI	VIII	XXII
LXVI LXVII	CCCLXXV	Imp. Cæsares Valentiniani F. { *Fl. Gratianus, Fl. Valentinianus Iunior.* } Pii, Felices, Invicti, Augusti, Imperatores	VII	IX	X
	CCCXXCIII	Post mortem *Gratiani* solus imperavit *Valentinianus Iunior.*	VIII	VIII	XXII
LXVIII		Occiso *Gratiano Fl. Maximus* in *Occidente* contra *Valentinianũ* & *Theodosium,* qui in *Oriente* regnabat, *Imperator* appellatur: Imperavit annos V, Dies II.			
LXIX	CCCXCII	*Jmp. Cæsar. Fl. Eugenius, Pius, Felix, Aug.*	II	IV	XIII
LXX	CCCXCIV	*Jmp. Cæsar Fl. Honorius Theodosij Aug F. Pius, Felix, Invictus, Aug.*	XXIX	XI	X
	CCCCX	Imperante XVI annum *Honorio,* ab Christo nato CCCCX, Ex A. D. IX. Kalendas Septembris *Urbs Roma* ab *Gothis*, *Alarico* Duce, primo capta est. Legendi præter alios Sigebertus, Prosper, Marcellinus. Augustinus ad Demetriadem: *Ad stridulæ Buccinæ sonum Gothorumque clamorem lugubri oppressa metu, Domina Orbis Roma, contremuit: ubi tunc Nobilitatis ordo? ubi certi & distincti Nobilitatis gradus? permistæ omnia & timore confusa; omni domui planctus, & æqualis fuit per cunctos Pavor: unum erat Servus & Nobilis; eadem omnibus imago Mortis, nisi quia magis eam timebant illi, quibus vita fuerat iucundior.* Alia prætereo.			
LXXI	CCCCXXIII	*Imp. Cæsar Fl. Ioannes Pius, Felix, Perpetuus Augustus.*	II	II	//
LXXII	CCCCXXV	*Jmp. Cæsar Constanti Cæs. F. Fl. Placidius Valentinian. Pius, Felix, Perpetuus Augustus.*	XXIX	V	XXIII
LXXIII	CCCCLV	*Jmp. Cæs. Fl. Anicius Maximus, Pius, Felix,*		II	XXVII

		Felix, perp. Augustus.			
	Eodem	Eodem Anno pridie Eid. Iunl *Urbs Roma* ab *Vandaleis* iterum capta est.			
LXXIV	CCCCLVI	*Imp. Cæsar Fl. Avitus, Pius, Felix, perpet. Augustus.*		X	VIII
LXXV	CCCCLVII	*Imp. Cæsar Fl. Iulius, Valerius Maiorianus, Pius, Felix, perp. Aug.*	IV	IV	II
LXXVI	CCCCLXI	*Imp. Cæsar. Fl. Vibius Severus, Pius, Felix, Augustus.*	III	VIII	XXIIX
		Mortuo Severo Aug. Interregnũ fuit,	I	VII	XXVII
LXXVII	CCCCLXVII	*Imp. Cæsar Fl. Anthemius Pius, Felix, Augustus.*	V	II	XXX
LXXIIX	CCCCLXXIII	*Imp. Cæsar Fl. Amicius Olybrius, Pius, Felix, Augustus.*		III	XIII
LXXIX	CCCCLXXIV	*Imp. Cæsar Fl. Glycerius, Pius, Felix, Aug.*	I	III	XXI
LXXX	Eodem	*Imp. Cæsar Fl. Julius Nepos, Pius, Felix, Augustus.*	I	II	IV
LXXXI	CCCCLXXV	*Imp. Cæsar Fl. Momyllus Augustulus, Orestis Patricij F. Pius, Felix, Perpet. Augustus.*		IX	XXIV
		Obtinebant eo tẽpore Alani & Vandali Africam; Visigothi Hispaniam, Franci & Burgundiones Gallias; Hunni vero reliquas Occidentalis Imperij Provincias: rabie incredibili universæ minitantes *Italiæ*. Romani hic suis rebus diffidentes, quum XX annorum intervallo decem jam habuissent Imperatores, varijs & ipsos Bellis atque Seditionibus conflictatos & occisos; in maxima rerum omniũ perturbatione & tumultu, Scythas, Albanos, Gothicasque quasdam Nationes in *Italiam* sui pręsidio evocatas, in Societatem adsciscunt. Occasionem ante omnes alios *Gothi* avide arripientes, *Italiam* ingressi, tertiam Agrorum Partem ab Oreste Patritio, qui pro *Augustulo* Filio Imperium gubernabat, petunt: neganti se concessurum insidiantur; *Odovacrem Herulum*, qui quomdam inter Italicos Milites Orestis Armiger fuerat,			

			fuerat, quum omnia pro ipsorum arbitrio se exsequuturú promisisset, *Romanorum* constituunt *Principem*. Is *Augustulo* Ravennæ anno Christi CCCCLXXV, decimo Kalendas Septembris abdicare iusso, Patreque ipsius Oreste quinto Kalendas eiusdem mensis Placentiæ occiso, stabilita Tyrannide, dominari longe lateque *Italiæ* cœpit. Cum *Augustulo* igitur *Imperium Pop. Romani Occidentale* defecit. *Gothorú* enim & *Langbardorum* Regibus totam fere *Italiam* regio nomine obtinentibus, *Imperatores* deinceps in *Occidente* creari desierunt, usque ad *Karolum Magnum* Francorum Regem; fuitque in *Occidente Interregnum* annorum CCCXIV, mensiumque IV, usque ad annum I *Imperij* Karoli Magni.			
			Gothorum in Italia Reges.			
Gothorum Regum.	I	CCCCLXXVI	*Fl. Odouacer Herulus, Gothorú Rex*, post *Augustulum* Regis nomine Primus Romæ in *Occidente* regnavit Annos. Per idem tempus *Ostrogothi*, qui paullo ante post *Atilæ* mortem, cui servierát, Istro traiecto, Imperatoris permissu, Thraciá colere cœperát, adversus Romanos Orientales *Theoderico* Duce, arma sustulerant. Imperator *Zeno*, qui optime dispone re præsentia callebat, *Theodoricum* potius, ut *Italiam* peteret, monet; & *Odouacre* Tyranno eiecto, *Italiæ* principatum sibi *Ostrogothis*que pararet: illi id longe plurimum conducturum adfirmás præstanti ac Senatorio Viro (Patricius enim & Consularis factus erat Imperatoris Byzantini benificio) ut Tyranno devicto, Romanis & Italicis ceteris imperitaret, quam secum, ut Imperatore	XVI	VI	XI

		tore, inconsideratius velit Armis decernere, ac tam dubium inire belli fortunæ discrimẽ. *Theodericus* Imperatoris persuasione ac cõsilio delectatus, ex Thracia *Italiam* versus iter cum universo *Ostro-Gothorum* populo suscepit. Quum in *Italiam* venisset, *Odouacrem* triplici prælio victum, postremo interfecit. Tum omnibus sibi conciliatis, *Gothorum* solus & *Italicorum* Imperium tenuit, *Romani* tamen *Imperatoris* nec Insignia, nec Nomen sibi desumsit; sed, quo ad vixit, *Rex* appellatus est.			
II	CCCCXCIV	*Theodericus Strabo Amales, Theoderici F. Valamiri N.* Secundus Gothorum in Italia Rex.	XXXIII	V	XXIIX
III	IↃXXVII	*Fl. Athalaricus Amalus, Eutharici Cillicæ, ex Amalasuntha F. Theoderici N.* Tertius Gothorum in Italia Rex.	VIII		
IV	IↃXXXV	*Theodahatus Amalus*, Quartus Gothorum in Italia Rex.	II	//	//
		Bellum Gothicum Italicum.			
V	IↃXXXVI	*Vitiges*, V Gothorum in Italia Rex.	IV	//	//
VI	IↃXL	*Ildoualdus* VI in Italia Gothor. Rex.	I	//	//
VII	IↃXLI	*Araricus Rogus* VII Goth. in Italia Rex.		III	//
VIII	Eodem	*Totilas Badutlla* IIX Gothorum in Italia Rex:	XI		
IX	IↃLII	*Teias* IX *& ultimus Gothorũ in Italia Rex.*	I		
	IↃLIII	Prælio victus à *Belisario* & *Narse*, præstantissimis *Iustiniani Augusti* Ducibus, occisus est; *Gothique* omnes *Italia* pulsi circa mensem Maium anno Christi IↃLIII. Bello confecto, *Gothisque Italia* omni exactis, ipsa cum Insulis *Sicilia*, *Sardinia* & *Corsica Imperio Orientali* est attributa; atq; in Victoriæ præmium *Narsi* ab *Imperatore* administranda est concessa.			
		Fl. Narses V. C. Exconf. Magister utriusque Militiæ, pro Imperatore Iustiniano Augusto Imperium Italiæ tenuit annos	XVI		

Italia Orientali Imperio concessa:

			Narses Romanorum Procerum invidia exagitatus, à quibus apud *Iustinum Imp.* accusatus fuerat, quum ex *Italia* revocatus esset, contumelijs Sophiæ Augustæ irritatus, *Langbardos*, qui tunc cum Hunnis Pannoniam incolebant, quorumque pręcipue auxilio *Gothos Italiæ* finibus expulerat, in *Italiam* evocavit: quam illi Duce *Alboino* ingressi omnem fere occuparunt; Pręsidijsque *Græci Imperatoris* pulsis, annos CCVI tenuerunt: quo temporis intervallo totam *Italiam*, præter Urbem, in Ditionem suam sub *Regibus* XXIII redegerunt.		
partim ab *Langbardorum Principibus*,	I	IↃLXIIX	*Alboinus Andoini F. Primus in Italia Langbardorum Rex.* Regnavit	III	I
partim ab E[illegible], Græci Imperatoris nomine, gubernata.			*Iustinus Iunior Augustus Exarchatum Ravennæ* instituit; sicque mortuo *Fl. Narse Italiæ Duce*, *Fl. Longinus* reliquam eius partem, quam *Langbardi* primo impetu occupare non potuerant, pro *Imperatore Constantinopolitano*, locata *Ravennæ* Imperij Sede, sub *Exarchi* nomine obtinuit.		
			I *Fl. Longinus Patricius V.C. Primus* Italiæ *Exarchus* annos XV.		
	II	IↃLXXI	*Clephis, Secūdus Lāgbardorū in Italia Rex.*	I	VI
		IↃLXXIII	Occiso Papiæ circa Kalendas Aprilis, an. IↃLXXIII *Clephe* ab Servo suo, Interregnū fuit in regno *Langbardorum* annorū X; in quo XXXVI *Langbardorum Duces Regnum* singillatim per singulas Vrbes administrarunt: inter quos *Zabanus* Ticinum: *Alboinus*, Mediolanum; *Vallarus*, Bergomum; *Alahis*, Brixiam; *Cous*, Tridentum; *Gisulphus*, Forum-Iulij; & alij XXX Duces reliquas Vrbes obtinuerunt.	X	
	III	IↃXXCIII	*Flavius Autharis, Clephis F: Tertius Langbardorum in Italia Rex.*	VI	VI
		IↃXXCIV	II *Fl. Zmaragdus Patricius, V.C. Secundus Italiæ Exarchus*, missus		

		sus ab *Imperatore Mauricio* anno Christi nati IↃLXXXIV. Præfuit annos III			
	IↃXXCV	III *Romanus Patricius V.C. Tertius Italiæ Exarchus*, anno IↃLXXXVII missus ab *Imperatore Mauricio Augusto*, sub quo Italiam rexit, annos XI			
	IↃXXCIIX	*Authari* mortuo, *Interregnum* fuit		I	XXVI
IV	Eodem	*Fl. Agilulphus, Quartus Langbardorum in Italia Rex.*	XXV		
	IↃXCIIX	IV *Fl. Callinicus Patricius V.C. Quartus Italiæ Exarchus*, missus ab *Imperatore Mauricio* Anno IↃXCVIII, sub quo *Italiæ* præfuit annos IV			
	IↃCII	*Fl. Zmaragdus Patricius V.C. iterum Italiæ Exarchus*; missus anno IↃCII ab *Imp. Mauricio Aug.* sub quo & sub *Phoca Imperat. Italiæ* præfuit annos IX			
	IↃCXI	V *Fl. Joannes Lemigius Patricius V.C. Quintus Italiæ Exarchus*, missus anno IↃCXI, ab *Imp. Heraclio Augusto*, pro quo *Italiam* administravit annos plus minus IV			
V	IↃCXIV	*Fl. Adalvaldus, Agilulphi Regis F. Quintus Langbardorum in Italia Rex.*	X		
	IↃCXVI	VI *Eleutherus Patricius Imp. Cubicularius V.C. Sextus Italiæ Exarchus*: missus anno Dom. IↃCXVI ab *Imp. Heraclio Augusto*, pro quo Remp. Italicam administravit annos III			
	IↃCXIX	VII *Isaacius Patricius V.C. Septimus Italiæ Exarchus*, missus ab *Imp. Heraclio Aug.* anno Domini IↃCXIX. Præfuit *Italiæ* annos XXIII			
VI	IↃCXXIV	*Fl. Arioaldus, Sextus Langbardorum in Italia Rex.*	XII		
VII	IↃCXXXVI	*Fl. Rotharis Harodus, Septimus Langbardorum in Italia Rex.*	XV	IV	
	IↃCXLII	VIII *Theodorus Calliopa V.C. Patricius*			

		cius, Octavus Italiæ Exarchus: missus ab *Imperat. Heraclio*, anno Domini ɪↄ cxlii, pro quo & *Impp. Cæsaribus Constantino* iiii & *Constante Juniore Italiam* rexit annos viii			
	ɪↄ cl	ix. *Olympius V. C. Imperatoris Cubicularius, Nonus Italiæ Exarchus:* missus ab *Imp. Constante Juniore*, anno ɪↄ cl, pro quo rem Italicam gubernavit annos iii			
viii	ɪↄ cli	*Fl. Rodoaldus, Octavus Langbardorum in Italia Rex.*	v		vii
	ɪↄ cliii	*Theodorus Calliopa, Patricius, V. C. Iterum Italiæ Exarchus:* missus ab *Imp. Constante Iuniore Aug.* anno Domini ɪↄ cliii, pro quo & eius Filio *Constantino* v *Augusto Italiæ* præfuit annos xxxiv			
ix	ɪↄ clvi	*Fl. Aribertus, Gandoaldi F. Garibaldi Boioariorum Regis N, Nonus Langbardorum in Italia Rex.*	ix		
x	ɪↄ clxv	*Fl. Gudebertus, Ariberti Regis F. Decimus Langbardorum in Italia Rex;* Regnavit cum *Pertaritho* Fratre ann.	i	iii	
xi	ɪↄ clxvi	*Fl. Grimoaldus Archis Beneventani Ducis F. Undecimus Langbardorum in Italia Rex.*	ix		
xii	ɪↄ clxxv	*Garibaldus, Duodecimus Langbardorum in Italia Rex.*		iii	
xiii	Eodem	*Pertarithus Ariberti Regis* F. *Decimustertius Langbardorum in Italia Rex.*	xviii		
	ɪↄ cxxcvii	x *Ioannes Platina* (alias *Platon*) *Patricius V.C. Decimus Italiæ Exarchus:* missus ab *Imp. Iustiniano Iuniore Augusto*, anno Domini ɪↄ cxxcvii; pro quo & *Fl. Leontio Imp. Italiæ* præfuit annos xv			
xiiii	ɪↄ cxciii	*Fl. Cunibertus Pertarithi Regis* F. *Ariberti N. Decimusquartus Langbardorum in Italia Rex.*	xii		

xi *Theo-*

	IↃCCII	XI *Theophylactus Patricius*, *Imp. Cubicularius V. C. Undecimus Italiæ Exarchus*: missus anno IↃCCII *ab Imp. Tiberio Habsimaro*, pro quo & *Iustiniano Iuniore Aug. Italiam* rexit annos VIII		
XV	IↃCCV	LVITHBERTVS *Cuniberti* F. *Decimusquintus Langbardorum in Italia Rex.*		VIII
XVI	IↃCCVI	*Ragumbertus Gundeberti* F. *Ariberti Regis N. Decimus-sextus Langbardorum in Italia Rex.*		III
XVII	IↃCCVI	*Fl. Aribertus Iunior Ragumberti* F. *Gundeberti Regis N, Decimus-septimus Langbardorum in Italia Rex.*	XII	
	IↃCCX	XII *Ioannes Tizocopus Patricius*, *V.C. Duodecimus Italiæ Exarchus*: missus ab *Imp. Iustiniano Iuniore* Anno IↃCCX, pro quo *Italiæ* præfuit annos II. Meſſ. aliquot.		
	IↃCCXV	XIII *Scholasticus Patricius V. C. Decimus-tertius Italiæ Exarchus*: missus anno IↃCCXV ab *Imp. Anastasio Artemio Augusto*; sub quo & *Theodosio Adramytteno* ac *Leone* III *Imperatoribus Italiæ* præfuit annos X		
XVII	IↃCCVIII	*Asprandus*, *decimus-octavus Langbardorum in Italia Rex.*		III
XIX	Eodem	*Luithprandus Asprandi Regis* F. *decimus-nonus Langbardorum in Italia Rex*,	XXV	VII
	IↃCCXXV	XIV *Paullus Patricius*, *V.C. Decimus-quartus Italiæ Exarchus*: missus ab *Imp. Leone* III *Augusto*, anno Domini DCCXXV; sub quo *Italiæ* præfuit annos II		
	IↃCCXXVII	XV *Euticius Patricius*, *Decimus-quartus Italiæ Exarchus*: missus ab *Imp. Leone* III *Augusto*, anno Domini IↃCCXXVII: pro quo & eius Filio *Constantino* V I *Copronymo Italiæ* præfuit annos XXIIII		

XX		*Hildebrandus, vicesimus Langbardorum in Italia Rex :* Creatus vivente *Luithprando;* mox, eo mortuo, regno exactus est, inque eius locum pactus est			
XXI	IↃCCXLIII	*Rachis, Remmonis F. vicesimus primus Langbardorum in Italia Rex.*	V	VI	
XXII	IↃCCXLIX	*Aistulphus Remmonis F. Rachis Frater vicesimus secundus in* Italia *Langbardorum Rex.*	VII		
	ILↃↃCI	Anno Domini IↃ CCLI *Ravenna* & omni *Exarchatu* ab *Langbardorum* Rege *Aistulpho* captis, *Exarchi* in *Italia* esse desierunt, anno à primo *Exarcho Longino* CXXCIII.			
XXIII	IↃCCLVI	*Desiderius ultimus Langbardorum in* Ita*lia Rex.*	XVIII		

Langbardi autem, præterquam quod novas Leges, quas ab Se *Langbardicas* appellabant, edidissent, *Latinam*que *Linguam*, Vocabula & Characteres immutare tuissent conati, etiam totam, quam occuparant, *Italiam* in sex *Satrapias* seu *Præfecturas* distribuerunt : duas nominarunt *Markias*, ceteras *Ducatus*. *Markiæ* fuerunt *Anconitana*, quæ Picenum; *Tarvisina*, quæ Venetiæ partem continebat. *Ducatus* erant *Spoletinus*, *Taurinus*, *Foro-Iuliensis* & *Beneventanus*. Lex hæc erat *Ducibus*, ne arbitrio suo Successorem diligendi sibi haberēt potestatem; sed is in Concilio totius Gentis diceretur : *Marchiones* ambo pari erant potestate, atque in alios etiam Duces sua utebantur auctoritate: prærerea qui vel ab Rege vel ab Concilio communi locum illum nacti erant, his arbitrio voluntateque sua Heredem sibi decernere ius erat. Ita ducentis fere annis *Langbardorum* in *Italia* stetit Imperium, ut Paullus Diaconus, Blondus, Sabellicus, aliique commemorant. Vrbs sola supererat Roma, in deditionem & ditionē ab Langbardis redigenda, quo toti *Italiæ* imperitarent. Eam quum aliquamdiu acriter ursissent, nec ab Orientis Imperatoribus aliquid præsidij sperare tur, Romani Pontifices ad *Francorum* Opes, longe lateque per totam Europam

in *Francorum* ditionem redacta:

tunc pollentes, sæpe confugerant: qui tandem, *Karolo Magno Rege* pro Hadriano I P. M. anno IↃ CCLXXIV, Italiam ingressi, *Langbardis* prælio victis, eorumque *Rege Desiderio* Maio mense capto, Ticinoque Regni Metropoli in deditionem accepta, *Langbardorum Regnum* exciderunt: quo tempore *Italia* fere omnis in Francorum pervenit arbitrium; anno postquam *Langbardi Italiam* occuparant, CCVI & mense primo. Victoria parta, Karolus Magnus, Romanæ Sedi *Ravennam* cum *Exarchatu*, *Flaminiam* & *Picenum*, Provincias de *Langbardis* captas scribitur largitus: ipse vicissim ab eadem Sede magnis auctus honoribus; *Francorum* primo ab Stephano II, mox *Langbardorum Rex* ab Hadriano inunctus; *Patritius* inde *Romanorum*, quæ tum suprema in Vrbe dignitas erat, creatus: *Imperator* postremo *Occidentis Augustus*que ab Stephano III appellatus, VIII Kalendas Ianuarij, ineunte anno à partu Virginis IↃCCCI, postea vero quam in *Italia* imperari desitum fuerat, anno CCCXXV. Quum autem adsiduis Saxonum & Italiæ Bellis esset implicitus, Filium suum *Pipinum* in *Regno Italia* legit consortem; qui ab Hadriano P. M. XVII Kalendas Mai anno IↃCCLXXXI, inunctus Venetos debellavit. *Pipinum*, qui ante Patrem Karolum obijt, sequutus est Filius *Bernardus*. Hic Karoli Avi voluntate ab Archiepiscopo Mediolanensi in *Italia Regem* coronatus, Patris exemplo Munus ab initio summa cœpit administrare industria; post autem Adsentatorum blanditiis incensus, quum Ludovi-

cum

cum Imperatorem Patruum suum aditu *Italiæ* prohibere, ac Regno Franciæ, quod ad se pertinere jampridem persuasus erat, exuere institueret, ejus hostili adventu territus, & ab suis destitutus, armis abjectis, apud Caballinum Eduorum, urbem Burgundiæ, ipsi se tradidit: a quo in Germaniam abductus & Aquisgrani juxta Leges Romanas & Salicas ad Capitis Supplicium condemnatus, sed vita donatus luminibusque orbatus, in Monasterium est inclusus, in quo paullo post mœrore vitam finijt, XV Kalendas Mai anno ab Christo nato IↃCCCXVIII. Post *Bernardum Rex Italiæ* legitur *Ludovicus* II, qui à Patre Lothario Imperatore, Ludovici Pij Primogenito, in *Regni Italici* consortium *adscitus*, Romæ in Basilica S. Petri in Vaticano coronatus est ab Sergio Papa II, Eidibus Aprilis, anno IↃCCCXLIV. Hic, Milite coacto, contra Saracenos (*Italiam* omnem, quæ Mari adluitur, misere tunc vexantes) profectus, fortiter adversum eos & feliciter signa contulit. Sed quum, Exercitu magna ex parte Peste alijsque Morbis absumto, defensionem Beneventi commendasset *Adelgisio Langbardo*, Salerni Principi; hic autem cum omnibus Samnij, Campaniæ & Lucaniæ opidis ad Græcos descivisset, hanc perfidiam ulturus in *Italiam* rediit: & *Adelgisio* profligato, omnia recepit, deque Rebellianis socijs supplicium sumsit. Ceterum quum rerum trans Alpes nihil haberet, *Italiam* unam excoluit; eamq; quanta maxima potuit cura & fide administravit; non solum Papiæ, sed Mediolani quoque & in alijs compluribus Langbardiæ urbibus Iurisdictionis gratia versari solitus. Vita defunctus est Mediolani, pridie Kalendas Sextilis anno IↃCCCLXXV. Imperante Arnulpho, quum *Itali* aliquot *Principes* ab Imperio Francico defecissent, *Italiæ* sibi Regnum vindicantes, Imperij quoque Insignia & Titulos ab Romanis Pontificibus per multos annos obtinuerunt. Eorum primus fuit *VVido* quidam, Dux Spoletanus, Vir Langbardici Sanguinis, qui contra Arnulphû, Competitore *Berengario* fugato, *Imperium* sibi *Italiæ* vindicans anno IↃCCCLXXXVIII Imperatoris quoq; & Augusti nomine ab Romano Pontifice Stephano V coronatus adsumsit, IX Kalendas Martij anno IↃCCCXCI. Post quem etiam eius Filius *Lambertus Italiæ Regnum* sub Augusti nomine ab Romano & ipse Pontifice Formoso anno IↃCCCXCIV inunctus, obtinuit. Quo mortuo, *Berengarius* ex Duce Foro Iuliensi sub Augusti & Imperatoris titulis anno IↃCCCCIV *Rem Italicam* administravit. Huius tempore *Italiam* ingressi, non solum *Saraceni* Calabriam & Apuliam misere adflixerunt; verum etiam *Hungari*, Rege victo inque fugam coniecto, Venetias captas incenderunt. Post *Berengarium Rudolphus* Cunradi F. Burgundionum Rex, mense Ianuario, anno IↃCCCCXXIII; *Hugo*, Hlotharij F. Hlotharij Regis Hlotharingiæ N. Hlotharij Imperatoris Pronepos, Comes Arelatensis anno IↃCCCCXXVI; *Hlotharius*, eius Filius, anno IↃCCCCXXXII; *Berengarius* denique II, Adelberti Eporediæ Marchionis F, Berengarij I ex Filia Nepos; eiusque Filius *Adelbertus* Regum nomine *Italiam* anno IↃCCCCL, obtinuerunt. Profligavit eos *Otto Magnus*, *Imperator*; ab Agapeto P. M. in Italiam evocatus. *Berengarium* iterum anno IↃCCCCLVII moventem, crudeliterque in quoscumque sævientem, compescuit *Ludolphus*, ab Ottone Imperatore Patre in *Italiam* missus. Capitur tandem anno IↃCCCCLXIV cum Coniuge Willa *Berengarius* ab ipso *Imperatore*, qui eum aliquamdiu in Monte Leonis obsederat: quum iam paullo ante Ioannes XII P. M. ab Imp. deficiens, *Alberto*, *Berengarij* Filio, Romam tradidisset. Patre in Germaniam relegato, Filius Libertati redditus, iterum anno sequente ab *Italiæ* Proceribus *Rex* est appellatus: qui quadriennio post, prælio ab Ottone victus, Regno est exactus, anno IↃCCCCLXIX. Sic *Italia Imperio* subiecta est ab Ottone I *Germanorum*. Sequentibus temporibus *Ottones*, *Henrici* & *Frederici Imperatores* multa ibi sunt perpessi adversa. Quum bonam iam partem *Pontificiæ Sedis Karolus Magnus* (nam de *Donatione Constantini* parum fida sunt Documenta) donasset; egregiam etiam portionem, Langbardiæ nimirum Tusciæque ditionem cum Ferraria, Testamento legasset moritura anno CIↃCXV Iulio mense *Mathildis*, Bonifacij Filia, Dux Langbardiæ & Tusciæ, Marchionissa, ut ea utar voce, Parmæ, Mantuæ, Ferrariæ, Etruriæ, Spoleti, Anconæ & Pisarum, Canusiæ Comes; quæ Romanorum Pontificum partes contra Henricum IV Cæsarem pertinacissime foverat: aliorum membrorum sensim sequutæ sunt alienationes. Redacta est *Apulia* & *Neapolis* in *Regnum Hereditarium*: defecerunt ab Imperio *Mediolanum*, *Florentia*, *Genua*, *Venetiæ*, aliæque Civitates; quæ subinde rursum ad obedientiam retractæ, iterum se iugo

Germanorum Imperatorum rebus adiecta.

subtraxerunt. Invigilarunt quoque *Veneti* Pomerijs Dominationis suæ latius indies promovendis. Cœperunt item *Imperatores* nonnulli socordia singulari Civitates quasdam oppignerare; quasdam, accepta pecunia, facere liberas. *Venceslaus Genuam* ab *Imperio* laceratam, tradidisse fertur *Regi Franciæ*: *Ludovicus Bavarus Imp.* acceptis sex aureorum millibus, liberos reddidit *Florentinos*: *Karolus* IV *Bohemus*, nummis excæcatus, *Vicecomitem Mediolanensem*, qui Imperij Vasallus in Langbardia erat, *Ducem* creavit. De alijs taceo. Nam *Italiæ*, multis successu temporis calamitatibus cladibusque ab varijs, cum ipsis Incolis, tum in ipsam aliunde irrumpentibus, *Saracenis*, *Nortmannis*, *Francis*, *Germanis*, *Hispanis*, alijsque dolendum in modum confectę, quales partim in *Imperatoribus*, eorumque Filijs & Pontificibus, partim in diversis Principibus fuerint Domini, patet ex Blondo, Sabellico, Iovio & alijs; patebitque speciatim ex singularum Regionum delineatione.

Discerpta nunc in varias Dynastias.

Discerpta nunc est nobilissima Regio in varias *Dynastias*. Inter eos, sub quorum ditione nostro est ævo, pręter *Pontificem*, *Regem Neapolitanum*, *Liberasque Respublicas*, *Venetam*, *Genuensem*, *Lucensem* & alias, primum facile obtinent locum in Septentrionaliore, *Princeps Etruscus*, *Ferrariensis*, *Mantuanus*, *Mediolanensis*, *Montis-Ferratensis*, *Parmæ*, *Saluzziarum*, *Veronensis*, in Australiore multi sunt & innumerabiles *Dynastæ*: quos, occasione oblata, suis recenseo locis.

multis Fa[illegible], A[illegible] memoria vexata.

Italiam, ut hoc addam, Avorum nostrorum temporibus variæ vexarunt mirum in modum Factiones: Etruriam *Cancellarij* & *Panzattici*, Picenum *Albi* & *Nigri*. Latium *Columnenses* & *Ursini*; Insubrium *Bracciani* & *Sfortiani*; potissimam partem *Guelphi* & *Gibellini*. Sensit has furias aliquando Germania, sed non diu. In *Italia* exstingui non potuerunt, nec exstinguentur facile, inquit Vir magni judicij, propter Gentis mores & genium, qui ad injuriam inferendam valde pronus, ad deponendum ulciscendi desiderium tardus. Tanta illius pestis vis est, ut Pueri etiam se vel harum vel illarum Partium esse profiteantur, nec pietati Parentum, nec Cognatorum parcentes sanguini. Factionum, *Cancellariorum* & *Panzatticorum* nomina ad perniciem humani generis excogitata, primum, ut scribit Platina in Gregorio IX, audita sunt Pistorij in Etruria. Ea Factio reliquarum, Nominibus tantum mutatis, pro Partium nobilitate & potentia, fons fuit; indeque infin ita pullularunt Mala, quæ universæ fere *Italiæ* fuerunt exitio; de quibus omnibus multi Auctores varia scribunt. Pistoriensis sane Civitas maxime Cædibus recentibus madet.

CAPUT XX.

Gubernatio Italiæ *Sacra vel Ecclesiastica.*

GUBERNATIONEM aperui Politicam: sequitur Ecclesiastica, in cujus explanatione futurus brevis.

[illegible]

Tusci, ad dextram Tiberis ripam in Italia locatis, omnium Europæorum Primis certam cordi curæque fuisse Religionem, adeo constans inter Doctos convaluit opinio, ut Græci quidem eos sic dictos fuerint arbitrati, [illegible] [illegible], quod Dijs illi Immortalibus, acceptis ab ævo puriore, Deque, ut nonnullis videtur Populo ritibus sancte sacrificarent: quidam autem sic appellatos censuerint, ab *Thure*, quo, ut alijs etiam rebus, Sacra peragebantur: alij denique *Tusciam* dictam tradiderint, quasi Salutis Fontem: sic enim [illegible] in Lingua Sancta sonare. *Tusci* sane, ut ex infinitis Veterum Scriptorum constat Monimentis, summam olim habuerunt Divini Cultus peritiam & usum; eaque re omnes quomdam superabant Gentes; quamquam Dionysius jam tum ævo suo Studium id Divinorum adeo apud eos exolevisse scribat, ut cunctarum Nationum uni haberentur Sacrorum incuriosissimi.

Ab Tuscis [illegible] ad [illegible] Romanos.

Fontes apud Priscos *Etruriæ* Populos devote excitati sensim cum in vicinos & confinales Agros, tum in remotiora totius Europæ Arva feruntur dimanasse. Inter Conregionales erant *Romani*, qui post *Tuscos* nati proximi ijs habitabant ad ripam Tiberis interfluentis sinistram. Hi quantum illis in Sacrorum Solemnibus Ritibusq; tribuere consueverint, petere ab ijs in rebus dubijs Augurum Vatumque

Responsa

Responsa soliti, docent partim M. Tullius cum libro II de Nat. Deorum, tum in libris de Legibus, ubi inter alia sic inquit. *Prodigia, Portenta ad Etruscos & Haruspices, si Senatus jusserit, deferunto; Etruriaque Principes Disciplinam doceto; quibus Divi creverint, procuranto; iidemque Fulgura atque Obitua piando*: partim Historiæ de *Oleno Caleno*, apud Plinium lib. XXVIII cap. II, *Nævio Attio* apud Dionysium lib. III, Livium lib. I, Florum lib. I cap. V, Ciceronem lib. I. de Divinat. Valerium Maximum lib. I cap. IV, eumdem Plinium lib. XXXIV, Lactantium lib. II cap. VII: deque Aliis apud alios: Quod item Rerum Divinarum cognitionem ab iisdem *Romani* acceperint, testatur idem Cicero lib. I. de Divinatione, his verbis: *In Syria Chaldæi cognitione Astrorum solertiaque Ingeniorum antecellunt. Etruria autem de cœlo tacta scientissime animadvertit: eademque interpretatur, quibusque ostendatur Monstris atque Portentis. Quocirca bene apud Maiores nostros Senatus tum, quum florebat Imperium, decrevit; ut de Principum Filiis sex singulis Etruriæ Populis in Disciplinam traderentur, ne Ars tanta propter tenuitatem hominum à Religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæstum.* Eadem de re Valerius Maximus lib. I. Dictorum Factorumque Memorabilium cap. I: *Tantum autem Studium Antiquis non solum observandæ, sed etiam amplificandæ Religionis fuit, ut è florentissima tum & opulentissima Civitate decem Principum Filii S. C. singulis Etruriæ Populis, percipiendæ Sacrorum Disciplinæ gratia traderentur.* Auctior est apud Valerium numerus, quod quum initio *Sex* tantum, lapsu temporis auctis cum potentia Civibus, *Decem* ut mitterentur, fuerit decretum. Perdurarunt autem *Romani* aliquod sæcula in Rituum, quos ab *Etruscis* acceperant, puritate, Simplicitatis amantissimi. Reverenter suos Deos habebant. Non apud eos *Cœlus* decantabatur ab Filiis castratus; non *Saturnus* Filiorum Paricida & Carnifex: non *Jupiter* Patris insidiator: nulla apud eos audiebantur Deorum Bella, Vulnera, Cædes, Carceres, Servitutes: de quibus & pluribus plene Dionysius; concludens, priscis Romanorum Ritibus nil Diis indignum fuisse in usu. Docet idem auctor, cum primis cautum fuisse Romæ; *ne qui Dii reciperentur Peregrini, nisi quos Oracula accersere jussissent*, ut de *Idea Dea* memoriæ proditum; sed eam Romæ receptam, Veteres illos, ne errarent, ritu Phrygio patrioque, non Romano, coli voluisse: abhorruisse præterea summopere ab omni Fabularum genere, in quibus excogitandis facile principatum obtinebant Græci: Vidisse enim, & parum inde manare utilitatis, & illud incommodi ex Græcanicis Fabulis oriri, ut Turba maximaque Populi pars, rerum ignara, aut contemneret Deos, Sceleribus & Passionibus infames, Bonisque Viris & Fortibus omnino dissimiles, Pessimisque deteriores; aut, si illos probaret & timeret, libenter imitaretur. Aversabantur item omnem Religionum & Cerimoniarum confusionem. Cautum enim erat, Cicerone indicante, *Ne quis separatim Deos haberet; neve Novos, sed ne Advenas, nisi publice adscitos, privatim coleret.* Quemadmodum *Romani* ab *Etruscis*, sic *Etrusci* ab *Hebræis* suos Sacrorum Ritus acceperant: unde factum, ut præter unam Circumcisionem, nihil fere apud *Hebræos* reperiretur, quod non usitatum etiam fuerit, salvis Cerimoniis, quæ ubivis gentium diversæ utplurimum sunt, ab *Romanis*. De *Sabbato* testatur Dion libro Historiæ Romanæ XXXVII; ejus, quod apud *Judæos*, usum ad *Græcos Romanos*que fuisse translatum. Videre etiam est apud M. Tullium in Sacris Legibus, & apud Halicarnassæum in Regum Institutis, Diem Romæ fuisse sacram, Quieti dicatā Servitiorum & Animalium. Quum vero *Romani* paullatim à purioribus Initiis degenerassent, Græcarumque Fabularum, ex quibus primo Romana contaminari cœpit Theologia, accepissent commercia: receptos ab *Etruscis* Ritus non solum supra modum mutarunt; verum etiā errores erroribus cumulantes, alios commenti, incredibiliter auxerunt, adeo ut Commentarios, in quibus Numa Pompilius, Secundus Romanorum Rex, simpliciores ævi sui Sacrorum Ritus perscripserat, multis post ipsius mortem ætatibus in Monte Ianiculo repertos, necesse fuerit ex SC. publice comburi, ne quid inde curiosiora quorumdam ingenia sinisterioris contra factam Mutationem, quæ in Rebus Sacris maxime solet, ipsius Usus diuturnitate, habere locum, Suspicionis conciperent. Ut autem *Etrusci Latinis* in omnibus ad ipsissimam Simplicitatem; sic *Latini*, & sequuti ipsos *Romani* aliis, præcipue subjugatis *Italiæ* Populis & Civitatibus ad varios Sacris Præfectos & multiplices Sacrorum Ritus, fœcunda quadam seminatione, præiverunt:

post Simplicitatis amantissimos

postea contaminatores.

& ad stuporē omnium sibi gentes.

Sacro-

Sacerdotes varii, antiqui. *ab Euandro Arcade.* *sub Regibus.*

Sacrorum curam & administrationem, ut ad scopum tandem hujus Capitis convertar, ante Romuli principatum habuisse leguntur in Latio, *Luperci*, *Fanes Lycæi*, vel *Inui Sacerdotes*, *Cereris Græca Sacerdos*, quæ sine Viro ætatem transigebat; *Potitij* & *Pinarij*, *Herculis Sacerdotes*; omnes ab Euandro, Arcadum Rege, instituti; Solemnibus, ut quidam ferunt, ex Arcadia translatis. Accesserunt sub *Romanorum Regibus*, qui & ipsi Sacra quædam, scribentibus Dionysio lib. II & V Livioque lib. I & II, obibant, alij quales erant *Fratres Arvales* XII: *Sacerdotes Publici* LX: bini nimirum ex singulis Curijs, quæ XXX erant, omnes quinquagenario majores: *Augures* III, singuli ex singulis Tribubus, quæ tres erant Ramnensium, Tatiensium, & Lucerum; aucti temporis lapsu ad XV: *Haruspices* VIII: *Tribunus Celerum*; quem Romulus quidem instituerat, sed Numa fecerat *sacerdotem*: *Curiones* XXX, qui totidem Curijs præerant, quorumque primus *Curio Maximus* dicebatur, cujus auctoritate ceteri *Curiones* regebantur. *Sodales Titij* vel *Titienses*: *Flamines* XV; quorum tres *Majores* & *Patricij* vocabantur, quod semper ex eo ordine crearentur, *Dialis* Iovi sacer, *Martialis* Marti, *Quirinalis* Romulo vel Quirino; duodecim autem *Minores*, & *Plebei*: *Volcanalis* Volcano, *Carmentalis* Carmentæ, *Floralis* D. Floræ, *Palatualis* Deæ Palatuæ, *Falacer* Divo Patri Falacri, *Furinalis* Deæ Furinæ, *Volturnalis* Deo Volturno, *Virbialis* Deo Virbio id est Hippolyto, *Laurentialis* Accæ Laurentiæ, *Lavinalis*, *Ligularis* vel *Lucullaris*, & *Pomonalis* Deæ Pomonæ: *Flaminica* XV: *Vestales*; quas quatuor ab Numa factas duabus additis auxit Ser. Tullius, quarumque prima *Vestalis Maxima* audiebat: *Salij* XII, cum *Magistro Collegij Saliorum*: Marti sacrati; semperque ex Patricijs legi soliti: *Virgines Saliares*: *Feciales* XX cum *Patre Patrato*: qui Fœderum, Pacis, Belli, Induciarum, Oratorum Iudices erant: *Pontifices* XV, quorum quatuor initio Numa instituit, omnes Patricios, de Plebe quatuor adjecit anno ab V. C. CCCCLIV Lex Ogulnia, qui omnes *Majores* appellati, septem denique adpositis, qui *Minores* dicebantur, numerum ad XV auxit L. Cornelius Sulla Dictator: quorum unus Populi Romani suffragijs creabatur, ceteris prælatus, qui vocabatur *Pontifex Maximus*, omnibus Populi Romani Sacris Præfectus, inque omnes *Sacerdotes* maximam & supremam habens potestatem: *Salij Agonenses* vel *Collini*: & XV *Viri Sacris faciundis*, cum *Magistro*, qui Librorum Sibyllinorum curam gerebant. *Libera Republica.* His omnibus, Libera Rep. Regibusque exactis, additi sunt *Rex Sacrorum*, qui & Rex *Sacrificulus*, cujusque Vxor, *Regina Sacrorum*: *Sacerdotes Bonæ Deæ Feminæ*: *Galli Sacerdotes Deæ Cybeles* cum *Archigallo*: VII *Viri Epulonum*: II-*Viri Ædis locandæ, faciundæ, dedicandæ*: III-*Viri Ædibus Sacris, incendio consumtis, ædificandis*: III-*Viri Sacris conquirendis, Donisque persequendis*: *Sacerdotes Deorum singulorum*: *Antistites* denique, si & illi addendi, *Templorum singulorum*.

Sacerdotes Coloniarum, Municipiorum, Præfecturarum. Iam *Sacerdotes*, *Augures*, & *Pontifices* ex Vrbe in Colonias & Municipia (proculdubio & in Præfecturas) fuisse disseminatos, ibique cooptari solitos, patet ex Ciceronis Agraria. Habuisse & *Flamines* suos *Flaminicas*que testantur antiqua Marmora. Quin & ipsa *Etruria*, quæ quondam mater fuerat & prima ovili formatrix Religionis Romanæ, debellata suos etiam cum Sacris *Sacerdotes* ab Discipula vel mutuata est, vel suscipere fuit coacta. An vero certus Numerus *Sacerdotum* fuerit in Colonijs, Municipijs & Præfecturis, an vero pro ipsorum magnitudine variarit; parum explorata apud Antiquos est memoria.

Sublata sensim antiqua Romanorum Sacerdotia. Manserunt Romæ *Sacerdotes*, quos enumeravi, omnes, quamdiu stetit floruitque Respublica, & aliquot etiam ætates sub Imperatoribus. Prima Sublatio cœpit à *Pontificatu Maximo*. Quum enim, mortuo M. Æmilio Lepido, qui post cædem C. Iulij Cæsaris honorem hunc per vim invaserat, *Sacerdotium* illud suscepisset Augustus, ejusque exemplum sequuti fuissent Principes omnes Successores; decens rati, cum qui totius Imperij Possessionem adeptus erat, supremam quoque Divinarum Rerum Auctoritatem, quæ hoc *Sacerdotio* comprehendebatur, habere: Primus omnium Gratianus Imperator Edicto proposito (ut Zosimus docet) se *Pontificem Maximum* appellari vetuit: quamvis ante ipsius Principatum alij, Christianæ Religioni addicti, ut Constantinus, Constantius, Valentinianus, Valens & Gratianus id, Elogijs suis adscriptum, non fuissent adspernati: atque ita eius *Sacerdotij* dignitas abolita in Imperatoribus defecit: sic tamen, ut postea renata fuerit in Præsulibus Romanis. *Pontificem Maximum* sequuti sunt *Augures*, *Flamines* & *Flaminica*,

minicæ, *Virgines Vestales*, *Pontifices* ceteri *Maiores Minores*que; quos cum reliquis Vetustæ Superstitionis *Sacerdotiis Sacris*que sustulit circa annum cccxc Theodosius Imperator, nequidquam reclamante Senatu. Legendi Symmachus in Epistolis, & Ambrosius in Responsionibus. Diutissimi perseverarunt in Rep. Romana *Luperci*; quos omnium novissimos abolevit Gelasius Papa, Anastasio Imperatore & Theodorico Amalo Gothorum Rege in Italia regnante, circa annum ccccxcv. At vero qui qualesque remotis & abdicare jussis subrogati? Prævaluerat scilicet circa annum ccc Christiana Religio; cujus magnus jam cœperat esse ab Salvatore passo per Italiam quoque gustus. Exercendæ Sacrosanctæ CHRISTI Religionis veniam impetrarant Christiani ab Tiberio Imperatore, qui etiam ipse ad Senatum detulerat CHRISTVM Deorum numero adscribendum, cum prærogativa Suffragij sui, ut notat Tertullianus v Apologetico: sed Senatus, qui ipsum non probaverat, respuit. Nihil scilicet publice, absque Senatus Decreto, licebat: omnia privatim fiebant. Ecclesiæ divinitus collectæ, præter *Presbyteros* & *Diaconos*, suos habebant *Pastores*, doctrina, pietate, gravitate insignes, qui & *Dispensatores Mysteriorum* dicebantur, quod Verbum Domini docere, Sacramenta administrare, Disciplinam exercere ipsos oporteret: vocabantur & *Episcopi*, παρὰ τὸ ἐπισκοπεῖν, quod tamquam *Inspectores* Gregis commissi curam gerere eosdem deceret. Legebantur illi judicio Cleri Populique suffragio. Disserit ea de re Cyprianus in Epist. *Coram omni synagoga*, inquit, *jubet* DEVS *constitui Sacerdotem, ac ostendit Ordinationes Sacerdotales nonnisi sub Populi conscientia fieri oportere, ut Plebe præsente detegantur Malorum Crimina, vel Bonorum Merita prædicentur & sit Ordinatio justa & legitima, quæ omnium Suffragio & Iudicio fuerit examinata; estque hæc Disciplina divina*. Et lib. I. Epist. IV: *Diligenter*, ait, *de Traditione divina & Apostolica observandum & tenendum est, quod apud nos quoque, & per universas Provincias tenetur; ut, ad Ordinationes rite celebrandas, Præpositus ordinetur Plebe præsente, quæ singulorum Vitam plenissime novit, & uniuscujusque Actum de ejus Conversatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri Ordinatione; ut de universæ Fraternitatis Suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo apud vos Litteris fecere aut judicium, Episcopatus ei deferretur, & Manus ei in locum Basilidis imponeretur.* Sic idem ait lib. III. Epistol. XIII, *Cornelium* DEI *judicio, Cleri ac Plebis suffragio Episcopum ordinatum fuisse*. Erant autem illi inter se conjunctissimi. Testatur Basilius Epistola xv ad Neocæsar. *Episcopos Ecclesiæ Caritatis zelo adeo vehementi aliquot seculis præditos fuisse, ut in modum Coronæ uniti essent; quisque in Collegam suum Pædagogi & Ducis itineris Munus obibat. Episcopus Presbyterum, Presbyter Diaconum fraterne admonebat, & communi Consilio Ecclesiam regebant. Qui enim inter multos Presbyteros Episcopus dicebatur, tenebatur cum Presbyteris & Diaconis inire consilium, de iis, quæ ad Ecclesiæ gubernationem pertinebant: CHRISTVM, non Lucrum; Religionem, non Regionem; Episcopatus Onus, non Honorem; pro* DEI *Gloria Martyrium non otium, nedum Regnum Ecclesiæ Rectores tunc adsectabant: sed Doctrinæ & Disciplinæ Exercitio ita incumbebant, ut nihil aliud sibi ob oculos ponerent, quam in terra* DEO *servire fideliter, & pro ejus Confessione fortiter mori: postea que in Cœlo coronari. Delegati sunt igitur ex communi consensu Presbyteri multi in Pagos fideles operarij, qui amplam Domino Messem collegerunt.*

Commissi vero ipsis Greges quibus privatim publiceque fuerunt Moribus? Depingit paucis Plinius lib. x. epistola ad Trajanum: *Adfirmabant hanc fuisse Summam vel Culpæ suæ vel Erroris* (sic ille nominat Christianam Religionem) *quod essent soliti stato die ante lucem convenire, Carmenque* CHRISTO *quasi* DEO *dicere secum invicem; seque Sacramento non in scelus aliquod obstringere: sed ne Furta, ne Latrocinia, ne Adulteria committerent, ne Fidem fallerent, ne Depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum Cibum, promiscuum tamen & innoxium, quod ipsum facere desiisse post Edictum meum* &c. Pluribus hæc Tertullianus, cui in Antiquitate Ecclesiastica plurimum est tribuendum, diffundit, infinitis locis, præcipue vero in Apologetico contra Gentes, & lib. II ad Vxorem. Ex eo sane discimus, *Veteres illos Christianos non prius discumbere solitos, quam ad* DEVM *Preces fudissent: tantum Cibi cepisse, quantum esurientibus satis esset; tantum Potus, quantum sobriis expediret: ita saturari consuevisse, ut memoria tenerent, etiam per noctem sibi esse surgendum ad nocturnos Conventus celebrandos; in quibus conveniebant ad Divinarum Scripturarum Institutionem, orabantque pro Imperatoribus*, CHRISTI *Hostibus; Vitam illis diuturnam* precantes

Subsecuti sunt meliore fato.

præter Presbyteros & Diaconos.

Episcopi.

ab Clero Populoq; lecti.

Summa ipsorum inter se conjunctio.

Quales ipsorum Greges.

ſime perſequutus eſt Iſidorus libro de Eccleſiaſticis Officijs, cap. XI. Alij *Pſalmiſtæ* ſive *Cantores* nominabantur, qui iuſſu *Epiſcopi* vel *Presbyteri* Cantandi munus obibant, & alijs præcinebant. Pij enim in Eccleſiaſticis Conventibus, uti paret ex Tertulliano & Plinio, Hymnos DEO canebant, inſigni cum Religione & Reverentia: non tantum ut DEO gratias agerent; ſed ut in adflictionibus Conſolationem, Fortitudinem, & Auxilium divinum implorarent. Erant denique *Exorciſtæ*, *Subdiaconi*, *Oſtiarij*. Epiſcopo non licebat ſuam Eccleſiam deſerere, neque in aliam tranſire, niſi id cum Eccleſiæ conſenſu & multorum Epiſcoporum iudicio ad DEI gloriam promovendum fieret: quod poſtea in Canonem fuit relatum, uti docent Acta Concilij Antiocheni. Epiſcopo etiam peregre proficiſci non licebat, & in aliena Eccleſia verſari abſque litteris commendatitiis Presbyterij, quibus Cauſſæ Peregrinationis ſuſceptæ exponebantur. Ad Dogmata vero Pietatis & Diſciplinæ explorandum, Conſenſumque in illis retinendum, Epiſcopi & Presbyteri multarum Eccleſiarum bis ſaltem in anno conveniebant, ut communi conſilio & conſenſu Opus Domini promoverent teſtantibus illud plene Actis Conciliorum Ancyrani & Neocæſarienſis, quæ quum Perſequutionibus ſæviretur, fuerunt celebrata.

Pſalmiſtæ vel Cantores.

Exorciſtæ, Subdiaconi, Oſtiarij.

Latum lapſu temporis in Concilijs, ut inter multos eiuſdem Provinciæ vel Regionis Epiſcopos eligeretur unus, qui *Archiepiſcopus* vel *Primarius Epiſcopus* diceretur; penes quem inter alia eſſet, Coepiſcopos in Synodum Provincialem convocare, non generalem: illam enim ſolus Imperator auctoritate ſua indicebat.

Archiepiſcopi.

Fuit autem *Præſulum Romanorum*, trecentorum fere annorum curriculo, uſque ad Conſtantini Magni tempora, Conditio ſi rerum humanarum ſpectetur ſplendor, miſerrima. Multi Tyrannide ſunt oppreſſi. Paucos indicabo. *Cornelius* ſub Vibijs Tribonianis Gallo & Voluſiano capite eſt truncatus: *Caius Salonenſis Dalmata*, una cum Fratre *Gabinio*, ſub Diocletiano & Maximiano Martyrio in Cryptis, in quibus vitandæ Perſequutionis cauſſa latitarat, eſt adfectus; ut & ſucceſſor ipſius *Marcellinus*; qui, acta Pœnitentia, quod Dijs Gentium metu Mortis ſacrificaſſet, in fide CHRISTI ardentius perſiſtens, & Sacrificia Gentium deteſtans, iuſſu Maximiani capitis ſubijt ſupplicium. *Marcellus* ab Maxentio in Piſtrinum eſt coniectus; quo in opere ipſe mox nudus & vix cilicio tectus, miſere exſpiravit. Alios prætereo. Nam Martyrium ob adſertionem conſtantis in CHRISTUM Fidei ſubijſſe loquuntur Hiſtoriæ *Præſules* propemodum omnes *Romanos*, uſque ad Conſtantinum Magnum Imperatorem. Hic, parta veri Numinis ope contra Maxentium Victoria, Primus eos ex tenebris eduxit in luminis oras, quum antea in Cryptis fere latitarent, & nocturnos Conventus propter Tyrannorum Perſequutiones colerent. Ornatam inſigni huius beneficio (non loquor de Donatione, quam non veram eſſe probarunt non pauci) Vrbem & Eccleſiam Romanam, Templiſque inſtructam magnificis, & Nicæni Concilij Legibus temperatam, ſuis reliquit Silveſter Succeſſoribus, quorum anceps poſtea variaque fuit conditio. *Liberius* enim in Concilio Mediolanenſi damnatus fuit, & in exſilium poſtea pulſus. *Felix* II in locum *Liberij* exſulis factus eſt Epiſcopus: ſed *Liberium* Imperatoris Conſtantij Arriani iuſſu liberatus *Felicem* loco movit. *Damaſus* cum *Vrſicinio* ab Schiſmaticis Epiſcopi ſunt deſignati, magno motu in Vrbe concitato. Quum vero Alaricus Gothorum Rex Romam obſidione premeret, *Innocentius* ad Honorium Imperatorem eſt miſſus, ut de Pace componenda cum Hoſte ageret: poſtea *Bonifacius* & *Eulalius* in Comitiis Schiſmaticis Epiſcopi ſunt electi. *Xiſtus* Præſul varijs iiſque capitalibus oneratus Criminibus vix legitur ſolutus. Talis fuit *Epiſcoporum Romanorum* ab *Silveſtro* ad *Xiſtum* uſque, emenſo vix centum annorum curriculo, Status; turbulentus ſane & dubius. Quid Vrbis & Eccleſiæ quæ fuit conditio? Alarico primum ad inducias pacis confirmandas quadraginta Librarum millia fuerunt perſolvenda: ſed poſtquam ab illo obſeſſa fuit Civitas, ingens eam Fames oppreſſit, Famem crudelis Peſtilentia excepit; quumque paſſim omnia Cadaveribus implerentur, quod more ſolito extra Vrbem recondi non poſſent, Lues ipſa dira odoris fœditate ingeminata eſt, Plebſque, ſtimulante Fame, in ſeipſam ſævire cœpit: & (quod horrendum dictu eſt) ab Romanis Gentilium Sacrificia (quæ, & omnes Antiquorum Superſtitiones aboleverat iam Coſtantinus, magnam partem: nam omnia, nec Ipſe, nec Succeſſores potuerant, manentibus adhuc multis veteri Superſtitioni obligatis; neque

Præſulum Romanorum miſerrima primis annis conditio,

Conſtantini Magni beneficio melior,

anceps tamen ſæpe & varia.

forte voluerunt, nimiam hic Violentiam avorsati, unde hodieque Rituum Cærimoniarumque Veterum non pauca in Ecclesijs Romanis superant) sunt repetita, Senatusque in Capitolio Idolis sacrificavit; à quibus se conservari posse existimabat. Neque ita *Romani Episcopi* post Constantinum Imperatorem caput exerere potuerunt, ut non eorum multi varijs calamitatibus fuerint iactati. Notæ sunt Historiæ cum aliorum, tum *Silverij Pelagijque*, quorum ille, capta Vrbe, proditionis suspectus in exsilium est pulsus: hic, eius Successor, accusatus apud Iustinianum Imperatorem, quod *Sylverium* Antecessorem suum abdicandum curasset, & manus ei intulisset, comprehensus Principis mandatu in Græciam captivus est amandatus: Constantinopoli vero percussus alapa, fugit in Templum D. Euphemiæ, & columnam inibi amplexus est: sed inde abreptus, perque totam urbem tractus, clamante Plebe, *Ecce Homicida, advenit Dominator Dominus*, atque in Carcerem coniectus, modico pane & aqua vitam misere tolerare est coactus. Quum vero Iustinianus, Cleri Romani precibus flexus, *Vigilium* dimisisset, & is in Siciliam Romam cogitans pervenisset, vitam ibi finivit, non sine mortis violentæ suspicione, qua *Pelagius*, qui ei successisset, est oneratus. Quo vero loco res fuerint *Episcopi Romani*, Mauricij Imperatoris tempore, testatur Epistola Gregorij I ad Constantiam Imperatricem: qua conqueritur se per annos XXVII inter Langbardorum vixisse gladios, illisque non *Episcopum*, sed *Sacellarium* fuisse. Cum hujusmodi igitur tempestatibus conflictati sunt sexcentos annos *Antistites Romani*: quos eleganter cum sui seculi *Pontificibus Maximis* committit Poeta, qui temporibus scripsit Hadriani IV P. M. Is inter alia:

Cogitet antiquos primævi temporis annos,
Prateritosque dies & secula prisca revolvat:
Num Petrus, aut Clemens, num cetera turba piorum
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore prisco
Pauper erat Præsul: regali munere crevit;
Nec tamen ut Fasces, & Regni iura Latini
Vel dare præsumat, vel cuiquam tollere possit.

Pontifex Maximus,

Pontifices Maximos nominavi. Nam Nomen illud iamdiu Gratiani Imperatoris Decreto sepultum, post annum circiter CCXXV renasci cœperat. Testis est Paullus Diaconus libr. XVIII ad Petitionem *Bonifacij* Phocam, qui Mauricium Imperatorem, Dominum suum, cum omni Prole proditorie exstinxerat, & Imperium invaserat, statuisse, ut Sedes Romanæ Ecclesiæ Caput esset omnium Ecclesiarum: *quia*, inquit, *Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat.* Sic *Romanus* Vniversalis & omnium Episcoporum Princeps, alijs frustra renitentibus, est designatus.

Cardinales,

Proximi *Pontificibus* in Ecclesia Romana sunt hodie *Cardinales*, qui unde sic dicti, quando cœperint, quibusque modis pauci initio ad numerum, qui iamnunc est, excreverint, docent abunde alij, præcipue Onuphrius in eo, quem scripsit *de Cardinalium Origine*, alioque *de Episcopatibus, Titulis & Diaconiis Cardinalium.* Dignitas eorum maxime celebrari cœpit ex Decreto quodam Concilij Sutriensis, anno CIƆLIX. Quum autem circa annum CIƆ CCLXXVII potentissimus Imperator Fridericus II (uti Platina refert) Innocentij IV & Confœderatorum armis in Parmæ obsidione insigni clade adfectus esset, Victor Pontifex voluit, ut Galero rubro in posterum *Cardinales* uterentur; utque, quemadmodum Purpura Antiquis Imperatoribus Imperatoriæ Potestatis tessera erat, sic Pileus coccineus splendorem *Cardinalibus* adferret, qui progressu temporis *Archiepiscopis* & *Episcopis* sunt prælati. *Cardinalium* cognomen usurpant in Ecclesia Romana tres *Clericorum* Ordines, *Presbyteri*, *Diaconi*, & sequuti illos multo post tempore *Episcopi*, *Presbyteri Cardinales* omnium censentur antiquissimi. Præerant illi *Titulis*. *Tituli* nihil aliud quam Templa, Ecclesiæ, Loca Sacra in Sanctorum memoriam erecta, & per Vrbis Regiones ab Romanis Præsulibus distincta; in quibus animarum cura a *Presbyteris*, qui in ijs commorabantur, habebatur. *Presbyteri* autem hi *Cardinales* dicebantur, quasi Principales, similitudine à quatuor Ventis, ut quidam volunt, Cardinalibus, id est principalibus, deducta,

eorum tres ordines. vel Presbyteri.

du^a. Quum enim in unoquoque *Titulo* plures essent *Clerici*, qui Sacramenta Populis exhiberent, vel exhibentibus praesto essent, ut *Presbyteri*, *Diaconi*, *Subdiaconi*, is, qui omnibus praeerat *Presbyter*, ab ceteris *Clericis* illius *Tituli*, dicebatur *Cardinalis* quod reliquis dignior principaliorve esset in eo *Titulo* commorantibus, ceterosque *Clericos* regeret vel gubernaret in *Titulo* ipsi commisso viventes. Huiusmodi *Tituli* propter Christianorum paucitatem initio pauci fuerunt: qui, crescente quotidie Fidelium numero, auxerunt ad XXVIII. Hic numerus ad Avorum nostrorum tempora semper mansit. Veteres XXVIII *Titulos*, qui ante CIↃC annum in Vrbe fuerunt, hos in Actionibus Synodi Romanae, quae sub Symmacho celebrata, & apud Anastasium Bibliothecarium lego.

I *S. Iulij*; alias, *S. Callisti*: alias, *SS. Iulij & Callisti*: alias, *Callisti*; item *S. Mariae Trans-Tiberim*.
II *S. Chrysogoni Trans-Tiberim*.
III *S. Caeciliae Trans-Tiberim*.
IV *S. Anastasiae sub Palatio*.
V *Damasi*; alias, *SS. Laurentij & Damasi*: alias, *S. Damasi*: item *S. Laurentij in Damaso*.
VI *S. Marci ad Palatinas*.
VII *Equitij*: alias, *S. Silvestri*; alias, *SS. Silvestri & Martini*: alias, *S. Martini in Montibus*.
VIII *S. Sabinae in Monte Aventino*.
IX *S. Priscae in Monte Aventino*: alias, *SS. Aquilae & Priscae*.
X *S. Crescentianae*.
XI *Fasciolae*.
XII *S. Cai*.
XIII *S. Marcelli*.
XIV *S. Susannae ad duas domos*: alias, *SS. Gabinij & Susannae*.
XV *Basilica SS. XII Apostolorum*; alias *Titulus SS. Apostolorum Philippi & Iacobi*: Verum haec Ecclesia posterioribus temporibus, sola inter has XXVIII, *Basilica*, non *Titulus* dicta est.
XVI *S. Cyriaci in Thermis Diocletiani*.
XVII *S. Eusebij*.
XVIII *Pastoris*; alias, *S. Pudentis*: alias, *S. Pudentianae*.
XIX *Vestinae*; alias, *S. Gervasij S. Protasij*; alias *S. Vitalis*.
XX *S. Matthaei in Merulana*.
XXI *S. Clementis*.
XXII *S. Praxedis*.
XXIII *Eudoxiae*: alias, *S. Petri ad Vincula*.
XXIV *Lucinae*: alias, *S. Laurentij in Lucina*.
XXV *S. Aemilianae*.
XXVI *S. Nicomedis*.
XXVII *Pammachij*; alias, *SS. Ioannis & Paulli*.
XXVIII *Tigridae*.

Noti sunt hodieque omnes, exceptis septem, *S. Crescentianae*, *Fasciolae*, *S. Cai*, *S. Matthaei in Merulana*, *S. Aemilianae*, *S. Nicomedis*, & *Tigridae*. pro quibus in Actione Synodi Romanae sub Gregorio Papa I celebratae & apud Anastasium Bibliothecarium Septem alij leguntur repositi, *S. Balbinae in Monte Aventino*, *SS. Nerei & Achillei*. *S. Xysti*, *SS. Marcellini & Petri*, *S. Crucis in Hierusalem*, *S. Stephani in Monte Caelio*, & *SS. Quatuor Coronatorum*. Qui omnes adhuc durant uno excepto *S. Cyriaci in Thermis Diocletiani*, qui quum prae vetustate corruisset, Templo solo aequato, *Titulus* ab Xysto IV ad *Ecclesiam SS. Quirici & Iulitae* translatus est; ubi & nunc quoque manet. Videamus porro, quur neque plures, neque pauciores *Tituli* simul fuerint instituti. Veteres Romani Pontifices, uti patet ex libro Camerae Apostolicae, qui appellatur Provincialis, quinque in Vrbe Roma maiores & praestantiores *Basilicas*, vel iam fabricatas eligentes, vel novas fabricantes, *Patriarchales Ecclesias* appellarunt, Palatiaque illis adiuncta *Patriarchia*. Fuerunt eae, I *Basilica Lateranensis*, quae & *Constantiniana*, alias *S. Salvatoris*, item *S. Ioannis* est appellata; II *Basilica S. Petri in Vaticano*; III *Basilica S. Paulli extra muros Vrbis*, Via Ostiensi: IV *Basilica S. Mariae Maioris*, alias *ad Praesepe*: V *Basilica SS. Stephani & Laurentij extra Muros Vrbis*, Via Tiburtina. Is numerus placuit ob quinque praecipuos orbis *Patriarchas*, *Romanum*, *Constantinopolitanum*, *Alexandrinum*, *Antiochenum* & *Hierosolymitanum*: ut quoties contigisset Generalia Concilia in Vrbe celebrari, ad quae accedere *Patriarchae* ipsi tenebantur, vel *Patriarchas* ipsos pro arduis Reip. Christianae negocijs diffiniendis ad Vrbem venire, eorum unusquisque Sedem, Palatium videlicet & Ecclesiam, tamquam in Natali solo, vel Provincia sua, Romae haberet praecipuam, quum ipsa Vrbs communis totius Orbis Patria appellaretur. Prima Basilica *Patriarchalis Romanam Ecclesiam*

clesiam repræsentat, ipsa *Romani Pontificis* quomdam Sedes, ubi olim in *Patriarchio*, quod iuxta eamdem Ecclesiam, per mille annos est commoratus, ad Clementis V usque Pontificatum, qui in Gallias Romanam Curiam transtulit; post cuius ad Vrbem reductionem sub Gregorio XI Romani Pontifices non amplius ad Lateranum, sed in *Patriarchio* prope S. Petrum permanserunt. Huic *Lateranensi* propter excellentiam septem *Episcopi* ex circumvinis Civitatibus sunt adsignati, qui suis statis solemnibusque diebus singuli coram *Romano Pontifice* in eadem Ecclesia celebrarent divina Mysteria, vel Pontifici celebranti adsisterent, atque eam ob caussam postea *Episcopi Cardinales*, id est principales, quod huic Ecclesiæ & *Romani Pontificis* ministerio adscripti essent, appellari cœperunt. Sunt illi: I *Episcopus Cardinalis Ostiensis*, qui solus inter omnes Episcopos in Romani Pontificis Consecratione (hæc enim ad eum pertinet) pallio utitur; II *Episcopus Cardinalis Portuensis*; III *Episcopus Cardinalis SS. Rufinæ & Secundæ*, alias *Silvæ Candidæ*; IV *Episcopus Cardinalis Sabinus*: V *Episcopus Cardinalis Prænestinus*; VI *Episcopus Cardinalis Tusculanus*: VII *Episcopus Cardinalis Albanus*. Secunda Basilica *Patriarchalis* typum gerit Orientis vel Ecclesiæ Constantinopolitanæ: Et adsignati sunt septem *Presbyteri Cardinales*, quod minoris esset dignitatis, quam Basilica *Lateranensis*, in qua erant *Episcopi*: Fuerunt autem: I *Presbyter Cardinalis Tituli S. Mariæ Trans-Tiberim*: II *Presbyter Cardinalis Tit. S. Chrysogoni*: III *Presbyter Cardinalis Tit. S. Cæciliæ*; IV *Presbyter Cardinalis Tit. S. Anastasiæ*, V *Presbyter Cardinalis Tituli S. Laurentij in Damaso*; VI *Presbyter Cardinalis Tit. S. Marci*; VII *Presbyter Cardinalis Tit S. Martini in Montibus*. Tertia Occidentem vel Ecclesiam Alexandrinam repræsentat, cuius Ministerio septem adsignati sunt *Presbyteri Cardinales* Titulorum, I S. *Sabinæ*: II S *Priscæ*: III S. *Balbinæ*: IV *SS. Nerei & Achillei*: V. *Xysti*: VI *S. Marcelli*: VII *S. Susannæ*. Quarta Septemtrionem vel Ecclesiam Antiochenam designat: eius obsequio adtributi sunt septem *Presbyteri Cardinales*, I *Basilicæ* SS. XII *Apostolorum*, II *S. Cyriaci in Thermis*: III S. *Eusebij*: IV S. *Pudentianæ*: V S. *Vitalis*: VI SS. *Marcellini & Petri*: VII S. *Clementis*. Quinta denique Meridiem vel Hierosolymitanam Ecclesiam refert, cui datos constat reliquos septem *Presbyteros Cardinales*, I S. *Praxedis*; II S. *Petri ad Vincula*: III S. *Laurentij in Lucina*: IV S. *Crucis in Hierusalem*; V S. *Stephani in Monte Cælio*: VI SS. *Ioannis & Pauli*: VII SS. *Quatuor Coronatorum*. *Episcopi* igitur VII, *Presbyteri* vero XXVIII iuncti, erunt XXXV, *Cardinales* Sacerdotes; quibus accedentes XVIII *Diaconi*, de quibus dicam, numerum conficiunt LIII. Mansit autem integer XXVIII *Presbyterorum Cardinalium* numerus, ut notat Pandulphus Pisanus in Vita Gelasij II, usque ad Honorij II Pontificatum, annumque Christi CIↃ CXXV: quo tempore supra modum labefactari cœpit, atque adeo imminui, ut tempore Nicolai III tres tantum fuerint *Presbyteri Cardinales*. Post rursum sensim incrementum adquisivit. In Constantiensi Concilio cautum est ne plures, quam XXIV. *Cardinales* viventes simul essent. Primus Xystus IV, nulla habita Concilij, quod nominavi, ratione, numerum *Cardinalium* supra omnes ampliavit: sequutus eum est Alexander VI: ita tamen ut numerum LIII non excesserint. Omnium Romanorum Pontificum Leo X primus, neglecta antiqui instituti ratione, Veterem LIII numerum in magna illa XXXI *Cardinalium* creatione superavit. Nam sub illo plus minus LXV *Cardinales* simul viventes fuerunt. Eius exemplum sequuti sunt Paulli duo, III & IV. Quum igitur *Presbyteri Cardinales* numerum XXVIII excederent, novis etiam fuit opus *Titulis*, qui per diversos Pontifices fuerunt facti. Primus post CIↃ annorum intervallum Xystus IV novum *Titulum* addidit anno CIↃ CCCCLXXVII S. *Nicolai inter Imagines* prope Amphitheatrum sive Colosseum. Secundus Leo X in magna illa XXXI *Cardinalium* Creatione, anno CIↃ IↃXVII antiquissimum Titulum S. *Matthæi in Merulana*: qui per mille, & qui excurrunt, annos *Titulus* esse desierat, restituit, XI alios novos *Titulos* fecit, I. S. *Ioannis ante Portam Latinam*: II *S. Cæsarij in Palatio*; III *S. Agnetis in Agone*; IV *S. Apollinaris*; V *S. Laurentij in pane & perna*; VI *S. Silvestri in Campo Martio*: VII *S. Thomæ in Parione*; VIII *S. Pancratij*: IX *S. Callisti*: X *S. Bartholomæi in Insula*, alias *inter Pontes*; XI *S. Mariæ de Capitolio* alias *de Ara Cæli*. Tertio Papa Iulius III anno Christi CIↃ IↃLI tres novos adiunxit *Titulos*, I *S. Mariæ in Via*; II S. *Barbaræ*: III S. *Simeonis*. Novissime Paullus IV anno CIↃ IↃ LVII *Titulum* novum adposuit, *S. Mariæ super Minervam*. *Titulis* igitur XVII

facti

facti Novi unus ab Xysto IV, duodecim ab Leone X, tres ab Iulio III, unusque à Paullo IV, compositi cum XXVIII Antiquis, erunt omnino XLV. *Presbyterorum* autem *Cardinalium* antiquissimus appellari solitus est S. R. E. *Archipresbyter Cardinalis*. Hæc de *Presbyteris*.

Diaconi initio septem singuli binis Vrbis Regionibus præerant. Ex ijs Primus lapsu temporis *Archidiaconus*, vel *Diaconus Cardinalis*, id est Principalis cœpit appellari. Is antiquissimis temporibus, uti liquet ex Actionibus Synodi Romanæ sub Silvestro I celebratæ unus tantum fuit. Quum autem Fidelium numerus indies cresceret, statutum fuit, ut in singulis Vrbis Regionibus singuli essent *Diaconi*; sicque XIV sunt facti: quorum Primus dicebatur *Archidiaconus* vel *Diaconus Cardinalis*. Augente magis magis Christiana Religione, plures in unaquaque Regione *Diaconi* incertiore numero creari cœpit; quorum dignissimus *Diaconus Cardinalis* ab ceteris eiusdem Regionis Clericis est nominatus: qua ratione factum, ut XIV postea pro Regionum numero *Diaconi Cardinales* fuerint. His aliquot post annis quatuor additi sunt alij *Diaconi Cardinales*: quorum unius tantum erat Lateranensi Basilicæ ministrare. sicque XVIII numerus est expletus: quum semel solus omnium Romanorum Pontificum excessit Paullus III. Sub eo namque anno CIↃ IↃ XLV *Diaconi Cardinales* XIX viventes fuerunt. Quemadmodum enim XXVIII *Presbyteris Cardinalibus*, sic XVIII *Diaconis* fixus & præscriptus fuit numerus: qui eadem ratione, & eodem tempore quo *Presbyterorum*, paullatim post Honorij II Pontificatum adeo diminutus est, ut non nisi tres *Diaconi Cardinales* viventes aliquando fuerint, quod tempore creationis Nicolai IV animadversum. Postea sensim, uti de *Presbyteris* dictum est, augere cœpit. *Diaconias* XVIII, id est Ecclesias seu Templa ipsis adsignata, his nominibus expressas invenio: vel Diacon.

I *S. Mariæ in Dominica*, ubi manebat Archidiaconus.
II *S. Luciæ in Circo* iuxta Septi-solium, quæ nunc est vetustate consumta.
III *S. Mariæ Novæ*.
IV *SS. Cosmæ & Damiani*.
V *S. Hadriani*.
VI *SS. Sergij & Bacchi*.
VII *S. Theodori*.
VIII *S. Georgij in Velabro*.
IX *S. Mariæ in Cosmedin*, alias *Schola Græca*.
X *S. Mariæ in Porticu*.
XI *S. Nicolai in Carcere Tulliano*.
XII *S. Angeli in Piscina*.
XIII *S. Eustachij iuxta Pantheum*.
XIV *S. Mariæ in Aquiro*.
XV *S. Mariæ in Via Lata*.
XVI *S. Agathæ in Equo Marmoreo*.
XVII *S. Luciæ in Silice*, alias *Capite Suburæ*, alias *Orphea*.
XVIII *SS. Viti & Modestæ in Macello Martyrum*.

Hæ semper fuerunt: & numquam, vel additis Novis, vel Antiquis sublatis mutatæ; usque ad Leonis X Pontificatum, qui Primus omnium Romanorum Pontificum *Diaconiam* unicam Novam adiunxit, *S. Onuphrij in Vaticano*.

Novissimi omnium *Episcopi Cardinalis* cognomen sunt adepti hac ratione. Quum septem ex circumvicinis *Episcopis* Laterani vel celebrantes, vel Romano Pontifici celebranti ministrantes, idem ibi munus haberent, quod *Presbyteri Cardinales* per ceteras quatuor Basilicas Patriarchales, indecens videbatur, *Episcopos* hos non æque ac *Presbyteros*, *Cardinales* dici. Antecedunt hi omnes, quocumque terrarum sunt loco, *Episcopos non-Cardinales*, quin & *Archiepiscopos* & *Patriarchas*: quod sequius erat antiquis temporibus; quum, Titulo *Cardinalis*, nihil Dignitatis dante, eos tantum præcederent, qui post ipsos fuerant creati. Sunt illi, ut antea obiter indicavi: vel Episcop.

I *Ostiensis*, cui Ecclesia unita fuit Veliterna.
II *Portuensis*.
III *SS. Rufinæ & Secundæ*, alias *Silvæ Candidæ*.
IV *Sabinus*.
V *Prænestinus*.
VI *Tusculanus*.
VII *Albanus*.

Septem *Episcopis Cardinalibus* varias ob caussas alij aliquando additi leguntur Episcopi: ut sub Leone IX & Paschali II *Episcopus Cardinalis Veliternus*; sub Clemente III Antipapa & Vrbano II *Episcopus Cardinalis Nepesinus*: sub eodem Vrbano II *Labicanus*: sub Pascali II *Parmensis*: sub Innocentio II *Archiepiscopus Pisanus*, *Episcopi Mutinensis, Ortanus & Tiburtinus*. novissime sub Leone X *Reatinus*, & iterum *Tiburtinus*, quum *Ecclesias Sabinam & Prænestinam*, quam ab Iulio II habuerant, restituisset idem Leo X, *Episcopis Cardinalibus* duobus ab Iulio II privatis. Quum autem *Ecclesia SS. Rufinæ & secundæ*, alias *Silvæ Candidæ*, deficientibus propter crebras Barbarorum Incursiones Incolis, ab Callisto II *Portuensi* esset adiuncta, non nisi sex *Episcopi Cardinales* ordinarij fuerunt, qui numerus post Innocentij II Papæ tempora perduravit, ut non essent plures quam sex *Episcopi Cardinales* viventes; præsertim quum *Ecclesia Veliterna*, quæ eum honorem aliquando habuerat, *Ostiensi* ab Eugenio III sit adiuncta; & *Tiburtina* eo honore privata remanserit usque ad Leonem X; à quo necessitate flagitante, cum *Reatina*, semel tantum *Cardinalis* facta fuerit *Ecclesia*: verum necessaria caussa sublata, utræque *Ecclesiæ Cardinales* esse desierunt sub eodem Leone. Reliquæ vero *Ecclesiæ*, quas *Cardinales* appellatas fuisse aliquando legimus, numquam postea eum honorem habuerunt, quum eum non habuerint ordinarie, sed necessitatibus quibusdam exigentibus. Quemadmodum vero Primus *Presbyterorum Cardinalium Archipresbyter*, *Diaconorum* autem *Archidiaconus* appellabatur; sic antiquissimus *Episcoporum Cardinalium* olim *Prior Episcoporum Cardinalium*, posterioribus vero temporibus *Collegij Decanus* nominatus est. Is autem semper fuit antiquissimus, qui *Episcopus Cardinalis* ordinatus erat, sive is esset *Albanus*, sive *Prænestinus*, sive *Tusculanus*, vel alius quilibet ex *Episcopis Cardinalibus*: unde pauci admodum *Decanorum Collegij* per quadringentos & quinquaginta annos fuerunt *Episcopi Ostienses*, quod non semper *Episcopus Ostiensis Episcoporum Cardinalium* fuerit antiquissimus. Primus autem Paullus IV instituit, ut non is *Decanus* haberetur, qui absolute Antiquissimus esset *Episcoporum Cardinalium*; sed qui moriente Decano antiquissimus esset ex *Episcopis Cardinalibus* in Vrbe præsentibus. Absentium enim nullam voluit haberi rationem, nisi Ecclesiæ caussa essent absentes.

Sic se habet in ipsa Vrbe Roma Latioque Ecclesiastica Gubernatio, quæ vires suas in magnam hodie Terrarum Orbis partem extendit, præsertim in *Italiam* reliquam, suos habentem *Archiepiscopos*, quibus sui subsunt *Episcopi Suffraganei*. In *Archiepiscopis* enumerandis eum sequar ordinem, quo postea in *Italia* mea delineanda absolvendaque sum usurus: In *Episcopis* recensendis Alphabeticum. Sic non facile peccabo: qui namque quibus præponendi, nondum mihi liquet. Nomina quidem habeo, sed legitima deest enumeratio, quum ad manum non sit Provinciale Romanum. Quibusdam etiam Gradus adscripsi cum Longitudinis, tum Latitudinis; ut facilius ipsorum Stationes in Tabulis Geographicis possint inveniri. Non enim perpetuum, ut in qua Regione suam habet Sedem *Archiepiscopus*, in eadem necessario sint omnes eius *Suffraganei*.

Archiepiscopi Episcopique Liguriæ Genuensis.

In Liguria igitur IANVENSI *vel* GENVENSI, *Genoa*, 31,8:43,10, *suffragantur:*

I Acciensis, 30,27:43,42, *Aich.*
II Albigavensis, 30,22: 42,51, *Albenga vel Arbenga.*
III Aprumacensis *vel* Brumacensis.
IV Bobiensis, 30,12:43,42, *Bubio.*
V Metenensis, *vel* Maranensis.
VI Naulensis, 30,28:43,10, *Noli.*
VII *Extra Italiam in Corsica* Nubiensis *vel* Nebiensis: 31, 45; 41, 30: *Nebio.* Mebiensis Episcopi *frequens est memoria in Conciliorum opere: corrupte procul dubio pro* Nebiensi.

In

In Etruria FLORENTINO, *Fiorenza*, 33, 53; 43, 8:

Etruriæ, Florentinus,

I Aretinas,34,50;43,5,*Arezzo*.
II Balneorigensis.
III Bientinensis,33,22;43,1,*Bientina*.
IV Binensis.
V Castellanensis,35,49. 42,11,*Civita Castellana in Tuscia*.
VI Castellanus,35,17; 43,6,*Civita di Castello in Vmbria*.
VII Castrensis,35,0:42,2,*Castro*.
VIII Civitatensis, 36, 3: 42, 3, *Civitella*.
IX Corneti,*vel* Cornetanensis,35,13:41,48,*Corneto*.
X Cortonensis,35,2:42,58,*Cortona*.
XI Fesulanus,33,51:43,13,*Fiezole*.
XII Lucæ *vel* Lucanus, 33, 2; 43, 2, *Luca*.
XIII Montis-Falconis,35,22;42,12, *Monte Fiasconi*.
XIV Nepesinus,35,47:41,59,*Nepe*.
XV Ortanensis,35,40:42,19,*Orti*.
XVI Perusinus,35,37:52,54,*Perugia*.
XVII Pistoriensis, 33, 22; 43, 19, *Pistoia*.
XVIII Sutri,35,41:41.57,*Sutri*.
XIX Tuscanensis, 35. 16; 42, 0,*Toscanella*.
XX Viterbiensis,34,28:42,6,*Viterbo*.
XXI Volaterranus, 33, 43; 42, 44, *Voltara*.
XXII Vrbevetanus, 35, 12; 41, 37, *Civita Vechia*.
XXIII Zarzanensis,*vel* Lunensis, 32.25; 43,8,*Serezana*.

Ibidem, PISARVM, 33, 6; 24, 52, *Pisa*:

Pisanus.

I Massanensis,33,53;42,24,*Massa*:

Extra Italiam, in Corsica,

Senensis,

I Aiacensis,31,9;40,40,*Aiazzo*.
II Alariensis,32,20;41,15,*Aleria*.
III Marianæ,32,15;41,30,*Mariano*.
IV Sagonensis,31,36;40,42,*Sagona*.

Ibidem, SENENSI, 34, 18; 42, 44, *Siena*;

I Clusinensis *vel* Clusinus, 35, 8; 42,41, *Chiusi*.
II Grossetanus,*vel* Crassetanensis, 34, 7: 42,10,*Grosseto*.
III Suanensis,34,45,42,10,*Soana*.

In Latio vel Campania Maritima, PONTIFICI MAXIMO:

Latij, Pontifex Maximus:

I Alatrinensis,37,11:41,41,*Alatro*.
II Anagninus,37,2;41,41,*Anagna*.
III Aquinus,37,37;41,28, *Aquino in Campania*.
IV Feretinus,37,5;41,36,*Ferentino*.
V Fundanus,37,16;41,6,*Fondi*.
VI Sagninus,36,50:41,30,*Segna*.
VII Soranus,37,20:41,34,*Sora*.
VIII Teracinensis,37,2:41, 8, *Terracina*.
IX Tiburtinus,36,20:42,0,*Tivoli*.
X Verulanus,37,1:41,28,*Verulo*.

In Piceno, FIRMIANO, 36,4;43,31,*Firmano*:

Piceni, Firmanus;

I Anconitanus,37,16:43,46,*Ancona*.
II Asculanensis.37,42:42,49,*Ascoli*.
III Auximanensis,37,15:43,44,*Osmo*.
IV Calliensis,36,0: 43,23,*Calgi vel Caglie*.
V Camerinensis,36,43:43,7,*Camerino*.
VI Esiniensis *vel* Exinas;37,0:43,35,*Giesi*.
VII Fanensis,36,14:48, *Fano*.
VIII Foro-Semproniensis,36,12:43, 37, *Fosumbruno*.
IX Humanas,37,28:43,43,*Humana*.
X Lauretanensis,37,30:43,36,*Loreto*.
XI Maceratensis, *qui etiam est* Tolentini *Episcopus*,37,16:43,25,*Macerata*.
XII Montaltensis,37,.. 43,.. *Monte Alto*.

XIII Pisaurensis,36,7;43,48,*Pesaro.*
XIV Recanatensis,37,26;43,32,*Recanati.*
XV Ripætransonis,37,58;43,8,*Ripatranson*
XVI Senogalliensis,36,50;43,44,*Senegalia*
XVII Vrbinas *seu* S. Leonis, 36, 2; 43, 35, *Vrbino.*

Campaniæ. Amalphitanus.

In Campania, AMALPHITANO, 38, 35; 40, 32, *Amalphi:*

I Capricanensis,38,39:40,23,*Capri.*
II Minorensis,38,29:40,33,*Minore.*
III Scalensis *vel* Camensis.
IV Siteranensis.

Beneventanus.

Ibidem, BENEVENTANO,38,42;41,22,*Benevento:*

I S. Agathæ.
II Alariensis, 38, 28; 42, 33, *Alardo in Aprutio.*
III Alphiensis *vel* Alipharensis, 38, 0;41, 39, *Alifas.*
IV Arianensis,39,12:41,21,*Ariano.*
V Asculanensis,37,42;42, 59, *Ascoli in Aprutio.*
VI Avellinensis,38 49:41,7,*Avellino.*
VII Biminensis *forte in Aprutio*, 38, 54; 42,17,*Bomia.*
VIII Boianensis,38,29;41,12,*Boviano.*
IX Bovinensis.
X Civitatensis, 38,37;42,22,*Civitella in Aprutio.*
XI Cannensis.
XII Dragonariensis.
XIII Florentiolæ *vel* Florentinensis.
XIV Frequentinensis.
XV Larinensis.
XVI Lesinensis.
XVII Lucerensis.
XVIII S. Mariæ,38, 40;41,36.
XIX Marsici Veteris.
XX Montis Marani,38,0,41,25,*Mariano.*
XXI Montis Viridis.
XXII Mulanensis.
XXIII Nucerinus,38,42:40,42,*Nocera.*
XXIV Telesinensis,38,20;41,20, *Telese.*
XXV Termelensis.39,18;42,8,*Termole.*
XXVI Terribulensis.
XXVII Traconensis.
XXVIII Triventinensis *Regius*,38, 58; 42, 6,*Trivento in Aprutio.*
XXIX Vadiensis *vel* Gadiensis.
XXX Vicanensis.39,6;41,29,*Vico.*
XXXI Vulturanensis, 39, 12; 41, 18, *Vultutaria.*

Capuanus.

Ibidem, CAPVANO, 38, 4; 41, 0, *Capua:*

I Aquinatensis,37,38;41,48,*Aquino.*
II Calaciensis.
III Calvensis.38,5:41,10,*Calvi.*
IV Carinulæ.
V Casertanensis,38,5;41,42,*Caserta.*
VI Iserniensis, 38, 7: 41, 43, *Esernia.*
VII Suessanus,37,48:41,10.*Sessa.*
VIII Theanensis.37,50:41,18,*Theano.*
IX Venafranus,37,58:41,35,*Venafro.*

In eadem Diœsi exemtus & nulli subiectus,

Casinensis, 37,40:41,35,*Casino: Et semper* Abbas D. Benedicti Montis Casini *in* Episcopum *eligitur.*

Neapolitanus.

Ibidem, NEAPOLITANO, 38, 19:40,49, *Napoli:*

I Acerranus *Regius*,38,25:40,58.
II Cumanensis,37,56:40,47,*Cume.*
III Iscalanus.
IV Nolanus,38,26:40,55,*Nola.*
V Puteolanus, *Regius*, 38, 11 : 40 , 47, *Pozzolo*

In eadem Diœcesi exemtus est,

Aversanus, 38,11;40,53.*Aversa.*

Ibidem

Ibidem, SALERNITANO, *Regio*, 38,44; 40,33, *Salerno*: — *Salernitanus*,

I Acernensis, *vel* Acervensis.
II Caputaquensis, 38,57: 40,22, *Capucio*.
III Marsicensis.
IV Nucerinns, 38,56; 40,7, *Nocera*.
V Nuscanensis, *vel* Nusantanensis.
VI Policastrensis, 39,38: 39,50, *Policastro in Lucania*.
VII Sarnensis, 38,43: 40,50, *Sarno*.

In eadem Diœcesi exemtus,

Ravellensis, 38,32: 40,34, *Ravello*.

Ibidem, SVRRENTINO, 38,20; 40,33, *Surrento*: — *Surrentinus*

I Castelli Maris, *vel* Stabiensis, *Regius*, 38, 24: 40,39, *Stabia, ouer Castel a Mare*.
II Lobrensis.
III Salpensis.
IV Vicanus *vel* Vicensis, *alias* Aquensis *vel* Equensis, 38,22; 40,36, *Vico*.

In Brutiis, RHEGIENSI, 40,12; 37,52, *Rhezo*: — *Brutiorum, Rhegiensis*.

I Bovensi, 40,36: 37,43, *Bova*.
II Cassanensis, 40,42: 39,47, *Cassano*.
III Cathacensis.
IV Cotroniensis, *Regius*, 41,56: 39,10, *Crotona*.
V Giracensis, 40,40: 38, *Gierazzo*.
VI Lucrensis, 40, 20: 39,10, *Luceria*.
VII Nicastrensis *vel* Neocastrensis, 40,34 38,38, *Nicastro*.
VIII *Nicoteranensis*, 40,5: 38,26, *Nicodro*.
IX Oppidensis, 40,22; 38,11, *Oppido*.
X Squilacensis, 41,4: 38,53, *Schilacci*.
XI Tabernensis, *qui unitus est cum* Cathacensi.
XII Tropiensis, *alias* Tropetensis, 40,0: 38,32, *Tropia*.
XIII Vibonensis, 40,8: 38,39, *Vibona*.

In Magna Græcia, CONSENTINO, 40,24: 39,22, *Cosenza*: — *Magnæ Græciæ, Consentinus*,

Marturanensis, 40,24: 39,7, *Martarano*.

In eadem Diœcesi exemti sunt:

I Divi Marci.
II Melitensis.

Ibidem, MATERANO *seu* ACHERONTI, 39,41; 41,0, *Matera*. — *Materanus*,

I Angolensis.
II Gravinensis, 40,44: 40,44, *Gravina*.
III Potentiensis, 40,10: 40,35, *Potentia*.
IV Tricariensis, 40,34: 40,30, *Tricario*.
V Venusiensis, 39,51: 40,37, *Venosa*.

Ibidem, ROSSANENSI, 41,10; 39,31, *Rosano*: — *Rossanensis*,

Nulli subsunt Suffraganei.

In eadem Diœcesi exemptus est,

Bisinianus *vel* Bisignanensis, 40,51: 39,29, *Bisignano*.

Ibidem, SAN SEVERINATI, 41,39; 39,3, *S. Severina*: — *San Severinas*,

I Gencocastrensis *vel* Genicocastrensis.
II Gerentinensis.
III Insulensis, *vel* Strangulensis, *vel* Senoniensis, 41,57: 38,56, *Isola*.
IV S. Leonis.
V Vmbraticensis, *vel* Ebriacensis.

Ibidem,

Ibidem, TARENTINO, *qui & LARCATINVS*, 41,32, 40,25, *Taranto*,

I Castellanensis *vel* Castellanatensis, 41, 10: II Mutulensis, 41, 22: 40, 53, *Motola.* 40, 28, *Castellana.*

Samnitium, Lancianum.

In *Samnitibus vel Aprutio*, LANCIANO,

Archiepiscopus LANCIANI *Regius est, nullosque sub se habet Suffraganeos.*

& Theatinum,

Ibidem, THEATENSI *vel* THEATINO, 38, 32: 42, 36, *Thieti*:

I Aquilensis, *Regius*, 34. 10: 42, 19, *Agnila.*
II Civitatis Pennæ, *vel* Pennensis, *qui unitus est cum* Atriensi, 38, 24: 42, 45, *Penne.*
III Sulmonensis *sive* Valvensis, 37, 49: 42, 24, *Sermona.*
IV Terani *seu* Aprutinus, 38, 4: 41, 32, *Terano.*

Apuliæ Dauniæ. Sipontinus,

In Apulia Daunia, SIPONTINO *vel* MANFREDONIAE, *qui unitus est cum Archiepiscopo* MONTIS GARGANI *vel* MONTIS S. ANGELI, 40, 1; 41, 32, *Siponto, Manfredonia*:

Melphiensis, 39, 36: 40, 53, *Melfi.*

In eadem Diœcesi exemti sunt:

I Monopolitanẽsis, 41, 36: 40, 56, *Monopoli*
II Rappollensis, 39, 42: 40, 56, *Rapola.*
III Troianensis, 39, 27: 41, 37, *Troia.*
IV Vescanensis, 40, 11: 41, 47, *Vescue.*

Apuliæ Peucetiæ. Barensis,

In Apulia Peucetia, BARENSI, 41, 5; 41, 5, *Bari*:

I Bitontinensis, 40, 56: 41, 1, *Bitonto.*
II Bitterensis.
III Cathericensis.
IV Cauriensis.
V Conversanus, 41, 20: 40, 57, *Conversano.*
VI Iuvenacensis, *Regius*, 40, 51: 41, 10, *Iuvenazzo.*
VII Lavellinensis, 39, 56: 41, 9, *Lavello.*
VIII Melphitensis *vel* Caelphainus, 40, 48: 41, 11, *Mo fetta.*
IX Minerviensis, 40, 1: 40, 54, *Minervio.*
X Poligniacensis, 41, 30: 40, 59, *Po'ignano.*
XI Rubentinensis *vel* Rubensis, 40, 42: 41, 7, *Rivo.*
XII Salpensis, 40, 8: 41, 24, *Salpe.*

Cannosanus,

Ibidem, CANNOSANO, 40, 14; 41, 9, *Canusco*:

I S. Angeli de Lombardis.
II Auranensis.
III Bisaciensis, *qui Incorporatus est* Episcopo S. Angeli.
IV Laquedonensis.
V Montis-Viridis.
VI Sarranensis.

Tranensis,

Ibidem, TRANENSI, *Regio*, 40, 36; 41, 14, *Trani*:

I Adriensis, 40, 20: 41, 11.
II Penensis.
III Vigiliensis, 40, 39: 41, 13, *Bisegli.*

Salentinorum. Brundisinus, Ocrensis,

In Salentinis BRVNDISINO, *Regio*, 42, 17; 46, 32, *Brindisi*; *unitus illi est* Archiepiscopus OCRENSIS:

Ostunensis *vel* Astunensis, 41, 57: 40, 44, *Ostune.*

Ibidem,

Ibidem, HYDRVNTINO, *Regio*, 45,59; 40,8, *Otranto*, Hydruntinus,

I Castrensis, 42,59:49,44, *Castro.*
II Gallipolitanus, *Regius*, 42,12:39,58, *Gallipoli.*
III Liciensis *vel* Lucenensis *vel* Alexanus, 42,30:40,13, *Leze.*
IV Lucensis *vel* Lucadensis, 43,1:40,83, *unitus est cum* Episcopo Alexano.
V Vgentinensis, *vel* Ogentinensis, 42,28: 39,56, *Vgenti.*

In eadem Diœcesi exemtus est:

Nertonensis, 40,21:40,0, *Nardo.*

In Flaminia. RAVENNATI, 34,53:43,54, *Ravenna.* Flaminiæ, Ravennas,

I Adriensis, 34,37:44,42, *Adria.*
II Ariminensis, 35,37:52, *Rimano.*
III Barcinensis, 32,33:43,37, *Berze.*
IV Bononiensis, 34,52:43,51, *Bononia.*
V Cerviensis, 35,5:43,53, *Cervio.*
VI Cesenatensis, 35,5:43,44, *Cesena.*
VII Comaclensis, 34,52.44, 12, *Comachio, in Paludibus.*
VIII Faventinus, 34,34:43,46, *Faenza.*
IX Foro-Liviensis, 34,51 : 43, 46 *Forli.*
X Foro-Pompiliensis, 34,58 : 43, 46, *Forlimpopolo.*
XI Imolensis, 34,20:43,50, *Imola.*
XII Mutinensis, 33, 24 : 43, 53, *Modena, in Langbardia.*
XIII Parmēsis, 32,42:44,0, *Parma, in Langb.*
XIV Regiensis *vel* Regenensis, 33,3 43,56, *Regio, in Langb.*
XV Sarsinatensis *vel* Sareniensis.
XVI Villimensis; *ni fallor ad sinistram Padusæ*: 34,32:44,4, *Fello.*

In Langbardia Trans-Padana, MEDIOLANENSI, 31,7; 44,36, *Milano:* Langbardiæ Trans-Padanæ Mediolanensis,

I Albensis, 30,0:43,34, *Alba.*
II Albingaunēsis, 30,22:42, 50, *Arbenga.*
III Alexandrinus, 30, 34:43, 57, *Alexandria, in confinio Montis ferrati.*
IV Aquensis, 30,28:43,42, *Aich.*
V Astēsis, 30,8:43,52, *Aste, in Monte ferrato*
VI Bergomensis, 31,44:44,56, *Bergamo.*
VII Brixiensis, 34,10:46,27, *Brescia.*
VIII Cremensis, 31,46:44,30, *Crema.*
IX Cremonensis, 32,9:44,14, *Cremona.*
X Ipporegiensis, 29,34:44,26, *Inurea.*
XI Laudēsis *vel* Lodensis, 31,30:44,26, *Lodi*
XII Naversis.
XIII Novariensis, 30,27:44, 28, *Novara.*
XIV Placentinus, 31,50:44,8, *Piacenza.*
XV Saonensis, 30.32:43,20, *Savona.*
XVI Terdonensis, 30,49,43,58, *Tortona.*
XVII Vercellarum, *vel* Vercellensis, 30,10 44,19, *Vercelli, in Pedemontio.*
XVIII Viglevierisis:
XIX Vintimiliēsis, 29,28:42,40, *Vintimilia*
XX Vrceorum, Orci Novi.

In eadem Diœcesi exemti,

I Ferrariensis, 34,0:44,28, *Ferrara.*
II Papiensis, 31,10:44,17, *Pavia.*

In Foro-Iulio, AQVILEIENSI PATRIARCHAE, 36,10:45,42, *Aquileia:* Fori Iulii, Aquileiensis,

I Bellunensis, 34,21.46,2, *Bellun.*
II Cenetensis, 34.46:45,52, *Ceneda.*
III Comaclensis *vel* Petēsis, *vel* Petenēsis
IV Comensis, 31,4:45,3, *Como.*
V Concordiæ, 35,24:45,17, *Concordia.*
VI Cumanus.
VII Feltrensis, 34,12:45,48, *Feltre.*
VIII Instinopolitanus, 36,46: 45,31, *Capo d'Istria.*
IX Madriensis Civitatis Novæ, *vel* Emonensij.
X Mantuanus, 32,58:44,38, *Mantoa.*
XI Maravensis.
XII Parentij, 36,46:45,12, *Parenzo.*
XIII Patavinus *vel* Paduanensis, 34,16:45, 12, *Padoa.*

XIV Polæ,

XIV Polæ,37,20:45,4,*Pola.*
XV Tarvisinus *vel* Trevisinensis, 34,40:46,36,*Treviso.*
XVI Tergestinensis, *vel* Triestinensis, 36,43:45,38,*Triest.*
XVII Tridentinus *vel* Tridentinensis, 33,6:45,39,*Trento.*
XVIII *Veronensis*,33,18:45,2,*Verona:*
XIX Vincentinus *vel* Vincentinensis, 33,40.45,18,*Vicenza.*

& Gradensis.

Ibidem, GRADENSI, 36,12;45.53,*Grado.*

I Capruliensis.
II Castellanensis *vel* Venetiarum, 34,49:45,21,*Venetia.*
III Civitatis Novę,35,17:45,30,*Citta Nova*
IV Clodiensis,34,53:49,59,*Chioza.*
V Equilensis *vel* Eusulanus.
VI Tercellanensis, 34, 54 : 45,24,*Torcello.*

Pedemontii, Taurinensis.

In Pedemontana Regione, TAVRINENSI, 29,30;43,52,*Turino.*

I Casalensis,30,19:44, 6,*Casal.*
II Mondoviensis, *vel* Montis Regalis.
III Salutiarum , 29 , 12 : 43 ; 32, *Saluze.*

Concilia per Italiam celebrata.

Hæc de *Archiepiscopis*, quique ijs suffragantur,per Italiam, *Episcopis.* Plerorum ex his,aliorumque venientium aliunde Præsulum interventu celebrata legimus Universalia in varijs Italiæ Civitatibus *Concilia, Romana Lateranensia*que plurima , *Telense, Taurinense, Regiense, Aquileiense; Veneticum, Tiburiense*, & alia ; de quibus abunde illi, qui colligendis in aliquot volumina *Concilijs* omnibus egregiam ante an nos aliquot navarunt operam.

CAPVT XXI.

Italiæ variæ *Distributiones.* Etruria.

HACTENVS in genere *Italiam* descripsi : antea quam ad specialiorem singularum Partium delineationem me accingam, operæprecium putavi primum, Distributione proposita , indicare, quam in Membrorum enarratione sim Methodum sequuturus.

Variæ Italiæ Distributiones. Catonis & Sempronij.

Italiam alij aliter diviserunt. Catonem Semproniumque comminiscitur Annius Viterbiensis *Italiam* partiri in *Apenninam, Cis-Apenninam, Trans-Apenninam,* & *Alpinam*; inque Prima Parte collocare *Ligures* cum *Montanos*, tum *Apuanos, Vmbros, Sabinos , Sabellos* & *Etruscos*: Secundæ adscribere *Ligures*, & hic *Montanos* & *Apuanos*; *Etruscos* eosque *Populonios* & *Turrhenos*: item *Lucanos, Picentinos* & *Cumanos*: in Tertia ponere *Galliam Cis-Alpinam*, eamque *Trans-Padanam, Cis-Padanam,* & *Togatam*: Postremam denique *Alpes* complecti *Ligurinas, Pœninas* inter Pœninum Ocramque Montes, & *Taurisanas* ab Ocra usque in Istriam. Ego his refutandis me non torquebo, quum absurda videam esse omnia, & nimium quantum intricata.

Augusti & Plinij.

Plinius lib. III naturalis Historiæ cap. V. & quatuordecim sequentibus Divisionem recenset sui temporis, ab Divo Augusto Imperatore factam in XI *Regiones* : quarum

I *Latium Vetus Novumque & Campania:*
II *Picentes;*
III *Lucani, Bruttij, Sallentini, Apuli;*
IV *Frentani, Marrucini, Peligni, Marsi, Vestini, Samnites, & Sabini;*
V *Picenum:*
VI *Vmbri;*
VII *Etruria;*
VIII *Gallia Cis-Padana;*
IX *Ligures;*
X *Venetia, Carni, Iapudes, Istrique;*
XI *Gallia Trans-Padana.*

Strabonis.

Strabo *Italiam* in octo partitur *Regiones*

I *Venetiam,* II *Liguriam,* III *Picenum,* IV *Lucaniam,* V *Tusciam.* VI *Romam* (quæ *Latium* alijs) VII *Campaniam,* VIII *Apuliam.*

Hadriani Imp.

Ex Imp. Cæsaris Traiani Hadriani Augusti Divisione XVII notat Sex. Rufus in *Italia* tribusque eius Insulis *Provincias* vel *Diœceses*. Erant illæ:

I *Vene-*

I *Venetia, & Istria;*
II *Aemilia:*
III *Liguria;*
IV *Flaminia, & Picenum,*
V *Tuscia, & Umbria:*
VI *Picenum Suburbicarium:*
VII *Campania:*
VIII *Sicilia Insula:*
IX *Apulia & Calabria;*
X *Samnium & Bruttij;*
XI *Alpes Cottiæ:*
XII *Rhetia Prima:*
XIII *Rhetia Secunda;*
XIV *Samnij pars:*
XV *Valeria:*
XVI *Insula Sardinia;*
XVII *Insula Corsica.*

Harum octo, quæ primo loco, suos tunc habebant, ut obiter hoc addam, *Consulares*: Nona & Decima *Correctores*; reliquæ septem suos *Præsides*: Ptolemæus eamdem non in *Regiones*, sed in *Populos* XLV distribuit: *Ptolemæi.*

I *Massilienses,*
II *Tuscos,*
III *Latinos,*
IV *Campanos,*
V *Picentinos,*
VI *Lucanos,*
VII *Bruttios,*
VIII *Magnæ Græciæ Gentes,*
IX *Salentinos,*
X *Apulos,*
XI *Peucetios,*
XII *Daunios,*
XIII *Frentanos,*
XIV *Pelignos,*
XV *Marrucinos,*
XVI *Picenos,*
XVII *Senones,*
XVIII *Venetos,*
XIX *Carnos,*
XX *Istros,*
XXI *Gallos Boios,*
XXII *Cenomanos,*
XXIII *Becunos,*
XXIV *Insubres,*
XXV *Salassos,*
XXVI *Taurinos,*
XXVII *Lybicos,*
XXVIII *Centrones,*
XXIX *Lepontios,*
XXX *Caturiges,*
XXXI *Segusianos,*
XXXII *Nerusios,*
XXXIII *Surios,*
XXXIV *Vendeontios,*
XXXV *Galliæ Togatæ Incolas,*
XXXVI *Umbros,*
XXXVII *Sabinos,*
XXXVIII *Aequicolos,*
XXXIX *Marsos,*
XL *Praturios,*
XLI *Vestinios,*
XLII *Caracenos,*
XLIII *Samnites,*
XLIV *Hirpinos,*
XLV *Calabros.*

Corruptiorem nonnullorum scripturam alibi iuvo. Quam porro quidam adferunt Antonini in XVI *Regiones* Partitionem, plane vitiosa est, & ex aere, ut loquimur, obtorto collo nescio cuius audaculi manibus tracta. Imp. Cæs. Fl. Constantinus Maximus Augustus omnium novissimus, uti constat cum ex aliis, tum ex Zosimi lib. Hist. II, novam excogitavit, ut totius Imperij, sic singularum Imperij Partium, Divisionem. *Italiam* certe Insulasque coniacentes, Hadriani sequutus exemplum in Provincias XVII distribuit: quarum *Antonini.* *Constantini.*

I *Venetia, & Istria:*
II *Aemilia:*
III *Liguria:*
IV *Flaminia, & Picenum Annonarium:*
V *Tuscia, & Umbria:*
VI *Picenum Suburbicarium:*
VII *Campania:*
VIII *Sicilia:*
IX *Apulia, & Calabria:*
X *Lucania, & Brutti:*
XI *Alpes Cottia,*
XII *Rhetia Prima,*
XIII *Rhetia Secunda:*
XIV *Samnium;*
XV *Valeria:*
XVI *Sardinia:*
XVII *Corsica.*

Harum I, II, III, IV *Consulares* erant, sub *Vicario Italiæ*, V, VI, VII, VIII *Consulares*, sub *Vicario Urbis Romæ*, IX & X *Correctoriales*, sub eodem: XI, XII, XIII *Præsidiales*, sub *Vicario*, quem dixi *Italiæ*: reliquæ quatuor eiusdem genij, sub *Vicario*, cuius memini, *Urbis*. Octodecim *Provincias* lego apud Paullum Diaconum lib. II de Gestis Langbardorum, cap. XV & seqq. *Pauli Diaconi, Constantini fere Divisionem sequuti.*

I *Venetiam, cum Istria, & Foro Iulij:*
II *Liguriam:*
III *Rhetiam Primam:*
IV *Rhetiam Secundam:*
V *Alpes Cottias:*
VI *Tusciam, cum Aurelia, & parte Umbriæ:*
VII *Campaniam:*
VIII *Lucaniam, cum Bruttica;*
IX *Alpes Apenninas* (Hæc non est in Constantini Divisione)
X *Aemiliam;*
XI *Flaminiam* (adiungit Constantinus *Picenum Annonarium*)
XII *Picenum* (*Suburbicarium* scilicet in Constantini Divisione)
XIII *Valeriam cum Nursia & Marsorum Regione;*

XIV *Samnium*;
XV *Apuliam, cum Calabria, & Salentina*;
XVI *Siciliam*;
XVII *Corsicam*;
XVIII *Sardiniam*.

Sacri Romani Codex, & Rota Papalis. Distribuit apud Volaterranum Sacer Romanus Codex & apud Sebastianum Munsterum Rota Papæ *Italiam* in XII Partes, quarum

I *Marka Trevisana*, seu *Venetias*;
II *Istria*, cui *Foro-Iulienses* adnectuntur;
III *Langbardia*, sive *Gallia Trans-Padana*;
IV *Liguria*;
V *Romandiola*, vel *Gallia Cis-Alpina*;
VI *Ducatus Spoletinus*, qui *Vmbria*.
VII *Aprutium*, quod & *Samninum*;
VIII *Campania*, sive *Latium*;
IX *Terra Laboris*, quæ *Campania Propria*, Itemque *Leboria*;
X *Calabria*, vel *Lucania*;
XI *Apulia*;
XII *Terra Hydruntina*, quæ *Salentinorum* sedes.

Blondi. Blondus in XVIII distribuit Regiones,

I *Liguriam*:
II *Etruriam*,
III *Latinam*, seu *Campaniam Maritimam*;
IV *Vmbriam*, vel *Ducatum Spoletinum*:
V *Picenum*, quod nunc *Anconitana Marka*:
VI *Romandiolam*, olim *Flaminiam*:
VII *Aemiliam*:
VIII *Galliam Cis-Alpinam*, quæ & *Langbardia*:
IX *Venetiam*:
X *Italiam Trans-Padanam*, quæ nunc *Marka Tarvisina*, vel *Aquileiensis*, vel *Foro-Iuliensis*:
XI *Istriam*:
XII *Samnium*:
XIII *Terram Laboris*; quæ *Campania Vetus*:
XIV *Lucaniam*:
XV *Apuliam*.
XVI *Salentinos*, quorum Sedes nunc *Terra Hydruntina*:
XVII *Calabriam*:
XVIII *Bruttios*.

Leandri Alberti. Leander Albertus *Regiones* ponit XIX:

I *Liguriam*, quæ nunc Italis *Ora Genuensis*:
II *Etruriam*, quæ & *Tuscia*:
III *Vmbriam*, quæ hoc tempore *Ducatus Spoletinus*:
IV *Latium*, quæ iamnunc *Campania Romana*:
V *Campaniam Felicem*, hæc hodie *Terra Laboris*:
VI *Lucaniam*, *Basilicata* nunc audit:
VII *Brutios*, quorum Sedes hodie *Inferior Calabria*:
VIII *Magnam Græciam*, quæ *Calabria Superior* nunc appellatur:
IX *Salentinos*, ubi hodie *Terra Hydruntina*:
X *Apuliam Peucetiam*, quæ *Terra* nunc *Barriana*:
XI *Apuliam Dauniam*, nunc *Apulia plana* vocatur.
XII *Samnites*, quorum Regio nunc *Aprutium*:
XIII *Picenum*, cui appellatio successit *Anconitana Marka*:
XIV *Flaminiam*, quæ *Romanula* nunc, vulgo *Romandiola*:
XV *Aemiliam*, hodie *Langbardiam Cis-Padanam*,
XVI *Galliam Trans-Padanam*, quæ jam *Langbardia Trans-Padana*:
XVII *Venetiam*, jamnunc *Tarvisinam Markam*:
XVIII *Forum Iulii*, quod nomen vulgo retinet, dicta & *Patria*:
XIX *Istriam*, nomen incorrupte servantem.

Mea. Alios prætereo. Ego Superiorum Divisiones partim sequuturus, partim nonnihil commutaturus, *Italiam* totam Methodice, Rebusque Romanorum virtute gestis convenienter, distribuam in *Priscam* vel *Propriam*, & *Novam* sive *Accessoriam*. *Priscam* statuo, quidquid hinc ab *Arno*, inde ab *Rubicone* est versus Euronotum, usque ad Pro-

ad Promontoria Maris Ionici, Bruttium, Carcynium Zephyrium, Lacinium, Iapygium & Athenæum: *Novam* vero, quidquid ab iisdem fluvijs versus Caurum Alpiumque radices. *Arnus* igitur & *Rubicon* Termini inter *Italiam Priscam Novam*que: Ille, apud Infernates; Hic, Supernates: ab Infero Superoque Mari sic appellatos. Vocibus iis utor, Plinium Vitruviumque secutus; quorum Illi lib. xvi cap. xxxix, Huic vero libro iii, cap. ix, *Infernas Abies Supernati* præfertur: & Macrobium, apud quem lib. ii Saturnaliorum *Supernas Adamas* ab Augusto dicitur *Mecenas*: quam ob caussam non huius est loci explicare. Quod ad *Supernatem* inter *Italiam Veterem Galliamque Togatam Limitem*, is prius erat, ut obiter hoc ex notatione Strabonis Plinij, Melæque dicam, *Æsis*. Strabonis verba lib. v sunt hæc; Πρότερον μὲν γὰρ τὸν Αἶσιν ἐποιοῦντο ὅριον, πάλιν δὲ τὸν Ῥουβίκωνα ποταμόν: Plinij lib. iii. cap. xiv; *Ab Ancona Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine*: Pomponij denique lib. ii. cap. iv. *Ancon inter Gallicas Italicasque Gentes quasi terminus interest.* *Ancon* autem ad ripam *Æsis fluvij* dextram est locata: ut Plinius Melaque idem hac in re sentiant cum Strabone. Successit *Æsi* postea *Rubicon*, prolatis Imperij Romani Finibus, omnique *Italia* ab Freto Siculo ad *Rubiconem* & *Arnum*, Tuscosque extremos, Liguribus confines in Populi Romani Ditionem circa annum ab V. C. ccccxxciix redacta. Hinc est, quod Livius in libris ab V. C. tradat *citra Rubiconem esse Italiam; ultra eo Galliam*. Videndus item Ptolemæus. Huc pertinet Inscriptio, quam ex Aldi Orthographia, posui capite huius libri xi, ubi de Italiæ Fluminibus. *Prisca* porro mihi duplex vel *Septemtrionalior* est, vel *Meridionalior*; interfluentibus inter utramque ex Apennino, versus Tyrrhenum quidem Mare, *Liri*; versus Hadriaticum autem *Truento*: Meridionaliore Parte *totum* hodie *Regnum Neapolitanum* possidente. In Septemtrionaliore, qua quidem ab Montibus liberior, cis Apenninum, ad ripam Tiberis dextram, est ETRVRIA, hodie *Toscana*; ad sinistram LATIVM, nunc *Campania Romana*: trans Apennium, PICENVM, vulgo *Marka Anconitana*: qua vero Montibus innexior, itque quasi inmersa iacens, VMBRIA spectatur, nunc *Ducatus Spoletinus*. Meridionalior, quam dixi occupari nunc ab *Regno Neapolitano*, ad Mare Tyrrhenum cis Silarim quidem CAMPANIAM habet FELICEM, quæ jamnunc *Terra Laboris*, trans autem eundem Fluvium LVCANIAM, hodie *Basilicatam*; & *Calabriam*, tam *Inferiorem*, ubi quomdam BRVTTII; quam *Superiorem*, ubi MAGNA GRAECIA: ad Hadriaticum Pelagus complectitur cis Phiternum SAMNITES, quorum hodie sedes *Aprutium*; trans idem flumen, partim utramque APVLIAM, & DAVNIAM, hodie *Planam*, & PEVCETIAM, nunc *Terram Barianam*: partim SALENTINOS, quorum hoc tempore *Terra* est *Hydruntina*. Moneo obiter, Halicarnassæum lib. i. *Italiam Orientalem* vocare, quæ est ab Iapygio Promontorio usque ad Fretum Siculum. *Nova* vel *Accessoria*, qua planior, versus Meridiem (ubi præsertim Antiquis *Gallia Togata*: Appiano item *Italia Gallica*) continet cis Padum quidem, FLAMINIAM, quæ nunc *Romaniola*: & ÆMILIAM, quæ hodie *Langbardia* vocatur *Cis-Padana*: trans Padum vero GALLIAM, vel *Langbardiam Trans-Padanam* (mentio ejus in Inscriptione, quæ in horto Ducis Vrbini, quamque alibi ponam, ubi de Colonia Fanestri) & VENETIAM, quæ & *Marka Tarvisina*: versus Septemtrionem, cis Tergestinum Sinum, FORVM IVLII: trans eumdem ISTRIAM: qua denique montosior *Nova* hæc *Italia*, superbit antiqua illa LIGVRIA (a qua *Vetus Liguistica* Diodoro lib. xi.) cui nomen nunc *Ora Genuensis*; & PEDEMONTIO, cujus pars MONS-FERRATVS. Dictorum a me Schema sic habet.

ITALIA consideranda vel

- Prisca & Propria
  - Septētrionalior.
    - Ab Montibus Liberior, eaque
      - Cis-Apennina, ubi ad Ripam Tiberis.
        - Dextram, *Etruria*; hodie *Toscana*.
        - Sinistram, *Latium*; vulgo *Campagna di Roma*.
      - Trans-Apennnia, ubi *Picenum*, nunc *Marka Anconitana*.
    - Montibus innexior, iisque quasi immersa iacens, ubi *Vmbria*; *Ducato di Spoleto*.
  - Meridionalior, ad Mare
    - Tyrrhenum, ubi
      - Cis Silarim quidem, *Campania Felix*, *Terra di Lavore*.
      - Trans Silarim vero
        - *Lucania*: vernacule *Basilicata*.
        - *Calabria*
          - *Inferior*, Veterum *Bruttiorum* Sedes nunc *Calabria inferiore*.
          - *Superior*, olim *Magna Græcia*: vulgo hodie *Calabria Superiore*.
    - Hadriaticū,
      - Cis Phiternum, *Samnites*: quorum Regio Italis nunc *Abbruzzo*.
      - Trans Phiternum: ubi
        - *Apulia*
          - *Daunia*: vulgo *Puglia Piana*.
          - *Peucetia*: nunc *Terra di Barri*.
        - *Salentini*: quorum Regio hac tempestate *Terra d'Otranto*.
- Nova & Accessoria, eaq.
  - Planior, & Montibus liberior, versus
    - Occasū quidem
      - Cis-Padana, ubi
        - *Flaminia*, nunc *Romagna*.
        - *Aemilia*: vernacule *Lombardia di qua del Po*.
      - Trās-Padana, quo tractu
        - *Gallia Trans-Padana*: hodie *Lombardia di la del Po*.
        - *Venetia*: vulgo *Marka Trivigiana*.
    - Ortum vero
      - Cis Tergestinum Sinū, *Forum Iulij*, nunc *Prioli vel Patria*.
      - Vltra eumdem Sinū, *Istria*: nomen incorrupte servans.
  - Montosior. ubi
    - *Liguria*: quæ iamnunc audit *Riviera di Genoa*.
    - *Pedemontium*: *Piedimonte*: cuius pars *Mons-Ferratus*, *Monferrato*.

Occurrit

ETRVRIA, Tuscana.
Varia eius Nomina & Cognomina.
Comara, Ianicula, Salenmbrona, Razenua,

Occurrit in nostra Distributione loco primo ETRVRIA, ex Descriptione Augusti, quam sequitur Plinius, *Septima Italiæ Regio*: quæ qualia temporibus antiquissimis habuerit Nomina vel Cognomina, anxie non quæram. *Comaram* fuisse vocatam ab *Comero Gallo*, Iapeti Primogenito; *Ianiculam* vel *Ianigenam* ab *Iano*: *Salenmbronem*, unde nescio; probet ex Fictitijs Beroso, Fabio Pictore, Myrsilo, & alijs Annius, Viterbiensis. Scilicet eo carebat Respublica Litteraria, ne Fabulis multisque careret Nugis. Vnde item *Rasena* nominetur Dionysio Halicarnassæo; solicite non disputabo. Nam quod *Cranum Razennum* ex Beroso suo doctis obtrudat idem Annius, apud me frustra est, & nullius fidei. Quod etiam quidam (inter quos Plinius lib. III natur. histor. capit. v. memoriæ prodant *Vmbros*, Veteres horum late locorum Incolas, a *Pelasgis*, *Pelasgos* ab *Lydis*, *Lydos* ab alijs profligatos; ab ijsque Regionem hanc miris vicissitudinibus *Vmbriam*, *Pelasgiam*, (quo nomine nota etiam est Halicarnassæo) & *Lydiam* fuisse nuncupatam parvi apud me est momenti, fideique incertæ. Illud certius est, satisque constat, totam hanc Regionem antiquis Scriptoribus tribus præcipue nominibus celebrari, *Tyrrheniæ*, *Etruriæ*, *Tusciæ*. *Tyrrehenia* Τυῤῥηνία, ἀπὸ Τυῤῥηνοῦ simpliciter Stephano, ἀπὸ τοῦ Τυῤῥηνοῦ, τοῦ Ἄτυος, inquit Strabo lib. v, τοῦ στείλαντος ἐκ Λυδίας ἀποίκους δεῦρο, & quæ ibi de *Atye* plura. *Atys* Herculis & Omphales filius è duobus Filiis, ἀπὸ λιμοῦ καὶ ἀφορίας compulsus, sorte iacta, alterum in regno retinuisse scribitur *Lydum* nomine; alterum in Italiam misisse, Coloniæ deducendæ, cui nomen *Tyrrhenus*, & ab eo *Tyrrhenia Terra*. Legendi Velleius Paterculus lib I, Verrius Flaccus apud Festum lib. penult. Seruius ad II, VIII & XI Aeneidos, Iustinus ex Trogi libro XX, Seneca de Consolatione ad Albinam. Eleganter & brevibus, nonnihil tamen varians, Tacitus lib. IV Annalium: *Sardianos inter Smyrnæosque deliberatum. Sardiani Decretum* Etruriæ *recitavere*, *ut Consanguinei. Nam* Tyrrhenum *Lydumque Atye Rege genitos ob multitudinem divisisse gentem: Lydum patriis in terris resedisse*; Tyrrheno *datum*, *novas ut conderet Sedes: & Ducum è nominibus indita Vocabula*, *illis per Asiam*, *his in Italia*: *auctamque adhuc Lydorum opulentiam, missis in Græciam Populis*, *cui mox à Pelope nomen* &c. Sic Tertullianus de Spectaculis: *Lydos ex Asia Transvenas in* Etruria *consedisse Timæus refert*, *duce* Tyrrheno, *qui Fratri successerat* (legit CL. V. Iustus Lipsius, *cesserat*; sive *secesserat*) *Regni contentione*. Addendus Dionysius libro I, qui inter alia scribit, *Tyrrhenos* antiquæ originis ex aureo seculo esse, nec *Lydorum* Coloniam se arbitrari, quod argumenta id convincant, Diversitas Linguæ, varius Numinum Cultus, variæ Leges, varij Litterarum Characteres, aliaque multa, quibus ab *Lydis* manifesto differebant: proinde potius existimandum, eos non advenam fuisse Gentem, sed antiquam *Italiæ* indigenam. Sunt qui *Tyrrhenos* ab *Tyrribus* seu *Tyrsis* dictos censent, id est, Aedificiis munitioribus, quibus uti erant soliti. Τεῤῥηνία porro est apud Serapionem pro Τυῤῥηνία: videndus Dios-

Vmbria, Pelasgia, Lydia.
Tyrrhenia.

Etruria. Dioscorides cap. de Resina. Iam *Etruria* dicta est, si Servio ad XI Aeneidos fides, *quod eius Fines tendebantur usque ad primam ripam Tiberis; quasi* Ἑτερουρία, *per syncopam* Ἑτρουρία. Nam ἕτερος est *Alter*, & ὅρος *Finis*. Roma enim antea unam tantum Tiberis ripam tenebat. Iuvenalis:

——Et quæ,
Imperij fines, Tiberinum Virgo natavit.

Hinc putant nonnulli *Etruriæ* nomen cum adspiratione scribendum. Sed in melioribus Latinis Codicibus semper *Etruria* legitur, in Græcis Ἑτρουρία: ut mihi appellationis ratio videatur esse incertior. Sunt qui nescio quid discriminis statuunt inter *Etruriam* & *Hetruriam*: quod ijs lubens relinquo. Gulielmus Postellus in suo de *Etruriæ* Regionis Originibus, Institutis Religionis, & Moribus, *Eturiam* scribendum monet, non *Etruriam*: addens sic *Assyriam Assyrio*sque *Aturim* sive *Eturim* Lingua Chaldaica dici: illud autem Vocabulum, Duce Parente Vniversitatis Noacho, Ianove, in Italiam fuisse delatum: Quum autem hi *Assyrij* & Aurei Seculi Duces præstantissima fuerint Institutione Religionis, *Eturorum* Provinciam appellatam fuisse *Tusciam*, quasi Salutis Fontem: sic enim vocem תושיה in Lingua Sancta sonare. Ab *Eturim* itaque sive *Aturim*, sensim *Eturos*, & demum ab utroque Vocabulo *Etruscos*, quasi *Eturitruscos*, invalescente Corruptione, fuisse nominatos: Græcos autem in ceteris Orbis Vocabulis externis litteris contentos, ad exprimenda propria rerum Vocabula pro *Eturis Turrhenos* aut *Tyrrhenos*, *Thyrsenos*ve dixisse. Hæc stupeant, qui velint: per me licet. Ego ad tertiam Appellationem pergo.

Tuscia. *Tuscia* Latinis, Θυοσκία Dionysio Halicarnassæo lib. I. ἀπὸ τοῦ θύειν, ab *Sacrificando*. *Tusci*, inquit Servius ad VIII Aeneidos, ἀπὸ τοῦ θύειν. Et inde Plinius lib. III cap. V *Tuscos* dictos notat *ab Sacrifico ritu*. Fuisse enim *Etruscos* præ ceteris *Italiæ* Populis, eorum, quæ ad Religionem & Sacrificia pertinebant, ad Superstitionem usque studiosos: quamquam Dionysius iam tum ævo suo Studium id Divinorum adeo apud eos exolevisse scribat, ut cunctarum nationum uni haberentur Sacrorum negligentissimi. Inde autem fit, ut nonnulli primam Nominis Litteram arbitrentur adspirandam. Alij Latinæ faciunt originis, ab *Ture* dirivantes: inter quos Paullus Diaconus de Gestis Langbardorum II, cap. XVI. Vnde & Facius Vbertus, doctissimus apud Italos Poëta, lib. III Cantico IX:

Tuscia dal Tuse le fu il Nome messo,
Perche con quegli Antichi il tempo casso
Devoti a i Dei sacrificavan spesso.

Sex. Pompeius Festus *Tusciam* ab *Tusco* Rege, Herculis Filio, denominatam scribit: Eius Etymon ex Idiomate Babylonico, quo *Tosca*, *Curia* notatur *Dominorum dissectitoris aditus*, eruit Annius Viterbiensis cum alibi, tum in suis de *Tuscia* Quæstionibus: quem vide Lector, & cum doctis Viris quique sanioris iudicij, ride. Sed in Etymi nobilissimæ Regionis ignoratione Salus non periclitatur publica: explicato Nomine, & quæ eo spectare videbantur, ad Res ipsas veniamus. Postremum sane hodieque retinet, *Toscana* namque vulgo audit.

Etruriæ Fines. Fines ex Beroso, Catone alijsque ab Annio suppositis Scriptoribus, non petam: ne quæ vera non sunt, Lectoribus obtrudam, eorumque abutar patientia. Strabo, Polybius, Plinius, Ptolemæus, Pomponius Mela, Solinus, alij multi in *Macram* cum Liguria, Occidentalem Terminum; *Tiberim* cum Latio, Orientalem (videndus & Livius lib. I, ubi Pacem inter *Etruscos* & Latinos convenisse ait, ut ipsis *Albula* quem post *Tiberim* vocare cœperunt, finis esset) *Apenninum*, ubi Vmbria, Galliæque Togatæ pars, Septemtrionalem; *Inferum* denique *Mare*, Sardiniam spectans, Meridionalem, unamini consensu conspirant.

Longitudo. Plinius inter *Macram* & *Tiberim* CCLXXIX Millia Passuum esse tradit: Blondus *Etruriæ Longitudinem* CLXX M.P. scribit: Strabo Stadiorum bis mille quingentorum facit; quæ si Milliario octona demus Stadia, summam efficiēt Milliariorum circiter CCCXII Ptolemæus tres Gradus Longitudinis ponit, singulos millium paullo amplius XLVII; qui mensuram paullo maiorem millium passuum CXLI faciunt. Facilis inter dissidentes futura conciliatio: si dicamus, quosdam *Longitudinem* exigere, quam Navigatio propter oram habet, alios per Littus ipsum extremum & Sinus incedere; nonnullos per Mediterranea Loca; alios denique Situm ad Poli rationem æstimare.

Latitudo

Latitudo eius certo non potest diffiniri. Maxima est inter Populonium Promontorium & Arni Fontes.

k. *Circuitus* septingenta habet Millia passuum, innuente Facio Vberto, cuius elegantissimos de *Etruria* Versus non possum, quin adscribam:

Io vidi uscir la Magra delle fascie
Del giogo d'Apennin rovido, è torbo,
Che de l'acqua daius par che pascie.
Non voglio, disse Solin, che passi orbo,
Da questo fiume Toscana commincia,
Che onde in mare al monte de lo Corbo.
E vo che sappi che questa Provincia
Da ventiinque Vesc. ovadi serra,
Terren non so del tanto che la vincia.
Dal Mezo giorno la cinge & afferra
Il Mar Mediterran; poi l'Apennino
Da ver Settentrion chiude la terra:
E dal Levante come un Pellegrino
Il Tebro in Mar, che surge in Falterona
Compie Toscana, è tutto il suo camino.
Il giro suo per quel che si ragiona,
E misurato settecento miglia,
E Roma qui, l'honor che l'incorona.

Terra ipsa, qua Mari propior, planior est, oræque spectatu iucundissimæ; intus montosior: universim pulcra, nobilis, nullique *Italiæ* Regioni sua Beatitudine postponenda. Hanc Vbertate sua Soli sacratam voluit Marcianus: Latos lætosque aperit Campos, rerum omnium fertiles; amœnissimas Valles: Montes, Collesque Vicis, Prædiis, Hortis, qui Arboribus omnis generis, præcipue Malis Medicis Citreisque consiti, supra modum nitentes. Vinetis abundat, Vina producentibus generosissima; in quis quæ vulgo *Tribiana*, *Apiana*, *Volsiniensia*, *Senensia*, & id genus alia. Fluvijs scatet Piscium optimorum fœcundissimis, *Arno*, *Boactio*, *Palia*, alijsque, de quibus suo loco, ut & de Lacubus, in quorum numero principes, *Perusinus*, olim *Thrasumenus*, *Volsinius*, *Sabatinus*. Habet & saluberrima Balnea, nobilissimas Thermas, aliasque Aquas mirabili præditas Virtute. Quales

Veteres Incolæ universim dicti quomdam *Tyrrheni*, *Etrusci*, *Tusci*: *Tyrrheni* ab *Tyrrheno* vel *Tyrrhenia* de qua ante: *Etrusci* ab *Etruria*; *Tusci* à *Tuscia*: noti passim ijs nominibus in omnium Scriptorum Græcorum & Latinorum Monimentis. Quod Πελαργοὶ etiam fuerint generatim appellati, præter Strabonem tradit ex Myrsilo Dionysius Halicarnassæus lib. 1. Antiquit. Romanarum. Λυδοὺς insuper nominatos, quod ex *Lydia Tyrrheni* ductu & auspiciis venerint, scribit Herodotus in Clio. Veteres Incolæ generatim,

Etruscos porro Gentem *Italiæ* opulentissimam Armis, Iuribus, pecunia esse aiunt Livius & Diodorus. Cerimonijs, Cultuique divino maxime semper addictos fuisse, constat ex antiquis scriptoribus, ut qui Sacrificia, Divinationes, Auguriaque primi Italorum invenerint, eaque Romanis tradiderint, notantibus Tullio de Divinatione, Dionysio Halicarnassæo, Macrobio, Censorino, & alijs. Nota est Historia *Tagetis*; quem, quum in agro Tarquiniensi Terra paullo altius araretur, sulcique profundiores imprimerentur, repente exsiluisse, ipsumque Aratorem adfatum commemorant. *Tages* autem pueri effigie (uti Cicero ex Commentarijs *Etruscorum* tradit) apparuit, etsi prudentia quidem senili fuit. Verum quum ad eius speciem Bubulcus obstupesceret, edita voce, ut fit, maxima inclamavit: quo evenit, ut brevi tempore Magno concursu permulti ex *Etruria* eodem convenerint. Tum *Tages* idem. multis audientibus, complura loquutus dicitur, quæ diligenti cura excepta sunt ac litteris commendata. Neque aliud *Tagetis* verba continebant, quam Aruspicinæ disciplinam, quæ multis subinde observationibus aucta, atque amplior facta est: sic ut ea Fulminum, Fulgurumque & Ostentorum scientia traderetur. Legendi de *Tagete*, præter Ciceronem, Plutarchus, aliique plures. Ammianus Marcellinus *Tagetis* laudat libros, quibus Prodigia quædam ac Portenta possent explanari; eorum Mores olim.

nari: qua in re officium *Etrusci* Vates atque Sacerdotes præstabant. Quin & Antistius Labeo Libros *Tagetis* exposuit, eiusque Disciplinam *Etruscam* quindecim Voluminibus est interpretatus: quod & Fulgentius ad Grammaticum Chalcidium refert, quo loco de Manali Lapide disserit. *Vortumnis Etruriæ* Deus celebratur Varroni in libris de LL. & Propertio lib. IV:

Tuscus Ego, Tuscis orior: nec pœnitet inter
Prælia Volsinios deseruisse focos.

Consulendi & Dionysius Halic. lib. V, Ovidius Fastorum I, Macrobius lib. I. Saturnal. Servius ad Aeneidem Virgilianam, & alij.

Etruscorum Vires & Res gestæ.

Vires & Potentiam *Etruscorum*, Resque ab ijs terra marique gestas, memorant copiose Diodorus Siculus lib. VI, Livius locis infinitis, alijque Auctores quamplurimi. Amplitudinis Rei *Etruscæ* argumenta sunt; Primum, quod Maria, quibus Italia cingitur, ab iis denominationem acceperint, Inferum quidem, *Tuscum*, vel *Tyrrhenum*, ab ipsa Gente; Superum autem *Hadriaticum* ab *Hadria Tuscorum* Colonia: Alterum, quod Populus Romanus in suos Mores & Civitatem multa ab *Etruscis* traduxerit, *Fasces*, *Trabeas*, *Sellas Curules*, *Annulos*, *Phaleras*, *Paludamenta*, *Prætextam*, *Ornamenta Triumphalia*, *Togas Pictas*, *Tunicas Palmatas*, omniaque, ut paucis dicam, Decora & Insignia, quibus Imperij dignitas eminebat; quæ L. Tarquinium Priscum V Romanorum Regem, XII *Etruriæ* Populis subactis, Romam deportasse scribunt Strabo, Dionysius Halicarnassæus, Livius, Silius Italicus lib. VIII, Florus lib. I, & alij: quodque idem Populus, ut præter Tullium in Divinatione & alios; tradunt Livius & Halicarnassæus, Liberos suos in *Etruriam*, tamquam ad Academiam & Scholam publicam, cum Litteris, tum Moribus imbuendos amandare fuerint soliti: Tertium, quod *Tuscus* Vicus Romæ, *Tusculum* & *Tusculanum* in Latio nomen ab ijs sumserint. Alia prætereo. Trecenta Vmbrorum opida ab ijs debellata leguntur, Plinio auctore, Duodenis cis Apenninum Vrbibus habitantes ad Inferum Mare, totidem trans Apenninum condiderunt, Colonijs in eas missis, uti produnt Polybius, Livius, Halicarnassæus, & Plinius; qui hos, multosque alios Tuscorum Colonos nominat, *Aretinos Veteres*, *Aretinos Fidentes*, *Aretinos Iulienses*, *Aquenses* cognomine *Taurinos*, *Agylleos*, *Alsios*, *Bleranos*, *Cortonenses*, *Caretanos*, *Capenates*, *Clusinos Novos*, *Clusinos Veteres*, *Cosanos*, *Faliscos*, *Fluentinos*, *Fesulas*, *Ferentinum*, *Fescenniam*, *Fregenas*, *Graviscas*, *Hortanum*, *Herbanum*, *Lunam*, *Lucam*, *Nepe*, *Novem Pagos*, *Præfecturam Claudiam*, *Forum-Clodij*, *Pistorium*, *Pisas*, *Perusiam*, *Pyrgos*, *Suanenses*, *Saturninos* antea *Aurinos* vocatos, *Senenses*, *Sutrinos*, *Sudertanos*, *Statones*, *Tarquinienses*, *Tusianenses*, *Vetulonienses*, *Veientanos*, *Vesentinos*, *Volaterranos* cognomine *Etruscos*, *Volsinienses*, una cum *Agro Crustumino* & *Caletrano*. Cum *Tuscis* iam inde ab Romuli tempore Populus Romanus bellum gerere cœpit, perpetuoque temporum tractu gessit; adeo ut, rebus ad periculosissimum statum adductis, sæpe Dictatore contra ipsos fuerit opus. Anno Vrbis CCCCLXXIV, Vulsiniensibus & Vulcientibus florentissimis *Etruscorum* Populis victis per Ti. Coruncanium Cos. Romano Imperio sunt adiecti, atque ea parte Imperium ad Arnum usque est propagatum. Neque post id tempus iustum cum *Tuscis* bellum fuisse gestum memoratur. Ita subiugati constanter in fide Populi Romani manserunt.

Etruscorum Principes & Domini. Magnus Etruriæ Dux.

Inclinantibus Romanorum rebus, varias sunt Calamitates passi ab *Gothis*, *Langbardis*, *Hungaris*, alijs. Eo tandem ventum est, ut *Etruria* nunc, maiorem partem, *Magno Etruriæ* pareat *Duci*, sub cuius Imperio nobilissimæ sunt *Florentia*, *Pisæ*, *Sena*, *Pratum*, *Pistorium*, *Volaterra*, *Mons Politianus*, *Aretium*, *Cortona*, *Pescia*, *Pientia*, *Mons Alcinus*, *Liburnum*, *Plumbinum*, aliaque quamplurima opida:

Pontifex Maximus.

Ad *Summum Pontificem* pertinet *Patrimonium*, quod vocant, *S. Petri*. Id ab Amne Pescia & ab S. Quirico capit initium, & ad Caparanum usque Castrum in Novo Latio non procul ab Liri Fluvio producitur:

Hispaniarum Rex.

Ditionis *Hispaniarum Regis* sunt *Pontremulum* iuxta Macræ Fluvij fontem, quod olim Ducum fuit Mediolanensium; deinde *Portus Herculis*, *Orbetellum*, *Mons Argentarius*, & *Piumbini Arx*.

Dux Ferrariæ.

Carfeniana seu *Grafiniana Vallis*, sub Apennino ultra citraque Serciam Amnem posita, in qua Castellum Novum est Grafinianum, cum plurimis alijs Castellis Vicisque, sub potestate est *Ducis Ferrariensis*:

Genuenses. Marchiones, aliique.

Sarzana apud Macram Fluvium ad *Genuenses* spectat. *Massa* & *Carraria* particularium sunt *Marchionum*, qui earum Titulis decorantur. Alia quoque sunt opida, Romanis quibusdam Proceribus subiecta, inter quæ *Braccianum Vrsinis* Ducatus Titulum præstat,

Vt autem olim, ſic hodieque *Etruſci* clariſſimi ſunt Belli Paciſque tempore; ad omnia ſumma tam in otio, quam negocio expeditiſſimi: ad litterarum Studia promtiſſimi: acumine Ingenij mira ſagacitate & aſtutia ſingulari præſtantes: frugalis vitæ, parſimoniaque laudabili: Idiomate utentes, quod ob elegantiam præ ceteris *Italiæ* cenſetur nitidiſſimum; docentibus id abunde Poëtis, Oratoribus, aliiſque Scriptoribus, quos habuerunt, habentque cum puriſſimos, tum doctiſſimos. Quales hodie Etruſci.

Etruſcorum porro, de quibus hactenus generatim dixi, ſpecialiores Populi leguntur varij, *Veientes*, *Faliſci*, *Tarquinienſes*, cum multis alijs *Veientes*, qui Βήϊοι audiunt Plutarcho, *Veientani* Plinio lib. III. cap. V. à *Veis*, id eſt Plauſtris, quibus omnia ſua Scytharum more circumferre erant ſoliti, dictos quidam arbitrantur. Ego nihil adfirmo. Alij ab *Veijs* dirivant, principe ipſorum Vrbe. Sedes habuerunt ſuas ab Ianiculo ad Lacum uſque Sabatum vel Tarquinienſem progreſſu inde verſus Septemtrionaliora facto Roſulum, Regnanum, Radicetique Soranus, & deinceps ſecundum Tiberim ad Ianiculum quemadmodum patet ex varijs Livij locis. Frequens ipſorũ mentio apud Veteres Scriptores, præcipue Dionyſium Halicarnaſſæum & Livium; ex quibus alijſque conſtat, poſt diuturnum, varium & multiplex inter ipſos & Romanos bellum, tandem Mam. Aimilium Mamercinum Dictatorem III anno ab V. C. CCCXXVIII eorum opes ita adflixiſſe, ut poſtero anno Inducias in XX annos petere fuerint coacti. Anno CCCXLVII, quũ ut inquit Livius, Induciarũ tẽpus exiiſſet, *Veientes* ab Senatu impetrarũt, quia ipſi diſcordia inteſtina laborarent, ne Res ab ſe repeterentur. Sequente ergo anno Bellum *Veiens* motum ob ſuperbum reſponſum *Veientis* Senatus, Legatis Romanis Res repetentibus datum. Id Patres ægre paſſi decreverunt, ut primo quoque tempore Tribuni Militum de Bello *Veientibus* indicendo ad Populum ferrent. Ita anno ab V. C. CCCXLIX circumſeſſi primum ſunt *Veij*, atque inde per novem annos vario eventu ab Tribunis Militum res cum *Veientibus* geſta eſt, donec anno CCCLVIII M. Furius Camillus Dictator dictus, Faliſcis primum & Capenatibus fuſis caſtriſque exutis, ad *Veios* profectus, cuniculo in Arcem acto, Vrbem ipſam decimo eius belli anno cepit; & maxima præda potitus, Iunonis etiam Signum Romam delatum in Aventino, exſtructo ibi Templo, locavit; quum clariſſimum de *Veientibus* in Vrbem Triumphum equis albis vecto Curru invexiſſet. Atque ita *Veij*, qui CCCL annis multum Romanis negocij fecerant, capta Metropoli ſunt debellati. Legendi præter Livium, Eutropium, Plutarchum, Diodorum, & Valerium, Florus lib. I. cap. XII, Auctor de VV. Illuſtribus cap. XXIII, Plinius lib. II. cap. XCVIII, lib. III. cap. V, XII, XVII, Auguſtinus lib. II de Civit. Dei. cap. XVII, & lib. III. cap. XVII; apud quos alioſque alia multa de *Veientibus* leguntur, ſed quæ minoris momenti. Primum.

Faliſci, quos inter Veteres *Etruriæ* Populos ſecundo loco nominavi, Romanorum Hiſtoriis ſunt notiſſimi. Φαλίσκοι cum aliis, tum Stephano: Φαλαίσκοι Diodoro. De ijs Strabo lib. V; Ἔνιοι δ' οὐ Τυῤῥηνοὺς φασὶ τοὺς Φαλερίους, ἀλλὰ Φαλίσκους ἴδιον ἔθνος· τινὲς καὶ τοὺς Φαλίσκους πόλιν ἰδιόγλωσσον. οἱ δὲ αἰακοῦ συμβαλίσκον λέγουσιν ἐπὶ τῇ Φλαμινίᾳ ὁδῷ κείμενον, μεταξὺ Ὀχρικλῶν καὶ Ῥώμης: ubi pro οἱ δὲ αἰακοῦ συμβαλίσκον λέγουσι, Hermolaus Barbarus, vir doctiſſimus, ita emendat, οἱ δὲ αἴκον φάλισκον λέγουσι, quemadmodum apud alios *Aequi Faliſci* leguntur. Virgilius: Faliſci.

> *Hi Feſcenninas acies*, Aequoſque Faliſcos.

Sic Silius Italicus de Bello Pœnico:

> *Hos iuxta Nepeſina cohors* Aequique Faliſci.

Non deſunt tamen, qui de locis iſtis aliter ſentiant. Ad rem. *Faliſcos* nomen Gentis eſſe; *Falerios*, Civitatis, conſtat etiam ex Plutarcho in Camillo & Livio lib. V. Solinus Gentem fuiſſe tradit; quę huc, Argivo Ductore, *Phyſica*, vrbe Macedonię, commigravit. Ovidius IV Faſtorum Ducem appellat *Aleſium Argivum*:

> *Venerat Atrides Fatis agitatus* Aleſus:
> *A quo ſe dictum* Terra Faliſca *putat*.

Idem alibi in Elegia de Feſto Iunonis:

> *Argiva eſt Pompæ facies: Agamemnone cæſo,*
> *Et ſcelus & patrias fugit* Aleſus *opes.*
> *Iamque pererratis profugus terraque marique*
> *Mœnia felici condidit alta manu.*
> *Ille ſuos docuit Iunonia Sacra* Faliſcos.

Sces

Sedes habuerunt ad dexteriorem Paliæ ripam, ad Vulsinium Lacum, longe lateque versus meridiem. Colebant *Falisci*, præter *Vadimonem* vel *Vertumnum*, cum reliquis *Tuscis* etiam *Iunonem*; unde *Iunonicolæ* apud Ovidium VI Fastorum;

Adde Senem Tatium, Iunonicolasque Faliscos,
Quos ego Romanis succubuisse tuli:

Item *Apollinem* in Soracte Monte. Apud *Faliscos* Familias fuisse, quæ *Hirpiæ* vocabantur: has Sacrificio annuo, quod *Apollini* fiebat ad Montem Soractem, super ambustam Ligni struem ambulantes, non solitas aduri; & ob id perpetuo SC. Militiæ aliorumque Munerum vacationem habuisse memoriæ produnt Veteres Scriptores. Aruns apud Virgilium:

Summe Deum, Custos sancti Soractis Apollo,
Quem primi colimus, ut pineus Ardor acervo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna.

Silius Italicus libro V de Bello Pœnico:

Tum Soracte satum præstanti corpore & armis
Aequanum noscens, patrio cui ritus in arvo
Quum pius Arcitenens accensis gaudet acervis
Exta ter innocuos late portare per ignes:
Sic in Apollinea semper vestigia pruna
Inviolata teras.

& quæ sequuntur. In pretio erat apud eos & *Pallas*, de qua Ovidius III Fastor.

An quia perdomitis ad nos captiva Faliscis
Venit——

De *Iunone*, cuius antea memini, item Tertullianus in Apologetico: *Faliscorum in honore est Pater Curis, unde accepit cognomen* Iuno. Moribus & Institutis Falisci tam bene erant edocti, ut eam ob caussam *Aequi* quasi putentur cognominati. Loca id nomen etiamnum paullo ante laudavi, de quibus alijs alia mens. In plerisque Veterum Argivorum moribus utebantur, a quibus originem ducere credebantur. Legendus Dionysius Halicarnassæus, qui quod dixi probat ab Re *Faliscorum* militari, varijsque apud eos Armorum generibus. Tantæ apud Finitimos suos fuerunt existimationis, ut Leges ab ijs (si Servio fides) & supplementum XII Tabularum Romani sumserint. Facit illud demonstrandæ *Faliscorum* potentiæ, quod Eutropius in fine libri II & Orosius lib. V dicant, uno prælio quindecim eorum millia fuisse cæsa, Q. Lutatio & A. Manlio Coss, ceteris pace concessa. Erat alioquin brevis admodum & angusta ipsorum Regio. Post multa feliciter & infeliciter gesta, tota tandem *Faliscorum* Regio cessit in ditionem Ecclesiæ Romanæ, vulgata illa Donatione, ut quidam contendunt, Constantini; vel, ut cum alijs auctor est Blondus Decadis I libro X, concessione Luitprandi Langbardorum Regis, Zachariæ, Romano tunc Pontifici, Divoque Petro facta, anno Christianæ salutis DCCXLII; vel, quod vero magis consonat, longa Possessione, quæ ab Ludovico I Imperatore confirmata est anno ab Christo nato DCCCXVII, uti probant ipsius Ludovici litteræ in Decretis Gratiani positæ, LXIII Distinct. c. Ego Ludovicus. *Agri Falisci* inter cetera proprium esse, Oves & Boves producere testatur Plinius lib. II naturalis Histor. *In Falisco*, inquit, *Herba depasta & Clitumni Amnis Aqua pota candidos Boves facit*. Ovidius in Fastis:

Ducantur niveæ Populo plaudente Iuvencæ,
Quas aluit Campis Herba Falisca *suis.*

Idem alio loco:

Colla rudes operum præbent ferienda Iuvenci,
Quos aluit campis Herba Falisca *suis.*

Et lib. III de Ponto:

Agnaque tam lactens, quam Gramine pasta Falisco
Victima Tarpeios inficit icta focos.

Agrum quoque eorum Lini copia fertilem denotat Silius Italicus,

——*Indutis sua Lina* Falisci.

Sic Gratius Poëta in libro de Venatione:

At contra nostris subtilia Lina Faliscis.

Apud

Apud *Faliscos* inventum Farciminis genus, de quo Papinius lib. IV. Silvarum:

Non Lardum grave, debilisve Perna,
Non Lucanica, non graves Falisci,
Non Sal, Oxyporumve, Caseusve.

De Origine & Rebus *Faliscorum* scripsit circa annum CIↃ IↃXLIV Antonius Massa, *Tarquinienses,* *Faliscus*, Gallesius, Iurisconsultus. *Tarquinienses*, qui tertio loco nominati, *Tuscia* Populos appellat Plinius libro natur. Histor. III. cap. V, Fuerunt ubi hodie *Tarquiniæ* Urbis visuntur vestigia: *Tarquene* vulgo, in Etruria maritima. Multa inter Romanos & *Tarquinienses* gesta leguntur apud Veteres Scriptores. Ad alios venio. *Capenates* *Capenates,* apud eumdem sunt Plinium, indicato à me loco, & Livium libro V, XXVI & sequente: dicti à Capena ipsorum Metropoli, quæ hodie *Canapina*. Illorum sedes haud procul fuit Ciminia Silva & Cimino Lacu: coluerunt que Monticulos, qui vernacule *Montaneoza*. *Capenates* eos esse, qui post Vaccanas ad sinistram partem habitant ab Roma eunti, tradit Pomponius Sabinus ad lib. VII Aeneidos. Municipij *Capenatium* meminit Inscriptio quæ in Faliscorum Monte Soracte, in Templo S. Orestis in Tiburtino rudi, littera corrosa:

V. M. SELICI. CLE
. . . .
MENTIS. SEVIRI
MVNICIPIO. CA
PENAT. ARAM
POSVERVNT PII
LIBERTI

Graviscani ab *Graviscis*, hodie *Montalto*, haud procul Mari, ad Ossam Fluvium, qui vernacule *Fiore*. *Graviscani,* Mentio eorum in Inscriptione quæ Romæ in Vinea Cardinalis Carpensis, ubi L. Fabius Cilo Curator nominatur Reip. Nicomedensium, Interamnatium Nartium, item *Graviscanorum*, Vide capite sequente, ubi de Interamnatibus *Volsinij,* Nartibus. *Volsinij* apud Strabonem & Auctorem de VV. Inlustribus cap. XXXVI ab *Volsinio*, quod *Bolsena* hodie, ad *Volsiniensem* & Lacum & Lucum, de quibus ante. *Vulsiniensium* mentionem præter Plinium lib. III, sæpe facit Livius, præsertim lib. IX & X. ubi Postumium Consulem, Exercitu in Etruriam educto, primum *Vulsiniensium* Agrum depopulatum; postea cum ijs qui ex Urbe Finium tuendorum caussa processerant, iuxta muros pugna decertasse, narrat. Quæ libro XI scribuntur, prætereo. *Volsinij* apud Antoninum, ut & apud Tacitum libro IV *Vulsinij*: *Vulsinij Foci* apud Propertium pro *Volsiniensi* ponuntur *Urbe*; quam Caput *Etruriæ* quomdam fuisse innuit Valerius Maximus *Volsinios* Seneca opulentissimos *Etruriæ* Populos nominat. *Vulsinienses* etiam sunt in Marmoribus Romanis. Vide infra. *Saturnini* Plinio, quos *Aurinos* vocatos scribit, ab *Saturnina*, Tusciæ Urbe mediterranea: cuius mentio apud Ptolemæum & *Saturnini,* alios, quæque & hodie nomen retinet, ut ex sequentibus parebit. *Suanenses* sunt apud eumdem Plinium ab *Suana*, quæ Ptolemæo nota hodieque sic appellatur: haud procul *Suanenses,* Glani Fluvio, ubi Stagnum Aretinum. *Statones* eidem Plinio, qui *Statonenses* Vitruvio *Statones,* ab Urbe *Statonia*, cuius meminit Strabo; hodie *Scarlino*: inde *Statonensis Ager* Varroni, & *Statonensis Lacus* Senecæ lib. III. Natural. *Vetulonienses* apud eumdem sunt Plinium *Vetulonienses,* eodem loco: ab *Vetulonio*, quod Οὐετουλώνιον Ptolemæo, *Vetulonia* Silio Italico; hodie *Vetulia*, locus desertus inter Pisas & Promontorium Populonium, tribus ab mari passuum millibus. *Volturrenos*, cognomine *Etruscos*, qui in Vulsiniensium sunt Regione, memorat idem Plinius loco sæpe indicato, apud quem in quibusdam Codicibus male *Volaterrani*. *Volturreni,* *Tuscanienses* eidem Plinio Populi Etruriæ, ubi nunc Opidum nobile, quod *Tuscanienses,* vulgo *Tuscanella*: *Tuscanelli* dicuntur nominari in Edicto Desiderij, Langbardorum Regis. *Fluentini* apud Plinium Arno Flumini adlocati ab Urbe, ut volunt, *Fluentia*; *Florentini* *Fluentini.* Tacito & Frontino, ut nonnullis mens est: Populi satis noti. Quindecim porro *Etruriæ* Populorum meminit Inscriptionis Fragmentum, quod Vulsinijs exstat hodieque mutilum.

IN. ITALIA. VVLSINIENSIVM
PATRIÆ. SVÆ. ITEM. FERENT
ET. TIBVRTIVM. ITEM. COLON
ITALICENSIVM. IN. PROV.
BAETICA. PRAET. ETRVR.
XV. POPVLORVM
SACERDOTI. CAENENSIVM
M. HELVIVS. M. F.
CLEMENS. ARNENSIS
DOMO. CARTHAGINE
PRAEF. EQ. ALAE. PRIMAE
CANNANEFATVM
PRAESIDI. SANCTISS. ET
CARISSIMO
CVRA. AGENTE. L. ACONIO. CALLISTO
TR. MIL. LEG. XIV. GEM. SEV

Specialiora Tuscia.

De *Tuscia* generatim diximus : flagitat Methodus, ut sigillatim omnia persequamur: priore quidem loco, quæ ab Fluvio Macra ad Tiberim usque Littoribus proxima; inde quæ Mediterranea sunt, & intus magis se offerunt.

Luna Vrbs diruta.

Sarazana genitrix.

An eadem cum Carrara.

Lunensis Portus.

Ab Macra iuxta Littus primum omnium Locus occurrit antiquæ nobilisque Vrbis *Lunæ*, cuius ingentes supersunt ruinæ; cum aliquot Piscatorum Casis. *Luna* Plinio; Λοῦνα Straboni lib. v & Ptolemæo: Græcis etiam, uti notat Strabo, Σελήνη. Ex *Lunæ* ruderibus vicinum opidum *Sarazanam*, (*Sergianam* quidam Latine scribentes vocant) exstructum censet Volaterranus. Annius Viterbiensis, quum videret eo fere loco *Cararam*, fabricavit nobis illa Catonis, *Cariara, quæ & Latine Luna*; addens in suo ad suppostitium Auctorem Commentario, Latine dici *Lunam*, Græce *Selenen*, Sago Etrusco vocabulo *Cariaram* nunc corrupte *Carraram*; esse enim *Car*, teste Hieronymo, *Vrbem*; & *Iaram*, *Lunam*: inde *Car-Iaram* nihil aliud esse, quam *Vrbem Lu-nam*. Ingeniose, sed an vere, ego in medio relinquo. Ab *Luna* autem *Lunensis* est *Portus*, de quo antea verba feci. De condita ab Trojanis *Luna*, excisaque ab Octaviano Augusto, multa fabulose circumferuntur. Certe ante Lucani tempora præceps ire cœperat, & labi. Canit is libro I Belli Pharsalici:

——quorum qui maximus ævo
Aruns, incoluit desertæ mœnia Lunæ.

Lunensis Caseus.

Meminerunt *Lunæ* multi Scriptores, cum primis Livius lib. XXXIX & XLI, ubi Coloniam eo deductam notat. *Lunensem Caseum*, celebrat Martialis:

Caseus Etruscæ *signatus imagine* Lunæ
Præstabit Pueris prandia mille tuis.

Lunensia Vina.

Lunense Marmor.

Plinius lib. XIV natur. Histor cap. VI in Vinorum censura palmam *Etruriæ Lunam* habere perhibet. Marmoris etiam candidi Fodinis celebris: unde *Marmor Lunense*. Intelligit Nonnus Διονυσιακ. ε

——τῆ δὲ Σελήνης
Εἶχε λίθον παλίλδηνον.

Legendum forte μιλλδηνον. *Luna* Patria fuit Eutychiani P. M. & Martyris. Vrbs quamquam interciderit, memoriam tamen eius servat Ager Confinalis, qui *Lunıana* vulgo, nunc in Genuensium fere ditione.

Arx Motronis.

Portus Liburnus.

Sequuntur in ora Ostia *Larentiæ Frigidique*, & *Cerviæ Palus*: dein Arx *Motronis*, *Motrone*, iuxta Versiliæ fauces; Propugnaculum vetus edito loco, quod Florentinis ademtum Karolus *Siciliæ* Rex Lucensibus restituit anno CIↃCCLXXV: iterumque Florentinos postea cepisse, scribit Blondus. Haud procul Arni ostio *Portus* est *Liburnus*, quem Cicero *Labronem* appellat ad Q. Fratrem lib. II. Epist. III scribens: apud quem pro *Labrone* male quidam reponunt *Vmbronem* Fluvium. *Vmbro* sane nimis magno Pisis distat intervallo, quam ut ab Cicerone coniungerentur. *Ad Herculem*

videtur

videtur nonnullis dici ab Antonino, cujus Iter vide infra. Ptolemæus tamen Ἡρακλέους λιμένα ponit inter Lunæ Promontorium & Arni Fluminis Ostium: ergo multo versus Occidentem. *Portus* autem *Liguræus* hodie *Livorno* vocatur: de eo alibi plura.

Intus tertio ab ora lapide stupendæ vetustatis Vrbs est *Pisa*. Sic Livio lib. xlv & alibi appellatur, quæ *Pisæ* Trogo, eidemque Livio non uno loco, Virgilio, Lucano, Plinio, Solino, Pomponio Melæ, Antonino, Itinerariæ Tabulæ cæterisque Scriptoribus: Πίσα Straboni lib. v, Polybio lib. ii, Dionysio Halicarnassæo lib. i, Agathio lib. x. de Bello Gothico, & aliis. Πίσαι, duplici æ Ptolemæo. Conditam vult Halicarnassæus, quem nominavi, a *Pisis Alpheis Peloponnesi*; Plinius & Solinus à *Pelope Pisisque* sive *Atintanis*, Græca Gente; quos *Pisa*, Arcadiæ oppido, quod Alpheus Amnis adluit, profectos, cognominatos ferunt *Alpheos*. Inde *Pisæ* Virgilio lib. x. Æneidos *Alpheæ*: inde *Alpheæ origine Vrbs* Rutilio Itinerarii lib. i. Trogus item lib. xx. *Pisas* ab *Græcis* oriundas scribit. Strabo ab iis conditas *Pisas* notat qui ex Peloponneso cum Nestore ad bellum Troianum profecti, quum excisio Ilio domum redirent, erroribus acti per maria partim Metapontum, partim Tyrrhenum Littus tenuerunt, *Pylii* omnes dicti. His consentientia quædam legere est in Tabella, quæ in Summo Templo publice posita. Incolæ singulari valent memoria; quod Vrbs crassiore fruatur aere. Iacet inter Amnes Auserem & Arnum, ut Strabo Pliniusq; notant. Contemplatur Rutilius Claudius Numatianus in Itinerario:

> Alpheæ *veterem quæ nescit* originis Vrbem,
> *Quam cingunt geminis Arnus & Auser aquis;*
> *Conum pyramidis coeuntia Flumina ducunt,*
> *Intratur modico Frons patefacta solo.*
> *Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,*
> *Et Pontum solus scilicet Arnus adit.*
> *Ante diu quam Troiugenas Fortuna Penates*
> *Laurentinorum Regibus insereret,*
> *Elide deductas suscepit* Etruria *Pisas,*
> *Nominis indicio testificata genus.*

Hodie Arnus per eam fluit, tribus ornatus Pontibus: *Spinæ*, Fornicum quatuor; *Veteri* trium; *Mari*, quinque. Vetustatem ejus & Nobilitatem celebrat Dionysius Halic. lib. i. Connumeratam solitam Primis xii *Etruriæ* Vrbibus, tradunt alii. Navigationem ab Mari adversam habere Stadiorum xx. Civitatem quondam felicem & beatam fuisse nec suo tempere vel ignobilem vel obscuram propter Frugum copiam, Saxorum opera, Navalem Materiam; & inter Etruscos belli gloria præcelluisse Ligurumque finitimorum Cotem veluti fuisse & irritamentum, memoriæ prodit Strabo. De ea sic Benjaminus in Itinerario: *Distant ab Genua* Pisæ *duorum dierum itinere: ingens Vrbs, in qua in Domibus fere decem mille Turres numerantur ad pugnandum aptæ & instructæ, si quando dissidium aut Pugnæ necessitas exstiterit. Cives ipsi omnes strenui, neque Reges, neque Principes tenent parentes sed Magistratus ab ipsis creatos.* Vixit Benjaminus ante quadringentos circiter & triginta annos. Sic de eadem Franciscus Petrarcha, Pisarum *Vrbs*, inquit, *pervetusta, & adolescentis & decoræ speciei; & licet inter plana sita, non tamen, ut magna pars Vrbium, planis Turribus, sed tota eminentissimis Ædificiis apparens, ut & Maris potens fuerat: donec Patrum memoria non modo vires æquoreas, sed animos navigandique propositum, magno victi prælio Genuensium, amisere.*

> *Antiqui splendoris adhuc monumenta supersunt*
> *Inclyta: marmoreis fulgentia Tecta Columnis;*
> *Turris & inclinata Foris, minitansque ruinam*
> *Pendula, recta intus si videris; Area longa,*
> *Gloria Romani Decus qua maxima Iuris*
> *Conditus est: ubi viceni & quattuor horis*
> *Corpora consumi memorant his obruta terris:*
> *Quin Nicodeme tui monstrant monumenta Sepulcri.*

Sic inter alia de ea canit politissimus Poeta Nathan Chytræus. Quæ à *Pisanis* gesta, stantibus adhuc Romanorum rebus, commemorant cum alii, tum Livius lib. ii, iii, iv, xxi, alibi, quæ vero cum Imperio declinante, annisque nuper lapsis, quamq;

Margin notes: Pisæ. — A quibus conditæ. — Incolæ quales. — Situs, cælum. — hodie. — Eius Vetustas & Felicitas. — Antiquitatis vestigia. — Res gestæ.

mari terraque, subjugatis Sardinia, Karthagine, Panormo, Salerno, alijs, fuerint semper potentes, docent Leonardus Aretinus, Flavius Blondus, Antoninus Archiepiscopus, Sabellicus, Platina, Volaterranus, aliique multi Scriptores. Clade ab Genuensibus ad Lamellum inlata, adeo fuerunt fracti, ut post reficere se, viresque recuperare pristinas nunquam potuerint. Libertatem, quam initio semper habuerant, salvam habuerunt ad annum usque CIↃ CCCXXVIII, quo Patriam Tyrannide invasit cum nomine *Comitis Pisani* [illegible]. Eum sequuti sunt alij: inter eos *Ioannes Agnellus*, qui *Dux Pisanorum* appellatus est, anno CIↃ CCCLXIV. Tertius ab eo *Gerardus Appianus Pisanos* Ioanni Galeatio Mediolanensium Duci vendidit. Post per *Ioannem* [illegible] in potestatē venerunt Florentinorum, qui anno CIↃ CCCCXCIV ope Karoli VIII Galliarum Regis expulsi, aliquanto post obsessam Urbem anno CIↃ IↃIX recuperarunt; migrantibus Civibus plerisque alijs alio, malentibusque foris sua frui Libertate, quam in Patria premi Servitute. Doctissime multa paucis Iulius Cæsar Scaliger:

Pisa vetus, [illegible] olim Orientis onusta,
[illegible] arma [illegible] rela [illegible].
Sic [illegible] ipse [illegible] ergo:
Sic [illegible] est [illegible] tuttor [illegible] loco.
Mortales [illegible] nec credite Fatis:
Nam quod [illegible] alius, illa dedere mihi.

Archiepiscopatus. Archiepiscopatus floret dignitate: cui subjiciuntur *Massanensis* & *Grossetensis*, præter alios in Corsica Præsules. *Archiepiscopus* enim *Pisanus* Corsicæ est Primas.

Academia. Academiam habent *Pisani* Disciplinarum omnium; institutam anno CIↃ CCCIX. Docuerunt ibi *Felinus Sandeus*, *Franciscus Aretinus*, *Philippus Decius*, *Bartolus*, & alij. Cum Urbis fortuna lapsam restituit Cosmus Medices, vocatis eo ad Iuris Professionem *Andrea Alciato*: ad Medicinæ, *Matthæo Curtio*: qui in Campo Sancto sepulti.

Viri clari. Viros claros genuit *Pisa* non paucos, cum alijs, *Eugenium* III P.M. *Raynerium* & *Bartholomæum*, illum Pantheologiæ, hunc Summæ Casuum, ut vocant Conscientiæ, quæ *Pisana* dicitur, auctorem. *Pisatilem appellat Nævius*, ut legere est apud Sex. Pompeium Festum, *Pisatam* [illegible] *Pisis oriundum Tyrannum*: *Cives* (sic legendum pro *cujus*) *alioquin inde profecti nunc* Pisani *dicuntur*. Servatum hic aliquando nobilissimum illud

Pandectæ Pisanæ hodie Florentinæ. Pandectarum Volumen, Constantinopoli ab ipsis adlatum; postea Florentiam portatum unde *Pandectæ* hodie *Florentinæ*.

Bibliotheca. Bibliotheca apud Dominicanos est satis bona.

Concilium. Nobilitata fuit *Pisa* Concilio Generali, quod hic anno CIↃ CCCC, causa Schismatis inter duos Pontifices Gregorium XI & Benedictum XIII orti, celebratum. Inceptum hic quoque Conciliabulum aliquot Cardinalium adversus Iulium II. quæ res quum publice innotuisset, Populus, Armis arreptis, profugere coëgit omnes, qui ea de caussa convenerant.

Sedes Equitum D. Stephani & Germanorum familiarum. *Pisæ* Magnus Etruriæ Dux sæpe moratur; & in ea Domicilium habent Equites D. Stephani, ab Magno Duce instituti. In hac Urbe Otho I, Imperator septem Germanorum instituit Familias, quas & honoribus & facultatibus ornavit. Sunt eæ *Casæ* [illegible], *Orlandi*, [illegible], *Vicecomites*, [illegible], *Dodi*.

Summum Templum. Primarium Templum, quod *Domum* vocant, ambitum habens CCXL passuum, columnisque subnixum [illegible] X, & splendidas Præsulis Ædes ex Spolijs ædificarunt *Pisani*, quæ devictis ad Panormum Saracenis retulerunt.

Præclarum Domum, Sepulcra in Domino Templo. In eo Templo Ossa sunt condita *Henrici* VI: *Lucemburgensis*, Imperatoris, *Pisas* translata anno CIↃ CCCXVII, die Sextilis XXV. Est ibidem Sepulcrum *Vladislai*, illustrissimi Ducis Texanensis, qui obijt Pisis anno CIↃ CCCLV, mense Aprili; ab Vladislao Duce Silesiæ, Dominoq; Texanensi renovatum anno CIↃ CCCCCII, Idibus Februarij. Monstrant ibidem Cives & Cadavera *Gamalielis*, *Nicodemi* & *Abibæ*, Patris, Filij & Nepotis, Hierosolymis eo traducta.

Cœmiterium. Sepulcretum pedes oblongum CCCCLXXXVI, latum CLX, pulcherrime exornatum *Campus Sanctus* dicitur: quod ejus Terra, ut volunt, Hierosolymis fuerit transportata, Mortuorumque Cadavera ibi uno naturali die consumuntur.

Ager. Ager suburbicarius Segetibus est percommodus, adeoque fertilis, ut *Etruriam* fere totam pascat, & Exteris etiam Annonam non neget. Vina ibi notæ non admodum probæ: Pepones optimi.

Post *Pisas* in ora sequuntur, præter crebros haud procul Liburno Lacusculos ac

Mons Niger. Resignanum. Paludes, *Mons Niger*, *Monte Nero*, paullum ab Littore abitus: inde *Resignanum*, *Resignano*;

Resignano; & ulterius *Vada*. Sic Antonino, sicque hodie dicuntur, quæ *Vada Volaterrana* M. Tullio, Plinio, alijs. In Tabula Itineraria scriptum est, *Vadis Volaterris*; inter quæ & *Pisas* notantur ibi alia loca, *Turrita*, *Piscina*, *ad Fines* & *Velinæ*, uti in medio videbimus hujus capitis. Fallitur Volaterranus, qui hoc loco scribit exstitisse quomdam *Etruriam Vrbem*; quam meliores Scriptores ad Lacum Vadimonis signant; accedente Plinio, qui solum *Vadam*, Etruscæ gentis Opidum, olim in Littore fuisse dicit. Visuntur quidem ad *Vadam*, recedentibus Marinis plus æquo Aquis, quorumdam Ædificiorum Rudera; sed ea putandum est *Vadorum* partem, vel aliud *Volaterranorum* opus. Succedit Ostium *Cecinnæ*, de quo ibi. Ab eo paullo interius ab ora *Bulgarium* est opidum, *Bulgari*; Frumenti Fructuumque copia mire adfluens, sed Aquarum dulcium supra modum inops. Iuxta est *Castanietum*, *Castagneto*, in colle: & ad littus *S. Vincentij Turris*, *Torre di S. Vicenzo*. Hanc inter & Promontorium Populonium tribus ab Littore passuum millibus, inter silvosos Saltus, Murus occurrit longus, spatium maximum complectens, grandibus Saxis, crassus pedes x, partim integer, partim conlapsus: cum magna Fontium Puteorumque copia; Amphitheatri parte, Lapide Etruscis Litteris inscripto multis denique nobilium Marmorum frustis, Capitulis præruptis, Basibus, Tabulis, Abacis, Epistyliis, alijsque id genus Antiquitatis Monimentis: *Vetulam* Adcolæ nominant; nemorososq; Saltus *Silvam Vetlettam*: unde conjicere licet cum *Silua Vetuloni* Οὐετουλώνιον hic fuisse, cujus meminit Ptolemæus: *Vetuloniam* appellat Silius; de qua Populisque *Vetulonensibus* antea dixi.

Vada Volaterrana. *Bulgarium.* *Castanietum.* *S. Vincentij Turris* *Vetulonium dirutum.*

Procurrit mox in æquor ora, Peninsulamque quasi facit: ubi quomdam Colli imposita fuit antiqua Vrbs *Populonia*. Sic Livio, qui ejus meminit non semel, præsertim libro XXVIII, Virgilio X Æneidos, Antonino, Rutilio lib. I, Melæque dicta, quæ *Populonium* Plinio & Itinerariæ Tabulæ; Ποπλώνιον Straboni, Ptolemæo, Stephano. Vna fuit ex XII Etruriæ Vrbibus, princeps rei Navalis. Dictam volunt à *Populorum* multitudine, quæ in eius Agro; vel ab frequentibus Piratarum *Populationibus*. Qualis illi fuerit in Promontorio cognomine Situs, quo modo & quãdo (Sullanis scilicet temporibus) dirutum fere totum, præter Sacras Ædes & paucas Domos, notat Strabo lib. V. Restauratum nonnihil plane subversum est ab Nicea Patritio Constantinopolitano, Imperatoris Præfecto, Bernardino Karoli Magni Nepote in Italia regnante. Iuxta *Populoniæ* Littus Vandalos cum Genserico Rege devictos à Basilio, Classis Imperatoris Leonis III Præfecto, memorant Blondus & Sabellicus. Tradit Plinius libro XIV. cap. I in Vrbe *Populonia* Iovis fuisse Simulacrum una ex Vite, incorruptum multis annis conspectum. De Vestigijs hujus Vrbis, ex quibus ejus magnificentia facile potest æstimari, notatu digna leguntur ex relatione Zachariæ Zanchij Volaterrani apud Leandrum. De *Populoniæ* Ruinis Rutilius libro Itinerarij I:

Populonia diruta.

Pendula securum referas Populonia *littus*,
Qua naturalem ducit in arva sinum.
Non illic positas extollit in æthera moles
Lumine nocturno conspicienda Pharos:
Sed speculum valida rupis sortita vetustas,
Qua fluctus domitos arduus urget apex:
Castellos geminos hominum fundavit in usus,
Præsidium Terris, Indiciumque Fretis.
Agnosci nequeunt ævi monimenta prioris:
Grandia consumsit Mœnia tempus edax.
Sola manent interceptis vestigia muris;
Ruderibus latis tecta sepulta jacent.
Non indignemur mortalia Corpora solvi:
Cernimus exemplis Opida posse mori.

In Situ *Populoniæ* labitur Blondus, eam ad Ostium Vmbronis Amnis ultra Plumbinum locans. Ad *Populoniæ* Rudera *Palus* est *Caldana*, supra quam versus Septemtrionem, ubi Corniam recipit fluvium, *Campilia* jacet, vulgo *Campiglia*; quam

quam Auctore nullo, vel frigido, ut solet, Annius *Capylium* antiquitus vocatam scribit.

Altero Peninsulæ, de qua dixi, vel Promontorij latere major Maris Sinus panditur. Ibi *Plumbinum* Sinum ipsum spectat, quod ob interitum *Populony*, ab cujus ruinis tribus Passuum millibus est conditum, *Populoniique* nomen adhuc quodam modo referre creditur. Ecclesia Romana *Plumbinariam*, Blondo teste, diu vocavit. Opidum nobile lautumque satis; Mari adpositum, quo latere uno adluitur. Sub Principatu dudum fuit inlustris Apianorum familiæ: hodie alius est potestatis.

In interiore Sinus, cujus memini, recessu *Scarlinum* est, in Colle situm, Apianorum quondam ditionis: *Scabris* vel *Scapris* Antonini. Volaterranus hic fuisse *Stationes* Pisani opinatur.

In exitu Sinus *Insula* jacet *Troiana*, modico ab Continente separata Freto: vulgo *Isola della Troia*, vel *Phalesce*; unde *Faliscorum* Imperium huc usque pertinuisse quidam autumant.

Alma superato, Planicies occurrit, quæ ab Fluvio *Piano d'Alma*. In ea *Castelio Piscali* est opidum; *Castiglione di Pescaia*: ad fauces altæ cœno Paludis, quam *Lacum Aprilem* nominat Antoninus, cum in Itinerario Maritimo Portuum ab Vrbe Arelatum usque, tum Itinere ab Roma per Tusciam & Alpes Maritimas ad idem opidum. Dixi alibi. Iuxta eamdem Paludem *Burtanum* est, mox *Columna*; de quibus **post dicam in Itinere Antonini.**

Hinc transito Bruno flumine ad oram redeunti secundum Paludem, modico ab ripa spatio, in Valle *Mons Piscalius, Monte Pescalt*, adparet.

Ad ripam Vmbronis Occidentaliorem *Grossetum* est Opidum, Ditionis Senen**sium, Episcopatus titulo clarum.**

Vltra Vmbronem *Portus* se offert *Telamonis*, *Porto di Telamone*, de quo alibi. Decimoquinto hinc lapide, Osam Albengiamque transgressis occurrit *Orbitellum*, ad Lacum cognominem: cui Cherronesus hic adjacet ingens & Promontorium, quod vulgo *Monte Argentaro*: cui uno in latere *D. Stephani Opidum*, *S. Stefano*: altero ***Portus Herculis*, *Porto d'Ercole*, Antonino in Itinerario Maritimo celebratus.**

Haud procul Lacu, quem dixi, Cherronesoque *Cossa* fuit opidum: sic vocatum Livio, Plinio, Pomponio, aliis. Κόσσα Straboni & Stephano: quod Κόσσαι Ptolemæo: *Cosa* Virgilio lib. x. Rutilio libro I, & Itinerariæ Tabulæ. *Cosa* Onuphrio. *Volscensium* cognominat Plinius, cujus libro III. cap. v hæc Locis his inlustrandis sunt verba: *Fluvio Nasturorum caput, & ab eo* (Littus legit ab Occidente versus Orientem) *Tredius Vmbria, Portusque Telamonis, Cosa Volcentium* (nam distinctio inter duas has voces expungenda: vitiosi Codices *Telamotosa*, quali usus est Blondus) *à Populo Romano deducta, Graviscæ*, & quæ sequuntur. *Cossa* hæc Onuphrio *Orbitellum* putatur, de quo dixi; *Ansedonia*, Nigro; *Ansedonia*, Leandro. Strabo certe post *Populoniam* in sublimi Colle describit. Sunt qui *Cosam* ob multitudinem Murium desertam dixe**runt. Fabulam censet Rutilius lib. I:**

Cernimus antiquas nullo Custode ruinas,
Et desolatæ Mœnia fœda Cosæ.
Ridiculam cladis pudet inter seria caussam
Promere, sed risum dissimulare piget.
Dicuntur Cives quondam migrare coacti,
Muribus infestos deseruisse Lares.
Credere maluerim Pygmæa damna Cohortis,
Et conjuratas in sua bella Grues.

In Argentarij Montis fine ad Littus *Taliata* est, *Tagliata*: hinc modico ab ora intervallo in Colle *Capalbium*, *Capalbio*; Blondo ***Caput Albium***; Annio ***Caput Abantium***, suo more hic etiam nugenti.

Pescia Floriaque Amnibus transitis, ad orientalem posterioris ripam Castellum est, quod *Monte Alto* vulgo, ubi, ut inquit Leander, pictura Ptolemæi *Graviscas* locare videtur. Sed aliud *Montem Altum* esse, aliud *Graviscas* paret ex Itineraria Tabula, quæ paullo post ponitur. Γραουίσκαι autem, ne indictæ mihi abeant, Ptolemæo, & *Gravisca* Livio, Silio lib. VIII, Paterculo, Plinio, Antonino: quod in Strabonis Codici-

Codicibus corrupte Τεγαίσκον. *Gravisca* ab cœli gravitate & intemperie putantur dictæ: unde Virgilio lib. x:

———*Intempestaque* Graviscæ.

Accinit Rutilius libro 1 Itinerarij:

Inde Graviscarum *vestigia rara videmus,*
Quas premit æstivæ sæpe Paludis odor:
Sed nemorosa virent densis vicinia Lucis,
Pineaque extremis fluctuat Umbra Fretis.

Mentionem *Graviscarum* sæpe facit Livius, præsertim lib. xl, ubi eo Coloniam ab Romanis deductam scribit: cujus rei meminerunt etiam Velleius Paterculus & Sex. Iulius Frontinus. Idem Livius alibi fulmine percussos Muros & Portam *Graviscarum* narrat. Strabo inter *Cosam* & *Graviscas* Stadia esse ccc tradit. Plinius in Mari apud *Graviscas* Corallium nasci memorat; retibus evelli, ut hodieque, solitum.

Post Martam Fluvium interius paullo ab ora *Cornetum* est; in Colle, quo loco fuit *Castrum Novum*, cujus meminerunt Plinius, Mela, & Itineraria Tabula. Κάστρον Νέον appellat Ptolemæus; *Castrum Inui* Virgilius, ut notat Servius; Sic Rutilius lib. 1: *Cornetum, olim Castrum Novum & Inui.*

Stringimus . . . . . . & fluctu & tempore Castrum
Index semiruti Porta vetusta loci.
Præsidet exigui formatus imagine saxi,
Qui pastorali nomina fronte gerit.
Multa licet priscum nomen deleverit ætas,
Hoc Inui Castrum *Fama fuisse putat.*
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Mænala silvis,
Sive sinus patrios incola Faunus init:
Dum renovat largo mortalia semina fœtu,
Fingitur in Venerem pronior esse Deus.

Aliud est *Castrum Novum*, quod Antoninus Mari propius locat, & remotius paullo versus Vulturnum. Certe *Cornetum* esse *Castrum Novum*, de quo dixi, tam est certum, ut præter Situs rationem, quæ apud Ptolemæum, hodieque pars ibi superfit Veteris Appellationis. Urbs est in Colle sita, eoque modico; tribus ab Mari passuum millibus, antiquis adhuc superbiens Mœnibus, multisque Turribus. Patria Gregorij v. P. M. & Roberti, eius (nam Episcopatus gaudet titulo) Præsulis, qui Symphoniarum Cantusque Ecclesiastici reformavit rationem.

Superato Minione, *Civitas* occurrit *Vetus*, vulgo *Citta Vechia*, ubi *Castrum Vetus* fuit, uti Litteræ saxo inscriptæ iussu Pij II. P. M. testantur. *Nunc*, inquit Leander, *Cinellas vocant, pro Centum-Cellis*, quæ apud Plinium Iuniorem, Ammianum Marcellinum, P. Rutilium, Antonium, & in Itineraria Tabula. Ponunt etiam Rerum antiquarum Curiosi apud Leandrum *Civitatem Veterem* juxta eum locum, ubi tutissimus *Centumcellensis Portus* erat; quod modicum omnino inter hunc locum & Urbem *Centum-Cellas* spatium videtur comprobare. De *Centum-Cellis*, Portu, Locisque conjacentibus eleganter Plinius Secundus lib. vi, Epist. ad Cornelianum: *Evocatus in consilium*, inquit, *ab Cæsare nostro ad* Centum Cellas *(hoc Loco nomen) magnam cepi voluptatem.* Et paullo post: *Villa* (locus igitur id temporis nedum Opidi, sed ne Vici quidem nomen videtur absequutus) *pulcherrima cingitur viridissimis Agris: imminet Littori, cujus in Sinu Portus, velut Amphitheatrum: Huius sinistrum brachium firmissimo Opere munitum est, dextrum elaboratur. In ora Insula adsurgit, quæ inlatum Vento Mare obiacens frangat, tutumque ab utroque latere decursum navibus præstet. Adsurgit autem arte visenda, ingentia Saxa latissima Navis provehit: contra hæc alia super alia deiecta ipso pondere manent, ac sensim quodam velut aggere construuntur. Eminet iam & adparet saxeum Dorsum, impactosque Fluctus in immensum elidit & tollit vastus illic fragor canumque circa mare. Saxis deinde Pilæ adjiciuntur, quæ procedente tempore enatam Insulam imitentur. Habebit hic Portus & Nomen Auctoris, eritque vel maxime salutaris. Nam per longissimum spatium Littus importuosum hoc Receptaculo utetur:* Perfectius opus totum canit Rutilius lib. 1: *Civitas Vetus, olim Centum-Cellæ.*

Ad Centum-Cellas *forti defleximus Austro,*
Tranquilla Puppes in Statione sedent.
Molibus æquoreum concluditur Amphitheatrum,
Angustosque aditus Insula facta tegit.
Attollit geminas Turres, bifidoque meatu
Faucibus arctatis pandit utrumque latus.
Nec posuisse satis laxo Navalia Portu,
Ne vaga vel tutas ventilet Aura Rates:
Interior medias sinus invitatus in ædes
Instabilem fixis aera nescit aquis.

Centum-Cellas ab Saracenis deletas tempore Ludovici Imperatoris tradit Blondus lib. XII Historiarum. Instauratæ postea nomen acceperunt *Civitatis*, ut dixi, *Veteris*, quæ dein ob Aeris gravitatem pene deserta est. Munitissima hic Arx cernitur. Commemoratur in ea regione ab Strabone [illegible], *Malaoti Pelasgi Regia*; quæ an ad *Centum-Cellas* pertineat, nondum liquet.

S. Marinella, ubi olim Pyrgi. Ab *Civitatis Veteris* Portu aliisque locis illis vasta fundamenta ruderaque inveniuntur Murorum & Ædificiorum, ubi *S. Marinella* est: *Pyrgos* ibi fuisse conjici solet, tam ex Strabonis mensura inter *Pyrgos* & *Graviscas*, quod Stadiorum CXXC spatium esse scribit; quam ex cognomine, quod etiamnum hic Ædes Sacra retinet *D. Maria Purgani Agri, del Territorio Purgano*, vel, ut Castri Veteris Incolæ proferunt, *Furgano. Pyrgi*, Πύργοι, Straboni, Plinio, Ptolemæo, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, aliisque noti. Virgilius *Pyrgos Veteres* nominat. Rutilius lib. I:

Alsia prælegitur tellus, Pyrgi*que recedunt:*
Nunc Villæ grandes, Opida parva prius.

Coloniam Romanam facit Livius lib. XXXVI, deductam anno IƆLX, P. Scipione Nasica & M' Acilio Glabrione Coss.

Emporium Cæretanorum dirutum. Occurrit mox ad Littus *Eris Fluvius*; haud procul inde fuit *Emporium Cæretanorum*, ad quod à Pyrgis Stadia XXX erant, ut Strabo scribit; addens exstitisse ibidem Lucinæ Templum à Pelasgis conditum, olim opulentissimum, quod Dionysius Siciliæ Tyrannus in transcursu spoliavit.

S. Severa. Turres. Trans Erin *Cænobium* est *S. Severa* in Littore, instar Arcis, ubi fortean ex Leandri sententia fuit *Emporium*, quod dixi; vel *Turres* Antonino nominatæ.

Cære Vetus, hodie Cerveteri. Interius hinc paullo in Colle *Cære Vetus, Cerveteri* vulgo. Καῖρε Straboni; *Cære* Virgilio. Festus auctor est ab hoc Opido Ritus Sacrorum, Divinosque Cultus omnes, *Cærimonias* appellatas; quod iis admodum addicti essent *Cærites*. De *Cæretanis* multa in Historiis Romanis: quod, capta ab Gallis Senonibus Roma, Vestales cum æterno Igne Sacrisque aliis Romanis profugas hospitio benigne susceperint; quodque Gallos Senonas cum præda domum redeuntes fuderint, Prædamque ereptam Romanis restituerint: pro quibus beneficiis Romani non dignam rependisse gratiam notantur, eorum, qui tum præerant, malignitate: Civitate quidem iis donata, sed sine Suffragii Iure: unde & alii, qui eodem cum Civibus Iure non fruebantur, *in Cærites Tabulas referri* dicebantur. Videndi Agellius lib. Noct. Atticar. XVI cap. XIII, Asconius Pædianus in Verrinis, & alii. Legendus & Livius lib. I. XXVIII, & alibi. *S. P. Q. Cæres* nominatur in Inscriptione, quæ ibidem hodieque exstat:

IMP. CÆSARI
DIVI F. AVGVSTO
PONTIF. MAXIM
S. P. Q. CÆRES

Cæritum Municipium est in Tabula Marmorea Romæ apud Cardinalem Maphæum:

VESBI-

VESBINVS AVG. L. PHETRIVM. AVGVSTALIBVS
MVNICIPI. CÆRITVM. LOCO. ACCEPTO. A RE. P
SVA. INPENSA. OMNI EXORNATVM. DONVM. DEDIT
DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. FACTVM. IN. PRONAO. ÆDIS. MARTIS

Et quæ alia in eadem Tabula, alta palmos III-S, lata VI-S, crassa digitos III, reperta apud *Caerites*, anno CIↃ IↃ XLVIII. Strabo *Caeretana Balnea* saluberrima, & Martialis *Pernam Caeretanam*, *Vinum*que *Caeretanum* laudant. *Caere* quomdam *Agylla* quoque nomen habuit ab Conditoribus Pelasgis, uti tradit Plinius lib. III, cap. V. *Vrbis Agyllina* meminit Virgilius lib. VII. Consulendi & Dionysius Halicarnassæus, lib. I, Trogus lib. XX, & Solinus in Polyhistore: Ἄγυλλα Græcis; Ἀγγύλλα Lycophroni. Quur inde *Caere* dicta, aperiunt Dionysius lib. III & Strabo lib. V. Inter XII Etruriæ Capita fuit antiquitus. Splendidam quomdam & gloriosam Civitatem, ætate sua vixdum Vrbis vestigia retinuisse, ait Strabo; qui probandæ eius Magnificentiæ testatur ævo suo amplissima *Agyllinorum* Dona in Apollinis Templo adhuc visa. Alij diversam faciunt *Agyllam* ab *Caere*, admodum exigua Vrbis tantæ vestigia superesse scribentes.

olim etiam Agylla.

In littore mox ora Fluminum sunt *Vacina* & *Sanguinaria*. Ad Posterioris Latus Orientale, paullo interius exiguo in Colle *Caere* est, *Ceri* vulgo, olim *Alsium* vocatum Latinis, Ciceroni, Livio, Plinio, Itinerariæ Tabulæ, & alijs; Ἄλσιον Straboni & Ptolemæo; quod primum Aborigines, deinde Pelasgi, postremo Tyrrheni tenuerunt, ut scribit Halicarnassæus lib. I. Antiquit. Romanarum. Nunc formam exigui Vici potius, quam Opidi habet. Ab *Caeretanis Veteribus* propinquis putatur eversum; postea restauratum; dictumque sic simpliciter ad differentiam *Veteris*. *Alsium* Colonia vocatur ab Livio lib XXVII, & Paterculo lib. I. *Alsium* denominatum ab *Aleso* Argivo, canit Silius Italicus libro Belli Punici VIII:

Care, Ceri, quomdam Alsium.

Nec non Argolico dilectum Littus Aleso
Alsium.

Alesum Aurigam vel Agamemnonis Filium nominat Virgilius. *Alsia Tellus* est apud Rutilium: *Alsiensis Villa* Socrus Plinij Epistolarum lib. VI.

Hinc in ora *Palus* est, *Palo* vernacule; Opidum, quod olim *Fregena* Livio; *Fregenae* Silio lib. VIII, Plinio, Antonino; Φρεγηνία Straboni lib. V. Colonia Romana est apud Livium lib. XIX & XXXVI, Velleiumque Paterculum lib. I.

Palus olim Fregena.

Vltra *Aronem*, postque *Campum* & *Salinum* (*Campo* & *Salino* vernacule) *Portus* est *Romanus*, *Porto di Roma*; ab Claudio Cæsare factus, uti in ipsius Vita memorat Suetonius cap. XX. Videndus & Plinius lib. XXXVI. *Augusti* cognominatur in Itinerario Portuum & Positionum Antonini, & apud Xiphilinum in Severo: *Portus Vrbis* Æthico; *Portus Vrbis Romae* apud Cassiodorum lib. VII Variar. De eo *Portu* non pauca legere est apud Dionem lib. LX. quem perfecisse Claudium scribit magnitudine animi, & potentia Romana dignum; quod Loca circum Ostia Tiberis neque tuta Navibus appellendis essent, neque Portus oportunos haberent. Intelligit Rutilius Numatianus in Itinerario lib. I:

Portus Romanus.

Pande precor gemino placatum Castore Portum,
Temperet aequoream dux Cytherea Viam.

Longius ab Vrbe, quam *Ostiam* distare, patet ex Antonino. Ibi enim ab Vrbe in *Portum* quidem XVIIII M. P. signantur; *Ostiam* vero usque XVI. Procopius lib. I. Belli Goth. *Portum* ab Vrbe Roma CXXVI Stadia abesse memorat; & decursum Tiberis ad *Portum* describit, qui dextro Fluminis Brachio adiungebatur; Vrbem addens eo loco ab Romanis priscis constructam, muroque prævalido munitam, cui ab ipso *Portu* nomen inditum. Tradit idem Procopius ad lævam ex altera parte, qua in mare Tiberis secundo brachio influit, Vrbem *Ostiam* adjacere, & eam Fluminis ripæ fuisse contiguam. Vrbis, quam ad *Portum* construxisse notat Procopius priscos Romanos, auctor censetur Optimus Princeps Trajanus; quem in melius *Portum* restaurasse, atque interius tutiorem sui nominis fecisse, scribit Commentator Vetus in Iuvenalem. Laudat quoque huic rei probandæ Nummum æreum antiquum

Abrahamus Ortelius; qui Traiani Imperatoris Effigiem, & in postica parte *Portum* hunc depictum exhibet, adscribens se eadem forma *Portum*, etsi ruinis deformatum, aliquando vidisse. Pictura eius etiam aliquo modo est in Itineraria Tabula. Ab *Vrbe Portuensi* Episcopus nomen habet, unus ex Septem Cardinalibus, qui Pontifici Romano adsistunt. Natus ibi Formosus P. M. nomen retinens *Porto* dicitur. Insulam modicam hic scissus efficit Tiberis, media ex parte palustrem. Procopius libro I. de bello Gothico *Insulam Sacram* appellat. Multa ibi Marmorum frusta, magnæ vastitatis, exstantia partim, partim urticis, virgultis, rubis, vel humo convestita, numeralibus duplici latere litteris inscripta. De ea *Insula* Æthicus in Cosmographia: *Tiberis* Insulam *facit inter Portum Vrbis* (sic legendum, non *Portam*) *& Ostiam Civitatem, ubi Populus Romanus cum Vrbis Præfecto vel Consule, Castorum celebrandorum caussa egreditur, solemnitate iucunda.* *Castorum* sane numen iis locis colebatur, Ventorum Marisque gratia: unde auditus nobis ex Rutilio paullo ante,

— *gemino placatus Castore Portus.*

Insula Sacra.

Sic pervenimus ad Tiberim, Limitem Etruriæ Orientalem. Quæ hactenus commemorata sunt à me Loca, pleraque leguntur apud Antoninum Itinere, quod Via Aurelia ab Vrbe ducit per Tusciam & Alpes Maritimas Arelatum usque. Eius Itineris tres sunt Partes: Prima ad Etruriam pertinet; secunda ad Liguriam; tertia ad Provinciam Gallicam. Posteriores suis posui locis: Prima huius est Stationis. Ea sic habet: conlata cum Itineraria Peutingeri Tabula (quam ex tenebris eduxit Primus in Luminis oras Vir doctissimus Marcus Velserus, II Vir. Reip. Augustanæ) Plinio, Ptolemæo, Rutilio Numatiano, & Vulgata Nomenclatura:

Iter Tusciæ maritimum.

Antonini Itinerarium;	*Tabula Peutingeri.*	*Plinius,*	*Ptolemæus,*	*Rutilius,*	*Vulgata Nomencl.*
Roma *Lorium*, M. P. XII. *Villa Lorij* alijs. Consonant autem in hunc Numerum Eusebius & Eutropius. Capitolinus cum Antonino & Tabula Itineraria in Via Aurelia ponit, ibique educatum & mortuum scribit Antoninum Pium Imperatorem. *Sualoris* male legitur apud Iornandem, monente magno Viro Abrahamo Ortelio, pro *Villa sua Loria*: sic enim divisim scribendum.	*Lorio*, XII.				Quid Nominis hodie habeat, ignoratur.
		Fregenæ.			*Palo.*
....	*Alsium*, VI.	*Alsium.*	Ἄλσιον.	*Alsia.*	*Ceri*, ut vult Leander cũ alijs. Ego subdubito.
Ad Turres, M. P. X.					*S. Severa.*
Pyrgos, M. P. XII. Vitiosus vel apud Antoninum, vel in Tabula Velseri censendus est numerus, ut & in seqq. multis.	*Pyrgos*, VI.	*Pyrgi.*	Πύργοι.	*Pyrgi.*	*S. Marinella.*
	Punicum, VIIII.				
Castrum Novum, M. P. VIII	*Castro Novo*, IV.	*Castrum Novum.*	Κάστρον Νέον.	*Castrum Novum.*	Aliud est ab *Castro Novo*, quod *Cornetum* hodie.
Centum-Cellas, M. P. V.	*Centum-Cellis.* Turbata omnia hoc loco.	*Centum-Cellarum* nomẽ recentius est, quam ut à Plinio recenseri potuisset: quum nec à Ptolemæo		*Centum-Cellæ.*	*Cincellas.*

Mindo

		earum fiat mentio.			
	Mindo Fl. Legendum *Minio.*				*Magnone* fiume.
	Gravisca, ...	*Graviscæ.*	Γραυίσκαι.	*Graviscæ.*	
	Ex Itineraria Tabula paret *Graviscas* non esse hodie *Montẽ Altum* *Graviscæ* enim inter Minium & Martham: *Mons Altus* magis Occidentẽ versus, inter Martham & Florẽ.				
	Tabellaria Vico, II.				
Martham, M. P. X.	*Marta Fluvius*, II.				*Marta*, Hoc potius *Monte Alto.*
Forum Aureli, M. P. XIV.	*Foro Aureli*, IIII.				
	Armenita Fl. III.				Forte *Pescia.*
	Ad Nonas.				
	Latere mihi videtur in his Tabulæ Itinerariæ vocibus Nomen *Asedoniæ*; nisi quis velit recentius esse, quam ut eius inibi fieri possit mentio.				
Cossam, M. P. XXV.	*Cosa*, VIIII.	*Cossa* Vol*cientiũ*	Κόσσαι.	*Cossa*,	Diruta ad Lacum Salsum.
				Herculis Portus,	*Porto Hercole.*
				Mons Argentarius.	*Monte Argentato.*
	Albinia, IIII				*Albegna* fiume.
	Almina Antonino in Itinerario Maritimo.				
	Telamone, VIII.	*Portus Telamon.*	Τέλαμον.		*Telamone.*
	Hasta.				
	Umbro fl. XII	*Umbro fl.*		*Umbro.*	*Ombrone:*
Ad Lacum Aprilem, M. P. XII.	....	*Prille Amnis.*			*Prille.*
Salebronem, M. P. XII.	*Saleborna*, IX				Sequutus Itinerũ & Antonini & Tabulæ Filum, fere est, ut putem vel *Burianum*, vel *Colamnã* esse ad Occidentaliorem Lacus Prillis ripam. Hoc certum, falli Volaterranum, qui putat *Ligurnum Portum* olim *Salebronem* appellatũ. *Salebrone* enim inter Prillem est Lacum & Populonium Promontorium: *Portus* autem *Ligurnus* inter idem Promontorium & Arnum Fluvium. Erat vehementer Surita ad Antoninum; qui pro *Salebrone* legendum putat *ad Umbronem.* Nam si ab Urbe versus Pisas, id est ab Oriente ad Occidentem, cum Antonino progrediamur, *Umbro* Lacui Prilli est Orientalis; qui Occidentalis eidem futurus, si Emendationem illam admittamus. Deinde in Itineraria Tabula *Umbro* & *Salebrone* duo diversa sunt Loca.

Man-

Manliana, M.P. VIIII.	*Manliana,* XII		Μαιλίανα.		Si non *Castilio*, certe haud procul inde fuit.
Populonium, M.P. XII.	*Populonio,* X	*Populonium.*	Ποπλώνιον.	*Populonia.*	Opidum dirutum.
		Cecinna fl.			*Cecina.*
Vada Volaterrana, M.P. XXV.	*Vadis Volateris,* X	*Vada Volaterrana*		*Vada Volaterrana*	*Vada.*
	Velinis, XIII				*Vesinianū*, aut circiter.
Ad Herculem, M.P. XVIII.					*Livorno* videtur.
	Ad Fines, VIII				
	Piscinas, ...				Hodie Lacusculi ibi.
	Turrita,			*Triturita.* Sic enim Rutilius Claudius Numatianus Itinerarij libro I: *Inde* Trituritam *petimus, sic Villa vocatur* / *Quæ latet expulsis Insula pæne Fretis.*	Locus hodieque sic se habet.
Pisas, M.P. XII.	*Pisis.*	*Pisæ.*	Πίσσαι.	*Pisæ.*	*Pisa.*

Aliud Iter Tuscia maritimum.

Vide & aliud Iter apud eumdem Antoninum, quod ab Roma tendit per Portum Centum-Cellas. Non absimile Superiori est apud eumdem Itinerarium Portuum vel Positionum Navium ab Vrbe Arelatum usque. Eius itidem tres sunt Portiones; Prima spectans Etruriam, Secunda Liguriam, Tertia trans Alpes Provinciam Gallicam. Postrema jam suum habuit locum libro hujus Partis III, cap. XXXIX; Secunda suum habitura hoc libro, cap. XXXIX; Prima huc pertinet, sic se habens commissa cum Itineraria Tabula;

Antonini Itiner.	Itineraria Tabula;	Vulgata Nomencl.
A Portu Augusti Pyrgos. Posit. M.P. XXXVIII.	A Portu Augusti *Alsium,* VIIII.	*Ceri.*
	Pyrgos, VI.	*S. Marinella.*
A Pyrgis Panapionem. Posit. M.P. III.	*Punicum,* VIII	Mansio incognita.

Alter ex altero videtur hoc loco emendandus. *Anio* fortean Pomponio Melæ.

A Panapione Castrum Novum. Posit. M.P. VII.	*Castro Novo,* IIII.	
A Castro Novo Centum-Cellas. Posit. M.P. V.	*Centum-Cellis,*	*Cincellas.*
A Centum-Cellis Algas Posit. M.P. III.		
	Mindo fl. ...	*Mognone* fiume.
Ab Algis Rapinium. Posit. M.P. III.		
Ab Rapinio Graviscas. Posit. M.P. VI.	*Gravisca.*	
	Tabellaria Vico, II	
A Graviscis Maltanum. Posit. M.P. III.	*Marta Flumen* hic succedit in Itineraria Tabula.	*Marta* fiume.
A Maltano Quintianum. Posit. M.P. III.	....	*Periit.*
	Foro Aureli. IV	Nescio an *Monte Alto.*
A Quintiano Regas. Posit. M.P. VI. An Ῥηγισουίλλα Straboni lib. V?		
A Regis Arnine fluvius habet	*Armenita fl.*	*Pescia* fl. forte.

Posit.

Posit. M.P. IIII.			
Ab Arnine Portum Herculis. M.P. XXV.	*Portu Herculis,*	XX.	*Porto Hercole.*
A Portu Herculis in Cetarias Domitianas. Posit. M.P. III	....		Locus ad Montem Argentarium vel Lacum Salsum.
A Domitianis Almina fluvius habet Posit. M.P. VIIII	*Albinia fl.*	IIII.	*Albegna* fiume.
Ab Almina Portum *Telamonis, fluvium Umbronis, Lacu Aprile* Posit. M.P. XVIII.	*Telamone.*	....	*Telamone, Umbrone fiume, Prille Lago.*
Ab Lacu Aprile in Alma flumen habet Posit. M.P. XVIII.	.....		*Alma* fiume.
Ab Alma Flumine Scabris Portus. M.P. VI.	....		*Scarlino,*
A Scabris Falesiã. Portus. M.P. XVIII.	....		Alicubi prope Silvam Vetulonam.
A Falesia Populonium Port. M.P. XIII.	*Populonio.*	..	Dirutum, ubi hodie *Porto Baratto.*
A Populonio Vada. Portus. M.P. XXX	*Vadis Volaterris.*		*Vada.*
A Vadis Portum Pisanum. M.P. XVIII	....		Ad Ostium Arni.
A Portu Pisano Pisas Fluvius. M.P. IX.	*Pisis.*		*Pisa.*

Hæc de Maritima & Exteriore: perlustrandam se jamnunc offert *Tuscia* Interior & Mediterranea, quæ, quod montosior, plus habitura in explicando difficultatis. Ab Macra Limite Occidentaliore Principium esto.

Quarto ab Ostio Macræ Milliari fursum ripa Orientaliore, Opidum est *Sarzana*, propter interitum Lunæ conditum, ut ante ex Incolarum sententia monui. Illustravit *Sarzanam* Nicolaus v. P. M. Sede Lunensis Episcopatus eo translata. Non procul hinc in alto Colle *Sarzanellum*, quod tamquam *Sarzanæ Arx*, ab Castruccio Lucensium Principe primum ædificatum, Petrinus Fregosus Genuensium Dux egregie munivit.

Progressu facto Septemtrionem versus, occurrunt opida, quæ vulgo *S. Stefano*; *Terdolo*, *Caprio*, *Licciana*, ad Fluvium cognominem, ubi *Tegulatam* fuisse quidam volunt: *Codiponte*, *Fornovo*, tamquam *Forum Novum*; *Villa Franca*; *Fagnano* Castellum, Fluvio nominis eiusdem adsitum: *Filaterra*, *Malgra*, *Gragnola*; & haud procul inde *Castellum*, quod vulgo cognominatum *di Ponte Remuli*, iuxta Macræ fontem. Hic *Apuam* quidam somniant ex nescio quibus Catonis Antonini que fragmentis, quum viderent hoc fere loco *Apuanos Ligures* ab Livio lib x describi, ubi Sempronium notat a Pisis in *Apuanos Ligures*, vastando Vicos & Castella eorum, aperuisse Saltum usque ad Macram Flumen & Lunæ Portum. Facit eorum mentionem idem Livius Libro XXXIX. *Pontremulum* Henricus Imperator anno CIↃ CXV diruit, quod Cives transitum ipsi Romam eunti negassent. Diu in Ditione fuit Ducum Mediolanensium.

Ad Littus recurro. In conspectum hæc se dant tertio ab ora lapide, in celso Colle *Orto Novo*, *Nicola*, *Castel Nuovo*: *Fosdinovo*; quo loco Φόσσαν Παπιριανήν Ptolemæi fuisse putatur Volaterrano. Inde trans Laulam, inter montes Silvasi ultraque *Fivizano*, *Comano*, *Casola*, *Verrucola*, aliaque *Cusigliano*.

Denuo tum ab ora introrsum ad Montes versus *Massa*, deinde *Carrara*, *Carrea* Plinio libro naturalis Historiæ III. cap. v, cui & *Potentia* dicitur. Succedit *Montone*, & altius alia quædam Castella in Montibus edita; hisque vulgo *La Montagna di Carrara & di Lunigiana*, Marmorum Fodinis celebratissimi.

Transito Amne, cuius apud Arcem Motronis est ostium, in Orientali ripa intus *Pietra Sancta* opidum est nobile; quo loco censetur fuisse Λοῦκος Φηρωνίας, *Lucus Feroniæ*, Straboni, Ptolemæo, Plinio nominatus: *Lucoferonia* in Libro de Limitibus. Sunt sane ibi iuxta oram & hoc ævo multa Antiquitatis Vestigia. Ulterius in Montibus *Camaiore*, quasi *Casa Maior*, & *Libra fatta*. Aperit se mox *Vallis Garfagnana*, ultra citraque Flumen, Vicis multis & Castellis nitens. Altius est *Castellum Novum*,

Graf-

Cor[illegible] — Con[illegible]granus cognominatum, Negociatoribus frequens, cum aliis plurimis hunc tractus, qui in Bononiensium quondam, nunc in Ferrariæ Lucum sunt potestate. Remotius inde est *Cingama*, Anxivia, *Verrucula*, superiusque *Sillano*: quæ Loca maiore ex parte Malaspinæ Principes tenent.

[illegible] Luca.

Trans Auserem est *Luca*:

Tusciæ Decus, Tuscis laus inclyta Celsi,

inquit de ea Iulius Scaliger. *Luca* Latinis Græcisque Scriptoribus notissima, Livio, Paterculo, Suetonio, Festo, Antonino, Itinerariæ Tabulæ aliis; Straboni & Ptolemæo *Λοῦκα*. Nomen retinet, litteris omnibus. *Lucæ*, ut quidam volunt, ab Scutis auratis, quæ Hamis collocata Vrbis Turribus splendore Solis illustrata valde lucebant: vel, ut nonnullis videtur, ab Duce quodam insigni: vel, ut suppositus ab Annio Viterbiensi Cato, ab Lusio Lucemone. Alii aliunde trahunt. Non hic vertuntur oves Italiæ. Vrbs Templis & Ædificiis splendida, Populoque frequens, iacet in planicie, Collibus undique circumdata. [illegible] Strabo lib. v. [illegible] *Λοῦκα*. Mœnibus est firmissima, quadrato strata silice, spatio parvo, sed Civibus arta & Negociatoribus plena. Templum Primarium S. Cruci dicatum. Crux ibi aurea à Rep. Pisana Lucensibus oppignerata, redemtaque nanquam. Valere fertur xv millib. aur. Coronat. Bibliothecam habent ibi Franciscani non contemnendam. Incolæ lauti sunt, prudentes, ingeniosi quoque Libertatem diu sapientissime conservarunt integram, licet Finitimorum bellis haud raro petiti. Livius lib. xxi Hannibalem in Ligures Sempronium Romanorum Ducem *Lucam* eodem tempore concessisse memoriæ prodit. Scribit Frontinus in Strategematibus T. Domitium Calvinum *Lucam* ad Liguribus obsedisse, non solum natura loci & operibus, sed & valido Militum præsidio munitam. *Coloniam* eo deductam anno ab V. C. I[illegible] LXXVII legimus apud eundem Livium lib. xli. Paterculum lib. i, Plinium lib. iii. cap. v. Festus *Municipium sui Iuris* vocat. Tradit Blondus libro xii Historiarum, ab Gothis possessam Narsetem Eunuchum sex mensibus oppugnasse, antequam capere posset. Quos ab eo tempore Dominos Principesque in *Byzantinis Cæsaribus, Phaseolis, Castrutiis, Spinulis, Rubeis, Scaligeris, Florentinis, Pisanis, Gambacurtis* quæ habuerit, pluribus memorat Leander Albertus. Libertate recuperata iamnunc fruitur tranquillissime. Bene Pontanus lib. i. Histor. *Lucensium*, inquit, *Civitas non tam suis Consiliis libera, quam alieno cultu atque Præsidio prima: dum Florentinorum ne accedat opibus, magna cura est ceteris.* Tributaria Imperatori Oligarchia administratur. Creantur aliquot Viri, quorum Dominatus bimestris. Præfectus Vrbi de Pœnis Suppliciisque decernunt: sed Iudicium est penes cxx. Viros, sine quorum, vel maximæ Partis, assensu Capitis nemo damnatur. Episcopali gaudet dignitate. Inter Præsules leguntur Divorum adscripti numero *Fridianus* & *Anselmus*. Multos genuit præclaros Viros; inter eos *Lucium* iii. P. M. Alii alios Pontifices addunt. Nostro Ætate nostra *Lucam* ortu suo nobilavit *Sanctes Pagninus*, Vir Linguarum Orientalium peritissimus. Antoninus Iter *Luca* ducit Romam per viam Clodiam, per M. P. ccxxxviii. Idem alio loco ab *Luca* Pisas numerat M. P. xii; Lunam, M. P. xxxiii; Faventiam, M. P. cxx; Parmam M. P. c. Infra Lucam mare versus *Templum* erat *Herculis* amplissimum, quod circa eam describit Ptolemæus, hodieque obscuris quibusdam Vestigiis se prodens.

Lucæ versus Orientem *Palus* est *Fucecina*; cui [illegible] adiacent *Mons Carlo, Alto Pascio, Pescia, Fucecchio, Phocenses Pelasgos* huic Conditores [illegible] *S. Miniato, Fucegiano, Leg[illegible]*.

Vltra *Piscam* patera est Planicies, in qua iuxta Vmbronem & Stellam Fluvios est *Pistorium*: sic Plinio & Antonino dictum: quod *Πιστωρία* Ptolemæo; hodie *Pistoia*. *Pistoris* vitiose scribitur in Itineraria Tabula [illegible] plerasque [illegible] Civitates & oppida. Dictam alii volunt a *Peste*, [illegible] Reliquias Catilinæ, in agro *Pistoriensi*, qua Florentiam spectat, debellatas [illegible] frequentia. Component apud quosdam Vrbis nomen Voces [illegible], quod fidelis sit terminus, Clavisque & veluti Claustrum Galliæ Cisalpinæ. Mœnibus cincta auctaque plurimum legitur ab Desiderio Langobardorum Rege; iisdem post nudata [illegible] undique complanatis, omni [illegible] Agro inter Florentinos & Lucenses diviso: Tandem Florentini totam suæ subjecerunt Ditioni, anno ab Christo nato

sto nato CIↃ CCL, ut memoriæ prodit Leonardus Aretinus. Denique Civilibus Factionibus primo quidem *Alborum* & *Nigrorum*, deinde *Cancellariorum* & *Panzaticorum* adeo est labefactata, ut deserta nunc & Colonis destituta videatur: unde & *Maligna* quibusdam vocitata, Factionum, ut universim dicam, parens, Vindictæ cupidissima, atque, ut Hostem persequatur, Honoris, Opum, Vitæ prodiga. Arcem habet satis munitam. In Templo S. Iacobi Ara visitur argenteis Laminis & deauratis *Templa.* tecta: cum eiusdem Metalli Lampadibus xx. In Templo Humilitatis integræ cernuntur Effigies *Leonis* x & *Clementis* vii PP. MM. *Cosmi* item & *Alexandri* Florentiæ Ducum. Viros eximios genuit non paucos: inter alios *Sozomenum*, & *Cynum* Di- *Viri clari:* ni Discipulum, Bartoli Præceptorem, qui in Summo Templo marmoreo conditur Sepulcro. Haud procul *Pistorio* Via Bononiensi magnifica cernitur Domus, quæ vulgo *Igno*, ab Antonio Pucio Cardinale, quum *Pistoriensium* esset Præsul, ædifica- *Igno.* ta. Vallis ad hanc Vrbem, qua Florentiam itur, lata est, amœna, omni Fructuum genere abundans: Opida, Pagos, Villas, Casas, Palatiaque in universum habens quadraginta quatuor millia: Sinui Bajano non absimilis.

Confinalia sunt Pistorio circumcirca *Summano*; *Seravalle*; *Vitulino*: *Monte Catino*, *Summanum.* *Seravallu.* Opidum Victoria *Vgottonis Phasgoli* de Florentinis celebre; *Monte Merlo*, Opidum *Vitulinum.* ad Collem, Bartholemæi Valoris, Philippi Strozæ, multorumque Florentinorum *Mons Catinus.* *Mon. Merlum.* Exsulum captura, ductu operaque Alexandri Vitellij, Cosmi Medicis Florentiæ Ducis Legati, inclutum; *Prato* denique, quod Amnis ex Apennino Bisentius adluit, *Pratum.* Arni Incola. Imperatorem Fridericum II condidisse scribit Collenutius lib. IIII. Histor. Neapolit. Censetur propter elegantiam & amplitudinem inter *Castra* quatuor *Italiæ* totius splendidissima Proverbio, quod ita habet: *Barletta in Puglia; Fabriano nella Marca; Crema in Lombardia, & Prato in Toscana.* De *Clade Pratensi* Ego in meo Synchronismo ad Annum CIↃ IↃ XII. Ditionis est Florentinorum. Clarum quoque *Pratum* cum alijs, tum *Nicolao Cardinale*, de quo multa Antoninus Archiepiscopus; & *Arloto* Scriptis inlustri.

Ab Arno, cuius sæpe memini, percurrente secatur *Florentia*, Etruriæ caput & *Florentia.* Metropolis. Sic Plinio lib. XIIII, cap. II, Antonino non uno loco, Itinerariæ Tabulæ, (ubi cognominatur *Tuscorum*) ætatisque mediæ alijs, & omnibus nostræ Scriptoribus; Φλωρεντία Ptolemæo, Agathiæ lib. I, & Procopio de bello Gothico libro III, Φλωρέντζα Sudæ dicitur: quam *Fluentiam*, ut nonnulli censent, vocat Florus, ubi de Bello Mariano: *Fluentinorum* ad Arnum faciente mentionem Plinio lib. III. cap. V. *Florentinam Coloniam* nominat Sex. Iulius Frontinus: & *Florentinos* inter Romanorum Colonias agnoscit Tacitus lib. I his verbis: *Auditaque*, inquit, *Municipiorum Coloniarumque Legationes, orantibus* Florentinis, *ne Clanis solito alveo demotus in amnem Arnum transferretur, idque ipsis perniciem adferret.* Hodie vulgo *Fiorenza*, vel, ut alij pronunciant, *Firenza*. Mentio eius frequens in Inscriptionibus: duas adponam, quarum una in Palatio visitur hortoque Cardinalis Cæsij, in Vaticano, in Cippis oblongis è Tiburtino,

Q. GARGENNIVS
L. F. SCA
CELER
FLORENTIA. MIL
COH. XI. PR
VIX. A. XXV
MILIT. A. V
H. S. E

altera Neapoli exstat, post S. Paullum, littera pulcra; atque adeo recenti, ut vix videatur antiqua:

C. CISPIVS. C. F
SCAPT. SEVERVS
FLORENTIA
MIL. COH. III PR
VIX. ANN. XLIII
MILITAVIT. ANN. XVII

Unde dicta. *Florentia* nomen id habere putatur vel ab *Flore*, cui ob Felicitatem Florentemque Fortunam similis; vel ob *florida* excellentiaque Incolarum ingenia; vel denique (quæ mens est Politiano lib. I. Epist. II) quod ab Roma deducta esset omnium Vrbium *florentissima*. Si non vera hæc Etyma, certe Rebus Florentinorum præsentibus sunt convenientissima. Facius Vbertus lib. III. Cant. VII Parentem ejus edit nescio quem *Florinum*. Initium illi ducunt Leonardus Aretinus principio Historiæ Florentinæ ab Romanis Sullæ Dictatoris Militibus; Volaterranus lib. v. ab Colonis, qui Trium-Virorum auspicijs eo deducti; Laurentius Valla ab Fesulanis, commodiorem, relictis jugis, habitandi locum ad Arnum quærentibus: Annius Viterbiensis Catonis sui verbis innixus, ad Ianum *Florentiæ* primordium refert. Hos omnes Ambitus. Situs. conciliare conatur Leander Albertus. Ambitum habens sex millium, supra nonaginta millia continens Incolarum, æquali loco jacet ad Arnum; quo, ut jam monui, interfecatur, quatuor eximijs conjuncta Pontibus, Silice quadrato strata, latis ornata Plateis. Collibus cincta est Theatri instar ab Oriente & Septemtrione amœnissimis, quique undique fructiferis vestiti Arboribus; qua Occidens est pulcram habet Planiciem: Cœli regione inter Aretium & Pisam media mistaque; quarum Vrbium prior acutissima fert Ingenia, altera homines memoria valentes singulari. Munit eam contra Vim externam Hostiumque incursiones brachiis aliquot suis Muri gemini. Apenninus. Geminos habuisse Muros tradit Christophorus Landinus suis in Dantem Commentationibus. Antiquos, quatuorque eorum Portas Majores, totidemque Minores fideli digito indicat Leander Albertus; ex Vberto, Leonardo Aretino, Christophoro Landino, Politiano & alijs; quo modo & quando antiqua Vrbis Elegantia. facies perierit, sensimque præsentem induerit, adscribens. Splendore & elegantia summa est: ut voce incertoque Vulgi sermone feratur, *Fiorenza la bella, totiusque Flos Italiæ*. Locis, quæ divino Cultui sacrata, nitet quam-plurimis. Admirabile est Templa. Locaque sacra. Templum *D. Mariæ Floridæ* magnificentissimum: & inter tria *Etruriæ* nominatum. totum ex Marmore albi, nigri, rufique coloris constat, cum Hemisphærio stupendi operis, quod ab Philippo Brunalitio Florentino singulari arte factum. Iuxta stat Turris eximia, tota marmorea. Modico post intervallo veterrimum *Martis* Templum, forma sexangulari magno ingenio constructum. & nunc *D. Ioanni Baptistæ* sacrum: ubi Lacus ex Marmore conspicuus, in quo Infantes baptismate lavantur. Situs est in hac Æde *Balthasar Cossa*, quomdam P. M. nomine Ioannis XXIII, decretoque Concilij Constantiensis Pontificatu abdicare iussus. Apud Portam, quæ est è regione Maioris Ecclesiæ, binæ cernuntur Columnæ Porphyreticæ; quas Pisani Florentinis, parta de Sarracenis victoria, honoris caussa miserunt. Nobilia item sunt Fana *D. Mariæ Novellæ*, quod dedicatum ab Eugenio IV, anno CIↃ CCCCXXXVI Martij XXV; *S. Spiritus*; *Fratrum Minorum*; *D. Laurentij*, ubi situs est *Cosmus Medices*, suspensaque visuntur CXXX Vexilla, Petro Strozzo in Prælio apud Senas olim commisso, erepta; & *Annunciatæ*, multis dotatum Privilegijs. Hic Insignia varia & Donaria ex Auro, Argento, Cera, Pannis; adeo ut ipsum compleant. In Ambitu Cadavera quædam sunt exsiccata. Alia, ne tædium pariam, prætereo. Inter Xenodochia, quæ XXXVII dicuntur numero, primi facile loci, quod *D. Mariæ Novæ*. Parochiæ censentur XLIV; Prioratus XII; Conventus Virorum Mulierumque Sacri LXXVI; Collegia Puerorum, quas Fraternitates vocant, IX; Virorum Sodalitates maximo numero. Ædificia Publica. Ædificijs insuper nobilissimis, cum publicis, tum privatis est perornata. Palatia sunt infinita: inter illa *Curia Senatus*, amplissima *Domus Medicea*, Cosmi Opus; *Strozzarum & Pitorum Ædes*: Campi octo, *S Crucis*, *S. Marci*, *S. Laurentij*, *Della Signoria*, *Del Prato*, *S Mariæ Novella*, *Mercato Vecchio*, *Mercato Nuovo*. Suburbia quomdam habuit Suburbia. non ignobilia: sed anno CIↃ IↃ XXIX dejecta: Villas autem & nunc Suburbicarias habet

habet innumeras; easque magnificentissimas; cum Structura & regio sumtu, tum Hortis, summam oculis delectationem, quod Myrto, Lauro, Rosa, alijsque, & opere Topiario decorati, præbentibus. Arx ibi duplex: *Vetus*, quæ Vrbem subtus despicit: Piscis cuiusdam Ossa continens miræ magnitudinis: *Nova* grandioris spacij, Fontibus, Molendinis, Turri, Propugnaculis, Tormentis, Annona, Rebúsque alijs ad defensionem necessarijs instructa. Auctores loquitur Inscriptio, quæ ad Portam talis: Arces.

> Quod faustum felixque sit, Carolus v. Rom. Imp. Victor ex Africa rediens, quum Alexandrum Medices Florentinorum Ducem, Generum suum, exstructa jam reliqua Arce, Turris huius Fundamenta locantem reperisset, primum victrici Manu Lapidem ponere non dedignatus est CIↃ IↃ XXX.

In Foro Novo Porticus est, Columnis XX sustentata, undique permeabilis; Cosmi Medicis Florentiæ Ducis II opus, anno CIↃ IↃ XLVIII exstructum. Prope Ædem D. Marci Equile est Ducis, vulgo *L'Equitrie* in quo aluntur hodie Leones: Tygrides subflavi coloris, maculis nigris; Leopardi; Vrsi; Boves Numicidi. Incolæ acuti, graves, facundi, bonarum artium studiosi; quibusque laus propria, quod Latinis litteris ab interitu vindicandis operæ non parum contulerint. Pecuniæ sunt studiosiores, cuius conquirendæ desiderio in ultimis etiam terris negociantur. Mulieres forma pudicitiaque præstantes, earumque, ut & Virorum, Vestitus supra modum egregius & decorus. Nobili gente perpetuo frequentem, multasque honestas Familias hinc, tamquam ex uberrimo Fonte, in alias *Italiæ* Vrbes fuisse dirivatas docet Christophorus Landinus, quem antea laudavi. Humanitate *Etruscos* omnes *Florentini* superant: quemadmodum & Sermonis elegantia. Quam varie periculoseque sæpe jactata, quamque perniciosissimis nunc *Alborum* & *Nigrorum*, nunc *Guelphorum* & *Gibellinorum* Factionibus fuerit exagitata, docent plene Leonardus Aretinus, Antoninus Archiepiscopus, Nicolaus Machiavellus, & alij. Vrbes Agrosque multos imperio subegit, *Pistoriam*, *Aretium*, *Cortonam*, *Volaterras*, *Pisam*, *Portum Ligurnum*, *Bibienam*, *Agrum Clusentinum*, *Montem Politianum*, aliaque plurima Tusciæ Romanulæque Opida. Anno CIↃ CXII Incendium *Florentiæ* duo millia Civium absumsit. Anno CIↃ CCCC Pestis ibidem triginta hominum millia è medio sustulit. Quum ab Gothis olim magnis cladibus fuisset adfecta, Karolus Magnus Imperator restauratæ, mirumque in modum amplificatæ binos creavit Consules annali imperio, addito Centum Patrum Senatu: postea anno CIↃ CCXX, ut Volaterranus numerat, vel, ut Blondus, CIↃ CCLIV, Decem-Viri sunt creati, qui *Antiani* dicebantur. Libertate post anno CIↃ CC XXCVII ab Imperatore Rudolpho senis aureorum nummûm millibus, ut auctor est Platina in Vita Honorij IV, redemta, ventum est ad Octo-Viros, qui vulgo *Prirori dell' Arti* audiebant, cum Præside Iustitiæ uno bimestri, qui *Confaloniere di Giustitia* nominabatur. Qua Reip. forma aliquoties conversa atque immutata, tandem auctoritate Karoli V Cæsaris Mediceis Vrbis Dominatus cessit.

Porticus. Incolæ. Res gestæ. Incendium. Pestis. Reip. forma & Magistratus.

Duces Florentini.

Nuperorum Principum Florentinorum *Stemma tale lego:*

Ioannes Avcrareli F. Capitaneus Iustitiæ. Obijt x. Kalend. Martij cIↃ ccccxxviii. Vxor Picarda Adorordi F. defuncta quinquennio post Maritum, xiii. Kal. Mai. Siti ad D. Laurentij, ubi ipsis Epitaphium positum ab Filijs Cosmo & Lavrentio.

Cosmvs Medices prima Splendoris Familiæ Mediceæ posuit fundamenta: Pater Patriæ Decreto publico cognominatus. Suos Togatus felicissime rexit: Magnus Doctorum Mœcenas. Obijt cIↃ ccccLxiv. Vixit annos Lxxv, Menses ii, Dies xx. Huic Fortuna tam impense indulsit, ut ætatis suæ ditissimus & fortunatissimus fuerit iudicatus.

Lavrentivs Medices Civis Florentinus.

Petrvs Medices, laudabilis Patris Æmulator, Reip. gubernaculis admotus Privatum potius Se Civem, quam Principem gessit, defunctus anno cIↃ ccccLxxii.

Petrvs Medices Florentinus.

Lavrentivs Medices Magnvs, Princeps Florentinus, cum Fratre paternis avitisque artibus Remp. administravit: mortuus Anno cIↃ cccc xcii.

Ivlianvs Medices Lavrentio Fratri pæne par; natu minor populari favore Princeps Iuventutis adclamatus. Confossus à Paccianis cIↃ cccc Lxxviii.

Lavrentivs Medices cum Fratre à Petro Principe in exsilium actus.

Ioannes Medices Exul, Petro Duci infensissimus factus Hostis, adversus eum & Patriam Gallicas sequutus est Partes. obijt anno cIↃ IↃ iv.

Ivlivs Medices ex Concubina postumus, ad Pontificatū Maximū evectus Clementis vii Nomen tulit. Obiit cIↃ IↃ xxxv.

Ioannes Medices ex Christiano Fonte Lvdovicvs appellatus, Dux eximinus & strenuus Bellator. Abijt cIↃ IↃ xxvi.

Petrvs Medices Princeps Florētin. quum à paterna industria degeneravisset, in exilium actus in ostio Liris amnis submersus, perijt cIↃ IↃ iii.

Ioannes Medices, Cardinalis ad Pontif. Max. sublatus Leonis x nomen habuit.

Ivlianvs Medices, cognomine Magnificus, Exul obiit cIↃ IↃ xvi.

Hippolytvs Nothus, Cardinalis, Vitam cum morte commutavit anno cIↃ IↃ xli.

Cosmvs Medices, ob vagas libidines & adulteria necatus.

Lavrentivs Medices una cum Patre pulsus, Vrbini Princeps à Patruo Leone x constitutus, naturæ satisfecit anno cIↃ IↃ xix.

Catharina Medices Henrici ii Galliarum Regis Coniux, Perijt Nonis Ianuarij cIↃ IↃ xxcix.

Alexander Medices, Nothus, exsul à Karolo v Socero restitutus, cōlato Principis Titulo, in Adulterio confossus est, anno cIↃ IↃ xxxvii.

Cosmvs Medices, xviii annorum Adulescens, Alexandro Agnato in Principatu Florentiæ ab xlviii-Viris subrogatus, bene sapienterque Rempubl. administravit. Hic à Pio v. P. M. quod ipsi magnam Pecuniarum vim, aliaque Rebellibus domandis necessaria subministrasset, ex Dvce Florentino Magnvs Etrvriæ dvx Primus creatus est vi. Kal. Sept. cIↃ IↃ Lxix, scriptis in eius Corona Pontificis mandatu his verbis: Pivs v Pont. Max. ob eximiam dilectionem et catholicæ religionis zelvm præcipvvmqve ivstitiæ stvdivm, donavit. Obiit cIↃ IↃ Lxxiv.

Fran-

FRANCISCVS MEDICES, MAGNVS ETRVRIÆ DVX II Morte raptus est VII. Eid. Octob. CIƆ IƆ LXXXVI. Vxores illi IOANNA Austriaca, Karoli V Filia, mortua CIƆ IƆ LXXVIII; BIANCA Veneta, quæ quinq; vix horis Marito supervixit. Huic Principi inter alios Liberos fuit MARIA, quæ nupta Christianissimo Galliarum Regi, HENRICO IV.	FERDINANDVS MEDICES, Cardinalis depositò post Fratris mortē Galero, MAGNVS DVX ETRVRIÆ III. Vxorē duxit KATHARINAM, Karoli Ducis Lotharingi F. Kalendis Maii CIƆ IƆ LXXXIX.	PETRVS MEDICES, duxit .... Ducis Bragantini Filiam Lusitanam.	LVCRETIA MEDICES, Vxor Alphonsi, Ducis Ferrariæ.	*............... Vxor Iordani Vrsini, Ducis Bracttianensis.

Archiepiscopatus fulget hæc Vrbs dignitate: cui subsunt *Nepesinus*, *Castellanensis*, *Montis Falconis*, *Viterbiensis*, *Castellanus*, *Volaterranus*, *Fesulanus*, *Zazanensis* vel *Lunensis*, *Sutri*, *Ortanensis*, *Cornetanensis*, *Tuscanensis*, *Arretinus*, *Burgi S. Sepulcri*, *Pistoriensis*, *Binensis*, *Cortonensis*, *Balneoregiensis*, *Vrbevetanus*, *Castrensis*, *Perusinus*, *Lucanus*. Archiepiscopatus & Episcopatus.

Concilium *Florentiæ* celebratum fuit sub Eugenio IV P. M. maxima Præsulum cum Latinarum, tum Græcarum Ecclesiarum, undique concurrentium, frequentia; præsente etiam Ioanne Palæologo Imperatore cum Patriarcha. Testantur partim Diploma, quod Græcis Latinisque Literis exaratum, manuque Pontificis & aliorum subscriptum, additis & Eugenii plumbeo, & Imperatoris aureo Signis in Bononiæ Archivo publico servatur: partim Epigraphe, quæ ad D. Mariæ Novellæ posita, his verbis: Concilium Florent.

> Generali Concilio Florentio celebrato post longas Disputationes Vnio Græcorum facta est in hac ipsa Ecclesia, die VI. Iulii; CIƆ CCCC XXXI, Præsidente eidem Concilio Eugenio PP. IIII. cum Latinis Episcopis, & Prælatis; & Imperatore Constantinopolitano cum Episcopis, Prælatis & Proceribus Græcorum, in copiosissimo numero; sublatisque Erroribus in unam eamdemque Fidem rectam, quam Romana tenet Ecclesia, consenserunt.

Florentiæ Ignis Supplicio adfectus est *Hieronymus Savonarola*, Theologus, anno CIƆ CCCC XCVIII. Maii XXII. Consequuti sunt Iesuitæ amplissimum in hac Vrbe Collegium anno CIƆ IƆ LI. Academiam habet *Florentia* apud omnes Europæ Populos celebratissimam. Fundamenta eius iecit COSMVS MEDICES, *Pater Patriæ* appellatus. Cœptam magno studio auxit, præclaris Avi sui vestigiis insistens, LAVRENTIVS MAGNVS, Princeps Florentinus: quo Duce *Homerum* in Italiam venisse, scribit Epistola ad ipsum *Marsilius Ficinus*: ab eodem cum *Ioanne Argyropylo*, *Demetrio Chalcondila*, *Pico*, *Angelo Politiano*, aliisque doctissimis Viris, Florentiam evocatus. Bibliothecæ in Vrbe Florentina sunt sex. Prima *S. Laurentii*, quæ *Medicea* appellatur, ab Clemente VII Medice, P. M. DD; adhuc inexplicata: Multi in ea Auctores, præsertim Græci, qui excusi non sunt. Secunda *S. Marci*, LAVRENTII MEDICIS & Nicolai de Nicolis liberalitate & testamento instructa & aucta, Latinis, Græcis, Hebræis, Armenicisque Libris superbiens: Aliquot ibi Theologorum Græcorum Opera nondum typis mandata. Debentur ei cum aliis multis *Clementis Alexandrini* Scripta. Tertia *S. Benedicti*, Libros Latinos habens optimos, adiuncta ei Græca, sed exigua. Quarta *S. Crucis* ab Sebastiano de Bacellis cœpta in Literis politioribus, tota Latina, præclara sane. Quinta in *domo Episcopi*, Latinorum item Auctorum. Sexta denique *Mariæ Novellæ*, tota Latina. *Pandectæ Iuris Civilis*, in Membra- Hieronym. Savonarola. Iesuitarum Collegium. Academia. Bibliothecæ.

 nis

Pandectæ Florentinæ

nis emendatiſſime Latinis Litteris ſcripti, adſervantur religioſiſſime in Palatio, quod habitat Magnus Dux Etruriæ; Piſis Florentiam cum reliqua præda tranſlati. Græca Epiſtola bene longa illis eſt præfixa, Vetuſtate pene oblitterata. *Pandectas* hos ab Antiquitate mirifice prædicant Angelus Politianus, Petrus Victorius, Antonius Auguſtinus & alij. Ad Libri Calcem legitur: Ego Marſilius Ficinus interfui, dum hoc reperiretur Opus; idque manu propria ſcripſi, IX Aprilis anno Domini CIↃ CCCCXCVI, Petro Bernhardo Bernhardis ſedente Vexillifero Iuſtitiæ. Ab ipſo Archetypo plura Prælorum ope in orbem Chriſtianum diffuſa ſunt ante annos aliquot Exemplaria: in quibus quotquot hodie Litteræ, Syllabæ, Verba Maioribus Typis leguntur expreſſa, non ij ſi Autographo, ſed Lælij Taurelli diligentiæ induſtriæque accepta ſunt ferenda. Æqualibus enim & paribus Litteris toti illi *Pandectarum* Libri ſunt conſcripti.

Viri Clari.

Virorum ſingularium multorum genitrix fuit, eſtque hodie *Florentia*. Dedit inter alios Divorum numero adſcriptos *Ioannem Gualbertum*, Sodalitatis Vallis Vmbroſæ Conditorem: *Bernardum Vmbertum*, *Antoninum Archiepiſcopum*, Scriptorem non contemnendum: Produxit & ævo noſtro *Florentia Leonem* X & *Clementem* VII Pontifices Maximos. Cardinales habuit plurimos: *Albertum Alberti*, *Alemanum Adimarium*, *Franciſcum Soderinum*, *Laurentium Puccium*, *Nicolaum Pandulphinum*, *Aloyſium Rubeum*, *Robertum* & *Antonium Puccios* eiuſdem *Laurentij* Fratrem & Nepotem, *Nicolaum Ardingellum*, *Hippolytum Medicæum*, *Ioannem Salviatum*, *Nicolaum Rodolphum* & *Nicolaum Gaddum*. Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, aliosque Prælatos, quos *Florentia* genuit, longum eſſet referre: Celebriores in eorum numero fuerunt *Angelus Acciaiolus*, Antiſtes Patriæ: *Simon Saltarellus*, Orivetis; *Aldobrandinus Cavalcantes*, Archiepiſcopus Piſanus. Nati quoque hic Viri Eruditione Scriptiſque clari, *Aloyſius Marſilius*, Philoſophus; *Bartholomæus Lapaccius*, Theologus; *Leonardus Statius*; *Robertus Bardus*, *Dinus Garbius*, *Theodoricus Turrilianus*, *Ianetus Manetus*; *Leo Albertus* & *Paulus* Mathematici; *Dantes Aligerus*, Poëta. Egregie quoque Solum hoc ſuum Natale decorarunt *Guido Cavalcantes*; *Colutius Salutatus*; *Leonardus Datus*; *Donatus Acciaiolus*, qui Vitas Hannibalis & Demetrij ex Plutarcho Latinas fecit, Commentariaque reliquit in Ariſtotelis Ethica; *Matthæus Palmerius*, qui Supplementum Temporum Euſebio addidit, Libris etiam de Civili Vita quatuor conſcriptis; *Lapus Caſtilionius*, qui Vitas aliquot Plutarchi in Latinum Sermonem vertit; *Nicolaus Nicolinus*; *Pallas Strozza*; *Angelus Acciaiolus*; *Andreas Foccius*; *Chriſtophorus Landinus*, qui Dantis Comœdias Virgiliumque illuſtravit; *Facius Vbertus*, Geographus & Poëta, Dictamundi Auctor; *Ioannes Karolus*, qui Clarorum Ordinis Prædicatorij Virorum Vitas condidit; *Marſilius Ficinus*, qui Platonem fecit Latinum; *Alamanus Rinucinus*, qui Philoſtratum de Vita Apollonij Tyanei in Latinam vertit Linguam; *Petrus Crinitus*, Librorum de Honeſta Voluptate Pater; *Bartholomæus Scala*; *Zenobius Acciaiolus*, qui Iuſtinum Martyrem & alios Latine dedit; *Lippus Rainatius*; *Benivenus*; *Nicolaus Machiavellus*. Longiſſime extra Italiam *Florentiæ* nomen extulit *Americus Veſputius*, Coſmographus, qui inventæ Quartæ Terrarum Orbis Parti nomen ab Se impoſuit *Americæ*. Florentinus fuit & *Accurſius*, ſtupendus Iuris Cæſarei Enarrator, qui ſi Meliorum Litterarum cognitionem habuiſſet, Miraculum proculdubio fuiſſet Naturæ: Filium habuit ille *Franciſcum*, IC. etiam eximium. Contendendus his aliiſque *Laurentius Rudolphus*, qui Tractatum de Iure ſcripſit. Pictores inſignes, quorum princeps fuit *Iotus*, Artis Reductor, defunctus anno CIↃ CCC XXXVI, & ad B. Mariæ Novellæ ſitus, ſilentio prætereo. Neque commemorabo cum alios Artifices, tum qui Optices Arte Patriam ſuam nobilitarunt. Non denique inhærebo recenſendis ijs, qui vel Externa rexerunt Imperia, vel Virtute Militari fuerunt admirabiles.

Scriptores.

Florentiam porro deſcribunt ſuiſque delineant coloribus, præter *Leandrum Albertum*, qui ampliſſime, Iovius Pontanus libro Hiſtoriarum 1, Æneas Silvius de Rebus geſtis Friderici III, Natalis Comes lib. Hiſtor. XXIX. Flavius Blondus, & alij. Extant in eamdem Variorum Elogia verſibus ſcripta, Iulij Cæſaris Scaligeri, Petri Angelij Bargæi, Georgij Fabricij, Nathanis Chytræi, Nicolai Reuſneri, & quorum non? Meretur enim omnium omnino Ingeniorum Laudes & Encomia Vrbs Florentiſſima.

Extra *Florentiam* haud procul in Apennini Colle Vestigia cernuntur Urbis *Fesularum*. *Fesulæ* Sallustio in Catilinaria Conjuratione, Livio lib. XXXII, Plinio lib. nat. hist. III, cap. V, Antonino, & alijs Latinis Scriptoribus; Φαισόλαι Polybio lib. II, Appiano lib. II, Ptolemæo; *Fesula* Silio Italico lib. VIII de Bello Pœnico: quæ hodie *Fiesole*. Nomen impositum Vrbi volunt Volaterranus & Angelus Politianus ab Hyadum Atlantis Filiarum, & Bacchi Nutricum, una: Annius Viterbiensis, suo more argutans, ab *Pheso* & *Vlat* Aramæis Vocibus, quarum illam *Transfensum*, hanc autem *Paludem* signare notat. In Conditore variatur. Quibusdam est *Iasius* Dardani Frater; Facio Vberto & Politiano, *Atlas*. Erat in aprico & amœno Colle, Fontibus eximijs, ut Vbertus, quem dixi, canit, abundante. Petrus Marsus ad Silium scribit olim hic Augures & Vates Etruscorum habitasse, Suffragatorem habens Politianũ in quadam ad Petrum Medicem Epistola, lectu digna. Innuit haud obscure Silius Italicus loco, quem indicavi:

Fesula. — *Vnde dicta.* — *A quo condita.* — *Situs.* — *Sedes Augurum.*

——— *Sacris Interpres Fulminis alis*
Fesula. ———

Quo modo anno CIↃ XXIV perierit, scribunt præter Blondum Nicolaus Machiavellus lib. II. & Sabellicus lib. II. Ennead. cap. II. Ædificia omnino pauca supersunt: Tam potens olim, ut Stiliconem, Romani Nominis Ducem, Gothis, quorum Rex erat Radagisus, cædendis præcipue juverit. Eorum hic supra centum millia trucidata leguntur; reliqui pessime habiti. Collem, in quo fuit Vrbs, Villæ cum Hortis Florentinorum Civium haud ignobiles occupant: Templaque & Cœnobia non pauca: in quis sumtuosissima est Abbatia, ut vocant, *Fesulana*, Cosimi Medicis opus. Nomen *Fesularum* locus adhuc cum Episcopatu servat. Passim ibi mirabilis Locorum amœnitas & ornatus. Pontanus & Ioannes Cajus natam putant ex *Fesularum* ruinis *Florentiam*.

Excidium. — *Rudera.*

Haud procul inde inter Colles *Fesularum* & ipsius Apennini Iuga Vallis conspicitur amœnissima, tota Villis Vicisque nobilibus nitens, *Mugello* vernacule: Colonique ejus *Mugellani*. Origo hinc *Dino Mugellano*, celebri Iurisconsulto. Vallem hanc Sera mediam percurrit. *Mugellanæ Regionis* oppidum, Via, quæ Florentiam Bononia ducit, *Scarparia* est, anno CIↃ CCCVII sub Clemente V. conditum ab Florentinis; qui, capta Pistoria, ut Blondus libro X tradit, quo finitimum Agrum tranquillum haberent, Actiano Propugnaculo, quod ab Vbaldina Gente emerant, everso, oppidum hoc in planicie, indito ob situm *Scarpariæ* nomine, quod ad pedem *Scarpamve*, ut Itali vocant, Apennini sit positum, ædificarunt. Plenum est Fabris Ferrarijs. Terræmotu totum pene concidit anno ab Christo nato CIↃ IↃ XLII, Die Iulij III.

Mugella Vallis. — *Scarparia.*

Ad Confluentes fere Sebam Rotamque, *Nicolaum* est, *Niccolo*; cui nomen ab duro Nicolai Piccinini obsidio, fortissime tolerato, quod Blondus & Sabellicus describunt.

Nicolaum.

Ad Rontam, Via qua itur Faventiam, ejusdem nominis est Vicus *Ronta*; sub quo *Burgus* est *S. Laurentij*, Italis *Borgo S. Lorenzo*.

Ronta. — *Burgus S. Laurentij.*

Ager, qui inter Ducariam & Arnum Fluvios ad Aretinorum usque Fines patet, *Casentino* dicitur vulgo. Eum *Casentinum* esse appellandum ab Clusio Novo, probat ex Suo, non Litteratorum, Antonino Annius. Volaterranus lib. V. Comment. Vrban. hanc putat esse Terram, quæ τῇ Πασινώδεα Straboni libro V, qui tractus erat longus, quo in Tusciam Exercitus ex Gallijs penetrare solebant, quoque Hannibal etiam transisse fertur. Xylander τὴν Πασινώδεαν Strabonis Latine vertit *Trasimenum*. *Casentinus Ager* qua via ad Florentinorum ditionem venerit, exponit Blondus lib. VIII. Peramœnus est & fertilis.

Casentinus Ager.

Supra Florentiam millia XV ad Arni ripam Opidum est *Incisa*, Francisci Petrarchæ Patria. Nomen ei Blondus putat ab *inciso* Obice saxeo, qui Cursum Arni sustinebat, quibusdam vestigijs adhuc se prodens. Nam priscis temporibus Planiciem hic Arno adpositam Paludes occupabant, quæ post apertum ferro Saxum nunc exculta tota consitaque nobilium Hortorum est instar. *Vallem Arni*, *Valle d'Arno*, vocant. Facit mentionem ejus Livius; Hannibalem hac cum difficultate & periculo transgressum, altero que captum oculo memorans.

Incisa. — *Vallis Arni.*

Post Incisam, ad Arni dextram, in eadem Valle Opidum est *Fichino*, ab Floren-

Ficinum.

tinis olim eversum, & ab Guidone Novello Comite restauratum anno CIↃ CCXCVIII, scribente Volaterrano.

Nobile huic Opidum succedit *D. Ioannis*, Vino inclutum, quod *Tribiani* vulgo, suavissimis, si quod aliud, concertendo. Sequuntur mox Opida *Monte Varco* & *Quarantani*: ultra Arnum *Castel Franco* (quod cum Fano D. Ioannis conditum ab Florentinis, circa annum CIↃ CCXCVIII) & *Terra Nova*, Patria Poggii, quam muro cinxit Guido Petramala, Episcopus Aretinorum.

Occurrit mox cum *Laterina*, & *Ponte Novo Cænobium* quod ab *Valle Umbrosa*, dictũ. Ortum inde Institutum Vitæ Monasticæ, *Valli Umbrosæ* cognomento, anno CIↃ LXX.

In Casentino insuper Agro multa sunt alia Castella Vicique quorum quæ primi loci, sunt ***Romena, Borgo, Popij*** olim in Comitum Guidonum ditione.

Sub Arni Fonte, altera in ripa, visuntur *Porciano, Stia, Prato, Vecchio*. Dein altissimis in Montibus *Camaldulorum* est *Cænobium*, vulgo, *di Camaldoli*.

Ad miscentem fere se Arno Arcianum, *Bibiena* est, clarum in Monte Opidum. Haud procul inde *Fanum* est eximium *D. Mariæ Saxeæ, dal Sasso*, mox *Gelo* & *Correzzo*, Opida non magna.

Avernum locum habent Incolæ religiosum; impressa memorantes ibi D. Francisco Christi Stigmata.

Ad ea quæ Florentiæ sunt Meridionaliora recurro: Ad Pesciam hinc inde sunt *Lastra, Monte Lupo, Colina, Sambuca, Monte Giovi, Vinaro, S. Donato*, & alia.

Ad Elsam sunt *Empoli, Emporium* Latine loquentibus dicitur: *Castel Florentino, Certaldo*, Boccatii Patria, *Vico, Barberino*, Francisci IC. ortu clarum, *S. Miniato*, cui cognomen *Tedesco*, fortean ab *Teutonibus*: Nam conditum legitur hoc Opidum ab Desiderio Langbardorum Rege: Arcem ibi ab Imperatore Frederico II. factam memorat in Historia Neapolitana lib. IV. Pandulphus Collenutius: Nativitate superbiunt Cives *Recuperati* IC. & *Laurentii*, summi Astrologi, quem omnium Primum Iudicia in Annos singulos scripsisse notat Volaterranus.

Iuxta Elsæ Fontem est *Casulo*. Sunt ibidem *Stagia* & *Poggibonzi*. Posterius Latine loquentes *Bonitium* vocant. De *Bonitio* Blondus libro XVIII memorat, ejus Excidium ab Karolo I. Siciliæ Rege Florentinis pretio venditum, in contumeliam Pisanorum, qui id semel ab Florentinis eversum restaurarant. Ita tum Florentini hoc ad Pedem Collis, in cujus Vertice prius fuerat, haud pari tamen amplitudine, condiderunt: *Poggibontium* pro *Poggio Bonitio* dictum, ut scribit Platina in Vita Clementis IV. Tradit Volaterranus olim ditionis fuisse Senensium.

Ad Australiorem Elsæ ripam *Opidum* est *S. Geminiani*, Senensium quomdam, nunc Florentinorum, ab Desiderio Langbardorum Rege conditum, uti Tabula Viterbiensis, Langbardicis inscripta Litteris, docet. Patria ***Ioannis*** & ***Vincentij***, Ordinis Prædicatorij, quorum Ille Libri de Rerum Similitudine est Auctor; Hic Vitæ D. Antonij, aliorumque Operum.

Ultra sunt *Gambasio, Monti Atone*, & *Monte Opoli*.

Devenitur hinc ad Eram Fluvium; in cujus una ripa visuntur ***Pieve di Sacco, Icciola***, & *Calcinara*, cum quibusdam alijs Opidulis: in altera *Cascina* Pisani Agri, *Lari, Terriccio'a*: & haud procul Eræ Fontibus antiquissima Urbs *Volaterra*, Ciceroni, Livio, Plinio, alijs nota: Οὐολατέῤῥαι, Ptolemæo: ***Aquæ Volaterna*** Itinerariæ Tabulæ. Urbis Etymon petat ex Annio Lector, cui otium; addatque Volaterranum lib. V. Comment. Urbanor. Difficili asperoque Iugo est imposita. De Situ sic Strabo lib. V: τῶν δ' Οὐολατερράνων ἡ μὲν χώρα κλύζεται τῇ θαλάττῃ· τὸ δὲ κτίσμα ἐν φάραγγι βαθείᾳ λόφος ἐστὶν ὑψηλὸς περίκρημνος πάντη, τὴν κορυφὴν ἐπίπεδος, ἐφ' ᾗ ἵδρυται τὸ τεῖχος τῆς πόλεως. ἡ δ' ἐπ' αὐτὴν ἀνάβασις, πεντεκαίδεκα σταδίων ἐστὶν ἀπὸ τῆς βάσεως, ὀξεῖα πᾶσα καὶ χαλεπή. Sic Paulus Iovius: *E summo*, inquit, *Montis Iugo quinque præcipue Declivitates, oblongo Dorso, ad infimos pertinent Campos: qui radiorum instar ad imaginem extentæ cum digitis Palmæ manus, interiectis profundissimis Vallibus, dirimuntur; ita ut Convalles transiri nequeant, quum abruptissimæ sint, atque ita densis arbustis obseptæ, ut Exercitibus inaccessæ fiant; quoniam ab his Aditibus scilicet stratis quum paululum adscenderis in proximas Vias, nullo modo ad mutuam opem ferendam transiri possit, quod prealtæ Crepidines undique suis sint, ad quas connectentium oculi propter profunditatem fastigii caligent.*

Ad has

Ad has Naturæ Munitiones accesserunt Mœnia antiquitus è quadrato Lapide constructa: quæ hodie suburbana præcingunt Tecta: quoniam Urbs Nova, quæ hodie incolitur, post Calamitatum à Pannoniis acceptam aliquanto adstrictiore, quam antea, Muri ambitu munitur. Adfirmat etiam apud Leandrum Zacharias Zachius Volaterranus, Murorum formam humanæ Manus speciem sequi, quod Montis, in quo siti, fastigium quinis adsurgat modicis Collibus, qui inter se parvis item Vallibus dissociati: omnes Muro clausos non esse, sed aliquos tantum. Mœnia porro quadratis constant Lapidibus, longitudinis senum fere pedum; qui eleganter & adfabre absque bitumine compositi. Quinis in Urbem Portis Aditus datur: Pro singulis Fons eximius Aquas ejaculatur purissimas. Inter *Colonias* nominatur apud Frontinum. Est apud M. Tullium Epistola, qua pro *Municipibus Volaterranis* Q. Valerio Proprætori, Sullanam Legem antiquam restituere molienti, scribitur. Oratione etiam pro sua Domo Romam *Volaterranis* non solum ut Civibus, sed ut optimis Civibus, uti potuisse dicit idem Tullius. Quadam item ad Atticum Epistola gloriatur, Se in suo Consulatu *Volaterranos* & Aretinos in veteri possessione Agrorum, quos ademerat Sulla, nec diviserat, conservasse. De Rebus, quæ ad *Volaterras* olim gestæ, legendi Livius lib. x & xxviii, Strabo lib. v, & alij. Prima scribitur inter *Etruriæ* Civitates Fidem Christianam amplexa; Auctore D. Romulo, Divi Petri Apostoli Legato: quæ Arriana Labe postea nonnihil infecta, Iusti Africani Presbyteri, qui ipsius post Antistes, Virtute circa Leonis III Imperatoris tempora rursum est expurgata. Ab Vandalis primum, deinde ab Hunnis est vexata: quibus ex Italia profligatis, ab Othone I Imperatore (qui *Othonianam* conatus est nominare, *Antonianam* corrupte quidam vocant) iterum instaurata, & Muris artius septa, longo tempore per Cæsareos Legatos est administrata, demum ab Florentinis occupata, sæpe Defectionem molita creatis varie nunc hoc, nunc illo & nomine & numero Magistratibus, semper tamen in eorum retracta est potestatem; accepta etiam ab suis Victoribus Arce. Cum ijs inde subactis *Volaterrani* quoque in Ditionem venerunt *Medicum, Magnorum* hodie *Etruriæ Ducum*. Antiquitatem ejus arguunt Muri, quibus adhuc cingitur, Sepulcra, Epitaphia Litteris Etruscis posita, Vetustissimæ ex marmore Statuæ, Lapides elaborati, qui indies hic eruuntur. Urbis medio Vestigia maximi Theatri supersunt. In Via, quam *Cursum Martium* vocant, Signum *Martis* est marmoreum; cum Armis aliquot ex Alabastrite, in quibus Litteræ conspiciuntur Etruscæ; cujus generis, ut & Latinæ, multæ ibi passim Inscriptiones. Urbs est Episcopalis, sub Archiepiscopo Florentino. Inlustrarunt *Volaterras* ortu suo Magni Viri inter quos *Linus Herculanus* ex Maurorum Familia, & *A. Persius*. Vixerunt nuper *Iacobus Cardinalis*, dictus *Titiacensis*, *Raphael* à Patria sua *Volaterranus* cognominatus; *Zacharias Zachius*, qui Res *Volaterrarum* memorabiles, ut Metallorum Fodinas, Aquas Medicatas, aliaque Singularia scripsit; *Raphael Maffeus*; & alij suis Monimentis nobiles.

Coloniæ Municipium.

Res gestæ.

Antiquitates.

Viri Clari.

Trans Amnem Cæcinam in Colle Opidum est *Marantium*, quod vulgo *Ripamarance*; ab Volaterranis Muro cinctum. Inde tria milliaria *Liblianum* occurrit, in Monte, ubi Terra nigra foditur. Ulterius est *Mons Rufolus*, qui olim in Vertice summo Arcem habuit. Ab Marantio M.P.V Opidum est in Monte, quod vulgo *Monte di Cerbero*: hinc quarto lapide *Castel Nuovo di Volterra*: & paulo remotius *Lecina*. Tribus hinc milliaribus Senensium Opidum est, quod vernacule *Monte Ritundo*. Oram versus *Iustinianum* est, & haud procul inde *Sassetta*, Latinis *Saxeta* ab Monte fortean saxoso, cui insidet. Hinc *Sovretum* Vino, Oleo, Frugibusque alijs abundans. Itinere ad maritimam Senensium Regionem inter Saltus, qui Senensium, in Colle *Moscona* visitur, quæ tota fere conlapsa in Pastorum Pecudumque habitationem abit. Opidum olim fuisse perhonestum, indicant, præter magna Marmorum frusta, Columnasque fractas, Statuas mutilas, & eximij Fontis vestigia, semiruti ejus Muri quadrato lapide, cum ingenti Cisterna. Supersunt etiam Pavimentorum nobilium Partes, opere tessellato. Multa quotidie reperiuntur hic Antiquitatis Monimenta, plurimique Nummi. Secundum Collem Mare versus procedenti editiore loco Arx adparet dejecta, quæ *Mosconæ* fuisse creditur. Via, qua Senam itur Volaterris, quarto hinc lapide Opidum occurrit, quod Tuscis *Monte Miccinolo*: inde mille passibus *Spicciaiola*: hinc tribus millibus *Castro Nuovo di S. Geminiano*, vicusque *Collis Elsanæ Vallis*, qui in Ditione est Senensium. Quarto inde lapide offert se Vicus,

Marantium.
Liblianum.
Mons Rufolus.
Mons Cerberi.
Castrum Novum Volaterranum.
Lecina.
Mons Rotundus.
Iustinianum.
Saxeta.
Sovretum.
Moscona.

Mons Miccinolus.
Spicciaiola.
Castrum Novum D. Geminiani.
Collis Elsanæ Vallis.

Vicus, qui vernacule *La Badia* inter fines Florentinorum, & Senensium. Volaterris Senam euntibus à tergo celso in Jugo *Sullanum* adparet, Opidum præmunitum, saxoso in Monte quadrata forma conditum. Angulos singulos validæ tenent tuenturque Arces; quintaque ceteris major Opidi medio. Aditus ad ipsum est per difficilem, artam, sinuosamque Viam, Saxo incisam latitudine circiter trium pedum. *Sullam* Conditorem Incolæ referunt; Volaterranus *Petronios Senenses*. Ab Sillano M. P. VI, in amœno Colle Opidum est *D. Armatij*, *S. Armaze*: extra quod insigne Virginum conspicitur Cœnobium. Septimo inde lapide lautum est Opidum *Casoli*, Volaterranæ Diœcesis, quamquam ditione Senensium habeatur. Statua hic L. Cornelij Sullæ Dictatoris marmorea cernitur. Altero ab Volaterris lapide *Matolla Roncollaque* sunt opida: versusque mare X. ab Roncolla P. M. *Guardistallo*; & è regione millibus duobus *Monte Scudai*, *Mons Scutarius* Latinis. Octavo dein lapide *Querceto*: hinc tertio *Ripa-bella*.

D. Armatij.

Casoli.

Massa.

Diœcesi *Volaterrana* jam relicta, *Senensium* Territoria ingrediamur; quæ propinquiora Littori, *Maritima*, *Maremma di Siena*, vocantur. Ibi *Massa* est Vrbs pervetusta. De *Vetuloniо*, quod quidam hic censent fuisse ante a me dictum. *Massanus* vel *Massetanus Episcopus* legitur *D. Cerbo*, de quo Adcolæ Lacuum, qui prope Abbatiam in Volaterranorum Ditione, stupenda quædam commemorant. Sequuntur Loca quædam exigui momenti *Perola*, *Tatti*, *Monte Masso*, *S. Fortino*, *Strada*, *Monte Orsaio*. Trans Vmbronem *Scanzano*, *Pereta*, *Magliano*.

Saturnianum.

Vltra ad flumen Albengiam *Saturniana*, modicum nunc Opidum. Σατυρνίανα Ptolemæo: *Saturnia* Livio & Festo; Σατορνία Appiano lib. I. Belli Civilis. Hujus Rudera adhuc cerni in Finibus Tusciæ, scribit Paullus Diaconus ad Eutropij Historiam. Collapsam refecere nonnihil Senenses, in quorum est Ditione. De *Saturninis Populis* antea monui. *Saturnianam* præterfluit *Albengia*, secundum quem ulterius ad *Sempronianum* devenitur. Nec procul inde *Suana*; Σύανα Ptolemæo; unde *Suanenses* Plinio, quorum ante memini. *Suanensis* fuit *Gregorius* VII. P.M. Rursus à tergo ad Vmbronem sunt *Isola*, *Campagnaticum*, *Paganicum*, *Bagni di Pitrioli*. Supra juxta Olennam Montem, est *D. Quirici Opidum*, cum Arce, ab *D. Quirici* Æde, quam *Zenobius* Landrici filius posuisse fertur, denominatum. Hic memorandum est illud: *Florentinam Remp.* magno sumtu plurimos alere Leones: quorum si unus centesimum & unum annum supervixerit, ad eumque Montem & opidū fuerit perductus, tum *Senenses* veteri quodam jure in *Florentinorum* futuros potestate. Dein Senam versus alto in Monte Opidum est *Mons Alcinoi*, vulgo *Mont Alcin*; Vino, quod amœnis ibi Collibus gignitur, nobile. Eo Avorum memoria principes *Senensium* Familiæ, ejecta ab Cæsareanis & Florentinis Patria, commigrarunt; Seque, monte undique munito, contra omnem hostium Vim sub Gallorum Regis patrocinio sunt tutati. Iam *Magno Etruriæ Duci* cum *Senis* paret. Non procul inde *Mons Olivetus*, primordio Instituti Monachorum Alborum inclutus, quod *Montis Oliveti* nuncupatur.

Mons Olivetus.

Sena.

Succedit explicanda jamnunc *Sana*. Σαάνα Ptolemæo, mediterranea Tusciæ Vrbs lib. III cap. I. *Sena Iulia*, Itinerariæ Tabulæ; Vulgo dicitur *Siena*. Hæc *Senensis Colonia* Plinio nominatur lib. III, cap. V. ut aperte, quæ simul recensentur, Loca indicant. Alia est *Senensis Colonia*, quam disertis verbis locat ad Mare Superum Livius lib. XXVII: cujusque meminit Tacitus lib. IV. Historiarum; ubi CL. V. Iusti Lipsij Editione scribitur *Sentensis*. Hanc enim cum Superiore illa confundunt cum alii tum Albertus Leander. Quemadmodum Prior illa ab *Sana*, quæ Mari Tusco propior, quamque hoc loco delineabimus: sic Posterior ab *Sena*, quæ ad Mare Hadriaticum: *Sena* simpliciter Floro ex Livij lib. XI, ubi notat Colonias esse deductas Castrum, *Senam*, Hadriam: Σήνη Polybio; composite vero Σηνογαλλία Strab. lib. V, & fortean etiam Σήνα ibidem paullo ante, innuentibus id aliquo modo, quæ connominantur ibi, locis: nisi scribendum Κωσλῶα. *Senogallia* Plinio lib. III. cap. XIIII, Antonino, Paullo Diacono: divisim autem Σῆνα Γαλλικὰ Ptolemæo lib. III. cap. I. *Sena Gallicorum*, Silio Italico: *Sena Galli*, Itinerariæ Tabulæ: hodie denique *Senigagila*. Polybius initium *Sanæ* ad Gallos *Senones*, qui à Populo Romano devicti, referre videtur, quum eos alteram Vrbem *Senam* ædificasse, præter illam, quæ Hadriatico adposita

adposita Mari; tradit. Suffragantur Gothefredus in libro Memoriarum & Ioannes Sarisberiensis Policrat. lib. vi, cap. xvii. Non audiendus Blondus novam hanc esse Vrbem, & ab *senis Pl ba ... bus*, de Perusina, Clusinensi, Aretina, Fesulana, Florentina, & Volaterrana Diœcesi, ab Ioanne xviii P.M. acceptis, dictam censens. Alij ab Karolo Martello conditam ajunt, quo tempore, quo modo, quam ob caussam, non addentes. Alij initium ejus alio referunt, satis fabulose. Roma distans ɪↄ ccc. Stadijs edito sita est loco, cis Arbiam, flexu sinuoso propter Montis dorsum, lateribus augustior & proclivior, tria habens quasi Cornua: quorum quod Meridiem spectat, latius est iis, quæ ad Ortum sunt & Occasum. Nam ea Vrbis pars, quæ Septemtrioni obversa, exigua præ ceteris & plana. Valles intermediæ ab Hortis fere occupantur. Cœlo utitur benigno & salubri, nisi quod subinde noxijs infestetur Ventis: Aëre temperatissimo; Eius Situs,

En l'Aer dolce lucida & serena,

canit lib. iii. Cantic. viii Facius Vbertus. *Italiæ Delicias* multi vocant Poëtæ. Plurimum hæc Civitas Germanis placet, cum ob alia, tum ob Situm Aërisque Temperiem ipsis adcommodatam. Portas habet complures, quarum quæ spectat Septemtrionem Agrumque Florentinum, *Chamolia* vocatur; ad Orientem conversa, *Roma* ..a est, cui opponitur fere Occasum Solis versus ea, per quam Loca adeuntur Maritima & Planicies Rosciæ: quæ ad Meridiem, Vallem Arni Fluminis prospicit, figuram habens fere ovalem. Strata est *Sana* latere coctili, plateis recta & longa, alta Turribus. Plura sunt apud Natalem Comitem libro Histor. vi, Iov. Pontanum lib. i. Æneam Silvium, & alios. Frequentia nitet nobilium Ædificiorum: ex quibus Templum D. Virgini sacrum splendidum est & sumtuosum. De ejus Ornamentis multa Silvius, quem dixi, & Laurentius Schraderus in *Italia*. De reliquis publicis Operibus audiamus Poëtam Vbertum: Portæ. Qualitas. Publica Opera, Templum,

Io vidi il Campo suo, ch'e molto bello,
E vidi Fonte Branda, è Camelia,
E l'Hospedal, del qual' ancor novello.
Vidi la Chiesa di santa Maria,
Con intagli di marmo, è cio viduto
In verso Arezzo fu la nostra via.

Forum, quod *Campi* nomine celebrat Poëta, amplum & multorum est laterum; adeo ut propter angulorum inæqualitatem Forma ejus certe dici nequeat: in medio profundum, erectum è lateribus, ut pensile videatur: cui dignitatis non parum addit *Fons Brandus*, ex marmore. Cives cum suavissimis, tum elegantissimis sunt moribus, maximaque humanitate, erga Exteros etiam, præditi: Quæstui dediti & Civilis Vitæ muneribus. Speciosissimæ sunt Mulieres, inter quas semper aliquas Forum. Incolæ,

est

est invenire, quæ formæ venustate cunctas Italici generis feminas superant: Lætæ porro placidæque, &, salva Pudicitia, benignæ, facundæ, quibusque multus inest Lepos; plilicre etiam, orare Latine, Carmen facere non indoctæ. [Lingua.] Idioma *Senensibus* præ ceteris Tusciæ Populis elegans, & auditu gratum. Christianæ Fidei Fundamenta Primus hic posuisse scribitur *D. Ansanus*, Tranquilli Romani F. quem ad Arbiam Amnem Kalendis Decembris securi percussisse fertur Lysias Proprætor. Episcopatus Dignitatem quando consequuta sit *Sena*, non constat: hoc certum, [Episcopatus ovum.] *Episcopum Senensem Eusebium* recenseri inter XLVI plus minus Episcopos, qui Romanæ Synodo Primæ interfuerunt, sub Hilario Romano Præsule, I. anno CCCCLXV. *Maurus* etiam *Senatis Ecclesiæ Episcopus* legitur inter CXXV Episcopos, qui subscripserunt Secundo Concilio Lateranensi, quod celebratum sub Martino I, anno IↃ CLII. Sic iterum *Vitalianus Episcopus Ecclesiæ Senensis* inter multos alios numeratur, qui subscripserunt Epistolæ Agathonis, Romani Pontificis; quam Legati ab eo ad Sextam Oecumenicam Synodum Constantinopolitanam celebrandam missi anno IↃ CLXXIII. secum attulerunt. [hodie Archiepiscopatus.] *Ecclesiam Senensem* ex Episcopali in Archiepiscopalem evexit dignitatem Pius II P. M. anno CIↃ CCCCLIX, ipse *Senensis*: subjectis illi *Suanensi*, *Crossetenensi* & *Massanensi Episcopis*. [Concilium.] Concilium hic fuit Generale sub Nicolao II. P. M. CXXX Episcoporum. Est in hac Urbe Societatis Iesu Collegium, [Iesuitarum Collegium.] quod Francisci Mendozæ Cardinalis opera inchoatum, anno CIↃ IↃ LV. Est ibidem Academia, quam [Academia.] Cardinalis Zabarella Iurisconsultus varias principio Vexationes pertulisse, ut orta rursus interiret, tamen aliquando tandem constitisse scribit Clement. Dudum. de Sepulcr. Testatur ibidem *Petrus Ancharanus* se anno CIↃ CCCLXXXVIII ab Senatu *Senensi* evocatum per triennium hic Decretales docuisse. Floruerunt ibidem & *Nicolaus* V. P. M. *Abbas Panormitanus*, *Paullus Castrensis*, *Bartholemæus Socinus*, *Philippus Decius*, *Dinus Mugellanus*, *Hugo Senensis*, *Augustinus Dathus*, *Franciscus Philelphus*. Scribit Caccialupus *Senis* in Collegio Sapientiæ, quod ab *Andrea Galerano* Cive *Senensi* initium sumsit, Studiosos ob Disputationes & privata Exercitia multum proficere. Aucta est mirum in modum a *Pio* II. *P. M.* Templo juncta est Bibliotheca, ab eodem [Bibliotheca.] Pio Pontifice instituta; ubi Libri nondum expositi, neque magni forte an pretii. [Hospitale.] Hospitale est e regione Templi, in quod omnes omnium Nationum Infirmi & Peregrini recipiuntur. Opus memoria dignum cœptum dicitur ab Sutore, auctumque lapsu temporis Variorum Conlatione & Liberalitate, ut ipsius Reditum ad octingenta Ducatorum millia exurgere, sit fama. Viros illustres habuit multos, [Viri Clari.] inque eorum numero *D. Bernardinum*, Minorum instituti Reformatorem, Divis adscriptum ab Nicolao V. Pontifices Romanos dedit *Sena Alexandrum* III, duosque *Pios*, II qui *Aeneas Silvius*, & III ex Familia *Piccolominea*. Cardinales *Sena* habuit *Alphonsum* & *Raphaelem* ex *Petruciis*, *Ioannem* ex *Piccolomineis*, *Pii* III P. M. Nepotem. Archiepiscopos Episcoposque hinc oriundos recensere nimis esset longum. Inter Viros eruditione claros fuerunt *Ugo*, summus Philosophus & Medicus; *Thomas Dominus*, qui vulgo *Veritatis Doctor*; item *Fredericus Petrucius*, *Marianus Socinus*, ejusque F. *Bartholemæus*, *Bulgarinus*, *Marianus*, *Socinus Iunior*, omnes Iurisconsulti: quibus addendus *Augustinus Dathus*, Philologus. [Res gestæ.] Res ab *Senensibus* gestas Victoriasque, quas ex hostibus sunt adepti, plurimas celebrant alij. Libera suique Iuris Avorum memoria [Principes.] fuit oppressa tyrannide *Panduiphi Petrucij*; quo defuncto, Filijsque ejus cum magna Nobilitatis parte expulsis, Libertatem recuperavit, accepto Cæsareo Præfecto. Legendus omnino Æneas Silvius. [Ager sterilis-fertilis.] Agrum habet medium inter sterilem & feracem; amœnum, Frumento ceterisque Frugibus uberem. Qua in mare vergit, *Maremma* vulgo, copiam Frumenti præstat maximam; quamquam Colonis infrequentior, præcipue æstate & autumno propter Cœli vitium. Delineavit *Vrbem Senensem*, ejusque Territorium, vulgata Charta, *Cæsar Orlandius I C. Senensis*.

[Mons Apertus. Asinianum. Rapolanum. Mons Sansovino. Civitella. Batifole. Martianum. Folianum. Lucianum.] Hæc de *Sena*. Alio eamus. Trans Arbiam vel Septemtrionem est *Mons Apertus*: inde itinere in Orientem, Vmbrone superato, *Asinianum*: altiusque *Rapolanum*; & Aquilonem versus *Mons S. Sabini*, vulgo *Monte Sansovino*, Avorum memoria duobus Cardinalibus illustris, *Antonio*, hujusque Nepote *Ioanne Maria*. Altius sunt *Civitella* & *Batifole*: Deinde juxta Clanis ripam *Martianum*, superiusque *Folianum* cui ad dextram *Lucianum*. Hoc Opidum bello, quod Florentini cum Ioanne

Galeatio

Galeatio Vicecomite, Primo Mediolani Duce, gesserunt, Bononienses, Arbitri ab Senensibus & Florentinis lecti, *Florentinorum* Ditioni adjudicarunt: Sed non multo post ad pristinos Dominos *Senenses* redijt. Infra deinde sunt *Asina Longa, Turrita, Montes Fullonicus* & *Pulcianus*; Latine scribentibus, ille *Felicianus*, hic *Politianus*. Postremum hoc, quum in *Senensium* esset ditione, à Pandulpho Petrucio, qui Vrbis Principatum habebat, *Florentinis* traditum fuit, Iulio II Pontifice Maximo, qui ipsorum gratiam captabat, petente. Nobilitarunt hunc Locum *Angelus*, cognominatus inde *Politianus*, & *Marcellus Cervinus* Cardinalis. Non procul inde *Chiancianum*, Vino nobile: *mox Pientia*, Opidum à Pio II. P. M. sic dictum: Loco antea nomen erat *Corsilianum*. Ingentem ex Terræmotu Calamitatem accepit anno CIƆIƆXLV. Hinc Clanem versus *Sateanum* est. Vlterius in alto & difficili Monte (juxta Massicum ponit errore magno Servius ad librum Æneidos X) antiquissima visitur Vrbs *Clusium*. Sic dicitur Livio lib. II & alibi, Virgilio libro, quem notavi, X, Plinio non uno loco, Latinisque Scriptoribus alijs; Κλούσιον Polybio, Straboni, Appiano lib. I, Plutarcho in Poplicola: item Procopio lib. II Belli Gothici; quod *Chiusi* hodie vulgo: *Clusinum* scribitur Silio Italico lib. VIII. & Orosio lib. II. cap. XIX: Καλούσιον, inemendatius fortean, Diodoro libro IV. Meminit Lapis, qui ibi & nunc exstat, Karolo Sigonio describente:

Asina-Longa. Turrita. Mons Felicianus. Mons Politianus. Chiancianum. Pientia. Sateanum. Clusium.

Q. GAVIVS. Q. F
ARN. CLEMENS
CLVSII. EVOK
AVG
A. QVÆSTIONIBVS

An duo fuerint *Clusia*, *Vetus*, & *Novum*, disputent ex Catone supposititio alij. Mihi fabricata videntur ab Annio, qui apud Plinium in *Clusinos* inciderat & *Veteres* & *Novos*. Sic multa alia nobis comminiscendum esset Opida. Apud Livium lib. X. legitur, *Clusium, quod olim Camars appellabant*. Hinc Catoni & Antonino adfingendum erat *Clusium Vetus* vocatum *Camersolum*; &, ne quod *Novum* fuerit ignoraremus, additum ab Annio *Casentinum* id hodie dici corrupte. Annius suis Commentis ita incertavit *Italiam*, ut, si ex ipsius Scriptis esset delineanda, aliam omnino haberemus ab ea, quam Strabo, Ptolemæus, ceterique Scriptores fidis coloribus pinxerunt. Nobilitavit *Clusium* Porsena celebribus quibusdam Operibus; inter quæ Labyrinthus, quem, Porsenæq; Sepulcrum (cujus Vestigia hodieque monstrari scribit Gyraldus de Sepulcris) verbis Varronis describit Plinius lib. XXXVI. cap. III.

Iuxta est *Cetona*: & in altissimis asperrimisque Montibus haud modico intervallo *Roduofanum*, ab Desiderio Langbardorum Rege sic dictum, ut in Edicto ejus legi perhibetur: postea autem muris egregie munitum ab Hadriano IV P. M Platina teste. Vltimum id habetur ea parte Castrum Patrimonij, D. Petro ab Mathilde Comite donati.

Cetona. Rodicofanum.

Sub Tynni Montibus, qui hodie vulgo *Montuniata*, Opidum est *San Florium*, quod olim Sfortia Attendulus Cotignolanus *Bosio* Filio largitus est, Comiti creato. *Fosius* hic Pater fuit alterius *Bosij*, quem Generum legit Paullus III. P. M. juncta ipsi Filia Constantia.

San-Florium.

Inter *Rodicofanum* & præcelsos Montes *Balnea* sunt *S. Philippi*, vulgo *Bagni di S. Filippo*. Haud procul inde Vestigia monstrantur *Rusellarum*. *Rusellæ*, Livio, Ῥουσέλλαι Ptolemæo, *Rusellana Colonia* Plinio lib. III. Natur. Histor. Hinc *Rusellanus Ager* velut in alijs Exemplaribus scribitur *Rosellanus*, apud Livium lib. X, ab V. C.

Balnea S. Philippi. Rusellæ.

Secundum Paliam hinc Vicus est *Ricorso*, *Recursus*; inde *Ponte Sentino*, vel ut vulgo *Ponte Centena*: ubi quondam Σέντινον Straboni & Ptolemæo; unde *Sentinates* Plinio, alijsque *Sentinas Ager*, in quo P. Decius Cos. IV se, exemplum Patris imitatus, pro salute Populi Romani, Dijs Manibus devovit: de quo facto legendi Livius libr. X, Eutropius lib. II, Orosius lib. III. cap. XXI, Valerius Maximus lib. V. Dictorum Factorumque Memorabilium cap. VI, & alij. *Sentinum* tamen Nigro est *Cerete*; Francisco Pamphilo, *Salso Ferrato*. Livius *Agri Sentini* diverse ab *Sentino* in Faliscis facit mentionem.

Vicus Recursus. Pons Sentinus.

Procenum. Soranum. Orvietum. Vlterius inter Montes ad Peliæ dextram *Procenum* occurrit, infraque *Soranum*; de inde propter Amnem incedenti surſum in Colle præcipitique Monte Civitas adparet *Orvietum*.

Orbitum vocari ſcribitur in Edicto Deſiderij Langbardorum Regis; *Oropitum*, Antonino; *Oropite*, Catoni. Per me liceat fides ab alijs fiet. *Vrbevetanum*, & *Vrbs Vetana* disiunctim, videtur dici Procopio lib. I. & II, de Bello Gothico: *Vrbs Vetus* Paullo Diacono in Langbardicis. *Herbanum* forte Plinio lib. III. nat. Hiſt. cap. v. De *Herbano* vide, ſi otium, quæ habet ex Myrſilo ſuo Annius Viterbienſis: adde, ſi lubet, quæ apud eumdem de *Oropito*. Leonardus Aretinus & Flavius Blondus ſcribunt Vrbem hanc ab *Florentinis* ortam, nec ſupra mille annos ante ſe natos ullam eius memoriam inveniri. Sita eſt in excelſi & præcipitis montis, quique Flumine & Rivulis circumdatus, vertice plana, ſine Muris, quorum vice Rupibus undique præruptis altiſq, cingitur, natura hoc modo creatis, ut ex ſumma crepidine deſpectum in ima perquam horribilem habeant. Cœlo eſt jucundiſſimo, præterquam autumnali tempore, quum in Amne adcurrente Pelia Cannabis ſolet macerari: tum enim Aër fœtore illo correptus corruptuſque Colonis eſt moleſtiſſimus. Templum primarium Porphyretico Marmore eſt incruſtatum; Veſtibulum Pario, quod elegantes Statuæ Picturæque ſummorum Artificum decorant: Templi Feneſtræ ſunt ex Alabaſtrite; nec aliter, ac Vitrum, perlucidæ. Sunt hic Ædes ſplendidiſſimæ ab Urbano v. P. M. anno CIƆ CCCLXVII factæ. Fons ibidem profundiſſimus ab Clemente VII in rupe exciſus; ad Introitum cujus legitur:

Urbis Conditores. Situs. Aër. Templum. Ædes Vrbani v. Fons.

Quod Natura Munimento inviderat, Induſtria adjecit:

Profunditas dicitur CCLII. Cubitorum.

Garnaiole. Mons Leonum. Plebes. Cortona. Pergamus Glanim tranſgreſſi: quem inter & Tiberim Opida ſunt *Garnaiole*, *Monte Lion*; *Pieve*, Latine ſcribentibus *Plebes*: ulteriuſque *Cortona*. Sic hodie: ſic olim, notantibus Livio lib. IX & XXII, Silioque Italico lib. VIII: ſic, Κορτώνα inquam, Polybio lib. III, & Ptolemæo lib. III. cap. I dicitur: quæ Κρότων Stephano. Diſtinguit Dionyſius Halicarnaſſ. lib. I. Antiq. Roman, Κρότων, ait, *Colonia Romanorum* Κορτώνα *nuper appellata eſt*. Κοϑωρνία exprimitur in Editione Roberti Stephani. Ab *Cortona Cortonenſes* Plinio lib. III. cap. v. Cenſet Volaterranus *Cortonam* antea dictum *Corytum*, cujus aliquoties mentio apud Virgilium: quod mihi non probatur. Alia eſt Κρότων Ptolemæo in Magna Græcia ad Sinum Tarentinum; quæ hodie *Crotone*: quamque *Lauram* quondam appellatam teſtatur Iſacius Tzetza. Livius *Cortonam*, *Peruſiam*, & *Aretium* Capita *Etruriæ* Populorum nominat libro IX. Epiſcopum huic Vrbi dedit Ioannes XXII. P. M. parte illi ex Diœceſi Aretina attributa. Leguntur *Aretini* cap-

Epiſcopatus.

tam

tam muris nudasse, pessimeque habitam duro tenuisse imperio. Principatum inde invasit *Vgutio*: quo ob infames Mores obtruncato *Ladislaus* Neapolitanorum Rex Vrbem, quæ in ejus Ditionem venerat, vendidit *Florentinis*; quorum potestati jamnunc subjecta est. Nobilitarunt eam superioribus annis *Silvius* Cardinalis, & *Iacobus* Perusinorum Episcopus.

Principes. Clari Cives.

Agro Cortonensi *Petra Mala* Castellum est, origine clarum nobilis Familiæ *Petra-Malarum* Aretinæ. Dein est *Cixatella*, *Guidonis Petramalæ* opus, in loco edito. Est tamquam Porta ad multa alia Castella; & ad totum fere Imperium Florentinum, quod ad eam spectat Partem, infestandum. Haud procul inde secundum Glanim occurrit *Castilio*: *Castiglione* vulgo, Opidum Populo frequens; *Lapi* I. C, qui Vitas aliquot Plutarchi Latinas fecit, Patria.

Petra Mala. Cixatella. Castilio.

Offert se mox Septemtrionem versus *Aretium*, CIↃ CC Stadijs Roma distans. *Arezzo* vocatur vernacule Opidum, quod Ἀῤῥήτιον Polybio, Straboni, & Ptolemæo: *Aretium* Livio lib. IX & Plinio libro XXXV. cap. XII, retinere illud scribenti Vasorum in Italia nobilitatem (qua de re & Martialis lib. I, alibique) Lateritium quoq; Murum eidem tribuenti capite, quod mox ibi sequitur, XIV, Uvam denique ejus commendanti lib. XIIII. cap. III. *Adretium* mendosius legitur in Itineraria Tabula. Inde *Aretini* Etruriæ Populi, eidem Plinio lib. III. cap. V: cui triplices ibi, suis Cognominibus distincti, *Veteres, Fidentiores, Iulienses*. Horum autem nonnulli Codices *Arretinos* scribunt. Sic Monimentum, quod Tiferni, vulgo *Cita di Castello*, in Vmbria, in Ara marmorea prægrandi:

Aretium.

C. ANINIVS. C. F. POM. GALLVS
DOMO ARRETIO. S. LEG. IIII
SCHYTH. MILITAVIT. IN
PR. AN. XVII
EVOC. AN. II
S. IN. LEG. IIII. SCHYTIC
AN. XVIIII. VIXIT
AN. LX. MERV. AN. XXXVIII
H. S. E. ATIMETVS. L
EX. TESTAMENTO. F. C

Dictam volunt varie varij ab *Ârie*, *Aratura*, *Ariditate*: Annius Viterbiensis suo more ab *Veila Aretia*, Iani Conjuge. Urbs hodie jucundis amœnisque in Campis sita; Agro, qui Frumenti, Vini, ceterarumque Frugum abunde fertilis. Magna quomdam adfecit Clade L. Cornelius Sulla. Inde, Imperio Romano declinante, ab Gothis Langobardisque male admodum habitas mox Florentinorum Bellis non semel vexata; hinc civilibus agitata Factionibus Gibellinorum & Guelphorum ingentes accepit Calamitates, potestatem Vrbis aliquamdiu tenentibus Vbertinis, & Petramalis: postremo Florentinis vendita, postque defectionem ab ijsdem in ditionem aliquoties redacta, tandem Karoli V. Imperatoris auctoritate, ex voto Clementis VII. P. M. *Alexandro Medici*, quem *Principem Florentinum* ille appellarat, in perpetuum est concessa. Episcopatus floret dignitate. Fuit inter Præsules *Aretinos D. Donatus*; quem Martyrio hic adfectum constat sub Valentiniano Augusto. Edidit Viros Claros non paucos: in quis *Laurentius* & *Peregrinus* ob Fidem in CHRISTVM sub Diocletiano necati, ibique siti: item *Mæcenas*, quem *Aretij* natum Macrobius ex Epistola quadam Augusti docet; indicantibus idem Horatio, alijsq; multis Scriptoribus. Nati & hic *Ludovicus Brunus* & *Carolus Aretinus*. qui, Florentinæ Reip. à Secretis alter alteri succedens, multa è Græcis in Latinum transtulerunt sermonem. Aretini quoque sunt *Ioannes Tertellius*, *Franciscus*, qui præter alia Phalaridis Epistolas Latinas fecit, *Angelus Gambalionius* I. C, *Petrus Accoltus* Cardinalis, *Petrus Aretinus*; omnes Scriptis nobiles.

Vnde dictum. Situs. Res gestæ. Episcopatus. Viri Clari.

Haud procul *Aretio*, Tiberim versus, Opida sunt ad Fluvium Cersonem, *Citerna*: & trans Souariam, *Angularium*, *Anghiari* vulgo, à quo ad Tiberim millia sunt III. Sursum ad eumdem Fluvium *Montedo.ium*, *Monte-Doglio*, se aperit; inde *Fanum S. Stephani*, & inter Montes *Capresium*, Totilæ Gothorum Regis morte inclutum.

Citerna. Angularium. Montedolium. Fanum S. Stephani. Capresium.

Vide Procopium lib. III. de Bello Gothico, cui *Capra* nominatur. Altius hinc alia sunt exigua circa Tiberis Fontem Opida, non magni momenti. Infra Citernam Amnis est Cerreo: trans eum in Collibus *Mons D. Martæ*; inde *Mons Albanus* & *Sorbellum*.

Nerone transito, *Pietra* in Colle cernitur: Mox in circuitu Thrasumeni Lacus Vici Opidaque multa; nominatim *Ossaia*, *Opatta*, ab *Ossibus* cæsorum Romanorum, ut putatur, dicta. Nam eo loco Romanos Hannibal cecidit ob temeritatem C. Flaminii, qui & ipse cum maxima Legionum parte occisus est, scribentibus plene Polybio lib. III, Livio lib. XXII, Plutarcho in vita Hannibalis, Orosio libro IV. cap. XV, Eutropio in Historia Romana, Auctore de VV. Illustribus cap. XIII, Valerio Maximo lib. I. cap. VI, & lib. III. cap. VII, M. Tullio de Divinatione lib. I; Silio Italico lib. V, Ovidio lib. VI. Fastor. Plinio lib. II. cap. XXCV, Frontino libro Strateg. II. cap. V & lib. IIII. cap. VII. Sunt ad eumdem Lacum, quæ vulgo *Passignana*, *Fo[r]ghetto*, *Castiglione*, *Chiusino*, *Paciano*: in Montibus *Pantiale* & *Monte Alera*, redituque ad Lacum, *Monte Colonna*: tum ulterius *Corcianum*; mox antiquissima Civitas *Perusia*. Sic Plinio lib. III. cap. V, Livio non uno in loco, Tacito lib. XVII, & aliis: Περουσία Ptolemæo lib. III, Περυσία Appiano Alexandrino lib. V. vocatur. quæ *Perusium* Eutropio; *Perusium*

Itinerariæ Tabulæ; Περάσιον denique fortean Stephano: Hodie antiquo nomine *Perugia*, recepta Italis Pronunciatione, dicitur. Meminit *Perusia* Lapis, qui Romæ in domo Andreæ Cavaglieri, ad Campum Floræ:

C. VITRICIO. C. F.
TRO. MAXIMO
D. PERVSIA. MIL
COH. V PR
MIL. ANN. IIII
VIX. ANNOS. XXIIII
H. S. E

Perusiam dictam volunt alii à *Perusio* Troiano; alii à *Perseo*. *Perusinos* originem ab *Achæis* ducere scribit ex Trogi libro XX Iustinus. A *Tyrrhenis* in Italia conditam, & inter XII *Etruriæ* Vrbes fuisse, & ob id Iunonem Tyrrhenorum more in ea Vrbe colisolitam, memorat Appianus Alexandrinus lib. V. Bellor. Civil. Insigne *Perusinorum* est Gryphus; quod animal Scythica lingua *Perus* appellari dicitur. *Colonia Vibia* scribitur in Porta Martia, ab C. *Vibio*, Achæorum Duce, ut volunt; & *Augusta Perusia* in alia, ab C. Cæsare Augusto, qui obsessam & dirutam aliquanto post mœnibus & portis instauravit. Colli insidet Apennini: natura loci permunita. Ædificia

ficia habet cum publica, tum privata, valde nobilia, ampla, excelsa. Turribus est plena: ex quarum nulla cognosci tota prospectu potest; quod commune illi cum Vrbino. Fora sunt bina; *Rotundum* & *Rimenum*: In Rotundo Fons est, & Palatium. In Ecclesiæ Catedralis Sacrario S. Lucæ Euangelium est in cortice scriptum, aureis litteris; & *D. Herculani* Monimentum, Martyris & Episcopi; cujus se Ossa servare perhibent Cives, uti & *Benedicti* XI. P.M. Beatæque *Columbæ*. Episcopatus gaudet titulo. In Fundamentis Ædificiorum, quæ a Pontifice diruta, repertum est *Vulcani Templum*, cujus apud Appianum lib. V. fit mentio. Alii volunt eo loco fuisse, ubi nunc D. Angeli Ædes, sub cujus Altari majore Saxum antiquum visitur, Romanis litteris incisum. Verba adscribam, quod ea *Patronum Perusinorum* præferant:

Situs. Ædificia. Turres. Fora. Templum Cathedrale. Episcopatus. Vulcani Templum.

C. VIBIO. C. F. L. N. TRO
GALLO. PROCVLEIANO
PATRONO. PERVSINORVM
PATRONO. ET. CVRATORI. R. P. VET
TONENSIVM. IVDICI. DE. V. DEC. ADI
LI. PATRONO. COLLEGI. CENTON
VIBIVS. VELDVMNIANVS
AVO. KARISSIMO. OB CVIVS
DEDICATIONEM. DEDIT
DECVRIONIB. *. II. PLEBI. * I.
L. D. D. D
In Latere
DEDIC. IDIB. IVL
IMP. M. AVRELIO. ANTONINO. AVG. PIO. FEL. II
Alter Versus sub Terra latet, vel erasus est.

Incolæ, quorum mediocris est frequentia, animus ingeniisque sunt summi; non minus ad Litteras, quam Arma promti. De Rebus, quæ ad hanc Vrbem olim, vel ab eius Incolis, gestæ, legendi Livius cum aliis locis, tum lib. VI, IX, X, XXVIII, CXXV & sequente, Appianus lib. V. Bellor. Civilium, Florus lib. IV. Histor. Romanæ, cap. VII, Eutropius lib. VII, Orosius lib. VI. cap. XVI, Suetonius in Octaviano Augusto cap. XIV, & seq. Plinius lib. VII cap. XIV, Solinus cap. III. & Propertius lib. II. Elegia I. Inter omnes *Italiæ* Vrbes Felicitatem scribitur à Blondo nacta fere inauditā: quod eamdem pene Statum & Rerum conditionem, quæ ante Romam conditam, & postea sub Regibus, Coss. Imperatoribus fuit, usque in hunc diem retineat: varias tamē sæpius difficultates & calamitates experta; & tam ab externis, Gothis nimirum, Duce Totila (consulendus Procopius lib. III. de Bello Gothico) Langbardis, & aliis passa; quam civilibus conturbata Factionibus, præsertim *Raspantium Gibellinorum* & *Nobilium Guelphorum*. Legendus omnino Leander Albertus. Hodie in Pontificis Romani est Ditione, Arce, quam *Citadellam* vocant, accepta: cui extruendæ opera per Cives est communiata, Nemine in Calce Lapidibusque portandis immuni: Sacris & profanis ædibus disiectis, ut in utrumque Forum pateret. Administratur Iustitia a Pontificis Gubernatore: cui XII ex Civium primorum numero, qualicumque Libertatis specie, adjunguntur; habitantes apud S. Laurentium. Academia *Perusina* circa annum CIↃ CCXC florere cœpit: iisdem ornata Privilegiis, quæ in l. unica. C. de Professorib. qui in Vrbe Constantinop. docent, Constantinopolitanæ Academiæ tribuuntur; uti docent ad eam leg. Bartolus, qui & alia ibi Privilegia commemorat. Petrus Anchoranus inter *Italiæ* Vrbes Iurisprudentia floruisse *Perusium* scribit. Amplissima sunt Collegia, in quibus annuo Censu Vitæ subsidia Studiosis suppeditantur. Est inter alia *Collegium Vetus* & *Novum*: vulgo *Sapientia Vetus* & *Nova*: quarum Illa, D. Gregorio sacra, Episcopo loci, ut Provisori; Hæc, D. Hieronymo dicata, Priori Canonico Cathedralis Perusinæ, & Consulibus, *Mercantiæ* vulgo, patet. Apud S. Dominicum insignis est Bibliotheca. Claros Viros habuit Perusia non paucos: *Sebastianum*, Theologum & Astrologum: *Nicolaum Columbum*, Philosophum & Theologum: *Paullum*, qui, præter Collationes, Numerum

Incolæ. Res gestæ. Magistratus. Academia. Collegia. Bibliotheca. Clari Viri.

de Diis Græcorum Latinorumque scripsit; *Baldum*, Bartoli auditorem, *Angelo*sque ejus Filium & Nepotem; *Petrum* item Baldi Fratrem, & *Matthæum* Petri Filium; *Baldum* insuper alterum, cui Filij fuerunt tres ornatissimi, *Nicolaus*, Apostolicæ Rotæ Auditor, *Matthæus* magnus Iurisconsultus, & *Sigismundus* Eques auratus: Sequuti sunt hos *Io. Sallustius* & *Ioannes Petrucius* ex nobili gente Montisperelli. Alios prætereo. Vixerunt etiam nuper ibi *Restaurus Castaldus*, & *Iacobus Antiquarius*, *Franciscus Maturantius*, *Marius Podianus*, *Franciscus Camenus*, *Vincentius Herculanus*, *Gulielmus Pontanus*, & alij Scriptis celebres. Agro Perusino, etsi multas adierit & lustraverit Regiones Ioannes Campanus, nullam tamen cultiorem amœnioremque se umquam cognovisse scribit. Vasta omnia & montuosa prius intuenti, quum autem propius accedat, nihil cum Agrorum cultu tum benignitate cœli terræque ubertate felicius. Ager sane fructiferis jucundisque adsurgit Collibus, qui Vini, Olei, Ficuum, Pomorum, aliorumque optimorum Fructuum fertilis. Campi adjacent, Tritico ceteroque Frumento copiosi. Peculiare de hac Vrbe edidit Opusculum *Marius Podianus*, Orator insignis.

Ager.

A Perusia deorsum inter Montes est *Cerqueto*. Mox trans Amnem Nestorem Opida, *Monte Petriolo*, *Mercatello*, *Monte Vetano*, & *Campignano*; ultraque Tiberim versus *Marciano*; inferius *Corte Lungo*, *Ripabella*, *Monte Castello* & *Cervara*.

Cerqueto. Monte Petriolo. Mercatello. Monte Vetano. Campignano. Marciano. Corte Lungo. Ripabella. Monte Castello. Cervara. Pitilianum. Farnesium.

Aperit se inde trans Paliam Amnem *Faliscorum* Ager. De *Faliscis* universim antea dixi. In eorum Opidis recensendis ab Mari orsus (relicta tamen ora littorali, quæ supra mihi descripta) Soractem, qui limes *Faliscos* inter & Vejentes, versus incedam. Initium igitur esto *Pitilianum* Opidum nobile Ursinorum, titulo Comitatus inclutum. Vicinum illi *Farnesium*, Gente *Farnesiorum* Romana, ex qua cum *Paulo* III. P. M. magni Viri prodierunt, clarum; Patria etiam *Petri Ancharani* IC. sic dicti, quod *Ancharani Castelli* esset Dominus. Paullum infra Farnesium *Castrum* est, adeo omni ex aditu rupibus cavernisque septum, ut accedentes in Specum obscurum, Ferisque habitatum potius duci videantur, quam in Urbem, hominum cœtu cultam & frequentatam. Nobilitavit eam ortu suo *Paullus* IC. qui inde *Castrensis*. Deinceps Via, quæ Sæna Romam ducit, ad Paliam Flumen est *Aqua pendens* Opidum oblongum, & in Monte positum; vulgo *Acqua pendente*: Ἄκυλα Ptolemæo; unde *Aquenses* fortean Plinio, qui eos *Taurinos* cognominat.

Castrum.

Aquapendente.

Hinc ad Lacum Vulsinium *Bolsena* est, Vestigijs inædificatum antiquissimæ *Vulsiniensium* Urbis; quæ *Vulsinium* Plinio: Οὐλσίνιοι Straboni; Οὐολσίνιον Ptolemæo; *Volsinum*, Itinerariæ Tabulæ; *Vulsinium* Livio; *Vulsinij* multitudinis numero eidem Plinio, Antonino, Capitolinis Tabulis, Tacito initio libri IV, ubi dicit Ælium Seianum *Vulsinijs* natum. Sic Iuvenalis in Satyris:

Bolsena hodie Vulsinium.

Quis timet, aut timuit gelida Præneste ruinam?
Aut positis nemorosa inter juga Volsinijs, *aut*
Simplicibus Gabijs, aut proni Tiburis arce?

Sic Auctor de Viris Illustribus cap. XXXVI: *Volsinij Etruriæ nobile opidum*. *Volsiniensem Vrbem*, Caput *Etruriæ* vocat Valerius Maximus. A Postumio Cos. olim vastata legitur; deinde Servorum conspiratione aliquando occupata: quo tempore, Civibus auxilia a Pop. Ro. petentibus, Decius Murena cum exercitu missus Dominos ab Servorum Imperio vindicavit, ut tradunt, præter Livium, Florus lib. I Hist. Rom. cap. XXI, Eutropius lib. II, Orosius lib. IV. cap. V, Auctor de V V. Illustr. cap. XXXVI, Valerius Maximus lib. IX, cap. I. Sed & Plinius lib. II. nat. Hist. cap. LII hanc Urbem totam fere Fulmine concrematam tradit. Respicit ad Calamitatem illam Iuvenalis, quum ad superiora pergit:

Res gestæ.

Nos Vrbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui. Nam sic labentibus obstat
Villicus, & veteris rimæ contexit hiatum;
Securos pendente jubet dormire ruina.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus, Vrbis nec mille pericula sævæ.

De *Volsinijs* notandum & quod Plinius scribit ejusdem libri cap. LIII: *Exstat*, inquit, *Annalium memoria, Sacris quibusdam & Precationibus vel cogi fulmina vel impetrari*,

trari. Vetus fama Etruriæ est, impetratum, Volsinios *Vrbem Agris depopulatis subeunte Monstro, quod vocavere* Voltam, *evocatum & à Porsena suo Rege.* Antiquitatem Vrbis testantur vetustissima cum suis Inscriptionibus Marmora. Hodie deleta est, & in Villam propemodum conversa. Servare se dicunt Incolæ Corpus *D. Christinæ Virginis:* memorant etiam *Hostia consecrata* Miraculum, ab alijs descriptum. Plinius tantæ felicitatis Agrum Urbis esse perhibet, ut Oleæ ibi post primum, quo satæ, annum sint fœcundæ, & fructum ferant. Vina producit cum primis nobilia, præsertim vero *Apiana.*

Antiquitas. Patrona. Ager.

Ad dextram Bolsenæ Opida se offerunt *S. Laurentij, Grotte, Gradoli,* in Collibus; paulloque ulterius, inter Montes, *Valentano,* Ditionis Farnesiorum. Rursus ad Lacum *Capo di Monte* & *Marta. Larthes* seppolititio Catoni. Hinc versus Meridiem ad Martam Fluvium *Tuscanella* est, pervetustum & nobile opidum, Ditionis Ecclesiæ Romanæ: *Tuscana* Itinerariæ Tabulæ. De eius Origine & Nomine Annius Viterbiensis: quibus, ut nec quæ apud Leandrum Albertum, hic recensendis non immorabor. Nugas aversari soleo, si quis alius.

S. Laurentij, Grotta, Gradoli, Valentanum, Caput Montis, Marta, Tuscanella.

Superato Marta, sursum ad Lacum, itinere, quod Viterbum ducit, Lucum, qui *Bosco di Monte Fiascone* vulgo audit, transgressis occurrit *Mons Fiasconus,* vel, ut alij scribunt, *Phiasconus,* vernacule *Monte Fiascone,* opidum præcelso in Colle. Φαλίσκον Straboni lib. v. Φαλίσκος, inquit Stephanus, πόλις Ἰταλίας, ἄποικος Ἀργείων. *Colonia,* ait Plinius lib. III. cap. v, Falisca *Argis orta (ut auctor est Cato) quæ cognominatur* Etruscorum. Frontinus de Colonijs: *Colonia Iunonia, quæ appellatur* Falisca. Apud Diodorum Φαλίσκων πόλιν reperio ἐκ τῶν Φαλίσκων ἔθνους. *Falisci* multitudinis numero Eutropio libro I, & Auctori de Viris Illustr. cap. XXIII. *Falerij* Plutarcho in Vitis, Macrobio lib. I. Saturn. & Livio lib. v. cui *Falisci* sunt Populi, *Falerij* autem *Faliscorum* Vrbs. *Faleros* lego in Itineraria Tabula. Ex Variorum Auctorum collatione deprehenditur omnino esse ea, quam ob munitissimum loci natura Situm longo bello L. Furius Camillus obsedit; eique Ludi magister, abductis clam in Hostium Castra Principum & Nobilissimorum Civium liberis, prodere est conatus. Legendi Livius libro indicato, Valerius Maximus lib. VI, cap. v, Frontinus lib. IV. cap. IIII, Auctor de VV. Illustr. cap. XXIII, Florus lib. I cap. XII, Plutarchus in Camilli Vita. Nonnulli tamen, inter quos Antonius Massa videndus & Leander Albertus) *Falerios* aliam ab *Falisca* Urbem statuentes, censent *Faleriorum* ruinas etiamnum hodie *Falari* nomen retinere; & iuxta Campum esse *Falartensem.* Iuvare videtur eos nonnihil Solinus in Polyhist. cap. VIII ab Aleso Argivo *Faliscam,* ab Falerio Argivo *Falerios* trahens. Certe quod Opidum *Falerij* Livio & Φαλερία non uno loco Dionysio Halicarnassæo; *Falisci* vocatur in eadem Historia Eutropio, Auctorique de VV. Illustr. *Falerios* autem vel *Faliscum* idem esse Opidum cum eo, quod hodie *Mons Fiasconus,* inde paret, quod Livius lib. v. scribat *Falerios* difficilioris fuisse aditus, asperis confragosisque circa, & partim artis, partim arduis Vijs; quodque, ut canit Ovidius, difficilis Clivis Via in Urbem præbuerit Iter: non autem aliud in *Faliscorum* Montibus Opidum inveniatur eius naturæ, quam quod *Mons Fiasconus* vernacule. Conditum, Ovidius auctor est, ab *Aleso,* quum inquit:

Mons Fiasconus, olim Faliscum vel Falerij.

> *Argiva est Pompæ facies: Agamemnone caso*
> *Et scelus & patrias fugit* Alesus *opes.*
> *Iamque pererratis Profugis terraque marique*
> *Mœnia felici condidit alta manu.*
> *Ille suos docuit Iunonia Sacra* Faliscos.

Sic Solinus: *Ab* Aleso *Argivo Faliscam; à Falerio Argivo Falerios.* Ita Manuscriptum legit Volumen, quod optimæ notæ servatur in Bibliotheca Lugduno Batava: sequius Vulgata, *A Phalero Argiva Faliscam:* malo contraque auctoritatem Ovidij. *Falerijs* Simulacrum Iani Quadrifontis Romam advectum, notat Macrobius lib. I. Saturnal. Ager huius Opidi peramœnus fructiferis nitet Collibus.

Dextera tum inter Montes *Balneo-Regium* est, *Bagnerea* vulgo; *Roda* in Edicto Desiderij Regis, si fides illi. Locus hic est, quem Plinius *Novem-Pagos* dicit. Male apud Volaterranum *Decem-Pagi* nominantur. *Balneo-Regium* ortu *D. Bonaventura,* Cardinalis & Doctoris ex Ordine Minorum, est nobile. Opida inde se offerunt, quæ

Balneo-Regium.

vernacule *Gallignano, Speciano, Vitorchiano, Bomarzo, Mugnano, Bassano*: mox ad Confluentia Naris & Tiberis *Horta* Civitas. Sic Paullo Diacono vocatur; quæ *Hortanum*, Plinio; *Orta*, Antonio Massæ: *Orti* vel *Horti*, vulgo. Antiquissima licet sit, nulla tamen eius apud Veteres Scriptores mentio. *Hortis* ad Meridiem Opidum est *Bassanello*: à quo Lacus, *Vadimonis* olim cognominatus, hodie *Lago di Bassanello*. De eo alibi.

Sequitur versus Orientem *Gallesium*, *Gallese* vulgo. Patria Nicolai P. M. Referre creditur nomen *Halesi*, quem antea Faliscæ Gentis Auctorem ex Ovidio & Solino dixi. Ædificatum est, quemadmodum & alia huius Regionis Opida, super Topho, rupis altissimis remanentibus, exciso: cuius figura in oblongum tendens Orbem, persimilis est oblongo Pyro: ita ut pars, quæ latior, Orientem respiciat. Plura de hoc Opidò Antonius Massa, ipse *Gallesius*.

Succedit huic *Corchianum*, quod ab *Horchia*, Etruriæ Dea; *Pomona* Latinis, dictum censetur: unde & aliud *Vicorchianum*, quasi *Vicus Horchianus* sub Cyminio Monte. *Corchiano* conjacet *Ignanellum*, & ulterius *Faleranum*: item ad Tiberim *Burgetum S. Leonardi*, Vicus lautus, ad Ius Dominiumque Xenodochij S. Spiritus Sassiani Romæ pertinens, & ab Veneto Milite anno CIↃ IↃ XXVII incendio majore ex parte vastatus. Tertio hinc per ripam Tiberinam lapide pervetusta est *Turris*, ubi transitus Tiberis, quæ *della Foglia* cognominatur.

A *Burgeto* per antiquæ Viæ Flaminiæ Vestigia, post octavum Milliare *Civitas Castellana* præcelsis in rupibus occurrit. Putant quidam *Veiorum* hanc Vrbem fuisse, decennium ab Romanis obsessam. Sed repugnare videntur Dionysius Halicarnassæus & Plinius. Is enim lib. II. scribit *Veiorum* Opidum non ultra centesimum ab Vrbe Stadium abfuisse: hic autem lib: III. cap. VI. tradit, *Vejentes* iuxta Tiberim, Vrbemque *Veiam* ab Fidena, Vaticano, & Ianiculo P. M. XIII fuisse disiunctam. *Civitatem* autem *Castellanam* haud minus XXV P. M. Stadijsve ducentis Roma distare nullus, Locorum istius tractus non ignarus, ambigit. Alia Argumenta, quæ ex Livio, ubi de Itinere Trecentorum Fabiorum, quis colligere potest, prætereo. Aliud igitur quærendum est antiquum huic Civitati Nomen. Verisimile, fuisse Vrbem, quæ *Fescennia* Plinio; Φασκέννιον Dionysio Halicarnass. Inde *Fescenina Acies* apud Virgilium lib. VII Æneidos, ad quem mirum est Servium *Fescennium* Opidum in Planitie scribere. quum & alia Loca, quæ Virgilius ibi memorat, & *Civitas Castellana* præcelsis in rupibus, ut antea dixi, sint sita. Dicendum forte Servium ignoratione quadam confundere cum *Fescennio Faliscorum* aliud *Fescenium*, quod in Campania. Ab *Fescennio* autem Etruscorum *Fescennini* dicebantur *Versus*: de quorum origine sic canit Horatius:

Agricolæ prisci fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus, & ipsum Animum spe finis dura ferentem,
Cum Socijs operum, & Pueris, & Conjuge fida
Tellurem Porco, Silvanum Lacte piabant,
Floribus & Vino Genium, memores brevis ævi.
Fescennina *per hunc inventa Licentia morem,*
Versibus alternis opprobria rustica fudit;
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter.

Fescennini sane *Versus* erant, per quos inductæ Rusticorum Personæ cum in Se, tum in alios jocosa Convicia alternis canebant, non solum in Nuptijs, uti patet ex Festo, Senecæ Medea, Catullo in Epithalamio, Plinio lib. XV, Ausonioque: verum etiam in Convivijs, alijsque hilarioribus hominum Conventibus, ut docent Horatij, quæ ante scripsi, Livijque lib. VII, testimonia. Tam olim grati fuerunt *Fescennini Versus*, ut ne Octavianus quidem Augustus ab ijs scribendis abstinuerit. Unde apud Macrobium legimus lib. Saturnal. II, Temporibus Triumviralibus Pollionem, quum *Fescenninos* in eum Augustus scripsisset, dixisse, *At ego taceo: non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere.* *Fescenninos* omnium elegantissime fecit *Annianus Poeta*. De eo Ausonius in Centone Nuptiali: *Nam quid Anniani Fescenninos, quid antiquissimi Poetæ Levij Erotopægnion Libros loquar?* Fuit *Annianus Faliscus*, Probi

Gram-

Grammatici Discipulus, Agellij (qui de eo, libro VII, & XX.) Amicus, per ea tempora, quibus ad Imperium Romanum evectus est Hadrianus. Versus aliquot eius ab Oblivionis iniuria vindicavit Terentianus:

Cetera Pars superest mea Tibia dicere versus:
Hac tuncla frequentius edent
Anapæstica dulcia Metra:
Cuicumque libebit ut istos
Triplices dare sic Anapæstos,
Atque ille Poeta Faliscus,
Quum Ludicra Carmina pangit:
Uva, Uva sum, & Uva Falerna,
Et ter feror, & quater anno.
Libro quoque dixit eodem:
Unde, unde Colonus? Eoi
A Flumine venit Orontæ.

Fuerunt haud procul Civitate Castellana *Aræ Murciæ*, quarum meminit Plinius libro II. cap. XXXVIII. *Aræ Murciæ.*

Ad Montem Soractem vel Faliscorum, de quo alibi, Strabonis ætate *Feronia* fuit: *Feronia* Ὑπὸ δὲ τῷ Σωράκτῳ ὄρει Φερωνία πόλις ἐστὶν, ὁμώνυμος ἐπιχωρίᾳ τινὶ Δαίμονι, τιμωμένη σφόδρα ὑπὸ τῶν περιοίκων· ἧς τέμενος ἐστιν ἐν τῷ τόπῳ θαυμαστὴν ἱεροποιίαν ἔχον. Γυμνοῖς γὰρ ποσὶ διεξίασιν ἀνθρακιὰν καὶ σποδιὰν μεγάλην οἱ κατεχόμενοι ὑπὸ τῆς Δαίμονος ταύτης ἀπαθεῖς: καὶ συνέρχεται πλῆθος ἀνθρώπων ἅμα τῆς τε πανηγύρεως χάριν, ἣ συντελεῖται κατ' ἔτος, καὶ τῆς λεχθείσης θέας. Innuit *Feroniam* dictam ab Dea cognomine *Feronia*. Quod reliquum narrat, ad *Hirpos* est referendum, de quibus antea. Putat Leander *Feroniam* eodem fuisse loco, quo nunc *D. Silvestri Castrum*, *Castello di S. Silvestro*. Antonius Massa arbitratur nulla hodie *Feroniæ* exstare vestigia. Nec certiora dici possunt de *Flaviana*, cuius eodem tractu meminit Silius lib. VIII: *D. Silvestri Castrum.* *Flaviana.*

Quique tuos Flaviana focos.

Inde *Flavinia Arva* Virgilio lib. VII Æneid.

Hi Fescenninas Acies, Æquitesque Faliscos,
Hi Soractis habent Arces, Flaviniaque *Arva.*

Ad quæ Verba Servio *Flavinium, Locus est Tusciæ in Italia.*

Quam fortunam *Flaviana*, subijt etiam ijsdem locis Opidum, quod *Ferentinum* Tacito libro XVII, Plinio lib. III. cap V, Aurelio Victori in Vita Otthonis; Φερεντινὸν, Straboni; Φερεντία, Ptolemæo: unde *Ferentini* apud eumdem Pliniū. Eos puto nominari in antiqua Inscriptione, quam Vulsinijs exscriptā posui folio 872, ubi de præcipuis *Etruriæ* Populis. *Ferentina* fuerunt & alia. Commentator Vetus Horatij: *Ferentinum* inquit, *est Campaniæ, Tusciæ, & Tertium in Via Lavicana ad* XLVIII *Lapidem ab Urbe.* De ceteris suo loco ex varijs Auctoribus. Hoc interim *Etruriæ* scribendum monent Viri docti *Ferentium*, vel *Ferentiam*. Sciendum tamen Urbes multas in Italia fuisse cognomines. Vide quæ notavi ad *Frentanos* Samnitium. *Ferentino* Etruriæ ortus scribitur Otho Imperator, scribente, præter Tacitum in Annalibus & Sex. Aurelium Victorem, Suetonio in eius Vita. Fuit autem *Ferentinum* hoc, scribente ad Ortelium Celso Cittadino, inter Viterbium, Montem Soractem, Balneoregium & Flasconenses; exque ea tantum hodie Ecclesia superest, vocaturque Locus *Ferento*, quod sic pronunciatur, ut prima elevetur, reliquæ Syllabæ deprimantur. *Ferentinum.*

Locis *Ferentio* finitimis Opidum etiam erat, quod Plinio Festoque *Trossulum*: *Troilum* fortean mendose apud Livium lib. X, ubi ab Carvilio memoratur expugnatum. Plinius *Equites* inde *Trossulos* deducit lib. XXXIII. cap. II: *Sæpe variatum est,* inquit, *Equitum nomen: nam sub Romulo & Regibus appellati sunt* Celeres; *deinde* Flexumines; *postea* Trossuli, *quum in Tuscis citra Volsinos nono lapide opidum eius nominis sine Pedite cepissent. Vocis illius vis ultra C. Gracchum duravit. Maoni*, D. Anselmo incluti, quædam adhuc Vestigia supersunt: Nominis memoriam retinente Campo, quem *Planum Maani, La Piana di Meana*, appellant. Inde *Mæony*, Tusciæ Populi, apud Silium Italicum lib. II. Ibidem *Turrena Mæonia* fuisse putatur, quam Ovidius lib. III. Metamorph. in *Turrenorum Delphinorum* Fabula commemorat. Opinantur quidam fuisse prope Tiberim, ubi nunc *Moniani* nomen auditur, tamquam *Mæoniani*. Sunt *Trossulum.* *Maoni.* *Turrena Mæonia.*

Celinum. Fabrica. Capreola. Nepet.

ni. Sunt eo tractu & alia Opida, *Celino, Fabrica, Capriola:* mox *Nepet* Civitas. Sic Livio non uno loco, Paterculo lib. I, Plinio lib. III. cap. v, Prisciano, & aliis dicitur; quæ Νεπέτα, Ptolemæo; Νέπιτα Staboni lib. v; Νεπετῖνος Dionysio Halicarnassæo, ex cuius libro XIII Νεπετῖνος Stephano laudatur. Varie etiam scribitur in Antiquis Monimentis: quorum unum ibi, in ipso Templo, in Vrna cinearia:

HERENNIÆ ❧ C ❧ F ❧ IVSTÆ
N ❧ APISTIVS. M ❧ F ❧ PAL ❧ SABINVS. DVVMVIR
VEIOS ❧ IIII. VIR. NEPETE
VXXORI. ❧ SANCTISSIMÆ
ET. PIENTISSIME ❧ ET
DE. SE. OPTIME. MERITÆ
TESTAMENTO. FIERI
IVSSIT

Aliud Romæ in Ædibus Coritianis in Foro Trajani, mutilum, ex Marmore candidissimo:

SERGIO. PAVLLO. II. COS
RIB. V. SEDEM. EXTRVCTO. TRIBVNALI
RIO. MILITES. INFRA. SCRIPTI. FECERVNT
ITE. COS. SEX. BOLANIVS. QVINTIANVS. TAR
TVS. PATAV M. TINTORIVS KALENDINVS. CAPVS
A. BONON P. FABIVS. SATVRNALIVS. PATAVIO
NE. COS Q. ROMANIVS. CHARITO. MEDIOL
FIDENT M. BRITTIVS. SECVNDVS. NEPE
STRATI FERVA

Colonia. *Municipium.* *Incolæ.*

Nepensis Colonia, alias Nepis, Frontino; cui restituenda *Nepet* ex Paterculi Vol. I. Hanc *Coloniam* etiam commemorat Livius lib. XXV & XXIX. Festus *Nepet Municipium sui Iuris* fuisse refert. Incolæ *Nepetes*, Procopio lib. III de Bello Gothico; *Nepesini* in Basi, quæ in Foro Civitatis *Nepesinorum* erecta visitur:

IMP CÆSARI ❧
L. SEPTIMIO ❧ SEVERO
PERTINACI ❧ AVG
PONTIF ❧ MAXIM ❧
TRIB ❧ POT ❧ II
IMP ❧ IIII ❧ COS ❧ II
P ❧ P
NEPESINI ❧ OPTIMO
FORTISSIMOQVE ❧ PRIN
CIPI ❧ SVO ❧ DEVOTI

Leguntur & in alia ibidem Basi, ex qua duo superiores Versus sunt erosi. Sic *Municipes Nepesini* in alio Lapide nominantur:

NESTORI
AVG. NEPETE
HIC. LVDOS. FECIT
ET. DEDICATIONE
STATVÆ. PATRONI
QVAM. IPSE. POSVIT
ET. CLVPEI. SVI. ITERVM
MVNICIPIBVS. NEPESINSIS
EPVLVM. DEDIT

Rempu-

Rempublicam denique *Nepesinorum* laudat Basis, quæ ibidem in Foro:

D. N. GALERI
O. MAXIMI
NO. NOB
CÆS
PRINCIP. IVV
R. P. NEPESINO
RVM

Nepet unde dict.

Res gestæ.

Nepesina Cohors est apud Silium Italicum lib. VIII. Νεπέσιον, πόλισμα, apud Stephanum. Festus auctor est ab Gentis Insigni, quod erat Scorpius, nomen esse impositum. Livius Vrbis memoriam multis in locis usurpat: præsertim lib. VI, ubi ab Valerio captam, Opidanisque, præterquam Defectionis Auctoribus, parcitum scribit; item lib. XX, quum inter XII numerat, quæ cum Populo Romano Hannibali se opponere noluerunt: libro quoque XXVIII, ubi cum ceteris anno sexto post duplum inferre compulsam notat.

Viterbium,

an Tetrapolis olim, & ex quatuor iunctum Vrbibus?

an Vetusa?

Rursus ab *Nepete* si converso ad Occidentem itinere Planiciem amœnam repetas, *Viterbium* occurrit: cui quod olim fuerit nomen, valde nuper laboratum. Annius, Patriæ inlustrandæ non satis fideliter, neq; feliciter, natus, quatuor hic quomdam fuisse Vrbes probat ex nescio quo Desiderij Langbardorum Regis Edicto, *Longhulam Tussam, Vetuloniam, Turrenam Volturnam* & *Arbanum*; addens eas ab eodem Rege uno Muro comprehensas *Viterbi* nomen accepisse. Annio Cœlum cum Terra miscenti, Opidaque, ex Aere quasi pro libitu rapta, Terris adfingenti suffragatur Leander Albertus, Vir alioqui diligens, & insignis Veritatis scrutator. *Vetusam* antiquitus appellatam canit Facius Vbertus lib. III. Cant. X. Sed quum hoc Nomen nusquam apud bonos Scriptores reperiatur, non magni solet apud me esse momenti. Volaterranus *Longholam* hic ponit Livij, quem quum alij viderent lib. IX. *Longulam* collocare, in Latio, ut Volaterranum nonnihil juvarent, duplex fecerunt istius nominis opidum; unum quidem Volscorum, circa Terracinam, scribi illud ajentes *Longulam* ab Longitudine: aliud Etruriæ *Longholam*, tamquam Hastatam, ἀπὸ τῆς λόγχης: sed omnia absque ulla Veterum auctoritate. Sabellicus lib. VII. Enn. IX & Platina in Clementis Vita *Vetuloniam* hoc loco fuisse notant, at ille cum Palinodia. Certe *Vetuloniam* alibi fuisse, alibi à me dictum. Hermolaus scribit Ptolemæo nominari *Flby Vicum*: sed is in Græcis Codicibus nusquam paret. *Etruriam* prius appellatum *Viterbium*, posteaque *Flavium* cognominatum, docet ex Desiderij Regis Edicto Angelus Breventanus: sed *Etruriam* ex nescio quibus Myrsilo & Catone, maleque intellecto Livio fingere; *Flavium* autem ex Edicto solo, non erat satis. Inclinat & in eam sententiam, quod *Viterbium Etruria* antiquitus fuerit, Leander Albertus, qui hic probandæ Conjecturæ multus. *Viterbium ex Foro Cassij* ruinis crevisse putat Paullus Iovius; omnium exactissime. Vnus Blondus *Viterbium* novam, vel non admodum vetustam censet Vrbem: addens eius Nomen parvo in Castello ad annum suo tempore sexcentesimum *Viturvium* fuisse. Quæ mihi sit mens, puto ex superioribus satis liquere. *Viterbium* Annio, tamquam *Vei Terbum*, id est *Curule Terbum*: Alijs apud Annium, tamquam *Vita Heroum, Vis trium Vrbium, Vita Vrbium, Vita herbidum, Vita inermium, Vis thermarum* alia prætereo. Rhenano *Viterbium*, quasi *Wit Erbum*, Germanico nomine. Iacet specioso spaciosoque loco, Iugis Cyminijs (ea nunc *Mons Viterbinus, Monte di Viterbo*) à tergo imminentibus: Lapide quadrato ædificata; Turribus plena. Inter Opera Publica Fons est insignis, & maxima cum Spectantium admiratione copiosus. *Viterbi* multa sunt Epigrammata: inter ea *Edictum Desiderij Langbardorum Regis*, his verbis conceptum:

an Longhola?

an Vetulonia?

an Flby vicum? an Etruria?

an Forum Cassij?

Unde.

Situs.

Qualitas.

Opera Publica.

Revo-

Edictum Desiderij Regis Longobardorum.

Revocamus Statuta Regis Astulphi contra Vetulones edita, ut Lacus non Tyrensium, sed Vetulonum sit, qui Lacus Magnus Italiæ dictus est; qui eorum Ager prius est Italia dicta, ab Ibi Sede Itali, & ut sua Longoli, non Lungobardolam sed cognomine sui Ampliatoris Tirrheni Terbum vocent, & sub uno Muro cingant tria Opida, Longolam, Vetuloniam, & Tirrheniam, Vulturnam dictam Etruriam, totamque Vrbem nostra adiectione Viterbum pronunciant, ut Rhoda & Civitas Balneoregium dici iussimus. Permittimus Pecunijs imprimi FAVI, sed amoveri Herculem, & poni S^tum Laurentium eorum Patronum, sicut Roma & Bononia. Iubemus quoque reperari Cormentam, Dardanum, Assium, Faranium, Cormitum & Tuscanellum. Nos enim non sumus Tusciæ Destructores, ut nos apud Gallos accusat Hadrianus Papa. Nam ædificavimus à fundamentis, Vobis quidem Voltisphrenis, Calnellum, Vicum Orchianum, Balnearia, Barbaranum, & Gariophilum: Sentinatibus autem Ausedonias & Rodacofanum: Volatenis Rodocomalum: Lunæ Sergianum & Petram Sanctam, olim Fanum Feroniæ: Phocensibus SS^tos Geminianum & Miniatem: Iesulanis opidum, in quo vagos sparsos Arinianos & palantes Fluentinos collegimus rursus, plures antiquas nobiles Vrbes ampliavimus, & Muris cinximus, ut nunc agimus circa Lunam, Pistorium, Aretium, Orobitum, Etruriam nunc Viterbum; cuius Nomen, aut à nobis constituta Decreta si quis violaverit, aut capite puniatur, aut laqueo stranguletur. Hoc itaque non est Etruriam destruere, ut nos arguit Hadrianus, qui Pacem ultra à nobis oblatam respuit. Quare tibi Grimoalde, Præfecte Viterbiensis, præcipimus, ut quamdiu Pax dubia perseverat, iubeas omnes Tusciæ Milites paratos esse in armis, & commeatus ac stipendia sine avaritia in promtu fac habeas; ut non solum Hostibus occurrere, sed illos invadere possis, cives non gravabis novis exactionibus.

Operam Edicto refigendo non dabo, ne ad Pœnas, quas decernit, poscar: hoc solum obiter dicam, Annium, illustrandæ nobilitandæque Patriæ, nimiam fingendi multa, doctisq; auribus obtrudendi licentiam sibi sumsisse. Male cessit ipsi audacia, quod oculatius Seculum eius abitum exceperit. Episcopatus. Episcopum *Viterbo* primus dedit Cælestinus III. P. M. teste Platina in eius Vita. Clari Viri. Orti hac Vrbe *Petrus Antonius*, Episcopus Signanus; *Ioannes Annius*, Sacri Palatij Magister; *Factus Sanctor*, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis; & alij. Multa de hac Vrbe, eiusque Agro & Infernate, &

Super-

Supernate, idem Annius in suis Quæstionibus, variisque ad suppositios Auctores Commentariis. Vrbicarius illi Ager bonus & fertilis; Vino abundans & Frugibus; Fluminibus passim (uti *Egelido, Rivo obscuro, Rivo Vrcerio, Alcione, Rosseno, Rivo Atlao, Albiano, Vessano, Catenace, Vesaque*) & Fontibus irriguus, tam medicatis, quam alius generis. Principatu Vrbis potiti diu leguntur *Vici*: donec ab *Ægidio Carila*, Cardinale & Legato Ecclesiæ Romanæ, cuius tum in Gallia Sedes erat, pulsi. Eo tamen defuncto rursus ad Imperium venerunt. *Vicis* postea successerunt *Gatti*: ab *Magancesiis*, ope Vrsinorum, aliquoties electi, sed ab Columnis iterum restituti: quorum Factionibus & Seditionibus Vrbs adeo debilitata, adeoque flammis ferroque vastata, ut magna ex parte ruinis deformata nunc jaceat.

Ager. *Principes & Res gestæ.*

Viterbo Pass. mil. xv. in Agro Cornetano Vestigia cernuntur Vrbis quondam florentissimæ *Tarquinia*, nomen retinentia. *Tarquine* enim Adcolis audiunt: Τραχυνία scribitur Straboni libro v; Ταρκύναι, Ptolemæo: *Tarquiny Colonia*, Frontino: *Tarquiniense Municipium*, M. Tullio pro Cæcina. Non dubito, quin idem sit cum *Tarchonio*, etiamsi Ταρκυνίαν & Ταρχώνιον duo Opida facere videatur Stephanus: Ταρκυνία inquit, πόλις Τυῤῥηνίας, ἀπὸ Τάρκων⊙· τὸ ἐθνικὸν, Ταρκυνι⊙, ἢ Ταρκυνιεὺς &c. Et postea suo ordine: Ταρχώνιον πόλις Τυῤῥηνίας, ἀπὸ Τηλέφου παιδὸς Τάρχων⊙, ὁ πολίτης Ταρχωνῖτ⊙. Ego Stephanum ex variis Scriptoribus, de eadem Vrbe, imprudenter, loqui censeo. Certe Ταρχώνιον Stephani, & Ταρκυνίαν Eustathij in Dionys. quin & *Tarconam* Silij Italici libro viii. eamdem cum *Tarquinia* esse, non obscure docet Strabo, Ταρκυνίαν ab *Tarconte*, Tyrrheniæ Præfecto conditam notans. *Tarcon* notus etiam Virgilio lib. x. & *Tarco* Latinius, ut Servius vult, eidem lib. viii. Sic *Tarcona* Silio lib. viii. Tarcontis superbi domus. Eam tamen a Thessalis & Spinambris Græcis conditam scripsit libro xx. Pompeius Trogus. Exiguum ab initio fuit Opidum, sed postea maximis incrementis auctum; testantibus id huic ævo Rudetibus. Crevisse putatur ex eius ruinis *Cornetum*. *Demaratum Corinthium* hic splendidissimam ædificasse Domum, tradunt Dionisius Halicarnass. lib. iii. & Strabo libro v. Orti ea duo Romanorum Reges, L. L. *Priscus* & *Superbus*: ambo *Tarquiny* inde nominati. Memoratur frequenter ab Livio, præsertim lib. vii. & xxvii. quum *Tarquiniis* Porcum humano ore natum scribat. & lib. xxviii. ubi *Tarquinienses* ad Vela Classis, quam in Africam ducturus erat P. Cornelius Scipio, Lintea narrat contulisse.

Tarquinij. *Quantitas.* *Aedificia publ.* *Clari Viri.* *Res gestæ.*

Decem ab *Viterbo* pass. millibus, versus Meridiem, *Bieda* est: quæ Βλῆρα Ptolemæo: unde *Blerani* Plinio: Βλεράνι leguntur apud Strabonem: emendat Isaacus Casaubonus Βληράνι. Habet & *Bleram* Antoninus: sed itinere, quod Benevento ducit Tarentum, putatque ibi Hieronymus Surita *Bleram* ex alieno loco in istam Antonini paginam forte desilisse. De Nominis Origine quædam frigide, ut de multis aliis, Annius.

Blera hodie Bieda.

Sequitur inferius, oram versus, *Barbaranum*: item *Vianum*: ultraque *Tolfa Nova*, quæ Φόρ⊙ Κλαυδίου Ptolemæi Leandro putatur. Describi videtur à Plinio lib. iii. cap. v. sub *Præfectura Claudij Foro-Clody*. Hic temporibus Pij II. P. M. Metallum Aluminarium ab Ioanne Castro Langbardo repertum prodit Volaterranus. Inde ad Sabatum Lacum incedenti *Bracianum* occurrit: etiam *Bracenum*, *Braceanum* & *Brignanum* ab Eruditis Latine scribentibus vocatum. Ad Lacus ripam Orientalem est *Anguillaria*, nobile Opidum, à quo Lacui nomen; ad Septemtrionalem *Trivilianum*: ad Occidentalem *Vicarellum*, Βιράκελλον Ptolemæo, ut putat Leander: sed dissuadere videtur reliquorum ibi Locorum enumeratio, *Vicarellum* Volaterrano *Vicus Aurelij* nov-antiquo nomine.

Barbaranum. Vianum. Tolfa Nova. olim Forum Claudij. Bracianum. Anguillaria. Trevilianum. Vicarellum.

Quatuor *Viterbo* milliaribus Via, quæ ducit Romam, *Canapina* est opidum, quod Veteribus existimatur *Capena*. Καπίννα, inquit Stephanus, Τυῤῥηνικὴ πόλις: λέγε) καὶ πληθυντικῶς. Τὸ ἐθνικὸν Καπινάτης. *Capenates* sunt apud Plinium lib. iii. cap. v. & Livium lib. v. vi. xxvi. & seq. Hinc *Luci Capeni* Virgilio lib. vii. De iis alibi.

Canapina, olim Capena.

Haud procul *Canapina* versus Meridiem ad Lacum Ciminum *Vicus* est, vernacule *Vico*, unde Lacui nomen. *Elbij Vicum* Ptolemæi esse vult Leander: sed *Vicum* hunc in Latinis expressum, in Græcis Ptolemæi Codicibus nusquam reperio. Ab *Vico* originem arbitratur esse idem Leander nobili *Vicorum* genti, quæ Viterbinæ Reip. principatum diu tenuit.

Vicus.

Castellum Surianum.

Supra Viam Cassiam propter Cimini juga *Castellum Surianum* est, *Castel Soriano*, ubi Arcem, Italiæ totius validissimam, construxit Nicolaus III ex Vrsinorum Gente Pontifex Maximus: posteaque suæ Familiæ concessit, ut auctor est Volaterranus. Eam quo tempore Pontificia Sedes Avenione erat in Gallis, Brittones ab Cardinale Cecebennensi, Gregorij XI. P. M. Legato, in Italiam adducti, occuparant: neque prius ulla vi exterqueri sibi sunt passi, quamvis ab Alberico Cunitate summo Libertatis Vindice reliquis Italiæ locis fuissent exturbati, quam Martinus V. P. M. Sedem Pontificiam ex Gallis Romam reduxisset. Is enim artibus, ingenioque ac muneribus id effecit, ut sponte excederent, Arcemque suæ Ditioni ac potestati restituerent: quemadmodnm plene notant Blondus, Volaterranus, Sabellicus, alij.

Vetralla.

Septem *Viterbo* milliaribus, versus Meridiem, *Vetralla* est sic, ut quibusdam placet, tamquam *Vetus Aula* dicta. *Forum Cassii* Antonio supposititio ut cum Annio Leander censet; eo magis, quod in hodiernum usque diem Ædes ibi sit, quæ vulgo *D. Maria Forcassia*.

Roncilio, Capranica, Sutrium.

Sequitur mox *Roncilio* vel *Roncillonum* in Colle; infraque *Capranica*, *Bassanum*, *Sutrium*. Sic Livius, Itineraria Tabula, Latinique omnes nominant; Σούτριον Ptolemæus, Diodorus, Strabo, Plutarchus, Stephanus, alij: quod *Sutri* vulgo. Meminit Ara Sepulcralis marmorea, quæ ibi in hortulo Summi Templi:

T. VALERIO. T. F.
VEL. VICTORI
DECVRIONI. SVTRI
II. VIR. I. D. ITERVM
QVINQVENNALI
CVRATORI. PECVNIÆ
PVBLICÆ. PONTIFICI
PATVLCIA. EXOCHE
CONIVNX
FECIT

Multis locis *Sutrii* meminit Livius, præsertim libro VI; ubi *Etruriæ* Claustrum ob loci naturam, & belli adversus Etruscos gerendi oportunitatem appellat: Camillū, addens paullo post, audita *Sutriorum* defectione, Militi edixisse, ut Annonam tridui secum in iter deferret, quo Celeritati profectionis adversus *Sutrios* obesse posset nihil. Hinc Plautinum Adagium in Casina, ut qui dierum aliquot Annonam secum deferunt, *ire Sutrium* dicantur: de quo & Festus lib. XVII. de Verbor. signif. Adscribit Livius tantam Camilli fuisse Celeritatem, ut eadē die *Sutrium* reciperet, ejectosque restitueret, qua erat ab *Etruscis* occupatum. Libro quoque IX. pugnatum inter Romanos, *Etruscos* & Umbros acerrime ad *Sutrium* notat idem Livius: amissaque ex *Etruscis* & Vmbris, quorum pars capti, pars cæsi, hominum fere millia LX. *Coloniam* eo deductam fuisse post septem annos, quam Galli Vrbem ceperant (is fuit annus ab V. C. CCCLXXI) signat Velleius Paterculus. Mentionem *Coloniæ* faciunt & Frontinus & Plinius libro III. cap. V. Livius item libro XVII & XXIX. Tabula quoque marmorea, quæ hodieque Sutri in Summo Templo, sub Altari quodam, in qua inter alia hæc sculpta:

PONTIFICES. A. COLONIA
CONIVNC. IVLIA. SVTRIN. IN. ORD. RELAT

Habet & hunc Lapidem Onuphrius Panuinius in Jmperio Romano:

Q. FLAVIVS. Q. F. POLLINVS
PONT. COL. SVTRINÆ

Huc pertinet quoque Silij illud Italici lib. VIII. Belli Pœnici:

Ciminique Lacu, qui Sutria tecta.

Parum

Parum hac ætate frequentatur; Cavernis undique Topho, cui insidet, incisis cinctum.

Veientes, de quibus antea dixi, inde incipiunt: in quorum Ditione *Sutrio* Viam Romanam pergenti quarto lapide *Mons Roseus* occurrit, *Monte Rose* vulgo. Lacui *Mons Roseus.* adjacet cognomini, quem falso *Vadimonis* censet Blondus. Mox in conspectum se dat *Bacchanum*, ad Lacum ejusdem nomenclaturæ qui Flumen modicum, Cremeram inquam, effundit versus Tiberim, totum ex Diversoriis Tabernis constans. *Bacchanum.* Silvosi imminent Saltus, quos *Bacchani* vocant, cædibus & latrocinio perquam infames.

Dextra tum deorsum offerunt se *Casanum*, *Formellum*, *Gallera*. Fuit his locis olim *Casanum.* *Vejentum* Metropolis: *Vej* Livio, Floro, aliis, *Entanum* olim, mox *Larthentanum*, *Ve-* *Formellum.* *Gallera.* *jens* postea ab Romanis vocatū fuisse, tradit ex suppositiis Scriptoribus, Catone & *Veji.* Antonino, Annius, Suffragatores etiam cum alios, tum Leandrum Albertum, nactus. *Marthentano* hodie eisdem Annio & Leandro; *Pontiana*, Nardo; *Civitata Castellana*, aliis. Sed quo præcise loco Civitas *Veientum* olim sita fuerit, quis hodie conjectura adsequetur? quum canat suo tempore Propertius:

Et Veii *veteres, & Vos tum prædа fuistis:*
Et vestro posita est aurea Sella foro.
Nunc intra muros Pastoris Buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arva metunt:

quumque L. Florus lib. I. Hist. Rom. cap. XII. *Nunc*, aiat, Veientes *fuisse quis meminit? quæ reliquiæ? quod vestigium? Laborat Annalium fides, ut* Veios *fuisse credamus.* Certe ubicumque fuerit, satis certum Situm habuisse Vrbem in edito Montis Iugo, *Situs.* Rupibus præcelsis abscissam, quæque, ut Dionysius Halicarnassæus libro II. Antiq. Rom. scribit, Ambitu suo tantum complectebatur spatij, quantum olim Athenæ in Græcia. Nonnulli de Situ Conjecturæ initium dare posset, quod apud Dionysium Colli imposita legatur celso, vicinum habens Ianiculum; centum fere Stadiis, vel paullo amplius P. M. XII. ab Vrbe Roma. Fuit hæc Vrbs, quam Populus Romanus *Res gestæ.* decennium obsessam duce tandem Camillo expugnavit: unde tanta vis opum tunc delata Romam, quanta CCCL. annis ea in Vrbe adhuc visa numquam fuerat. Livius lib. II. Dionysius lib. IX. Eutropius lib. I. Florus loco indicato, Orosius lib. III. cap. VIII. Auctor de Viris Inlustribus cap. XXIII. Augustinus libro de Civitate Dei II. cap. XVII. & libro III. cap. XVII. aliique. Pertinet huc Ciceronis locus lib. I. de Divinatione. Vejenti *Bello*, inquit, *quum Lacus Albanus præter modum crevisset,* Vejentem *quemdam hominem nobilem profugisse Romam Annales testantur, eumque dixisse, ex Fatis, quæ* Veientes *scripta haberent,* Veios *capi non posse, dum Lacus is redundaret; & si Lacus emissus lapsu & cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum Populo Romano: sin autem esset eductus, ut ad Mare pervenire non posset, tum salutare ei hoc fore: ex quo illa admirabilis à Maioribus Albanæ Aquæ facta deductio est. Quum autem* Veientes *bello fessi, Legatos ad Senatum misissent, tum ex his quidam dixisse dicitur: Non omnia illum Transfugam ausum esse Senatui dicere: in iisdem enim Fatis scriptum* Veientes *habere, fore ut brevi ab Gallis Roma caperetur: quod quidem sexennio post* Veios *captos factum esse videmus.* Pergo. Roma quomdam ab Gallis capta, Livius lib. V. Auctor est, consilium habuisse Romanos Patriæ deserendæ, Domiciliique populariter *Veios* transferendi. Memoriæ proditum, quum Nero Imperator Domum ædificaret amplissimam, editos fuisse hos Versus:

Roma Domus fiet, Veios *migrate Quirites:*
Si non & Veios *occupat ista Domus.*

Agrum ignobilius & insipidum produxisse Vinum, innuunt Poëtæ. Horatius: *Ager.*

Qui Veientanum *Festis potare diebus*
Campana solitus Trulla.

Persius Satyra V:

———Veientanum*que rubellum*
Exhalet vapida læsum pice sessilis obba?

Martialis in Epigr.

Sed Veientani *bibitur Fex crassa rubelli.*

De eo Vino sic Columella lib. IV. Veientanæ *Vvæ non ita rubent, ut Aminea, à quo*

colore Rubellanæ appellantur, eademque Fecennina, quod plus quam cetera Fecis habeant.

Malianum. Mantianum. Stagia. Arinianum. Pontianum. Turrita. Nazanum. Fianum. Civitella. Limprinianum. Morlupum. Castrum Novum. Arianum. Porta Prima.

Transverso ex his locis itinere ad Montem Soractem primo *Malianum* occurrit; deinde *Mantianum*, mox *Stagia*: tum ad pedem Montis *Arinianum*, *Arignano* vernacule. Obiit hic Hadrianus IV. P. M. scribente Platina. Ad ripam inde Tiberis sunt, quæ vulgo *Pontiano* vel *Ponzano*, *Turrita*, *Nazano*, *Fiano*, quod ortu Francisci celebris Historici & Poëtæ, cuius Blondus meminit, nobile. Dextra tum in Mediterraneis *Civitella*, *Limpriniano*, *Morlupo*. Viæ porro Flaminiæ impositum cernitur *Castrum Novum*: hinc *Arianum*. Rursus Flaminia Romam tendenti *Porta Prima* occurrit, ubi Viæ stratæ Pars cum Vestigiis quibusdam, & ruinis Aedificiorum superest.

Malianum. Portus Romanus. Tiberina Ostia. Iter per Etruriæ Mediterranea.

Post Pontem Milvium Tiberis Alveus ad *Ianiculum* ducit. Terminus ibi *Veientium*. Sequitur secundo Tiberi *Malianum*, Ripæ adpositum; Locus peramœnus, quinto ab Vrbe lapide, Pontificum oblectationi peculiaris. Opidum hinc *Portus Romanus*, de quo in Maritima *Tusciæ*. Denique *Tiberina Ostia*, totius *Etruriæ* finis.

Ad *Etruriæ* Mediterranea pertinet Iter, quod Antoninus per Viam Clodiam Luca Romam ducit per M. P. CCXXXVIII. Adscribam collatum, quod à me fieri solitum, cum Jtineraria Tabula, cui lucem Primus dedit Vir Nobilissimus Marcus Velserus II-Vir. Reip. Augustanæ, & Vulgata Nomenclatura.

Antonini Itiner.	Itineraria Tabula;	Vulgata Nomencl.
Luca *Pistorium*, M. P. XXV.	*Pistoris*, XX Legendum auferendi Casu *Pistorio*. XX vero scripsi: Nam duos iunxi numeros, XII quidem, qui inter Lucam & Martis Fanum; VIII autem, qui inter Martem & Pistorium.	*Pistoria.*
....	*Hellana*, VI.	*Prato.*
....	*Ad Solaria*, VIIII.	*Calenzano.*
Florentiam, M. P. XXV.	*Florentia Tuscorum*, VIIII.	*Fiorenza*, vel *Firenza*.
....	*Ad Aquileia*, ... corrupta scriptura.	*M. Aio*, aut non procul inde.
Ad fines, sive Casas Cæsarianas, M. P. XXV.	....	Prope *Ambram*.
	Bituriha, XIIII. Βιτουργία Ptolemæo, ex quo Tabula emendanda.	*Civitella*, aut circiter; *Burgũ* certe *S. Sepulchri* Βιτουργία, ut volunt quidam, esse nõ potest, quod illud sit in Umbria, hæc autem, indicante, post Ptolemæum, Jtineraria Tabula, in Tusciæ Mediterraneis.
Aretium, M. P. XXV. Jn Codice Ouetensi, qui in Bibliotheca Regia servatur ad D. Laurentium vetustissimus, descriptus Aera ɪↄ CCCCXX. legitur *Adretio* M. P. XXV. quemadmodum & in Itineraria Tabula: sed utrobique *Arretium* reponendum. Ἀῤῥήτιον vocatur Ptolemæo.	*Adretio*, Scribendum *Arretio*,	*Arezzo.*
Ad Statuas, M. P. XXV. Non dubito, quin eadem apud Antoninum hic & in Jtineraria Tabula designentur Loca.	*Ad Novas*, XXIIII.	.....
Clusium, M. P. XII.	*Clusio*, VIIII.	*Chiusi.*
	Ponte flumen. VIII.	*Paglia* fiume.
Vulsinios, M. P. XXV.	*Volsinis*	*Bolsena.*

Aquas

	Aquas Passeris, VIIII. I......	
	Passeris Fluctus meminit Martialis inter blandissimas Italiæ Aquas: ———*Fervidique* *Fluctus Passeris, aut superbus Anxur.*	
Forum Cassij, M. P. XXVIII.	*Foro Cassi,* XI.	*Viterbo.*
....	*Vico Matrini,* IV.	*Vetralla.*
Sutrium, M.P.XI.	*Sutrio,*	*Sutri.*
Baccanas, M. P. XII. Jn aliis Libris male est *Dactanas.*	....	*Baccano,*
Romam, M.P.XXI.	*Roma.*	*Roma,*

CAPVT. XXII.

Latium.

ETRVRIAM, quæ in Jtalia Prisca, eaque Occidentaliore & Cis-Apennina, ad Ripam Tiberis dexteram, perlustravi: offert se percurrendum, quod ibidem ad sinistram est, LATIVM, Italiæ Regio, quæ nullis non Auctoribus celebrata. LATIVM,

Latium dictum putatur ab *Saturno*, qui Patria profugus in his locis *latuisse* fertur. Legendus præter alios Isidorus lib. XIIII. Etymolog. cap. IV. *Saturnus*, ut antea monui, quasi *Deus latens*, ab סתר Syriaca voce, quæ Latinis *Latere*. De *Latij* Etymo Virgilius lib. VIII. Æneidos:

Primus ab æthereo venit Saturnus *Olympo,*
Arma Iovis fugiens, & regnis Exsul ademtis:
Is genus indocile, & dispersum Montibus altis
Composuit, Legesque dedit: Latium*que vocari*
Maluit; his quoniam latuisset *tutus in oris.*

Sic Ovidius libro I. Fastorum.

Hac ego Saturnum *memini Tellure receptum:*
Cœlitibus Regnis ab Iove pulsus erat.
Inde diu Genti mansit Saturnia *nomen:*
Dicta quoque est Latium *Terra,* latente *Deo.*
At bona Posteritas Puppim formavit in Aere,
Hospitis Adventum testificata Dei.

Sic Prudentius adversum Symmachum, de Saturno:

Num melius Saturnus *Avos rexisse Latinos*
Creditur, Edictis qui talibus informavit
Agrestes Animos, & barbara Corda Virorum?
Sum Deus; advenio fugiens, præbete Latebras,
Occultate Senem Nati feritate Tyranni
Deiectum Solio: placet hic Fugitivus, & Exsul
Vt lateam: *Genti atque Loco* Latium *dabo nomen.*

Adeo ut cum Solino quis merito interrogarit; *Quis nesciat à* Saturno Latium *atque* Saturniam *dictam?* Ennius ex Emendatione nostra lib. I. Annalium:

———*Saturnius* illi
Nomen erat, de quo Latium, Saturnia Terra.

Varroni placet *Latij* Nomen huic Regioni datum, quod inter Alpium & Apennini sublimes præcipitesque rupes, Mare, Tiberim atque Lirim, tamquam abscondatur & lateat. Aliis *Latium* ab *Latino* nominatur: quem Regem plerique habent. Orpheus autem quemdam ex Argonautis, qui huc concesserit, cuiusque Filij Bello Trojano interfuerint. Nonnullis ab *Latitudine* dirivatur, quod nulla Italiæ Regio *Latius* se inter Montes & Mare adspiciendam præbeat. Ab *Latio Latiaris*, vel ut alia habent Exemplaria, *Latialis Iuppiter*, Lactantio lib. I. Divinar. Instit. cap. XXI. *Latiare Concilium* Symmacho lib I. Epistola IX. *Latiare Munus*, Prudentio libro I. in Symmachum: *Latiaris Lingua* eidem Symmacho lib. VIII. Epist. XXII. *Latiaris* denique *Facundia*, eidem lib. IX. Epist. LXVIII. Vocatur hodie *Campagna di Roma*, ad differentiam Campaniæ Felicis ab *Roma*, quasi dicas *Territorium Romæ*. Audit item apud Collenutium *Latio* vernacule, & *Maremma*.

Divisio. *Latium* porro duplex legitur *Vetus* & *Novum*. *Vetus* à Tiberi Circæios (Fundos, ait Servius) usque protendebatur: *Novum* hinc ad Lirim Fluvium; Plinio libro III. & Strabone lib. V. Auctoribus: imo ulterius, iisdem Testibus: Sinuessam (quæ & Sinope) usque, in *adiecto* utpote *Latio*, ut idem Plinius hunc Tractum ultra Lirim, qui pars Campaniæ, nominat: qua de causa forte Servius hoc *Latium* ad Vulturnum usque Fluvium extendit.

Fines. Vtriusque *Latij* Fines plerisque statuuntur ad Septemtrionem Apenninus Mons. & Anio fluvius: ad Ortum Liris: qua Meridies est, Mare Tyrrhenum: qua Occasus, Tiberinum Flumen: ambientibus illud Populis, Tuscis, Sabinis, Marsis, Samnitibus, Prægutianis & Campanis.

Cognomen. *Latium* cognominat Virgilius lib. VII. Æneidos *Hesperium*: quam ob causam, patet ex iis, quæ dixi Cap. I.

Qualitas. Fertilis & abundans est Regio: præterquam aliquibus in locis, propter Oram: quibus cum aspera saxosaque habet multa, tum Paludes, & ex Paludibus Aerem vitiosum atque gravem. De Qualitate legendus & Theophrastus lib. V. Histor Plantarum. Hæc est illa Regio, in qua totius Italiæ versata fuerunt Incunabula: quæ Genitrix Altrixque tot Ingeniorum: quæ totius Mundi sustinuit Arcem & Capitoliū. Sed silere præstat, quam pauca pro dignitate dicere.

Incolæ. Populi ad hæc usque tempora, præterquam in Civitatibus, plerumque rudes, moribusque agrestibus, animis audaces confidentesque: Viribus corporis, non minus quam olim, præstantes. Illi, antiquitus alij, Colonis sæpe mutatis, fuerunt, alijs temporibus. Nominantur in primis apud Dionysium Halicarnassæum libro I. Antiquit. Romanar. (nam eius ordo maxime placet) *Siculi*, Barbari, & Gens Indigena. *Sicanos* appellat Virgilius lib. VII. Æneid. ad quem legendus quoque Servius: ut & in librum Æneidos XI. *Siculos* aliunde in Italiam venisse, innuit idem Virgilius libro VIII. Æneidos: ubi etiam Servius scribit, *Sicanos*, Duce *Siculo*, ex Hispania in Italiam esse profectos, eamque tenuisse exclusis Aboriginibus: agnoscens contra

Veteres, Siculi.

Diony-

Dionysium *Aborigines* priores *Siculis*, *Aborigines* inquam *Indigenas* pulsos fuisse ab *Siculis Advenis*. Quidquid sit, latissimum fuit olim per Italiam *Siculorum* nomen. Ab iis enim Partem, quæ obversa Trinacriæ, *Siciliam* vocant Aelianus, Eustathius, Sudas, Theocriti Scholiastes, D. Hieronymus, Synodus Constantinopolitana, Stephanus, & alij. Scribit Plinius lib. III. cap. XIII. & seq. eosdem Galliæ Togatæ Partem occupasse ante Gallorum in eamdem adventum: *Siculas Vrbes* in Campania habet Livius libro XXIII. Supersunt etiam *Siculorum* vestigia post Marsorum & Aquilanorum fines, in Agro, ubi hodie, prima Nominis Littera mutata, *Ciculi* vocantur: Est item *Vallis Ciciliana*, quæ Prætutinorum est, in Vestinis, qui sunt inter Aternum & Truentum Amnes. Sed hæc suo loco. *Siculis* longo bello victis, atque demum in Insulam Trinacriam, quæ ab iis deinde *Sicania* & *Sicilia*, exactis, succedunt apud Dionysium Halic. libro I. *Aborigines*: dicti quasi *absque Origine*, ut innuit Servius ad VIII. Æneidos: vel *ab Errore*, ut Paullus Diaconus ex Festi libro I. vel denique, ut nonnullis videtur, ab Montibus, qui ὄρη Græcis. *Aborigines* Servius, ut antea dixi, facit *Indigenas*: *Arcadas* esse, inque Italiam, Oenotro & Peucetio Ducibus, Lycaonis Arcadum Regis filiis, commigrasse, commemorat Dionysius libro I. Ab *Oenotro Oenotria Italia* Varroni, apud Servium I. Æneidos; & *Oenotrij* Virgilio, eodem libro. Dixi supra cap. I. Festus *Aborigines* dicit antiquissimam esse *Italiæ* Gentem, & in Agro Romano habitasse: Iustinus etiam ex Trogi lib. XLIII. *Aborigines* facit *Italiæ* Cultores Primos. Describit eos aliquo modo Sallustius in Conjuratione Catilinaria, Genus Hominum agreste, sine Legibus, sine Imperio, liberum atque solutum. Eorum antiquissimi Reges, quos ob Merita Deos fecit Posteritas, recensentur *Ianus*, *Saturnus*, *Picus* & *Faunus*: de quibus Lactantius libro I. de Falsa Relig. cap. XXII. Iustinus libro XLIII. Suetonius in Vitellio cap. I. Ab *Iano Ianiculum*: ab *Saturno Saturnia* & *Latium*, *Mons Saturnius*, *Opidum Saturnia*, *Saturnij Populi*, & alia: de quibus alibi. *Aboriginibus* paullatim se adjunxerunt *Pelasgi*, ex Thessalia in Italiam profecti, ut notant Dionysius libro I. & Plinius libro III. cap. V. & *Arcades*, quibus ex Vrbe Arcadiæ *Palanteo* in Italiam tendentibus Dux fuit *Euander*: scribentibus eodem Dionysio Plinioque locis à me laudatis, & Virgilio lib. VIII. Æneidos. Ab horum Patria *Vrbs Palanteum* in Monte, qui post *Palatinus*: testibus Justino libro XLIII. & Solino cap. II. Depingit opidum illud Virgilius eodem libro VIII. Sequuntur *Pelasgos Arcadas*que apud Dionysium *Peloponnesiaci*, *Pheneatæ*, *Epei*que, reduces cum Victoria, Hercule Duce, ex Hispania: positoque Reditus in Patriam desiderio: consulendus & Solinus cap. II. His admisti erant, signante eodem Dionysio, *Troiani*, qui sub Laomedonte captivi, Bello Iliaco priore, ab Hercule facti fuerant. Quibus omnibus successerunt tandem, Troia diruta, *Troiani*, Ænea Duce; Latino jam *Aboriginibus* imperante, testibus iisdem Dionysio, Iustino & Sallustio. Ab iis *Troia*, locus in Agro Laurente; quo primum in Italia Aeneas cum suis constitit apud Festum lib. penultimo. Hi *Troiani* appellati Veteribus *Aenesi*, eodem Festo scribente libro I. Αἰνεάδαι, ut notat Sudas. *Troiani* cum suo Duce ab Latino suscepti, & *Aborigines* communi nomine, ut M. Porcius Cato testatur apud Servium ad I. Aeneidos, nuncupati fuerunt *Latini*; qui & Πρίσκοι, scribente Dionysio libro I. Virgilius V. Aeneidos:

Aborigines. — Pelasgi. — Arcades. — Peloponnesiaci, Pheneatæ, Epei, Troiani. — Qui Superioribus tunc communi appellatione Latini sunt dicti.

——— *Et* Priscos *docuit celebrare* Latinos.

Prisci, inquit Festus, *vocabantur proprie, qui priusquam Roma conderetur, fuerunt*. Hi iidem & *Casci* nominabatur. Ennius meus libro I. Annalium:

> *Est Locus, Hesperiam quam Mortales perhibebant,*
> *Quam primum* Casci *Popoli tenuere* Latini:
> *Quos Homines quondam Laurentis Terra recepit.*

Hieronymus ad Niceam: *Nam rudes illi Italiæ Homines, quos* Cascos *Ennius appellat*. Vtrosque & *Priscos* & *Cascos* nominat M. Tullius libro I. Tusculanarum Quæst. *Itaque unum illud erat insitum* Priscis *illis, quos* Cascos *appellat Ennius, esse in Morte Sensum, neque Excessu Vitæ sic deleri Hominem, ut funditus interiret.* Diu *Latini*, quod essent ingeniis ferociores, inimicitias acriter cum Romanis exercuerunt: sed composita deinde Pace, maximo illis auxilio contra varios Populos in Bellis fuerunt: quemadmodum amplissime scribunt cum alij, tum Livius & Dionysius Halicarnass. Adduntur

duntur apud Plinium lib. III. cap. v. Superioribus in Veteri Latio *Aurunci* & *Rutuli*.

Aurunci.

Aurunci (qui Græcis Αὐρούγκοι) Jtaliæ Populi, inquit Servius ad VIII. Aenidos, antiquissimi fuerunt. *Auruncorum* mentionem persæpe facit Livius: item Dionysius Halic. cum alibi, tum lib. VI. ubi Legatos ab iis Romam missos narrat, qui Agrum Nominis Volscorum, quem Ecetranis devictis Romani ademerant, restitui ab Senatu postularent: describens inde robustum hominum genus, membrorum firmitate præstantes, adspectu truci ac feroci; commemorans insuper Servilij Consulis ex iis Victoriam. Quia vero *Ausonia* nomen latissimum olim fuit, uti, quum generalia explicarem, dixi: factum est, ut *Aurunci* etiam *Ausones* fuerint habiti. Servius ad illud Virgilij VII. Æneidos:

——Et quos de Collibus altis
Aurunci *misere Patres* ——

Isti, inquit, *Græce* Ausones *nominantur*: Hinc item quod Jsacius & Tzetzes *Ausoniam* proprie *Auruncorum Terram* statuant, sitam inter Campanos & Volscos: Hinc denique quod *Aurunca* Festo scribatur condita ab *Ausone*, a quo nomen *Ausonia*. Nam vere *Ausones*, si strictius accipiantur, & *Aurunci* apud Plinium lib. III. cap. v. sunt diversi: hi in Vetere Latio; illi in Novo, ultra Circeios. Ab *Auruncis* autem quur *Suessa Aurunca*, Campaniæ Vrbs, dicta fuerit, suo dicam loco. *Rutulos* (quos Græci vocant Ῥουτούλους) etiam Jtaliæ Populos, ut Superiores, antiquissimos fuisse, testantur Veteres Scriptores. *Ardeam* eos habitasse, memorat Strabo lib. v. De rebus ab ipsis, eorumque Duce *Turno* feliciter & infeliciter gestis, multa idem Strabo, Dionysius lib. I. Livius lib. I. Virgilius, & alij. *Daunos* etiam vocatos patet ex Vibio Sequestr. De *Daunis* quædam apud Aristotelem in Admirandis. Et hæc de Populis, quos Plinius habet in Vetere Latio: in Novo, ultra Circeios nominat *Volscos*, *Oscos*, *Ausones*.

Volsci.

Volsci, Livio passim, Plinio, Eutropio, & Doctioribus emendatissime scribentibus: qui Οὐόλσκοι, Straboni: Οὐολοῦσκοι, Dionysio Halicarnassæo: Οὖλσοι, Ptolemæo: *Volci*, L. Floro: Βυλοῦσκοι, Sudæ. Meminit Romanus Lapis:

SEX. APVSIVS
SEX. F. VET
BÆBIVS
VOLSCIS. LATIN

Jtem Neapolitanus, qui in Domo Petri Pighiole:

M. PACCIVS. M. F. DOM. BASSVS.
AVGVR. ÆDIL. II. VIR. VOLCEIS. SIBI. ET. SVIS
PACCIÆ. M. F. BASSÆ
MANLIÆ. CN. F. RVFÆ
PACCIÆ. L. F. MAXIMÆ
PACCIÆ. M. F. GRATÆ

Italiæ in Littorali *Latio* Populi. De iis Virgilius lib. II. Georgic.

Hæc genus acre Virûm Marsos, Pubemque Sabellam,
Adsuetumque malo Ligurem, Volscosque *Verutis*,
Extulit; hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, & Te, Maxime Cæsar.

Vbi de *Volscis* Servius, *Italiæ Populi sunt*, inquit, *Iaculo utentes in modum Veru*; *vel quia Verutis pugnant*. Metropolis eorum *Anxur* sive *Tarracina*. *Volsci*, qui Bellum cum Romanis sub L. Tarquinio Superbo inchoatum per ducentos prope annos incredibili pertinacia & continuis motibus protraxerant, de quibus, supra XII. Triumphi acti fuerunt, postremo anno ab V. C. CCCCXXV. diuturno Bello defatigati, Priverno capto, ab Consulibus L. Aimilio Mamercino II. & C. Plautio Deciano subjugati, in Ditionem venerunt Populi Romani: scribentibus plene Livio, Dionysio Halicarnass. Orosio, Eutropio, L. Floro, & aliis. *Volscia Gens* Romæ ab *Volscis*, teste Livio.

Osci.

De *Oscis* in Campania dicam. Nam & ibi nominat eos Plinius; ibique ex Variorum Scriptorum collatione potiores eorum fuerunt Sedes. De *Ausonibus* jam supra dictum:

Ausones.

dictum: in ſequentibus major dicendi dabitur occaſio. Innotuerunt & ſucceſſu temporis in Latio *Hernici, Aequi, Marſi*, & alij. *Hernici* Livio paſſim & Feſto; Ἕρνικοι Straboni: qui Ἕρνικες Stephano. *Hernici*, inquit Feſtus ex Verrio Flacco, *dicti ab Saxis, quæ Marſi* Herna *dicunt*. Hinc Virgilius lib. VII.

> *Quique altum Præneste Viri, quique Arva Gabinæ*
> *Iunonis, gelidumque Anienem, & roſida Rivis*
> Hernica Saxa *colunt, quos dives Anagnia paſcit,*
> *Quos Amaſene Pater: non illis omnibus Arma,*
> *Non Clypei, Curruſve ſonant: pars maxima Glandes*
> *Liventis Plumbi ſpargit, pars Spicula geſtat*
> *Bina manu, fulvoſque Lupi de pelle Galleros*
> *Tegmen habet capiti; Veſtigia nuda ſiniſtri*
> *Inſtituere pedis; crudus tegit altera pero.*

Vbi Servius, *Sabinorum*, inquit, *lingua* Herne *Saxa vocantur. Quidam Dux Maius Cabinos de ſuis locis elicuit, & habitare ſecum fecit in Montibus ſaxoſis, unde dicti ſunt* Hernici. Canit autem Virgilius *Hernicos* ſiniſtro pede nudo in Acie ſtare ſolitos. Ad ea ſic Servius, *Atqui ipſe eſt*, ait, *in pugnantibus primus. Sed bene nudus eſt: quia tegitur Scuto. Dextrum autem tectum eſſe conveniebat, quaſi ab Armis remotum.* Simile quid de *Aetolis* memoriæ prodit Euripidis Interpres; Eos τὸ δεξιὸν μὲν ὑποδεδέσθαι πόδα, γυμνὸν δ' ἔχειν τὸ ἀριστερόν. Thucydides item lib. III. de Platæenſibus, noctu clanculum ex Civitate profugientibus, ſeque ſubripientibus, hoc modo ſcribit: ἦσαν εὐσταλεῖς τε τῇ ὁπλίσει, καὶ τὸν ἀριστερὸν μόνον πόδα ὑποδεδεμένοι, ἀσφαλείας ἕνεκα τῆς πρὸς τὸν πηλόν: Vbi Commentator: ὑπεδέδεντο τὸν μὲν ἕνα τῶν ποδῶν δι' ἀσφάλειαν, τὸν δ' ἕτερον γυμνὸν εἶχον διὰ κουφότητα. Ea quoque de cauſa *Hernicos* altero pede nudo confligere ſolitos, eſt exiſtimandum. Gens olim fuit longe potentiſſima, bellumque contra Romanos diu ſuſtinuit. Bellare contra eos quum cœpiſſet Populus Romanus, T. Sicinio & C. Aquilio Coss. tandem anno CCCCXLVIII. eos, Anagnia capta, debellavit Q. Marcius Tremulus Cos. ut legere eſt apud Livium, Dionyſium, & alios. *Hernica Terra* nominatur Ovidio lib. III. Faſt. Specialiores *Hernicorum* Populos perſequar in ſequentibus. *Aequi* erant in *Latio* Populi, qui poſtea *Aequicolæ* dicti, Auctore Livio: Αἶκοι & Αἰκοὶ, variante ſcriptura, Straboni; Αἴκλοι & Αἰκικλοι Diodoro & Ptolomæo: *Aequiculani*, Plinio lib. IV. cap. XII. *Aecani*, ni fallor, Antiquo Lapidi, qui Beneventi in ædibus Alphonſi Majorani:

C. OCTAVIO. C. F
PAL. MODESTO
AVGVR. II. VIR. I. D. QVÆST. II
PRÆF. FABR. ROMÆ. PRÆF
COH. III. PANNONIOR. PRÆF
COH. III. ITYREOS. TRIB. MIL.
LEG. IIII. SCYTHIC. CVRAT. REI
P. ÆCANOR. ITEM. HONORA
TO. AD. CVRAM. CALENDARI
REIP. CANVSINOR. A. DIVO. TRA
IANO. PARTHICO. ET. AB. IMP. HA
DRIANO. AVG.

Et quæ alia ſequuntur. Meminit *Aequorum* & Ennius meus Annali IV. In præcelſis aſperiſque *Latij* Montibus habitabant. Deſcribit Gentem Virgilius libro VII. Æneidos:

> *Horrida præcipue cui gens, adſuetaque multo*
> *Venatu Nemorum duris* Æquicola *glebis:*
> *Armati terram exercent, ſemperque recentes*
> *Convectare iuvat prædas & vivere rapto.*

Aequi & Volſci plerumque conjunguntur apud Hiſtoriographos. Quæ, quantaque geſſerint contra Romanos, memoriæ produnt cum alij, tum Livius infinitis locis. Poſt multa Bella tandem anno CCCCLII. ab C. Iunio Bubulco Bruto Dictatore non

ſolum

solum sunt victi & subacti, sed eorum etiam nomen ad internecionem usque prope *Marsi.* fuit deletum. Legendus cum aliis Livius. *Marsi Italiæ* Populi non apud Geographos solum, Strabonem, Plinium, Ptolemæum: verum etiam Historiographos, Livium, Cæsarem, Tacitum, celebres. Auctor Gentis *Marsus* putatur, Vlyssis & Circes Filius, apud Plinium lib. VII. cap. II. Silius Italicus *Marsiam Phrygem* celebrat libro Belli Pœnici VIII:

> *Sed Populis Nomen posuit metuentior hospes,*
> *Quum fugeret Phrygios trans æquora* Marsia, *Crenos*
> *Migdoniam Phœbi superatus pectine Loton.*

Alij aliunde dirivant. Ferocissimos fuisse docent Res ab ipsis gestæ: quas diligenter notant cum alij, tum Livius, præcipue libro LXXII. ubi *Marsos*, quum Libertatem à Populo Romano petitam impetrare non potuissent, Picentibus, Vestinis, Pelignis, Marucinis, Lucanis & Samnitibus ad Defectionem una concitatis, Auctores Belli Socialis, quod *Marsicum* inde appellatum, narrat; reliqua commemorans lib. LXXIII. & seqq. Legendus de Bello Sociali præter alios & Strabo lib. V. *Marsorum* Agrum vastat apud Livium lib. XXII. Hannibal: per *Marsos* idem transitum habet, quum ab *Catilli.* vicinis Romæ locis rediret, eodem scribente libro XXVI. *Catillos* circa Anienem Fluvium locat Silius lib. IV. ubi *Anienicolæ* nominantur: fortean ab *Catillo*, quem Agri Tiburtini Montem habent Vibius Sequester & Servius, cui *Catellus* dicitur. *Sanates.* *Sanates*, inquit Festus vel ex Festo potius Paullus, *dicti sunt, qui supra infraque Romam habitaverunt, quod nomen his fuit; quia, quum defecissent ab Romanis, brevi post redierunt in amicitiam, quasi sanata mente. Itaque in Duodecim cautum est ut idem juris esset Sanatibus, quod Forctibus id est bonis, & qui nunquam defecerant a Populo Romano*: ad quem legenda quæ scribit magnus Vir Iosephus Scaliger.

Populi Veteris Latii, qui interierunt. Præter eos, quos commemoravi ex Antiquo *Latio*, multi Populi perierunt, adeo ut ne Vestigia quidem hodie adpareant, & quibus locis fuerint, ne conjectura quidem adsequi liceat. Recenset eos Plinius libro III. cap. V. & ijdem fere nominibus Dionysius Halicarnassæus. Nominat & passim T. Livius in libris ab V. C. Sunt autem, ut Plinij sequar ordinem: *Albenses.* *Albenses*; Ἀλβιεῖς fortean Halicarnassæo libro VIII. *Albani.* pro quibus Gelenius vertit *Albiolanos*; Sylburgius legit *Labinitas*: *Albani*; *Albanorum Terram* nominat Eustathius, ubi Mons Circæus est: *Aesolani.* *Aesolani*: *Aesulum* Italiæ Colonia est apud Velleium Paterculum, quod tamen Sigonius nescire se dicit, an *Accenses.* idem sit cum *Asculo Picentum*: *Accenses*, in nonnullis Plinij Codicibus scribuntur *Abolani. Bubetani. Bolani.* *Accienses*, *Abolani*, *Bubetani*, Βουβεντανοί Dionysio Halicarnassæo lib. V. *Bolani*, Βωλανοὶ Stephano & Halicarnassæo lib. VIII. dicti ab Opido, quod *Bola* Virgilio, Βῶλα Stephano & Diodoro lib. XX. *Bolæ* Livio, qui Æquis adscribit, ut Diodorus Samnitibus, ad XIII. ab Urbe Lapidem statuit Plutarchi Coriolanus: *Volani* etiam videntur *Cusuetani. Coriolani.* Livio lib. IV. *Cusuetani*, *Coriolani*, ab *Corialis*, opido, sic Livius, Eutropius, Florus, alii appellant; quæ *Coriola* Auctori de VV. Inlustr. Κοριόλα Dionysio Halic. Κοριόλα *Ficuleates.* Stephano: *Ficuleates*, Populi haud procul ab Vrbe, Varroni ab *Ficulnea* Vetere Latij Vrbe, quæ & *Ficana*, Hinc *Ficelia* in Vrbe, *Ficuleatum* Statio, ut *Græcostasis Græ-* *Fidenates. Foretij. Hortenses.* *corum*, *Fregellæ Fregellanorum*, *Fidenates*, de his in Vmbria dixi: *Foretij*, *Forenses* fortean Ovidio ab Forulis, ut nonnulli volunt, de quibus in Vmbria: *Hortenses*: ab *Ortona*, ni fallor, quæ Livio lib. II. & seq. Latinorum sive Æquorum Vrbs: Βιρτῶνα Ha- *Latinienses.* licarnassæo lib. X. fortassis parum emendate: *Latinienses*, alij ab ipsis *Latinis*, His *Longulani.* genus, Illis speciem constituentibus: *Longulani*, ab *Longula*, quæ Livio Volscorum *Manates. Macrales. Mutucumenses. Munienses. Numinienses. Olbiculani. Octulani. Pedani.* Vrbs, Λογγύλα Halicarnassæo, haud procul Polusca, *Manates*, *Macrales*: in quibusdam Codicibus, *Manales*, *Mutucumenses*, *Munienses*, *Numinienses*, *Olbiculani*, *Octulani*, *Pedani*, qui non Plinio solum, sed & Plutarcho in Coriolano sunt noti: sic dicti à *Peda*, quæ Stephano Ausonica Vrbs: Latinorum autem, Livio lib. II. & IX. cui *Pedum* scribitur: hinc *Pedana Regio* apud Horatium libro I. & Dionysium Halicarnassæum libro VIII. Porphyrion dicit Opidum haud procul ab Vrbe fuisse, nunc autem non esse: Regionem autem adhuc *Pedanum* vocari: Vetus Commentator, quem addit Cruquius, *Regionem Pedanam* fuisse notat inter Tibur & Præneste: *Polustini.* *Pedanos* Scaptiam Vrbem incoluisse auctor est Sex. Pompeius Festus: *Pollustini*: fortean a *Polusca*, quæ Livio lib. II. Volscorum Caput: Πόλυς Halicarnassæo lib. VI. *Querquetulani. Sicani.* Πόλυσκα eidem libro VIII. *Querquetulani*: Κορκοτουλανοὶ Halicarnassæo lib. V. *Sicani*, cele-

celebrati & Virgilio lib. x. Æneidos : de iis circa initium huius Capitis dixi : alibi etiam nonnihil additurus: *Sisolenses*: *Tolerienses* [*Sisolenses. Tolerienses.*] : meminit & Halicarnassæus lib. VIII. Antiq. Rom. dicti ab opido, quod Τολιέριον Plutarcho in Coriolano & Stephano de Vrbibus: Τεληρίνας etiam Halicarnassæi lib. I. *Tolerinos* vertit Fridericus Sylburgius: *Trebianos* autem Gelenius: *Tutienses* [*Tutienses.*], sic ab *Equo Tutico* (cuius aliquoties meminit Antoninus) nominatos, fere est, ut opinetur Abrahamus Ortelius: Sed *Equum Tuticum* Apuliæ fuisse opidum procul ab Latio (cuius sunt ex indicio Plinij *Tutienses*) parebit ex sequentibus. Agmen eorum, qui in Vetere Latio esse desierunt, claudunt *Vimitellarij*, *Velienses*, *Venetulani*, & *Vicellenses* [*Vimitellarij. Velienses. Venetulani. Vicellenses.*]. Præmiserat XXXII Populis, quos in Antiquo Latio exstinctos jam enumeravi, clara ibidem Opida: quibuscum eosdem Populos Carnem accipere Latinis Feriis in Monte Albano fuisse solitos, quorumque periisse memoriam suo tempore, idem Plinius litteris mandat. Sunt ea *Satricum*, *Pometia*, *Scaptia*, *Pitulum*, *Politorium*, & alia. *Satricum* [*Satricani.*] Latij opidum non semel nominat Livius: meminit & Orosius: Σατρία forte Stephano, unde Σατριανοὶ eidem ex Dionysio Halicarnassæo: sunt apud eumdem libro VIII. Ἀτριανοὶ, quos Gelenius *Satricanos* interpretatur: sed & Σατρικανοὶ Dionysio sunt noti. *Pometia* mentionem facit & Virgilius lib. VI. Æneidos: nominat hinc *Pometinenses* [*Pometinenses.*] Populos Nonius Marcellus in Valgum, Mercatus & Simile: *Pometinos Campos* habet Livius: eosdem etiã Dionysius Halic. omnium Latinorum maximos; Πομπτῖνον Πεδίον apud Strabonem est lib. V. *Pometia*, *Pomptina* & *Pontina* Abrahamo Ortelio scriptura tantũ differunt, non loco. Vide infra. *Scaptiam*, quæ tertio loco apud Plinium, memorat quoque Silius Italicus libro VIII. Inde Σκαπτηνοὶ apud Dionysium Halicarnassæum lib. V. quos *Scaptenses* [*Scaptenses.*] vertit Gelenius. Ab hac Urbe nomen *Tribui* apud Romanos *Scaptia*, Festo docente; cuius Tribules *Scaptenses* Suetonio in Augusto. A *Pitulo* [*Pitulani.*] Pliniano *Pitulanos* quis non inepte formarit, ad exemplum eorum, de quibus in Umbria: nisi *Pitulani* Umbriæ sint ab Latij *Pitulo*. Nondum liquet. *Politorium* [*Politorium.*] notum & Livio; Πολιτώριον Halicarnassæo & Stephano. *Ex huius Opidi ruinis nunc* Polim *crediderim vocatum*, inquit Volaterranus in Philologia. Quæ *Tellena* [*Tellena.*] Plinio; Τελλῆναι Straboni lib. V. Τελλήνη dicitur Dionysio Halicarnassæo lib. III. *Tellenæ* Livio lib. I. Nobile Latinorum Opidum, ab Anco Marcio vi captum. *Tifata* [*Tifata.*] legitur & apud Auctorem de de VV. Inlustr. Statiumque lib. IV. Silvarum. Cenina [*Cenina.*], inquit Festus libro III. de Verb. signif. *Vrbs, quæ fuit vicina Romæ, à* Cenite *Conditore appellata*. Vide Caput de Vmbria, in fine. *Ficana* [*Ficana.*] meminit quoque Livius; Φικῆναι dicuntur Dionysio Afro. Opidum erat Via Ostiensi ad Lapidem XI. uti tradit Festus. Sigonius ad Livium eamdem vult cum *Ficulnea* Livij libro I. De *Crustumerio* [*Crustumerium.*] dicam im Vmbria, sub finem. *Ameriola* [*Ameriola.*] ὑποκοριστικῶς fortean ab *Ameria*, quæ in Vmbria. Mentio eius & apud Livium. *Medullia* [*Medullia.*] Tulli Hostilij ortu clara, Livio etiam & aliis nota; Μεδυλλία Stephano & Halicarnassæo, qui Coloniam ab Romulo factam scribit. *Corniculum* [*Corniculum.*], Ser. Tullij Patria, sic Plinio & Livio non uno loco dicitur; quod Κορνίκουλον Halicarnassæo, Κόρνικλος Stephano. Inde forte Κορνίκλοι, *Corniculi Montes*, Halicarnassæo, prope Tibur: qui Κεραῦται, ni fallor, Zonaræ lib. II. ab Corvorum frequentia. *Saturnia, ubi nunc Roma est*, addit Plinius [*Saturnia.*]. Innuit fuisse in Monte, qui primo *Saturnius*, inde *Tarpeius*, postremo *Capitolinus*. Sic Ovidius libro VI. Fast.

A Patre dicta meo quomdam Saturnia Roma.

Saturniæ indicat Vestigia Varro lib. IV. de L.L. etiam ævo suo solita monstrari tria: *Saturni Fanum* in faucibus Montis Capitolini, *Saturniam Portam*, quam Junius scribit, quæque post *Pandana*, post Ædem denique *Saturni* in Ædificiorum Legibus Parietes postici Muri scriptos, litterisque notatos. Eiusdem & *Ianiculi* Reliquias monstrat Æneæ Euander apud Virgilium lib. VIII. Æn.

Hæc duo præterea, disiectis oppida Muris,
Relliquias Veterumque Vides Monimenta Virorum.
Hanc Ianus Pater, Hanc Saturnus condidit Arcem:
Janiculum *Huic, Illi fuerat* Saturnia *Nomen*.

Incolæ *Saturnij* Festo: quod Nomen, Roma condita, mansit iis, qui in imo Clivo Capitolino Castrum incolebant. *Antipolis* [*Antipolis.*], *quod nunc*, inquit Plinius, *Ianiculum in*

parte

parte Romæ. Αἰνεία, quæ postea Ἰανίκυλον, ait Halicarnassæus: an de hoc *Ianiculo*, adhuc ambigo. Est autem *Antipolis* proprie in Tuscia. De *Antemnis*, quas & in Latio Vetere nominat Plinius, commodius dicam Capite, quo Umbria explicatur, in fine. Quod *Camerium* Plinio Tacitoque: *Cameria*, Livio & Halicarnassæo: *Camerinum* Ciceroni dicitur libro ad Atticum VIII, Epist. XII. ut item Festo, qui pulcrum esse Opidum ait. Vide Caput de Piceno. *Collatiam* in Vmbria describo; *Amiternum* in Samnitibus. Quæ *Norbe* Plinio lib III. cap. V. *Norba* vocatur Livio lib. II. Coloniam facienti. Latini Nominis Vrbs est Halicarnassæo lib. VII. Campaniæ, Livio lib. XXXII. fortassis non una. Nescio an ab *Norbe* Latij apud Plinium, eidem sint *Norbani*, quos, paullo ante *Norbes* mentionem, nominat eodem capite. Alij sunt eidem Plinio *Norbanenses* in Calabria. *Sulmonem*, quam Superioribus addit Plinius, designat fortean Florus lib. III. Hist. Rom. cap. XXI. Vetus Opidum Socium atque Amicum appellans. Licet autem hoc *Latij* Opidum periisse cum præcedentibus omnibus dicat Plinius: Pyrrhus tamen Ligorius *Sermonetam* hactenus vocari adfirmat. Est etiam *Sulmo*, Ovidij Patria, Pelignorum in Samnitibus Opidum, de quo suo loco. *Sacranas Acies* à Populo quodam sic dictas habet Virgilius: de iis legendus est Servius, qui eos circa Romam vel Ardeam putat habitasse. Reate ortos memorat Festus.

(Margin: Antemnæ. Camerium. Collatia. Amiternum. Norba. Sulmo. Sacranij.)

De *Latij* porro *Iure*, quod, ex Fœdere cum iis icto, ut M. Tullius pro Balbo memoriæ mandat, Sp. Cassio & Postumo Cominio Coss. anno CCLXI. multa continebat Privilegia, proximeque ad Civitatem accedebat Romanam, legenda, quæ ex variis Scriptoribus, præsertim Dionysio & Livio, notat vir Rerum Romanarum peritissimus & diligentissimus Indagator, Onuphrius Panuinius, in Opere, cui Titulum præscripsit *Imperium Romanum.*

(Margin: Ius Latij.)

Hæc de *Latio* universim: flagitat Methodi ratio, speciatim ut perlustrem, orsus Vrbe, quæ Orbis quondam Compendium. Ea namque prima, in Antiquo Latio, Tiberim ex Etruria transgresso se cum incredibili hodieque Majestate offert, non ut debet (quis enim isti difficultati superandæ par futurus?) sed ut potest, summis inquam coloribus, delineandam. Præstaret alioquin de Ea, quod de Karthagine dixit Sallustius, Silere, quam pauca dicere. Nomen suum semel obtentum contra omnem Temporis & Fortunæ injuriam & nunc retinet. ROMA enim ubique terrarum ab omnibus Europæ, Asiæ, Africæque Populis, inflexa varie, nominatur. Alterum habuit *Secretum, quod dicere Arcanis Cerimoniarum*, ut inquit Plinius lib. III. cap. V. *nefas habebatur: optimaque & salutari fide abolitum enunciavit Valerius Soranus, luitque mox pœnas.* Adeundi, præter Plinium, loco indicato, & lib. XXVIII. cap. II. Solinus cap. I. Polyhist. Plutarchus Problem. LX. & Macrobius lib. III. Saturnal. cap. IX. Hoc tamen *Romanessus* fuisse fabulatur Annius ad fabulosum Berosum. Ille scilicet eo felicitatis adsurrexit, ut quod sæcula tam multa profundis sepultum fuerat tenebris, ipsi, si Diis placet, suus revelarit Berosus. ROMAM sub *Amaryllidis* nomine describere Virgilium in Eclogis notat Interpres Servius. Sed neque hoc D. Hieronymi omittendum duxi, ROMAM significari vocabulo *Babylonis* ab D. Petro Epistola I. cap. V ubi scribit, *Salutat Vos Ecclesia, quæ est in Babylone.* Sed & *Vrbis Babylonis Romanæ* non semel meminit Liber de Limitibus. Sed ego cogitandum hic penitius censeo. Imperator Commodus ROMAM appellare voluit *Coloniam Commodianam*, docente Lampridio; *Gothiam* appellari voluit Athaulphus Gothorum Rex, ut Orosius prodit: Sed uterque frustra. *Vrbs* per excellentiam dicitur omnibus Latinis Scriptoribus. Quæ ROMAM spectant, potissima excerpam ex Singulario Libello, quem olim, plenius otium nactus, de ea scripsi. De ipsius Appellatione, Primisque Conditoribus alij aliter sentiunt. Horum quinque mihi Classes: prima, qui *Vrbem* nominatam volunt non ab Conditore, sed ab eorum, qui Vrbem jam conditam incolebant, Indole & Natura. Nam, teste Pompeio Festo, Cumanæ Historiæ Scriptor ROMAM dictam scribit *Valentiam* ab Latina Iuventute, quod Nomen adventu Euandri Æneæque in Italiam interpretatum dici cœptum ROMAM. Videndi & Plutarchus in Romulo, & Iulius Solinus cap. I. ROMA igitur nomen ἀπὸ τῆς ῥώμης, quæ Latinis *Valentia* & Robur. D. Hieronymus videtur non tam adprobare sententiam illorum, qui ἀπὸ τῆς ῥώμης trahunt, quam dirivare leni flexu ab Hebraico vocabulo

(Margin: Latij Vrbes & Opida. ROMA. Nomé passim retinet. Habuit & Arcanum. Amaryllidis nomine celebratus Virgilio: An Babylonis appellatione sit intelligenda. Frustra Coloniæ Commodianæ Gothiæque nomen illi quidam voluit. Vrbs κατ' ἐξοχήν. A quo cum condita tum appellata.)

co vocabulo רמה *exaltari, elevari*: quum ait contra Iovinianum, ROMA *autem Fortitudinis nomen est apud Græcos, aut Sublimitatis apud Hebræos.* Quid si ROMA (ut & ego aliquid conferam) dicatur ab Syriaca voce רמח, quæ Latinis *Hasta*. Certe adsonat huic Coniecturæ Nomen *Quiris*; sic Prisci Latini dicebant *Hastam*; à quo Cives Vrbis, de qua nobis sermo *Quirites*, ut ab ROMA, ROMANI, qui nihil aliud, quam *Hastati*: bono omine, ut Vrbs quam habitura aliquando esset Regiam Majestatem vel solo nomine in sui primordio testaretur. Reges enim isthoc ævo *Hasta* pro Insigni utebantur. Reliquarum Classium hæ sunto Tabulæ.

II. Classis est.

Eorum, qui Vrbem códitam volunt ab *Romo*,	*Iovis Filio*:	Cuius mentis	Antigonus, Italicæ Historiæ Scriptor:	Testibus	Festo in *Romam*.
	Vlyssis & Circes Filio, Fratre Antiæ & Ardeæ;		Xenagoras Historicus:		Dionysio Halicarnassæo lib. 1. Designat Plutarchus in Romulo; qui, quem Dionysius *Ῥῶμον*, appellat *Ῥωμανὸν*: Legendum forte *Ῥῶμον τὸν* &c.
	Aeneæ Filio; Fratre vero *Ascanij, Euryleontis & Romuli*;		Cephalon Gergithius, qui de Adventu in Italiam videtur conscripsisse; *Consentiunt Cephaloni* Demagoras, Agathyllus:		Dionysio libro eodem. Festus tamen ex Cephalonis sententia *Romam* appellat *Aeneæ Comitem*.
	Aeneæ & Laviniæ Filio: *Fratre* vero *Mayllis & Muli*:		Apollodorus in Euxenide:		Festo in *Romam*.
	Ascanij Filio, Aeneæ Nepote;		Incerti apud Dionysium Chalcidensem:		Dionysio libro à me indicato.
	Itali & Leucariæ Filio, Latinæ Nepote;		Incerti:		Plutarcho in Romulo. Dionysio Halic. laudato ante loco.
	Electræ Filio, Itali Nepote:		Incerti:		
	Emathionis Filio, ab Diomede in Italiam misso;		Incerti apud Dionysium Chalcidensem:		Dionysio ibidem & Plutarcho in Romuli Vita.
	Albæ Filio, Romuli Nepote, Aeneæ Pronepote:		Alcinus:		Festo in *Romam*.
	Latinorum Tyranno, eo qui Tyrrhenos, quum ex Thessalia in Italiam venissent, ejecerat,		Incerti:		Plutarcho in Romulo, ubi legendum *Ῥῶμον*.

III.

Eorum, qui conditam Vrbem scribunt ab *Roma*	*Vna ex Captivis Trojanis;*	quod volunt	Heraclides Lembus. Hunc designat Plutarchus in Romulo; ubi secundo loco quorumdam de Vrbis Conditore commemorat opiniones. Eiusdem mentis facit Aristotelem Dionysius Halicarnassæus, qui fortean scribere voluit *Heraclidis* nomen. Sallustius etiam in Bello Catilinario videtur huius esse mentis:	Testibus	Iulio Solino cap. 1; Festo in *Romam.*
	Iliensi Muliere:		Ἀνώνυμος, cui suffragatur Damastes Sigæus:		Dionysio Halicarnass. lib. 1.
	Ascanij Filia, Aeneae Nepte:		Agathocles Siculus, Cyzicenarum rerum Auctor:		Plutarcho in Romulo, Solino Festoque locis indicatis.
	Telephi Filia, Aeneae Coniuge:		Incerti:		Plutarcho ibidem.
	Profuga, potitis Troia Græcis, & deinde Latino Aboriginum Regi nupta;		Callias, Agathoclis rerum gestarum Scriptor.		Dionysio & Festo.
	Latini Conjuge:		Galathas:		Festo in *Romam.*

IIII.

Eorum, qui Vrbis Conditorem	*Aeneae Filium,*	*Fratrem Remi, ex Dexithea, Phorbantis Filia;*	Incerti:	Plutarchum in Romulo, Dionysium Halicarn. lib. 1.
		Fratrem Ascanij & Remi:	Incerti:	Dionysium ibidem.

agnos-

adgnoſcũt quidem *Romulum*, alium tamen ab *Rea Filio* ſcilicet	*Aemiliæ Filium, Aeneæ & Laviniæ Nepotem;*	Cujus Sententiæ	Incerti:	apud	Dionyſium & Plutarchum ijſdem locis.
	..... Filium, Aeneæ Nepotem;		Incerti:		Dionyſium laudato libro.
	Latini Filium, Telemachi Nepotem;		Incerti:		Plutarchũ in eiuſdem Romuli Vita.
	Ancillæ, Tarchetij Albanorum Regis, Filium:		Promathion:		Auctorem indicatum;

V.

Eorum, qui Nomen Vrbi ſcribunt impoſitum ab *Romulo Rea* Filio, cujus tamẽ Patrem faciunt

- Nonnulli
  - *Vnum ex Procis*: Legendus Dionyſius lib. 1. Antiquitatum Romanorum.
  - *Amulium Patruum.* Dionyſius ibidem & Plutarchus in Romulo.
  - *Numen* vel *Genium Loci*: Ijdem Auctores.
- Onuphrius Panuinius *Militem quemdam*; qui putat ad *Martem* hoc relatum, quod Milites in Martis tutela. Videndus ille in Roma & Faſtis.
- Plerique *Martem*: cuius cum Rea Silvia congreſſum deſcribit graphice Ovidius libro III. Faſtorum. Eumdem congreſſum fabuloſum putat Cicero I. De Natura Deorum. Certe, quum incertus eſſet Pater, *Mars* fictus eſt, eluendæ Turpitudinis Notæ; & exſtimulando, divinæ Stirpis fiducia, ad maxima quæque Humano Animo. Conſulendi præter alios Ovidius III. Faſt. Varro III de Re Ruſtica, cap. 1, Solinus ca. 11, Iſidorus lib. xv. ca. 1, cuius Verba emendantur à me ad mei Ennij Annales.

Vnde autem tanta in vrbis Conditore Varietas? An quod non unus *Romus*, vel *Roma*, vel *Romulus*; ſed alius, alio tempore? quod indicant indicati jam Scriptores. An quod non una ROMA: ſed eadem ab alijs cœpta, ab alijs renovata, ab alijs amplificata? Triplicem ſane ROMAM ex Veterum Auctorum ſententia ſignare videtur Dionyſius Halicarnaſſæus libro I Antiquitatum Romanarum. Primam & Antiquiſſimam, cuius meminit, eodem teſte, Antiochus Syracuſanus: Alteram, quæ condita non multo poſt Belli Trojani tempora: Tertiam, quæ renovata quaſi, ætate poſt alteram illam quintadecima. Quæ ſint ita: certe Romani Nominis gloria debetur præcipue proſpero illi, quod *Romulo* datum, Augurio; maxime quum Annorum Ratio faciat cardinem Veritati, inquit Solinus cap. 11. Non unam ROMAM agnoſcit etiam Pomponius IC. qui ſcribit Populum Romanum initio ſine certa Lege, ſine Iure certo vixiſſe; omniaque manu à Regibus gubernata: poſtea *Romulum* ſuperueniſſe, & aliam Civitati formam induxiſſe l. 2 neceſſarium §. 2. & 3. D. de origine Iuris. Non una autem Illa; vel, ut cum Dionyſio Halicarnaſſæo lib. I. illud ancipiti animo dicam: Triplex Illa ROMA, non ſolum varios ex variorum ut docui ſententijs Conditores peperit: ſed cauſſam etiam dedit immenſæ Varietati in notando Vrbis conditæ Tempore. Eleganter hac de re Solinus cap. 11. initio. De Varietate illa legendi Cicero in Bruto & Livius lib. II. Antiquiſſima Roma! fingamus enim Triplicem fuiſſe, quando condita, colligi non poteſt ex Antiochi Syracuſani (qui unus eius meminit) Quo anno condita,

meminit Verbis,quæ apud Dionysium Halic.li.1. Mediam illam designat credo apud Dionysiũ Cephalon Gergithius,qui ROMAM conditã scribit secunda ętate post Bellum Troianum. Cum eo autem de Tempore consentire notat ibidem Dionysius Demagoram, Agathyllum multosque alios. Ipse Dionysius,si tamen plures fuerint succedentes quasi sibi ROMAE,conditam significat,dubius tamen non multo post Belli Troiani tempora In Alterutrius Incolas digitum quasi intendit Pomponius IC. vel quicumque Auctor censendus l.2.§.2.& 3.D.de Origine Iuris. Tertiæ, quam unicam plerique statuunt (τὸν τελευταῖον τῆς Ῥώμης γενόμενον οἰκισμὸν vocat Dionysius) conditæ tempus varie ab Varijs indicatur,quod paret ex subiecta Synopsi:

Ante Primam Olympiadem anno XXXVIII,eodem fere tempore, quo Karthago condita;
- Timæus Siculus, οὐκ οἶδ' ὅτῳ κανόνι χρησάμενος, inquit Dionysius Halicarnassæus lib. 1. Tempus autem illud Timæi incidit ex eiusdem Dionysij Calculo in annum ab Troia capta CCCLXXI;in annum Procæ, XIV Latinorum vel Albanorum Regis,quartum.

Olympiade VI. Anno I.

Anno II.

- M. Terentius Varro, apud Censorinum de Die Natali cap. XIIII, & plenius apud Onuphrium Panuinium in Commentario ad Fastos Romanos: qui & Sequentium discutit & examinat Opiniones;
- C. Iulius Cæsar Octavianus Augustus;
- Ti. Claudius Cæsar Augustus;
- Fl. Domitianus Cæsar Augustus;
- L. Septimius Severus Cæsar Augustus;
- M. Iulius Philippus Cęsar Augustus:

  (these six:) uti probant partim quæ ab ipsis gesta, partim vero Ludi, quos celebrarunt, Sæculares.
- P. Velleius Paterculus;initio Voluminis I Historiæ Romanæ;
- C. Plinius Secundus:consulendus Onuphrius;
- Plutarchus in Romuli Vita:
- P. Cornelius Tacitus:Onuphrium adito:
- M. Tullius Cicero,teste Solino cap.II;
- Cassius Dio, Onuphrio probante ex ipsius Scriptis;
- T. Pomponius Atticus, Solino scribente cap.II;
- Censorinus de die Natali cap. XIV,eruente Sententiam eius Onuphrio:
- Agellius lib. XVII Noct. Atticar. cap. XXI, volente eodem Onuphrio:

- Eusebius in Chronico:
- Eutropius lib.1. Historiæ Romanæ;
- Paullus Orosius
- Paullus Diaconus

  (the last two:) apud eumdem Onuphrium.

- Verrius Flaccus, quemadmodum facile colligere est ex ipsius Fastis:
- Clemens Alexandrinus libro I Stromatum.

- Eratosthenes Cyrenæus adfirmantibus id Dionysio Halicarnassæo lib.1.& Solino cap. II;apud quem ex Dionysio emendandus Numerus,& legendum. *Olympiadis Septima Anno Primo*, pro Secundo:
- Appollodorus,Solino notante cap.II:

Iulius

VII | I | Iulius Solinus Polyhist cap. II. Hunc maxime probat Matth. Beroaldus lib. II. cap. II, Chronic. Solini Opinionem de Motu Siderum in Natalitio Vrbis die refutat Ioachimus Vadianus in Comment ad Pomponium Melam, lib. II. cap. I;
M. Porcius Cato, docente id Onuphrio;
Cornelius Nepos, C. Lutatius, } apud Solinum;
Diodorus Siculus, T. Livius, } apud Onuphrium;
Dionysius Halicarnassæus lib. I. Antiquitatum Romanarum;
Theophilus Antiochenus lib. III. Disputationum contra Autolycum.

II Polybius Megalopolitanus, laudante sententiam ejus Dionysio Halicarnassæo, loco sæpe indicato.

III

IV

I Q. Fabius Pictor, apud Solinum cap. II, non notantem tamen,
&c. quoto Olympiadis VIII anno.

I

II

III

IV L. Cincius Vir Senatorij Ordinis apud Dionyssium Halicarnassæum libro I. Solinus cap. II. scribit Cincio placere Vrbem Conditam XII Olympiade; non indicato certo ejus Olympiadis anno.

Ad tempus autem Vrbis Conditæ an Versus Enniani, quos citat M. Terentius Varro de Re Rustica lib. III. cap. I. pertineant, quæro ad ejusdem Poetæ Annal. librum I. Hæc de Anno: addam nonnihil de Die. ROMAM conditam scribunt XI Kalendas Mai, id est Parilibus, Solinus cap. II, Eutropius lib. I, Ovidius IV Fastorum, & alij: XII vero Kalendas Mai, id est pridie Paril. Plutarchus in Romuli Vita. Natalem Vrbis Diem Romanos quotannis celebrare solitos notant Dionysius lib. I. & Plutarchus in Romulo. Hoc item adscribam, L. Tarruntium Mathematicum apud Iulium Solinum cap. II tradere ROMAM condi cœptam inter horas II, & III, Iove in Piscibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione; Sole in Tauro, Luna in Libra constitutis. Quæ vel Tarruntij, toto cœlo errantis, vel Solini, qui Tarruntium male exscripserit, gravi censura evertit Ioachimus Vadianus ad Librum II Pomponij Melæ. Versatur in eodem errore Sempronius de Divisione Italiæ; vel, ut verius loquar, Annius potius Viterbiensis, qui cum alijs Sempronium nobis subjecit, ἀπειροκαλίαν & insubidum agens Astronomum. ROMAM, quum Conditionem ejus molirentur quicumque fuerint. Libram Horoscopium habuisse, adfirmat Manilius Astronom. lib. IV; Quo die. Qua hora.

Hesperiam sua Libra tenet, qua condita ROMA,
Orbis & imperium retinet, discrimine rerum
Lancibus & positas Gentes tollitque premitque.

Recentiores certatim sub Leone ROMAM esse adserunt. Conjecturam ait apud Vadianum Georgius Collimitius, minime frivolam: eo tempore, quo cœpta sit Vrbs condi, adscendens fuisse Cor Leonis, Regiam Stellam: in medio Cœli Solem in Tauro, Iovem in Piscibus in Nona, Orientalem; Mercurium in eadem Nona in Ariete Orientalem: Venerem in Tauro Occidentalem; & in Medio Cœli; postremo Saturnum & Martem in Scorpione, in Domo Quarta. Vrbem fecit Romulus Quadratam; Testibus Dionysio lib. I. Antiq. Romanar. Plutarcho in Vitis, & Solino cap. II. Meminit ROMÆ *Quadratæ* meus Ennius libro II. Annalium. Inde autem ampliori ROMÆ & florenti jam Locus mansit *Quadrata Roma*, in X: Vrbis Regione, uti videre est apud P. Victorem, qui Vrbi Dominę, quum toti Qua forma.

jam Orbi imperaret, excitabat memoriam Veteris Vrbis, & dubiam admodum in Incunabulis Fortunam inculcabat. Nominabat eum Locum Festus, qui quam bene citet eo Ennium, meum ad Annales Poetæ consule Commentarium. *Opidi* apud Veteres Scriptores facta mentione, nihilque præterea addito, intelligi *Quadratam* ROMAM notat Scaliger in Appendice ad M. Terentium Varronem. Alioqui *Vrbis* nomen κατ' ἐξοχὴν gerebat, uti constat ex omnibus Scriptoribus; præcipue prolato jam Pomerio, quod pro incrementis Reip. protulerunt Varij *T. Tatius Sabinorum Rex*, adscitus in Regni societatem ab Romulo, Veteris Vrbis Pomerio Tarpeium Montem, qui extra Quadratam erat ROMAM, inclusit. Legendus cum alijs Livius. *Tullus Hostilius* III *Romanorum Rex*, Alba Longa diruta, & Albanis in Civitatem receptis, Montem Cælium, quem Romulus muniverat, Pomerio addidit, testibus Dionysio libro III & Livio libro I. Cœlium Pomerio inclusisse *Ancum Marcium*, qui quarto regnavit loco, scribit Strabo libro V. Tacitus *Tarquinio Prisco*, V Regi illud tribuit libro IV. *Ancus Marcius*, Politorio Latinorum Opido exciso, & Latinis in Vrbem adscitis Montem Aventinum concessit habitandum, Pomerio tamen, quod ominosus, non inclusit: ut tradunt Dionysius libro III, Livius libro I, Strabo libro V, Auctor de VV. Inlustribus cap. I. Eutropius libro I. Idem Livius etiam lib. XLI Aventinum extra Vrbis Pomerium fuisse refert. Publicum adhuc fuisse, & Silvarum plenum notat Dionysius Halic. sub Coss. M. Valerio Maximo & Sp. Virginio Cælimontano. Idem Rex Fossas circum Vrbem fecit, quæ *Quiritium* appellatæ sunt: ut memoriæ produnt Livius lib. I. & Festus lib. XV. Idem Ianiculum & Trans-Tiberinam Regionem, facto super Tiberim Ponte Sublicio, Muro cinxit, & Pomerio prolato Vrbi addidit. Consulendi Dionysius Halic. lib. III, Eutropius & Auctor de VV. Inlustribus cap. V. Latinus item Pacatus in Panegyrico. *L. Tarquinius Priscus* Vrbis Muros, ruderibus vilibusque structuris ad eam diem ædificatos, Primus cœpit Saxis magnis Albano, Tiburtino & Prænestino ad Regulam formatis, exstruere: quos *Ser. Tullius* Rex perfecit; iisdem Auctoribus & Agellio lib. XIII. Noct. Attic. cap. XIV scribentibus. *Ser. Tullius*, quem dixi, Exquilias, Quirinalem & Viminalem Montes Vrbis pomerio adjunxit, docente Livio lib. I. Dionysius libro II Quirinalem ab *Numa* additum prodit: Strabo libro V *Romulo* illud tribuit. Auctor de VV. Inlustribus cap. VII, & Eutropius lib. I. Livij sententiam sequuntur. Idem Rex ROMAM, ut iidem tradunt, Aggere, Fossis & Muro Lapideo circumdedit. *L. Tarquinius Superbus*, inmenso ab Oriente Aggere addito, ROMAM tutiorem fecit. Plinius lib. III. cap. V. & Strabo lib. V. Quis autem fuerit illa ætate Vrbis Ambitus, docere conatur Onuphrius Panuinius in sua Roma. Post *Ser. Tullium Regem* usque ad *Sullæ Felicis Dictatoris* tempora Pomerium non amplius prolatum scribit Dionysius Halic. lib. IX. *L.* enim *Cornelius Sulla* Primus post Reges exactos Pomerium protulit, testibus Tacito lib. XII & Agellio loco, qui indicatus. *Sullam* hac in re sequutus *C. Iulius Cæsar*; de quo Dio lib. XVIII. & M. Tullius lib. XIII. Epist. non uno loco: item apud eumdem Dionem Antonius in Laudatione funebri. Errat Tacitus, qui *Cæsarem* præterit *Sullam* & *Augustum*: Excusat Scriptorem Magnum Vir Magnus Justus Lipsius. Certe *Cæsarem* Pomerium protulisse duobus locis, narrant disertis verbis Dio & Agellius. *C. Iulij Cæsaris Octaviani Augusti* in eodem studio industriam docent, præter Tacitum lib. XII & Agellium notato à me libro, tres Cippi grandes, ejusdem fere & formæ & magnitudinis; qui hodieque Romæ visuntur, cum his Inscriptionibus:

Marginalia: Opidum quando. — Vrbe. — Pomerium prolatum à T. Tatio, Tullo Hostilio. — Anco Marcio. — L. Tarquinio Prisco, — Ser. Tullio. — L. Tarquinio Superbo. — L. Cornelio Sulla. C. Iulio Cæsare, — Octaviano Augusto.

I	II
C. MARCIVS. L. F. L. N	C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS	CENSORINVS. ET. C. ASI
C. ASINIVS. C. F. GALLVS	NIVS. C. F. GALLVS. COS
COS	EX. S. C
EX. S. C TERMIN	FIN. POMER. TERMIN

IMP.

III.

IMP. CÆSAR. DIVI. F.
AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIC. POTEST. XVII
EX. S. C. TERMINAVIT
R. R. PROX. CIPP. PED. CLXVI S

Octaviano Augusto successit in hoc Stadio *Claudius Imperator* ; qui,admisso intra Vrbem Aventino,Pomerium protulit:uti paret ex Agellio,Cornelio Tacito, Legeque Regia , quæ de Privilegijs Vespasiano ab S. P. Q. R. concessis lata. Eo pertinet Fragmentum Cippi, quod Romæ ad Cloacam S. Luciæ , non procul ab Campo Floræ , insertum Parieti Officinæ cuiusdam Aromatarij ; sic inscriptum: Claudio,

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CÆSAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII.
CENSOR. P. P.
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAVIT. TERMINAVITQ.

Claudium excepit hic *Imperator Nero* ; Ponto Polemoniaco & Alpibus Cottijs Imperio Romano adiectis. Legendus Fl. Vopiscus in Vita Aureliani : qui idem testatur de *Traiano Hadriano* (quem æternant quoque Lapides) & *Aureliano Imperatoribus*. *Arcadium & Honorium Principes* præfert Elogium, quod Romæ supra Portam Portuensem. S. P. Q. R. Pomerium ampliasse ex auctoritate *Theoderici Gothorum Regis*, scribit Cassiodorus in Epistol. *Fl. Belisarium* sub *Imp. Iustiniano* tertiam Murorum Vrbis partem , Bello Gothico ab Totila Rege disiectam, refecisse , refert Procopius libro III. addens *Fl.* etiam *Narsetem* Vrbis Mœnia vetustate & ruinis conlapsa firmasse. Post horum tempora Murorum Ambitus non amplius motus ; sæpissime tamen vel vetustate vel Barbarorum vi disiectus , ab Romanis Pontificibus est renovatus. Inter eos uti Novitij Scriptores notant , *Gregorius* II, *Hadrianus* I, *Leo* IV (qui Mœnia Vrbis refecit ; XV Turres addidit ; Vaticanum , aucto Murorum Ambitu, cinxit, & *Vrbem Leoninam* appellavit) *Vrbanus* V, *Nicolaus* IV, *Martinus* V, *Nicolaus* V, *Paullus* II *Xystus* IV, *Alexander* V, *Paullus* III , qui novum Vrbis Ambitum inchoatum reliquit imperfectum; *Paullus* IV , qui additis Aggeribus, Terreisque Propugnaculis ROMAM munivit ; *Bonifacius* IX qui Hadriani Molem firmavit ; *Alexander denique* VI, qui Vrbem, additis Fossa, Aggeribus, latioribusque Propugnaculis fecit tutiorem. De Mœnibus Vrbis, quæ hodie, consulendus Marlianus libro I. Topographiæ Vrbis ROMAE, cap. IX. Quod ad Suburbana: notat Ammianus Marcellinus, Adventum describens Constantij Cæsaris ab Vrbe Constantinopolitana Romam, Hormisdam genere Persam, Architecturæ peritissimum , in Cæsaris Comitatu ductum & omnium colloquio destitutum primaria quæque dignioraque Vrbis Aedificia deinceps inspecta ordine sibi ostendere jussum , ab Ocriculo Romam prius ingressum fuisse , quam quo in loco Vrbs inchoaret , discernere & intelligere posset. Tradiderat jam multo ante Dionysius Halicarnassæus lib IV, omnia circa Vrbem habitata fuisse loca ; multa ea & magna, facillimeque adventantibus Hostibus neri obnoxia. *Si quis* , ait (Latine exprimam eius Verba) *hæc spectans, avet* ROMAE *Magnitudinem indagare* , *is & errare cogetur, & nihil certi habebit Signi,*

Nerone, Hadriano, Aureliano, S.P.Q.R. Fl. Belisario, Fl. Narse, Romanis Pontificibus. Suburbana Loca.

quo digrediatur, quousque sit hæc Vrbs progressa, aut unde esse non amplius Vrbs incipiat: ita Vrbi contexta est Regio, præbetque Spectantibus opinionem extensæ in infinitum Vrbis. Aristidis etiam quædam ita Latine sonant: *Descendit hæc Vrbs usque ad Mare, ubi commune Emporium; communisque omnium quæ terra eveniunt, dispensatio: quacumque in parte eius Vrbis constiterit quis, nihil prohibet, quo minus sit pariter in medio: quidquid nunc Italiæ restat: completura esse mihi videtur, unaque futura Vrbs, in Ionium Mare protensa.*

Vrbis Divisio; in Partes Tres.

Vrbs condita non tantum ab Variis, ut docui, varie aucta; sed & pro auctione & magnitudine diverse divisa: in Partes quidem pauciores Crescens sub Regibus; in plures, Florens, sub Imperatoribus. In Partes tris distribuit Romulus. Eas *Tribus* appellant Dionysius lib. II. & Livius lib. I. *Partes* vocat Varro lib. IV. de L L. Eæ fuerunt: I *Ramnium*, qui & *Ramnenses* Varroni, II *Tatium*, qui & *Tities* Propertio, *Tatij* Festo, *Titienses* Livio & Plinio, III *Lucerum*, qui & *Lucerenses* & *Lucomedi* Festo.

Sex.

Vrbe amplificata quum tres Tribus Partesve non sufficerent, Tarquinius Priscus Veteres sub iisdem Nominibus duplicavit; *Primosque & Secundos Ramnes, Tatites & Luceres* constituit. Historia nota. Consulendi præter alios Livius libro I & Festus in *Sex Vestæ*.

Quatuor.

Ser. Tullius iterum minore numero in quatuor Partes distribuit; quas, reiectis antiquis Nominibus, non ab Auctore, vel Gentis Origine, sive Casibus; sed ab Locis, qui colebantur, appellavit: I *Suburanam*, in qua princeps Mons Cælius, Carinæ, Ceroliensis, Subura: II *Esquilinam*, in qua Esquiliæ, quæ duo Montes habiti, Cispius & Oppius: III *Collinam* (Scaliger *Collitiam* vocat) in qua Viminalis & Quirinalis: IIII *Palatinam*, in qua Palatium, Germalum, Veliæ, Sacri portus. Late hæc Varro lib. IV. de LL. & Dionysius lib. IV: ubi male Βαλιωρζνλω & Κολλαζνλω: Livius item lib. I. qui eorum Nomina non aperit.

Regiones quatuordecim.

Vrbe mirum in modum aucta, novam eius excogitavit Divisionem Cæsar Augustus; qui in *Regiones* eam est partitus, Suetonio scribente in eius Vita cap. XXX: easque XIV; uti legere est apud Plinium lib. III. natur. hist. cap. V & Tacitum lib. XV Annalium, ubi de Neroniano Incendio. Mentionem XIV *Regionum* facit Lapis, qui anno CIↃ IↃLIV repertus ad Lacum Nemorensem, XV ab Vrbe Miliari:

DIANÆ

NEMORESI. VESTÆ

SACRVM DICT

IMP. NERVAE. TRAIANO. AVG

GERMANICO. IIII. COS. PRAEF

EIVS. T. VOLTEDIO. MAMILIANO

QVAESTORIB.

L. CAECILIO. VRSO. II. M. LVCRETIO

SABINO II. AEDILIB. Q. VIBENNA. QVIETO

TI. CLAVDIO. MAGNO

P. CORNELIVS. TROPHIMVS. PISTOR

ROMANIENSIS. EX REG. XIV. IDEM. CVR

VICI. QVADRATI. ET. LANIA. C. F. THYONOE. CONIVX

EIVS. VOTVM. LIBENS. SOLVERVNT

Alius item, qui sub Porticu Domus Conservatorum, in Capitolio, in Basi Marmorea prægrandi:

IMP.

IMP· CÆSARI· DIVI
TRAIANI. PARTHICI. FIL
DIVI· NERVÆ. NEPOTI
TRAIANO. HADRIANO

AVG. PONTIF. MAXIMO
TRIBVNIC. POTESTAT. XX
IMP. II. COS. III. P. P
MAGISTRI. VICORVM. VRBIS
REGIONVM. XIIII

Nominant *Regiones* illas Sex. Rufus (mutilus tamen: desunt enim illi x, xii, xiii & xiv) P. Victor, & Onuphrius Panuinius, qui plenissime delineat. Prima dicebatur *Porta Capena*; Secunda, *Cælimontium*; Tertia, *Isis & Serapis Moneta*; Quarta, *Templum Pacis*; Quinta, *Esquilina cum Turri & Colle Viminali*; Sexta, *Alta Semita*; Septima, *Via Lata*: Octava, *Forum Romanum*: Nona; *Circus Flaminius*; Decima, *Palatium*; Vndecima, *Circus Maximus*; Duodecima, *Piscina Publica*; Decimatertia, *Aventinus*; Decimaquarta denique, *Trans-Tiberina*. *Regiones* hasce regionatim, fixis attentissime in præcipua quæque oculis, obambulabo: si prius generalia quædam Vrbis prænotaro: in quibus priore loco quæram, quæ Romæ statis locis: ea sunt Montes & Portæ: deinde diffusius excurram in vias; hinc Aquas pervestigabo: *Montes.* post singulas Vrbis Regiones pererrabo. Montes ix Veteri muro inclusi; Vnus exclusus: aliorum vii cis ii trans Tiberim. Cis-Tiberini sunt, *Palatinus*, *Capitolinus*, *Quirinalis*, *Viminalis*, *Esquilinus*, *Cælius*, *Aventinus*. Ab his vii Montibus Roma *Septicollis* quibusdam; *Septimontium* Varroni libro iv de LL. *Septemgemina*, Statio; *Septena Arx*, Latino Pacato Panegyr. Theodos. Ἑπτάλοφος Græcis *Septem Iuga* dicuntur Propertio. *Arces* nominantur, propter regias in illis olim Sedes constitutas, Virgilio libro vii. Aeneid. ROMAM *Septem Colles* nominare Horatium in Carmine Sæculari, testantur Acron & Porphyrion: *Dominos Montes Septem* vocat *Palatinus.* Martialis libro iv. Epigrammate lxxiv. *Palatinus* unde dicatur, sequens indicat Schema:

Varia *Montis Palatini* Veteres Scriptores indicant Etyma.

- *Palanteo*, *Palantio*, Παλαντίῳ, Arcadum opido.
  - Livius libro ab V. C. i:
  - Plinius libro naturalis Histor. iv, cap. vi.
  - Dionysius Halicarn. libro i, Antiquit. Rom.
- *Palantibus*, qui cum Euandro in illa Loca venerant. Varro libro iv. de LL. Solinus cap. ii.
- *Palatinus*, qui & Aborigines. Varro lib. iv & Solinus cap. ii.
- *Palante*, vel *Pallante*,
  - Euandri
    - Proavo, Virgilius libro viii. Aeneidos, vers. 54.
    - Avo, Servius ad libr. viii. Aeneidos.
    - Filio, illic sepulto. Quidam apud Servium, ioco notato.
    - Nepote, ex Dyna eius Filia & Hercule. Nonnulli, & in iis Polybius Megalopolitanus apud Dionysium Halic. lib. i.
  - Arcadum Principe, Isidorus lib. xv. cap. iii.
  - In isthoc Monte sepulto. Quidam apud Festum.

Alij enim

Alij enim dirivant à

- *Pallantia* Euandri Filia, ab Hercule viciata, & ibidem sepulta. Varro & alij apud Servium VIII Aen.
- *Palante*, Hyperborei Filia, quæ ibi habitavit, & ex Hercule Latinum peperit. Quidam apud Festum: ubi pro *Palanto* legendum esse *Palante*, satis docet Solinus cap. II; qui idem hujus Montis Etymon citat ex Sileno.
- *Palatia*, Latini Vxore. Quidam apud Varronem libro IV.
- *Pale*, Pastorali Dea. Quidam apud Solinum cap. II.
- *Palando*. Festus in *Palatium*, quod *Palare* Pecudes ibi solerent.
- *Balando*. Festus ibidem, quod ibi Pecus pascens *Balare* consuerit. Quidam apud Solinum cap. II, quum inquit: *sunt qui a Balatibus ovium*. Sic de nonnullis Servius ad VIII Aeneidos: *Alij*, ait, *a Balatu Ovium Balanteum volunt dictum, exinde per* Ἀντίστοιχον *Palanteum*. Innuit idem Etymon quidam apud Varronem libro 1111, quum sic scribit: *Eumdem hunc locum a Pecore* (vel addo, vel intellego *Balante*) *dictum putant quidam. Itaque Naevius Balantium* (*Balatium* restituit Turnebus libro XX. cap. XXXVI) *appellat*.

Collis Euandrius dicitur à Statio, quod Euander eum habitasse perhibeatur. *Romuleus* appellatur Trebellio Pollioni & Vopisco in Gallieno Minore: unde, notum est. In eo Monte Sedes fuit Imperij & Domus Augustana; unde usuvenit, ut cujusvis Principis Aula, vel splendidioris hominis Domus *Palatium* nominetur. Secundi Montis tria Nomina: Antiquissimum *Saturnius* ab *Saturno*, Aboriginum Rege:
Capitolinus. Varro IV. de LL, Virgilius VIII Aeneid. Festus lib. XVII. Solinus cap. II. Medium, *Tarpeius*; vel à *Tarpeio* Duce, uti canit Propertius lib. IV; Eleg. IV; vel ab *Tarpeia* Virgine, ut vult cum multis alijs Varro libro IV de LL. postremum *Capitolinus*, à *Capite* invento, Varro idem loco indicato. Caput illud *Toli* fuisse scribit Arnobius adversus Gentes lib. VI. *Capitis* inventi Fabulam ad Gentis nobilitatem excogitatam censet Scaliger: & ait *Capitolium* Latinis esse, quod Græcis Ἀκρα. De hoc Mon-
Quirinalis. te eleganter Virgilius libro VIII Aeneid. Mons tertio loco a me nominatus, antiquitus, anteaquam in eum commigrarent Sabini Curibus venientes, dictus *Agonalis*; testibus Dionysio Halic. lib. I & Festo lib. I. & XV, qui emendandus; *Quirinalis* deinde fuit appellatus ab *Curetibus*, Curium Civibus, qui cum Tatio Romam profecti Romanis misti Latiniore voce, ut quidam volunt, *Quirites* vocati. Varro libro IV & Festus lib. XV. Alij sic nuncupatum docent a *Quirino*, ejusque Fano, quod in illò Monte. Festus lib. XV, Horatius libro II Epist. ad Iulium Florum, Ovidius libro II Fastor. Aliæ Montis hujus appellationes, vel, quod malo, Partes, recensentur Varroni libro IV, *Salutaris, Martialis, Latiaris*, ex emendatione V. N. Iosephi Scaligeri. Constantino imperante dici cœpit *Caballinus* ab duabus Statuis Marmoreis Alexandri Magni, Bucephalum domantis; vulgo *Monte Cavallo*. *Vimi-*
Viminalis. *nalis* nomen habet ab *Viminibus*. Festus lib. ultimo de Verbor. signif. & Iuvenalis Satyra III. Varro lib. IV de LL. duplex Etymon tradit vel ab *Iove Viminio*; cujus in
Esquilinus. illo Monte erant Aræ, vel quod ibi *Vimineta*. *Esquilino* nomen inditum vel ab *Excubiis*, quas Romulus, parum fidens T. Tatio, ibi habuit; Varro IV de LL. & Ovidius lib. III Fastorum: vel ab *Excolendo*, quod excultus fuerit ab Ser. Tullio: idem Varro: vel denique ab *Esculis*, quarum fortean ibi ante culturam nonnulla copia. *Esquilias* duos Montes habitos, *Cispium* & *Oppium*, notat Varro IV de LL. ubi *Septimius* etiam Mons, tamquam *Esquiliarum* pars nominatur. Meminit & *Cispii* Paullus Diaconus ex Festi libro III. Quur *Esquiliæ Atræ* Horatio libro II. Satyra VII quur *Salubres* eidem libro I. Sat. VIII, alibi doceo. Hodie Mons *S. Petri ad Vincula*,
Caelius. vel. *S. Mariæ Maioris*. Sextus Mons in ordine nostro varie legitur appellatus. I. *Querquetulanus*, quod quernæ Siluæ frequens fecundusque olim. Tacitus libro IV. Annalium. *Cælius* ab *Cælio* (quem *Cælem* alij nominant) Vibenno Tusco, qui Romulo, vel, ut alij, Tarquinio auxilium tulit. Varro lib. IV. Dionysius lib. II, Festus lib. III, Ta-

III, Tacitus libro IV, Tabula Claudiana Lugdunensis. III *Augustus* ab Ti. Augusto. Caussas indicant & Suetonius in eius Vita cap. XLVIII, & Tacitus libro IV. Annalium. Perijt tertium nomen cum ignominioso Principis fine. Nam multo post *Cælium* vocant Martialis libr. XII & Sex. Rufus in Descriptione XIIII Vrbis Regionum. Septimi Montis item varia Nomina. I *Murcius*, dictus ab Deæ *Murciæ* Sacello. Festus lib. XI. II *Aventinus* ab *Aventino* Rege, vel Aboriginum, ut Servius notat ad Virgil. Aeneid. VII, vel Albanorum, ut tradunt Dionysius lib. I: Livius lib. I. Ovidius lib. IV Fastor. Paullus Diaconus ex Festi libro I, Anonymi apud Varronem libro IV de LL. Messal. Corvinus de Progenie Augusti; vel ab *Avente*, Sabinorum Fluvio, eodem Varrone scribente; vel ab *Adventu*, ut Anonymis videtur apud eundem, quod Montis Etymon maxime probatur Iosepho Scaligero in Appendice ad Varronem; vel denique ab *Advectu*, uti censet ipse Varro lib. IV. *Remurium* etiam hunc Montem fuisse dictum, colligunt nonnulli ex Festi libro XVI. Sed designat Festus Locum in Summo *Aventino*. *Collem Dianæ* ab ejus Templo nominat Martialis lib. VII. Epigr. LXXII & libr. XII. Epigr. XVIII. Nostro ævo *Aventinus* etiam dicitur. Hæc de Septem principis loci Montibus, qui cis-Tiberini; sequuntur qui trans-Tiberim, *Ianiculus* & *Vaticanus*. *Ianiculo* nomen vel ab *Iano*, cujusve Opido vel Arce, scribentibus Macrobio lib. I. Saturnal. cap. VII, Solino cap. VIII, Isidoro libro XV. cap. I. vel ab *Ianua*, quæ ibi quasi ex Latio in Etruriam, ut tradit ex Festi lib. X Paullus Diaconus. Dicitur hodie *Mons Aureus*; *Montorio* vulgo, ab flavis arenis. Hujus Montis talis erat Situs, ut ex eo facile conspici posset ROMA, canente Martiale libr. IV. Epigr. LXIV. Alijs infrequentiorem faciebat Aeris gravitas, ideoque habitabatur plurimum ab vili & sordida Plebecula, Circulatoribus, Scurris, & alijs, qui ignobiliora tractabant. Martialis lib. I. Epigr. XLII. & lib. VII. Epig. XCIII. Vnus eius vertex temperatior erat. Idem Martial. lib. I. Epigr. LXIV. *Vaticanus* dictus putatur vel ab *Vatibus*, ut scribit Festus libro ult. de Verb. signif. vel ab *Vaticinio*, Agellio libr. XVI. cap. XVII; vel ab *Vaticano* Deo, Varroni in libris Divin. rer. apud eumdem Agellium. Celebris hodie est Palatio Pontificio, D. Petri Basilica, Bibliotheca Vaticana, & infinitis admirandæ Antiquitatis Monimentis. Et hæc de Montibus Veteri Muro inclusis: exclusus (quem tamen inclusit serior ætas) restat. *Collis Hortulorum*; sic dictus ab *Hortis* proxime adjacentibus, vel potius à proximis *Hortis Sallustianis*. Dictus etiam fuit aliquando *Mons Pinctus* ab nobilissima *Pinciorum* familia, quæ ROMÆ floruit Constantini Principis tempore. Sunt & alij quidam Montes ROMÆ, vel Monticuli potius. *Citorus* prope Columnam Antonini. Nominis ratio triplex indicatur a Bartholemæo Marliano libro V. Topogr. cap. IV. *Iordanus* haud procul est Citro. *Testaceus* ab *Testis*. Consulendus idem Marlianus libro IV. cap. I. Hæc de Montibus: sequuntur Portæ, quę vel Quadratæ Vrbis, vel Auctæ: Quadratæ Portas nonnulli ponunt tres, nonnulli quatuor. Plinius lib. IV. cap. V. I *Mugionis Porta* ab *Mugitu* Pecoris, Varroni libro IV de LL. *Mugionia* Festo, ab *Mugio* quodam dirivanti; *Mugonia* Solino cap. II. Dicitur & *Trigonia* Verrio Flacco ab tribus Angulis. II. *Romanula* ab ipsa ROMA, Varroni libro IV: *Romana* augustius Festo. III. *Ianualis* ab Iano, Varroni & Festo. *Palatii Portam* nominant Livius libro I & Ovidius in Fastis. IV *Carmentalis* ab *Carmenta* Euandri Matre, Solino cap. II. *Scelerata* postea. Caussam notant Festus, non uno loco, Varro in libris de LL. Servius ad VIII Aeneidos, & alij. Non desunt, qui *Ratumenam* nuncupant ex Festi libro XVI & Plin. lib. VIII. cap. XLVII. Antiquissimis Portis adnumerant quidam *Saturniam*, quæ & *Pandana*, *Salutarem*, *Stercorariam*, *Fenestralem*, *Piacularem*, *Catulariam*: de quibus sententiam meam alibi aperio. Quemadmodum Vrbis Ambitus varios varijs temporibus est consequutus Terminos: sic Stationes etiam suas & Nomina multæ mutarunt Portæ. Portarum enim Vrbis Auctiores aliæ certum Locum hodieque seruant, vel saltem ab antiquo Situ non multum distant; aliæ incertioris sunt Loci. Quæ certioris loci, aliç *Cis-Tiberinæ* sunt, aliæ *Trans-Tiberinæ*. Inter quæ prioris generis, Prima *Flumentana* ab *Flumine Tiberino* dicta, cui hæc Porta vicina. Festus lib. VI. Meminit non semel Livius. Hodie *Porta Populi*, ab *Fano D. Mariæ de Populo*, quod illi adjacet. Secunda *Collatina*, ab *Collatia*, Sabinorum Opido. Festus lib. III. Appellari postea cæpit *Pinciana*, à Palatio *Pincii* Senatoris, quo nomine sæpe Procopio nota. Tertia *Quirinalis*, ab *Quirini* Aede. Hæc & *Agonensis*, *Collina*, *Salaria*,

Aventinus.
Ianiculus.
Vaticanus.
Hortulorum.
Citorus.
Iordanus.
Testaceus.
Portæ Vrbis Quadratæ.
Mugionia.
Romanula.
Ianualis.
Carmentalis.
Vrbis Auctioris Portæ incertioris Loci.
Cis-Tiberinæ.
Flumentana.
Collatina.

Viminalis. Querquetulana. Gabiusa. Esquilina.

ria. Festus lib. I. & xv, Ovidius IV Fastorum, Iuvenalis Satyra VI, Livius lib. V, Procopius lib. I. Quarta *Viminalis*, ab *Viminum* Silva. Festus lib. ultimo. Hodie *S. Agnetis*. Quinta *Querquetulana* Plinio libro XVI cap. X. quæ *Querquetularia* Festo libro XV. Hodie clausa, & nullius usus. Sexta, *Gabiusa*, apud Livium; hodie *D. Laurentij*. Septima, *Esquilina*, cujus frequens apud Veteres Scriptores mentio: dicta ab *Esquiliis*, quibus imposita: olim etiam *Metia*. Sic nominat Plautus in Pseudolo. Item *Labicana* Plinio libro XXXVI, cap. VI & *Prænestina* Procopio lib. I. non uno loco. *Maior* hodie ab Aedificij magnificentia, cui hæc Porta supposita. Plerique hanc fuisse contendunt eam, quæ Veteribus *Nævia*, quod falsum esse doceo varijs Argumentis singulario de Vrbe ROMA Libello.

Cælimontana.

Esquilinæ subit octavo loco *Cælimontana*, ab *Cælio Monte* dicta. Meminit Livius. *Asinariam* appellant Procopius lib. I. & III. de Bello Goth. & Anastasius Biblioth. in Vita Silvestri Papæ. Hodie *D. Ioannis*, ab nobilissimo eius Templo.

Latina. Capena.

Nona *Latina* est, dicta, quod duceret in *Latium*. Meminerunt multi. Decima *Capena*; cui nomen vel ab *Capena Vrbe*, Solino; vel *Capenis Lucis*, Servio ad VII Aeneid Virgil. vel *Camenis*, tamquam *Camena*, Asconio, vel ab *Capua*, ut quidam volunt. Hodie *S. Sebastiani*. Mentio ejus apud infinitos Scriptores.

Trigemina.

Vndecima *Trigemina*, sic nominata, quod *Trigemini* hac egressi contra Albanos. Commemorant crebro Veteres Auctores. *Ostiensis* ab nonnullis vocatur. Hodie *D. Paulli* ab eius Templo.

Trans-Tiberina. Navalis. Pancratiana. Fontinalis.

Et hæc de *Cis-Tiberinis* Portis: sequuntur *Trans-Tiberinæ*, quarum Prima, vel inter omnes Duodecima; *Navalis* dicitur, ab *Navalibus*, Festo libro XII: *Portuensis* Procopio, aliisque à *Portu Romano*, de quo alibi. Decimatertia *S. Pancratij* hodie; *Pancratiana* Procopio lib. I. *Ianiculensis*, ut quidam volunt, Veteribus. Decimaquarta *Fontinalis*, cujus mentio apud Festum lib. VI, & Livium libro XXXV. Sic Lapis, qui ad Viam Appiam:

DIS. MANIBVS
A. APIDI
MAIIORIS
TABELLARI
A. PORTA
FONTINALI

Triumphalis.

Decimaquinta *Triumphalis*, ab *Triumpho*, qui per eam ducebatur. Meminerunt Suetonius in Augusto cap. C. & Tacitus lib. I: An & Basis Prænestina in Domo Episcopi?

FORTVNÆ. SANCTÆ
ATINIA. TYRANNIS
SEMINARIA. A. PORTA
TRIVMPHALE
P. TERENTIVS. FORTVNATVS
VIR. CLARISSIMVS

Aurelia.

Et quæ ibi sequuntur. Decimasexta *Aurelia*, ab Via, quæ per eam exibat. Dicebatur & *S. Petri*, quod eius Templo propinquior. Videndus omnino Procopius.

Portæ incertioris loci. Nævia. Randuscula. Lavernalis. Minucia. Sanqualis.

Portas aperui, quarum locus certior; sequuntur, quæ incertioris: *Nævia*, quod in *Nemoribus Nævijs*, Varroni lib. IV. de LL. Contra Varronis autem mentem, & Portarum apud eumdem ordinem, nonnulli Antiquarij *Næviam* confundunt cum ea, quæ hodie dicitur *Maior*. *Randuscula*, quod ærata fuerit. Aes enim *Raudus* dictum, testibus Varrone IV. de LL. & Valerio Maximo lib. V. cap. VI. Aliunde dirivat Paullus Diaconus. quem adi. *Lavernalis* ab *Ara Laverna*. Varro IV de LL. *Næviam* autem Portam eamdem fortean esse cum *Latina*; *Randusculam* cum *Capena*, *Lavernalem* cum *Trigemina*, doceo in mea Vrbis Topographia. *Minucia*, quod proxima Sacello vel Aræ Dei Minucij. Fest. lib. XI. Meminit Lampridius in Commodi Vita. De hujus Etymo quid sentiam, plenius expono in mea ROMA. *Sanquales Porta*, inquit Festus, lib. XVII. *appellatur proxima Aedi Sangi*. Sic enim emendandum. Eadem forte cum *Collina*, ut alibi doceo. Montes indicavi; portas aperui: postulat ordo,

Viæ Romanæ. extra Vrbem. Flaminia. cuius partes Aemilia Lepidi. Postumia. Cassia.

ordo, ut in *Vias* excurram. Inter ea, quæ Reip. utilissima ab Romanis quomdam excogitata, non postremo loco censendæ sunt *Viæ*: quarum Magnificentia per totam Italiam tanta fuit, ut *Viarum* Straturam tribus Fabricarum Romanæ Reip. Miraculis adnumeret Dionysius Halicarnass. lib. III Antiq. Rom. *Viarum* aliæ *extra*, aliæ *intra Vrbem*. In ijs enumerandis idem mihi servabitur ordo, qui in recensendis servatus Portis. Ordiar ab *Flaminia*, cuius principium à Porta Flumentana. Auctor eius alijs fuisse scribitur *C. Flaminius* Censor, anno ab V.C. ᴐxxxiii. L. Veturio, C. Lutatio Coss. Epitoma Livij libri xx, Paull. Diacon. ex Festi lib. vi, Cassiodor. in Chronico: alijs *C. Flaminius*, Superioris Filius, Consul cum M. Aimilio Lepido, anno ab V.C. ᴐ lxvi. Strab. Geograph. lib v. Per Vmbriam & Tusciam multaque nobilia Opida ducebat Ariminum usque. Strabo lib. v, Antonini Itinerarium, Suetonius in Augusto cap. xxx. Meminerunt præter alios Ovidius de Ponto libro II. Eleg. ix Martial. lib iv Epigr. lxiv. & lib. ix. Epigr. lviii, Festus in sacrum, Itineraria Tabula ad Vrbem Romam, Ab hac Via Galliæ Togatæ Regio *Flaminia*. Ab *Flaminia* oriebantur, vel jungebantur illi, vel in ipsam incidebant Variæ: inter quas primi facile loci *Aemilia Lepidi*, strata ab *M. Aemilio Lepido* Cos. anno ab V.C. ᴐlxvi Strabo lib. v. Initium illi ab fine *Flaminiæ*: excurrebat enim ab Arimino per multa Opida Bononiam, & inde Aquileiam usque, per Alpium radices, ducto per gyrum circa Paludes opere. Strabo indicato loco. Paullo sequius de ea Livius lib xxxix. Meminit cum alijs Capitolinus in Pertinace. Hæc Via Galliæ Togatæ Regioni nomen dedit *Aemiliæ*. Videndus Martialis lib. iii. Epigr. iv & lib. iv. Epigr. lxxxv *Postumiam Viam* in Gallia Togata haud procul Cremona & Hostilia, versus Flaminiam & Aemiliam, fuisse stratam, colligitur ex Tacito. Eiusdem classis *Via Cassia*, ab *Cassio Longino* Censore anno i x ix strata, vel ab *L. Cassio Longino* Censore item ᴐ c xxviii. Paullus ex Festi lib. iii. Mentio eius apud P. Victorem Committere non possum, quin huic loco Lapidem adponam, qui Auximi in Piceno (*Osmam* hodie vocant, decimo ab Ancona miliari) cum multis alijs visitur: quod cum *Cassia Via*, tum aliarum inibi fiat mentio.

C. OPPIO. C. F. VEL
SABINO. IVLIO. NEPOTI
MI. VIBIO. SOLEMNI. SEVERO

COS

ADLECTO. A. SACRATISSIMO. IMP.
HADRIANO. AVG
INTER. TRIBVNICIOS. PR. PEREGR
CANDIDATO. AVG
LEG. PROV. BÆTICÆ. CVR. VIAR
CLODIÆ. ANNIÆ. CASSIÆ
CIMINÆ. TRIVM. TRAIANARVM
ET. AMERINÆ. LEG. LEG. XI.
CL. P. F. LEG. AVG. PR. PR
PROVINC. LVSITANIÆ
PROCONS. PROV. BÆTICÆ
PATRONO. COL
LEONAS. LIB
ADCENSVS PATRONI
ET. IN. DEDIC. STATVÆ
COLONIS. CENAM. DEDIT

Ciminæ Traianæ tres. Amerina.

Clodia. Annia.

Quas Lapis nominat *Vias*, Partes videntur fuisse *Flaminiæ*. *Claudiam* certe vel *Clodiam Flaminiæ* iunctam, testatur Ovidius lib. I. de Ponto: & ex *Flaminia* clare oritur in Itineraria Tabula. Meminit & Capitolinus in Vero Imperatore. Ex *Annia* iuxta

Augusta. *Flaminiam*, ortum duxisse *Augustam*, indicat Inscriptio, quæ ab alijs jam publici facta juris. Nescio an harum numerum referenda etiam *Aemilia Scauri*, quam *M. Aemilius Scaurus*, Censor anno IↃCXLIV, duxit per Pisas & Lunam usque ad Sabbatos, quæque inde Derthonem tendebat, uti de ea scribit Strabo lib. v. *Viam Flaminiam* proximo loco sequitur inter Vias Principes, id est, quarum initia in ipsa Vrbe, vel ab Vrbis Portis, *Collatina* dicta, quod duceret *Collatiam*. Meminit Frontinus de Aquæductibus. Tertiæ inter Principes *Viæ* Nomen *Salaria* ab *Sale*. Paullus ex Festi lib. xvii & Plinius lib. xxxi. nat. Hist. ca. vii. Initium eius ab Collina Porta, notante Tacito lib. xix. Stratam fuisse per Sabinos non magnæ longitudinis, tradit Strabo lib. v. *Via Salaria* memoriam servat contrata Tabula, quam ex pavimento Sacelli, quod est ad Templum S. Gregorij in Cœlio Monte exceptam posui lib. ii. cap. xvii, ubi de Asturia, Hispaniæ parte. *Pontis* etiam *Via Salaria*, tertio ab Vrbe lapide super Anienem strati, meminit, præter alios & Itinerariam Tabulam, Inscriptio, quam cum alia conspiciendam dedi capite huius libri xi, quod de Fluminibus Italiæ. *Quinctiam* & *Iuniam* iisdem regionibus, quibus *Salaria*, fuisse, indicat Dionys. Halicarn. lib. i. De *Quinctia* Vetus Marmor in Onuphrij Panuinij Commentarijs:

Et Aemilia Scauri.

Collatina.

Salaria.

Quinctia [illegible] & Iunia.

C. CVRTIVS. P. F. PAL. NERVA. IIII. VIR
P. SILIVS. P. F. ANIEN. PÆTINVS. IIII. VIR
C. RVSTIVS. C. F. QVARTVS. VEL. IIII. VIR
T. FLAVIVS. T. F. ARN. SABINVS IIII. VIR
ARAM. ET. SIGN. VIA. QVINCT. D. D

Nomentana, quæ & Ficulnensis. Quarti in Principibus Vijs loci est *Nomentana*, quæ *Nomentum* ducebat. Ovidius lib. iv. Fastorum. Antiquitus dicebatur *Ficulnensis*, Livio teste lib. iii. Apud Fretum Sabinorum Opidum, supra Tiberim jacens, in *Viam Salariam* incidebat. Strabo lib. v. Meminerunt Suetonius in Nerone, cap. xlviii & Itineraria Tabula. Quinta Principum *Tiburtina* est in eadem Tabula, *Tibur* ducens, hodieque: *Tiburs* nominatur Horatio lib. i. Serm. Sat. vi. Inscriptio Tarraconensis in Templo S. Michaelis:

Tiburtina, vel Tiburs.

L. OVINIO. L. F. QVIR
RVSTICO. CORNELIANO
COS. DES. PRÆT. INTER
TRIBVNICIOS. ADLECTO
CVRAT. VIAE. FLAMINIAE
LEG. LEG. VII CL. IN. MYS. INFERIOR
CVRAT. VIAE. TIBVRTINAE

Gabina. Et quæ ibi alia. Sexta, *Gabina*, quæ *Gabios* tendebat. De ea Livius lib. ii & v. Brevem notat Strabo lib. v. Vltra viii ab Vrbe Miliarium excurrisse docet Livius eodem lib. v. Septima, *Prænestina*, *Præneste* ducens, cui initium a Porta Esquilina. Ibi enim hodieque Via bifurcata, cuius sinistrum Cornu *Præneste*, dextrum *Labicos* vadit. Videndi Strabo lib. v & Capitolinus in Gordiano iii. Vitiose *Prentina* scribitur in Itineraria Tabula. Octava, *Labicana*, quæ *Labicos* à Porta, quam jam nominaui, ducebat. Meminit Spartianus in Iuliano, sub finem. *Lavicanam* præfert Itineraria Tabula. Nonam habet inter Principes Stationem *Campana*, quæ à Porta Cœlimontana *Capuam* vel in *Campaniam* ibat. Mentio eius apud Suetonium in Augusto cap. xciv, ubi legendum *Campana Via*. Memoratur & cum *Ostiensi* in Inscriptione quadam Neapolitana:

Prænestina.

Labicana.

Campana.

M. BASSAEO. M. F
PAL. AXIO
PATR. COL. CVR. R. P
II VIR. MVNIC. PROC. AVG
VIAE. OST. ET. CAMP

Reliqua lege cap. XXXII, ubi de Hydrunto. Ex *Via Campana* exibat *Tusculana*, quæ *Tusculum* petebat. Vide Albium Tibullum lib. I. *Valeriam* etiam hac parte fuisse, paret ex Strabonis libro V. Duas autem *Valerias* habet P. Victor in Vrbis Topographia. Decimo loco occurrit *Latina*, per quam iter erat in *Latium*. Initium illi à Porta cognomine. *Latia* dicitur Martiali lib. IX Epig. XXCV; *Ausonia* fortean eidem eodem libro, Epig. CIV. De *Latina* Lapis, quem Bræciæ conspici in Hungaria, testatur Onuphrius Panuinius. Viam hanc mediam fuisse inter *Valeriam* & *Appiam* prodit memoriæ Strabo lib. V. Mentio ejus apud Festum in Sacram & Retricibus, inque Tabula Itineraria. *Albana* etiam principium habuisse videtur à Porta Latina, vel talem ab ipsa *Latina Via*. Describit περιφραστικῶς Tibullus lib. I. Elegiarum. Vndecima inter Principes est *Appia*, sic dicta à Prænomine *Ap. Claudij Cæci*, qui Censor eam stravit. Testes Livius lib. III, M. Tullius pro Milone, Paullus ex Festi libro I, Procop. lib. I, Pontius Paullinus, & alij. Initium ejus à Porta Capena, notantibus Paullo Diacono & Frontino de Aquæductibus; quin intra Vrbem ab Septizonio Severi, indicante Spartiano in Vita Getæ Imp. Protenditur Capuam apud Frontinum de Aquæduct. lib. II, & Brundisium apud Tacitum lib. II. Annalium, Strabonem lib. V, Horatium lib. I. Epist. II, Auctorem de VV: Inlustrib. cap. XXXIV. Longitudinem, Latitudinem, & alia hujus Viæ singularia delineat Procopius lib. I. Statio ad Pollium scribenti dicitur

[in margine: et qua Tusculana, & forte Valeria. — Latina. — ad quam Albana. — Appia.]

—— *Longarum Regina Viarum.*

Restituerunt *Trajanus*, unde & pars *Appiæ Traiana* dicta versus Paludes Pomtinas, teste Dione: & *Antoninus Pius*, ut indicat Inscriptio Pontis, super Amnem Vulturnum. Meminerunt hujus *Viæ* nulli non Scriptores, ut & Itineraria Tabula. Vicinam *Appiæ Minuciam* facit non obscure Horatius lib. I. Epodon ad Lollium. Memorat M. Cicero ad Atticum. In *Appiam* etiam incidisse *Viam Domitianam* innuit Statius Papinius, qui ejus meminit in Campania, Neapolim versus, in Proœmio lib. IV Silvarum. Scribit de hac Via ad Abrahamum Ortelium Celsus Cittadinus Angelerius his Verbis: *Domitiana Via hodie fere integra permanet: initium habens a Via Appia & in ejus dextra a Ponte Vulturni. prope ubi sunt Casilini reliquiæ, & finem habet Puteolis. Longa est XX M. P. Recta est a Vulturno Linternum usque, nunc vulgo La Torre di Patria. Nam inter ruinas Sepulcri Scipionis repertus fuit Lapis, in quo scriptum erat hoc Verbum tantum* PATRIAM: *reliqua nimio adtritu legi non poterant.* Duodecimam Principum facio *Asinariam*. Eam à Porta, quæ quomdam Asinaria, exijsse vero est simile. Finisse inter *Latinam* & *Ardeatinam* ostendit M. Porcius Cato apud Festum lib. XVI. in Retricibus. Decimamtertiam statuo *Ardeatinam*, quam post *Asinariam* fuisse colligitur ex Catonis verbis, quæ apud Festum loco, quem dixi. Dicta ab *Ardea*, quo ducebat. Decimamquartam habeo *Laurentinam*, cujus caput ab Radicibus Aventini. Ibat autem *Laurentum*. Ovidius lib. II Fastor. Facit ejus mentionem & Plinius lib. II. Epist. XVI. Principibus etiam concensenda *Ostiensis*, quæ *Ostiam* versus erat strata. Frequens ejus mentio apud Procopium. Loquitur & de ea Lapis Neapolitanus, quem paullo ante posui. *Hostensis* appellatur vitiose in Tabula Itineraria. Hactenus *Cis Tiberinas* memoravi: sequuntur *Trans-Tiberinæ*; quarum Prima *Portuensis*, a *Portu Romano*, de quo in Tuscia. Meminit P. Victor. *Vitellia*, quæ ex Ianiculo, & fortean ex Porta Pancratiana, exiens ducebat ad Mare. Innuit Suetonius in Vitellio, cap. I. *Aureliæ* erant duæ, *Vetus* & *Nova*. Habet utramque cum *Cornelia* & *Triumphali* Lapis, qui Tibure visitur, in Aede D. Pauli:

[in margine: cui concensendæ Traiana. — Minicia. — Domitiana. — Asinaria. — Ardeatina. — Laurentina. — Ostiensis. — Trans-Tiberinæ Portuensis. — Vitellia. — Aurelia Vetus & Nova.]

C. POPILIO. C. F. QVIR. CARO
CEDONI. COS. VII. VIR. EPVLON
SODALI. HADRIANALI. LEGATO
IMP. CAES. ANTONINI. AVG.
PII. PROPR. GERMANIÆ. SVPER. ET. EXER
CITVS. IN. EA. TENDENTIS. CVRATOR
OPER. PVBLICOR. PRÆF. ÆRAR. SATVR
CVRATORI. VIAR. AVRELIÆ. VETERIS. ET
NOVÆ. CORNELIÆ, ET. TRIVMPHALIS

Et quæ ibi alia: nam pleniorem alibi laudo. Exisse videntur ex *Porta Aurelia*. Meminerunt P. Victor, & non semel M. Tullius, præsertim Philipp. XII, Eutropius, Capitolinus in Antonino Pio, Itineraria Tabula. Ab *Aureliis* haud procul fuisse *Corneliam*, indicat Inscriptio à me posita, junctim eas nominans. Sic duæ Statuarum Bases, quarum altera in Hortis Cæsianis servatur, altera in Palatio, quod vulgo *Della Capranica* audit, abjecta jacet:

C. SALLIO ARISTÆNETO. C. V.
SEPTEMVIRO EPVLONVM
SODALI. AVGVSTALI. IVRIDICO
PER. PICENVM. ET. APVLIAM
CVRATORI. VIARVM. AVRELIÆ
CORNELIÆ. TRIVMPHALIS

C. SALLIO. ARISTÆNETO. V. C
SEPTEMVIRO. EPVLON. SODALI
AVG. IVRID. PER PICENVM. ET
APVLIAM. CVRATORI. VIAR
AVREL. ET. CORNELIA. TRIVMPHA
LIS

Integriores dabo aliis locis. *Corneliæ* succedit *Triumphalis*. Eum enim trium *Viarum Aureliæ, Corneliæ* & *Triumphalis* ordinem præferunt, quæ posui, Monimenta. Caput habebat à *Ponte Triumphali*, cujus vestigia hodieque in medio Tiberi. Meminerunt D. Hieronymus & Damasus in Vita Petri Apostoli. Vt *Extra-Vrbanas* finiam, P. Victor sex *Vias* nominat, quæ quibus locis fuerint, omnino ignoratur; *Patinariam, Tiburtinam, Galli anam, Gallicam, Laticulensem*, & *Flaviam*. Hæc igitur de *Viis*, quæ extra Vrbem: sequuntur *Vrbanæ*, quæ VII numero. Inter eas *Sacra* censeri solet nobilissima, & maxime celebris: dicta, quod in ea fœdus ictum inter Romulum & Tatium Reges; vel quod eo itinere uterentur Sacerdotes Idulium Sacrorum conficiendorum caussa. Festus lib. XVII. Oriebatur è Carinis. Varro lib. IV. Via hæc non integra, sed Pars tantum ejus Vulgo Romano erat nota, teste ibidem Varrone: ea scilicet, quæ erat eunti à Foro, proximo Clivo: in antiquissimo Codice legitur, *Primore Clivo*: Ego restituendum puto *Proxima Cirvo*, scilicet Capitolino vel Tarpeio. Meminerunt non pauci: quin & in antiquis Lapidibus frequens ejus memoria.

Triumphalis.

Via Vrbana. Sacra.

In Hortis S. Sebastiani ad Viam Appiam, Tab. marmorea:

D. M.

DECIMIORVM FAVSTI
ET. FORTVNATI CABATORES
DE. VIA SACRA FECERVNT
SIBI. ET. LIBERTIS LIBERTA
BVSQVE POSTERISQVE. EOR
VM

In Insula Tiberina, in Templo S. Bartholomæi:

D. M:

SETLIÆ. NICES
VIX. ANN. XXXV
MENS. VI. DIEB. XXI
C. SETLIVS. ONESIMVS
FLATVRAR. DE. VIA. SAC.
CONIVGI. B. M. F.

Sic Tabula in domo Latini Iuvenalis:

M. AEDICIVS IVCVNDVS
AVRIFEX. DE
SACRA VIA. VIX. A. XXX

CLODIA. CYPARE
DVLCISSIMA. SOROR
C. ÆDISCVS. PRISCVS

Summam Sacram Viam nominat Varro lib. I. de Rust. cap. II. quæ eidem *Sacra Viæ Caput* lib. IV, de L.L. *Sacravienses* Festo in *October Equus*, qui *Sacram Viam* habitabant. *Via Nova* duplex videtur ROMÆ fuisse: una quidem ad Forum Romanum: altera vero ad Velabrum inter Palatinum & Aventinum Montes. Prior illa juncta fuit Foro Romano, canente Ovidio libro VI Fastor. De ea Livius lib. I. Posterior in Velabro, de qua Varro lib. IV. Hæc fortassis *Nova Via* est, cujus Caput ponit in XII Vrbis Regione P. Victor: unde etiam Spartianus *Novam Viam* agnoscit sub Thermis

Nova.

Thermis Antoninianis quæ in eadem erant Regione. *Via Fornicata* Situm indicat *Fornicata.*
Livius lib. xxii. Meminit Julius Obsequens de Prodigijs cap. xxxii. *Viam Latam* *Lata.*
Augustus unam fecit ex xiiii Vrbis Regionibus. Ejus frequens mentio apud Ana-
stasium Bibliothecarium. *Via Recta* ducebat per Longitudinem Campi Martij. *Recta.*
Meminit Seneca de Morte Claudij. Fuisse vicinam *Flaminiæ*, indicat Martialis *Alta.*
lib. viii. Epigr. lxxv. *Alta Via* vel *Semitæ* vestigia hodieque visuntur in Dorso Qui-
rinalis. Eam Augustus Sextam fecit Vrbis Regionem, ut indicat P. Victor. Post
Vias in proposita Methodo promisi *Aquas*. De *Tiberi* dixi, quum Generalia explica- *Pontes.*
rem. Habebat autem Is suos in Vrbe *Pontes*: quorum hodie restant *Aelius*, *Janicu-
lensis*, *Tarpeius*, *Cestius*, *Palatinus*: duorum *Triumphalis* & *Sublicij* vestigia tantum ad
parent. *Aelius Pons* dictus ab *Aelio Hadriano Imp.* qui Pontem hunc eo loco, quo ho- *Aelius.*
die visitur, exstruxit; ut commodius per illum adiri posset superbissimum ipsius Se-
pulcrum, in altera Fluminis ripa positum. Spartianus in ejus Vita. Hodie *Pons Ca-
stelli* & *S. Angeli* appellatur. Hunc Pontem Nicolaus v. P. M. Domunculis quibus-
dam submotis, ampliorem reddidit. Alexander vi angustissimam Portam sustulit,
aliamque fecit augustissimam. *Janiculensis* Pons dictus, quod per eum ex Vrbe in *Jani-* *Janiculensis.*
culum esset aditus. Meminit P. Victor. Reparavit *Aurelius Censor*, qui *Aurelium*
nuncupavit. Traditur hic *Pons* Marmoreus factus ab Antonino Pio Imp. Civilibus
vero Bellis scribitur idem demolitus, & *Ruptus* deinceps appellatus. Restitutum in-
de Sixtus iv. P. M. ab suo nomine, quod hodieque retinet, *Sixti* dixit *Pontem*. *Tar-* *Tarpeius.*
peius ab *Tarpeio* vocatus Monte, cui ad occasum proximus. Restituisse *L. Fabricium*,
loquitur Elogium, quod ibi legitur his Verbis:

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR

FACIVNDVM. COERAVIT IDEMQVE
PROBAVIT

Q. LEPIDIVS. M. F. M. LOLLIVS. M. F. COS. EX. SC. PROBAVERVNT

Ab eo *Pons* appellatus *Fabricius*; cujus meminerunt P. Victor, Horatius lib. ii. Sat.
iii, & ibi Vetus Commentator. Dicitur hodie *Pons quatuor Capitum*, à *quatuor Capi-
tulis*, vel *Simulacro Quadrifronti*, quod adscendentibus Pontem ab sinistra sese of-
fert. Corruptum restituit Paullus iii. P. M. *Cestius* is est, qui Insulam conjungit *Cestius.*
cum Janiculo & Trans-Tiberina Regione. Mentio ejus apud P. Victorem. Instau-
ratum aliquando ab Valentiniano, Valente & Gratiano Impp. Benedictoque Se-
natore indicant Inscriptiones, quæ hodieque à dextra sinistraque Pontis:

DOMINI. NOSTRI. IMPERATORES. CÆSARES

FL. VALENTINIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS
GERMAN. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. III. P. P. P. ET
FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPEC. AVG. PONTIF. MAXIMVS. GERMANIC.
MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET
FL. GRATIANVS. PIVS FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS.
GERMANIC. MAX. ALAMAN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. CONS. PRI-
MVM. P. P. P. PONTEM. FELICIS. NOMINIS. GRATIANI. IN VSVM. SEN. AC. POP. RO. CONSTITVI. DEDICARIQVE
IVSSERVNT.

Ibidem in Basi, Litteris rudibus & inæqualibus.

BENEDICTVS. ALME
VRBIS. SVMM9 SENAT
OR. RESTAVRAVIT. HVN
C. PONTEM. FERE DIRV
TVM

Vocatur hodie *Pons S. Bartholomæi*, ab vicino ejus Divi Templo, quod olim fuerat *Palatinus.*
Aesculapij. Infra Insulam Tiberinam ad Passum lxxx visitur Pons, qui olim *Pala-*

tinus, quod *Palatino Monti* proximus esset. Meminit P. Victor. De hoc *Ponte* capiendus Livius libro xxxix. Dictus legitur & *Pons Senatorum*. Vocatur hodie *D. Mariæ Aegyptiacæ*, ab ipsius vicino Templo. Dixi duorum etiam *Pontium* vestigia & Pilas aliquot hodieque cerni in medio Tiberi. Eorum, quæ prope Vaticanum, ad teli jactum infra Pontem Aelium, è regione Hospitalis S. Spiritus, fuerunt olim *Pontis Triumphalis*; sic dicti, quod Imperatores quomdam *Triumphantes* per hunc *Pontem* in Vrbem inveherentur. Meminit Iosephus, Triumphum delineans Vespasiani Imperatoris de Iudæis. *Vaticanus* etiam legitur appellatus à proximo Monte. Alterius *Pontis* hodie etiam consumti Vestigia cernere est pedibus sexcentis infra Pontem Palatinum. Is fuit *Sublicius*, omnium antiquissimus. Auctor ejus Ancus Marcius, qui Ianiculum hoc *Ponte* cum Vrbe conjunxit. Livius lib. I. Florus lib. I. cap. IV, & alij. Paullo post partam libertatem, solo Horatio vim Etruscorum sustinente, ægre, quod Clavis compactior, fuit revulsus: ideoque in eius restauratione religiosum fuit Clavos addere. Testatur Plinius lib xxxvi, cap. xv. *Sublicius* dictus, ab *Sublicis*, de quibus Cæsar. *Aemilius* inde & *Pons Lepidi*, ab *Aemilio Lepido*, III-Viro Reip. const. qui Primus eum lapideum fecit. Ita meminit P. Victor, non uno loco; ut & Lampridius in Vita Heliogabali. Disiectum impetu Fluminis restituit Tiberius Cæsar. Marmoreum fecit Antoninus Pius. Adeundus Capitolinus in ejus Vita. Et inde hodieque ipsius reliquiæ Romanis vocantur *Ponte Marmorato*. Putant nonnulli *Pontem* hunc appellatum olim *Sacrum* & *Pontem Herculis*. Consulendus, quem Dionysius Halicarnassæus in Antiquit. Romanis laudat, Epicardus. Superioribus *Pontibus* addo *Mulvium*, quem Tiberis habet duobus ab Vrbe Pass. Milibus, in Via Flamiana. Auctor ejus M. Aimilius Scaurus, uti scribunt Auctor de VV. Inlustr. cap. LXXII & Ammianus Marcellinus lib. XXVII. Meminerunt hujus *Pontis* Silius Italicus lib. II. Claudianus de Honorij, Sextum Consulatum adepti, in Vrbem introitu, & alij. In antiquioris notæ & scripturæ libris M. SS. vocatur *Malvius*: hodie *Mole* Italis. Fornices habet magnos quatuor, binos mediocres, totidemque parvos. Reliquarum *Aquarum*, præter Tiberim, quæ in Vrbe quomdam, aliæ dici possunt *Religiosæ*, aliæ *Profanæ*. *Religiosæ*, quæ Sacris Vsibus plurimum erant consecratæ, ut *Iuturna*, *Almo*, *Petronia*, *Mercurij Aqua*. *Iuturnæ* nomen ab *Iuturna*, Italiæ Fonte prope Numicum, saluberrimæ Aquæ, eamque ob caussam ad omnia Sacra Romam adferri solitæ. Legendi Varro lib. IV. de LL. & Servius ad librum Aeneidos XII. P. Victor *Iuturnæ Pontem* vel *Lacum* collocat in VIII Vrbis Regione, id est in Foro; quod & alij confirmant; inter quos Ovidius VI Fastor. *Lacum Iuturnæ* designat Plautus in Curculione Act. IV. Sc. I.

Triumphalis. *Sublicius.* *Molvius.* *Aquæ.* *Iuturna.*

Confidentes, garrulique & malivoli supra Lacum.

Frustra enim *Lacum Curtium* quidam interpretantur, qui tempore Plauti nullus erat. Alij exaudiendum putant *Lucrinum*, alij *Servilium*. *Almo Fluvius* fuit Romæ in I. Vrbis Regione, teste P. Victore. Erat enim extra Portam Capenam; & non procul ab Vrbe cum Tiberi miscebatur. Ovidius IV Fastor. Inter *religiosas Aquas* habitus, quod quotannis pridie Kalendas Apr. Mater Deum in eo lavaretur. Ovidius ibidem, & Alij. *Almo* brevissimi erat Cursus, unde *Parvus Almo* Lucano lib. I. & *Rivulus* Prudentio in Martyrio Romani; & inde *Minor Fluvius* vel *Amnis* dicitur Ovidio respectu Tiberis, loco, quem notavi. *Petroniam Amnem* describit Festus lib. XIV. de Verbor. signif. *Mercurij Aquam* elegantissime delineat Ovidius V. Fastorum. *Profanas* nomino, quæ quotidianis Vsibus erant dedicatæ. Eas in Vrbe quomdam fuisse XXIV testatur P. Victor, is, quem pleniorem edidit Onuphrius Panuinius. Nam Vulgati Codices agnoscunt tantum XX, alij XIX, ut & Sex. Rufus, V. C. qui Diocletiani tempore vixit. An autem tot fuerint, an etiam plures, non facile divinari potest. Certe pauciores fuisse constat ex Frontino, qui vix ultra X nominat. Mihi præter alias lectæ *Appia*, *Anio Vetus*, *Marcia*, *Tepula*, *Iulia*, *Crabra*, *Virgo*, *Alsietina*, *Augusta*, *Claudia*, *Anio Novus*, Aliæ. *Appiæ* nomen ab *Ap. Claudio Crasso*, qui postea *Cæcus* cognominatus. Is enim Censor, ut scribit Frontinus, anno ab V. C. CCCCXLI post initium Belli Samnitici anno XXX (sic enim pro XX legendum) Coss. M, Valerio Maximo & P. Decio Murena (reponend. *Mure*) hanc *Aquam* in Vrbem induxit. Ejus Venas Primus invenerat C. Plautius Collega Ap. Claudij in Censura, cui ab illo studio *Venocis* cognomen datum. Caussam indicat Frontinus, quur

Almo. *Petronia.* *Mercurij Aqua.* *Appia.*

Aqua

Aqua nihilominus *Appia*, non vero *Plautia* fuerit dicta. Auctorem huius *Aquæ* nominat etiam *Appium* Pomponius IC. in l. 2. §. 36. De orig. iuris, ubi tamen manifesta in *Appio* ἀνιστοριογραφία. Cōcipiebatur in Agro Lucullano Via Prænestina inter Lapidem ab Urbe VI & VIII, diverticulo sinistrorsus passuum ꟾↄXXC. Eius, quam secundo posui loco, nomen varie proferebatur: alijs *Anio*, alijs *Anien*, nonnullis *Anienus*; & hinc varia inflexio, *Anionis*, *Anienis*, *Anienis*. *Anio Vetus* vocatus ad differentiam *Novi*, qui postea ab Claudio ductus. *Veterem* Urbi intulit M'Curius Dentatus Censor cum L. Papirio Cursore, anno ab V.C. CCCCLXXXI, L. Papirio Cursore II & Sp. Carvilio Maximo Coss. ex Manubijs de Pyrrho captis, teste Frontino: apud quem concipitur supra Tibur XX. Miliario. Tubulus plumbeus Romæ: *Anio Vetus.*

ANIO. VET. L. VALERIO. SER. OP

PLVMB. P. D. CCIX

Ductis jam in Urbem *Appia* & *Aniene Vetere*, quum incrementum Urbis exigere videretur majorem Aquæ modum, *Marcio* (sic enim apud Frontinum legendum est, pro *M. Titio*) mandatum ab Senatu est, ut curaret, quatenus alias Aquas posset, in Urbem perduceret, & ampliores Ductus faceret. Tertio igitur miliario opera Fabrorum eam duxit, cui ab ipso nomen *Marcia*, scribente præter Frontinum Plinio libro XXXVI, cap. XV: qui etiam lib: XXXI. cap. IV. notat *Aufeiam* olim dictam; Fontem vero *Picentiam*. Meminerunt *Aquæ Marciæ* Martialis lib. IV. Epig. XIX, Propertius lib. III, & alij. Leguntur de ea Romæ Inscriptiones, ad Portam Esquilinam: *Marcia.*

IMP. CÆSAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS

PONT. MAXIMVS. COS. XII

TRIBVNIC. POTESTAT. XIX. IMP. XIIII

RIVOS. AQVARVM. OMNIVM. REFECIT

Alia:

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS PIVS. FELIX. AVG. PARTHIC. MAXIM. BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS

AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE. EXCISIS. ET. PERFORATIS. MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO. ETIAM. FONTE. NOVO. ANTONIANO

IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCENDAM. CVRAVIT.

Alia:

IMP. TITVS. CÆSAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX,

TRIBVNICIÆ. POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DESIG. VIII

RIVOM. AQVÆ. MARCIÆ. VETVSTATE. DILAPVM. REFECIT

ET. AQVAM. QVÆ. IN. VSV. ESSE. DESIERAT. REDVXIT

Sic Tubulus plumbeus, Romæ repertus ad Portam S. Laurentij:

P. CORNELIO. DOLABELIA. C. IVN. SILANO. COS

AQV. MAR

Alius item cum multis alijs repertus nuper sub Aquæ Marciæ Ductibus in Vineis, ubi olim Castra Prætoriana, inter Portas Viminalem & Tiburtinam:

C. AQVILIO. SABINO. II
SEX. AVR. ANVLLINO COS

CASTER. PRAET. L. VRVAS. OFF. PED. CCCLXXXIII

AQVA. MARC.

Tepula. *Aquam*, cui *Tepula* nomen, in Vrbem perduxerunt Cn. Servilius Cæpio & L. Cassius Longinus Ravilla, Censores; M. Plautio Hypsæo (sic enim apud Frontinum est scribendum) & Fulvio Flacco Coss. anno ab V. C. ID CXXIIX. Concipiebatur in Agro Lucullano, qui quibusdam Tusculanus, Via Latina, XI ab Vrbe milliario. *Iulia.* *Iuliam* appellatam censent plerique, quod ab *Iulio*, incertum quo, fuerit inventa; ab Agrippa deinde ex varijs Venis conlecta in Agro Tusculano, & in Vrbem deducta, Via Latina, ad Milliarium ab Vrbe XII; Imp. Cæsare Augusto & M. Lælio Volcatio Coss. anno ab V. C. IↃCCXIX. Legendus Frontinus. Eius Ductus videtur fuisse *Crabra.* is, qui à Porta Esquilina progreditur hodieque ad C. Marij Trophæa. Præter Caput *Iuliæ* transfluebat *Crabra*. Hanc, Frontino scribente, Agrippa omisit, seu quia usum improbaverat, seu quod Tusculanis Possessoribus relinquendam crederet. Memi- *Virgo.* nit Cicero oratione contra Rullum & libro XVI. Epist. XVIII. *Aquam Virginem*, uti Frontinus notat, in Vrbem adduxit Agrippa, C. Sentio & Sp. Lucretio Coss. post annum XIII, quam *Iuliam*. *Virgo* dicta, quod Herculaneum Rivum refugerit, ut censet Plinius lib. XXXI. cap. III. vel quod quærentibus Aquam Militibus eam, ut Frontinus vult, *Virgo* monstrarit. Concipiebatur Via Collatina, teste Frontino, ad milliar. VIII. palustribus locis: Viam Prænestinam nominat Plinius libro, quem indicavi. Obibat Campum Martium ut videre est apud Ovidium lib. I. Fast. Restituit Ti. Claudius Imp. Inscriptio, quæ in Hortulo Colotiano:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS
PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. P.P. COS. III. DESIG. IV
A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITVIT
ARCVS. DVCTVS. AQVAE. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER C. CAESAREM

Scribit Ovidius lib. III Fastor. eos, qui in Campo Martio exercebantur, hac *Aqua* Sudorem & Pulverem abluere solitos; præcipue quum clausa jam essent Balnea, quod innuit Martialis. Certe *Virginem* Lavanti & Natanti fuisse commodissimam, testantur Plinius lib. XXXI cap. III & Statius libro I Silvarum. *Virgo* simpliciter dicitur Martiali lib V. Epig. XXI: *Virgineus Liquor* Ovidio lib. I de Ponto Eleg. IX. *Virgineum Cruorem* appellat idem Martialis libro IV Epig. LXIV:

Et quod Virgineo cruore gaudet:

Melius fortean *Liquore*. Qui enim *Cruorem* id est *sanguineum Colorem* referre potest hæc *Virgo*, cuius *niveas Vndas* alio vocat loco Martialis lib. VII. Epigr. XXXI. *Crudam* nominat idem lib. VI. Epigr. XLII. forte quod turbidior propter limum, quodque non defæcata satis. Concipiebatur enim palustribus locis, ideoque Signino purga- *Alsietina.* batur, Frontino teste. *Alsietinam* in vrbem induxit Augustus; unde & *Augusta* dicebatur, eodem Frontino scribente. Concipiebatur ex Lacu Alsietino, Via Claudia, miliario XIV. Nullius gratiæ erat, & parum salubris nusquam in usus Popu- *Augusta.* li fluebat. Alia est *Augusta*, quam in supplementum *Marciæ*, quoties siccitates age- *Claudia.* rent, eiusdem bonitatis, opere subterraneo, perduxit Augustus, usque ad *Marciæ* Rivum. Frontinum lege. *Claudiam* in Vrbem traxit C. Cæsar, qui Tiberio successit; quum & publicis Vsibus & privatis Voluptatibus Septem Aquarum-ductus sufficere parum viderentur: altero Imperij sui anno. M. Aquilio Iuliano, P. Nonio Asprenate Coss. Ductum inchoavit, consummavit autem decennio post, & dedicavit Sulla & Titiano Coss. VI. Kalend. Augusti. Videndi præter Frontinum Suetonius in Caligula cap. XX, Plinius lib. XXXI. cap. III, Lampridius in Severo. Rudera

hujus Aquæductus multa hodieque Romæ, ad Portam Esquilinam, quæ Major nunc dicitur: ubi de ea sequentes leguntur Inscriptiones:

TI. CLAVDIVS. DRVSI F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM.
TRIBVNICIA. POTESTATE. XII. Cos. V. IMPERATOR XXVII. PATER PATRIÆ
AQVAS. CLAVDIVM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CÆRVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILIARIO. XXXV
ITEM. ANIENEM. NOVAM A MILIARIO. LXII SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT

Item:

IMP. CÆSAR VESPASIANVS. AVGVST PONTIF. MAX. TRIB. POT. II IMP VI. COS III. DESIG. IIII. P. P.
AQVAS CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE
PER. ANNOS. NOVEM. SVA. IMPENSA. VRBI RESTITVIT

Item:

IMP. T. CÆSAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC.
POTESTATE. X. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIÆ. CENSOR. COS. VIII.
AQVAS. CVRTIAM. ET. CÆRVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA
A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTISTVTAS. CVM. A. CAPITE
AQVARVM A. SOLO. VETVSTATE. DILAPSÆ. ESSENT. NOVA. FORMA
REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT.

Anienis Novi Ductus inchoatus ab C. Cæsare, M. Aquilio Iulio & Nonio Aspernate Coss. consummatus uero ab Claudio, Sulla & Titiano Coss. ut docet Frontinus; addens *Novum* dictum ad differentiam prioris *Anienis*, qui deinde *Vetus* appellari cœptus. Concipiebatur, eodem notante, Via Sublacensi ad milliarium LXII. Iungebatur illi *Rivus Herculaneus*, & in Vrbe cum Claudia confundebatur. De Superiorum *Aquarum* Longitudine, Altitudine, Cursu, cumque alijs subinde Concursu & Missione, Fine locoque destinato, Qualitate, Erogatione, Modo Quinariarum, Signino, Piscinis, Reparatione, & Similibus, plene Frontinus Libello aureo de Aquæductibus. Sunt & quas ille non nominat. *Sabatina*, ab *Lacu Sabate* ducta, & deducta Romam ex Anguillariæ Lacu, ut indicat Festus libro XVII. Ejus Ductus Vestigia hodieque extra Portam Pancratianam. Fontes ex hac Aqua in Area D. Petri. Recentiores eam vocant *Septimianam* à Porta; *Aureliamam*, ab Via. *Aqua Alexandrina* ab *Alexandro Imp.* in Vrbem fuit inducta; teste Lampridio in ejus Vita. P. Victori & hæ nominantur: *Damnata*, *Annia*, *Algentiana*, *Severiana*, *Antoniniana*, *Setina*. Quid jam dicam de *Balneis*: quorum apud Romanos magna fuit & Copia & Luxuria? Scribit Victor per Quatuordecim Regiones fuisse ꟾↃ CCCLVI: Auctiorem numerum edit Onuphrius, qui notat in genere ꟾↃ CCCIX. Eorum non postremi loci fuerunt *Palatina*; de quorum Ruderibus ego alibi. Meminit Cicero Oratione II pro Roscio Amer. Item *Paulli*, quorum mentio apud Iuvenalem Satyra VII; ubi in quibusdam Codicibus depravate *Phœbi*: Vestigia hodieque servant & tuentur aliquo modo Nomen. Dicunt enim Romani *Bagna Poli*, quasi *Balnea Paulli*. Laudantur etiam *Balnea T. Claudij Etrusci* ab Marmorum Precio, Aedificij magnificentia, Luminis immissione, & argenteis Fistulis, apud Statium lib. I. Silvarum & Martialem lib. VI. Epigr. XLII: apud quem passim *Balneorum* Romanorum frequens est mentio. Luxuriam *Balneorum* exagitat Seneca ad Lucill. libro XIII. Pensilia fecit Primus C. Sergius Orata. Valerius Maximus lib. IX. Cap. I, & Macrobius lib. III. Sat. cap. XV. Argenteis Epistomijs Aquam fundi in plebeis Fistulis; & in Libertinorum *Balneis* Gemmas collocari, indignatur Seneca. Parietes *Balneorum* sparsos fuisse à quibusdam Vnguento, notat Plinius lib. XIII. cap: III; qui ibidem Solia temperata fuisse Vnguento ab Caio Principe, & quodam Neronis Servo, memorat. Quod ad *Thermas*; eas in Vrbis Regionum Epilogo numerat XVI, Victor; quibus quatuor addit Onuphrius. Inter eas principatum obtinebant, in I Regione, *Commodianæ* & *Severianæ*; in III, *Titi*, *Traiani*, *Philippi*, Cæsarum; in VI, *Diocletiani* & *Maximiani* Imperatorum; in IX, *Agrippæ*, *Neronianæ*, *Alexandrinæ*, *Decianæ*; in

XII, *Anto-*

Anio Novus, *Sabatina*, *Alexandrina*, *Damnata*, &c. *Balnea*; *Palatina*, *Paulli*, *T. Claudij Etrusci*, *Thermæ*; *Commodiana*, *Severiana*, *Titi*, *Traiani*, *Philippi*, *Diocletiani*, &c.

XII, *Antoninianæ*: de quibus omnibus, earumque Ruinis (quæ hodieque vastissimæ visuntur) ego in mea Vrbis nobilissimæ Topographia. Restant, quod ante promiseram, regionatim obambulandæ XIV *Vrbis Regiones*, Delineant eas, celebrioraque in ijs Loca, cum Publica tum Privata, diligenter Sex. Rufus & P. Victor; ijsque multo diligentius Onuphrius Panuinius, non adscriptis tamen Veterum Auctorum, qui singulorum faciunt mentionem, Testimonijs. Ea ego præcipuis, & quæ maximi videntur momenti, Locis, à me etiam locupletatis, obiter adponam ex meis Antiquitatum Romanarum Adversarijs. Nam omnia inde singulis, præcipue Templis, Aedibus Sacris, Aediculisque, curiosius adscribere, hoc opus, hic labor esset; & nescio an Instituto meo satis conveniens. Sufficiat hic vel nudum Potiorum Testimoniorum Indicium. Pleniorem Singulorum explicationem singularius dabit à me Fœtus. Hoc præmittam, universim *Vicos Regionum* I, X, XII, XIII & XIV, eorumque *Curatores* & *Denunciatores* describi in Basi marmorea prægrandi, quæ exstat sub Porticu Domus Conservatorum: I quidem X & XIII sinistro, dextro vero latere XII & XIV. A tergo fortean eodem modo reliquæ *Regiones* erant descriptæ; nulla tamen litterarum vestigia supersunt: putarique potest omnino omissas esse, eo quod pauciores aut nullos insigniores haberent *Vicos*. Certe Victor in libello suo de *Regionibus Vrbis* vix ullos præterquam in his quinque *Regionibus Vicos* numerat.

Regiones.

REGIO I. *Basis Capitolina.*

I. Porta Capena

PORTA CAPENA. Nominant P. Victor, Sex. Rufus, Martialis lib. III Epigr. XLVIII, Inscriptio duplex apud Onuphrium in Roma. Martialis lib. IIII Epigr. XIIX simpliciter *Portam* appellat.

Almo Fluvius. Nominant inter Loca I Regionis P. Victor, Sex. Rufus, Martialis lib. III. Epig. XLVII. De eo dixi in præcedentibus.

Vici Novem. P. Victor. Sex. Rufus.

Vicus:
- *Camœnarum*. P. Vict. Basis Capitol.
- *Drusianus*. Victor, Rufus, Basis.
- *Sulpicij Vlterioris*. Iidem, & Lampridius in Alagabalo.
- *Sulpicij Citerioris*. Vict. Rufu. Basis.
- *Fortunæ obsequentis*. Iidem.
- *Pulverarius*. Iidem.
- *Honoris & Virtutis*. Iidem.
- *Trium Ararum*. Iidem.
- *Fabrici* Ijdem.

Vicomagistri XXXVI: quatuor per singulos Vicos. Victor. Exemplum est in Basi Capitolina.

Curatores II. Victor. Exemplum in Basi Capit.

Denunciatores II. Victor. Exemplum habet Basis Capit.

Luci tres:

Luci:
- *Cuperius, Hostiliani.*
- *Egeriæ*. Livius lib. I: & in eo *Fons Egeriæ*. Livius ibid. Ovid. XV. Met.
- *Camœnarum*. Livius lib. I. Asconius Pædianus.

Templa

Templa quatuor.

Templa:
- *Isidis.* Vict. Ruf.
- *Serapidis.* Iidem.
- *Fortunæ Viatorum.* Iidem.
- *Martis Extramuranei.* Victor & Rufus, qui *Aedem* nominat.

Aedes Sex.

Aedes:
- *Martis Quirini.* Victor. Rufus simpliciter *Martis* appellat.
- *Minervæ.* Iidem.
- *Mercurij.* Iidem.
- *Tempestatis.* Iidem.
- *Apollinis.* Iidem.
- *Camænarum.* Victor Plinius lib. XXXIV. cap. V in Aede hac ponit *Statuam Attij Poëtæ.*

Aediculæ Decem, Victor, Rufus:

Aediculæ:
- *Fortunæ Obsequentis.*
- *Honoris.*
- *Virtutis.*
- *Ridiculi.* Festus lib. XVI.
- *Herculis.*
- Reliquæ desiderantur.

Areæ Septem:

Area:
- *Apollinis.* Vict.
- *Spei.* Vict. Rufus.
- *Thalli*, sive *Galli*, sive *Galliæ* (variant enim Libri) Victor, Rufus.
- *Isidis Aelianæ:* Iidem.
- *Pinaria.* Iidem.
- *Carsuræ.* Iidem.
- *Mercurij.* Rufus.

Aræ Duæ.

Aræ { *Mercurij*, *Isidis.* } Victor & Rufus.

Lapis Manalis Festus lib. XI. & lib. I. in *Aquælicium*, Labeo apud Fulgentium Placiadem in *Manales*, M. Varro apud Nonium in *Trulleum*; cuius Verba corruptiora emendat ingeniose Josephus Scaliger ad Festi illud, *Manalem Lapidem.* Designat hunc *Lapidem.* Martialis libro III Epigr. XVIII.

Porticus Vipsani. Enumerat hanc *Porticum* inter *Primæ Regionis* Loca Martialis III Epig. XVIII. Idem *Platanoni* adlocat, qui tamen locus erat in Regione XIII. Atqui *Regionem* XIII (id est *Aventinum*) proximam fuisse *Portæ Capenæ*, id est *Primæ Regioni*, in qua erat *Vipsani Porticus*, satis constat. Vide Martialem lib. III. Epig. XIX, ubi etiam docet *Porticum* hanc centum habuisse Columnas; quæ *Vipsanæ Columnæ* vocantur eidem Epigr. quod dixi, XVIII.

Circus Antonini Caracalli, cum *Obelisco.*
Senaculum ad Portam Capenam.
Mutatorium Cæsaris. Vict Rufus.
Horti Terentiani.
Campus Ridiculi.
Tabernæ Cædiciæ. Festi lib. III.

Thermæ:
- *Commodianæ.* Vict. Ruf. Cassiodor. in Chronico, Lampridius in Commodi Vita.
- *Severianæ.* Vict. Rufus, Cassiodorus in Chron. Spartianus in Severo.

Balnea

Augusta. *Flaminiam*, ortum duxisse *Augustam*, indicat Inscriptio, quæ ab alijs jam publici facta iuris. Nescio an harum numerum referenda etiam *Aemilia Scauri*: quam *M. Aemilius Scaurus*, Censor annno ıↄc xlv, duxit per Pisas & Lunam usque ad Sabbatos, quæque inde Derthonem tendebat, uti de ea scribit Strabo lib. v. *Viam Flaminiam* proximo loco sequitur inter Vias Principes, id est, quarum initia in ipsa Vrbe, vel ab Vrbis Portis, *Conlatina* dicta, quod duceret *Collatiam*. Meminit Frontinus de Aquæductibus. Tertiæ inter Principes *Viæ* Nomen *Salaria*, ab *Sale*. Paullus ex Festi lib. xvii & Plinius lib. xxxi. nat. Hist. ca. vii. Initium eius ab Collina Porta, notante Tacito lib. xix. Stratam fuisse per Sabinos non magnæ longitudinis, tradit Strabo lib. v. *Viæ Salariæ* memoriam servat contrata Tabula, quam ex pavimento Sacelli, quod est ad Templum S. Gregorij in Cœlio Monte exscriptam posui lib. ii. cap xvii, ubi de Asturia, Hispaniæ parte. *Pontis* etiam *Viæ Salariæ*, tertio ab Vrbe lapide super Anienem strati, meminit, præter alios & Itinerariam Tabulam, Inscriptio, quam cum alia conspiciendam dedi capite huius libri xi, quod de Fluminibus Italiæ. *Quinctiam* & *Iuniam* ijsdem regionibus, quibus *Salaria*, fuisse, indicat Dionys. Halicarn. lib. i. De *Quinctia* Vetus Marmor in Onuphrij Panuinij Commentarijs:

(Margin notes: & Aemilia Scauri. — Collatina. — Salaria. — cuius Partes [illegible] Quinctia & Iunia.)

C. CVRTIVS. P. F. PAL. NERVA. IIII. VIR
P. SILIVS. P. F. ANIEN. PÆTINVS. IIII. VIR
C. RVSTIVS. C. F. QVARTVS. VEL. IIII. VIR
T. FLAVIVS. T. F. ARN. SABINVS IIII. VIR
ARAM. ET. SIGN. VIA. QVINCT. D. D

Nomentana, eius & Ficulnensis. Quarti in Principibus Vijs loci est *Nomentana*, quæ *Nomentum* ducebat. Ovidius lib. iv. Fastorum. Antiquitus dicebatur *Ficulnensis*, Livio teste lib. iii. Apud Fretum Sabinorum Opidum, supra Tiberim iacens, in *Viam Salariam* incidebat. Strabo lib. v. Meminerunt Suetonius in Nerone, cap. xlviii & Itineraria Tabula. Quinta Principum *Tiburtina* est in eadem Tabula, *Tibur* ducens, hodieque: *Tiburs* nominatur Horatio lib. i. Serm. Sat. vi. Inscriptio Tarraconensis in Templo S. Michaelis:

(Margin note: Tiburtina, vel Tiburs.)

L. OVINIO. L. F. QVIR
RVSTICO. CORNELIANO
COS. DES. PRÆT. INTER
TRIBVNICIOS. ADLECTO
CVRAT. VIAE. FLAMINIAE
LEG. LEG. VII CL. IN. MYS. INFERIOR
CVRAT. VIAE. TIBVRTINAE

Gabina. Et quæ ibi alia. Sexta, *Gabina*, quæ *Gabios* tendebat. De ea Livius lib. ii & v. Brevem notat Strabo lib. v. Vltra viii ab Vrbe Miliarium excurrisse docet Livius eodem lib. v. Septima, *Prænestina*, *Præneste* ducens, cui initium à Porta Esquilina. Ibi enim hodieque Via bifurcata, cuius sinistrum Cornu *Præneste*, dextrum *Labicos* vadit. Videndi Strabo lib. v & Capitolinus in Gordiano iii. Vitiose *Prentina* scribitur in Itineraria Tabula. Octava, *Labicana*, quæ *Labicos* à Porta, quam jam nominaui, ducebat. Meminit Spartianus in Iuliano, sub finem. *Lavicanam* præfert Itineraria Tabula. Nonam habet inter Principes Stationem *Campana*, quæ à Porta Cœlimontana *Capuam* vel in *Campaniam* ibat. Mentio eius apud Suetonium in Augusto cap. xciv, ubi legendum *Campana Via*. Memoratur & cum *Ostiensi* in Inscriptione quadam Neapolitana:

(Margin notes: Prænestina. — Labicana. — Campana.)

M. BASSAEO. M. F
PAL. AXIO
PATR. COL. CVR. R. P
II VIR. MVNIC. PROC. AVG
VIAE. OST. ET. CAMP

Reliqua

Reliqua lege cap. XXXII, ubi de Hydrunto. Ex *Via Campana* exibat *Tusculana*, quæ *Tusculum* petebat. Vide Albium Tibullum lib. 1. *Valeriam* etiam hac parte fuisse, paret ex Strabonis libro V. Duas autem *Valerias* habet P. Victor in Vrbis Topographia. Decimo loco occurrit *Latina*, per quam iter erat in *Latium*. Initium illi a Porta cognomine. *Lata* dicitur Martiali lib. IX Epig. XXCV; *Ausonia* fortean eidem eodem libro, Epig. CIV. De *Latina* Lapis, quem Brixiæ conspici in Hungaria, testatur Onuphrius Panuinius. Viam hanc mediam fuisse inter *Valeriam* & *Appiam* prodit memoriæ Strabo lib. V. Mentio ejus apud Festum in Sacram & Retricibus, inque Tabula Itineraria. *Albana* etiam principium habuisse videtur à Porta Latina, vel saltem ab ipsa *Latina Via*. Describit περιφραστικῶς Tibullus lib. 1. Elegiarum. Vndecima inter Principes est *Appia*. sic dicta à Prænomine *Ap. Claudy Caci*, qui Censor eam stravit. Testes Livius lib. III, M. Tullius pro Milone, Paullus ex Festi libro I, Procop. lib I, Pontius Paullinus, & alij. Initium ejus à Porta Capena, notantibus Paullo Diacono & Frontino de Aquæductibus; quin intra Vrbem ab Septizonio Severi, indicante Spartiano in Vita Getæ Imp. Protenditur Capuam apud Frontinum de Aquæduct. lib. II, & Brundisium apud Tacitum lib. II. Annalium, Strabonem lib. V, Horatium lib. I. Epist. II, Auctorem de VV: Inlustrib. cap. XXXIV. Longitudinem, Latitudinem, & alia hujus Viæ singularia delineat Procopius lib. I. Statio ad Pollium scribenti dicitur

et qua Tusculana, & forte Valeria.
Latina,
ad quam Albana:
Appia,

——*Longarum Regina Viarum.*

Restituerunt *Trajanus*, unde & pars *Appiæ Traiana* dicta versus Paludes Pomtinas, teste Dione: & *Antoninus Pius*, ut indicat Inscriptio Pontis, super Amnem Vulturnum. Meminerunt hujus *Viæ* nulli non Scriptores, ut & Itineraria Tabula. Vicinam *Appiæ Minuciam* facit non obscure Horatius lib. I. Epodon ad Lollium. Memorat M. Cicero ad Atticum. In *Appiam* etiam incididisse *Viam Domitianam* innuit Statius Papinius, qui ejus meminit in Campania, Neapolim versus, in Prooemio lib. IV Silvarum. Scribit de hac Via ad Abrahamum Ortelium Celsus Cittadinus Angelerius his Verbis: *Domitiana Via hodie fere integra permanet: initium habens a Via Appia & in ipsius dextra a Ponte Vulturni. prope ubi sunt Casilini reliquiæ, & finem habet Puteolis. Longa est XX M. P. Recta est a Vulturno Linternum usque, nunc vulgo La Torre di Patria. Nam inter ruinas Sepulcri Scipionis repertus fuit Lapis, in quo scriptum erat hoc Verbum tantum* PATRIA MI *reliqua nimio avitu legi non poterant.* Duodecimam Principum facio *Asinariam*. Eam à Porta, quæ quomdam Asinaria, exijsse vero est simile. Finisse inter *Latinam* & *Ardeatinam* ostendit M. Porcius Cato apud Festum lib. XVI. in Retricibus. Decimamtertiam statuo *Ardeatinam*, quam post *Asinariam* fuisse colligitur ex Catonis verbis, quæ apud Festum loco, quem dixi. Dicta ab *Ardea*, quo ducebat. Decimamquartam habeo *Laurentinam*, cujus caput ab Radicibus Aventini. Ibat autem *Laurentum*. Ovidius lib. II Fastor. Facit eius mentionem & Plinius lib. II. Epist. XVI. Principibus etiam concensenda *Ostiensis*, quæ *Ostiam* versus erat strata. Frequens ejus mentio apud Procopium. Loquitur & de ea Lapis Neapolitanus, quem paullo ante posui. *Hostensis* appellatur vitiose in Tabula Itineraria. Hactenus *Cis-Tiberinas* memoravi: sequuntur *Trans-Tiberinæ*; quarum Prima *Portuensis*, à *Portu Romano*, de quo in Tuscia. Meminit P. Victor. *Vitellia*, quæ ex Ianiculo, & fortean ex Porta Pancratiana, exiens ducebat ad Mare. Innuit Suetonius in Vitellio, cap. I. *Aureliæ* erant duæ, *Vetus* & *Nova*. Habet utramque cum *Cornelia* & *Triumphali* Lapis, qui Tibure visitur, in Aede D. Pauli:

cui concensenda Traiana.
Minicia
Domitiana:
Asinaria
Ardeatinas
Laurentinas
Ostiensis,
Trans-Tiberinæ
Portuensis:
Vitellia
Aurelia Vetus & Nova:

C. POPILIO. C. F. QVIR. CARO
CEDONI. COS. VII. VIR. EPVLON
SODALI. HADRIANALI. LEGATO
IMP. CAES. ANTONINI. AVG.
PII. PROPR. GERMANIÆ. SVPER. ET. EXER
CITVS. IN. EA. TENDENTIS. CVRATOR
OPER. PVBLICOR. PRÆF. ÆRAR. SATVR
CVRATORI. VIAR. AVRELIÆ. VETERIS. ET
NOVÆ. CORNELIÆ, ET. TRIVMPHALIS

Et quæ

Et quæ ibi alia: nam pleniorem alibi laudo. Exiisse videntur ex *Porta Aurelia*. Meminerunt P. Victor, & non semel M. Tullius, præsertim Philipp. XII, Eutropius, Capitolinus in Antonino Pio, Itineraria Tabula. Ab *Aureiis* haud procul fuisse *Corneliam*, indicat Inscriptio à me polita, junctim eas nominans. Sic duæ Statuarum Bases, quarum altera in Hortis Cætianis servatur, altera in Palatio, quod vulgo *Della Capranica* audit, abjecta jacet:

C. SALLIO ARISTÆNETO. C. V.
SEPTEMVIRO EPVLONVM
SODALI. AVGVSTALI. IVRIDICO
PER. PICENVM. ET. APVLIAM
CVRATORI. VIARVM. AVRELIÆ
CORNELIÆ. TRIVMPHALIS

C. SALLIO. ARISTÆNETO. V. C
SEPTEMVIRO. EPVLON. SODALI
AVG. IVRID. PER PICENVM. ET
APVLIAM. CVRATORI. VIAR
AVREL. ET. CORNELIÆ. TRIVMPHA
LIS

Integriores dabo aliis locis. *Corneliæ* succedit *Triumphalis*. Eum enim trium *Viarum Aureliæ*, *Corneliæ* & *Triumphalis* ordinem præterunt, quæ posui, Monimenta. Caput habebat à *Ponte Triumphali*, cujus vestigia hodieque in medio Tiberi. Meminerunt D. Hieronymus & Damasus in Vita Petri Apostoli. Vt *Extra-Vrbanas* finiam, P. Victor sex *Vias* nominat, quæ quibus locis fuerint, omnino ignoratur; *Patinariam*, *Tiberinam*, *Gallicanam*, *Gallicam*, *Laticuliensem*, & *Flaviam*. Hæc igitur de *Viis*, quæ extra Vrbem: sequuntur *Vrbanæ*, quæ VII numero. Inter eas *Sacra* censeri solet nobilissima, & maxime celebris: dicta, quod in ea fœdus ictum inter Romulum & Tatium Reges; vel quod eo itinere iterentur Sacerdotes Idulium Sacrorum conficiendorum caussa. Festus lib. XVII. Oriebatur è Carinis. Varro lib. IV. Via hæc non integra, sed Pars tantum ejus Vulgo Romano erat nota, teste ibidem Varrone: ea scilicet, quæ erat eunti à Foro, proximo Clivo: in antiquissimo Codice legitur, *Primore Clivo*: Ego restituendum puto *Proximo Clivo*, scilicet Capitolino vel Tarpeio. Meminerunt non pauci: quin & in antiquis Lapidibus frequens ejus memoria.

Triumphalis. Via Vrbana. Sacra.

In Hortis S. Sebastiani ad Viam Appiam, Tab. marmorea:

D. M.

DECIMIORVM Ø FAVSTI
ET. FORTVNATI Ø CABATORES
DE. VIA Ø SACRA Ø FECERVNT Ø
SIBI. ET. LIBERTIS Ø LIBERTA
BVSQVE Ø POSTERISQVE. EOR
VM

In Insula Tiberina, in Templo S. Bartholomæi:

D. M:

SETLIÆ. NICES
VIX. ANN. XXXV
MENS. VI. DIEB. XXI
C. SETLIVS. ONESIMVS
FLATVRAR. DE. VIA. SAC.
CONIVGI. B. M. F.

Sic Tabula in domo Latini Iuvenalis:

M. AEDICIVS IVCVNDVS
AVRIFEX. DE
SACRA VIA. VIX. A. XXX

CLODIA. CYPARE
DVLCISSIMA. SOROR
C. ÆDISCVS. PRISCVS

Summam Sacram Viam nominat Varro lib. I. de Rust. cap. II, quæ eidem *Sacra Via Caput* lib. IV, de LL. *Sacravienses* Festo in *October Equus*, qui *Sacram Viam* habitabant. *Via Nova* duplex videtur ROMÆ fuisse: una quidem ad Forum Romanum: altera vero ad Velabrum inter Palatinum & Aventinum Montes. Prior illa juncta fuit Foro Romano, canente Ovidio libro VI Fastor. De ea Livius lib. I. Posterior in Velabro, de qua Varro lib. IV. Hæc fortassis *Nova Via* est, cujus Caput ponit in XII Vrbis Regione P. Victor: unde etiam Spartianus *Novam Viam* agnoscit sub Thermis

Nova.

Thermis Antoninianis quæ in eadem erant Regione. *Via Fornicata* Situm indicat Livius lib. XXII. Meminit Julius Obsequens de Prodigijs cap. XXXII. *Viam Latam* Augustus unam fecit ex XIIII Vrbis Regionibus. Ejus frequens mentio apud Anastasium Bibliothecarium. *Via Recta* ducebat per Longitudinem Campi Martij. Meminit Seneca de Morte Claudij. Fuisse vicinam *Flaminiæ*, indicat Martialis lib. VIII. Epigr. LXXV. *Altæ Viæ* vel *Semitæ* vestigia hodieque visuntur in Dorso Quirinalis. Eam Augustus Sextam fecit Vrbis Regionem, ut indicat P. Victor. Post *Vias* in proposita Methodo promisi *Aquas*. De *Tiberi* dixi, quum Generalia explicarem. Habebat autem Is suos in Vrbe *Pontes*: quorum hodie restant *Aelius*, *Ianiculensis*, *Tarpeius*, *Cestius*, *Palatinus*: duorum *Triumphalis* & *Sublicij* vestigia tantum adparent. *Aelius Pons* dictus ab *Aelio Hadriano Imp.* qui Pontem hunc eo loco, quo hodie visitur, exstruxit; ut commodius per illum adiri posset superbissimum ipsius Sepulcrum, in altera Fluminis ripa positum. Spartianus in ejus Vita. Hodie *Pons Castelli* & *S. Angeli* appellatur. Hunc Pontem Nicolaus V. P. M. Domunculis quibusdam submotis, ampliorem reddidit. Alexander VI angustissimam Portam sustulit, aliamque fecit augustissimam. *Ianiculensis* Pons dictus, quod per eum ex Vrbe in *Ianiculum* esset aditus. Meminit P. Victor. Reparavit *Aurelius Censor*, qui *Aurelium* nuncupavit. Traditur hic *Pons* Marmoreus factus ab Antonino Pio Imp. Civilibus vero Bellis scribitur idem demolitus, & *Ruptus* deinceps appellatus. Restitutum inde Sixtus IV. P. M. ab suo nomine, quod hodieque retinet, *Sixti* dixit *Pontem*. *Tarpeius* ab *Tarpeio* vocatus Monte, cui ad occasum proximus. Restituisse *L. Fabricium*, loquitur Elogium, quod ibi legitur his Verbis:

Fornicata. *Lata.* *Recta.* *Alta.* *Pontes.* *Aelius.* *Ianiculensis.* *Tarpeius.*

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR

FACIVNDVM. COERAVIT IDEMQVE PROBAVIT

Q. LEPIDIVS. M. F. M. LOLLIVS. M. F. COS. EX. SC. PROBAVERVNT

Ab eo *Pons* appellatus *Fabricius*; cujus meminerunt P. Victor, Horatius lib. II. Sat. III, & ibi Vetus Commentator. Dicitur hodie *Pons quatuor Capitum*, à *quatuor Capitulis*, vel *Simulacro Quadrifronti*, quod adscendentibus Pontem ab sinistra sese offert. Corruptum restituit Paullus III. P. M. *Cestius* is est, qui Insulam conjungit cum Ianiculo & Trans-Tiberina Regione. Mentio ejus apud P. Victorem. Instauratum aliquando ab Valentiniano, Valente & Gratiano Impp. Benedictoque Senatore indicant Inscriptiones, quæ hodieque à dextra sinistraque Pontis: *Cestius.*

DOMINI. NOSTRI. IMPERATORES. CÆSARES

FL. VALENTINIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS GERMAN. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. III. P. P. P. ET FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPEC. AVG. PONTIF. MAXIMVS. GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET FL. GRATIANVS. PIVS FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS. GERMANIC. MAX. ALAMAN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP II. CONS. PRIMVM. P. P. P. PONTEM. FELICIS. NOMINIS. GRATIANI. IN VSVM. SEN. AC. POP. RO. CONSTITVI. DEDICARIQVE IVSSERVNT.

Ibidem in Basi, Litteris rudibus & inæqualibus.

BENEDICTVS. ALME
VRBIS. SVMMÙ SENAT
ORÙ. RESTAVRAVIT. HVN
C. PONTEM. FERE DIRV
TVM

Vocatur hodie *Pons S. Bartholomæi*, ab vicino ejus Divi Templo, quod olim fuerat Aesculapij. Infra Insulam Tiberinam ad Passum LXXX visitur Pons, qui olim *Palatinus*, *Palatinus.*

tinus, quod *Palatino Monti* proximus esset. Meminit P. Victor. De hoc *Ponte* cupiendus Livius libro XXXIX. Dictus legitur & *Pons Senatorum*. Vocatur hodie *D. Mariæ Aegyptiacæ*, ab ipsius vicino Templo. Dixi duorum etiam *Pontium* vestigia & Pilas aliquot hodieque cerni in medio Tiberi. Eorum, quæ prope Vaticanum, ad teli jactum intra Pontem Aelium, è regione Hospitalis S. Spiritus, fuerunt olim *Pontis Triumphalis*; sic dicti, quod Imperatores quomdam *Triumphantes* per hunc *Pon-* *Triumphalis.* *tem* in Vrbem inveherentur. Meminit Iosephus, Triumphum delineans Vespasiani Imperatoris de Iudæis. *Vaticanus* etiam legitur appellatus à proximo Monte. Alterius *Pontis* hodie etiam consumti Vestigia cernere est pedibus sexcentis infra Pontem Palatinum. Is fuit *Sublicius*, omnium antiquissimus. Auctor ejus Ancus Mar- *Sublicius.* cius, qui Ianiculum hoc *Ponte* cum Vrbe conjunxit. Livius lib. I. Florus lib. I. cap. IV, & alij. Paullo post partam libertatem, solo Horatio vim Etruscorum sustinente, ægre, quod Clavis compactior, fuit revulsus: ideoque in eius restauratione religiosum fuit Clavos addere. Testatur Plinius lib. XXXVI, cap. XV. *Sublicius* dictus, ab *Sublicis*, de quibus Cæsar. *Aemilius* inde & *Pons Lepidi*, ab *Aemilio Lepido*, III. Viro Reip. const. qui Primus eum lapideum fecit. Ita meminit P. Victor, non uno loco; ut & Lampridius in Vita Heliogabali. Dejectum impetu Fluminis restituit Tiberius Cæsar. Marmoreum fecit Antoninus Pius. Adeundus Capitolinus in ejus Vita. Et inde hodieque ipsius reliquiæ Romanis vocantur *Ponte Marmorato*. Putant nonnulli *Pontem* hunc appellatum olim *Sacrum* & *Pontem Herculis*. Consulendus, quem Dionysius Halicarnassæus in Antiquit. Romanis laudat, Epicardus. Superioribus *Pontibus* addo *Mulvium*, quem Tiberis habet duobus ab Vrbe Pass. Milibus, in Via *Mulvius* Flamiana. Auctor ejus M. Aimilius Scaurus, uti scribunt Auctor de VV. Inlustr. cap. LXXII & Ammianus Marcellinus lib. XXVII. Meminerunt hujus *Pontis* Silius Italicus lib. II. Claudianus de Honorij, Sextum Consulatum adepti, in Vrbem introitu, & alij. In antiquioris notæ & scripturæ libris M. SS. vocatur *Milvius*: hodie *Mole* Italis. Fornices habet magnos quatuor, binos mediocres, totidemque parvos.

Reliquarum *Aquarum*, præter Tiberim, quæ in Vrbe quomdam, aliæ dici possunt *Aquæ:* *Religiosæ*, aliæ *Profanæ*, *Religiosæ*, quæ Sacris Vsibus plurimum erant consecratæ, ut *Iuturna*, *Almo*, *Petronia*, *Mercurij Aqua*. *Iuturnæ* nomen ab *Iuturna*, Italiæ Fonte pro- *Iuturna.* pe Numicum, saluberrimæ Aquæ, eamque ob caussam ad omnia Sacra Romam adferri solitæ. Legendi Varro lib. IV. de LL. & Servius ad librum Aeneidos XII. P. Victor *Iuturnæ Pontem* vel *Lacum* collocat in VIII Vrbis Regione, idest in Foro; quod & alij confirmant; inter quos Ovidius VI Fastor. *Lacum Iuturnæ* designat Plautus in Curculione Act. IV. Sc. I.

Confidentes, garrulique & malivoli supra Lacum.

Frustra enim *Lacum Curtium* quidam interpretantur, qui tempore Plauti nullus erat. *Almo.* Alij exaudiendum putant *Lucrinum*, alij *Servilium*. *Almo Fluvius* fuit Romæ in I. Vrbis Regione, teste P. Victore. Erat enim extra Portam Capenam; & non procul ab Vrbe cum Tiberi miscebatur. Ovidius IV Fastor. Inter *religiosas Aquas* habitus, quod quotannis pridie Kalendas Apr. Mater Deum in eo lavaretur. Ovidius ibidem, & Alij. *Almo* brevissimi erat Cursus, unde *Parvus Almo* Lucano lib. I. & *Rivulus* Prudentio in Martyrio Romani; & inde *Minor Fluvius* vel *Amnis* dicitur Ovidio *Petronia.* respectu Tiberis, loco, quem notavi. *Petroniam Amnem* describit Festus lib. XIV. de Verbor. signif. *Mercurij Aquam* elegantissime delineat Ovidius V. Fastorum. *Pro-* *Mercurij Aqua.* *fanas* nomino, quæ quotidianis Vsibus erant dedicatæ. Eas in Vrbe quomdam fuisse XXIV testatur P. Victor, is, quem pleniorem edidit Onuphrius Panuinius. Nam Vulgati Codices agnoscunt tantum XX, alij XIX, ut & Sex. Rufus, V. C. qui Diocletiani tempore vixit. An autem tot fuerint, an etiam plures, non facile divinari potest. Certe pauciores fuisse constat ex Frontino, qui vix ultra X nominat. Mihi præter alias lectæ *Appia*, *Anio Vetus*, *Marcia*, *Tepula*, *Iulia*, *Crabra*, *Virgo*, *Alsietina*, *Augusta*, *Claudia*, *Anio Novus*. Aliæ. *Appiæ* nomen ab *Ap. Claudio Crasso*, qui postea *Appia.* *Cæcus* cognominatus. Is enim Censor, ut scribit Frontinus, anno ab V. C. CCCCXLI post initium Belli Samnitici anno XXX (sic enim pro XX legendum) Coss. M. Valerio Maximo & P. Decio Murena (reponend. *Mure*) hanc *Aquam* in Vrbem induxit. Ejus Venas Primus invenerat C. Plautius Collega Ap. Claudij in Censura, cui ab illo studio *Venocis* cognomen datum. Caussam indicat Frontinus, quur

Aqua

Aqua nihilominus *Appia*, non vero *Plautia* fuerit dicta. Auctorem huius *Aquæ* nominat etiam *Appium* Pomponius IC. in l. 2. §. 36. De orig. iuris, ubi tamen manifesta in *Appio ἀνιστοριογραφία*. Cōcipiebatur in Agro Lucullano Via Prænestina inter Lapidem ab Vrbe VI & VIII, diverticulo sinistrorsus passuum IↃXXC. Eius, quam secundo posui loco, nomen varie proferebatur: alijs *Anio*, alijs *Anien*, nonnullis *Anienus*; & hinc varia inflexio, *Anionis*, *Anienis*, *Anieni*. *Anio Vetus* vocatus ad differentiam *Novi*, qui postea ab Claudio ductus. *Veterem* Vrbi intulit M' Curius Dentatus Censor cum L. Papirio Cursore, anno ab V. C. CCCCLXXXI, L. Papirio Cursore II & Sp. Carvilio Maximo Coss. ex Manubijs de Pyrrho captis, teste Frontino: apud quem concipitur supra Tibur XX. Miliario. Tubulus plumbeus Romæ: *Anio Vetus.*

ANIO. VET. L. VALERIO. SER. OF
PLVMB. P. D. CCIX

Ductis jam in Vrbem *Appia* & *Aniene Vetere*, quum incrementum Vrbis exigere videretur majorem Aquæ modum, *Marcio* (sic enim apud Frontinum legendum est, pro *M. Titio*) mandatum ab Senatu est, ut curaret, quatenus alias Aquas posset, in Vrbem perduceret, & ampliores Ductus faceret. Tertio igitur miliario opera Fabrorum eam duxit, cui ab ipso nomen *Marcia*, scribente præter Frontinum Plinio libro XXXVI, cap. XV: qui etiam lib: XXXI. cap. IV. notat *Aufeiam* olim dictam; Fontem vero *Picenam*. Meminerunt *Aquæ Marciæ* Martialis lib. IV. Epig. XIX, Propertius lib. III, & alij. Leguntur de ea Romæ Inscriptiones, ad Portam Esquilinam: *Marcia.*

IMP. CÆSAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS
PONT. MAXIMVS. COS. XII
TRIBVNIC. POTESTAT. XIX. IMP. XIIII
RIVOS. AQVARVM. OMNIVM. REFECIT

Alia:

IMP. CÆS. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. PARTHIC. MAXIM. BRIT.
MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS
AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE. EXCISIS. ET. PERFORATIS. MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO. ETIAM. FONTE. NOVO. ANTONIANO
IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCENDAM. CVRAVIT.

Alia:

IMP. TITVS. CÆSAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX,
TRIBVNICIÆ. POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DESIG. VIII
RIVOM. AQVÆ. MARCIÆ. VETVSTATE. DILAPSVM. REFECIT
ET. AQVAM. QVÆ. IN. VSV. ESSE. DESIERAT. REDVXIT

Sic Tubulus plumbeus, Romæ repertus ad Portam S. Laurentij:

P. CORNELIO. DOLABELIA. C. IVN. SILANO. COS
AQV. MAR

Alius item cum multis alijs repertus nuper sub Aquæ Marciæ Ductibus in Vineis, ubi olim Castra Prætoriana, inter Portas Viminalem & Tiburtinam:

C. AQVILIO. SABINO. II
SEX. AVR. ANVLLINO COS

CASTER. PRAET. L. VRVAS. OFF. PED. CCCLXXXIII

AQVA. MARC.

Tepula. *Aquam*, cui *Tepula* nomen, in Vrbem perduxerunt Cn. Servilius Cæpio & L. Cassius Longinus Ravilla, Censores; M. Plautio Hypsæo (sic enim apud Frontinum est scribendum) & Fulvio Flacco Coss. anno ab V. C. ccccxxix. Concipiebatur in Agro Lucullano, qui quibusdam Tusculanus, Via Latina, xi ab Vrbe milliario. *Iulia.* *Iuliam* appellatam censent plerique, quod ab *Iulio*, incertum quo, fuerit inventa; ab Agrippa deinde ex varijs Venis collecta in Agro Tusculano, & in Vrbem deducta, Via Latina, ad Milliarium ab Vrbe xii; Imp. Cæsare Augusto & M. Lælio Volcatio Coss. anno ab V. C. ɪↄccxix. Legendus Frontinus. Eius Ductus videtur fuisse is, qui à Porta Esquilina progreditur hodieque ad C. Marij Trophæa Præter Caput *Crabra.* *Iuliæ* transfluebat *Crabra*. Hanc, Frontino scribente, Agrippa emisit, seu quia usum improbaverat, seu quod Tusculanis Possessoribus relinquendam crederet. Meminit Cicero oratione contra Rullum & libro xvi. Epist. xviii. *Virgo.* *Aquam Virginem*, uti Frontinus notat, in Vrbem adduxit Agrippa, C. Sentio & Sp. Lucretio Coss. post annum xiii, quam *Iuliam*. *Virgo* dicta, quod Herculaneum Rivum refugerit, ut censet Plinius lib. xxxi. cap. iii. vel quod quærentibus Aquam Militibus eam, ut Frontinus vult, *Virgo* monstrarit. Concipiebatur Via Collatina, teste Frontino, ad milliar. viii. palustribus locis: Viam Prænestinam nominat Plinius libro, quem indicavi. Obibat Campum Martium ut videre est apud Ovidium lib. i. Fast. Restituit Ti. Claudius Imp. Inscriptio, quæ in Hortulo Colotiano:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS
PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. P.P. COS. III. DESIG. IV
A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITVIT
ARCVS. DVCTVS. AQVAE. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER C. CAESAREM

Scribit Ovidius lib. iii Fastor. eos, qui in Campo Martio exercebantur, hac *Aqua* Sudorem & Pulverem abluere solitos; præcipue quum claussa jam essent Balnea, quod innuit Martialis. Certe *Virginem* Lavanti & Natanti fuisse commodissimam, testantur Plinius lib. xxxi cap. iii & Statius libro i Silvarum. *Virgo* simpliciter dicitur Martiali lib v. Epig. xxi: *Virgineus Liquor* Ovidio lib. i de Ponto Eleg. ix. *Virgineum Cruorem* appellat idem Martialis libro iv Epig. xxiv:

Et quod Virgineo cruore gaudet:

Melius fortean *Liquore*. Qui enim *Cruorem* id est *sanguineum Colorem* referre potest hæc *Virgo*, cuius *niveas Vndas* alio vocat loco Martialis lib. vii. Epigr. xxxi. *Crudam* nominat idem lib. vi. Epigr. xlii. forte quod turbidior propter limum, quodque non defæcata satis. Concipiebatur enim palustribus locis, ideoque Signino purga- *Alsietina.* batur, Frontino teste. *Alsietinam* in vrbem induxit Augustus; unde & *Augusta* dicebatur, eodem Frontino scribente. Concipiebatur ex Lacu Alsietino, Via Claudia, miliario xiv. Nullius gratiæ erat, & parum salubris nusquam in usus Popu- *Augusta.* li fluebat. Alia est *Augusta*, quam in supplementum *Marcia*, quoties siccitates agerent, eiusdem bonitatis, opere subterraneo, perduxit Augustus, usque ad *Marciæ* *Claudia.* Rivum. Frontinum lege. *Claudiam* in Vrbem traxit C. Cæsar, qui Tiberio successit; quum & publicis Vsibus & privatis Voluptatibus Septem Aquarum ductus sufficere parum viderentur: altero Imperij sui anno. M. Aquilio Iuliano, P. Nonio Asprenate Coss. Ductum inchoavit, consummavit autem decennio post, & dedicavit Sulla & Titiano Coss. vi. Kalend. Augusti. Videndi præter Frontinum Suetonius in Caligula cap. xx, Plinius lib. xxxi. cap. iii, Lampridius in Severo. Rudera

huius

hujus Aquæductus multa hodieque Romæ, ad Portam Esquilinam, quæ Major nunc dicitur: ubi de ea sequentes leguntur Inscriptiones:

TI. CLAVDIVS. DRVSI F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM.
TRIBVNICIA. POTESTATE. XII. Cos. V IMPERATOR XXVII PATER PATRIÆ
AQVAS. CLAVDIVM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CÆRVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILIARIO. XXXV
ITEM. ANIENEM. NOVAM A MILIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT

Item:

IMP. CÆSAR VESPASIANVS. AVGVST. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II IMP VI. COS. III. DESIG. IIII. P. P.
AQVAS CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A DIVO. CLAVDIO ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE
PER. ANNOS. NOVEM. SVA. IMPENSA. VRBI RESTITVIT

Item:

IMP. T. CÆSAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC.
POTESTATE. X. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIÆ. CENSOR. COS. VIII.
AQVAS. CVRTIAM. ET. CÆRVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA
A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTISTVTAS. CVM. A. CAPITE
AQVARVM A. SOLO VETVSTATE. DILAPSÆ ESSENT. NOVA. FORMA
REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT.

Anienis Novi Ductus inchoatus ab C. Cæsare, M. Aquilio Iulio & Nonio Asper-
nate Coss. consummatus uero ab Claudio, Sulla & Titiano Coss. ut docet Fronti- *Anio Novus,*
nus; addens *Novum* dictum ad differentiam prioris *Anienis*, qui deinde *Vetus* appel-
lari cœptus. Concipiebatur, eodem notante, Via Sublacensi ad milliarium LXII.
Iungebatur illi *Rivus Herculaneus*, & in Vrbe cum Claudia confundebatur. De Su-
periorum *Aquarum* Longitudine, Altitudine, Cursu, cumque alijs subinde Con-
cursu & Missione, Fine locoque destinato, Qualitate, Erogatione, Modo Qui-
nariarum, Signino, Piscinis, Reparatione, & Similibus, plene Frontinus Libello
aureo de Aquæductibus. Sunt & quas ille non nominat. *Sabatina*, ab *Lacu Sabate* *Sabatina,*
ducta, & deducta Romam ex Anguillariæ Lacu, ut indicat Festus libro XVII. Ejus
Ductus Vestigia hodieque extra Portam Pancratianam. Fontes ex hac Aqua in
Area D. Petri. Recentiores eam vocant *Septimianam* à Porta; *Aureliana*m, ab Via.
Aqua Alexandrina ab *Alexandro Imp.* in Vrbem fuit inducta; teste Lampridio in ejus
Vita. P. Victori & hæ nominantur: *Damnata*, *Annia*, *Algentiana*, *Severiana*, *Anto-* *Alexandrina,*
niniana, *Setina*. Quid jam dicam de *Balneis*: quorum apud Romanos magna fuit & *Damnata, &c.*
Copia & Luxuria? Scribit Victor per Quatuordecim Regiones fuisse ꟾↃ CCCLVI: *Balnea;*
Auctiorem numerum edit Onuphrius, qui notat in genere ꟾↃ CCCIX. Eorum non
postremi loci fuerunt *Palatina*; de quorum Ruderibus ego alibi. Meminit Cicero *Palatina, Pauli,*
Oratione II pro Roscio Amer. Item *Pauli*, quorum mentio apud Iuvenalem Saty-
ra VII; ubi in quibusdam Codicibus depravate *Phœbi*: Vestigia hodieque servant &
tuentur aliquo modo Nomen. Dicunt enim Romani *Bagna Poli*, quasi *Balnea Paul-*
li. Laudantur etiam *Balnea T. Claudij Etrusci* ab Marmorum Precio, Aedificij ma-
gnificentia, Luminis immissione, & argenteis Fistulis, apud Statium lib. I. Silvarum *T. Claudij Etrusci,*
& Martialem lib. VI. Epigr. XLII: apud quem passim *Balneorum* Romanorum fre-
quens est mentio. Luxuriam *Balneorum* exagitat Seneca ad Lucill. libro XIII. Pen-
silia fecit Primus C. Sergius Orata. Valerius Maximus lib. IX. Cap. I, & Macro-
bius lib. III. Sat. cap. XV. Argenteis Epistomijs Aquam fundi in plebeis Fistulis; &
in Libertinorum *Balneis* Gemmas collocari, indignatur Seneca. Parietes *Balneorum*
sparsos fuisse à quibusdam Vnguento, notat Plinius lib. XIII. cap: III; qui ibidem
Solia temperata fuisse Vnguento ab Caio Principe, & quodam Neronis Servo,
memorat. Quod ad *Thermas*; eas in Vrbis Regionum Epilogo numerat XVI, Victor; *Thermæ;*
quibus quatuor addit Onuphrius. Inter eas principatum obtinebant, in I Regione, *Commodiana, Severiana,*
Commodiana & *Severiana*; in III, *Titi*, *Traiani*, *Philippi*, Cæsarum; in VI, *Diocletia-* *Titi, Traiani,*
ni & *Maximiani* Imperatorum; in IX, *Agrippæ*, *Neroniana*, *Alexandrina*, *Deciana*; in *Philippi, Diocletiani,*
XII, *Anto-* *&c.*

Templa quatuor.

Templa
- *Isidis.* Vict. Ruf.
- *Serapidis.* Ijdem.
- *Fortunæ Viatorum.* Ijdem.
- *Martis Extramuranei.* Victor & Rufus, qui *Aedem* nominat.

Aedes Sex.

Aedes
- *Martis Quirini.* Victor. Rufus simpliciter *Martis* appellat.
- *Minervæ.* Ijdem.
- *Mercurij.* Ijdem.
- *Tempestatis.* Ijdem.
- *Apollinis.* Ijdem.
- *Camænarum.* Victor Plinius lib. XXXIV. cap. V in Aede hac ponit *Statuam Attij Poëtæ.*

Aediculæ Decem, Victor, Rufus:

Aediculæ
- *Fortunæ Obsequentis.*
- *Honoris.*
- *Virtutis.*
- *Ridiculi.* Festus lib. XVI.
- *Herculis.*
- Reliquæ desiderantur.

Areæ Septem:

Areæ
- *Apollinis.* Vict.
- *Spei.* Vict. Rufus.
- *Thalli, sive Galli, sive Galliæ* (variant enim Libri) Victor, Rufus.
- *Isidis Aelianæ:* Ijdem.
- *Pinariæ.* Ijdem.
- *Carsuræ.* Ijdem.
- *Mercurij.* Rufus.

Areæ Duæ.

Areæ { *Mercurij*, *Isidis.* } Victor & Rufus.

Lapis Manalis Festus lib. XI. & lib. I. in *Aquælicium*, Labeo apud Fulgentium Placiadem in *Manales*, M. Varro apud Nonium in *Trulleum*; cuius Verba corruptiora emendat ingeniose Josephus Scaliger ad Festi illud, *Manalem Lapidem.* Designat hunc *Lapidem.* Martialis libro IIII Epigr. XVIII.

Porticus Vipsani. Enumerat hanc *Porticum* inter *Primæ Regionis* Loca Martialis IIII Epig. XVIII. Idem *Platanoni* adlocat, qui tamen locus erat in Regione XIII. Atqui *Regionem* XIII (id est *Aventinum*) proximam fuisse *Portæ Capenæ*, id est *Primæ Regioni*, in qua erat *Vipsani Porticus*, satis constat. Vide Martialem lib. III. Epig. XIX, ubi etiam docet *Porticum* hanc centum habuisse Columnas; quæ *Vipsanæ Columnæ* vocantur eidem Epigr. quod dixi, XVIII.

Circus Antonini Caracalli, cum *Obelisco.*
Senaculum ad Portam Capenam.
Mutatorium Cæsaris. Vict. Rufus.
Horti Terentiani.
Campus Ridiculi.
Tabernæ Cadiciæ. Festi lib. III.

Thermæ
- *Commodianæ.* Vict. Ruf. Cassiodor. in Chronico, Lampridius in Commodi Vita.
- *Severianæ.* Vict. Rufus, Cassiodorus in Chron. Spartianus in Severo.

Balnea

Balnea
- *Publica* VI
  - *Vettij Bolani*. Vict. Ruf.
  - *Torquati.* / *Mamertini.* / *Abascantiani.* / *Mertiani Secundiani.* / *Antiochiani.* — Iidem.
- *Privata sine nomine* LXXXII. Vict. Rufus.

Lavacrum Antonini Alagabali in *Vico Sulpicio*. Lampridius in eius Vita.

Lacus Fund. XXCIII. Victor. Rufus, enumeratis nominatim XI Lacubus, addit *Lacus sine nomine* LXXI.

Lacus
- *Promethei*. Vict. Rufus.
- *Vespasiani*, alias *Vipsani*. Victor, Rufus.
- *Sanctus.* / *Sudans.* / *Torquati.* / *Publicus.* / *Bivius.* / *Spei.* / *Gratiæ.* / *Mamertini.* / *Salutaris.* — Sex. Rufus.

Reliqui sine nomine LXXII Onuphr. Rufus autem LXXI.

Arcus Quatuor.

Arcus
- *Drusi Neronis*, Victor. *Drusianus* Rufo. Marmoreus erat; teste Suetonio in Claudio cap. I.
- *Divi Traiani*. Vict. Rufus.
- *Divi Veri Parthici*, Victori, *Veri Augusti*, Rufo.
- *Bifrons*. Vict. Rufus.

Sepulcra
- *Corneliorum Scipionum.*
- *Attiliorum Calatinorum.*
- *Serviliorum.*
- *Cæciliorum.*
- *Horatiorum*, &c.

Horrea XIIII. Vict. Ruf.

Pistrina XII. Ruf. XX. Vict.

Domus CXXI. Vict. Ruf.

Insulæ IIII CIↃCCL. Vict. Rufus.

Regio in Ambitu continebat Pedes XIII CIↃCCXXIII, Rufus. Victori autem XII CIↃ CCXXII.

REGIO II.

II Cœli Montium.

COELIMONTIVM. Victor & Rufus.

Mons Cælius, alias *Querquetulanus*, alias *Augustus*. Dixi in Explicatione Montium.

Cæliolus Vict. Rufus. Vide supra de Montibus.

Subura. Rufus. Etymon aperiunt Varro lib. IV. de LL. & Festus lib. XVII. Quod magna ibi esset hominum frequentia, crebraque agitarentur Commercia, eleganter *Suburam* *Clamosam* vocat Martialis lib. XII. cap. XVIII; *Ferventem* Iuvenalis in Satyris. Nam erat ibi *Forum Rerum venalium*, quæ ab Rusticis undique in Vrbem inportabantur. Innuit Martialis libr. VII. Epigr. XXX. Meminerunt Iuvenalis Satyra V. Martial. lib. X. Epigr. XIX. & Inscriptio Vetus:

M. LI-

M. LIVIVS. M. L. AVCTVS PRAECO. DE. SVBVRA LIVIAE. DONATAE. LIBER

Qui *Suburam* habitabant, *Suburani* dicebantur. Festus in *October Equus*. A *Subura Suburana Tribus*, de qua alibi.

Cerolienſis. Varro IV. de LL.

Vici VIII Rufo; XIII, Victori. *Cyclopis* memoria eſt in Lapide apud Onuphrium.

Vicomagiſtri XXXII. Rufo; XXXXXII Victori.

Denunciatores II. Vict. Ruf.

Cohortes Vigilum V. Vict. Ruf. Paullus in l. 3 in pr. D. de Officio Præf. Vigil.

Lupariæ in *Subura*. Vict. Ruf. Eo pertinent Loca Martialis lib. VI. Epig. LXVI; lib. IX. Epigr. XXXVIII; lib. XI. Epigr. LXII; lib. XII. Epig. XXI. Hinc *Suburana Magiſtra*, *Lena*. Martiali libro XI. Epigrammate LXXIX.

Antrum Cyclopis. Vict. Ruf.

Caput Africæ. Ijdem.

Arbor Sancta. Ijdem.

Mica Aurea. Ijdem.

Spolium Samarium. Ijdem.

Luci II. Trebellius Pollio in Tetrico Iuniore.

Templa Quinque:

Templa:
- *Tulli Hoſtilij.*, *Bacchi.*, *Fauni.* — Vict. Ruf.
- *Divi Claudij*. Iidem, Suetonius in Veſpaſiano cap. IX.
- *Deæ Carneæ*, Macrobius.

Aediculæ Octo. Vict. Ruf.

Aediculæ:
- *Dianæ, in Cæliolo.*
- *Fortunæ Barbatæ.*
- *Minervæ Captæ.*
- Reliquæ deſiderantur.

Iſæum Metellianum. Trebellius Pollio in Tetrico Iuniore. Erat & *Iſæum*, ſimpliciter ita dictum, in IX Vrbis Regione.

Minervium. Varro lib. IV. de LL. Erat & *Minervium* in IX. Vrbis Regione.

Statua Equeſtris M. Antonini Imperatoris.

Ludus Matutinus. Vict. Ruf. Inſcriptio, quæ ſub Opido Præneſte, in Via publica, qua Albam itur: Item fragmentum marmoreum in Vinea Cardinalis Carpenſis, in Quirinali:

VVCIA. L. DIANÆ. VICTRICI. PRO LIB. COMM. LVDI. MATVTINI ...

Ludus Gallicus. Victor, Rufus, Inſcrip. apud Onuphrium.

Regia Tulli Hoſtilij. Vict. Rufus.

Armamentarium. Vict. Rufus.

Caſtra Peregrina. Vict. Rufus, Ammianus lib. XVI, Inſcriptiones apud Onuphrium.

Manſiones Albanæ. Victor, Rufus.

Campus Martialis. Vict. Ruf. Feſtus lib. XI. Ovidius in Faſtis.

Campus Fontinarum, vel (ut alij Libri præferunt) *Forinarum*. Rufus.

Campus Cælimontanus. Vict. Rufus.

Thermæ Publicæ. Vict. Rufus.

Balineæ Privatæ, Victori quidem XXC; Rufo autem XX.

Lacus Fund. ſine Nomine LXV, Victori; XI: Rufo.

Macellum Magnum. Iidem.
Horrea xxiiii. Iidem.
Pistrina xxiii, Victori; xxii, Rufo.

Domus cxxxiii, Victori; cxxiii, Rufo. In his,

Domus
- *Vectiliana*, alias *Vitelliana.* Vict. Rufus, Lampridius in Commodo & Pertinace.
- *Philippi.* Vict. Rufus.
- *Septem Parthorum.* Rufus Nominatur & in Reg. xii.
- *Laterani.* Vict. Ruf. Iuvenalis in Satyris, Capitolinus in Antonino Philosopho.
- *Cæsaris Dictatoris.* Suet. in eius Vita cap. xlvi.
- *Mamurræ Formiani.* Plinius lib. xxxvi. cap. vi.

Domus.
- *Ti. Claudij Centumali.* Valer. Maximus lib. viii. cap. ii. Cicero iii. Officior.
- *Iunij Senatoris.* Tacit. lib. iv. Annal.
- *Stellij Poetæ.* Mart. lib. xii. Epigr. iii.
- *Ti. Claudij Clypti Hymnologi.* Inscript.
- *Tetricorum.* Trebell. Pollio Tetrico Iuniore.
- *M. Annij Veri*, juxta Ædes Laterani. Capitolinus in Antonino Philosopho.
- *Turris Mamilia.* Festus in *Mamilia* & *October.*
- *Insulæ* ccIↃↃ cIↃ cIↃ cvi, alias cIↃ cIↃ cIↃ. Victor, Suetonius in Tiberio cap. xlviii.

Regio in Ambitu continebat apud Rufum quidem *Ped.* ccIↃↃ cIↃ cIↃ cIↃ cc; Victori vero ccIↃↃ cIↃ cIↃcc.

REGIO III.

ISIS ET SERAPIS MONETA.

III. Isis & Serapis Moneta.

Carinæ.
- ἀπὸ τῆς κάρας, a Capite; quod ibi caput esset Sacræ Viæ. Innuit Varro libro iv. de LL.
- ab Ædificijs in modum Carinarum. Servius ad vii. Æneidos.

Describunt ab Vicinis Locis *Carinas* Livius, non uno loco, Suetonius in Tiberio cap. xv & de Claris Grammaticis in Lenæo. *Carinas lautas* vocat Virgilius viii Æneid. Rationem duplicem indicat ibidem Servius.

Vici viii. Victor, Rufus.

Vicus — *Altus.*, *Fortunæ Vicinæ.*, *Anciportus.*, *Bassianus.*, *Structorum.*, *Asellus.*, *Lanarius.*, *Primigenius.* — Rufus.

Vico-

Vicomagistri, Victori quidem xxxii; Rufo autem xxiv.

Denunciatores ii. Vict. Rufus.

Curatores ii. Iidem.

Caput Suburæ. Iidem. Martialis lib. ii. Epigr. xvii. videtur nominare *Fauces Primas Subura*; & lib. xii. Epigr. iii. *Primam Suburam*.

Tribus Gratiæ Aureæ, alias *Areæ*. Rufus.

Summum Choragium. Victor, Rufus, Inscriptio:

HERCVLI ET SILVANO EX VOTO
TROPHIMIANVS
AVG. LIB
PROC SVMMI CHORAGI
CVM CHIA. CONIVGE

Caput Sacræ Viæ. Varro lib. iv. de LL. *Summam Sacram Viam* nominat idem lib. i. de Re Rust. cap. ii. Adeundus & Solinus cap. ii.

Prætura Præsentissima. Victor, Rufus.

Lucus Cuperius Scholæ Capulatorum.

Templa,
- *Isidis & Serapidis Monetæ*. Hinc Regioni erat nomen.
- *Concordiæ Virilis* cum *Delubro*. Victor, Rufus.

Ædiculæ viii. Vict. Rufus.

Aediculæ, (Rufus.)
- *Bonæ Spei.*
- *Serapidis.*
- *Sangi Fidoni.*
- *Minervæ.*
- *Isidis.*
- *Veneris.*
- *Aesculapij.*
- *Volcani.*

Porticus Liviæ iuxta Templum Concordiæ Virilis. Vict. Ruf. Suetonius in Augusto cap. xxix, Plinius libro i. Epist. v. Ovidius in Fastis.

Porticus Claudij. Martialis de Amphitheatro Epigr. ii.

Amphitheatrum Vespasian, quod capiebat *Loc.* lxxvii. *millia*; alias lxxxvii *millia*. Victor, Rufus. quorum hic *Amphitheatrum* appellat *Flavi*. Consulendi Suetonius in Vespasiano cap. ix, Martialis lib. i. Epigr. ii, Plinius lib. viii. Epist. xxxvi, Capitolinus in Antonino, Lampridius in Alagabalo. Quem sit *Vespasiani* opus, Martialis per adulationem tribuit *Domitiano*; non semel.

Ludus Magnus. Victor, Rufus, Inscriptio, quæ Sermonetæ in Latio, prope Hospitium publicum:

DIS. MANIBVS
M. CALPVRNIO. M. F. MEN
VOSENNIO
VIX. ANN. XXX. M. IIX
M. CALPVRNIVS. M. F. MEN
HILARVS. MEDICVS
LVD. ⌀ MAG. ⌀
FRATRI. PIISSIM. FEC

Ludus Dacicus. Victor, Rufus.

Ludus Mamertinus. Victor, Rufus.

Castra Misenatium. Victor.

Castra Misenatium Vetera, Victori; *Castra Misenatium Secunda*, Rufo.

Schola Quæstorum. Victor, Rufus.

Schola Capulatorum. Iidem.

Schola Galli. Rufus.

Thermæ Titi Cæsaris Augusti Victor, Rufus, Martialis lib. de Amphitheatro Epig. ii.

Thermæ Traiani Cæsaris Augusti. Victor, Rufus, Basis Statuæ, quæ in Thermis Traiani inventa, in domum postea Bernardini Massæi Cardinalis est translata.

IVLIVS. FELIX. CAMPANIA
NVS. V. C. PRÆFECTVS. VRBI
AD. AVGENDAM. THERMA
RVM. TRAIANARVM. GRATIAM

Thermæ Philippi Cæsaris Augusti. Victor; Inscriptio apud Onuphrium.

Balineæ Privatæ LXXX. Victor, Rufus

Lympheum Ti. Claudij Cæsaris Augusti Rufus.

Lacus Pastoris, Victor, Rufus.

Lacus sine nomine, Victori quiden LXV, Rufo vero XXV.

Neronis Stagna. Martialis de Amphith. Epig. II.

Horrea Victori XXIX, Rufo XIX.

Pistrina XII Victori; Rufo XXIII.

Domus CLX. Victor, Rufus, In his:

Domus:
- *Aurea Neronis* cum *Porticu.* Suetonius in Nerone, cap. XXXI, Tacitus lib. XV. Annal. Describit ab suis partibus Martialis de Amphitheatro Epig. II.
- *Bruttiani.* Victor. Rufo *Brytttiana* dicitur.
- *Pompeiani* Victor.
- *D. Cælij Balbini Augusti.* Capitolinus in eius Vita.
- *Titi Cæsaris* cum *Atrio*; in quo fuit *Laocoontis Statua.*

Insulæ II *Millia* CCCVII. Victor, Rufus.

Regio continet in Ambitu Ped. XII *Millia* CCCCL. Victor, Rufus.

REGIO IV.

IV. Via Sacra.

VIA SACRA, alias TEMPLVM PACIS. Victor, Rufus. Meminit *Quartæ Regionis* Ara Marmorea, quæ in domo Hieronimi Pici, ad Campum Floræ, male habita.

GERMANICO. CÆSARE
Cos
C. FONTEIO /'/ ITONE — proculdubio, CAPITONE
K AN
SIEIÆ. FORTVNÆ, AVG. — fortean SACR
SEX. FONTEIVS. Ͻ. L. TROPHIMVS
CN. POMPEIVS. CN. L. NICEPHOR
MAG. VICI
SANDALIARI. REG
IIII. ANNI: XVIII
D 7 D

Vid

Via Sacra. Victor, Rufus. Dixi antea.

Ad Cornetta. Varro libro IV. de LL. Festus in libr. de Verbor. significat. Plutarchus in Vitis.

Vici VIII. Victor, Rufus.

Vicus,
- *Cyprius*, post *Sceleratus*. Rufus. Legendi Livius libro I. Varro lib. IV. de LL. qui *Cyprium* & *Sceleratum* distinguit, Dionysius lib. IV. Festus libro XVII, Auctor de VV. Inlustribus cap. VII; Messalla Corvinus, ubi de Servio Rege, Valerius Maximus lib. IX. cap. XI. Ovidius libro VI Fastor.
- *Eros.* *Veneris*, *Apollinis.* *Trium Viarum.* *Anciportus Minoris.* *Fortunatus Minor.* — Sex. Rufus.
- *Sandaliarius.* Idem, & Inscriptio, quam paulo ante posui; item Ara quadrata, doctissima manu undique accurate sculpta, quæ visitur in posteriore Palatio Cardinalis *de la Valle*; Legitur autem in Smetiano Volumine Fol. XXXIV. num. 7.

Vicomagistri XXXII. Victor, Rufus.

Curatores II Iidem.

Denunciatores II. Iidem.

Carinæ Caput. Iidem *Primam Carinam* videtur appellare Martialis lib. XI. Epig. I.

Aequimelium. Rufus, Varro lib. IV. de LL. Livius lib. IV. Auctor de VV. Inlustr. cap. XVII; Cicero Oratione pro Domo; Valerius Maximus lib. VI. cap. III.

Bucena aurea. Rufus; quæ Victori *Buccina aurea*, vel, ut in alijs Codicibus, *Buccinum aureum.*

Sororium Tigillum. Rufus, Victor, Livius libro I. ab V. C, Dionysius Halicarnass. lib. Antiquitat. Rom. III. Auctor de VV, Inlustribus cap. IV. Festus libro XVII de Verbor. significat.

Meta Sudans. Victor, Rufus.

Caput Lynco. Rufus.

Busta Gallica. Livius lib. V. Dionys. Halic. in libr. Antiquitat. Romanar, Varro lib. IV. de LL.

Templa X.

- *Pacis*; in quo inter cetera *Ornamenta* erant *Templi Hierosolymorum*. Consulendi præter Rufum, Iosephum & D. Hieronymum, Suetonius in Vespasiano cap. IX. & Martialis lib. I. Epigrammate III.
- *Remi.* Victor, Rufus.
- *Urbis Romæ & Augusti.* Victor, Rufus. Hoc *Templum* intellegit Ammianus lib. XVI: *Et Urbis Templum Forumque Pacis & Theatrum Marcelli.* nisi legendum sit; *Et Urbis Forum Templumque Pacis.*

Templum
- *Veneris Cloacinæ.* Victor, Rufus.
- *Divæ Faustinæ*, cum *Porticu.* Victor, Rufus, Vopiscus in Galieno. In *Porticu* hoc Elogium hodie legitur.

DIVO. ANTONINO. ET
DIVAE. FAVSTINAE. EX. S. C.

Telluris in Carinis, cum *Armamentario*. Victor, Rufus. Ara marmorea elegantissima, quæ in Atrio Cardinalis de la Valle mentionem facit *Armamentarij*:

IMP. CÆSARI
DIVI. HADRIANI
AVG. FILIO. DIVI
TRAIANI. PARTHICI
NEP. DIVI. NERVÆ
ÆLIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG
PIO TRIB. POT. COS. DES. II
SCRIBÆ
ARMAMENTARI
POSVERVNT

Sp. Cassij, qui Regnum adfectavit, *Statuam* apud *Ædem Telluris* fuisse, scribit Plinius lib. XXXIV. nat. Hist. cap. VI.

Solis. Rufus.

Lunæ. Rufus. Victor *Solis & Lunæ* confundit.

Concordiæ cum *Porticu Lunæ*. Rufus. S. P. Q. R. *Templum* hoc Igne vastatum reparasse loquitur Inscriptio:

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
INCENDIO. CONSVMTVM. RESTITVIT

Divi Nervæ in Foro Transitorio. Rufus.

Ædes:

Aedes { *Iani Curiatij.* / *Iunonis Sororiæ in Carinis.* / *Salutis.* / *Larium*, ubi *Ancus Marcius* habitabat. Solin. cap. II. }

Aediculæ VIII:

Musarum. Rufus. Nescio an intelligat Martialis lib. XII, Epigr. III.

Aedes { *Spei.* / *Mercurij.* / *Lucinæ Valerianæ.* / *Iunonis Lucinæ.* / *Mavortij* / *Iuventutis.* / *Isidis.* } Rufus.

Volcanale, ubi *Lotos ab Romulo sata*. Victor, Rufus, Plinius lib. XVI. nat. Hist. cap. XLIV.

Sacri porticus, alias *Sacri portius*. Victor, Rufus.

Porticus Absidata, alias *Asidata*. Victor, Rufus.

Area Victoriæ; Rufus.

Area Volcani, in qua sanguine per biduum pluit. Vict.

Sacellum Deæ Strennuæ. Victor, Rufus. Varro IV. de Lingua Lat. Festus in *Sacram Viam*.

Colossus Solis, *altus pedes* CII-S, alias CCX; *habens in capite radios* VII, *singulos pedum* XXII-S. Victor. Meminit Martialis in Amphith. Epigr. II & libro I. Epigr. LXXI.

Apollo Sandaliarius. Victor, Rufus.

Odæum.

Forum Transitorium, alias *Palladium*, alias *D. Nervæ*, cum *Porticibus*. Vict. Rufus, Lampridius in Severo.

Forum Cupedinis.

Basilica Vetus L. Aimilij. Vict. Rufus.

Basilica Constantiniana. Iidem.

Secretarium Populi Romani. Quis eius Auctor, quisque incendio consumti Reparator, loquitur Inscriptio, quæ in Hemicyclo Templi Sanctæ Martinæ (illud enim olim *Secretarium* fuit) in Tabula marmorea; his verbis:

SAL-

SALVIS. DOMINIS. NOSTRIS. HONORIO. ET. THEODOSIO. VICTORIOSISSIMIS. PRINCIPIBVS. SECRETARIVM. AMPLISSIMI. SENATVS. QVOD. VIR. INLVSTRIS. FLAVIANVS. INSTITVERAT. ET. FATALIS. IGNIS. ABSVMPSIT. FLAVIVS. ANNIVS EVCHARIVS. EPIFANIVS. V. C. PRAEF. VRB. VICESACRAIVD. REPARAVIT. ET. AD. PRISTINAM FACIEM. REDVXIT

Balineum Daphnidis. Vict. Rufus.

Balineæ Privatæ LXXV. Vict. Rufus.

Lacus sine Nomine, Rufo, LXXIX; Victori, LXXIIX.

Arcus Titi Cæsaris Vespasiani Augusti. Victor, Rufus.

Arcus L. Septimij Severi Augusti. Inscriptionem habet Litteris Pedalibus, olim in Marmore primum incisis, excavatisque, deinde vero Aere Corinthiaco inaurato (quod postea à Barbaris, Vrbem deuastantibus, erutum fuit & sublatum) repletis.

Arcus Constantini Augusti: in quo hoc legitur Elogium:

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO
P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R.
QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS
MAGNITVDINE. CVM. EXERCITV. SVO
TAM. DE. TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS
FACTIONE. VNO. TEMPORE. IVSTIS
REMPVBLICAM. VLTVS. EST. ARMIS
ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT

Intra Fornicem maiorem eiusdem Arcus legitur:

hinc — inde

LIBERATORI. VRBIS. FVNDATORI. QVIETIS

Horrea XIIX. Victor, Rufus.

In his:

Cantharia, alias *Testaria*. Vict. Ruf.

Pistrina XXIV Onuphrio; Rufo XXIII; Victori XXIII.

Domus CXXXVIII. Vict. Ruf.

In his:

Regis Anci Marcij, in Via Sacra. Solin. cap. II.

C. Scipionis Nasicæ. Pomponius Iurisc. in l. 2. §. 37. D. de origin. iuris.

Sp. Cassij Viscellini in Carinis, ubi postea Templum fuit Telluris. Livius.

Cn. Pompei Magni; post M. Antonij, in Carinis. Vict. Rufus, Dio lib. Histor. Romanæ XLVIII, Plutarchus in Antonio, Suetonius in Tiberio cap. XV, & de Claris Grammatic. ubi de Lenæo; Capitolinus in Gordiano principe, non uno loco.

Avita Ciceronum. Victor, Rufus.

Pontificis Maximi; quam *Cæsar* habitavit, honorem illum adeptus. Suetonius in ejus Vita, cap. XLVI.

M'. Manilij.

Philippi in Carinis.

D. Cælij Balbini Imperatoris. Capitolinus Vitam eius describens.

Insulæ tam Victori, quam Rufo (qui in numeris alioquin plerumque inter se solent dissentire) II CIↃ IↃ CCLVIII.

Regio continebat in Ambitu Ped. Victori quidem XIIII CIↃ; Rufo autem XCVIII CIↃ.

REGIO VRBIS QVINTA.

ESQVILINA cum *Turri* & *Colle Viminali.* Victor, Rufus, Festus in *Salinum* & *Cispius*, Porphyrio ad Horatij Libr. I. Sermon. Sat. VIII. Idem Porphyr. *Regionem Aggeris* videtur nominare ad Horatij v. Epod. in fine.

Mons Esquilinus, alias *Cispius, Oppius,* & *Septimius*. Vide, ubi de Montibus disserui.

Mons Fagutalis vel *Viminalis.*

Aggeres Tarquinij Superbi. Strabo lib. v. Plinius lib. III. cap. v. Intelligit Horatius lib. I. Sat. VIII. Ab hoc *Aggere Esquilinam*, *Aggeris Regionem* appellat Porphyr. ut paullo ante dixi. Hi *Aggeres* hodieque visuntur, parum ultra Diocletiani Thermas.

Clivus Urbicus. Livius lib. I. Solin. cap. II.

Vico-Patricius. Festus in *Patricius* & *Septimontium.*

Figlinæ. Varro lib. IV de LL. Festus in *Salinum.*

Puticuli, alias *Puticulæ in Esquilijs.* Varro IV de LL. Festus lib. XIV, Acron ad Horat. lib. I. Serm. Sat. VIII.

Ustrinæ publicæ. Acron & Porphyr. ad eamdem Horat. Sat. VIII. Hinc *Vicus Ustrinus*, de quo paullo post.

Sessorium. Acron ad eamdem Sat. VIII.

Spes Vetus. Lampridius in Alagabalo.

Vicus
- *Minervæ.* Idem.
- *Ustrinus.* Idem. Sic dictus ab *Ustrinis*, quæ in Quinta erant Regione.
- *Palloris.* Idem.
- *Seius.* Idem.
- *Rufus.* Idem.
- *Silvani.* Idem.
- *Capulatorum.* Idem. In eo habitabant *Capulatores*, qui Mortuos vilioris conditionis efferebant ad Ustrinas, Sepulcra vel Puticulos; quæ in hac erant Regione.
- *Tragœdus.* Rufus.
- *Vnguentarius.* Idem. In hoc Vico Vnguenta defunctorum corporibus vendebantur.
- *Paullinus.*, *Pastoris.*, *Caticarius.*, *Veneris placidæ.*, *Iunonis.* — Rufus.
- *Africus in Esquiliis antiquus.* Varro lib. IV. de LL.

Vici XV. Victor.

- *Sucusanus.* Rufus. Fortean à *Pago Sucusano*, cuius mentio apud Varronem lib. IV. de LL.
- *Ursi Pileati.* Ruf.

Vicomagistri LX. Vict. Ruf.

Curatores II. Iidem.

Denunciatores II. Iidem.

Stationes Cohortium Vigilum VII. Iidem.

Tabernola. Varro ibidem.

Tres Tabernæ. Victor & Rufus.

Lucus

Lucus
- *Pœtilinus*. Victor, Rufus, Varro lib. IV. de LL. Livius lib. XXXV.
- *Fageus*, alias *Fagutalis*. Vict. Ruf. Varro, Solinus cap. II. ubi male *Lacum*, Plinius lib. nat. Hist. XVI. cap. X.
- *Esquilinus*. Victor & Varro.
- *Querquetularius*. Videtur Festus appellare *Silvam Querquetalariam*, in *Querquetulanæ Veræ*.
- *Mephitis*. Varro IV. de LL. Festus in *Septimontium*. Servius ad VII Æneid.
- *Junonis Lucinæ*.
- *Viminalis*, alias *Jovis Viminei*.
- *Rubiginis*.

Templa
- *Iovis Fagutalis*, alias *Viminei* Rufus.
- *Iunonis Lucinæ*. Victor, Rufus.
- *Minervæ Medicæ Pantheum*. Rufus. Victori simpliciter *Minerva Medica*.
- *Silvani sub Viminali*, cum *Porticu*. Vict. Ruf.
- *Æsculapij*. Iidem.
- *Veneris Erycinæ ad Portam Collinam*, cum *Porticu*.

Ædes
- *Veneris Verticordiæ extra Portam Collinam via Salaria*.
- *Rubiginis*, *Via Nomentana extra Portam Catulariam*.
- *Quietis extra Portam Collinam*
- *Honoris ad Portam Collinam*.
- *Felicitatis*.
- *Malæ Fortunæ*.

Aediculæ XVI. alias XV. Vict. Ruf.
- *Fortunæ Seiæ*.
- *Veneris Placidæ*.
- *Castoris*.
- *Pollucis*.
- *Silvani*.
- *Apollinis*.
- *Cloacinæ*.
- *Herculis*.
- *Mercurij*.
- *Martis*.
- *Lunæ*.
- *Serapidis*.
- *Vestæ*.
- *Cereris*.
- *Proserpinæ*.
- *Fortunæ Parvæ*

(*Aediculæ* … Rufus.)

Sacellum
- *Deæ Næniæ extra Portam Viminalem*. Festus in Næniæ.
- *Querquetularium*. Varro IV. de LL.
- *Iovis Fagutalis*, *Fagutal* appellatum.

Aræ
- *Iovis Viminei*. Vict. Rufus.
- *Malæ Fortunæ*.

Hercules Silvanus, alias *Sullanus*, Victor.

Isis Patricia. Vict. Rufus.

Amphiteatrum Castrense. Iidem.

Circus Aureliani cum *Obelisco*.

Forum Esquilinum. Appianus.

Basilica Sicini.

Regia Ser. Tullij. Rufus, Victor, Dionysius Halic. lib. IV. Ovidius lib. VI. Fast. Messal. Corvinus. de Progenie Augusti.

Campus
- *Esquilinus*. Vict. Ruf. Horat. lib. I. Ser. Sat. VIII, Suetonius in Claudio cap. XXV.
- *Viminalis* sub *Aggere*, in quo erat *Aedicula Fortunæ Parvæ*. Vict. Rufus.

Horti Mæcenatis cum *Turri*. Victor, Rufus, Tacitus lib. XV. Annal. Sueto-

Suetonius in Tiber. cap. xv, Acron ad Horat. lib. i. Serm. Sat. viii. De *Turri* etiam Sueton. in Nerone, cap. xxxviii. Turris,

Moles propinqua Nubibus arduis,

Horatio lib. iii. Carmin. Od. xxix. ubi Porphyr. & Acron.

Horti Plautiani, alias *Planciani*, alias *Pallantiani*. Victor. Rufus.

Horti Spei Veteris. Lampridius in Alagabalo, non uno in loco.

Horti Torquatiani.

Castra Prætoria. Suetonius in Tiber cap. xxxvii, Tacitus lib. iv. Annalium, Plinius lib. iii. nat. Hist. cap. v, Herodianus lib. vii. Iulius Capitolinus in Maximi & Balbini Impp. Vitis, & alij. Servant. memoriam eorum Fistulæ quædam plumbeæ, nuper sub Aquæ Marciæ Ductibus repertæ in Vineis, ubi olim hæc *Castra*, inter Portas Viminalem & Tiburtinam:

L. IVN. CLARO. ET. AVR. SEVERO. CoS
CASTRVM. PRÆTORIVM. P. LXX.

Alia:

CLARO. ET SEVERO. COS. QVADRAT SER FEC
CASTRVM. PRÆTOR, P. cc

Alia:

T. VESPAS. AVG. III FLAV. DOMIT. III CoS
Q. CLAVD. SER. OFF. FEC. CASTR. PRÆT

Alia:

CASTR. PRÆT.
I. SILVINI
HELPIDIANI

Alia:

CASTRVM. PRÆTORIVM
EX PR. VINI. QVAD. ET ANT OP
EX. FIG SEX. AT. SILV. F. VI

Vivarium. Procopius lib. i. de Bello Gothico.

Thermæ:
- *Olympiadis*. Vict. Rufus, Acron ad i Horat. Serm. Sat. viii.
- *Novati*.

Balineum Paulli.

Balinea Privata lxxv. Vict. Rufus.

Nymphæum Alexandri imperat. Victor, Rufus.

Lavacrum Agrippinæ. Ijdem.

Lacus Promethei secund. Ijdem.

Lacus sine Nomine, Victori clxxix; Rufo xxcix.

Castellum Aquarum Marciæ, Iuliæ & Tepulæ. Herod. lib. vii.

Arcus Gallieni. Inscriptionem habet.

Macellum Livianum Victor, Rufus.

Horrea, Victori xxiii; Rufo xxvii.

Pistrina Rufo xxxii; Victori xxii, vel, ut in alijs libris, xii.

Domus, Victori clxxx; Rufo clxx.

In his:

Domus:
- *Ser. Tullij Regis*. Solinus cap. ii. Ad eam properat apud Livium lib. i. Ser. Tullius Rex vulneratus; sed in Via occumbit: Eam versus Carpentum flectit Tullia, ut eius caperet possessionem, scribente Festo lib. xvii. Ait enim Livius Tulliam Carpentum flexisse in *Esquilias*; & Festus, ut possessionẽ caperet *Domus paternæ*. Vid. & Ovidius lib. vi. Fast.
- *Q. Lutatij Catuli*. Victor.
- *M. Licinij Crassi Divitis*. Victor, Plin. lib. xvii cap. i.

Domus:
- *Aquilij Iurisconsulti*. Vict. Ruf. Plin. ibidem.
- *P. Virgilii Maronis*. Servius.
- *Propertij*. Ipse Poeta.
- *A. Persii*. Cornutus.
- *Maximi*. Martialis lib. vii. Epigr. lxxii.

C. Pli-

C. Plinij Iunioris. Plin. lib. III. Epist. XXI.

Paulli. Mart. lib. V. Epig. XXIII.

Licinij Imperatoris.

Insulæ III CIↃ IↃ CCCL. Victor, Rufus.

Regio habebat in Ambitu Ped Rufo quidem XV CIↃ IↃ CCCL; Victori vero XV CIↃ IↃ CCCC.

REGIO VRBIS SEXTA. Nominat Suetonius in Domit. cap. I.

ALTA SEMITA. Vict. Rufus, Martialis lib. V. Epigr. XXIII. *VI. Alta Semita.*

Mons Quirinalis, alias *Agonius*, *Salutaris*, *Latiaris* & *Mutialis*. Dixi supra.

Campus Sceleratus ad Portam Collinam. Livius lib. VIII, Dionysius lib. II, Plinius lib. IV. Epist. XI, Festus lib. XVII. Plutarchus in Numa.

Clivus Publicus. Varro lib. IV. de LL

Vici XIII, alias XII, non enim connumerant *Vicum Bellonæ*. Victor, Rufus.

Vicus

- *Bellonæ*, extra numerum. Victor, Rufus.
- *Mamuri.* Ijdem, & Ambrosius.
- *Albus.* Rufus.
- *Publicus.* Idem, Inscriptio Romana.

L· IVNIO L. F. SABATI
NA. POLLIONI. AV
ROMATARIO. A. VIC
PVBLIC. VIX. ANN
XLVII
L. IVNIVS. L. F. SYN
AVIVS. AROMAT
FRATRI, OPTIMO. PI
ENTISSIMO

Aliam habet Onuphrius.

- *Floræ.*
- *Quirini.*
- *Flavius.*
- *Fortunarum.*
- *Paccius.*
- *Tiburtinus.*

Sex. Rufus.

- *Salutis.*
- *Calidianus.*
- *Maximus.*
- *Mustellarius Antiquiis* extra numerum.

Vicomagistri XLVIII, alias LII, alias LXVI. Vict. Rufus.

Curatores II. Ijdem.

Denunciatores II. Ijdem.

Cohortes Vigilum III. Ijdem.

Capitolium Vetus. Victor, Varro IV de LL. Martialis lib. V. Epigr. XXIII *Antiquum Iovem* appellat; libro vero VII. Epig. XXII. *Iovem Veterem.*

Malum Punicum. Vict. Rufus, Suetonius in Domit. cap. I.

Decem Tabernæ. Vict. Rufus.

Ad Gallinas Albas. Ijdem.

Pila Honoris. Iosephus Scaliger & Dionysius Gothofredus ad lib. IV. de LL. Varronis.

Turaculum Ædificium. Ijdem.

Templa XV:

Salutis in Colle Quirinali. Victor, Rufus.

Serapium, alias *Serapidis*, alias *Serapeum*. Ijdem, Inscriptio Romæ retro Thermas Constantini, in Sancta Agatha, in Tabula marmorea, VIII pedes longa:

SERA-

Templa:

SERAPIDI DEO
M. AVRELIVS ANTONINV
IPER MAX TRIBVNIC POTE
AEDEM

- *Apollinis & Clatræ.* Victor, Rufus.
- *Floræ.* Victor, Rufus, Martialis lib. v. Epig. XXIII.
- *Veneris Hortorum Sallustianorum.* Vict. Rufus, Inscriptio apud Onuphrium.
- *Quirini* cum *Porticu.* Victor, Rufus, Varro lib. IV. de LL. Festus in *Quirinalis,* Martialis libro I. Epigr. I.
- *Minervæ Flavianæ.* Victor, Rufus, Suetonius in Domitiano cap. I. Valerius Flaccus Argonautic. lib. I, Martialis IX. Epigr. II & IV.
- *Fortunæ Seiæ.* Victor.
- *Salutis aliud.* Rufus. Varro *Ædem Salutis* nominare videtur lib. IV. de LL.
- *Fidei.* Rufus.
- Fortunæ: *Liberæ. Statæ. Reducis. Publicæ in Colle. Primigeniæ*

Aedes Divi Fidij in Colle, alias *Sancti Fidij Semi-patris.* Victor, Rufus. Sic Varro lib. IV. de LL. *Aedes Divi Fidij in Delubro:* forte legendum, *cum Delubro.*

Aedicula XVI. Victor, Rufus.

- *Fortunæ Parvæ.*
- *Genij Liberorum*
- *Genij Larum.*
- *Dianæ Valerianæ.*
- *Iunonis Iuliæ.*
- *Spei.*

(Rufus.)

Aedicula:

- *Sangi,* in qua *Lana, Colus* & *Fusus Tanaquilis,* Rufo notante.
- *Silvani,* cum *Porticu.* Rufus, Tabella marmorea in Vinea Cardinalis Carp. in Quirinali:

SILVANO. SANCTO
L. VALLIVS. SOLON
PORTICVM
EX. VOTO. FECIT
DEDICAVIT. K. APRILIB.
PISONE. ET. BOLANO. COS

- *Veneris.*
- *Herculis.*
- *Victoriæ.*
- *Matutæ.*
- *Liberi Patris.*
- *Saturni.*
- *Iovis.*
- *Minervæ.*

(Rufus.)

Sacellum Quirini. Paullus ex Festo in *Quirinalem.*

Porticus:
- *Quirini.* Martialis lib. XI. Epigr. I.
- *Milliaria.* Vopiscus in Aureliano Imperatore.

Area Callidij. Vict. Rufus.

Statua:
- *Quirini, alta pedes* XX.
- *Mamuri plumbea.*
- *Fortunæ Publicæ in Colle.*

(Victor, Rufus.)

Statuæ duæ marmoreæ Alexandri Magni, Bucephalum domantis, Fidiæ & Praxitelis. Hodieque visuntur, sed mutilæ.

Circus prope Portam Collinam, iuxta ædem Veneris Erycinæ, cum *Obelisco.*

Circus Floræ. Victor, Rufus, Martialis lib. v. Epig. XXIII.

Forum:
- *Sallustij.* Victor, Rufus.
- *Diocletiani.* Vopiscus in Probo.

Senaculum Matronarum in Colle Quirinali, quod Antoninus Alagabalus

lus fecit. Victor, Rufus, Lampridius in Alagabalo.

Horti Salustiani. Victor, Cornelius Tacitus libro XIII Annal. & lib. III Historiarum, Vopiscus in Aureliano Principe. Inscriptio:

M. AVRELIVS PACORVS
M. COCCEIVS STRATOCLES
AEDITVI VENERIS HORTORVM
SALVSTIANORVM BASEM CVM
PAVIMENTO MARMORATO
DEANAE
D. D.

Conditorium Pusionis & Secundillae ponit in *Hortis Salust.* Plinius.

Thermae Diocletiani & Maximiani. Victor, Rufus, Inscriptio in his Thermis inventa:

CONSTANTIVS ET MAXIMIANVS INVICTI AVGG
SEVERVS ET MAXIMIANVS CAESS
THERMAS ORNAVER ET ROMANIS SVIS
DEDICAVER

Thermae Constantini in Colle, alias *Constantinianae.* Victor. De earumdem reparatione servatur Inscriptio, littera longa & inaequali, in Aedicula deserta Sanctae Helenae, retro ipsas Thermas Loquitur ea *Petronium Perpennam Magnum Quadratianum V. C. & Iul. Praef. Vrb. Constantinianas Thermas, longa incuria & abolendae Civilis, vel potius Feralis Cladis Vastatione vehementer adflictas, ita ut agnitione sui omni ex parte perdita desperationem cunctis reparationis auferrent, deputato ab Amplissimo Ordine parvo Sumtu, quantum publicae patiebantur angustiae, ab extremo vindicasse occasu, & provisione largissima in pristinum faciem splendoremque restituisse.*

Balnea Pauli. Victor, Rufus.

Balnea Privata, Victori LXXV, Rufo LXV.

Lacus LXXV, alias LXXVI, Vict. Rufus.

Bibliotheca Vlpia in Thermis Diocletiani. Vopiscus in Aureliano, Probo, & Numeriano.

Horrea XIX, alias XVIII. Victor, Rufus.

Pistrina XXIII, alias XXII, alias XII. Victor, Rufus.

Domus CXV, alias CXLV. Victor, Rufus. In his:

Domus,
- *Corneliorum.*
- *Attici.* Victor Rufus, Cornelius Nepos in eius Vita; M. Tullius in quibusdam ad ipsum Epistolis.
- *C. Sallustij.*
- *T. Flavij Sabini.* Victor, Rufus, Marlianus lib. IV. Topograph. Vrbis Romae, cap. XXIII.
- *Maximi.* Martialis lib. VII. Epigr. LXXII.
- *Numam Pompilium*, Secundum Romanorum Regem, primum in Colle Quirinali habitasse, scribit C. Iulius Solinus cap. II.

Insulae III CIↃ IↃ V. Sex Rufo; P. autem Victori, paullo maiore numero, III CIↃ IↃC.

Regio in Ambitu continebat Ped. XV CIↃ IↃC. Vict. Rufus,

REGIO VRBIS SEPTIMA,

VII. *Via Lata.*

VIA LATA. Victor, Rufus.

Vici XL. Rufo; Victori X.

Vicus:

Ganymedis.	*Piscarius.*
Gordiani Mi-	*Calatus.*
novus. (ru.	*Victoris*, alias
Caprarius.	*Victoria.*
Solis.	*Vitinus.*
Gentianus. (gi	*Gratus.*
Sanct, alias *San-*	*Lunarius ulte-*
Herbarius.	*rior.*
Marinctus. (nor	*Pomonæ.*
Argillarius Mi-	*Caput Minervæ.*
Scletarius.	*Trojanus.*
Fortunæ.	*Peregrinus.*
Spei Maioris.	*Calsius.*
Novus ulterior.	*Minor.*
Libertorum.	*Putealium.*
Publij.	*Scipionis.*
Novus citerior.	*Iunonis.*
Statuæ Veneris.	*Sellarius.*
Archemorium,	*Isidis.*
alias *Archemo-*	*Tabellarius.*
nium.	*Mancinus.*
Aemilianus.	*Lotarius.*

Rufus.

Vicomagistri Rufo CXX; Victori XL.

Curatores II. Ijdem.

Denunciatores. II. Ijdem.

Cohortes VII. *Primorum Vigilum.* Ijdem.

Pila Tiburtina. Ijdem & Martialis v. Epig. XXIII.

Ad Mansuetos. Victor.

Lapis Pertusus. Vict. Rufus.

Templum:
- *Solis.* Vict. Rufus.
- *Novum Spei.* Ijdem.
- *Novum Fortunæ* cum *Porticu*, ab Lucullo conditum, in quo erat *Statua Minervæ*, facta ab Fidia, positaque à Paullo Aimilio. Vict. Rufus.
- *Novum Quirini.* Ijdem & Martialis lib. X. Epig. LVIII.
- *Isidis Exoratæ.* Inscriptio haud procul ab Ecclesia Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi in Via Lata: TEMPLVM. ISIS. EXORATAE

Aedicula Capraria. Vict. Ruf.

Porticus Constantini Ijdem.

Sacellum Genij Sangi. Ijdem.

Equi ænei Tyridatis. Ijdem.

Forum:
- *Syarium*, alias *Suarium*. Ijdem, Inscriptio apud Onuphrium:

DOMINO NOSTRO
FL. CLAVDIO. CONSTANTINO
FORTISSIMO. HAC
BEATISSIMO. CÆSARI
FL. VRSACIVS. V. P.
TRIBVNVS. COHORTI
VM. VRBANARVM.
X. XI. ET. XII. ET FORI
SYARI

- *Archemorium.* Vict. & Rufus.

Castra Gentiana, alias *Gypsiana*. Victor, Rufus.

Campus Agrippæ. Ijdem.

Horti Argiani. Ijdem.

Balnea Privata LXXV. Ijdem.

Nympheum Iovis. Ijdem. dubito, an de eo (nam & alia fuerunt Romæ *Nymphea*) sit exaudiendum Vetus Epigramma, quod ante domum quondam Io. Coritij in Foro Traiani, littera inæquali ac male formata.

FLAVIVS. PHILIPPVS VIR CLA
RISSIMVS PRAFECTVS VRBI NYMFE
VM. SORDIVM SQVALORE. FOEDA
TVM. ET MARMORVM. NVDITATE
DEFORME AD CVLTVM PRISTINVM
REVOCAVIT

Lacus

Lacus sine Nomine LXXVI. Vict. Rufus.

Lacus Ganymedis. Ijdem.

Arcus DD. Marci & Veri. Ijdem.

Arcus Gordiani Iunioris Augusti. Ijdem.

Arcus Nouus. Ijdem.

Pistrina XVII, alias XVI. Victor, Ruf.

Horrea XXV. Vict. Rufus.

Sigillaria etiam videntur in hac Regione fuisse. Locus in *vico* fortean *Sigillario*, ubi Sigilla, Libri, Lances, aliæque id genus res minutulæ venales exponebantur. A. Gellius lib. II. Noct. Atticar. cap. VIII. & lib. V. cap. IV. Suetonius in Claudij Principis Vita cap. XVI. & Neron. capite XXVIII. Iurisconsultus l. 102. His verbis. §. 2. D. de Legatis, III.

Domus CXX. Victor, Rufus.

In his:

Domus:
- *Martialis*. Ipse Poeta lib. V. Epig. XXIII. & LXV. item lib. X. Epig. LVIII.
- *Nonij Microspici*. Mart lib. I. Epigr. LXXXVII.

Insulæ. Rufo CIↃ CIↃ CIↃ CCCXXCV; Victori CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ CCCLXXXV:

Regio continebat in Ambitu Ped. CCIↃↃ CCIↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ IↃCC, alias XXIII CIↃ IↃCC, alias XXII CIↃ IↃCC. Victor, Rufus.

REGIO VRBIS OCTAVA.

FORVM ROMANVM. Victor, Rufus,

Mons Capitolinus, post *Tarpeius*, tandem *Capitolinus*, alias *Capitolium*, *ubi omnium Deorum Simulacra celebrabantur*. Victor, Vide supra, ubi de Montibus.

Arx Capitolij. Rufus Varro lib. IV. de LL. Festus lib. XVII. in voce *Sacram*, Tacitus lib. III. Histor.

Rupes Tarpeia, alias *Saxum Carmentale*, vel *Tarpeium*. Foro imminebat, uti videre est apud Dionysium Halic. *Saxum* simpliciter dicitur M. Tullio ad Atticum scribenti. Ab ea Rupe Damnati præcipitabantur.

Clivus Capitolinus. Varro IV. de LL. & Festus lib. XVII, in voce *Stercus*. Quo loco Montis fuerit, varie quærit Marlianus lib. I. cap. III. ex varijs Auctoribus, Suetonio, Ovidio, Servio, Cicerone, Tacito.

Porta Stercoraria. Fest. lib. XVII.

Via Nova. Rufus, Varro IV. de LL. Festus lib. XVII in *Sacram*, Agellius lib. XVI. Noct. Atticar. cap. XVII, Livius lib. I. de cæde Tarquinij Prisci.

Vici XII. Victor, Rufus.

Ligurum Victor, Rufus eumdem videtur ponere cum *Iugario*.

Iugarius. Victor, qui confundit cum *Thurario*. Rufus addit, *alias Ligurius*. Festus in *Iugarius* & *Servilius*, Horatius lib. II. Epist. I. *Deferar* &c. Situm indicat Livius apud Marlianum lib. II. cap. XIII. Tabula lapidea magna longaque, & perfecta littera, in Via Flaminia, extra Portam Flumentanam, in vinea Io. Angeli Puzini:

Vicus

M. VALERIO. M. F. PAL.
AMERIMNIANO.

VIXIT ANNIS XVII. MENSIB.
VIII. DIEBVS. DVOBVS. HOR. X.

M. VALERIVS. M. F.
AMERIMNVS
PATER INFELICISSIMVS
FILIO SANCTISSIMO ET PIENTISSIMO
FECIT
NATVS EQVES ROMANVS. IN VICO IVGARIO.

Thurarius. Victor. eumdem ponit cum *Iugario*. Horat. lib. II. Epist. I. in fine. Quidam hunc *Vicum* ponunt in XI. Regione.

Tuscus. Rufus, Festus lib. penult. de Verbor. sign. Horat. lib. II. Sermon. Sat. III, & ibi Acron. & Porphyr. Martialis lib. XI. Epig. XXVIII. Varro lib. IV. de LL. Situm indicat Livius apud Marlianum. Acron ad Horatium cum *Turario* confundit.

Vnguentarius Major. Victor.

Novus. Rufus.

Vicomagistri XLIIX. Victor, Rufus.

Curatores II. Ijdem.

Denunciatores II. Ijdem.

Cohortes Vigilum VI. Victor.

Vmbilicus Vrbis Romæ. Idem.

Milliarium Aureum. Victor, Plinius lib. nat. Hist. III. cap. V. Suetonius in Othone cap. VI. Macer I C in l. 154. D. de Verbor. significat Tacitus lib. III. Annal. Vocatur ab Dione lib. XLIV. χρυσοῦν μίλιον, à Plutarcho in Galba χρυσοῦς κίων.

Porta Carmentalis. Dixi supra.

Puteal Libonis. Victor, Rufus, Halicarnass. lib. III. in fine, Cicero lib. I. de Div. Horatius lib. II. Sat. VI. & lib. I. Epist. XX. ibique Interpretes ejus Acron, Porph. & Lambinus, qui Nummismata laudat.

Lacus Curtius. Victor, Rufus, Varro IV. de LL. Festus lib. III, Livius lib. I. & VI, Plutarchus in Parall. Sueton. in Aug. cap. LVIII. in Galba cap. XX. Virgil. in Culice haud procul ab fine, Ovidius lib. IV. Fastor. Sudas, Papinius, & alij. Corrigendus Varro,

——— *ubi nunc est Roma*
Septemmontium, demissior infimus locus
Lacus.———

Hos versus in sequentibus Varro, quod ad *Septemmontium*, *Infimus. Lacus* &c. exponit. *Lacus* vocem addidi, quia *Lacus Curtius* videtur designari. Error natus ex similitudine vocum, quarum posteriorem, ut Glossema, quidam expuxerant. Sunt autem Versus Trochaici.

Pila Horatia, ubi Trophæa locata. Victor. Livius lib. I. Dionysius Halicarnass. lib. IV, qui interpretatur γωνιαίας στήλας.

Scalæ Annulariæ. Suetonius in Augusto cap. LXXII.

Sub Novis. Varro lib. V. de LL. Interpretantur viri docti de *Tabernis*, quarum meminit Livius lib. III. ubi Virginiæ Appijque Historia describitur. Sic apud Plautum ἄντικρυς *Sub Veteribus*. Vide infra, ubi de *Curia Hostilia*.

Ad Iunium, secundum Tiberim. Varro lib. IIII. de LL. *Secundum Tiberim*, inquit, *Iunium, Forum Piscarium.* Emendandum censeo *Ad Ianum.* Nam *Templum* [illegible] neum eo loco. vel ab *Ia*[illegible] celebri Mercatorum loco. Potest & legi *ad Iunonem.* à *Templo Iunonis Martialis*, aut *Æde Iunonis Monetæ*.

Luteolæ ad Jani Templum. Varro lib. IV. de LL.

Marsyas. Horat. lib. I. Serm. Sat. VI. ibi-

vi. ibique Acron & Porphyr. Plinius lib. xxi. nat. histor. cap. iii. Seneca lib. vi. de Benefic.

Favissæ Capitolinæ. Agellius lib. ii. cap. xi, Festus lib. vi. de Verbor. signific.

Lacus Vestæ Cuperius. Rufus, Cicero de Divinat.

Templa xxi:

Iovis Capitolini, alias *Optimi Maximi.* Victor, Rufus, Dionys. Halicar. Tacitus, Ammianus Marcellinus.

In Eo tria erât *Delubra.* Macrobius ii. Saturnal. & Ovid. lib. ii. Trist.:
- *Medium, Iovis.* Ausonius.
- *Dextrum, Minervæ.* Idem & Festus in *Nixij*
- *Lævum, Iunonis*, ibique in *Arca Lapidea* servabantur *Libri Sibyllini.* Idem Ausonius, Dionysius Halicarnass. Solinus cap. viii. Notat Servius ad lib. vi. Æneid. Libros illos servatos in *Apollinis Templo.*

Iovis Feretrij. Rufus, Propertius lib. ultimo.

Divi Iulij in Foro; in quo *Simulacrum* erat *Veneris è Mari exeuntis*, DD. ab Augusto. Victor, Rufus, Appianus lib. ii. Bellorum Civilium, Ovidius libro ii. de Ponto, & alij.

Castorum ad Lacum Iuturnæ, alias *Castoris & Pollucis*, in quo erat *Signum Floræ* Victor, Rufus, Dionysius Halicarnassæus, Ovidius in Fastis, Suetonius, Asconius. Lapis in Atrio Domus Conseruatorum, in Capitolio:

C. TERENTIO. C. L. PAMPHILO
SAGARIO. POST. AEDEM. CASTORIS

& quæ sequuntur.

Concordiæ, cum *Cella* inter Forum & Capitolium, ab Camillo D D. in quo erat *Senaculum, ubi Magistratus cum Senioribus deliberabant.* Victor, Rufus, Varro libro iv. de LL. Festus in libris de Verb. sig. Plutarchus in Camillo, Plinius lib. xxxiii, Capitolinus in Pertinace, & alij.

Erant in *Concordiæ Templo*, ut notat Plinius, *Simulacra:*
- *Battonis, adorantis Apollinem:* opus Bedæ.
- *Latonæ Puerperæ, Apollinem & Dianam sustinentis:* opus Euphranoris.
- *Æsculapij & Hygiæ:* opus Nicerati. Iuxta *Signum Æsculapij* Populus Romanus *Statuam Antonio Musæ*, Medico Augusti, ære conlato, posuit. Suetonius cap. LIX. in Augusti Vita.
- *Martis & Mercurij:* opus Pisicratis.
- *Cereris & Iovis:* opus Sthenis.
- *Victoriæ.*

Vestæ cum *Atrio*, ubi erant *Palladium, Ignis, & Virgines Vestales.* Victor, Rufus, Festus lib. xvii. in *Stercoraria*, Dionysius in Antiq. Roman.

Templa.

Plutarch. in Vitis, Ovidius lib. VI. Fast. Solinus cap. II. Martial. lib. I. Epig. LXXI.

Deum Penatium. Victor, Rufus, Varro IV. de L.L. Martialis lib. I. Epig. LXXI.

Romuli, alias *Quirini in Foro.* Victor, Rufus, Varro, Dionysius, Vitruvius, Plinius, & alij.

Iani Gemini æreum, quatuor Portarum, cum *Signo Iani*, op. Scopæ & Praxitelis; ab Augusto DD. Victor, Rufus, Procopius

D. Trajani. Victor.

D. T. Cæsaris Vespasiani. Victor, Rufus, Martialis lib. IX. Epig. II. & IV.

Carmentæ, alias *Carmentale*. Victor.

Veneris Calvæ Novum. Victor, Rufus.

Veneris Calvæ Vetus. Victor.

Vetus Minervæ. Victor & Rufus. Restauratum videtur ab Domitiano. Martialis lib. IX. Epig. IV.

Nemesis cum *Simulacro.* Victor.

Saturni cum Ara. Victor, Rufus, Dionysius.

In eo erat *Ærarium Populi Romani.* Meminerunt ejus multæ Inscriptiones: inter quas una Romæ, in Hortis S. Sebastiani, ad viam Appiam:

M. AVR. ASCLEPIODOTVS. AVGG. LIB.
ET. AELIA HIGIA. MATER. SE VIVI
FECERVNT SIBI ET. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE, POSTERISQVE EORVM
QVISQVE HVNC. MONVMENTVM. SIVE
VENDIDERIT SIVE DONATIONIS CAVSA
DEDERIT. INFERENT AERARIO. SATVRNI
[illegible]

Alia, apud Onuphrium.

SANC. SAL
T. PETIDIVS. T. F.
FAB. LVCEIVS
VIII. VIR. AED. PLEB
POTESTAT VIII. VIR
II FANOR. VIII. VIR. III.
AERARI. SAT
S. P. D. D.

Ante *Aerarium* erat *æneum Silvani Signum.*

Divi Augusti. Rufus.

Iunonis Martialis. Idem

Larum. Idem.

Veneris Genetricis, alias *Veneris & Anchisæ*, cum *Atrio.* Rufus.

Aedes XXI:

Victoriæ. Victor, Rufus, Cicero.

Opis & Saturni in Vico Jugario. Victor, Cicero; & forte Suetonius in Augusto cap. XXIX.

Martis Ultoris in Foro Divi Augusti. Victor.

Vejovis inter Arcem & Capitolium, prope *Asylum*, cum ejus *Simulacro Cupressino.* Victor & Agellius.

Iovis Tonantis, in Clivo Capitolij, DD. *ab Augusto.* Victor.

In ea, teste Plinio, *Signa* erant:
- *Iovis Tonantis:* opus Locræ.
- *Iovis, ex ære Deliaco:* opus Hygiæ.
- *Castoris & Pollucis:* opus eiusdem.

Herculis parua & rotunda in Foro Boario. Victor. Restaurata videtur à Domitiano. Martialis lib. IX. Epigr. IIII. In *Aede Herculis* fuit *Pictura M. Pacuvij Poetæ*, notante Plinio.

Matris

Aedes

- *Matris Matutæ.* Victor.
- *Vortumni in Vico Tusco.* Victor Varro IV. de LL.
- *Iunonis Monetæ, cum Officina* Rufus, Livius, Solin. cap II.
- *Iovis Custodis, DD. à Domitiano.* Tacitus lib. III. Histor. Suetonius in Domitiano cap. V. Martialis lib. VI. Epigr. X.
- *Veneris Cloacinæ.* Livius.
- *Veneris Erycinæ.* Idem.
- *Salutis.* Cicero.
- *Libertatis.* Idem.
- *Iovis Sponsoris.*
- *Mentis.* Livius & Ovidius.
- *Fidei in Capitolio.* Victor, Rufus: uterque simpliciter; *Fides candida* Ciceroni de Natura Deorum.
- *Fortunæ Primigeniæ.*
- *Ai Loquutij.* Rufus & Agellius lib. XVI. cap. XVII.
- *Fortunæ Prosperæ.*
- *Fortis Fortunæ in Foro Boario.*
- *Herculis Victoris ad Portam Trigeminam.* Victor.
- *Fortunæ prope Ædem Tonantis.* Inscriptio Prænestina.

Aediculæ XII. Victor.

Aediculæ

- *Victoriæ, DD. ab M. Porcio Catone;* Rufus, Victor, qui addit *Virginis.*
- *Iuventatis:* Victor, Plinius lib. XXXIII.
- *Termini.*
- *Concordiæ ærea supra Græcostasin.* Victor, Plinius lib. II.
- *Fortunæ Obsequentis.*
- *Matris Rumæ.* Rufus.
- Reliquæ ignorantur.

Iulia. Victor.

Porticus

- *Margaritariorum,* alias *Margaritaria.* Victor.
- *Liviæ.* Rufus, Ovidius lib. VI. Fastor. Suetonius in Augusto cap. XXIX.
- *Augusti.*
- *Minucia,* alias *Numicia.*
- *Nasicæ.*
- *Porphyretica.*
- *Capitolina.*
- *Constantini.*

Iani duo, celebris Mercatorum Locus ad Arcum Fabianum, Superior, Inferiorque. Victor, Rufus, Horatius lib. I. Epist. I. & Libro II. Sermon. Sat. III, ubi Acron & Porphyr. M. Tullius multis locis, ut lib. II. Offic. in fine, Philippic. VI, libr. II. de Natura Deorum; & alibi.

Atreum

- *Publicum in Capitolio.*
- *Minervæ.* Victor. Capitolinus fortean appellat *Atheneum* in vita Pertinacis.
- *Vestæ.* Ovidius lib. VI. Fastor.

Area

- *Opis, in Vico Iugario.*
- *Cereris, ibidem.*
- *Saturni ante Aerarium.*

Sacellum

- *Sumani.*
- *Larum.* Victor.
- *Pudicitiæ Patriciæ.* Idem.
- *Herculis in Foro Boario.*

Delubrũ

- *Minervæ in Foro.* Victor, Rufus.
- *Larum.* Rufus.

Asylum inter duos Lucos, Arcemque & Capitolium. Victor, Rufus, Virgilius lib. VIII Æneidos, & eo Interpr. Dionysius lib. II, Livius lib. I. Florus lib. I. cap. I, Auctor de VV. Inlust. cap. II, Lactantius lib. II. cap. VII, Eutropius lib. I, Ovidius libro III Fastor.

 Iuvenal.

Iuvenal. Sat. VIII, Horatius lib. I. Carmin. Ode XII, Propertius lib. IIII. Eleg. I. Augustin. de Civitate Dei lib. I. capite XXXIV, Suetonius in Tiberio cap. XXXVII, Tacitus lib. XIII, Strabo lib. V.

Domus Divi Tati. Solinus cap. II.

Doliola. Festus lib. IV, Varro lib. IV de LL. Livius lib. V, Florus lib. I. cap. XIII.

Sepulcrum {
Romuli. Varro lib. IV.
Accæ Laurentiæ, in Via Nova Varro ibidem.
}

Ficus Ruminalis. Victor, Rufus, Festus in *Ruminalis* & *Navia*, ubi Scaliger, Dionysius lib. I. Livius lib. I, Plinius libro XVI cap. XVIII Tacitus lib. XIII. Annalium, Plutarchus in Romulo, Ovidius II. Fastor. Servius lib. VIII. Æneid. Varro lib. IV. de LL.

Lupercal Virginis. Victor, Virgilius VIII Æneid & eo Interp.

Germalus. Varro lib. IV. de LL. Plutarchus in Romulo, Festus.

Ara {
Saturni Vetus. Victor.
Saturni Nova, ad Lacum Curtij: Victor, Rufus.
Iunonis Iugæ, in Vico Iugario.
Iovis Pistoris in Capitolio. Ovidius lib. VI. Fastor.
Opis & Cereris. Victor.
}

Signa, Statuæ, Simulacra, cum *Hominum*, tum *Deorum*, quorum ingentem numerum in Urbe fuisse testatur Cornelius Tacitus, ubi de Sabino; quorumque bonam partem ex devictis Provinciis in Urbem fuisse deportatam, scribit Cicero de Natura Deorum. Leguntur inter alia:

Deorum, ut {
Iovis Imperatoris, Præneste devectum. Victor, Cicero VI Verrina.
Iovis æreum ab Sp. Carvilio ex Samnitica præda factum.
Iunonis, dedicatum à Pompeio Bithynico.
Apollinis translatum ex Apollonia ab Lucullo, altum cubitos XXX, alias XXXII. Victor.
Minervæ Catulianæ; opus Euphranoris. Plinius.
Malleoli Mercurij, proxime Janum. Festus.
Herculis duo, alterum à P. Sempronio Savarrone D.D. alterum æreum, opus Lysippi a Q. Fabio Maximo Tarento devectum. Strabo, Plutarchus, Livius.
Herculis Tunicati, juxta Rostra.
Victoriæ Aureæ, in Templo Iovis Capitolini. Victor, Plutarchus, Suetonius in Augusto, capite II.
Pudicitiæ, in Foro Boario. Festus.
Fidei Candidæ. Victor, Rufus.
Vertumni in Vico Iugario. Victor.
Matris Statæ. Festus in *Stata.*
Deorum Nixiorum tria ante Cellam Minervæ, in Templo Iovis Capitolini. Festus in *Nixij.*
Nemesis in Capitolio. Plinius lib. XXVIII. cap. II.
Boni Eventus, opus Praxitelis. Plinius.
Bonæ Fortunæ, opus ejusdem. Idem.
Divi Iulij Equestris, in Foro ejus. Plinius libro Na-
}

dum

turalis Historiæ xxxiv, cap. v.

Divi Augusti.

Divi Claudij ii aurea x pedum in Templo Iovis Opt Max. Trebellius Pollio in D. Claudio.

Divi Constantini Equestris.

Romuli & Remi Infantium sub Lupa. Cicero III. in Catilinam. Eo respicit Virgilius: *Ludere pendentes pueros &c.*

Septem Regum in Capitolio. Plinius libro xxxiiii cap. v. & vi. & lib. xxxiii. cap. i.

Attij Navij Auguris ante Curiam. Plinius libro xxxiv cap. v. Livius lib. i.

L. Iunij Bruti, primi Consulis, in Capitolio. Plinius lib. xxxiii. cap. i, Plutarchus in ejus Vita.

P. Valerij Poplicolæ. Plutarchus.

Horatij Coclitis in Comitio. Plinius lib. xxxiv. c. v. & vi, Livius lib. ii. Auctor de VV. Inlustribus cap. xi, Dionysius libro, v, Agellius lib. Noct. Atticar. iv. cap v.

Mucij Scævolæ.

Annij Fecialis Equestris in Atrio Domus Regis Tarquinij Superbi.

M Furij Camilli, pro Rostris. Plinius libro xxxiv. cap. vi.

Tullij Cælij, L. Roscij, Sp. Nautij, & C. Fulcinij Legatorum P. R. ab Fidenatibus cæsorum, pro Rostris. Plinius lib. xxxiv. cap. vi.

P. Iunij & Ti. Coruncanij, Legatorum Pop. Ro. ab Illuriis cæsorum, pro Rostris. Plinius ibidem.

Cn. Octauij in Legatione occisi, pro Rostris. Plinius eodem loco.

Q. Marcij Equestris Togata.

Tremuli ante Templum Castorum. Plinius ibidem.

L. Cæcilij Metelli Pont. Max. in Capitolio.

Q. Fabij Maximi ærea Equestris in Capitolio. Plutarchus.

P. Scipionis Africani. M. Tullius ad Atticum.

L. Scipionis Asiatici, clamidata & crepidata. M. Tullius Orat. pro Rabirio.

M. Æmilij Lepidi bullata & prætextata. Plinius.

Trebij Aedilis, in Capitolio. Plinius.

Sullæ Dictatoris aurea Equestris.

Sullæ Felicis Dictatoris ærea. Cicero in Philippicis, Suetonius in Cæsare cap. lxxv.

Trium Sibyllarum, pro Rostris. Plinius libro xxxiv, cap. v. & vi.

Clæliæ, Virginis Vestalis, Equestris. Plinius lib. xxxiv. cap. vi; Livius lib. ii.

Caiæ Suffetiæ, Virginis Vestalis. Plinius ibidem.

Corneliæ Gracchorum Matris. Plinius eodem loco.

L. Syl-

Signa Statuæ, Simulacra — *Hominum, &c.*

L. Syllam. Plinius lib. 1. Epist. xvii.

Spurinnæ & Filij eius Cottij, in Foro Romano. Plinius lib. ii. Epist. vii.

Fl. Stilichonis in Foro Romano Cippus, qui ibi effossus, habens Inscriptionem, quæ exstat inter Smetianas fol. lxviii. num. 3.

Hermodori Ephesij LL. x. Tabularum Interpretis, in Comitio. Plinius lib. xxxiv. cap. v.

Alcibiadis in Comitio. Plinius eiusdem libri capite vi.

Trophæa C. *Marij aurea in Capitolio.*

Currus seiuges ab Cn. Cornelio positi.

Simulacrum Leonis pro Rostris. Vid. Scaligerum ad Festum in Voce *Niger.*

Equus:
- *C. Cæsaris, in Foro.*
- *Æneus Domitiani Augusti.* Victor, Rufus, Papinius, Martialis.
- *Æneus Traiani Augusti.* Victor, Plinius in Panegyrico, quem Traiano, Optimo Principi, dixit.

Equa cernens quatuor Satyros. Victor, Rufus.

Elephas Herbarius. Victor.

Rutrum tenentis Iuvenis Effigies. Festus in *Rutrum.*

Hydræ effigies. Festus in *Servilius.*

Aereum Tauri Simulacrum in Foro Boario. Dionysius libro Antiq. Roman. v.

Signum Anseris argenteum in Capitolio.

Clypei xii *inaurati.* Livius.

Clypeus Martis cum imagine Hasdrubalis Livius.

Ænearum Tabularum publicarum tria millia. Sueton. in Vespasiani Vita.

Ludus Æmilius, alias Lepidi. Victor.

Forum:
- *Romanum*, quod dicebatur *Magnum*, alias *Vetus.* Ejus nulli non Scriptores meminerunt. Terminos describit Marlianus lib. iii. cap. 1. *Lacu* appellat Statius.
- *Cæsaris.* Victor, Rufus & alij. In eo erant *Veneris duo signa*; *alterum loricatum, alterum factum ab Arcesilao.*
- *Augusti.* Victor, Rufus, Lampridius in Severo. Augustus : in utraque Fori Porticu dedicavit *Statuas clarorum Virorum triumpali habitu.* Suetonius in eius Vita, cap. xxxi, & ibi doctissimus Vir Isaacus Causabonus. Erant in eodem Foro *Statuæ* M. *Valerij Corvini & Eburnea Apollinis.*
- *Traiani cum Porticu.* Victor, Rufus, Lampridius in Severo.
- *Boarium.* Victor, Rufus, Plinius, Livius. Festus, Varro. Ovidius lib. i. Fastor. *Aram, quæ posito de Bove nomen habet.*
- *Piscarium.* Victor, Rufus.
- *Argentarium.*

Curia. Scriptores omnes.

Curia Hostilia sub Veteribus. Victor, Rufus.

Curia Calabra, in Capitolio, ubi Pontifex Minor pronunciabat dies. Victor, Rufus; Varro lib. iv. de LL. Festus in Curia.

Regia Numæ Pompilij, alias Curia Pompiliana. Victor. Rufus, Ovidius

dius libro VI Fastorum, Solinus cap. II. In eo *Sacrarium* erat *Ope consivæ*.

Senaculum aureum.

Basilica
- *Paulli Aemilij, cum Phrygiis columnis, in Foro.* Victor, Rufus.
- *Iulia.* de ea Lapis repertus in Foro Romano, prope tres Columnas, litt. Constantiniani temporis:

  GABINIVS VETTIVS
  PROBIANVS. V.C. PRÆF. VRB.
  STATVAM. QVÆ. BASILICÆ
  IVLIAE. A. SE. NOVITER
  REPARATAE. ORNAMENTO
  ESSET. ADIECIT

  In Latere Lapidis sinistro, sed littera temporis Sept. Severi Imperatoris:

  DEDIC. XV. FEBR. PER.
  T. ARRIVM BASSIANVM C. V. CVR. OPER
  PVBLICORVM.
  ...VLLINO II ET. AVFID. FRONTONE. COS.
- *Vlpia, alias Traiani.* Victor, Lampridius in Commodo.
- *Porcia, ubi fuerat Domus Q. Mænij.*
- *Sempronia.* Livius.
- *Argentaria.* Victor.
- *Opimij.*

Comitium. Ruf. Nulli non Scriptores.

Rostra Pop. Romani
- *Vetera.* Victor, Rufus, Plinius libro natur. histor. XXXIV, cap. V.
- *Nova.* Victor, Rufus.

In *Rostris* posita erat *Columna Divo Claudio*, cum *Statua Palmata Librarum Argenti* CIↃ IↃ. Trebellius Pollio in ejus Vita.

Græcostasis. Victor, Cicero ad Q. Fratrem libro II. Epist. I, Varro lib. IV de LL, Asconius Pædianus in III Verrinam, Plinius lib. II nat histor. Capitolinus in Antonino Pio.

Carcer imminens Foro, ab Ser. Tullio ædificatus, media Vrbe. Victor, Rufus, Livius lib. I, Sallustius in Conjuratione Catilinaria, Varro lib. IV.

Stationes Municipiorum. Victor.

Ludi Litterarij. Victor, Rufus.

Schola Xantha. Rufus.

Horti Asiniani.

Septem, alias Quinque Tabernæ Novæ Argentariæ.

Canalis in Foro, unde *Canalicolæ* apud Festum. Vocem hanc restituit Agellio lib. IIII. cap. XX Lipsius, Vir doctissimus, lib. II. Electorum, cap. IV. *Canalem in Foro* nominat Plautus in Curculione Act. IV. Scena Ædepol.

Balineum Polycleti.

Balneæ Privatæ LXVI. Victor.

Lacus Iuturnæ. Livius.

Lacus sine Nomine LXX. Victor.

Bibliotheca
- *Capitolina.*
- *Templi Divi Traiani.*

Arcus
- *Fabianus.* Victor, Rufus.
- *T. Cæsaris prope ædem Saturni.*
- *Trajani Cæsaris Augusti.*
- *Severi & M. Antonini in Foro Boario.*

Fornix Stertinij in Foro Boario cum Signis auratis.

Columna
- C. *Duilij.* Plinius lib. XXXIV, cap. V.
- *Mænia.* Plinius ibidem, Cicero in Divinatione & ibi Asconius, idem pro Cluentio, & pro Sextio, Festus de Verbor. signif.
- *Magn. Lud. Sæcul.* Sic fere Sex. Rufus: Victor autem, *Columna cum Statua Magni Ludi*, aliter *M. Ludij.*

Rostra-

Rostrata in Capitolio. Livius. Visitur hodieque in Capitolio cum Inscriptione, quam multi explicare supplereque sunt conati.

Divi Iulij rostrata, pedum xx Rufus.

Cochlis Traiani Imperatoris, alta pedes CXXIIX; *habet gradus* CXXCV, *Fenestellas* XLV. Victor.

Sepulcrum C. Publicij Bibuli Aedilis Plebis; cum Inscriptione:

C. POBLICIO. L. F. BIBVLO. AED. PL. HONORIS VIRTVTISQVE CAVSSA SENATVS CONSVLTO POPVLIQVE IVSSV LOCVS MONVMENTI QVO IPSE POSTERIQVE EIVS INFERRENTVR. PVBLICE. DATVS EST

Macellum.

Horrea XXIIX. Victor.

In his:

Horrea { *Germanica.* Victor. / *Agrippina.* Victor.

Pistrina, XXX. Victor.

Domus CL. Victor.

In his:

Domus {
L. Tarquinij Superbi Regis, cum Atrio. Plinius ante Templum Iovis Statoris locat.
M. Manlij Capitolini. Cicero pro Domo.
P. Scipionis Africani. Livius.
T. Annij Milonis. M. Tullius.
P. Ovidij Nasonis. Ipse Poeta.
M. *Valerij Amerini, Equitis Romani.* Inscript.

Insulæ CIↃCIↃ CIↃIↃ CCC LXXX. Victor.

Regio in Ambitu continebat Pedes. CCIↃↃ CIↃIↃↃ IↃCCCLXVII. Victor, Rufus.

REGIO VRBIS NONA.

IX. *Circus Flaminius.*

CIRCVS FLAMINIVS. Victor, Rufus. Hanc Regionem *Campi Martij* appellat Suetonius in Iulij Vita cap. XXXIX, & Neron. cap. XII. fortean & Plinius libro natur. Histor. XXXIV. cap. VII.

Collis Hortulorum, alias Hortorum.

Campus Martius. Victor, Rufus, & nulli non Scriptores.

Via Fornicata. / *Via Recta.* { De his alibi à me dictum.

Vici XXX. Victor.

Vicus { ...... / ...... / ......

Vicomagistri CXX. Victor.

Curatores II. Victor.

Denunciatores II. Victor.

Palus Caprea. Livius libro I, Plutarchus in Romulo, alijque qui Historiam rapti ex hominum medio Romuli, I. Romuli, I. Romanorum Regis, describunt. Videndus & Festus *in Caprilia.*

Minutia { *Vetus.* Victor, Rufus. / *Frumentaria.* Victor, Rufus. Lipsius lib. I. Elect. cap. VIII.

Crypta Balbi. Victor, Rufus.

Ciconiæ

Ciconiæ nixæ. Victor.
Meleagricum. Victor.
Fregellæ. Paullus ex Festo.

Lucus:
- *Mavortianus*. Rufus.
- *Minervæ Vetus*.
- *Petilinus Maior extra* Portam *Flumentanam*. Rufus.
- *Victoriæ* Rufus.
- *Lucinæ*.
- In hoc erat *Terentum*. Livius, Ovidius, alij. In *Terento Simulacrum* erat P anos. Martial. lib. I. Epigr. LXX.

Templa VIII:

Templum:
- *Pantheum Iovis Vltoris*. Victor. *Templum Agrippæ* vocat Capitolinus in Antonino Pio. In Frontispicio leguntur sequentes Tituli: unus litteris pedalibus:

M. AGRIPPA. L. F. COS. TERT. FECIT

alter paulo inferius, litteris digitalibus:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX ARABICVS. ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS. PONT. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. PP. PROCOS. ET IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V COS. PROCOS. PANTHIVM. VETVSTATE. CORRVPTVM. CVM OMNI. CVLTV. RESTITVERVNT.

In hoc Templo erãt *Signa*:
- *Herculis humi sedentis*.
- *Minervæ ex Ebore*.
- *Veneris cum Vnione Cleopatræ*.

- *Iani*, prope Theatrum Marcelli, cum *Signo Iani Bifrontis*.
- *Bruti Callaici*. Victor, Rufus.

In hoc erat:
- *Colossus Martis*.
- *Statua Veneris Gnidiæ Nudæ*.

- *Apollinis*. Victor.
- *Neptuni, iuxta Septa*.
- *Divi Antonini cum Columna Coclide*. Victor, Capitolinus in Antonino

- *Minervæ Chalcidicæ*. Victor.
- *Isidis & Serapidis, prope Ovile*. Iuvenalis Sat. VI. Designare videtur Martialis lib. II. Epigr. XIIII.

Ædes XX:

Ædes:
- *Apollinis antiqua cum Lavacro & Colosso*. Victor, Rufus.
- *Herculis Magni Custodis Circi Flaminij*. Victor, Rufus.
- *Metelli, ubi erat Statua eburnea Jovis, à Praxitele facta*. Victor.
- Martis *in Circo Flaminio*.
- *Volcani in* Circo *Flaminio*. Victor, Rufus.
- *Iuturnæ ad Aquam Virginem*. Victor, Rufus.
- *Bellonæ versus* Portam *Carmentalem in* Circo *Flaminio, intra quam dabatur Senatus Legatis exterarum Nationum, quos in Vrbem admittere nolebant*. Vict.
- *Minervæ*. Victor.
- *Fortunæ Equestris Vetus*. Victor.
- *Apollinis*. Victor.
- *Neptuni in Circo Flaminio*. Rufus.
- *Larium Permarinum in Campo Martio*.
- *Boni Eventus*.
- *Veneris Victricis*.
- *Castoris in Circo Flaminio*.
- *Floræ*.
- *Iunonis Reginæ*.
- *Dianæ*.
- *Herculis Musarum*.
- *Iunonis in Porticu Octaviæ*.
  - *Æsculapij, opus Scopæ*.
  - *Dianæ, opus Scopæ*.
  - *Iunonis, opus Phylisci Rhodij*.

- In hoc erant Statuæ:
  - *Veneris, opus eiusdem.*
  - *Iovis, opus eiusdem.*
  - *Iunonis, opus Dionysij & Polyclis.*
  - *Dianæ, opus Timantidis.*
  - *Latonæ, opus eiusdem.*
  - IX *Musarum, opus ejusdem.*
  - *Apollinis Nudi, opus ejusdem.*
  - *Apollinis*, Citharam *tenentis, opus eiusdem.*

Aediculæ XXX. Victor.

- *Aediculæ*:
  - ......
  - ......
  - ......

- *Porticus*:
  - *Q. Catuli.*
  - *Philippi.* Victor, Rufus, Martialis lib. V. Epigr. L.
  - *Corinthia duplex Cn. Octavij, quæ prima duplex fuit.* Victor Rufus, Festus in *Octaviæ.*
  - *Argonautarum.* Victor, Martialis lib. III, Epig. XX.
  - *Pompei Magni cum* Curia & *Atrio.* Martialis lib. XI. Epig. I, Suetonius in Cæsare & alij.
  - *Metelli.* Plin. lib. XXXIV. cap. VI.
  - *Agrippæ, ante Pantheum.* Hanc intelligere videtur Martialis lib. III. Epig XX. quum ait: *Porticum terit Templi*, id est, *Panthei*, κατ' ἐξοχήν.
  - *Octaviæ, Sororis Augusti.* Plinius libro XXXIV, capite VI, Festus in *Octaviæ*, Sueton. in Augusto, cap. XXIX, Ioseph. de bello Iudaico libro VII, cap. XXIV.
    - In ea erant:
      - *Schola.*
      - *Curia.*
      - *Bibliotheca.*
      - *Delubrum cum signo Apollinis, op. Phylisci Rhodij.*
      - *Statuæ*:
        - *Sauri.*
        - *Batrachi.*
        - *Veneris, op. Phidiæ.*
        - *Corneliæ, Gracchorum Matris.* Plin. XXXIV. cap. VI.
  - *Traiani Augusti in* Campo *Martio.* Victor, Plinius in Panegyrico Trajani.
  - *Gordiani Imperatoris.* Capitolinus in Gord. III.
  - *Galieni Imperatoris.*
  - *Europæ.* Martialis lib. II. Epig. XIIII. lib. III. Epig. XX, libro XI. Epigr. I. in verbis *Agenoris Puellæ.*
  - *Atrium Pompei.* Martialis lib. I. Epig. XIIII.
  - *Sacrarium Numæ.*
  - *Delubrum*:
    - *Iovis Statoris.* Victor.
    - *C. Domitij.* Victor, Rufus.
      - In eo *Signa*: *Neptuni, Thetidos, Achillis, Nereidum, & Tritonum* — *opera Scopæ.*
    - *Apollinis in Porticu Octaviæ.*
  - *Ara Neptuni.*
  - *Isæum.* Victor, Lampridius in Severo.
  - *Serapium.* Iidem.
  - *Minervium.* Victor.
  - *Odæum.*
  - *Minerva Vetus cum Luco.* Rufus.

Iupiter

Iupiter Pompeianus Pedum xxx. Victor, Rufus, Plinius lib. xxxiv. cap. vii.

Colossus Apollinis.

Equiria. Victor, Rufus.

Circus Flaminius. Rufus.

Circus Alexandri Imperatoris. Victor, Rufus.

Stadium. Rufus.

Obeliscus pro Gnomone in Campo Martio.

Stabula quatuor Factionum. Victor, Rufus.

Theatrũ
- *Pompei.* Victor, Rufus, Plinius lib. xxxiv. cap. vii. Festus in *Octavia.* Ad *Theatrum Pompei Simulacra Gentium* dedicata erant. Suetonius in Nerone cap. xlvi. Augustus Pompei Statuam contra Theatri eius Regiam marmoreo Iano suppofuit, translatam è Curia, in qua C. Cæsar fuerat occisus. Suetonius in Augusti Vita cap. xxxi.
- *Lapideum.* Victor, Rufus.
- *Balbi; capit loca* xxx cIↃ xcv, *& appellatur ab vicinitate.* Victor, Rufus. Suetonius in Augusto cap. xxix.
- *Marcelli: capit loca* xxx cIↃ. Victor, Rufus, Lampridius in Severo. Inscriptio in basi Marmorea, quæ apud Gentilem Delphinium:

IMP. CÆSARI. DIVI. NERVÆ. F
NERVÆ. TRAIANO. AVG. GERM
DACICO. PONT. MAX. TRIB. POTEST. VIII.
IMP. VIII. COS. V. P P. OPTIMO. PRINCIPI
SAGARI //// ATRI. MARCELL
CVLTORES. DOMVS. AVG

Amphitheatrum T. Statilij Tauri. Victor, Rufus, Sueton. in Augusto cap. xxix.

Amphitheatrum ligneum Neronis. Suetonius in ejus Vita, cap. xii.

Naumachia Domitiani. Suetonius in ejus Vita cap. v.

Forum Ahenobarbi.

Basilica
- *Mattidij, alias Macidij, alias Matidiæ.* Victor.
- *Marciana.* Victor.
- *Antoniniana, ubi erat Provinciarum memoria.* Victor.
- *Alexandrina,* quam instituerat inter Campum Martium, & Septa Agrippiana Alexander Severus, sed morte præventus absoluere nequivit. Lampridius in ejus Vita.

Curia
- *Pompei, cum Atrio & Porticu.* Martialis ii. Epig. xiiii, Suetonius in Iulio cap. lxxxi & lxxxiix, & in Augusto cap. xxxi. In ea *Pompei* erat *statua.* Suetonius in Cæsare cap. lxxv. & in Augusto capite à me indicato.
- *Octaviæ cum Porticu.* In ea *Signum* erat *Apollinis Fulmen tenentis.*

Septa
- *Agrippiana.* Victor, Martialis libro ii. Epig. xvii & lvii. Lampridius in Severo.
- *Trigaria.* Victor, Rufus.

Ovile. Iuvenalis Satyra VI.

Diribitorum. Suetonius in Claudio cap. XVIII.

Villa Publica, ubi primum Census Populi dictus est, in Campo Martio. Victor, Rufus, M. Terentius Varro lib. III. de Re Rustica.

Carcer C *Virorum. alias* CLX *Virorum.* Victor, Rufus.

Horti
- *Lucullani.* Victor, Rufus.
- *Agrippæ.* Rufus.

Schola Porticus Octaviæ.

In hac erant
- *Statua Cupidinis, opus Praxitelis.*
- *Quatuor Satyri.*
- *Duæ Nymphæ.*

Thermæ
- *Agrippæ.* Rufus.
- *Neronianæ.* Victor.
- *Hadriani Imperatoris.* Victor, Rufus.
- *Alexandrinæ.* Victor.
- *Decianæ.* Idem.

Balnea Privata LXIV. Victor.

Lavacrum Apollinis. Rufus.

Lacus
- *Thermarum Neronis.* Rufus.
- *Sine Nomine multi.*

Fons Scipionum. Victor, Rufus.

Bibliotheca Porticus Octaviæ.

Arcus
- *Ti. Cæsaris.* Suetonius in Claudio cap. XI.
- *Divi Claudij.*

Columna Cochlidis Antoniniana, alta pedes CLXXV, *habens gradus* CCVI, *& Fenestras* LVI. Victor. De ea legendus Iosephus Castilio Anconitanus.

Columna Index Belli inferendi, ante ædem Bellonæ. Victor.

Sepulcra.
- *sive Mausoleum Augusti.* Victor, Martialis lib. V. Epig. LXV. Suetonius in Augusto cap. C & CI, in Caligula cap. XV, in Nerone cap. XLVI, in Vespasiano cap. XXIII, Dio Cassius in Vita Hadriani Imperatoris sub finem. Inscriptio apud Onuphrium Panuinium in Roma:

  M. VLPIVS
  AVG. L. ÆGLVS
  PROC. MAVSOLEI
  IMAGINEM
  CORINTHIAM
  TRAIANI. CÆSARIS
  COLLEG. FÆNARIOR
  D. D.

  In *Mausoleo erant duo pares Obelisci Magni, singuli pedum* XLII-S.
- *Domitiorum, in Colle Hortulorum.* Suetonius in Nerone cap. L.
- In Campo Martio erant
  - *Sullæ Felicis Dictatoris.*
  - *Iuliarum, Cæsaris Amitæ & Filiæ.* Suetonius in Cæsare cap. LXXXIV, & in Augusto cap. XCV.
  - *Hirtij & Pansæ Consulum.*

Pistrina XXXII. Victor.

Horrea XXXII, *alias* XXII, *alias* XXI. Victor.

Domus CXL. Victor. In his.

Domus
- *Alexandri Imperatoris.* Rufus.
- *Pinciorum in Colle Hortulorum.*
- *Paullini, ad Porticum Europæ.* Martialis lib. II, Epig. XIV.

Insulæ CIↃ CIↃ CIↃ IↃCC XXCVIII. Victor.

Insula Philidis. Idem.

Regio in Ambitu continebat Pedes XXXCIↃ IↃ LX, *alias* XXXCIↃ IↃ Victor.

REGIO

REGIO VRBIS DECIMA.

PALATIVM. Victor, Suetonius in Augusto cap. v. & xxix. Deest tota hæc Regio apud Rufum, iniuria temporis. *x. Palatium.*

Mons Palatinus, alias Romulus. Dixi antea.

Via Nova. Victor, M. Varro lib. iv. de LL. Livius lib. i. ubi de Cæde Tarquinij Prisci v. Romanorum Regis.

Prata Bacchij, ubi fuerunt ædes Vitruvij Fundani. Victor.

Clivus Victoriæ. Festus in *Romana.*

Clivus Sacer. Martialis lib. i. Epigr. lxxi. & libr. iv. Epigr. lxxix.

Vici vii, alias viii. Victor.

Vicus:
- *Padi.* Victor, Inscriptio Smetiana.
- *Curiarum.* Ijdem.
- *Fortunæ Respicientis.* Ijdem.
- *Salutaris.* Ijdem.
- *Apollinis.* Ijdem.
- *Hucusque diei.* Ijdem.
- *Fortunæ reducis.*

Plateas in Palatio ab Antonino Alagabalo *Saxis Lacedæmonijs ac Porphyreticis stratas* fuisse, vocatasque *Antoninianas*, scribit Lampridius.

Vicomagistri xxiix, *alias* xxiv. Victor, Exempl. in Smetiana Inscriptione.

Curatores ii. Victor, Exempl. ibidem.

Denunciatores ii: Ijdem.

Roma Quadrata. Victor, Festus in Quadrata, ubi male citat Ennij versum, uti Ego noto in meis ad Poetam Commentarijs.

Sedes Imperij Romani. Victor.

Velia. Vict. Varro lib. iv de LL. Emendandus idem Varro apud Nonium in *Secundum*, ubi pro *in Velis* legendum *in Velia*, vel *in Velis*, ut *duplex* fiet *Velia.* Restituenda & vox *Velijs* vel *Vells* Festo in *Mutini Titini.*

Summa Velia. Victor, Solinus cap. ii.

Murus Mustellinus. Festus in *Mutini.*

Epistylion, ubi desinit Aqua. Festus in *Romana.*

Ad Capita Bubula. Suetonius in Augusto, cap. v.

Sicilia in Palatio. Capitolinus in Pertinace.

Ad *Mammam, hoc est Diatæ Mammeæ.* Victor, Lampridius in Severo.

Lucus Larum. Varro lib. iv. de LL.

Templa x:

Templum:
- *Iovis Statoris.* Victor, Cicero oratione anteaquam iret in exilium, Ovidius in Fastis, Alij.
- *Fidei.* Victor.
- *Apollinis Palatini, DD. ab Augusto.* Victor,
  - In eo:
    - *Lychnuchi pendebant, instar Arboris Mala ferentis.* Victor, Plinius.
    - Simulacra:
      - *Dei Apollinis, opus Scopæ* Plinius.
      - *Dianæ, opus Timothei,* Plinius.
    - *Signa quatuor Boum æneorum, ab Myrone facta.*
- *Lunæ in Palatio.*
- *Jovis, alias Solis Alagabali.* Lampridius in Antonino Alagabalo.
- *Augusti.*

Quirini prope Lupercal. In eo Signum Lupæ, duobus Pueris Romulo & Remo Mammas præbentis.

Iovis Propugnatoris. Meminit Inscriptio quæ apud Onuphrium Panuinium.

Matris Deum, alias Magnæ Matris Ideæ. Victor.

In eo { *Simulacrum Ideæ ex Pessinunte devectum.* / *Statua Q. Claudiæ.* Lipsius. ad IV. Tacit. }

Febris in Palatio cum Ara. Valer. Maximus lib. II. cap. I.

Deum Penatium in Velia, quo loco Tullus Hostilius habitarat. Solinus cap. II.

Ædes IX:

Ædes
- *Consi.* Victor.
- *Deæ Viriplacæ in Palatio.* Victor, Valerius Maximus lib. II. cap. I. ubi *Sacellum* dicitur.
- *Fortunæ Vicinæ.* Victor.
- *Rhamnusiæ.* Idem.
- *Iovis Victoris.* Idem.
- *Dyovis.* Idem.
- *Orci.* Lampridius in Alagabali Vita.
- *Vestæ.*
- *Victoriæ.*
- *Ai Locutij.* Victor.

Aediculæ VII, alias VIII. Victor.

Aediculæ
- ....
- ....
- ....

Porticus Templi Apollinis. Capitolinus in Pertinacis Imperatoris Vita.

In ea *Statua M. Terentij Varronis.* Trebellius Pollio.

Area Templi Apollinis Palatini. Solinus cap. II.

Sacellum Larum in Velia. Victor, Varro libro IV.

Sacellum Mutini Titini, in Velijs. Festus.

Sacellum Volupiæ.

Delubrum
- *Iunonis Sospitæ.* Victor.
- *Palatij.*
- *Minervæ.* Victor.
- *Latonæ.* Victor.

Pentapilon Jovis Arbitratoris. Victor.

Auguratorium. Victor.

Cella Palatina Atriensis. Suetonius Caligula capite LVII.

Jouis Cœnatio. Victor, Capitolinus in Pertinace.

Curia Saliorum. M. Tullius Cicero.

Sacrarium Saliorum Palatinorum. Suetonius in Augusto cap. V.

Lupercal in Theatro. Victor.

Casa Romuli. Victor, Varro, Vitruvius, Dionysius, Ovidius, Solinus, alij.

Tugurium Faustuli. Solinus cap. II.

Ara
- *Febris.* Victor, Cicero lib. II. de LL.
- *Palatina.* Victor.

Colossus Iovis Opt. Max. altus pedes CCL. Victor.

Fortuna Respiciens. Victor.

Victoria Germaniciana. Idem.

Colossus Apollinis Tuscanici L. *Pedum in Bibliotheca Palatina.* Plinius.

Statua aurea Britannici Cæsaris. Suetonius in Tito cap. II,

Taurus æreus. Dionysius Halicarnass. lib. V. in anno ab ejectis Regibus V.

Statuæ

Statuæ Cinciæ. Festus in *Romana.*

Theatrum Statilij Tauri in Palatio.

Curiæ Veteres IV: *Foriensis, Rapta, Vellensis, Velitia.* Festus in *Novæ Curiæ.* Victori simpliciter *Curia Vetus.*

Balineæ:
- *Palatinæ.*
- *Privatæ* XV. Victor, qui addit *alias* XXXVI.

Balnearia Domitij Calvini. Festus in *Mutini.*

Arcus Octavi Patris Augusti, cum Signis Apollinis & Dianæ, ex uno Lapide. Oper. Iuliæ, Quadriga, & Curru. Plinius.

Bibliotheca Palatina:
- *Latina Apollinis.* Suetonius in Augusti Principis Vita cap. XXIX. Inscriptio in Museo Cardinalis Carpensis:

OSSA
VIBIÆ SVCCESSÆ. LIVIÆ. AVG. SER.
AB. ARGENTO. POTORIO. ITEM. A VESTE
L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHILVS. SCRIBA
LIB. ET. A. BYBLIOTHECA. LATINA.
APOLLINIS. CONIVGI FIDELISSIMAE
ET. PIISSIMAE. B. D. S. M

Alia apud Onuphrium:

SVLPICIÆ
THALLVSSÆ
ANTIOCHVS. TI. CLAVDI
CÆSARIS. BIBLIOTHECA
LATINA. APOLLINIS
CONIVGI SVÆ
BENE. MERITÆ

- *Græca.* Suetonius in Augusto cap. XXIX. Inscriptio apud eundem Onuphrium:

DIS. MANIBVS
C. IVLIVS. FELIX
A. BIBLIOTHECA
GRÆCA. PALAT.

- *Domus Tiberianæ.* Agellius.

Septizonium Severi Imperatoris. Victor, qui & *Vetus* appellat, Spartianus in Severo & Geta, alijque Scriptores.

Sepulcra:
- *Valesiorum prope Forum in Velia, in quod Primus P. Valesius Poplicola inlatus est.* Dionysius lib.
- *Finciorum*, Festus in *Romana* & *Cincia.*

Pistrina XII, *alias* XX. Victor.

Horrea XVI, *alias* XLVIII. Victor.

Lacus LXXX. Victor.

Domus CLXXXIX, alias LXXXIIX. Victor. In his:

Domus:
- *Tullij Hostilij Regis.* Solinus cap. II. Nonius in *Secundum.*
- *Marcij Regis.* Nonius ibidem, Festus in *Sanqualis.*
- *Tarquinij Prisci Regis.* Solinus ibidem, Livius libro I.
- *Ser. Tullij Regis.* Solinus eodem capit.
- *P. Valesij Poplicolæ in Velia.* Livius libro II, Florus lib. I. cap. IX. Auctor de VV. Inlustrib. Plinius lib. XXXVI. cap. XV, L. Higinius lib. I. de VV. Inlustrib. quem citat Asconius Pædianus in Pisonianam.
- L. *Crassi Oratoris.*
- L. *Hortensij Oratoris.* Suetonius in August. LXXII.
- L. *Sergij Catilinæ.*
- M. *Æmilij Scauri.* Plinius in natur. Historia, Asconius indicato loco.
- C. *Cæsaris Dictatoris.* Plinius.
- L. *Annei Senecæ.*
- M. *Valerij Flacci.*

- *D. Catuli.* Victor.
- *M. Ciceronis.* Victor.
- *Augustana*, Victor, Suetonius in Augusto, cap. v. XXIX, LVII & LXXII. Lipsius ad Taciti librum I. Annalium. Ante fores *Augustanæ* vel *Palatinæ Domus* erat *Laurus*, supraque eam pendebat *corona Quernæ Civica*, quam S. P. Q. R. Augusto donarat ob Civis Servatos. Valerius Maximus lib. II. cap. III, in fine, Ovidius I. Metamorph. vers. 562.
- *Tiberiana cum Bibliotheca.* Victor, Tacitus libro XVII. Annal. Suetonius in Vitellio, cap. XV. Capitolinus in M. Anton. Philosopho, in Antonino Pio; in Vero: Lampridius in Commodo, & alij.
- *Dionysij.* Victor.
- *Cesoniorum.* Victor.

Insulæ cIↃ IↃC, *alias* II cIↃ IↃC XLIV. Victor.

Regio continebat in Ambitu Ped. ccIↃↃ cIↃ IↃc. alias XII cIↃIↃc. Victor.

REGIO VRBIS VNDECIMA.

XI. Circus Maximus.

CIRCVS MAXIMVS. Victor, Rufus. Tibullo videtur dici *Velabri Regio*; quod in ea utrumque *Velabrum*.

Vici VIII. Victor.

Vicus:
- *Consivius, alias Consinius.*
- *Proserpinæ.*
- *Cereris.*
- *Argæi.*
- *Piscarius.*
- *Parcarum.*
- *Veneris.*
- *Sanctus.*

De his omnibus Rufus.

Vicus Antiquus Publicij ad Portam Trigeminam.

Vicomagistri XXXII *alias* XXXIIX. Victor.

Curatores II. Victor.

Denunciatores II. Victor.

Porta Trigemina. Victor, Rufus, & nulli non Scriptores.

Salinæ ad Portam Trigeminam. Victor, Rufus, Festus in *Pueri*; *Solinus* cap. II.

Velabrum:
- *Maius in Foro Olitorio.* Victor, Rufus, Varro lib. IV. de LL. Propertius lib. IV. Eleg. IX, Ovidius in Fastis.
- *Minus.* Victor. Olim ibi fuerat *Palus*, teste Varrone lib. IV.

In *Velabro Olearij* habitabant. Plautus in Captiveis, Sc. Miser homo.

Velabrensis Ficus. Martialis lib. XI. Epig. LIII.

Argiletum. Varro libro IV de Lingua Lat. Virgil. lib. VIII. Æneid. & ibi Servius Interpres.

Argi-

Argiletum Infimum legimus apud Livium libro I. ab VC. ubi de Ser. Tullio VI Romanorum Rege: Servius ad VIII Æneidos Virgilianæ *Imum* vocat. Ad *Argiletum Opifi cum* erant *Tabernæ*, quemadmodum non obscure innuit Martialis libro IV. Epigr. XVII.

Lucus
- *Semelis Minor*. Rufus.
- *Saturni*.

Lucum in hac Regione videtur etiam agnoscere Virgilius lib. VIII Æneidos, versu 271.

Templa IV.

Templū
- *Mercurij*. Victor, Rufus.
- *Castoris*. Victor, (qui addit *Vetus*) Rufus.
- *Herculis Victoris in Foro Boario*. Rufus.
- *Iani ad Forum Olitorium*. Servius Interpres Virgilij ad librum VII Æneid. versu 607.
- Circa *Templum Iani Carcer* fuit *Plebis Romanæ*. Livius.

Ædes XXII.

Ædes
- *Summani, alias Ditis Patris*. Victor, Rufus.
- *Cereris Vetus*. Victor.
- *Proserpinæ*. Victor, Rufus.
- *Veneris, opus Fabij Gurgitis*, Victor.
- *Portumni ad Pontem Sublicium, alias Aemilium*. Victor. Rufus.
- *Herculis Olivarij ad Portam Trigeminam*. Victor.
- *Cereris*. Victor, Rufus.
- *Pompei*. Victor. *In ea Signum erat Herculis, ab Myrione factum.*
- *Portumni Vetus*. Victor.
- *Murciæ, alias Veneris Myrteæ*. Victor, Rufus in Lacuna *Mur* ... Varro lib. IV. de LL. §. 32. ubi legendum *ad Murciæ*.
- *Consi subterranea, alias Neptuni Equestris*. Victor, Rufus.
- *Pietatis in Foro Olitorio*. Victor, Rufus.
- *Junonis Matutæ in Foro Olitorio*. Victor, Rufus in Lacuna *Iuno* ...
- *Junonis*. Rufus.
- *Pudicitiæ Patriciæ*.
- *Pudicitiæ Plebeiæ, in Vico Longo*.
- *Fortunæ Virilis ad Tiberim. In ea Statua Lignea Ser. Tullij Regis.*
- *Spei in Foro Olitorio*. Livius lib. XL, Cicero de Legibus, Tacit.
- *Apollinis Medici*. Livius ibidem.
- *Liberi Liberæque*.
- *Solis*.
- *Floræ*.

Ædiculæ VIII. Victor, Rufus.

Aediculæ
- *Veneris*. Rufus.
- *Iunonis*. Rufus.
- ......
- *Juventatis in Circo*.
- *Solis in Circo*.
- *Proserpinæ*.
- *Cereris*.
- *Parcarum*.

Area
- *Sancta*. Rufus.
- *Apollinis*.

Sacrariū
- *Saturni cum Luco*. Rufus.
- *Numæ*

Sacellum Jovis Arbitratoris.

Ara

Ara:
- *Maxima, alias Magna Herculis.* Victor, Festus lib. XIIII de Verbor. signific. in voce *Potitium*, Virgilius lib. VIII. Æneid.
- *Consi*, Tertullianus lib. de Spectaculis, Iosephus Scaliger ad Festum lib. XVII. de Verbor. signific. in voce *Murciæ*.
- *Iovis Inventoris.*
- *Accæ Laurentiæ in Velabro.* M. Tullius in Epist. ad Brutum.

Apollo Cælispex. Victor, Rufus.
Herculis Triumphalis. Iidem.

Signa:
- *Setiæ, alias Segestæ.*
- *Metiæ.*
- *Tutilinæ.*

Circus Maximus, qui capit Loca CDXXCV. M. *id est quadringenta octoginta quinque millia.* Victor. *In eo erant Obelisci duo Magni, quorum Maior pedum* CXXXII, *minor pedum* LXXXIIX-S. Victor.

Circus Intimus. Varro apud Scaligerum ad Festum ad vocem *Murciæ*.

Forum Olitorium. Victor, Rufus, Varro lib. IV, Festus in vocem *Lactaria*.

Basilica Cai & Lucij Cæsarum. Rufus. Eo pertinent Inscriptiones, quæ apud Onuphrium:

C. CÆSARI. AVGVSTI. F.
PONTIFICI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Et:

L. CÆSARI. AVGVSTI. F.
AVGVRI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI IVVENTVTIS

Campus Trigeminorum.
Tabernæ Bibliopolarum Argiletanæ. Martialis lib. I. Epig. CXVIII.
Emissarium Cloacæ Maximæ in Tiberim. Inscript. apud Smetium.
Balineæ Privatæ XV. Victor.
Lacus sine Nomine XV. Victor.
Fornix Sertinij in Circo Maximo cum Signis Auratis.
Columna Lactaria in Foro Olitorio, ad quam Infantes lacte alendos deferebant. Victor, Rufus, Festus in *Lactaria*.
Lupanaria.
Horrea XVI. Victor.
Pistrina XII. Victor.
Domus CXXCIX, *alias* XXCIX. Victor.
Insulæ CIↃ IↃC *alias* II CIↃ IↃC. Victor.

Regio in Ambitu continebat Pedes. CCIↃↃ CIↃ IↃC. *alias* XI CIↃ IↃ. Victor.

REGIO

REGIO VRBIS DVODECIMA.

PISCINA PVBLICA. Victor. Perijt hæc regio apud Rufum. Meminit autem Ammianus Macellinus lib. XVII. & Festus in *Piscina*. XII. *Piscina Publica.*

Vici XII. Victor.

Vicus:
- *Veneris Almæ.*
- *Publicæ Piscinæ.*
- *Dianæ.*
- *Ceios.*
- *Triarij.*
- *Signi. Salientis, alias Aquæ Salientis.*
- *Laci tecti*
- *Fortunæ Mammosæ.*
- Colafiti *Pastoris, alias* Colapeti.
- Portæ *Ruduscula-næ.*
- Portæ *Næviæ.*
- *Victoris.*

De his omnibus Victor, & Inscriptio Romana, quæ apud Smetium.

Vicomagistri XLIIX. Victor, Exemplum in Inscriptione Smetiana.

Curatores II. Victor, Exempl. ibidem.

Denunciatores II. Ijdem.

Cohortes Vigilum III. Victor,

Caput Viæ Novæ. Victor.

Fons Lollianus. Inscriptio Vetus:

APPIO. ANNIO. BRADVA
T. VIBIO. BARO COS
MAGISTRI. FONTIS. LOLLIANI
M. VLPIVS. FELIX
N. CONFLONIVS. VITALIO
C. CLODIVS. SATVRNINVS.

Ædes:
- *Isidis.* Victor.
- *Bonæ deæ Subsaxanæ.* Victor.

Ædiculæ XII. Victor.

Aedicula:
- *Veneris Almæ.*
- *Dianæ.*
- *Fortunæ Mammosæ.*
- ....

Area radicaria. Victor.

Ara Lavernæ.

Fortuna Mammosa. Victor.

Isis Athenodora. Victor.

Signum Delphini. Victor.

Campus Lanatarius. Victor.

Horti Asiniani. Victor.

Thermæ Antoninianæ. Victor.

Balineæ Privatæ LXIIX. *alias* XLIV. Victor.

Lacus LXXX. Victor.

Septizonium Vetus. Victor, *Severi.*

Horrea XXIIX, *alias* XXVI. Victor.

Pistrina XXV. *alias* XX. Victor.

Domus CXXVIII. alias CXIIII. Victor. In his:

Domus:
- *Septem Parthorum.* Victor.
- *L. Fabij Cilonis.* Victor.
- *L. Cornificij.* Victor.
- *Privata Hadriani Imperatoris.* Victor, Capitolinus in Philosopho.

Insulæ CIↃ CIↃ CCCC LXXXVI, *alias* II CIↃ IↃXXCVI. Victor.

Regio in Ambitu continebat Pedes. CCIↃↃ CIC CIↃ. Vict.

REGIO

REGIO VRBIS DECIMA-TERTIA,

AVENTINVS. Victor. Periit apud Rufum.

XIII. Aventinus.

Mons Aventinus. Dixi supra, ubi de Montibus.

Clivus Publicus. Varro lib. IV. de LL. Livius lib. V & alibi, Ovidius lib. V. Fastor. Valerius Maximus libro I. cap. I. ubi L. Albini Historia describitur, Festus lib. XIIII in *Publicius*.

Vici XVII, *alias* XIX. Victor.

Vicus:
- *Fidij.*
- *Frumentarius.*
- *Trium Viarum.*
- *Caseti.*
- *Valeri.*
- *Laci Milari.*
- *Fortunæ.*
- *Capitis Canteri.*
- *Trium Alitum.*
- *Novus.*
- *Loreti Minoris.*
- *Armilustri.*
- *Columnæ ligneæ.*
- *Materiarius.*
- Mundiciei. *In eo erat Vortumnus.*
- *Fortunæ dubiæ.*

De his omnibus Victor, & Inscriptio, quæ apud Smetium.

Vicomagistri LXIIX. Victor, Exempl. in Inscriptione Smetiana.

Curatores II. Victor & eadem Inscriptio.

Denunciatores II. Victor idemque Lapis.

Clivus Publicus. Victor.

Caput Armilustri. Victor, Plutarchus, Varro, Spartianus.

Doliolum. Victor.

Remuria. Victor, Festus in *Remurinus*.

Scalæ Gemoniæ. Victor, Dio, Suetonius, Tacitus, alij apud Petrum Fabrum lib. II Semestrium cap. IX.

Lauretum. Varro lib. IV. de LL. Dionysius lib. III. Antiq. Romanarum, Plinius lib. XV. nat. histor. cap. ult.

Mappa Aurea. Victor.

Spelunca Caci. Dionysius lib. I. Virgilius lib. VIII. Æneidos.

Platanon. Victor, Martialis lib. III. Epig. XIX.

Templa VI.

Templum:
- *Lunæ in Aventino Magnum.* Victor, & alij Scriptores.
- *Communæ Dianæ.* Victor.
- *Bonæ Deæ, in Aventino.* Victor.
- *Libertatis.* Victor.
- *Iunonis Reginæ* DD. *ab Camillo, captis Veijs.* Victor.
- *Isidis.* Victor.

Ædes VIII.

Ædes:
- *Consi.* Victor.
- *Divi Tati.* Victor.
- *Minervæ, alias Palladis in Aventino.* Victor, Festus in *Scribas.*
- *Silvani.* Victor.
- *Mercurij.* Victor.
- *Herculis & Silvani.* Victor.
- *Matutæ cum Æreis Columnis & Atrio.*
- *Victoriæ in Auentino.*

Aedicu-

Aediculæ XVII. Victor.

Aediculæ:
- *Fidij, alias Fidei.*
- *Fortunæ Dubiæ.*
- *Hylernæ.*
- *Deæ Tutilinæ.*
- ......
- ......

Lucus:
- *Lunæ in* Aventino.
- *Laurentinus.*
- *Platanorum.*
- *Loreti Maioris.*
- *Loreti Minoris.*
- *Hylernæ.*

Porticus Aimilia.

Porticus *Fabaria, alias Faberij, alias Fabraria.* Victor.

Atrium Libertatis in Aventino. Victor. Suetonius in August. cap. XXIX.

Atrium *Matutæ.*

Sepulcrũ:
- Aventini *Regis Albani.* Livius lib. I.
- T. *Tatij Sabinorum Regis.* Victor, Varro lib. IV. de LL.

Area:
- *Publica.* Victor.
- *Pinaria.* Victor.

Ara Iovis Elicij.

Vortumnus. alias Aedes Vortumni.

Fortuna Horreorum Galbianorum. Victor.

Statua Minucij *Augurini, Præfecti Annonæ.* Plinius lib. nat. Hist. XVIII. cap. III. & lib. XXXIV. cap. V.

Odeum.

Naumachia.

Forum Pistorium. Victor.

Campus Pecuarius, *alias* Pescuarius.

Schola Cassij. Victor. De ea fortean Lapis, qui in Limine Superiore Portæ Exterioris S. Alexij in Aventino Monte:

IN. HONOREM. DOMVS. AVGVST.
TI. CLAVDIVS. SECVNDVS. COACTOR.
CVM. TI. CLAVDIO. TI. QVIR. SECVNDO.
F. VIATORIBVS III VIR. ET. IIII VIR. SCHO
LAM. CVM. STATVIS ET. IMAGINIBVS.
ORNAMENTISQVE. OMNIBVS. SVA. IM
PENSA. FECIT

Thermæ:
- *Varianæ.* Victor.
- *Decianæ.*
- *Privatæ Trajani.*

Balineæ Privatæ LXXIV. Victor.

Lacus LXXIIX. Victor.

Fons Silvani. Victor.

Emporium extra Portam *Trigeminam.* Victor.

Sepulcrum C. Cestij VII-*Viri Epulonum.* Integrum adhuc conspicitur, Pyramidale, ad Portam S. Paulli, muro inclusum, ea parte, quæ Occidentem spectat; sic inscriptum. bipedalibus litteris:

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO. PR.
TR. PL. VII. VIR. EPVLONVM

Altera vero parte quæ Orientem respicit, multo minoribus litteris, hoc modo:

OPVS. ABSOLVTVM. EX. TESTAMENTO
DIEBVS. CCCXXX
ARBITRATV
PONTI. P. F. CLA. MELÆ. HEREDIS.
ET. POTHI. L

Columna P. *Mantini Præfecti Annonæ.* Plinius lib. XXXIV, cap. V.

Horrea XXXVI. Victor.

In his:

Horrea:
- *Aniceti.* Victor.
- *Varguntei.* Idem.
- *Calbiana.* Idem.
- *Domitiani Augusti.* Idem.

Pistrina XXX. Victor.

Domus CLV, *alias* CIV. Victor.

In his:

- *Vlpiorum, alias Privata Trajani.* Victor.
- *Vitellij Imperatoris.*
- *Ennij Poetæ.* Varro & Eusebius in meo ad Poetam Commentario.

Domus
- *Faberij Scribæ.*
- *L. Licinij Suræ* III. cos. Martialis VII. Epigr. LXIV.
- *Maximi.* Idem lib. VII. Epigr. LXXII.
- *Galli.* Idem. lib. X.

Insulæ CIↃ CIↃ CCCC LXXXIIX. Victor.

Regio continebat in Ambitu Ped. CCIↃↃ IↃC. CIↃ CCC. Victor.

REGIO VRBIS DECIMA-QVARTA,

Trans-tiberina. TRANS-TIBERIM. Victor. Perijt apud Rufum.

Ianiculus Mons. Victor. Dixi supra, ubi de Montibus.

Vaticanus Mons. Victor. Supra de Montibus.

Insula. Victor. Dionysius Halicarnass. libro Antiquitatum Roman. V, Livius libro ab V. c. II, Ovidius Libro II Fastor. & Metamorph. XV, Suetonius in Claudio cap. XXV.

Græcis dicta *μεσοποταμία νῆσος*. Plutarchus in Othone.

Navalia. Dionysius libro III. Ennius lib. II Annalium apud Festum in *Quæso* & *Mundus.* Idem Festus in *Navalis*; qui & eadem innuit in voce *Piscatorij.*

Vici XXIII, *alias* XXII. Victor.

- *Censori.*
- *Gemini.*
- *Rostratæ.*
- *Longi Aquilæ.*
- *Statuæ Siccianæ.*
- *Quadrati.*
- *Raciliani* { *Maioris* / *Minoris* }
- *Ianiculensis.*

Vicus
- *Bruttianus.*
- *Larum Ruralium.*
- *Statuæ Valerianæ.*
- *Salutaris.*
- *Paulli.*
- *Sex. Lucei.*
- *Simi Publici.*
- *Patratilli.*
- *Laci restituti.*
- *Saufei.*
- *Sergi.*
- *Ploti.*
- *Viberini.*
- *Gajanorum.*

Victor, Inscriptio in Smetiano volumine folio LIV.

- *Vicomagistri* XCII. Victor.
- *Curatores* II. Victor.
- *Denunciatores* II. Victor.

Exempla sunt in Inscriptione, cujus iam memini.

Cohortes Vigilum VII. Victor.

Caput Gorgonis. Victor.

Lucus { *Forinarum.* / *Publicus.* / *Vaticanus.* } Victor.

- *Fortis Fortunæ.* Victor.
- *Apollinis in Vaticano.*

Templum

Templū { *Fortunæ Liberæ*. Victor; ubi male *Liberum*.

Ædes VI:

Ædes {
- *Forinarum*.
- *Isidis Naumachinæ*. Victor.
- *Iovis*. Victor.
- *Fauni*. Victor, Ovidius lib. II. Fastor.
- *Æsculapij*. Victor.
- *Dianæ Suburbanæ*.

Aediculæ XXII. Victor.

Aediculæ {
- *Larum Ruralium*.
- *Statuæ Valerianæ*.
- ....
- ....

Ianus Septimianus. Victor. Male legitur *Ianua* apud Spartianum in Severo.

Area { *Vaticana*. / *Septimiana*. } Victor.

Sacellum Deæ Maniæ. Idem.

Aræ XII. *Iano dicatæ*. Idem.

Ara Martis.

Statuæ {
- *Valeriana*.
- *Sicciana*.
- *Divi Iulij in Insula*. Plutarchus in Othone, Suetonius in Vespasiano, cap. V.

Diva Corniscæ. Victor, Festus in *Corniscarum*.

Hercules cubans. Victor.

Hippodromus. Idem.

Circus Vaticanus, *alias Cai & Neronis*.

In eo *obeliscus erat Pedum* LXXII: translatus est anno CIↃ IↃ LXXXVI in magnam S. Petri Aream.

Circus Domitiæ in Pratis.

Stadius Publicus. Victor.

Obeliscus Magnus in Insula.

Naumachiæ duæ. Victor. Suetonius in Tiberio cap. LXXII, Frontinus de Aquæductibus.

Tribunal Aurelium. Cicero.

Castra { *Lecticariorum*. / *Vetera*. } Victor.

Campus {
- *Bruttianus*. Victor.
- *Codetanus*. Victor.
- *Vaticanus*.

Horti {
- *Cæsaris*. Suetonius in Iulio cap. XXCIII, Horatius lib. I, Satyr. VIII; Cicero ad Atticum libr. XII. Epist. VI. Plinius Secundus in Panegyrico Trajani. Intelligit & Suetonius in Tiberio cap. LXXII.
- *Martialis*. Victor. Martialis lib. IV, Epig. LXIV.
- *Domitiæ*. Victor, ubi mallem *Domitij*, scilicet *Neronis*. De *Neronis Hortis* Tacitus lib. XV, & Capitolinus in Antonino Pio.
- *Galbæ Imperatoris*. Suetonius in ejus Vita cap. XX.
- *Getæ*. Victor.
- *M. Reguli Causidici*. Plinius lib. IV. Epist. II.

Albiona. Festus lib. I.

Prata {
- *Mucia*. Dionysius Halicarn. in Antiq. Rom. Livius libro II. Festus *in Mucia*; Auctor de VV. Inl. cap. XII.
- *Quinctia*. Festus in *Quintia*, Livius lib. III, Plinius lib. XIIX cap. III, Latinus Pacat. in Panegyr.

Nosocomion, *ubi Aegroti curabantur in Insula*. Sueton. in Claudio cap. XXV.

Thermæ
- *Septimianæ.*
- *Hiemales Aureliani Imper.*

Balneum
- *Ampelidis.*
- *Prisciliani.*

Victor.

Balnea Privata CXXXVI. Victor.

Lacus CXXC. Victor.

Sepulcrũ
- *Numæ Regis Ianiculo.* Victor, Dionysius Halic. Cassius Hemina IV. Annal. & alij apud Plinium lib. XIII. capite XIII, Solinus capite II. Auct. VV. Illustr. cap. III.
- *Statij Cæcilij Poetæ.*
- *Hadriani Imperatoris.* Spart. in ejus Vita, Capitolinus in Antonino Pio, in Antonino Philosopho & Vero: Inscriptiones in Smetiano Vol. fol. XI. verso.

Horrea XXII. Victor.

Pistrina. XXXII *alias* XXII. Victor.

Domus CL. Victor.

In his:

Domus
- *Martialis.* Ipse Poeta lib. I. Epigr. CIX, Victor.
- *Galli cujusdam.* Idem Martialis.

Insulæ CIↃ CIↃ CIↃ CCCCIX. Victor.

Regio continet in Ambitu Pedes CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ CCCCXXCIX. Victor.

[illegible] *Vrbis Romæ.* Adjiciam Coronidis loco aliquot *Vrbis*, in cujus delineatione laborat calamus, Encomia, quæ apud varios Scriptores leguntur, cum ad ipsam pertinentia, tum ad ejus Adjuncta. Si *Vrbem* consideremus, dicitur ea *Magna*, Virgilio, Horatio, Calpurnio Siculo; *Inmensa*, Statio: *Civitas Maxima & Numinum cunctorum cultrix*, Arnobio libro VI: τῆς οἰκουμένης ἐπιτομὴ, Polemoni apud Athenæum & Galenum: *Celsa*, Prudentio: *Excelsa*, Lucano: *Turrita*, ob Turrium copiam, quæ olim ↀ ↃCXL, Sidonio Carm. V. Διαμπρεπεστάτη, Stephano: *Incluta*, Ennio & Virgilio: *Domus aurea*, Ausonio: *Cui Splendor maximus*, apud Cassiodorum lib. XI. Epist. II: *Lux Orbis Terrarum*, Ciceroni: *Rerum pulcherrima*, Virgilio: *Princeps Vrbium*, Horatio: *Prima inter Vrbes*, Ausonio: κοινοτάτη καὶ φιλανθρωποτάτη πόλεων, Dionys. lib. I. *Domus Divum*, Ausonio: *Deum Locus*, Ovidio: *Prima Terrarum*, Paulino: *Mater Mundi*, Rutilio, *Mundi totius Templum*, Ammiano: *Vertex Mundi*, Sidonio libro I. Epist. VI. *Sedes toto mirabilis Orbe*, Cassiodoro lib. XI Variar. cap. II: Si *Incolas* videamus: *Beatam Nobilibus Populis* appellat Cassiodorus, quem dixi: *Optimorum Civium Matrem*, Symmachus lib. III. Epist. XII. *Opulentissimam in Terris Gentem*, Evander ad Herculem apud Livium lib. I. *Ditissimam*, Prudentius: *Genitricem Hominum & Deorum*, Rutilius: *Matrem Regum*, Claudianus: *Regum Genitricem*, Priscianus: *Domum Magnam Regum*, Dionysius Afer & Eustathius: *Matrem Ducum*, Claudianus. Si eorundem *Incolarum Prudentiam* examinemus in *Magistratibus* cum *Sacris* tum *Profanis*: *Sacerdotij Fons* vocatur Iustiniano Imperatori in Codice: *Dignitatum Mater*, Cassiodoro lib. I. cap. XXVII: *Dignitatum Curia*, Sidonio lib. I. Epist. VI: *Ornatissima Senatoribus*, eidem Cassiodoro; Si in *Legibus*: *Legum Domicilium* audit Sidonio, cujus memini, eodem loco: *Legum Patria*, Iustiniano Imperatori; *Juraque ab hac Terra cetera Terra petet*, inquit, verus Augur, Ovidius lib. I. Fastor. Si in *Re militari*; *Martia* nominatur Ovidio & Ausonio: *Martigena*, Silio Italico: *Templum bellicosi Martis*, Plutarcho: *Bellatrix* Ovidio, Claudiano, Sidonio Carm. V; *Felix* Propertio, Cassiodoro, Lapidi Antiquo, Nummis Veteribus: *Invicta*, ijsdem Nummis; *Ferox* Horatio: *Victrix* Numismatibus, quæ apud Hubertum Goltzium, Ovidio lib. IV Fastorum: *Victricis Romæ statuam* depingit suis quasi coloribus Georgius Fabricius

Incolarum.

Incolarum quæ Prudentia in [illegible]

Legibus.

Re militari.

bricius Topogr. cap. 11. Alia apud Alios sunt Adjuncta: *Virtutum Domicilium* dicitur, Ammiano lib. xiv. *Lar Virtutum*, eidem libro xvi. *Templum latissimum omnium Virtutum*, Cassiodoro lib. 1. cap. xxxix. *Eloquentia fœcunda Mater*, eidem libro. 1. cap. xxii; *Gymnasium Litterarum* Sidonio lib. 1. Epist. vi. Iam ad designandum *Romanorum Imperium*, quam varia leguntur apud Varios! *Augusta* cluit *Roma* Corippo, & Symmacho lib. vi. Epist. xi i. *Augustissima* in l. 32. C. Theodos. de Navic. *Domina*, Horatio, Ovidio, Arnobio, Nemesiano: *Dominans*, Silio: *Domina Gentium*, Eumenio: *Domina Rerum*, Ovidio, Appiano, Eunapio: *Domina Terræ*, Ovidio iv. Fastorum: *Domina Terrarum*, Ammiano: *Domina Terræ Marisque*, Dionysio Halicarn. *Domina totius Mundi*, Æthico: *Potens*, Horatio lib. ii. Epist. i. Ausonio & Paullino: *Præpotens*, Nazario: *Regia*, Horatio: *Regina*, Athenæo & Ammiano: βάσιλις πόλις, *Regina Vrbs* in Glossario Græcolatino, proculdubio de *Roma* vel *Constantinopoli*: *Roma* in Itineraria Tabula *Reginæ* sedet habitu, in Solio Regio, Coronam gestans capite, dextra tenens Orbem Victum: Sinistra, Sceptrum. Sic *Regina Vrbium* dicitur eidem Athenæo: *Regina Terrarum*, Ammiano & Nazario: *Regina pulcherrima Mundi*, Rutilio libro i. Δαίφρων ἄνασσα, Erinnæ Lesbiæ apud Stobæum: *Imperij Locus* Ovidio v. Fastorum: vel *Sedes*, Floro libro 1. cap. vii. *Imperij Lar*, Ammiano lib. xvi. *Altrix Imperij*, Corippo: *Caput Gentium*, Marciano: *Arx omnium Gentium*, Nazario: *Caput Rerum*, Livio, Ovidio, Ausonio: *Caput Terrarum*, Floro lib. ii. *Caput Mundi*, Lucano lib. ii. & Cassiodoro; *Caput Orbis*, Ovidio v. Fastor. Livio, variis locis, Trogo apud Iustinum lib. xliii. Gratio, Fortuna, Æthico, *Caput immensi Orbis* eidem Ovidio: ἡ πάντων κρατοῦσα Ῥώμη, Dionysio Halicarnassæo περὶ ἀρχαίων ῥητόρων:

Alia.

Eiusdem Vrbis Laudes ab Notis Imperij.

——————*Imperium, quod tenet Imperium*,

Vati apud Lampridium in Severo. Audiamus & alios de *Imperij* Notis:

Hæc est, cui fuerat promissa Potentia Rerum.

canit de *Roma* Ovidius libro vi. Fastorum:

——————*cui totus promittitur Orbis*,

idem libro i. cuius ibidem & hoc, *In Terra nil nisi Romanum esse*:

Imperium Terris, Animos æquabit Olympo,

&

——————*Imperium sine fine dedi*,

inquit Vates apud Virgilium libro i. Æneidos:

Romæ spacium est Vrbis & Orbis idem,

ait, quem sæpe dixi, Ovidius libro Fastorum ii.

Horreat Æneadas & Primus & Vltimus Orbis,

idem Fastorum i. apud quem libro ii. & hoc legitur,

——————*Romanum est Solis utrumque latus*.

item Fastorum iv. Vrbs, *Victorem Terris impositura Pedem*:

Sic Dionysius Halicarnass. lib. x. Antiquit. Rom. Ῥωμαίοις ἐπίφθονον ἀρχὴν, μετρίων ἐστί: *Roma sua magnitudine laborare*, scribitur Livio lib. 1. ab V. C: consulendus & L. Flori Prologus ad libros Historiæ Romanæ: Notat denique Vegetius lib. i. de Re militari cap. viii *Romanum imperium Solis pæne Regionibus & Mundi ipsius fine distentum*. Et hinc ipse Populus *Princeps*, Floro in eodem Prologo, item lib. i. cap. viii & xxvi, lib. ii cap. ii: *Princeps Terrarum*, & *Prævalens*, Livio lib. i: *Regnator*, Arnobio lib. vi, ubi de Capitolij nomine: *Pelagi Terræque potens*, Lucano libro i: *Imperio Gentium potiri* dicitur Floro lib. i. cap. i: *Rerum potiri*, Ovidio libro Fastorum i. Debellato Orbe, dataque Populis Civitate, ROMA *Communis & Omnium* cœpit appellari *Patria*, ut videre est apud Symmachum libro v, Epist. xcij, Censorinum de die Natali cap. xv in fine, & ICC, in l. 33. Roma. D. ad Municipalem, l. 6. §. 11. D. de Excusat. Tutor. Consule & Novellam lxxviii, cap. v, P. Rutilium libro i Itinerarii, Senecam de Consolatione ad Albin. cap. vi, Aristid. Laudat. Vrbis, *Sedes Mundo genitalis præstita* dicitur Cassiodoro lib. xi: Epist. ii: *Totius Orbis Civitas unica, in qua soli Barbari & Servi peregrinantur*, Sidonio lib. vii. Epist. vi. ROMA *nemini potest dici aliena*, scribente Cassiodoro lib. i. Variar. Epist. xxxix. Et hinc patet, quæ sit ratio, quod cui *Patria* interdictum, etiam *Vrbe* ab-

 stinere

ſtinere debuerit l. 7. §. 15. D. de Interdict. & Relegat. cuius Conſtitutionis Auctor Claudius Princeps, Suetonio notante cap. XXIII. quodque qui ROMÆ profitetur, in *Patria* profiteri videatur. l. 9. D. de Vacat. & Excuſat. Muner. Quid? quod decreti fuerint *Vrbi* ROMÆ *Divini Honores*; quod *Templa* exſtructa: quod *Sacerdotes* creati? Legendi Livius libro XLIII. Tacitus libro IV. Annalium, Dio lib. LI. in Actis annis ab V. C. IↃCCCXXV. Suetonius in Auguſto, Ammianus Marcellinus libro XVI. Spartianus in Hadriano, Sex, Rufus. Elegantet de hac *Dea* Prudentius:

Divinitati.

——— ———colitur nam Sanguine & ipſa
More Dea, Nomenque loci ceu Numen habetur,
Atque Vrbis Venerisque pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur tura deabus.

Θεὰ Ῥώμη vocatur in Inſcriptione Vetere, quæ ante everſam ab Mahomete Conſtantinopolin, in Veſtibulo Templi fuit, quod in Arce quondam Palladi, poſtea B. Mariæ Virgini fuit ſacrum:

Ο. ΔΗΜΟΣ. ΘΕΑΙ. ΡΩΜΗΙ. ΚΑΙ. ΣΕΒΑΣΤΩΙ ΚΑΙΣΑΡΙ.
ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ ΕΠΙ. ΤΟΥΣ. ΠΟΛΙΤΑΣ. ΠΑΜΜΕ
ΝΟΥΣ. ΤΟΥ. ΞΗΝΩΝΟΣ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ. ΙΕΡΕΩΣ.
ΘΕΑΣ. ΡΩΜΕΣ. ΚΑΙ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΕΝ. ΑΚΡΟ
ΠΟΛΕΙ. ΕΠΙ. ΙΕΡΕΙΑΣ. ΑΘΗΝΑΣ. ΠΟΛΙΑΔΟΣ. ΜΕΓΙΣΤΗΣ
ΑΣΚΛΕΙΠΙΑΔΟΥ. ΑΛΑΙΕΩΣ. ΘΥΓΑΤΡΟΣ. ΕΠΙ. ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΑΡΗΟΥ. ΤΟΥ. ΔΩΡΙΩΝΟΣ. ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ

Terrarum Dea. Gentiumque ROMA
nuncupatur Martiali: Lucano autem lib. 1. Belli Pharſalici,

Divini Numinis inſtar;

Alma, in Baſi quadam, quæ hodie in Ponte Fabricio, rudibus alioquin litteris & inæqualibus exarata.

BENEDICTVS ALME
VRBIS SVMM^ SENAT
OR RESTAVRAVIT HVN
C PONTEM FERE DIRV
TVM

Sacram dicunt Auſonius, Mamertinus, Æthicus; *Sacratiſſimam*, Imperatores in Codice; *Venerabilem* Ammianus lib. XVI. *οὐρανόπολιν*, Athenæus; *Aequævam Polo*, Claudianus. Sic Rutilius lib. 1.

Exaudi Regina tui pulcherrima Mundi,
Inter Sidereos ROMA *recepta Polos.*

Summo Vertice tangit Deos apud Ovidium lib. 1. Faſtor. Longum eſſet hic commemorare Inſcriptiones, quæ *Flamines* laudant ROMÆ *& Augusti* vel *Auguſtorum* Conſulendum Volumen Smetianum fol. CLI. num. 18, 20. 22. fol. CLII. num. 1. & 15. fol. CLVII. num. 115 fol. CLXI. num. 5. fol. CLXIV. num. 9. & alibi. Accedit huc, quod *Divinos* olim *Honores* Romæ tribuerint Smyrnæi, Aladenſes, & præter alios Græcorum omnium cultiſſimi Athenienſes: Videndi Livius lib. XLIII. Tacitus lib. IV. Annalium, & alij. *Divinitatis* autem nota *Aeternitas*. *Vrbs* ROMA *Aeterna* nominatur Ovidio lib. III. Faſtorum, Symmacho libro III. Epiſt. LV. Ammiano libro XV. & aliis locis, Auſonio in Epigrammat. quibus Faſtorum à ſe digeſtorum meminit: Proſpero Aquitanico in dimidio Temporis cap. VII. Sic item appellatur in innuentis Imperatorum Conſtitutionibus, in Nummis Antiquis apud Goltzium, in Inſcriptione denique, quæ in ipſa Vrbe, in Porta Ripæ:

Aeternitati.

IMPP. CAESS. DD. NN. INVICITISSIMIS. PRINCIPIBVS. ARCADIO. ET. HONORIO
VICTORIBVS. AC. TRIVMFATORIBVS. SEMPER. AVGG. OB. INSTAVRATOS
VRBI. ÆTERNÆ. MVROS. PORTAS. AC. TVRRES &c.

Aeter

Aeternabilis vocatur in l. 2. C. Theodos. de collat. Don. *Victura cum Saeculis* Ammiano scribitur. Pertinet & illud non parum ad ROMÆ *Veteris* gloriam, quod præcipuæ aliarum Provinciarum Vrbes Nomen eius induere conatæ, tamquam ipsius æmulæ. *Constantinopolis* passim ROMA dicitur in Constitutionibus Imperatorũ; item Socrati libro v. Histor. Eccles. cap. VIII. Corippo, Prisciano, Marcellino Comiti, Zonaræ non semel, & aliis: Sic de eadem Sidonius Apollinaris Carmine II: Vrbes, quæ Romæ appellationem ambiebant.

Salve Sceptrorum Columen, Regina Orientis
Orbis ROMA *tui.*———

De *Karthagine* Salvianus Massiliensis libro VII de Providentia: *Karthago universarum Africæ Vrbium Princeps, & quasi Mater: & in Africano Orbe quasi* ROMA. *Capua* quoque, primaria quum floreret Campaniæ Vrbs, ROMA *altera quondam* Ausonio. *Arelate* item *Gallula* ROMA vocatur ab Ausonio: *Aeduorum Civitas Celtica* ROMA Sigeberto in Chronicis: *Aquileia* denique *Romania* & ROMA *Secunda* Leandro: indeque *Chromatius Aquileiensis Episcopus, Romanus* appellatus est *Episcopus*, in Libro de Octo Beatitudinibus.

Sed o quanta rerum omnium est vicissitudo! Incensa captaque aliquoties Imperatorum & malitia & socordia, non solum decus avitum, quod mansurum semper videbatur, Antiqua ROMA amisit; verum etiam, parum omnino abest, periit, sedesque in Montanis, tamquam infeliciores, aversata, planiora petiit; occupato Campo, qui Marti quondam consecratus, ut vel eo saltem modo *Martiam* se profiteretur; ad desidiam alioquin, torporem, & omne Vitiorum genus plenis velis delapsa. Antiqua Roma multas passa clades & calamitates. Sævissimo incendio deflagravit Vrbs Principatu Neronis, qui ipsius eius Auctor. De eo sic post multa Tacitus libro XV. *Sexto demum die apud imas Exquilias finis Incendio factus, prorupstis per immensum ædificiis, ut continuæ violentiæ Campus & velut vacuum cælum occurreret. Necdum posito metu redibat. Levis rursum grassatus ignis, patulis magis Vrbis locis, eoque strages hominum minor. Delubra Deum & Porticus amœnitati dicata latius procidere. Plusque infamiæ id incendium habuit, quia prædiis Tigellini Aemilianis proruperat: videbaturque Nero condendæ Vrbis Novæ, & cognomento suo appellandæ gloriam quærere. Quippe in Regiones quatuordecim Roma dividitur: quarum quatuor integræ manebant, tres solo tenus deiectæ: septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant lacera & semiusta. Domuum, & Insularum, & Templorum, quæ amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissima Religione, quod Ser. Tullius Lunæ* (magni viri *Luæ* emendant) *& Magna Ara Fanumque, quæ præsenti Herculi Arcas Evander sacraverat, Aedesque Statoris Iovis vota Romulo, Numaque Regia, & Delubrum Vestæ cum Penatibus Populi Romani, exusta. Iam opes tot victoriis quæsita, & Græcarum artium Decora, exin monimenta Ingeniorum antiqua & incorrupta, quamvis in tanta resurgentis urbis pulcritudine multa Seniores meminerant, quæ reparari nequibant. Fuere, qui annotarent* XIV. *Kalendas Sextiles principium Incendii huius ortum, quo & Senones captam Vrbem inflammaverant: Alii eo usque cura progressi sunt, ut totidem annos mensesque & dies in utraque Incendia numerent. Sex dierum* facit incendium Tacitus; addens mox Ignem rediisse, qui fortassis *Trium*. Nam *Novem dies* nominat Inscriptio, quæ Romæ ad Basilicam Petri. ab Incendiis deformata.

EX. VOTO. SVSCEPTO. QVOD. DIV
ERAT. NEGLECTVM. NEC. REDDITVM
INCENDIOR. ARCENDORVM. CAVSA
QVANDO. VRBS. PER. NOVEM. DIES
ARSIT. NERONIANIS. TEMPORIBVS
ET. HAC. LEGE. DEDICATA. EST. NE
CVI LICEAT. INTRA. HOS. TERMI
NOS. AEDIFICIVM EXSTRVERE

Priorem Calamitatem designat Suetonius in Neronis Vita cap. XXXVIII. qui inter alia: *Per sex dies septemque Noctes ea clade sævitum est, ad Monimentorum Bustorumque diversoria Plebe compulsa.* Videndus & Xiphilinus ex Dione. Alia Incendia, dira etiam satis, omitto. Capta porro & direpta sub Principibus legitur varie. Ab Hostibus capta. Ab Gothis sub Rege Athalarico IX. Kalend. Sept. anno ab eius conditione CIↃ

CLXI. ab Christo nato CCCCX. legendi Sigebertus, Prosper, Marcellinus Comes, & alij: ab Vandalis sub Geinsericho Rege, anno ipsius Vrbis CIↃ CCVI. Christi CCCCLV. consulendi Procopius, idem Marcellinus, Nicephorus, aliique: postremo, ut & hoc addam, ab Cæsarianis, duce Borbonio Gallo, VIII. Eid. Mai, anno Vrbis CIↃ CIↃCCXXCII. Christi CIↃ IↃXXVII. Memorantur & ROMÆ Suburbia capta combustaque ab Saracenis, anno Vrbis CIↃ IↃ LXXXV. Christi IↃCCCXXXVII. Primarum sane cladium ea fuit rabies & atrocitas, ut tandem in media ROMA vix quid cœperit esse ROMÆ; & nusquam ROMA minus cognosceretur, quam in ipsa ROMA. Invicta scilicet illa ROMA, de qua hactenus dixi in Victa, proh dolor, ROMA jacet hodie mœrendum in modum sepulta: Quæ omnia vicerat, ne quid in Orbe ab Vrbe non victum esset, Se quoque vicit. Res ipsa docet, & quæ multis in ore: Ῥώμη, Ῥύμη: ROMA רמה: Nimis vere. Antiqua enim ROMA non tam Vicus, quam meræ deplorandi impetus ruinæ. Horrent cum gemitu, qui intuentur, de loco certo certantes. Pristina tamnunc Montibus sua Facies, & sua Bobus Pascua rediere: Omnia Septimontij.

——Silvestibus horrida Dumis,

Tesca, aspera, deserta, inculta Loca. Bene Poëta:

Qui miseranda videt Veteris vestigia ROMÆ,
Ille potest merito dicere ROMA FVIT:
At qui celsa Nova spectat Pallatia ROMÆ,
Hic merito poterit dicere. ROMA VIGET.

Fuit Vetus, ut illud repetam, in VII præsertim Montibus: *Viget*, quo loco quomdam late Campus erat Martius. *Nova*: de qua nonnihil etiam ut dicatur, ordo flagitat.

Hodierna vel Nova ROMA Situs, Sita est loco non admodum fertili, Austro objecta, Cœli gravioris & intemperantioris: adeo ut Cives ab Medicis suis Pablico prohiberi soleant, diluculo & in crepusculo, nisi Sole splendente. Scripsit eleganter & docte *de tuenda* ROMÆ *valitudine*, Alexander Petronius, Romanis Medicus. Ambitus, *Ambitus*, qui quomdam ROMÆ fuisse scribitur tredecim millium passuum, hodie multo minor esse deprehenditur. *Burgum* vocant illam Vaticani partem omnem à Ponte Palatium versus, ubi olim Inque ea Turres, Silva fuit & Lucus ante Alexandri II. P. M. tempora: in quo *Pyramis* erat *Sepulcralis P. Scipionis Africani*, cuius adhuc quædam visuntur in ea Templi area, quæ Paradisus dicitur: *Nux Pinea* ingens ex ære, *ærei*que *Pavones*, inaurati. *Turres* in Murorum Ambitu circiter CCCIX. olim IↃCCXL. & inde ROMA, ut antea dixi, *Turrita*, Sidonio Carmine V. & *Turrigero Verticè* Lucano lib. I. Portæ, *Portas* antea aperui: Iis hic addo Subarbanas & Recentes sex, *Turrionis*, *Subiectam*, *S. Petri* sub Hortis Pontificis, Montes, *Iuliam*, *Castelli*, vel *Aely*, *S. Spiritus*, quæ olim *Triumphalis*, ut quidam volunt. Vniversim hodie sunt XXI. *Montes* etiam indicavi, quorum plerique ruinis jacent deformes. *Palatinus* sane Subterraneis meatibus totus fere pensilis, Hortis est occupatus: nullus ROMÆ locus magis desertus, quo apud Priscos nullus erat frequentior. Regiones, *Regiones*, ut olim, sic hodie, sed mutatis nomibus, sunt XIV: *Regio*

Montium,	*Trivij,*
Columna,	*Campi Martij,*
Pontis,	*Parionis,*
Harenula,	*Eustachij,*
Pinea,	*S. Angeli,*
Campitelli,	*Ripa,*
Trans-Tiberis,	*Burgi,*

Aquæ, *Aquæ* nunc Vrbi Romæ *Tiberis* & *Almo* Fluvij. Occurunt etiam variis locis reliquiæ Fontium ex Veteribus Ductibus. *Aqua Virgo* per Campum Martium instaurata est anno CIↃ IↃLIV ab Nicolao V. Pont. Maximo: *Alsietina* per Vaticanum restituta ab Innocentio VIII. *Salonia* nupera à Pio V. *Fontem Felicem* de suo nomine ante Pontificatum Sixtus V. trino gurgite in Vrbem induxit. Alij Pontifices *Aquas* Pontes, alias *Fontes*que & *Aquaductus* refecerunt. *Pontes* alio loco enumeravi. *Campos* Vrbs Campi, etiam-nunc habet multos in quis celeberrimi censentur & primi nominis: *Vatica-* Porticus, *nus*, *Figulensis*, *Agonius*, *Iudaorum*, *Floræ*. *Porticus* numerantur præcipue tres: I. *Benedictionis*: II. in Vaticani Palatio triplicis obambulationis, aperta: III Versus Hortos

Bel-

Belvedere, vulgo *Curridorio*, nunc *Gregoriana*. *Fora* item conspiciuntur varia quorum *Piscarium* & *Olitorium* iisdem adhuc esse locis volunt, ubi fuerunt antiquitus: *Suarium* & *Boarium*, ubi olim *Romanum*. *Pistorum* unum prope S. Mariam Rotundam; Alterum in Vico Iudæorum. Tertium haud procul D. Laurentio in Damaso: Quartum ad Pontem Aeliani. Commune omnium Mercium & Rerum Venalium *Forum* in Campo Agonio. *Templa* plura nunc, quam olim: hodie supra ccc. quorum VII. Religionis causa maxime frequentantur. I. *S. Petri* in Vaticano: sumtu, marmoribus, magnificentia & opere omnia orbis superans Templa. Multa ibi singularia: Columnæ aliquot ex Templo Schelomonis advectæ: duo ærei Pavones ex Pyramide P. Cornelij Scipionis Africani, quæ olim in Valle Vaticana fuisse dicitur, translati. Visuntur item ibi Sepulcra multorum Pontificum; *Othonis* quoque II. *Imperatoris* marmoreum. Ostenditur ibidem Sudarium Veronicæ, cui Christi facies impressa. Est & Iudicium Orbis universi supra in Sacello Pontificis, Opus Michaelis Angeli. II. *S. Paulli*, in Via Ostiensi, amplum & pulcrum, ab Constantino Magno ædificatum. Multæ hic Veterum Romanorum Inscriptiones. Imago ibidem Salvatoris, quæ S. Brigidæ loquuta fertur. Sepulcra item *Benedicti* IX. aliorumque. III. *S. Mariæ Maioris* in Via Esquilina: augustum. Monstratur ibi Præsepe Domini. Sepulcra ibidem *D. Hieronymi*, *Alberti* & *Ioannis Normanni*, *Platinæ Historiographi*, *Lucæ Gaurici Mathematici*, *Francisci Toleti Cardinalis*, & aliorum. Pro foribus Obeliscus cum Notis, Hieroglyphicis. IV. *S. Sebastiani*, extra Portam Capenam, in Via Appia, oblongum, Tecto lapideo, ut plurima Romæ. Reliquiæ hic multorum Martyrum: Sepulcraque Pontificum XLVI. V. *S. Ioannis Lateranensis* in Cœlio Monte: Pontificum olim Sedes. Reliquiæ ostenduntur multæ: Capita SS. Apostolorum Petri & Paulli: S. Stephani Tunica, sanguine tincta, lapidibus perforata: Arca Fœderis: Aaronis Virga: & alia, de quibus alij. Situs ibi *Silvester* II. *P. M.* cum *Laurentio Valla*, ibidem olim Canonico. Ante fores Obeliscus est Notas habens Hieroglyphicas VI. *S. Crucis in Hierusalem*, in eodem Monte, mundum & elegans: ab Helena, Constantini Magni Imperatoris Matre, ædificatum. Solum ex Terra Sancta Hierosolymis advectum fuisse testatur Inscriptio. Pars hic fertur adversari Crucis Dominicæ: item Titulus tribus Linguis scriptus: Denarius unus ex xxx. quibus Iudas Christum vendidit: Spina Coronæ ejusdem. Tumulus ibi *Benedicti* VII. *P. M.* Sunt qui putant olim *Veneri & Cupidine* dicatum. VII. *S. Laurentij*, extra Portam Esquilinam, pulcrum. Reliquias hic perhibent servari D. Laurentij. Scripserunt de Septem Urbis Ecclesijs *Onuphrius Panuinius* & *M. Attilius Serranus*: Italice vero *Pompeius Hugonius Romanus*. Reliqua minora sunt Templa, & Aedes potius Sacræ: quas non omnes (operosum hoc esset) sed quæ vel Antiquorum fuerunt Deorum, vel alia quæ habent singularia, commemorabo: ordine Alphabetico, ne quid alicuius deteratur dignitati vel Prærogativæ:

[Margin: *Fora.* — *Templa in quis septem primaria: S. Petri.* — *S. Paulli.* — *S. Mariæ Maioris.* — *S. Sebastiani.* — *S. Ioannis Lateranensis.* — *S. Crucis in Hierusalem.* — *S. Laurentij.* — *Templa Minora, Aedesque Sacræ.*]

S. Agatha, Gothorum Ecclesia sub Viminali. Hic *Dianæ & Pacis* Imagines ex Cœmento: Pro foribus Prætextati in subsellis Pueri sedent & docentur: Tumulus ibidem est *Iani Lascaris*, additis Epitaphiis Græcis.

S. Alexius, in Aventino; olim *Herculis Victoris*.

S. Anastasia, ad Palatini radices: olim *Neptuni Equestris*, qui & *Consus*.

S. Angelus, in Piscina, olim *Mercurij*.

S. Apollinaris; olim *Apollinis*.

SS. Apostolorum XII. Sepulcra ibi *Bessarionis*, & *Petri Saonensis*, *Cardinalium*: item *Bartholomæi Camerarij*, *Theologi & Iureconsulti*.

S. Augustinus, in Campo Martio; Sepulcra hic cum aliorum, tum *Constantini Commeni*, *Macedoniæ Principis*, & *Achaiæ Ducis*, qui ab Turca pulsus avitis regnis, Romæ obit CIƆ IƆXXXI. Kalendis Mai.

S. Barbara, in Regione Pineæ: olim *Veneris Theatri Pompeiani*.

S. Bartholemæus, in Insula: olim *Iovis*, vel ut alij volunt, *Aesculapij*.

S. Catharina, sub Monte Tarpeio; olim *Carmentæ*.

S. Chrysogonus: Situs hic *Hieronymus Aleander*, *Cardinalis*.

S. Constantia, in Via Nomentana: olim, ut quidam censent, *Bacchi*.

S. Cosmus & Damianus, in Via Sacra: olim *Romuli & Remi*: vel, ut alij, *Castoris & Pollucis*.

S. Cos-

S. *Cosmatus*, sub Ianiculo: olim *Fortis Fortunæ.*

S. *Elizabetha*, in Campo Martio; olim *Agrippæ.*

S. *Eustathius*, prope Pantheon: olim *Boni Eventus.*

S. *Hadrianus*: olim *Saturni*, *in Foro Romano.*

S. *Ioannes Euangelista*, ante Portam Latinam. in Cœlio: olim *Dianæ.*

S. *Ioannes Colybita*, in Insula: olim *Aesculapij* fuisse censetur.

S. *Laurentius in Lucina*: olim *Iunonis Lucinæ.*

S. *Laurentius in Miranda*: olim *Castoris ad Forum Romanum*: vel, ut alij, *Faustinæ*, Antonini Conjugis.

S. *Laurentius in Damaso* in Regione Pineæ: Epitaphium hic *Hannibalis Cari*, Etrusca Lingua diserti, qua & multa scripsit: & *Iacobi Fabij Parmensis*, qui de Beneficentia quædam in lucem edidit: item *Petri Marsi*, *Iulij Sadoleti*, *Hieronymi Ferrarij Corrigiensis*, & aliorum.

S. *Lucia in Palatio*: olim *Apollinis Palatini.*

S. *Lucia in Apothecis*: olim *Herculis Musarum.*

S. *Maria Aegyptiaca*, in Regione Ripæ: olim *Fortunæ Virilis.*

S. *Maria de Anima*, in Regione Parionis, Germanorum & Belgarum Templum: in quo conditi *Hadrianus* VI. *P. M.* *Gulielmus Enckefort Cardinalis*, *Karolus Princeps Cliviæ*, & alij.

S. *Maria in Ara Cæli*, in Capitolio: olim *Iovis Feretrij.*

S. *Maria Aventina*, in Colle Aventino: olim *Bonæ Deæ.*

S. *Maria in Capitolio*: olim *Apollinis Capitolini.*

S. *Maria in Crypta Picta*; olim *Veneris Victricis.*

S. *Maria in Cosmedim* in Velabro: olim *Herculis in Ara Maxima.*

S. *Maria in Esquilio*: olim *Isidis in Circo Flaminio.*

S. *Maria de Febribus*: olim *Martis in Vaticano.*

S. *Maria de Gratia*: olim *Vestæ* inter Capitolinum & Palatinum Montes.

S. *Maria de Inferno*: olim *Iovis Statoris*, in Foro Romano.

S. *Maria Liberatrix*, ad Capitolii Radices: olim *Veneris Genetricis.*

S. *Maria supra Minervam*: olim *Minervæ*. Tumuli visuntur *Stanislai Hosij Cardinalis, Poloni. Thomæ de Vio Cajetani: Gulielmi Durandi, Episcopi Mimatensis: Petri Bembi, Cardinalis*: *Paulli Manutij*, & aliorum.

S. *Maria Nova*, in extremo Foro Romano: olim *Solis & Lunæ*: vel, ut alij *Isidis & Serapidis.*

S. *Maria in Pace*: Situs ibi *Marcus Musurus Cretensis.*

S. *Maria in Porticu*, in Regione Ripæ: olim *Saturni & Opis.*

S. *Maria de Populo*, sub Colle Hortulorum. Conditi jacent ibi multi Cardinales. & cum ijs *Hermolaus Barbarus*, *Patriarcha Aquileiensis.*

S. *Maria Rotunda*: *Pantheon* olim, nunc Sanctis omnibus & B. Virgini Sacrum. Condidit M. Vipsanius Agrippa Cos. III. uti docet Inscriptio, uncialibus litteris. Templum hoc, ut perfectæ Architecturæ Exemplar exhibet, explanatque Ludovicus Demontesius, Architectus insignis, singulari libello, cui titulus *Gallus Hospes ab Vrbe*. Ex solido Lapide est Tiburtino, æquali cum latitudine, tum altitudine. Tectum plumbeum est & circulare, vnicum habens Foramen, quod lucem præbet. Porticus adstat ingens. Testudo per quam ad Tectum ascenditur gradus habet CL: ad Foramen Tecti rursus gradus plumbei sunt XL. Ante Templum Vas ingens Numidico è marmore: superne, quadratum: infra, alvei similitudine ventrem habens. Visuntur & Leones duo cum Notis Ægyptiacis.

S. *Maria Transpontina* in Regione Burgi; olim *Hadriani Imperatoris.*

S. *Marcellus*. Iacet hic *Petrus Gillius*, Æliani Interpres, & Byzantij Descriptor.

S. *Martina*. iuxta Forum Romanum: olim *Martis Vltoris.*

SS. *Nereus & Achilleus*, iuxta Thermas Antonini: olim *Isidis in Via Appia.*

S. *Nicolaus*, *in Matuza*: olim *Iunonis Matutæ.*

S. *Pantaleon*, in Suburra: olim *Telluris.*

SS. *Petrus & Marcellinus*: olim *Quietis.*

S. *Petrus in Carcere*; olim *Carcer Tullianus.*

S. *Petrus Montorius*, in Ianiculo, Templum parvum, sed elegans, rotundum Dorica structura. Sepulcra ibi *Antonij Massæ Galesij I. C. Iulij Pogiani Novariensis*, *Angeli de Pace Hispani*: qui omnes Scriptis clari Exstruxerat ibidem

Sepul-

Sepulcrum sibi *Iulius* III *P. M.* vivens: jacet tamen in Vaticano, loco humili.

S. *Petrus ad Vincula:* Adservari feruntur hic Catenæ, quibus Hierosolymis Apostolus adligatus: quasque laudat B. Chrysostomus. Monstrantur & Machabæorum Corpora, Pars Crucis S. Andreæ, Statua Mosis Israelitarum Ducis, & alia: Conditi hic *Nicolaus Cusanus, Iacobus Sadoletus*, & alij.

S. *Petronella*, *in Vaticano*; olim *Apollinis Vaticani.*

S. *Praxedis* in Esquilino, à Paschali 2. P. M. exstructum; in quo Columna, ad quam Christus flagellatus.

S. *Prisca* in Aventino; olim *Herculis.*

S. *Pudentiana* in Viminali. Hic primum Missæ Sacrificium peregisse S. Petrum tradunt Romani.

S. *Sabina*: olim *Dianæ*: Pontificum Romanor. prima Sedes. Pro foribus Vrna est lapidea, qua nulla Romæ maior. Reliquiæ hic ostenduntur Hadriani Pontificis, Eventij & Theoduli Martyrum, Sabinæ item & Seraphiæ Virginum. Situs ibidem Eugenius II. P. M.

S. *Salvas* in Aventino. Hic ingens Sepulcrum, quod *Titi Vespasiani Imperatoris* fertur.

S. *Salvator in Maximis*; olim *Iovis, Minervæ & Iunonis.*

S. *Salvator in Statera*; olim *Saturni in Capitolio.*

S. *Salvator in Pietate*; olim *Pietatis.*

S. *Sergius & Bacchus, in Capitolio*; olim *Concordiæ.*

S. *Sixtus* ad Infernam Piscinam; olim *Honoris & Virtutis.*

S. *Stephanus Rotundus*, in Cœlio; olim *Fauni.*

S. *Stephanus* in Foro Boario; olim *Vestæ.*

S. *Susanna*, olim *Quirini.*

S. *Theodorus*, sub Monte Palatino olim *Panos Lycæi*, vel, ut alij, *Romuli & Remi.*

S. *Trinitas* in Colle Hortulorum. Siti sunt ibi *M. Antonius Muretus* & *Franciscus Franchinus Cosentinus, Massæ Populoniæ Episcopus*; Scriptis clari.

Templis subjiciam *Cryptas Subterraneas*; quæ quondam, Imperatoribus in Christianos sævientibus, ipsorum fuerunt Latebræ & Sepulcra. Loca Venerationis plena, visuque stupenda. Monstrantur ad Vrbem quatuor: apud S. Agnetem, S. Pancratium, S. Sebastianum, S. Priscillam; extra Portas Viminalem, Aureliam, Capenam, Flaminiam. *Cœmiteria*, quæ partim olim fuerunt, partim nunc sunt, numerantur XXVIII: Cryptæ. Cœmiteria.

S. *Agnetis*, Via Nomentana;
S. Balbinæ, Via Ardeatina, alias *S. Marci Papæ.*
S. *Calixti*, ad S. Sebastianum;
Catacumbæ;
Commodillæ, Via Ostiensi;
S. *Damasi*;
S. *Felicis* Papæ, Via Aurelia, prope S. Pancratium;
Ad Clivum Cucumeris;
S. *Felicitatis*, Via Salaria;
Cyriaci, Via Tiburtina;
Iordanorum, ubi Alexander conditus;
Domicillæ, Via Ardeatina;
S. *Nicomedis*, Via eadem;
Peregrinorum;
Ad duos Lauros, ad S. Helenam;
S. *Pontiani Papæ*;
S. *Hermetis*, alias Domitillæ, Via Habet multa alia Onuphrius Panuinius. Ardeatina;
Insalatarum, Via Portuensi;
SS. *Nerei & Achillei*, Via Ardeatina;
S. *Pancratij*;
S. *Priscillæ*, Via Salaria, S. *Marcelli Papæ*.
Vrsi Pileati, ad S. Balbinam;
Amproniani, Via Latina, in quo condita S. Eu enia;
S. *Prætextati Presbyteri*, Via Appia.
Basillæ;
Calepodij Presbyteri, Via Aurelia, ubi Vrbanus Papa sepultus;
Thrasonis;
S. *Timothei Presbyteri*, Via Ostiensi, juxta S. Paulli.

Hospitalia, ut Latinorum Vulgus vocat, quorum tanta magnificentia, ut inter recentia Vrbis Monimenta nihil prædicetur dignius, multa sunt: *Publica* quidem omnium Nationum & Mortalium: Hospitalia.

S. *Spiritus*, in Vaticano:
S. *Iacobi de Augusta*, in Valle Martia,
S. *Antonij*, in Esquilino:

Propria vero, singulorum Populorum;

S. *Mariæ de Anima*, Germanorum & Belgarum:
S. *Iacobi*, Hispanorum,
S. *Petri*, Hungarorum.

S. *An-*

S. *Andreæ prope Argẽtinam*, Flandrorum;
S. *Ludovici*, Gallorum;
S. *Salvatoris*, in Cœlio,
S. *Mariæ, de Consolatione*, in Velabro;
S. *Thomæ*, Anglorum,
S. *Brigidæ*, Suecorum;
S. *Ioannis Baptistæ*, Florentinorum;
S. *Ioannis Baptistæ prope ripam Tiberis*; Genuensium, ab Mediadusto Cicada conditum & dotatum.

Palatia Domus [illegible] Pontificis.

Inter recentia etiam nuperaque Vrbis Opera maxime conspicienda veniunt varia cum Pontificis & Cardinalium, tum aliorum *Palatia*. Pontificis in edito Vaticani loco est, situ longe augustissimum; qui, relicta Laterana Sede, eo ob amœnitatem loci & salubritatem commigrarunt. Inchoatum ab Nicolao III, auctum post ab alijs, perfectum ab Iulio II & Leone X, ædificijs tandem illustratum picturisque ab Xysto V, ut Machina cœlo adsurgere pendereque videatur. Adscensus sunt facillimi & ædibus Palatinis adcommodati ex omni parte, adeo ut etiam equo ad tectum usque eniti liceat. Oppidum potius quis dixerit, adeo est amplum, quam Domum. Sacellum ibi est Xysti, quod amplissimum æquat Templum. Eo, vacante Sede, conveniunt Cardinales creando Pontifici Maximo. *Conclave* vulgo dicitur. Hortos ibi videre est: in quis quæ rariora servantur spectanturque, ita describunt Antiquarij: Horti hic sunt, qui ab amœnitate hodie *Belvedere* appellantur. In unius Hortuli Peristylio, Area media varijs exoticis consita arboribus, spectatur hinc *Tiberis*, *Lupæ* innitens *Puerulos Romulum & Remum lactanti*, inde *Nilus est*, cui *Sphynx* subjacet, circumquaque sunt *ludentes Pueruli* XVII, Cubitorum altitudinem, quibus excrescit fluvius, designantes, auctore Plinio. In Basi sculpti *Hippopotami*, & *Crocodili*, Nilo propriæ Animantes. In alio Peristylio *Larvæ* marmoreæ, singularis artificij, XIII visuntur. In Loculis seu repositorijs, quæ *Ischios* Itali vocant, ab tergo Nili *Antinous* spectatur, ex marmore candidissimo, artificio mirabili, qualem Hadrianus Imperator fieri jusserit: ad dextram illi *Arnus*, Fluvij est habitu, hominis jacentis, urnamque effundentis; ad lævam *Cleopatra* est, dexteræ innixa. In secundo Loculo *Venus Erycina* est, ex Balneo prodiens. Tertio Loculo eadem spectatur cum Cupidine colludens, cui inscriptum, VENERI FELICI SACRVM SALVSTIA HELPIS DD. Iuxta est *Bacchus*, mutilus; & *Hercules* Ille, licet truncus, usque eo tamen ab Michaële Angelo prædicatus, ut omnium Signorum, quæ Romæ sunt, absolutissimum esse dixerit. Artificis Apollonij nomen huc inscriptum. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ ΝΕϹΤΟΡΟϹ ΑΘΗΝΑΙΟϹ ΕΠΟΙΕΙ. Iuxta est *Mulieris* truncus & *Mercurij*. Hic & *Arca marmorea*, cui insculpta est *Meleagri Venatio*, opere Musivo. Quarto Loculo est Commodi Imperatoris Statua, Herculis habitu & forma: Brachio Puerum tenet, cujus imprudentia, dejectis è fenestra Pugillaribus, quibus Conjuratorum nomina prodebantur, cæsus est. Quinto *Apollo* est *Pythius*, cui se implicat squamosus Serpens: Palliolum gestat brachio, cetera nudus, Pharetram habens & Arcum. Sexto Loculo est *Laocoon* cum *duobus Filijs*; quos gemini Dracones flexuosis gyris implicant, uti ab Marone lib. II. Æneidos describitur. Opus est omnium, quæ toto orbe spectantur, absolutissimum, quodque Michaël Angelus *Artis Miraculum* vocare non dubitavit: & ante illum C. Plinius, qui factum esse adserit ab Agesandro, Polydoro, & Athenodoro, Sculptoribus Rhodijs sui seculi celeberrimis; servatum addens in Titi Vespasiani Palatio. In proximo Cœnaculo *Cleopatræ morientis* est *Statua*, ea arte perfecta, ut per Vestes tenuissimas è marmore factas corporis forma numeris omnibus absoluta adpareat. Ibidem *Labrum* est *marmoreum*, ex varijs lapidum pretiosorum generibus, cujus æstimari precium non potest, nihilque par alibi visum. Effossum olim ex Titi Vespasiani Thermis. Proxime spectantur *Mercurius* & *Cybele*, vertice turrita, cui adstat *Leo* & *Atis* adnixus Pinui, ex qua pendet *Fistula* & *Cymbalum*. Hic & *Fons rusticus*, in quo Dij & monstra marina expressa. Hic & Effigies Principum variorum; in his *Paulli* III. *P. M.* & *Caroli* V. *Imper. Augusti*, Michaëlis Angeli manu depictæ. Ad Helvetiorum Stationem marmorea Statua, unius è *Curtijs*; opus egregium. Aliorum Palatia commemorare longum esset. Ea tantum, & Privatorum Ædes, ex CL. V. Francisci Schotti I. C. indicio & aliorum recensebo, in quibus Antiquitatum Monumenta salva. In Cardinalis Dandini Palatio ad Divæ Catharinæ in Burgo *Caput* est ex marmore *Agrippinæ*, Matris Neronis *Hadriani* item *Imperatoris*, & *Antinoi* dilecti pueri; *M.* quoque *Aurelij* & *Sabinæ* cujusdam Mulie-

Cardinalis Dandini.

Mulieris; alterum denique *Hadriani* Simulacrum, sed mutilum. Ibidem in Cardinalis Strozzæ, præter Bibliothecam, *Aves Paradisi apodes*, aliaque, *Armamentarium* est, omni Armorum genere instructum, cum huius ætatis, tum veterum exterarumque gentium. Cardinalis Strozzæ. Palatium Cæsiorum ita varijs rebus instructum, ut vel eius solius caussa Romam quis Antiquitatis amans proficisci debeat. Cæsiorum. Area prima Statuis gravida est & Inscriptionibus. Icones ibi *Hippolytæ Amazonis*, *Apollinis*, *Sabinæ mulieris*. In Horti proximi Area prima *Bacchus*, Basi impositus, visitur; in altera *Vas aheneum* cum *Fauno*; in tertia *Neptunus* in Basi. in quarta *Apollo Barbyton* tenens. Hic & Marmor *Agrippinæ*, Filiæ M. Agrippæ; & *Iuliæ*, Augusti Cæsaris Filiæ: *Pallas* item *armata* & *Hermaphroditus*. Ad dextram *Fons* est. Vndique circumstant XXII *Termini* marmorei, *Faunus*, *Iupiter Hammon*, *Pompeius Magnus*, *Demosthenes*, *Speusippus Philosophus*. Portæ obiecta est *Roma de Dacia victa triumphans*, throno insidens, galeata, amicta, lauream manu tenens Coronam. *Dacia* conspicitur mœrentis habitu. Trophæa circum Armaque barbarica, & duo victi *Reges* semicolossei ex lapide Numidico: duæ item *Parcarum* Statuæ, totidemque *Sphynges* ex eodem lapide, Basibus inlocatæ. Proximum est Ædificium rotundum, quod ab re Antiquarium dicitur. In Fronte est *Iovis* vultus porphyreticus; & hinc *Othonis Imperatoris* illius *Poppææ* Coniugis Imago: supra Statuæ quinque; *Palladis*, *Cereris*, *Victoriæ*, *Copiæ* & *Dianæ*. Intus est *Somnij* vel *Quietis*, seu, ut quibusdam placet, *AEsculapij* Papaver tenentis, Simulacrum: mox *Sabinæ* Mulieris altera Imago. In porta, ad sinistram colossea *Iovis* est facies; ad dextram, *Herculis*; in medio, *Palladis*. Sub Hercule est *Satyrus*; cui adstat *Iuvenis*, Fistulam inflans septemplicem. Sub Iove est Caput *Pyrrhi*, Epirotarum Regis, galeatum: proxima est *Leda*, malum tenens, & *Cupido*. Prope sunt Capita *Porciæ Catonis Uxoris*, *Ganymedis*, *Dianæ*, *Neptuni*; & antiquissimum signum Ægyptium, quod dicitur Caput *Asaroth*, Matris Osiridis, vel ut alij volunt, *Opis* seu *Cybeles* Matris Deum. Ad portam Statuæ duæ, quæ læva est, *Artemis Phryxi* ex candidissimo marmore; Basi inscriptum, SECVRA SIMPLICITAS; quæ dextra, *Ino*, in cuius Basi legitur INNOXIA FORTITVDO. Iuxta est *Heliogabalus Imperator* integer, stolatus; in Base sculpti adfabre Sacrificantium ritus & habitus. Supra est *Imperatoris* Imago *Triumphalis*, Curru quadrijugo vecta. Ibidem est *Simia*, ex Æthiopico Lapide, qualis ab Ægyptijs adorabatur. In Cœnaculo *Bacchi* caput est ex rubro Lapide; & supra *Neptunus* Quadriga Vectus. *Pomona* Dea bis ibi spectatur. In Museo, cuius pavimentum vermiculatum, Sedes tessellatæ, Capita visuntur Romanorum inlustrium, *Scipionis Africani*, *M. Catonis*, *M. Antonij III-Viri*, *C. Iulij Cæsaris*, *Septimij Severi*, *L. Syllæ*, *C. Neronis*, *Iuliæ Mammeæ*, *M. Antonini Caracallæ*, *Hadriani*, *Macrini*, *Cleopatræ*, *Faustinæ*, & *Sabinæ Matronæ*. Bibliotheca Libris Antiquis Recentibusque referta. In interiore Conclavi *Gemmæ*, *Lapidesque* pretiosi omnis generis. Iuxta est *Scipio Nasica*, *M. Brutus*, *Hadrianus Imperator*, *Cupido dormiens*, *Puer* Anseris guttur gemina constringens manu, aliaque laudata ab Artificibus Monumenta. In Palatio Farnesiano, quod à Paullo III Farnesio P. M. summis impensis excitatum, tot tantaque antiqua visuntur Monumenta, ut sola in libri molem excrescere commode, si pro dignitate commemorentur, possent. Farnesiorum. In Peristylio Porticus, inter Columnas, duo sunt *Hercules* cum Leonis exuvijs & Clava: Minoris Basi insculptum ΓΛΥΚΩΝ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ. Ad sinistram *Iupiter Tonans* seu *Fulgurator* est. *Gladiatores* ibidem duo Colossei. Gradus ascendenti *Fluviorum* occurrunt Statuæ marmoreæ, jacentium habitu, Vrnasque tenentium, quibus Aquam effundant. Mox duo *Numidæ Reges* Captivi, erecti ad utramque Portæ partem. In superiore contignatione Cardinalis est *Bibliotheca*, exaratos calamo Libros habens plurimos. *Museum* item est *Fulvij Vrsini Romani*, hominis doctissimi, qui rara non Vrbis modo, sed & Orbis κειμήλια *Numismatum*, *Gemmarum*, *Librorum* incredibili sumtu collegit. In altera Tiberim versus Area *M. Aurelij Imperatoris* ingens Statua spectatur, chlamydata, basi imposita, atque inscripta. In ædicula opus est marmoreum *Dirces* raptæ à Tauro, cuius Plautus, Propertius, Plinius meminerunt. Alia prætereo. Apud Cardinalem Sfortiam varia sunt, præter *Bibliothecam*, Libris manu scriptis plenam. Cardinalis Sfortiæ. In ædibus Cardinalis Putei Capita visuntur antiqua, *Augusti*, *Hadriani*, *Faustinæ Imperatoris*, & alia ignota: *Inscriptiones* variæ, *Vasaque* ex Alabastro & Simithe Lapide Card. Putei.

 pretij

Card. S. Florae. Card. Medic. Card. Capoferrei.

precij inuenti. Palatiũ Cardinalis S. Floræ admiranda multa continet. Apud Cardinalem Medicæum, Capita sunt *Iovis, Palladis, Iulij Cæsaris, Augusti,* & aliorum, Tiburte aduecta. Apud Capoferratum *quatuor* seruantur *Anni Tempora* [illegible], *Corporum habitudine* graphicè depicta: item Dij Præsides *Martis, Saturni* & *Iupiter*: in conclavi [illegible] XII. Sunt & Marmoreæ Statuæ *Iovis, Ganymedis, Bacchi, Veneris cum Cupidine, Floræ,* [illegible], *Consules, Imperatores, Matronæ.* Ibi itidem *Attij Navij Auguris*, Statua, Cotem novacula dissecantis, quæ olim in Comitio stetit.

Card. Vallensis.

Palatium item novum Cardinalis Vallensis varijs Antiquitatibus ornavit. Monstrantur ibi *Hercules, Pij Fratres, Colleague*: inferius *Inscriptiones* multæ *Græcæ* atque *Latinæ*: in parte superiore [illegible] columnæ adhærens opus Zeuxidis absolutissimum, e templo Concordiæ ereptum: in prima corte [illegible] duo gestantes coplanos. In Cubiculo *Iulius Cæsar, Milo Crotoniata, Geta Imperator*: item [illegible] XI. Capita, in quibus *Herculis, Severi, Pani*. Statuæ hæ [illegible] *Palladis, Cereris, Phaetontis, Vulcani, Neptuni, Apollinis* ex lapide Lydio, *Herculis* Nemeæ in Leonem [illegible], *Sabinæ* vxoris Hadriani, *Poppeæ* Neronis, *Luciliæ* Pompeiani, duarum *Nutricum*, unius *Naiadis, Floræ,* & *Musæ* unius, quæ [illegible] manu tenet: [illegible] caput, & quinque *Sibyllæ* Mulieres *Neptunus*. Tabula *Meleagri Venationem* continens. *Faunus* pelle tectus: *Mercurius* palio in [illegible] brachium involuto, *Rapina Sabinarum* in tabula: [illegible] *Minerva* est *togata, Hadrianus Imp. paludatus, Hercules* cum Leonis exuvijs, *Otho Imper.* & Mulier ignota: *Reges* quatuor *captivi*, unus marmoreus, reliqui ex porphyreo. *Hermaphroditus, Iupiter, Bacchus, Hercules,* [illegible] Praxitelis Opus, [illegible], *Galba Imp. M. Antoninus Pius, Constantinus Magnus* & *Consules* aliquot, *Sibylla* quoque hic creditur esse Statua, item *Memnon*. In superiore parte Tabulæ tere [illegible], in quibus *M. Aurelij Antonini* sculpti *Triumphi*, in alijs varij [illegible] Statuæ item *Cupido* cum *Tympano*, *Natalis in* [illegible], *Meleagri* altera [illegible] tres celebres Statuæ, [illegible] *Hadriani, Corneliæ Crassi* & ignotæ *Feminæ*. In vetere eiusdem Cardinalis Palatio sunt antiquissimæ *Bacchi* Statuæ; *Ganymedes* cum *Aquila* & *Fulmine*, *Apollo*, [illegible] *Tethys, Venus, Mercurius, Faunus* & *Gladiator*. Ad lævam porticus est *Orpheus* cum [illegible] *Bacchus*, sinu gestans uvas: *Atys Pastor* sedens & fistulam inflans: [illegible] caput & *Venus*, quam alij volunt esse *Tethyn* vel *Galateam*, *Lupa* ex porphyreo *Romulum lactans & Remum*: Hinc *Scipio Africanus, & D.* [illegible] *Puerum vehens*; *Iuvenis Canum adspiciens, Antoninus Pius, Cornelius*, [illegible] *Bruti*, Caput, & *Faustina* [illegible] *Aurelij coniugis*.

Card. Sarmoneti.

In Domo, quæ fuit Cardinalis Sarmoneti Colossea Statua visitur, & *Hercules* cum Clava & Leonis exuvijs, ad cuius pedes iacet *Taurus*: *Senex* item *Sedata* & *Nympha*. In Monte Acitorio Ædes sunt Gaddiorum, olim Cardinalis Gaddi.

Card. Gaddi.

Monstrantur ibi Capita *Augustorum, Iulij Cæsaris, Constantini, Septimij Severi, Getæ, Philippi, Claudij, Aureliani, Antonini Caracallæ*, item *M. Agrippæ, Pyrrhi* [illegible] *Regis, Alexandri, Mammeæ*: Statuæ item *Antonini Pij, Catiæ* [illegible], *M. Aurelij, Faustinæ Iunioris, Traiani, Hadriani, L. Veri*: *Apollo* insuper Arcum tenens, *Cupido* dormiens in Clava Herculis & Leonis exuvijs. Tabula ibidem ostenditur [illegible], cuius precium ob marmoris excellentiam æstimari non potest.

Card. Carpensis.

In Campo Martio Palatium est Cardinalis Rodolphi Pij Carpensis. Ibi in hortulo *Femina* V, *Nilus cum Crocodilo, Nar Fluvius*: *Matrona* brachium serpente implicatum habens, unde *Cleopatram* quidam putant. Museum illi triplex. Hic Simulacra *Apollinis, Dianæ, Cereris, Atys* Pastoris [illegible], & aliorum. *Vrna* ex cocto Lapide toto Palatio inter Statuas adpositæ. *Libri* duobus locis antiquissimi, in membranis scripti, Græci, Latini, Hebræi, Arabici. Ad dextram Capita *Galeriæ Faustinæ, Iuliæ Cæsaris Aug. F. Antoniæ, Cupidinis*. *Inscriptiones* marmoreæ variæ: Tabula una ex Lapide Basalte nigro & densissimo, notis Ægyptijs insignis. Ad lævam Capita *Iuliæ Mammeæ, Pueri ridentis, Mulieris Coronis ornatæ*, vel *Mitræ Syriæ, Herculis, Fauni*; *Inscriptiones* [illegible]: *Alexander Magnus* in tabula cum Puero alato: *Canopi* caput ex lapide Ægyptio viridi, & *Iovis Hammonis*. In secundo Musæo *Vasa* omnis generis. Capita *Antonini Caracallæ, Iuliæ Titi F. Galbæ, Numæ Pompilij, Domitiani, Septimij Severi, Philippi Imperatorum*, & aliorum: *Libri* rursum antiqui cum in Membranis scripti, tum in Papyro Ægyptia: *Inscriptiones* quoque & *Epitaphia* pretiosis in lapidibus. Tabula gradiis marmorea cum Græca Inscriptione: *Puer* ibidem sedens, & *Alexandri Magni* quasi morientis caput, item *Bruti*. Ad

dextram

dextram Portæ *Venus est*; *Iuvenis* etiam magni artificij. In cœnaculo colosseum *Mulieris* caput, & *L. Veri Iuvenis* atque *adulti*, *Poppeæ Sabinæ*, *Hadriani*, *Annij Veri*, & *Græci hominis*, *Termini* ex marmore æmathite, *Satyri*, *Cupidinis*. Videre ibidem est præstantissimorum Italiæ Pictorum imagines, *Raphaelis Vrbinatis*, *Michaelis Angeli Bonaroti*, & aliorum: Marmora quoque varijs inscripta Characteribus & linguis. In tertio Musæo capita sunt inlustrium Virorum LXXVI, quorum XIII maiora, singularis artis, ex marmore candidissimo, unum *Veneris*, duo *Vetularum*, totidem *Herculis*, unum *Palladis*, &c. Hic & *Satyrus*, & *Puer plorans*: Simulacrum quoque *Cybeles* ex marmore nigro Ægyptio, *Anubis Cynocephali*, *Herculis*, *Satyri* cornu inflantis, *Fauni*, *Socratis*. In vase æneo sculpti *Pueri Piscantes*, *Apollo*, *Gladiator*, *Aquila*, *Taurus*, &c: *Armamentarium* omni Armorum genere instructissimum. Apud Vallæum Episcopum, *Horologium* conspicitur cum *Zodiaci Signis* XII & *Imaginibus*, quales hodie in vulgaribus Kalendarijs: *Inscriptiones* item, *Signa* & *Statuæ*. Apud Episcopum Saulum in fronte *Statua* est *muliebris*, & intus *Caput M. Ciceronis*, M. Tullij F. In Palatio Conservatorum incredibile quantum sit *Statuarum*, *Tabularum*, *Inscriptionum*, *Marmorum*. *Leo* ibi mordicus Equum tenens. Ad gradus *Columna rostrata* cum sua *Inscriptione*, in honorem C. Duilij posita. Spectatur ibidem Tabula *Triumphantis M. Aurelij quadrigis de Dacia victa*. Superius ad Portæ ingressum *Mensura* est *Romani Græcique Pedis*; marmoreæ tabulæ incisa. Prope C. *Marij togata Statua*. Intus Parietes cœnaculorum Picturis egregijs rerum gestarũ *Theodosij* & *Arcadij Imperatorum* ornantur, habitu antiquo. Hic & *Hercules* æneus deauratus, dextra *Clavam*, sinistra *Malum* tenens *Hesperidum*. Scriptum in ejus Basi:

Episcopi Vallæi. Episcopi Sauli. Conservatorum.

HERCVLI. VICTORI
POLLENTI. POTENTI
INVICTO
D. D. L. M
FRONTO

Ibidem *Satyrus* marmoreus caprinis pellibus, adligatus arboris trunco. Mox in Columna marmorea Statua est *Viri* inclinati ænea, *Spinam è Pedis planta extrahentis*: altera item laudatissima ænea *Lupæ, Romulum Remumque lactantis*, quæ olim in Comitio servabatur prope Ficum Ruminalem. Ingresso Peristylium *Fasti* illi occurrunt, toto terrarum orbe decantati, *Magistratuum* ac *Triumphorum Romanorum Veterum*. Nec illud silentio prætereundum legi ibidem Elogium Rerum præclare in Belgio gestarum ab *Alexandro Farnesio*, Octavij F. Duce Parmensi, cuius & Statua ibidem ostenditur. In vasto Cancellariæ Palatio, primo ingressu offert se duplex Colossea Statua: *Opis* & *Cereris* putantur. In superiore cœnaculo capita sunt *Antonini Pij*, *Septimij Severi*, *Titi*, *Domitiani*, *Augusti*, *Getæ Imperatorũ*, *Sabinæ Mulieris*, *Pyrrhi Epirotarũ regis*, *Cupidinis*, & *Gladiatoris*. In conclavi etiam variæ, & hominum ignotorum L Imagines. In Palatio S. Marci *Labrum* ingens est marmoreum, quod in Thermis Agrippæ inventum. Ad templi portam *Fauna*, vel, ut alij, *Bona Dea* statua. Palatium adscendenti multæ se offerunt *Imagines*, *Signa*que marmorea: *Tabulæ* item cum Sacrificantium ritu. In Circo *Cleopatra* est, Mulieresque circum plangentes, & alia miranda. In area Xenodochij S. Ioannis *Arca Ara*que ostenduntur marmoreæ; *Labra Balneorum* & *Thermarum*; Marmoribus incisæ *Figuræ*, *Satyrorum Chori*, *Accubitus iacentium ritu*, *Amazonum pugnæ*, *Meleagri Venatio*, aliaque id genus monimenta. In Sabellorum Domo, quæ est in Theatro Marcelli, sculptus ostenditur *Leo* in Tabula marmorea, cum tribus ad pugnam armatis: in Hortis *Pilæ* diversæ, in quibus *Herculis Labores*; *Imagines viriles*, & *Mercurij* fragmenta. Apud Fabios prope S. Luciam *Atlas* Cœlum sustinet. Ostenduntur item *Æsculapius*, *Caracalla Imperator*, *Bacchus* sed fractus. In Palatio Maffeiorum videre est Capita inlustriorum virorum, cum pectoribus in suis Basibus, & alia LV absque pectoribus; *Vrnam* Marmoream, *Vasa*, *Pateras*, *Lucernas*, *Crateres*, aliaque spectatu digna; *Laocoontis* insuper caput artificiosissimum: *Tabulam* marmoream, in qua *Circus* expressius cum suis *Metis*, *Obeliscis*, *Doliolis* & *Aris*; alteram item *Discumbentium* in Triclinio cum Synthesi. In Hortulis Statuæ sunt muliebres, *Pan* in pila grandi sculptus cum

Cancellariæ. S. Marci. Xenodochij S. Ioannis. Sabellorum. Fabiorum. Maffeiorum.

Syringe & Cupidine. Plurima in eodem Palatio Antiquitatis Monimenta, *Epitaphia,*

Maximorum.

Inscriptiones. In Ædibus Maximorum *Pyrrhi* Statua est colossea, galeata, armata, quam duobus Ducatorum millibus redemit olim Angelus de Maximis. Caput ibidem *Iulij Cæsaris* marmoreum, *Tabulæ, Signa, Marmora, Vasa, Picturæ:*

Albertinorum. Ciciorum. Norciarum.

In Albertinorum, *Inscriptiones* variæ *Statuæ*que Deorum: In Ciciorum, inter alia *Vertumnus* visitur cum *Ligone & Venabulo.* Statua item *Apollinis Pythij* integra: In Norciarum, *Inscriptiones* non paucæ, & *Adonidis* caput Baculum tenentis, *Canis* item, qui spirare videtur ac vivere; eius precium quinque Ducatorum millibus æstimatur. Est ibidem *Venus* magni precij. *Diana* Venatrix, succincta, Pharetra, Arcu, Sagittis ornata: *Oreades* item duæ, quæ Pharetras & Arcus gestant; *Boni Eventus* Simulacrum, dextra Speculum, læva Sertum ex Spicis tenens, opus est Praxitelis absolutissimum:

Buffalorum.

In Buffalorum, Signa sunt *Apollinis, Veneris* cum *Cupidine, Iovis, Iunonis,* aliorumque Deorum; Capita *Iovis, Palladis, Apollinis, Bacchi, Martis, Herculis, Mercurij & Æsculapij.* In hortulo præter alia singularia Colosseæ sunt Statuæ, *Cerberi Tricipitis,* & *Tritonis.* Sunt & Imagines *Dianæ, Pomonæ, Sacerdotis Flaminis, Veneris, Herculis, Sabinæ matrone, Vespasiani* ex lapide pretioso. In Cubiculo, *Marij septies Cos. Tiberij, M. Aurelij, Commodi, Maximini, Augustorum, Græci* alicuius illustris, *Scipionis Africani, Hadriani Imperatoris:* mox *Herennij, Vespasiani, M. Aurelij, Getæ Imp. Antonini Pij, Lysiæ* Atheniensium Oratoris, hoc titulo, ΛΥΣΙΑΣ: Ad Horti extremum Tabula marmorea, in qua tres *Charites* expressæ. Ad Fontem, qui Horto additus, tres *Musæ* sunt, & *Caracalla Imperator:* in Loculis vero repositi *Demetrius, Maximinus, Philippus,* & *Claudius.*

In Domo Petri de Radicibus.

In Domo Petri de Radicibus *Bacchus* ostenditur, Pampinis redimitus, Satyro innixus, dextra Vasculum tenens. *Musæ* tres, longis Institis amictæ: una Librum, altera Musicum Instrumentum, tertia Larvam gestans; *Caroli Magni* caput: Fragmenta item *Cupidinis, Herculis, Floræ:*

Nicolai Gusæ. Georgij Serlupi.

In Nicolai Gusæ, Statua *Nudi Hominis,* quæ ab Cultro adiacente Vulgo *Ignuda Coltelli* nominatur; putatur *Gladiatoris* esse dimicantis: In Georgij Serlupi ad S. Angelum caput est *Vespasiani Imper.* colosseum, marmoris candidissimi, operis absoluti. In propinqua Domo Gentilis Delphini multa illustrium Capita, *L. Veri, & M. Aurelij Iuvenis, Bacchique; Pueri* item *suaviter ridentis,* aliaque sex: *Vrnæ* præterea *Tabulæ*que variæ.

Valerij Crucij.

Apud Valerium Crucium ad Iudæorum Vicum, in Hortulo visitur *Hercules,* & *Hippolyta* Amazonum una Equo insidens; *Pan* leonina indutus; cum Fistula VII Calamorum; In Pila *Meleagri Venatio* repræsentata; in Deambulacro varia Capita, ut & *Apollinis* Statua, & *Herculis* Anteum brachio sustinentis, quæ suis pedibus stat sine Basi; *Vacca* item ænea & *Tigris* marmorea:

Onuphrij Crucij.

Apud Onuphriū Crucium *Togati* Statua ostenditur, cui adscriptum in Tabula, VALERIVS PVBLICOLA:

Hieronymi Crucij.

Apud Hieronymum Crucium in Tabula sculpti *quinque Fasces Consulares* cum Securibus, uti adiuncta indicat Titulus: item *Medius Fidius. Honos* quoque & *Virtus,* quos *Amor* coniungit.

Ceuoli. Bindi Altoviti.

In Ædibus Ceuoli *Statuæ* plurimæ supra in Conclavi: In Bindi Altoviti, concinno ordine videntur Effigies *Vespasiani, Mucij Scævolæ, Augusti Cæsaris, Antonini Caracallæ, Iulij Cæsaris, Galeriæ Faustinæ, Marij septies Cos, Satyrorum: Cupido* item Lupum tenens, & *Autumnus,* aliaque Signa marmorea, Picturæque recentiores:

Petri Strozzæ. Pauli Iordanis.

In Petri Strozzæ, cum alijs, *Meleager* ingens; & *Atalanta,* opus ex marmore laudatissimum. Pauli Iordanis Domus varia ostendit cum Novi, tum Antiqui operis Monimenta:

Ardicij. Vincentij Stampæ.

Ardicij, Statuam Viri elegantem, Pallio ad lævam inflexo: Vincentij Stampæ in Campo Flisco, Imagines *Lucretiæ, Iuliæ* T. F, *Iuliæ Mammeæ, Ælij Pertinacis, Drusi, Hadriani, M. Aurelij, Elagabali, Neronis, Augusti, Palladis, Apollinis. Philippi* Amyntæ Macedonis filij: *Satyrus* insuper, *Venus, Puer ridens, Faunus, Terminus, Tres Charites,* & ignotiores supra XX Statuæ.

Francisci Liscæ.

Apud Franciscum Liscam tres Statuæ *Virginis Vestalis,* Stola amictæ; *Iulia* Pompeij Magni uxoris togata; *Panis semicapri,* ad cuius pedes iacet *Aries:* Sub porticu *Pomona, Silvanus nudus, Fama, Bacchus, Arethusa Nympha, Cybele, Faunus, Iuno Lucina* togata, *Hebe* Iunonis Filia, *Apollo, Inscriptiones* variæ.

Iordanis Boccabellij.

Apud Iordanem Boccabellum *Geta* Imperator visitur, cum *Diana tricipite, Iove, Cybele, Faustina, Marcia Otacilla, Pane, Hercule, Cupidine,* alijs.

Lucæ de Massinis.

Apud Lucam de Massinis Capita monstrantur *Octaviani Augusti, Tiberij, L. Severi,* tria *Neronis, Bruti Consulis, Iuliæ, Sabinæ, Marij, Asdrubalis, Fauni ridentis,* & plus quam XL ignotorum hominum: *Apollo* item truncus, & *Monstrum marinum.*

Apud

Apud Marium Delphinum Gentilis F. multa *Numismata* visuntur & *Inscriptiones*. Habet Iulius Cæsarinus *Adonidem nudum*, *Mulierem cum Vase*, quam *Cariatidem* nominant, *Venerem marmoream*, *Muliebres* aliquot *Figuras*, *Ianos bifrontes* duos; item *Propertij Poetæ Caput*, *Faustinæ Iunioris*, *Augusti Iuvenis*, *Bacchi* cum pellibus; aliaque: Ambrosius Lilius, *Pompeii caput*, & in Tabula XII *Herculis Labores*, adfabre sculptos: Asianus Celsus, *Bacchi Caput* cum Pelle in humeris vervecina: *Satyri Pueri ridentis* Imaginem floribus redimitam: Servat apud se Cavallerius *Faunum*, Uvam altera manu tenentem, altera Pellem ferinam, quæ uvis plena & fructibus; *Silenum*: *Naturam Deam*, altari impositam, Mammis & Animalium Figuris ornatam; *Herculem* in Tabula marmorea cum *Centauro* pugnantem; *Victoriam alatam*, & alia: Hieronymus Alterius, *Sacerdotem Cybeles* stolatum, manu Vas tenentem; *Herculem*, spolijs indutum Leonis, trunco innixum; Fragmenta item Antiquitatis varia: Petrus Capoferratus ingentem *Aesculapium* cum *Puellis* & alia. In Fronte Domus Baldi Ferratini *Galba Imper.* est *paludatus*: duæ ibidem *Pilæ* & *Tabula* figuris varijs insignis. Apud Io. Baptistam Galletum *Statuæ Muliebres* plurimæ; & in Tabula *Aesculapius*, dextra Serpentem tenens: *Femina* item Serpentem comprimens & *Pila* diversis insculpta Figuris, in quis *Herculis*, geminos Tauros cornibus adprehendentis. Apud Archintum *Statua* visitur ænea *Servilij*: supra, Capita sunt variorum, *Iovis Capitolini*, & aliorum. In Agone apud Marium Melinum *Pallas armata* spectatur & *galeata*, aliæque Muliebres Statuæ, præterea *Gladiator Nudus*, *Hercules*, *Sabinæ Mulieris* Caput, *Cupido*, *Alcibiadis Pueri* figura, *Silvani & Bacchi* sedentes Capita *Iovis*, *Drusi*, aliorumque Decem ignota; *Satyrus* integer, singulari factus artificio. Apud Ioannem Baptistam Melinum tria *Capita* egregia. Ad S. Aloisij apud Alexandrum Rufinum *Iulius Cæsar* est, quasi colosseus, armatus; *Augustus* quoque *Cæsar*. *Caput* item aliud *Iulij*, & quatuor Virorum Mulierumque. Apud Franciscum Ragaterium *Capita* sunt varia, *Bacchi*, *Alexandri Magni* duplex, *Iovis*, *Naturæ*, *Satyri* seu *Panos*; Imperatorum vero, *Traiani*, *Hadriani*, *M. Aurelij Pij*, *Getæ*, hominumque ignotorum XX, & XL ab corporibus avulsa, & *Iovis* ex Porphyro. In eiusdem vinea ad Portam Flaminiam *Inscriptiones* variæ, *Rex Numida* captivus ex Porphyro Lapide: *Thorax æneus* alicuius Imperatoris. Apud Alexandrinum Cherubinum *Inscriptiones* & *Silvani ridentis caput* marmoreum. In Domo Metelli Porcarij, ante ostium Statua *Sedentis* marmorea, & in angulo *Terminus* ingens, cum hac Epigraphe: C. LIVIVS. C. F. IVSTVS &c. Visuntur ibidem & *Visus* marmoreus, Ovem devorans: *Sacrificium*, Marmori insculptum, *Diana*, summo artificio in Tabula: *Candelabrum* antiquum triangulare; Corpora trunca, *Herculis*, *Hermaphroditi*, *Apollinis*, *Bacchi*, *Fauni*, in Pilis varijs *Venatio Meleagri*, *Cacus*, cauda Herculis boves attrahens, *Herculis Labores*. Capita quoque non pauca in conclavi; Illustrium quidem *Romuli*, *M. Bruti*, *M. Catonis*, *M. Agrippæ*, *M. Antonij* & *Cleopatræ*. Imperatorem autem, *Augusti*, *Tiberij*, *Othonis*, *Vespasiani*, *Nervæ*, *Hadriani*, *M. Aurelij*, *Lucillæ* item & *Antoniæ* Augustarum. Plurima item alia Capita, Tabulæque marmoreæ. Apud Iulium Porcarium Tabulæ ostenduntur multæ; in quis etiam *Meleagri Venatio*. In pariete *Tabulæ* V, varijs ornatæ figuris; ad dextram Pugnantium imago: hinc *Taurus*, Europam vehens. In domo Nicolai Stagni *Hercules* est, Leonina pelle & Capræ indutus, pedibus carens, Statua vel *Iovis* vel *Neptuni*; & alia Antiquitatis rudera. Apud Leonardum Sabinum *Hadrianus Imper.* & *Lucretia*: *Hercules* & nudus & exuvijs indutus Leonis; *Cæsaris* & *Octaviani* caput, *Pyrrhique* Regis galeatum; *Faustinæ* item & *Galeriæ* Augustarum. Apud Iulium Sabinum *Ianus Bifrons*, *Pallas*, *Livia*, uxor Augusti, & *Iulia* Filia: nec non *Augusti*, *Galbæ*, *Septimi Severi*, *Commodi*, *Gordiani* Capita; *Faustinæ* duæ; *Bacchus*, *Europa*. In Domo Paulli de Castro *Socratis* caput visitur, *Galeriæ Faustinæ*, *Veneris*, *Palladis*, *Opis*, aliorum. Apud Iacomellum ad S. Magurum *Atis* spectatur, Pastor Idæus, Tibiam inflans; *Faunus*, ore exerto ridens, Hydram baculo percutiens, quæ mordicus uvam tenet; *Medusa* galeata: *Faustina* senior; *Livia Drusilla*, Augusti vxor: capita item *Iani Bifrontis*: *Cornelij*, vxoris Pompeij: *Iuliæ*, Iulij Cæsaris F. & vxoris Pompeij. C. *Cæsaris*, qui M. Agrippæ & Iuliæ Filius fuit. Apud Dominicum de Nigris *Copiæ Cornu* Statua, *Nais Nympha* dormiens, sinistra in vrnam recubans; adjacens illi *Nar Fluvius*, seminudus, læva tenens cornu copiæ: *Bacchus* Pampinis vinctus;

Marij Delphini. Iulij Cæsarini. Ambrosij Lilij. Asiani Celsi, Cavallerij. Hieronymi Alterij. Petri Capoferrati. Baldi Ferratini. Io. Baptistæ Galletij. Archinti. Marij Melini; Io. Baptistæ Melini. Alexandri Rufini. Francisci Ragaterij. Alexandri Cherubini. Metelli Porcarij. Iulij Porcarij. Nicolai Stagni. Leonardi Sabini. Iulij Sabini. Pauli de Castro. Iacomelli. Dominici de Nigris.

ctus, *Hercules* cum Clava; Capita item *Neronis*, *Othonis*, *Hadriani*. Apud Augustinum Rhegiensem & Papirium Papazuccam Imagines monstrantur Deorum, Imperatorum quoque & Illustrium Virorum Capita magno numero. [*Francisci de Alpra.*] Franciscus de Alpra Statuam habet *Copiæ & Pomonæ* vestitarum. *Bacchi* simulacrum & *Aristida* Atheniensis: [*Thomæ Sculptoris.*] Thomas sculptor, duo capita *Faustinæ*, duo *Palladis* galeatæ, & *Silvani*: [*Curtij Frangipani.*] Curtius Frangipanus, *Mercurium* petasatum, *Cupidinem* alatum, *Arietem Phrygium*; Capita Deorum Dearumque, in quis *Iani*, *Iovis*, *Bacchi*; Illustrium quoque *Marij Cos.*, *Augusti Cæsaris*, *Hadriani*, *Caracallæ*, *Lucillæ*, & aliorum. [*Laurentij Mancini.*] Apud Laurentium Mancinum Tabula magni precij, cui *Cupidines* insculpti, *Leonis* caput colosseum, rictu animal continens. Iuxta Macellum *de Corvi*, ubi olim Corvini Domus fuisse putatur, Domus est Marci Macaronei, in cuius porta caput est *Alexandri Magni*: [*Marci Macaronei.*] In vase sculptus *Herculis*, Virtutis ingressus viam: In Horto *Equus* bene ornatus: *Laocoontis* Simulacrum semiruptum: item *Apollinis*, *Dianæ*, *Sphyngis*, aliorumque Capita marmorea, *Romuli*, *Hersiliæ* eius coniugis, *Alexandri Magni*, *Iulij & Octaviani Cæsarum*, *Marcelli* eius Nepotis, *Traiani*, *Hadriani*, *Antonini*, *Zoroastris* Astrologiæ Inventoris, *Antonini Caracallæ*. [*Ascanij Magalotti.*] Apud Ascanium Magalottum Capita sunt marmorea *Sabinæ*, *Mediceæ*, *Alexandri*, Mammeæ Filij, *Hadriani*, *L. Veri*, *Claudij*, Impp. *Bacchi* ex rubro marmore, & alterius pampinis revincti, *Pueri* humeris urnam sustinentis: in Tabulis *Vir* Taurum conficiens, *Silenus* ebrius, *Hercules* rogo impositus. Visuntur ibidem & *Termini* duo, *Marcia Otacilia*, in solio sedens, sedens & *Iulia Mammea* vestita, Capita *M. Aurelij*, & Colotij, aliaque in Cœlio Monte effossa. [*Euryali Silvestri.*] Apud Euryalum Silvestrum *Bacchus* est, hedera coronatus; *Sabinæ* aliquot Mulieres: Capita *Iovis*, *Augusti* & *Hadriani*; *Hercules*; *Diana* cum Lunæ cornibus: *Bacchus* alius, pampinis redimitus, Scyphum manu gestans: *Endymion*, *Antoninus Pius*, *Hadriani* & *Antinoi* Capita. *Palladis* quoque & *Augusti Cæsaris*, *Diana* succincta cum Pharetra ex humeris; *Pan* saliens, *M. Antonij* in *Viri* caput, *Cupidinis Pueri*, suaviter ridentis, *Iovis*, *Neptuni*, *Ledæ* cum Cygno ludentis, *Herculis*, *Lucretiæ*, *Gladiatoris* cum Machæra. [*Paulli Ponti.*] In ædibus Paulli Ponti, Via Flaminia, *Aper* ostenditur *Calydonius*, ab Meleagro cæsus. Sunt ibidem *Hercules* cum Spolio Leonis, *Apollo*, *Pomona*, *Cupido*, *Silvanus*, *Diana* pharetrata, *Meleager* alter mutilus, *Pallas*, *Hermaphroditus*, *Adonis*, *Nox* seminuda, stellis coronata, *Atalanta* cum aprino capite, *Silenus* barbatus hederaque redimitus: Capita hic *Poppææ* Vxoris Neronis, *Drusi* Fratris Tiberij, *Iovis*, *Pueri* ridentis, & alterius galeati, duarum *Mulierum* incognitarum, *Iani Bifrontis*: item *Tigres* ænei duo. [*Francisci Aragonij. Ambrosij Lilij.*] Apud Franciscum Aragonium varia sunt Monimenta marmorea: in quis *Pueri*, *Naiadis Nymphæ*, urnam tenentis, *Pomonæ*. Apud Ambrosium Lilium Tabula spectatur pulcra *Regis Indi* [illegible] in Tribunali: *Herculis* quoque *Iuvenis*, iubis tenens Caput equinum. [*Antonij Palosij.*] Apud Antoninum Palosium Statua est *Equi* impingentis. Sunt & Capita *Drusi*, *Iuliæ* Augusti F., *Galeriæ*, *Faustinæ* Iunioris, *Bruti*, *Prisci*, *Domitiani*, *Galbæ*, & *Sabinæ* Hadriani, *Herculis* quoque, *Bacchi*, *Silvani*, & *Mercurij*; & in marmorea tabula *Triumphus Tiberij Imperatoris* expressus. [*Iacobi Iacobatij.*] Ad Iacobum Iacobatium *Mulieris* ignotæ statua; Capita *Hadriani*, *Nervæ*, *M. Aurelij*, *Antonini Pij*, *Scipionis Africani*, & *Gladiatoris*: Deorum quoque *Iovis*, *Panos*, *Veneris* marmoreum: aliaque visu digna. [*Marci Casalis.*] Apud Marcum Casalem Statua *Muliebris* colossea, & *Viri* altera; *Bacchum* esse putant quidam, alij *Apollinem*, qui ibidem & integer est & pharetratus: *Mulier* Copiæ cornu tenens; elaboratissimum *Iulij Cæsaris* caput. [*Iacobi Colotij. Pomponij Nari. Desiderij Vrtacij. Antonij Gabrielis.*] In Domo Iacobi Colotij Statuæ sunt & Inscriptiones variæ. Pompilius Narus Statuas habet *Herculis* & *Veneris*. Apud Desiderium Vrtacium *Dianæ* Statua, vel *Oreadis Nymphæ*, Capreoli pellem tenens. & *Orpheus* mutilus, aliaque visuntur. Apud Antonium Gabrielem Capita sunt *Tiberij*, *Germanici*, *Traiani*, *Commodi*, *Pythagoræ* antiquissimum, *Catonis*, *Lucillæ*, *Otacillæ*, *M. Agrippæ*, *M. Tullij Ciceronis*, *Bacchi*, *Cupidinis*, *Eratûs Musæ*, *Cæsoniæ*, *Faustinæ*, *Termini*, *Satyri*, & aliorum. Sunt item *Hermaphroditus* & *Drusus*, quem alij *Romulum* faciunt. [*Dominici Capotij.*] Apud Dominicum Capotium varia sunt Simulacra, in quis *Palladis* vestitæ & *Dianæ*. Capita *Iunij Bruti*, *Octaviani Augusti*, *Macrini*, *Hadriani*, *Antinoi*, *Septimij Severi*, *Iuliæ Mammeæ*, *Alexandri Severi*, *Cleopatræ*, *Veneris*, *Herculis*, *Apollinis*, *Silvani*, *Pueri* plorantis, *Iani Bifrontis*, *Parthorum Regis* captivi, & *Bacchi* innitentis vasi. [*Francisci Aragonij.*] Apud Franciscum Aragoniū in Hortulo ad Fontem *Nilus* est, sinistra innixus *Crocodilo*; utrimque

duæ

duæ Statuæ Togatæ: hinc Capita plurima; rursum Capita xxiv in alio Hortulo. Apud Hieronymum Frangipanem *Cupido* alatus, Statuæ iv, & *Hercules*. In Pila sive Area sculptum est *Iudicium Paridis*; *Mulier* item Larvam tenens, & alia. Apud Hieronymum denique Celotium *Nympha* est, Dorso Monstri marini insidens, *Doridem* alij, alij *Galateam* faciunt: Tabula marmorea cum *Tauris* duobus, quos viri duobus cornibus retinent; altera, in qua *Iupiter* cum *Apro*, quem *Canis* tenet: *Victoriæ* quoque *Deæ* Signum: Inscriptiones item variaque marmora. Ceterorum Civium Ædes satis sunt bellæ, Hortis, Fontibus, Nymphæis exornatæ. Arx Pontificis, quam *Molem Hadriani* seu *Castellum S. Angeli* appellant, triplici ratione munita, omnique instructa adparatu bellico. In ea tres dies Festi quotannis celebritate magna peraguntur, Funalibus passim accensis, jaciendis ignibus arte factis & emittendis bellicis Tormentis. Unus est SS. Petri & Paulli: reliqui duo, quibus illius temporis Pontifex Suffragiis declaratus, & corona postea est ornatus. Arcis Custodia Viro spectato commendatur: qui post exactam septem annorum Præfecturam, dignitate aliqua decoratur, aut aliquot Aureorum donatur millibus.

Hieronymi Frangipanis. Hieronymi Celotii. Reliquorum Civium Ædes. Arx Pontificis seu Moles Hadriani.

De Hortis vero, qui multis Antiquitatum notis superbientes intra, qui extra Urbem, quid dicam? Quorumdam suis Palatiis, suis Domibus adsitorum memini. Sunt & alij, Vineæque in quibus plurima servantur Rerum Veterum monimenta. Ad Viam Flaminiam prope Portam Suburbanam Prædium exstruxit *Iulius* III P. M, omnia Romana opera superans. Ingredientibus occurrit vis magna Virorum Inlustrium, *Hirtij*, *Pansæ*, *Ciceronis*, *Cethegi*, aliorum. In Area variæ Icones, *Herculis*, *Ganymedis*, *Veneris*, *Apollinis*, *Dianæ*, *Opis*, *Aesculapij*, *Bacchi*, aliorumque, quæ in basibus rite conlocatæ sunt, Statuæ. *Fons* ibi summi artificij & incredibilis sumtus. *Inscriptiones* ibidem, sed novæ: duo *Obelisci* & *Pyramis* altissima. Hortus Inscriptionibus plenus & marmoribus: in quis *Terminus* ex Alabastro Orientali candidissimo, & *Sirta* (Ægyptijs *Natura* sic vocatur) facie velo tecta, & in pectore Animalia omnis generis. Major inde Hortus est, Vineis consitus, cum *Terminis* ingentibus, qui sunt *Hermæ*, ab Græcis sic *Mercurij* nomine appellatæ, ut *Alcibiadis*, *Socratis*, *Aristophanis*, & aliorum. In Farnesianis trans Tiberim spectatu digna duplex *Venus* marmorea: item Figuræ variæ *Hominum*, *Leonum*, *Mulierum*, *novem Musarum*, *saltantium Satyrorum*, *Sileni ebrij*, *Puerorum* uvas gestantium: Tabula marmorea, quæ *Fasces* & *Secures consulares* exhibet: Columna fracta cum Græca Inscriptione memorabili, Tibure advecta, vel, ut alij, Hierosolymis in Italiam translata. Ad Thermarum Diocletiani & Maximiani dextram Horti sunt *Cardinalis Bellaij* amœnissimi; in quorum ambulacris Statuæ visuntur *Iovis*, *Apollinis*, *Orphei*, *Palladis*, *Bellonæ*, *Vertumni*, *Antinoi*, aliorumque *Deorum* & *Virorum* Inlustrium, Basibus impositæ: in contignatione vero duarum *Naiadum*, *Hebes*, *Vulcani*, *Ganymedis*, *Iovis*, *Apollinis*, *Sabinæ* uxoris Hadriani principis, *Lucillæ*, *Faustinæ Iunioris*, &c. Ad Templum S. Susannæ Via Quirinali Horti sunt *Rodolphi Cardinalis Carpensis*; ubi Statuæ multæ. Ad primam Portam *Medusæ* Caput, ad secundam *Naturæ* Simulacrum, mammosæ, varijs Animalium Figuris & Florum ornatæ. Ad primos Palatij gradus *Sphinx* est, & *Aesculapius* è marmore. In Corte *Hercules*, Clavæ læva innixus, cum exuvijs Leonis: *Senex* quoque ignotus, cum Sandalijs; *Pallas* galeata, & prope *Coluber* se insinuans; *Urania* hinc & *Tragœdia*, & quinque continenter *Termini* seu *Hermæ*, interjectis matronis; *Pluto* tricipiti insidens *Cerbero*, & *Mulier* ex Lapide subnigro. In Cœnaculi porta *Pastor dormiens*. Ad Fontis ingressum *Hercules* est, continens manu mala Hesperidum; mox *Faunus*, Utrem premens. *Naias Nympha* somnolenta ad Fontem dormit, *Puero*, qui blande adridet, adstante. Ex altera parte *Mulier* vestita, cujus è vasculo Aqua scaturit limpida. Super Cisterna hinc inde *Pomona* & *Flora* stant: ad dextram *Serapis*. Ibidem *Iupiter*, pallio tectus; Capitaque *Medusæ*, *Palladis*, *Iani Bifrontis*; & in tabula marmorea sculptus est *Mithras*, Persarum Deus, mactans Taurum. In Horti ingressu hinc *Pallas*, illinc *Mulier* est: in Porta *Caput muliebre*; & in tabula marmorea *Hercules*, vi comprimens capillos mulieris, in serpentes desinentes. In Horto *Pallas* altera vestita in urna, varijs Animalium figuris decorata: *Candelabrum* ingens triangulare, cum tribus Figuris *Herculis*, *Fauni* & *Fortunæ*. Ad dextram *Apollo*, *cui ad pedes Anas* est: alterum

Horti, Prædia, Vineæ. Iulii III P. M. Card. Farnesii. Card. Bellaii. Card. Carpensis.

rursum *Candelabrum* triangulare, cum suis Figuris & Votis Iovi & Syriæ. Ad ingressum Vineæ *Venus Nympha*, incumbens Vrnæ, sub qua *Raptus Proserpinæ*. Hic *Terminus* [illegible] Statua cum Leonis spolio: item *Palladis*, *Liviæ Drusillæ*, Matris Augusti, *Apollinis*, *Ledæ*, *Hermaphroditi*, *Fauni*. In umbraculis arborum *Satyri* Simulacrum, & *Leonis* egregium. Sunt & variæ *Inscriptiones*. In Monte Quirinali Horti sunt magnificentissimi *Ferrariensis Cardinalis*, quibus nulli Romæ Arboribus splendidiores, ut Silvæ speciem præbeant & Labyrinthi. Hac re vincunt Carpenses; licet Antiquitatibus priscisque Inscriptionibus inferiores. In Parmensis Ducis Hortulo *Bacchus* duplex visitur, egregii operis, & supra in Tabula *tres Curiatii*, [illegible] genibus innixa. Qua Suburram spectat Quirinalis *Sacellum* adhuc exstat in Hortis *Bartholinorum*, fornicatum, tessellato opere ex Conchyliis venustis: sine externarum variarumque Figuris *Piscium*. *Neptuno* sacrum fuisse putatur. Iuxta S. Mariæ Aventinæ Templum Vinea est [illegible], in qua *Consularis Statua* duplex, sed altera minor: aliæque, quarum ignorantur nomina. Ad Tiberim Via Iulia est, [illegible] domus *Bernardi Ciberti* [illegible]: in cujus Hortulo M. *Catonis* Caput est, & *Leo* adnitans Equo, qualis in Capitolio. In Horto *Lactes Iuvenalis* ad Campum Floræ, Statuæ visuntur *Traiani Imperatoris* armata, *Liviæ*, Uxoris Augusti, *Lucretiæ*, *Herculis*, tenentis malum Hesperidum. *Somnolentia* & *Mulieris Herculis* cum Clava & Leonis spolio, duorum *Consulum*, totidemque *Matronarum*, aliæque: & plateam [illegible] Capita Imperatorum ac Virorum illustrium. Ad Turrim Arantiorum apud *Marium Delphinum*, Gentilis filium, hortus est *Inscriptionibus* refertus: Ibidem *Canopi* Statua ex Smithe Lapide facta in Hydriæ speciem, cum litteris hieroglyphicis. In Hortis *Iulii Cæsaris* *Mulier* est cum Vase, quam Cariatidem vocant, & *Venus* quoque marmorea. Muliebres Figuræ, *Iani* duo *Bifrontes*. Ostenditur & Poetæ *Propertii* Caput; & *Faustinæ Iunioris*. *Augusti* [illegible] *Bacchi* cum pellibus: aliaque. Sed de his satis. Vtramque ROMAM, & Veterem & Novam, delinearunt *Aristides Sophista* Græce, *P. Victor*, *Sex. Rufus*, *Poggius Florentinus*, *Fabricius* [illegible], *Flavius Blondus*, *Raphael Volaterranus*, *Franciscus Albertinus*, *Fr. Ottelarius*, *Fr. Serlius*, *Fabius Calvus Ravennas*, *Pyrrhus Ligorius*, *Bartholemaus Marlianus*, *Georgius Fabricius*, *Lucius Faunus*, *Andreas Fulvius*, *Andreas Palladius*, *Onuphrius Panvinius*, *Ioannes* [illegible], *Wolfgangus Lazius*, *Iustus Lipsius* in Admirandis, *Ludovicus Demontiosius*, *Thomas* [illegible], *Thomas Stapletonus* Anglus. Tabulas æneas Antiquæ ROMÆ publici fecerunt juris *Antonius Lafrerius*, *Antonius Salamanca*, *Onuphrius Panvinius*, *Pyrrhus Ligorius*, *Michael Tramezinus*, & alii. quibus *Ego* accessi nuper adjecta Marginibus succincta Veteris ROMÆ explicatione, ex prolixiore fusioreque locorum Vrbis omnium, quam apud me servo, commemoratione desumta. *Inscriptiones Romanas*, per orbem terrarum sparsas, collegerunt *Petrus Appianus*; *Cyriacus Anconitanus*; *Mazochius*, *Fulvius Vrsinus* ad librum de Romanis Legibus Antonii Augustini: *Martinus Smetius*: cui Auctarium adposuit *Iustus Lipsius*; *Ianus Gruterus* auspiciis magnorum Virorum *Iosephi Scaligeri* & *Marci Velseri*, II Viri Augustani. Consulendi & *Manutius* in Orthographia, *Onuphrius Panvinius* Comment. in Fastos, *Fontejus* de Gente Cælia, *Hotomannus* ad Cæsarem, *Wolfgangus Lazius*, *Hubertus Goltzius* & alii. *Nummos* Veterum Romanorum dederunt *Hubertus Goltzius*, *Iacobus Strada* Mantuanus, *Aeneas Vicus* Parmensis, *Sebastianus Erizzus*, *Adolphus Occo* Augustanus, *Antonius Augustinus* Dialogis XI. Excellet hic aliquando noster *Abrahamus Gorlæus* V. CL. apud quem unum plus Nummorum Annulorumque Veterum in Vrbe Delphensi, quam in tota fortean est Italia.

De ipsa ROMA Vetere Novaque disserui. si quæ ad Vrbis tantæ Cives pertinent, animus jam esset curiosius persequi, Charta destitueret. Brevis esse cogor. Flagitor hoc ab mea Methodo. Pauca, ne Instituto Ordinique vis fiat, dicam. Romani ab ROMA sua dicuntur Scriptoribus omnibus, & *Ῥωμαῖοι* Græcis; qui *Ἰουλεῖς* Stephano, ἀπὸ τοῦ Ἰούλου, *Iulum*, qui & *Iurylion Ascanius*, Æneæ Filius, Albanorum Regem designanti. Ut autem *Romani* qui ROMÆ nati; sic *Romanenses*, teste Festo, qui ROMÆ negociabantur. Ut item *Romani* appellabantur universim, qui jus habebant Civitatis Romanæ, ubicumque terrarum: sic *Quirites* vocabantur, quibus ROMÆ tantum domicilium erat. Docent aliquot exemplorum millia. *Quirites*

[Margin notes: Horti Ferrarienses. | [illegible] | Bartholinorum. | [illegible] | [illegible] | Marii Delphini. | [illegible] | [illegible] | Tabulæ æneæ. | Inscriptiones. | Nummi qui ediderint. | Romani. | Iulus. | Quirites.]

rites sane Cives dixisse eos, qui ad populum Verba in Vrbe habebant, notat Strabo disertis verbis lib. v. Paret idem ex innumeris, quæ apud varios Scriptores, Orationibus. Ut deniq; *Romani* generatim nominabantur, qui & domi morabantur, & militiæ pro salute publica vigilabant: ita *Quirites* audiebant, qui domi tantum in pace altoque vivebant otio: adeo ut exolum esset nomen istud viris, qui Castra sequebantur. Probrosum enim Milites censebant & ignominiosum, si *Quirites* ab Ducibus suis & Imperatoribus dicerentur, uti docent Suetonius in Iulio cap. lxx, Plutarchus in Cæsare, Lucanus lib. v, Appianus lib. v. Bellor. Civil. Et illud est Verbum, quo uno Divum Iulium seditionem Exercitus sui compescuisse scribit lib. I. Tacitus: quem deinde imitatus legitur apud Lampridium Alexander Severus. Illud obiter addo ex Festo, Romanis morem fuisse in omnibus Sacrificiis Precibusque dici, *Populo Romano Quiritibus*: quod ex varijs Auctoribus confirmat Barnabas Brissonius lib. I. de Formulis & solemnibus Populi Romani Verbis. *Populus Romanus Quirites.* Romani successu temporis varie distributi leguntur: I in *Patricios* & *Plebeios*; II in *Tribus*, quæ sensim numero xxxv; III in *Curias*; IV in *Classes* & *Centurias*: V in *Ordines*, *Senatorium*, *Equestrem*, *Plebeium*: VI in *Optimates* & *Populares*; in *Nobiles* præterea, *Novos* & *Ignobiles*. *Varia Civium Romanorum distributiones.* Fit & mentio *Ingenuorum*, *Libertorum* & *Libertinorum*. In Romanis considerare soleo *Mores* & *Res gestas*: *Mores* quidem & *Domi* & *Militiæ*, *Domi* circa vel *Divina* vel *Humana*. In *Divinis* perpendere consuevi cum *Deos* ipsos, tum *Deorum Cultum*. *Dij* Romanorum Veterum quam Varij! Alij *Domestici* erant, alij *Peregrini*: *Domesticorum* alij *Vrbani*, alij *Rustici*: *Vrbanorum* alij quidem, *Quibus in genere administratio rerum humanarum credebatur incumbere*; quorum quidam *Maiorum gentium*, ut *Selecti omnes*, & cum *Selectis* tam *Consentes*, quam *Adlecti*, quales *Ianus*, *Saturnus*, *Tellus*, *Iupiter*, *Iuno*, *Apollo*, *Diana*, *Sol*, *Luna*, *Mercurius*, *Minerva*, *Mars* (cui addi solent *Bellona*, *Victoria*, *Nemesis*) *Venus* (quam comitantur *Cupido*, *Adonis*, *Gratiæ*) *Liber-Pater*, *Ceres*, *Vulcanus*, *Vesta*, *Neptunus*, *Genius* (cui conjunguntur *Penates* & *Lares*) *Orcus* sive *Pluto* (cui Sociæ *Parcæ* & *Furiæ*.) *Romanorum Veterum Dij.* Sunt qui addunt horum Classi *Fortunam*: Quidam *Minorum* sunt *gentium*; ijque partim, *Quos in Cœlum Merita vocarunt*, quales *Hercules*, *Faunus*, *Carmenta*, *Evander*, *Castor* & *Pollux*, *Aesculapius*, *Acca Laurentia*, *Quirinus*, *Anna-Peranna*: partim *propter quos hominibus dabatur adscensus in Cœlum*, ut *Mens*, *Virtus* & *Honor*, *Pietas*, *Fides*, *Spes*, *Prudentia*, *Concordia*, *Pax*, *Quies*, *Salus*, *Felicitas*, *Libertas*. *Vrbanorum* deinde alij habebantur, *Quibus sua singulis Munia erant tributa*; quum quidam Præfectos se profitebantur *Nuptijs*, ut *Iugatinus*, *Domiducus*, *Manturna*, *Virginensis*, *Cinxia*, *Mutinus*, *Subigus*, *Mater Prema*, *Viriplaca*; quidam *Parturientibus*, *Mena*, *Fluonia*, *Lucina*, *Partunda*, *Latona*, *Egeria*, *Nixij*, *Prorsa*, *Postverta*, *Intercidona*, *Deverra*, *Mater Matuta*, *Bona Dea*, *Mana*, *Geneta*, nonnulli *Nascentibus* & *recens natis*, *Ianus*, *Opis*, *Nascio*, *Vaticanus*, *Levana*, *Rumina*, *Cunina*, *Potina*, *Educa*, *Ossilago*, *Nundina*, *Statilinus*, & *Statanus*, *Fabulinus*, *Carna*, *Iuventas*, *Orbona*: alij alijs mille Actionibus, *Murcia*, *Strenua*, *Stimula*, *Agenius*, *Horta*, *Aius Locutius*, *Catius*, *Volumnus* & *Volumna*, *Adeona*, *Abeona*, *Rediculus*, *Fugia*, *Vacuna*, *Volupia*, *Vitula*, *Pellonia*, *Numeria*, *Fessonia*, *Febris*, *Vicota*, *Averruncus*, *Pavor* & *Pallor*, *Angerona*, *Heres Martea*, *Stata Mater*, *Laverna*, *Lubentina*, *Aniculi* & *Anculæ*, *Cloacina*, *Nænia*. Isti Res Urbanas curare credebantur: Rusticas autem, præter Superiorum nonnullos, *Pales*, *Flora*, *Pomona*, *Vortumnus*, *Seia*, *Segetia*, *Tutanus*, *Tutilina*, *Robigus*, *Bonus Eventus*, *Populonia*, *Fulgora*, *Tempestas*, *Fornax*, *Pilumnus* & *Picumnus*, *Sterculius*, *Bubona*, *Hippona*, *Mellona*, *Iugatinus*, *Collina*, *Vallonia*, *Rusina*, *Terminus*, *Pan*, *Silvanus*, *Priapus*, & alij. Peregrini Dij censebantur *Sanctus* vel *Deus Fidius*, *Isis*, *Osiris*, & *Serapis*. De quibus omnibus prolixius Ego in meis Antiquitatum Romanarum Tabulis. Scripserunt de *Dijs*, eorumque *Genealogijs Lilius Georgius Giraldus*, *Ioannes Bocatius*, *Natalis Comes*, *Iulianus Aurelius*, *Georgius Pictorius*, *Petrus Crinitus* varijs locis, & alij. Inter Veteres primi fuerunt *Apollodorus*, *Hesiodus*, *Phurnutus*, *Palaphatus*, *Fabius Fulgentius*: item *Euemerus* & M. *Terentius Varro*. In *Deorum cultu* considerandæ Caussæ & Adjuncta: Illæ quidem cum Efficientes, tum Formalis: Efficientes partim Principales in *Sacerdotibus*, quales erant, ut temporis rationem observem, *Luperci*: *Panos Lycæi* vel *Iovis Sacerdotes*, *Cereris Græca Sacerdos*; *Potitij* & *Pinarij*; *Herculis Sacerdotes Fratres Arvales* XII; *Publici Sacerdotes* LX; *Augures* XV; *Haruspices*; *Tribunus Celerum*; *Curiones* *Sacerdotes.*

xxx, cum

xxx. cum *Curione Maximo*. *Sodales Titij*. *Flamines* xv: *Virgines Vestales* vi, quarum quæ prima *Maxima* dicebatur: *Salij Palatini* xii quis præerat *Magister Collegij Saliorum*; *Virgines Saliares*. *Feciales* xx. cum *Patre Patrato*: *Pontifices*, quorum caput *Maximus* audiebat; *Salij Collini* vel *Agonenses* xii; xv-*Viri Sacris faciundis*, cum *Magistro*; *Rex Sacrorum*, alias Sacrificulus; cujus uxor *Regina Sacrorum*. *Sacerdotes Feminæ Bonæ Deæ*, *Galli* & *Archigalli*, *Sacerdotes Deæ Cybeles*; vii-*Viri Epulonum*. ii *Viri Ædis locandæ*, *faciundæ*, *dedicandæ*, iii-*Viri Ædibus Sacris incendio consumptis restituendis*, & *Sacris conquirendis*; *donisque perspiciendis*; *Pontifices* denique & *Sacerdotes Deorum* & *Antistites Templorum singulorum*: partim adjuvantes in *Ministrio*; ut erant *Camilli* & *Camillæ*: *Flaminij* & *Flaminiæ*, *Æditui*, qui & *Æditumni*: *Scribæ Publici Pontificum*; *ab Commentarijs* xv-*Virum* S. F. *Adjutores Haruspicum*, *Kalatores Sacerdotum*: *Tibicines* & *Tubicines*, qui Sacris Publicis præsto erant. *Pullarij*; *Popæ*, *Victimarij*, *Flaminis Dialis Præcia*, alias *Præclamitator*: *Lictores Flaminum* & *Virginum Vestalium*: *Præcones*: *Designator*: *Popa* denique & *Vexillo*. De his omnibus Ego copiosius in Methodicis Romanarum Antiquitatum Schematismis. Legendi interim *Dominicus Floccus Florentinus*, *Pomponius Lætus*, *Onuphrius Panuinius* in Civitate Romana & ad Fastos, alijque. Forma in ipsis erat *Sacrificiorum*, quorum administratio stupenda plane, *Præcationum*, *Gratiarum Actionum*, *Votorum*, & similium Ritibus: de quibus præter alios eleganter & plene Barnabas Brissonius lib. 1 Formularum. Adminicla erant i in *Instrumentis* & *Vasis*, qualia, *Acerra*, *Thuribula*, *Præfericula*, *Simpula*, *Capedines*, *Candelabra*, *Vrnulæ*, *Pateræ*, *Patellæ*, *Disci*, *Secespitæ*, *Secures*, *Culabria*, *Dolabræ*, *Ollæ*, *Aquiminaria*, *Aspersoria*, *Litui*, & id genus alia. de quibus peculiarem librum scripsit Lilius Giraldus. *Icones* singulorum sunt in Gulielmi Braslicani Antiquitatibus, quæ Gallico Idiomate sunt editæ. ii in *Hostijs* & *Victimis*, quarum multæ erant Species, *Primæ*, *Succidaneæ*, *Ambegnæ*; *Caviares*, *Prodigiæ*, *Ambarvales*, *Injuges* & aliæ: quæ *Probari*, *Duci*, *Admoveri Aris*, *Stare ad Aras*, *ab Aris Fugere*, *Feriri*, *Cadere*, *Cædi*, *Mactari*, *Ici*, *Immolari* in Sacrificijs dicebantur, Brissonio probante libro 1. Formularum. iii in *Locis Sacris*; qualia erant *Templa*, *Ædes Sacræ*, *Ædiculæ*, *Fana*, Sacraria, Sacella, *Delubra*, *Luci*, *Aræ*; de quibus ad superiora. iiii in *Tempore*, quod parebat in *Ferijs* & *Ludis*. *Feriæ* aut *Publicæ* erant, aut *Privatæ*. Illæ triplices: *Stativæ*, *Conceptivæ*, *Imperativæ*. *Stativas* Vetus recenset Kalendarium, quod Romæ apud Cardinalem Maphæum: a Paullo Manutio, Huberto Goltzio, alijsque rerum Antiquarum curiosis editum: Ianuario, *Agonalia* & *Carmentalia*. Februario, *Lupercalia*, *Quirinalia*, *Feralia*, *Terminalia*, *Regifugium*, Martio, *Equiria*, *Liberalia*, *Quinquatrus*, *Tubilustrium*: Aprili, *Ludi Matris Magnæ*, quæ & *Megalesia*, *Fordicidia*, *Cerealia*, *Palilia*, *Vinalia*, *Robigalia*, *Floralia*: Maio, *Compitalia*, *Lemuria*, *Agonalia*, *Vulcanalia*. Iunio *Vestalia*, *Matralia*. *Quando stercus delatum*; de Præcedentibus omnibus Ovidius sex Fastorum Libris. Quintili, *Poplifugia*, *Merkatalia*, velut alij, *Merkatus*, *Lucaria*, *Neptunalia*, *Furrinalia*. Sextili, *Portumnalia*, *Vinalia iterum*, *Consualia*, *Volcanalia*, *Opiconsiva dies*, *Volturnalia*; Septembri, *Merkurialia iterum*, vel quod alijs videtur *Merkatus* (sic enim compendiose in Kalendario scribitur MERK.) Octobri, *Meditrinalia*, *Augustalia*, *Fontinalia*, *Armilustrium*: Novembri, *Merkurialia iterum*, vel quod alijs videtur, *Merkatus*: Decembri denique *Agonalia*, *Saturnalia*, *Opalia*, Sigillaria, *Divalia*, & *Laralia*, velut alij *Larentinalia*. *Conceptivæ* erant *Feriæ Latinæ*, *Paganalia*, *Sementinæ*, *Compitalia*. *Imperativæ*, quæ ob *Victoriam*, *Natalem diem* aut *Imperatoris* & *Successionem* imperabantur. Copiose de his Lazius in Commentarijs Reip. Romanæ, Rodolphus Hospinianus, & Ego in Tabulis. *Ludorum* duplex erat divisio, alia ab Forma sumta, alia ab Fine. Priore, *Ludi* alij erant *Circenses*; ut *Pugna*, *Cursus*, *Saltatio*, *Iaculatio*, *Decursio Equestris*, *Aurigatio*, *Naumachia*, alij *Scenici*: ut *Tragœdia*, *Comœdia*, *Satyra*, *Mimus*. Posteriore, alij fiebant caussa Pietatis cum erga Deos, ut erant *Megalenses*, *Cereales*, *Florales*, *Martiales*, *Apollinares*, *Capitolini*, *Romani*, *Plebei*, *Compitalitij*, *Augustales*, *Palatini*, *Seculares*, *Votivi*, tum erga Homines Defunctos, ut *Funebres* & *Gladiatorij*. Caussa porro Exercitationis fiebant *Troiani*. De *Ludis Romanorum* scripsit diligentissime Onuphrius Panuinius, qui & singularem librum edidit de *Secularibus*. Multa etiam de *Ludis* habet *Iulius Cæsar Scaliger* lib. 1. Poetices, & Petrus Faber. Plurima de *Ludis Gymnicis* tradit in suis de Arte Gymnastica libris *Hieronymus Mercurialis*, Medicus Patavinus, De *Theatris* & *Amphitheatris*, unde Ludi spectabantur, *Iustus Lipsius*, & *Ioannes Servilius*

[illegible]
Instrumenta Sacrific.
Hostiæ
Loca Sacra.
Feriæ.
Ludi.

vilius lib. 1. de mirandis Antiquorum Operibus. Et sic se habebant apud Ro-
manos Veteres *Divina*. *Humana* considerabantur in *Rebus Publicis & Privatis*. Ad Comitia.
Publica, præter *Comitia*, quæ trium erant generum, *Curiata*, *Centuriata*, *Tributa* (de
quibus apud Veteres scripserunt *M. Terentius Varro*, & alij; ætate nostra præter *Onu-
phrium Panuinum*, *Ioachimum Perionium*, *Karolum Sigonium*, *Blondum*, *Budæum*, aliosque, *Nicolaus Gruchius*) pertinebant *Magistratus* cum suis *Ministris*, *Leges*, *Iudicia*. Ma- Magistratus sub Regibus.
gistratus (quorum Seminarium erat *Senatus*; de quo præter alios *Paullus Manutius*:
eiusque *Principibus Onuphrius* ad Fastos) erant vel *Vrbani*, vel *Prouinciales*: *Vrbani*;
Maiores, *Minores*: *Maiores*: *Ordinarij*, *Extraordinarij*. *Ordinarij* sub Regibus, cum
ipsi *Reges*, qui septem numero, *Romulus Silvius*, *Numa Pompilius*, *Tullus Hostilius*, *Ancus Martius*, *L. Tarquinius Priscus*, *Ser. Tullius*, *Superbus*: tum *Præfectus* vel *Tribunus*. *Celerum*, Post Reges exactos: Maiores, Ordinarij.
L. Tarquinius, *Præfectus Vrbi*, & *Quæstor*. Post Reges exactos *Magistratus Maiores Or-
dinarij* considerabantur *Resp.* vel *Libera* vel *Occupata*. *Liberæ* quidem *Reip.* erant
Consules II (Horum Fastos scripserunt *Cassiodorus*, *Marcellinus Comes*, *Suidas*, *Nice-
phorus*, *Ioannes Cuspinianus*, & omnium diligentissime *Karolus Sigonius*, *Onuphrius Pa-
nuinius*, *Hubertus Goltzius* additis Iconibus, *Stephanus Pighius*) *Censores* II: *Prætores*,
qui sensim facti xv; Occupatæ vero *Imperatores Cæsares Augusti* (quorum Icones
vulgarunt *Hubertus Goltzius*, *Iacobus Stradanus*, *Æneas Vicus Parmensis*, *Adolphus Occo
Augustanus*) *Donati Tribunicia Potestate*; *Nobilissimi Cæsares*, vel *Principes Iuventutis*; &
Præfectus Vrbi. *Extraordinarij* censebantur cum *Interrege*, *Dictator* & *Magister Equi-* Extraordinarij, Minores, Ordinarij.
tum, x-*Viri Legibus scribundis*, & *Tribuni Militum*, utrique *Consulari potestate*; III-*Vi-
ri* denique *Reip. constituendæ*. *Minores* itidem *Ordinarij* erant & *Extraordinarij*.
Ordinarij. *Quæstores Vrbani*, II, & qui & *Quæstores Ærarij*. *Tribuni Plebis*, x; *Ædiles
plebis*, II; *Ædiles Cereales*; *Curatores omnium Tribuum*; III *Viri Capitales*; III-*Viri
Nocturni*; III-*Viri Valetudinarij*; III-*Viri Monetales A. A. A. F. F.* IIII-*Viri Viarum cu-
randarum*; x-*Viri Capuæ* & *Tiburtum*, x *Viri Stlitibus Iudicandis*; C. *Viri Litibus Iudi-
candis*. *Præfecti Ærarij*. *Curatores Operum Publicorum*. *Curatores Alvei Tiberis* & *Cloaca-
rum*. *Curatores Viarum singularum extra Vrbem*, *Præfectus Prætorio*, *Præfectus Frumenti*, *Po-
pulo dividundi*, *Præfectus Vigilum*. *Curatores Regionum*; *Denuntiatores Regionum*, *Magistri
Vicorum Vrbis Regionum* XIV. *Advocatus* denique *Fisci*. *Extraordinarij* erant, II-*Viri* Extraordinarij:
Perduellionis, *Quæstores Parricidij*, vel *Rerum Capitalium*; *Præfectus Annonæ*; v *Viri Men-
sarij*, III *Viri Mensarij*, II *Viri Navales* III *Viri*, *conquirendis ad Arma ferenda Iuvenibus*,
Sacrilegiis (?) *requirendis*. v-*Viri Turribus Murisque reficiundis*; x-*Viri*, *qui iudicarent super Sa-
cramento* & *Libertate*: x-*Viri de Tribuendorum Donativorum*; III-*Viri legendi Senatus*:
III-*Viri recognoscendæ Turmas Equitum Romanorum*. *Magistratus Provinciales* erant Provinciales.
Pro-consules; *Pro-prætores*. *Legati Pro-consulum*, & *Pro prætorum*: *Quæstores Provin-
ciales* XIIX: *Pro Quæstores*: *Præfectus Ægypti*: *Præfecti Præf. Ærarum*: *Consulares* IV,
qui per Italiam Iusdicerent: *Iuridici Italiæ*: III-*Viri*, v *Viri*, VII-*Viri*, x-*Viri Coloniæ
deducendæ*: v-*Viri*, VII-*Viri*, XX-*Viri Agris dandis*, *adtribuendis*: v-*Viri*, XV-*Viri*, *Agrorum
metiendorum*, *dividundorumque*, III-*Viri*, vel v-*Viri ad instituendos Fines*, *Litesque di-
rimendas*. *Ministri* porro *Magistratuum* erant *Scribæ*, *Accensi*, *Præcones*, *Lictores* (de Ministri Magistratuum.
quibus V. Cl. Iustus Lipsius libro I Elector. cap. XX) *Servi publici*, *Viatores*, *Cam-
pestres*, *Magistri Curiarum*: & quorum in Comitijs usus erat, *Nomenclatores*, *Diribitores*,
Rogatores, *Custodes*, & alij. De his omnibus *Auctor. l. 2. D. de Orig. Iuris*, *Notitia
Imperii Maiani Scon*, cum Commentario *Guidi Pancirolli*; *Pomponius Letus*: *Andreas
Dominicus Floccus*, qui *Fenestellæ* nomine circumfertur, *Flavius Blondus* in ROMA
Triumphante: *Wolfgangus Lazius* in Commentariis Reip. Romanæ; *Karolus Si-
gonius* ad Fastos, item de antiquo Iure Civium Romanorum, Italiæ, Provincia-
rum, & alibi: *Onuphrius* Panuinius passim in Commentario ad Fastos, & in Civi-
tate Romana; *Ioachimus Perionius*: *Petrus Faber*: *Cl. Præcellentis. Ianus Gruterius*: *Iustus
Lipsius*: & qui non, vel ex professo, vel data in emendandis inlustrandisque Aucto-
ribus occasione? Hæc de *Magistratibus*. *Leges* considerabantur partim *Regiæ*, ut Leges.
Romuli & aliorum, quæ in unum conlectæ corpus, *Iuris Papiriani* appellatione cœ-
perunt esse nobiles: partim *Reip. liberæ*, quarum caussa Efficiens duplex, cum *De-
cem-Viri*, tum alij, qui post illorum tempora Remp. administrarunt, *Magistratus*, ut
Cos. Prætores, *Dictatores*, *Tribuni Plebis*. *Decemvirorum* erant *Leges* XII *Tabularum*, in qua-
rum fragmentis hinc inde colligendis sudarunt varij. Reliquorum *Magistratuum*
Leges

Leges de Rebus admodum varijs longum esset commemorare. Summa dabo capita. Latæ leguntur de *Sacrorum Ritibus, Ferijs, Ludis & Sacerdotibus*; item de *Comitiis, Senatu, Magistratibus* cujuscumque generis; præterea de *Legum Vi & Privilegijs*, de *Nummis, Frumento, Negotijs Militaribus*: de *Manumissionibus* insuper, *Iure Connubiorum, Tutelis, Vsucaptione, Successionibus, Cessione Bonorum, Vsuris & Fænoribus*, de *Criminibus* denique *Publicis*; & alijs, quæ brevitati studens prætereo. His omnibus colligendis industriam adhibuerant summam *Pomponius Lætus, Conradus Celtes, Aimarus Rivallius, Vdalricus Zasius, Ludovicus Charondas* Parisiensis, *Paullus Manutius, Franciscus Hotomannus, Pardulphus Prateius, Antonius Augustinus, Fulvius Vrsinus*, alij.

Iudicia, *Iudicia*, quæ inter Humana tertio posui loco, vel *Privata* erant, vel *Publica*. *Privata* Caussas habebant suas, & Controversias, de quibus instituebantur, suas Personas, quarum interventu peragebantur; suos denique Ritus, quibus fiebant. *Publicorum Iudiciorum* legibus comprehendebantur Iniuriæ non solum *Reip.* id est *Senatui, Populo*, vel *Magistratibus* factæ, sed etiam nonnullæ, quæ *Privatis* erant inlatæ. *Reip.* directe facta dicebantur Crimina *Maiestatis, Peculatus, Ambitus, Repetundarum*, & *Vis Publica*: *Privatis* facta ad se pertinere Populus existimabat Crimina *inter Sicarios, Veneficij, Parricidij, Falsi, Adulterij, Plagij*. Copiosius hæc omnia apud *Carolum Sigonium*, qui tres de *Iudicijs* Veterum Romanorum libros scripsit. Integram etiam *Fori Romani* Historiam quinque libris exposuit *Franciscus Polletus*, Duacensis I C. quos morte Auctoris imperfectos auxit, & ad finem perduxit ejus gener *Philippus Broideus*. Consulendus & cum alijs *Barnabas Brissonius* in Formulis, & alibi. De *Iudicijs* etiam scripserunt *Iacobus Ravardus* & *Aimarus Rivallius*: De *Centumvirali Iudicio Silvandus Tetardus*: de *Supplicijs* multa apud *Petrum Fabrum* libro 11 Semestrium. De *Crucis Supplicio Iustus Lipsius*, & *Petrus Scriverius* meus.

Ritus in Hactenus quæ *Publica*, sum persequutus: *Privatiores Ritus* me vocant, quorum cognitio maximam etiam habet utilitatem, & incredibilem creare solet Antiquitatum studiosis suavitatem. De ijs pauca dicam. Nam exponere copiosius singula, operosum esset, & ab instituto alienum.

Nuptijs. Spectabantur autem in *Nuptijs*, quarum ritus explicant *Karolus Sigonius* libro 1. de Antiquo Iure Civium Romanorum. & *Andreas Tiraquellus* in legibus Connubialibus; ediderunt & singularios de ijs libros *Barnabas Brissonius, Fran. Hotomannus*, alij:

Natalitijs. In *Natalitijs Nominumque Impositionibus*, de quibus præcepta tradiderunt *Onuphrius Panuinius, Karolus Sigonius, Fr. Robertellus*, & alij; eo referre quis potest Onomasticum Romanum *Ioannis Glandorpij*: Familias item *Richardi Streinij, Antonij Augustini*, & *Fulvij Vrsini*:

Supellectili. In *Supellectilis*, cujus partem exposuit in *Vasculis Lazarus Baysius*: in *Lectis & Lecticis Lipsius* Electorum lib. 1: In *Tondendi ratione*, de qua *Antonius Hotomannus*; spectante eo & *Hadriani Iunij Coma*:

Vestibus. In *Re Vestiaria*, quam inlustrant *Lazarus*, quem dixi, *Baysius*, singulari libello, sparsim item *Aldus Manutius, Petrus Crinitus, VVolffgangus Lazius, Karolus Sigonius, Iustus Lipsius, Gulielmus Fornerius, Rodolphus Hospinianus*, & alij:

Conviviis. In *Convivijs*, quorum Ritus fuse magno satis volumine exponit *Gulielmus Stuckius*. De ijsdem *Iustus Lipsius* cum alibi, tum III Antiquarum Lectionum libro, *VVolffgangus Lazius*, cujus memini, in Commentario Reip. Rom. *Hieronymus Mercurialis* de Arte Gymnastica, *Aldus Manutius* in Quæsitis per Epistolam; singularios de ijs libros scripserunt *Iacobus Cornarius, Petrus Ciacconius, Fulvius Vrsinus*: adeundi de *Mensis Veterum Fr. Polletus*. de *Victu & Victa Populi Romani Franciscus Robertellus*; de *Vini Natura Andreas Baccius*:

Funeribus. In *Funeribus* denique & *Sepulcris*, quorum Ritus itaque quæ fuerint, docet *Lilij Giraldi* opus de Sepulcralibus: consulendi & *Iustus Lipsius* in Electis, & *Barnabas Brissonius* Libro ult. Formularum. Huc referendi Ritus In *Numeris*, de quibus *Mathæus Horstius*:

Numeris, Mensuris & Ponderibus, Nummis. In *Mensuris & Ponderibus*, de quibus, præter *Volusium, Rhemnium & Priscianum, Gulielmus Budæus, Michael Neander*, & *Gul. Philander*: In *Nummis*, quorum rationem aperit cum *Volusio Metiano, Franciscus Hotomannus*. De omnibus autem his copiosissime *Lazius*, quem sæpe nominavi, in Comment. Reip. Romanæ, *Ioannes Rosinus* decem illis non contemnendis Antiquitatum Romanarum libris, *Egoque* in meis earumdem Tabulis vel Schematismis.

Militares Ritus in bellis suscipiendis. Hactenus Veterum Romanorum *Mores* delineavi *Domesticos*; quod ad *Militares*, stupendi erant in *Bellis Suscipiendis, Gerendis, Finiendis*. In *Suscipiendis* summam habebant curam *Indictionis*, quæ fiebat per *Patrem-Patratum & Feciales Clarigandis*

rigando: *Adparatus* in *Pecunia*, *Commeatu*, *Armis*: *Dilectus* denique *Ducum Militumque*. In *Gerendo* dominabantur ipsa *Expeditio*, *Castrorum* & *Metatio* & *Motio*, *Disciplina Castrensis*, *Vigiliæ*, *Instructio Aciei*, *Impugnatio*, sæpe etiam *Deorum Tutelarium Evocatio*, & *Urbium Exercituumque hostilium Devotio*. *Finiendi Belli* partes, quæ ad Victos, erant lenis modestaque in debellatos Hostes *Animadversio*, *Coloniarum*, *Municipiorum* (de utrisque exstat Sex. Julij Frontini Libellus, quem auctissimum mihi monstravit *Petrus Scriverius Præf. Batavarum*, *Provinciarumque* (de quibus plene *Sigonius* & *Onuphrius*) *constitutio*: quæ ad *Victores*, *Duces* quidem *Supplicatio*, *Triumphus*, *Ovatio*, *Arcus Triumphales*, *Trophæa*, *Statuæ*, *Milites* vero, præter *Laudationem*, *Præmiorum* inter eos, qui rem bene gesserant, *Distributio*. Ea varia erant: cum primis *Coronæ Militares*, *Torques*, *Armillæ*, *Phaleræ*, *Hastæ*, *Vexilla*, *Corniculi*. Agmen militare, ut concludam, claudebant *Exercitus Missio* & *in Agros promissos Deductio*. Scripsit de *Re Militari Flavius Vegetius* libris IV. Eum cum XIII MSS. Codicibus in Gallijs anno CIↃ IↃ LXXXII diligenter fideliterque conlatum, quintoque Libro de Præceptis Navalibus auctiorem, familiariter nimis a me cum multis alijs, quæ rariora conquisieram, commodato sumsit (durius non dicam, ne Manes solicitem) Ludovicus Carrio: cujus Heredes, quicumque sint illi, pie justeque facient, si quæ jure optimo mea mihi curent restituenda. Legendi & de *Re Militari* Veterum Romanorum *VVolffgangus Lazius* Commentar. Reip. Rom. *Joannes Rosinus* Romanar. Antiq. libro ultimo, & alij: de *Militijs ex casu Lælius Taurellus*: de *Stipendio Militari Justus Lipsius* libro Elector. I cap. II: Hæc de *Moribus*: jam *Res gestas*, quibus Romani Veteres primo Conregionales, inde totam Italiam, mox sensim meliorem Terrarum orbis portionem contuderunt, suoque subjecerunt imperio, commorare non Cosmographi est; sed Historiographi. Describunt eas *T. Livius*, *L. Florus*, *Eutropius*, *Plutarchus*, *Polybius*, *Appianus Alexandrinus*, *Sallustius*, *Dion Cassius*, *Cæsar*, *Suetonius*, *Paterculus*, *Zonaras*, *Trogus*, *Valerius Maximus*, *Paulus Orosius*, *P. Cornelius Tacitus*, & qui non? Addendi his, qui per Fastos Annorumque seriem omnia diligentissime notarunt, *Karolus Sigonius*, *Onuphrius Panuinius*, *Stephanus Pighius*. Sunt & mea quædam tota in his recensendis, quæ suo tempore lucem spero visura. *Rerum gestarum Effecta* parent, quo ad Italiam, in *Colonijs*, *Municipijs*, & *Præfecturis*; de quibus abunde capite hujus libri XIX, quod de Gubernatione Italorum Civili & Politica: quod ad Regiones reliquas, manifesta sunt rerum à Pop. Rom. gestarum indicia, cum in *Provincijs*, & constitutis hic ibi *Legionibus*, tum in *Colonijs extra Italiam ductis*. *Provinciæ* dicebantur, quas Populus Romanus, prolatis extra Italiam armis, provicerat; in quas quotannis vel Proconsules vel Proprætores mittebantur; unde quædam *Consulares*, quædam *Prætoriæ* dicebantur. Neutrum tamen fuit perpetuum. Non enim hæc aut illa *Provincia* semper aut *Consulares* aut *Prætoria*, sed ita nomen mutabat, ut varie modo ab Consularibus, modo a Prætorijs administrabatur. *Provincias Populi Rom.* ante C. Julij Cæsaris Dictatoris tempora XV fuisse, liquet ex Cælij Epistola, quæ apud Ciceronem exstat.

Gerendis.

Finiendis.

Res gestæ Veterum Romanorum.

Parent per Italiam quidē in Colonijs, Municipijs, Præfecturis, alibi vero in Provincijs, Legionibus, Colonijs.

Provinciæ Populi Rom. ante Cæsaris dictatoris tempora.

I SARDINIA & CORSICA Provinciæ factæ inter Primum & Secundum Bellum Punicum ab T. Manlio Torquato & C. Papirio Masone Coss.

II SICILIA; cujus partem Provinciam fecit bello Punico Primo C. Lutatius Catulus; totam vero bello Punico Secundo M. Valerius Lævinus.

III GALLIA CIS-ALPINA Provincia facta ab M. Claudio Marcello V. Cos.

IV GALLIA TRANS-ALPINA, à Q. Fabio Maximo Allebrogico.

V HISPANIA CITERIOR, VI HISPANIA ULTERIOR } Scipionis Africani Victoria Provinciæ factæ.

VII ILLYRICUM, DALMATIA, ISTRI & LIBURNI in Provinciæ formam redacti, victoria L. Anicij Galli.

VIII AFRICA & NUMIDIA Provinciæ factæ ab Scipione Africano Minore & C. Mario cos. VII.

IX MACEDONIA, ACHAIA, THRACIA, GRÆCIA, ÆTOLIA, THESSALIA, BOETIA, ACARNANIA, EPIRUS Provinciæ factæ Q. Metelli Macedonici, L. Mummij Achaici, M. Terentij Luculli, & M. Fulvij Nobilioris Victorijs: omnes enim hæ Provinciæ lege P. Clodij ab eo, qui *Macedoniæ* præerat, regebantur.

X ASIA LYDIA, IONIA, CARIA, HEL-

LESPONTVS, MYSIA & PHRYGIÆ Pars Provinciæ factæ M. Perpennæ & M. Aquilij Victoris.

x PONTVS, BITHYNIA, & PROPONTIDIS Pars, a Cn. Pompeio Magno Provinciæ factæ.

XII CILICIA, PAMPHYLIÆ, LYCAONIÆ & PHRYGIÆ Pars Victoriæ P. Servilij Isaurici & Cn. Pompei Magni. PHRYGIAM in duas Iurisdictiones dispertitam fuisse, ut una pars *Ciliciæ*, altera tribueretur *Asiæ*, itemq; PAMPHYLIÆ & LYCAONIÆ partem sub Regibus, partem sub *Ciliciæ* Proconsulibus fuisse, Cicero & Dio auctores sunt.

XIII SYRIA omnis usque ad Euphratem & MESOPOTAMIÆ pars in Provinciam ab Cn. Pompeio Magno redactæ.

XIV CRETA Insula Q. Metelli Cretici Victoria Provinciæ formam induit.

XV CYPRVS Insula ab M. Porcio Catone Provinciæ conditionem accepit.

Ab Cæsare addita.

Additæ sunt his ab *Cæsare Dictatore.*

I BOSPHORVS, *Ponti & Bithyniæ* Provincijs adjunctus.

II MAVRITANIA Africæ adposita.

ab Augusto.

Ab *Cæsare Augusto,*

I ASTVRES & CANTABRI in Hispania Provinciæ Hispaniæ additi.

II AQVITANIA *Galliis* Provincia addita.

III PANNONIA, NORICVM, VINDELICIA, RHETIA, Provincia una.

IV MOESIA, THRACIA, DARDANIA, Provincia una.

V PAMPHYLIA, LYCAONIA, GALATIA, PYSIDIA, LYCIA, Provincia una.

VI ARMENIA MINOR usque ad Euphratem *Syriæ* adposita.

VII ÆGYPTVS & ARABIÆ pars, Provincia una.

VIII CYRENAICA *Cretæ* Provinciæ adjuncta.

IX PAPHLAGONIA *Bithyniæ* adjecta.

X ILLVRICI & DALMATIÆ pars Danubium versus, una Provincia facta.

XI GETVLI & GARAMANTES *Africæ* additi.

XII SALASSI, ALPES MARITIMÆ & GENTES ALPINÆ, Provincia una.

Anno ab V.C. ıɔ ccxxvii, ipso Cæsare Augusto VII & M. Agrippa III Coss. Cæsar Augustus Provinciarum omnium administrationem una cum Senatu & Populo communicavit: Pacatas Populo tradens, quæ vero militaribus copijs erant instructæ, ut Exercitus omnes in sua haberet potestate, sibi retinens administrandas. *Senatus Populique Romani Provinciæ*, una divisione & administratione in XII Diœceses ab ipso distinctæ, hæ erant:

I AFRICA, NVMIDIA & LYBIA, Proconsularis.

II ASIA cis Halim & Montem Taurum, in qua LYDIA, IONIA, CARIA, MYSIA, PHRYGIA & HELLESPONTVS, Proconsularis.

III HISPANIA BÆTICA, Prætoria.

IV GALLIA NARBONENSIS, Prætoria.

V SICILIA, Prætoria.

VI SARDINIA & CORSICA, Prætoria.

VII ILLVRICVM & EPIRI Pars, Prætoria.

VIII MACEDONIA, & GRÆCIÆ Pars, Prætoria.

IX ACHAIA, THESSALIA, BOEOTIA, ACARNANIA, EPIRIQVE Pars, Prætoria.

X CRETA, CYRENAICA, & LYBIÆ Pars, Prætoria.

XI CYPRVS, Prætoria.

XII BITHYNIA, PAPHLAGONIA, PROPONTIDIS & PONTI Pars, Prætoria.

Ipsius Cæsaris Augusti in XIIII Diœceses erant distributæ:

I HISPANIA LVSITANIA.

II HISPANIA TARRACONENSIS.

III GALLIA AQVITANIA.

IV GALLIA LVGDVNENSIS, alias, CELTICA.

V GALLIA BELGICA & GERMANIA.

vi Pannonia, Noricum, Vindelicia, & Rhetia.
vii Moesia, in qua Dardani, Thraces & Daci.
viii Dalmatia, & Illyrici Pars.
ix Alpes Maritimæ.
x Cilicia, Isauria, & Lycaonia.
xi Galatia, Pamphylia & Pisidia. Lycios enim Liberos reliquit.
xii Syria, Armenia Minor, Mesopotamia, & Oriens omnis usq; ad Euphratem.
xiii Ægyptus, & Arabiæ Pars.
xiv Italia omnis ab Freto Siculo usque ad Alpes.

Et erant tunc temporis Imperij Limites *Ister*, *Euphrates*, *Rhenus*, *Oceanus*. De *Istro* & *Euphrate* ipse Augustus apud Iulianum in Menippea de Cæsaribus: τὰ δὲ τῶν ἐμφυλίων στάσεων τὴν Ῥώμην ἐρῶν εἰς ἔσχατον ἐλαύνουσαν πολλάκις κινδύνων, οὕτω διέθηκα τὰ περὶ αὐτὴν, ὥστε εἶναι δι' ἡμᾶς, ὦ θεοί, τὸ λοιπὸν ἀδαμαντίνην. οὐ γὰρ τῆς ἀμέτρου ἐπιθυμίας εἴκων, ἐπικτᾶσθαι πάντως αὐτῇ διενοήθην. ὅρια δὲ διττὰ ὥσπερ ὑπὸ τῆς φύσεως ἀποδεδειγμένα, Ἴστρον καὶ Εὐφράτην ποταμοὺς ἔθηκα. De reliquis Tacitus: *Mari Oceano*, inquit, *aut Amnibus longinquis septum Imperium.*

Additæ deinceps à *Tiberio Cæsare:*

A Ti. Cæsare.

i Cappadocia, Archelao Rege in Vrbe defuncto.
ii Comagene, Antiocho Rege mortuo.

Ab *C. Caligula:*

A C. Caligula.

Mauritaniæ duæ { Tingitana, Cæsariensis.

Ab *Ti. Claudio Cæsare.*

A Claudio Cæsare.

Britannia.

Ab *Nerone.*

Ab Nerone.

i Pontus Polemoniacus.
ii Alpes Cottiæ.

Ab *Vespasiano Augusto:*

A Vespasiano.

i Achaia.
ii Lycia.
iii Rhodus Insula.
iv Byzantium, nobilissima Civitas.
v Samus Insula.
} Quæ ad id usque tempus suis vixerant legibus: libertate ademta.

vi Trachea.
vii Cilicia.
viii Comagene: hanc ab *Ti. Cæsare* factam Provinciam Regi Antiocho reddiderat *C. Cæsar Caligula.*
} ditionis Regiæ usq: ad id tempus.

Ab *Traiano Imperatore:*

A Traiano.

i Trans Danubium, Dacia.
ii Arabia.

Trans Euphratem { iii Armeniæ duæ. iv Mesopotamia. v Assyria.

Merito igitur scribitur Trajanus Imperator Limites ad Rubrum usque Mare promovisse. Eleganter apud Sudam Scriptor incertus: Ῥωμαίων ἀρχὴ, αὕτη τῆς Ἀσσυρίων καὶ Περσῶν, καὶ Μακεδόνων τῶν πρὶν, μακρῷ ὑπερῆρεν. ὁρισαμένη πέρατα ἑαυτῆς, πρὸς μὲν ἕω, Ἰνδοὺς καὶ ἐρυθρὰν θάλασσαν, καὶ Νεῖλον, καὶ καταρράκτας, καὶ λίμνην Μαιῶτιν. Tacitus lib. ii. Annalium: *Exin ventum Elephantium ac Syenen, Claustra olim Romani Imperij: quod nunc Rubrum ad Mare patescit.*

Ab Galerio

Ab *Galerio*:

I Azarsavena.
II Mozena.
III Zabdicena.
IV Rhenvnena.
V Cardvena.

Has omnes Provincias Imperatores cum Augustus, tum qui eum sequuti, validissimis *Legionibus* munire sunt soliti, & in eas Legatos suos Procuratoresque mittere. *Legionum* subscribo syllabum, præmonitos volens Lectores, adpositas Regiones urbesque signare Stationes, Primarum quidem xxv, ubi fuerint in Augusti distributione positæ. reliquarum autem, ubi ab sequentibus Principibus primum institutæ; quæ omnes inde frequenter pro Imperatorum arbitrio Loca sua mutasse leguntur.

Legiones ab Augusto constitutæ.

Legiones xxv ab *Cæsare Augusto* per Orbem Romanum constitutæ.

In Hispania, Legiones III:

I *Legio* III *Gallica*,
II *Legio* VI *Ferrata* R. F. C.
III *Legio* X *Fretensis*.

In Germania Inferiore, Legiones IV:

IIII *Legio Prima*....
V *Legio* XIX,
VI *Legio* V *Macedonica*,
VII *Legio* XX *Valeria Victrix*.

In Germania Superiore, Legiones IIII;

VIII *Legio* II *Augusta*,
VIIII *Legio* XIIII *Gemina, Martia, Victrix*,
X *Legio* XIII *Gemina, Pia, Fidelis*,
XI *Legio* XVI.

In Dalmatia, Legiones II;

XII *Legio* II *Adjutrix, Pia, Fidelis*,
XIII *Legio* VII *Gemina, Pia, Felix*.

In Pannonia, Legiones III;

XIIII *Legio* VIII *Augusta*,
XV *Legio* IX *Hispaniensis*,
XVI *Legio* XV *Apollinaris*.

In Mœsia, Legiones II;

XVII *Legio* VII ....
XVIII *Legio* XI.

In Suria, Legiones IV;

XVIIII *Legio* IV *Scythica*,
XXI *Legio* X *Gemina, Pia, Fidelis*,
XX *Legio* VI *Victrix*,
XXII *Legio* XII *Fulminatrix*.

In Ægypto, Legiones II:

XXIII *Legio* III *Cyrenaica*,
XXIIII *Legio* XXII *Primigenia, Pia, Fidelis*.

In

In Africa, Legio una;

XXV *Legio* III *Augusta.*

Legiones IV ab *Claudio Imperatore* additæ: additæ ab Claudio Imperat.

In Mœsia, una:

I *Legio* V *Claudia.*

In Germania, III:

II *Legio* XV .... III *Legio* XIIX *Victrix.* IV *Legio* XXI *Rapax.*

III ab *Nerone Imperatore:* ab Nerone,

In Gallia Lugdunensi,

I *Legio* I *Italica.*

In Vrbe:

II *Legio* I *Classica,* III *Legio Hispana.*

II ab *Galba:* Galba,

In Vrbe;

I *Legio* I *Adjutrix.*

In Pannonia.

II *Legio* VII *Galbinia.*

III ab *Vespasiano:* Vespasiano,

In Germania: In Suria: In ......

I *Legio* II, *fortean Flavia* II *Legio* IV *Flavia, Felix, Fidelis.* III *Legio* XVI, *Flavia, Fidelis.*

Legio una ab *Domitiano Imperatore* addita: Domitiano,

In Germania Inferiore:

I *Legio* I *Minervia, Pia, Fidelis.*

II ab Traiano: Traiano,

In Ægypto: In Germania;

I *Legio* II *Traiana, Fortis.* II *Legio* XXX *Vlpia, Victrix.*

II ab *M. Antonino Augusto:* Antonino.

In Norico: In Rhetia:

I *Legio* II *Italica Divit.* II *Legio* II *Italica,*

Severus.

III denique ab *Alexandro Severo* Imperat. adjectæ superioribus:

In Mesopotamia;	In Italia;	In Mesopotamia;
I *Legio I Parthica.*	II *Legio II Parthica.*	III *Legio III Phartica.*

Reliquas, quæ post Alexandri principatum ab reliquis Imperatoribus sunt institutæ, enumerat Notitia utriusque Imperij, quas non addam, quum accurate omnes ibi tradantur. Adscriberem nunc *Colonias* quas extra Italiam in varias Provincias & Regiones duxerunt Romani; sed quemadmodum suas Italiæ, sic singulis suas dabo Regionibus; quod in Legionibus commode fieri nequivit. Hæc de Veteris Romæ Incolis: quod ad Hodiernę principem inter eos locum tenet *Pontifex Maximus* cujus Aula suo splendore omnia Principum Christianorum superat Palatia. Sunt in ejus familia:

Coloniæ Populi Romani extra Italiam.

Hodiernæ Romæ incolæ Pontifex Maximus, ejusque familia.

Auditores Rotæ, XII.
Clerici Cameræ, VII.
Thesaurarius, I.
Auditor Cameræ, I.
Regens Cancellariæ, I.
Protonotarij Apostolici, VII.
Subdiaconi, VI.
Acolyti, VIII.
Secretarij Apostolici, VIII.
Corrector Cancellariæ, I.
Summista, I.
De Confidentis, I.
Abbreviatores Maiores, XII.
Abbreviatores Minores, VI.
Custos Cancellariæ, I.
Secretarius Schedularum, I.
Hostiarius Cancellariæ, I.
Scriptores Apostolici, CI.
Cubicularij Apostolici, LX.
Scutiferi vel *Dapiferi Apostolici*, CXL.
Milites S. Petri, CCCC.
Milites S. Pauli, CC.
Scriptores Brevium, LXXXI.
Procuratores Pœnitentiariæ, XXIV.
Scriptores Pœnitentiariæ, XXVIII.
Collectores Plumbi, CIV.
Correctores Pœnitentiariæ, II.
Sollicitatores de Ianizeris, C.
Correctores Archivij, X.
Scriptores Archivij, I.
Magistri Plumbi, III.
Secretarij Bullarum signatarum, VIII.
Registratores Bullarum earundem, IIII.
Magistri Registratarum Bullarum, IIII.
Auditores Contradictarum, XIIII.
Magistri Supplicationum, IIII.
Clerici Registri Supplicationum, VI.
Notarij Cameræ Apostolicæ, IX.
Scriptores Registri Supplicationum, XX.
Notarij Auditoris Cameræ, X.
Notarij Rotæ, XLVIII.
Notarij Vicarij Papæ, IIII.
Notarij Gubernatoris Civilis, II.
Notarius Maleficiorum, I.
Notarius Cancellariæ, I.
Præsidentes Ripæ, CXLI.
Portionarij, IↃ CXII.
Cursores, XIX.
Servitores Armorum, XXIV.
Virgæ Rubeæ, XVI.
Catenæ Sacri Palatij, LXII.
Portæ ferreæ, XXVI.
Equites levis armaturæ, communiter C vel CC.
Bombardarij milites vel *Sclopetarij*, CCC.
Helvetij custodientes Portas Palatij Pontificij CC, interdum etiam CCC.

Pontificum Vitas Fastosque scripserunt Platina & Onuphrius: qui etiam, & alij, Icones ad vivum publicarunt. Tanta *Pontificis* est observantia, ut ne Cardinales quidem Vrbe exeant, nisi petita & habita licentia. De *Coronatione Romani Pontificis, Osculatione Pedum ipsius, ejusdem Levatione seu Portatione*, legendus Iosephus Stephanus, Episcopus Oriolanus: de *Insignibus* autem *Militaribus*, quæ Pontifex Maximus Principibus deferre consuevit, adeundus Stephanus Pighius. *Cardinales* dignitate Regibus comparari solent. Eorũ incertior est numerus: pendet enim ab arbitrio nutuq; Pon-

Cardinales.

Pontificis. In Vrbe semper ad minus sunt XL. Horum Fastos vulgarunt Onuphrius Panuinius & Alphonsus Ciacconius Hispanus: Icones autem & Elogia sculpsit Antverpiæ Theodorus Gallæus. Pergo. Studia Facultatum omnium, meliorumque litterarum ab omni ævo ROMÆ supra modum floruisse docent infinita Veterum Scriptorum Monimenta: quæ commemorare longum esset. Quanti precij fuerit Romanis ab Vrbe usque condita *Divinarum Rerum Studium*, probant abunde tantus Deorum Dearumque numerus, tanta Sacerdotum copia; tot Sacrificiorum Ritus & Cerimoniæ: & post Christum natum hodieque quæ non? Quanti momenti *Iurisprudentia*, paret ex solis XII Tabularum Legibus, quarum Libellum omnium Philosophorum Bibliothecas & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate superasse, narrat, libro I. de Oratore sub persona Crassi M. Cicero. Certe manavit inde sensim tā+ptum ex uberrimo fonte quidquid hodie in laudatissimis Rebuspublicis Legum & Constitutionum. Leges primus publice profiteri cœpit *Ti. Coruncanius*, ut scribit Auctor l. 2. D. de orig. iuris. § 35. Eum plurimi sunt sequuti, in quis ex professo recensendis toti sunt alij magni Viri. Quo loco *Medicina* fuerit, clamant cum alia, tum decreti subinde Medicorum Diligentiæ Fideique Honores, & posita Elogia. Auctor est Cassius Hemina primum è Medicis Romam venisse *Archagathum*, Lysaniæ F. Peloponnesiacum, L. Æmilio & M. Livio Coss anno ab V. C. IↃ XXXV, eique ius Quiritium datum. Per quos *Vera Medicina*, præsertim *Herbarum*, ad Romanos pervenerit, docet Plinius lib. XXV natur. Hist. cap. 11 & alibi. Cæsar, auctore Tranquillo, omnes *Veram Medicinam* ROMÆ professos Civitate donavit. Quid *Historiæ* commemorem curam? Scriptoribus recensendis non immorabor. Longum hoc esset & tædiosum. Præter alios, quorum memoria perijt, *Historiam* ROMÆ docuisse perhibetur sub Hadriano & Antonino Impp. *Fl. Arrianus*, cognomine *Xenophon Novus*, vel *Minor*, Philosophus ex Nicomedia, Epicteti Discipulus, Honoribus ornatus consularibus. Nihil hic dicam de *Grammatica*, *Rhetorica*, *Dialectica*, alijs Artibus: quæ quantopere semper floruerint, testantur partim Romani Cives, qui in ijs excelluerunt, partim edita ab ijsdem Opera. Quum *Crates*, Attali Regis Legatus, inter II & III Bellum Punicum, per totum Legationis tempus singulis diebus ROMÆ doceret, ipsis quoque Romanis auctor fuit ut ad *Grammaticæ* Studium exardescerent, Scholamque instituerent, ubi tam necessaria ad Philosophiam via traderetur. Auctor est Strabo *Aristodemum*, quum Pompei Magni Filios ROMÆ erudiret, *Grammaticæ* etiam *Scholæ* præfecisse, omnibusque ea in re cumulate satisfecisse; mane *Rhetoricam*, meridie *Grammaticam* professum, *M. Antonius Gnipho Grammaticam* docuisse traditur primum in C. Iulij domo Pueri adhuc; deinde in sua privata. Docuit & *Rhetoricam* ita ut quotidie præcepta Eloquentiæ traderet, declamaret vero non nisi in Nundinis. *Scholam* eius claros quoque viros frequentasse ajunt, & in his M. Ciceronem, etiam quum Prætura fungeretur. *Cæcilius Epirota*, Libertus Attici Equitis Romani, primus Virgilium & Poëtas novos interpretatus legitur. Hinc illud Domitij Marsi:

Epirota tenellorum nutricula Vatum.

Timagenes, Alexandrinus, sub Pompeo Romam ab Gabinio captivus ductus, & ab Fausto Sullæ Filio emtus, *Grammaticam* professus est usque ad Augustum; quia *Cæsar eius* propter nimiam in dicendo libertatem & arrogantiam *Schola Grammatica* excitaverat. *Appion* sub Tiberio & Claudio *Theoni* in *Schola Grammatica* successit: quando & *Palemon* floruit, qui secum natas secumque interituras adfirmare audebat litteras. *Scaurinum*, celeberrimum Grammaticum, Præceptorem ROMÆ habuit Alexander Severus, auctore Lampridio. *Valerius Probus* privatim *Grammaticam* docuisse videtur; nec enim plures, quam quatuor aut quinque Discipulos admisit, quibus pomeridianis horis prælegeret: reliquum tempus studio & meditationi tribuens. Nam & magnam Silvam Observationum antiquarum reliquit. *T. Castricius*, *Rhetoricæ Disciplinæ* Doctor in Vrbe temporibus Hadriani memoratur ab Agellio eius Discipulo lib. XI. Noct. Attic. cap. XIII, & lib. XIII cap. XX. Qui plures velit, Suetonium adeat de *Claris Grammaticis*. Iam de *Mathematicis* adeo certum est, ut aliquoties legantur, quemadmodum etiam *Rhetores*, sub Coss. & Impp. pulsi; uti cum cura notant VV. CLL. Iustus Lipsius ad lib. II Annalium Taciti

Studijs Facultatum omnium & Meliorum Litterarum.

Theologiæ,

Iurisprudentiæ,

Medicinæ,

Historiæ,

Grammaticæ & Rhetoricæ & Dialecticæ,

Matheseos,

& Lævinus Torrentius varijs ad Suetonij Cæsaris locis. Videndæ & l. Mathematicos. C. de Episc. audientia, & l. 2. C. de Malefic. & Mathemat. *Mathematicarum Artium Professoribus* Alexander Imperator Salaria & Honores proposuit. *Rem* Poëticæ. *sane Poëticam* maximæ fuisse existimationis & pretij comprobant tot præclara feliciaque *Poëtarum* ingenia. Primus ROMÆ *Fabulas* docuit *Livius* Poeta, Claudio Centone Ap. Cæci F. & M. Sempronio Tuditano Coss. post I bellum Punicum, annis fere CCCCX post Romam conditam; statimque plures in hoc studio egregie laborarunt; *Ennius, Pacuvius, Plautus*, & qui varij sequuti: de quibus plene alij. Adeundi Cicero I. Tuscul. Quæst. Horatius lib. II. Epist. I & alibi, Agellius lib. Scholæ. XVII, cap. ult. alijque. Ex ijs, quæ dixi, satis superque paret, *Scholas* publicas Artium & Disciplinarum omnium ROMÆ fuisse multis ante Christum natum sæculis. D. Hieronymus Regulæ Monachorum cap. VI ante sua tempora ROMÆ insignia fuisse *Gymnasia* indicat. *Scholas* quasdam nominatim in Vrbis Topographia P. Athenæum. Victor & Sex. Rufus. Fuit ibidem posterioribus temporibus *Athenæum*. Pertinacem Imperatorem ad *Athenæum*, ut Poetas ibi audiret, ætate sol.tum, tradit in eius Vita Julius Capitolinus. Alexandrum Severum ad *Athenæum*, audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum vel Poetarum caussa, frequenter processisse, memoriæ prodit Ælius Lampridius. Gordianum, ubi adolevisset, in *Athenæo* controversias declamasse, audientibus Imperatoribus suis, narrat idem Capitolinus. Meminit & *Athenæi* B. Hieronymus ad Paullam scribens & Eustochium: *Omnis Apostolicorum simplicitate & puritate Verborum, quasi ad Athenæum & ad Auditoria conveni-* Academia. *tur, ut plausus circumstantium suscitentur.* Ad asserendam *Romanæ Academiæ* Antiquitatem pertinent variæ in Digestis Codiceque Leges: l. si longius 18 §. I. D. de Iudicijs. l. quum filius familias. 17 D. de reb. credit. l. si duas habenti tutelas 6. §. 12 Legum Doctores. D. de excusat, § item Romæ. 15. Instit. eodem. l. unica. C. de studijs liberalib. Vrbis Romæ & Constantinopolitanæ. l. I. C. Theodosiano, de studijs: in quibus omnibus multa de *Professorum Auditorumque* ROMÆ *Privilegijs*. Scribitur ab Ælio Spartiano Hadrianus, quamvis esset in reprehendendis *Musicis, Tragicis, Comicis, Grammaticis, Rhetoribus, Oratoribus* facilis, tamen omnes *Professores* & honorasse & divites fecisse: in summa familiaritate *Epictetum & Heliodorum Philosophos*, itemque *Grammaticos, Rhetores, Musicos, Geometras, Pictores, Astrologos* habuisse: præ ceteris eminente *Favorino*: *Doctores* insuper, qui *Professioni* suæ inhabiles videbantur, ditatos honoratosque à *Professione* dimisisse. Alia ibi prætereo. *Scholas Romanas* neglectius, cum temporis injuria, tum varijs bellorum calamitatibus habitas excitarunt rursum Pontifices Maximi. Evocavit *Thomam Aquinatem Vrbanus* IV, instaurandæ ornandæque, quæ ROMÆ ante multos annos esse cœperat, *Academiæ* ut in ejus Vita tradit Platina. Exstat *Innocentij* IV Rescriptum cap. II. de Privilegijs in VI. his verbis: *Quum de diversis mundi partibus multi confluant ad Sedem Apostolicam, quasi Matrem: nos ad communem tam ipsorum, quam aliorum omnium commodum & profectum paterna solicitudine intendentes, ut sit ipsa mora huiusmodi fructuosa, providimus, quod ibidem de cetero regatur & vigeat Studium Iuris Divini & Humani, Canonici videlicet & Civilis. Vnde volumus & statuimus, ut Studentes in Scholis ipsis penes Sedem eandem talibus omnino Privilegijs, Libertatibus & Immunitatibus gaudeant, quibus gaudent Studentes in Scholis, ubi generale regitur Studium, ac recipiant integre Proventus suos Ecclesiasticos, sicut illi.* Decrevit in Concilio Viennensi *Clemens* V, ut ROMÆ ubicumque Romanam Curiam residere contingeret, *Hebraica, Arabica, Chaldaica Linguæ Professores* haberentur. *Eugenius* IV, ut in ejus vita notat Platina, multas in Europa *Academias* instauravit, omniaque *Gymnasia Litterarum* quam diligentissime fovit; maxime *Romanum*, ad quod omne genus litteraturæ adhibuit. Quantum etiam fuerit ea in re studium Nicolai V docent istius ævi Scriptores, Perottus, Sabellicus, Volaterranus, Silvius, & alij. *Leonem* X totum in restituendis Græcis Litteris fuisse paret ex Epistola, quam scripsit Marco Musuro Cretensi. *Gymnasium Sapientiæ* ab *Alexandro* VI sic instauratum & dotatum, ut honeste *omnium artium Professores* alere possit. Sunt & ROMÆ XX *Seminaria & Collegia omnium Nationum* ab *Gregorio* XIII *P. M.* instituta:

I *Collegium Societatis Iesu*, quo cc aluntur, docenturque omnes Artes. Hoc velut in duas Scholas divisum est: quarum altera est illorum, qui XVIII annum excesserunt: altera ejus Seminarium: altera *Theologiæ*, & *Philosophiæ*, *Rhetoricæ* & *Humanitatis* altera. Prior *Parthenia* dicitur; habetque pro Insigni *Theologiam* in templo sedentem, cui genibus innixæ adstant *Physica* cum Globo terræ, & *Mathematica* cum orbe cœlesti, hac interjecta sententia, LEGES IMPONE SUBACTIS.

II *Germanicæ Gentis Alumnorum*;

III *Neophytorum ex Hebræorum Filijs*;

IIII *Angelorum*;

V *Græcorum*;

VI *Maronitarum*, ex Monte Libano;

VII *Illuricorum*;

VIII *Viennense*, in Austria;

IX *Pragense*, in Bohemia;

X *Gracense*, in Stiria;

XI *Olmucense*, in Moravia;

XII *Braunspergense*, in Prussia;

XIII *Mussipontanum*, in Lotharingia;

XIV *Vilnense*, in Lituania;

XV *Claudipolitanum*;

XVI *Funaense*, in Iapone;

XVII *Vsaquiensis Domus Probationis Societatis Iesu*, in Iapone;

XVIII *Arimaense*, in Iapone;

XIX *Anzuchixamense*, in Iapone;

XX *Fuldense*, in Hassia.

Seminaria & Collegia variorum Nationum.

Quum autem absque *Libris Bonæ Litteræ* conservari, & ad posteros recte transmitti nequeant; omnem ab omni ævo leguntur Romani diligentiam adhibuisse conquirendis undique optimis *Libris*, Locisque, in quibus publice reponerentur, instituendis. Nihil hic dicam de studio Veterum in adservandis *Libris Sibyllinis*. *Bibliothecas publicas* numerant Vrbis Topographi P. Victor, Sex. Rufus, & alij, XXIX. Vt *Peisistratus* Tyrannis Athenis, sic Primus ROMÆ *C. Asinius Pollio Disciplinarum omnium Libros* publice posuit legendos. Videndi Seneca lib. IIII Controversiarum Prooemio, & Plinius lib. XXXV nat. hist. cap. II. *C. Iulius Cæsar Græcas & Latinas Bibliothecas* exstruendi curam dedit *M. Terentio Varroni*; teste ejus Vita Suetonio, cap. XLIV & LVI. *Octavianus Augustus* in Palatio *Latinam Græcamque Bibliothecam* ex Apollinis Tuscanici Colossi ære nobilissimo instituit & exornavit, ut idem Suetonius scribit cap. XXIX. *Tiberianæ Bibliothecæ* meminerunt Agellius, qui ea usus est, non uno loco, & Vopiscus in Probo. *Domitianus*, ut notat Suetonius in ejus Vita cap. XX, *Bibliothecas*, incendio absumtas, impensissime curavit reparari, Exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque. *Vlpius* quoque *Traianus* novas *Bibliothecas* exstruxit, ut auctor est Dion. Scribit Agellius lib. XI, cap. XVII, se in *Bibliotheca Templi Traiani* litteris operam dedisse. In *Vlpia Bibliotheca Libri Lintei* servabantur, teste Fl. Vopisco in Aureliano; & *Elephantini*, eodem scribente in Tacito. Mentio *Bibliothecæ Vlpiæ* ad Vopiscum in Probo; qui se depromtis ex ea *Libris* usum adserit. *Pacis* quoque *Bibliothecam* nominat Agellius. Præclara est illa Valentiniani, Valentis & Gratiani Constitutio ad Clearchum P. V. quæ exstat l. 2. C. Theodosiano, de Studijs Liberal. *Antiquarios ad Bibliothecæ Codices componendos, vel pro vetustate reparandos quatuor Græcos, & tres Latinos scribendi peritos legi jubemus: quibus de Caducis Popularibus (& ipsi enim videntur à populo) competentes impartiantur Annonæ, ad eiusdem Bibliothecæ custodiam conditionibus & requirendis & protinus adponendis.* Non neglexerunt egregiam illam Romanorum Imperatorum erga lectissimos *Libros* curam *Pontifices Maximi*. Epistola legitur Athanasij ceterorumque Ægypti Præsulum ad *Marcum*, Antistitem Romanum; qua Canones Concilij Niceni corrupti perditique ex *Romana* potissimum *Bibliotheca* repetuntur. *Gregorius* etiam *Magnus* Concilij Ephesini, ab Hæreticis depravati, verum purumque Exemplar Anastasio, Antiochiensium Episcopo, ex *Romana Bibliotheca* transmittere se scribit. Traditur *Hilarius Sardus* duas *Bibliothecas* reliquisse: *Zacharias Græcus Bibliothecam S. Petri* restituisse: *Nicolaus* V per universam fere Europam misisse Viros, in omni artium genere præstantissimos; qui Veterum Scriptorum libros conquirerent: promissis quinque Ducatorum millibus ei, qui Hebraicum D. Matthæi Apostoli Euangelium adferret. *Leo* X *Ioannem Lascarem* in Turciam misit; qui excussis omnibus ibi Bibliothecis *Romanam* valde ditavit.

Bibliothecæ.

Sufficiant hæc de utraque ROMA: qua versus Meridionaliora egresso, Magnum-

que

Ostia. que petenti Mare sese offert XXII ab Vrbe Lapide ad fauces vel Ostia (unde nomen) Tiberis Vetus Opidum *Ostia*. Sic Latinis omnibus, Ὤστια vero Græcis scribitur, quæ hodieque *Ostia* vulgo. In Tabula Itineraria *Hostis* legitur, auferendi, ut pleraque alia, casu, pro *Hostiis*. Conditor. Conditor ejus Ancus Marcius IV Romanorum Rex, uti memoriæ produnt Livius lib. I, Dionysius Halicarnass. in Antiq. Rom. Strabo, Florus lib. I. Plinius lib. III. nat. histor. cap. V. Pomponius Mela, alij. Sic meus Ennius lib. II Annalium, ubi de Rege, quem dixi:

Ostia munita est: Idem Loca navibus pulchris
Munda facit, Nautisque Mari quæsentibus Vitam

Qualis ab Ædificiis. Sumtuosissimis lapsu temporis instructam ædificijs, sed ab Saracenis miserum in modum convulsam restauravit Leo IV Pontifex Maximus; largitus eam Colonis aliquot ex Corsica transductis incolendam. Turrim ibi in propugnaculo excitavit Martinus V. Munitissimam postremo reddidit, qualemque nunc videmus, fecit Iulius II. ab Aere. Gravioris est cœli & pestilentis aeris. Constructa enim in Limo Tiberinis aquis inlato, ut Dionysius Halicarnass. notat: in ipso Maris Fluminisque Opera Publica. Continio, ut Florus loquitur. Videre est ibi ruinas & vestigia Portus, olim celeberrimi, ejusque Fundamenta ex ipso Mari eminentia. Fuisse perhibetur ex admirandis Operibus, quæ umquam Romani extruxerunt. Evertisse fertur Gregorius Pontifex, ne Saracenis ad ipsorum irruptiones esset receptaculum. *Ostiæ Castorum Ædem* fuisse, ibique sacrificari solitum Ventorum Marisque caussa, patet ex Ammiani libro XIX. Sacrum autem illud annuum fuisse, & *Majumam* post sæculo dictum, docet Sudas: Μαιουμᾶς, πανήγυρις ἤγετο ἐν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν Μαϊουμᾶ μῆνα, ἣν μεγάλην κατελάμβανον τότε τὴν λεγομένην Ὠστίαν, οἱ δὲ πρῶτοι τῆς πόλεως πλοῦτοι ἐβόωντο(?) ... ἐν ταῖς θαλαττίοις ὕδασιν, ἀλλήλους ἐμβαλλοντες. Respicit eo Æthicus in Cosmogr. *Tiberis Insulam facit inter Portum Vrbis & Ostiam Civitatem; ubi Populus Romanus cum Vrbis Præfecto vel Consule, Castorum celebrandorum caussa egreditur, solemnitate jucunda.* legendum *inter Portum Vrbis*, &c. de quo in Etruria. Meminerunt Ager. *Ostiæ* sæpe Prisci. Legendus & de ea Natalis Comes libro Historiar. X. Ager Pepones fert copiose; quorum, ut refert Capitolinus, Claudius Albinus Imperator uno prandio denos absumsisse scribitur. Via Ostiensis, inque ea Emporium, Alexandri Vicus, Pomonal, Ager Solonius. Ab *Ostia* via *Ostiensis*; qua inter Vrbem & *Ostiam* ipsam celebria fuerunt Loca. *Emporium* ad Tiberim, cujus meminit Livius lib. XXXV & XLI. *Alexandri Vicus* tertio ab Vrbe Lapide, de quo Ammianus lib. XVII. *Pomonal* in Agro Solonio ad duodecimum lapidem, apud Festum; *Ager Solonius* est apud Livium lib. VIII; Σολώνιον etiam habent Dionysius lib. II. & Plutarchus in Mario inter Vrbem & *Ostiam*: est & *Solonij* memoria apud M. Tullium ad Atticum lib. II: idem fortean cum *Selonio*, quem variante Scriptura nominant Ciceronis Codices I & II. de Divinat. ubi apud focum Angues nundinari solent. Sextum Philippi, Via Portuensis. *Sextum* denique Philippi, cujus in Territorio Romano inter *Ostiam* & Vrbem, ubi se Tiberis findit & Insulam facit, mentionem celebrat Æthicus. Adoni est *Via Portuensis*.

Ostijs relictis, reliqua Latij opida, quæ mari fere adsident, pervagabor; ordinem sequutus, qui apud Plinium lib. III, cap. V, Antoninum, & alios Geographos, Laurentum. quos inter se committam. Adlocat ille post Ostia littori *Laurentum*, ut etiam (quod post ex generali Schemate parebit) Strabo, cui Λαύρεντον, Pomponius Mela. Antoninus & Itineraria Tabula. Λαύρεντον scribit Isacius ad Lycophronem. *Laurentum Vrbs* Plinio vocatur libro II ad Gallum. Meminit & Silius lib. VIII:

Sacra manus Rutuli servant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent.

Hodie *S. Laurentij* memorat appellari Gabriel Barrius libro II Calabriæ. Ex Vrbe *Laurento* Publius & Marcus Indices prodeunt, apud Dionysium Halic. lib. V. Conditor. Conjurationis Inopum & Servorum. A Pico Aboriginum Rege conditum notat Servius ad lib. VII Æneidos, unde,

——*Laurentis Regia Pici.*

Situs. In Littore Maris fuisse docet Valerius Maximus, ubi scribit Scipionem & Lælium Caietæ & *Laurenti* Conchulas & Vmbilicos lectitasse. Idem non obscure colligitur ex Symmachi Epistola ad Filium, quæ ordine XV libro VII. Æneam hoc in loco primum consedisse auctor est Livius lib I. Adfirmat idem Strabo lib. V, scribens Æneam cum

cum Anchise Patre Filioque Ascanio in Italiam delatum *Laurenti* cepisse terram; deinde XXIV ab mari Stadiis opidum prope Ostiam conditum, *Lavinium* ab Lavinia Latini Filia nominasse. Inde *Populus Laurens* Ovidio libro VI Fastor. *Laurentes* Tabulæ marmoreæ, qui in Cubiculo Cardinalis Cæsij:

Populus Laurens.

M. CORNELI. PAL. VALERIAN
FLAMINI. PRÆTORI II. SACRA. VOLCANI
DECVRION. LAVRENTIVM. VICI. AVG. EIVS
PATRONO CORPORIS. LEMNIC. VIARIORVM
AVXILIARIORVM. OSTIENSIVM

Inde fortean & *Laurentina Via* Plinio in Epistolis libro II & Valerio Maximo libro VIII cap. V; *Laurentina Palus*, Virgilio: *Laurentinæ Paludes*, Paterculo; *Laurentina Silva*, Obsequenti & Symmacho: Quid si & *Laurentium*, Villa C. Plinij Secundi lib. I. Epist. ad Minutium Fundanum; quæ & *Laurens* eidem libro II ad Gallum. Non procul Laurentio *Lucus* fuit *Jovis Indigetis*, innuente Plinio; iuxta Numicium Amnem, de quo alibi.

Laurentina Via. Laurentina Palus. Laurentina Silva. Laurentium. Lucus Jovis Indigetis.

Laurento *Lavinium* subdunt Strabo & Peutingeriana Tabula: quin & Antoninus, apud quem tamen vitiose legitur *Lanuvium*, quod ibi locum habere non potest. Absurdum enim *Lanuvium* cogitanti petere Ostia & Laurentum. Nam *Lanuvium* in Mediterraneis erat, propius Viam Appiam inter Albanum Montem, Ariciam & Ardeam: *Lavinium* autem ad Mare, inter Ostia & Ardeam; in quam sententiam ivissent etiam Surita & Ortelius, si copiam habuissent Itinerariæ Tabulæ, quæ post edita. Quod *Lavinium* Latinis omnibus; Λαουίνιον dicitur Straboni: Λαβίνιον Stephano; Λαβινιον Appiano lib. I. & II belli Civilis. Ab Urbe distat ad decimum lapidem, Appiano, ad XII milliare Itinerariæ Tabulæ, recto itinere: nam quod per Ostia ducit, plurium est: ab Mari octo millibus separatur Servio: Certe haud procul inde fuisse, docemur ex Æneid. I & Metamorph. XV libro. *Lavinij Fanum* fuisse *Veneris*, Latinis omnibus commune, tradit Strabo lib. V. In *Lavinio*, ut scribit D. Augustinus de Civitate Dei lib. VII, cap. XXI *Liber* colebatur per totum mensem. Describunt ejus initia Nominisque caussam, præter Servium ad I Æneid. Dionysius Halic. lib. I, Virgilius lib. VII Æneid. Strabo lib. V, Varro lib. IV, de L. L. Isidorus lib. XV. cap. I. Nunc paucissima supersunt Urbis in monticulo vestigia. Hodie *Lavinia*, ut auctor est Philippus Pegafetta: vel, ut Celsus Cittadinus Anglerius, *Civita Lavina*. *Lavinium* cum *Laurento* confundit Servius ad illa I Æneidos,

Lavinium. Distantia eius ab Urbe. ab Mari; Fanum Veneris. Liberi Cultus: Initia & appellatio: Nomen hodiernum: An idem cum Laurento,

——— *Lavinaque venit Litora.*

Hæc Civitas, inquit, *tria habuit nomina. Nam prius Lavinium dicta est, à Lavino Latini Fratre; postea Laurentum ab Lauro inventa à Latino, dum adepto imperio post Fratris mortem Civitatem augeret; postea Lavinium, à Lavinia uxore Æneæ:* qui eadem habet paullo sequius ad illa VII Æneidos,

Nec Prænestinæ fundator defuit arcis;

Laurentum, ait inter alia, *à Pico factum est, ut Laurentis Regia Pici. Item à Lavino Latini Fratre est Lavinium dictum: idem à Latino Laurentum, item à Lavinia, Laurolavinium.* *Lavinium* idem cum *Laurolavinio* esse, facile mihi persuadeo; sed idem esse cum *Laurento*, nondum possum. Servius *Laurolavinium* alibi sæpe nominat pro *Lavinio*, diserte ad illud VII Æneid.

an eum Laurolavinio.

Laurus erat tecti medio in penetralibus altis;

Latinus, inquit, *post mortem Lavini Fratris quum Lavinium amplificaret, ab inventa Lauro Laurolavinium appellavit.* *Laurolavinium* Frontino Colonia est. Quemadmodum autem *Lavinas* forte ab *Lavino* vel *Lavinio*, sic ab *Laurolavinio*, *Laurens-Lavinas*. Sic urna depositoria oblonga Romæ, ante ædiculam Divi Nicolai, recto Cæsarinos:

M. VA.

M. VALERIVS
ACHILLEVS. LI
CTOR. PROXIMVS
LAVRENS. LAVINAS
AGENS. ANNVM. ÆTA
TIS. LXV. VIVVS. MIHI
COMPARAVI. ET. POSVI

Sic in Lapide, qui Feltriæ, ad Cathedrale Templum:

C. FIRMIO. C. F.
MENEN. RVFINO
EQ. PVB. LAVREN. LAV
DEC. FLAMIN. PATRONO
COLLEGIORVM. FABR
CENT. DENDR. FELTRIÆ
ITEM. QVE. BERVENS
COLLEG
FABR. ALTINATIVM
PATRONO

Iam aliud esse *Laurentum*, aliud *Lavinium*, satis paret, ut dixi, ex Strabone, Antonino (quamquam apud eum corrupte *Lanuvium* sic scriptum, pro *Lavinio*) & Itineraria Tabula, utrumque nullo fere intervallo nominantibus. Adfirmat etiam, ut paullo ante scripsi, Strabo, Æneam in Italiam delatum *Laurenti* terram cepisse, deinde XXIV ab mari stadijs *Lavinium* condidisse, dictum ab *Lavinia* Latini filia. Livius etiam & alij non semel, de *Lavinio*, & *Laurento*, atque etiam, ut hoc addam, *Lanuvio* tamquam diversis opidis, loquuntur. Sic Ovidius lib. VI Fastorum:

Et Populus Laurens, Laviniumque meum.

Ardea. Sequitur apud Plinium *Ardea*. Sic Latinis, sicque, Ἄρδεα, Ptolemæo & Stephano, quæ Ἀρδεα Straboni. Quondam Rutulorum Vrbs, ut Livius & Orosius tradunt. Meminerunt omnes ævi veteris Scriptores. *Troiam* quomdam dictam, refert Stephanus: *Danni Vrbem* appellat Virgilius X Æneidos. Conditam ab *Danae*, Persei Matre, testatur post Virgilium Plinius lib. III nat. Hist. cap. V, ab uno ex Vlyssis & Circes filijs, ex Xenagora Dionysius. Nomen inditum ab *Ardea* Avis augurio, canit Virgilius libro VII:

Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur Vrbem
Acrisioneis Danae fundasse Colonis,
Præcipiti delata Noto: locus Ardea quomdam
Dictus avis, & nunc magnum manet Ardea nomen.

Virgilij sententiæ subscribunt Servius & Higinus. Consulenda & Ovidij Metamorphosis. Alijs placet dictam Vrbem ab *Ardore*, vel *Æstus* hoc loco vehementia. Innuere putatur hoc Martialis:

Ardea solstitio Pæstanaque rura petantur,
Quique Cleonæo sidere fervet ager.

Distantia ab aliis locis. Colonia Romana. Rex genda. Ab Mari ɪɔ cc Stadijs, ut Strabo tradit, dissita; ab Vrbe CLX, eodem notante, vel XVIII miliario, Eutropio signante, posita. Livius etiam inter *Colonias Romanas* numerat, quæ bello Punico Romanis auxilia denegarunt. Obsessam olim ab Tarquinio Superbo VII Romanorum Rege, scribunt Livius, Dionysius, alij. Picturas *Ardeatis Templi*, earumque auctorem *M. Ludium* celebrat Plinius lib. XXXV, cap. X, alijsque locis. Nunc in ditione est Columniæ gentis. Nonnulli scribunt *Ardeæ* nomen retinere. In ejus agro Fontes sunt putidi, sulphureis aquis, teste Boccatio.

Picturæ in. Columnæ nunc ditionis. Ager.

Post

Aphrodisium, Antium, unde dictum,

Post *Ardeam* erat *Aphrodisium*, cuius mentio apud Strabonem, Plinium Melam. Pandit se mox *Antium*. Sic plerique Latinis Scriptoribus nominatur: Græcis Ἄντιον: Ἄνθεια autem & Ἄνθιον Stephano, quæ nunc *Cabo d' Antio, Caput Anty*. Vocatum sic ab *Ancio*, uno ex Vlyssis & Circes Filiis, notat ex Xenagora Dionysius lib. I. Alij putant sic dictum, quod ante alias Vrbes in ipso littore fuerit sita. *Colonia Romanorum* Livio lib. VIII. Tacito lib. XV. Appiano Alexandrino lib. I. Plinio lib. III. cap. V. alijs. Sic COL. ANTIAT. LEG. IIII. ITALICA est in Nummo Neronis, apud Hubertum Goltzium in Thesauro. Diei itinere distare ab Vrbe scribit Procopius, cui Antium in Samnitibus locatur: CCLX. Stadiis ab Ostia, Strabo. Celeberrimum ibi habuisse *Fortunam* Templum, memorat lib. III. Annalium Tacitus. Innuit & Horatius lib. I. Odarum:

Colonia, Romana. Distantia ab alijs locis, Templum Fortunæ,

O Diva, gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

& Castoris Pollucisque, Res gestæ,

Ibidem etiam in medio foro *Castoris Pollucisque* fuisse Templum lego apud Dionysium. *Anty*, Vrbe Volscorum, exulasse Marcium Coriolanum, scribit idem libro VIII. Ab T. Quinctio Cos. deditione captum, partemque agri eius adtributam Populo Romano, refert idem lib. IX. Instauravit *Antium* Claudius Nero Imp. Colonis impositis, Portuque facto operis sumtuosissimi, teste Suetonio cap IX. Eius stupenda hodie visuntur rudera. Navium, quibus *Antiates* bello fuerant usi, Rostra, ab Romano Victore in foro fixa, nomen fecerunt Loco ex quo Conciones haberi solitæ ad Populum. Legendi Livius & alij. Narrat Philostratus de Vita Apollonij lib. VIII. volumẽ *Anty*, Oppido Italiæ maritimo, adservatum, quo Phythagoræ quædam dogmata dicebantur perscripta; eaque de causa celebre fuisse Vrbi nomen. Neroni ex Poppæa Coniuge natam ibi Filiam, Augustamque dictam, ait Tacitus lib. XV. *Antij* hodie nihil exstare præter ruinas, sed in eius vestigiis *Neptunium* nunc ædificatum, censent Volaterranus, Blondus, & Ciofanus. Memorat idem Blondus iuxta littus multas ædificiorum ruinas in Silvis adparere, loquentes ipsa re priscam Vrbis amplitudinem. Silvæ, quas dixi, Aprorum, Capreolorum, Leporũ Venationi sunt aptæ. Fuisse quomdam ibi *Lucum Iovis Indigetis*, colligitur ex Plinio. Frequens *Antij*, *Antiatum*que mentio apud Veteres.

Hodie Neptunium, Lucus Iovis Indigetis, Astura,

Locatur post *Antium Astura*; Plinio quidem Flumen cum Insula cognomine, Tabulæ vero Itinerariæ, si recte video, Opidum, quod forte fuit vel ad Flumen in Continente, vel in Insula. De *Astura Fluvio* dixi supra. *Asturæ*, ut Opidi Fluviique, meminit, præter M. Tullium ad Atticum, Servius ad finem VII Æneidos: *Haud longe à Terracina Opidum est Astura, & eius cognomine Fluvius.* Ἄστυρα forte Stephano, cui illa χώρα Ἰταλίας. Locus hic memorabilis cum indignissima M. Tullij Ciceronis, Antonium fugientis, cæde, ut Livius, Plutarchus, alijque monimentis produnt; tum Corradini fato Henrici F. Friderici II. Imperat. N. quem Karolus Eculismensis, Primus Siciliæ Rex, securi percussit. Quod *Asturam* quidam censent Κλώστρα Ptolemæo vocari, falluntur. Nam *Astura* & *Clostra Romana*, interjecto Nymphæo Flumine, sunt apud Plinium. In Tabula quoque Itineraria *Astura* & *Clostra* intervallum habent IX. millium Passuum.

Res gestæ, an eadem cum Clostra. Circæum,

Clostris succedit apud Plinium *Circæum* Promontorium, de quo antea. Fuit in eo quomdam (quod hoc loco monendum) Opidum, auctore Servio, Sacellumque Circes, & Minervæ Ara. Κιρκαῖον dicitur Straboni *Circeii* Pomponio Melæ Tabulæque Itinerariæ. Locat & in eodem Promontorio *Circæum*, parvam Civitatem Ptolemæus, Tarquinii Superbi Coloniam. Strabonis ætate Poculum ibi ostendebatur, quo bibisse dicebatur Vlysses. Opidi sensim conlapsi loco munitissima Arx condita, tutum Antiquis Pontificibus ab Tyrannorum sævitia refugium. Videndus Blondus in Historia Gelasij II. Pontificis. In radicibus Montis Circæi Castellum est *Sancta Felicitas*, memoria Celestini II. Pontificis clarum, uti notant Petracha & Platina.

Poculum Vlyssis, Arx. Sancta Felicitas.

Interius ab ora *Pometini* erant *Campi*, cum Vrbe *Pometia*: cuius meminerunt Plinius libro III. nat. cap. V. & Virgilius libro V. Æneidos. *Coloniam Latinam* vocat

Pometia.

Colonia, Latina. *Pometiam* Livius lib.II. Ab ea *Pometinenses* apud Nonium Marcellum. Vide, quæ dicam in Campania, ubi de *Suessa Pometia*.

Terracina. Post Paludem Pomtinam, Fluviumque Vfentem, de quibus suo loco, ponitur ab eodem Plinio *Taracina*, vel ut aliis exemplaribus & apud Tacitum lib. XIX. & XX. Solinum in Polylustore, Procopium lib. I. Spartianum in Hadriano, Pomponium Melam, & alios, geminata canina scribitur, *Tarracina*: Ταῤῥακίνα, Straboni: Ταῤῥακῖναι, Ptolemæo: Ταῤῥακίνη, Stephano: *Terracina* per E, apud Antoninum & in Tabula Itineraria. Olim Τραχίνη, ut scribit Strabo. In aspero namque & saxoso Monte fuit locata. *Trachas* etiam vocatur Ovidio lib. XV. Metamorph. Volscorum (quorum erat caput in Latio, teste Diodoro) Lingua *Anxur* appellabatur, ut notant Plinius & Sex. Pompeius Festus, cuius hæc Verba: *Anxur vocabatur, qua nunc Tarracina dicitur, Volsæ gentis, sicut ait Ennius:*

Volsculi perdidit Anxur.

Memorat eo nomine, præter Lucanum, Silium, Martialem, & alios, Livius lib. VIII. inter Colonias numerans. *Axur* sine N legitur in Numismate C. Vibij Pansæ. *Tarracina* nomenclaturam hodie retinet, loco nonnihil mutato. Olim enim in Monticulo sita fuit, Mari circumfuso, ut legere est apud Solinum. Ad Situm pertinent
Situs. Poëtarum Veterum quædam: Lucani lib. III.

Iamque & præcipites superaverat Anxuris Arces:

Horatij libro I. Sat. V.

Millia tum pransi tria repimus atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur:

Martialis ad Faustinam libro X.

O Nemus, o Fontes, solidumque madentis arenæ
Littus, & æquoreis splendidus Anxur aquis:

Item post ad Frontinum:

Anxuris æquorei placidos, Frontine, recessus:

Silij libro VIII. de bello Punico:

Quis Circæa iuga & scopulosi verticis Anxur?

Qualitas, Distantia ab Vrbe, Muri, Dij. Sic Livius libro IV. ab V. C. *Anxur fuit, qua nunc Tarracinæ sunt, Vrbs prona in paludes.* Opidum est exiguum, sed frequens & honestum. Quinquagesimo milliari ab Vrbe locatur apud Appianum lib. III. bel. Ciuil. Muri ex quadrato silice absque cemento facti. *Iovem* ibi cultum olim, patet ex Virgilij lib. VII. Æneidos, cui *Iuppiter* cognominatur *Anxurus*. Videndus Servius. Adfecti hic Martyrio Fœlix Martyres, Episcopatus. Præsbyter & Eusebius Monarchus, Claudij Imperatoris iussu. Episcopatus gaudet dignitate. Portum Tarracinensem ab Antonino refectum prodit Spartianus. Extra Vrbis hodie mœnia Theatrum visitur forma quadrata. Ab Servilio Hala olim Theatrum Res gestæ. obsessa & direpta, auctore Livio lib. IV. qui etiam lib. VIII. scribit, Militum manum in Montis angustiis, ad Lautulas non procul Anxure, contendisse: dein lib. IX. pugnatum ibi: post lib. XXVI. sub Asdrubalis in Italiam aduentum immunitate donatam: insuper alibi lib. XXVII. Angues immensæ magnitudinis, Piscium modo, iuxta Portum *Tarracinæ* conludere visos memorat. Narrat Suetonius in Tiberio cap. XXXIX. Tiberium Jmperatorem, in Prætorio prope *Tarracinam* cœnantem, ægre repentinum saxorum lapsum, quo multi Amicorum eius & Familiarium attriti sunt, effugisse: qua de re adeundus etiam Tacitus lib. III. Annalium. Apud hoc etiam opidum Tiberio Imperante XX. millia hominum Theatri ruina sunt oppressa. *Tarracinæ* cæsus scribitur apud Spartianum Palmarius Consul, quod cædem in Hadrianum Ager Imper. esset molitus. *Tarracinensis Ager* fœcundissimus est & amœnissimus Vitibus, Aurantijs, Citris, Limonibus, aliisque id genus arboribus abundans.

Feronia. Tertio milliario ab *Tarracina*, ut Commentator Horatianus indicat, Vrbs erat *Feronia*, cuius meminerunt Tacitus & Virgilius: Hic quidem VII. Æneidos: ille vero lib. III. Historiarum, *Iisdem*, inquit, *diebus L. Vitellius positis apud Feroniam castris excidio Tarracinæ imminebat. Feronia Lacus* est Vibio, iuxta Tarracinam: *Feronia Lympha* apud Horatium, tribus milliaribus ab Anxure. *Feroniæ Fons* Virgilio lib. VII. & Dionysio Halicarnass. lib. III. *Feroniæ* Templum spoliat apud Livium lib. XXVIII.
Templum. Hannibal, Karthaginiensium Dux: de quo & Silius Italicus lib. VIII.

Optato lætis abitu iubet ires in agros,
Dives ubi ante omnes colitur Feronia luco,
Et sacer humectat fluvialia rura Capenas.
Fama est intactas longævi ab origine Fauni
Crevisse in medium, congestis undique donis,
Immensum per tempus opes, lustrisque relictum
Innumeris aurum solo servante Pavore:
Hac avidas mentes & barbara corda rapina
Polluit, atque armat contemtu pectora Divum.

Olim hac in ora fuit antiquissima Vrbs *Longula*, Volscorum, Livio nota; Λογγύλα Halicarnassæo: cuius hac ætate vestigium nullum. Inde *Longulani* Plinio. Vltima Civitatis Porta ultra Tarracinam in Appia reperitur, inter altissimam rupem & Mare, loco perangusto munitoque. Longula.

Sequuntur apud Plinium Tarracinam *Amyclæ*. De ijs Virgilius lib. x. Æneidos: Amyclæ.

——— *Tacitis regnavit Amyclis:*

ubi Servius, *Inter Cajetam*, inquit, *& Tarracinam opidum constitutum est à Laconibus, qui Comites Castoris & Pollucis fuerunt; & ab Amyclis, Provinciæ Civitate, est ei nomen inditum. Lacones itaque isti quum secundum Pythagoream sectam à cæde omnium animalium abstinerent (unde Iuvenalis, A cunctis Animalibus Abstinuit) quumque, tamquam homines ex vicinis paludibus natas serpentes occidere nefas putarent, ab iisdem interemti sunt.* (videndus est Plinius lib. III. cap. v.) *Vnde Amyclas tacitas dicit, id est, Pythagoreas. Nam Pythagorica Virtus est Quinquennale Silentium.* Ab *Amyclis Amyclanum Mare* Tacito lib. IV. Annal.

Post *Amyclas* apud Plinium est *Spelunca* de ea Tacitus loca à me indicato: *Vescebatur in Villa, cui vocabulum Speluncæ, Mare Amyclanum inter Fundanosque Montes.* Mare illud hodieque *Il Mare de Spelunga* audit. Σπηλαίων etiam hoc loco meminit Strabo lib. v. Spelunca.

Speluncæ sufficit Plinius *Lacum Fundanum*. de eo alibi. Dictus autem ab opido, quod *Fundi* Pomponio Melæ, Antonino & Tabulæ Itinerariæ, Φουνδοι, Straboni: Φοῦνδα Stephano: Apud Frontinum *Colonia* est *Romana*. *Fondi* hodie. *Fundanorum* meminit Livius cum alibi tum lib. VIII. *Fundanum Vinum* celebrat, cum Strabone & Martiale, Plinius lib. XIIII. nat. hist. cap. VI. Opidum hodie parvum, sed situ iucundum, ad Appiam Viam in planicie positum, satis commode habitatum. Donavit sub *Ducatus* Titulo Ferdinandus Aragonum & Neapolis Rex, ob fidelem operam, Prospero Columnæ. Ingentem calamitatem intulit anno CIↃ IↃ XXXIV. Archipirata Caradinus Barbarossa, Classis Solimanni Turcarum Imperatoris Præfectus: abducere conatus frustra Iuliam Gonzagam, Vespasiani Columnæ, Prosperi Filij, Viduam, eidem Solimanno ob formæ præstantiam dono obterendam. Ortus hac Vrbe *Soter*, Pontifex Maximus, qui suo incommodo, Imperatore Commodo, Ecclesiam ibi novem annos feliciter gubernavit. Fundi. Qualitas & Situs. Ducatus. Calamitas. Clari Viri.

Lacui Fundano subditur apud Plinium *Caieta*: Καιάττα Straboni. Hodie *Gaietta* vocatur. Αἰήτη quomdam, teste Diodoro. Λάμος etiam Homero, Ovidio, Sudæ: Læstrigonum facientibus Vrbem: ab *Lamo*, cuius ibi fuit Imperium. *Caietæ* Typus est in Tabula Itineraria, non adscripto nomine. Opidum cum suo Promontorio (de quo cap. VI. ubi & Etymon indicatur) est quasi Peninsula: ad Septemtrionem tantum continenti per Isthmum angustiorem adnectitur: reliquum marinis fere aquis cingitur. Vrbs est munita cum primis: Arcem habens invictissimam, cum Turri altissima, summo in Monte, quem superioribus annis, Gallis profligatis, muro cinxit Ferdinandus, Aragonum & Neapolitanorum Monarcha, *Caietæ* Situm, Locique eius naturam describit his verbis B. Facius libro Histor. IIII. *Mons est*, ait, *propemodum excisus & præruptus undique: tribus enim fere partibus mari adluitur: reliquam partem, qua est Cajetam aditus, Mons alter excelsior ac circumquaque proclivis communit. Hac quoque pars muro cincta est, eam plurimum incolunt Agrorum cultores, atque infimæ sortis homines: Murus intertius ductus hunc montem ab Vrbe dividit. In eo Turris sita est, quam Susinam appellant, iuxta D. Iuliani ædem*, &c. Sinus ad Urbem *Caietanus* audit, apud Strabonem. Portum ibi fuisse celeberrimum, amplissime ab Antonino Pio refectum, refert Spartianus. Hodie nullus est. Domus habet Caieta. Qualitas. Situs. Sinus. Portus.

altissimas perangustis divisas plateis: Porticusque perpetuas & Labyrinthos. Muri Domorum sunt tenues: sed firmissimi propter calcem & bitumen. In Monte meridiem versus Templum est *S. Trinitatis*: post quod descensus est in Sacellum *S. Crucis*, in Petra, terræmotu scissa, ædificatum. In Summo Templo multa monstrantur Donaria & Ornamenta. Inter ea Crater ingens, Formijs adlatus, Cadorum pluriũ capax; ex Saxo Pario candidissimo cavatus: quo nunc Sacerdotes utuntur pro Sacri Baptismatis Lavacro. Auctorem loquitur Græca Inscriptio:

ΣΑΛΠΙΩΝ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ
ΕΠΟΙΗΣΕ.

Episcopatus. Clari Viri. loco x. Calamitates. Suburbium. Ager. Scauri Fundus.

Sepultus ibi in Templo Arcis Dux Borbonius, ad Romam globo bellico ictus. Episcopus Vrbi datus legitur ob Formias ab Saracenis excisas. Inlustrarunt eam *Gelasius* II. P. M. & *Thomas Vionius*, Cardinalis, Scriptis clarus. Pulcherrimas habet Mulieres. Magnis Cladibus adfecta legitur ab Gallis. Earum maxima incidit in annum CIↃ CCC XCIV. Suburbium ipsi oblongum, iuxta littus protensum. *Scauri Fundum*, Agri Cajetani, donasse Xystum III. Ecclesiæ S. Mariæ Maioris, scribit Platina. *Porto Isauro* hodie vulgo dici putat apud Abrahamum Ortelium in Thesauro Geographico Philippus Winghius; quem idem Ortelius scribere notat, ostendi eius reliquias ad mare euntibus Gaieta Minturnas, parte dextra.

Formia. olim Hormia. unde dicta.

Caieta Formias sublocat Plinius. Sic etiam dictæ Ciceroni, Tacito, Pomponio Melæ, & Antonino: Frontino item, cui Colonia est Romana; Straboni Φορμίαι: quæ Φόρμαι Ptolemæo: *Formiæ*, Tabulæ Itinerariæ. *Hormias* olim dictas docent Strabo, Plinius, alij: sive ab frequentia bonitateque Stationum, ut Festo placet, quas ὅρμας Græci vocant: sive ab impetu Læstrigonum, quos humana carne victitasse scribit Plinius: vel denique ab *Hormo* Amne, illic præterlabente.

Variæ appellationes.

Mamurrarum Vrbem appellat Horatius, ut putat Vetus eius Commentator. Originem inde traxit *Mamurrana Gens* Romæ, qua natus *Mamurra* is, quem Carminibus suis proscindit Catullus. Læstrigonum quomdam fuit Sedes, scribentibus Plinio, Solino, Symmacho; unde *Læstrigoniam* vocat Cicero ad Atticum: *Domus Antiphatæ* nominatur Silio libro VIII. *Antiphates* enim, Læstrigonum Rex, olim ibi imperasse perhibetur.

Distantia ab alijs locis.

Λακωνικὸν κτίσμα dicitur Straboni. Distabant ab Caieta *Formiæ* Stadia XL. ut Strabo notat. Ante ingressum inter sentes & spineta ruinæ adparent Sepulcrorum Veterum.

Municipium, Præfectura.

Debellatis Campanis Romani in Præfecturæ formam *Formias* reduxerunt; quum prius tamen municipium fuisset, atque Civitatis Jus cum Suffragij latione obtinuisset, uti docet Livius lib. XXXIIX. Bello demum Civili, ut Frontinus auctor est, ab III-Viris C. Julio Cæsare Octaviano, M. Antonio & M. Aimilio Lepido inter Colonias Jtaliæ militares *Formiæ* fuerunt redactæ.

Colonia.

Ab eo tempore sub Impp. semper propter cæli temperiem floruisse, constat ex Horatio, Martiale, alijsque Scriptoribus.

Res gestæ. Episcopatus eius.

Excisæ memorantur ab Saracenis anno IↃCCCLVI, qua tempestate Episcopatum inde Cajetam transtulit, cum reliquiis Erasini Martyris, Gregorius IV. P. M. Legendus Blondus. Adscribam elegans *Formiarum* Encomium, quod apud Martialem libro X. Epigrammat. in quo plura Jtaliæ loca nominantur:

O temperatæ dulce Formiæ *littus:*
Vos, quum severi fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas
Apollinaris, omnibus locis præfert.
Non ille sanctæ dulce Tibur uxoris,
Nec Tusculanos, Algidosve secessus,
Præneste nec sic, Antiumve miratur:
Non blanda Circe, Dardanisve Cajeta
Desiderantur: nec Marica, nec Liris,
Nec in Lucrina lota Salmacis vena:
Hic summa leni stringitur Thetis vento:

Nec

Nec languet Aequor: vera sed quies Ponti
Pictam Phaselon adjuvante fert aura.

& quæ sequuntur. *Formianorum* mentionem facit Basis Statuæ, litera absolutissima, quam, teste Martino Smetio, vidit & exscripsit Molæ Dionysius Harduinus:

IMP. CÆSARI. DIVI
HADRIANI. FILIO. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. NEP
DIVI. NERVÆ. PRONEPOTI
T. ÆLIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO. PONT.
MAX. TRIB. POT. XI. COS. IIII. P. P.
FORMIANI. PVBLICE

Formianos Colles novit Horatius; *Formianum Montem*, Livius lib. xxxix. *Vinum Formianum* optimis adnumerat idem Horatius. *Formianum*, villa Ciceronis in *Formianorum* Agro, cujus frequens in Epistolis ad Atticum mentio: Hodie vulgo *Ciceron*. Formianum, Villa Ciceroniana.
Jn eo tradit magnus Scriptor Lælium semper fere cum Scipione rusticari solitum: eosque, quoties huc ex Vrbe, tamquam è vinculis, evolavissent, incredibiliter repuerascere solitos. Locus est peramœnus & perjucundus: hortis undique cultissimis consitus: in quo & veterum marmorum, & Ædificiorum, operumque amplissimorum vestigia passim videre licet.

Jnter Cajetam & Formias *Itrum* est Castellum, & *Mola*. *Itrum* amœnis in collibus, Itrum. qui oleis, vitibus, ficubus, aliisque fructiferis arboribus convestiti, conspicitur longe inter Montes extensum; morte inclutum Hippolyti Medicis Florentini, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis. Blondus magno errore *Lamuras* vocat, Horatij versum perperam legens & intellegens. *Itri* meminit Pomponius Sabinus. Olim *Atrium* dictum ait Scipio Mazzella. Hodie *Itro Castello*.

Jtro *Mola* distat P. M. v. via amœnissima, Hortis obsita, qui Citris, Limonibus, Mola. aliisque arboribus gravidi. Putant nonnulli *Molam* ex *Formiarum* ruinis crevisse: dictam ab *Molarum* frequentia: quas hic ex Montium radicibus profluentes continuo Aquæ versant: unde apud Tullium *Molæ Formianæ*. Longus & perelegans est Vicus ad Viam Appiam.

Post Formias ponuntur apud Plinium *Pyræ*: alijs *Pylæ* scribuntur. Pyræ.

Pylis (si quidem sic emendandum) succedunt apud eumdem *Minturnæ*: sic Tacito, Plinio, Melæ, Antonino; Μιντοῦρναι Straboni vocantur; quæ Μίντυρνα Stephano, Minturnæ. *Menturnæ* in Tabula Itineraria. Hodie *Traietto*, ut censent docti Viri. Alij aliter opinantur. Nardo *Castro al Mar* putatur: Sanfelicio, *La Scafa del Garigliano*. Sane hodie forte ad *Traiectum* Antiquæ, quæcumque tandem habenda, Urbis vestigia conspiciun- Traiectum. tur: inter alia Theatrum propemodum integrum: & sumtuosissimus Aquæductus. Castellum. Liris opidum medium olim interluebat, ut Plinius & Strabo volunt: hodie paullo Situs. sequior est situs. *Traiectus* in colle est: *Minturnæ* in Valle erant, sive planicie; quod ex Theatri & Aquæductuum, quorum memini, reliquiis est palam. Ex *Minturnarum ruinis Trajectum* esse ædificatum, scribit etiam ad Ortelium Celsus Cittadinus. *Coloniam Populi Romani Minturnas* ad Ostium Liris factam Livius auctor est libro x. Colonia. addens Jmmunitatem accepisse ob cœli gravitatem & vitium. Concilium *Min-* Resgestæ. *turnis* generale Marcellinus Pontifex Maximus anno ccxcvii. habuisse legitur. Juxta *Minturnas* Saracenos ab Christianis gravi pugna, cui Joannes x. P. M. & Albericius Tusciæ Marchio interfuerunt, victos & profligatos fuisse, Italiaque pulsos, memoriæ tradunt Blondus & Platina: exceptis Profugorum è prælio reliquijs, quæ Garganum Montē occuparunt; in quo se diu postea tenuerunt, prædationibus & piratica vitam sustentantes. *Castrum Traiecti* non ita pridem Prospero Columnæ cum ducatus Titulo donavit Ferdinandus, Aragonum Rex & Neapolitanorum. *Minturnense Flumen*, quod censendum, vide supra, ubi de Liri. *Minturnensem Paludem* habet Seneca Declamatione iii. inde *Minturnæ, Palustres* Horatio lib. i. Epist. Ducatus. v. In propinquis *Minturnensium Paludibus* Marium latitasse, quum inimicorum arma

fugeret,

fugeret, memorant Livius lib. LXXVII. Plutarchus in eius Vita, Lucanus lib. II. Iuvenalis Satyra X. Valerius Maximus lib. VIII. alij.

Speninum. Frusa. Pons Corvi. olim Fregellæ. Tertio dein lapide iuxta ripam Liris *Speninum* est opidum: inde octavo *Frusa*: hinc totidem *Pons Corvi*, *Ponte Corvo*: *Fregellæ* quomdam, uti volunt Sigonius & Leander. Aldus in sua Orthographia putat ex *Fregellarum* reliquiis *Ceperanum* opidulum esse exstructum. Sunt, inter quos Ambrosius Leo, qui fuisse volunt, ubi nunc *Arcispaldo*. φρεγέλλαι dicuntur Straboni, cuius ævo vicus erat; olim Urbs nobilis ad Lirim Fluvium, teste Livio libro. XXVI. Φρέγελλα Stephano, *Fregellanum* Antonino: *Fregellani*, Plinio. Colonia, Regnum. *Coloniam* factam docet Livius libro VIII. *Fregellas* ob defectionem semel atque iterum dirutas ab Romanis, scribit idem lib. X & LX. De iis Silius lib. V.

——Huc tristes misere Fregellæ.

Et alibi lib. XII.

Et quæ fumanti texere gigante Fregellæ.

Inclutæ sunt *M. Sextilii Fregellani* responso, Senatui Romano pro XIIX. Coloniis Bello Punico II. dato, de quo Livius. Clar. Vir. Hinc *Fregella*, locus in Urbe, teste Festo, ab *Fregellanis* forte habitus, vel *Fregellanorum Statio*; ut *Græcostasis*, *Græcorum*; *Ficilia*, *Ficuleatum*.

Sinuessa. Extremum *Latij* facit Plinius *Sinuessam*: de qua dicendum in Campania.

Hæc de Ora *Latij* maritima, deque quibusdam citra Lirim locis: anteaquam ad Mediterraneorum enarrationem veniam, committere inter se obiter decrevi Auctores, qui ordine quodam Littorales *Latij* Urbes commemorant: præpositurus Plinium, cum quod plenior ille ceteris, tum quod notatum ab ipso ordinem in superioribus præcipue fuerim sequutus.

Auctorum, Littoralia Latij describentium, ordo & comparatio.

Plinius	Strabo	Ptolemæus	Pom. Mela	Antoninus	Itineraria Tab.	Vulg. Nomencl.
Ostia Colonia,	Ὤστια	Ὤστια	*Ostia,*	*Ab Urbe Ostiã, M. P.* XVI	*Hostis,* XVI	*Hostia,*
Laurentum,	Λαυρεντον	.....	*Laurentum*	*Laurentum,* X	*Laurento,* XVI	....
....	Λαουίνιον,	.....	.....	*Lanurium: Legendum Laviniũ.* XVI	*Lavinium,* VI	....
Lucus Iovis Indigetis.	......	......	.....		....	Exstant Reliquiæ prope *Fusanum*, locisque Vicinioribus,
Amnis Numicius,	......	.....	.....	....	....	*Rivo,*
Ardea,	Ἀρδέα	......	*Ardea,*	....	....	*Ardea* nomen hodie retinere scribũt quidã *S. Angelasis.*
Aphrodisium,	Ἀφροδίσιον	.....	*Aphrodisiũ*	....	....	
Antium,	Ἄντιον	Ἄντιον	*Antium,*	....	*Antium* extra Viã ponitur,	*Neptunium*, alias *Calo d' Antio.*
Astura flumen & Insula.	Στόρας ποταμ.	......	.....	....	*Astura,* XVII	*Stora,*
Fluvius Nymphæus,	....	.....	.....	....	....	*Paulo Fiume.*
Clostra Rom.	....	Κλάστρα.	.....	....	*Clostris* IX	....
....	......	.....	.....	....	*Ad Turres Albas* III	....
Circei,	Κιρκαῖον	Κιρκαῖον ἄκρα,	*Circeii,*	....	*Circeios,* XXI	*Monte Circello,*
					Ad Turres IV	....
					....	....
Palus Pomtina. Fl. Ufens	..... Αὔφιδος ποταμ.	....:	....	.... Idẽ alio loco	....	*Ausente.*
Taracina vel Anxur,	Ταῤῥακίνα,	Ταῤῥακίνα	*Taracina,*	*Tarracina,*	*Terracina,* XI	*Tarracina,*

Amicla	......	.....	.....	....	....	Prope *Caluzam*,
Spelunca,	Σπήλαια,	.....	.....	....	....	*Sperlunga* Pineto,
Lacus Fundanus,	Φοῦνδοι,	.....	*Fundi*,	*Fundos* XVI	*Fundis*, XIII	*Fondi*.
Caieta,	Καιάτα,	.....	.....	....	....	*Caieta*,
.....	.....	.....	.....	....	....	*Itro Castello*.
......	......	.....	.....	....	....	
Formia,	Φορμίαι	Φόρμιαι,	*Formia*,	*Formias* XIII	*Formis* VIIII	*Mola*, quæ dicitur ex *Formiarum* reliquiis crevisse.
Pyra alij legunt *Pyla*,	....	.....	.....	....	....	....
Minturna,	Μιντοῦρναι	.....	*Minturna*	*Minturnas* IX	*Menturnis*	*Traietto Castello*.
......	.....		*Liris*,	....	....	*Garigliano*.
Sinuessa, extremum *Latij*.	Σινόεσσα,	......	*Sinuessa*,	*Sinuessam* IX	*Sinuessa* IX	vide Campaniam,

Mediterranea *Latij* loca perlustranti offert se XII. Roma lapide, Orientem versus *Marinum*, Columnarum Ditionis opidum, in colle situm. Fuit ibi quomdam, ut nonnulli censent, *Mariana Villa*, quæ tamen alijs *Castrum*, quod vernacule *Zagarola*. *Marinum*,

Marino P. M. VIII. antiqua Civitas in Tumulo *Velitra*: sic Livio passim & Suetonio in Octaviani Vita cap. I. atque LXXIV. dicitur Urbs: Οὐελίτραι Straboni lib. V. & Ptolemæo: Οὐαιλίτραι Dioni lib. XLV. Βέλιτρα Stephano: quæ vulgo *Belitre*: vel, ut alij scribunt, *Belletri*. Opidum vetustissimum Volscorum, in quo tamen pauca Antiquitatum nunc visuntur vestigia: alioquin amplum & populo satis frequens, Episcopatus fulgens dignitate. Venustissimi situs, jucundissimi prospectus: Mœnibus undique cinctum. Incolæ Livio & Plinio *Veliterni*: *Velitrini*, Suetonio in Augusto cap. XCIV. ubi tamen quidam Codices *Veliterni*: Οὐελιτρανοὶ Halicarnassæo. Coloniam ibi ductam notant idem Halicarnassæus lib. VII. Livius lib. II. & Frontinus. De Rebus ab ipsis, vel contra ipsos gestis, legendi Dionysius lib. III. VI. & VII. Livius cum alibi, tum lib. VIII. & alij rerum Romanarum Scriptores. Extra Portam Fossæ sunt angustis foraminibus & in profundum amplæ, quales sunt, in quibus condi conservarique consueverunt frumenta. Juxta Velitras ostendebatur adhuc tempore Suetonij *Nutrimentorum Augusti Locus*, in avito Suburbano, permodicus & Cellæ Penuariæ instar. Ager Fructuũ omnis generis nunc etiam ferax est, ut olim propter Urbis Romæ vicinitatem Villis & Hortis Nobilium expolitus. *Veliterna Vina* laudat Plinius lib. XIV. cap. VI. Ea nunc degenerarunt: propter cruditatem austeritatemque coqui alieno solita.

Velitra, Qualitas, Episcopatus, Situs, Incolæ, Colonia, Res gestæ, *Locus Nutrimentorum Augusti*, Ager Veliternus.

Quinto Velitris lapide ad lævam est *Cora*, in monte sita: Livio lib. II. Silio libro VIII. Solino, alijsque memorata: Κόρα Straboni. Nomen hodie retinet. *Coranos* (qui Κόρανοι Halicarnassæo lib. V.) ab Dardano Troiano scribunt ortos Plinius lib. III. cap. V. & Solinus in Polyhist. Servius ad Virgilium *Coram*, Catilli Tiburtijque Fratrem, *Coræ Conditorem* nominat.

Cora. Origo, & conditor,

Itinere hinc ad Velitras Nemus occurrit infame Latrocinijs, spatio P M. VI. dein amœna planicie millium quinque ad *Sermonettam*, Castellum in Colle novi nominis, devenitur. Hoc justis Dominis ereptum, Filiæ impudicæ donavit Alexander VI. P. M. Putant quidam *Sulmonem* esse, opidum Latij, quod sine vestigijs interijsse scribit Plinius III. cap. V. Locat idem in Sulmonensi Agro *Fabianum*: quod quo loco fuerit, nescio.

Sermonetta, *Fabianum*.

Infra Sermonettam *Taberna* quædam & Vegistia veterum Ædificiorum. Ea *Trium Tabernarum* esse putant docti Viri, quas memorant Cicero in Epistolis ad Atticum lib. II. Antoninus, & Itineraria Tabula. Τριῶν etiam Ταβερνῶν meminit Euangelista Lucas in Apostolorum Actis cap. ultimo. *Tres Tabernæ* in Baroni Annalibus est *Cisterna*, qui Vicus est in medio Appiæ Viæ, XXXVI. M. P. ab Urbe. Pighius

Tres Tabernæ.

gius in Hercule Prodicio putat circa *Casas Novas* fuisse, aut ipsas esse. Onuphrius in Chronic. Pontific. vocat *Tres Tabernas*, alias *apud Nympham*. Apud *Tres Tabernas* Severum Imperatorem ab Adversarijs occisum scribunt Eutropius, Zosimus, & alij.

Forum Appij. Octodecim à Tribus Tabernis P. M. *Forum Appij* scribitur Antonino. Meminit eius &, præter Horatium in Hodœporico, Lucas Euangelista loco, quem indicavi: putatur hodie ibi esse quibusdam *Taberna Maruti*: alijs *L' Abbatia*: nonnullis *Fossa Nova*, item *Casa Nova*.

Setia. Millia inde quinque occurrit editiore situm loco vetus Opidum *Setia*. Sic Livio, Virgilio, alijsque Latinis: Σητία Ptolemæo, Σιτία Straboni: quæ corrupte forte an Κητία Halicarnassæo: *Zezza* vulgo, vel *Secchi*. Latinorum opidum mediterraneũ, Colonia. Volscis adscriptum. Incolæ *Setini* Plinio, *Setia Colonia* vel *Setina* Velleio & Frontino Montes. Vina. Situs. *Setini Montes* sunt apud Iuvenalem Sat. v. *Vina Setina* celebrant Strabo lib. v. Silius lib. VIII. Plinius lib. XIV. cap. VI. & Martialis, qui & nonnihil de Situ:

> *Pendula Pomtinos qua spectat* Setia *Campos,*
> *Exigua vetulos misit ab Urbe cados.*

Monti enim altissimo est imposita. Inter *Setiam* & *Casas Novas* adparent in radice montis Veteris Ædificij ruinæ, in Circi modum factæ.

Pipernum. [illegible] Situs. Setia *Pipernum* M. P. distat quinque. Sic vernacule vocatur Opidum, quod *Privernum* Latinis: Πριούερνον Ptolemæo: Πριβέρνον Straboni: *Preivernum* in nummo C. Hypsæi. Opidum nunc in asperrimo situm monte: olim in planicie duobus ab hodierno passuum millibus versus Anagniam, uti fundamenta docent & magnorum operum vestigia. Iuxta Ousentem fluuium locatur Sex. Pompeio Festo: vicina Samnitibus Livio: *Privernum Vetus* ab Germanis & Britonibus excisum, auctor est Blondus. *Coloniis Romanis* adscenset Frontinus. *Vetus Municipium* & *Præfectura* Colonia. Municipium. Præfectura. ante fuit, scribente Festo. Incolæ *Privernates* Silio, Livio: aliis: Πριβερνᾶται Straboni. Natalibus *Camilla Reginæ*, quæ Turno contra Æneam auxilio fuit, celebratum apud Res gestæ. Virgilium lib. XI. Æneid. De Rebus, quæ a *Privernatibus* gestæ, passim Livius, inter alia memorans lib. VIII. *Privernates*, ab S. P. Q. R. rogatos, qualem Pacem maxime optarent perpetuam, si bona foret & honesta: brevem, si turpis & infida, respondisse. Extra opidum in discensu montis pulcherrimus Fons est.

Tora. Magienza. Rocca Gorgona. Rocca Secca. Soninum. Locis deinde Piperno vicinis Opida Vicique reperiuntur, quæ vulgo *Magienza*: *Rocca Gorgona*: *Rocca Secca*, Thomæ Aquinatis instituto celebris. Hinc ad *Soninum* millia quinque in alti montis vertice.

Vlterius versus Vulturnum jamnunc non tendens, finitimos Romæ agros repeto. In ijs *Alba*: sic Latinis omnibus nominata: Ἄλβη item Græcis, id est, λευκή, ut Alba. unde dicta. inquit Halicarnassæus: Ἄλβα, Appiano. Nomen ab *Alba Sue*, quam cum Suculis triginta Æneæ in Italiam adpellenti volunt visam. Consulendus præter alios Virgilius libro VIII. Adeundi quoque Propertius lib. IIII. Eleg. I. & Varro de LL. & Cognomen. de Re Rustica lib. II. cap. IV. *Longam* cognominant Veteres Scriptores: ab Situ, ut loquitur Livius, porrectæ in dorso Vrbis. Sic ab altera eiusdem nominis Civitate, quæ in Marsis est, discernitur. Hodie *Savello*, si Leandro fides: si alijs, *Gan-* Incolæ. Conditor. *dolfi*, vel *S. Gandolfo*. Incolæ *Albani*, omnibus. Ἀλβανοὺς nominat Appianus. Conditor eius *Ascanius*, Æneæ filius, XXX post ædificatum Lavinium anno. Virgilius, libro, quem dixi:

> *Iamque tibi ne vana putes hæc fingere somnum,*
> *Littoreis ingens inventa sub ilicibus Sus*
> *Triginta capitum fœtus enixa iacebit,*
> *Alba solo recubans, albi circum Vbera nati:*
> *Hic locus Vrbis erit: requies ea certa laborum*
> *Ex quo ter denis Vrbem redeuntibus annis*
> *Ascanius clari condet cognominis* Albam.

Distantia ab Vrbe. Confirmant Livius lib. I. & Dionysius libro I. Antiquit. Romanar. qui & inter initia condendæ Vrbis maximum accidisse prodigium narrat. Duodecimo ab Vrbe millario locatur apud Eutropium: decimo sexto, apud Appianum libro III. Bellor. Civilium.

Civilium. Sub Monte Albano, ut Livius; in Via Appia, ut Appianus innuit lib. I. Bel. Civil. Inter Montem & Lacum scribitur Halicarnassæo; natura ipsa, tamquam muro tutissimo munita. Habuisse videtur ad numerum Porcellorum xxx. in ambitu Turres. Respicit eo Cassandra Lycophronis: Situs. Qualitas,

Κτίσει δὲ χώραν ἐν τόποις Βορειγόνων
Ὑπὲρ Λατίνους Δαυνίους τ' ᾠκισμένην,
Πύργους τριάκοντ' ἐξαριθμήσας γονὰς
Συὸς κελαινῆς, ἣν ἀπ' Ἰδαίων λόφων
Καὶ Δαρδανείων, ἐκ τόπων ναυσθλώσεται
Ἰσαρίθμων θρέπτειραν ἐν τόκοις κάπρων,

Albam Suem, unde nomen Urbi, nominant omnes; unus Lycophron Συὸς κελαινῆς hic meminit. Condita tantis opum & fortunæ incrementis auxit, ut xxx. Oppidorum Latinorũ, inter quæ ipsa Roma, fuerit, Colonis emissis, Mater: & Reges habuerit xv. *Euryleonem Ascanium, Silvium, Aeneam, Latinum, Albam Capetum, Capyn, Calpetum, Tiberinum, Agrippam, Alladium, Aventinum, Procam, Amulium, Numitorem: Silvios* omnes ab Secundo Rege, qui in Silvis natus erat, cognominatos: qui quales fuerint, quotque annos regnarint, prolixe tradit Halicarnassæus lib. I. Consulendus & Livius lib. I. Sub his Regibus, paucisque, qui sequuti, Dictatoribus, quum supra quadringentos annos floruisset *Alba*, tandem Senatus Romani Tulliique Hostilij Romanorum Regis decreto propter Metij Suffetij proditionem, fuit excisa, Incolis Romam in Cœlium montem migrare iussis. Restauratam iterum ab Henrico III. Imperatore Augusto everterunt Romani anno CIↃCLXVIII. temporibus Alexandri III. P. M. uti Blondus scribit lib. xv. Historiarum. Nunc plane desolata jacet, nisi quod *Savellam* in angulo quodam Castellum modicum ex veteris urbis ruinis ædificatum putetur: unde nobilis Romæ *Savelliorum* Familia, si Blondo credendum. Quanta certe eius olim fuerit magnificentia, Moles loquuntur & rudera. De *Uvis Vinisque Albanis* Plinius lib. XIIII. natur. Histor. Martialis, & alij. Res gestæ, Savellum. Castellum,

Haud procul Alba fuit, si recte metior, *Roboraria*, cuius mentio apud Antoninum, cui illa inter Pictas & Urbem. Roboraria,

Ulterius in monticulo Civitas est *Aricia*: Sic Virgilio lib. VII. Æneid. Horatio lib. I. Satyra v. Livio passim, Ciceroni, Tacito lib. xx. Plinio, aliis: Ἀρικία Appiano lib. I. Straboni, Ptolemæo & Stephano dicta: quæ *Rizza* vel *La Riccia* vulgo. *Colonia* est *Romana*, Floro ex Livij Epitoma libri xxc. Eam autem conditionem induit ex antiquo *Municipio*: quo statu eius meminerunt Festus, Livius lib. VIII. & Velleius lib. I. Conditam ab *Archilogo Siculo* tradit ex Cassio Hemina Solinus: denominatam ab *Aricia*, Hippolyti coniuge, addunt alij xx. M. P. ab Urbe locat vetus Horatij interpres: CLX. Stadiis, Strabo: CXX. Dionysius Halicarnassæus libro VI. confirmante Philostrato lib. IV. de Vita Apollonij. Incolæ *Aricini* vocantur antiquis Scriptoribus. Dionysius libro IIII. *Turnum Herdeonium Aricinum*, Virum militarem & facundum, nominat. De *Aricinorum* Gestis Dionysius cum alibi, tum lib. VII. Livius libro XVIII. & alij. Nostra memoria parum frequentatur. *Aricinam Brassicam*, ut utilissimam, commendat Plinius libro XIX. nat. hist cap. VII. Martialis eiusdem agri *Porros* celebrat. *Nemoralis Aricia* cognominatur ab *Nemore* ingenti, quod Urbi vicinum erat. In eo Vitellium Imperatorem libentissime versari solitum, notat libro XIX. Cornelius Tacitus. *Nemus* hoc dicatum erat Dianæ: de cuius mihi Sacris, Sacerdote, Fano, & alijs sic scribit Strabo libro v. Τὸ δ' Ἀρτεμίσιον ὃ καλοῦσι Νέμος, ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τοῖς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν, εἰς τὸ δ' Ἀρικῖνον τὸ ἱερόν. Λέγουσι δ' εἶναι ἀφίδρυμα τῆς Ταυροπόλου. καὶ γάρ τι βαρβαρικὸν κρατεῖ καὶ Σκυθικὸν περὶ τὸ ἱερὸν ἔθος. καθίσταται γὰρ ἱερεὺς, ὁ γενηθεὶς αὐτόχειρ τοῦ ἱερωμένου πρότερον, δραπέτης ἀνήρ· ξιφήρης οὖν ἐστιν ἀεὶ περισκοπῶν τὰς ἐπιθέσεις, ἕτοιμος ἀμύνεσθαι. Τὸ δὲ ἱερὸν ἐν ἄλσει: πρόκειται δὲ λίμνη πλαγίζουσα. κύκλῳ δ' ὀρεινὴ συνεχὴς ὀφρῦς περίκειται, καὶ μία ὑψηλὴ, καὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὸ ὕδωρ ἀπολαμβάνουσα ἐν κοίλῳ τόπῳ καὶ βαθεῖ: & quæ sequuntur de Fontibus. Sic etiam Servius ad illud Virgilij VII. Æneidos, Aricia, Colonia, Municipium, Quis condiderit. Unde nomen acceperit. Distantia ab Urbe. Incolæ. Quur. [illegible]

———*Latet Arbor opaca*
Aureus,

Licet in hoc ramo, inquit, *qui de Sacris Proserpinæ scripsisse dicuntur, quidam esse Mysterium adfirment, publica tamen opinio hoc habet: Orestes post occisum Regem Thoantem in*

in Regione Taurica, cum Sorore Iphigenia fuit, & Dianæ Simulacrum inde sublatum haud longe ab Aricia collocavit. In hujus Templo post mutatum ritum Sacrificiorum fuit Arbor quædam, de qua infringi ramum non licebat. Dabatur autem fugitivis potestas, ut si quis exinde ramum potuisset auferre, monomachia cum fugitivo ejus templi Sacerdote dimicaret. Nam fugitivus illic erat Sacerdos, ad priscæ imaginem fugæ. Dimicandi autem dabatur facultas, quasi ad pristini Sacrificij reparationem. Qui Δραπέτης καὶ Strazboni, *Sacerdos Fugitivus* Servio; Latinis proprio vocabulo *Rex Nemorensis* dicebatur. Is Sacerdotij Regnum tantisper obtinebat, dum vertente anno fortior aliquis superveniens eum pugna superaret: qualem Caius Caligula ei, qui jam multos annos Sacerdotio præfuerat, submisisse legitur apud Suetonium in eius Vita cap. XXXV. Respicit eo Ovidius lib. III. Fastor.

Rex Nemorensis.

Regna tenent fortes manibus, pedibusque fugaces:
Et perit exemplo postmodo quisque suo.

Lacus Aricinus. Meminit etiam *Lacus Aricij* idem Ovidius lib. Fastorum IV. *Triviæ Lacus* est Virgilio lib. VII. *Speculum Dianæ* Servio ibidem dicitur, *Hippolyti Lacus* Statio libro III. Silvarum; *Dianæ Stagnum* Ovidio lib. III. Fastor. & lib. XIIII. Metamorph. Hodie, ut vult Erythræus, *Lago di Nemo.* Distat ab Aricia circiter IIII. M. P.

Lanuvium. Vltra Ariciam versus Meridiem est *Lanuvium*, cum *Lavinio* apud Græcos Latinosque Scriptores confundi solitum. Aliud enim *Lavinium*, de quo in Latij Littoralibus dixi; aliud *Lanuvium*, cuius hic instituitur delineatio. De utriusque differentia consulendi Sigonius in Livij librum VIII Hermolaus Barbarus in Plinij librum III. Vrsinus de Familiis, ubi de Papia Gente, Simeo Bosius in Epistolis ad Atticum, & alij. Illud certum, ubicumque mentio fiat Junonis Sospitæ, cum adscripto Vrbis nomine, semper *Lanuvium* esse ponendum. Ælianus libro Animalium XI. cap. VI. Vrbem, de qua agimus, Λανουΐνιον vocat, additque eam merito Matrem primariam Vrbis Romæ posse dici; errore duplici, in Nomine & Historia. Λαουΐνιον enim scribendum erat, quod tamen non Mater quasi Romæ, sed *Lavinium.* Legitur *Lanuvium* apud Antoninum, sed *Lavinium* ibi restituendum docent cum Itineris ratio, tum Itineraria Tabula cum Antonino commissa. *Lanivium* in Marmoribus esse testis est V. CL. Abrahamus Ortelius. *Lavino* male est apud Silium Italicum lib. XIII. pro *Lanivo*, vel *Lanuvo.* Ego etiam *Lanivinos* lego in Base marmorea, quæ ex Vico Corocollo inter Gabios Tiburtinosque anno CIƆ IƆ XLIX cum alijs advecta, hodie in Vinea servatur Cardinalis Carpensis, sic in fronte habens:

C. CÆSONIO. C. F. QVIR. MACRO. RVFINIANO
CONSVLARI. SODALI. AVGVSTALI. COMITI. IMP
SEVERI. ALEXANDRI. AVG. CVR. R. P. LANIVINOR.

& quæ ibi sequuntur. *Populus* etiam *Lanivinus* nominari videtur in Fragmento Lapidis, quod hodie eo loco:

ANI. F
AIANI
ICI NEP
NERVÆ. PRONEP
O. HADRIANO
ONINO. AVG. PIO
MAXVMO. TRIBVN
AT. II. COS. II. P P.
ES POPVLVSQVE
VINVS VETERES

Distantia ab Vrbe. Hodie ex Blondi, Leandri, Celsique Cittadini mente *Indivina* CC. plus minus Stadiis, hoc est XXV. M. P. ab Vrbe fuisse constat ex libro Diodori XIIII. ubi ait (*Marcium*; Locum sic dictum, haud procul hinc, teste Livio libro V.) totidem Roma distare. Ὑπέρκειται δ' αὐτῆς (inquit Strabo, loquens de Aricia) τὸ μὲν Λανίνιον, πόλις Ῥωμαίων, ἐν δεξιᾷ τῆς Ἀππίας ὁδοῦ Legendum omnino Λανουΐον vel Λανούβιον. Ab Lanuvio

Situs.

Templum Iunonis Sospitæ

nuvio ἱππότ@, inquit idem, ἔτι ϑαλαττά ἐστι, ἢ τὸ Α'ϛῦλον. *Lanuvij* Templum fuiſſe Junonis Soſpitæ prodit memoriæ, præter Plinium, Livius multis locis. Jn eo vexilla erant Lanuvinorum, quæ ſanguine ſudaviſſe, tradit idem Plinius lib. xx. natur. Hiſtoriæ: notans etiam libro xxxv. cap. III. *Lanuvij* pictos fuiſſe cominus nudos Atlantem & Helenam, excellentiſſima forma. *Lanuvium* inter *Municipia* cenſetur apud Livium libro VIII. & Sex. Pompeium Feſtum in Libris de Verb. ſignific. Meminit etiam, ut *Municipij*, Cicero pro Murena. Poſtea ex *Municipio Coloniam* ab Cæſare dictatore factam, indicat Frontinus M. S. apud quem in vulgatis ſcribitur *Lavinium*. Nam id in *Lauro-Lavinio* paullo ante delineatum fuerat. Ortam *Lanuvio* Gentem Murenarum Patriciam memorat Cicero in oratione, quam dixi.

Municipium, Colonia.

Gens Murenarum.

Appia relicta, meditullium Latij petens, ut ſenſim ad Hernicorum agros deveniam, Viam adeo jamnunc Latinam. Ea, decimo ab urbe Lapide, fundamenta inveniuntur *Columnæ* Opidi; a quo magnifica Romæ *Columnarum* Familia. Livio lib. II. *Columen* videtur appellari.

Columnæ

Bovillæ. Vicus.

Fuerunt haud procul Columna *Bovillæ*, de quibus Perſius Satyra VI. & Martialis lib. II. epig. VI. pauper Vicus, ad quem inter fectus eſt ab Milone Clodius, ut ſcribit Aſconius Pædianus; ſic dictus a Boum multitudine, quaſi *Boum villa*, ubi gentes multi ſtipem mendicabant. De *Bovillis* veteres Gloſſæ ad VI. Perſij Satyram. Hinc forte *Bovillanus Fundus* apud Ciceronem in Epiſt. ad Q. Fratrem. Aliæ *Bovillæ* nobiliores erant in Latio ad Lirim, de quibus ſuo loco. Jnter Bovillas & Ariciam erat *Virbij Clivus*, quatuor ab Vrbe Millibus: de quo Veteres, quas dixi, Gloſſæ, *Quatuor millibus, inquiunt, ab Vrbe eſt Virbij Clivus, qua iter eſt ad Ariciam & ad Nemus Dianæ, ubi Virbius colitur, id eſt, Hippolytus, quod bis in vitam prolatus ſit. Nota autem apud Virgilium Fabula eſt.* Conſulendus & Ovidius VI. Faſtorum, cuius & illud Faſtorum III.

Virbij Clivus.

Hic Latet Hippolytus furiis diſcerptus equorum;
Vnde Nemus nullis illud aditur equis.

Loquitur de Nemore Vallis Aricinæ.

Nemus Algidũ. Algidum vulgo Rocca del Papa.

Jncipit eo tractu *Nemus Algidum*; de quo ante. Supra illud in monte cognomine, XII. ab Urbe Lapide, ut notat Eutropius libro I. conſpicitur *Arx Papalis*, vulgo *Rocca del Papa*: ubi quomdam, ut viri docti volunt, *Algidum*; ſic dictum ab ſitu loci, perpetuis cœli frigoribus propter altitudinem algentis. Meminerunt *Algidi* Horatius, ſæpe Livius, Dionyſius Halicarnaſſæus, Silius, alij. Α'λγιδον Straboni & Dionyſio; Stephano Α'λγιδ@ dicitur: *Algedon* Procopio libro III. Rerum Gothicarum. Male legitur apud Diodorum Siculum lib. XII. Λαγαδῖῳ pro Α'λγιδῷ, in Hiſtoria Virgilij & Filiæ ab ipſo occiſæ.

Anagnia, hodie Anagni.

Jn Hernicis, de quibus initio huius capitis dixi, eſt, ut notant Livius lib. IX. Strabo libro V. & Macrobius libro V. Saturnal. *Anagnia*. Sic cum aliis, tum Livio varijs locis, Tacito libro XIX. Ciceroni, Silio libro V. & alibi, Frontino, cui Colonia eſt, Antonino; Α'ναγνια Straboni & Ptolemæo vocatur; *Anagnium* Jtinerariæ Tabulæ; quæ *Anagna* vulgo. *Incolæ Anagnini* Livio & aliis: Plinio item in Prima Jtaliæ Regione; & Baſi confractæ, quæ in ipſo Opido, Parieti domus privatæ ad S. Paullum inſerta. πόλις ἀξιόλογ@, Straboni: Dives, Virgilio, ad quem Servius notat; *Anagniam Divitem appellari, vel quod perfœcunda ſit, vel ad hiſtoriæ confirmationem. In ea enim Antonium, Auguſti Sorore Fulvia contemta, Cleopatraque in Vxorem accepta, nummum percuti iuſſiſſe.* Muros & Portam *Anagniæ* fulmine percuſſam ſcribit Livius lib. XXVII. alio loco, Terram ante Portam eiuſdem Vrbis iactam ſine ullo ignis alimento arſiſſe: item lib. XIV. Terra quandoque ad eamdem Vrbem pluiſſe. Auctor eſt Plinius *C. Septimulium*, Graccho peramicum, *Anagniæ* progenitum. *Octavij Felicis, Anagnini*, mentio in fragmento Tabellæ marmoreæ, quæ in hortis Euryali Rufini ad Buſta Gallica. Varios genuit Pontifices: inter eos *Innocentium* III. *Gregorium* IX. *Alexandrum* IV. *Bonifacium* VIII. Cardinales inſuper multos, Epiſcopos, alioſque præclaros viros. Patria quoque hæc *Ioannis Anagnini*, Bononienſis Archidiaconi, & Commentatoris Legum Pontificiarum, maximeque Decretalium: qui anno CIƆCCCCLVII. Bononiæ fato conceſſit. Hodie, licet Epiſcopatus dignitate fulgens, ſemidiruta tamen & deſolata jacet: civilibus & inteſtinis odijs maxime

quur Dives dicta.

Res geſtæ.

Clari viri.

Epiſcopatus.

Ager. maxime labefactata. Agri naturam exprimit aliquo modo Silius Italicus lib.VIII.

Queis putri pingues sulcarus Anagnia glebis:

Item:

Frugiferis tete ante alias Anagnia glebis.

Anagninum, Prædium, Fons Tofanus. *Anagninum* habet M. Tullius in Epistolis, Prædium fortean in huius Vrbis agro. Propinquus *Anagniæ Fons Tofanus*, de quo alibi.

Ferentinum. Vltra Anagniam M. P. v. alia Hernicorum Vrbs in Colle est *Ferentinum*: Livio variis locis, Silio, Frontino, Antonino & Itinerariæ Tabulæ celebratum: Φερέντινον, Ptolemæo: Φερεντῖνον, Stephano ex Strabonis libro v. ubi tamen hodie legitur Φερέντινον, ut & in M. S. Frontino. *Ferentino* hodie. Vide, quæ noto ad *Frentanos*, Samnitium Populos. Incolæ *Ferentinates* Livio lib.XXXIIII. Pliniоque libro.III.cap.v. *Ferentinensis Colonia* est apud Frontinum. *Res gestæ.* De Rebus gestis Livius libro III. VII. & IX. Dionysius Halicarnassæus libro IIII. in *Foro Ferentino* Concilium scribit habitum.

Frusinum. Hinc quinto lapide *Frusinum* abest. Φρουσίνων, Straboni & Ptolemæo: *Frusino*, Livio, Silio, Festo, Antonino: *Frasellono*; vernacule. *Frusinates* Incolæ Livio lib.X. Pliniоque in I. Italiæ Regione. *Frusinone Colonia* Frontino: in cuius membranis, quæ *Res gestæ.* apud V. CL. Petrum Scriverium *Fresenona*. *Frusini* Livius lib. VII Puerum magni- *Clari Viri.* tudine, ut quatuor annorum videretur: & lib.XXI. Agnum cum Capite Suis natum, scribit. Patria duorum Pontificum *Hormisdæ Iusti F.* & *Silverij Hormisdæ F.*

Ceparanum, Sinatianum, Palianum. Post M. P. XV. Latij hoc latere terminus est *Ceparanum*.

Hoc ipso tamen itinere dextra *Sinattani* (*Zinazzano*) *Palianum* (*Pagliano*) invenitur: quod annis superioribus Ascanio Columnæ Paullus III. P. M. ademit.

Serronum, [illegible], [illegible], [illegible], Colle Podum, Anticolum, Verulæ, Castellum Fumone. Sequuntur inde, quæ vernacule *Serrono, Pillio, Aguto, Triviglianо, Colle di Po* (*Collis Podius*) *Anticolo* & *Verulo*: Vrbs antiqua, quæ *Verulanum* Livio, in Hernicis, cuiusque Incolæ *Verulani* eidem Livio lib.IX. & Plinio lib.III. Patria hæc *Ennij Philonardi*, Episcopi Verulani & Cardinalis. *Verulas Coloniam* habet Frontinus.

Succedit *Castellum* modicum *Fumonis*; à Petracha, Platina, Blondo, Sabellico, aliis frequenter nominatum in historia Celestini v. P. M.

Alatrium. Mox *Alatrium*, quod vulgo *Alatro*: Ἀλέτριον Straboni: *Alatrium* Frontino, ut quidem in M. S. Nam in Vulgatis est *Alatrum*. Incolæ *Alatrinates* vel *Aletrinates*, Plinio, Ciceroni, Livio. *Coloniam* nominat Frontinus. Postea *Municipij* naturam induit. Docet Tabula marmorea, quæ ibi in Vestibulo Summi Templi:

C. IVLIO. AVGVSTI. L
HELENO
EX. DECRETO. DECVR
MVNICIPII. ALETRINAT
ET. POLLICITATIONE. SEVIR
ET. MVNICIPIVM. ET. INCOLAR
OB, MERITA, EIVS

Sevirum Augustalium Aletrinatium meminit Tabulæ marmoreæ fragmentum, quod ibidem in Sacra S. Januarij æde:

Q. MINVCIVS. Q. L. ANTEROS. VI. V
AVGVSTAL
HIC. SEVIRIS. AVGVSTTAL. ALETRIN
LEGAVIT. HS ↀ. QVOIVS. EX. RED
QVOD. ANNIS. NATALI. SVO. VI.
FEB. VESCERENTVR.

Episcopatus. Episcopatus gaudet titulo.

Babucum, olim Bovillæ. Hinc *Babucum* est: quod *Bovillæ* Veteribus: quibus *Bovillæ* duplices, unæ haud procul Roma: alteræ prope Lirim Fluvium. De Prioribus suo loco: Posteriores, quod nobiliores, puto designari à Plinio lib.cap.v. Βοίλλαι sunt Appiano: *Bovillis Colonia* Frontino.

Viluntur

Visuntur inde, quæ vulgo *Nota, Turtio, Profe, Vico, Rippe, Porcigliano, Trevo* & *Fettino*; Latine scribentibus *Nota, Turritium, Profenum, Vicus, Ripa, Porcilianum, Trevum,* & *Fetinum*.

Nota. Turritium. Profenum. Vicus. Porcilianum. Trevum. Fetinum.

Deinde repetita via, medio in Nemore Algido relicta, *Valmontonium* Castellum, vulgo *Val-montone*, inde colle cernitur. *Labicum* Virgilio; ut infra videbimus; Silio lib. v, VIII, XII; & alijs. Λαβικανὸν Straboni. Huc pertinet illud principis Poetæ libro VII Æneidos:

Valmontonium. olim Labicum,

> *Et Sacranæ Acies, & picti Scuta* Labici.

Ad quem locum Seruius, *Glaucus*, inquit, *Minoi filius venit ad Italiam; & quum sibi Imperium posceret, nec acciperet, ideo quod nihil præstabat, sicut pater eius præstiterat, Zonam eius transmittendo, quum antehac discincti essent; ostendit scutum militare, à quo & ipse Labicus dictus est, & ex eo Populi, ἀπὸ τῆς λαβῆς, quam Latine Ansam vocamus. Labici* mentionem sæpe facit Dionysius Halicarnassæus, præsertim libro VIII, ubi ab Marcio Coriolano cum ceteris Albanorum Colonijs subactum scribit. Livius lib. IIII hanc Vrbem expugnatam ab Q. Sulpicio Prisco Dictatore, direptamque scribit; & Colonijs eo Roma ex S. C. missis bina jugera singulis data. *Labici Municipij* meminit Cicero Philippica II. Ab eo *Labicana Via* Romæ. Plinius *Agrum Labicanum* locat in I Italiæ Regione. Idem Ager olim ab Vvæ præstantia nomen habuit, cujus tres & viginti libras uno prandio Claudium Albinum absumpsisse Capitolinus est auctor. *Labicana Vina* celebrant Spartianus & Frontinus. In Populis designandis nonnulla est apud Auctores Græcos Latinosque inconstantia. Nunc enim *Labici* & *Labicani*; nunc *Lavici* & *Lavicani* scribuntur. Sub ditione hodie est *Valmontonium* Familiæ Comitum Romanæ.

Vnde dictum. Res gestæ. Colonia. Municipium. Ager. ejusque Vina.

Haud procul Valmontonio est *Montefortinum*; Castellum *Monfortinorum*; qui inter Patricios Romanos loci non postremi.

Montefortinum.

Pandunt se mox Opida, quæ vulgo *Zancato, Gavignano*, & *Segna*. Hæc *Segnia* Livio: Σιγνία Straboni: Σίγνιον; Stephano. *Coloniam* deduxisse *Signiam* Tarquinium Superbum auctores sunt Livius libro I, II, & XXVII, Dionysius lib. IV, Strabo lib. V, Frontinus de Colonijs, & Inscriptio, quæ apud Onuphrium Panuinium:

Zancatum. Gavinianum. Signia. Colonia.

L. VOLVMNIO
L. F. POMP
IVLIANO. SEVERO
IIII. VIRO. COL. SIGN.
PATRONO. COLONIÆ. SVÆ
SENATVS. POPVLVSQVE. SIGNINVS

Incolæ *Signini* Plinio, in I Regione. Dedit *Signia Vitalianum P. M.* Episcopatus claret dignitate. *Vinum Signinum* commendant Strabo & Plinius libro XIIII Nat. hist. cap. VI: quod vetus adstringebat ventrem. Martialis:

Clari Viri. Episcopatus. Vina.

> *Potabis liquidum* Signina *morantia ventrem,*
> *Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.*

Sic Silius Italicus libro VIII de Bello Pœnico:

> *Quos Cora, quos spumans inimico* Signia *musto.*

Inimicum Mustum, quod nimium sæpe adstringeret.

Post Signiam ulterius sunt *Scurcula, Meruto, Sappino, Patria, Ceccano* & *Castrum*, Latij hic terminus.

Scurcula. Merulum. Sapinum. Patria. Ceccanum. Castrum.

Flagitat jam ordo, ut Septemtrionaliora Latij per Viam Valeriam Tiburtinamque peragremus.

Hic primo se offert loco *Tibur*. Ita Latinis omnibus dicitur. Τίβυρ, Ptolemæo, Τίβουρα, Straboni: Τιβούρις ex Artemidoro; Τίβυρα ex Nicanore, & τίβουρα ex nescio quibus: quæ *Tivoli* hodie. πολυστέφανον olim vocatum tradit Stephanus; quam appellationem Strabo tribuit Præneste. Ineptiunt, qui Ἡράκλειον & Καταράκτην nominatum etiam ex Strabone contendunt; Auctoris mentem non satis adsequuti. Herculi tamen sacram fuisse, constat ex Suetonio in Caligulæ Vita cap. VIII. Ejus pars est Σικελιὼν apud Dionysium Halicarnassæum. Incolæ *Tiburtes* plerisque, &

Tibur.

altissimas peranguſtis diviſas plateis: Porticuſque perpetuas & Labyrinthos. Muri Domorum ſunt tenues: ſed firmiſſimi propter calcem & bitumen. In Monte meridiem verſus Templum eſt *S. Trinitatis*: poſt quod deſcenſus eſt in Sacellum *S. Crucis*, in Petra, terræmotu ſciſſa, ædificatum. In Summo Templo multa monſtrantur Donaria & Ornamenta. Inter ea Crater ingens, Formijs adlatus, Cadorum pluriũ capax; ex Saxo Pario candidiſſimo cavatus: quo nunc Sacerdotes utuntur pro Sacri Baptiſmatis Lavacro. Auctorem loquitur Græca Inſcriptio:

ΣΑΛΠΙΩΝ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ
ΕΠΟΙΗΣΕ.

Præſectos. Cardinales. Incolæ. Calamitates. Suburbium. Ager. Scauri Fundus.

Sepultus ibi in Templo Arcis Dux Borbonius, ad Romam globo bellico ictus. Epiſcopus Urbi datus legitur ob Formias ab Saracenis exciſas. Illuſtrarunt eam *Gelaſius* II. P. M. & *Thomas Vionius*, Cardinalis, Scriptis clarus. Pulcherrimas habet Mulieres. Magnis Cladibus adfecta legitur ab Gallis. Earum maxima incidit in annum CIↃ CCC XCIV. Suburbium ipſi oblongum, iuxta littus protenſum. *Scauri Fundum*, Agri Cajetani, donaſſe Xyſtum III. Eccleſiæ S. Mariæ Maioris, ſcribit Platina. *Porto Isi auro* hodie vulgo dici putat apud Abrahamum Ortelium in Theſauro Geographico Philippus Winghius; quem idem Ortelius ſcribere notat, oſtendi eius reliquias ad mare euntibus Gaieta Minturnas, parte dextra.

Formiæ. olim Hormiæ. hodie dictæ.

Caieta Formias ſublocat Plinius. Sic etiam dictæ Ciceroni, Tacito, Pomponio Melæ, & Antonino: Frontino item, cui Colonia eſt Romana; Straboni Φορμίαι: quæ Φόρμιαι Ptolomæo: *Formia*, Tabulæ Itinerariæ. *Hormias* olim dictas docent Strabo, Plinius, alij: ſive ab frequentia bonitateque Stationum, ut Feſto placet, quas ὅρμους Græci vocant: ſive ab impetu Læſtrigonum, quos humana carne victitaſſe ſcribit Plinius: vel denique ab *Hormo* Amne, illic præterlabente.

Vetus appellationes.

Mamurrarum Urbem appellat Horatius, ut putat Vetus eius Commentator. Originem inde traxit *Mamurrana Gens* Romæ, qua natus *Mamurra* is, quem Carminibus ſuis proſcindit Catullus. Læſtrigonum quondam fuit Sedes, ſcribentibus Plinio, Solino, Symmacho; unde *Læſtrigoniam* vocat Cicero ad Atticum: *Domus Antiphatæ* nominatur Silio libro VIII. *Antiphates* enim, Læſtrigonum Rex, olim ibi imperaſſe perhibetur. Λαικωνικὸν κτίσμα dicitur Straboni.

Diſtantia ab aliis locis.

Diſtabant ab Caieta *Formiæ* Stadia XL. ut Strabo notat. Ante ingreſſum inter ſentes & ſpineta ruinæ adparent Sepulcrorum Veterum.

Municipium, Præfectura.

Debellatis Campanis Romani in Præfecturæ formam *Formias* reduxerunt; quum prius tamen municipium fuiſſet, atque Civitatis Jus cum Suffragij latione obtinuiſſet, uti docet Livius lib. XXXIIX. Bello demum Civili, ut Frontinus auctor eſt, ab III-Viris C. Julio Cæſare Octaviano, M. Antonio & M. Aimilio Lepido inter Colonias Italiæ militares *Formiæ* fuerunt redactæ.

Colonia.

Ab eo tempore ſub Impp. ſemper propter cœli temperiem floruiſſe, conſtat ex Horatio, Martiale, alijſque Scriptoribus.

Res geſtæ. Epiſcopatus olim.

Exciſæ memorantur ab Saracenis anno IↃCCCLVI, qua tempeſtate Epiſcopatum inde Cajetam tranſtulit, cum reliquiis Eraſmi Martyris, Gregorius IV. P. M. Legendus Blondus. Adſcribam elegans *Formiarum* Encomium, quod apud Martialem libro X. Epigrammat. in quo plura Italiæ loca nominantur:

O temperatæ dulce Formiæ *littus*:
Vos, quum ſeveri fugit oppidum Martis,
Et inquietas feſſus exuit curas
Apollinaris, omnibus locis præfert.
Non ille ſanctæ dulce Tibur uxoris,
Nec Tuſculanos, Algidosve ſeceſſus,
Præneſte nec ſic, Antiumve miratur:
Non blanda Circe, Dardaniſve Cajeta
Deſiderantur: nec Marica, nec Liris,
Nec in Lucrina lota Salmacis vena:
Hic ſumma leni ſtringitur Thetis vento:

Nec

Nec languet Aequor: vera sed quies Ponti
Pictam Phaselon adjuvante fert aura.

& quæ sequuntur. *Formianorum* mentionem facit Basis Statuæ, litera absolutissima, quam, teste Martino Smetio, vidit & exscripsit Molæ Dionysius Harduinus:

IMP. CÆSARI. DIVI
HADRIANI. FILIO. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. NEP
DIVI. NERVÆ. PRONEPOTI
T. ÆLIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO. PONT.
MAX. TRIB. POT. XI. COS. IIII. P. P.
FORMIANI. PVBLICE

Formianos Colles novit Horatius; *Formianum Montem*, Livius lib. XXXIX. *Vinum Formianum* optimis adnumerat idem Horatius. *Formianum*, villa Ciceronis in *Formianorum* Agro, cuius frequens in Epistolis ad Atticum mentio: Hodie vulgo *Ciceron*. Jn eo tradit magnus Scriptor Lælium semper fere cum Scipione rusticari solitum: eosque, quoties huc ex Vrbe, tamquam è vinculis, evolavissent, incredibiliter repuerascere solitos. Locus est peramœnus & perjucundus: hortis undique cultissimis consitus: in quo & veterum marmorum, & Ædificiorum, operumque amplissimorum vestigia passim videre licet. *Formianum. Villa Ciceronis.*

Jnter Cajetam & Formias *Itrum* est Castellum, & *Mola*. *Itrum* amœnis in collibus, qui oleis, vitibus, ficubus, aliisque fructiferis arboribus convestiti, conspicitur longe inter Montes extensum; morte inclutum Hippolyti Medicis Florentini, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis. Blondus magno errore *Lamuras* vocat, Horatij versum perperam legens & intellegens. *Itri* meminit Pomponius Sabinus. Olim *Atrium* dictum ait Scipio Mazzella. Hodie *Itro Castello*. *Itrum.*

Jtro *Mola* distat P. M. V. via amœnissima, Hortis obsita, qui Citris, Limonibus, aliisque arboribus gravidi. Putant nonnulli *Molam* ex *Formiarum* ruinis crevisse: dictam ab *Molarum* frequentia: quas hic ex Montium radicibus profluentes continuo Aquæ versant: unde apud Tullium *Mola Formiana*. Longus & perelegans est Vicus ad Viam Appiam. *Mola.*

Post Formias ponuntur apud Plinium *Pyræ*: aliis *Pylæ* scribuntur. *Pyræ.*

Pylis (si quidem sic emendandum) succedunt apud eumdem *Minturnæ*: sic Tacito, Plinio, Melæ, Antonino; Μιντοῦρναι Straboni vocantur; quæ Μίντυρνα Stephano, *Menturna* in Tabula Jtineraria. Hodie *Traietto*, ut censent docti Viri. Alij aliter opinantur. Nardo *Castro al Mar* putatur: Sanfelicio, *La Scafa del Garigliano*. Sane ad *Traiectum* Antiquæ, quæcumque tandem habenda, Urbis vestigia conspiciuntur: inter alia Theatrum propemodum integrum: & sumtuosissimus Aquæductus. Liris opidum medium olim interluebat, ut Plinius & Strabo volunt: hodie paullo sequior est situs. *Traiectus* in colle est: *Minturnæ* in Valle erant, sive planicie; quod ex Theatri & Aquæductuum, quorum memini, reliquiis est palam. Ex *Minturnarum ruinis Trajectum* esse ædificatum, scribit etiam ad Ortelium Cellus Cittadinus. *Coloniam Populi Romani Minturnas* ad Ostium Liris factam Livius auctor est libro X. addens Jmmunitatem accepisse ob cœli gravitatem & vitium. Concilium *Minturnis* generale Marcellinus Pontifex Maximus anno CCXCVII. habuisse legitur. Juxta *Minturnas* Saracenos ab Christianis gravi pugna, cui Joannes X. P. M. & Albericius Tusciæ Marchio interfuerunt, victos & profligatos fuisse, Italiaque pulsos, memoriæ tradunt Blondus & Platina: exceptis Profugorum è prælio reliquijs, quæ Garganum Montē occuparunt, in quo se diu postea tenuerunt, prædationibus & piratica vitam sustentantes. *Castrum Traiecti* non ita pridem Prospero Columnæ cum ducatus Titulo donavit Ferdinandus, Aragonum Rex & Neapolitanorum. *Minturnense Flumen*, quod censendum, vide supra, ubi de Liri. *Minturnensem Paludem* habet Seneca Declamatione III. inde *Minturnæ, Palustres* Horatio lib. I. Epist. V. In propinquis *Minturnensium Paludibus* Marium latitasse, quum inimicorum arma *Minturnæ. hodie forte Traiectum. Castellum. Situs. Colonia. Res gestæ. Ducatus.*

 fugeret,

fugeret, memorant Livius lib. LXXVII. Plutarchus in eius Vita, Lucanus lib. II. Juvenalis Satyra X. Valerius Maximus lib. VIII. alij.

Spentnum. Ponte Corvo, olim Fregell.

Tertio dein lapide iuxta ripam Liris *Spentnum* est opidum: inde octavo *Frata:* hinc totidem *Pons Corvi, Ponte Corvo: Fregellæ* quomdam, uti volunt Sigonius & Leander. Aldus in sua Orthographia putat ex *Fregellarum* reliquiis *Ceperanum* opidulum esse exstructum. Sunt, inter quos Ambrosius Leo, qui fuisse volunt, ubi nunc *Atrijaldo*. Φρεγέλλαι dicuntur Straboni, cuius ævo vicus erat; olim Vrbs nobilis ad Lirim Fluvium, teste Livio libro XXVI. Φρεγέλλα Stephano, *Fregellanum* Antonino: *Fregellani*, Plinio. *Coloniam* factam docet Livius libro VIII. *Fregellas* ob defectionem semel atque iterum dirutas ab Romanis, scribit idem lib. X & LX. De iis Silius lib. V.

Colonia, Regnic.

—— Hic tristes misere Fregellæ.

Et alibi lib. XII.

Et quæ fumanti texere gigante Fregellæ.

Clari Viri.

Inclutæ sunt *M. Sextilii Fregellani* responso, Senatui Romano pro XIIX. Coloniis Bello Punico II. dato, de quo Livius. Hinc *Fregellæ*, locus in Vrbe, teste Festo, ab *Fregellanis* forte habitus, vel *Fregellanorum Statio*; ut *Græcostasis, Græcorum*; *Ficilia*, *Ficuleatum*.

Sinuessa.

Extremum *Latij* facit Plinius *Sinuessam*: de qua dicendum in Campania.

Auctorum Littoralium Latii collatio.

Hæc de Ora *Latij* maritima, deque quibusdam citra Lirim locis: anteaquam ad Mediterraneorum enarrationem veniam, committere inter se obiter decrevi Auctores, qui ordine quodam Littorales *Latij* Vrbes commemorant: præpositurus Plinium, cum quod plenior ille ceteris, tum quod notatum ab ipso ordinem in superioribus præcipue fuerim sequutus.

Plinius	Strabo	Ptolemæus	Pom. Mela	Antoninus Itineraria	Tab.	Vulg. Nomencl.
Ostia Colonia,	Ὤστια	Ὤστια	*Ostia,*	*Ab Vrbe Ostiã,* M. P. XVI	*Hostis,* XVI	*Hostia,*
Laurentum,	Λαύρεντον	.....	*Laurentum*	*Laurentum,* X	*Laurento,* XVI	....
....	Λαουίνιον,	.....	.....	*Lanuvinum:* Legendum *Laviniũ.* XVI	*Lavinium,* VI	....
Lucus Iovis Indigetis.	......	......	.....		....	Exstant Reliquiæ prope *Fusanum*, locisque Vicinioribus,
Amnis Numicius,	......	.....	.....	....	....	*Rivo,*
Ardea,	Ἀρδέα	......	*Ardea,*	....	....	*Ardea* nomen hodie retinere scribũt quidã *S. Anastasia.*
Aphrodisium,	Ἀφροδίσιον	.....	*Aphrodisiũ*	....	....	*Neptunium*, aliis *Cabo d' Antio.*
Antium,	Ἄντιον	Ἄντιον	*Antium,*	....	*Antium* extra Viã ponitur,	
Astura flumen & Insula.	Στόρας ποταμ.	......	.....	....	*Astura,* XVII	*Stora,*
Fluvius Nymphæus,	....	.....	.....	....	....	*Paulo Fiume.*
Clostra Rom.	....	Κλώστρα.	.....	....	*Clostris* IX	....
....	......	.....	.....	....	*Ad Turres Albas* III	....
Circei,	Κιρκαῖον	Κιρκαῖον ἄκρα,	*Circeii,*	....	*Circeios,* XXI	*Monte Circello,*
					Ad Turres IV	....
					....	....
Palus Pomtina.	.....	.....	......	....	....	*Ausente.*
Fl. Vfens	Αὔφιδος ποταμ.	....:	.....	Idẽ alio loco		
Taracina vel Anxur,	Ταῤῥακίνα,	Ταῤῥακίνα	*Taracina,*	*Tarracina,*	*Terracina,* XI	*Tarracina,*

Amycla

Amicla	......	.....	.....	....	....	Prope *Caluzam*,
Spelunca,	Σπήλαια,	.....	.....	....	....	*Sperlunga* Pineto,
Lacus Fundanus,	Φοῦνδοι,	.....	*Fundi*,	*Fundos* XVI	*Fundis*, XIII	*Fondi*.
Caieta,	Καιάτα,	.....	.....	....	....	*Caieta*,
.....	.....	.....	.....	....	....	*Itro Castello*.
......	......	.....	.....	....	....	
Formia,	Φορμίαι	Φόρμιαι,	*Formiæ*,	*Formias* XIII	*Formis* VIIII	*Mola*, quæ dicitur ex *Formiarum* reliquiis crevisse.
Pyræ alij legunt *Pylæ*,	....	.....	.....	....	....	....
Minturnæ,	Μιντοῦρναι	.....	*Minturnas*	*Minturnas* IX	*Menturnis*	*Traietto Castello*.
......	.....		*Liris*,	....	....	*Garigliano*.
Sinuessa, extremum *Latij*.	Σινόεσσα,	......	*Sinuessa*,	*Sinuessam* IX	*Sinuessa* IX	vide Campaniam.

Marinum,

Mediterranea *Latij* loca perlustranti offert se XII. Roma lapide, Orientem versus *Marinum*, Columnarum Ditionis opidum, in colle situm. Fuit ibi quomdam, ut nonnulli censent, *Mariana Villa*, quæ tamen aliis *Castrum*, quod vernacule *Zagarola*.

Velitræ, *Qualitas*, *Episcopatus*, *Situs*, *Incolæ*, *Colonia*, *Res gestæ*, *Locus Nutrimentorum Augusti*, *Ager Veliternus*.

Marino P. M. VIII. antiqua Civitas in Tumulo *Velitræ*: sic Livio passim & Suetorio in Octaviani Vita cap. I. atque LXXIV. dicitur Urbs: Οὐελίτραι Straboni lib. v. & Ptolemæo: Οὐελλίτραι Dioni lib. XLV. Βέλιτρα Stephano: quæ vulgo *Belitre*: vel, ut alij scribunt. *Belletri*. Opidum vetustissimum Volscorum, in quo tamen pauca Antiquitatum nunc visuntur vestigia: alioquin amplum & populo satis frequens, Episcopatus fulgens dignitate. Venustissimi situs, jucundissimi prospectus: Mœnibus undique cinctum. Jncolæ Livio & Plinio *Veliterni*: *Velitrini*, Suetonio in Augusto cap. XCIV. ubi tamen quidam Codices *Veliterni*: Οὐελιτρανοὶ Halicarnassæo. Coloniam ibi ductam notant idem Halicarnassæus lib. VII. Livius lib. II. & Frontinus. De Rebus ab ipsis, vel contra ipsos gestis, legendi Dionysius lib. III. VI. & VII. Livius cum alibi, tum lib. VIII. & alij rerum Romanarum Scriptores. Extra Portam Fossæ sunt angustis foraminibus & in profundum amplæ, quales sunt, in quibus condi conservarique consueverunt frumenta. Juxta Velitras ostendebatur adhuc tempore Suetonij *Nutrimentorum Augusti Locus*, in avito Suburbano, permodicus & Cellæ Penuariæ instar. Ager Fructuũ omnis generis nunc etiam ferax est, ut olim propter Vrbis Romæ vicinitatem Villis & Hortis Nobilium expolitus. *Veliterna Vina* laudat Plinius lib. XIV. cap. VI. Ea nunc degenerarunt: propter cruditatem austeritatemque coqui alieno solita.

Cora, *Origio*, & *conditio*.

Quinto Velitris lapide ad lævam est *Cora*, in monte sita: Livio lib. II. Silio libro VIII. Solino, aliisque memorata: Κόρα Straboni. Nomen hodie retinet. *Coranos* (qui Κόρανοι Halicarnassæo lib. v.) ab Dardano Troiano scribunt ortos Plinius lib. III. cap. v. & Solinus in Polyhist. Servius ad Virgilium *Coram*, Catilli Tiburtijque Fratrem, *Coræ Conditorem* nominat.

Sermonetta, *Fabianum*.

Itinere hinc ad Velitras Nemus occurrit infame Latrociniis, spatio P M. VI. dein amœna planicie millium quinque ad *Sermonettam*, Castellum in Colle novi nominis, devenitur. Hoc justis Dominis ereptum, Filiæ impudicæ donavit Alexander VI. P. M. Putant quidam *Sulmonem* esse, opidum Latij, quod sine vestigiis interiisse scribit Plinius III. cap. v. Locat idem in Sulmonensi Agro *Fabianum*: quod quo loco fuerit, nescio.

Tres Tabernæ.

Infra Sermonettam *Tabernæ* quædam & Vegistia veterum Ædificiorum. Ea *Trium Tabernarum* esse putant docti Viri, quas memorant Cicero in Epistolis ad Atticum lib. II. Antoninus, & Itineraria Tabula. Τριῶν etiam Ταβερνῶν meminit Euangelista Lucas in Apostolorum Actis cap. ultimo. *Tres Tabernæ* in Baroni Annalibus est *Cisterna*, qui Vicus est in medio Appiæ Viæ, XXXVI. M. P. ab Urbe. Pighius

glius in Hercule Prodicio putat circa *Casas Novas* fuisse, aut ipsas esse. Onuphrius in Chronic. Pontific. vocat *Tres Tabernas*, alias *apud Nympham*. Apud *Tres Tabernas* Severum Imperatorem ab Adversarijs occisum scribunt Eutropius, Zosimus, & alij.

Forum Appij. Octodecim à Tribus Tabernis P. M. *Forum Appij* scribitur Antonino. Meminit eius &, præter Horatium in Hodœporico, Lucas Euangelista loco, quem indicavi: putatur hodie ibi esse quibusdam *Taberna Marutij*: alijs *L' Abbatia*: nonnullis *Fossa Nova*, item *Casa Nova*.

Setia. Millia inde quinque occurrit editiore situm loco vetus Opidum *Setia*. Sic Livio, Virgilio, alijque Latinis: Σητία Ptolemæo, Σετία Straboni: quæ corrupte forte an Κετία Halicarnassæo: *Zezza* vulgo, vel *Secchi*. Latinorum opidum mediterraneũ, *Colonia,* Volscis adscriptum. Incolæ *Setini* Plinio, *Setia Colonia* vel *Setina* Velleio & Frontino *Montes.* *Setini Montes* sunt apud Iuvenalem Sat. v. *Vina Setina* celebrant Strabo lib. v. Silius *Vina.* *Situs.* lib. VIII. Plinius lib. XIV. cap. VI. & Martialis, qui & nonnihil de Situ:

> *Pendula Pomtinos quæ spectat* Setia *Campos,*
> *Exigua vetulos misit ab Vrbe cados.*

Monti enim altissimo est imposita. Inter *Setiam* & *Casas Novas* adparent in radice montis Veteris Ædificij ruinæ, in Circi modum factæ.

Pipernum, olim Privernum, Situs. Setia *Pipernum* M. P. distat quinque. Sic vernacule vocatur Opidum, quod *Privernum* Latinis: Πρίβερνον Ptolomæo: Πριβέρνον Straboni: *Preivernum* in nummo C. Hypsæi. Opidum nunc in asperrimo situm monte: olim in planicie duobus ab hodierno passuum millibus versus Anagniam, uti fundamenta docent & magnorum operum vestigia. Iuxta Oufentem fluuium locatur Sex. Pompeio Festo: vicina Samnitibus Livio: *Privernum Vetus* ab Germanis & Britonibus excisum, auctor est Blondus. *Colonis Romanis* adscenset Frontinus. *Vetus Municipium* & *Præfectura* *Colonia. Municipium. Præfectura.* ante fuit, scribente Festo. Incolæ *Privernates* Silio, Livio: alijs: Πριβερνᾶτοι Straboni. Natalibus *Camillæ Reginæ*, quæ Turno contra Æneam auxilio fuit, celebratum apud *Res gestæ.* Virgilium lib. XI. Æneid. De Rebus, quæ a *Privernatibus* gestæ, passim Livius, inter alia memorans lib. VIII. *Privernates*, ab S. P. Q. R. rogatos, qualem Pacem maxime optarent perpetuam, si bona foret & honesta: brevem, si turpis & infida, respondisse. Extra opidum in discensu montis pulcherrimus Fons est.

Fons. Magienza. Rocca Gorgona. Rocca Secca. Sonnum. Locis deinde Piperno vicinis Opida Viciique reperiuntur, quæ vulgo *Magienza*: *Rocca Gorgona*: *Rocca Secca*, Thomæ Aquinatis instituto celebris. Hinc ad *Sonnum* millia quinque in alti montis vertice.

Vlterius versus Vulturnum jamnunc non tendens, finitimos Romæ agros repeto. In ijs *Alba*: sic Latinis omnibus nominata: Ἄλβη, item Græcis, id est, λευκή, ut *Alba, unde dicta,* inquit Halicarnassæus: Ἄλβη, Appiano. Nomen ab *Alba Sue*, quam cum Suculis triginta Æneæ in Italiam adpellenti volunt visam. Consulendus præter alios Virgilius libro VIII. Adeundi quoque Propertius lib. IIII. Eleg. I. & Varro de LL. & *Cognomen.* de Re Rustica lib. II. cap. IV. *Longam* cognominant Veteres Scriptores: ab Situ, ut loquitur Livius, porrectæ in dorso Vrbis. Sic ab altera eiusdem nominis Civitate, quæ in Marsis est, discernitur. Hodie *Savello*, si Leandro fides: si alijs, *Gan-* *Incolæ.* *dolfi*, vel *S. Gandolfo*. Incolæ *Albani*, omnibus. Ἀλβανίας nominat Appianus. Con- *Conditor.* ditor eius *Ascanius*, Æneæ filius, XXX post ædificatum Lavinium anno. Virgilius, libro, quem dixi:

> *Iamque tibi ne vana putes hæc fingere somnum,*
> *Littoreis ingens inventa sub ilicibus Sus*
> *Triginta capitum fœtus enixa iacebit,*
> *Alba solo recubans, albi circum Vbera nati:*
> *Hic locus Vrbis erit: requies ea certa laborum*
> *Ex quo terdenis Vrbem redeuntibus annis*
> *Ascanius clari condet cognominis* Albam.

Distantia ab Vrbe. Confirmant Livius lib. I. & Dionysius libro I. Antiquit. Romanar. qui & inter initia condendæ Vrbis maximum accidisse prodigium narrat. Duodecimo ab Vrbe millario locatur apud Eutropium: decimo sexto, apud Appianum libro III. Bellor. Civilium.

Civilium. Sub Monte Albano, ut Livius; in Via Appia, ut Appianus innuit lib. I. Bel. Civil. Inter Montem & Lacum scribitur Halicarnassæo; natura ipsa, tamquam muro tutissimo munita. Habuisse videtur ad numerum Porcellorum xxx. in ambitu Turres. Respicit eo Cassandra Lycophronis: Situs. Qualitas,

Κτίσει δὲ χώραν ἐν τόποις Βορειγόνων
Ὑπὲρ Λατίνους Δαυνίους τ' ᾠκισμένην,
Πύργους τριάκοντ' ἐξαριθμήσας γονὰς
Συὸς κελαινῆς, ἣν ἀπ' Ἰδαίων λόφων
Καὶ Δαρδανείων, ἐκ τύπων ναυσθλώσεται,
Ἰσαρίθμων θρέπτειραν ἐν τόκοις κάπρων,

Albam Suem, unde nomen Urbi, nominant omnes; unus Lycophron Συὸς κελαινῆς hic meminit. Condita tantis opum & fortunæ incrementis auxit, ut xxx. Opidorum Latinorũ, inter quæ ipsa Roma, fuerit, Colonis emissis, Mater: & Reges habuerit xv. *Euryleonem Ascanium, Silvium, Aeneam, Latinum, Albam Capetum, Capyn, Calpetum, Tiberinum, Agrippam, Alladium, Aventinum, Procam, Amulium, Numitorem: Silvios* omnes ab Secundo Rege, qui in Silvis natus erat, cognominatos: qui quales fuerint, quotque annos regnarint, prolixe tradit Halicarnassæus lib. I. Consulendus & Livius lib. I. Sub his Regibus, paucisque, qui sequuti, Dictatoribus, quum supra quadringentos annos floruisset *Alba*, tandem Senatus Romani Tullijque Hostilij Romanorum Regis decreto propter Metij Suffetij proditionem, fuit excisa, Incolis Romam in Cœlium montem migrare iussis. Restauratam iterum ab Henrico III. Imperatore Augusto everterunt Romani anno CIↃCLXVIII. temporibus Alexandri III. P. M. uti Blondus scribit lib. XV. Historiarum. Nunc plane desolata jacet, nisi quod *Savellam* in angulo quodam Castellum modicum ex veteris urbis ruinis ædificatum putetur: unde nobilis Romæ *Savellorum* Familia, si Blondo credendum. Quanta certe eius olim fuerit magnificentia, Moles loquuntur & rudera. De *Vvis Vinisque Albanis* Plinius lib. XIIII. natur. Histor. Martialis, & alij. Res gestæ, Savella, Castellum,

Haud procul Alba fuit, si recte metior, *Roboraria*, cuius mentio apud Antoninum, cui illa inter Pictas & Urbem. Roboraria,

Ulterius in monticulo Civitas est *Aricia*: Sic Virgilio lib. VII. Æneid. Horatio lib. I. Satyra V. Livio passim, Ciceroni, Tacito lib. XX. Plinio, alijs: Ἀρικία Appiano lib. I. Straboni, Ptolemæo & Stephano dicta: quæ *Rizza* vel *La Riccia* vulgo. *Colonia* est *Romana*, Floro ex Livij Epitoma libri XXC. Eam autem conditionem induit ex antiquo *Municipio*: quo statu eius meminerunt Festus, Livius lib. VIII. & Velleius lib. I. Conditam ab *Archilogo Siculo* tradit ex Cassio Hemina Solinus: denominatam ab *Aricia*, Hippolyti coniuge, addunt alij XX. M. P. ab Urbe locat vetus Horatij interpres: CLX. Stadijs, Strabo: CXX. Dionysius Halicarnassæus libro VI. confirmante Philostrato lib. IV. de Vita Apollonij. Incolæ *Aricini* vocantur antiquis Scriptoribus. Dionysius libro IIII. *Turnum Herdeonium Aricinum*, Virum militarem & facundum, nominat. De *Aricinorum* Gestis Dionysius cum alibi, tum lib. VII. Livius libro XVIII. & alij. Nostra memoria parum frequentatur. *Aricinam Brassicam*, ut utilissimam, commendat Plinius libro XIX. nat. hist cap. VII. Martialis eiusdem agri *Porros* celebrat. *Nemoralis Aricia* cognominatur ab *Nemore* ingenti, quod Urbi vicinum erat. In eo Vitellium Imperatorem libentissime versari solitum, notat libro XIX. Cornelius Tacitus. *Nemus* hoc dicatum erat Dianæ: de cuius inibi Sacris, Sacerdote, Fano, & alijs sic scribit Strabo libro V. Τὸ δ' Ἀρτεμίσιον ὃ καλοῦσι Νέμος, ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν, εἰς τὸ δ' Ἀρικῖνον τὸ ἱερόν. Λέγουσι δ' εἶναι ἀφίδρυμα τῆς Ταυροπόλου. καὶ γάρ τι βαρβαρικὸν κρατεῖ καὶ Σκυθικὸν περὶ τὸ ἱερὸν ἔθος. Καθίσταται γὰρ ἱερεὺς, ὁ γενηθεὶς αὐτόχειρ τοῦ ἱερωμένου πρότερον, δραπέτης ἀνήρ· ξιφήρης οὖν ἐστιν ἀεὶ περισκοπῶν τὰς ἐπιθέσεις, ἕτοιμος ἀμύνεσθαι. Τὸ δὲ ἱερὸν ἐν ἄλσει: πρόκειται δὲ λίμνη πελαγίζουσα. κύκλῳ δ' ὀρεινὴ συνεχὴς ὀφρῦς περίκειται, καὶ μία ὑψηλὴ, καὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὸ ὕδωρ ἀπολαμβάνουσα ἐν κοίλῳ τόπῳ καὶ βαθεῖ: & quæ sequuntur de Fontibus. Sic etiam Servius ad illud Virgilij VII. Æneidos, Aricia, Colonia, Municipium, Quis condiderit. unde nomen acceperit. Distantia ab Urbe. Incolæ. Quæ. Nemoralis cognominetur. Nemus Aricinum,

———*Latet Arbor opaca*
Aureus,

Licet in hoc ramo, inquit, qui de Sacris Proserpinæ scripsisse dicuntur, quidam esse Mysterium adfirment, publica tamen opinio hoc habet: Orestes post occisum Regem Thoantem

in

in Regione Taurica, cum Sorore Iphigenia fuit, & Dianæ Simulacrum inde sublatum haud longe ab Aricia collocavit. In hujus Templo post mutatum ritum Sacrificiorum fuit Arbor quædam, de qua infringi ramum non licebat. Dabatur autem fugitivis potestas, ut si quis exinde ramum potuisset auferre, monomachia cum fugitivo ejus templi Sacerdote dimicaret. Nam fugitivus illic erat Sacerdos ad priscæ imaginem fugæ. Dimicandi autem dabatur facultas, quasi ad pristini Sacrificii reparationem. Qui Ἀγωνιστὴς ἱερεὺς Straboni, *Sacerdos*

Rex Nemorensis. *Fugitivus* Servio: Latinis proprio vocabulo *Rex Nemorensis* dicebatur. Is Sacerdotii Regnum tantisper obtinebat, dum vertente anno fortior aliquis superveniens eum pugna superaret: qualem Caius Caligula ei, qui jam multos annos Sacerdotio præfuerat, subornasse legitur apud Suetonium in ejus Vita cap. xxxv. Respicit eo Ovidius lib. III. Fastor.

> *Regna tenent fortes manibus, pedibusque fugaces:*
> *Et perit exemplo postmodo quisque suo.*

Lacus Aricinus. Meminit etiam *Lacus Aricii* idem Ovidius lib. Fastorum IV. *Trivia Lacus* est Virgilio lib. VII. *Speculum Dianæ* Servio ibidem dicitur; *Hippolyti Lacus* Statio libro III. Silvarum; *Dianæ Stagnum* Ovidio lib. III. Fastor. & lib. XIIII. Metamorph. Hodie, ut vult Erythræus, *Lago di Nemo.* Distat ab Aricia circiter IIII. M. P.

Lanuvium. Ultra Ariciam versus Meridiem est *Lanuvium*, cum *Lavinio* apud Græcos Latinosque Scriptores confundi solitum. Aliud enim *Lavinium*, de quo in Latii Littoralibus dixi, aliud *Lanuvium*, cujus hic instituitur delineatio. De utriusque differentia consulendi Sigonius in Livii librum VIII. Hermolaus Barbarus in Plinii librum III. Ursinus de Familiis, ubi de Papia Gente, Simeo Bosius in Epistolis ad Atticum, & alii. Illud certum, ubicumque mentio fiat Junonis Sospitæ, cum adscripto Urbis nomine, semper *Lanuvium* esse ponendum. Ælianus libro Animalium XI. cap. VI. Urbem, de qua agimus, Λανούιον vocat, additque eam merito Matrem primariam Urbis Romæ posse dici; errore duplici, in Nomine & Historia. Λαουίνιον enim scribendum erat, quod tamen non Mater quasi Romæ, sed *Lavinium.* Legitur *Lanuvium* apud Antoninum, sed *Lavinium* ibi restituendum docent cum Itineris ratio, tum Itineraria Tabula cum Antonino commissa. *Lanivium* in Marmoribus esse testis est v. cl. Abrahamus Ortelius. *Lavino* male est apud Silium Italicum lib. XIII. pro *Lanivio*, vel *Lanuvio*. Ego etiam *Lanivinos* lego in Base marmorea, quæ ex Vico Corocollo inter Gabios Tiburtinosque anno CIↃ IↃ XLIX cum aliis advecta, hodie in Vinea servatur Cardinalis Carpensis, sic in fronte habens:

C. CÆSONIO. C. F. QVIR. MACRO. RVFINIANO
CONSVLARI. SODALI. AVGVSTALI. COMITI. IMP
SEVERI. ALEXANDRI. AVG. CVR. R. P. LANIVINOR.

& quæ ibi sequuntur. *Populus* etiam *Lanivinus* nominari videtur in Fragmento Lapidis, quod hodie eo loco:

ANI. F
AIANI
ICI NEP
NERVA. PRONEP
O. HADRIANO
ONINO. AVG. PIO
MAXVMO. TRIBVN
AT. II. COS. II. P. P.
ES POPVLVSQVE
VINVS VETERES

Distantia ab Urbe. Hodie ex Blondi, Leandri, Celsique Cittadini mente *Indivina* CC. plus minus Stadiis, hoc est XXV. M. P. ab Urbe fuisse constat ex libro Diodori XIIII. ubi ait *Marcium* (Locum sic dictum, haud procul hinc, teste Livio libro V.) totidem Roma distare. Ὑπέρκειται δ' αὐτῆς (inquit Strabo, loquens de Aricia) τὸ μὲν Λανούιον, πόλις

Situs. Ῥωμαίων, ἐν δεξιᾷ τῆς Ἀππίας ὁδοῦ. Legendum omnino Λανούιον vel Λανούβιον. Ab Lanuvio

nuvio ἱσπεῖον, inquit idem, ἔτι θελαττά ἐστι, καὶ τὸ Ἀνίειον. *Lanuvij* Templum fuisse Junonis Sospitæ prodit memoriæ, præter Plinium, Livius multis locis. Jn eo vexilla erant Lanuvinorum, quæ sanguine sudavisse, tradit idem Plinius lib. xx. natur. Historiæ: notans etiam libro xxxv. cap. III. *Lanuvij* pictos fuisse cominus nudos Atlantem & Helenam, excellentissima forma. *Lanuvium* inter *Municipia* censetur apud Livium libro VIII. & Sex. Pompeium Festum in Libris de Verb. signific. Meminit etiam, ut *Municipij*, Cicero pro Murena. Postea ex *Municipio Coloniam* ab Cæsare dictatore factam, indicat Frontinus M. S. apud quem in vulgatis scribitur *Lavinium*. Nam id in *Lauro-Lavinio* paullo ante delineatum fuerat. Ortam *Lanuvio* Gentem Murenarum Patriciam memorat Cicero in oratione, quam dixi.

[Templum Iunonis Sospitæ] [Municipium. Colonia.] [Gens Murenarum.]

Appia relicta, meditullium Latij petens, ut sensim ad Hernicorum agros deveniam, Viam adeo jamnunc Latinam. Ea, decimo ab urbe Lapide, fundamenta inveniuntur *Columnæ* Opidi; a quo magnifica Romæ *Columnarum* Familia. Livio lib. II. *Columen* videtur appellari.

[Columna.]

Fuerunt haud procul Columna *Bovillæ*, de quibus Persius Satyra VI. & Martialis lib. II. epig. VI. pauper Vicus, ad quem inter fectus est ab Milone Clodius, ut scribit Asconius Pædianus; sic dictus a Boum multitudine, quasi *Boum villa*, ubi gentes multi stipem mendicabant. De *Bovillis* veteres Glossæ ad VI. Persij Satyram. Hinc forte *Bovillanus Fundus* apud Ciceronem in Epist. ad Q. Fratrem. Aliæ *Bovillæ* nobiliores erant in Latio ad Lirim, de quibus suo loco. Jnter Bovillas & Ariciam erat *Virbij Clivus*, quatuor ab Vrbe Millibus: de quo Veteres, quas dixi, Glossæ, *Quatuor millibus*, inquiunt, *ab Vrbe est Virbij Clivus, qua iter est ad Ariciam & ad Nemus Dianæ, ubi Virbius colitur, id est, Hippolytus, quod bis in vitam prolatus sit. Nota autem apud Virgilium Fabula est.* Consulendus & Ovidius VI. Fastorum, cuius & illud Fastorum III.

[Bovillæ. Vicus.] [Virbij Clivus.]

Hic Latet Hippolytus furiis discerptus equorum;
Vnde Nemus nullis illud aditur equis.

Loquitur de Nemore Vallis Aricinæ.

Jncipit eo tractu *Nemus Algidum*; de quo ante. Supra illud in monte cognomine, XII. ab Urbe Lapide, ut notat Eutropius libro I. conspicitur *Arx Papalis*, vulgo *Rocca del Papa*: ubi quomdam, ut viri docti volunt, *Algidum*; sic dictum ab situ loci, perpetuis cœli frigoribus propter altitudinem algentis. Meminerunt *Algidi* Horatius, sæpe Livius, Dionysius Halicarnassæus, Silius, alij. Ἄλγιδον Straboni & Dionysio; Stephano Ἄλγιδος dicitur: *Algedon* Procopio libro III. Rerum Gothicarum. Male legitur apud Diodorum Siculum lib. XII. Λαγαδίῳ pro Ἀλγιδῷ, in Historia Virgilij & Filiæ ab ipso occisæ.

[Nemus Algidū.] [Algidum. vulgò Rocca del Papa.]

Jn Hernicis, de quibus initio huius capitis dixi, est, ut notant Livius lib. IX. Strabo libro V. & Macrobius libro V. Saturnal. *Anagnia*. Sic cum aliis, tum Livio varijs locis, Tacito libro XIX. Ciceroni, Silio libro V. & alibi, Frontino, cui Colonia est, Antonino; Ἀναγνία Straboni & Ptolemæo vocatur; *Anagnium* Jtinerariæ Tabulæ; quæ *Anagna* vulgo. *Incolæ Anagnini* Livio & aliis: Plinio item in Prima Jtaliæ Regione; & Basi confractæ, quæ in ipso Opido, Parieti domus privatæ ad S. Paullum inserta. Πόλις ἀξιόλογος, Straboni: Dives, Virgilio, ad quem Servius notat, *Anagniam Divitem appellari, vel quod persæcunda sit, vel ad historiæ confirmationem. In ea enim Antonium, Augusti Sorore Fulvia contemta, Cleopatraque in Vxorem accepta, nummum percuti iussisse.* Muros & Portam *Anagniæ* fulmine percussam scribit Livius lib. XXVII. alio loco, Terram ante Portam eiusdem Vrbis iactam sine ullo ignis alimento arsisse: item lib. XLV. Terra quandoque ad eamdem Vrbem pluisse. Auctor est Plinius *C. Septimulium*, Graccho peramicum, *Anagniæ* progenitum. *Octavij Felicis, Anagnini*, mentio in fragmento Tabellæ marmoreæ, quæ in hortis Euryali Rufini ad Busta Gallica. Varios genuit Pontifices: inter eos *Innocentium* III. *Gregorium* IX. *Alexandrum* IV. *Bonifacium* VIII. Cardinales insuper multos, Episcopos, aliosque præclaros viros. Patria quoque hæc *Ioannis Anagnini*, Bononiensis Archidiaconi, & Commentatoris Legum Pontificiarum, maximeque Decretalium: qui anno CIↃCCCCLVII. Bononiæ fato concessit. Hodie, licet Episcopatus dignitate fulgens, semidiruta tamen & desolata jacet: civilibus & intestinis odijs maxime-

[Anagnia.] [hodie Anagni.] [quur Dives dicta.] [Res gestæ.] [Clari viri.] [Episcopatus.]

Visuntur inde, quæ vulgo *Nota*, *Turtio*, *Profe*, *Vico*, *Rippe*, *Porcigliano*, *Trevo* & *Fettino*; Latine scribentibus *Nota*, *Turritium*, *Profeum*, *Vicus*, *Ripa*, *Porcilianum*, *Trevum*, & *Fetinum*.

Nota. Turritium. Profeum: Vicus. Porcilianum. Trevum. Fetinum.

Deinde repetita via, medio in Nemore Algido relicta, *Valmontonium* Castellum, vulgo *Val-montone*, inde colle cernitur. *Labicum* Virgilio; ut infra videbimus; Silio lib. v, viii, xiii & alijs. Λαβικανῶν Straboni. Huc pertinet illud principis Poetæ libro vii Æneidos:

Valmontinum. olim Labicum,

Et Sacrana Acies, & picti Scuta Labici.

Ad quem locum Seruius, *Glaucus*, inquit, *Minois filius venit ad Italiam; & quum sibi Imperium posceret, nec acciperet, ideo quod nihil præstabat, sicut pater eius præstiterat, Zonam eius transmittendo, quum antehac distincti essent; ostendit scutum militare, à quo & ipse Labicus dictus est, & ex eo Populi, ἀπὸ τῆς λαβῆς, quam Latine Ansam vocamus.* Labici mentionem sæpe facit Dionysius Halicarnassæus, præsertim libro viii, ubi ab Marcio Coriolano cum ceteris Albanorum Colonijs subactum scribit. Livius lib. iiii hanc Vrbem expugnatam ab Q. Sulpicio Prisco Dictatore, direptamque scribit; & Colonijs eo Roma ex S. C. missis bina jugera singulis data. *Labici Municipii* meminit Cicero Philippica ii. Ab eo *Labicana Via* Romæ. Plinius *Agrum Labicanum* locat in i Italiæ Regione. Idem Ager olim ab Vvæ præstantia nomen habuit, cujus tres & viginti libras uno prandio Claudium Albinum absumpsisse Capitolinus est auctor. *Labicana Vina* celebrant Spartianus & Frontinus. In Populis designandis nonnulla est apud Auctores Græcos Latinosque inconstantia. Nunc enim *Labici* & *Labicani*; nunc *Lavici* & *Lavicani* scribuntur. Subditione hodie est *Valmontonium* Familiæ Comitum Romanæ.

Vnde dictum. Res gestæ, Colonia, Municipium. Ager, ejusque Vina,

Haud procul Valmontonio est *Montefortinum*; Castellum *Monfortinorum*; qui inter Patricios Romanos loci non postremi.

Montefortinum:

Pandunt se mox Opida, quæ vulgo *Zancato*, *Gavignano*, & *Segna*. Hæc *Segnia* Livio: Σιγνία Straboni: Σίγνια; Stephano. *Coloniam* deduxisse *Signiam* Tarquinium Superbum auctores sunt Livius libro i, ii, & xxvii, Dionysius lib. iv, Strabo lib. v, Frontinus de Colonijs, & Inscriptio, quæ apud Onuphrium Panuinium:

Zancatum. Gavinianum. Signia. Colonia.

L. VOLVMNIO
L. F. POMP
IVLIANO. SEVERO
IIII. VIRO. COL. SIGN.
PATRONO. COLONIÆ. SVÆ
SENATVS. POPVLVSQVE. SIGNINVS

Incolæ *Signini* Plinio, in i Regione. Dedit *Signia Vitalianum P. M.* Episcopatus claret dignitate. *Vinum Signinum* commendant Strabo & Plinius libro xiiii Nat. hist. cap. vi: quod vetus adstringebat ventrem. Martialis:

Clari Viri, Episcopatus & Vina.

Potabis liquidum Signina *morantia ventrem,*
Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.

Sic Silius Italicus libro viii de Bello Pœnico:

Quos Cora, quos spumans inimico Signia *musto.*

Inimicum Mustum, quod nimium sæpe adstringeret.

Post Signiam ulterius sunt *Scurcula*, *Meruto*, *Sappino*, *Patria*, *Ceccano* & *Castrum*, Latij hic terminus.

Scurcula. Merulum. Sapinum. Patria. Ceranum. Castrum:

Flagitat jam ordo, ut Septemtrionaliora Latij per Viam Valeriam Tiburtinamque peragremus.

Hic primo se offert loco *Tibur*. Ita Latinis omnibus dicitur. Τίβυρ, Ptolemæo, Τίβυρα, Straboni: Τίβυρις ex Artemidoro; Τίβυρα ex Nicanore, & τίβυρα ex nescio quibus: quæ *Tivoli* hodie. Πολύσφανον olim vocatum tradit Stephanus; quam appellationem Strabo tribuit Præneste. Ineptiunt, qui Ηράκλειον & Καταράκτην nominatum etiam ex Strabone contendunt; Auctoris mentem non satis adsequuti. Herculi tamen sacram fuisse, constat ex Suetonio in Caligulæ Vita cap. viii. Ejus pars est Σικελιών apud Dionysium Halicarnassæum. Incolæ *Tiburtes* plerisque, &

Tibur.

Antiquis Inscriptionibus: *Tiburtini* Plinio, in IV Italiæ regione. Conditam volunt quidam à Phocensibus; alij ab Catillo Arcade, Evandri Classis Præfecto: nonnulli ab Argivis: nominatum autem à Tiburto, Catilli Filio, Amphiarai vatis Nepote, Fratre vero Coræ & Catilli. Legendus Servius ad illa libri VII Aeneidos;

Tum gemini Fratres Tiburtia mœnia *linquunt*;
Fratris Tiburti *dictam cognomine gentem*,
Catillusque, acerque Coras, Argiva Iuventus.

Situs. Videndus & Silius libro VIII. Horatius etiam *Catili Mœnia Tibur* appellat. Antiquitatem testantur, quæ scribit Plinius lib. XVI, ætate sua durasse apud *Tiburtes* tres Ilices, apud quas ejus Conditor *Tiburtus* fuerat inauguratus. Vrbs ad Anienem Fluvium, Roma distans CL stadijs, Procopio; CXLVII, Stephano; XVI lapide, alijs: ἐν ὄψει τῆς Ῥώμης, Straboni: & idem paullo post de *Tibure* & Prænesté: διέχουσι δ' ἀλλήλων ἴσον σταδίους ἑκατὸν· τῆς δὲ Ῥώμης Πραινεστὸς μὲν καὶ διπλάσιον, Τίβουρα δ' ἔλαττον. Cœlo est temperatissimo: locoque ob Aquarum Fontiumque copiam saluberrimo. Inter Fontes extra Vrbem in monte sublimi est *Albunea*: a quo *Sibylla Albunea Tiburtina* cognominata, aliæque complures Aquulæ medicæ, quas *Albulas* vocant. Episcopatus Titulo est nobile. Patria *Simplicij P. M.* & aliorum, quos commemorare longum esset. *Tibure* Fanum fuisse *Herculis*, Græcanici generis Dei, notat Strabo: Autumant periti Antiquitatum esse rotundum & Vetus illud, quod sub monte ad Viam Tiburtinam conspicitur, D. Virgini sacrum. Videtur & cultus *Tibure Hercules*, *Saxanus* cognomine, cuius ibidem meminit Tabella Marmorea; Parieti Diversorij publici inserta.

HERCVLE. SAXANO. SACRVM
SER. SVLPICIVS. TROPHIMVS
ÆDEM. ZOTHECAM. CVLINAM
PECVNIA. SVA. A. SOLO. RESTITVIT
IDEMQVE. DEDICAVIT. K. DECEMBR.
L. TVRPILIO. DEXTRO. M. MÆCIO. RVFO. COS
VTACHIVS. SER. PERAGENDVM. CVRAVIT

Putatur eius Aedes fuisse in Saxo, vel Rupe, Rotunda illa sine Tecto, sumtuosi operis ex marmore, artisque eximiæ: ex eius Porticu XII adhuc Columnæ supersunt. Porticuum *Herculei* Templi meminit Suetonius in Augusto cap. LXXII. De *Hercule* sane *Tiburtino Victore* loquitur Inscriptio, quæ ibi ad S. Vincentium in Basi:

HERCVLI
TIBVR. VICT.
ET. CETERIS. DIS
PRÆT. TIBVRT
L. MINICIVS
NATALIS
COS. AVGVR
LEG. AVG. PR. PR.
PROVINCIÆ
MOESIÆ. INFER
VOTIS. SVBSC

Inscriptiones. In æde S. Archangeli, SS. Silvestri & Vincentij multæ sunt Inscriptiones antiquæ, quæ ab alijs publicatæ; quemadmodum & illa, quæ est in sepulcro marmoreo Plautiorum. Stupendus visitur *Tibure* præceps Anienis ex altis Rupibus in subiectos Campos maximo cum fragore lapsus. *Cascatam* vocant Itali, corrupta ex *Cataracta* voce. Bella Tiburtium & Romanorum, Pacemque inter eos factam, commemorat Livius libro VII. Quam ob caussam Virgilius lib. VII Aeneidos *Tibur* vocet *Superbum* explicat Servius: Poëtam scilicet historiam per transitum tangere: quoniam aliquando, quum à Senatu auxilia poscerent *Tiburtes* sub commemo-

memoratione beneficiorum, hoc tantum responsi tulerunt, *Superbi estis.* In ditionem Populi Romani quomdam redacta; multis post seculis ab Germanis eversa, & ab ijsdem restaurata auctaque, tandem Arce munitissima, quæ Vrbem subtus despicit, a Pio II. P. M. ornata legitur. Ingentia *Tiburtina Villæ* in huius Vrbis Agro visuntur secundo milliario rudera, sumtuosissima, & opidi ambitum complexa. *Arx in qua & eo Tiburtina Villa.* Adparent inter ruinas Fornices & Loca concamerata, partim picturis, partim incrustationibus marmoreis adhuc ornata. Testatur Spartianus, Hadrianum in ea Villa & provinciarum & Locorum celeberrima nomina inscripsisse; velut Lycium, Academiam, Prytanium, Canopum, Poecile, Tempe, &, ut nihil prætermitteret, etiam Inferos in ea finxisse. Nunc tota passim sentibus, Agris, Pratis occupata iacet, præter exiguam inter ruinas semitam. Incolæ rerum ignari Domum, Sacellum, Fontem, Campum *Sibyllæ Tiburtinæ* istic fuisse fingunt, *Tivoli Vecchio* appellantes, opinione falsa. *&alia Antiquitatum Monumenta,* Intra *Tibur* multa vetustatis inveniuntur Monimenta, interque alia Marmor insigne, quo Leo cum Equo tam apte commissus exprimitur, ut vera pugna videatur. Inter eos certatum ferunt de *Tiburtinorum* & Romanorum Imperio, sed Equum Victorem, Leone pluribus vulneribus sauciato, opes *Tiburis* ad rem Romanam traduxisse. Sumtuosissimos Hortos, quos hoc loco Hippolytus Atestinus, Ferrariensis Cardinalis, in clivo montis cum magnifico Prætorio, Statuis Antiquis, Picturis, regiaque prorsus Supellectile ante annos aliquot instruxit, describunt accurate & eleganter Vbertus Folietus, Franciscus Schottus, & alij. *Horti Hippolyti Atestini.* Corona Pighius Picturam Prætorij & Hortorum Romæ typis æneis publicavit. De *Tibure* multa docte Fulvius Cardulus in notis ad S. Getulij Passionem.

Supra Tibur in Latio arduis asperisque Montibus habitarunt *Aequicoli*: quos initio huius capitis descripsi. *Æquicoli Populi* Primum ejus gentis opidum inter montes ad dextram Anienis est, quod vernacule *Vico-varo*; Latine fortean *Vicus Varronis*: Sabellicus vocat *Vicum Valerium*. *Vicus Varronis.* Castellum nunc est, cum natura loci, tum opere munitissimum; in cujus oppugnatione anno CIↃIↃXXXIII globo ictus interijt Ludovicus Gonzaga, Legionum Clementis VII P.M. Ductor. Nomen loci nobilitavit ortu M. Antonius Coccius Sabellicus.

Vltra Vicum Valerium, Vel Varronis, inter rupes Opida parva sunt, quæ vulgo *Procella*, & *Cantalupo* dein aspero in monte *Rivo Freddo*, *Rivus Frigidus*: supra quem altissima iuga multis vel editissimis totius Apennini cacuminibus inferiora; Puteis perfossa plurimis, magnæ profunditatis, ad emittendum Fucinum Lacum: quorum auctor Claudius Imperator, uti notant Suetonius cap. XX & Plinius lib. natur. histor. XXXVI, cap. XV. *Procella, Cantalupum, Rivus Frigidus.*

Post Rivum frigidum recta devenitur *Arceolum*; juxta quod in montium verticibus amœna incipit planicies. *Arceolum olim Carseoli* Hic quomdam *Carseolos* fuisse putant viri docti. *Carseoli* dicuntur Livio, varijs locis; Καρσεολοι item Straboni: qui Καρσίολοι Ptolemæo: *Carsuli* Itinerariæ Tabulæ; *Cassioli* corrupte Antonino; *Carseolis* singulariter Ovidio libro IV Fastorum. *Coloniam* vocant Livius lib. X, XXVII, XXIX & Velleius Paterculus libro I. *Colonia.* Paullus Marsus ad Ovidium dicit in Via Valeria esse, medio spatio inter Vrbem & Marsorum Municipium, ubi se natum addit. Ad Fucinum Lacum est Ligorio. Incolæ *Carseolani*, Æquicolanorum Populi, cum Livio, tum Plinio in quarta Italiæ Regione. Bithim, Regis Thraciæ Filium, Obsidem Pop. Romano datum, *Carseolis* in custodia degisse scribit Livius libro XL. Agri indolem describit Ovidius lib. IV Fastorum: *Ager.*

Frigida Carseolis; *nec olivis apta ferendis*
Terra; sed ad segetes ingeniosus Ager.

Cella, Scurcula, Pereta. Taliequitium.

Hinc summo in vertice sunt *Cella*, difficillimo aditu.

Sequuntur mox *Scurcula, Pereto, Tagliacozzo*; quod *Taliequitium* Sabellicus nominat libro I. Ager hic peramœnus & fœcundus, Vitibus undique, Ficubus, Pomis, Pyris, alijsque id genus Arboribus consitus. Imperium agnoscitur hic Columnarum.

Æquicolis succedunt *Marsi*, de quibus supra. Eorum olim caput *Maruvium*, ad Fucinum Lacum exiguis nunc se prodit vestigijs: quæ *Maruo* vulgo nominant; *Marsi. Maruvium.* ut scribit Leander: *Marcesio*, ut Erythræus, qui addit à Bononiensibus *Maragosio* vocari

vocari. *Maruvium* plerisque dicitur; *Μαρούϊον* Straboni, alijsque Græcis, *Marrubium* Virgilio & Itinerariæ Tabulæ. *Maruvium* Halicarnassæus Aboriginibus adscribit, in intima locans palude: XL Stadijs à Septem Aquis. *Maruvij* Plinio dicuntur Incolæ: de quibus Servius ad illud Virgilij lib. VII Æneidos:

Quin & Marrubia *venit de gente Sacerdos:*

Scilicet Medea, inquit, *quando relictis Colchis Iasonem sequuta est, dicitur ad Italiam pervenisse, & populos quosdam circa Fucinum ingentem Lacum habitantes, qui* Marrubij *appellabantur, quasi circa mare habitantes, propter Paludis magnitudinem, docuit remedia contra Serpentes: quamquam alij* Marrubios *ab Rege dictos volunt.* Et paullo post: *Sunt autem isti Marsorum Populi.*

In *Marsis Valeriam* describit Strabo; Patriam Bonifacij IV P. M. Ab ea mediæ ætatis Scriptoribus, Gothicis temporibus Regio circumjecta *Valeria*.

Valeria.

Ab Taliequitio per amœnos Colles descenditur in amœnam planiciem, ubi juxta Montis pedem ad Viæ lævam *Scentula* est; *Κούκουλον* Straboni.

Scentula. Malianum.

Duobus hinc passuum millibus, eodem montis latere, in tumulo *Malianum* eminet: cujus in dextra Planicies, de qua paullo ante, ab Montium radicibus ad Fucini Lacus ripas usque panditur: *Campos Palentinos* appellat Blondus, Legionibus Corradini Siciliæ Regis Filij, fusis inclutos: in cujus rei memoriam Karolus victor Cœnobium ibi sumptuosi operis sacravit *D. Mariæ Victrici*. Vulgo dicitur *S. Maria della Vittoria*, frequente terræ motu conquassatum hodie jacens.

Campi Palentini.

Cœnobium D. Mariæ Victricis.

Ad exitum Camporum, quos dixi; Via Valeria tribus ab Lacu millibus in colle circa Anienis Fontes *Alba* conspicitur. *Alba* Latinis & Itinerariæ Tabulæ: ut & *Ἄλβα* Straboni. Ad differentiam cognominum in Italia Vrbium, *Albensium* Plinio appellatur libro III cap. XII, ab Incolis, qui *Albenses* Varroni: vel *Albanenses* Plinio, Livio, Festo: ut *Albæ*, quæ in Latio: *Albani*: quæque in Gallia Togata, *Albesani*. *Alba Fucentis* Sosipatro dicitur, ab Fucino Lacu, qui tertio inde lapide: quod cognomen corrupte legitur apud Ptolemæum & Antoninum: apud hunc quidem *Alba Tucentia*, pro *Fucentis*: apud illum vero *Ἀλφαβούκηλης*, pro *Ἄλβα Φουκέντης*. *Albam* scribit *Coloniam* cum Sora factam, Livius libro X, qui ejusdem etiam meminit libro XXVII & XXVIIII, ut & Florus Epitoma libri LXXII. Agrum describit quodam modo Silius lib. VIII.

Alba.

Fucentis cognomine.

Colonia.

Ager.

———Interiorque per udos

Alba sedet campos, pomisque rependit aristas:

quibus Poeta innuit, Vrbis Agrum non tam frumentarium esse, quam vbertate pomorum fructuosum. *Albam* hanc, quod *ἐν βάθει τῆς χώρας* sita, & permunita undique esset, tradit Strabo, Romanos iis, qui custodiendi erant, tamquam Carcerem adsignare consuevisse. Vnde Perseum Regem cum Alexandro Filio iussu Senatus eo ab Q. Cassio deductum, libro XLV: Bithuntem autem Avernorum Regem ibidem servatum, lib. LXI memoriæ prodit Livius: qui & libro XXVII *Albam* hanc inter XII recenset *Colonias*, quæ tempore Belli Punici Romanis auxilia non dederunt. Ruinis nunc tota fere collapsa jacet. Quædam veterum Mœniorum ex quadrato lapide partes, quanta fuerit Vrbs, facile loquuntur. *Angitiæ Nemus Albæ* vicinum fuisse canit Virgilius lib. VII Aeneidos.

Carcer publicus Romanorum.

Angitiæ Nemus.

Circa Fucinum porro Castella sunt, quæ vulgo *S. Apetito*, *S. Giona*, *Paterno*, *Transacco*, *Gaiano*, *Avezzano* & *Maliano*, de quo ante: quæ omnia cum populi frequentia, tum opibus longe superat *Celanum*, juxta Montium editissimorum pedem, in colliculo, meridiem versus. Possidetur ab Ciborum Genuensium familia, Fucinoque Lacui indit hoc ævo nomen.

S. Apetitum, Ad D. Ionam, Paternum, Transaccum, Gaianum, Avezzanum, Malianum, Celanum.

Quatuor Alba miliaribus opidulum est *Cesa*, Petri Marsi Patria, cum alijs, tum Commentarijs in Silium celebris.

Cesa.

Occidentaliora Lacui Celano vel Fucino Loca repetentibus occurrunt, quæ vernacule *Rocca dalle Cave*; *Capranica*, opidum Capranicorum, Romæ Nobilium, origine clarum; *Guadagnolo*, *Poli*, *Casa Corbula*, *S. Georgio*, *Rocca dell'Arci*, *Cerisano*, *Sambucca*, *Saracinesco*, *Rocca de Mutti*, *Girano*, *Cereto* (*Κερεᾶτοι* Straboni; *Cereate Mariana*, Municipium ab S. Mario, apud Frontinũ de Colonijs: Sic Plinius libro III cap. V. *Cerretum*, *Cervetani*, *qui Mariani cognominantur*: Alter ex altero emendandus.) *Anticolo*, *Rinate*, *Affile*, *Civitella*, *Olibano* (multæ amœnitatis) *Prisciano* & *Sanvito*, juxta Fontem Liris Fluvij dexteriorem.

Arx Caveorum, Capranica, Guadagnolum, Poli, Casa Corbula, Ad D. Georgium, Arx [illegible], Cerisanum, Sambuca, Saracenicum, Arx Mutiorum.

Supra

Supra inter excelsos Montes Opidum est, quod hodie *Sollago* vel, ut alij pronunciant, *Sublaco*; Latinis *Sub-Lacum*, ab situ ad Lacum. Meminerunt, sed corruptius, Veteres. Pro *Sublaqueo* Plinij libro III. cap. XII reponit Hermolaus Barbarus *Sub-lacum*, quod ab Frontino de Aquæductibus *Via Sublacensis* nominetur; quodque nomen loco dedisse doceat idem Plinius, *Lacus tri amœnitate nobiles*. *Sublacensis* item *Villa Neroniana* est apud Frontinum de Aquæductibus. Tacitus libro XIIII Annalium: *Nam quia discumbentis Neronis apud Simbrivina Stagna, cui Sublaqueum nomen est, icta dapes, mensque dejecta, idque finibus Tiburtum acciderat unde paterna Plauto origo*. Legit V. Cl. Iustus Lipsius *Sublacum*; rationem addens Emendationis, quia ab *Lacu, Simbrivium* etiam habet Silius libro VIII Belli Pœnici, & *Simbrivinos Colles* idem Tacitus libro XI; pro quibus tamen Lipsius mavult *Imbrivium* & *Imbrivines Colles*, ex melioribus codicibus cum Taciti, tum Livij libro VIII. Ego hic hæreo; non ignorans interim *Imbrivium* Livij aliud esse ab Silij *Simbrivio*, Tacitique *Simbrivinis*, cum collibus, tum Stagnis. *Sollagium*, ut eo redeam, Opidum est perhonestum, Lacui, de quo dixi imminens, Monasterio D. Benedicti, qui vitam hic egit, celebre, uti D. Gregorij Dialogi memorant. Huc æstatis tempore mutandi aeris gratia, secedunt Monachi Farfenses. *Farfa* monasterium est sumtuosum ab Monachis habitatum Germanis, ad Fluvium Farfarum & Vallem Lucretilem situm, quibus Mons cum Silva ejusdem nominis, Blandusiæque Fons, de quibus suo loco, adjacent.

Giranum. Ceretanum. Anticolum. Rinaco. Affile. Cantarella. Olibanum. Stagnum.

Farfa, Monasterium.

Præneste jam nunc me vocat. Sic Latinis constanter appellatur, Πραίνεστος autem Straboni, Πραίνεστος Ptolemæo: quæ hodie *Pilestrina*. Conditum à *Præneste*, Latini Filio, Vlyssis Nepote, tradit apud Solinum Xenodotus. *Prænestum* Latinum, Vlyssis & Circes Filium, dicit Stephanus. Plutarchus in Parallelis ex Aristotelis rerum Italicarum III Telegonum, Vlyssis & Circes Filium, quem & Tusculum condidisse volunt, Deorum oraculo monitum, etiam hoc opidum condidisse tradit, ubi saltantes cum coronis Colonos invenerat; & tum appellatione coronæ ilignex *Prinistum* nominasse, & hinc *Prænesten* Romanos postea vocitasse. Quapropter & *Stephane* Græcis quomdam dicta fuit, teste Plinio; vel, ut Strabo vult, *Polystephanos*, quasi multarum coronarum. Ab *Cæculo* Vulcani Filio, ædificatum canit Virgilius libro VII Aeneidos. De *Cæculo* longam Fabulam habet Servius, qui nomen Vrbis dirivat ἀπὸ τῶν πρίνων, ab Ilicibus, quibus Ager ibi abundabat. Malunt alij ἀπὸ τοῦ πρανοῦς dictam, quod pronus & declivis sit locus, in quo sita est. Festus autem vocatam ait, quod locus, in quo posita, montibus præstet: unde & *altum Præneste* Virgilio. Situs ejus in declivi Monte ad Venestrim fluvium, olim longe fuit & amœnissimus & iucundissimus: ideoque florente Re Romana frequenter Imperatores Augusti huc animi gratia secessisse leguntur. Videndus, præter alios, Suetonius in Octaviano, cap. LXXII. Hinc *Prænestina Secessio* apud Symmachum libro I, Epist. II; & *Prænestinum Diversorium* apud eumdem libro III Epist. V, lib. VII. Epist. XXXV, lib IX Epistol. LXXVIII. Infaustus Antonino Pio locus fuit propter Veri Cæsaris septennis Filij, interitum, de quo Capitolinus in ejus Vita. Mons, in quo conditum, quomdam *Aventinus*, ut Sequester ait, nunc *Aretinus*. Arx summo Monti imposita est. XVIII ab Vrbe milliario locat Eutropius. hodie XXII numerantur: ἐν ὄψει τοῖς ἐν Ῥώμῃ cum Tibure & Tusculo est apud Strabonem; qui paullo post abesse Roma notat CL Stadijs *Præneste* apud Festum *Municipium* est sui juris. Appianus Italico bello cum Tiburtinis in Civitatem acceptos *Prænestinos* diserte scribit. Non tamen diu post L. Sulla victor, quantum ex Tullij Agraria & Catilinaria colligimus, Opido cædibus atque proscriptionibus exhausto *Colonos* imposuit, agrumque eorum omnem divisit. Apud Agellium lib. XVI, cap. XIII legimus *Prænestinos* ab Ti. Augusto impetrasse, ut ex *Colonia* in pristinum *Municipij* statum redigerentur. *Coloniam* appellat, qui cum multis alijs ibi, Lapis:

Præneste, Opidum, Vnde dictum.

Situs.

Distantia ab Vrbe.

Municipium.

Colonia.

FLAVIÆ. RVFINÆ
M. BARBI. FASTI
CONSVLARIS
PATRONI. COLONIÆ
PRÆNESTINORVM
FILIÆ. OPTIMÆ
MERITÆ. PRÆNESTIN
D. D

Antiquitates. *Prænestinos*, quorum frequens passim mentio, *Nuculas* esse nuncupatos auctor est Festus. Multæ hic, præsertim in Domo Episcopali, Antiquitatum reliquiæ, Imagines, Coronæ, Aræ, Tabulæ, Cippi marmorei, cum suis Elogijs & Inscriptionibus. Publica ædificia. Templum hic sumtuosissimum habuit *Fortuna*, in quo Simulacrum ejus fuisse notat Plinius, inauratum: ab cujus operis præstantia Bracteæ crassissimæ dicebantur *Prænestinæ*. Lithostratum etiam in *Fortunæ Prænestinæ* delubro factum ab L. Cornelio Sulla commemorat idem lib. XXXVI cap. XXV inter nobilia Pavimentorum genera. Legebatur ibi in Basi marmorea Carmen, quod hodie in Episcopi Palatio tale;

TV. QVÆ. TARPEEIO. COLERIS. VICINA. TONANTI
VOTORVM. VINDEX. SEMPER. FORTVNA. MEORVM
ACCIPE. QVÆ. PIETAS. DONAT. TIBI. DONA. MERENTI
EFFIGIEM. NOSTRI. CONSERVATVRA. PARENTIS
CVIVS. NE. TACEAT. MEMORANDVM. LITERA. NOMEN
CÆSIVS. HIC. IDEMQVE. TITVS. PRIMVSQVE. VOCATVR
QVI. LARGÆ. CERERIS. MESSES. FAVCTVSQVE. RENATOS
DIGERIT. IN. PRECIVM. CVI. CONSTAT. FAMA. FIDESQVE
ET. QVI. DIVITIAS. VINCIT. PVDOR. IRE. PER. ILLOS
CONSVETVS. PORTVS. CVRA. STVDIOQVE. LABORIS
LITTORA. QVI. PRÆSTANT. FESSIS. TVTISSIMA. NAVTIS
NOTVS. IN. VRBE. SACRA. NOTVS. QVOQVE. FINIBVS. ILLIS
QVOS. VMBER. SVLCARE. SOLET. QVOS. TVSCVS. ARATOR
OMNIBVS. HIC. ANNIS. VOTORVM. MORE. SVORVM
CENTENAS. ADICIT. NVMERO. CRESCENTE. CORONAS
FORTVNÆ. SIMVLACRA. COLENS. ET. APOLLINIS. ARAS
ÆGERIVMQVE. IOVEM. QVORVM. CONSENTIT. IN. ILLO
MAIESTAS. LONGÆ. PROMITTENS. TEMPORA. VITÆ
ACCIPE. POSTERITAS. QVOD. POST. TVA. SECVLA. NARRES
TAVRINVS. CARI. IVSSVS. PIETATE. PARENTIS
HOC. POSVIT. DONVM. QVOD. NEC. SENTENTIA. MORTIS
VINCERE. NEC. POTERIT. FATORVM. SVMMA. POTESTAS
SED. POPVLI. SALVO. SEMPER. RVMORE. MANEBIT

Sortes Prænestinæ. De *Prænestinarum Sortium* Historia & Superstitione, ejusque initio legendus Cicero libro II de Divinatione. Meminit Suetonius in Tiberio cap. LXIII, & ibi Torrentius. Agapetus Martyr. Consulendus & Petrus Crinitus lib. XXII. cap. III, *D. Agapetus* hic genitus, & annorum XV adulescens Imperatoris Alexandri jussu martyrio coronatus traditur. Episcopatus Prænestinus. Episcopatus hodie gaudet dignitate: estque Antistes *Prænestinus* inter septenos, qui Romano Pontifici adsistunt. A Pœnis olim obsessa fuit Vrbs, ut auctor est Livius lib. XXIII, quo tempore fide erga Populum Romanum fuit singulari. Quæ autem alijs Vrbibus magno solent esse usui & tutelæ, Situs loci munitissimus maximaque murorum firmitas: ea huic postea fuerunt calamitati & exitio; ut Strabo memorat propter Bella Romanorum Civilia: quum factiosi Cives huc, veluti in arcem, confugerent Opidumque simul sua clade involverent. Visuntur adhuc Cuniculi Specusque subterranei ab opido per vicinos montes ad plana perfossi, tam auxilij intromittendi, quam clandestinæ fugæ caussa. In quorum uno C. Marius Iunior obsessus, quum

fugæ

fugæ nulla pateret via, ne caperetur vivus, cum amico Pontio Telesino dimicans cecidit. Videndus Livius libro LXXXVII & seq. Eadem de re Lucanus libro II.

——Vidit Fortuna Colonos
Prænestina suos cunctos simul ense recisos,
Vnius Populum pereuntem tempore mortis.

Vulgi etiamnum opinio manet in Cuniculis illis Saxa cæsorum ibidem adhuc cruore rubere: quum tamen in his vicinisque montibus tam Tusculanis, quam Albanis mollior lapis omnis sua natura rubeat obscure. Post, ut scribit Volaterranus libro VI cap. I, à Bonifacio VIII. P. M. Ioannis & Iacobi Columnarum Cardinalium, Sciaræ item Columnæ odio, Vrbs est eversa; ac dein rursus restaurata: quumque receptum istic haberent Ponceletus & Nicolaus Fortebracius, alijque Populi Romani Hostes, tandem funditus est deleta: quæ nunc eodem in loco restituta quidem aliquantulum; sed nec ea amplitudine, nec murorum firmitate, qua olim fuit, cernitur: ut ex murorum ingentium adparet vestigijs. Sub ditione hodie Columnarum est. In radice Montis, cui quasi adfixum est opidum, Castellum fuit Aquæ, cui Fornices novem alti & ampli, singuli quattuor habentes ostia, conspiciuntur. Ante ingressum Castelli XXI Fenestellæ sunt, quibus Statuas Imaginum suarum Veteres imposuerunt. Fuit in Prænestinis Montibus *Horatii Poetæ Villa*, ubi nunc *Ecclesia S. Ioannis in Campo Horatii*: vel ut alij dicunt, *S. Maria in Villa*. Ab hac Vrbe *Porta* dicebatur, *Viaque Prænestina* Romæ, de quis alibi.

Aquæductus. Horatij Villa.

Supra Præneste *Capitulum*, Καπίτυλον, Hernicorum Vrbs, est Straboni & Plinio. *Capitolium* Frontino inter *Colonias* censetur.

Capitulum.

Circa Præneste item *Sacriportus* erat, ubi Marium oppressum scribunt Florus, Velleius & Appianus: qui ἱερὸν λίμενα vocat.

Sacriportus.

Nefas sit indictum hic habere *Tusculum*, opidum multis olim nominibus insigne, quod haud procul ab *Frascata* abfuisse censent ex ruderibus, quæ hodieque visuntur, Viri doctiss. *Tusculum* Scriptoribus Latinis Græcisque notissimum. Τύσκυλον Diodoro Siculo, Dionysio Halicarnass. Straboni, Ptolemæo, alijs: Τύσκλος & Τύσκλανον Stephano. Opus, ut notant Veteres Scriptores, Telemachi, quem Vlyssis & Circes ferunt filium. Annius Viterbiensis ab *Tuscis* conditum vult & denominatum. *Tusculum* quidam quasi *Dyscolon* dictum putant, quod aditus esset difficilioris. Roma aberat Stadijs centum, numerante Dionysio: loco situm amœnissimo, salubri, aqua abundante, in Albani montis dorso: versus Orientem collibus circumdatum, ceteris partibus planicie & silva. Strabo *Tusculi* collem fœcundum aquis, & regijs ædificijs abundasse, refert, continuaque esse loca, quæ ad Albanum vergunt montem. Incolæ Plinio *Tusculani*: Τυσκλανοὶ Halicarnassæo lib. V. Magna olim fuit ejus, ut memorant Dionysius & Livius, æmulatio cum exoriente Roma: à qua deinceps in potestatem est redacta: quo pacto, scribit Diodorus libro XI. Primum omnium Municipium cum Suffragij latione fuit *Tusculum*, cui quum, ut inquit Festus, primæ sine suffragio Civitas data esset, post aliquot annos pleno jure Cives Romani facti sunt *Tusculani*. Meminimit Livius libro VI ad annum CCCLXXIII & CCCLXXVII. Videndi idem Livius libro VIII, Cicero pro Plancio, Valerius Maximus libro IX cap. X. *Tusculum* postea, Romæ Fortuna Majestateque sub Cæsaribus propemodum conlapsa, sensim adeo crevit opibus & potentia, ut, præter alias insignes Victorias, Friderici I Imperatoris juncta copijs, magnam, Raynonis Principis ductu, Romanorum ediderit stragem: cujus injuriæ, Blondo scribente, memores Romani Vrbem tandem post annum septimum flamma ferroque vastatam solo æquarunt, ut vix fundamenta relinquerent. Post illud tempus paullatim instaurari quidem cœpit, auspicijs præcipue Paulli III, sed minore multis partibus, quam antiqua, amplitudine. *Tusculi* Agnum cum Vbere lactanti natum prodit Livius lib. XXVII. *Tusculanus* fuit *Octavius Mamilius*. Latinorum Princeps: cui, ut regnum suum stabiliret, Filiam suam locavit Tarquinius Superbus, VII Romanorum Rex. Legendi Livius lib. II & alij. Ex Tusculo quoque celebres Familiæ, quæ Romæ summos adeptæ sunt honores, prodierunt, *Porciorum* & *Coruncaniorum*, ut memoriæ produnt Cicero & Tacitus lib. XI. quamquam hic *Coruncanios*, non *Tusculo* scribat, sed *Cameria* oriundos. Videndus & Auctor de VV. Inlustribus cap. XLVII. *Tusculanus* item fuit *L. Fulvius*. qui, ut refert Plinius,

Tusculum. Conditor. Distantia ab Vrbe, Situsq; Incolæ. Res gestæ. Clari Viri.

suæ Civitatis consul, ea adversus Pop. Romanum arma parante, Romam transfugit; ibique Cos. designatus, uno eodemque anno Romæ *Tusculique* Magistratum illum adeptus est, deque *Tusculanis* triumphavit. Fuit item *Tusculum* Patria *Benedictorum* VIII & IX & *Ioannis* XIIX. Nominantur inter Suburbana Loca & in Tusculano Territorio *Villa Horatii* Poetæ, haud procul *Tusculo* in montanis posita; eadem proculdubio cum Superiore. Item uno ab Vrbe milliari *Tusculanum* Ciceronis erat Prædium: ubi nunc est *D. Mariæ Crypta Ferratæ Cœnobium* (vulgo *S. Maria de Grotta Ferrata*) quo ita se delectari scribit Vir magnus, ut sibimet ipse tum denique, quum illo veniret, placere esset solitus. Inhabitatur ab Monachis Calabris, regulam imitantibus, D. Basilij, Sacraque Græcorum ritu facientibus. In horto tria Sepulcra antiqua, in quorum uno homines insident Elephantis, Camelis, Leonibus: & Basis cum Virorum Mulierumque imaginibus pulcherrima *L. Luculli Villa* fuisse putatur, quo loco hodie *Frascata*: ubi nonnulli Aquæ Virginis, quæ etiamnum Romam accedit, fontem repertum tradunt.

Ager & Suburbana Loca, Villa Horatij. Tusculanum Ciceronis. Luculli Villa.

Gabij. Floruit haud procul his locis *Gabiorum Vrbs*: quam Marlianus, Blondus & Leander fuisse arbitrantur, ubi hodie *Gallicanum*: Onuphrius, ubi *Zagarolum*, errore manifesto: Celsus denique Cittadinus suis ad Ortelium litteris, ubi *La Colonna*. *Gabij* dicuntur omnibus & Græcis & Latinis, *Gabine Vrbs* Ovidio lib. II Fastorum. *Cabij* vitiose scribuntur in Itineraria Tabula. Incolæ *Gabini* Plinio lib. III. cap. V, alijsque. Vrbs est Volscorum in Latio: Campaniæ falso tribuit Servius. *Municipium* vocat Cicero Philippica I. *Coloniam* fuisse probare nititur ex antiquo Lapide, qui Zagaroli exstat, Onuphrius Panuinius, his verbis conceptus:

Municipium. Colonia.

CN. ARRIO. CN. F. PVB. AXIMIO
PATRONO. ORDIN. ET. COLON.

Situs. Inter Romam & Præneste mediam ponunt Strabo & Appianus libro V bellorum Civilium. Centum Stadijs ab Vrbe, Halicarnassæus libro IV: Iuxta Lucretilem Amnem Actoni locatur. *Conditor.* Conditam notat Solinus cap. VIII Polyhist. ab Galatio & Bio Siculis Fratribus: auctam ab Albanis Regibus, Dionysius, ab Sex. Tarquinio, Superbi Filio, simulato transfugio, in potestatem Populi Romani redactam, Livius lib. I. & II, Dionysius lib. IV, Orosius lib. II cap. IIII, Eutropius lib. I. Valerius Maximus lib. VII. cap. IIII, Frontinus lib. I. Strateg. cap. I, Ovidius lib. II Fastor. & alij. *Gabinus Cinctus.* Ab hac Vrbe *Gabinus Cinctus*, quem describunt apud Ioannem Meursium meum in Spicilegio ad Theocritum Servius ad V & VII Æneidos, Vetus Persij Interpretes ad Satyram V, Isidorus libro XIX cap. XXIV. Nobilis sane & augustus; usurpari solitus apud Veteres Romanos ab Consulibus, non solum honorem ineuntibus, uti innuit Claudianus lib. III de Consulatu Honorij: verum etiam bellum indicturis, canente Virgilio libro Æneidos VII; item ab Exercitu pugnaturo, teste Festo in Procinctu, & Claudiano IV Consulatu Honorij; ab Sacerdotibus, ut scribunt Isidorus indicato à me loco & Valerius Maximus lib. I. cap. I. ab Imperatoribus denique, ævo posteriore, uti colligere est ex Corripi libro IV. *Gabina via.* Ab Gabijs item *Gabina Via*, de qua suo loco.

Itinera per Latium. Et hæc de *Latio*, per quod ab Vrbe varia ducit Itinera Antoninus cum alijs quæ vel in Campaniam vel in Samnites porro pergunt, mista. Ea operæpretium ducat Geographicorum Studiosus exemplo meo cum Itineraria confere Tabula. Non ego possum, nec debeo omnia; ne sim prolixior. Vnum adjiciam, quod Via, Prænestina ab Vrbe per Latium & Samnites ducit Beneventum: compositum cum Itineraria Augustanæ Bibliothecæ Tabula.

	Antoninus.		Itineraria Tabula.	
Latium	*Prænestina,*		*Prentina,* vitiose	
	Ab Vrbe Beneventum usque M. P. CLXXXVIII. *sic*		*Roma,*	XII.
	Cabios,	*M. P.* XII.	*Cabios,*	XI.

Alijs

Latium	Alijs omnibus Auctoribus *Gabij* nominantur.		*Præneste*,	....
	Præneste,	M. P. XI.	Hic post magnam Opidorum confusionem digrediundum in aliud Iter.	
	Sub Anagniam,	M. P. XXIIII.	*Anagnino*,	VIII.
	Sic Suburbium forte *Anagniæ*, vel alia haud procul inde Statio notatur.		Sic etiam dici videtur Ciceroni in Epistolis; nisi ibi sit Prædium in *Anagniæ* fortean agro.	
	Frusinonem,	M. P. VII.	*Ferentino*,	VII.
	De eo alibi.			
	Fregellanum,	M. P. XIIII.	....	.....
	Alijs *Fregellæ*.			
Latium	*Fabrateriam*,	M. P. III.	*Febraterie*,	IIII
	Nomen retinere notat Petrus Marsus ad librum VIII Silij Italici.			
			Melfel,	IIII
Samnites	*Aquinum*,	M. P. VIII.	*Aquino*,	VIIII.
	Casinum,	M. P. VII.	*Casino*,	VIII
	Venafrum,	M. P. XVI.	*Ad Flexum*,	VIII
	Teanum,	M. P. XVIII.	*Teano Scedicino*,	VIII
			corrupte. Vide infra caput XXIX ubi de *Samnitibus*.	
			Ebutiana,	IX
	Alifas,	M. P. XVII.	*Adlefas*,	VI.
	Telesiam,	M. P. XXV.	*Telesie*,	....
			turbatissimo ordine.	
			Sepinum,	XII.
			Sirpium,	XVIII
	Beneventum.	M. P. XVIII.	*Benebento*.	....

Leguntur apud eumdem Antoninum alia duo *Latij* Itinera, quæ ab Vrbe ducunt, unum quidem Via Labicana, Beneventum; alterum, Latina, ad Decimum.

CAPVT XXIII.

Picenum.

ITALIAM Priscam, eamque Occidentaliorem & ab Montibus liberiorem, cis Apenninum, perlustravi in *Etruria* & *Latio*, sequitur, quod ejusdem naturæ trans eumdem Montem, PICENVM PICENVM

Variæ appellationes. PICENVM nominatur Livio Tacito, Plinio, Melæ, Latinisque Scriptoribus omnibus: Πικηνὸν Ptolemæo, cæterisque Græcis: Πικεντίνη etiam Straboni. *Picena Regio* apud Sex. Pompeium Festum. *Pentapolis Provincia* appellatur in Synodo VI Constantinopolitana.

unde dictum. *Picenum* autem, ut apud Strabonem aliosque legere est, dictum ab auspicato *Pici Martij* omine, qui in vexillis *Picenorum*, quum ex Sabinis, à quibus orti sunt, Asculum commigrarent, consedisse dicitur. Alij à *Pico*, Saturni Filio, Gentis Duce & Auctore, derivant. Nonnulli à *Piceno*; Vrbe huc olim circa Asconis Fluvij ostium primaria. Regionem volunt denominatam; Pelasgis antiqua cultam & habitatam, uti Silio placet libro VIII. *quare Marchia Anconitana.* Postea ab Langbardis *Marchiæ Anconitanæ* nomen accepit, ab *Ancone* Emporio celeberrimo, quod sedem & domicilium dabat Marchionibus universæ Regionis Dominis & Moderatoribus; uti & *Firmana*, testibus Blondo libro XIII Historiarum, & Platina in vita Gregorij VII, ab *Firmo*, quod totius Piceni caput. *quare Firmana Legio.*

Fines. Conregionales Picentibus sunt ad meridiem quidem Sabini, Vilumbri, Vmbri cum Apennino Monte; ad Occidentem Galli Cis-Alpini cum Isauro Fluvio: qua Septemtrio est, Sinus illos pulsat Adriaticus: in Orientali Limite statuendo variatur. Plinius Aternum ponit Amnem & Anconem: Ptolemæus Matrinum fluvium cum Ancone: Novitij, in quis princeps Leander, Truentum signat Finitorem inter hos & Prætutianos; quem ego sequar addo Strabonem Æsin navigabilem Amnem & Leastrum longitudine per oram ↀ CCC Stadiorum, item Mare & Montes, inæquali tamen latitudine constituere.

Forma. Qualitas. Maioris multo longitudinis est, quam latitudinis.

Ager Picens (ut cum Livio loquar libro XXIII) rerum omnino fertilis: fructibus tamen lignarijs, quam frumentarijs, Præstantior. Nobilissimum vinum ad Sirolum opidum colligitur, quod Plinius *Anconitani Vini* celebrat nomine.

Incolæ & Populi. Populi *Picentes* dicuntur Livio passim, Pomponio Melæ alijsque: *Peicentes* Verrio Flacco. Sunt autem *Picentes* diversi à *Picentinis*, Tyrrheni Maris Adcolis; eo ex *Piceno* transductis, de quibus suo loco.

Auximates; ab Auximo, hodie *Osmo*.	opido.	
Beregranos; ubi hodie *Mons Granarius*.	Cuprenses cognomine Montanos: à Cupra Montana.	Plinius *Picens* Incolas facit.
Cingulanos, ab Cingulo	Falarienses hodie *Falerione*.	
	Firmanos: ab Firmo Piceno.	

Pausu-

Pausulanos; à Pausulis prope Potentiam.
Pleninenses: ubi fuerint, ignoro. Testatur Ortelius tres suos codices habere Plynienses, Plynienses, & Plinienses, Membranas autem Lævini Torrentij *Planienses*.
Pollentinos; à Pollentia, quæ & Potentia diruta.
Ricinenses; ab Ricina opido everso, cujus vestigia prope Maceratam.
Salvianos: ab Salvia Vrbe.
Septempedanos: à Septempeda diruta, ubi nunc San-severinum.
Tollentinates: ab Tollentino opido.
Triacenses. Qui sint, nescio. Traianenses mavult Pintianus. Traiana est Ptolomæo circa Anconam. Trea Antonino.

Idem Plinius *Picentiù* Civitates recẽset,
Asculum, de eo in Samnitibus,
Novanam: *Citta Nova*.
Cluanam; quæ sit, nondum liquet.
Potentiam; infra suo loco.
Numanam: ab Siculis conditam: hodie *Humana*.
Anconam. Nomen retinet.
Adriam. *Atri*
Cupram; quum duplex esset, *Maritima* & *Montana*; illam intelligit, quæ *Crypta* hoc ævo.
Castellum Firmanorum: suo loco.

Civitates.

Vberrimæ sane quomdam multitudinis fuisse testatur Plinius: CCCLX *Picentium* millia in fidem Populi Romani venisse olim, addens.

Res à *Picentibus* gestas describunt cum alij, tum Livius passim, præcipue libr. XXII, XXIII, XXV. Incolæ hodie feroces sunt animo, bellicosæ: Agriculturæ Armisque potius, quam negotiacionibus & artificijs vacantes. Res gestæ.

Regio majore ex parte sub ditione summi est Pontificis: cujus in ea esse lego *Anconam*, *Recanatum*, *Fanum D. Mariæ Lauretι*, *Camerinum*, *Fanum Fortunæ*, *Tolentinum*, *Firmum*, *Maceratam*, & alia quædam opida: *Eugubium*, *Caglium*, *Forum Sempronij*, *S. Leo*, *Senogallia*, *Vrbinum*, aliaque nonnulla sub aliorum sunt principatu. Principes & Domini.

Specialiorem Regionis Delineationem ordiar ab Truento; qui limes illi, ut dixi, Orientalior. Occurrit ibi primo loco *Portus Asculi*, Arcis propugnaculo ad Locorum, quæ vicina, præsidium validus. Portus Asculi.

Tertio inde secundum littus lapide *Castrum* visitur *D. Benedicti*: agro beatum amœnissimo. Castrum D. Benedicti.

Intus dein non procul Truento *Mons Brandonus*, Ioannis Marchiani Monachi ortu nobilis. Mons Brandonus.

Hinc tribus milliaribus celebre est opidum *Aqua-Viva*, inlustri Aquavivana inclutum familia. Aqua-viva.

Vlterius ad Truentum *Arquata* visitur in Apennino: & XXV hinc lapide *Acumulum*: & infra Truenti fontem in monte *Amatricanum*, in Samnitibus descriptum. Arquata. Acumulum. Amatricanum.

In ora iterum ab Truenti ostijs Asculique Portu Castellum sequitur, *Crypta* Latinis dictum, *Grotte* vulgo. Duas habet his locis Κύπρας Ptolemæus, Μαρίτιμαν & Μοντάναν, sed utraque ad Orientaliorem Truenti ripam in Tabulis vitiose ponitur: quum ad Occidentaliorem sint locandæ: quod patet cum ex Strabonis ab Occidente versus Orientem pogredientis, postque Κύπραν Truentinum amnem ponentis, enumeratione; tum ex Itineraria Tabula, quam in fine Capitis adscribo cum Ptolemæo conlatam. *Cupra* igitur *Maritima*, vel ut in Augustana Itinerum Tabula, quam dixi, nominatur, *Marina*, fuisse putatur, quo loco hodie *Crypta*; *Montana* vero, ubi Templum D. Virgini cognomine *di Loreto*, dicatum. De *Maritima* potius, quam, ut alij censent, de *Montana* sic Strabo libro V: Ἐφεξῆς δὲ (post Castellum Firmanum: hoc enim intelligit Ἐπίνειον Καστέλλον nominans Firmi Piceni) τὸ τῆς Κύπρας ἱερὸν, Τυῤῥηνῶν ἵδρυμα καὶ κτίσμα. τὴν δ' Ἥραν ἐκεῖνοι Κύπραν καλοῦσι. Pintianus ex *Cupra Maritima* duas facit apud Ptolemæum urbes: quod nollem ab illo factum. *Maritimam* intelligit Pomponius Mela, quum *Cupram* in Piceni littoribus cum alijs Vrbibus nominat: ut frustra sit idem Pintianus; qui *Maritimam* fabricat ex adjecto illo Senogalliæ vocabulo. Ab *Cupra Montana Cuprenses* Plinio cognomine *Montani*, ut antea vidimus. Audiatur jamnunc, & excutiatur scribens ad Ortelium suum Roma Celsus Cittadinus Angelerius: *Si descriptio Ptolomæi fidelis est* (atqui fide Crypta. ubi olim Cupra, quæ duplex.

fide, ut ante dixi, laborat) *censerem Cupram Maritimam fuisse, ubi nunc locus appellatus S. Benedetto: non ubi est Grotta. Nam Ptolemæus ponit eam inter Castrum Truentum, nunc Tronte, & Matrinum, nunc Piomba* (sed male, uti perspicuum cum ex locorum, quæ apud Strabonem Scriptorem diligentissimum, enumeratione, accedentibus etiam Plinio Melaque; tum ex Itineraria Tabula, quæ, ut sæpe in Mediterraneis, sic raro fallere solet in Littoralibus) *& Grotta est inter Firmanum Portum & Truentum* (sed ibidem etiam est *D. Benedictus*, cui cum *Cupra Marina*, nihil esse potest commune, si legitima sit apud Ptolemæum, ut censet Cittadinus, locorum notatio: sin illegitima non magnopere laboro, utrum *Cupra* sit hodie *Crypta*, an vero *D. Benedictus*; sed tribuendum arbitror nonnihil vocum similitudini. Pergit inde:) *Cupra Montana vero non potest esse Domus Laureti. Nam a Ptolemæo ponitur similiter ultra Truentum* (sed vitiose) *paullo, in Mediterraneis, ubi nunc Castrum appellatum La Colonnella* (concedo, si Locorum apud Ptolemæum fideliore non egeat positu. Sed vacillans Celsus sic porro ascribit) *Strabo autem, Mela & Plinius videntur ponere* (& recte ponunt, ut etiam Tabula Itineraria fidem facit) *inter Firmanum portum & Truentum* &c. *Maritimam* porro hanc *Littoream Cupram* appellat Silius Italicus lib. Belli Punici VIII. Progrediamur.

Pedassum Civitas Nova.

Cryptæ succedunt in Litore *Pedassum* & *Civitas Nova*: hinc Asoni Fluminis Ostia P. M. à Truento X.

Mercinum. Ripa Trassonta. Cossinianum. Offida. Castellum D. Mariæ Gallicanæ. Sybillæ Caverna.

Ad Ostium inde exigui cujusdam Amnis sequitur *Mercinum*; paulloque magis intus aliud, *Ripa Trassonta*, situ & mœnibus permunitum: supra, honestum aliud *Cossinianum*; indeque tertio lapide *Offida*, natura loci validum.

Editissimi passim hic Montes Apennini, quorum in uno *Castellum D. Mariæ Gallicanæ*, *S. Maria in Gallo*: cui propinquus immanis horribilisque Specus; *Sybillæ Cavernam* vocant, de qua multas Adcolæ narrant Fabulas, non satis, ut meis his adponantur, dignas: quod idem de *Lacu Nursino* pronuncio, qui haud procul inde ad latus Montis Victoris.

Mons Florum. Mons Novus. Mons Altus. Mons Fortis Communalium. Mons Monacus. Servilianum. Ad D. Victoriam. Mons Falco. Mons Rabianus. Picenum.

Intus deinde supra Pedassum occurrunt *Mons Floris*, *Mons Novus*, *Mons Altus*, *Mons Fortis Communalium*.

Sub Amnis Asoni fonte in Apennini vertice *Mons Monachus*, *Monte Monico*, honestum Opidum; transitoque Asono Flumine in Mediterraneis *Servilianum* & *ad D. Victoriam*: supraque *Mons Falco*. Tum mare versus descendenti prope Asonum *Mons Rabianus* occurrit.

In ora inde Leti Mortui Fluminis Ostium, prope quod Obscura quædam Vrbis, non, vt videtur, modicæ, vestigia. Adcolæ *Picenum*, unde Regioni nomen, olim hic fuisse opinantur. De *Piceno* Civitate nihil apud probatos Auctores legi.

Firmium.

Per oram deinceps in Agrum *Firmanorum* devenitur. Eorum Vrbs, Episcopalis hodie, tribus ab mari distans P. M. *Firmium* Ciceroni ad Atticum lib. VIII, Epistola XII, Velleio Paterculo Pomponio Melæ, Antonino, alijs: Φίρμιον Ptolemæo, Procopio libro II & III de Bello Gothico: Φίρμον Πικηνόν Straboni libro V. *Firmum Vicenum*, vitiose in Itineraria Tabula. Hodie *Firmo* dicitur. Hinc *Firmiani* Livio de Bello Punico II: vel *Firmani*, Plinio. *Firmianus* fuit *Cælius Lactantius*.

Colonia.

Procopius dicit diei iter ab Auximo distare. *Colonijs* Romanorum accenset Velleius libro I: eaque conditione notum est Livio libro XXVIII, Veterique Inscriptioni, quæ ita habet:

T. APPAO.

T. APPÆO. T. F. VEL
ALFINIO. SECVNDO
PROC. AVGVST. XX. HERED
PROC. ALP. ATRECTIANAR.
PRÆF. VEHICVL. SVB. PRÆF
CLASS. PRÆT. RAVENN. PR
ALÆ. I. AVG. THRAC. TRIB. COH
I. ÆLIÆ. BRITTON. PRÆF
COH. IIII. GALLOR. PATRON
COLON. FLAMINI. DIVOR
OMNIVM. AVGVRI
II VIR. QVINQ. BIS
OB. MERITA. EIVS

Sic *Colonia Augusta Firma* legitur, teste Goltzio, in Galbæ Principis Nummo. *Principes & Domini.* In Romanorum potestate & ditione semper fuit, usque ad Gothorum & Langbardorum in Italiam adventum: à quibus ea, scribente Procopio libro II de Bello Gothico, sub jugum redacta; ijsdemque profligatis in Cæsarum venit arbitrium: hinc ab Moglianis & Olegijs, uti legere est in antiquissimis Bononiensium Annalibus, aliquamdiu vi possessa demum Pontificum Romanorum administrata Imperio, usque ad Francisci Sfortiæ tempora; qui Vrbe occupata, Arcem in ea Gironis munitissimam ædificavit: quæ tamen non ita multo post in ditionem redijt Pontificum: sub quibus diu florens opibus & fortuna, tandem ab Oliverottijs conturbata prorsus & perniciosissimis Civium Populariumque factionibus supra modum est adflicta & lacerata, ut nunc tota fere jaceat desolata. Hieronymus Rubeus mentionem facit in Agro Firmiano *Pausuli*; à quo *Pausulani* Plinio, *Piceni* Populi. *Pausulani.* Leguntur & *Pausulæ* in Itineraria Tabula XV P. M. ab *Firmo Piceno*.

Sequitur in ora Tennæ Fluminis Ostium: ad quod ripa dextra Opidulum *Portus Firmianus* est, *Porto Fermano*; Portu tamen carens. *Portus Firmianus.* Nam littus hic universum Anconem usque est vadosum. Videtur aliquando majoris fuisse usus. Nam ἐπίνειον, *Navale Firmi Opidi*, ponit hic Strabo, cui Καστέλλον simpliciter, *Castellum Firmianum* est apud Antoninum & in Itineraria Tabula. *Castellum Firmanorum* dicitur Plinio.

Intus cum in continenti haud procul Tenna, ad alteram ripam Opidum est *D. Mariæ Georgianæ*, *S. Maria in Georgio*, ubi quomdam Vetus Vrbs *Tignium*, Cæsari libro I bellorum Ciuilium nominatum. *Fanum D. Mariæ Georgianæ. Tignium.*

Multa præterea *Firmianorum* ultra citraque Tennam sunt opida; inter quæ ad ipsum Amnem *Mons D. Martini*: & altius tertio lapide *Penna*. indeque fere ad quartum, juxta primos Apennini colles *Mandola*. *Mons D. Martini, Penna. Mandola.*

Post Tennam VIII millibus in ora Chienti fluminis Ostia. Supra Fontem eius *Seravallis* visitur; altiusque Vetus Civitas & frequens in Apennini jugo, munitissimo sita loco, *Camerinum*. *Seravallis. Camerinum.* Sic cum alijs, tum Ciceroni libro VIII ad Atticum epist. XII. & Antonino, in Via Flaminia locanti, dicitur: quod Καμαρῖνον Ptolemæo, *Camerium* Tacito & Plinio; *Cameria* Livio & Dionysio Halicarnassæo: *Camerino* vernacule: Καμέρτη Straboni, ἐν αὐτοῖς τοῖς ὁρίζουσι τὴν Πικεντίνην ὄρεσι, addenti. Alij, in quis Ptolemæus, hanc Vrbem in Vmbria recensent. *Camerini* Cives *Camertes* habet Plinius lib. III. cap. XIII & Inscriptio, quæ ibi ad fores Templi, in Basi Statuæ.

IMP. CÆSARI
L. SEPTIMIO SEVERO
PIO. PERTINACI. AVG.
ARABIC. ADIAB. PARTHIC
MAX. BRITT. MAX. TR. POT
XVIII. IMP. XII. COS. III. P. P
CÆLESTI. EIVS. INDVL
GENTIA. IN. AETERNAM
SECVRITATEM. ADQVE
GLORIAM. IVRE. A
QVO. FOEDERIS. SIBI
CONSERVATO
CAMERTES P...

Camertium frequens mentio apud Livium cum alibi, tum libro IX & XXIV, Res ab iis gestas commemorantem. *Camertem ab Armis & Rastris*, id est ab Re Militari & Agricultura laudat Silius Italicus libro VIII. *Coloniam Romanam* factam ab Romulo Tatioque Regibus scribit Onuphrius Panuinius in Imperio Romano. Hanc Vrbem Episcopalem hodie sub Ducatus titulo diu obtinuit Familia Varranensis. *Camerinum* ortu suo multa praeclara illustrarunt Ingenia; praecipue *Ioannes Camers* & *[illegible]* Monachi, hic Prædicatorum, ille Minorum, Ordinis.

Ad Flaviam, qui in Chientum se exonerat, Castellum est Amni cognomine; &, quo loco miscentur, *Caldarola*.

Sunt & alia prope Chientum loca, *Ad S. [illegible]*, *Ad D. Iustum*, *Mons Granarius*. Huius Incolae putantur olim fuisse qui *Sentinates* Plinio, in cuius antiquioribus Libris legitur *[illegible]*. *[illegible]* habet etiam Liber Limitum. Altius propter Apenninum Colles *Ad D. [illegible]* est, infraque *[illegible]*: infra quam Vetus Vrbs *Alba*, [illegible], teste Leandro dicitur, quæ *[illegible] Vrbs* Plinio, Οὐρβς Σαλουΐα forte Σαλουΐα Ptolemæo, in cuius translatis ab his, ab illis corrupte Codicibus *[illegible] Salvia* vocatur: *[illegible]* inemendatius, Procopio libro II de Bello Gothico. *Vrbs Salvia* Antonino; *[illegible]* denique, auferendi casu, ut solet, in Itineraria Tabula. Hinc, [illegible], *[illegible]* apud antiquos Auctores. Diruit, ut scribit Procopius, Alaricus Gothorum Rex; addens ætate sua paucas ejus superfuisse reliquias, cum modica Porta. Nunc Theatrorum aliquot aliorumque Operum visuntur ibi vestigia.

Vlterius secundum Amnem [illegible] trium ruinæ occurrunt nobilissimi quondam *Cœnobij Cistercien[sis]*.

Ad [illegible] Chienti ripam *Mons Cassianus*, paulloque post *Morum*, inde tertio lapide *Macerata*, ob Helviæ Recinæ, ut Blondus, interitum una cum Recineto condita: frequens, totaque regione Cancellariatus Sede Marchiæ Legati celebris. Habet & Episcopatum & Academiam, sed non adeo nobilem. Altius ad quintum Lapidem *Mons [illegible]* est, honestum Opidum, quondam ab Francisco Sfortia, ut Blondus notat, direptum. Succedit *Avantia*, præsignis Varranorum Vicus: supraque hunc *Tollentinum* Vetus Opidum: cuius Incolæ Plinio *Tollentinates*; qui D. Nicolai Eremitæ Ossa apud se servari adfirmant. Nobilitarunt ortu suo *Franciscus Philelphus*, Vir litteratus; *Nicolaus* item *Mauruccius* & *Ioannes Franciscus* cognomine *Tollentinas*, Militiæ gloria Rebusque gestis magni. Tertio supra Tollentinum lapide Castellum est *[illegible]*. Spectantur inde ad Asinum Fluvium *D. Mariæ Cassianensis* Castellum, *S. Maria in Cassiano*: & haud procul Mari nobilissimum Opidum frequensque in Monte *Civitas Nova*, quæ *Novana* Plinio appellatur, ut Pamphilo videtur.

Hinc tum in Ora Flumen *Potentia*, iuxta cuius ostium Vrbs olim fuit cognominis *Potentia*, Inter præcipua Piceni Opida memorata. *Potentia* Ciceroni pro Plancio, Plinio libro III, Paterculo lib. I. Antonino; Ποτεντία Straboni, & Ptolemæo, *Pollentia*: Livio lib [illegible], *Potentia* in Itineraria Tabula, & apud Orosium libro VII, cap. XXVII. *Porto di S. [illegible]* interpretatur Ligerus: *Potentia* hoc tractu hodie

Marginal notes: *Mons Vlmi.* — *Civitas Nova* — *Potentia.*

hodie vocari, legitur apud Franciscum Pamphilum, xxx P. M. ab Mari Hadriatico. Volaterranus lib. VI Commentar. Vrb. *Potentiam Traianam* scribit dictam: sed Ποτεντία & Τραϊάνα duæ sunt Ptolemæo Vrbes: illa ad Littus; hæc in Mediterraneis. *Coloniam* eo deductam eodem anno cum Pisauro tradunt iidem Livius & Velleius Paterculus. *A Pollentia Pollentini* Plinio. *Pollentinos Agros* hinc etiam habet Prudentius lib. II. contra Symmachum. Lego in Itineraria Tabula, novem P. M. à Polentia *Pausulas*: hinc *Pausulani* apud Plinium.

Colonia. *Pausulæ.*

Intus Potentia Fluvius sub primis Apennini collibus ad duo milllia remotum habet *Monticellum*; infraque *Montem D. Honorati*, opidum Marchianorum: supra inter colles Apennino finitimos nobile Opidum *Sanseverinum*, ex antiquæ Vrbis *Septempedæ* ruinis, ut volunt Volaterranus, Leander Albertus, Fr. Pamphilus, Cæsar Baronius, & alij. *Septempeda* Antonino; Σεπτέμπεδα Straboni & Ptolomæo. Inde *Septempedani* Plinio. Hoc opidum, ut tradunt ævi medij Scriptores, everterunt Langbardi.

Monticellum. *Mons D. Honorati.* *San Severinum, olim Septempeda.*

Dehinc in ora Ostia sunt *Musonis*, cujus utroque latere opida sunt multa. Intus vicinum illi *Ricinetum*, quod *Reccanato*, vel *Recanati*, vel *Rlcanati* Italis hodie, expiscopatus clarum titulo. *Ricinetum* Blondus dictam ait, quod quum Gothi *Helviam Ricinam*, Opidum ab Imp. Helvio Pertinace refectum, Colonisque instauratum excidissent, deletæ Vrbis Incolæ in hoc longum Collis jugum migrantes Vrbem condiderint, *Ricinetum* exigua mutatione in *Ricina* memoriam appellantes. Ab antiqua *Ricina*, cujus etiam mentio in Itineraria Tabula. Plinio sunt *Ricinenses*. Marmor apud Maceratam repertum sic vidit, legit, & exscripsit Dionysius Harduinus, uti testatur in Thesauro suo Smetius:

Ricinetum.

IMP. CÆSARI
L. VERI. AVG. FIL
DIVI. FIL. NEP. DIVI
HADRIANI. PRON. DIVI
TRAIANI. PARTH. ABNEP
DIVI. NERVÆ. ADNEPOTI
L. SEPTIMIO. SEVERO
PIO. PERTINACI. AVG.
ARABIC. ADIAB. PARTHIC
MAXIMO. P. M. TRIBVNIC
POTEST. XVII. IMP. XII. COS. III
P. P
COLONIA. HELVIA. RICINA
CONDITORI. SVO

Ricinetum Emporium est celeberrimum, venientibus eo bis ad Nundinas, statis anni temporibus, ex tota Europa Asiaque pleraque Mercatoribus. Stupenda *Helviæ Ricinæ* vestigia passim in itinere per agros monstrantur; inter alia lateritium Amphitheatrum ingens in ripa fluminis Potentiæ, aliaque magnorum ædificiorum rudera.

Inter Septempedam & Auximum quod sequitur *Trea* locatur ab Antonino; quæ Τραϊάνα Ptolemæo: hinc *Traianenses* Plinio, quos pro *Traiacensibus* putat reponendos Pintianus.

Trea, vel Traiana.

Inter Ricinetum & Mare, haud procul ab Musone *Fanum* adparet in edito colle *D. Mariæ Lauretanæ*, vulgo *S. Maria di Laureto*; fortissimis muris cinctum, propugnaculis, Turribus, fossis, bellicisque machinis, opera præcipue Alexandri VI, Julij II, Sixtique V probe munitum cum Vico, quem fere Caupones & Stabularij colunt ad Convenas, qui ex omni Europa Religionis caussa votis solvendis eo catervatim confluunt, excipiendos. Delubrum, & quod in eo est, arcanum conclave, unde & à quo in ea loca advectum, quæ sit intervisendi Fani ratio, aliaque multis verbis describunt Horatius Tursellinus Societatis Iesu in Historia Laureta-

Fanum Lauretanum.

olim forsan. Cupra Maritima

na, Baptista Mantuanus initio historiæ, Leander Albertus in Piceno, Laurentius Schraderus, Franciscus Schottus, & alij; ideoque ea in re pluribus Lectorem non morabor. Putat Leander, ut ante monui, olim hoc loco fuisse Vrbem, quæ Κύπρα μαριτίνα Ptolemæo. Nonnulli quoque Potentiam, de qua supra dixi, hic designant. *Lauretana* dicitur ab *Laurea Silva*, quæ olim hic fuisse perhibetur. Episcopatus floret dignitate.

Auximum,

Ad Musonem porro in colle, cujus radices adluit Amnis, x ab Mari milliaribus, antiqua visitur & Episcopalis Civitas *Auximum*, quæ vulgo *Osimo*. *Auximum* Lucano, Velleio & Antonino; *Ausimum* Itinerariæ Tabulæ; Αὔξιμον Plutarcho: Αὔξιμον Straboni; *Oximum* Livio libro XLI; *Ausimas* apud Baldum de Limitibus. Scribit Procopius *Metropolin* etiam Romanis dici solitam; & ab Ionico XXC distare Stadijs. Hinc *Auximates* Plinio: in cujus nonnullis Codicibus corrupte *Ausinates*. *Colonis* adcensetur apud eumdem Velleium Paterculum. Meminerunt, ut *Coloniæ*, multæ quę ibi Inscriptiones: inter quas nobilis illa, quæ & aliorum eo tractu, locorum facit mentionem:

Colonia,

M. OPPIO. CAPITONI
Q. TAMVDIO. Q. F. T. N
T. PRON. VEL. ANINIO. SEVERO
EQVO. PVBL. IVDICI. SELECT
EX. V DECVR. TRIB. LEG. VIII
AVG. PRÆF. FABR. PATRONO
COL. AVXIM. ET. COL. ÆSIS
IT. MVNIC. NVMANAT
ORDO. ET. PLEBS. TREIENS
PATRONO. MVNICIPI
CVRATORI. DATO. AB
IMP. ANTONINO. AVG
L. D. D. D

Addam & Fragmentum hoc:

III VIR. IN. COL
AVXIM. BIS

Plinius libro XI. natur. histor. *Auximati Caseo* inter laudata genera gloriam tribuit. Summam loci Antiquitatem testantur passim plurima nuper reperta hic Epitaphia & Elogia. Occuparat *Auximi*, patriæ Vrbis, principatum superioribus annis Bocalinus Guzonius: sed gravissima, Ioannis Galeatij Sfortiæ, Mediolani Ducis, ope, pressus obsidione tandem se suaque omnia Pontifici dedere est coactus.

Principes.

Cingulum.

Supra Auximum sub Apennini collibus, in monte tamen, offert se *Cingulum* ad Musonem. Meminerunt Cicero ad Atticum, Cæsar in libris Bellorum Civilium, & alij. Hinc *Cingulani* Plinio. Blondus *Cimbalum* vocat. Hodie *Cingulo*. Condidit *T. Labienus*, qui C. Cæsaris Proconsulis Legatus in Gallijs longo bello tantum sibi corraserat ex prædis divitiarum, ut Opidum hoc privata inpensa condiderit: cuius imaginem nummis argenteis expressam, cum Conditoris Titulo, vidi apud Cl. V. Abrahamum Gorlæum, Amicum meum, cui stupendus, cum aliarum rerum, tum Veterum Numismatum Thesaurus.

Conditor eius.

Staphilum, Rapirum.

Inter Cingulum & Auximum honestum est opidum *Staphilum*: infraque inter Colles Montemque Apennino vicinum Castellum Vetus *Rapirum*.

Humana.

Deinceps in ora III P. M ab Ostio Musonis Vrbs fuit *Humana*. Sic Melæ dicta, quæ *Numana* Plinio, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, & Silio Italico lib. VIII, cui *Scopulosa* audit: Νούμανα Ptolemæo. Ab Siculis conditam notat Plinius, Municipium appellat Inscriptio, quæ paullo ante, ubi de *Auximo*, posita. *Humana* hodie vocatur, Episcopali dignitate celebris.

Conditores. Municipium.

Non

Non procul hinc juxta littus in Promontorio Anconitano *Sirolum* est Opidum, [*Sirolum.*] Vino, quod Plinius *Anconitani* nomine laudat, nobile. Altero ejus Promontorij latere Castellum *Ficardum* est. [*Ficardum.*]

Sub Cumero Promontorio, de quo alibi, qua se in Mare torquet, Vrbs Episcopalis jacet *Ancona*. Sic Cæsari lib. I & alibi, Tacito libro III Annal. Plinio, Antonino, [*Ancona.*] & aliis: quæ Ἀγκὼν Ptolemæo, Procopio lib. III de bello Gothico, Lucano lib. II, Silio lib. VIII. & Itinerariæ Tabulæ, ubi *Ancone* scribitur auferendi casu; Hodie nomen retinet: quod impositum Vrbi ab oræ ibi flexu, Cubiti formam, ut Strabo, [Vnde dicta.] Plinius & Mela testantur, efficiente. Nam is Ἀγκὼν Græcis dicitur. Opposita Promontorio Cumero, Mari suoque Portu clauditur à Semptemtrione: Portis [Situs.] porro, Propugnaculis, Murisque undique munitissima, Pontificum præsertim Romanorum industria. Priscum fuit Italis Gallisque discrimen: Nam, ut Mela tradit, Italia hic quondam finiebatur: incipiebantque Galli Senones cum Gallia Togata. In ratione Munitionis convenit illi cum Massilia Galliarum, Ragusiaque Dalmatiæ. Strabo, Plinius, Solinus Græcam Vrbem, & ab Syracusanis, Dionysij tyrannidem fugientibus, conditam memorant: unde & ab Iuvenale *Dorica* [Conditio.] nuncupatur. Portum inprimis habet, qui natura arteque validus: aditu peropportunus: multarum navium capax, ab Trajano Cæsare exstructus: adjecto etiam [Portus.] Arcu magni operis Qualis ejus fuerit structura, videre est in ejus Principis Nummis. Propugnaculis Vrbs sex superbit; quæ vulgo *Il Ribellino del Porto*, *Il Cavalliero di S. Stephano*, *La Fortezza del Cassaro*, *Il Cavalliero della Porta del Calamo*, *Il Ribellino di S. Agostino*, *Il Lazaretto*: omnia suis tormentis bene instructa. Est ibi Domus, [Publica opera.] quæ vulgo *della Farina*, quam incolunt qui ab Legato Pontificio in consilium adhibentur, nobiles Aconitani, quorum Magistratus tres durat menses. Continua Græcorum, Illuricorum, Pannonum, imo totius Europæ mercatura præsignis, vijs longissimis, sed angustis, frequens habitatur. Genuit *Augustinum*, Ordinis Eremitarum, Theologum; *Franciscum* & *Nicolaum Stalamontios*, Iureconsultos; *Cyriacum*, singularem Antiquitatis indagatorem. [Clari viri.] Sub Imperio maxime floruit Romanorum: a quibus *Coloniam* eo ductam, paret ex Plinij libro III. natur. historiæ cap. XIII, Libroque de Limitibus: item ex Basi cujusdam Statuæ, quam C. SALLIO ARISTANETO V. C. multis honoribus illustri (ut ex ipsa manifestum Inscriptione, quæ Romæ in Palatio della Capranica) posuerunt. [Res gestæ.]

DECVRIONES. ET. PLEBS
COLONIÆ. ANCONITANORVM. PROP.
TIR. HVMANITATEM. ABSTINENTIAM.
EFFICACIAM

Postea, quemadmodum variorum docent Historiæ, præcipue Procopij libro III, Blondique libro V, VII & XI, ab Gothis diu obsessa, non modo expugnari plane non potuit, sed & Classis Gothicæ Navium XLVII Victrix evasit: ex quibus vix decem fuga sunt elapsæ, ceteris omnibus aut captis, aut in mari submersis. Sequenti deinceps ætate Langbardorum Dominatum sustinuit, qui Sedem in ea Marchionatus habuerunt. Ijs deletis profligatisque, in fidem se dedit Cæsarum Germanicorum. Ab Saracenis hinc incensa, at non ita multo post instaurata, & populo opibusque aucta, suæ facta est potestatis: salvo tamen Clientelari jure Pontifici Romano: sub cujus imperio postea, omnino esse cœpit, arte doloque Bernardini Barbæ, Episcopi Casalensis, & Ludovici Gonzagæ, Clementis VII Legionum Præfecti. Ager suburcicarius cum rerum omnium, tum Vini generosi, Straboni Plinioque celebrati, est fertilis. [Ager.] Iam quid apud Antoninum, inter Anconam & Penogalliam sit *Vltra Anconam*, non video: nisi locus censendus, qui venientibus ex Samnitibus ultra Anconam. Quicumque habendus sit, fuit certe haud procul, *Casa Cremata*. [Vltra Anconam.]

Finiebatur, uti constat ex Strabone, Plinio, Melaque, Picenum olim Aesi Amne, qui nunc *Fiume Esino* dicitur: & occurrebant ad Occidentaliorem ejusdem Amnis ripam *Vmbri*, & inde *Senones*. Erat enim *Vmbria*, quod clarum cum ex alijs [Vmbria duplex.] tum ex Strabone, quasi duplex, *Cis-Apennina* & *Trans-Apennina*; illa ad Inferum

Bbbb 3 erat

erat Mare, separatim capite XXIV explicanda: hæc ad Mare Superum ab Ravennatum agris ad Æsin usque pertinebat, nobilia hoc situ amplectens loca, *Sarsinam, Ariminum, Senam, Camertinum*, Montem *Cigunum, Sentinum, Metaurum* Amnem, *Fanum Fortunæ* cum *Aesi* Flumine, ubi primos Italiæ terminos statuunt veteres, ut alibi dictum, Scriptores. *Vmbri* igitur *Trans-Apennini* ex notatione Strabonis inter Æsin & Ravennates. Iam cum Plinio etiam Ptolemæus Tractum omnem inter Anconam seu Amnem Æsin & Rubiconem: *Senonum Gallorum* esse scribit: discrepans tamen ab eodem Plinio, quum *Galliam Togatam* inter Rubiconem & Trebiam Amnes concludit: Plinio *Senones* ipsos *Galliam* vocante *Togatam*. Quum igitur *Marka Anconitana* se extendat ad Foliam usque Fluvium, qui antiquis Isaurus, necessarium erit, ut etiam *Vmbros*, de *Trans-Apenninis* loquor, *Senonesque*, quatenus inter Æesin Isaurumque sedes habuerunt, in eadem *Marka* explicemus; reliqua ipsorum ultra Isaurum loca *Romanula* daturi: ut ipsorum hic fines sint Æsis cum Piceno ab exortu; Isaurus cum parte *Senonum*, quæ nunc *Romanula*, ab occasu; ab meridie Apenninus, qui *Vmbros Cis-Apenninos* ab his, itemque ab Senonibus dividit, ab Septemtrione denique Sinu claudantur Hadriatico. Addam ad Hadriaticum Mare ponere etiam *Vmbros* Athenæum & Stephanum, cujus hæc sunt verba: Ὀμβρικοί, ἔθνος Ἰταλικὸν περὶ τὸν Ἀδρίαν πόλιν μεταξὺ Πάδου καὶ Πικήνου (sic enim legendum pro πικαντικῶ.) λέγονται καὶ Ὄμβροι. Sic Silius Italicus lib. VIII:

—— Canis venientes Montibus Vmbri,
Hos Æsis Sapisque lavant.

Apud Isidorum etiam lib. XIIII Etymolog. cap. IIII *Vmbria* in jugis Apennini Montis sita, in parte Italiæ, iuxta Meridiem. Vniversim igitur de *Vmbris* postea, ubi de *Cis-Apenninis* augustiore loco dicturus, specialiora hic indicabo *Trans-Apenninorum*.

Æsis. Rocca. Primum ad Anconitani Agri fines in ora *Aesis* est, qui *Fiumesino* hodie de quo alibi. Propter huius Ostium Arx est (*Rocca* vulgo) ab Anconitanis ad Agri finitimi tutelam condita, tormentisque contra Prædonum excursiones instructa. Sequitur in ora inde *Casa Bruciata, Crematam* Latini dicunt, diversoria Taberna, fortissimo munita muro propter Piratarum Turcarumque metum. In continenti tum quingentis ab Æsi passibus opidum est præcelso in monte *Sanquiricum*: ulteriusque ex adversum *Fabrianum*: inde sexto lapide *Matelica*: cujus Incolæ Plinio libro III cap. XIV *Matelicates* in Sexta Regione cum Vmbris recensentur. *Matelicæ* nullus omnino, vel in publicis vel in privatis ædificiis cultus. Regitur a quadam Othonum familia ex qua erant XXII ad quos idem jus pertinebat, sed administrandi honor ad natu majorem semper deferri solet.

Casa Bruciata. Sanquiricum. Fabrianum. Matelica.

Eremita. Latere tum, qua Gualdum Vmbriæ opidum itur, sub Apennini jugis *Eremita*, nobile Fratrum Minorum Cœnobium, se visendum præbet, ædificiis stupendum.

Æsis. Colonia. Inter ejusdem Apennini Colles, Aesi fluvio versus Caurum, *Aesis* Vrbs invenitur, Αἶσις Straboni & Ptolemæo: Hodie *Gesi*, Episcopali gaudens dignitate. Hinc *Aesinates* Plinio Vmbriæ Populi, libro III natur. Histor. cap. XIIII. Coloniis adcensetur in Antiquis Inscriptionibus, quarum unam paullo ante fixi.

Fabrianum. Vltra sub primis Apennini Collibus, atque adeo inter ipsos est *Fabrianum*; Latine scribentibus *Fabertana*; Opidum quatuor nobilissimis Italiæ Castellis ob ædificiorum splendorem connumerari solitum. Ea sunt *Crema* Langbardiæ, *Pratum* Tusciæ, *Barulum* Apuliæ, *Fabrianum* Markæ. Ædificatum volunt ob *Sentini*, veteris Vrbis cujus ad sextum lapidem reliquiæ supersunt, interitum. Qualitas. Opificum tabernis frequens, quæ ita distributæ sunt, ut Vici singuli proprias habeant uno in loco, Fabri suas, Calceolarii suas, Cartarii suas. De *Baptista Clavelio*, ejus aliquando Principe, quemque habuerit vitæ exitum, & quæ inde sequuta prodit memoriæ Blondus li. XXV Historiarum. Principes. Clari Viri. Insignia Civitatis Iani imaginem vidi, malleum tenentis, & tamquam Incudi suppositę impressuri. Inter præclaros viros habuit *Constantinum*, Prædicatorum ordinis Monachum, a Pontificibus in Divorum numerum relatum: de quo li. V de Viris Illustribus eiusdem Ordinis.

Senogallia. In ora deinceps ab Casa Cremata VIII circiter millibus, Vrbs est Episcopalis *Senogallia*. *Senam* prius appellatam fuisse, patet ex Polybii lib. IV, Livio multis locis, præcipue libro XXVII, res ibi ab M. Livio Salinatore contra Hasdrubalem Pœnorum

rum ducem gestas commemorante, Strabone libr. v, Lucano libro II, & alijs. Deinde vero ad differentiam alterius, quæ in Etruria (vide quæ ibi dixi) *Senogallia* cœpit audire. Sic Plinio, Melæ Antonino, Paullo Diacono, alijsque nominatur, Σηνογαλλία autem Straboni; quæ Σήνα Γαλλικά divisim Ptolemæo; & *Sena Galli* mutilate in Itineraria Tabula, Hodie *Sinigaglia* vocatur, vel *Senegaglia*. Vnde? Indicat Silius.

> ———*qua Sena relictum*
> *Gallorum à populis traxit per secula nomen.*

Et alibi:

> *Clanius & Rubico. & Senonum de nomine* Sena.

Sunt autem hi *Senones*, quos facta in Italiam irruptione, Vrbem captam incendisse loquuntur Historiæ. Opidum Cœlum habet grave. Parvum, ab Occasu Misa flumine adiuitur: muro validum lateritio, valde crasso, vallo item propugnaculis. Penuria laborat propter Maris vicinitatem Aquarum dulcium; inportatis uti coacta. Deductam hoc *Coloniam*, quo tempore Castrum & Hadriam; docet ex Livio Florus. Et hinc *Colonia Senensis* ad Superum mare ponitur ab Livio libro XXVII. cujus etiam meminit Tacitus libro IIII Histor. Prope est *Mons Hasdrubalis*, nomen ex clade ipsi hic inlata retinens; & tota illa Planicies, Fanum usque pertingens, longa x milliaribus; *Mala Rotta* inde denominatæ pars scilicet Planiciei illius amœnæ, Apenninis Montibus & Germanis Alpibus circumdatæ, Padoque Fluvio divisæ; quam exacte multis verbis describit Polybius libro II.

Qualitas.
Colonia.
Mons Hasdrubalis.
Mala Rotta.

Ad Misam Amnem, cujus memini, multa sunt Opida, in quis honestiora *Mons Novus, Mons Bodius, Corinaltum*, & *Arx Contrarta*.

Mons Novus.
Mons Bodius.
Corinaltum.
Arx Contrarta.

Ad Sentinum, qui Misæ fluentis miscetur, *Saxum-Ferratum* est Opidum, ab Cavernis seu Fodininis ferrarijs, quæ olim hic fuerint, uti nonnullis mens est, dictum. Celeberrimum est *Bartholi I. C. Alexandri* Monachi, & *Nicolai Perotti* Sipontini Præsulis ortu. Putant quidam hoc loco fuisse Ptolemæo Ἴσφικον. Adhuc quæro, an idem cum *Tufico*, quod in libro de Limitibus, & an hinc *Tuficani*, Plinio, Vmbriæ (Trans-Apenninæ) Populi.

Saxum Ferratum.

Supra Saxum-Ferratum duorum intervallo Stadiorum ad Sentinum Amnem in Via, quæ Fossatum ducit, Vmbriæ opidum, locus occurrit, ubi quomdam Vrbs antiqua *Sentinum*. Σέντινον Straboni & Ptolemæo: unde *Sentinates* Plinio in VI Regione. In hujus Opidi Agro nobilis ille fuit conflictus Romanorum, Samnitium, Gallorum, Vmbrorum, & Etruscorum, coss. Q. Fabio Maximo & P. Decio Mure, qui se Patris exemplum sequutus tunc pro Rep. devovit. Vide præter alios Livium libro x. Ob *Sentinum* ab Langbardis deletum, ut post Procopium scribit Blondus, *Saxum-Ferratum* est conditum, & *Fabrianum*: de quibus ante.

Sentinum dirutum.

In ora deinceps sequuntur Cæsani Fluminis Ostia: ad cujus utrimque ripas multa Opida *Mondulphium*, *Mondainum*, *Orzanum*, *Ad D. Laurentium*, *Cersium*, *Ad D. Constantium*; juxtaque Cæsani fontem *Pergula*.

Mondulphium.
Mondainum.
Orzanum.
Ad D. Laurentium.
Cersium.
Ad D. Constantium.
Pergula.

Post in montibus, qui inter Metaurum Amnem Isaurumque & Apenninum sunt, Castellum visitur *Carda* cum alijs quibusdam non magni momenti locis, uti sunt *Ralpagatta*, *Miraldella*, *Sorbum-longum*, *Ad D. Martini*, *Brasilvarta*, *Belfortium*, *Campus*, *Turris Fossati*, *Paganicum*, *Pelunnum*.

Carda.
Ralpagatta.
Miraldella.
Sorbum longum.
Ad D. Martini.
Brasilvarta.
Belfortium.
Campus.
Turris Fossati.
Paganicum.
Pelunnum.

Dein propter Apenninum est *Mercadellum*; supraque asperrima in via, quæ per editos Flaminiæ Montes in Tusciam ducit, Opidum *Amola*.

Mercadellum.
Amola.

Rassano, Blondo; alijs Tractus hic *Massa Trebaria* nominatur, tamquam *Massa Trabium*, quod Peringentes Abietes ad Templorum Ædiumque structuras olim hic cædi consueverint, hodieque cædantur.

Massa Trebaria.

In propinquo est hoc situ Castellum *D. Angeli Vadani*, *S. Angelo in Vado*, Negociatorum commercio frequens: *Tiphernum Metaurum* olim: uti constare adserit. Fredericus Bavarius hic natus, ex quibusdam Annalibus Pontificumque Epistolis.

Tesenum.
D. Angelus in Vado.

Millibus ab hoc opido quinque Planicies sternitur pulcra, peninsulam habens, quam Metaurus efficit. In ea *Durantium* est, conditum & denominatum ab Gulielmo Durante, Carnotensi Decano, Speculi Auctore, Nuncio & Thesaurario per Romanulam Martini IV. P. M.

Durantium.

Secundum littus dehinc itinere P. M. III ad *Fanum* devenitur, Opidum Episcopale,

Fanum.

Fanum, olim Fanum Fortunæ, ſcopale, non magnum, in monte ſitum, quod vulgo *Fano*. *Fanum* ſimpliciter Cæſari lib. I. Procopio, alijs, Φᾶνα Stephano. *Fanum Fortunæ* Tacito libro x, Plinio li. III cap. XIIII, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, Φᾶνον Φορτούνας Ptolemæo: *Faneſtris Fortunæ* eſt in Libro de Limitibus. Græce expreſſit Strabo Ἱερὸν τῆς Τύχης. Hinc *Faneſtres* Incolæ ſunt apud Aggenum. *Colonia.* *Colonus* adcenſent Plinius indicato à me loco & Pomponius Mela lib. II. cap. II. cui *Faneſtris Colonia* dicitur. Sic Inſcriptio, quæ Piſauri in horto Ducis Vrbini, in Baſi Statuæ, ſex pedibus altæ:

C. LVXILLIO. C. F. POMPT
SABINO. EGNATIO
PROCVLO. CN. CVR. REI
PVBLICAE. PISAVR. ET. FANEST

& verſibus quibuſdam interjectis:

PATRONO. COLONIARVM
PISAVR. ET. FANEST

Plenius *Colonia Iulia Faneſtris* vocatur in Tabula marmorea, quæ in ipſo Opido in ambitu Monaſterij Auguſtinenſium:

Q. GOLIVS Q. L. NICOMEDES
MEDICVS. OCVLARIVS. SEX. VIR.
COL. IVL. FANESTRIS
GOLIA. Q. L. SALVIA. VXSOR
Q. GOLIVS Q. F. POL. FANESTER. FILIVS
VELIA. Q. L. PRISCA. VXSOR
EX. TESTAMENTO. FANESTRIS. FILI

Iterum plenius in alia tabella marmorea.

L. TITVLENVS. L. L
TERTIVS. ORIVNDVS
COLONIA. IVLIA. FANO
FORTVNÆ. SEX. VIR
L. TITVLENVS. TITVLENI. LIB
VRSIO. ANNORVM. XII

Publica opera. Fuit procul dubio inter XXIIX *Colonias*, quas Auguſtum duxiſſe auctor eſt Tranquillus. *Fani*, quod ibi Fortunæ ſumtuoſiſſimum olim dedicatum, adhuc magna monſtrantur veſtigia. Ab Totila Gothorum Rege cum Piſauro everſum, & à Beliſario reſtitutum ſcribit Blondus. Viſitur ibidem Arcus ex marmore, ſumtuoſo nobilique opere factus, altus cubitos XXX, latus XX. Faſtigio, quod mirabili arte elaboratum concidit, inſculptum legitur Conſtantino Imperatori Elogium, quod apud alios. *Fanum* hoc Plinius & Strabo Vmbriæ tribuunt. *Principes.* Principatus ejus quum diu fuiſſet in Malateſtarum familia poſtea Sfortiarum, devenit tandem ad Eccleſiam Romanam. *Situs.* Adluitur ab Argilla Fluvio. Mulieres habet lectiſſimas & à pulchritudine commendatas.

Foſſumbrunum, olim Forum Sempronij. Occurrit ad Metauri ſiniſtram, Via Flaminia, quæ ab Fano in Meridiem flectit, ad XV lapidem *Foſſumbrunum*, *Foſumbruno*. Sic Opidum Epiſcopale hodie vocatur, quod olim *Forum Sempronij*, Antonino, alijſque Latinis, ut & Itinerariæ Tabulæ: Φόρον Σεμπρώνιον Straboni: Φόρος Σεμπρωνίου Ptolemæo. Hinc *Foroſempronienſes* Plinio: qui Vmbriæ tribuit, in Sexta Regione, Strabo & Ptolemæus Vilumbris. Veſtigia ibi Antiquitatis quamplurima, præter Aquæductus, Vias Silicatas, Columnas & alia. Marmora multa cernuntur diſiecta cum antiquis Inſcriptionibus, quæ ab alijs collectæ. *Principes.* Novum Opidum, Veteris fundamentis non eſſe inædificatum, docet Leander.

Poſſidet

Possedit quomdam Malatestarum Familia; post jure Emtionis ad Vrbinates pervenit. Extra Opidum Pons lapideus Metauri jungit ripas. Supra ad Cantiani ripam est *Furlum*; sic dictum, tamquam *Saxum Foratum*; de quo, Viaque Flaminia Leander Albertus multa habet lectu digna, hic brevitatis gratia à me omissa.

Furlum.

Paullo altius ad Cantianum in amœna planicie, quæ Calium usque spatio fere P. M. x extenditur, Vicus occurrit *Aqualania*, diversorias habens Tabernas ab exiguo Castello Aqualania dictas, quod haud procul in colle situm distat. Prope sunt Campi, in quibus cruento certamine superatus est ab Narsete, Iustiniani Imperatoris Legato, Totila Gothorum Princeps. Lege Procopium libro III. Hist. Gothicæ. Blondus, Sabellicus, alijque falso ad Tanetum, Agri Regiensis, pugnatum asserunt. Altius deinde, non procul tamen ab Aqualiana, *Mons Falco* est.

Aqualania. *Mons Falco.*

Sequitur mox *Calium*, Vrbs Episcopalis, vulgo *Cagio*, *Calle Vicus* Antonino: *Callis* Procopio lib. III belli Gothici, apud quem in nonnullis exemplaribus vel Interpretis, vel Typographi vitio *calli* minusculo c scribitur, quasi Via, non Opidum designaretur. *Ad Calem* lego in Itineraria Tabula. *Calium* Boasus ab Septemtrione, ab ortu Cantianus adluit, ut tamquam in peninsula relinquatur. Vetus Opidum deletum constat; à quo, incertum. Novum quo tempore conditum testantur his verbis ejus Annales: *Anno* CIↃ CCLXXXIX *die Mercurij*, IX *Februarij inter Primam & Quintam Horam matutinam Civitas* Calij *translata fuit in locum, in quo nunc est, & incepta prima fundamenta & Domorum constructio, & dicta Civitas S. Angeli Papalis, tempore Pontificatus Domini Nicolai Papæ* IIII, *Domino Ioanne de Columnia Rectore Marchiæ.* In Vrbinatium est ditione.

Calium. *Situs.* *Quando conditum.*

Oculis se mox offert *Candianum* cum Arce in Colle. Conditum ob urbis *Luceolorum*, quæ ulterius ad Cantianum erat amnem, interitum. Ejus Pontem transgressis ad alterum fere Lapidem, *Luceolorum* adparent vestigia; unde Ponti nomen vulgo corruptum, *Rizzole*. *Luceolis* Eleutherium, Exarchum ab Heraclio Imperatore ordinatum, Ravennates Milites propter adfectati Imperij suspicionem confodisse tradit Paullus Diaconus lib. V Histor. Langbard.

Candianum: olim Luceoli.

Supra Forum Sempronij P. M. VIII *Firmanum* est, Vrbinatis Agri Opidum, quod Metaurus adluit. Iuxta est *Mons Hasdrubalis*, de quo ante dixi:

Firmanum. *Mons Hasdrubalis.*

Ad oram redeo, ubi prope Isaurum *Pisaurum* Vrbs Episcopalis. Sic Livio passim, Cæsari in Commentarijs, Plinio, Melæ, Vibio Sequestro, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, & alijs dicitur: Πίσαυρον Ptolemæo & Agathiæ: quæ hodie *Pesaro*. Sic, quod prope Isaurum, vocatum videtur. Plinius tamen fluvium ipsum etiam *Pisaurum* appellat: ut alteri ab altero forte nomen. Servius ab Auro, quod Galli Senones Camillo adpenderunt, nuncupatum autumat. Ptolemæo est in Senonibus; Plinio in Vmbris, VI Regione. Emporium Italiæ celebre, mercimonijs dives, amplum, splendidum, pulcris ædificijs ornatum, plateis perelegans, situ peramœno maximeque fertili: Cœli tamen gravitate laborans; mensibus, potissimum æstivis sub exortum Sirij, Vrbi valde inimicum & lethalem; unde & Catullo *moribunda sedes Pisauri* dicitur. Condita in longitudinem, cum in modum, ut ex foro ad quatuor opidi vias prospectus pateat; ea tamen quæ ad Isauri pontem tendit, ceteris longiore. Præter Curiam sumtuosam, aliasque nobiles Ædes, Arcem ad littus habet, munitam & pulchram, ab Ioanne Sfortia conditam. In Ducis Palatio instructissimum est Armamentarium. Ratione munitionis respondet nonnihil Paravio. Portus propter Vada & Arenas onusta majoraque navigia non admittit; ut ab Agasonibus & Mulionibus, qui merces invehunt, magis quam ab Nautis Vrbs frequentetur. Describit eam Fr. Guicciardinus lib. XII Histor. *Coloniam* factam docent Livius libro XXXIX, Plutarchus in Antonio, & Velleius Paterculus lib. I. Eandem ejus conditionem testantur Inscriptiones. Apud Ortelium ex antiquo lapide est COLONIA. IVL. FELIX. PISAVRVM. Inter *Colonos* fuisse *L. Attium* Poëtam Tragicum, Libertinis parentibus natum, tradit Eusebius de Temporibus. Paulo ante bellum Actiacum, quum eo M. Antonius III vir *Colonos* rursum deduxisset, terra hiatu absorptam periisse, prodit memoriæ Plutarchus in Antonio. Dirutam à Totila, refectamque à Belisario, scribunt Procopius & Blondus. Post Malatestarum imperio diu habita est, mox à Sfortijs; hinc à Porgijs possessa: post quos in potestate fuit Pontificum Romanorum: ab his tandem

Pisaurum. *Vnde dictum.* *Quale.* *Forma.* *Publica ædificia.* *Portus.* *Colonia.* *Res gestæ.*

Clari Viri. dem Marijs tradita. Ingenia tulit magno numero celebria: præter alios *Andreinum*, summum Medicum; *Pandulphum Collenutium*, qui inter alia scripsit Historiam Regni Neapolitani, & de Machinæ Tormentariæ Inventione; *Petrum Barignanum*, Poetam. *Viam Pisaurensem* stravit, Templumque *Iovis Pisauri* ædificat apud Livium libro XLI Fulvius Flaccus cos.

Supra Pisaurum ad Isaurum *Mons Abbatis* est. Castella dein inter Isaurum, &, *Mons Abbatis. Mons Fabrorum.* quo augetur, Albim in agro Pisaurio & Vrbinate sunt multa: in quis celeberrimum *Mons Fabrorum*, *Monte di Fabri*.

Mox visendum se præbet, alto situm monte & inæquali loco inter eosdem Amnes, *Vrbinum.* *Vrbinum*; Tacito libro XIX in belli Vitelliani descriptione, Procopio libro II Belli Gothici, aliisque notum. Dubitat Leander Albertus num sit Σουάσα, quam *Vrbinates Metaurenses & Hortenses.* Ptolemæus inter Senones prope Pisaurum in colle designat. Incolæ *Vrbinates* Plinio in sexta Italiæ Regione; *Metaurenses* & *Hortenses* cognominati. *Vrbinatium Metaurensium* meminit Tabula, quæ confracta cernitur Romæ in pavimento Sacelli, quod est ad Templum S. Gregorij in Cœlio Monte. Ejus Tabulæ partem priorem posui supra libro II cap. XVI, ubi de Alliuria: reliqua cum principio sic habent:

L. RANIO, OPTATO. V. C. COS. &C.
CVRATORI. VIÆ
SALARIÆ. ET. CVRATORI. REIP. VRVINATIVM
METAVRENSIVM. LEGATO. PROVINCIÆ
ASIÆ. PRÆTORI. TRIBVNO. PLEBI
QVÆSTORI. PROVINCIÆ. SICILIÆ

Qualitas, Publica opera. Vrbs est lautissima, splendideque satis ædificata, bono & fœcundo agro. Arcem habuerunt extra eam *Vrbinates* lautissimam, quam *Gundebaldus* dux, ne noxia esset, dejecit. Novam, Vetere diruta, intra muros ab fundamentis exstruxit *Fridericus* Dux, ædibus Episcopi & Templo D. Dominici contiguam; ita ædificatam, ut possit equo in Turres & ad Tectum ipsum iri; quemadmodum Venetijs Turris D. Marci, Romæ Pontificis Palatium, in Hannonia Arx Fossiniana. Conclavia ibi *Bibliotheca.* CCLXVIII, ampla & magnifica. Illustrat eam præcipue Bibliotheca, libris optimis & multis referta. Ornamentis suis ab Cæsare Valentino Borgia, Alexandri VI P. M. Filio, spoliatam atque etiam translatam restituit postea Iulius II. Describit *Episcopatus. Viri Clari.* Vrbem ejusque Arcem in Aulico suo Baldass. Castilionius. Episcopatus gaudet titulo. Inter præclaros, quos tulit, Viros *Raphael* Pictor celebratur, cum Veteribus, ut opera passim per Italiam, præcipue vero Romæ in Basilica Pontificia ad D. Petri clamant, committendus. Olim à Belisario Iustiniani Imper. Duce, obsessam, captamque scribit Procopius libro II de Bello Goth.. Post id tempus diu fuit in ditione *Comitum Montis Feltri*, qui *Duces* postea *Vrbini* creati ab Sixto IV P. M. inter quos fuit *Fridericus Vbaldinus*, qui Vrbem inlustri ornavit, quam dixi, Bibliotheca. Post *Montisfeltranos* & *Vbaldinos* Vrbs ab *Cæsare Borgia* aliquamdiu possessa, dein ab *Francisco Maria Ruvoreo*, auctoritate Iulij II P. M. post ab *Laurentiano Mediceo* sub Leone X P. M. occupata, eoque tandem mortuo, ab *Maria* & Herede ejus Filio *Guidone Vbaldo* recepta.

Mons Barotius. Novilaria. Redeunti hinc Pisaurum multa offerunt se Castella: inter quæ *Mons Barotius*, *Monte Barozzo*, & *Novilaria*, vel *Nobil' Aria* ab Cœli bonitate, nobilique Aere nominata.

Picenum clausurus, adscribam, quod eo pertinet, Iter Littorale ex Itineraria Tabula, ab Fluvio *Rubicone*, quem *Isaurum* alij vocant, cuiusque Occidentaliori ripa adsidet in Romanula Pisaurum, ad *Truentum* usque:

Iter Littorale, Truentum.

Itineraria Tabula.		Ptolemæus:	Vulgata Nomenclat.
Pisauro,	VIII	Πισαυρον.	*Pesaro*.
Fl. Nelurum: Emend. *Pisaurum*.			*Foglia*, Flume.
Fano Fortunæ.	II.	Φάνον Φορτούνας.	*Fano*.

Fluvium

Fluvius Matava. Legend. *Metaurum* VIII quemadmodum ibidem corrigente quasi manu notatum.			*Metro*, Fiume.
Ad Pirum,	.....	......	Ad *Cesanum* Fl. aut circiter, non procul *Pergula.*
Sena Galli, mutilate,	XII.	*Σήνα Γάλλικα.*	*Senegallia.*
Fl. Misa pro *Misa.*		....	*Misi*, Fiume.
		Αἶσις ποτ. pro Αἴσις.	*Fiumesino.*
Sestias.	XIIII.	....	Non procul ab *Rosa.*
Ancone,	XII.	Ἀγκών.	*Ancona.*
Fluvius Aspia.			
Numana.	IX.	Νούμανα.	*Humana.*
Misco fluvius,	V.		
Fl. Flosis.			
Polemia.		Ποτεντία.	*Sanseverino.*
Fl. Misium.			
Sacrata.	VI.		*Porto de M. Santo.*
Flusor Fl.			
Tunna,	II.	Τρουεντῖνον fl. hic ponitur in Ptolemæi Tabulis, vitiose.	*Tenna*, Fiume.
Fl. Tunia.			
Castello Firmani,	XII.		*Porto Fermano.*
Cupra Marina,	XII.	Κύπρα μαρίτιμα.	*Crypta.*
Castro Trentino, pro *Truentino.*		κάστρον. Intelligit *Castrum Truentinum*, non *Novum*, quod proximum erat, hodie *Flaviano.*	*Columella.*

Adponam & huic Capit, Coronidis loco, Iter, quod ab Vrbe per *Picenum* Anconam, & inde Brudisium ducit Antoninus M.P. ıↄcxxvıı, commissum cum Itineraria Tabula, Ptolemæo, & Vulgatis Nominibus, hoc modo:

	Antoninus:	Itineraria Tab.	Ptolemæus:	Vulgata Nomencl.
Vmbria	*Ocriculos*, M.P. XVII.	Linea hic pingitur ab Vrbe *Mevaniam* usque nullis adscriptis Locorum nominibus.	Ὀκρίκολα.	*Otricoli.*
	Narniam, M.P. XII.		Ναρνία.	*Narni.*
	Ad Martis, M.P. XVII			Vbi *Todi*, aut circiter.
	Mevaniam, M.P. XVI	*Mevanio.* XVI.	Μηουανία.	*Bevanta.*
		Camellaria, XII		Circa *Hispellam.*
	Nuceriam, M.P. XIIX	*Nuceria,* XV.	Νουκερία.	*Nocera.*
Picenum	*Dubios*, M.P. VIII.	Nihil hic sani nihil legitimi ordinis.		Haud procul fonte *Aesis*, hodie *Esino.*
	Prolaqueũ, M.P. VIII			*Cagliole*, aut circiter.
	Septempedam, M.P. XV.		Σεπτέμπεδα.	ubi hodie *Sanseverinum* aut certe haud procul inde.
	Trea. M.P. IX.		Τρηΐνα.	vbi hodie *Pigna.*
	Auximum. M.P. XVIII.	*Ausimo.* ...		*Osimo.*
	Anconam, M.P. XII.	*Ancone,* XII.	Ἀγκών.	*Ancona.*

Numa-

	Numanam, M. P. VIII.	*Numana*,	IX.	Νύμανα.		*Humana*. sic & Pomponio Melæ dicitur.
	Potentiam, M. P. X	*Polentia*,	...	Ποτεντία,		*Potenza*.
		Sacrata,	VI.			*Porto de M. Sancto*.
		Tunna,	II.			*Tenna*, Fiume.
	Castellum Firmanum, M. P. XLI	*Castello Firmani*,	XII.			*Porto Fermano*.
		Cupra Marina,	XII.	Κύπρα μαρίτιμα.		*Crypta*.
Samnitium	*Castrum Truenti*- M. P. XXIV.	*Castro Trentino*, pro *Truentino*.	...	Κάποι.		*Columella*.
Samnitium	*Castrum Novum*, M. P. XII.	*Castro Novo*,	XII.			*Flaviano*.
Samnitium	*Hadriam*, M. P. XV.	*Hadria*,	VII	Ἄδρια.		*Atri*:
Samnitium		*Salinas*,	V.	ματρῖνο© ποτ	vitioso ordine.	
Samnitium	*Ostia Aterni*, M. P. XVI.	*Ostia Eterni*.	XVI	Ἄγγελ©	vitioso ordine.	*Pescara*, fiume.
Samnitium				Τιατια	vitioso ordine.	*S. Angelo*.
Samnitium				Ἀτερν©	vitioso ordine.	*Thieti*.
Samnitium	*Angulum* M. P. X	......		Ὄρτων.		*Ortona*.
Samnitium	*Ortonam*, M. P. XI.	*Ortona*.	XI.	Ἀνξανον.		*Lanzano*.
Samnitium	*Anxanum*, M. P. XIII.	*Anxano*, Legend.	III XIII.			
Samnitium	......	*Amnum*,	III	Σάγρ© ποτ.		*Sanguine*, Fiume.
Samnitium	......	*Pallanum*,	XII.	Ἴστονιον.		*Guasto di Aimone*.
Samnitium	*Histonium*. M. P. XXV.	*Istonium*,	XXIII.			
Samnitium	....	*Larinum*,	XII.			
Samnitium	*Usiosium*: M. P. XV.	.....		Φιτέρν© ποτ.		*Fortore*, Fiume.
Samnitium	*Arenium*, M. P. XIV.	......				
Samnitium	....	*Teneapulo*,	XVIII.			
Samnitium	*Corneli*. M. P. XXVI.	*Ergitium*,	XXV.	Ἀπτίγαι.		*Bestia*.
Apulia – Daunia	*Pontem Longũ*, M. P. XXX.					
Apulia – Daunia	*Sipuntum*, M. P. XXX.	*Siponte*.	IX.	Σιποῦς.		*Siponto*.
Apulia – Daunia		*Anxanum*;	XII.			
Apulia – Daunia	*Salinas*, M. P. XV	*Salinis*,	XII.	Σαλαπίαι.		*Salpe*.
Apulia – Peucetia	*Aufidena*, M. P. XL. *Aufidum* fluvium designat. vitium est in numero.	*Aufinum*, Leg. *Aufidum*	VI.			*Lofanto*, Fiume.
Apulia – Peucetia		*Bardulos*,	VIIII.			*Barleta*.
Apulia – Peucetia		*Turenum*,	VI.			*Trani*.
Apulia – Peucetia		*Nattolum*	IX.			vbi *Iuvenazzo*.
Apulia – Peucetia	*Respam*, M. P. XXIII.					
Apulia – Peucetia	*Barium*. M. P. XIII.	*Barium*,	XX.	Βάριον.		*Bari*.
Apulia – Peucetia		*Turris Cæsaris*	IX			
Apulia – Peucetia	*Arnestum* M. P. XXII.	*Dertum*,	IX.			
Apulia – Peucetia	*Gnatia*, M. P. XV	*Gnatie*,	XXI.	Ἐγνατία.		*Nace*.
Apulia – Peucetia	*Speluncas*, M. P. XXI.	*Speluncis*,	XXVIII.	.....		
Salent.	*Brundisium*, M. P. XVIII	*Brindisi*	XXVIII.	Βρενδέσιον.		*Brindisi*.

Per

Per *Picenum* ducuntur alia quædam apud Antoninum Itinera, quæ cum alijs, in varias Italiæ partes ducentibus, mista alijs hoc libro locis leguntur.

CAPUT XXIV.

Umbria.

REGIONES Italiæ Priscæ, quæ versus occidentem ab Montibus sunt liberiores, Etruriam, Latium, & Picenum percurri: sequitur, quæ superioribus Montosior, UMBRIA: sic Latinis omnibus scriptoribus dicitur, quæ Ὀμβρικὴ Græcis.

Umbria nomen ab Umbro fluvio, scribente Plinio lib. III. cap. V: vel ἀπὸ τῶν ὄμβρων, ut docet Isidorus lib. XIV. cap. IV. *quod tempore aquosæ Cladis*, inquit, *imbribus superfuerit*, & ob hoc Umbria Græce cognominata. Alijs ab *Umbra* dicitur, quod ob montium altitudinem & vicinitatem regio sit umbrosa. Gulielmus Postellus in sua Etruria putat *Umbrorum* nomen ab Græcis loco Hebraici & veri suppositum: גל enim notat fluctum significare & aquarum copiam: inde *Ombrios* sive *Umbrios* olim vocatos *Gallim*, impluviatos; quos posteritas vocavit *Gallos*: UMBRIA. unde dicta.

Latissimos *Umbriæ* fines olim habitos, non obscure docet Strabo libro V his verbis: ὁ δ' Ὀμβρικοὶ μέσοι μὲν κεῖνται τῆς Σαβίνης καὶ τῆς Τυρρηνίας μέχρι Ἀριμίνου καὶ Ῥαουέννης προσιᾶσιν ὑπερβάλλοντες τὰ ὄρη. Idem paullo post: Τῇ δὲ Τυρρηνίᾳ παραβέβληται κατὰ τὸ πρὸς ἕω μέρος ἡ Ὀμβρική, ἣ τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῶν Ἀπεννίνων λαβοῦσα, καὶ ἔτι περαιτέρω μέχρι τοῦ Ἀδρίου. Ἀπὸ γὰρ δὴ Ῥαουέννης ἀρξάμενοι κατέχουσιν οὗτοι τὸ πλησίον, καὶ ἐφεξῆς, Σάρσιναν, Ἀρίμινον, Σήναν καὶ Καμάρινον. Αὐτοῦ δ' ἐστὶ καὶ ὁ Αἶσις ποταμός, καὶ τὸ Γυγγοῦνον ὄρος, καὶ Σεντῖνον, καὶ Μέταυρος ποταμός, καὶ τὸ Ἱερὸν τῆς Τύχης. & quæ ibi sequuntur de Longitudine & Latitudine. Plinius libro III. cap. XIV. *Umbriam* angustioribus includit terminis. nam ab finibus tantum agri Ariminensis Anconam usque per Littus Superi Maris incedens in Adriæ fonte consistit, omnemque Continentis tractum per Apennini juga Ameriam usque adjicit: ut ex horum notatione *Umbri* quasi duplices videantur fuisse, *Cisapennini* & *Transapennini*. Ptolemæus duas hic statuens gentes, *Umbros* & *Vilumbros*, Οὔμβρους & Οὐιλούμβρους: His quidem, qua Meridies est, Tiberim; qua Oriens, Aternem; qua Septentrio, Montem Apenninum: qua denique Occidens, *Umbros* facit Limites: illis autem ad Occasum Gallos Togatos; ad Septentrionem, Senones; ad Ortum, *Vilumbros*, ad Meridiem Etruscos adlocans conregionales. Ptolemæi descriptionem sequi est animus: ijsdem finibus servatis, *Umbros* & *Vilumbros* hoc capite complectar, quum jam *Transapenninos Umbros* in Piceno descripserim. Fines, secundum Strabonem. Plinium. Ptolemæum:

Regio ab Apennino majore ex parte occupata, in situs sui varietate se quodam modo videtur oblectare. Nunc enim altis asperisque quasi horret Montibus; nunc collibus vestitur, qui Vini, Olei, Ficuum, aliorumque fructuum mirum quam fertiles; nunc denique amœnissimas pandit planicies, nihil non frugum abunde ferentes. Bonitatem Ubertatemque *Umbriæ* mirifice extollit Stephanus Auctorem citans Aristotelem. Qualitas.

Incolæ reliquis Italiæ Populis sunt bellicosiores. *Umbri* quondam universim audiebant: uti videre est apud omnes Latinos Scriptores, innuente id quoque Stephano, apud quem, λέγονται Ὄμβροι παρὰ τοῖς Ἑλληνικοῖς συγγραφεῦσι: alioquin Ὀμβρικοὶ nominantur eidem Stephano. *Ombricos*, ut antiqui Codices præferunt, non *Imbrios*, scripserat ex Theophrasto Plinius lib. XXXI. cap. VII. ubi dicit invenire se apud Theophrastum *Imbrios* Harundinis & Iunci cinerem decoquere aqua solitos, donec exiguum superesset humoris. *Umbrorum* Gentem antiquissimam existimari Italiæ, legimus apud Plinium lib. III cap. XIIII, *ut quos* (addit) *Umbrios ab Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent.* Sic M. Antonius apud Solinum in membranis cap. VIII. *Bocchus adserit Gallorum veterem propaginem Umbros esse, qui tempore aquosæ cladis imbribus superfuerunt.* Sed fabulosum hoc, quum diluvium fuerit universale, nullaque terræ pars tunc supereminuerit. Incolæ. Umbri universim. unde dicti.

Memoriam *Umbrorum* celebrat Dionysius Halicarnassæus libro I, Gentemque Res gestæ.

supra cæteras omnes magnam vetustamque, ac multis Italiæ locis insedisse, perhibet Plinius item loco indicato memoriæ prodit *Vmbros* agro Palmenti, Præturiano, Adrianoque Siculos atque Liburnos expulisse; ipsos vicissim pulsos ab Etruscis: illos à Gallis: præterea, quod ante monui, antiquissimos esse; ut quorum ccc oppida debellarint. Livius quoque frequenter *Vmbros* commemorat, præsertim lib. ix, ubi per deditionem eos in Romanorum venisse potestatem narrat; præterea cum lib. xv, obsidionem Vrbi Romæ comminatos scribit.

Vmbri spe. ciatim.

Vmbrorum Fratres, Pròles vel Coloni sunt, quos enumerat Alphabetico ordine Plinius libro III. cap. XIIII:

Amerini, ab *Ameria*, quæ hodie *Amelia*. Inscriptio beneventana in Horto Templi Annunciatæ, in basi:

M. MARIO. M. F.
STEL. TITIO. RVFINO
COS

LEG. LEG. I. MINER. P. F
CVR. COL. CLAVD. AVG
AGRIPPINENSIVM
PROCOS. PROV. SICILIÆ
CVR. AMERINOR. PRÆT
TR. PL. Q. PROV. MACEDON
SEVIR. TVRMAT. EQ. ROM
TRIB. LATICL. LEG. I ADI. P. F.
IIII. VIRO. STLITIBVS. IVDIC

Attidiates.

Asinates: Legendum *Asisinates*, ab *Asisio*, quorum etiam mentio in Tabula marmorea, in foro ibi collocata:

IOVI. PAGANICO. SACR
EX. INDVLGENTIA. DOMINORVM
SVCCESSVS. PVBLICVS. MVNICIPVM
ASISINATIVM SER AMOENIANVS
AEDEM CVM. PORTICIBVS. A SOLO
SVA PEC. FECIT ITEM. MENSAM. ET ARAM
D. D.

Arnates, ab *Arna* Opido, cujus meminit Silius libro VIII, quodque Ἄρνα Ptolemæo inter *Vilumbriæ* Civitates.

Æsinates, ab Opido *Vmbrorum*, quod Αἶσις Ptolemæo: Hodie *Cesi*.

Camertes. Nomen his ab Vrbe, quæ in *Vmbrorum* montibus Καμέρτη Straboni. De his ego in Piceno.

Casuentillani, quos *Casuentinos* scribunt, ut ait Abrahamus Ortelius, tres veteres Codices, *castius, ni fallor*, addens. Eorum mentio in antiquo Marmore, quod Interamnæ ad Summum Templum:

T. FLAVIO. T. F. CLV. ISIDORO ∅ EQ
ROM. PATRI. DVORVM. EQ. PVB
OMNIBVS. HONORIBVS. HONESTE
FVNCTO. QVINQ. II. AVGVRI
SACER. PONT. PRÆF. SACROR
PATRONO. MVNICIPI. INTE
RAMNAT. NART. CASVENTI
NORVM. VINDENATIVM

Carsulani, non Plinio solum, sed & Tacito: Καρσοῦλοι autem Straboni: olim, ubi nunc *Cassia*, notante Leandro.

Dolates, qui *Salentini* cognominati: Veteribus Plinij Codicibus *Doiates*.

Fulginates, à *Fulginia*, cujus infra descriptio.

Foro-Flaminienses ab *Foro Flaminij*, de quo post.

Foro-Iulienses, cognomine *Concubienses*.

Foro-Bremitani.

Foro-Sempronienses, à *Foro Sempronij*, quod hodie *Fossumbrune*.

Iguini ab Opido, quod *Iguvium* Ciceroni, *Ingivium* Silio, Ἰούιον Ptolemæo: *Eugubio* hodie. Pro *Iguinis* antiqui Plinij codices habent *Ingevinos*. *Iguvini* videntur nominari in Inscriptione, quæ Fulinguæ in Vmbria:

P. ÆLIO. P. F. PAPIR
MARCELLO CENT
FRVM. SVB. PRINCIPE
PEREGRINORVM. ADSTATO
ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO
LEG VII GEM PIÆ. FEL ADLEC
TO. AD. MVNERA. PRÆF
LEGG. VII. CLAV. ET. PRIMÆ
ADIVTRICIS. V. F. FLAMINI
LVCVLARI. LAVREN. LAVINA
PATRONO. ET. DECVRIONI. CO
LONIÆ. APVLESIVM PATRONO
CIVIT. FORO. FLA. FVLGINIA
ITEMQVE. IGVVINORVM. SPLEN
DIDISSIMVS ORDO. FORO. FLAMI
CVIVS. DEDICAT. DECVRIONIBVS
ET. LIBERIS. EORVM. PANEM
ET. VINVM. SS XX. N. ITEM
MVNICIPIBVS. SS IIII. DEDIT.

Inscri.

Inscriptionem hanc, ut & alias, integras pono, quod multorum simul locorum Vmbriæ in ijs fiat mentio.

Interamnates, ab *Interamna*, de qua post, *Nartes* cognominati, ab *Nari* Flumine, cui adjacent. Memorant eos varij Lapides: inter quos, qui Romæ in Vinea Cardinalis Carpensis:

L. FABIO. M. F. GAL. CILONI. SEPTI
MINO, & post magnum Elogium:
X. VIR. STLIT. IVDIC. CVR. R. P. NICO
MEDENSIVM. INTERAMNA
TIVM. NARTIVM. ITEM GRAVI
SCANORVM
TI. CL. AMBRELIANVS. 7. LEG. V
MACEDONICÆ. OB. MERITA

Alius, qui Interamnæ in Foro ad Officinam Aromatariam, in Basi marmorea:

A. POMPEIO. A. F
CLV. Q. PATRONO
MVNICIPI. INTERAMNAT
NAHARTIS. QVOD. EIVS
OPERA. VNIVERSVM
MVNICIPIVM. EX. SVMMIS
PEREICVLEIS. ET. DIFFI
CVLTATIBVS. EXPEDITVM
ET. CONSERVATVM. EST
TESTAMENTO. L. LICINI. T. F.
STATVA. STATVTA. EST

Est ibidem & alia Basis marmorea ad Summum Templum.

Mevantes, ab *Mevania* Opido.

Mevanienses, alij ab Superioribus, pro quibus alij codices *Mevanionenses*.

Matilicates, ab Opido, quod hodie *Matelica*.

Narnienses, ab *Narnia*. *Narniates* Stephano.

Nucerini, quorum etiam meminit Livius libro XXVII, quique corrupte *Lucerini* Auctori de VV. Inlustrib. cap. XXXII, ab *Nuceria*, qui *Favonienses* & *Camelani* cognomine.

Ocriculani ab *Ocriculo*. Basis ibi Statuæ:

IVLIÆ. LVCILIÆ
L. IVLI. IVLIANI. FIL
PATRONI. MVNICIPI
CVIVS PATER
THERMAS. OCRICVLA
NIS. A. SOLO. EXTRVCTAS
SVA. PECVNIA. DONA
VIT
DECVR. AVG. PLEBS
L. D. D. D

Ostrani ab Vrbe, quæ Ὄστρα Ptolemæo.

Pitulani, *Pisuertes* & *Mergentini* cognominati.

Pelestini olim ubi, Tractus, qui hodie *Plesteia*, inter Iguvium, Spoletum, & Fulginium; ubi *Probigo* opidum. In alijs Plinij Codicibus scribuntur *Pæstini*, *Pestini* & *Palæstini*; inemendatius.

Sentinates, ab *Sentino*.

Sarsinates ab *Sarsina* Paluti Patria. Ortelius vetusta Plinij exemplaria libro XXX cap. XIIII legere notat *Farsinates*. Vide infra.

Spoletini à *Spoletio*. Basis marmorea Romæ, in domo Iulij Porcarij ad Minervam.

ASTERII

L. TVRCIO. APRONIANO. V. C
FILIO. L. TVRCI. APRONIANI. V. C
PRÆFECTI. VRBIS. NEPOTI
L. TVRCI. SECVNDI. C. V. CONSVLIS
QVÆSTORI. PRÆTORI. QVINDECEM
VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORREC
TORI. TVSCIÆ. ET. VMBRIÆ. OMNI
VIRTVTE. PRÆSTANTI. STATVAM
EX. AERE. ORDO. SPOLETINORVM
AD. MEMORIAM. PERPETVI. NOMINIS
CONLOCAVIT
CVRANTIBVS. FL. SPE. V. PE. ET. CONDO
NIO. TAVRO. IVN
POST. AMANTI. ET. ALBINI. CONS

Suarrani.

Sestinates, fortean à *Sestino*, cujus, & aliorum Locorum in Ara marmorea, quæ in Vinea Cardinalis Carpensis, mentio:

GALLICANO ET. VETERE. COS
VII [illegible] IAN. COH. I. PR. 7
SATRI. CENTO. T. MISSI
HONESTA. M. SSIONE. VII
H BERO. COS
[illegible] L. CENSORINVS. IVSTVS. VIRVNO
I. [illegible] SESTINO
[illegible] RVFVS PLANONA
[illegible] TREBINATE
[illegible] III COS
T [illegible] CVPRAMAR
[illegible] ANTONI[illegible] PRIMVS [illegible]

Vettonenses, iidem forte cum *Vettonensibus*. Basis Feralitiæ in æde D. Angeli:

C. VIBIO. C. F. L. N. TRO
GALLO. PROCVLEIANO
PATRONO. PERVSINORVM
PATRONO. ET CVRATORI. R. P. VET
TONENSIVM IVDICI DE. V. DEC. ÆDI
LI. PATRONO. COLLEGI. CENTON
VIBIVS. VELDVMNIANVS
AVO. KARISSIMO

Vindinates sic Plinio dicuntur, qui *Vindenates* Basi marmoreæ, quam Interamnæ Nahartium, vulgo *Terni*, descriptam paulio ante repræsentavi, positam

T. FLAVIO. T. F. CLV. ISIDORO
PATRONO. MVNICIPI. INTE
RAMNAT. NART. CASVENTI
NORVM. VINDENATIVM

Nominantur Plinio postremo loco *Viventani*.

Suillates.

Tadinates; in aliis libris *Sadinates* nominantur.

Trebiates.

Tuficani, ab Vrbe *Tufico*, quod in libro legitur de Limitibus. Vide luficum in Piceno.

Tifernates, a *Tiferno*, cognomine *Tiberini* & *Metaurenses*: pro *Tiberinis* apud Plinium alij Codices habent *Tiburtino*, inemendate. *Tifernum* cognomine *Tiberinum* est apud eundem Plinium libro IV cap. I. ut infra dicam.

Vesionicates: in aliis *Vesioconates*

Vrbinates, ab Vrbino, cognomine *Metaurenses* & *Hortenses*. Elogium legitur Romæ in Pavimento Sacelli, quod est ad Templum S. Georgij in Cœlio Monte, positum

L. RANIO. OPTATO. V. C. COS
CVRATORI REIP. VRVINATIVM.
METAVRENSIVM

Sed & hoc situ idem Plinius interiisse scribit *Felignates*, & eos, qui *Clusiolum* tenuerunt supra Interamnam: *Sarranates*, cum opidis *Acerris*, quæ *Vafria* cognominabantur, *Turocelo*que, quod etiam *Vettiolum*: item *Solinates*; *Suriates*; *Falisenates*; *Apennates*; *Arienates*, cum *Crinovolo*; *Usidicanos*; *Plangenses*; *Pisinates*; qui in quibusdam Libris *Pisates*; & *Cælestinos*. *Vmbriæ* gentem etiam *Sabinos* esse; tradit Dionysius Halicarnassæus lib. II. De iis specialius infra hoc eodem capite. *Sabinis* item adcenseri sunt soliti: *Curienses* & *Fidenates*, de quibus etiam ego post *Sabinos* explicatius agam.

Vmbriam hodie, quamvis non totam, *Spoletanum Ducatum* appellant; vulgo *Ducato di Spoleto*, ab Vrbe *Spoleto*, quæ olim Regia fuit Ducum Langbardorum.

Hæc de *Vmbria* universim: ordo postulat, ut ad singula speciatim explicanda veniatur.

Primum ab Tiberis initio versus inferiora *Pratolinum* est opidum: infraque mille per ripam passibus cum Laura, tum permunita Civitas, *Borgo di S. Sepolcro*; non magni ævi. Sunt qui putant, inter quos Blondus, locum hic esse, ubi Plinius Iunior Epist. lib. IV Villam habuisse se significat, ad Apennini radices, iuxta Tiberim, Montibus ibi spectaculum instar Theatri efficientibus. Alij negant. Quidam volunt *Sitrapyeiam* esse Ptolemæi, qui tamen eam inter mediterraneas Tusciæ Vrbes numerat. *Biturtiba* scribitur in Itineraria Tabula, vitiose. Vide omnino quæ notavi ad Iter Antonini, quod in fine posui Capitis de *Tuscia*. Diu hanc Vrbem Ecclesia Romana sub sua ditione tenuit, donec ab Eugenio IV. P. M. XII aureorum nummum millibus Florentinis fuit oppignerata. Nobilitavit eam *Malatesta Cattaneus* IC. præstantissimus, & Camertium Præsul.

Clari Viri

Sequitur *Civitas Castellana*, *Citta di Castello*. Sic, vel etiam *Castello* simpliciter, hodie dicitur, quæ, ut placet Zachariæ Lilio, Blondo, Platinæ, Leandro, Celso Cit-

olim Tifernum. *Clari Viri.* *Principes.*

so Cittadino Angelerio apud Ortelium, & aliis, *Tifernum* Plinio lib. III. cap. V, cui inde *Tifernates*, eodem libro cap. XIII: Τίφερνον Ptolemæo; Plinio denique lib. IV. Epist. I, addito cognomine, *Tifernum Tiberinum*; qui addit se sua pecunia Templum ibi exstruxisse. Huc pertinent illa Sex. Iulij Frontini de Colonijs, quæ adscribam sic, uti legenda censeo: *Ager Tifernas* (legitur *Tifernus*) *Centuris fuit adsignatus: postea, iussu Imp. Tiberij Cæsaris, cuique, prout occupavit miles: deficientibus his, alijs paucioribus est adsignatus: Termini plerique, quod ratione observationis tantum ascendunt, quantum rectura limitum.* Ornarunt hanc Vrbem *Gregorius* eiusque discipulus *Lælius*, Scriptis uterque ex Græco in Latinum sermonem versis clari. Vrbis principatum diu tenuit nobilis *Vitelliorum* gens, de cujus Virtutibus Rebusque gestis consulendus Leander Albertus.

Montonium. *Fratta.*

Succedit mox *Montonium*, *Montone* vulgo; summorum Ducum, inter quos primas tenet *Bracius*, ortu inclutum. Post Montonium *Fratta* est.

Eugubium. *Antiquitates.* *Opera publica.* *Incolæ.* *Principes.* *Viri Clari.* *Ager.*

Tiferno M. P. XX versus Orientaliora abest *Eugubium*, ad Apennini radices positum: aditum præstante amœna pulcraque Planitie. Sunt qui volunt esse, quod *Iguinum* Silio libro VIII; *Iguvium* Ciceroni libro VII ad Atticum, epist. XIII, Ἰούιον Ptolemæo lib. III. Dominicus tamen Niger *Eugubium* idem statuit cum eo, quod Ptolemæo paullo ante Ἰούφικον. Legitur & apud Cæsarem *Iguium*, pro quo quidam reponunt *Iguvium*. τὸ Γυγγῦνον ὄρος nominatur apud Strabonem libro V: non dubito, quin scripserit Ἰγγῦνον vel Ἰγγύινον; & is sit, in quo nunc *D. Vbaldi Fanum*; cuius adiacet radicibus *Eugubium*, pervetus Opidum, multis Antiquitatem suam testans hodieque vestigijs. Visuntur enim ibi cum aliquot Rudera Templorum & Theatri, tum Tabulæ octo, ante annos aliquot repertæ: quarum una litteris, ut videtur, Græcis inversis, Linguaque, ut quidam autumant, Æolica (alij volunt Characteres esse Etruscos, & Tuscorum Linguam) reliquæ vero litteris quidem Latinis, sed lingua, ut putatur, Etrusca sunt scriptæ. Exempla sunt apud Martinum Smetium folio XXXIIX verso, & seq. *Eugubij*, quod dirutum aliquando in eam, qua nunc est, amplitudinem excrevit, magnificum est, artisque summæ opus, *Curia Priorum*, ubi Fons pereximius, supra cunctas ædificij partes exsiliens. Frequens hodie, Incolis industria summa Lanariam Negociationem tractantibus. Quis post Ecclesiam Romanam ex Monfeltriis & aliis Principibus habuerit *Eugubium*, docet Leander. Patriam hanc suam illustravit *D. Vbaldus*, Civis eius & Antistes. Episcopatus enim gaudet dignitate. Ager Campestris partim, partim Collinus; Frumenti undique ferax.

Branca. *Schetia.* *D. Pedrintianus.* *Costaciarium.* *Sigellum.* *Fossatum.* *Gualdum.*

Supra Eugubium *Branca* est; & in Via Flaminia, quæ Romam ducit, *Schetzza*: tum loco vicino *D. Pedrintiani Fanum*, *S. Pedrizano*, propemodum in Apennino: cuius latus prosequenti *Costaciarium* Agri Eugubini Opidum occurrit; paulloque ulterius *Sigellum*, Perusini: mox *Fossatum* in præcelso Apennini Colle; iuxtaque quarto lapide in eodem Colle *Gualdum*, quod Blondus ab Langbarbis conditum scribit, *Vallido* Vrbe loco finitimo diruta.

Nuceria. *Colonia.*

Post Gualdum Apennini Opida paullatim elongari incipiunt. Deinde Civitas est *Nuceria*, lateri item Apennini adhærens. Sic Livio libro XXVII, qui deletam scribit, dicitur; quæ Νουκερία Ptolemæo, Vmbrorum in Piceno Vrbs; Straboni, in Via Flaminia. *Nucerium* Tabulæ Itinerariæ. *Nocera* vulgo. Inde *Nucerini*, de quibus ante. *Nuceria Constantia muro ducta colonia* scribitur à Frontino, *iussu Imp. Augusti*. *Alphaterniam* etiam dictam ex Livio notant Volaterranus, Blondus, Niger, Leander, alij. Sed *Alphaternam* apud Livium legendum docet ex Diodoro Karolus Sigonius. *Nuceriam* Strabo commendat ab Vasis ligneis.

Fulignum. *an idem cum Foro Flaminij.*

Haud procul inde in amœna Planitie *Fulignum* se offert; *Fuligno* vernacule. Φουλγίνιον Appiano libro V bell. Civilium: sexaginta supra centum stadiis Perusia distans. *Fulginia* Silio Italico libro IX, & antiquo Lapidi apud Smetium. Is supra positus. Inde *Fulginates* Plinio, ut antea dixi. Marius Niger, Dalechampius, & Zacharias Lilius putant idem esse cum *Foro Flaminij*, cuius Plinius & Festus quoque meminerunt: quodque Strabo Φόρον Φλαμίνιον vocat. Sed in Lapide, de quo dixi, *Fulginia* & *Forum Flaminij* sunt diversa. Tinna dividitur, Flumine parvo & inglorio. Conditum est hoc opidum in Orbem, tribusque partibus habet Mona-

Situs. steria DD. D. Augustini, Francisci, Dominici: Templum item D. Feliciani, Opus novum, satisque pulchrum. Ad situm pertinet Silij illud:

——— patuloque jacens sine mœnibus arvo
Fulginia.

Quem locum enarrans Marsus, ætate quidem Silij muris eam caruisse; postea vero pulcherrimis & optimis accinctam. *Palatia opera.* In Foro Palatia sunt tria. In uno habitant VI-Viri *Fulginates*, ad quos primum Civiles deferuntur Controversiæ, Magistratu fungentes bimestri: in altero Prætor, qui graviores caussas dijudicat, cujus munus sex durat menses: in tertio Gubernator, cui summa potestas Pontificis nomine tribuitur. *Episcopatus. Clari viri. Fulginat.* Episcopatus fulget titulo. Illustravit plurimum nomen hujus Vrbis *Gentilis* Medicus Scriptis, quæ edita, celebris. Excisam a Perusinis anno CIↃ CC XXCI scribit Blondus libro Hist. XVIII, non sine gravissima indignatione Martini V P. M. qui Perusinos Anathemate percussos expiare noluit, nisi restitutis Vrbi novis mœnibus. Ab eo tempore *Fulginum* semper floruit. Censentur *Fulginates* eximie præ ceteris gentibus Tragemata ex Saccaro conficere, quæ vulgo *Fulginata* vocant.

Hispellum. Quinque a Fulgino P. M. dextra situm est *Hispellum*: sic Silio Plinioque scribitur: Straboni Εἰσπέλλον; Ptolemæo Εἰσπέλλον; quod *Spello* vernacule: *Spellum*, ut hodie, vocat Hyginus de Limitibus constituendis; *Spellates* autem Incolas. *Colonia Julia Hispella* extat in quadam antiqua Inscriptione, quæ in Thesauro Huberti Goltzij. *Res gestæ.* In imperio est & ditione Perusinorum: ideoque anno CIↃ IↃ XXIX direptum à Philiberto Arausiorum Principe, Karoli V Cæsaris Legato; anno autem CIↃ IↃ XXXVI, Paulli III P. M. jussu, mœnibus nudatum; eaque forma nunc jacet.

Assisium. Quinto ab Hispello lapide ostentat sese edito loco *Assisium*, dictum ab *Asi* monte proximo. Ἀσίσιον Ptolemæo & Procopio: Ἀσίσιον Straboni: *Axu*, ut putat Zacharias Lilius in suo Orbis Breviario, apud Propertium:

Scandentisque Axis *consurgit vertice murus.*

Episcopatus. *Assisi* vulgo & *Sisi*. Ab *Assisio* autem *Assisinates*, de quibus ante. *Assisium* Episcopatus dignitate clarum. Patria est *D. Francisci*, qui Familiæ Minorum Conditor; *Clari Viri. Res gestæ. Publica ædes.* Templo ibi honestatus sumtuosissimo. Vexatum adeo Civilibus legitur discordijs, ut pene interierit. Est & hic Sepulcrum Reginæ Cypri; item IX Sociorum D. Francisci: bibliotheca insuper instructissima: Domus quoque vetusta, quam *Jovis Fanum Templum* fuisse memorant.

Trevi, olim Mutusca & Trebula, vel Trebia. Rursus ab Fulgino ulterius læva in parte secundum Apennini latus *Trevi* invenitur. Olim hoc oppidum *Mutusca* dicebatur. Virgilius lib. VII Æneid.

Et quos mittit ovis oliviferaque Mutuscæ.

Ad quem locum Servius, primum *Mutuscam*, deinde *Trebiam*, quæ nunc *Trebula*, dictam scribit, ad quam Romani ab Hannibale Karthaginensium duce cæsi. Vere Servius priora, posteriora falso. *Mutusca* quidem *Trebula* post dicta; sed hæc *Trebula* non fuit *Trebia*, ad quam clades illata ab Hannibale Romanis. *Trebia* enim Calamitatis Romanæ memoria celebris, Fluvius est ultra Placentiam in Gallia Togata docentibus id omnibus Historiographis: *Mutusca* autem Virgilij procul a Trebia fuit in Vmbris, prope Sabinos, quæ & *Trebula*. Et hinc Plinius lib. III cap. XII, *Trebulani, qui cognominantur Mutuscæi, & qui Suffenates*. Hæc est Τρήβουλα (sic legendum, non Τρήβουσα) quam in Sabinis agnoscit Strabo libro V; Hæc *Trebula*, quam ibidem memorat libro III. adversus Gentes Arnobius: Hæc Τρέβουλα, cujus meminit Halicarnassæus, Reate IX stadijs distantis: Hæc denique, quæ duplici nomine *Trebulæ Mutuscæ*, apud Obsequentem de Prodigijs: & in Veteri Lapide, quem in Auctario publicavit Lipsius. Putant Erythræus, Villanovanus, & Leander *Trebiam* hanc eamdem esse cum *Trebula* Ptolemæi. Sed errant. Τρέβουλα (sic enim scribitur) Ptolemæo, ut & Livio, adcensetur Campaniæ Vrbibus: cujus Incolas Plinius libro III cap. V *Balinienses* cognominat; ut hos cap. XII, quemadmodum dixi, *Mutuscæos* & *Suffenates*. *Suffenas* vocat Dionysius, ut annotat Sigonius de Iure Italiæ libro I. cap. XVIII. Martialis *Trebulanum Caseum* loquentem facit his verbis:

Trebula *nos genuit, commendat gratia duplex;*
Sive levi flamma, sive domamur aqua.

Humidam

Humidam Trebulam vocat alibi idem Poëta.

> *Humida qua gelidas submittit Trebula Valles.*
> *Et viridis Cancri mensibus alget ager.*

E regione Trevi *Mons Falco* est opidum amœnis in Collibus; Novum quidem, sed Incolis frequens: quo *B. Clara*, Eremitarum Ordinis virgo, fertur orta. Mons Falco.

Tum in radicibus ejus Collis, Viaque quondam Flaminia *Bevana* est; *Bevagna* vulgo: *Mevania* Livio, Tacito, Solino, Suetonio, Antonino, & aliis Latinis, Μηουανία Straboni & Ptolemæo. *Mevaniæ* Itinerariæ Tabulæ, corruptius. Inde *Mevaniates*, de quibus antea dixi, Plinio: cui & *Lateritius Murus Mevaniæ* celebratur libro xxxv. cap. xiii. *Mevaniæ* natus est *Propertius* ipso canente libro iiii: Bevana olim Mevania. Propertii Patria.

> *Umbria me notis antiqua penatibus edit,*
> *Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?*
> *Qua nebulosa cavo rorat* Mevania *Campo,*
> *Et Lacus æstivis intepet Umber aquis*
> *Scandentisque Avis?* ——

Non prorsus insuperhabendum quod notat Servius ad illud Virgilii libro ii Georgic.

> *Hinc albi Clitumne greges* ——

Clitumnus Fluvius est, inquit, *in Mevania quæ pars est Umbriæ, partis Tusciæ: de quo Fluvio dicit Plinius in Historia Naturali, quod Animalia, quæ cum potaverunt, albos Fœtus creant.* Docemur enim *Mevaniam* esse *Umbriæ* portionem, cui primaria Urbs cognominis *Mevania.* De Regione etiam exaudiendi Lucanus & Silius: Ille lib. i. Ager.

> *Et qui tauriferis ubi se* Mevania *Campis*
> *Explicat;*

Hic autem libro viii.

> ——*Et lata* Mevania *Pratis.*

Mevaniæ Territorium Armentorum Gregumque hodieque est ferax.

Viam porro per amœnam Planitiem, ubi Fulignum & Trebula, pergenti, læva parte *Spoletum* occurrit, à quo *Ducatus Spoletini* nomen *Umbriæ* tributum. Vulgo *Spoleto.* Σπωλήτιον Straboni lib. iv & Ptolemæo; *Spoletium* Antonino & reliquis Latinis. *Coloniam* agnoscunt Florus in Epitoma Liviana libri xx, Paterculus libr. i, Cicero in Balbiana, Frontinus de Coloniis. Situm est *Spoletum* inæqualiter, partim in plano, partim in colle, cui & Arx insidet munitissima, ex vetusto quodam Amphitheatro quod hic erat, facta, uti Blondus censet libro vi Histor. Ex Urbe lapideo aditur Ponte, qui magno artificio ingenioque factus pilis grandibus xxiv sustinetur: urbisque partem editiore loco positam cum Arce, quæ in alio est colle, quem modica ab Urbe submovet convallis, adnectit. Arx à propinquioribus Pontificis semper gubernatur. Urbs hodie splendida est, & omnium rerum adfluit copia. Prætorium Spoleti splendidissimum ab Theodorico Gothorum Rege (cui hic locus summopere placebat) ædificatum; ab Gothis deinde una cum Regia eversum; Narsetis autem opera post restauratum, auctores sunt Blondus & Sabellicus. Videre ibidem licet præter alia magni ævi ædificia & Antiquitates residuas, Theatri fundamenta, vetustissimum extra Urbem Concordiæ Fanum, Formas ibidem sublimes ac solidas Aquæductuum, ex Apennini costis partim excisas, partim opere lateritio ex ima Valle fornicibus in altum subductas. *Spoletum* frustra ab Hannibale obsessum memorat Livius lib. xxii. *Spoleti* Marem in Feminam commutatum refert idem lib. xxiv. *Spoletinos* gravissimis bellorum Punicorum temporibus auxilia Populo Romano præbuisse, recenset idem libro xxvii. Quas, declinante Imperio, passum fuerit *Spoletum* Calamitates ab Gothis, commemorant Blondus & Sabellicus. Insignem etiam Cladem accepit ab Frederico Ænobarbo, quod Alexandro iii. P. M. faveret; & anno cIↄ cccxxiv à Perusinis, uti tradit Bernardinus Corius parte iii. Histor. In Prætorio jus dicunt vii-Viri Spoletini, quibus in consilio adsunt alii lx, forma Reip. Summa tamen potestas est penes Gubernatorem Pontificis. Spoleti nomen inlustrarunt *P. Cornutus* Orator, de quo Cicero de Claris Oratoribus; *C. Melissus*, quem Grammaticis adcensent Suetonius & Eusebius. Alios multos prætereo. Martyrio coronati in hac Urbe leguntur sub Diocletiano *Carpophorus, Abundius, Sabinus, Exsuperantius, Marcellinus,*

Spoletum. Situs. Publica opera. Qualitas. Res gestæ. Clari Viri. Martyres.

Episcopatus. *Felicianus* cum Vxore & Liberis, *Gregorius*, plurimique alij. Episcopatus claret dignitate.

Caput Aquæ. Inter Montes, supra Fulignum, Opidum est, quod vulgo *Capo di Acqua*, ab fonte cuiusdam Fluvii, qui hic oritur, denominatum.

Colis Floridus. Paullo altius *Collis Floridus* est, vernacule *Col Fiorido*

Cerretum. Inter Trebulam & Spoletum Castella sunt plurima Spoletini Agri. & inter asperos altosque Montes *Ceretum*, novi nominis Opidum, sed frequens: a quo *Ceretani* vocantur Errones, qui nunc per universam Italiam discurrentes sanctitatis religionisque prætextu varijs artibus emungere stipem consuerunt. Plura Leander.

Pons Castellanus. Clari viri. Infra Ceretum *Pons Castellanus* est, *Ponte Castello*, ab Ceretanis conditum, & à Ponte Naris, utramque ripam conjungente, dictum. Eo orti *Ludovicus* & *Paullus*, insignes Icc. item *Iovianus Pontanus*, Vir magni nominis & omni disciplinarum genere præstantissimus.

Cassia. Sexto hinc lapide *Cassia*, Opidum frequentissimum, quod Corvo adluitur. Recens putat Blondus, antiquum Volaterranus: quæ Leandro mens, contenti *Carsulanorum*, de quibus antea dictum, esse sedem. De *Cassia* imperio acerrime quondam decertatum inter Spoletinos & Nursinos: utrisque potestatem ibi vindicantibus. Legendus Blondus.

Nursia. Post Cassiam M. P. VIII inter Montes maximos Vrbs est, quæ vulgo *Norsa*. *Nursia* Latinis dicitur; *Nursia* Ptolemæo. De ea Virgilius lib. VII Æneid.

> *Qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida misit*
> Nursia.

Ad quem locum Servius, *Nursia*, inquit. *Vrbs in Picena est*, *Frigidaque dicta: vel quia revera talis: vel quia nocens. Gracchi enim ubique in concionibus suis Nursinos sceleratos appellavere.* Quod hanc Urbem in Picentibus collocet, ex Plinij facit sententia, à quo Regioni III tribuitur. Alijs auctoribus in Vmbris; alijs, inter quos Ptolemæus in Sabinis est. Parum refert. Adscribenda diversitas Regionum vicinitati, quæ hic confines. *Frigida* vero Virgilio dicitur propter montium circumiectorum, qui nivibus perpetuo occupantur, ingentique propinquis locis frigus conciliant, altitudinem: unde & eodem libro à Virgilio dicuntur *Montosa Nursæ*. Ab

Res gestæ. *Nursia Nursini* Plinio in IV Regione. Livius libro XXVIII Vmbriæ populos, & præter hos *Nursinos* & Reatinos, & Amiternes, Sabinumque agrum, omnes pollicitos fuisse milites memoriæ prodit. Tradit idem libro XXVIII *Nursinos* Scipioni milites ad instruendas naves Africano bello paratas misisse. *Nursinas rapas* cele-

Clari viri. brat præter Martialem, Plinius libro XVIII. cap. XIII. *Nursiam* illustrarunt *Sertorius* ille, militari apud Romanos gloria celeberrimus: *Benedictus*, Monachorum pater: *Vespasia Polla* Imp. Vespasiani mater. Discordijs civilibus pessime nunc afflicta iacet.

Conisa. Supra Cassiam deinde M. P. X. *Conisa* novi nominis est oppidum, montoso situ, frequens admodum.

Interamna. Relictis montibus Spoletum repropero. A quo P. M. XVI versus Africum distat *Interamna*. Sic Tacito lib. XVIII. & seq. Plinioque dicitur, non uno loco; Ἰντέραμνα, Straboni; Ἰντεράμνια, Ptolemæo; *Interamnia*, Antonino. *Interamnium* Itinerariæ Tabulæ: quæ vulgo *Terni* vel *Terani*, κατ' ἀφαίρεσιν. Dicta, quod *inter*

unde dicta. quando condita. *Amnes*, Altissimam scilicet ex Nare Fossam, ipsumque Narem sita. Ab ea *Interamnates*, de quibus supra: quorum & meminit Tacitus. Conditionis tempus notatur in antiqua Inscriptione, quæ ibidem ad Cathedralem Ecclesiam servatur in Tabula Marmorea, lata pedes VII, alta pedes IV:

SALVTI.

SALVTI. PERPETVÆ. AVGVSTÆ
LIBERTATIQVE. PVBLICÆ
POPVLI. ROMANI

GENIO. MVNICIPI. ANNO. POST
INTERAMNAM. CONDITAM
DCCIIII. AD. CN. DOMITIVM COS
AHENOBARBVM ....
....
....
....

PROVIDENTIÆ. TI. CÆSARIS. AVGVSTI. NATI. AD. ÆTERNITATEM
ROMANI. NOMINIS. SVBLATO. HOSTE. PERNICIOSISSIMO. P. R
FAVSTVS. TITIVS. LIBERALIS. VI. VIR. AVG. ITER
S. F. C

Urbem olim fuisse maiorem, veterum Ædificiorum ruinæ, quæ circa sunt, loquuntur. In foro Statua conspicitur, cujus basi incisum: *Quantitas.*

NEPTVNO SACRVM

Rebus omnibus ad Vitam necessarijs abundat: Incolis frequens. Ingenia magno numero tulit: cum primis *Ioannem Amicinellum*, Virum doctum & prudentem, Apostolicæ Cameræ quondam Auditorem. Commendantur hujus Vrbis Columbæ cum ob insignem magnitudinem, tum ob carnis præstantiam. Episcopatus gaudet titulo, Agro insignis ab fluvijs est fertilitas. Vinum notæ optimæ *Vernaccia*. Scribit Plinius libro XVIII. cap. XXVIII, Prata, quæ hic sunt, irrigua, quartum; quæ non, tertium annuo tempore secari. *Qualitas. Clari Viri. Episcopatu. Ager.*

Ad ripam Tiberis, unde versus Orientaliora ieram, redeo. Ibi in collis supra Tiberim latere post Tinnæ confluentem, *Druida* castellum apparet. *Druentum* Latine dici quibusdam placet. In pretio sunt hujus Loci Vasa fictilia: *Maiorica* Vulgus Italicum vocat, quod artis initium, ex una Balearium insula Maiorica prodierit. *Druida*

Via deinde, qua Perusia itur Narniam properanti, vetusta civitas in colle occurrit *Tuder*, Sic Plinio libro III. cap. XIV, & Silio Italico libro VII, & alibi, item Tabulæ Itinerariæ: Τοῦδερ Procopio libro II. Belli Goth. dicitur; *Tudernum* etiam Latine scribentibus; Τοῦρδερ Ptolemæo; Τουδερτία Plutarcho in Crassi vita: quod *Todi* vulgo. Τουρδεντλαις πόλις legitur apud Strabonem; pro quo Nobilissimus Scaliger & doctissimus Casaubonus legunt, Τοῦδερ, Σκληρὴς vel Σερκὴς πόλις, optimo sensu, ut apud Silium: *Tuder hodie Todi.*

Sed domus haud obscura Tuder.

Tuder Fida Colonia est apud Frontinum. Censet etiam Albertus Leander, quæ *Maluego* & Τίωεχ apud Halicarnass. libro I. eadem esse cum *Tuderno*. Incolæ *Tudertes* Silio libro VIII. *Tudertis Populi* meminit Inscriptio: *Colonia.*

PRO. SALVTE
COLONIÆ. ET. ORDINIS
DECVRIONVM. ET. POPVLI
TVDERTIS. IOVI. OPT. MAX
CVSTODI. CONSERVATORI

& quæ ibi sequuntur. *Martem* coluisse *Tudertes* canit idem Silius, loco indicato. *Martis Tudertis* mentio in Basi marmorea, quæ Cassigliani, *Tudertium* vico: *Mars Tuder.*

L. IVLIO.

L. IVLIO. L. F
CLV. MARCIANO
AED. II. VIR. TVDER
VICANI. VICI. MARTIS
TVDERT. EX. AERE. COLL.
OB. MERITA. EIVS. L. D. D. D
CVRAM. AGENTIBVS
L. IVLIO. PRIVAT. PATRE.
ET. L. IVLIO. PRIMINO. AMICO

Situs. Et probare videtur Dionysius Oraculum *Tiora* antiquissimum *Martis* fuisse scribens haud absimile Dodonæo. Situm est *Tuder* in amœno fructiferoque colle. Ad situm pertinent Silij illa libro VI:

——Colles Umbros atque arva petebat
Hannibal, excelso summum qua vertice montis
Devexum lateri pendet Tuder.

Episcopatus, Clari Viri. Civilibus discordijs hoc tempore propemodum subversum jacet, indignissime acceptum Avorum memoria ab Altobello, indigno patriæ alumno: de cuius immanissimo tandem supplicio legendus omnino Leander. Episcopatus claret honore. *Tuder* ortu suo illustravit *Martinus* I. P. M, ut Platina & Petracha notant: Blondus *Martinum* III dicit. Natus etiam hic *Antonius*, Vir Græce Latineque doctissimus; testantibus id aliquot Plutarchi Vitis, Latio ab ipso donatis.

Hinc finitimos inter montes ad Tiberim Castella sunt plurima; interque cætera modico in colle *Alvianum*, insignis munitaque Arx. Alvianum,

Amelia olim Ameria. Quarto-decimo inde Lapide versus Meridiem inter Tiberim & Narim antiqua civitas est *Amelia* in Colle: sic vulgo audit, quæ *Ameria* Ciceroni, Plinio libro III cap XIV, Festo, Tabulæ Itinerariæ; item Tabulæ Marmoreæ, quæ apud Cardinalem Maphæium, repertæ apud Cæretes anno CIↃ IↃ XLIIX; Ἀμερία Straboni & Ptolemæo: Ἀμέριον, Stephano: *Amerinum*, Servio. Quando condita. *Ameriam* Cato apud Plinium loco indicato prodit ante Persei Bellum conditam Annis ↃCCCCCLXIV. Clari Viri. Ortus *Ameria Roscius*, quem sua facundia defendit M. Tullius. Episcopatus. Episcopatui dat Sedem. Ager. *Ager Amerinus* (qui lege Imp. Augusti adsignatur Veteranis apud Frontinum de Colonijs) uber est, & bonus, frumento, vino, oleo abundans; collibusque nitens amœnis, quique vitibus & arboribus fructiferis passim vestiti. Virgilius I Georg.

Atque Amerina parat lentæ retinacula viti:

Quem locum exponens Servius, Retinacula hæc virgulti genus esse notat: quo ligabantur vites; & Amerinus ager abundabat.

Via qua Tuderno Narniam itur, passim in montibus adparent obscura quædam nulliusque momenti opidula: media autem Via *Castellum Tudertinum*, *Castel Tudino*; Castellum Tudertinum. locus exiguus; ultraque *S. Gemini*, honestum quondam opidum; sed ab Venetis anno CIↃ IↃ XXVII, pessime habitum. Sequitur hac ipsa via altissimi montis radicibus adpositum opidum *Cesis*, *Cesa* vulgo, cum Arce, præcelso in monte sita. Cesa. Dein secundum huius montis pedem ad opidum pervenitur *Aquam Spartam*: quo se Aqua Sparta. ortum scribit *Matthæus* Cardinalis suis in Sententias Commentarijs.

Pons Narnius. Ad exitum deinde Viæ Flaminiæ Pons ex latere cocto Naris ad Narniam transitum iungit. Nec procul eodem in amne grandissimis innixi Pilis Arcus quidam ingentes adparent nobilis ac vetusti Pontis, mirabili arte facti ex lapide quadrato permagno; quo ab collis, qui citra flumen est, radicibus per amnem ad Narniam commeabatur. Maximum id opus fuisse indicant rudera. Celebratur à Martiale libro VI epigrammat.

Sed iam parce mihi, nec abutor Narnia Quinto,
Perpetuo liceat sic mihi Ponte frui.

Scribit

Scribit & Procopius libro I. belli Goth. haud unquam Pontis Arcus altiores sibi visos. Ædificatum ex Cimbricis Spolijs ab Augusto clamant Narnienses.

Cum Vmbria solet explicari, tamquam Pars ejus, Regio, quæ hactenus *Sabinia*; ab Antiquissimis Italiæ Populis, qui Scriptoribus omnibus *Sabini*. Illi unde dicti, variant Auctores. Ab *Sabo* dirivant Dionysius Halicarnass. libro II & Silius Italicus libro VIII: Sabinia. Sabini unde dicti.

Ibant. & læti pars Sanctum voce canebant
Auctorem gentis: pars laudes ore ferebant
Sabe *tuas, qui de patrio cognomine primus*
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

De hoc *Sabo* multa Annius ex suis Beroso, Xenophonte, Catone, & Sempronio, quæ prætereo. Plinius lib. III. Natur. Hist. cap. XII ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, quasi *Sebinos*, ab Religione, Deorumque cultu dictos censet. Strabo lib. V initium eos ex Etruria & ab Tiberi habuisse opinatur. Zenodotus Trœzenius Historicus Advenas quosdam ex Vmbris in Agrum *Reatinum* profectos tradit, ubi quum aliquâdiu consedissent, tandem à Pelasgis expulsos in hanc Regionem, quæ *Sabinia* appellabatur, concessisse, ab eaque *Sabinos* deinde vocatos. Termini Gentis ex commutatione temporum valde diversi reperiuntur. Quos Cato Semproniusque statuunt, quia suspecti sunt, non refero. Dionysius Halicarnass. lib. II, *Sabinorum* primas omnino sedes Testrena in Vico fuisse non procul Amiterno, memoriæ prodit: addens, ijs deinde relictis, in Agrum Reatinum profectos cum Aboriginibus habitasse; postea quoque Cotilam Opidum nobile, vi occupasse, Reatinos agro suo pepulisse, Civitates quoque aliquot munitas, inter quas Cures, ædificasse; sensim inde potentia divitijsque adeo esse auctos, ut Tractum omnem ab illa urbe ad Adriaticum mare peringentem spatio CCXI stadiorum in latum, & fere CIↃ in longum occuparent: quam regionem Dionysij etiam temporibus habebant. Apud Plinium libro III. cap. XII. *Sabinorum* populi recensentur *Amiternini, Curenses, Forum Decij, Forum Novum, Fidenates, Interamnates, Nursini, Nomentani, Reatini, Trebulani*, qui cognominantur *Mutusini*, & qui *Suffenates, Tiburtes, Tarinates.* De plerisque dixi: de reliquis suo loco dicturus. Idem Plinius paullo post: *Velinos adcolunt Lacus roscidis collibus:* addens Apennini jugis undique vallatos, infra quos sit Latium, à latere Picenum, à tergo Vmbria. Ἡ Σαβίνη, inquit Strabo libro V, μεταξὺ τῶν Λατίνων κεῖται, καὶ τῶν Ὀμβρικῶν: ἐκτείνεται δὲ καὶ αὐτὴ πρὸς τὰ Σαμνιτικὰ ὄρη, καὶ μᾶλλον συνάπτει τοῖς Ἀπεννίνοις τοῖς κατ' Οὐηστίνους τε, καὶ Πελίγνους, καὶ Μάρσους. Et postea: Σαβῖνοι δὲ στενὴν οἰκοῦσι χώραν, ἐπὶ μῆκος δὲ διήκουσαν καὶ χιλίων σταδίων ἀπὸ τοῦ Τιβέρεως καὶ Νομέντου πολίχνης, μέχρις Οὐηστίνων. Leander Albertus *Sabinorum* fines notat Narem, Apenninum, Tiberim & Anienem: hoc tempore *Sabiniam* appellari indicans, quidquid inter Lacum Velinum, Reate, Tiberim, Narem & Anienem continetur. Totam *Sabinorum* regionem egregiè fertilem esse oleis ac vitibus, multumque ferre glandis, & pecori producendo aptam esse scribit Strabo. *Sabinorum* frequens mentio apud Rerum Romanarum Scriptores; ex quibus universim paret, prudentes admodum fuisse, audaces, & ad omnia aptos: ut merito Romulus omnem dederit operam, quo eos adfines sibi & Imperij socios adsciscceret. Factum illud anno ab V. C. VIII. recepto in urbem T. Tatio Sabino. Legendi, præter alios, Dionysius Halic. libro II, Livius libro I, Florus libro I. cap. I. Lapsu temporis, immemores factæ sub Tatio Adfinitatis, Populum Romanum sub Regibus, deinde eis exactis sæpe lacesserunt: triumphati aliquoties potius, quam victi: postremum etiam contagio belli Latinis se adjungentes. Eos M' Curius Dentatus Cos. intra eum tractum, qua Nar ambit Fontesque Velini, Hadriatico tenus mari, igne ferroque vastavit. Qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut in utro plus esset, ne ipse poterat æstimare, qui vicerat. Consulendi cum alijs Florus libro I. cap. XV, Orosius libro III cap. XXII, Eutropius libro II, Frontinus libro I. Ex quibus docemur Sabinos tandem omnino fuisse debellatos; ijsque Civitatem datam sine Suffragio, quod Paterculo notatum.

Eorum fines. — Populi. — Qualitas Regionis. — Res gestæ.

Hæc de *Sabinis* universim: postulat Methodus, ut singulatim de ipsorum urbibibus opidisque agam.

Principem locum obtinet *Reate*. Sic dicta Silio libro VIII, Tacito in Annalibus, Sueto-

liarum certe nomen restituit M. Porcio Catoni de Re Rustica cap. cxxxv Nobilissimus Vir Iosephus Scaliger in Coniectaneis ad M. Terentij Varronis librum de L.L. iv. Plura Dionysius quondam hoc situ opida dicit floruisse, quæ calamitate temporum jam tum ejus ætate prorsus perierant. Relicto Agro Reatino, exspatiemur ad reliqua Sabinorum.

Ad lævam Velini Lacus partem, ubi Aquæ ex edito colle præcipitatæ. Nari illabuntur, Opidum in Tumulo cernitur, quod *Collis Scipionis* Litteratis, *Celle di Scipio* vernacule appellatur; frequens, opibusque adfluens. *Collis Scipionis.* Scipionem condidisse nonnulli putant. Sequuntur inter Montes Opidula, quæ vulgo *Monte Buono* & *Tarano*, ad Himellam Amnem. *Mons Bonus. Taranum.*

Post Collem Scipionis supra in aspero, saxoso & præcelso Monte, Vrbs antiqua visitur *Nequinum* olim, ut Livius lib. x, & Plinius lib. iii tradunt. Vitiose apud Stephanum ex Dionysij Halicarnass. xvii Antiquit. Romanar. Νηκουΐα, πόλις Ὀμβρικῶν: Post *Narnia* Livio varijs locis, Silio Italico lib. viii, Tacito, Martiali, Antonino, & alijs; Ναρνία Ptolemæo, Stephano, Procopio; Νάρνα Straboni, forte Ναρνία: *Narni* hodie. *Narnia, olim Nequinum.* Vt ab *Narnia Narnienses* & *Narnistes*, de quibus ante; sic olim ab *Nequino*, *Nequinates*. Νεκουινάτης est apud Stephanum. *Narnia* ab *Nare*, scribente cum alijs Livio; ἀπὸ τοῦ παραῤῥέοντος, inquit Stephanus, ποταμοῦ Νάρνου, ὡς Διονύσιος ἑπτακαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς Ἀρχαιολογίας. *Vnde.* *Nequinum* infame Nomen, sive ab inertibus, & pravis opidanorum moribus, sive ab loci, in quo Vrbs sita est, asperitate; sive ab Cladis acceptæ iniquitate. *Colonia.* Ab cos. Apuleio frustra obsessam Vrbem, paullo post tamen in Pop. Rom. potestatem fuisse redactam, deducta eo *Colonia* anno ccccliv (quo tempore cum Samnitibus per M. Fulvinum Pætinum Cives triumphati leguntur) notant Livius lib. x & Plutarchus in T. Quinctio. Meminit ut *Coloniæ* idem Livius lib. xxvii & xxix. *Distantia ab Vrbe Roma, situs.* *Narniam* cccl stadijs ab Vrbe Roma abesse, auctor est Procopius de bello Gothico lib. i. Vrbs est alti, saxosi, præcipitisque Montis imposita dorso, rupes, qua meridies est, habens, despectusque horrendos, quorum imo in hiatu Nar Amnis per Scopulos confragoso alveo labitur; ab Septemtrione Colles imminent amœni, Arboribus fructiferis, Vitibus, Oleis, Ficubus, & id genus alijs nitentes. De Situ Servius ad vii Æneid. *In Via Flaminia Civitas*, inquit, *Narnia in montibus posita, quibus subest Nar fluvius.* Silius lib. viii:

> —— *& duro monti per saxa recumbens*
> Narnia. ——

Martialis libro vii:

> Narnia, *sulphureo quam gurgite Candidus amnis*
> *Circuit, ancipiti vix adeunda jugo.*

Claudianus:

> —— *celsa dehinc prospectans* Narnia *Campum*
> *Regali calcatur equo, rarique coloris*
> *Non procul Amnis abest, urbi qui nominis auctor.*

Patrum memoria deserta quodammodo jacebat cum Armis hostilibus, tum Discordijs civilibus labefactata: *Qualis hodie.* hodie refecta nonnihil Ædificijs satis elegans est & rerum copia lauta. *Publica ædificia.* Cathedrale Templum *D. Iuvenali* dicatum est, visiturque Monasterium extra portas *D. Hieronymi* pulcherrimum. *Clari Viri.* *Narnia* viros tulit præclaros & inlustres non paucos: inter alios *Ioannem* xiii P. M, Petrarcha cum alijs teste. Sunt tamen, qui *Romanum* perhibent, sed prius *Narniensem* fuisse *Præsulem*. Episcopatus enim dignitate gaudet *Narnia* Adduntur huic *Bernardus* & *Paullus. Casij*, Cardinales; *Bernardus Cardulus*, *Angelus* & *Octavianus* Pater & Filius *Casij*, omnes Episcopi: *Franciscus* & *Marcus Carduli*, viri ingenio litterisque pollentes, stupendæ memoriæ, *Galeottus* Orator & Philosophos, Scriptis clarus. Alios prætereo. Ager *Narniensis* bonus ad utramque Naris ripam partim collinus, partim planus. *Ager.* Inveniri ibi Terræ genus, quod siccitate Lutum fit, pluvijs in Pulverem solvitur, M. Tullius inter miracula prodit apud Plinium.

Sequitur Via inter fructiferos Colles Flaminia *Ocriculum*. Ὀκρίκολον Ptolemæo; *Ocriculum.* Ὀκρίκλοι Straboni libro v, & paullo ante inemendatius Ὄτρικλοι; Ὀκρίκολα, πόλις Τυῤῥηνῶν (latius enim olim Etruscorum erat Imperium) Stephano ex Dionysio; *Ocricoli* Antonino, Multitudinis numero; cui in quibusdam Codicibus *Vtriculi*:

quod *Otricolum* Livio lib. XXII & Tacito: *Otricoli* autem Italis, *Otrigolis* Adcolis. Inde *Ocriculani*, de quibus alibi. *Ocriculani Municipij* vetusta Monimenta, maximæque ruinæ spectantur ad Viam Flaminiam, Turrium, Templorum, Thermarum, Aquæductuum, Porticus, Theatri, Amphitheatri, & aliorum Ædificiorum; quæ vel ex parte, vel prorsus conlapsa mole sua testantur, quanta Vrbis olim fuerit amplitudo & magnificentia, quum florente adhuc Imperio staret. Falluntur, qui *Ocrea* vel *Interocrea* rudera putant. Certe *Ocriculi* esse, probant antiquæ Statuarum Inscriptiones duæ, Patri ac Filiæ, propter Thermas, quæ privato sumtu ibidem exstructæ, & Reip. donatæ. Eæ sic habent:

L. IVLIO. L. F. PAL
IVLIANO
IIII. VIR. ÆD
IIII. VIR. I. D.
IIII. VIR. QVINQ
QVINQ. II. DEST
PATRONO
MVNICIPI
PLEBS. OB. MERITA
L. D. D. D

IVLIÆ. LVCILIÆ
L. IVLI. IVLIAN. FIL
PATRONI. MVNICIPII
CVIVS. PATER
THERMAS. OCRICVLA
NIS. A. SOLO. EXSTRVCTAS
SVA. PECVNIA. DONA
VIT
DEC. AVG. PLEBS
L. D. D. D

Quod nunc *Otricoli* dicitur, in Monte est: Antiqui vestigia, de quibus jam dixi, in planitie juxta Tiberim visuntur dispersa.

Casperia. Rursum si ad Montes revertamur Reati finitimos, *Casperia* ad Himellam occurrit. Sic Virgilio libro VII, Vbique dicitur, sic hodie; sic proculdubio *Casperula* Silio libro VIII:

Hinc Amerina cohors, & Bactris nomina ducens
Casperula. —

A *Caspeli* Bactrianæ oppido; ut notat Pomponius Sabinus ad lib. VII Æneid. Aliunde ducit Marsus ad Silium.

Foruli. Sequuntur *Foruli*, canente Virgilio VII Æneidos:

Casperiamque colunt, Forulos*que & Flumen Himellæ;*

& succinente Silio, libro VIII, quem antea nominavi:

Casperula, hinc Foruli,

&c. *Forulorum* meminit & Livius libro XXVI. Sabinorum *Forulos* (Φορούλους) habet Strabo lib. V. Saxa ad rebellionem, quam habitationem, πρὸς ἀπόστασιν μᾶλλον ἢ κατοικίαν, nata magis & ab natura facta.

Vacuna. Inter Fabarim (qui hodie *Farfaro*) & Himellam *Vacuna* est, nobilis olim Vicus. *Vacunæ Fanum* Horatio Epistola ad Aristium:

Hæc tibi dictabam post Fanum *putre* Vacunæ:

quem locum explicans Interpres, *Vacunam* notat ab Sabinis cultam, Deam, quæ Minerva quibusdam, alijs Diana seu Venus habita. Varro de rebus Divinis lib. I Victoriam fuisse memoriæ prodit; cui qui in acquirenda sapientia studiose diligenterque versati eam consequuti essent, tamquam Ignorantiæ Victores jam vacando lætandoque vota solvebant.

Maglianum. Supra Himellam versus dextram haud procul Tiberi *Maglianum* spectatur in edito asperoque monte: hoc ævo princeps Sabiniæ Civitas, frequens lautaque.

Descendenti ab Monte, cui insidet Malianum, ad mediterranea Sabiniæ, spatiosa quædam Convallis offertur, in qua prope Fluvium Himellam *D. Mariæ Templum* itemque *D. Eutimij*, Sabinianæ Diœcesis. D. Gregorius ad Gratiosum Nomentanum Episcopum scribens, se rationem ejus ait habuisse, commissa illi Ecclesiæ *D. Eutimij* in Curibus, agro Sabinorum, cura. Dextra certe D. Eutimij Oppidum est *Turre* vel *Turres*: sic Vulgus Italicum, inquit Leander, perperam pronunciat,

nunciat, pro *Cures*. Κύρεις, inquit Strabo libro v, νῦν μὲν κωμίον ἐστιν: ἦν δὲ πόλις ἐπίσημος ἐξ ἧς ὁρμήθη ὁ τῆς Ῥώμης βασιλεύσας, Τίτος Τάτιος καὶ Νουμᾶς Πομπίλιος. ἐντεῦθεν δὲ καὶ Κυρίτας ὀνομάζουσιν οἱ δημηγοροῦντες τοὺς Ῥωμαίους. Quis condiderit, & unde nomen habuerit, tradunt cum alij, tum M. Terentius Varro apud Dionysium Halicarnass. lib. II. *Curenses* inde, de quibus alibi.

Sequitur *Nomentum*. Sic Livio varijs locis, Virgilio lib. VII, Itinerariæ Tabulæ; Νωμεντον Straboni & Ptolemæo; Νώμεντος Stephano appellatum, quod vulgo hodie *Lamentano*, ut scribit Leander. XII ab Vrbe esse lapide, tradit Rhegino. *Albanorum* olim *Coloni*, a tribus fratribus deducta, teste Dionysio. Incolæ *Nomentani*; quos in quarta Italiæ Regione locat Plinius lib. III, cap. XII, quorumque excursiones per Agrum Romanum memorat Dionysius Halic. lib. III: scribens tandem ab Tarquinio debellatos, & in tantas redactos angustias, ut, conditionibus acceptis, se dedere cogerentur. Sic Livius lib. I. subactum, notat *Nomentum* una cum Corniculo, Ficulnea, Cameria, Crustumerio, Ameriola, Medulliaque, Veterum Latinorum Opidis. Ortus *Nomento Crescentius*, Romani Imperij Vindex, de quo multa in Historia. Auctor fuit nobilis Familiæ Romanæ *Crescentiorum*. Prædium se habuisse in huius Vrbis Agro non semel significat Martialis libris I, IX, & alijs. *Nomentanum Rus* decimo lapidis diverticulo ab Vrbe, apud Plinium lib. XIV. cap. IIII, & Æmilium Probum in Pomponio Attico.

Nomentum. Distantia ab Vrbe. Conditia. Res gestæ. Clari Viri. Ager.

Supra Cures in Montibus ad lævam opidum se offert, haud temnendum, quod vulgo *Stroncone*: deinde *Monte Calvo*, itemque *S. Pietro*. Ad dextram infra, *Cotanello*, *Roca Antica*, *Aspera*, & ultra montes *Bucignaro*, & *Castello di S. Pietro*.

Mox inter Calentinum Torrentem & Malianum Opidum est *Col Vecchio*: item *Stermiliano*, *Furano*, *Salisano*. Post Calentinum in Colle *Poggio Mirteto*.

Haud procul Torrens modicus fluit, qui *Digentia* Horatio dicitur, hodie *Rivo del Sole*. De eo alibi à me dictum. Ad ripam illius *Montopolis* est & *Pubina*. Opidum hoc ortu suo nobilitavit *Petrus Odo*, maximus Grammaticus, Carminibus, quæ non pauca in lucem edidit, Horatij Flacci, & Ovidij Nasonis æmulus.

Ad Farfarum pulcro in Colle Cœnobium sumtuose quondam ædificatum *Farfa*: inde haud procul *Nerula*, perhonestum Opidum; supra id *Scandinella* Civitas, mox *Topia*, *Monte di S. Maria*, *Frasso*, *Poggio Lonadeo*, patria *Francisci Floridi*, qui multis Doctrinæ monumentis relictis mortem obijt in Gallijs CIƆ IƆ XLVII. Sequitur *Salisano* cum *Poggio Malliano*.

Stroncenium. Mons Calvus. S. Petrus. Helium. Cotanellum. Rupes Antiqua. Aspera. Bucinianum. Castellum D. Petri. Collis Vetus. Stermilianum. Furanum. Salisanum. Poggium Mirtetum. Montopolis. Pubina. Farfa, cœnob. Nerula. Scandinella. Topia. Mons S. Maria. Frassum. Poggium Donadeum. Salisanum. Poggium Malianum.

Trans Alliam, qui nunc *Caminato* & *Rio di Mosso*, *Crustuminorum* fuisse putatur initium. Eorum Sedem clare, meo quidem judicio, indicat Plinius lib. III cap. V ubi de Tiberi, *Etruriam*, inquiens, *ab Vmbris ac Sabinis*, *mox circa* XIII M. P. *Vrbis Vejentum Agrum ab Crustumino dein Fidenate*, *Latiumque à Vaticano dirimens*. *Crustumini* igitur supra Romanos Fidenatesque versus Septemtrionem in Sabinis; vel, si ab his separandi, Sabinis versus Meridiem adhærentes. Dionysius sane Halicarnassæus *Crustumerium Albanorum* vocat *Coloniam*, eamque haud procul ab Vrbe in Sabinis locat, ut quoque Livius; cui inconstanti Scriptura *Crustuminum*, *Crustumerium*, & *Crustumeria* nominatur: nisi vel Librariorum hoc incuriæ & supinitati sit adscribendum, vel diversa Opida sunt censenda. Nam & *Crustumerium* habet Plinius in Prima Regione *inter clara*, ut inquit, *Latij Opida*; & *Crustuminum* in Tuscia fuisse docet idem libro III. cap. V, ubi notat, *Crustuminum Agrum* Veteris Opidi nomen retinere in Tuscia, quod & Cicero confirmat Orat. pro Flacco. *Crustumini*, de quibus hic agimus, cum Romulo fœdere se junxerunt, inque Romanorum fide constanter ad Tarquinium usque permanserunt; quo tempore Latinos sequuti, mox tamen ad Pop. Romani nomen & amicitiam sunt reversi. Legendus præter alios Livius libro I, qui *Crustuminorum* etiam alijs locis meminit, præsertim libro XLI, ubi scribit Avem Sanqualem in *Crustumino* adparuisse. Cassius Hemina apud Servium, nuper Petri Danielis auspicijs editum, scribit Siculum nomine Vxoris suæ *Clytumnestræ* condidisse *Clutemnestram*, mox corrupto nomine *Crustumerum* dictum. Fides sit penes Grammaticum. *In Crustumino*, inquit Plinius libro II cap. XCVI *natum Fœnum*, *ibi noxium*, *extra salubre est*. *Crustumini Montes* Livio, ex quibus Allia Flumen præalto defluit alveo. Ab *Crustumino Tribus*

Crustumini Populi. Crustumerium Opidum. Res gestæ. unde dictum. Ager.

nomen

nomen accepit *Crustumini* vel *Clustumina*, de qua alij, cum ex antiquis Scriptoribus, tum ex Lapidibus.

Mons Rotundus olim Eretum.

Crustuminis *Montem Rotundum* adnumerant: Livio lib. xxvi, Virgilio lib. vii Æneid. Valerio Maximo, Itinerariæ Tabulæ & alijs *Eretum*, Straboni & Stephano Ἠρητὸν dictum. Sic censent Hermolaus Barbarus, Volaterranus, Erythræus, Leander: & convenit Situs. Nam *Eretum* Dionysius (cui, ut & Stephano, *Sabinorum* est Opidum) lib. iii Stadio cvii ab Urbe disiungit, xviii Milliari Antoninus Itinere, quo ab Vrbe ducit Hadriam. Strabo Salariam non magnæ latitudinis constratam fuisse, inque eam Nomentanam incidisse apud *Eretum Sabinorum* Vicum supra Tiberim jacentem, notat. *Eretum* Pomponius Sabinus ad vii Æneid. Vicum esse scribit ad ripam Tiberis haud longe ab Vrbe, Via Salaria, ubi jungitur Nomentanæ. *Ereti* Nomen ab Iunone *Era*, quæ hoc loco celebrabatur, factum ait Servius.

Palumbaria.

Locus nunc in Vrsinorum est ditione. Iuxta est *Palumbaria*, Savelliorum, patritiæ Familiæ Romanæ Patrimonium.

Fidenates. Populi.

Inter Crustuminos & Romanos ad Tiberim fuisse *Fidenates*, probant quæ paullo ante ex Plinio laudavi. *Fidenates* sane Eutropius ab Vrbe locat Milliario nunc sexto, nunc septimo: Halicarnassæus lib. ii Stadijs xl, quæ quinque tantum milliaria efficiunt. Eorum Metropolis *Fidenæ*. Sic Livio passim, Tacito, Suetonio, alijs vocantur: Φιδῆναι vero Straboni libro v & Ptolemæo (hic Latio adscribit; errore permanifesto) quæ *Fidena* Virgilio lib. vi Æneid.

Fidena Vrbs.

Olim Opidum nobile ad Tiberis & Anienis, ut Dionysius tradit libro iii, confluentes: Strabonis autem ætate Pagus & Privatorum Domicilium. Romulus *Fidenatibus* insigni prælio superatis,

Res gestæ. Colonia.

Urbeque eorum capta, *Fidenas Coloniam Romanam* fecit, Eidibus Aprilis, anno A. V. C. xiii, duobus millibus & quingentis Colonis eo deductis. Olim *Albanorum* fuerat *Colonia*, deducta ab maximo natu ex tribus Fratribus Albanis; quorum alter Crustumeriam, alter Nomentum Colonias fecerant. Videndi Dionysius lib. ii, & Plutarchus in Romulo. De aucto post, anno ab V. C. cccxxvi, *Colonorum* numero legendus Livius libro iv. Biennio vero post novi Coloni ab *Fidenatibus* occisi Vrbi excidium attulerunt. Livius, Dionysius, alij. Suetonius in Vita Tiberij cap. xl *Fidenis* Amphitheatri lapsu xx millia hominum gladiatorio Munere scribit

Ager.

attrita, Adeundus idem in Caligulæ Vita cap. xxxi. Plinius lib. x. cap. xxix Ciconias in *Fidenate Agro* juxta Vrbem non facere nidos commemorat. Erythræus putat *Fidenas* esse, quod hodie vulgo *Castel Iubileo*. Censet Leander hac ætate ne vestigia quidem ejus ulla superesse, ut nec aliarum plurium, quas olim his in locis exstitisse notat Strabo.

Collatia.

Inter eas *Collatia*. Sic Latinis, Livio, Plinio, Auctori de V V. Illustribus, alijs dicitur; & Κολλατία Straboni; quæ Κολλατία Halicarnassæo, *Conlatia* Festo. *Sabinorum* Opidum Livio; *Latij* in Via Tiburtina, Plinio. Olim Opidum; Pagus & Privatorum Domicilium ætate Strabonis, cui inter xxx & xl Stadium ab Vrbe locatur. Hinc *Collatina* & *Porta* & *Via* Romanis. *Conlatium Vicum* habet Ausonius Epistola xv. *Collatiæ* Vim attulit Lucretiæ Sex. Tarquinius: scribentibus præter alios Livio & Dionysio Halicarnassæo, in Antiquitatibus Romanis.

Cænina.

Erant item hic *Cænina*, *Antemna*, & aliæ Urbes. *Cænina Vrbs*, inquit Festus, *fuit ina Romæ*: Καινίνη Stephano & Halicarnassæo, cui ea in *Sabinis* ponitur: Plinio autem in *Latio*. Inde *Cæninenses*; quorum Res gestæ leguntur apud Livium & alios. *Colonia* memoratur omnium prima ab Romulo facta bello Sabino, anno ab

Colonia.

V. C. iv, teste, præter alios, Dionysio Halicarnassæo: vide & Solinum in Polyhistore cap. ii.

Antemna.

Antemna quibusdam Latine scribentibus: Ἄντεμνα Stephano: quæ *Antemnæ* Plinio libr. iii cap. v, Varroni libro iv de L.L., Virgilio libro vii. Æneid. (cui *Turrigeræ* cognominantur) Ἀντέμναι Dionysio Halicarnassæo, Plutarcho, Straboni.

Antiquior Roma, unde dicta:

Hanc Vrbem Veteriorem esse Roma, scribit ex Varrone Priscianus. Nomen illi, quod *ante Amnem* sita, qui influit in Tiberim, ut notant Varro, Servius, Isidorus libr. xix cap. ii. Amnis ille fortean *Anio*.

Res gestæ.

In bello male acceptum hoc Oppidum consenuit, scribente Varrone. De Rebus contra *Antemnates* gestis plene Historiæ Romanæ.

Colonia.

Hæc eodem anno, quo Cænina, bello primo Sabino finito *Colonia* ab Romulo

Romulo deducta fuit. Vrbs fuerat *Græcorum Aboriginum*, qui Siculos expulerant, quemadmodum Cænina. Trecentos eo Cives *Colonos* fuisse deductos anno IV tradit Dionysius lib. II.

Alias prætereo. Certe Strabonis, Dionysij, & Plinij sæculis, ut ipsi memoriæ prodiderunt, multa ruinis conlapsa jacebant in Agro *Sabinorum* Opida. Referam huc iter, quod ab Vrbe Ariminum ducit Antoninus per Vmbriam & Picenum, hoc modo: *Iter per Vmbriam & Picenum.*

	Antoninus:			Vulgata Nomenclatura.
Vmbria,	*Ab Vrbe Rostratam Villam,*	M.P. XXIIII	Ducato Spoletino	*Rignano,* Castello, ni fallor.
	Ocriculos Civ.	M.P. XXV		*Otricoli,* Castello.
	Narniam Civ.	M.P. XII		*Narni,* Citta.
	Interamniam Civ.	M.P. VIII		*Terni,* Citta.
	Spoletium Civ.	M.P. XVIII		*Spoleto,* Città.
	Forum Flaminij Vicum,	M.P. XVIIII		*Foligni,* Castello.
	Helvillum Vicum,	M.P. XXVII		....
Picenum,	*Callem, Vicum,*	M.P. XXIII	Marka d'Anc.	*Caglio.*
	Forum Sempronij.	M.P. XVIII		*Fossumbruno.*
	Fanum Fortunæ,	M.P. XVI		*Fano,* Citta.
	Pisaurum,	M.P. VIII		*Pesaro,* Citta.
Flamin.	*Ariminum,*	M.P. XXIIII	Romãd.	*Rimini,* Citta.

CAPUT XXV.

Campania Felix.

ITALIAM hactenus, quæ in Prisca Propriaque, ut sic loquar Occidentalior, pro virili mea explicui; succedit quæ Orientalior. *Orientalior Italia.*

Ea ad Occasum communes habet cum Occidentaliore Limites, Truentum & Vfentem Fluvios; reliqua ejus Latera Mari cum Infero Superoque; tum Ionio circumluuntur. *Eius Fines.*

Totum hoc dimidiam fere complectens Italiæ universæ portionem, REGNVM NEAPOLITANVM ab Urbe Primaria, de qua post, nuncupatur. REGNVM etiam quibusdam audit APVLIÆ, ab triplici *Apulia, Daunia, Peucetia,* & *Salentina,* quæ partem ejus constituunt non ignobilem. REGNVM item dicitur, SICILIÆ CIS PHARVM vel CITERIORIS, ad differentiam *Siciliæ uls Pharum* vel *Vlterioris,* quæ ipsa Siciliæ est Insula. Reges enim nonnulli, qui & *Neapolitanis* & *Siculis* sunt dominati, in suis Titulis se *Vtriusque Siciliæ Reges cis & ultra Pharum* vocare consueverunt. *hodie REGNVM NEAPOLITANVM, vel APVLIA, item SICILIA cis PHARVM.*

Ambitus. Ambitus ejus & Circumnavigatio colligitur à quibusdam Milliarium CIↃ CCCC LXVIII: ab aliis CIↃ CCCCXLV.

Situs cœlestis. Cœlestis Situs idem illi fere cum universa Italia, prætermissis aliquot Parallelis ad Septemtrionem, aliquotque Meridianis ad Occidentem.

Qualitas. Regio universim tum montuosa est, tum campestris: Cœli temperie, Aquarum scaturiginibus, Ingeniorum præstantia, Corporum robore, Rerum omnium ubertate varietateque felix & beata. Nobiles habet Portus, Promontoria stupenda, Montes insignes & admirandos, Fluvios fœcundos; Fontes jucundos & salubres; De quibus omnibus plene alibi.

Principes. Regnum hoc varietatem passum est in suis Principibus maximam. Nam post *Imperii Romani*, sub quo multa secula floruerant hujus Regni Regiones, declinationem, sub *Gothorum* primum, ut ætatis mediæ Scriptores memorant, & *Langbardorum* fuit ditione: Ab his ad *Græcos* pervenit & *Saracenos*, qui illud sub sua habuerunt potestate usque ad *Nortmannorum* in Italiam adventum. Hi cum armato exercitu Apuliam ingressi sunt anno CIↃ XXXIX, mense Februario, *Drogone*, Tancredi F. Duce, qui *Nortmannorum Comes* dicebatur. Hic, victis ad Aufidum Amnem Constantinopolitani Imperatoris Ducibus, Primus Nort-mannorum Ducum in Apulia pedem fixit cum Fratribus suis, seque *Apuliæ Comitem* appellavit. Qui Drogoni successerint, sequens docet Schema:

Stemma I. Comitum, Ducum, Regum, per Orientalem Italiæ ex Nortmannis.

Tancredus Richardi F. Nortmannorum Comes, ex duabus Vxoribus, quarum nomina sunt obliterata, XII procreavit Filios, III *Filias*. Eorum, qui ad institutum nostrum pertinent, Nomina hæc sunt:

Drogo, Primus ex Nortmannis in Italia Comes.	Gulielmus Comes, qui propter Fortitudinem *Ferebrach* id est *Fortubrachius* fuit dictus.	*Humfridus*, Secundus ex Nortmannis in Italia Apuliæ Comes, &c. — *Bacelardus* Tertius Apuliæ Comes, à Patruo expulsus.	*Robertus Guiscardus*, Quartus Apuliæ Comes, Bajelardo ejecto. Hic Primus *Ducis* Titulum usurpavit, adprobante Nicolao II. P. M. obijt CIↃ LXXXV. Sepultus Salerni, Sexagenarius. Duas legitur habuisse Conjuges, Alberardam Francam, & Giherardam, Sororem Gisulphi, Principis Salernitani. Nati ex	*Rogerius*, cognomine Gibbolus, Vir militiæ gloria clarus. Saracenis Sicilia profligatis, Primus se *Siciliæ* appellavit *Comitem*. Obiit anno ab Christo nato CIↃ... Quã habuerit Vxoré, incertum.

Priore

Priore:

Bohemundus, Princeps Tarentinus, qui in maxima Belli Sacri expeditione, capta Adelphi, Dux Antiochenus factus est anno CIↃ XCVIII. Obijt CIↃ CVIII. Vixit illi in connubio Constantia, Philippi Franciæ Regis Filia.

Bohemundus II. Princeps Antiochenus. Cecidit in prælio cum Rodoano Turco, Salapiæ Sultano, anno CIↃ CXXXI Sepultus Antiochiæ. Vxor illi Halis, Balduini II Solymorum Regis Filia.

Constantia, Heres Principatus Antiocheni, nupta.

I Raimundo, Aquitaniæ & Pictonũ Duci: ex quo natus

Bohemundus III Princeps Antiochenus.

II Reinaldo Castilioneo, ex quo procreata

Maria Vxor Manuelis Cõmeni, Constãtinopolitani Imperat.

Posteriore:

Rogerius II, Secundus Apuliæ Calabriæque Dux: Sicilia recepta, Comitem quoque Siciliæ se dixit. Vitam cum morte commutavit Salerni anno CIↃ CX mense Februario, quum annorum esset quinquaginta; ibidem sepultus. Vxor illi Adelheida, Roberti Frisonis Flandriæ Comitis Filia, Vidua Canuti Daniæ Regis.

Robertus Comes Apuliæ.

Gulielmus III. Apuliæ Calabriæque Dux, Salerni sine liberis decedens, Principatum Testamento reliquit Agnato Rogerio II. Rogerij Gibbosi Filio. Mortuus est mense Iulio anno CIↃ CXXVII, triginta annorum. Sepultus in Avito Monimento.

Ludovicus & Guiscardus in annis puerilibus obierunt.

Simon Comes Siciliæ. obiit CIↃ CX.

Rogerius III. Comes Siciliæ; & ex Testamento Gulielmi Agnati Dux Apuliæ Calabriæque. Neapolim post longam obsidionẽ Imperatori Byzantino sub finem mensis Sept. anno CIↃ CXXX eripuit; renunciatus eam ob caussam ab Anacleto II P. M. Beneventi *Rex Neapolis & Siciliæ*: Regis Italiæ titulo, quem affectarat, repudiato, Sacramentum ipsi de Regnis dixit Clientilare: quod tamen non eas habuit vires, ut bella avertuncare potuerit, quæ varia gessit cum tribus Pontificibus, aliquotque Afrorum Regulis; tam feliciter, ut ubique Victor Gladio suo inscribi jusserit: *Apulus & Calaber, Siculus mihi servit & Afer.* Vita defunctus est Panormi in Sicilia, pridie Kalendas Martij CIↃ CLIII, quum regnasset annos XXIV, ibidem sepultus in Ecclesia primaria. Vixit annos LVIII, Mense. V. Dies totidem. Vxores habuit tres, Albiriam, Sibyllam Ducem Burgundiæ, & Beatricem Comitem de Reteste.

Rogerius, Dux Apuliæ ante Patrem obiit, anno CIↃCXLVIII. Sepultus Panormi. Vxor Maria, Roberti Comitis Aletij in Apulia, Filia; ex qua unica illi nata est Filia.

Constantia, quæ quinquagenaria jam ab Celestino III. P. M. Cœnobio evocata, Regni Siciliæ Heres nuncupata, & Henrico II, Friderici Barbarossæ Filio est desponsata.

Fridericus II Imp. Rom. Rex Neapolis & Siciliæ. Ducta in Vxorem Iole, Ioannis Brennij, Hierosolymorum Regis, Filia. Ius Hierosolymitani Regni sibi

Tancredus Princeps Tarentinus. obijt ἄπαις ante patrem.

Tancredus, ex Concubina natus, Comes Aletij: testamento Gulielmi Boni Rex utriusque Siciliæ creatus est: sed quum Pontificis gratiam demereri non posset, præ mœrore amissi Filij obiit, nono imperij anno, qui ab Christo nato erat CIↃ CXCIV. Vxor Sibylla.

Gulielmus, cognomine Malus, Princeps, Capuanus, Secundus Siciliæ Rex, cis & uls Pharum, Patre vivo inauguratus XIII. Mai anno CIↃ CL. Ab Hadriano II P. M. diris devotus, mox in gratiam receptus, Tunetum vastavit. Ob Tyrannidem ab Regni Proceribus captus, sed paullo post rebus suis restitutus, diem obijt pride Kal. Mai CIↃ CLXVI, ætatis XLVI. Sepultus Panormi. Vxor illi Margareta Garsiæ, Navarræ Regis Filia.

Rogerius Dux Apuliæ; Rex Siciliæ contra Patrem per tumultũ militarem nominatus; non multo, post, dum eum varium & mutabile semper Vulgus iterum reijcere conatur, fortuito casu est interemtus.

Gulielmus II, cognomine Bonus Rex utriusque Siciliæ, Princeps pius, prudens, inlibatæ auctoritatis, coronatus Kal. Mai CIↃ CLXVI. Obijt ἄπαις, anno CIↃ CLXXXVI, ætatis suæ XXXII, sepultus Panormi. Vxor Ioanna, Henrici II Angliæ Regis Filia, quæ Marito de-

II ex Imperatoribus Germanis.

Robert. Henricus, Principes Capuani, Improles defuncti.

Henricus. Constantia.

adquisivit. Ab eo tempore Reges Siciliæ se quoque Reges Hierosolymorum scripserũt. Multa gessit contra alios bella. Quum magnæ ætatis iam ex morbo decumberet, ab Manfredo, Filio Notho, Tarentinorum Principe, est suffocatus, Nonis Decembris, anno CIↃ CCL.

Rogerius, a Patre Rex utriusq; Siciliæ creatus, sed brevi post ante Patrē mortuus ἄπαις CIↃ CXCIV. Vxor Irene, Isaacii Imperatoris Constantinopolitani Filia.

Gulielmus III Alij. Rex Siciliæ post Patrem, captus ab Henrico VI Imp est excæcatus & evirarus; in quo Stemma Nortmannorum in Sicilia defecit, Anno CIↃ CXCV.

rito defuncto, postea nupsit Raimundo Comiti Tolosano.

Manfredus Nothus, obtruncato Patre, regnum adeptus est Neapolis Siciliæque. Quum autem tyrannice viveret, excivit contra eum Vrbanus IV P. M. ex Gallijs *Karolum Andegavensem*, à quo ad Beneventum victus occubuit VIII. Eid. Februarij, Anno CIↃ CCLXV senecta,

Conradus I Legitimus, Imperator Romanor. Rex Siciliæ & Neapolis, ex Suevia in Siciliam reversus, recuperatis Provincijs amissis (Manfredus enim Neapolitanos eo absente ad defectionem sollicitarat) brevi supèrstitit; veneno ab Manfredo sublatus.

Constantia, nupta Petro Aragonum Regi, contra Gallos, qui Siculos omnis Tyrannidis genere opprimebant, evocato: Hic regio diademate insignitus, mari congressus cum Karolo II, victum cepit, postque quartum demum annum ea lege dimisit, ut contentus Neapoli, Calabria, Apulia, ac Tarento, Siciliam sibi ac Sardiniam relinqueret. Obijt III Eid. Nov. CIↃ CCLXXVI.

Conradum Rex Siciliæ ac Neapolis, quem securi percussit Karolus Andegavensis, anno CIↃ CCLXIX.

Stemma III Regum, ex *Francis*, utriusque Siciliæ.

III ex Regibus Francis

Karolus, Hludovici IIX Mitis Regis Francorum F. Philippi II Augusti N, S. Hludovici Regis Frater, Rex utriusque Siciliæ contra Mauftedum ab Vrbano IV P. M. creatus.

Karolus, II, cognomine Claudus, Princeps Salernitanus, Rex Vtriusque Siciliæ. Princeps benignus & liberalis. Siciliam recuperare conatus ab Rogerio Lora Calabro, Petri Aragonum Regis Ammirallio, VII Eidus Aprilis CIↃ CC LXXXIV navali prælio victus, & cum magno Nobilium numero est captus, ex quibus ducenti in ultionem Conradini capite sunt truncati. Ipse quoque morte adjudicatus post quadriennij demum captivitatem beneficio Constantiæ Reginæ, quæ Aragonensi erat nupta, dimissus est certis, quas antea indicavi conditionibus. Obijt IV Nonas Mai, anno CIↃ CCCIX, quum annos regnasset XXV, quatuorque menses. Vxor illi Maria Filia & Hæres Stephani Regis Hungariæ, quindecim liberorum Mater. Ex ijs ad institutum nostrum pertinent:

Karolus Martellus, Hungariæ Rex XXI, ex materna Successione.

Karolus Robertus, Rex Hungariæ.

Hludovicus Rex Hungariæ. obiit CIↃ CCC LXXXII

Andreas Primus Maritus Ioannæ I Reginæ Siciliæ. obiit CIↃ CCCXLV.

Robertus Dux Calabriæ, & Rex Neapolitanus, Heres Regni Siciliæ, quam post Iacobi Aragonij mortem recuperare conatus, sed victus ab Friderico Iacobi germano nil amplius tentandum ratus, contentus Neapoli Siciliam reliquit. Obijt Neapoli IV Kal. Februarij CIↃ CCC XLIII, anno Regni XXXIV, ætatis, ut plerique volunt, LXIIX. Vxores illi fuerunt II: Violanta

Ioannes Princeps Achaiæ Dux Dyrrachij.

Ludovicus Dux Dyrrachij.

Agnes Vxor Canis Grandis Scaligeri.

Karolus III de Dyrrachio Rex Siciliæ.

Karolus Dux Dyrrachij.

Margareta Vxor Karoli III

Philippus princeps Tarentinus.

Ludovicus Tarétinus, Maritus Ioannæ Reginæ Secundus.

Petri

Petri Aragonum Regis F. & Sanctia Majoricarum F. Priore genitus,

Karolus, Dux Calabriæ, qui ante Patrem Neapoli in ipso ætatis flore est extinctus VI. Eid. Nov. anno CIↃ CCC XXVIII. Duas habuit Conjuges: Mariam Valesiam, Sororem germanam Philippi VI Francorum Regis, & Catharinam Alberti I Imp. Filiam, improlem. Ex priore nata illi

Ioanna I, Neapolis Regina Avi testamento designata, hac lege ut nuberet *Andreæ Hungaro*, Principi Agnato: quem quum strangulasset, ab Levito Ludovico Hungariæ Rege regno est ejecta: quod Clementis VI P. M. ope postea recuperavit, ab eodem coronata cum *Ludovico Tarentino*, altero Marito VI Kal. Iunij, anno CIↃ CCC LII: quo defuncto nupsit *Iacobo Tarraconensi*, Infanti Majoricarum; & mox hoc repudiato, *Othoni Brunsvigio*. Quum vero ne hoc quidem defensore se satis tutam videret, explendo, quod in Agnatos conceperat, odio, adoptavit *Ludovicum Andegavensem*. Importuna hac ejus levitate offensus Vrbanus VI P. M. *Ludovicum* è Pannonia revocavit; qui ætatem obtendens *Karolum Dyrrachinum* armavit: à quo illa capta, & eodem in loco, quo primum ipsa Maritum suffocarat, est strangulata, VII Eid. Iunias CIↃ CCC LXXXII.

Ladislaus de Dyrrhachio ex Duce Calabriæ, mortuo Patre, adhuc puer sub tutela Matris Margaretæ Rex Siciliæ creatus est II. Kal. Martij CIↃ CCC XXXVI. Regnavit contra Regem Ludovicum annos II mens. V. dies. XI obijt Perusij VIII Eid. August. CIↃ CCCC XIV.

Ioanna II, de Dyrrachio, post mortem Fratris regnum obtinuit, coronata ab duobus Episcopis Francisco Politiano Aretino, & Angelo Romano Anagnino, Nuncijs Martini P. M. anno CIↃ CCCCXIX Regnavit annos XX. Obijt CIↃ CCCC XXXIV Neapoli. Quum liberos non haberet, adoptavit primo *Alphonsum* Regem Aragonum Regemque Siciliæ designatum post mortem suam hæredem instituit mense Sept. anno CIↃ CCCCXX; mox quum inter se dissidere cœpissent, eius adoptione antiquata *Ludovicum* III Ducem Andegavensem, Ludovici II Hostis Patris & Fratris suorum, Regis Siciliæ Filium adoptavit, Regemque post se designavit anno CIↃ CCCC XXIII, quo ante obitum suum sine liberis mortuo ejus fratrum *Renatum*, Lotharingiæ Ducem, eadem lege adoptavit, & non multo post diem obijt Neapoli anno CIↃ CCCC XXXIV.

Stemma IV Regum ex Ducibus Andegavensibus, Siciliæ cis Pharum.

IV ex Ducibus Andegavensibus.

Ludovicus Valesius, Ioannis Regis Francorum II F. Philippi VII Valesij N. Dux Andegavensis, adoptatus, ut antea dixi, in Filium ab *Ioanna*, Siciliæ Regina, quæ improlis erat, consensu Antipapæ Clementis VII anno ab Christo nato CIↃ CCC LXXIX, Rexque Hierosolymorum & Siciliæ, Comesque Provinciæ designatus est, post mortem ipsius coronandus. Defuncta Regina Regis titulum adsumens, regnavit titulo tenus contra Karolum III Dyrrachinum annos II, Menses II, dies IX, nimirum ab IIII Eidus Iunij anni CIↃ CCCLXXII, quo die Regina est occisa, ad XII Kal. Octobris anni CIↃ CCC LXXXIV. Vxor illi Lucia, Filia Barnabæ Vicecomitis.

Ludovicus Postumus, ex Duce Andegavensi, mortuo Patre, Regni Siciliæ, contra Karolum III Dyrrachinum, Titulum adsumsit XII Kalendas Octobris, anno CIↃ CCC LXXXIV; coronatusque fuit Avenione ab Clemente P. M. anno CIↃ CCC LXXXIX. Vxor Violenta Aragonum Filia.

Ludovicus III Dux Andegavensis, mortuo Patre, titulo tenus Rex Siciliæ appellatus est; adoptatus ab Ioanna II. postquam Alphonsum Aragonum Regem Adoptione ob orta dissidia privasset, anno CIↃ CCC XXXIII. Obijt Consentiæ in Brutijs, anno CIↃ CCC XXXIV.

Renatus Dux Lotharingiæ titulo-tenus & Andegavensis, Comes Provinciæ, Fratre Ludovico III mortuo. Regni Siciliæ jura suscepit, adoptatus ab Ioanna II anno CIↃ CCCC XXXIV. Regnavit in Schismate contra Alphonsum Regem Aragonum & Siciliæ annos XLVI. Obijt CIↃ CCC XXC mense Ianuario; *Ludovicum* XI Francorum Regem, Comitatus Provinciæ Regni-

Regnique Siciliæ hæredem relinquens. Vxor illi fuit Isabella.

Ioannes, Dux Andegavensis, titulo-tenus Dux Calabriæ, qui ante Patrem obijt in Gallijs.

v ex Valesijs Franciæ Regibus.

Stemma v Regum ex *Valesijs Franciæ Regibus*, Siciliæ cis Pharum.

Karolus v Valesius, cognomine Sapiens, Primus ex Regijs Filijs Franciæ Delphinus, Paterni Regni Hæres & Successor. Obijt anno CIↃ CCC XXC.

Karolus vi Valesius, Benenatus cognomine, Patris defuncti in Regno Successor. Obijt CIↃ CCCCXXII

Karolus vii Valesius, Rex Franciæ. Alij. Obijt CIↃ CCCCLX, XI Kalendas Augusti

Ludovicus XI *Valesius*, Rex Franciæ. Hunc *Renatus* Dux Lotharingiæ, Siciliæ Rex, Provinciæque Comes Heredem & Successorem testamento reliquit. Obijt propidie Kal. Sept. CIↃ CCCCLXXXIII

Karolus VIII *Valesius*, cognomine Gibbosus, Rex Franciæ, Siciliæ, &c.

Ludovicus Valesius, Dux Aurelianensis & Turonensis, Alençonij & Vertucij Comes: trucidatus per Sicarios ab Ioanne Burgundo Patruele subornatus, anno CIↃ CCCCVII.

Karolus Valesius, Dux Aurelianensis, Hæres Comitatus Mediolanensis. Obijt anno CIↃ CCCC XLI.

Ludovicus XII *Valesius*, Dux Aureliæ & Mediolani, postque *Karoli* VIII Agnati mortem Rex Franciæ, Siciliæ, &c. Obijt CIↃ IↃXV.

Claudia Valesia —

Ioannes Valesius, Comes Angolismorum. Vita defunctus est anno CIↃ CCCC LXVIII.

Karolus Valesius, Comes Angolismensis: defunctus anno CIↃ CCCCXCIV, duobus relictis ex Ludovica, Filia Philippi Comitis Bressani, Ducis Sabaudiæ Liberis, *Francisco* & Margareta.

Franciscus I *Valesius*, Angolismorum Comes, Ludovico XII sine mascula prole defuncto, cujus & Filiam habuit Vxorem Rex Franciæ, Siciliæ, &c. Obijt pridie Kalendas Aprilis CIↃ IↃ XLVII.

Franciscus Delphinus *Franciæ*, ante Patrem obijt IV Eid. Sept. anno CIↃ IↃ XXXVI.

Henricus II *Valesius*, Rex Franciæ, Siciliæ, &c. Obijt ex vulnere anno CIↃ IↃ LIX Eidib. Iulij, relictis inter alios ex Katharina Medicea.

Karolus Dux Aurelianensis. Obijt non sine Veneni suspicione anno CIↃ IↃ XLV.

Francisco II *Valesio*, qui Rex post Patrem Franciæ, Siciliæ, &c. Obijt ex Apostemate cerebri improlis CIↃ IↃ LX Nonis Decembris.

Karolo Maximiliano IX *Valesio*, Fratris in Regno Franciæ Siciliæque Successore. Perijt acuta febre III. Kalendas Iunij, CIↃ IↃ LXXIV.

Henrico III *Valesio*, Rege Poloniæ: &c, Fratre defuncto, Franciæ, &c. Obijt Kalend. Sextilis CIↃ IↃ LXXXIX, venenato cultello confossus, Rege Navarræo, *Henrico Borbonio*, quem sibi suisque rebus fidelissimum fuerat expertus, primum imposita corona Successore nominato, qui hodie felicissime regnat.

Stemma

Stemma VI Regum, ex *Aragoniæ Regibus*, Siciliæ cis Pharum, vel Neapolis.

VI ex Aragonia Regibus.

Ferdinandus cognomine Iustus & Honestus, Rex Aragoniæ, &c. Vita decessit IV Nonas Aprilis CIↃ CCCCXVI.

Alphonsus, cognomine *Magnanimus*, Patre defuncto Aragoniæ, Cataloniæ, Valentiæ, Navarræ & Siciliæ Regna gubernare cœpit, adhuc valde iuvenis. Ex Sardinia, ubi Genuenses oppugnabat, Neapolim accersitus, quum virtute sua Ludovici Andegavensis & Sfortiæ vim repressisset, ab Ioanna in Filium & Regni Successorem est adoptatus. Quum autem Hostibus veniam postulantibus facilis condonasset, Reginam supra modum offenderat: quam quum placare nequiret, palam armis oppugnavit, Neapoliq; exturbavit: quocirca eum ceu ingratum & impium Regina exhæreditavit, & priore Adoptione rescissa, Ludovicum Andegavensem in eius locum adscivit. Hinc gravissima sequuta sunt bella; in quibus alternante fortuna, nunc Aragonij, nunc Andegavenses Neapoli sunt potiti. Ad extremum Alphonsus Victor Regni possessionem transmisit ad Ferdinandum Filium Nothum. Obijt Neapoli IV Kal. Quint. anno CIↃ CCCCLVIII.

Ferdinandus vel *Ferrandinus*, Dux Calabriæ, Patris testamento in Regno Neapolitano Successor constitutus, prælio conserto cum Ioanne Andegavensi, Neapolim eum relinquere coegit. Obijt Neapoli VIII Kal. CIↃ CCCC XCIV.

Ioannes II Rex per Conjugem Blancam Navarræ, & Fratre Alphonso absque legitima Prole defuncto, Siciliæ Aragoniæque. Obijt XIV Kalend. Feb. CIↃ CCCC LXXIX.

Alij

Ferdinandus Rex Aragoniæ & Siciliæ ducta in Vxorem Isabella Henrici IV Castellæ & Legionis Sorore germana, ab ejus obitu Regna utriusque Hispaniæ Vlterioris & Citerioris copulavit, anno CIↃ CCCC LXXVII. Princeps felicissimus, continuo victoriæ cursu primo Granatæ Regnum, Saracenis penitus exterminatis, mox Neapolitanum quoque, Orani in Africa, Hispaniolæ & Americæ Regna, Fortunatas item Insulas, aliasque quatuor in Oceano meridionali sitas suo adjecit Imperio. Obijt X Kalend. Ianuarij, CIↃ IↃ XVI, ætatis suæ LXIV.

Alij

Ioannes Princeps Hispaniæ post contractas cum Margareta Maximiliani I Imperatoris F. nuptias diem obijt suum, anno CIↃ CCCC XCVII.

Isabella Alphonso IV, dehinc Emanueli Lusitaniæ Regibus nupta obijt CIↃ CCCC XCVII, ex magno partus dolore.

Ioanna, conjux Philippi Archiducis Austriæ Ducisque Burgundiæ, qui ditiones Belgicas regno Castellæ univit. Obiit anno CIↃ IↃ LV.

Alij

Karolus V Romanorum Imperat. Rex Castellæ, Legionis, Aragoniæ, Navarræ, Valentiæ, Granatæ, Siciliæ ultra & cis Pharum, &c. Obijt CIↃ IↃ LVIII.

Ferdinandus Cæsar Augustus Rex Hungariæ & Bohemiæ. Obijt anno CIↃ IↃ LXIV.

Philippus Rex Hispaniæ, Siciliæ, Neapolis, Hierosolymæ, Portugalliæ, Magnus Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Obijt anno CIↃ IↃ XCVIII

Maria — Maximilianus Roman. Imperat. Rex Hungariæ, & Bohemiæ.

Anna — Rudolphus II — Ernestus, alijque Fratres Archiduces Austriæ.

Philippus Rex Hispaniæ, Siciliæ, Neapolis, &c.

Alphonsus II Rex Neapolis ab Ioanne Borgia Cardinale Claremontano coronatus. Subditos sibi ob crudelitatem adversos ha-

Fredericus Ferdinandi Fratuelis in Regno Neapolitano Successit, anno CIↃ CCCC XCVII ab Ludovico XII Galliarum Rege & Consalvo Hispano pariter impetitus, quum neutri se parem cognosceret, ad Ludovicum Hostem in Galliam

bens, suique diffidens rebus, Regno deiecto, fugit in Siciliam, ibique [illegible] post Mediolani mortuus est, anno cIↄ cccc xcv, mente lapsa.

Ferdinandus II Rex Neapolitanus ab Karolo VIII Gallorum Rege regno pulsus, post ejus fata Hispanorum ac Venetorum auxiliis, Gallis pulsis, Neapolim recepit, mortuus in ipso Victoriæ [illegible] VIII Id. Oct. anno cIↄ cccc xcvII.

Galliam confugit, sed non quo sperarat animo exceptus. Ab eo usque, licet liberaliter sumtus suppeditaret, detentus, post annos aliquot ibidem obiit.

Alphonsus Dux Calabriæ Tarenti ab Consalvo captus est anno cIↄ Iↄ III, ductusque in Hispaniam, & Valentiæ sine liberis mortuus, Regnum Hispaniæ Regibus possidendum reliquit, Karolo V ejusque Successoribus.

Domicilium [illegible] Neapolitanorum [illegible]

Totius porro Regni Metropolis est *Neapolis*, de qua post. Domicilium ibi non solum pleraque Principibus & Nobilibus, verum etiam Regis Legato, quem *Vice-Regem* nominant, variisque Conciliis.

Officia Magna Regni.

Septem Principales sunt Magistratus, qui Regi considere soliti, ad dextram quidem I *Magnus Comestabilis*, II *Magnus Admirans*, III *Magnus Protonotarius*: ad sinistram; I *Magnus Iustitiarius*, II *Magnus Cubicularius*, III *Magnus Cancellarius*: ad pedes denique Regis, *Magnus Seneschallus*. *Magnus Comestabilis*, vulgo *Gran Contestabile*, principem obtinens locum, generalis est Præfectus Rei Militari, Bellicoque Adparatui. Creatum Rex, porrecto Gladio, verbis adloquitur, quæ Latine sic sonant: *Accipe Sacrosanctum hunc Gladium, quo conficies Hostes Populi mei.* *Magnus Iustitiarius*, *Gran Giustitiero*, Iurisdictionem habet in caussis & Civilibus & Criminalibus, eique hic parent subjectique sunt omnes Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Dynastæ, & alii. Vicarius ejus vulgo dicitur *Reggente della Vicaria*. *Magnus Admirans*, *Gran Ammirante*, vel *Admiraglio*, rebus præest universim Maritimis, mera etiam præditus Iurisdictione. *Magnus Cubicularius*, qui vernacule *Gran Camerario*, vel *Camerlingo*, curam gerit non solum Personæ Regiæ, ejus Lecti & Vestimentorum; verum etiam Fisci, Redituum, Vectigalium, idque genus aliorum. Subest illi nobilis Cubiculariorum & Thesaurariorum Cohors. *Magnus Protonotarius*, *Gran Protonotario*, Chartarum Regiarum est custos, auctoritatem habens creandi Notarios Iudicesque, & Nothos legitimandi. Rex Catholicus dignitatem hanc transtulit ad Cancellariam Regiam. *Magnus Cancellarius*, *Gran Cancelliero* litteras scribit Regis Secretiores: Sigillo Magno munit Privilegia ab Rege Subditis concessa: Academicos in oculis gerit. *Magnus* denique *Seneschallus*, vernacule *Gran Siniscalco*, *Maior-Domo*, & *Mastro di Casa* nominatus, Regiam Domum gubernat: procurans quæcumque ad Victum Amictumque Familiæ Regiæ, ejusque castigans & puniens Delicta.

Archiepiscopatus & Episcopatus

Supra quidem cap. xxI, quum in genere agerem de Gubernatione Italiæ Sacra vel Ecclesiastica, quot in Regno Neapolitano sint *Archiepiscopatus*, quique & quot sub Singulis *Episcopatus*, qua potui tunc fide indicavi: sed quia interea temporis ad meas venit manus Libellus, Neapoli impressus, in quo iidem majore forsan fide sunt perscripti, non gravabor transsumtos inde hoc loco in Lectoris gratiam ponere, quo ordine, quibusque appellatibus sunt concepti; additis à me Latinis:

Napoli,

L'Arcivescovo di

- *Napoli*, Neapolitanus. *Ha questi Vescovati soggetti: Vescovo di*
  - *Pozzuolo*, Puteolanus.
  - *Nola*, Nolanus.
  - *Cerra*, Acerranus.
  - *Ischia*, Ischalanus.
  - *Il Vescovo d'Aversa non è soggetto ad alcuno*: Aversanus.
- *Capua*, Capuanus. *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Segnia*, Isernensis.
  - *Thiano*, Theanensis.
  - *Calvi*, Calvensis.
  - *Caserta*, Casertanensis
  - *Caiazzo*, Caianiensis.
  - *Carinola*, Carinulæ.
  - *Sessa*, Suessanus.
  - *Venafri*, Venafranus.
  - *Aquino*, Aquinatensis.
  - *Il Vescovo di Monte Cassino & l'Abbate del Monasterio di quel Luogo, ordinato così da Papa Giovanni XXII nel anno* CIↃ IↃ XXXIV. *non è soggetto ad alcuno*; Casinẽsis
- *Salerno*, Salernitanus. *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Campagna.*
  - *Capaccio*, Caputaquensis.
  - *Pulicastro*, Policastrensis.
  - *Nusco*, Nuscanensis, Nusantanensis.
  - *Sarno*, Sarnensis.
  - *Marsico*, Marsicensis.
  - *Nocera delli Pagani*, Nucerinus.
  - *Acierno*, Acernensis.
  - *Il Vescovo di Ravello, non è soggetto ad alcuno*: Ravellensis.
  - *Il Vescovo della Cava, non è soggeto ad alcuno.*
- *Amalfi*, Amalphitanus, *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Letre*, Siteranensis.
  - *Scala*, Scalensis.
  - *Capri*, Capricanensis.
  - *Minori*, Minorensis.
- *Sorrento*, Surrentinus. *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Vico*, Vicanus, Vicensis, Aquensis Equensis. *Massa.*
  - *Castel à Mare*, Castelli Maris, vel Stabiensis.
- [Bari]
  - *Bitonto*, Bitontinensis.
  - *Malfetta*, Melphitensis, Caelphainus.
  - *Giovenazzo*, Iuvenacensis.
  - *Ruvo*, Rubentinensis, Rubensis.

L'Arcivescovo di

- *Conza. Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Muro.*
  - *Cagiano*,
  - *Monte Verde*, Montis Viridis.
  - *Alcedonia.*
  - *S. Angelo de Lombardi*, S. Angeli de Lombardis. *Bisaccia è unito con quel di S. Angelo*, Bisaciensis.
- *Cirenza. Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Matera, qual è hora Arcivescovato, & era giasetto la Diocese de Cirenza, al presente è vnito con quello*. Materanus, Acheron.
  - *Venosa*, Venusiensis.
  - *Aquilonia*, Aquilonensis.
  - *Potenza*, Potentiensis.
  - *Gravina*, Gravinensis.
  - *Tricaria*, Tricariensis.
- *Taranto*, Tarentinus, qui & Larcatinus. *Ha questi Vescovati soggetti: Il vescovo di*
  - *Motula*, Mutulensis.
  - *Castellaneta*, Castellanensis, Castellanatensis
- *Brindisi*, Brundisinus: *à cui è uni Arcives. covo Otria: ha questo Vescovato sogget to: Il Vescovo d'*
  - *Hostuni*, Ostunensis vel Astunensis.
- *Otranto*, Hydruntinus. *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Castro*, Castrensis.
  - *Gallipoli*, Gallipolitanus.
  - *Vgento*, Vgentinensis, vel Ogentinensis.
  - *Leccie*, Liciensis, Lucenensis, Alexanus.
  - *Capo di Leuco*, Lucensis.
  - *Il Vescovo di Nardo non è sogetto ad alcuno*: Nerronensis.
- [Benevento]
  - *Vulturara*, Vulturanensis.
  - *Larino*, Larinensis.
  - *Canne*, Cannensis.
  - *Termuli*, Termelensis.
  - *Lesina*, Lesinensis.
  - *Trivento*, Triventinensis,
  - *Guardia Alfana.*

L'Arcivescovo di

- *Bari*, Barenfis. *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Salpe*, Salpenfis.
  - *Polignano*, Polignacenfis.
  - *Monervino*, Minervienfis.
  - *Lavello*, Lavellinenfis.
  - *Conversano*, Conuerfanus.
  - *Bitetto*, Bitetenfis.
  - *Andri*.
  - *Vigle*, Viglienfis.
- *Tranni*, Tranenfis. *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Monte Pelloso*.
  - *Rapolla*, Rappolienfis.
  - *Andrano*.
- *Il Vescovo di Monopoli non è soggetto ad alcuno.* Monopolitanus.
- *Il Vescovo di Melphi non è soggetto ad alcuno.*
- *Il Vescovo di Troia non è soggetto ad alcuno.* Trajanenfis.
- *Manfredonia, detto Siponto*, Sipontinus vel Mantedonix, *a cui è unito l'Arcivescovato del Monte S. Angelo*, Gargani. *Ha questo Vescovato soggetto il Vescovo di*
  - *Vieste*, Vestanenfis.
- *Benevento*, Beneventanus. *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Lucera*, Lucerenfis.
  - *Ascoli*, Afculanenfis.
  - *Ferenzola*, Florentiolæ vel Florentinenfis.
  - *Telese*, Telefinenfis.
  - *Sant'Agatha de Goti*, S. Agathæ.
  - *Alife*, Alphienfis, Alphatenfis.
  - *Monte Verde*, Montis Viridis.
  - *Marsico Vecchio*, Marfici Veteris.
  - *Monte Marano*, Montis Marani.
  - *Avelino è unito con quello di Frequentino*: Avellinenfis.
  - *Vico della Baronia*, Vicanenfis.
  - *Ariano*, Arianenfis.
  - *Bosano*, Bosanenfis.
  - *Bovino*, Bovinenfis.
  - *Turribulense*, Tertibulenfis.
  - *Dragonaria*, Dragonarienfis.

L'Arcivescovo di

- *Civita di Chieti*, Theatenfis vel Theatinus. *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Aquila*, Aquilenfis.
  - *Civita di Penna, è unito con quello d'Atri*. Civitatis Pennæ, vel Pennenfis.
  - *Sulmona*, Sulmonenfis vel Valvenfis.
- *Lanciano*, Lancianus. *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Sora*, Soranus.
  - *Theramo*, Aprutinus.
- *Reggio*, Rhegienfis. *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Cassano*, Caffanenfis.
  - *Nicastro*, Nicaftrenfis, vel Neocaftrenfis.
  - *Catanzaro*, Cathacenfis.
  - *Cotrone*, Crotonienfis.
  - *Tropea*, Tropienfis.
  - *Oppido*, Oppidenfis.
  - *Castel à mare della Bruca*.
  - *Girace*, Giracenfis.
  - *Squillace*, Squilacenfis.
  - *Nicotera*, Nicoteranenfis.
  - *Bove*, Bovenfis.
- *Cosenza*, Consentinus. *Ha questo Vescovato soggetto: Il Vescovo di*
  - *Martorano*, Marturanenfis.
- *Rossano non ha Vescovati soggetti.* Roffanenfis.
- *Il Vescovo di Bisignano non è soggetto ad alcuno*, Bifinianus, Bifignanenfis.
- *S. Severina*, San-Seuerinas. *Ha questi Vescovati soggetti: Il Vescovo di*
  - *Umbriato*, Umbriaticenfis.
  - *San Marco*, S. Marci.
  - *Belcastro*.
  - Sitomenfe.
  - *Isola*, Infulenfis, Strongylenfis, vel Senonenfis.
  - *Fiorentino*.
  - *Strongoli*.
  - *Mileto*, Melitenfis.
  - *Cariati*.

Il Vescovato dell'Isola di Lipari è unito con quello di Patenzo, & sono soggetti all'Arcivescovo di Messina.

Nobilitas huic Regno tam frequens & copiosa, ut explicandæ, quo decet modo, Calamus vix sufficeerit. *Principes* tantum, *Duces*, *Marchiones*, & *Comites* hic dabo: reliquos minoris dignationis & inferioris ordinis suis indicaturus locis.

Principis

Principes hic lego XIV. qui vulgo sic audiunt:

Principes.

Il Principe de

Bisignano.
Squilace.
Molfetta.
Stigliano.
Ascoli.
Sulmona.
Melfi.
Meleto.
Venosa.
Scalea.
Cariati.
Concha.
Salerno.
Monte Herculi & Trancavilla.

Duces XXV.

Duces.

Il Duca de

Andre.
Amalfi.
Ariano.
Atre.
Baiano.
Bovino.
Gravina.
Mont'alto.
Martina.
Monte Lione.
Nardo.
Nocera.
Popoli.
Rocca de Monte Dracone.
Sancto Pietro in Galatino.
Seminara.
Sessa.
Somma.
Sora.
Taglia.
Termoli.
Terra Nova.
Traietta.
Trepalda.
Torre Maggiore.

Marchiones XXXVI.

Marchiones.

Il Marchese di

Arena.
Arienzo.
Bellante.
Brienzo.
Buchianico.
Campagan.
Capurso.
Casa Arbore.
Castel-Nuovo.
Castel-Vetere.
Castelaneta.
Cerchiara.
Crvita Santo Angelo.
Corigliano.
Foscardo.
Galatela.
Grotula.
Laina.
Laura.
Lecito.
Monte Nigro.
Musuraca.
Oria.
Padula Beneventana.
Pescara & Vasto.
Pulignano.
Quarata;
Santo Lucito.
Spechia.
Sant'Eramo.
Terza.
Torre Francolise.
Trivico.
Turso.
Valle Siciliana.
Vico.

Comites. LVI.

Comites.

Aiello,
Albe.
Aliano.
Altavilla,
Fondi.
Giovenazzo.
Macchia.
Martorano.
Oppido.
Paciento.
Palena.
Potenza.

Il Conte de

Alvito.	*Matera.*	*Pulicastro.*
Aversa.	*Mignano.*	*Rocca dell' aspro.*
Aquino.	*Mileto.*	*Ruvo.*
Belcastro.	*Miscingna.*	*S. Angelo de Lombardi.*
Borrello.	*Monte Calvi.*	*Santa Severina.*
Briatico.	*Montella.*	*San Valentino.*
Caiazzo.	*Monte Miletto.*	*Saponara.*
Canosa.	*Montorio.*	*Sarno.*
Carinola.	*Morcone.*	*Serino.*
Caserta.	*Muro.*	*Simari.*
Castro.	*Nerulani.*	*Sinopoli.*
Condiani.	*Nicastro.*	*Torella.*
Consa.	*Nicotera.*	*Trivento.*
Cusupersano.	*Noia.*	*Vgento.*

Barones Nobiles Familiae. Concilia sex Viceregni dicata.

*Baronum Nobilum*que Familiarum incredibilis est per totum hoc Regnum numerus: quemadmodum suis parebit locis.

Concilia sunt sex: I. *Viceregis*, quod *Collaterale* dicitur, in quo gravissima tractantur totius Regni Negocia, aliaque, quæ eo evocantur. Caput est Viceres: Adsessores nonnulli Comites. II. *S. Claræ*, quod ita ab loco, quo cogi solitum, vocatur: *Sacrum* etiam nominatum. Præses hic & Consiliarij cognitionem habent Causarum omniũ. quæ ab Vicaria per Provocationem eo devolvuntur. III *Vicariæ*: Hic ab Regente Neapolitano, qui Vicarius est Magni Justitiarij, quatuorque Juris Doctoribus, qui singulis annis renovantur, Ius dicitur, Iustitiaque administratur omnibus Regni Subditis, per Appellationem ab Inferioribus Iudicibus eo venientibus. IV. *Summariæ*: Hic Ratiocinarium est, ibique quæ ad Fiscum & Regni Vectigalia pertinent, curantur. Constat ex Vicario, sex Præsidibus, octo Rationarijs, decem, ut vocant, Clericis, & aliis. V. *Admiralitatis*: Hic toti Maris Præfecturæ est Domicilium. Iurisdictionem exercet in Nautas & quæcumque ad illos, tam Criminalem; quam Civilem. VI. *Monetarium*: in quo cognoscitur & civiliter & Criminaliter cum de aliis, tum de Regni totius Monetis, Ponderibus, Mensuris, idque genus aliis. Caput illi Præfectus Rei Monetariæ: cui adsunt Magistri, ut loquuntur, Rationales, Probitatis Monetæ Examinator, Pensitator, & alij.

Vicaria. Summaria. Admiralitatis. Monetarium.

Et hæc de Meridionaliore Italia, id est de *Regno Neapolitano* universim: Regiones autem, quæ toti huic Parti adcensentur, aliæ, ut quæ dixi cap. XXI. obiter hic repetam, ad Mare sunt Tyrrhenum, aliæ ad Hadriaticum: Tyrrheno cis Silarim adsidet *Campania*: trans idem flumen *Lucania*, *Calabria*que *Inferior* & *Superior*: Hadriatico cis Phiternum adlocati sunt *Samnites*; trans eumdem amnem *Apulia utraque* visuntur & *Salentini*.

CAMPANIA. unde dicta.

CAMPANIA (quæ & Καμπανία Straboni, Ptolemæo, aliis: quæque etiam in Antiqua Inscriptione sub Præneste in Via publica, qua Albam iter est, cum *Vmbria*, *Piceno*, *Bruttis*, *Calabria*, & *Apulia* nominatur) plerisque dicta censetur ab florentissima quondam Metropoli *Capua*, cuius Incolæ Scriptoribus omnibus *Campani*, quibus originem tribuit Græcam Trogus apud Justinum libro XX. Nonnulli sic vocatam volunt, quod *Campestribus* se pandat *locis*. Eustathius ad Dionysium ab *Campo* Civitate dirivat: *Capuam*, ni fallor, designans. Vide & Paullum Diaconum lib. II. de Reb. gest. Langbardor. cap. XVII.

Cognomina.

Felix Plinio lib. III. cap. V. nuncupatur ab felice beataque Regionis amœnitate, de qua paullo post. *Antiqua* quibusdam dicitur ad differentiam *Novæ*, quæ *Campania Romana* vel *Latium*. *Terra Laboris*, vernacule *Terra di Lavoro*, audit hodie ab *Laborinis*, qui Capuæ quomdam vicini & suburbani, *Campi*, quorum mentionem facit Plinius lib. III. nat histor. cap. V. lib. XVII. cap. IV. & lib. XVIII. cap. XI. De ijs ego alibi. Quidã parum solide ab *Labore* laborant *Laborinos* trahere: vel quod ad Culturæ Labores idonea sit: vel quod facillime colatur & aretur; Italis illud *Lavorare* vocãtibus

Narcissus.

Narcissus Medicus apud Sebastianum Munsterum ab *Lepore* & elegantia autumat sic appellatam.

Fines eius, ut videre est apud Strabonem, Ptolemæum, & alios, ad Occasum Liris, Latium ad alteram relinquens oram: ad Septemtrionem, Samnitium Montes; qua Ortus est, Silarus Fluvius, Lucaniam hinc dirimens, partique Agri Samnitium, quos dixi: qua Meridies; Mare Tyrrhenum sive Inferum. *Fines.*

Vere *Campus* est *Campania*, in quem Natura luxurians effudisse videtur largissimo Sinu quidquid uspiam est Deliciarum, Amœnitatum, Gaudiorum & Oblectationum. Paradisus vere Jtaliæ. Tam incredibilis ibi rerum est fertilitas. Visuntur spatiosi feracesque Campi; aprici fructiferique Colles, amœna odorataque Nemora, jucundi salubresque Fontes: & quid non Miraculorum? Ea suis locis commemorabimus. Scribit Strabo libro v. *Campaniam* cum omnium Rerum ad Usus humanos affluentia, tum Amœnitate omnes Italiæ partes partibus multis superare. Depingit eamdem his coloribus Florus lib. I. Histor. Rom cap. XVI. *Omnium non modo Italiæ, sed toto orbe terrarum pulcerrima Campaniæ plaga est. Nil mollius Cælo, nil uberius Solo, nil hospitalius Mari: denique bis Floribus vernat: ideo Liberi Cererisque Certamen dicitur. Hic illi nobiles Portus, Caieta, Misenus & tepentes Fontibus Baiæ: Lucrinus & Avernus quadam Maris otia. Hic amicti Vitibus Montes Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcerrimus omnium Vesuvius, Aetnæ Ignis imitator. Vrbes ad Mare Formiæ, Cumæ, Neapolis, Herculanium: Pompeii, & ipsa caput Vrbium Capua, quondam inter tres Maximas Romam Karthaginemque numerata.* Dionysius Halic. libro I. tribus anni cuiusque temporibus, Vere, Æstate, Autumno, Fructus in ea colligi suis oculis vidisse se testatur. Strabo rursus accedat, scriptum se reperisse memorans, quibusdam *Campaniæ* locis Zeam, Frumenti speciem, iterum eodem anni seri, tertioque Panicum, sed & quarto Olerum eodem in Arvo Semina. Vrbium summa hic Nobilitas. De ijs universim Propertius: *Qualitas.*

Et te mirantem Thesproto subdita Regno
Proxima Misenis Aequora nobilibus.

Jntelligit enim per *Misenas Nobiles*, omnes illas Vrbes, quæ in tractu Neapolitano erant, *Cumas, Baias, Puteolos*, & alias: ut Varro per *Tarrentinas Nobiles*, Vrbes tractus Tarentini, in quibus *Croton* & ipsum *Tarentum*. Circumferuntur etiam de plerisque Campaniæ Vrbibus hi versus:

Castellani Caietani.	*Pignatari son da Sessa.*
Belle Femine son de Mola.	*Papari de Castello.*
Cesali de Patria.	*Asinari de Buzolo.*
Cernati de Ischia.	*Fogatori de Prochyta.*
Gentilezze a Napoli.	*Buen Greco sa la Torre.*
Meglio sa la Somma.	*Castel a mare ne amico, ne compare.*
Avico porta pane contico.	*Surrente stinge li denti.*
Massa saluta & passa.	*Sarraini son de Capre.*
Fico de donna grana.	*Marinari de Pasitano.*
Vogatori de Preano.	*Samigothi de Cythara.*
Taglia borsi di Salerno.	*Zeppolan son de Agropoli.*

Aliorum Encomia brevitati studens prætereo.

Principatum habuerunt olim in hac Regione varij Populi, de quibus Strabo libro v. Geograph. & Plinius libro III. cap. V. *Opicos*, cognomine *Ausones*, *Campaniam* tenuisse docet Strabo ex Antiochi sententia *Opicos Ausonios* fuisse dictos refert Aristoteles lib. VII. Politicor. cap. X. Loca ad Tyrrhenum Mare tenuisse scribens; cui suffragatur Dionysius Halicarnass. libro I. qui in Latium usque protendit. *Opicos* & *Ausones* diversos tradit Polybius apud eumdem Strabonem, utrosque addens habitasse juxta Sinum Crateris. Pausanias in Achaicis notat *Cumas Opicæ* esse *Terræ*. Videndus & Thucydides libro VI. Ὀπικοὶ Italiæ Populi etiam Stephano noti. *Ausonia* testibus Livio & Festo ea pars olim Italiæ, in qua Beneventum & Cales: vel, uti scribit Isaacius in Lycophronem, proprie *Auruncorum Terra*, inter Campanos & Volscos juxta Mare sita. *Auruncorum*, qui Αὔρυγκοι Græcis scribuntur,

meminit etiam Virgilius lib. VII. Æneid. non uno loco, ubi Servius *Auruncos* notat antiquissimos Italiæ Populos; & Græce *Ausones* nominari. Mentio eorumdem passim apud Livium & Dionysium. Hic sane libro, VI. *Auruncos* robustum hominum genus, membrorum firmitate præstantes, adspectu truci & feroce, describit. Dixi etiam de *Auruncis* in Latio. Ab *Ausonibus* his non solum universa Italia quomdam *Ausonia*, verum etiam *Ausonium Mare* dictum refert Strabo libro V. quod idem auctor suo tempore *Siculū* fuisse appellatum scribit lib. II. & *Tyrrhenum*, uti memoriæ prodit Halicarnass. libro I. *Opicos Ausones* volunt Incertiores apud Strabonem ab *Oscis* subactos.

Osci. *Osci*, Ὄσκοι, Latinis Græcisque Scriptoribus satis celebrati. *Osci*, inquit Paullus Diaconus ad Festum in *Masius, à regione Campaniæ, quæ est Oscos, vocati sunt.* *Oscos* Verrius apud Festum antiquitus *Opscos* fuisse vocatos notat ex Ennio, cuius hoc Hemistichium libro VIII. Annalium, in mea editione:

——*De Muris res gerit* Opscus.

Oscos suis etiam cognominibus fuisse distinctos, plerosque autem periisse, præter eos, qui *Sidicini* dicebantur, ex Strabone facile colligitur lib. V. Notat enim ille *Teanum Sidicinum* ipso cognomine ostendere, se ad *Sidicinos* pertinere: *Sidicinos* autem esse *Oscos* Gentem *Campaniæ* superstitem: atqui tradiderat idem paullo ante universim *Gentem Oscorum* periisse: Sermonem tamen eorum superfuisse apud Romanos, sed Scenicum & in Mimis. Sic *Osci* erant, qui *Capuenses* appellabantur. Servius ad illud Virgilii lib. VII. Æneid *Oscorumque manus*; *Capuenses* inquit, *dicit, qui antea Ophici appellati sunt, quod illic plurimi abundavere Serpentes.* Nam Græce ὄφις dicitur *Serpens.* Vocabantur fortean & *Ausones*, si tamen, ut censent nonnulli, *Osci* ijdem fuerint cum *Opicis*, de quibus ante, quod Criticis disputandum relinquo. *Oscos* scribit Strabo

Cumae. profligatos ab *Cumanis*, de quibus in *Cumarum* delineatione. *Cumanos* Plinius antiquos *Campaniæ* Populos enumerans, *Græcos* vocat.

Cumanos magna ex parte ab *Tuscis*, de quibus ante, fuisse pulsos, narrat idem

Tusci. Strabo. Hos Plinius loco à me indicato Vmbros specialius appellat. Autumat Strabo Commutationum harum caussam fuisse Regionis ubertatem & præstantiam; eiusque desiderio tam varias Gentes provocatas Sedes in ea quæsiisse. Addit idem, *Tuscos* ibi dominantes, Vrbibus XII. eximijs conditis, omnem Principatum Capuæ tribuisse: Tuscos autem, nimia Agrorum felicitate languescentes &

Samnites, Romani. enervatos, ab *Samnitibus* fuisse exactos: Hos autem postremum à *Pop. Rom.* debellatos.

Habitatur hodie ab multa magnaque Nobilitate. Nam præter Principes, Duces,

Barones Campaniæ. Marchiones & Comites, quos antea huius Regni commemoravi, in Campania *Baronum* ingens numerus. Vulgatas dabo Nomenclaturas ex Libello, cuius antea feci mentionem:

Baroni di

Ottajano.	*Amerusio.*	*Frignano Picclo.*
Marigliano.	*Eusano.*	*Lusciano Persuperte.*
Castello di Parete.	*Gioia & Alife.*	*Treverolati.*
Prata.	*Caspulo.*	*Cardito.*
Cese.	*Buraczano.*	*Casa Pucxano.*
Marsano & Marsaniello.	*Popone.*	*Sexula.*
Valle Schaffare.	*Rastano.*	*Casignano.*
Dragone.	*Trentola.*	*Casa Pesella.*
Sant' Angelo.	*Rocha Rainola.*	*Santo Marcellino.*
Preta.	*Alvignane.*	*Cerro.*
Thora.	*Monte Aquilo.*	*Colli.*
Rocchia di Vandre.	*Frasse.*	*Scappolli.*
Vasirano.	*Mutula.*	*Castiglione.*
Presenzano.	*Pomigliano de Atella.*	*Feudo de Santo Vito.*
Santo Asitoro.	*Hunmi.*	*Santo Vicenzo.*
Pomigliano d' Arco.	*Cese.*	*Rocchetta.*

Fai-

Faichio.	*Gricignani.*	*Calvo.*
Rocha Ruuinola.	*Santo Antamo.*	*Tridici & Faucino.*
Atilano.	*Castello de Teverole.*	*Nunciata possede Valle.*
Santo Felice.	*Horta.*	
Castello de Santo Vizenzo.	*Sant' Arcangelo.*	

Hæc in genere paucis de *Campania*: jam nunc specialior me vocat eius Discriptio: quam ab Liris (hic enim communis inter Latium & *Campaniam* Limes) ostiis auspicabor. *Campania. Vrbes & Oppida.*

De *Liri* supra dixi. Fuisse quomdam in eius ora memorant quidem Vrbem *Ausoniam*, cuius nescio an quis Veterum, præter Livium lib. IX. de quo post, meminerit. Sanfelicius putat æquatam solo. *Ausonia,*

Fuerunt ibidem *Vestina* & *Minturnæ*. Livius loco indicato *Ausoniam*, *Vestinam* (in quibusdam Codicibus *Vescia* legitur exaratum. Consule Ambrosium Leonem lib. II. cap. III. de Nola Vrbe) & *Minturnas* uno bello scribit subactas; *Minturnas* quidem conservatas: *Vestinam* autem cum *Ausonia* deletam, idque per Ducum contigisse absentiam. *Vestinæ* Jncolæ *Vestini*, uni Livio noti. Nam quos nominant Strabo, Plinius, Ptolemæus, ad Mare erant Superum, circa Matrinum Fluvium. Ab *Vestinis* Campaniæ ad Mare Jnferum *Vestinus Mons* appellatur, circa Minturnas, cuius meminit Hyginus de Limitibus. Inde item *Vestinus Saltus* Livio libro X. De *Minturnis* dictum in Latio. Describitur in Agro *Minturnensium* Straboni *Lucus Sacer*, ἄλσος ἱερὸν, de quo alibi: ut & de *Monte Gauro*, qui paullum ab Liris abest Ostio. *Vestina,* *Incolæ,* *Vestinus { mons saltus* *Minturnæ,*

Jtinere Minturnis ad Gaurum inter illas & Sinuessam *Trifanum* erat, quod Livius nominat libris ab V.C. VIII. & XI. *Trifanum,*

Hinc *Sinuessa*, Minturnis LXXX. distans stadiis. Sic Latinis, cum aliis, tum Melæ, Antonino, & Itinerariæ Tabulæ dicitur, quæ Σόεσσα Ptolemæo per o: nã per υ, Σύεσσα alia ab hac est in Mediterraneis: nisi fore pro Σόεσσα legendum sit Σινόεσσα. Livius libro X. describit eam juxta Agrum Falernum; addens Græcam fuisse Vrbem, *Synopen* dictam: deinde ab Colonis Romanis *Sinuessam* appellatam. Videndus & Plinius. *Coloniam* etiam nominat Frontinus. *Sinuessa* Silio libro VIII. *Tepens* vocatur, ad Aquis proculdubio calidis. Quod hodieque *Sinuessa* nuncupetur, tradunt Marsus, Leander, & Hubertus Goltzius, qui oculatus testis totam interiisse adfirmat apud Ortelium, tantumque superesse inter eius ruinas exiguum, sed munitissimum metu Piratarum, Opidulum, quod vulgo *Rocha de Monte Dragone*, passibus ab Mari mille. Incolæ *Sinuessani* Lapidi, quem apud Petrinum Sinuessanum servari notat Apianus: *Sinuessa,* *olim Synope,* *Colonia,* *Incolæ,*

L. PAPPIVS. L. F. TER
POLLIO. II. VIR
L. PAPPIO. L. F. FAL.
PATRI
MVLSVM. ET. CRVSTVM
COLONIS SINVESSANIS. ET
CEDIANIS. OMNIB. MVNVS
GLADIATORIVM. COENAM
COLONIS. SINVESSANIS. ET
PAPIENIS. MONVMENTVM &c.

Σινοεσσανοὶ Polybio apud Stephanum. Hinc *Sinuessanæ Aquæ* Plinio in Campania: quarum etiam meminerunt Livius lib. XXII. Tacitus lib. XVII. (ubi male in vulgatis Codicibus *Suessanæ*, indicante Lipsio) & Martialis lib. XI. hodie *Acque de Monte Dragone*, ut vult Ben. Falconius. *Sinuessana Prela* nonnullis celebrantur, quod *Sinuessæ* Vina Massica & Falerna premerentur. *Sinuessani Fundi* mentio non semel apud M. Tullium in Epistolis ad Atticum. *Aquæ* *Prela.* *Fundus,*

Ab Sinuessa, quæ, ut dixi, Ptolemæo Σόεσσα, vel, uti legendum forte monebam *Sessa,*

Σινόεσσα, alia est *Suessa*, eidem Σύεσσα in Mediterraneis & Septemtrionalior. Binominis plerisque, nunc *Suessa Pometia*, nunc *Suessa Aurunca*. *Nam Pometinos* ab L. Tarquinio Romanorum Rege, *Pometia*, de qua in Latio, deleta, pulsos in eam commigrasse, tradit Dionysius Halicarnassæus libro I. Antiq. Rom. unde *Pometia* cognominata: sicque Tacito, Floro, Plinio lib. VII. cap. XVI Auctori de VV. Inlustr. cap. VIII. alijsque nota. Postea *Aurunca* vel *Auruncarum* cœpit dici, teste Livio lib. VIII. quum *Aurunci*, ab T. Manlio Cos. Sidicinis opem ferente victi, cum Liberis & Coniugibus eo, Patria deserta, confugissent. *Suessa Aurunca* meminit idem Livius libro XXXII. *Suessa* nihilominus simpliciter vocatur cum alijs, *tum Plinio libro natur. Histor. III cap. V. simplexque hodie nomen retinens, *Sessa* dicitur, posita in Agro Vestino, Situ inæquali, ad Montes Massicum & Calenum, in Via Appia, in Regione amœna & fertili. Ducatus & Episcopatus honore decorata. Nobilitavit eam ortu suo *Augustinus Niphus*, insignis Philosophus, Scriptis clarus. Inter Volscorum quomdam Vrbes nominata, Roma ipsa antiquior, tandem Romanis cessit, factaque *Colonia* circa annum ab V. C. CCCCXL. ut ex Livio paret. Velleius deductam notat triennio post Luceriam. Passa deinde multas Clades Bellis Punicis, *Colonia* censetur in Inscriptione, quæ ibi servatur:

[Margin: quæ Pometia cognominata; quæ Aurunca; Situs, Dignitas, Clari Viri. Res gestæ, Colonia,]

C. TITIO.
CHRESIMO. AVG. LIB.
HVIC. ORDO. DECVRIONVM
QVOD. PRO. SALVTE. ET. INDVLGENTIA. IMPERAT
ANTONINI. PII FELICIS. AVG. ET. VOLVNTATE. POPVLI
MVNVS. FAMILIÆ. GLADIATORIÆ. EX. PECVNIA. SVA
DIEM. PRIVATVM. SECVNDVM. DIGNITATEM. COLONIÆ
EDIDERIT. HONOREM. BIS. ILLI. QVOD. QVIS. OPTIMO. EXEMPLO
IN COLONIA. SVESSA. HABVIT. ET. VT. AQVÆ. DICITVS
IN. DOMO. EIVS. FLVERET. &c.

Suessanorum etiam meminit Inscriptio, quæ ibidem legitur:

IMP. CAES
L. SEPTIMO
SEVERO. PERTINACI
PIO. P. P.
SVESSANI

[Margin: Municipium,] *Suessanorum Municipium* Alia, in fragmento Cippi Marmorei, littera palmari:

RTHICI. FIL.
DIVI. NERVÆ. NEP.
TRAIANI. HADRIANI
AVG. PONTIF. MAX
TRIB. POT. VI. COS. III
VIAM. SVESSANIS
MVNICIPIBVS
SVA. PEC. FECIT

[Margin: Respublica, Antiquitates.] CVRATOR R. P. SVESSANORVM nominatur L. CÆSONIVS C. FIL. QVIRINA. LVCILLVS in Basi Marmorea, quæ hodie in Vinea Cardinalis Carpensis; translata eo cum duabus alijs ex Vico Corocollo, inter Gabios & Tiburtinos, anno CIↃ IↃ XLIX. Inter alia Antiquitatum Monimenta, multæ *Suessæ* visuntur Inscriptiones Marmoreæ, pulcerrimæ & integræ, si quæ alibi.

[Margin: Carinula olim; Calenum, Incolæ, Ager,] Octo P. M. ab Sinuessa opidum se offert in Campo, qui quomdam *Stellatis*, de quo alibi, *Carinula*. Sic hodie, ut volunt Blondus, Niger & Leander, vocatur: quod *Calenum* Plinio: Καληνὸν Straboni. Incolæ Καληνοὶ Plutarcho in Hannibale.

Ager

Ager eius *Calenum*, nobile Vini genus, ferebat, Plinio laudatum libro XIV. cap. VI. Meminit Horatius, cui *Molle Calenum*; *Vvam* etiam *Prælo Domitam Caleno* laudans. In eiusdem Opidi Agro Aquā fluere, quæ non secus ac Vinum homines inebriabat, antea, ubi de miraculosis Italiæ Aquis, dixi ex Valerio Maximo.

Vicinis locis *Calatia* erat, cuius varijs locis Livius, Cæsar, Appianus, Plutarchus in Hannibale, Silius lib. VIII. qui parvos ei muros tribuit, alijque meminerunt: *Calatiæ* Plinio; *Calatie* Itinerariæ Tabulæ; *Calatia Colonia*, Frontino: *Gajazzo* hodie, Leandro & Santelicio, qui de hac Vrbe in eleganti de Campania Libello consulendus. Capua VIII. Neapoli XXIV. Italicis distat miliaribus. Antiquum & celebre quomdam Opidum. Polybius lib. III. Causas enumerans Adventus Hannibalis in Campaniam, hanc quoque addit, ut potiretur nobilibus Vrbibus Capua, Atella & *Calatia*. Exstat adhuc magna Veterum Murorum pars, qui ex quadratis Lapidibus sine Calce, vel alio Ferruminationis genere structi. Cognomen dedit *Attiliæ* Genti, in qua legitur præter alios *A. Attilius Calatinus*, bis Consul & Dictator, de quo cum alij, tum Valerius Maximus lib. IIII. cap. VI. & alibi. *Hippiam*, Philoxeni F. *Calatinum*, Hospitem & necessarium suum Legesque *Calatinorum*, quibus vetabatur, ne quidquam Publicum, nisi publico nomine, possideretur, celebrat Epistol. lib. XIII. M. Tullius Cicero. Veteranos, quique Casilini & *Calatiæ* sunt, perducit ad suam sententiam Octavianus apud Ciceronem lib. XVI. ad Atticum, Epist. VII. Multa hic Antiquitatis Monimenta, Veteresque Inscriptiones. Visitur inter alia in Foro Simulacrum Priapi lapideum, paucos ante annos in Ruderibus antiquissimi Templi Veneris repertum. Fuit *Calatia*, primis Ecclesiæ Crescentis temporibus, Episcopatus titulo insignita; uti ex publicis paret Tabulis, quæ circa annum CCC. confectæ, mentionem *Episcopatus Calatini* facientes. Inter primos Episcopos fuisse censetur *S. S. Ferdinandus Hispanus* & *Stephanus Italus*.

Calatia. hodie Gajazzo. Laus. Clari Viri. Leges. Antiquitates. Olim Episcopatus.

Ager extendit se huc usque ex Samnitibus Venafranus, de quo alibi. Propinqua sunt illi conjacentque *Callutium* (ab obsesso Rogerio, Rogerij Siciliæ Comitis Filio; captoque per Gulielmum Calabriæ Ducem obsessi Filium ipso Obsessore, Innocentio II. P. M. clarum) *Conca*, *Minianum*. *Præsentianum* & *Varianum*; hæc uno latere: altero *Sestus*.

Callutium, Conca, Minianum, Præsentianum, Varianum, Sestus

Superius ultra Vulturnum est *Allipha*, de qua commodiore loco in Samnitibus.

Suessam repeto, cui vicinum est, cum *Turri Fracolisa*, *Teanum*: ad alterius in Apulia differentiam, *Sidicinum* ab Strabone, cui Σιδικινὸν, Plinioque cognominatum. *Teanum Scedicinum*, corruptius in Itineraria Tabula. Meminit sæpe Livius. *Coloniam* eo deduxisse Augustum, Liber indicat Coloniarum. CVRATOR R. P. TEANENS. nominatur C. CASONIVS C. F. QVIRINA MACER RVFINIANVS in Basi marmorea, quæ visitur in Vinea Cardinalis Carpensis. Desertum hodie *Theano* vernale dicitur; Episcopatus nihilominus titulo nobile. Capuæ pæne æquat Strabo, in Via locans Appia.

Turris Fracolisa. Teanum Sidicinum. Colonia.

Vltra Casilinum fluvium *Calvi* sunt, Opidum Episcopatus dignitate superbiens: *Cales*, numero multitudinis, Virgilio lib. VII. Æneidos: Καλὴς, Ptolemæo; *Calis*, Frontino, ut & Itinerariæ Tabulæ, cui *Cale* auferendi casu. Auctor canitur ab Silio lib. VIII. *Calais*, Boreæ F. post Argonautarum reditum in hæc loca profectus. Livius lib. VIII. & Festus Ausones primos *Calium* Incolas fuisse tradunt. *Coloniam* eo deductam anno CCCCXX. scribit eodem libro Livius, qui eiusdem meminit lib. XXVII. & XXIX. Cicero in Rullum & Frontinus *Municipium* vocant.

Calvi. olim Cales. Conditor. Colonia. Municipium.

Sequitur *Caianellum*, quod *Calliculam* Veteribus dictum ait Leander. *Calliculæ Jugi* meminit Livius lib. XXII. circa Casilinum: nescio an idem cum Gallicano Monte, qui & Massicus & Gaurus.

Caianellum. olim Callicula.

Fuit haud procul inde *Casilinum*, Latinis & Itinerariæ Tabulæ: Κασίλινον Straboni, Appiano, Plutarcho: Βασιλῖνος corrupte apud Zonaram. Urbs haud procul Vulturni Ostio. Meminit sæpe Livius, nominatim lib. XXIII. duobusque seq. Ductus eo fuit errore, ibique conclusus Hannibal, quum *Casinum* cogitaret; sedente tunc ad Turrim Fracolisam Fabio Maximo. Nota est Historia. Legendi præter alios Livius lib. XXII. & Plutarchus in Hannibale. *Coloniam* ab M. Antonio deductam, tradit Cicero Philippica II. Auctore Festo, *Vetus* fuit *Præfectura*. Hodie, ut volunt Sanfelicius & Leander Albertus, *Castelluzo*.

Casilinum.

Vlterius

Vlterius ad Ostia Vulturni Fluminis sinistra, *Vulturnum* fuit Opidum. Sic Livio, [illegible] Plinio, Melæ, Itinerariæ Tabulæ, aliisque Latinis dicitur: quod Οὐολτοῦρνον Dionysio, Straboni & Ptolemæo. Hodie *Castello al Mar di Beturno*, ad differentiam *Castelli* [illegible] *a Volturno*, ultra Neapolim. *Colonia* Frontino Livioque libro XXXIV. *Capua* jamnunc ob oculos se delineandam: *Veterem* dico, nulli non Latinorum Scriptorum, ut Itinerariæ Tabulæ, notam. Sic Κάπυα Stephano: Καπύη Ptolemæo, Dionysio Halicarnassæo, Appiano: *Campana Vrbs* Virgilio lib. X. Quod *Vulturnus* antea, fuerit dicta, notat Livius lib. IV. & Plutarchus in Hannibale. *Sicopolis* aliquando vocata fuisse legitur apud Sigonium. Dicta autem *Capua*, vel ab *Capy* Æneæ Socio, ut censent Virgilius lib. X. Æn. & ibi Servius, Lucanus libro II. Silius Italicus lib. XI. Dionysius lib. I. accedente & Inscriptione, quæ apud Suetonium in Cæsare cap. LXXXI. Livius lib. XXVI. Capyn Samnitium Ducem vocat. vel ab *Agro Campestri*, ut putant Livius libro IIII. Strabo, Plinius, Eustathius. Nonnulli sic appellatam volunt, quod Caput esset aliis XI. Vrbibus ab Etruscis constituta. Legendus Strabo libro V. Quidam ab *Falcone* derivant, qui prisca Tuscorum lingua *Capys* dicebatur. Alij, inter quos Diodorus, ab *Capacitate* trahunt & abundantia rerum omnium, quam loquuntur varia eius apud Ciceronem, II. in Rullum, quum dissuaderet ne ex Præfectura in Coloniam mutaretur, Encomia: *Subsidium Belli, Fundamentum Vectigalium, Horreum Legionum, Solatium Annonæ.* Splendor eius, Amplitudo & Magnificentia ab omnibus summopere passim celebratur. Non dicam omnia. *Capua*, ait Florus libro I. Hist. Rom. cap. XVI. *& ipsa Caput Vrbium, quondam inter tres maximas Romam Karthaginemque numerata.* *Altera Karthago Capua*, inquit Silius libro XI. *Altera Roma*, Ausonius. Sic Mago apud Livium libro XXIII. dicit *Capuam* non Campaniæ modo, sed Italiæ Caput, post adflictam Cannensi pugna Rem Romanam. Livius *omnium Vrbium Italiæ secundam Romam principem* nominat libro, quem dixi. Alia apud alios. Nimia Felicitas Insolentiæ sæpe Mater. *Capua* Fortunam nacta obsequentissimam, Arrogantiæ Protervitæque vitio cœpit laborare. Testatur M. Tullius Agraria II. contra Rullum *Campanos* semper superbos fuisse bonitate Agrorum, & Fructuum magnitudine, Vrbis salubritate & pulcritudine: natamque ex eadem Copia, rerumque omnium adfluentia Adrogantiam, quæ alterum Vrbi Romæ Consulem e *Capua* postulavit: eamque Luxuriem natam, quæ ipsum Hannibalem, Armis invictum, voluptate vicit & enervavit. Legendi præter alios Livius libro XXXI. Valerius Maximus lib. IX. cap. I. Silius Italicus libro XV. copiosissime, Auctor de VV. Illustr. cap. XLII. Pergens Cicero eleganter *Capuam* appellat *Domicilium Superbiæ* & *Sedem Luxuriæ*. Verum nimis illud apud Silium libro VIII.

——————Capua *heu rebus servare serenis*
Inconsulta modum, & pravo peritura tumore.

Tam enim olim potens & superba tandem ab Romanis, quorum Imperij fuerat æmula, post bellum Punicum II. *Præfecturæ* conditionem accepit, scribente Livio libro XXVI. qui de *Capuæ* obsidione, obsessorumque Fortitudine & Magnanimitate, quæ Vrbi Magnæ Fortuna fuerit sequuta, omnino legendus. *Præfectura* mansit ad Consulatum usque C. Iulij Cæsaris, qui cos. cum M. Calpurnio Bibulo anno IↃCXCV. *Coloniam* eo deduxit, ut videre est apud Paterculum, Suetonium in Cæsare cap. XX. & Frontinum de Coloniis, cui *Capua Iulia Felix* dicitur. Vt *Coloniæ* meminerunt Cicero II. in Rullum, & II. Philippica, Suetonius in Cæsare cap. LXXXI. & in Octaviano cap. IV. Resurgens postea auspiciis Imperatorum reflorere nonnihil cœpit sub P. R. potestate, donec ab Genserico Vandalorum Rege capta subversaque, ab Ostrogothis dein occupata: atque his pulsis ab Narsete restaurata; tandem post annos fere centum ab Langbardis iterum excisa fuit atque deleta. Stantem potenter, cadentemque miserabiliter, canit scite magnus Poeta Ausonius Magnus:

Nec Capuam *Pelago, Cultuque, Penuque potentem*
Deliciis, Opibus, Famaque priore silebo:
Fortuna variante vices, quæ freta secundis
Nescivit servare Modum: nunc subdita Romæ,
Æmula tunc. Fidei memor, an infida Senatum

Sperneret

Margin notes: Vulturnum. — Castella Capua. — [illegible] — [illegible] — Conditio & Encomia. — Genius ad Luxuriam. — Præfectura. — Colonia. — Res gestæ. — Casus.

Sperneret, an coleret, dubitans: sperare Curules
Campanis ausi auspiciis: unoque suorum
Consule, ut Imperium divisi attolleret Orbis.
Quin etiam Rerum Dominam, Latyque Parentem
Appetiit bello, Ducibus non freta Togatis;
Hannibalis jurata armis: deceptaque in Hostis
Servitium demens specie transivit herili:
Mox ut in occasum vitiis communibus acti
Corruerent Pœni Luxu, Campania Fastu,
(Haud unquam stabilem sortita superbia Sedem)
Illa potens, opibusque valens, Roma altera quomdam,
Comere quæ paribus potuit fastigia conis,
Octavum rejecta locum vix pone tuetur.

Causas etiam Interitus tantæ Vrbis paucis indicat Silius Italicus:

Luxus & infamis nutrita Ignavia Lustris,
Consumtusque Pudor peccando, unisque relictus
Divitiis probrosus Honor, laceravit hiantem
Desidia Capuam, *ac resolutam Legibus Vrbem*
Proximaque exitio truculenta superbia semper.
Nec Vitiis deerant vires: non largior ulli
Ausoniæ Populo (sic tum Fortuna favebat)
Aurique Argentique modus: madefacta veneno
Assyrio manibus Vestis: medioque dierum
Regales Epulæ: atque ortu Convivia Solis
Deprensa: & nulla macula non inlita Vita:
Tum Populo sævi Patres: Plebesque Senatus
Invidia lacera: &, conlidens dissona corda,
Seditio: sed enim interea temeraria Pubes
Delicta augebat: pollutior ipsa Senectus;

& quæ ibi alia. Visuntur hodie eius altero ab *Nova Capua* lapide peringentes Ruinæ, juxta Templum D. Mariæ Gratiarum. Extant *Portæ* semirutæ, *Amphitheatrum*, quod aliquo modo describit Laurentius Schraderus in Italiæ Monimentis, immensa *Porticuum*, *Thermarum*, *Ædificiorumque Publicorum* rudera: præter hæc longa vastaque *Aquarum Receptacula subterranea* & *Castella*, quæ, qualis & quanta fuerit antiqua Vrbs, abunde testantur. *Capitolij Capuani* mentio apud Suetonium in Tiberij Principis Vita cap. XL. *Aurea, Argentea, Aerea Numismata*, *Gemmæ*, *Marmora*, aliaque summi Luxus indicia quotidie ab Incolis ecfodiuntur. Ex *Antiquæ* autem dirutæ Ruinis *Nova* cœpit excitari, feliciterque crescere, quam conspicere jamnunc est adsitam sinistræ Vulturni ripæ, duodecimo ab Mari lapide, in planicie, satis magnificam, commode habitatam, sed infrequentius; stratam Silicibus, Plateas habentem amplas & rectas, altaque Ædificia. Adluit eam ab Ortu & Septemtrione Vulturnus, indeque in Occasum reflectitur. Pons est supra amnem ex lapide insignis. Templum S. Benedicti dicatum fuisse creditur Isidi. Regitur iisdem Magistratibus, eademque Reip. forma, qua Neapolis. Civium Mores superbia ab Antiquis non differunt. Eius Mœnia Conradus, Friderici II. Imp. F. dejecit, Vrbemque direptam calamitate adfecit ingenti. Causam exponit Blondus libro XVII. Hist. Aliam deinde non minorem cladem sustinuit sub Alexandro VI. P. M. Videndus Sabellicus. *Episcopatum Capuæ Novæ* evexit in *Archiepiscopatum* Ioannes XIV. P. M. quum Othoni II. Imper. Aug. Coronam imponeret. Legendi Blondus & Platina. Huic qui suffragentur, alibi à me dictum. *Capuam Novam* ortu suo nobilitarunt *Raimundus*, Prædicatorum Generalis Magister XXXIII. & *Ioannes Antonius Campanus*, Scriptis clari. Multæ ibi nobiles Familiæ, quæ vulgo: *Antignani*, *d'Arienzo*, *d'Azzia*, *di Capua*, *d'Iboli*, *di Falco*, *Feramosca*, *Ferrara*, *Galiazzi*, *Gallo*, *Dingnano*, *delli Leoni*, *Lanza*, *Marchesi*, *Maggio*, *Olimpio*, *Pantoleani*, *Pelegrini*, *Pettenato*, *di Rinaldo*, *Rossi*, *Siniscalco*, *di Tomase*, *delle Vigne*, *Vitelli*; & aliæ. Post Urbem Romam nullo in loco plures Inscriptiones, sed vetustate admodum consumtæ. *Campanos* quomdam *Oscos* fuisse nuncupatos, notat Servius ad lib. VII. Æneid.

Ruinæ & Rudera.
Nova Capua.
Situs & Qualitas.
Magistratus, Civium Mores.
Archiepiscopatus.
Clari Viri.
Nobiles Familiæ.
Antiquitates.
Campani Osci.

Æneid. Virgil. Laudem olim merebantur *Campani*, (nam & sic *Capuæ* Incolæ audiebant) *Fugiles*, innuente Suetonio in Augusto cap. xcviii. & in Caligula cap. xviii.

[illegible] Octo ab Capua Millibus, quis Campus Stellatus, Agrique Leborini percurruntur, Vrbs nova visitur *Anversa*, Veteris *Atellæ* ruinis inædificata. *Atella* Livio multis locis, Silio lib. xii. alijsque: ut & Itinerariæ Tabulæ. Ἀτέλλα Straboni & Ptolemæo. Sanfelicius *Atellam* fuisse censet, ubi hodie *S. Arpino*. Incolæ *Atellani* Plinio in Prima Regione. Meminit aliquoties Livius, præcipue libro xxvii, ubi *Atellanos* ab Senatu Calatiam migrare jussos scribit. Ab ea *Atellanæ Fabulæ*: quæ quales exponunt Livius lib. vii. Varro, Agellius, Macrobius, Iuvenalis, & alij. Fabularum Scriptor, Ciceronis ævo, *L. Pomponius Bononiensis*. In collapsæ Vrbis vestigiis Robertus Guiscardus Nortmannorum Dux (vel, ut Pandulphus Collenutius lib. iii. Hist. appellat, Raino, Tristani Nortmanni Successor) quum Capuæ hinc, inde

Conditor. Neapolis Imperio immineret, Castra munivisse, Novæque Vrbis initio potuisse traditur: *Aversam*que ab re, uti adversus illa Opida excitatam, appellasse. Hodie nonnulla immutatione *Anversa* vel *Aversa* dicitur. Diruit usque ad fundamenta Karolus i. Neapolis Rex, ob *Rebursæ Gentis* rebellionem, teste Collenutio lib. v.

Res gestæ. Describit hanc Vrbem P. Iovius libro Hist. iv. Paucis etiam Baptista Mantuanus, his verbis:

> *Appula Campano tellus ubi jungitur Agro,*
> *Est locus,* Atellæ *retinens cognomina prisca:*
> *Sive* Atella *vetus. nam sors mutata locorum*
> *Prisca Iovis, dedit & priscis nova nomina terris.*
> *Vrbs in colle sedet validis circumdata muris,*
> ***Cive frequens, Pecorum locuples, gleba ubere dives.***

Episcopatus. [illegible] Episcopatus gaudet dignitate. Templum habet Cathedrale satis amplum: habuit & olim Theatrum ingens, cuius nihil nunc reliquum. Nobiles ibi *Familiæ*, quæ sequuntur:

Altimari.	***Marco.***	***Silvestri.***
Cutinaro.	***Mauro.***	***Simonelli.***
Gargani.	***Pacifici.***	***Tufi.***
Grimaldi,	***Ricciardo.***	***Della Valle.***
Landolfi.	*Sceglioni.*	

Avella. Non procul Atella Septemtrionem versus *Avella* fuit, Silio Italico nota lib. viii. Ἀβέλλα Straboni libro v. & Ptolemæo; *Avellanum* Servio ad ii. Georgic. Incolæ Plinio *Avellani*, qui alij ab *Abellinatibus* eiusdem Campaniæ, vel *Avellinatibus* Lu-

Episcopatus. canıæ Populis, quemadmodum aliud *Avellinum* Ἀβέλλινον, ab *Avella*: illud enim Ptolemæo Hirpinorum in Aprutio Opidum: hodie *Avellino*. In libro Fidei Pontificii Vrbis huius Præsul *Avellinus* dicitur; ut Abellini in Hirpinis *Avellinensis*.

Avellanæ Nuces. Macrobius *Avellanas Nuces* ab hac Vrbe nomen habere censet. Spectat eo fortean Virgilius lib. vii. Æneidos:

> *Et quæ maliferæ despectant mœnia* Abellæ.

In Vulgatis hactenus legitur *Bella*, probante etiam & interpretante Scripturam hanc, sed frustra, Servio. Patria hæc *Ambrosio Leoni*, qui de ea tres scripsit libros,

Clari Viri. tradens etiam Priscis Græcis Ἀέλλαν ab venti vertigine, hunc tractum perflante, dictam; à posteris Latinis vero Binsertum.

Turris Patriæ. Linternum. Iuxta *Turrim Patriæ*, vulgo *Torre del Patria* (ubi cum Turre unica tantum est Taberna diversoria, aliquotque Piscatorum Casæ) *Linterni*, Veteris urbis, supersunt indicia, situ peramœno & iucundo: *Linternum* Silio & Pomponio Melæ: *Liternum*

Colonia. Præfectura. Plinio, alijs, ut & Itinerariæ Tabulæ: Λίτερνον Ptolemæo. *Colonia* Livio lib. xxxiv. & Frontino: *Præfecturam* aliquando fuisse, eodem iure quo Vulturnum, refert Festus. P. Cornelium Scipionem Africanum huc in voluntarium exsilium concessisse, notant præter alios Livius, Plutarchus, Strabo. Scribitur

Scipionis Sepulcrum. item quibusdam apud Livium libro xxxviii. ibidem sepultus: quod etiam videtur non obscure colligi ex Strabonis v. Valerio Maximo libro vi. cap.

Ager. de Ingratis, Seneca Epistol. lxxxvii. ad Lucilium, Testatur Plinius libro xvi. capite ultimo sua ætate in Literino durasse Prioris Africani manu sa-

tas Olivas; item Myrtum ejusdem in Luco conspicuæ magnitudinis: & sub ea Specum fuisse dicit, in quo Manes ejus custodire Draco ferebatur. Ab eo *Linterna Palus* Silio libro VII: hodie *Lago della Patria*. Dixi alibi. *Linternum* Fluvij nomen hoc tractu Straboni & Livio libro XXXII: patria vulgo. *Linternium* Ciceroni in Epistolis ad Atticum, Prædium fortean in suburbicario *Linterni* Agro. Meminit Plinius libro XIIII cap. IIII.

Linterna Palus. Linternum Fluv. Linternium Præd.

Hinc Litore juxta Mare Millibus passuum quinque usque Cumas, *Villa* fuit *Servilij Vaciæ*, Hominis nobilis & opulenti, sed ignavi & solitarij: de quo Seneca Epistola LV.

Villa Servilij Vaciæ.

Sequitur inde locus antiquissimæ Vrbis *Cumarum*. *Cumæ* Livio, Tacito, Silio Plinio, Solino, Melæ, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, & quibus non Latinorum? Κύμαι Straboni, Ptolemæo, Dionysio, alijsque Græcis: *Cumæa Vrbs* Virgilio libro III. Conditores ejus *Cumæi Euboici*; qui Ducibus Hippocle & Megasthene, cum Chalcidensibus in Italiam venerunt, testibus Dyonisio lib. VIII, Livio libro VIII, Strabone, Plinio, Solino, Servio ad lib. III & VI Æneidos: quo notante, *Cumæ* dictæ vel ἀπὸ τοῦ κύοντος, id est *prægnante* (nam ibidem prægnans Mulier inventa fœcunditatis omen ipsis dederat) vel ab *Vndis*, quas Græci κύματα vocant. Legendi Strabo, Dionysius, Livius, alij. *Cumas* in Monte adscensu difficili arduoque positas & ad Mare spectavisse, tradit Agathias lib. I. Belli Gothici. Intimam fluctus marini adluebant: superiora Muris, Turribus, alijsque molibus adeo erant circumvallata & munita, ut locus expugnatu esset difficillimus. Nunc omnia fere conciderunt, oppletaque jacent ruinis, ut tamen undique amplissimorum operum vestigia satis agnoscantur. Erat in vertice Rupis urbe media celeberrimum Apollinis Templum, de quo Virgilius libro V Aeneid.

Cumæ. Conditores. unde dictæ. Situs. Apollinis Templum.

At pius Aeneas Arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ
Antrum immane petit.

Quos versus exponens Servius in Arce munitissima *Cumis* Ædem Apollinis fuisse scribit. *Cumarum* mentionem facit non raro Dionysius Halicarnass. nominatim lib. VII Antiq Roman. ubi multa de *Aristodemo Malaco*, *Cumanorum* Duce, Rebusque ab *Cumanis* gestis. L. Tarquinium Superbum ad eumdem *Aristodemum*, *Cumanorum* Principem confugisse, scribunt idem libro VI & Livius lib II, qui alibi libro IV Romanos Vrbem *Cumas* ab Græcis habitatam expugnasse commemorat: item libro VIII *Cumanos* atque Sinuessanos eadem lege, qua Capuam haberi, Senatum censuisse. *Cumanorum* item Fidem erga Populum Romanum narrat idem libro XXIII. Tradit etiam Strabo *Cumanos* in potestatem olim ab Campanis fuisse redactos. *Cumæ* Vetus aliquando *Municipium*, aliquando *Præfectura* fuit, testibus Livio & Festo: postea *Coloniam* eo ab Augusto fuisse deductam, paret ex Frontino. Ab *Cumis Cumanus Campus* & *Cumanus Sinus*, de quibus alibi: & *Cumanum*, Villa circa Cumas, cujus meminit Cicero in Epistolis.

Res gestæ. Municipium, Præfectura, Colonia, Cumanus Campus, Cumanus Sinus, Cumanum.

Ab Cumis dein ad Avernum usque Lacum nihil invenitur scitu dignum præter *Sibyllæ* (quæ ab Cumis, Patria, *Cumæa*, omnibus decantata) *Cavernam*, ut vocant. Meminerunt hujus Antri Virgilius VI Aeneidos libro, & Symmachus lib. IIII Epist. XXXIII. Describit autem plene Leander Albertus in Campania; qui inter alia censet Viam hic fuisse ab Cumis per Avernum Baias subterraneam, quam Cocceium fecisse notat Strabo; *Cymmerios* his locis olim habitasse in Antris & Specubus subterraneis, quas *Argyllas* nominabant, addens.

Sibyllæ Caverna.

Tribus Cuma Vrbe millibus *Hamarum Silva* fuit; *Sacer Lucus* antiquis. Dixi supra. *Hamæ* Livio nota libro XXIII. Ruinas conspici hactenus in arduo Monte, qui à Balneis Tripergulanis abest P. M. CIↃ IↃ. scribit Dalechampius. Videndus item Scipio Mazzella de Puteolanorum Antiquitatibus.

Hamarum Silva.

Haud procul inde *Mare Mortuum*, *Sinus Baianus*, *Lucrinus* & *Avernus*, de quibus alibi. Chersonnesum quamdam faciunt ab Cumis incipientem, uti ab Strabone describitur.

Mare Mortuum. Sinus { Baianus. Lucrinus. Avernus. }

In ejus Chersonnesi radicibus *Baiæ* erant, Latinis Græcisque notissimæ, Aeris temperie, Romanorum frequentia, Aedificiorum ornamentis celeberrimæ. Q. Horatius Flaccus:

Baiæ, Laus:

Il Conte de	*Alvito.*	*Matera.*	*Pulicastro.*
	Aversa.	*Mignano.*	*Rocca dell' aspro.*
	Aquino.	*Mileto.*	*Ruvo.*
	Belcastro.	*Miscingna.*	*S. Angelo de Lombardi.*
	Borrello.	*Monte Calvi.*	*Santa Severina.*
	Briatico.	*Montella.*	*San Valentino.*
	Caiazzo.	*Monte Miletto.*	*Saponara.*
	Canosa.	*Montorio.*	*Sarno.*
	Carinola.	*Morcone.*	*Serino.*
	Caserta.	*Muro.*	*Simari.*
	Castro.	*Nerulani.*	*Sinopoli.*
	Condiani.	*Nicastro.*	*Torella.*
	Consa.	*Nicotera.*	*Trevento.*
	Cusupersano.	*Noia.*	*Vgento.*

Barones Nobiles Familiae. Concilia seu Tribunalia.

Baronum Nobiliumque Familiarum incredibilis est per totum hoc Regnum numerus: quemadmodum suis parebit locis.

Concilia sunt sex: I. *Viceregis*, quod *Collaterale* dicitur, in quo gravissima tranctantur totius Regni Negocia, aliaque, quæ eo evocantur. Caput est Vicerex: Adsessores nonnulli Comites. II. *S. Claræ*, quod ita ab loco, quo cogi solitum, vocatur: *Sacrum* etiam nominatum. Præses hic & Consiliarij cognitionem habent Causarum omniũ, quæ ab Vicaria per Provocationem eo devolvuntur. III *Vicaria*: Hic ab Regente Neapolitano, qui Vicarius est Magni Justitiarij, quatuorque Juris Doctoribus, qui singulis annis renovantur, Ius dicitur, Iustitiaque administratur omnibus Regni Subditis, per Appellationem ab Inferioribus Iudicibus eo venientibus. IV. *Summaria*: Hic Ratiocinarium est, ibique quæ ad Fiscum & Regni Vectigalia pertinent, curantur. Constat ex Vicario, sex Præsidibus, octo Rationarijs, decem, ut vocant, Clericis, & alijs. V. *Admiralitatus*: Hic toti Maris Præfecturæ est Domicilium. Iurisdictionem exercet in Nautas & quæcumque ad illos, tam Criminalem; quam Civilem. VI. *Monetarium*: in quo cognoscitur & civiliter & Criminaliter cum de alijs, tum de Regni totius Monetis, Ponderibus, Mensuris, idque genus alijs. Caput illi Præfectus Rei Monetariæ: cui adsunt Magistri, ut loquuntur, Rationales, Probitatis Monetæ Examinator, Pensitator, & alij.

Vicaria. Summaria. Admiralitatus, Monetarium.

Et hæc de Meridionaliore Italia, id est de *Regno Neapolitano* universim: Regiones autem, quæ toti huic Parti adcensentur, aliæ, ut quæ dixi cap. XXI. obiter hic repetam, ad Mare sunt Tyrrhenum, aliæ ad Hadriaticum: Tyrrheno cis Silarim adsidet *Campania*: trans idem flumen *Lucania*, *Calabriaque Inferior & Superior*: Hadriatico cis Phiternum adlocati sunt *Samnites*; trans eumdem amnem *Apulia utraque* visuntur & *Salentini*.

CAMPANIA

CAMPANIA (quæ & Καμπανία Straboni, Ptolemæo, aliis: quæque etiam in Antiqua Inscriptione sub Præneste in Via publica, qua Albam iter est, cum *Vmbria*, *Piceno*, *Bruttiis*, *Calabria*, & *Apulia* nominatur) plerisque dicta censetur ab florentissima quondam Metropoli *Capua*, cuius Incolæ Scriptoribus omnibus *Campani*, quibus originem tribuit Græcam Trogus apud Justinum libro XX. Nonnulli sic vocatam volunt, quod *Campestribus* se pandat *locis*. Eustathius ad Dionysium ab *Campo* Civitate dirivat: *Capuam*, ni fallor, designans. Vide & Paullum Diaconum lib. II. de Reb. gest. Langbardor. cap. XVII.

unde dicta.

Felix Plinio lib. III. cap. V. nuncupatur ab felice beataque Regionis amœnitate, de qua paullo post. *Antiqua* quibusdam dicitur ad differentiam *Novæ*, quæ *Campania Romana* vel *Latium*. *Terra Laboris*, vernacule *Terra di Lavoro*, audit hodie ab *Laborinis*, qui Capuæ quomdam vicini & suburbani, *Campi*, quorum mentionem facit Plinius lib. III. nat histor. cap. V. lib. XVII. cap. IV. & lib. XVIII. cap. XI. De ijs ego alibi. Quidã parum solide ab *Labore* laborant *Laborinos* trahere: vel quod ad Culturæ Labores idonea sit: vel quod facillime colatur & aretur; Italis illud *Lavorare* vocãtibus

Cognomina.

Narcissus Medicus apud Sebastianum Munsterum ab *Lepore* & elegantia autumat sic appellatam.

Fines eius, ut videre est apud Strabonem, Ptolemæum, & alios, ad Occasum Liris, Latium ad alteram relinquens oram: ad Septemtrionem, Samnitium Montes; qua Ortus est, Silarus Fluvius, Lucaniam hinc dirimens, partique Agri Samnitium, quos dixi: qua Meridies; Mare Tyrrhenum sive Inferum. Fines.

Vere *Campus* est *Campania*, in quem Natura luxurians effudisse videtur largissimo Sinu quidquid uspiam est Deliciarum, Amœnitatum, Gaudiorum & Oblectationum. Paradisus vere Italiæ. Tam incredibilis ibi rerum est fertilitas. Visuntur spatiosi feracesque Campi; aprici fructiferique Colles, amœna odorataque Nemora, jucundi salubresque Fontes: & quid non Miraculorum? Ea suis locis commemorabimus. Scribit Strabo libro v. *Campaniam* cum omnium Rerum ad Usus humanos adfluentia, tum Amœnitate omnes Italiæ partes partibus multis superare. Depingit eamdem his coloribus Florus lib. I. Histor. Rom cap. xvi. *Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcerrima Campaniæ plaga est. Nil mollius Cælo, nil ubertius Solo, nil hospitalius Mari: denique bis Floribus vernat: ideo Liberi Cererisque Certamen dicitur. Hic illi nobiles Portus, Caieta, Misenus & tepentes Fontibus Baiæ: Lucrinus & Avernus quadam Maris otia. Hic amicti Vitibus Montes Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcerrimus omnium Vesuvius, Aetnæi Ignis imitator. Vrbes ad Mare Formiæ, Cumæ, Neapolis, Herculanium: Pompeii, & ipsa caput Vrbium Capua, quondam inter tres Maximas Romam Karthaginemque numerata.* Dionysius Halic. libro I. tribus anni cuiusque temporibus, Vere, Æstate, Autumno, Fructus in ea colligi suis oculis vidisse se testatur. Strabo rursus accedat, scriptum se reperisse memorans, quibusdam *Campaniæ* locis Zeam, Frumenti speciem, iterum eodem anni seri, tertioque Panicum, sed & quarto Olerum eodem in Arvo Semina. Vrbium summa hic Nobilitas. De ijs universim Propertius: Qualitas.

Et te mirantem Thesproto subdita Regno
Proxima Misenis Aequora nobilibus.

Intelligit enim per *Misenas Nobiles*, omnes illas Vrbes, quæ in tractu Neapolitano erant, *Cumas, Baias, Puteolos*, & alias: ut Varro per *Tarrentinas Nobiles*, Vrbes tractus Tarentini, in quibus *Croton* & ipsum *Tarentum*. Circumferuntur etiam de plerisque Campaniæ Vrbibus hi versus:

Castellani Caietani.	*Pignatari son da Sessa.*
Belle Femine son de Mola.	*Papari de Castello.*
Cesali de Patria.	*Asinari de Buzolo.*
Cernati de Ischia.	*Fogatori de Prochyta.*
Gentilezze a Napoli.	*Buen Græco fa la Torre.*
Meglio fa la Somma.	*Castel a mare ne amico, ne compare.*
Avico porta pane contico.	*Surrente stinge li denti.*
Maßa saluta & paßa.	*Sarraini son de Capre.*
Fico de donna grana.	*Marinari de Pasitano.*
Vogatori de Preano.	*Samigothi de Cythara.*
Taglia borsi di Salerno.	*Zeppolan son de Agropoli.*

Aliorum Encomia brevitati studens prætereo.

Principatum habuerunt olim in hac Regione varij Populi, de quibus Strabo libro v. Geograph. & Plinius libro III. cap. v. *Opicos*, cognomine *Ausones*, *Campaniam* tenuisse docet Strabo ex Antiochi sententia *Opicos Ausonios* fuisse dictos refert Aristoteles lib. VII. Politicor. cap. x. Loca ad Tyrrhenum Mare tenuisse scribens: cui suffragatur Dionysius Halicarnass. libro I. qui in Latium usque protendit. *Opicos* & *Ausones* diversos tradit Polybius apud eumdem Strabonem, utrosque addens habitasse juxta Sinum Crateris. Pausanias in Achaicis notat *Cumas Opicæ esse Terræ*. Videndus & Thucydides libro VI. Ὀπικοὶ Italiæ Populi etiam Stephano noti. *Ausonia* testibus Livio & Festo ea pars olim Italiæ, in qua Beneventum & Cales: vel, uti scribit Isaacius in Lycophronem, proprie *Auruncorum Terra*, inter Campanos & Volscos juxta Mare sita. *Auruncorum*, qui Αὐρουγκοι Græcis scribuntur,

meminit etiam Virgilius lib. VII. Æneid. non uno loco, ubi Servius *Auruncos* notat antiquissimos Italiæ Populos; & Græce *Ausones* nominari. Mentio eorumdem passim apud Livium & Dionysium. Hic sane libro VI. *Aurancos* robustum hominum genus, membrorum firmitate præstantes, adspectu truci & feroce, describit. Dixi etiam de *Auruncis* in Latio. Ab *Ausonibus* his non solum universa Italia quomdam *Ausonia*, verum etiam *Ausonium Mare* dictum refert Strabo libro V. quod idem auctor suo tempore *Siculũ* fuisse appellatum scribit lib. II. & *Tyrrhenum*, uti memoriæ prodit Halicarnass. libro I. *Opicos Ausones* volunt Incertiores apud Strabonem ab
Osci. *Oscis* subactos. *Osci*, Ὄσκοι, Latinis Græcisque Scriptoribus satis celebrati. *Osci*, inquit Paullus Diaconus ad Festum in *Masius*, *a regione Campaniæ, quæ est Oscos, vocati sunt.* *Oscos* Verrius apud Festum antiquitus *Opscos* fuisse vocatos notat ex Ennio, cuius hoc Hemistichium libro VIII. Annalium, in mea editione:

———*De Mæris res gerit* Opscus.

Oscos suis etiam cognominibus fuisse distinctos, plerosque autem periisse, præter eos, qui *Sidicini* dicebantur, ex Strabone facile colligitur lib. V. Notat enim ille *Teanum Sidicinum* ipso cognomine ostendere, se ad *Sidicinos* pertinere: *Sidicinos* autem esse *Oscos* Gentem *Campaniæ* superstitem: atqui tradiderat idem paullo ante universim *Gentem Oscorum* periisse: Sermonem tamen eorum superfuisse apud Romanos, sed Scenicum & in Mimis. Sic *Osci* erant, qui *Capuenses* appellabantur. Servius ad illud Virgilij lib. VII. Æneid *Oscorumque manus*; *Capuenses* inquit, *dicit, qui antea Ophici appellati sunt, quod illic plurimi abundavere Serpentes.* Nam Græce ὄφις dicitur *Serpens.* Vocabantur fortean & *Ausones*, si tamen, ut censent nonnulli, *Osci* iidem fuerint cum *Opicis*, de quibus ante, quod Criticis disputandum relinquo. *Oscos* scribit Strabo
Cumani. profligatos ab *Cumanis*, de quibus in *Cumarum* delineatione. *Cumanos* Plinius antiquos *Campaniæ* Populos enumerans, *Græcos* vocat.

Cumanos magna ex parte ab *Tuscis*, de quibus ante, fuisse pulsos, narrat idem
Tusci. Strabo. Hos Plinius loco à me indicato Umbros specialius appellat. Autumat Strabo Commutationum harum caussam fuisse Regionis ubertatem & præstantiam; cuiusque desiderio tam varias Gentes provocatas Sedes in ea quæsiisse. Addit idem, *Tuscos* ibi dominantes, Urbibus XII. eximijs conditis, omnem Principatum Capuæ tribuisse: Tuscos autem, nimia Agrorum felicitate languescentes &
Samnites, Romani. enervatos, ab *Samnitibus* fuisse exactos: Hos autem postremum à *Pop. Rom.* debellatos.

Habitatur hodie ab multa magnaque Nobilitate. Nam præter Principes, Duces,
Barones, Campaniæ. Marchiones & Comites, quos antea huius Regni commemoravi, in Campania *Baronum* ingens numerus. Vulgatas dabo Nomenclaturas ex Libello, cuius antea feci mentionem:

Baroni di

Ottayano.	*Amerusio.*	*Frignano Picelo.*
Marigliano.	*Eusano.*	*Lusciano Persuperte.*
Castello di Parete.	*Gioia & Alife.*	*Treverolati.*
Prata.	*Caspulo.*	*Cardito.*
Cese.	*Buraczano.*	*Casa Pucxano.*
Marsano & Marsaniello.	*Popone.*	*Sexula.*
Valle Schaffare.	*Raiiano.*	*Casignano.*
Dragone.	*Trentola.*	*Casa Pesella.*
Sant' Angelo.	*Rocha Rainola.*	*Santo Marcellino.*
Preta.	*Alvignane.*	*Cerro.*
Thora.	*Monte Aquilo.*	*Colli.*
Rocchia di Vandre.	*Frasse.*	*Scappolli.*
Vaiirano.	*Mutula.*	*Castiglione.*
Presenzano.	*Pomigliano de Atella.*	*Feudo de Santo Vito.*
Santo Autoro.	*Hunmi.*	*Santo Vicenzo.*
Pomigliano d'Arco.	*Cese.*	*Rocchetta.*

Fai-

Faichio.	*Gricignani.*	*Calvo.*
Rocha Ruuinola.	*Santo Antamo.*	*Tridici & Faucino.*
Atilano.	*Castello de I everole.*	*Nunciata possede Valle.*
Santo Felice.	*Horta.*	
Castello de Santo Vizenzo.	*Sant' Arcangelo.*	

Hæc in genere paucis de *Campania*: jam nunc specialior me vocat eius Descriptio: quam ab Liris (hic enim communis inter Latium & *Campaniam* Limes) ostus auspicabor.

Campania. Vrbes & Opsida.

De *Liri* supra dixi. Fuisse quomdam in eius ora memorant quidem Vrbem *Ausoniam*, cuius nescio an quis Veterum, præter Livium lib. IX. de quo post, meminerit. Sanfelicius putat æquatam solo.

Ausonia.

Fuerunt ibidem *Vestina* & *Minturna*. Livius loco indicato *Ausoniam*, *Vestinam* (in quibusdam Codicibus *Vescia* legitur exaratum. Consule Ambrosium Leonem lib: II. cap. III. de Nola Vrbe) & *Minturnas* uno bello scribit subactas; *Minturnas* quidem conservatas: *Vestinam* autem cum *Ausonia* deletam, idque per Ducum contigisse absentiam. *Vestina* Jncolæ *Vestini*, uni Livio noti. Nam quos nominant Strabo, Plinius, Ptolemæus, ad Mare erant Superum, circa Matrinum Fluvium. Ab *Vestinis* Campaniæ ad Mare Jnferum *Vestinus Mons* appellatur, circa Minturnas, cuius meminit Hyginus de Limitibus. Inde item *Vestinus Saltus* Livio libro X. De *Minturnis* dictum in Latio. Describitur in Agro *Minturnensium* Straboni *Lucus Sacer*, ἄλσος ἱερόν, de quo alibi: ut & de *Monte Gauro*, qui paullum ab Liris abest Ostio.

Vestina. *Incolæ.* *Vestinus* { mons, saltus. *Minturna.*

Jtinere Minturnis ad Gaurum inter illas & Sinuessam *Trifanum* erat, quod Livius nominat libris ab V. C. VIII. & XI.

Trifanum.

Hinc *Sinuessa*, Minturnis LXXX. distans stadiis. Sic Latinis, cum aliis, tum Melæ, Antonino, & Itinerariæ Tabulæ dicitur, quæ Σόεσσα Ptolemæo per ο: nã per ου, Σούεσσα alia ab hac est in Mediterraneis: nisi fore pro Σόεσσα legendum sit Σινόεσσα. Livius libro X. describit eam juxta Agrum Falernum; addens Græcam fuisse Vrbem, *Synopen* dictam: deinde ab Colonis Romanis *Sinuessam* appellatam. Videndus & Plinius. *Coloniam* etiam nominat Frontinus. *Sinuessa* Silio libro VIII. *Tepens* vocatur, ad Aquis proculdubio calidis. Quod hodieque *Sinuessa* nuncupetur, tradunt Marsus, Leander, & Hubertus Goltzius, qui oculatus testis totam interiisse adfirmat apud Ortelium, tantumque superesse inter eius ruinas exiguum, sed munitissimum metu Piratarum, Opidulum, quod vulgo *Rocha de Monte Dragone*, passibus ab Mari mille. Incolæ *Sinuessani* Lapidi, quem apud Petrinum Sinuessanum servari notat Apianus:

Sinuessa. *olim Synope.* *Colonia.* *Incolæ.*

L. PAPPIVS. L. F. TER
POLLIO. II. VIR
L. PAPPIO. L. F. FAL.
PATRI
MVLSVM. ET. CRVSTVM
COLONIS SINVESSANIS. ET
CEDIANIS. OMNIB. MVNVS
GLADIATORIVM. COENAM
COLONIS. SINVESSANIS. ET
PAPIENIS. MONVMENTVM &C.

Σινοεσσανοὶ Polybio apud Stephanum. Hinc *Sinuessanæ Aquæ* Plinio in Campania: quarum etiam meminerunt Livius lib. XXII. Tacitus lib. XVII. (ubi male in vulgatis Codicibus *Suessanæ*, indicante Lipsio) & Martialis lib. XI. hodie *Acque de Monte Dragone*, ut vult Ben. Falconius. *Sinuessana Prela* nonnullis celebrantur, quod *Sinuessæ* Vina Massica & Falerna premerentur. *Sinuessani Fundi* mentio non semel apud M. Tullium in Epistolis ad Atticum.

Aquæ. *Prela.* *Fundus.*

Ab Sinuessa, quæ, ut dixi, Ptolemæo Σόεσσα, vel, uti legendum forte monebam *Suessa,*

Συέσσα, alia est *Sueſſa*, eidem Σύεσσα in Mediterraneis & Septemtrionalior. Binominis pleriſque, [*quæ Pometia cognominata*] nunc *Sueſſa Pometia*, nunc *Sueſſa Aurunca*. *Nam Pometinos* ab L. Tarquinio Romanorum Rege, *Pometia*, de qua in Latio, deleta, pulſos in eam commigraſſe, tradit Dionyſius Halicarnaſſæus libro I. Antiq. Rom. unde *Pometia* cognominata: ſicque Tacito, Floro, Plinio lib. VII. cap. XVI Auctori de VV. Inluſtr. cap. VIII. alijſque nota. Poſtea *Aurunca* vel *Auruncarum* cœpit dici, teſte Livio lib. [*quæ Aurunca.*] VIII. quum *Aurunci*, ab T. Manlio Cos. Sidicinis opem ferente victi, cum Liberis & Coniugibus eo, Patria deſerta, confugiſſent. *Sueſſa Aurunca* meminit idem Livius libro XXXII. [*Situs,*] *Sueſſa* nihilominus ſimpliciter vocatur cum alijs, *tum Plinio libro natur. Hiſtor. III cap. v. ſimplexque hodie nomen retinens, *Seſſa* dicitur, poſita in Agro Veſtino, Situ inæquali, ad Montes Maſſicum & Calenum, in Via Appia, in Regione amœna & fertili. [*Dignitas,*] Ducatus & Epiſcopatus honore decorata. Nobilitavit eam ortu ſuo *Auguſtinus Niphus*, inſignis Philoſophus, Scriptis clarus. [*Clari Viri.*] Inter Volſcorum quondam Vrbes nominata, Roma ipſa antiquior, tandem Romanis ceſſit, [*Res geſtæ,*] factaque *Colonia* circa annum ab V. C. CCCCXL. ut ex Livio paret. Velleius deductam notat triennio poſt Lucceriam. Paſſa deinde multas Clades Bellis Punicis. [*Colonia,*] *Colonia* cenſetur in Inſcriptione, quæ ibi ſervatur:

C. TITIO.
CHRESIMO. AVG. LIB.
HVIC. ORDO. DECVRIONVM
QVOD. PRO. SALVTE. ET. INDVLGENTIA. IMPERAT
ANTONINI. PII FELICIS. AVG. ET. VOLVNTATE. POPVLI
MVNVS. FAMILIÆ. GLADIATORIÆ. EX. PECVNIA. SVA
DIEM. PRIVATVM. SECVNDVM. DIGNITATEM. COLONIÆ
EDIDERIT. HONOREM. BIS. ILLI. QVOD. QVIS. OPTIMO. EXEMPLO
IN. COLONIA. SVESSA. HABVIT. ET. VT. AQVÆ. DICITVR
IN. DOMO. EIVS. FLVERET, &c.

Sueſſanorum etiam meminit Jnſcriptio, quæ ibidem legitur:

IMP. CAES
L. SEPTIMO
SEVERO. PERTINACI
PIO. P. P.
SVESSANI

[*Municipium,*] *Sueſſanorum Municipum* Alia, in fragmento Cippi Marmorei, littera palmari:

RTHICI. FIL.
DIVI. NERVÆ. NEP.
TRAIANI. HADRIANI
AVG. PONTIF. MAX
TRIB. POT. VI. COS. III
VIAM. SVESSANIS
MVNICIPIBVS
SVA. PEC. FECIT

[*Reſpublica,*] CVRATOR R. P. SVESSANORVM nominatur L. CÆSONIVS C. FIL. QVIRINA. LVCILLVS in Baſi Marmorea, quæ hodie in Vinea Cardinalis Carpenſis; tranſlata eo cum duabus alijs ex Vico Corocollo, inter Gabios & Tiburtinos, anno cIↃ IↃ XLIX. [*Antiquitates,*] Jnter alia Antiquitatum Monimenta, multæ *Sueſſa* viſuntur Jnſcriptiones Marmoreæ, pulcerrimæ & integræ, ſi quæ alibi.

[*Carinula olim*] Octo P. M. ab Sinueſſa opidum ſe offert in Campo, qui quondam *Stellatis*, de quo [*Calenum, Incolæ, Ager,*] alibi, *Carinula*. Sic hodie, ut volunt Blondus, Niger & Leander, vocatur; quod *Calenum* Plinio: Καλληνὸν Straboni. Jncolæ Καλληνοὶ Plutarcho in Hannibale.

Ager

Ager eius *Calenum*, nobile Vini genus, ferebat, Plinio laudatum libro XIV. cap. VI. Meminit Horatius, cui *Molle Calenum*; *Vvam* etiam *Prælo Domitam Caleno* laudans. In eiusdem Opidi Agro Aquã fluere, quæ non secus ac Vinum homines inebriabat, antea, ubi de miraculosis Italiæ Aquis, dixi ex Valerio Maximo.

Calatia, hodie Gajazzo.

Vicinis locis *Calatia* erat, cuius varijs locis Livius, Cæsar, Appianus, Plutarchus in Hannibale, Silius lib. VIII. qui parvos ei muros tribuit, alijque meminerunt: *Calatia* Plinio; *Calatie* Itinerariæ Tabulæ; *Calatia Colonia*, Frontino: *Gajazzo* hodie, Leandro & Sanfelicio, qui de hac Vrbe in eleganti de Campania Libello consulendus. Capua VIII. Neapoli XXIV. Italicis distat miliaribus. Antiquum & celebre quomdam Opidum. Polybius lib. III. Causas enumerans Adventus Hannibalis in Campaniam, hanc quoque addit, ut potiretur nobilibus Vrbibus Capua, Atella & *Calatia*. Exstat adhuc magna Veterum Murorum pars, qui ex quadratis Lapidibus sine Calce, vel alio Ferruminationis genere structi. Cognomen dedit *Attiliæ* Genti, in qua legitur præter alios *A. Attilius Calatinus*, bis Consul & Dictator, de quo cum alij, tum Valerius Maximus lib. IIII. cap. VI. & alibi. *Hippiam*, Philoxeni F. *Calatinum*, Hospitem & necessarium suum Legesque *Calatinorum*, quibus vetabatur, ne quidquam Publicum, nisi publico nomine, possideretur, celebrat Epistol. lib. XIII. M. Tullius Cicero. Veteranos, quique Casilini & *Calatiæ* sunt, perducit ad suam sententiam Octavianus apud Ciceronem lib. XVI. ad Atticum, Epist. VII. Multa hic Antiquitatis Monimenta, Veteresque Inscriptiones. Visitur inter alia in Foro Simulacrum Priapi lapideum, paucos ante annos in Ruderibus antiquissimi Templi Veneris repertum. Fuit *Calatia*, primis Ecclesiæ Crescentis temporibus, Episcopatus titulo insignita; uti ex publicis paret Tabulis, quæ circa annum CCC. confectæ, mentionem *Episcopatus Calatini* facientes. Inter primos Episcopos fuisse censetur *S. S. Ferdinandus Hispanus* & *Stephanus Italus*.

Laus. Clari Viri. Leges. Antiquitates. Olim Episcopatus.

Ager extendit se huc usque ex Samnitibus Venafranus, de quo alibi. Propinqua sunt illi conjacentque *Callutium* (ab obsesso Rogerio, Rogerij Siciliæ Comitis Filio; captoque per Gulielmum Calabriæ Ducem obsessi Filium ipso Obsessore, Innocentio II. P. M. clarum) *Conca*, *Mintanum*. *Præsentianum* & *Varianum*; hæc uno latere: altero *Sestus*.

Callutium, Conca, Mintanum, Præsentianum, Varianum, Sestus.

Superius ultra Vulturnum est *Allipha*, de qua commodiore loco in Samnitibus.

Turris Fracolisa. Teanum Sidicinum.

Suessam repeto, cui vicinum est, cum *Turri Fracolisa*, *Teanum*: ad alterius in Apulia differentiam, *Sidicinum* ab Strabone, cui Σιδικινὸν, Plinioque cognominatum. *Teanum Scedicinum*, corruptius in Itineraria Tabula. Meminit sæpe Livius. *Coloniam* eo deduxisse Augustum, Liber indicat Coloniarum. CVRATOR R. P. TEANENS. nominatur C. CASONIVS C. F. QVIRINA MACER RVFINIANVS in Basi marmorea, quæ visitur in Vinea Cardinalis Carpensis. Desertum hodie *Theano* vernale dicitur; Episcopatus nihilominus titulo nobile. Capuæ pæne æquat Strabo, in Via locans Appia.

Colonia.

Vltra Casilinum fluvium *Calvi* sunt, Opidum Episcopatus dignitate superbiens: *Cales*, numero multitudinis, Virgilio lib. VII. Æneidos: Καλὴς, Ptolemæo; *Calis*, Frontino, ut & Itinerariæ Tabulæ, cui *Cale* auferendi casu. Auctor canitur ab Silio lib. VIII. *Calais*, Boreæ F. post Argonautarum reditum in hæc loca profectus. Livius lib. VIII. & Festus Ausones primos *Calium* Incolas fuisse tradunt. *Coloniam* eo deductam anno CCCCXX. scribit eodem libro Livius, qui eiusdem meminit lib. XXVII. & XXIX. Cicero in Rullum & Frontinus *Municipium* vocant.

Calvi, olim Cales. Conditor. Colonia. Municipium.

Sequitur *Caianellum*, quod *Calliculam* Veteribus dictum ait Leander. *Callicula Jugi* meminit Livius lib. XXII. circa Casilinum: nescio an idem cum Gallicano Monte, qui & Massicus & Gaurus.

Caianellum, olim Callicula.

Fuit haud procul inde *Casilinum*, Latinis & Itinerariæ Tabulæ: Κασίλινον Straboni, Appiano, Plutarcho: Βασίλινος corrupte apud Zonaram. Urbs haud procul Vulturni Ostio. Meminit sæpe Livius, nominatim lib. XXIII. duobusque seq. Ductus eo fuit errore, ibique conclusus Hannibal, quum *Casinum* cogitaret; sedente tunc ad Turrim Fracolisam Fabio Maximo. Nota est Historia. Legendi præter alios Livius lib. XXII. & Plutarchus in Hannibale. *Coloniam* ab M. Antonio deductam, tradit Cicero Philippica II. Auctore Festo, *Vetus* fuit *Præfectura*. Hodie, ut volunt Sanfelicius & Leander Albertus, *Castelluzo*.

Casilinum.

Vlterius

Vlterius ad Ostia Vulturni Fluminis sinistra, *Vulturnum* fuit Opidum. Sic Livio, Plinio, Melæ, Itinerariæ Tabulæ, aliisque Latinis dicitur: quod Οὐολτοῦρνον Dionysio, Straboni & Ptolemæo. Hodie *Castello al Mar di Beturno*, ad differentiam *Castelli a Vulturno*, ultra Neapolim. *Colonia* Frontino Livioque libro XXXIV. *Capua* jamnunc offert se delineandam: *Veterem* dico, nulli non Latinorum Scriptorum, ut Itinerariæ Tabulæ, notam. Sic Κάπυα Stephano: Καπύη Ptolemæo, Dionysio Halicarnassæo, Appiano: *Campana Vrbs* Virgilio lib. X. Quod *Vulturnus* antea fuerit dicta, notant Livius lib. IV. & Plutarchus in Hannibale. *[illegible]* aliquando vocata fuisse legitur apud Sigonium. Dicta autem *Capua*, vel ab *Capy* Æneæ Socio, ut censent Virgilius lib. X. Æn. & ibi Servius, Lucanus libro II. Silius Italicus lib. XI. Dionysius lib. I. accedente & Inscriptione, quæ apud Suetonium in Cæsare cap. LXXXI. Livius lib. IV. Capyn Samnitium Ducem vocat, vel ab *Agro Campestri*, ut putant Livius libro eodem, Strabo, Plinius, Eustathius. Nonnulli sic appellatam volunt, quod Caput esset aliis XI. Vrbibus ab Etruscis constituta. Legendus Strabo libro V. Quidam ab *Falcone* dictam, qui prisca Tuscorum lingua *Capys* dicebatur. Alij, inter quos Diodorus, ab *Capacitate* trahunt & abundantia rerum omnium, quam loquuntur varia eius apud Ciceronem, II. in Rullum, quum dissuaderet ne ex Præfectura in Coloniam mutaretur, Encomia: *Subsidium Belli, Fundamentum Vectigalium, Horreum Legionum, Solatium Annonæ*. Splendor eius, Amplitudo & Magnificentia ab omnibus summopere passim celebratur. Non dicam omnia. *Capua*, ait Florus libro I. Hist. Rom. cap. XVI. *& ipsa Caput Vrbium, quondam inter tres maximas Romam Karthaginemque numerata*. *Altera Karthago Capua*, inquit Silius libro XI. *Altera Roma*, Ausonius. Sic Mago apud Livium libro XXIII. dicit *Capuam* non Campaniæ modo, sed Italiæ Caput, post afflictam Cannensi pugna Rem Romanam. Livius *omnium Vrbium Italiæ secundum Romam principem* nominat libro, quem dixi. Alia apud alios. Nimia Felicitas Insolentiæ sæpe Mater. *Capua* Fortunam nacta obsequentissimam, Arrogantiæ Protervitæque vitio cœpit laborare. Testatur M. Tullius Agraria II. contra Rullum *Campanos* semper superbos fuisse bonitate Agrorum, & Fructuum magnitudine, Vrbis salubritate & pulcritudine: natamque ex eadem Copia, rerumque omnium affluentia Adrogantiam, quæ alterum Vrbi Romæ Consulem e *Capua* postulavit: eamque Luxuriem natam, quæ ipsum Hannibalem, Armis invictum, voluptate vicit & enervavit. Legendi præter alios Livius libro XXXI. Valerius Maximus lib. IX. cap. I. Silius Italicus libro XV. copiosissime, Auctor de VV. Illustr. cap. XLII. Pergens Cicero eleganter *Capuam* appellat *Domicilium Superbiæ & Sedem Luxuriæ*. Verum nimis illud apud Silium libro VIII.

——————Capua *heu rebus servare serenis*
Inconsulta modum, & parvo peritura tumore.

Tam enim olim potens & superba tandem ab Romanis, quorum Imperij fuerat
Præfectura. æmula, post bellum Punicum II. *Præfecturæ* conditionem accepit, scribente Livio libro XXVI. qui de *Capuæ* obsidione, obsessorumque Fortitudine & Magnanimitate, quæ Vrbi Magnæ Fortuna fuerit sequuta, omnino legendus. *Præfectura* mansit ad Consulatum usque C. Iulij Cæsaris, qui cos. cum M. Calpurnio Bibulo anno
Colonia. IƆCXCV. *Coloniam* eo deduxit, ut videre est apud Paterculum, Suetonium in Cæsare cap. XX. & Frontinum de Coloniis, cui *Capua Iulia Felix* dicitur. Vt *Coloniæ* meminerunt Cicero II. in Rullum, & II. Philippica, Suetonius in Cæsare cap. LXXXI. & in Octaviano cap. IV. Resurgens postea auspicijs Imperatorum reflorere nonnihil
Resgestæ. cœpit sub P. R. potestate, donec ab Genserico Vandalorum Rege capta subversaque, ab Ostrogothis dein occupata: atque his pulsis ab Narsete restaurata; tandem post annos fere centum ab Langbardis iterum excisa fuit atque deleta. Stantem
Casus. potenter, cadentemque miserabiliter, canit scite magnus Poëta Ausonius Magnus:

Nec Capuam *Pelago, Cultuque, Penuque potentem*
Deliciis, Opibus, Famaque priore silebo.
Fortuna variante vices, quæ freta secundis
Nescivit servare Modum: nunc subdita Romæ,
Æmula tunc, Fidei memor, an infida Senatum

Sperneret

Sperneret, an coleret, dubitans: sperare Curules
Campanis ausa auspiciis: unoque suorum
Consule ut Imperium divisi attolleret Orbis.
Quæ etiam Rerum Dominam, Latiique Parentem
Appetiit bello, Ducibus non freta Togatis;
Hannibalis fractas armis: deceptaque in Hostis
Servitium demens specie transibat honoris:
Mox ut in occasum vitiis communibus acti
Corruerent Pœni Luxu, Campania Fastu,
(Haud unquam stabilem sortita superbia Sedem)
Illa potens opibusque valens, Roma altera quomdam,
Comere quæ paribus potuit fastigia comis,
Octavum rejecta locum vix pone tuetur.

Caussas etiam Interitus tantæ Vrbis paucis indicat Silius Italicus:

Luxus & infamis nutrita Ignavia Lustris,
Consumtusque Pudor peccando, unisque relictus
Divitiis probrosus Honor, laceravit hiantem
Desidia Capuam, *ac resolutam Legibus Vrbem*
Proximaque exitio truculenta superbia semper.
Nec Vitiis deerant vires: non largior ulli
Ausoniæ Populo (sic tum Fortuna favebat)
Aurique Argentique modus: madefacta veneno
Assyrio manibus Vestis: medioque dierum
Regales Epulæ: atque ortu Convivia Solis
Deprensa: & nulla macula non inlita Vita:
Tum Populo sævi Patres: Plebesque Senatus
Invidia lacera: &, conlidens dissona corda,
Seditio: sedenim interea temeraria Pubes
Delicta augebat: pollutior ipsa Senectus;

& quæ ibi alia. Visuntur hodie eius altero ab *Nova Capua* lapide peringentes Ruinæ, juxta Templum D. Mariæ Gratiarum. Ex sunt *Portæ* semirutæ, *Amphitheatrum*, quod aliquo modo describit Laurentius Schraderus in Italiæ Monimentis, immensa *Porticuum*, *Thermarum*, *Aedificiorumque Publicorum* rudera: præter hæc longa vastaque *Aquarum Receptacula subterranea* & *Castella*, quæ, qualis & quanta fuerit antiqua Vrbs, abunde testantur. *Capitolij Capuani* mentio apud Suetonium in Tiberij Principis Vita cap. XL. *Aurea, Argentea, Aerea Numismata*, *Gemmæ*, *Marmora*, aliaque summi Luxus indicia quotidie ab Incolis ecfodiuntur. Ex *Antiquæ* autem dirutæ Ruinis *Nova* cœpit excitari, feliciterque crescere, quam conspicere jamnunc est adsitam sinistræ Vulturni ripæ, duodecimo ab Mari lapide, in planicie, satis magnificam, commode habitatam, sed infrequentius; stratam Silicibus, Plateas habentem amplas & rectas, altaque Ædificia. Adluit eam ab Ortu & Septemtrione Vulturnus, indeque in Occasum reflectitur. Pons est supra amnem ex lapide insignis. Templum S. Benedicti dicatum fuisse creditur Isidi. Regitur iisdem Magistratibus, eademque Reip. forma, qua Neapolis. Civium Mores superbia ab Antiquis non differunt. Eius Mœnia Conradus, Friderici II. Imp. F. dejecit, Vrbemque direptam calamitate adfecit ingenti. Caussam exponit Blondus libro XVII. Hist. Aliam deinde non minorem cladem sustinuit sub Alexandro VI. P. M. Videndus Sabellicus. *Episcopatum Capuæ Novæ* evexit in *Archiepiscopatum* Ioannes XIV. P. M. quum Othoni II. Imper. Aug. Coronam imponeret. Legendi Blondus & Platina. Huic qui suffragentur, alibi a me dictum. *Capuam Novam* ortu suo nobilitarunt *Raimundus*, Prædicatorum Generalis Magister XXXIII. & *Ioannes Antonius Campanus*, Scriptis clari. Multæ ibi nobiles Familiæ, quæ vulgo: *Antignani*, *d'Artenzo*, *d'Azzia*, *di Capua*, *d'Eboli*, *di Falco*, *Feramosca*, *Ferrara*, *Gaiazzi*, *Gallo*, *Diugnano*, *delli Leoni*, *Lanza*, *Marchesi*, *Maggio*, *Olimpio*, *Pantoleani*, *Pelegrini*, *Pettinato*, *di Rinaldo*, *Rossi*, *Siniscalco*, *di Tomase*, *delle Vigne*, *Vitelli*; & aliæ. Post Urbem Romam nullo in loco plures Inscriptiones, sed vetustate admodum consumtæ. *Campanos* quomdam *Oscos* fuisse nuncupatos, notat Servius ad lib. VII. Æneid.

Ruinæ & Rudera.
Nova Capua.
Situs & Qualitas.
Magistratus, Cives, Res gestæ.
Archiepiscopatus.
Clari Viri.
Nobiles Familiæ.
Antiquitates.
Campani Osci.

tas Olivas; item Myrtum ejusdem in Luco conspicuæ magnitudinis: & sub ea Specum fuisse dicit, in quo Manes ejus custodire Draco ferebatur. Ab eo *Linterna Palus* Silio libro VII: hodie *Lago della Patria*. Dixi alibi. *Linternum* Fluvij nomen hoc tractu Straboni & Livio libro XXXII: patria vulgo. *Linternum* Ciceroni in Epistolis ad Atticum, Prædium fortean in suburbicario *Linterni* Agro. Meminit Plinius libro XIIII cap. IIII.

Linterna Palus. Linternum Flu. Linterni Præd.

Hinc Itinere juxta Mare Millibus passuum quinque usque Cumas, *Villa* fuit *Servilij Vatia*, Hominis nobilis & opulenti, sed ignavi & solitarij: de quo Seneca Epistola LV.

Villa Servilij Vatiæ.

Sequitur inde locus antiquissimæ Vrbis *Cumarum*. *Cumæ* Livio, Tacito, Silio Plinio, Solino, Melæ, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, & quibus non Latinorum? Κύμαι Straboni, Ptolemæo, Dionysio, alijsque Græcis: *Cumæa Vrbs* Virgilio libro III. Conditores ejus *Cumæi Euboenses*; qui Ducibus Hippocle & Megasthene, cum Chalcidensibus in Italiam venerunt, testibus Dyonisio lib. VIII, Livio libro VIII, Strabone, Plinio, Solino, Servio ad lib. III & VI Æneidos: quo notante, *Cumæ* dictæ vel ἀπὸ τῆς Κυούσης, id est *prægnante* (nam ibidem prægnans Mulier inventa fœcunditatis omen ipsis dederat) vel ab *Vndis*, quas Græci Κύματα vocant. Legendi Strabo, Dionysius, Livius, alij. *Cumas* in Monte adscensu difficili arduoque positas & ad Mare spectavisse, tradit Agathias lib. I. Belli Gothici. Infimam fluctus marini adluebant: superiora Muris, Turribus, alijsque molibus adeo erant circumvallata & munita, ut locus expugnatu esset difficillimus. Nunc omnia fere conciderunt, oppletaque jacent ruinis, ut tamen undique amplissimorum operum vestigia satis agnoscantur. Erat in vertice Rupis urbe media celeberrimum Apollinis Templum, de quo Virgilius libro V Aeneid.

Cumæ. Conditor. unde dictæ. Situs. Apollinis Templum.

At pius Aeneas Arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ
Antrum immane petit.

Quos versus exponens Servius in Arce munitissima *Cumis* Ædem Apollinis fuisse scribit. *Cumarum* mentionem facit non raro Dionysius Halicarnass. nominatim lib. VII Antiq Roman. ubi multa de *Aristodemo Malaco*, *Cumanorum* Duce, Rebusque ab *Cumanis* gestis. L. Tarquinium Superbum ad eumdem *Aristodemum*, *Cumanorum* Principem confugisse, scribunt idem libro VI & Livius lib II, qui alibi libro IV Romanos Vrbem *Cumas* ab Græcis habitatam expugnasse commemorat: item libro VIII *Cumanos* atque Sinuessanos eadem lege, qua Capuam haberi, Senatum censuisse. *Cumanorum* item Fidem erga Populum Romanum narrat idem libro XXIII. Tradit etiam Strabo *Cumanos* in potestatem olim ab Campanis fuisse redactos. *Cumæ* Vetus aliquando *Municipium*, aliquando *Præfectura* fuit, testibus Livio & Festo: postea *Coloniam* eo ab Augusto fuisse deductam, paret ex Frontino. Ab *Cumis Cumanus Campus* & *Cumanus Sinus*, de quibus alibi: & *Cumanum*, Villa circa Cumas, cujus meminit Cicero in Epistolis.

Res gestæ. Municipium, Præfectura, Colonia, Cumanus Campus, Cumanus Sinus, Cumanum.

Ab Cumis dein ad Avernum usque Lacum nihil invenitur scitu dignum præter *Sibyllæ* (quæ ab Cumis, Patria, *Cumæa*, omnibus decantata) *cavernam*, ut vocant. Meminerunt hujus Antri Virgilius VI Aeneidos libro, & Symmachus lib. IIII Epist. XXXIII. Describit autem plene Leander Albertus in Campania; qui inter alia censet Viam hic fuisse ab Cumis per Avernum Baias subterraneam, quam Cocceium fecisse notat Strabo; *Cymmerios* his locis olim habitasse in Antris & Specubus subterraneis, quas *Argyllas* nominabant, addens.

Sibyllæ caverna.

Tribus Cuma Vrbe millibus *Hamarum Silva* fuit; *Sacer Lucus* antiquis. Dixi supra. *Hamæ* Livio notæ libro XXIII. Ruinas conspici hactenus in arduo Monte, qui à Balneis Tripergulanis abest P. M. CIↃ IↃ. scribit Dalechampius. Videndus item Scipio Mazzella de Puteolanorum Antiquitatibus.

Hamarum Silva.

Haud procul inde *Mare Mortuum*, *Sinus Baianus*, *Lucrinus* & *Avernus*, de quibus alibi. Chersonnesum quamdam faciunt ab Cumis incipientem, uti ab Strabone describitur.

Mare Mortuum. Sinus { Baianus, Lucrinus, Avernus,

In ejus Chersonnesi radicibus *Baiæ* erant, Latinis Græcisque notissimæ, Aeris temperie, Romanorum frequentia, Aedificiorum ornamentis celeberrimæ. Q. Horatius Flaccus:

Baiæ, Laus:

Nullus in orbe Sinus Bajis prælucet amœnis,
Si dixit dives, Lacus & Mare ſentit amorem
Feſtinantis heri, cui ſi vitioſa libido
Fecerit auſpicium, &c.——

Sic Martialis:

Littus beatæ gentis aureum Bajæ:
Bajas *ſuperbæ blanda dona Naturæ:*
Vt mille laudem, Flacce verſibus Bajas:
Laudabo digne non tamen ſatis Bajas.

Vnde dicta. Veſtigia ſuperſunt ingentium nimirum Pelago demerſa operum fundamenta, cum Plateis ſilicatis. Vrbis Interitus ab Terræmotuum exortus vi fertur. Nominis originem à *Baio* quodam Vlyſſis Socio hic ſepulto fluxiſſe ſcribit Strabo. Silius Italicus in libris de bello Pœnico:

Primores adſunt Capuæ: docet ille tepentes
Vnde ferant nomen Baiæ: *comitemque dediſſe*
Dulichiæ Puppis ſtagno ſua nomina monſtrat.

Baiarum deſcriptio exſtat apud Caſſiodorum libro IX Variarum ad Primiſcrinium.

Epiſcopatus. Synodus Conſtantinopolitana VI habita ſub Conſtantino Magno Imp. has Baias Siciliæ tribuit. *Baias* Inſulas & Civitates circa Siciliam habet Iſacius in Lycophronem. Rationem alibi aperui. *Baienſis Vrbis* Epiſcopus *Aſclepius* eſt apud Gennadium.

Balnea varia. Iuxta vicinas Rupes in Littore varia ſunt Balnea, cum quæ *Baiana* vocant Adcolæ, Medici *Sudatoria*: tum quæ Medicis *Bagni di Tritoli*, vulgo *di Cicerone*, item *di Prato*.

Aquæ Ciceronianæ. *Aquarum Ciceronianarum* meminit Plinius libro XXXI Nat. Hiſt. cap. II. Sic autem dicebantur ab *Villa Ciceronis*, *Academia* nomine clara, cujus mentio apud eumdem Plinium, Spartianum & Philoſtratum libro VIII Apollon. Hodie *Stadio* dicitur, ut refert Ferd. Loffredus: ſed *Ciceroniano*, teſtibus Fr. Lombardo & Antonio Sanfelicio. Alia præterea, quæ Strabo commemorat, non ſolum adfectæ valitudini auxiliantia, verum etiam quæ Voluptati & Delicijs oportuna. De *Portu Baiano* alibi, ut de *Sinu* vel *Lacu Lucrino*, qui etiam *Baianus* cognominatur. Ad *Baianum Sinum Templum Herculis Bauli* fuiſſe antiquiſſimum, rotunda forma, conſtat ex Strabone & Plinio.

Bauli. *Bauli* locus circa Baias Plinio, Ciceroni, Silio, Suetonio, Dioni, alijs: Tacito item lib. XIV locanti eum inter Miſenum Promontorium & Bajanum Lacum. De ijs Martialis:

Dum petit à Baulis *mater Cærelia Baias,*
Occidit inſani crimine merſa freti.
Gloria quanta perit vobis? hæc monſtra Neroni
Nec quondam juſſæ præſtiteratis aquæ.

Sic Silius Italicus libro XII de bello Pœnico:

——*videt Herculeos in littore* Baulos.

Symmachus: ——*Inde recens ætas Boaulia* Baulos *Nuncupat.*

Hortenſij Villa. Ex eodem conſtat *Hortenſij* prius fuiſſe *Villam*. A Puteolis diſtare XXVI ſtadijs, notat Zonaras libro II: Nomen hodie retinere teſtatur Ferd. Loffredus. *Bagola*, inquit Ortelius, *vocabat Nauta, cujus opera Sinum Puteolanum navigavi*. Alijs *Monte Barbaro*

Alexandri Villa. vocatur, ſed male, eatidem Ortelij judicio. *Alexandrum Imperatorem* ſplendidiſſimam *Villam* in Sinu Bajano cum Stagno Mammeæ Matri ædificaſſe, quod etiam ſua memoria nomine *Mammeæ* celebrabatur, tradit Spartianus: eumdem & alia in Bajano opera magnifica in gratiam & honorem conſanguineorum Stagnaque mirabilia admiſſo Mari feciſſe notans.

Piſcina mirabilis. Luculli Villa. Viſitur prope Bajas Ædificium deſcendentium graduum XL in ipſis Terræ viſceribus, operis admirandi, latere calceque factum, quatuor columnarum ordinibus. Adcolis *Piſcina Mirabilis* dicitur. Credunt nonnulli *Villam* hic olim fuiſſe *Luculli Baianam*, ubi ille menſibus hibernis agere erat ſolitus. Legendus Plutarchus in ejus Vita. Vt in hanc *Villam* deferretur ingraveſcente morbo, voluiſſe Tiberium Imperatorem, auctor eſt Tacitus libro III.

Varia Balnea. Sunt & ad Avernum Lacum, viciniſque Locis multa *Balnea*, quæ vulgo *Bagni*

dei

dell' Arco, di Raverio, di Tripergola, di S. Niccolo, di Scrofa, di S. Lucia, dell' Arculo, vel *di S. Marta, della Croce, di Cantarello, di Fontana, dell' olio Petrolio, Di Culma, del Sole* & *della Luna di Gimborofo, dei Vefco, di Fatr, di Bracula, della Spelunca*, & alia.

In Vijs, quæ Puteolos ducunt, tum in ora Littoris, tum intus in continenti collibusque tam multæ splendissimorum Operum ruinæ conspiciuntur, ut Sinum intuentibus injiciant stuporem. (Amphitheatrum.) Inter alia *Amphitheatrum* occurit ex quadrato lapide propemodum integrum, sed inæquali forma. Longitudo enim areæ pedes CLXXII, latitudo XCII continet. Suetonius ædificatum testatur ad Ludos in honorem Vulcani, quos etiam Augustus spectavit. Hodie proscissum Aratro Frumento est consitum.

Non procul hinc subterraneum est Aedificium, multis instructum Cellis, *Labyrinthus* Accolis vocatum. (Labyrinthus.)

In proximo sunt *Puteoli* Sic Livio, Plinio, Tacito, Melæ, Vitruvio, Itinerariæ Tabulæ, alijs dicitur: Ποτίολοι Straboni, Ptolemæo, Stephano: quæ *Pozzuolo* vernacule. (Puteoli.) Δικαιαρχεῖαν ab administratione Iustitiæ, sanctissimoque Imperio quomdam nuncupatam, scribunt cum alijs Strabo, Pausanias, Stephanus, cui Δικαία quoque dicitur. *Dicarhia* legitur apud Silium: *Dicarhe* apud Petronium. *Ceadilla* corrupte apud Hieronymum de Locis Hebraicis. *Delos Minor* etiam appellata fuit, ut tradit Festus: ab *Samiis* conditam addens, in fine Olympiados LXII, ut numerat Eusebius in Chronic. adstipulante Stephano Byzantio. (Conditores.) Emporium Cumanorum celeberrimum. Idem Festus *Puteolos* unam ex his Præfecturis aliquando fuisse dicit, in quas Præfecti Populi Romani Suffragiis creati mittebantur. (Præfectura.) *Coloniam* eo deductam primum a Q. Fabio Maximo notat Livius libro V; mox P. Cornelio Scipione Africano II. & Ti. Sempronio coss. anno ab V. C. DLX scribit idem libro XXXIV cum Velleio Paterculo lib. I. (Colonia.) Colonis eorumque Posteris intermortuis, *Colonia* esse desijt, ad *Municipale Ius* transgressa. Cicero Oratione pro Cœlio: *Nam quod est objectum Municipibus adolescentem non esse probatum suis; nemini umquam præsenti Puteolani maiorem honorem habuerunt*. (Municipium.) Iterum novis ab Augusto Colonis adscriptis, *Augusta* fuit cognominata, teste Frontino; auctisque rursum ijsdem ab Nerone, cognomentum ab eodem est adepta, scribente Tacito libro XIV. (Colonia iterum.) Meminerunt ut *Coloniæ* Veteres Inscriptiones, quæque Neapoli hodie leguntur:

AB COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC.
N. FVFIDIO. N. F. M. TVLLIO. DVO. VIR
P. RVTILIO. CN. MALLIO. COS
OPERVM. LEX. II

Item:

PRO. SALVTE. VICTORIA. AVGVSTORVM. DEO. MAGNO
GENIO. COLONIÆ. PVTEOLANORVM. ET PATRIÆ. SVÆ
Q. AVRELIVS. HERMADION. SEVIR. AVGVSTALIS. ET. CVRATOR. EORVM EXSTRVXIT.
ET. DONVM. DAT

Puteolis nomen esse innuit Strabo libro V ἀπὸ τῶν φρεάτων, vel, ex aliorum mente, ἀπὸ τῆς δυσωδίας τῶν ὑδάτων, id est, ut, quo respicit Auctor, Etymon aperiamus, a *Puteis*, vel à *Putore salientium Aquarum sulphureo*. (unde dicti.) Videndus Festus. Incolæ *Puteolani* cum alijs, tum Inscriptionibus quarum una, quæ Populonij exstat, sic inter alia habet: VIRI PERFECTISS. ET PRINCIPALES. ET. SPLENDIDISSIMVS. ORDO. ET POPVLVS. PVTEOLANORVM. (Incolæ.) Sita est hæc Vrbs in excelsa Rupe, quæ undique præceps. Inexpugnabilem efficiūt cum Mare, tum Murus, quo circumdata. (Situs.) Vnus modo est aditus, isque angustus per Pontem. Maiorem olim fuisse loquuntur quæ in proximo visuntur ingentes ædificiorum ruinæ. Vrbis medio Templum antiquissimum, opere Corinthiaco, ex quadrato lapide cernitur; crebrorum Terræmotuum impetu nonnihil deformatum: Christiani D. Proculo sacrarunt, Augusto ante dicatum; quod mutila testatur Inscriptio: (Publica Opera.)

ANIVS. L. F. TEMPLVM. AVGVSTO. CVM. ORNAMENTIS. D. D.

Operis Architectus qui fuerit, loquuntur quæ in pariete Templi sinistro leguntur his Characteribus:

L. COCCIVS. L
C. POSTVMI. L
AVCTVS. ARCHITECT

Templum Neptuni magnificentissimum ibidem fuisse constat ex Cicerone: visunturque ejus adhuc rudera vasta ad ędem D. Francisci, Testudines, Arcus, Statuarum Loculi. Visuntur hic ossa quædam humana stupendæ magnitudinis, Pomponij Læti carmine celebrata. Commendat *Sil cæruleum Puteolanum* Plinius lib. XXXIII, cap. ult. *Purpurissum* autem *Puteolanum* laudat idem libro XXXV. cap. VI. Episcopatus gaudet dignitate. Nobiles ibi Familiæ; quæ vulgo audiunt:

[Sil Puteolanum. Purpurissum Puteol. Episcopatus. Nobiles Familiæ.]

Aquileri,	*Capomaza,*	*Pesce.*
Bisi,	*Costanzi,*	*Rossi,* & aliæ.

[Portus.] Quanta fuerit olim *Portus Puteolani* commoditas, docet Strabo libro V. Ejus nulla ferme hodie supersunt vestigia. [Pons Caligulæ] In Mari XIII vastissimæ Pilæ Turrium instar ex latere structæ, & in quibusdam Arcus semiruti cernuntur: ex-adversum ijs Pilæ, quæ item in æquore juxta Bajas adparent. *Pontem* his ab Caligula Imperatore superinjectum quo transitus per tria millia sexcentos fere passus a Puteolano littore in Baianũ sinũ jungebatur, memorat multis Suetonius. Edidit Libellum Ferdinandus Lofredus Marchio Trevicensis, Regiæ Majestatis in rebus Bellicis Consiliarius, cum hoc Titulo *Le Antichita di Pozzuolo & Luoghi convicini.*

[Fontes varii.] Post Pilas, quas dixi, ultra Puteolos in littore multi salubrium Aquarum Fontes prorumpunt, quorum præcipui, qui vulgo *Bagni di S. Anastagio, dell' Ajuto dell'huomo, di Calatura, di Pietra, ad la Grotta.*

[Villa Ciceroniana.] Haud procul Monte Astruno ad Viam eunti, quę Puteolis Neapolim ducit, *Villæ Ciceronianæ* locus occurrit, ubi Hadrianum Imperatorem sepultum, quum apud Baias excessisset, Templumque illi pro Sepulcro constitutum, auctor est Spartianus.

[Villa Luculli.] Eadem via pergenti *Villa L. Luculli*, quam prope Neapolim habebat, ut Plutarchus memorat, ingentia adparent rudera.

[Mons Pausilypus.] Succedit inde *Mons Pausilyppus*, cum subterranea Crypta mirabili; de quibus suo loco.

[Neapolis Conditores.] Secundo inde lapide *Neapolis* est, ab Græcis Latinisque Scriptoribus multis encomijs celebrata. Cumanos vicinos eam primum condidisse, *Parthenopen*que ab Sirenarum una ibidem sepulta nominâsse, Strabo, Virgilius, alijque Auctores consentiunt. Subversam deinde fuisse volunt ab ipsis Conditoribus; quum nimium efflorescere, & augeri propter Agri ubertatem, Martemque vicinam Cumas sensim supplantatura videretur. Quo facto Cumanos immani Peste vexatos, oraculoque monitos ferunt; ut Vrbem restituerent: sicque, quum restaurassent, *Neapolin* voce Græca tum appellari ab re cœpisse, volunt. Errat Solinus, qui Vrbem ab Augusto restauratam *Neapolin* dictam scribit; quum frequens ante Augusti Principatum *Neapolis* apud varios fiat mentio, præcipue apud Lycophronem, qui ætate Ptolemæi Philadelphi claruit. Livius etiam de *Neapolitanis* multis locis scribit, quæ sæculis aliquot ante Augustum contigerunt. Idem Lycophron in Alexandra sua *Phaleri Murum* hanc Vrbem appellat; & adjicit ejus Interpres Isacius Tzetzes, Phalerum Siciliæ Tyrannum *Neapolin* in Italia condidisse. Ab Hercule exstructam testantur Diodorus Siculus & Oppianus, qui ad Vrbis nomen adludens in Poemate suo de Venatione, *Novum Herculis Campum Neapolin* appellat. [Situs.] Νεάπολις in Numismatibus dicitur. Nomen hodie retinet, *Napoli* vulgo audiens. Caput est Campaniæ, Regnique Metropolis. Spatium amplectitur magnum inter mare collium-

que

Qualitas, Fossæ, Portæ, Fora, Fontes, Forma, Circuitus, Aer.

que amœnissimorum radices ædificata magnifice; Muris firmissimis, Propugnaculis, Turribus Castellisque, præsertim jussu Karoli V, cujus jam nunc paret Nepoti, ut sit quasi inexpugnabilis, munita. Fossas habet LXXX pedes profundas. Portæ sunt octo: *Castelli, Ioannis Carbonarij, Mercatus, Rialti, Capuana* pulcerrima, *Carmelitarum, S. Coali*, & *S Ianuarij*. Fora sunt ampla: quorum unum famosissimum *La Piazza del Vimo*, prope Castrum Novum. Fontes publici, ex quibus Aqua limpidissima nunc lanceæ altitudine, nunc duorum capitum crassitudine, nunc per centum fistulas prosilit, sunt innumeri. Forma est oblonga, seque in modum Dimidiatæ Lunæ incurvans. Circuitus olim III; nunc, prolato pomerio, V milliarium. Aere gaudet permolli & placido. Hiemem vix sentit. Romanos aliosque in hanc Vrbem vel Studiorum, vel Otij vel Voluptatis & Deliciarum, atque etiam Sanitatis gratia solitos secedere, patet ex Strabone. Sic de *Neapoli* Silius Italicus:

> Parthenope *Portus Statio fidissima Nautis*,
> *Nunc molles Vrbi ritus, atque hospita Musis*
> *Otia, & exemptum curis gravioribus avum.*
> *Sirenum dedit una suum & memorabile nomen*
> Parthenope *muris* Acheloias: *æquore cuius*
> *Regnavere diu cantus: quum dulce per undas*
> *Exitium miseris caneret non prospera Nautis.*

Amœnissimus secessus, cum doctis, tum Nobilibus, quorum magnus hic numerus,

Vitam apud *Neapolitanos* degisse leguntur *P. Virgilius*, qui Georgicorum libros hic composuit; *T. Livius, Horatius Flaccus*, *Anneius Seneca*, *Claudius Claudianus*, *Agellius* (quem vide libro IX Noct. Attic, cap. XV) *Franciscus Petrarcha*, *Antonius Beccadellus Bononiensis*, cognomine *Panormitanus*, *Laurentius Valla*, *Porcelius Romanus* Poëta, *Blondus Foroliviensis*, *Bartholomæus Facius Sulmonensis*, & infiniti alij. Idem hodie mos. Hac enim ætate Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, inlustresque Viri totius Regni Neapolitani maiorem anni partem hic exigunt; ædesque plerique habent splendidissimas, ut non sine caussa inter Italiæ Vrbes *Nobilis* audiat. Incredibile sane est, quantus Nobilium Familiarum, præter Majorum Gentium, sit in hac Vrbe numerus. Quum enim tota in suas Curias vel Basilicas (quæ *Seggi* vulgo, quoque Principes, Duces, Marchiones, omnesque reliqui Ordines ad consultandum de rebus publicis conveniunt) sit distributa, singulis sua adcensetur Nobilitas. Eam ex Libello, cuius paullo ante mentionem feci, hic enotabo; uti vernaculo sermone concepta:

FAMIGLIE NOBILI DE I CINQVE SEGGI DELLA CITTA DI NAPOLI.

Del Seggio di Capuana:

Aprani.	*Figlimarini.*	*Minutoli,*
Barili.	*Di Forma.*	*Orsini di Bracciano.*
Boccapianoli.	*Galeoti.*	*Pannoni del Duca di Eojano.*
Bozzuti.	*Guinnazzi.*	*Pescecelli.*
Cantelmi.	*Di Lagni.*	*Protonobilissimi.*
Capeci.	*Della Leonessa.*	*Scondit.*
Caracioli del Leone.	*Latri.*	*Seripanni.*
Caraccioli Rossi.	*Loffredi.*	*Di Somma.*
Carboni.	*Manselli.*	*Di Toco.*
Crispani.	*Marra.*	*Tomacelli.*
Dentici del Pesce.	*Morra.*	*Zurli.*
Dentici delle Stelle.		

Questi che seguono, sono stati del medesimo Seggio: ma sono estinti:

Aiossi.	*Ciginolfi.*	*Squarcelli.*
Della Aversana.	*Colonnesi del S. Prespero.*	*Torcelli.*
Catani.	*Pesci.*	*Varavali,*& altri.

Del Seggio di Nido:

Acquavivi.	*Carrafi.*	*Monsolini.*
Afflitti del S. Mazzeo.	*Cossi.*	*Mont'alti.*
Avali o Davoli.	*Diascarloni.*	*Orsini di Gravina.*
D'azzia, del Conte di Noia.	*Dello Dolce.*	*Piccolomini.*
Aldo Morisco.	*Gaietani.*	*Pignatelli.*
Berlingieri.	*Galiarani.*	*Ricci.*
Di Bologna.	*Della Gatta.*	*Sangri.*
Brancazzi.	*Gesualdi.*	*Sanseverini.*
Cabanigli.	*Gesualdi del Conte di Conza.*	*Saracini.*
Cantelmi.	*Gonzaghi di don Ferrante.*	*Spinelli.*
Capani.	*Grisoni.*	*Spini.*
Capeci.	*Guevari.*	*Della Tosfa.*
Di Capua.	*Guinnazzi.*	*Tomacelli.*
Caracciolî, bianchi.	*Di Luna.*	*Vulcani.*
Di Cardine.	*Milani.*	

Questi che seguono, sono stati del medesimo Seggio: ma sono estinti:

Alagni.	*Maramaldi.*	*Sarfiomondi.*
Azerra.	*Offeri.*	*Di Toraldo,*& altri.
Capuani.		

Del Seggio di Montagna.

Di Capua.	*Pignoni.*	*Sanges.*
Carmignani.	*Poderichi.*	*Sorienti.*
Cicinelli.	*Di Rivera del S. Vice Re.*	*Soto del S. Secretario.*
Costanzi.	*Rocchi.*	*Stendardi.*
Di Mardones.	*Rossi del Barbazale.*	*Di Toledo, de S. Vice Re.*
Miroballi.	*Rossi del Leone.*	*Villani.*
Muscettoli.	*Sanfelici.*	

Questi

Questi che seguono sono stati del medesimo Seggio: ma sono estinti:

Bocca torci.
Cochiola.
Cotogna.
Fali.
Franconi.
Giontola.
Ipanta.
Li Mamoli.
Marogana.
Mosconi.
Orichioni.
Origlie.
Orimini.
Papa Insogna.
Scrignara.
Sicola.
Spica Caso.
Trofa.
Virticili.
Zicalesi, & altri.

Del Seggio de Porto:

Aiossi.
Alessandri.
D'Angelo.
Belpraso.
Colonni del S. Asca.
Capani.
Di Cardona, del Duca di Sessa.
Di Dura.
Gaeta.
Gennari.
Gennari di Nicotera.
Griffi.
Inserra.
Macedoni.
Macedoni di Maione.
Meli.
Origlie.
Pagani.
Pappacodi.
Severini.
Stramboni.
Tuttavilla:
Venati.

Questi che seguono, stati del medesimo Seggio: ma sono estinti:

Arcamoni
Ferreli.
Et altri.

Del Seggio di Porta Nova:

Agnesi.
Bonifacij.
Capuani.
Coppoli.
Costanzi.
Emps di Pa. Pio IIII.
Gattoli.
Gonzaghi, del S. Vespasiano.
Ligori.
Miroballi.
Mocchi.
Mormili.

Questi che seguono, sono stati del medesimo Seggio: ma sono estinti:

Anna.
Capasi.
Cicari
Caputi.
Frangipani.
Priapani.
Miscini.
Sasoni.
Sannazzari.
Scanasorsi. Et altri.

Questi altri che seguono; non sono de Seggi: ma sono antichi & nobili:

Albenavoli.	*Cutinarii.*	*Palmieri.*
Acciapacci.	*Evoli.*	*Pellegrini.*
Acquini.	*Egidy.*	*Piccioli.*
Avali.	*Filingeri.*	*Renaldi.*
Afflitti.	*Frezza.*	*Rasta.*
Acerbi.	*Feramosca.*	*Ruggieri.*
Anichini.	*Galeoti.*	*Revertera.*
Antinori.	*Gambacorti.*	*Rai.*
Ansora.	*Galuzzi.*	*Raimi.*
Aragona.	*Gargani.*	*Della Rasta.*
Baldasini.	*Gattinari.*	*Di Regina.*
Beiprato.	*Gesualdi.*	*Rossi.*
Bernando.	*Gusiani.*	*Rota.*
Bisbali.	*Di Lamagna.*	*Ruffo.*
Borgios.	*Lamfranchi.*	*Santo Mango.*
Brancia.	*Lanoia.*	*San Basili.*
Buccini.	*Marconi.*	*Scaglia.*
Balsi.	*Marzani.*	*Scaglioni.*
Beltrami.	*Mastrogiudici.*	*Scorna.*
Di Capua.	*Mendozza.*	*Senerchia.*
Castaldi.	*Mirti.*	*Sifola.*
Dellacastella.	*Monaci.*	*Di Silva.*
Castelni.	*Monforti.*	*Suardi.*
Castigliari.	*Martirani.*	*Salernitani.*
Castracuchi.	*Minados.*	*Salazari.*
Ciscari.	*Marchesi.*	*Tocco.*
Comiti.	*Mesaneli.*	*Torre.*
Ceminvieta.	*Di Nave.*	*Torelli.*
Coppulla.	*Orsini.*	*Tufi.*
Cossa.	*Pandoni.*	*Della Valva.*
Carduini.	*Palagani.*	*Villani.* Et altri.

Ædes hæc Vrbs cum Divorum, tum Hominum habet ornatissimas: Arces invi-
Publica Opera Templa. ctissimas. Mirabile est opus *Templum D. Claræ* (*S. Chiara*) cum *Parthenone* peramplo, ab Agnete Regina Hispana (alijs Sanctia) Roberti Regis Conjuge factum. Sepulcra in eo multa conspiciuntur Regum, Reginarum, Regiorum Liberorum ex illustri Dyrrhachina domo, Karolique, qui S. Ludovico Francorum Regi fuit frater, Progenie. Vetustissimum est *S. Paulli*, quod olim *Castoris* & *Pollucis*. Insigne & *S. Dominici Fanum*. Servantur in eo *Philippi* Imper. Constantinopolitani, *Alphonsi* I, *Ferdinandorum* I & II, *Isabellæ*, Ducis Mediolanensis, *Ferrandi Davali* Marchionis Pescharæ, Marchionis del Guasto, qui Regem Galliæ in Acie prope Papiam cepit, aliorumque Principum & illustrium hominum Ossa. In *Delubro Fratrum Montis Oliveti* (*Frati di Monte Oliveto*) sepultus legitur *Alexander ab Alexandro* I. C. Voluminis Genialium dierum Auctor. In *Templo D. Ioannis in Carbonaria* (*S. Giovanni in Carbonara*) Fratrum Eremitanorum, monimentum visitur magnificentissimum *Roberti* Regis & *Ioannæ* I Sororis, ex Marmore candido. Pari celebritate sunt *Cathedrale*, quod *Episcopio* (nam Archiepiscopatus floret dignitate) vulgo vocant; *D. Laurentij*, *Fratrumque Minorum D. Francisci*. Alia prætereo.
Ἀπτωχοτροφεῖον Templa Monacharum sunt XV, inter quæ pulcerrima *D. Francisci*, *S. Spiritus*, *S. Crucis*. Ἀπτωχοτροφεῖον visitur, Templo Annunciatæ Virginis Mariæ iunctum, magnitudine & structura ampli opidi instar; in quo supra duo pauperum millia, omnis

generis

generis, Aegroti, Senes, Debiles aluntur curanturque: plusquam octingenti utriusque sexus Orphani & Expositij in eodem ab infantia & litteris imbuuntur, & varijs artibus pro cuiusque genio & indole diligenter ad ætatis usque maturitatem instituuntur. In reditibus habet XVII mill. Ducat. Alit Nutrices IↃCC pro exposititijs. Ex Virginibus, quæ plerumque CC, quotannis tres cum dote elocantur. Parochiæ sunt XL. Tribunalia sunt VI: *S. Paulli*, in quo levia debita expediuntur; *La* Parochiæ. Tribunalia, *Zecha*, ubi ea, quæ ad Mercaturam; *La Vicaria*, ubi Caussæ Iudiciariæ Civiles & Criminales tractantur; *Sammaria*, ubi de Patrimonio Regis; *Sacrosancta*, ubi Iurgia & Controversiæ deciduntur. Arces fortissimæ sunt hæ: *Castellum Novum* (*Ca-* Arces vel Castella, Novum, *stel-Novo*) in ipso Vrbis ingressu, forma quadrangulari, Lapide Tiburtino, fossa duplici, ab Karolo I Andegavensi, Rege Neapolitano, anno CIↃCCLXV ædificatum, ab Alphonso I instauratum, maximisque operibus ita septum, ut inter firmissimas Italiæ Arces habeatur. Aula ibi speciosissima, in qua quotannis Conventus Regni celebratur, & Prorex bis singulis septimanis sui facit copiam: Supplicationes, ut ea voce utar, & Querelas variorum suscipiens, Iudiciumque exercens. Iuxta est Turris, in qua conservantur Cæsaris localia, ut sic loquatur; *Sceptrum* aureum; *Ensis*, habens capulam & Vaginam auream, gemmis elaboratam; *Corona*, gemmis incredibilis magnitudinis rutilans: *Pomum Cæsareum*, vetustum: *Cappa Imperialis*; *Crux* aurea, *Poculum* magnum, Gemmis undique ornatum; *Poculum* minus, Smaragdis, Rubinis, Saphiris & Vnionibus decoratum; *Cæsaris* denique *Effigies*, ad vivum expressa. Magnus in hac Arce adparatus bellicus. Visuntur ibi aliquot ænea Tor- Capuanum, menta, Electori Saxoniæ Ioanni Friderico in pugna ad Witebergam erepta. *Capuanum* (*Castello Capuano* vel *Vetus*, ad portam, quæ Capuam emittit, situm; olim munitum satis: nunc Concilijs habendis, & Imperij Civitatisque negotijs attributum est. Armamentarium hic est, & inter alia Πανοπλία Regis Francisci ad Ticinum capti elegantissima. Custodiunt hanc Arcem ducenti Hispani. *Ovi* (*Castello dell' Ovi*) ab ovali dictum forma, modico extra vrbem spatio in Scopulo (Μέγαρ Ovi, Veteres appellabant, vel a Plantæ Silvestris nomine, vel ob loci atque situs conditionem difficilesque elapsus, quasi *captorum muscipulam*) Mari cinctum, ab Gulielmo III Normanno conditum, diuque *Normannicum* vocatum. Restauravit ornavitque Alphonsus I. Servatur ab Hispanis L. *Santemerense* (*Castello di S. Heremo*) ab Rober- Santmerense, to Rege in Rupe Mœnibus imminente, ante annos CCL locatum, superioribus annis ab Karolo V Imper mirifice Propugnaculis maximis communitum: Vrbi, ampliato Pomerio, ab Philippo Hispaniarum Rege iunctum. Vocatur etiam hoc Castrum *Briglia* quasi dicas *Frenum Equitis*. Karolus enim V Imperator ex Africa reversus, quum Neapolim ingressus videret plures equos absque Freno, non ignorans Symboli vim, consilium cepit ferocem & temerarium hunc Equum constringendi, ne aliquando domino posset reluctari. Cœpit itaque sub specie Domus voluptariæ & Tem- Moles Neapolitana, pli Castrum hoc exstruere, & Equum indomitum, hoc est Neapolitanos, iniecto freno, domare. Extra Muros australi parte *Moles* in Mari, opus arte summa factum spectatur: à Karolo II excitata sed ab Alphonso I maiorem in modum aucta, ad Portus tutelam: ex quo Misenus, Minervæque Promontorium, celebresque antiquitus Insulæ Capreæ, Ischia, & Prochyte sereno cœlo sunt conspicua. Sunt etiam *Neapoli* sumtuosissima Regis Equilia, in quibus generosi Equi, centum Equilia, numero, stabulantur, domantur, docenturque. Ex his quotannis XII Regi dono mittuntur. Inter Hortos, qui innumeri, principem obtinet locum, qui *Garciæ To-* Horti. *letani*; spatio peramplus, cultu singularis. Academiam habet *Neapolis* ab Frederico Academia, II Imp. Aug institutam: ad quam Studiosorum ex toto Regno magnus fit concursus. Imperator quum institueret, ut florentissimam redderet, decrevisse legitur non solum, Ne quis extra Regnum illud studiorum caussa proficisceretur; sed etiam, ne in trivialibus Regni Scholis maiores Disciplinæ traderentur. Restauravit Robertus Rex sapientissimus; & centum post annis nonnihil per bella collap- Bibliothecæ, sum Alphonsus Aragonum Rex. Sunt & Bibliothecæ aliquot: in quis primi loci D. Dominici. Servat Libros non paucos *Ioannis Pontani*, ab Eugenia Filia in Palatia, doctissimi Patris memoriam ibi dicatos. Inter Palatia magnatum primi fere loci, *Principis Salernitani*, quod Emtionis titulo Iesuitæ nunc habent; deinde *Sulmonensis*, Aedes Privatorum, *Toletani*, *Gravinensis*, *Castignani*. Sunt & privatioribus superba ædificia, in quis re-

liqua

liqua superant *Hadriani de Gulielmo*, *Caraphæ*, *Consalvi de Bernardo*, *Tiberii de Baccio*, *Cæsaris Carduini*.
Hospitia. Plateæ.
Hospitia porro vilia & incommoda. Plateas habet, tribus exceptis, quæ latæ & miræ longitudinis, majore ex parte strictas & angustas: olim silicibus, nunc lapide coctili stratas.
Artificum Regiones.
Fabri atque Artifices, qui vel strepitu vel sordibus molesti sunt, in extremis Vrbis partibus suas habent Regiones: reliquam Vrbis partem Nobiliores aliique Cives habent. Singulis propemodum Ædificiis Fontes sunt, scatentes copiosa saluberrimaque aqua. Manant ex Sebetho fluviolo, quem præter alios Vesevus provomit.
Mulieres.
Mulieres habet Neapolis deformes plurimum, sparso ore, magnis nasis.
Clari Viri.
Ortu hanc Vrbem suo nobilitarunt *Bonifacius* IX, ex nobili Tomacellorum Familia: *Ioannes* XXIII, ex illustri Cossarum Domo: item *Oliverius Carrafa*, *Vincentius Carrafa*, *Andreas Matthæus Palmerius*, *Marinus Caracciola*, *Antonius Sanseverinas*, *Ioannes Petrus Carrafa*, *Ioannes Vincentius Aquavivanus*, Cardinales: Omitto Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos. Fuit etiam Neapolitanus *Statius Papinius Poeta*, item *Sannazarius*.
Res gestæ.
Neapolitanos in fide & amicitia Populi Romani & Imperatorum constantissime quamdiu licuit, mansisse, ostendunt Livius lib. VIII, XX, XXIII & XXIV, Blondus, Sabellicus, & Collenutius. *Coloniam* eo deductam Vetusta loquuntur Epigrammata, apud Onuphrium. Inclinante Imperii Romani Majestate Vrbem primum ab *Gothis* subactam, & à *Belisario* receptam Procopius auctor est lib. 1. Hist. Goth. Postea sub *Longobardorum*; hisque pulsis, sub *Græcorum* & *Saracenorum* fuit potestate, usque ad *Normannorum* in Italiam adventum, ex quibus aliisque qui successerunt, qui nati Reges & Principes, pluribus commemoravi hujus capitis initio.
Antiquitates.
Extant antiquorum Aedificiorum priscæ Reliquiæ plures, Epitaphia, Statuæ, Cippi, Columnæ, Aræ, Marmora sculpturis artificiosis preciosa. Videndæ cum primis magnæ illæ quadrati Castorum Templi (cujus obiter antea memini) ruinæ, incendiis deformatæ. Conspicitur ibi Porticus VIII Columnarum, opere Corinthiaco. In Tympano figuræ sunt, partim integræ, partim fractæ: *Apollo* ad Tripodem. In angulis ad dextram jacet *Terra* cum Cornu Copiæ, velificante supra Caput Linteo: ad sinistram *Fluvius*, sub cujus Cubito vas aquam effundens, tenet Cannam manu: reliqua discerni nequeunt. Adscripta leguntur hæc:

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΤΑΡΣΟΣ ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ ΚΑΙ ΤΗΙ ΠΟΛΕΙ ΤΟΝ ΝΑΟΝ ΚΑΙ ΤΑ ΕΝ ΤΩΙ ΝΑΩΙ ΠΕΛΑΓΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ ΚΑΙ ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ ΣΥΝΤΕΛΕΣΑΣ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΚΑΘΙΕΡΩΣΕΝ

Ager.
Ager suburbicarius, Vicinique Colles amœnissimi sunt & jucundissimi: Frumenti, Vini, Variorum Fructuum, Herbarum, Florum, rerumque omnium, ad Hominum Animaliumque necessitatem, Voluptatem, delicias facientium feracissimi. In Agro circumquaque fertili, præsertim littoreo, videre est stupenda Principum Nobiliumque Prætoria: inter alia *Marchionis Vicensis* & *Bernardini Martirani*. Superbit autem præ aliis Palatium exstructum olim ab Rege Ferdinando Aragonio: quod vulgari voce *Pegrum* vocant Itali. Præterea Fontium Aediculas, Antra Nympharum, Piscinas, Porticus, Ambulacra, & id genus alia. Altero ab Neapoli lapide Via Puteolana, prope fauces perfossæ per Pausilypum Cryptæ, Monimentum fuisse *Virgilii*, scribit Servius. Locum nunc ostentant Adcolæ: monstrantque ex vicinis hortis S. Severini. Nec procul inde *Actii Synceri Sannazarii* Poetæ Domus visitur quæ ex testamento in Cœnobium abiit, Templumque D. Virgini dicatum. Est ibi marmoreum Sepulcrum, affabre sculptum. Hinc *Orpheus*, seu *Apollo*, illinc *Sibylla* sive *Musa*, ex marmore candente; cum hoc Petri Bembi Cardinalis Epigrammate;

Da sacro Cineri flores: hic ille Maroni
Syncerus *Musa proximus, ut Tumulo.*

Scriptores.
Historiam Regni scripsit *Pandulphus Collenutius*. Ipsam Vrbem delineant *Iovianus Pontanus* libro Histor. VI, & alii. Edidit quoque Libellum *Benedictus di Falco* Neapolitanus, patria lingua cum Titulo, *Descrittione de i Luoghi Antiqui di Napoli, & del suo amenissimo distretto.* Circumfertur & Libellus, cujus ante mentionem feci, sine Auctoris nomine, cum hac Inscriptione: *Nomi delle Provincie, Citta, Terre, è Castella del Regno di Napoli: De Vescovadi e Principi, Duchi, Marchesi, Conti, Baroni, e Signori,*

Signori, che vi sono: Delle Famiglie Nobili della Citta di Napoli, & di tutto il Regno.

Extra Vrbem ad Orientem mille circiter pass. a Mari fuit olim *Palæpolis*. Non procul Neapoli describit Livius libro VIII, utrumque Opidum inhabitatum ab una eademque Gente *Cumanis*; *Palæpolim* autem ab *Græcis* expugnatam, à *P.* vero *Palatio* cos. receptam, addens. Putat Ambrosius Leo libro I *Palæpolim* olim fuisse, ubi nunc *Turris Coppavellorum*, tribus Neapoli. P. M. Leander Albertus non procul abfuisse censet a *Poggio Regali*, nobilissimo Palatio, quod, ut antea dixi, Ferdinandus Aragonius, Primus Neapolis Rex, exstruxit: eo enim loci non pauca veterum Ædificiorum Vestigia hodieque superesse.

Inter Vesevum Montem & Anversam, de qua ante, sunt *Marilianum* & *Acerræ*. Quod *Marigliano* vernacule, *Marilianum* Latine scribentibus; *Marianum* vocare videtur Paullus Diaconus lib. II Langbardic.

Acerræ (quæ hactenus nomen retinent) Livio lib. XXIII, XXVII & alibi, Virgilio in Georg. Silio lib. VIII, aliisque; quæ Ἀχέῤῥαι Appiano lib. I bellor. Civilium Ἄχεῤῥαι Straboni. Ad Clanium Amnem, non longe ab Neapoli, situm notat ad Virgilium suum Servius: addens Clanium adsiduis Inundationibus *Agrum Acerranum* infestare solitum: unde & desertum opidum, ac potius infrequentem Pagum videri, quam Vrbem, ait Probus. Olim in Monte erant, nunc in plano; inquit ad eumdem Virgilium Pomponius Sabinus. *Colonia Romana* est Frontino. Plinius *Acerranos* in Prima locat Regione. Meminit eorum & Livius libro XXVII.

Ab Acerris P. M. IV abest *Suessula*, cujus meminit, præter Strabonem, Livius multis locis, præsertim libro VII, VIII & XXIII: item Itineraria Tabula. *Colonia* est apud Frontinum. Hodie *Sessula*, opidum pene nunc conlapsum. *Suessulanos* Plinio etiam noti.

Supra Convallem Taburni, quæ flumen Iselerum spectat, Castellum est, quod *Colle di Pace* vulgo: in Valle inter Montem & Amnem, ad dextram *Lunatula*: in Monte *Airola*, Comitatus titulo decorata.

Qua parte Montes, Tifata antiquis, Meridiem spectant, quædam sunt Opida in ipsis radicibus: in quis *Meronda*, & *Caserta*, Episcopatus dignitate clara, nobilibusque Familijs, quæ vernacule *d'Aloe*, *d'Amico*, *Cisoia*, *Clementi*, *de Guido*, *Migliaresi*, *Sasi*: & alijs. Sunt ibidem *Matalone* Opidum Comitatus titulo insignitum, cujus principatum possidet Gens Neapolitana *Caraffarum*, *Durattanum*, Ratanorum; *Argentum* Castellum, Stendardorum Peculium.

Hinc per amœnos Campos Neapolim incedenti *Sanctæ Agathæ Castellum* ab Gothis, ut perhibent, ædificatum, se offert. Juxta est *Marianum*, de quo paullo ante; infra *Argentum*; & ad medium Collis opidum *Camerli*; supraque *Forinum*.

In declivi Tifatarum descensu *Sarnum* est, opidum ab Amne Sarno denominatum.

Reditu ab Sarno in planitiem Vetus Vrbs *Nola*, Νῶλα, visitur, antiquis Scriptoribus, præcipue Livio multis locis, Plutarchoque in Vitis Marcelli & Hannibalis, celebrata. Locat Strabo in Campania, Plinius in Prima Regione, Ptolemæus in Picentinibus, in Samnitibus Livius libro XXIX. Conciliationis ratio ab vicinitate. Conditam tradit ab *Iapygys* Trogus; ab *Tirrhenis*, Solinus. De hac Vrbe sic canit Silius libro VIII:

> *Campo* Nola *sedet, crebris circumdata in Orbem*
> *Turribus, & celso facilem tutatur adiri*
> *Planitiem Vallo.*

De eadem sic Facius libro Historiarum V: *Abest Nola ab Neapoli non plus duodeviginti millibus passuum: Vrbs Antiqua, & Hannibalis cladibus celebris, & ad vexandos Neapolitanos perquam oportuna.* Quanta fuerit olim, qualique forma, conatur eruere Ambrosius Leo libro I, multa adscribens de ipsius Antiquitate, Publicisque Operibus. *Nolæ* Templum Augusto ab Tiberio Principe dedicatum, scribit Suetonius libro III cap. XL. Recenset inter *Colonias* Frontinus, *Augustæ* tribuens cognomen. *Amicam Romæ* dicit D. Paullinus in S. Felicis Natali Tertia. Memoriæ prodit Livius libro IX hanc Vrbem ab C. Livio cos. receptam; lib. vero XXIII ab Hannibale bis oppugnatam, sed ab Marcello liberatam. Vide & Auctorem de V V. Inlustr. cap. XLV. Narrat Suetonius Augustum ex Capreis adfecta valetudine *Nolam* delatum: ibique in eodem cubiculo, quo pater Octavius, obijsse. Videndus & Tacitus lib. I. *Sena-*

Palæpolis. Regio IV. Marilianum. Acerræ. Situs. Colonia. Suessula. Colonia. Collis Pacis. Lunatula. Airola. Meronda. Caserta. Matalone. Durattanum. Argentum. S. Agatha. Marianum. Argentum. Camerli. Forinum. Sarnum. Nola. Situs. Conditores. Situs. Quantitas & Forma. Publica Opera. Colonia. Res gestæ.

1. *Senatus Populique Nolanorum* mentionem faciunt Veteres Inscriptiones; quæ apud Onuphrium Panuinium:

L. RANIO. ACONTIO. L. F.	L. SICINIO L. F.
IVEL. OPTATO. VIR. CLAR	SER. VALENTI
COS. ORDIN. CVRATORI. REIP	PATRONO. MVNICIPI
NOLANORVM. CVR. PEC. P	CVRAT. REIP. NOLANORVM
XV. VIR. SACRIS. FACIVND. PATRONO	S. P. Q. NOLANORVM
R. P. III. VIRO. AD. AGR. DIVIDEN	D. D
X. VIRO. STLITIBVS. IVDICANDIS	
STAT. EX. ÆRE	
S. P. Q. NOLAN. D. D.	

[illegible]. Nobiles Familiæ. Episcopatus fulget dignitate; nobilibusque Familijs, quæ vulgo:

Albertini.	*Fontanarosa.*	*De Notariis.*
Baroni.	*Giudice.*	*De Pier-Giouanni.*
Cesarini.	*Griffi.*	*De Risi.*
Felecchia.	*Mastrilli.*	

[illegible]. Viros tulit multos cum doctrina, tum virtute bellica nobiles; quos enumerat libro III Ambrosius Leo, apud quem plura de hac Vrbe.

Turris Græca. Ad Littus reverto. P. M. ab Vrbe Neapolitana VIII, *Turris Græca* est, vulgo *Torre di Greco*, sic, ut nonnulli censent, dicta ab Conditore, qui nomine vel origine Græcus; vel quod Vinum Græcum ibi proveniat optimum: vocatur & *Turris Octava*, quod octavo ab Neapoli Lapide. Putant Viri docti, inter quos Ambrosius Leo, Sanfelicius, Leander, quomdam hic *Herculaneum* fuisse. Sic Sisennæ apud Nonium in *Fluviis*, Ciceroni, Plinio, Melæ dicitur, quod Ἡράκλειον nominatur Straboni libro V, & Halicarnass. libro I; ubi Nominis ratio indicatur. *Herelanium* vitiose est in Itineraria Tabula, *Herculanensis Fundi* mentio apud M. Tullium Epistola ad Pætum: *Herculaneum* tamen arbitrantur Blondus, Raffanus & Collenutius fuisse, ubi hodie millibus hinc octo *Torre di Nunciata*. *Turris* sane *Græca*, Castellum elegans, juxta quod Opidum *Stabias*, Monti aliquanto vicinius & ab Mari remotius, fuisse volunt Viri locorum illorum gnari. *Stabios* vocat Itineraria Tabula. Memoriam *Stabiarum* servati in *Castello Al[illegible] di Stabie* censet Leander Albertus. Meminit *Stabiarum* in Agro Cumano Ovidius lib. XV Metamorph. Celebrat *Stabias* Columella lib. X, ab Fontibus, quos ad Furcas Caudinas decurrere notat ad eundem Pomponius Fortunatus. Deletas ab L. Cornelio Sulla Bello Sociali, pridie Kalendas Mai, Cn. Pompeio & L. Porcio Catone coss. sensimque in Villas abiisse, auctor est Plinius. *Stabiensis Episcopus* in Libro Fisci Romani descriptus legitur. *Stabianum Littus* habet Seneca, libro VI Natur.

Pompeij. Vrbs. Vbi. Municipium. Colonia. Haud procul hinc *Pompeij* fuerunt: Sic Straboni, Plinio, Melæ Xiphilino, Itinerariæ Tabulæ, alijs nominatur; quod *Pompeium* Sallustio, Tacito, Senecæ. Solinus ita notat nominatos ab Hercule, quod Vi[illegible] or ex Hispania *Pompam Boum* eo duxisset. Haud procul ab Monte Vesevo ponit Plinius; prope Sarnum, Pomponius Fortunatus ad librum X Columellæ, Sarno adluit ait Strabo. Plinius *Municipium* facit: *Coloniam* fuisse colligi posse videtur ex Ciceronis pro Sulla. Item Cicero Legem Agrariam dissuadens, nullo modo ferendum ait, *Pompeios*, a[illegible] uberrimumque Pop. Ro. fundum, Decem-virorum Nundinationi permitti. Terræmotu subversum hoc opidum maiori ex parte temporibus Neronis, notat Tacitus libro XXV: obrutum autem cum Herculaneo cinere Vesevi Montis, Dio. Celebrat *Pompeiana Vina* Plinius libro XIIII. nat. Hist. cap. VI. *Pompeiano Populos* hinc habet Appianus lib. I Civil.

Pompeianum. Villa. Pompeianum. An non prope *Pompeios*, & ab iis dictum *Pompeianum*, Ciceronis Villa; cujus meminerunt cum Ipse non semel ad Atticum, tum Sallustius oratione in ipsum? Prope *S. Mariam Nunciatam* locant Blondus & Baptista Porta Neapolitanus: Ambrosius Leo *P[illegible]* hodie appellari opinatur. *Pompeianum Stabiis erat diremtum*, inquit Plinius lib. VI Epistolarum ad Tacitum suum.

sinu

sinu medio. An idem cum Pompeiano: ait Abrahamus Ortelius: *Pompeiam Paludem*, cujus mentio apud Columellam, ad Mare circa *Pompeianum* fuisse, scribit ad eumdem Auctorem Pomponius Fortunatus.

Veseri Montis, de quo supra, pedi adpositum est opidum *Summa* in Mediterraneis: à quo Mons ipse *Summanus*, vulgo *Monte di Summa*. *Summa.*

Rubos, quos canit Horatius libro 1. Sat. v *Campaniæ* etiam Opidum fuisse, notant Magni Viri. Videndus & Servius ad 1. Georgic. Virgilij, cui hinc *Rubea Virga*. Iam quid in Itineraria Tabula *Pons Campanus, Vrbana, Ad Nonum, Inumia, Oplunti, Icentie*, alijs quærendum relinquo. *Loca Incertio-ra, ut Rubi, Pons Campanus, &c.*

Solent cum Campanis explicari *Picentini*, quorum Ager, Pars quædam Campaniæ, *Principatus* nunc appellatur, testibus Collenutio & Leandro. Fines Gentis Strabo, Ptolemæus alij constituunt ad Occasum Campaniam; ad Septemtrionem, Hirpinos: qua Ortus est, Silarum Amnem & Lucaniam; qua Meridies, Tyrrhenum Mare: inter quos limites Regio concluditur latitudine P. M. XVI, longitudine XXX, ut auctor est Plinius. *Picentinos* à Piceno in hæc loca transductos, scribit Strabo; *Picentes* etiam nominans: ut & Pomponius Mela. Caput Gentis *Picentiam*, unde Nomen illi, fuisse tradit Plinius: quæ Πικεντία Straboni; Πίκεντον, Phlegonti apud Stephanum. Faciunt *Picentiæ* mentionem etiam Silius Italicus & Pomponius Mela. Hodie *Vicenza*, notantibus Leandro & Mazzella. Dividitur nunc hæc Regio, *Principatus* inquam, in *Citeriorem* & *Vlteriorem*; singulique, præter Principatus, Ducatus, Marchionatus, & Comitatus, de quibus in genere supra, sui etiam sunt Baronatus: *Citerioris* q. idem, *Picentini hodie Principatus. Fines. Quantitas. unde. Principatus duplex.*

Citerioris Baronatus;

Baroni di

Pimonte.	*Olivito.*	*Afano.*
Pasetano.	*Cornito.*	*Romagnano.*
Castello de Laureto.	*Rofigno.*	*Castello de Benati*
Pietre.	*Filetto.*	*Fenuchio.*
Acciaro.	*Campora.*	*Acquarelle.*
Mandia.	*Toracia.*	*Porcile.*
Turrecursare	*Trentinella.*	*Canicelso.*
Pertano.	*Casaletto.*	*S. Pietro.*
Laurino.	*Cugliano.*	*Santo Menuano.*
Pella.	*Cetrone.*	*Agropoli.*
S. Giorgio.	*Braigliano.*	*Palechia.*
Sicignano.	*Albanella.*	*Lancusiori.*
Santo Angelo Fasanelle.	*Casella.*	*Casale de centule.*
Castro Nuovo.	*Forte.*	*Casali de Capo Grasse.*
Casal Nuovo.	*Senerchia.*	*Casali de Prignani.*
Prisciotta.	*Santo Magro.*	*Castiello de Deastri.*
Schisato.	*Valva.*	

Vlterioris vero: *Vlterioris.*

Baroni de

Solofra.	*Castiello Franco.*	*Casale de Monte Rochette.*
Monte viridi.	*S. Marco di Cavoti.*	*S. Maria in Grisone.*
Castello de la Baronia.	*Toccanisio.*	*Coppalono.*
Cervinara.	*Villa Marina.*	*Sorbo.*
Bisavia.	*Pandarono.*	*Santo Giorgio de Monte Tusciano.*
Castiello Poto.	*Molinara.*	*Mirabella.*
Santo Magno.	*Paglio.*	*Santa Maria di Thoro.*
Fossaceca.	*Pono Albergo.*	*Monte Falcone.*
Cassano.	*Arpaiia.*	*Prata.*
Vallo Vitulano:	*Monti malo.*	*Chianetella.*
Monte Falcone.	*Santo Martino.*	*Santo Nicolao Monfreda.*
Sumonti Balzenara.	*Lacedonia.*	*Petruno.*
Rocha Balzenara.	*Guardia Lombarda.*	
Melito.	*Lapio.*	

Chianchetelle.	*Genestra de Monte Fuscolo.*	*Santo Barbato.*
Malecalzalis.	*Fortuo.*	*Mancusio.*
Carife.	*Tufo.*	*Porcarino.*
Frangito de Monteforte.	*Castro de Franchi.*	

Castellum Almarinum Stabiense. Quæ *Picentinorum* Specialiora, jam nunc videamus.

Ostium Sarni transgressus post duo millia *Castellum Almarinum* est, *Stabiense* cognominatum, vulgo *Castel al Mare di Stabie*: quod propinquo loco *Stabiæ* fuerint, ut ante dictum, ad differentiam alterius *Almarini Vulturniensium.* *Situs.* Situm est in angulo Gauri Montis, ubi in Occasum ille vergere incipit, Minervæ Promontorium efficiens.

Nuceria. A litore tum introrsum in Mediterraneis *Nuceria* Civitas est, ab Mari P. M. IX; ab Sarno, IV. Nota Straboni, Appiano lib. I, II. IV de Bello Civili, Ptolemæo (quibus *Νουκερία*) Tacito lib. XIII, L. Floro de Bello Spartaco, Procopio lib. III. de Bello Gothico, Silio libro VIII, Antonino, itinerariæ Tabulæ, & alijs. Hodie *Nuceria*, vel *Nocera dei Pagani*, de quo Cognomine Volaterranus lib. VI Commentar. Vrbanor. *Colonia. Episcopatus. Ager.* Cicero ad Atticum non semel *Luceriam* videtur appellare. *Coloniam Romanam* notat Livius libro XXVII. Episcopatus floret titulo. Memorat *Nucerinos* aliquoties Livius, præcipue libro XXII & XXVII: *Nucerini* autem *Agri* præstantiam Cicero, Legem dissuadens Agrariam. Est sane vberrimus, amœnissimis Pagis refertissimus. *Nobiles Familiæ.* Nobiles *Nuceriæ* hæ Familiæ,

Castaldi.	*Marini.*	*Di Rinaldo.*
Lamberti.	*Pagani.*	*Vergari* & aliæ.
Magliani.		

Intermontium. Supra Nuceriam Montes sunt; inter quos *Intermontium* Castellum, vulgo *Tramonte*, sic ab situ dictum.

San-Severinum. Læva tum propinqua in Convalle ad Collis latus haud procul opidum est *San-Severinum*, unde Nobilissimæ San-Severinatium Familiæ Origo. Archiepiscopatus gaudet dignitate. Nobiles ibi:

Abbatessa.	*Pescara.*	*Sarno.*
Antinori.	*Prignano.*	*Villani.*
Capasino.	*San-Barbato.*	

Castellum Aquæ Malorum. Cava Vall. Amœna jucundaque hic Vallis, Vino, quod *San-Severinate*, nobilis: in cujus fine *Castellum* est *Aquæ Malorum*, vulgo *Castello dell' Acqua della Mella.* Illustravit Ortu suo *Iacobus*, Ordinis Prædicatorum Monachus: qui temporibus Eugenij IV P. M. in Concilio Florentino cum Græcis dimicavit.

Cava. Episcopatus. Monasterium Cavense. Nobiles Familiæ. Dextra in Monte, supra Convallem *Cava* est, Civitas Episcopalis: sic ab situ dicta. Iuxta visitur antiquum divesque Cœnobium, Civitati cognomine; cujus mentio in Canonibus. Lintea *Cavæ* texta valde solent commendari; ipsique etiam *Cavenses* Architectura. Nobiles ibi Familiæ:

Anna.	*Ponzi.*	*Rocchi.*
De Curtis.	*Lamberti.*	*Tossone.*
Longhi.		

Grinianum. Nobiles Familiæ. Letteranum. Ad Littus redeo. Relictis obiter *Griniano* & *Letterano* Opidulis *Surrentum* videamus: positis primum Nobilibus, quæ *Griniani*, Familijs:

Amiato.	*Marchesi.*	*Miri.*
Auria.	*Marino.*	*Rimini.*
Baroni.	*Medici.*	*Sicardi.*
Comparato.		

Surrentum

Surrentum. Conditores, Quantitas, Colonia, Opificia.

Surrentum vocant Tacitus libro IV, Plinius, Mela, Silius libro VIII, Itineraria Tabula, alijque: quod Συρεντον, simplici R, Ptolemæus. Nomen retinet. Ab Græcis conditam ait Higinus. Non, cujus olim, amplitudinis esse, monstrant Veterum Ædificiorum hic ibi rudera. *Colonus* adnumerat Liber Coloniarum. *Calicum* nobilitate *Surrentum* celebrari solitum, docet Plinius lib. XXXV. Nat. Histor. Hinc Martialis:

> *Accipe non vili Calices de pulvere natos,*
> *Sed* Surrentinæ *leve toreuma rotæ,*

Archiepiscopatus. Nobiles Familiæ.

Archiepiscopatus hodie Sedes. Nobiles habet Familias, quæ vulgo:

Acziapazi.	*Domini Marte.*	*Orefice.*
Accio.	*Espito.*	*Pellegrini.*
Amoni.	*Falanghi.*	*Della Porta.*
Ansora.	*Fiori.*	*Romani.*
Borsò.	*Guardati.*	*Rota.*
Branzi.	*Marzati.*	*Sersali.*
Capeci.	*Mastro giudici.*	*Spasiani.*
Cortesi.	*Mulignani.*	*Tracci.*
Curiali.	*Nobilione.*	*Viso.*
		Vulcani, & aliæ.

Clari Viri. Ager.

Nobilitavit hoc Opidum *Crassitius*, Libertinæ conditionis, cognomine *Pasides*, qui Romæ Grammaticam docuit, teste Suetonio. Ager uberrimus Vitibus, Citris, alijsque Arboribus. *Vina Surrentina*, propter tenuitatem & salubritatem, celebrant, præter Strabonem & Martialem, Plinius libro IIII cap. VI, & libro XXIII cap. I. *Lenia* vocat Persius Satyra III. *Surrentinos Colles* nominat Columella; *Surrentinum Promontorium* Tacitus libro IV.

Massa. Ager.

Ab Surrento M. P. novi nominis Opidum est *Massa*; cujus Ager Vino, quod *Massicanum* dicitur, idem cum Surrentino, abundat.

Vicus. Episcopatus. *Rivellum.*

Sequitur *Vicus*, exiguum Opidum; sic dictum, quod Vicus prius fuerit non ignobilis. Et *Vico* & *Massa*, licet obscurioribus, Episcopi tamen sunt sui, Archiepiscopo Surrentino suffraganei.

Offert se mox *Rivellum*; novum Opidum, sed Ædificiorum splendore & Episcopatu præsigne: multisque superbiens Nobilibus Familijs, quæ vernacule:

Aconzagiaco.	*Frezza.*	*Pirenta.*
Appenditane.	*Fusca.*	*Roga Dio.*
Bove.	*Grizona.*	*Ruffola.*
Castalda.	*Marra.*	*Rustica.*
Campanile.	*Muscetolla.*	*Storbagioco.*
Confaloni.	*Oseria.*	*Della Vitte.*
Fogia.	*Pepone.*	

Minor. Maior.

In Littore, sub montibus, Ciuitates sunt duæ: cum Ædium magnificentia, tum Agrorum amœnitate nobiles: *Major* & *Minor* dictæ.

Amalphis. Civium industria. Archiepiscopatus. Nobiles Familiæ. *Vicus Veterum.*

Mox circa medium ferme hujus Oræ, juxta littus, *Amalphis* jacet; Vrbs lautissima: à qua circumjecti Tractus, quem Leander curiose delineat, appellatio fluxit. *Malsitanum Opidum* est apud Volaterranum, qui putat Plinij *Asellanos* esse. Ego secus sentio. *Asellani* enim Plinio Hirpinorum Populi, ad Mare Hadriaticum. adeo ut etiam non possint esse *Melphis* Incolæ in Lucania, ut quidam putant. De *Amalphi* Blondus libro Historiarum XV. *Amalphitanos* quondam magnos fuisse Negociatores, testantur multa Siciliæ Loca, in quis suas habuerunt Ædes, propriasque Apothecas, & Mercium Promptuaria. *Ioannem Goiam*, Civem *Amalphitanum*, *Magnetis* usum, nauigantibus pernecessarium, reperisse circa annum CIↃ CCC perhibent. Archiepiscopatus superbit dignitate. *Amalphitanæ Ecclesiæ* meminit Gratianus Decret. II Caus. XXXV. Cives Ossa D. Andreæ se servare adfirmant. Nobiles ibi familiæ *D'Afflitto* & *Dello Riccio*.

Amalphi Salernum per Continentem incedenti *Vicus Veterum* occurrit vel *Vetus Vrbs*, ubi plurimæ passim Villæ, cum lautissimæ, tum amœnissimæ.

Salernum. Colonia. Principatus, Archiepiscopatus, Academia. Templum. Clari Viri. Familiæ Nobiles.

Succedit antiqua Civitas *Salernum*, Veteribus celebratum Scriptoribus Plinio, Lucano lib. II, Silio libro VIII, Itinerariæ Tabulæ, alijs. Σάλερνον Straboni & Ptolomæo: *Salernus* Paullo Diacono libro II de Gest. Langbardor. cap. XVII. *Coloniis* concensent Livius libro XXXIV, Paterculus: Frontinus. Vrbs & Principatus & Archiepiscopatus Titulum sustinet. Academiam habet, quæ consulta aliquando ab Anglorum Rege de Conservanda valitudine, Consilium, quod exstat Typis excusum, transmisit. In ea superioribus annis docuit *Augustinus Niphus*, celebris Philosophus: Iurisprudentiam ibi professus est *Robertus Moranta*, Speculi Aurei auctor. Nunc temporis injuria & aliarum Academiarum, quæ vicinæ sunt, splendore valde est obscurata. Primarium Templum D. Matthæo dicatum, cujus ibi corpus servari fertur. Nobilitarunt Patriam *Salernam*, præter alios, *Iacobus Solimenius* Medicus, cum *Antonio* Filio: *Bartholemæus Salvanius*, Pandectarum Medicinalium Auctor, alijque multi. Familiæ Nobiles hic non paucæ, quas in vulgato Libello sic lego conceptas:

Nel Seggio di Porta Ritesa.

D'Atello.	*Di Musco*, alias *Gnifoli.*	*Di Rugiero.*
Capani.	*Della Pagliara.*	*De Rasica.*
Coppoli.	*Panteliani.*	*Stilato.*
Curiali.	*Del Pezzo.*	*Salernitani.*
Guarna.	*Della Porta.*	*Vivaldi.*
Manganari.	*Prignani.*	

Nel Seggio del Campo:

Castellonico.	*Guardati.*	*Solimele.*
Cavaselice.	*Di Ruggio.*	*Spitilli.*
Granito.	*Sciabiga.*	*Trentacapilli.*
Grilli.		

Nel Seggio di Porta Nova.

Aversani.	*Comiti.*	*Del Giudice.*
Capogrossi.	*Grilli.*	*Longhi.*
Mazza.	*Pinti.*	*Scattaretici.*
Di Mora.	*Protogjudici.*	*De Vicarijs.*
Pagani.	*Santo Mango.*	

Ager. Ager infinitis Pomorum variorumque Fructuum generibus, quæ recenset Leander Albertus, abundat.

Ebolum. Ab Salerno per amœnam Planitiem decem millia emenso offert se *Ebolum*, haud procul Amne Silaro opulentum Opidum Reperitur in Geographia Ptolemaica Bernardi Silvani. Sed Glossema esse loquuntur melioris Fidei editiones, ab ipso celebrandæ Patriæ, adjectum.

Itinera aliquot Campaniæ. Anteaquam *Campania* excedam, adscribam ex Antonino Itinera Tria: quorum Priora ad eam solam pertinent; Postremum cum alio mistum ducitur ex Latio per eam in Lucaniam.

I

	Antoninus:	Itineraria Tabula.		Vulgata Nomencl.
Latii,	*Iter à Tarracina Neapolim* M.P. LXXXVII *sic:*	*Terracina,*	XIII.	
		Fundis,	.....	*Fondi.*
		FormIs,	VIIII.	
		Menturnis.	VIIII.	*Trajetto.*
Campaniæ,	*Sinuessam,* M.P.XXIIII	*Sinuessa,*	VII.	*Rocha di Monte Dragone.*
		Safo Fl.	XII.	
		Vulturno,	XII.	*Castello al Mar di Boterno.*
	Liternum, M.P.XXIIII.	*Literno,*	VI.	Vbi nunc *Torre del Patria.*
	Cumas, M.P.VI.	*Cumas,*	....	Periere.
	Puteolos, M.P. III	*Puteolis,*	....	*PozZuolo.*
	Neapolim, M.P.X.	*Neapoli,*	....	*Napoli.*

II

	Antoninus:	Itineraria Tabula:		Vulgat. Nomencl.
Campaniæ,	*A Literno Misenam,* M.P.XII *sic:*			
	Cumas, M.P.VI.	Literno *Cumas,*	III	Periere.
	Baias, M.P.III	Desiderantur reliqua.		Vestigia supersunt.
	Misenum, M.P.III			*Monte Miseno.*

III

Iter, quod ducit ab Vrbe, Appia Via, ad Columnam, inter alia sic habet:

	Antoninus:	Itineraria Tabula.		Vulgata Nomenclat.
Campaniæ,		*Menturnis,*	VIIII.	
	Minturis Sinuessam, M.P.IX.	*Sinuessa*	.....	*Rocha di Monte Dragone.*
		Ad Ponte Campano,	III vitiose.	....
				..
		Ad Nonum,	VI	....
		Casilino,	III.	*Castelluzzo.*
	Capuam, M.P.XXVI.	*Capua,*	VIII.	*Casali de Capua.*
		Suessula,	VIIII.	*Sessulla.*
	Nolam, M.P.XXI.	*Nola,*	V.	*Nola.*
		Ad Teglanum,	VIIII.	....
	Nuceriam, M.P.XVI.	*Nuceria.*		*Nuceria dei Pagani.*
	In medio Falerno ad Tanarum, M.P.XXV.	... .		....

De hac *Mansione* vide Conjecturam Hieronymi Suritæ, qui doctum & elaboratum scripsit Commentarium ad Antonini Itinerarium.

Tria, quæ ex eadem Campania ducunt in Samnites, alibi videbimus. Non prætermittenda hic Inscriptio: quæ, uti ab Exscriptore Celso Cittadino Angelerio habere se dicit Abrahamus Ortelius, exstat in Agro Atinati, inserta parieti cuiusdam Cauponæ, vulgo *L'Hosteria*; vel, ut Regnicolis appellatur, *La Taverna della Polla*, ab Opido *Polla*, ibi proximo juxta quam exijt specu subterraneo Fluvius Tanager, vulgo

Inscriptio. distantias & censens inter nobilia aliquot Opida.

ger, vulgo

aliique Scriptores. Quales ipsorum mores fuerint, docet Iustinus ex Trogi libro XXIII his verbis: *Lucani iisdem legibus Liberos suos, quibus & Spartani instituere soliti erant: quippe ab initio pubertatis in silvis inter Pastores habebantur, sine ministerio servili, sine veste, quam induerent, vel cui incubarent, ut a primis annis duritiæ parsimoniæque sine ullo usu Vrbis adsuescerent. Cibus his præda venatica, potus Mellis & Lactis & Fontium liquor erat. sic ad labores bellicos indurabantur*: & quæ sequuntur. *Lucani* Scuta sua è Vimine faciebant, corioque tegebant, Salustio teste. Plinius *Lucanorum Coloros* nominat *Atinates, Bantinos, Eburinos, Grumentinos, Potentinos, Sontinos, Sirinos, Tergilanos, Vrsentinos, Volcentanos, Numestranos.* De *Atinatibus, Grumentinis, Potentinis, Vrsentinis* infra. *Eburinorum, Sontinorum, Sirinorum, Tergilanorum*, Scriptorum nullus præter Plinium facit mentionem. Qui *Bantini* Plinio, Stephano fortean Βαντιανοί) ab Opido, quod eidem Βαντεια. *Bantines Saltus* habet Horatius. De *Volcentanis* ita scribit ad V. C. L. Abrahamum Ortelium Roma Celsus Cittadinus Anglerius: *Non sine ratione adducor Plinii textum hoc in loco sicut & in aliis pluribus, corruptum esse; & pro Volcentanis, Volcetani scribendum esse, ut in Antiquis Inscriptionibus, nisi forte ævo Plinii a Volceio Volcentani fiebant; temporibus autem inferioribus Volceiani. Volcentes* vel *Vulscientes*, quos Livius lib. XXVII cum Hirpinis & Lucanis numerat, eosdem cum *Volcentanis* vel *Volceianis* arbitrantur Viri docti. Vide quæ infra dicam de *Volceio* opido. *Numestrani* vel *Numistrani* ab Opido, quod *Numistro* apud Livium libro XXVII & Frontinum libro II cap. II; Νεμισρον Ptolemæo *Numistra* putatur nonnullis. Addit Plinius lib. III cap. XI: *Præterea interisse Thebanas Lucanas Cato auctor est: & Pandosiam Lucanorum Vrbem fuisse Theopompus, in qua Alexander Epirotes occubuit.*

Hæc generatim de *Lucanis*: speciatim quæ ad eos persequar, orsus ab Silaro, ubi est Occidentalissima.

In Silari Faucibus Locus visitur, ubi olim *Iunonis Argivæ Templum*: uti Strabo refert, ab Iasone conditum. Plinius in Picentibus id locat, fortean propter vicinitatem. Iunonis Argivæ Templum.

Hinc L Stadiis antiquis Temporibus fuit *Pæstum*. Sic Latinis dicitur (*Pestus* nominatur Paullo Diacono lib. II. Langobardic. cap. XVII) quæ Græcis Ποσειδωνία, ut notat Plinius. Emendandus hic Agellius lib. XIIII cap. VI, ubi agit de immutatis Vrbium Regionumque Vocabulis: *quod*, inquit inter alia, *Sesson* Ποσειδώνιον: legendum *Pæston* vel *Pæstum*. *Pæsti* meminit multis locis Livius, præcipue libro VIII, XXVI, XXVII. De eo Virgilius lib. IIII Georg. Pæstum vel Posidonia.

——————— *Biferique Rosaria* Pæsti.

Ad quem locum Servius *Pæstum* Calabriæ facit Civitatem, ubi bis quotannis Rosæ generantur. *Lucaniam* enim *Calabriæ*, universim sumptæ, Magni Viri concenſent. Maritima *Lucaniæ* Vrbs est Philargyrio. Strabo conditam Ποσειδωνιάτας tradit in littore ab *Sybaritis*; Solinus ab *Doriensibus*. Inter *Colonias* est Livio lib. XXVII & Paterculo lib. I. Incolæ *Pæstani* Livio lib. XXVI & aliis; vel *Posidoniatæ* eidem Livio lib. XV. *Pæstanum* fuisse *Parmenidem*, qui Olympiade XCII vicit, docent Halicarnass. lib. IX & Diodorus Siculus lib. XI. A Pæsto *Pæstanæ Valles*, Solino; *Pæstanus Sinus* Plinio, aliis *Posidoniates*, qui hodie *Golfo Acropolitano* apud Leandrum, *di Salerno* apud Ananientem & Mazzellam, ab Opidis vicinis; de quorum Priore mox dicendum, de Posteriore ante dictum. *Pæstanæ Rosæ* leguntur apud Ovidium de Arte Amandi: unde & *Bifera Rosaria Pæsti* apud Virgilium, ut supra memini; & *Odorati Rosaria Pæsti* apud Propertium. Hoc Opidum *Acropoli* Pontano censetur; *Gripoli* Nigro: Nomen retinet apud Leandrum *Pesidonia* certe nunc tota propemodum exstincta jacet, vestigiaque tantum quibusdam partibus supersunt, cum Mœniorum, tum Antiquorum Ædificiorum; uti adfirmant mihi, qui iis in locis diu versati. Situs, Conditores, Colonia, Incolæ, Clari Viri, Valles, Sinus, Rosæ, Hodie quale Opidum.

In Littore porro post sex millia Opidum est *Acropolis*, ab Silari ostio M. XII. Aere gaudet præstantissimo. Originis esse Græcæ, ut hoc tractu pleraque; ipsum indicat Nomen. Acropolis

Deinde quarto Lapide *Castellum Abbatis* est, *Castello de l'Abbate*: hinc octavo *Turris Marina Bruccana*, *Torre di Mare di Brucca*. Sunt qui putant *Veliam*, antiquum Opidum, hoc loco fuisse. Strabo loquens lib. VI de Sinu, qui post Posidoniatem: ἐν ᾧ, inquit, πόλις, ἣν οἱ μὲν κτίσαντες Φωκαιεῖς Ὑέλην; οἱ δὲ Ἔλην ἀπὸ κρήνης τινός; οἱ Castellum Abbatis, Turris Marina Bruccana, Velia.

Vlterius in Collium flexu non procul a Mari Vrbs est *Capacia*, olim frequens admodum, & opulenta, Ducatus Episcopatusque (qui *Caputaquensis*) titulo insignis sed hac tempestate propemodum deserta, propter Adluviones.

Capacia. Ducatus Episcopatus.

Ab Sanct-Arsenio M. P. ad pedem Collis *San-Petrium* est, *S. Pietro*, inde *San-Rufum*, *S. Ruffo*: hinc quaternis millibus in Apennini Colle, *Dianium*, *Diano*, est, Opidum dives & nobile; à quo Valli, quam dixi, universæ nomen.

San Petrium. San Rufum. Dianium.

Duobus Diano milliaribus *Castellum S. Iacobi* est, *S. Giacopo*; hinc uno *Sa tianum*.

Castellum S. Iacobi. Satianum.

Vlterius *Bon habitaculum* est, *Buon-Habitaclo*, in dextra Vallis Dianiæ postremum.

Bon habitaculum.

Ad ejusdem Vallis lævam, si à Pola Septemtriones versus declines, ad millia XIIX, inter Montes *Potentia* reperitur, *Potenza* vulgo, hac parte Lucaniæ Finis. Meminerunt Ptolemæus (cui Ποτεντία) Antoninus, & Itineraria Tabula. *Potentinos* item habent Plinius lib. III cap. V.

Potentia.

In Vallem Dianam redeunti, sinistra secundum Colles, quatuor Pola miliaribus *Atenum* adparet; cujus Incolæ *Atinates* Plinio lib. III cap. XI: inde totidem *Gala*, Salernitani Principis Castellum: hinc rursus eodem spatio *Padula* Opidum, Marchionatus inclutum dignitate.

Atenum. Sala. Padula.

Sequitur mox spatio quatuor item milliar. *Montesanum*, ubi Vallis coartari incipit, usque ad finem decrescens.

Montesanum.

Postremum eodem intervallo *Casale Novum* est, *Casal Nuovo*.

Casale Novum.

Silva Peregrinali peragrata, Itinereque octo miliarum per præcelsos & difficiles *Lucaniæ* Montes, Antiquis celebratissimos, facto, offert sese *Lacus Niger*, *Lago Nigro* opidum: cujus ad dextram *Turturellæ*: & Mare versus *Laurinum*: postea *Iota*, *Giogia*, *Nota*que.

Lacus Niger. Turturella. Laurinum. Iota. Nota.

Ad Lacum Nigrum Itinere inter Montes tendenti, quatuor ab Mari P. M. *Cuccarum*, dein *Rifranum* & *Casellæ* se dant in conspectum.

Cuccarum. Rifranum. Casella.

Ad ejusdem Lacus Nigri dextram, inter Iuga *Saponaria* Castellum est, ubi *Gruementum* quondam fuisse magni censent Viri. *Grumenti* meminerunt Livius, Florus, Macrobius, Plinius lib. XIIII, ubi de Vinis Italiæ, Antoninus, Itineraria Tabula, aliij. Γρούμεντον Appiano, Ptolemæo, alijsque Græcis: Δρούμεντον passim apud Strabonem scribi notavit V. CL. Isaacus Causabonus; quemadmodum etiam apud Senecam lib. III. de Beneficijs. *Grumentini* Plinio noti.

Saponaria. olim Grumentum.

Juxta hæc deinde *Mons Morus* est & *San-Clericum*.

Mons Morus. San Clericum.

Hinc ab Lacu Nigro quatuor milliar per horridos Montes emenso *Rivellum* occurrit: inde *Luria*; ad cujus dextram est *Trechina*; infraque inter Montes, Mare versus uno fere milliar *Marathia*.

Rivellum. Luria. Trechina. Marathia.

Ad Luriæ lævam *Latronicum*, cum *Claro-Montio*, cernitur.

Latronicum. Claromontium.

Eosdem inter Montes *Lusillum* est, à quo *Silva Lusilina*.

Lusillum.

Sequitur *Lainum* Opidum cum Suburbijs, quæ ab ipso opido, Lucanosque à Brutiis dividit *Sapris* Fluvius, antiquis *Laus*, de quo alibi. *Lainum*, *Laus* Plinio, Λάος Herodoto & Apollodoro apud Stephanum, cui τὸ ἐθνικὸν Λαΐνος: Λᾶος Straboni lib. VI πόλις ἐσχάτη τῶν Λευκανίδων, *Lucanicarum ultima*.

Lainum.

Ad *Lucaniam* pertinet Pars Itineris, quod Antoninus Mediolano ducit ad Columnam, id est Traiectum Siciliæ; Portioque Alius, quod ab Vrbe Appia Via recto itinere ad eamdem tendit Columnam. De ijs alibi. Nominantur præter *Polentiam* & *Grumentum*, de quibus ante, in Priore quidem *Acidij*, *Semuncla* (pro quo *Semunda* legit Sigonius) *Nerulum* (quod Livius etiam libro IX notat ab Æmilio Cos. captum: *Nerulos* vocat Itineraria Tabula, unde *Nerulonensis Mensarius* apud Suetonium in Augusto cap. IV. Celsus Cittadinus, scribens ad Ortelium, id esse censet, quod hodie *Lagonero*, in Via Aquilia, quæ à Capua ad Rhegium tendebat) & *Summuranum*, *Castrovillari* nunc, ut idem putat Cittadinus, & Scipio Mazzella: In Posteriore autem *Marcelliana* (parum ultra Atinam, uti idem Celsus arbitratur) & *Cæsariana*.

Acidij. Semuncla. Nerulum. Summuranum. Marcelliana. Cæsariana.

Non procul Summurano *Syphei* Opidi, cujus meminit Livius libro XXX vestigia conspici Gabriel Barrius Franciscanus Calaber confirmat: & ex ejus ruinis *Summuranum* Opidum constructum conijcit; idque Sybarim Fluvium præterfluere.

Sypheum.

CAPVT

CAPVT. XXVII.

Bruttij.

CALABRIA.

HÆC de *Lucania*: sequitur CALABRIA; eaque duplex, *Inferior*, quæ BRVTIORVM olim Sedes, hodie proprie *Calabria Inferior*: quum *Magna Græcia* sit *Superior*. *Calabria* ab *Calabris*; quos Magnæ Græciæ partem Salentinis adhærentem ad Ionium Aequor circa Iapygium Promontorium tenuisse, ex Ptolemæo est manifestum. Quin & Plinius, Ptolemæus & Solinus auctores sunt *Calabriam* Græcis *Messapiam* ab eorum Duce vocatam. Ex quibus paret, *Calabriam* quoque Partem esse Italiæ circa Iapygium Promontorium. Dauniorum, Iapygũ & Salentinorum Regiones sub *Calabrorum* nomine contineri scribit Tzetza Chiliade I num. 27. Divinant quidam Appellationem factam ἀπὸ τοῦ καλῶς καὶ ῥέω vel βρύθω, quasi Regio omnibus rebus adfluens & abundans. Fert enim utraque *Calabria*, ubertate quadam felicitateque stupenda, quidquid Vitæ ex voto transigendæ, delicijsque fruendis necessarium: Triticum Hordeum, aliaque Frumenti genera; Vinum varium, Oleum, Saccarum, Manna, Mel, Ceram, Sal nativum Factitiumque, Ficus, Poma Medica & Citria, Limones, aliosque Fructus nobilissimos: item Aurum, Argentum, Lanam, Gossipium, Crocum, Sericum, Linum, & quid non? Flumina passim oportuna, Fontes gratissimi, calidarum Aquarum Scaturigines, Pascua florentissima, Montes frugiferi, pingues Colles, densa Nemora, Valles fœcundissimæ: ingens Populi ubique frequentia. Meminerunt *Calabriæ* Inscriptiones Veteres: inter quas, quæ Neapoli his verbis concepta:

unde,

Qualitas,

M. BASSÆO. M. F
PAL. AXIO
PATR. COL. CVR. R. P
IIII VIR. MVNIC. PROC. AVG
VIÆ. OST. ET. CAMP. TRIB. MIL. LEG
XIII GEM. PROC. CALABR
OMNIB. HONORIB. CAPVÆ. FVNC.
PATR. COL. LVPIENSIVM. PATR
MVNICIP. HYDRENTINORVM. &C.

Sic, quæ sub ipsa Præneste, in Via publica, qua Albam itur:

T. FLAVIO. T. F. GERMANO

& paullo post:

PROC. AD. ALIMENTA. BRVTI. CALABR. ET. APVLIÆ &C.

Incolæ Veteres, Bruttij.

Calabriæ huius inferiora versus Mare Mediterraneum tenent *Bruttij*: quibus unde nomen impositum, variant Veteres Auctores. Strabo lib. VI alijque sic dictos putant ab Lucanis, qui *Bruttios* sua lingua vocabant *Apostatas*, *Rebelles* & *Fugitivos*. Lucanorum enim Pastores & Servi, rebus tempore Dionysij turbatis, ab ijs defecerant; & aufugientes sese pro liberis gerere cœperant. Iustinus ex Trogi libro XXIII à *Bruttia* Muliere quadam, cujus proditione quum ab hostibus peterentur, Castellum quoddam expugnarant, eos dirivat. Regnum fuisse vult Paullus Diaconus lib. II Langbardic. cap. XVII. Stephanus à *Bretto* Herculis Filio censet dictos. Alij sic appellatos arbitrantur à *Bruto Vmbro*. Βρέττιοι nominantur Ptolemæo: *Bruttij* non semel vocantur in Codice Theodosiano: *Brettij* leguntur in Numismatibus: Βρέττιοι Aristophani: Βρεττίοι sunt apud Dionysium Afrum, & ipsius commentatorem Eustathium, Diodorum item libro XVI. *Bruttates* apud Sex. Pompeium Festum.

unde dicti,

stum. Βρεττανία ipsa nominatur Regio apud Polybium lib. XI. Βρεττία Straboni lib. VI. *Siciliam* vocari à Stephano, Theocriti Scholiaste, àlijsque inde paret, quod Fluvios Opidaque non pauca in hoc Tractu *Sicilia* adscribant. Hodie etiam in Titulis Regum Hispaniæ *Sicilia cis Pharum* appellatur ad differentiam *Insulæ*, quæ *ultra Pharum*. Olim *Bruttiorum* fines inter Laum & Fretum Siculum fuerunt, Stadiorum CIↃCCCL, inquit Strabo. Ptolemæus Recentioresque signant *Bruttiorum* regionem ab Amne Lao, qui ipsis ad Occidentem, per Tyrrheni Maris oram, quæ Austro obiacet ad Fretum Siculum: qua Oriens est, parte Maris Adriatici; qua denique Septemtrio, Magna Græcia & Amne Crathi clauditur. *Bruttios Saltus* habet Seneca de Tranquillitate Vitæ: *Bruttia Saxa* Persio Satyra VI dicuntur Scopuli *Bruttijs* Italiæ Populis Lucanisque proximi. *Bruttianæ Parmæ* Festo, quibus *Bruttij* sunt usi. *Bruttia Vada*, id est *Mare Bruttium* Senecæ in Hercule Oetæo Choro Actus II. *Bruttia Pix* meminit Dioscorides: eam Plinius ad Vasa Vino condendo maxime probari adfirmat. Res à *Bruttijs* gestas commemorat præter alios Romanarum Rerum Scriptores, Livius plurimis in locis; cum primis lib. XII, XIII, XV, XXIV, XXIX. Meminerunt & *Bruttiorum* Silius lib. XI, alijque Auctores. Huc pertinent illa Paulli Diaconi ex Festi lib. II: *Bruttiani dicebantur, qui officia servilia Magistratibus præstabant: eo quod hi primum se Hannibali tradiderant, & cum eo perseveraverunt usque dum recederet de Italia.* Vide & Agellium lib. X. cap. III, Iustum Lipsium ad lib. II Annalium Taciti, & lib. I. Elector. cap. XXII, Petrum Crinitum lib. II. de honesta Disciplina cap. VII, & alios. *Bruttates Bilingues* Ennio Poetæ apud Festum, quod *Brutij* & *Osce* & *Græce* loqui essent soliti.

Fines.

Res gestæ.

De *Calabriæ* Natura, Situ dotibus peculiaribus, & Antiquitatibus scripserunt Gabriel Barrius & Antonius Galatæus. *Bruttiorum* etiam *Terram* seu *Calabriam* celebravit eleganti Encomio Franchinus Consentinus.

Ad *Calabriam*, vel, si cui magis id placet, Apulias referendi sunt, quos nominat Plinius, alijs nullam eorum mentionem facientibus, *Egetinos* (qui in vulgatis Codicibus scribuntur *Aegetini*) *Decianos*, *Brumbestinos*, *Narbonenses*, *Sturnini* & *Tutini*. De *Butuntinensibus*, qui ibidem commemorantur, infra in Apulia Peucetia. Habet etiam Plinius *Aprusianos*, *Bruttiorum* Populos.

Alij Populi.

Ad specialiora *Bruttiorum* venio; orsus ab Lai, quo separantur, ut dixi, ab Lucanis, ostio.

Bruttiorum Vrbes & Opida: Temesa,

Hic prima *Bruttiorum* Vrbs in Littore *Temesa*. Ἀπὸ γὰρ Λάου, inquit Strabo lib. VI, πρώτη πόλις ἐστὶ τῆς Βρεττίας Τεμέση: Τέμψαν δὲ οἱ νῦν καλοῦσιν, Αὐσόνων κτίσμα: Τεμέση Homero apud Strabonem & Stephanum; *Temese* item Ovidio lib. XV. Metamorph. Statio in Silvis, ubi de Statua Equestri Imperatoris Domitiani, Pomponio Melæ, alijs: Τεμεσσα Pausaniæ lib. II Eliacor. Nunc Ταμεσσα, nunc Τίμεσσα Lycophroni: ut etiam notat ejus commentator Isacius: Τεμεσια Polybio: *Tempsa* Ciceroni, Livio lib. XXXIV & alijs locis, Plinio, Ptolemæo: *Temsa* Itinerariæ Tabulæ. *Tempsam* primi coluerunt, ut notat Strabo, Ausones; inde Aetoli, qui Thoantem sequebantur: Aetolis autem pulsis Bruttij successerunt. Bruttij ab Hinnibale & Romanis fuerunt attriti. Videndus omnino Livius libro XXXIIII; qui *Coloniam Romanam* docet factam. *Vina Tempsæ* genita Plinius gloria non carere scribit. Metallorum fuisse divitem, paret ex Ovidio libro XV. Aliquando *Melanitum* vocatum, sed nunc *S. Marco* dici docet Gabriel Barrius. *Malvito* tradit hodie nominari Laurentius Ananiensis. *Longobuco* ab nonnullis censeri, memorat in Historia Neapolitana Pontanus. Sunt qui sitam fuisse putant, ubi nunc *Policastrum*, inquit Leander, eosdem refutans. Scribit Strabo prope *Temesam* Sacellum fuisse conseptum Oleastris, Politæ Vlyssis Comiti dicatum, qui fraude Barbarorum circumventus ingentium bellorum fuit caussa.

Colonia.

olim Melanitum,

Ταύτης δὲ, inquit Strabo, loquens de *Tempsa*, συνεχὴς Τέρινα: Sic item vocatur Diodoro, Plinio, Melæ: quæ *Terriana* Leandro; *Terra Nova* Iovio; *Mantes*, Nigro. Nuceriam prope *Terina* reliquias statuit Gabriel Barrius. Τέρινα κτίσμα Κροτωνιατῶν, teste apud Stephanum Phlegonte. Vrbem captam evertit Hannibal, quum teneri posse diffideret, ut scribit Strabo: quum & *Herdoneam* forte: Vide Livium libro XXVII & Stephanum. Ab hac *Sinus Terinæus* dictus Plinio & Thucydidi.

Terina,

Res gestæ,

Tempsa

Tempsa igitur & *Terina* Strabonis aliorumque Veterum temporibus Vrbes in *Brutiis* fuerunt: flagitat ordo, ut quæ nunc exstant, commemorem.

Scalea. Cirilum. Adamantium. Belvederium. Bonifatium. Cetrarium, olim Lampetia. Circa Littus quidem sunt : primum *Scalea*, Episcopatus titulo insignis : decem inde paululum milibus *Cirilum*; totidem hinc *Adamantium*, *Diamante*, cujus in agro Saccharum provenit : octavo inde *Belvederium* : unde milliario semi *Bonifatium*. Hinc decem millibus *Cetrarium* Abbatiæ Montis Cassini, Opidum in edito loco super saxum mari incumbens, situm. Putat Barrius esse quod Λαμπέτεια Polybio apud Stephanum : *Clampetia* scribitur Plinio & Pomponio, *Dampetia* Livio : utri emendatius & sanius? *Varietas orta*, inquit Ortelius, *ex elementorum similitudine apud Græcos* Δ *&* Λ, *apud Latinos* d *&* cl.

Paula. Post totidem millia Opidum *Paula*, cujus Ager Vinum gignit optimum. *Paulam* ortu suo nobilitavit *D. Franciscus* cognomine *Paulanus*, Ordinis Minimorum Fratrum Auctor.

San Lucidum. Post Paulam quarto lapide Castrum est inlustris familiæ Carrafarum Neapolitanæ *Sanlucidum*, *S. Lucido*, generoso vino inclutum.

Fredum. Belmontium. Manthia. Pari hinc intervallo *Fredus* Amnis abest, cum ejusdem nominis Opido : in cujus Agro Horti amœnissimi, Medicis, Citris, Limonibus, & id genus aliis consiti nitent : ut & Territorium, in quo *Belmontium*, quod Fredo millia abest quatuor : Belmontioque totidem *Manthia*, opidum munitissimum, cum insigni Arce, olim *Napitia*, uti censet ex Antiochi sententia apud Strabonem, Gabriel Barrius. Sed vide Abrahamum Ortelium. Scipio etiam Mazella in Neapolitani Regni descriptione notat Gabrielem Barrium falli, ubi *Napitiam* interpretatur *Amantheam* : *Pizzo* hodie nominari *Napitiam* addens. *Amanthiæ* porro, Calabriæ Vrbis, meminit Cedrenus, quum scribit ab Nicephoro Saracenis ereptam.

Castilio. Sanctæ Euphemiæ Fanum. Post Manthiam Opida sunt, mille quingentis à Mari passuum millibus *Castilio*: dein itinere per littus, *Sanctæ Euphemiæ Fanum*, quod propinquo Mari dedit cognomen. Arbitratur Gabr. Barrius esse Λαμετίαν Lycophronis, sic dictam, ut Stephanus notat, ab *Lameto* Flumine. Inde *Lameticus Sinus* apud Aristotelem libro VII Politicor. cap. X, qui ait abesse ab Scylletico itinere dimidiati diei.

Lopitium. Ab Angitola Flumine tria Passuum millia emenso exiguum terræ brachium se offert Promontorium in mare procurrens, cui modicum insidet Castellum *Lopitium*. Vicinis illi littoribus quotannis Mense Majo Thuni incredibili frequentia capiuntur.

Bivona. Ab Lopitio per oram ad exiguum Opidum *Bivonam* millia Pass. sunt quatuor. Nomen illi natum videtur ab *Vibone* antiqua Vrbe, de qua paullo post.

Tropia. Post duodecim millia Chersonesus est, in qua *Tropia* pulcerrima Civitas & Episcopalis: à *Tropæis* dicta, ut nonnulli volunt.

Herculis Portus. Haud procul inde ætate Strabonis *Herculis* fuit *Portus*, Plinio quoque memoratus libro III cap. X. *Formiculas* vocant Adcolæ, ut notat Gabriel Barrius.

Medama. Strabo scribit hoc situ *Medamam* Locrorum Opidum fuisse, cum Fonte magno ejusdem nominis. *Medma* Plinio in melioribus exemplaribus : Μέδμη Stephano. *Nicotera* Gabrieli Barro & Scipioni Mazellæ : sed verius *Capo di Baticani* Leandro : sic vocata, quod ab *Canibus*, id est, Paganis & Infidelibus (sic enim vocari soliti) fuerit excisa. Fons, quem ibi quoque locat Strabo, etiamnum adparet.

Nicotera. Post octo millia per Littus in latere Montis Opidum occurrit *Nicotera* (Victrix) Antonino notum: hodie Episcopatus dignitate clarum.

Ioia. Ab Nicotera P. M. VIII *Ioia*, *Gioia* cernitur introrsum ab littore nonnihil remota.

Palma. Bantaria. Ab Ioia Seminariam Fluvium, qui *Metaurus* quomdam, ut alibi dixi, transgressis Palma Vicus occurrit; exin *Bantaria*, *Bagna*; mox *Scylleum Promontorium*, de quo suo loco.

Columna Rhegina. Flexu dein circum littus Freti, quod nunc *Pharum Messanensem* appellat Vulgus, *Columna* fuit *Rhegia*, centum ab Rhegio stadiis. ἡ τῶν Ῥηγίνων Στήλη Straboni libro VI. *Columna Rhegia* Ciceroni pro Sestio, Plinio lib. III cap. V (in cujus corruptioribus Codicibus legitur *Colonia Rhegia*) Pomponiæ Melæ : *Columna* simpliciter & κατ' ἐξοχὴν Antonino, qui duo ad eam ducit Itinera; unum quidem Mediolano per Picenum ad Campaniam ɪↃCCCCLVI longum milliaria; alterum CCCCLV ab Vrbe, Via Appia utrumque celeberrimum, Locorumque nobilium. *Columella* vocatur

catur in Antiqua Inscriptione, quæ Tegeani visitur in Calibria, quamque supra descripsi. *Autharis Columnam* suo tempore nominatum scribit Diaconus libro de Reb. Langbardic. III. cap. XXXIII. sed fabulas addit. Tradit Strabo in more Priscis fuisse Ditiones & Imperia certis terminis distinguere; quemadmodum ab Rheginis factitatum, qui *Columellum* id est exilem Turrem in littore Freti, Peloro Siciliæ Promontorio adversam exstruxerant. De ea sic scribit Hermolaus Barbarus in doctissimus Plinij Castigationibus *Graci eum locum Stylidam id est Columellam vocant: ea turriculæ modo erecta ex adverso Turrem in Peloro sitam respicit: hodieque à multis Stylarion appellatur.*

Dehinc ab Silio P. M. VIII, ab Rhegio VII Turris cujusdam visuntur ruinæ, ubi nunc Taberna diversoria, *Catonam* vocant, è regione Messanæ: frequens hinc in Siciliam ex Italia Trajectus, freto haud ampliore senis passuum millibus. Catona.

Septimo ab Catona lapide Vrbs est *Rhegium*, ad Fretum loco prominente sita. *Rhegium* simpliciter Scriptoribus multis Latinis Græcisque, item Itinerariæ Tabulæ, & Inscriptionibus: quod *Regium Iulium* Plinio & Melæ; Ῥήγιον Ἰούλιον Appiano lib. IV & V, Polybio libro I, Philostrato, Straboni libro VI, & Ptolemæo. Cum adspiratione scribi in prima docet in Orthographia sua Manutius. Vulgo *Rezzo* dicitur. *Aschenaz* olim vocatam docet ex Iosepho Gabriel Barrius: addens ab Antiocho apud Halicarnassæum *Neptuniam* sive *Posidoniam* nuncupatam. Incolæ *Rhegini*. Docet Probus Grammaticus in Vita Virgilij ex Catonis Originibus Incolas *Taurocinos* ab Flumine præterfluente nominatos. Ipsa Regio *Rhegina* Eustathio. *Ager Rheginus* Cicerone I. Philippica & alijs, qui latissime olim patebat ad Amnem usque Alicem; ubi, ut Geographi signant, *Rheginorum* erat terminus. *Rhegina Littora* leguntur apud Salium Italicum libro XIII. *Rheginos* nominat *Saltus* Solinus. Quur *Siciliæ* faciat Vrbem Hieronymus de Locis Hebraicis, antea docui. Conditam Strabo Solinusque perhibent ab Chalcidensibus. Strabo *Rhegium* dictum, Æschylo teste, scribit ἀπὸ τῆς ῥήξεως, quod hic violentia Terræmotuum Siciliam ab Italia divulserit: cujus rei Auctores etiam sunt Trogus libro IIII, Sex. Pompeius Festus, Eustathius, Servius in III Aeneidos, alijque. De ratione huius Divulsionis multa lectu digna Strabo. Alij sic vocatum putant, quod *regia* esset *urbs*, multis aliis imperans. Describit eam Cassiodorus lib. XII Variarum. Res ab Rheginis gestas legere est apud Livium varijs locis, præcipue libro XXIV, Diodorum libro XII, & alios. Potentissima fuit olim urbs, Strabone teste, validissimumque contra Siculos, Turribus Castellisque munitum propugnaculum: multarum Mater Coloniarum: Addit Strabo postea ab Dionysio Rege solo æquatam, & ab Dionysio Juniore Filio partem eius restauratam, Φοιβίαν que dictam. Cladem postea ingentem ab D. Iubellio, Campani exercitus Ductore, accepisse notant Thucydides lib. VI. Polybius lib. I. Livius lib. XII. Terræmotibus concussam paullo ante Bellum Marsicum refecit postea C. Iulius Cæsar, Colonisque plurimis, quos inter Socios Navales habuerat, instauravit, ut scribit Strabo; unde & *Rhegium* cognominatum *Iulium*. Nuper etiam anno CIↃ IↃ XLIII magnam huic Vrbi calamitatem attulit Caradinus Turca, Solimanicæ Classi Præfectus: ita ut hodie infrequentior sit & deserta pene. Quin & anno CIↃ IↃ XCIV ab Turcis incendio est vastata. Archiepiscopatus gaudet hodie dignitate. Orti hinc leguntur præter alios apud Aristotelem lib. II Politicor. *Andredamus*, qui Chalcedonensibus in Thracia Leges scripsit: & apud Plinium lib. XXXIV. cap. VIII *Pythagoras* Statuarius.

Rhegium. Conditores. Vnde dictum. Res gestæ. Viri Clari.

Hactenus Bruttiorum Littoralia sumus persequuti: succedunt Mediterranea: quorum explicationem aggrediar ab Lao, communi inter Lucaniam Bruttiosque termino.

Post Laum igitur, vel, ut hodie vocant, Lainum statim inter Montes saxosos difficilesque Colles est exiguus orbiculari specie, cui Opidum insidet *Rotunda* ab forma, quod res loquitur, dicta: Castellutio Lucaniæ Opido P. M. distans quatuor. Rotunda.

Pari hinc spatio item inter Montes *Vallis D. Martini* amœna, Fontibus scatus purissimarum aquarum. Vallis D. Martini.

Inde in Montium jugis Silva quædam, & ad eius finem jucunda planicies, *Campus Temesis*, *Campo Temesi*, antiquis *Temesanus*, ex sententia Ioannis Babtistæ Martorani, apud Leandrum, qui eum accurate describit. Campus Temesanus.

Moranum. Castrum Villare.

Ab Rotunda XII P. M. *Moranum* est Opidum item inter Montes situm, Agro undique peramœno. Quarto inde lapide via quoque per Montes, *Castrum Villare* succedit, editissimo impositum jugo, Ducatus Titulum ab Karolo V. consequutum.

Murus Magnus. Papasiderum. Saracina. Altomontium.

Patre tum, qua Campus Temesis, ab Castro Villari Millia XII. inter Montes *Murus Magnus* est: inde quatuor eodem tractu montano *Papasiderum*. Dein reditu ad Viam, quæ Consentiam ducit, ad dextram in Apennino *Saracina*: inde quatuor millium intervallo, eiusdem viæ dextra præcelso in vertice est *Altomontium*, *Altomonte*: unde Salis Fodinæ mille passibus absunt.

Malvetum. Sanct-Agatha. San-Genitum. San-Bonifacium. D. Marci. Rugianum. Turranum. Regina. Mons Altus.

Elaro transito in Apennino *Malvetum* se offert: inde quarto milliari *Sanct-Agatha*: Opidum Episcopale: demum eodem itinere per Montes, octavo *San-Genitum*, *S. Genito*: hinc quatuor Mare versus Inferum millibus montano quoque situ *San-Bonifacium* est: inde rursum millibus tribus reditu ad viam, à qua discessi, *Civitas* est *D. Marci*, Episcopalis. Ab Altomontio porro P. M. X. modico in Colle *Rugianum* est. Ab Rugiano millibus III. in montibus *Turranum* est Opidum. Via inde per Montes, qui in Septemtrionem vergunt, *Regina* invenitur, in cuius Agro maxima Olei copia nascitur. Itinere dein ab Regina trium millium in Monte *Mons Altus* cernitur: Ducatus titulo nobilis. Incolæ hic passim fortunis inopes, moribus agrestes, ruditer habitantes.

Pandosia. Situs. Res gestæ. Castellum Francum.

Quinque ab Monte Alto milliaribus supra Consentiam, secundum Apenninum, *Pandosiæ* vestigia conspiciuntur, antiquæ Vrbis in Monte. Πανδοσία Straboni, aliisque Græcis: Πανδωσία Plutarcho de Fortuna Romanorum. *Mardoniam* ab Theopompo appellari, scribit Marius Niger. *Pandosia* munitissimo loco sita erat, ubi tres exigui Colles Acherunte Fluvio cincti, ut indicat Livius, qui sæpe eius meminit: apud quem etiam libro XXIX. *Pandosiani* una cum Consentinis in potestatem Populi Romani ultro concessisse leguntur. *Oenotriæ* quomdam fuisse notat Strabo. Haud procul hinc Alexandrum, Epiri, Regem, ab Exsule Lucano interfectum misere periisse, tradunt Livius libro VIII. Trogus libro XII. Strabo libro VI. Hodie *Castro Franco*, quod mille passibus abest, Gabrieli Barrio; *Mendicino*, Prospero Parisio.

Consentia. Dignitas. Situs. Arx. Archiepiscopatus. Res gestæ. Clari Viri. Nobiles Familiæ.

Busento Fluvio non ignobili transito, statim in urbem Consentiam est ingressus. *Consentia* Livio, Plinio, Melæ, Antonino, aliisque Latinis: Κωνσεντία Appiano, Straboni, Ptolemæo, Græcisque ceteris: quæ *Consenza* hodie. Caput & Metropolis Bruttiorum, ut testatur Strabo: hodieque Sita circa declivitatem pene Appennini, colles amplectens septem, quibus maxima Vrbis ædificiorum pars imposita: unde & septenis collibus pro Insigni vititur. Vrbem uno latere Crathis, altero amnis includit Busentus, qui ipsam ab Suburbiis separat. Arcem habet in Montis jugo australi regione munitissimam. Summo Templo dignitas Archiepiscopalis est adtributa. Capta quomdam ab Hannibale, mox ad Pop. Romani societatatem & amicitiam una cum Thuriis est reducta, ut Livius memorat, apud quem *Consentia Consentinorum*que, & rerum ab iis gestarum frequens est commemoratio, præsertim libro V. VIII. XXIX. Ingentem, ut Blondus notat libro XIII. Histor. calamitatem passa est ab Saracenis, Ioannis XIII. P. M. & Ottonis Imp. Augusti temporibus. *Consentini* fuerunt *Petrus Paullus Parrhasius* I. C. Patavij Bononiæque Professor, inde Auditor Apostolicæ Cameræ Paulli III. P. M. postea Cardinalis: *Ioannes Paullus Parrhasius*, Latinis Græcisque litteris eruditissimus: *Ioannes Crassus*, Orator eximius: *Antonius Telesius*: *Antonius & Nicolaus Giardini*, omnes Græce Latineque doctissimi: *Ioannes Baptista Martoranus*, Poëta Italus. Nobiles ibi Familiæ:

Bernardi.	*Longhi.*	*San-Felice.*
Cavalcanti.	*Martirani.*	*Sarsali*, alias *di Surrento.*
Chiachio.	*Matera.*	*Scaglioni.*
Ciozi.	*Migliarezi.*	*de Tarsia.*
Ferai.	*Morelli.*	*Tilesii.*
Ferrari,	*Quatromani.*	

Ager Frugum omnium Fructuumque optimorum, Vini (Plinio etiam celabrati lib. XIIII. cap. VI) Olei ferax: Moris item arboribus abundans ad Vermium nutricationem, qui sericum faciunt. In eodem Agro tot Vici Villæque sunt, ut perpetua videatur esse Civitas. Refert Martoranus apud Leandrum amplius centenos

nos esse Vicos in vicenas Jurisdictiones, quæ vulgo *Pretoriæ*, divisos: omnes ad *Consentinam Diœcesin* pertinentes. Eæ sic se habent. *Donicorum* Jurisdictioni subsunt tres Pagi, *Aprilians*, decem: *Filens*, quatuor: *Mangoni*, duo: *Roblani*, quinque: *Tessani* duo: *Dipiani*, sex; *Paterni*, quinque; *Naleti*, duo: *Grimaldi*, tres, in quibus *Altilia*, reliquis populi frequentia antecellens: *Gauranum* porro tribus præpositum est Vicis: *Cornum*, duobus; *Zompanum*, tribus: *Robertum*, totidem: itemque *Celicum*: *Spetianum Maius*, uni, *Spetianum Minus*, undecim: *Pedagium*, quatuor; *Petra ficta*, totidem; *Sicilianum* denique, octo. *Pagi Consentinæ Diœcesis in suas Jurisdictiones distributi.*

Passuum millibus ab Consentia XVI in Apennino vetus est Civitas, *Marturanum*, Episcopalis: ubi nobiles Familiæ, *d' Angelis*, *Martirano*, *Scaglioni*, *de Sorrento*. *Marturanum,*

Tribus Marturano millibus *Clocentum* est: cum *Motta Porciana*, haud procul: sex, inter Montes, *Lucerna*: octo, *Aielum*. Ab Motta XII. lapide *Ferulentum* sequitur, in Montibus: dein pulcra in convalle *Taberna*, frequens opidum, Episcopatus titulo clarum qui unitus est cum Cathacense. Octo Taberna P. M. ornatissimum se offert Opidum *Catanzarum*: hinc XIIX. P. M. ab Mari tribus *Nicastrum* est, Civitas Episcopalis, splendida, perelegantis Agri: inde per amœna loca duobus millibus incedenti *San-Blasium* occurrit: unde ad decimum lapidem juxta collem modicum, sub Apennini radicibus, opidum frequens est *Maida*: hinc millibus octo *Franca-Villa* sequitur in Apennino: inde tribus, *Mons Sanctus*: ab eo quatuor, *Baduatium* Castellum: decem hinc *Laconia*: post eam *Arx Argitolana*, quatuor, fuisse putatur hic κρίσσα Lycophronis: octo inde *Mons*, *Leo* cognominatus, Comitatus Episcopatusque (cum quo unitus est Melitensis) dignitate insignis. *Clocentum, Motta Porciana. Lucerna, Aielum. Ferulentum, Taberna, Catanzarum, Nicastrum. San-Blasium, Maida, Franca-Villa, Mons Sanctus, Baduatium, Laconia, Arx Argitolana. Mons Leo,*

Fuit olim his locis in Apennini Colle *Hippon* sive *Vibo Valentia*; quod clamant cum Loci situs, ad antiquam descriptionem optime conveniens; tum Veterum Ædificiorum vestigia, quæ hic etiamnum visuntur ad Opidum usque *Bivonam*, de quo supra, Mari appositum, cui nomen proculdubio ab *Vibone* diruta inditum. Nec absentiunt de Situ Ptolemæus Straboque. Quin *Bivonam* antiquam *Vibonem* facit Celsus Cittadinus ad Abrahamum Ortelium scribens. *Hippo* vel *Hipponium* quomdam, post *Vibo Valentia* Strabo: Μετὰ δὲ τὴν Κωνσεντίαν Ἱππώνιον, Λοκρῶν κτίσμα. Βρεττίους δὲ κατέχοντας ἀφείλοντο Ῥωμαῖοι, καὶ μετωνόμασαν Οὐίβωνα Οὐαλεντίαν. Ἱππώνιον cum Appiano libro III. & IV. tum Stephano, ἣ μετωνομάσθη, addenti, ὑπὸ Ῥωμαίων Οὐίβων καὶ Οὐαλεντία. Lege, Strabonem sequutus, Οὐίβωνα Οὐαλεντία. *Hippo*, ait Plinius, *quod nunc Vibonem Valentiam apellamus*. *Hippo, nunc Vibon*, inquit Mela libro II Leg. potius, *Hippon, nunc Vibo*. Οὐιβὼν Οὐαλεντία Ptolemæo. *Vibona Balentia*, Itinerariæ Tabulæ. *Vibo* simpliciter Livio, qui libro XXXV *Coloniam* eo ab Romanis ductam scribit. *Vibo* item apud Antoninum, in nonnullis Codicibus *Vibona*. *Valentini* hinc Calabriæ Populi apud Plinium libro III. cap. XI. in fine. Navale hic fuisse ab Agathocle Siculorum Tyranno ædificatum, idem notat Strabo. Quod in huius Urbis Agro Prata essent præclara, Floribus abundantia, finxit, scribente eodem, Antiquitas, venisse eo ex Sicilia Florum legendorum gratia Proserpinam. *Hippon vel Vibo Valentia, Colonia, Navale, Ages,*

Octavo ab Monte Leone milliario *Philocasium* est, *Filecaso*: inde tribus millibus quingentis *Panalia*, *Panaia*: unde *Bel-Fortium* Opidum millia quatuor: quod *Subsicivum* Antonini esse putat Barrius, teste ad Antoninum Surita. A Bel-Fortio *Surianum* abest decem. *Philocasium, Panalia, Bel-fortium, Surianum,*

Decimo post Surianum lapide *Missanium* est, *Missano*: hinc sexto *Mellitium*; inde quarto *Burellum*: altoque impositum monti duobus ab ora millibus, sex a Bivona, honestum Opidum *Briaticum*, agro beatum fœcundo. *Missanium, Mellitium, Burellum, Briaticum, Calimera,*

Juxta est modicum Castellum, *Calimera*, Briaticani Reguli: quatuor hinc P. M. *Rosarnum* invenitur, felicis Agri. Occurrit mox *Polistena*, Castellum frequens: ultraque millibus duobus in Apennino *San-Georgium*: octo hinc juxta radices Apennini *Terra-Nova*, Opidum populo frequens. *Rosarnum, Polistena San-Georgium, Terra Nova, Grotaria, Castellum Vitreum, Motta Læta Seminaria, olim Taurianũ,*

Deinde à San-Georgio senis P. M. loca altiore *Grotaria* est: decem inde *Castellum Vitreum*; hinc senis *Motta Læta*; post Mottam quaternis *tillum*.

Santerne Amne transmisso, itinere ad præcelsum Montem *Seminaria* invenitur, Opidum haud infrequens, Agri cultissimi. *Taurianum*, cuius meminerunt Pomponius Mela & Plinius libro. III. cap. V. (apud quem tamen in nonnullis codicibus

Tauroentum legitur) olim fuisse, censet Gabriel Barrius: inde *Taurianus Scopulus* hoc loco apud Ptolemæum, quem *Terinæum* vocat Plinius: hodie *Pietra della Nove* Ligorio, & *Nove* simpliciter Barrio.

Flumaria Mori,

P. M. ab Seminaria XIIX. parvo à montis vertice descensu *Flumaria Mori* (*Fiumara di moro*) Pagus, ab Moris Arboribus dictus occurrit: unde Fretum adspicitur Siculum, per quod à Catona Messanam frequentissimus est Traiectus.

Itinera Antoniniana ad Bruttios pertinentia.

Caprosæ, Ad Turres, Ad Mallias.

Ad Bruttios porro vel Calabriam Inferiorem pertinet postrema Pars Itineris, quod apud Antoninum Medialano per Picenum & Campaniam ducitur ad Columnam, id est Trajectum Siciliæ M. P. IↃCCCCLVI. secunda item eius, quod ab Vrbe, Appia Via, pergit recto itinere ad Columnam per M. P. CCCCLV. tertia denique eius, quod ab Equotutico per M. P. CCCCLXX. tendit Roscianum Rhegium. Nominantur præter Consentiam, Nicoteram & Columnam, indicata jam loca in Prima quidem *Caprosæ*, quæ in Itineraria Tabula *Caprasia*, hodie *Tarsia*, ut putat Gabriel Barrius: *Ad Turres*, jamnunc eidem Barrio *Fanum S. Blasii*, de quo ante; *ad Mallias*, qui locus quis sit nemo adhuc, quod sciam, divinavit. In Secunda eadem sunt loca cum ijs, quæ in Prima, nisi quod *Vibo Civitas* hic legatur pro *Fluvius Angitula*, qui ibi. In Tertia pleraque sunt alius ab superioribus appellationis & obscurioris situs. De *Scyllacio* sane ibidem & *Cocintho*, si quidem Promontoria, alibi à me dictum.

Tacina. Succeianum, Subsicivum, Altanum, Hipporum.

Tacinam ex scriptis Celsi Cittadini Ortelius scribit Fluvij esse nomen, qui prope Scyllatium in mare defertur. *Succeianum* nemo præter Antoninum nominat. *Subsicivi* antea mentio mihi facta. *Altanum* Gabrieli Borrio hodie *Soreto*. Pro *Hipporo* (quod *Felum* Pagum esse arbitratur idem Barrius) substituendum fortean *Hipponium*, quod postea Latinis *Vibo Valentia*. Nihil adfirmo. *Decastidium* denique, vel, ut alij scribunt, *Decastadium*, *S. Annam* esse idem censet Barrius, qui, quur *Decalstidium* scribat, ignoro, quum de nominis ratione clarum.

Decastadium,

Calabriæ Principes,

De *Calabriæ Principibus* vide supra, ubi de Regno Neapolitano generatim.

CAPVT. XXVIII.

Magna Græcia.

MAGNA GRÆCIA

SIc se habet Calabria, quæ Inferior, Bruttiorum quomdam Sedes; sequitur *Superior*, quæ olim MAGNA GRÆCIA. *Maior* dicitur Silio lib. XI. & ex Festo ex Veteri Flacci scriptis.

unde dicta, ex sententia Strabonis, Ciceronis, Synesii oratoris, Athenæi, Trogi,

Plinii,

Festi Iosephi Scaligeri,

Nomen Regioni inditum, ea de causa, ut Straboni lib. VI. & M. Tullio lib. II. de Oratore placet, quod Pythagoras Philosophus Græcus ibi habitarit, aut, ut Synesio oratione de Dorio videtur, quod viros & Philosophos & Militares aluerit. Athenæo potius credendum, qui scribit propter ingentem Græcorum hominum numerum, in hac regione habitantium, sic vocatam. *Græci*, inquit Trogus, *non partem, sed universam fere Italiam olim occupaverunt. Græci de ea*, ait Plinius, *judicavere, gentis in gloriam suam effusissimum, quotam partem ex ea* (Italia) *appellando Græciam Magnam.* Sic Festus: *Maior Græcia dicta est Italia, quod eam Siculi obtinuerunt, vel quod in ea multæ magnaque Civitates fuerunt ex Græcis profectæ.* Ad quem locum Iosephus Scaliger: *Quare Græcia dicta sit, non dubitatur, sed quare Maior Græcia. Certissimum est ita vocatam à Romanis, quia proprior ea esset illis, quam transmarina Græcia: quemadmodum contra Græcos Italos ipsi Græci transmarini vocabant* ἐξωτικὺς, *id est Barbaros. Nam Messenio Servus apud Plautum vocat Exoticam Græciam, quam Romani Maiorem Græciam, non quidem ex persona sua: nam erat Siculus, neque vocasset consulto se ipsum Barbarum: sed μιμητικῶς ex persona Græcorum ipsorum, qui Siculos & Calabros vocabant* Ἕλλωας ἐξωτικὺς*: ut Plautus quum se vocat Barbarum & Barbariam Italiam, non ex consuetudine Romanorum dicit: quis enim sanus se Barbarum vocet? sed ex persona Græcorum, qui* βαρβάρυς κὴ ἐξωτικὺς *Italos vocabant, quod ex Plutarcho in Vita Pyrrhi cognoscimus.* Hæc Magnus Vir. Servius ad I. Æneid. *Italia μελάγη* Ἕλλας *appellata est, quia à Tarento usque ad Cumas omnes Civitates Græci condidere.* Seneca de Consolatione: *Totum Italiæ latus, quod Infero Mari adluitur, Magna Græcia fuit.* Sic Hieronymus Epistola ad Paullinam, Platonem, scribit, in Italiam venisse ad Architam Tarentinum,

Servii, Senecæ.

Hieronymi.

care-

ea regione, quæ *Magna Græcia* quomdam appellabatur, habitantem. Fusissime autem & sigillatim Trogus libro XX. *Tuscorum Populi, qui oram Inferi Maris possident, à Lydia venerunt: & Venetos, quos Incolas Superi Maris videmus, capta & expugnata Troia, Antenore duce misit: Adria quoque Illirico mari proxima, quæ & Adriano mari Nomen dedit, Græca Vrbs est: Arpos Diomedes, exciso Ilio, naufragio in illa loca delatus, condidit. Sed & Pisæ in Liguribus Græcos Auctores habent; & in Tuscis Tarquinij à Thessalis & Spinambris: Perusini quoque originem ab Achais ducunt. Quid Ceren urbem dicam? Quid Latinos Populos, qui ab Aenea conditi videntur? Iam Falisci, Nolani, Abelani, nonne Chalcidensium Coloni sunt? Quid Tractus omnis Campaniæ? Quid Bruttij Sabinique? Quid Tarentini: quos Lacedæmone profectos Spuriosque vocatos accepimus. Thurinorum Vrbem condidisse Philoctetem ferunt: ibique adhuc eius Monimentum visitur, & Herculis Sagittæ in Apollinis Templo, quæ fatum Troiæ fuere. Metapontini quoque in Templo Minervæ ferramenta, quibus Epeus, à quo conditi sunt, Equum Troianum fabricavit: propter quod omnis illa pars Italiæ Maior Græcia appellata est.* Vt vere admodum cecinerit Ovidius IV. Fastorum:

Itala nam Tellus Græcia Maior *erat.*

Fines.

Fines *Magnæ*, de qua nos agimus, *Græciæ* (Sinui circumiectæ Tarentino, Locrensi & Scyllacæo, patentique in longitudinem M. P. LXXXII. ut ex Varronis sententia tradit Plinius) multo quomdam, quam hodie, fuisse ampliores, paret ex Strabone lib. VI. Plinio lib. III. cap. IX. Ptolemæo in Tabulis Geogr. quos aliosque recentioris ævi sequutus, hos ego statuere soleo nobilissimæ Regioni terminos: ad Solis exortum Æquor Adriaticum: ad Meridiem Alicem Fluvium & Bruttios; qua Occasus est, Crathidem Amnem cum Apennino & Lucanis; qua Septemtrio, Sinum Tarentinum cum Apulis Peucetijs.

Clari Viri.

Floruerunt in hac Regione *Archytas, Pythagoras, Parmenides, Zeno*, Pythagoricique multi Philosophi: Poëta item *Ennius*, & alij.

Græcia citerior.

Ad huius *Græciæ* differentiam nominat Livius lib. VII *Græciam Vlteriorem*, quæ vere *Græcia*: ut hæc sit *Citerior*.

Italiotæ.

Ἰταλιῶται, inquit Joannes Juvenis in sua Tarentina Historia, *dicebantur non prisci & germani Italiæ Populi, qui Itali dicuntur: sed Græci, qui postea eo advenerant, & eam partem occupaverant, quæ ab iis Magna Græcia appellabatur. Sic dicimus Siciliotas & Phthiotas, differentes à Siculis & Phthiis.*

Hodie Calabria.

Nomen hodie *Magnæ Græciæ* periit. Nam una cum Bruttiis nobilis hæc Italiæ portio *Calabriæ* censetur nunc appellatione.

Vrbes oppidaq; Mag. Græc. Brancaleonium.

Ad particularem, præmissis his, Delineationem venio, ab Alice orsus, quo *Magna Græcia* à Bruttiis terminatur. De ipso Fluvio alibi. Inter eum & Herculis Promontorium *Brancaleonium* (*Branca Leone*) est Opidum: à quo tribus milliaribus læva introrsum in mediterraneis nobilissimum abest *D. Mariæ Tridentinæ* (*Maria di Tredetti*) *Cœnobium*, Sodalium D. Basilij, ab Templo denominatum, quod hic fuit, Neptuni, cui Maris imperium & Tridentem Veteres tribuebant.

D. Maria Tridentina Cœnobium.

Bursanum Caput.

In ora *Bursanum Caput* (*Cavo di Bursano*) sequitur, *Zephyrium* olim: quod alibi notatum.

Locri à quibus conditi.

Post Zephyrium locus antiquæ Vrbis *Locrorum*. *Locri*, Λοκροὶ Latinis Græcisque Scriptoribus, quos longum esset & tædiosum commemorare, satis celebrati. Conditam ab Græcis ex Sinu Crissæo profectis, Euanthe Duce, Diodorus lib. XII. & XIII. Strabo lib. VI. Eusthathius tradunt, alijque Scriptores. Alij *Locrorum* Auctores volunt Ajacem Oileum, eiusque Comites Narycios. Consulendi Virgilius III. Æneid. & Solinus in Polyhist. Et inde *Narycia* Locrorum regio Ouidio lib. XV. Met. & alijs. Cives, *Locrenses* Livio ceterisque. Ἐπιζεφύριοι cognominabantur, ut apud Strabonem legitur, à Promontorio, cui erant adsiti. In Bruttiis Livio libro XXXVII, propter vicinitatem: idem etiam libro XXIV *Locros* Græcis Vrbibus consentet. Hinc ad Rhegium Stadia numerantur apud veteres Geographos 10C. Res ab iis gestas commemorant ex Trogo Iustinus libro XX. Livius libro XXVII. & XXIX. aliisque locis. *Locros* omnium primos scriptis Legibus usos existimari, diuque Remp. optimis fundatam institutis habuisse notat Strabo. Gymnasium in hac Vrbe Litteratorum fuisse paret ex Platone. *Locrorum* nomen multi raræ virtutis homines inlustrarunt: inter alios *Agesidamus*, nobilis Olympionices, in

Res gestæ. Leges. Gymnasium.

Clari Viri.

Templum Proserpinæ.

quem Pindarus Hymnum cecinit: *Euthymus*, à quo lapidem ingenti magnitudine qui *Locris* ostendebatur, gestatum Plinius, Pausanias & Ælianus libro VIII. scripserunt. *Locris* augustissimum Templum erat Proserpinæ, cuius honorifica mentio apud Livium lib. XXIX. & XXXI. *Locrorum* Opidum, quod Niger, Parisius, Pyrrhus Ligorius & Gabriel Barrius volunt, hodie vulgo *Gerazi*, Latine scribentibus *Hieracium*, de quo mox: Sed Vrbis exigua nunc vestigia vix superesse, ubi *Palæpolis*, censet Leander.

Mamertium.
Res gestæ.

Supra Locros in Mediterraneis Opidum nobile fuit *Mamertium*, μαμέρτιον à Bruttiis habitatum, ut scribit Strabo. Intercidisse notat Leander: *Martirano* est Gabrieli Barrio & Prospero Parisio, qui in Tabula sua Magnæ Græciæ Nummum adponit cum Inscriptione, ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ ΒΡΕΤΤΙΩΝ, id est *Mamertinorum in Bruttiis*, ob vicinitatem. *Mamertinis*, Genti ferocissimæ, quæ fraude Zanclen Siciliæ Vrbem, hodie Messanam occupavit, originem ab his esse, tradunt Sicularum Rerum Scriptores. De Rebus *Mamertinorum* Livius lib. XIV. XVI. & alibi.

Rocella,
Castellum Vetus,
Stillum,
Sagrianum,
Caulonia,

Occurrit inde alto in colle, tamquam Promontorio, ab Mari ↄↄ P. Opidum *Rocella*; juxtaque *Castellum Vetus*, *Castello Vecchio*. Mox introrsum ab ora millibus quatuor *Stillum*, honestum in Monte Opidum. His locis passim Auri, Argenti, Ferri Fodinæ. Jnde juxta Sagram Fluvium, de quo alibi, *Sagrianum*.

Conditor.
Res gestæ,
Ager.

Post Sagram Mons *Aulon* est; cuius in vertice olim, ut tradit Higinus, *Caulonia* fuit. Μετὰ δὲ τὸν Σάγραν, inquit Strabo, Ἀχαιῶν κτίσμα Καυλωνία, πρότερον δ᾽ Αὐλωνία λεγομένη, διὰ τὸν προκείμενον Αὐλῶνα. Καυλωνία, ait Stephanus, πόλις Ἰταλίας, ἣν Αὐλωνίαν Ἑκαταῖος καλεῖ διὰ τὸ μέσον Αὐλῶνα εἶναι: Καυλωνία Thucydidi: *Caulonia* Melæ & aliis: *Caulon* Plinio, Virgilio lib. III. Æneid. & Itinerariæ Tabulæ. Solinus Auctores eius Crotonienses perhibet. Bruttiis adtribuit Livius lib. XXVII. ob vicinitatem; oppugnatam scribens ab Hannibale Pœnorum Duce. Opidi solum vestigia exstitisse innuit Plinius: desertum fuisse suis temporibus notat Strabo. Porhyrius Agrum eius vini nobilitate celebratum scribit. *Castro Vetere* vel *Veto* putatur Barrio & Ananiensi.

Hieracium,

Dein in Agro Locrorum mediterraneo, dextra, ferme ad octavum lapidem est *Hieracium*, titulo Marchionatus nobile; dictum, ut nonnullis videtur, ab viso Accipitris augurio, dum conderetur. *Gierazzo* vulgo.

Turre Brutiana
Motta Brutiana
Bianco [illegible]

Postea non procul ab littore, Castella quædam sunt, vernacule dicta, *Torre Brutiana Motta Brutiana*, *Bianco*, *Crepacuore*, *Panduro*, *Careno*, *Motta Bubalina*, *Condoianne*.

Caput Stilli.
Scyllatium,
Colonia,
Situs,
Episcopatus,

In ora *Caput Stilli*, *Capo di Stillo*, succedit, quod *Carcinum* olim Promontorium; post hoc autem *Scyllaceum*; de utroque suo loco. In hoc vetus Vrbs fuit *Scyllatium*. Σκυλλήτιον, ait Strabo, ἄποικος Ἀθηναίων τῶν μετὰ Μενεσθέως, νῦν δὲ Σκυλλάκιον καλεῖται. Sic Plinius: *Dein Sinus & Scylaceum, Scylletium Atheniensibus, quum conderent, dictum.* Postea *Coloniam Romanam* huc ductam notat Paterculus. Σκυλλήτιον, inquit Stephanus, πόλις Σικελίας, ὡς Εὔδοξος ἕκτῃ. *Siciliæ* tribuit Eudoxus ob rationem antea sæpe indicatam. Meminerunt eius Ptolemæus, Solinus, Mela, alij; Veteres item Nummi. *Scyle* est in Itineraria Tabula, utrum Vrbs, an Promontorium? De Situ consule Cassidorum lib. XII. Variar. qui eam *Primam Bruttiorum* vocat. Caussam sæpe aperui. Τὸ ἐθνικὸν, Σκυλλητηνοί, Stephano; unde *Scyllateni Episcopi* meminit Concilium Romanum, sub Hilario Pontifice: *Squillatinus* est in Decretis. Hoc enim Opidum *Squillaci* hodie, teste Leandro Alberto. Hinc *Scyllacæus Sinus* Scriptoribus nominatus, non ab *Scylla*, ut Servius putat. *Scylla* enim procul hinc ad Fretum est Siculum.

Belicastrum,
olim Petelia,
olim Tetelis,
Conditores.

Intus dein in Agro Scyllacæo milliaribus ab mari octo *Belicastrum* est Civitas. Fuit hic olim *Petelia*, Πετηλία Sic Appiano, Ptolemæo, Valerio Maximo, Itinerariæ Tabulæ dicitur, quæ *Petilia* Virgilio lib. III. Æneid. & Silio Italico. Πέτηλια corrupte est apud Plutarchum in Annibalicis, ubi recte vertit Xylander *Peteliam*. Hinc *Petellinos* vocat Livius libro XXII. eosque Samnitibus tribuere videtur; Bruttiis vero idem libro XXIII. & XXIX. *Belicastro* est, ut dixi, Leandro, quem sequor: *Pelina* Nigro, *Petigliano* Erythræo: *Policastro* Mazzellæ & Barrio; *Strongili* Pyrrho Ligorio: *Bellicastro*, quod in Lucanis, Angelerio. *Petelinos Montes* habet Plutarchus in Crasso. Caput Lucanorum fuisse tradit Strabo. Caussæ notæ. Idem Strabo, Solinus, & ad libro III. Æneid. Servius ab Philoctete conditam scribunt. Tradit quoque

que Strabo suis temporibus fuisse frequentissimam: nunc prorsus interijt.

Auctor idem est Strabo *Crimisam*, Κρίμισαν quoque hoc situ condidisse Philocteten; idque Apollodorum confirmare. Meminit & *Crimisæ* apud Stephanum Lycophron, cui Κρίμισσα scribitur. Putatur hodie Gabrieli Barrio *Cirra* sive *Cire*. Fuit & haud procul inde *Chonis*, opidū ab eodem Philoctete conditum, ut Strabo notat, cui Χώνη scribitur: Χώνη Lycophroni apud Stephanum: ipsi vero Stephano Χώνη, Oenotrijs tribuenti. *Chones*, Χῶνες Incolæ Adcolæque Stephano: unde & Regio ipsa Χώνη. *Belcastro* censetur Barrio.

Crimisa. Chonis.

Via dein per oram Scyllacæi Sinus P. M. XII. Opidum se offert *Simaris*, ubi *Sybarim* antiquam fuisse Marturanus autumat: quod Leandro non probatur, uti ex sequentibus parebit.

Simaris.

Ab Tacina fluvio, spatio P. M. XII. opidum sequitur *Castella*: quod Plinium *Castrum Hannibalis* dicere, persuasum habet Leander. In Itineraria Tabula scriptum est, *Annibali*. *Castella* hodie propter multitudinem, quæ ibi, Turrium.

Castella olim Castrum Hannibalis.

Senis hinc P. M. opidum est *Insula*: todidem inde *Caput Columnarū*, olim *Lacinium Promontorium*, cuius alibi delineatio.

Insula. Caput Columnarum.

Ab Lacinio Promontorio CL. Stadijs, itinere secundum Tarentini Sinus oram *Croton* fuit. *Croton* Livio passim, Silio, Plinio, Κρότων Thucydidi lib. VII. Dionysio Halicarnassæo varijs locis, Straboni libro VI. Ptolemæo, alijs: quæ *Croto* Melæ: Κρότωνα Diodoro lib. XIII. *Crontona* vitiosius in Itineraria Tabula: *Crotone* vulgo. An Κρότων hæc Magnæ Græciæ Stephano etiam nota, non ausim adfirmare. Triplex certe illi Κρότων: una Ἰταλίας prope Ῥήγιον: altera Τυῤῥηνίας μητρόπολις: Tertia Ἰταλίας: Si in hanc etiam digitum intendat: putarim Tertiæ signatione intelligendam. Nomen dirivat Rassanus ab Κρότος, quæ Græcis *plausus* & *succussio*: olim enim *Crotoniatis* plaudendi saltandique studium magno in usu fuisse. Eadem *Laura* dicta scribitur ab Isacio Tzetza. Antiochus apud Strabonem ab Miscello Achivorum Duce conditam scribit. Docet idem cum Ovidio libro XV. Metamorphos. Dionysius Halicarnass. libro. II. qui addit Conditionem huius Urbis incidisse in annum IV. Numæ Pompilij Secundi Romanorum Regis, tertium autem Olympiados X. De ipsius Situ, Amplitudine, Arce, Alijsque multa Livius libro XXIV. Res ab iis gestæ memorantur ab eodem, præsertim libro XXIV. & XXIX. Silioque Italico lib. XI. *Coloniam Crotonem* deductam docet idem Livius libro XXXV. Cives *Crotoniatæ*: Κροτωνιᾶται Straboni, Stephano, alijs. Hæc Urbs prodigiosa quadam raraque præstantium hominum multitudine claruit. Septem enim uno die Victores Olympico certamine habuit, ut memorat Strabo: unde Proverbium ortum: Κροτωνιατῶν ὁ ἔσχατος, πρῶτος ἦν τῶν ἄλλων Ἑλλήνων. Firmitatem corporis & virium huius Urbis Incolis optima cœli constitutio salubritasque creabat, ut Plinius libro II. cap. XCVIII. testatur, unde vetus Adagium: Ὑγιέστερον Κρότωνος. Ab Robore corporis noti sunt in Historiis non pauci, cum primis *Milo*, Pythagoræ discipulus, de quo cum alii, tum Diodorus lib. XII. Strabo lib. VI. Agellius libro XV *Isomachus*, qui Olympiade LXVIII. & sequente vicit: *Tisicrates*, qui LXXI. *Astylus*, qui LXXIII. de quibus præter Pausaniā, Dionysius Halicarnass. libris V. VI. VIII. Fuit & *Crotoniates Democedes*, Medicus in summo apud Polycratem Samiorum Tyrannum & Darium Persarum Regem honore habitus, auctore libro IV. Herodoto. Ibidem etiam natum *Alcmæonem*, celeberrimum Medicum ex Pythagoræ Discipulis, qui primus de ratione Naturæ scripsit, tradit in omnimoda historia Favorinus. *Orpheum* ex *Crotone* Poëtam, Pisistrato Tyranno clarum, Argonautica, Dicæteriam, aliaque scripsisse, notat ex Asclepiade Sudas. Alios recensere nimis esset longum. Pythagoras hic post I. Olympiadem, ut auctor est Halicarnassæus, Philosophorum instituit Gymnasium. *Croton* hodie non tam, ut olim, celebris, neque tam ampla: nomen tamen celebre titulumque habet Marchionatus. Arcem munitissimam juxta littus ad Oræ maritimæ tutelam inchoavit Karolus V. anno CIƆ IƆ XLIII.

Croton. unde dicta, olim & Laura appellata. Conditores, Quando condita, Situs, &c. Res gestæ, Colonia, Clari Viri, Philosophorū Gymnasium: Qualis hodie, Marchionatus, Arx. cutrum.

Crotone relicto, quatuor ab littore millibus *Cutrum* sequitur, Opidum alto impositum Montis vertici. Per oram dein incedenti amnes occurrunt *Esarus* cum Portu & *Neethus*, de quibus alibi. In Mediterraneis læva Crotonis Opidum est *Severina*. Post id *Bernalda*, cum alijs quibusdam Castellis Vicisque, veluti *Averna*, *Mesuraca*, *Amiri*, *Longobuco*, *Virginio*, ubi candidum cæditur Marmor, aliaque

Severina, Bernalda. Averna. Mesuraca, Amiri, Longobuco, Virginio,.

Strongoli, Hippizirsus, Turris Imperatoria, Cariathis, Calopitiatum,

loca. Tum per oram Sinus, quatuor ab Neetho millibus Opidum est *Strongoli.* Post id sex millibus tamquam Promontorium adparet, in quo Pagus *Hippizirsus*, Pascuis admodum oportunus: xv hinc lapide *Turris Imperatoria* est: quarto inde *Cariathis*, opidum Comitatus titulo insigne. Ab Cariathi xiv. P. M. ostia sunt Fluvij *Trinutis*. Inde millibus tribus, ab mari mille quingentis Pass. *Calopitiatum*, *Calopizzato* opidum agri fœcundi & amœni, ab Rosano milliaribus distans octo.

Sybaris,

Trans Crathin Locus occurrit, ubi quomdam *Sybaris*, Σύβαρις, Latinis Græcisque Scriptoribus satis nota. Crotone distabat, ut Strabo Pliniusque monent, CL. Stadiis.

Conditores,

Conditores nominat Strabo Achivos, Duce Isclicto: Troezenios & Sagarin Ajacis Locri filium, Solinus. Hi, quod ex Strabone facile est colligere, fortean condiderint: illi autem amplificarint.

Situs,

Situm male indicant Ptolomæi Tabulæ, ultra Crotonem, ubi nunc *Symari* contra Diodorum lib. 11. Strabonem & Plinium, qui inter Crathin & Sybarin locant.

Potentia. Resque gestæ.

Sybaris, ut testes sunt Strabo lib. xvi. Diodorus lib. xii. Herodotus lib. v. & vi. aliique: opibus atque potentia tam egregrie quomdam floruit, ut quatuor finitimis gentibus imperitarit, Civitatesque xxv. ditionis suæ fecerit, & contra Crotoniatas ccc. hominum millia in aciem eduxerit. Quo bello superati *Sybaritæ*, quum toti diffluerunt otio & luxuria, una cum urbe sua funditus sunt deleti ob dissolutos effeminatosque mores omnibus gentibus & Civitatibus exosi, adeo ut Proverbio locum dederint, quum molles vitæque dissolutioris homines appellati fuerint *Sybaritæ*. Quo anno Missum ex Oleo & Garo repererunt (quem ob id *Sybariticum* vocabant) eodem misere turpiterque perierunt.

Diruta Thurium peperit, quod Colonia Romanorum factum, quæ novo nomine indicat:

Itaque Nova urbs non procul ab Vetere postea ad mare condita est; *Thurium*que ab Fonte proximo dictum. *Thurium* diu opibus & pace floruit suisque liberum vixit legibus ab Lucanis post subactum: quos quum Tarentini vehementer infestassent, *Romanorum Colonia* est facta; qui novo nomine *Copias* eam vocarunt. Sic Varro *Sybari*, inquit de Re Rustica lib. 1. cap. vii. *qui nunc Thurij*, cui suffragatur Plutarchus in Pericle. Stephanus: Θούριοι, πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σύβαρις, ἀπὸ Θουρίας πηγῆς· ὕστερον δὲ Κωπίαι. Λέγεται καὶ Θουρίας καὶ Θούριον. Eadem fusius apud Strabonem, qui Κωπιάς habet. *Thurium* Plinio, Melæ, aliisque Latinis: Θούριον Ptolemæo, Græcisque cæteris: *Thurij* Antonino: Θούριοι Thucydidi lib. vi. & vii. Appiano libro v. Straboni lib. vi. Diodoro item, cui & Θούριον: *Turis* Itinerariæ Tabulæ, pro *Turis* vel *Turiis*. *Thuriæ* Livio, cui & *Thurinum* & *Thurini* lib. xxv. Floroque de Bello Spartaco. Addit Stephanus *Thurinum* etiam Ἄθεια dici à Pausania: male. Pausanias enim hoc de *Thure Messanica* loquitur, non de *Thurio Italico*. *Thurij* urbs in Salentinis Livio libro x. propter

Thurij, Cives,

vicinitatem. Vere enim est in Magna Græcia. Incolæ *Thurij*, Θούριοι, Stephano & alijs. De hac Vrbe scribit Diodorus loco sæpe indicato: Eam in quatuor Fora secundum longitudinem fuisse distinctam: quorum primum appellabant *Heracleam*: ii. *Aphrodisiadem*: iii. *Olympiadem*: iv. denique *Dionysiadem*: in latitudinem vero tribus Foris distributam: quorum nomina erant, i. *Heroa*, ἡρῴα: *Thuria*:

Vestigia hodie

iii. *Thurina*. *Thuriis* in Italia Historiam suam Herodotus condidit, ut libro xii. cap. iv. scribit Plinius. *Thurij* hodie exigua supersunt vestigia, iuxta littus. *Terram Novam* hoc tempore dici notant Scipio Mazella, & Gabriel Barrius: non bene,

Ager.

quum *Terra Nova* sit in Mediterraneis: *Thurium* autem ad Mare fuerit, quo loco nunc, ut magni viri volunt, *Buffalaria*: *In Agro Thurino*, inquit Plinius lib. xvi. cap.

Fons Thuriorum

xxii. *ubi Sybaris fuit, ex ipsa Vrbe prospiciebatur Quercus una, numquam folia demittens, nec ante mediam æstatem germinans.* In eodem Agro æstivo tempore ex Arborũ truncis Folijsque hodie Manna legitur. Adparet his in locis Aquæductus adhuc veterrimus, qui putatur illius fuisse Fontis a quo *Thuriorum* nomen acceptum. *Aqua*

Thurina Regio

Fabulina, *Acqua che Favella* hodie dicitur. Supra locum, ubi *Thurij* quomdam fuerunt, Regio nunc est, quæ vulgo *Terrana*: sic proculdubio ab antiquo Opido nuncupata. *Thurinus Pagus* & *Thurina Regio* apud Suetonium in Octaviano. Ab hac

Thurinum vinũ, Montes, Sinus.

Vrbe Θουρῖνος οἶνος, *Thurinum Vinum*, Straboni libro vi. etiam apud Stephanum: quod in precio fuisse testatur Plinius libro. xiv. cap. vi. *Thurios* Montes habet Appianus libro 1. Bellor. Civilium. *Thurinus* denique *Sinus* ab hac Vrbe: de quo alibi.

Lagaria.

Post Thurios, inquit Strabo, *Lagaria*, Λαγαρία, est Opidum: Epei & Phocensium Colonia: unde *Vinum*, addit, *Lagaritanum*, dulce ac lene, cuius quoque Plinius meminit

minit lib.XIV.cap.VI. Λαγαρία, inquit Stephanus, φρέριον Σικελίας (quur Siciliæ tribuat, alibi dictum) πλήσιον Θουρίων, ἔστι Ἐπειοῦ καὶ Φωκέων κτίσμα, ὡς Στράβων: non procul Grumento, apud Plinium. Gabriel Barrius dicit locum nunc vacuum, sine Habitatoribus: Mons vero, cui Civitas imposita, Adcolis *Cirnistaso* nominatur, ab Fluvio Cylistarno præterfluente.

Amni, qui hodie *Sinus*, olim *Siris* dictus, Opidū adpositum fuit cognomine Σῖρις, à Troianis condita, quod Palladium huc ex Jllio delatum indicabat. Videndus Strabo: qui addit, Iones Lydorum Jmperium pertæsos eo venisse. Vrbemque expugnantam, quam Aborigines seu Chones tenebant prius, Πολίειον appellasse: Πλήιον legitur apud Aristotelem in Mirabil. *Pelicori* recentiore nomine dicitur Pyrrho Ligorio. *Sirin* postea Tarentini subegerunt, Coloniamque inde deduxerunt Heracleam. Legendus Livius libro VIII. — *Siri. Heraclea.*

Fuit etiam ætate Strabonis ab Siri XXIIII. à Thurijs CCCXXX Stadiis, non plane juxta littus, Ἡρακλεόπολις: quæ Livio, Melæ, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, aliis *Heraclea*; Ἡράκλεια Plutarcho: Colonia, ut jam dixi, Tarentinorum. Olim Πόλις ἐπώνυμος Τρωϊκή, inquit Strabo. *Heracleam* Appianus inter Metapontum & Tarentum statuit: Plinius libro. III. cap.XI. inter Sirin & Acirin Fluvios locat: & *Sirin* quoque appellatam refert: *Sirin* & *Heracleam* unam eandemque (vide & Diodorū lib.XII.) censens Vrbem, ut quæ primo *Siris*, post *Heraclea* fuerit dicta: sed diversas fuisse, aperte docet Strabo. Nonnulli duas *Heracleas* hoc loco ponunt, XXIV. Stadijs ab invicem distantes: earum unam (quæ & *Troia*) alterius facientes Navale, quod hodie *Amygdalariam* vocari testatur Barrius. *Heracleam*, Tarentinorum coloniam, ab Alexandro Epirota captam, testantur Livius lib.VIII. & Diodorus lib.XII. Incolæ ab Finitimis Μιθροχίτωνες vocabantur, teste, Athenæo lib.XII.cap.VIII. — *Situs.*

Anteaquam ulterius progrediar, obiter Mediterranea, Veteribus non admodū nota, percurram.

Post Consentiam cis Crathin primum est *Castilio* opidum, *Castiglio*: tum inter juga *Rosæ*: mox millibus inde IV. *Lilucium*, peramœni agri. — *Castilio. Rosa. Lilucium.*

Succedit post in Colle montibus editissimis propinquo *Bisinianum*, *Bisignano*, forma septiquetra, Arce præditum, Titulisque Principatus Episcopatusque ornatum. — *Bisinianum. Principatus, Episcopatus.*

Sequitur senis a Bisiniano milliaribus inter montes Opidum *Tarsia*: antiquum, frequens, opulentum. Quinque hinc P. M. ab mari vero XII. inter montes item, est *Terra Nova*. Opidum dives. Pari dein ab ora spatio aliud est *Agri*. Post id quaternis milibus in planiciem mare versus descendenti perpulcrum occurrit *D.Mauri*, *S.Mauro*, magnificentissimo Bisiniani Principis splendens Palatio. — *Tarsia. Terra Nova. Agri. D.Mauri.*

Via tum per planiciem P.M. ab mari quatuor ad *Corlianum* venitur: agri Opidum amœni. Adluit Amnis *Corlianetus*. Jn agro *Corlianate* Argenti sunt Fodinæ. — *Corlianum.*

Offert se hinc Orientem versus *Rosanum*, vel *Rossanum*, Civitas munitissima, tribus ab Mari P. M. Antonino *Roscianum* dicitur: ut putat Gabriel Barrius. Procopius lib. III. de Bello Goth. Blondusque lib.VI. Histor. *Ruscianum* hanc vocant Urbem. Sedem habet Archiepiscopalem, cui multi sunt Suffraganei. *Valerianum*, Episcopum *Rossanensem* interfuisse Synodo Constantinopolitanæ VI. sub Agathone, prodit memoriæ Agathias lib.IV. Nobiles hic Familiæ: — *Rossanum. Archiepiscopatus. Nobiles Familiæ.*

Amarellis.	*Foggia*	*Rapano.*
Armingari.	*Longhi.*	*Risi.*
Briti.	*Maleni.*	*Tagliaferro.*
Campagna.	*Manarini.*	*Toscani.*
Caposachi.	*Muro.*	*Zuo.*
Citi.	*Negri.*	
Corti.	*Protospatari.*	

Vlterius inter Montes XII. milliario *Cassanum* est, ad Bisiniani quoque Principis Jmperium spectans, & Episcopatus fulgens dignitate. — *Cassanum. Episcopatus.*

Dehinc inter altissima juga dives Opidum *Cerciaria*, *Cerchiara*, Marchionis Montis Sarchij, ex Neapolitana Carrafarum gente. — *Cerciaria.*

Inde millibus quatuor ad Sinum Rosanū descendenti in montis latere, quod Sinū spectat, *Castellum Novum* visitur, tribus à Mari P. M. Milerinæ Comitis ex illustri Neapolitana Sanseverinatum Familia.

Vltra

Trebisatium, Albidona, Amygdalaria,
Clari Viri,

Vltra Cochilem Amnem ad jactum lapidis Opidum *Trebisatium* est, *Trebisazzi* vulgo: juxtaque montes *Albidona*, millibus mari quatuor: dein *Amygdalaria* duobus à mari milliaribus, nomen illi ab Amygdalarum copia. Jn ditione est Marchionis Sarchini. Illustravit suo ortu *Pomponius Lætus.*

Quæ sequuntur Loca *Lucaniæ* potius, quam *Magnæ Græciæ* tribuenda censent non pauci. Ego non magnopere in veritate quærenda me torquebo. Laborant enim hic Indigenæ ipsi; Viri etiam eruditi.

Arx Imperialis.

Passibus ab mari mille, juxta montis, de quo dixi, latus, *Arx* est *Imperialis*, sic dicta, quod ab Imp. Friderico Siciliæ Rege sit condita. Alphonsus etiam II. Neapolis Rex, Calabriæ Dux, validissimam hic erexit Arcem.

Veleta Franca-Villa. Tricarico [?]*,*
Saturanum [?]*, Petrola,*
Ferrandina,
Vegianum,

Inter montes sunt, quæ vulgo *Veleta, Nucara, Cana, Ruino, Franca-Villa*, ubi splendidum Carthusianorum Cœnobium. Mox ad montis pedem *Noia*. Succedunt vestigia *Pelicoris*, ubi modica etiamnum Arx. Jntus inter montes sunt *S. Arcango, Bocca Nova, Vaturano* Græcorum domicilium, *Castro Nuovo, Episcopia, Carinia, Teania, Chiaramonte, Senesi, Collivali, Torse*. Ruinæ *Petrolæ* ad amnem Salandram monstrantur. Sequitur ultra Salandram *Graco*. tum ulterius inter montes sunt *S. Mauro, Acremira, Cantiano* mille passibus ab Amne Basentio: deinde *Ferrandina*, Castellum, ab Ferrandino Calabriæ Duce, Alphonsi II. Neapolitanorum Regis Filio, conditũ, & nominatum, haud procul eo loco, ubi prius *Vegianum* fuit, terræmotibus subversũ & absumtum. Exin inter montes *Pestice*.

Turris Marina.

Paullo ultra Basentium, 10. ab mari passibus *Turris Marina, Torre di Mar*, nunc deserta, cernitur: pauca quædam supersunt inopum Tuguria.

Metapontum,
quod & Vibo, & Siris, & Μέταβον:
Conditores,

Non procul hinc Campus ingens & amœnus sternitur, ab mari 10. passibus, in quo *Metapontum*, fuisse fertur, urbs nobilissima nullis non Scriptoribus Græcis Latinisque celebrata. *Metaponti* hac ætate nulla (quod mirandum de tanta Vrbe) vestigia; præter vetus cocti lateris rudus cum atra terra, supersunt: quam ob causam sunt, qui fuisse volunt, ubi hodie *Pelicoris*. Sed falso. *Pelicoris* enim inter montes fuit: *Metapontum* autem juxta mare *Thebesaze* (*Trebisazzi* potius dicendum erat) Castellum hoc loco nunc esse scribit Niger. *Metapontum* porro plerisque; Μεταπόντιον Straboni & Ptolemæo: *Vibo* aliquando vocata fuit, Solino teste: & sic eam quoque nominat Cæsar lib. III. bell. Civil. *Siris* etiam Σῖρις nomen habuisse tradunt Stephanus & Eustathius: inde *Sirini* Plinio eius Jncolæ. Μέταβον olim vocatam tradit apud Strabonem Antiochus. Tzetza Chiliade XII. num. 404. illam etiam Ἀλύβας appellat, ut & Stephanus. *Metapontum* Strabo conditum scribit à Pyliis: qui huc, Nestore Duce, Troia sunt profecti: Solinus ab Locris notat factum, ab iisque *Metapontum* vocatum, & ætate sua *Iubium*: Ephorus ab Daulio, Crisæ Delphis propinquæ Tyranno, ait: Antiochus à Metaponto, Sisiphi Filio, quem Barbari *Metabum* vocabant: primoque nominatum *Siritum* memorat Eustathius. Non desunt, qui nuncupatum arbitantur ab extremitate maris, ac si *Meta Ponti* diceretur.

Natalis,
Potentia,

Vrbis Natalem Feriis, quæ *Neleidæ* dicebantur, celebrabant. Templũ Iunonis hic columnis Vitigineis stetisse tradit Plinius lib. XIV. cap. I. Tantæ *Metapontinorum* fuerunt opes, tanta potentia: ut, quod refert Strabo, auream Aestatẽ Apollini Delphis obtulerint. Testatur Trogus lib. XX. Metapontinos in Minervæ Templo Ferramenta, quibus Equum Troianum Epeus, à quo conditi erant, fabricaverat, ostentasse: propter quod omnis illa pars Italiæ, nimirum in qua *Metapontus, Maior Græcia* vocabatur.

Res gestæ,
Clari Viri,

Res ab *Metapontinis* gestas, eorumque clades recensent Herodotus lib. XXI. Antiochus apud Strabonem, Livius lib. XXV. & XXVII. atque alij. *Metapontum* à Spartaco direptum narrat L. Florus *Hippasis* Pythagoræ discipuli ortu fuit nobilitatum, teste Demetrio in Homonymis. *Pythagoram* ipsum hic supremam ætatem exegisse, quum Crotone migrasset, ubi annos XX. constiterat, testis est Trogus lib. XX. addens eumdem in tanta *Metaponti* fuisse admiratione, ut & ædes eius dedicarentur, & divinis ipse honoribus coleretur. A quo tanta Urbs fuerit eversa, non invenitur.

Rudera antiqui Gymnasij

Reliqua, quæ succedunt Tarentum usque nunc *Magnæ Græciæ*, nunc *Apuliæ*, Ptolemæi insistentes vestigiis, concensent Magni viri.

Post eum locum, ubi quomdam Metapontus, ad quartum lapidem, mille passibus ab ora, Columnæ marmoreæ XX. prægrandes altæque conspiciuntur, ordine duplici, ubi Gymnasium Architæ Tarentini fuisse quomdam vulgo creditur.

Intus

Intus in montibus est opidum *Bernalda*, propinquum ad teli jactum Basentio. Tum ab eo flumine millibus duobus juxta pedem montis *Pomarium* est: & in ipsis Collibus *Milicoricum*, Principis Bisiniani: senis inde millibus *Crotolum*, Ducis Traiectini Castellum: ulterius *Grassanum*, & *Mons Scaliosus*, *Monte Scaglioso*, mille passibus à Bradano.

Bernalda. Pomarium. Milicoricum. Grassanum. Mons Scaliosus.

Dein mare versus incedenti *Tricaricum* juxta Montis radices occurrit, sex à Grassano passuum millibus Opidum in ditione Principis Bisiniani.

Tricaricum.

Itinere hinc secundum ulteriorem Bradani ripam, sursum, Opidum in jugis invenitur *Mons Pelosus*, Ducis Traiectini: quod Bradanus adluit.

Mons Pelosus.

Hinc eadem Via sex millibus inter montes *Gravina* est: titulo Ducatus & Episcopatus dignitate nobilis.

Gravina, ducatus, & Episcopatus.

Millia inde sex numerantur ad *Altam-Villam*, antiquo *Peteliæ* loco sitam, ut nonnulli sentiunt: non recte, & contra Ptolemæi Tabulas, ubi *Petelia* in Agro Scyllacæo octo circiter P. M. ab Mari locatur. Videnda & Locorum enumeratio apud Virgil. lib. III. Æneid. consulendi item Strabo & Plinius. Opidum hoc Principatus habet Titulum. Nulli in Sacrorum jure Episcopo, sed Ecclesiæ Romanæ & eius paret Archibresbytero.

Alta-Villa. Principatus.

Itinere hinc per Apenninum P. M. XII. Vallis invenitur pulcra: in qua urbs *Matera*, frequens & opulenta: quomdam, ut auctor est Collenutius, *Archerontia*. De Situ Murorum refert nonnulla Leander Albertus. Archiepiscopatus Titulum obtinet. In ditione est Ducis Gravinensis. Dirutam ab Saracenis, memoriæ prodit Blondus lib. XIII. Historiar. Vrbis Incolæ *Materani* Plinio in Secunda Regione.

Matera. Archiepiscopatus.

Ab Matera dein ad XII. milliar. *Castrum* est *Tertianum*. Post ad XI x item à Matera, totidemque à Tarento, *Castellanetum* in Apennino, Episcopatus honore superbiens.

Tertianum. Castellanetum, Episcopatus.

Inde per Apennium ad VI. Tarentoque XII. *Motula*, Civitas item Episcopalis.

Motula, Episcopatus.

Tum ad oram versus III. milliari, Tarentoque XII. in planicie reperitur *Palescanum*: lævaque juxta flexum ad Aquilonem Tarentini Sinus in Apennino, V. ab mari millibus, à Palesano III. Tarentoque IX exiguum est, sed munitum valde, Castellum *Masafra*, ubi male contra Plinium & alios quidam antiquam locant *Messapiam*, quum in Salentinis ea fuerit, ultra Tarentum.

Palescanum. Masafra.

Alia huius Tractus Loca minoris dignationis, ne sim prolixior, prætereo; qualia sunt, quæ vulgo, *Ginosa*, *Colubrano*, *Alianello*, *Aliano*, *Guarda*.

Ginosa. Colubranum. Alianellum. Alianum. Guarda.

In ora demum antiquissima nobilissimaque Vrbs est *Tarentum*; cui non Scriptorum Veterum multis encomijs celebrata? *Tarentum* plerisque dicitur: Τάραντον Appiano Alexandrino libro V: Τάρας Straboni libro VI. Ptolemæo, Numismati, quod apud se esse scribit Abrahamus Ortelius. *Taranto* hodie. *Oebaliam* ab Virgilio vocari, testatur Servius, & ab Ovido *Scopas*: sed *Oebaliam* Arcem esse Tarentinam, notat Philargyrius. Vrbem volunt conditam Plinius libro III. cap. XI, L. Florus, & Orosius lib. III, cap. I ab Lacedæmoniis, ab Heraclidis Solinus, ab Cretensibus Antiochus, & ab uno eorum Duce *Tarentum* appellatam. Alii ab *Tarento* Amne, V ab Vrbe P. M. præterfluente, denominatam censent: Nonnulli, inter quos Varro, ab Sabina voce, quæ *molle* significat, unde & *Molle Tarentum* Horatio Flacco, propterea quod, ut nonnulli volunt, in Agro Tarentino & Nuces & Lanæ mollissimæ proueniant. Plerique *Tarenti* auctorem faciunt *Tarantem* Neptuni filium, ab ea nomen addentes accepisse. Legend. Servius ad III Æneid. & IV Georgic. Calabriæ, sive Magnæ Græciæ Vrbem faciunt omnes: Sudas & Ælianus in Militaribus Siciliæ adscribunt. Caussam alibi aperui. Calabriæ quomdam & Apuliæ, totiusque Lucaniæ Caput, L. Floro. Describunt abfabre Strabo lib. VI, L. Florus lib. I cap. XVIII Procopius lib. III. Bell. Gothic. aliique, Situs eius notatur in intimo recessu *Sinus*, qui ab ipsa Vrbe dicitur *Tarentinus*, *in ipsis Maris Hadriatici faucibus*, inquit Florus. Portum, quem habuit maximum, pulcerrimum, tutissimum, describit curiose Strabo lib. VI. Hodie visitur obturatus saxis ingentibus, adeo ut parvis tantum navigiis pateat: quod qua de caussa sit factum, & a quo, nondum legi. Maxima nunc in eo Portu Piscium ubertas. De antiqua etiam ibidem Arce, Statuisque inibi & Signis positis, quæ cum Karthaginienses, tum Romani abstulerunt, lectu etiam digna apud Strabonem, & alios. Theatrum item habuisse

Tarentum. Conditor. Cultus Tractus. Dignitas, Situs. Portus.

Arx, Theatrum, Stadium, Forum, Cives Variaque eorum nomina,

habuisse prope portam, Stadium luculentissimum. Forum amplissimum, Colossum ex ære artus summæ, notant Florus lib. I. cap. XVIII. Strabo libro VI. alij. CIVES *Tarentini* Latinis, Ταραντῖνοι Græcis. *Spurios* vocatos scribit ex Trogo Iustinus; *Partheniatas* dictos notat Servius ad III Æneid. Rationem indicant Historiographi; inter alios Antiochus. *Φαλαντιάδας* appellatos tradit Stephanus, à *Palantho*, quo duce Lacones eo adventantes Vrbem conditam valde auxerunt.

Res gestæ,

Initio populari administrata Imperio, tantis opum potentiæque incrementis valuit, ut finitimas Gentes omnes (multis, quæ sequuntur, commemorant Strabo lib. VI. & apud eum Ephorus & Antiochus: Herodotus lib. III. Livius infinitis locis, præcipue lib. IX. XII. XIII. XIV. XV. XXV. XXVII. XLIX. Plutarchus in multorum Vitis, præsertim Pyrrhi, Hannibalis, & Fabij Maximi: Iustinus ex Trogi lib. III. Silius Italicus lib. XI. & XV. Valerius Maximus lib. XII. cap. II. Auctor de VV. Inlustribus cap. XXV. XLIII. LXV. L. Florus lib. I. cap. XVIII. Augustinus lib. I. de Civit. Dei, cap. VI. Orosius lib. III. cap. I. & seqq. Blondus lib. VI. & XXV. Histor. Sabellicus lib. IV. Ennead. VIII. rerum gestarum amplitudine & gloria longe superaret: magnis bellis patratis cum Messapiis & Lucanis itemque cum Romanis; quibus quum imparem se videret, Pyrrhum Epirotarum Regem in auxilium vocavit: quo superato, ab Romanis occupata, dein proditione capta ab Hannibale, ac non ita multo post ab Q. Fabio Maximo recepta, tandem Populi Romani Colonia est facta. Ab eo tempore *Imbelle* esse cœpit, ut etiam Horatius appellat, cui & *Molle* dicitur. Byzantinis dein Imperatoribus diu paruit usque ad Saracenorum Incursiones, qui Italiam fere totam occuparunt. Quibus postea ejectis in Principum suorum (ex quibus *Ursini* fuerunt, gente Romana oriundi) moxque Regum Neapolitanorum fuit potestate. Quis posteriore seculo *Tarentum*, potentissimam quomdam Vrbem everterit, & in eam redegerit speciem, qua nunc est, ut Castellum videatur in peninsula tribus lateribus conclusa mari, non facile dixerim. Vrbs enim exigua admodum hodie, si ad Veteris amplitudinem conferatur.

Clari Viri,

Postrema in parte, qua continentem spectat, ubi prisca Vrbs erat, Arx visitur munitissima, marinis cincta Aquis, nuper ab Ferrando Arogonio primo Neapolitanorum Rege refecta. Celebrarunt ortu suo hanc Vrbem cum alij, tum *Archytas* Pythagoricus, diu Civitatis Princeps, qui Platonem, quum mortem ipsi machinaretur Dionysius Tyrannus, per epistolam eripuit, ut auctor est lib. VIII. Laertius. De eo Hieronymus ad Paullinã. Ortus etiam hinc *Aristoxenus*, qui celebrem Philosophiæ Scholam Mantineæ diu habuit, & prælatum sibi ab Aristotele Theophrastum perique tulisse dicitur. De eo Sudas. *Tarentini* quoque fuerunt *Nicomachus* Mathematices, qui de Arithmetica & Musica scripsit, *Luritus* Philosophus celeberrimus, *Heraclides* Musicus. Alios, nam innumeri sunt, prætereo.

Deus Tutelaris, Archiepiscopatus, Ædicula D. Petri subterranea,

Neptunum Tarenti Custodem vocat Horatius in Oda ad *Architam Tarentinum*. *Herculeum* nominat *Tarentum* Virg. lib. III. Æneidos. Servare apud se *D. Cataldi*, Vrbis quomdam Antistitis, ossa adfirmant Incolæ. Hodie Archiepiscopatus floret dignitate. Extra *Tarentum* haud procul Ædicula subterranea visitur: Fama regionem tenet ab D. Petro Apostolo factam: cum, enavigato mari, primum hic in terram egressum: hincque Romam iter arripuisse.

Ager, & quæ inibi.

Ager *Tarentinus*, qui rerum omnium fertilis, *Salem* generat, quem Plinius lib. XXXI. cap. VII. uti suavissimum candidissimumque, præ ceteris generibus commendat. Ab Varrone *Mel Tarentinum* laudatur. Macropius lib. III. Sat. *Nucem Tarentinam* adeo fragili esse putamine, ac ita mollem scribit, ut vix attrectata rumpatur. Favorinus *Nuces* item & *Oves* molles Sabinorum lingua *Tarentinas* vocari dixit. *Lanas* mollissimas in Agro *Tarentino* provenire constat cum ex aliis, tum Martiale Poëta. Respicit eo Persius Satyra II. *Calabri Velleris* faciens mentionem. Et adfirmat Varro *Oves* ibi pellibus tegi solitas, ne Lana inquinaretur. *Porrum Tarentinum* nominant Martialis & Plinius lib. XV. *Ficus* etiam *Tarentinas* laudat idem, ut & *Castaneas*. *Purpuram* item Ager *Tarentinus* producit, quæ ab loco *Tarentina* vocatur.

CAPVT

Caput XXIX.

Samnites.

Regiones, quæ in Prisca Propriaque *Italia* versus Orientem ad Mare Tyrrhenum, qua potui diligentia percurri: peragrandæ succedunt, quæ Hadriatico sunt adsitæ Pelago: inter quas Tabula nostra priore loco cis Phiternum Samnitium aperit agros. SAMNITES.

Hos initio, nomine ab Sabinis Progenitoribus per diminutionem deducto, *Sabellos* fuisse dictos; post autem Romanos quidem ab Samnio Monte *Samnites* eos appelasse, Græcos vero Σαυνίτας, ἀπὸ τῶν Σαυνίων, veteres tradunt Scriptores. Strabo lib. v: εἰκὸς δὲ διὰ τοῦτο καὶ Σαβέλλους αὐτοὺς ὑποκοριστικῶς ἀπὸ τῶν γονέων προσαγορευθῆναι: Σαμνίτας δ' ἀπ' ἄλλης αἰτίας, οὓς οἱ Ἕλληνες Σαυνίτας καλοῦσι. Sic enim legendum cum CL. V. Isaaco Causabono. Vulgati libri perpetuo, quod mirum, Σαννίτας habent: quod & apud Polybium locis aliquot offendet Lector. Σαυνῖται etiam dicuntur Stephano. Plinius lib. III cap. XII: *Samnitium*, inquit, *quos Sabellos, & Græci Saunitas dixere.* Eustathius in illud Dionys. qui initio Sabelli, mox Samnites, Græcis Σαυνῖται.

Σαυνῖται δ' ἐπὶ τοῖσι μέσην χθόνα ναιετάουσι,

Μετὰ τοὺς, inquit, Συβαρίτας μέσην χθόνα οἰκοῦσιν οἱ Σαυνῖται, οὓς διὰ τοῦ μ οἱ Ῥωμαῖοι λέγουσιν: ὡς καὶ ἡ γραφὴ τοῦ Διοδώρου δηλοῖ. Unde autem? Indicat Festus, vel ex Festo Paullus Diaconus: *Samnites*, inquit, *ab Hastis appellati sunt, quas Græci* Σαυνία *appellant. Has enim ferre adsueti erant: sive à Colle Samnio, ubi ex Sabinis adventantes consederunt.* Quæ ita accipienda, ut Σαυνῖται Græcis sint ἀπὸ τῶν Σαυνίων, *Samnites* autem Latinis ab *Samnio* Monte. De *Samnitium* ab Sabinis origine, deque Migrationis ex patriis sedibus occasione & caussa, legendi Strabo lib. v & Plinius lib. III. Alij, ut idem Strabo notat, *Samnites* ab Tarentinis ortos volunt, eosque Πιτανάτας olim vocatos fuisse contendunt. origo. *Samnitium* ingens olim fuit potentia, quemadmodum passim scribunt Livius, L. Florus, alijque Historiographi. Non enim solum multis populis suum superinduxerunt nomen, verum etiam Populum Romanum continuis fere bellis Victorijsque innumeris fatigarunt: ex quibus illa, quæ ad Furcas Caudianas accepta singularis fuit & omnino memorabilis; qua Romanos, locorum angustia circumventos, sub jugum miserunt: quam tamen ignominiam Romani non ita multo post magna ipsorum clade aboleverunt; Samnitibus vicissim sub jugum missis, iisdemque cum Urbibus & Colonis per Fabios & Papirios funditus Res gestæ.

tus tandem exstinctus. Florus lib. 1. cap. xvi Victoriam de hac Gente L. Papirii Cursoris commemorans, addit ea urbium Samniticarum ruinas ita fuisse deletas, ut ætate sua *Samnium in ipso Samnio requireretur.* Prodit postremum memoriæ Mores. Fines, Strabo, Sullana Dominatione quasdam *Samnitium* Vrbes, mœnibus æquatis, in Vicos redactas, plerasque etiam stirpitus eversas; ut suis videbimus locis. *Samnitium* Legem in Matrimoniis contrahendis recitat idem Strabo. Fines universi *Samnij* constitui solent ab Ortu Apuli Daunij cum amne Phiterno: ab Occasu Sabini & Picentes cum Truento fluvio: qua Septemtrio est, Mare Hadriaticum: qua Meridies Picentini, Campani, Marsi, Æquicoli, secundum Apenninum Montem ultra citraque ex parte habitantes. *Samnites* medios esse inter Picenum, Campaniam & Apuliam, testis est Eutropius libro ii, centesimo fere & tricesimo ab Vrbe milliari. Regionis Qualitas: Vicinos Privernatibus scribit Livius lib. viii. Regio summa gaudet cœli salubritate & incredibili Incolarum frequentia: amœna est & commoda versus Mare: sed Montibus aspera in Mediterraneis. Præter alia Crocum abunde mittit, nutritque Animalia innumera. Montes hic nonnulli sunt memorabiles: *Maiellæ* altissimus Apennino adjacens; & *Mons Virginis* præcelsus, superansq; altitudine sua ipsum Apenninum. Aprutiũ hodie & quare, unde? *Aprutios* (Regionem ipsam *Aprutium*, *Abruzzo* vernacule) hodie vocant Itali; vel, ut augurantur, quod *Brutij* non sint: vel quod in his quoque sint *Prætutini*, translato à parte ad totum vocabulo; vel denique ab Montium Saltuumque asperitate, in quibus *Apri* plerumque *apricantur*; Vide omnino Iov. Pontanum Histor. lib. 1; ubi *Aprutium* diligenter suis coloribus delineatur.

Varij Samnitum Populi. *Samnitibus* porro nomen magnum aliquando fuit & peramplum. Plinius eorum appellatione comprehendit *Ferentanos*, cumque ijs *Carentinos, Pelignos, Vestinos, Marrucinos, Pratutianos, Hirpinos*, & vocabulo strictius sumto *Samnites*. De singulis, ut ad specialiora deveniam, ordine agam; qui sint, quique ipsis fines, urbes, opida, Frentani. aliaque singularia, cum fide diligentiaque explicaturus.

Primo loco sunt *Frentani*. Sic Cæsari in Comment. libro 1, Livio multis locis, præcipue libro ix, ubi de rebus ab ipsis gestis; Silio lib. viii. Plinio lib. iii. cap. xii, & Pomponio Melæ, prope Daunios locanti: Φρεντανοὶ Straboni libro v, Σαμνιτικὸν ἔθνος addenti, & Ptolemæo lib. iii, tabula vi: qui Φερεντανοὶ Appiano lib. 1. Differentia inter Frentanos, Ferentinates & Ferentinos. Φερεντηνὸς καὶ Φερεντῖνος, ἐθνικὸν, inquit Stephanus in voce Φερεντῖνος. Alij sunt, ut discussis Veterum Recentiorumque Scriptorum Monimentis didici, *Frentani*, alij *Ferentinates*, alij *Ferentini*. *Frentani*, de quibus paullo ante dixi, Samnitium erant Populi. Horum Vrbs, nescio an bene, Φρεντανὸς Stephano, πόλις Σαυνιτῶν inquienti, & *Ferentinum* Veteri ad Horatium Commentatori in Via Labicana ponenti, Φερεντὸν Dionysio Halicarnassæo, & *Ferentum* Valerio lib. ii, Φερέντιον Diodoro libro xx. *Ferentinates* Latij erant, notantibus Livio lib. xxxiv & Plinio lib. iii natur. histor. cap v. Eorũ Vrbs item Φερεντῖνον Ptolemæo, qui Hernicis Latij Populis tribuit. *Ferentinum* item Livio varijs locis, Horatio, Silio, Frontino, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, Commentatori, quem dixi, qui tamen Campaniæ adcenset, propter vicinitatem: Φορεντῖνον Stephano ex Strabonis lib. v, ubi tamen hodie Φερέντινον, ut & in Manuscripto Frontino. Et hinc *Ferentina Aqua* meminit Livius lib. 1. *Ferentini* denique Etruriæ Populi Plinio & Veteri Lapidi; quorum Vrbs Φερέντια Ptolemæo, in Faliscis locanti; *Ferentinum* Plinio lib. iii cap. v; Suetonio in Othone cap. 1, Aurelio Victori in Othone, Commentatori Horatiano, & Frontino; Φερεντῖνον Straboni. Iam ad quos horum referendi Φρεντανοὶ, ἔθνος Ἰταλίας, apud Stephanum, nondum video. Hæc de varijs his Populis habebam ego: adscribam, non reprehendendi, sed committendi gratia, quæ Roma mittit ad Ortelium suum Celsus Cittadinus: *Similitudo Nominis inter Frentanos seu Ferentanos & Ferentinates & Ferentinos ansam præbuit Librarijs errandi in Scriptura & confundendi hæc Nomina. Frentani itaque seu* Ferentani *sunt Populi Samnitium, vulgo uno communi nomine* Abruzzezi *appellati, inter Hirpinos & Marracinos.* Ferentinates *sunt Populi Hernicorum, quorum Opidum Sedem Episcopalem habet, &* Ferentino *penultima gravi appellatur, in Campagna di Roma est in Via Latina supra collem inter Anagniam & Frusinonem. Latine dicitur* Ferentinum *prima brevi & reliquis dactylo, Horatius Epist.* xvii *lib.* 1 Ferentini *fuerunt Etruriæ Populi, & illorum Vrbs* Ferentium *sive* Ferentia, *Patria Othonis Imp.*

Imp. Suetonio, Tacito & alys. Erat inter Viterbium, Montem Soractem, Balneoregium & Fiasconenses. Hodie ex ea tantum Ecclesia superest, vocaturque hodie locus Ferento, *sic pronunciato, ut antepenultima attollatur, reliquæ deprimantur.* De his consulendi etiam Hermolaus Barbarus ad III Plinij cap. v, Sigonius ad IX Livij, Cæsar Baronius in Martyrologio ad XIIII Mai. *Frentanos* ab Opido prope Teanum Apuliæ *Frentano* denominat Petrus Marsus ad librum Silij Italici VIII. Eos autem Ptolemæus (quem sequi statuimus in Finibus regundis) his Limitibus includunt ab Oriente Phiterno fluvio vel Apulia Daunia ab Occidente Saro Amne, & Pelignis (Plinius ad Aternum fluvium producit, ut ipsius ætate latius hæc gens videatur patuisse, quam a Ptolemæo describatur) à Septentrione Sinu Adriatico; ab Meridie denique Apennino, ubi Plinius *Carentinos* etiam recenset in *Supernates* & *Infernates* divisos; qui cum Frentanis solent explicari. Καραυλῶοι forte Ptolemæo; & sic etiam nonnulli legunt apud Plinium, cujus hæc sunt verba libro III. cap. XII: *In ora Ferentanorum à Tiferno Flumen Trinium portuosum: Opida Histonium, Buca, Ortona, Aternus Amnis. Intus Anxani, cognomine Frentani, Carentini Supernates & Infernates, Lanuenses.* Horum igitur & reliquorum, quæ ad *Frentanos*, explicationem jam dabo.

Frentanorum Fines. Opida.

Primus Frentanorum à Phiterno in ora est *Campus Martinus.* Dein Opidulum *Terminus; Termine* vel *Termole* vulgo: Docti, Latine scribentes, *Termulas* appellant: situm in peninsula, firmitate Mœniorum, naturaque Loci bene munitum: Ducatus habet dignitatem.

Campus Martinus. Termulæ.

Intus mille passibus à Phiterno, millibus octo ab Mari Castellum est *Guillinia-cum*: & altius pari intervallo *Guarda, Alfenia* dicta: supra quam, *Luparia, Lupara: Cargabotatium: Carga Botazzo: Lucitum, Lumesanum, Castellum Pinianum, Rocketa, Casale Reparandum, Lisbinetum, Tornaquisium.*

Guillinlacum. Guarda Alfenia. Luparia. Cargabotatium. Lucitum, Lumesanum, &c.

Ultra *Botanum* Civitas; doctis *Bovianum* dicta: de qua post.

Botanum.

Rursus in ora post Termulas, Amnis ostium *Triny*, quem *Portuosum* appellat, ut audivimus. Plinius.

Ab eo læva millibus IIII, totidemque ab mari Castellum visitur *Mons Niger*: tum supra *Castellutium*; & *Arx Vivaria*, cum nobili Opido *Trivento*, Comitatu Episcopatusque Titulo insigni. Hoc quidam Τύτικον esse volunt apud Ptolemæum. Sed de ea nos in Apulia Daunia.

Mons Niger. Castellutium. Arx Vivaria. Triventum.

Altius offerunt sese *Salcitum, Fossa Sicca, Baniolum* & *Civitas Nova.*

Salcitum, &c.

Inter Trinium & Asinellam Opidula sunt primum in ora *Monasterium D. Stephani*: tum intus *Turinum, Casale, Burdinum, Polustrum, Sernium, Casalangra, Pelicornum*, inque ora ad Asinellam Opidum *Penna*.

D. Stephani, Turinum. Casale, &c.

Aliud inde se offert pernobile *Guastum Amonium*, vernacule *Guasto di Amone*. Plinio Melæque *Histonium*. Ἰστόνιον Ptolemæo sine adspiratione: ut & *Istonium* Tabulæ Itinerariæ. *Histonensis Municipy* meminit Antiqua Inscriptio apud Vrsinum in Imaginibus Virorum Inlustrium. *Hisconienses* scribuntur (vitiosius fortean Sculptoris culpa: nisi velimus inemendatiores esse, quod non videtur, Plinium & Ptolemæum) Cives in Antiquo Lapide, qui hodieque ibidem:

Guastum Amonium, olim Histonium, Incolæ.

L. VALERIO. L. F
PRVDENTI
HIC. CVM. ESSET. ANNORVM
XIII. ROMÆ. CERTAMINE
IOVIS. CAPITOLINI. LVSTRO
SEXTO. CLARITATE. INGENII
CORONATVS. EST. INTER
POETAS. LATINOS. OMNIBVS
SENTENTIIS. IVDICVM
HVIC. PLEBES. VNIVERSA
HISCONIENSIVM. STATVAM
AERE. COLLATO. DECREVIT

Antiquitates. Marchionatus.

Supersunt hic quædam antiquorum operum, Theatri cum primis & Prætorij vestigia. Marchionatus habet Titulum.

Mons Dorisius. Comitatus. Gessum, &c.

Intus deinde juxta flumen Asinellam modicum Castellum est *Mons Dorisius*, *Monte Dorise*, Comitatus titulo clarum: ultraque Amnem fontem versus *Gessum*; *Campimo*, *Campignone*; *Basilica*, *Gelinum*, *Tripalum*.

Anxanum.

Cis Sarum porro in Frentanis fuisse olim Opidum, quod Ptolemæo Ἄνξανον, cuiusque Incolæ Plinio *Anxani* cognomine *Frentani*, indicant ejusdem Ptolemæi Tabulæ: Pictura tamen, ut sæpe, corruptiore, quæ ultra Sarum collocat in Pelignis. Falluntur enim, qui Anxanum cis Sarum olim positum fuisse contendunt, ubi hodie *Lancianum* trans eumdem fluvium. Fieri tamen potuit, ut ob interitum *Anxani* conditum remotiore loco fuerit *Lancianum*, de quo infra. Alia sane exempla nobis, si prolixioribus esse liceret, novarum Vrbium, longissimis intervallis ab Veterum, quarum illæ nomen acceperunt, ruinis distantium, non desunt. *Anxanum* fuisse arbitror, ubi nunc *Palietum*, aut circiter, ad dextram Sari ripam.

Ferentum.

Fuit etiam cis Sarum Frentanorum Opidum, quod, ut antea dixi, Φερεντὸν Dionysio Halicarnassæo; *Ferentum*, Valerio Maximo lib. II; Φέρεντα, Diodoro lib. XIX: *Ferentinum*, Veteri ad Horatium Commentatori; Φερεντῖνος denique Stephano, πόλις Σαυνιτῶν addenti. Quidam male locant ubi *Franca-Villa* prope Ortonam, quæ in Pelignis.

Palumbarium. Pinna Opidum. Tornaticum. Asserulum. Pescum &c.

Vlterius ad Maiellæ montis, de quo alibi, radices *Palumbarium* est: & in montano jugo supra ad *Pinna* Opidum, Saro propinquum, cuius meminit Silius lib. VIII: juxta Sarum dein ad ejus dextram *Atissa*, *Tornaticum*que Castella.

Sub Sari in Apennino Fonte Opida sunt *Asserulum*, *Pescum*, *Opum*, *Vallis Regia*, *Civitella*, *Rocca*.

Aufidena.

Trans Amnem deinde antiquissima Caracenorum, ut Ptolemæus indicat, Vrbs *Aufidena* Livio, Antonino, Itinerariæ Tabulæ memorata: Αὐφιδήνα Ptolemæo,

Colonia.

Vi captam ab Cn. Fulvio Cos. scribit Livius libro x. Hinc *Aufidenates* Plinio. Coloniam Romanam facit Onuphrius.

Sarum.

In Frentanis hinc mare versus ad Sarum vestigia reperiuntur Vrbis antiquæ, inquit Leander, *Sari*, quemadmodum adhuc vocatur locus. *Sari* huius nescio an quis Veterum meminerit.

Palietum.

Supra est *Palietum* Opidum ob superiorem urbem deletam, ut idem sentit Leander, ædificatum. Sane haud procul inde *Anxanum* fuisse, antea dixi.

Arca. Bomia. Colmettum &c.

Altius secundum Sari alveum *Mons Planus*, editissimus ex Apennino oriens adspicitur; in cuius declivitate supra Sarum *Arca* est Opidum: aliaque in eodem Monte hæc: *Bomia*, *Colmettum*, *Trans Rivum*, *Mons Ferrandus*, & *Petra Ferracina*: deinde trans Fontem Amnis supra Petram Ferracinam Castellum *Pilum*, Civitasque *Bucellum*, & *Pescolum Penatarium*: item ad *D. Angelum Pescolanum*, *S. Angelo di Pescoli*, cum Opido *Indico*, *Giudice*, cunis superbiente *Iacobi Caldora Domini*, cujus facta describunt Blondus, Sabellicus, Corius, alij.

Indicum.

Capracella. Agnonium.

Flexu hinc lævorsum in arduo difficilique Monte Castellum succedit *Capracella*: & in intima valle prope Montem Maiellam aliud pernobile *Agnonium*, *Agnone*, vel, ut alijs scribitur, *Anglona*: quod nonnullis (inter quos Leander & Niger) putatur *Aquilonia*, ab Livio memorata libro x, ubi scribit, L. Papirio cos. cum Samnitibus bellum gerente, eosdem ad Aquiloniam omnem exercitum indixisse, militemque collectum ibi sacramento diroque carmine in exsecrationem sui Capitis jurare coactum: ita Legionem millium XVI, quum vir virum legisset, effectam, dictamque *Linteatam*. Secus sentit Celsus Cittadinus, cujus hæc ad Ortelium verba: *Errat Leander, credens* Aquiloniam *fuisse, ubi nunc est* Agnone: *nam* Agnone *est in Frentanis prope Pelignos*; Aquilonia *autem Ptolemæo erat in Hirpinis, media inter Beneventum, Luceriam & Avellinum. Errat etiam Niger: nam* Angelone *est Vrbs Episcopalis in finibus Lucaniæ & Brutiorum: quantum mea conjectura valet, putarem* Aquiloniam *fuisse, ubi nunc* Laquedonia *Latine, vulgo* Lacedogna, *Vrbs Archiepiscopalis in Hirpinis*.

D. Petrus Avellanus.

Succedit *D. Petrus Avellanus*, & alia deinceps circa Sarum Opida: quorum in Pelignis commemoratio.

De

Buca. Ortona.

De *Buca* & *Ortona*, quas *Frentanis* adnumerat Plinius; ego, Ptolemæum sequutus, in Pelignis dicam. Nam ampliores Plinius *Frentanis* tribuit limites ad Aternum usque extendens, quam Ptolemæus, qui Sarum non transilit.

De Lanuensibus etiam Plinianis nihil habeo, quod addam.

Peligni.

*Frentanis Carentinis*que vel *Caracenis* jam explicatis succedunt ex Ptolemæi notatione *Peligni*. Sic Latinis dicuntur, Πελιγνοὶ Straboni & Ptolemæo; Πελίγνοι autem male, inquit Ortelius, apud Memnonem: qui *Valva* nunc vulgo, uti tradit Ciofanus in Sulmonis Vrbis descriptione; *Palzensi*, ut Leander notat. Profectos huc quidam scribunt ex Illurico ductu Volsinij Regis Luculli: ei duos fuisse Nepotes *Pacinum* & *Pelignum*; ab hoc *Pelignos*, ab illo nomen accepisse *Pacinates*. Vide Festum. Fortissimæ *Pelignorum* gentis meminerunt nulli non Veteres Scriptores, cum primis Livius. Latet *Pelignorum* appellatio in quibusdam hujus Regionis locis, *Paleno*, *Forca di Paleno*, *Leto di Paleno*: quin totus Ager *Pelignorum* hodie corrupte *Palena* dici perhibetur.

Fines.

Pelignis ab Oriente Flumen est Sarus, cum Frentanis Caracenisque; ab meridie, Vestinis ab Occidente, Amnis Aternus cum Marucinis; ab Septemtrione Sinus Adriaticus. *Acrem Pelignum* nominat Silius lib. VIII Belli Punici. De his ita Plinius lib. III cap. XII: *Pelignorum Corfinienses, Superaquani, Sulmonensis.*

Specialiora Pelignorum loca. Scontronum. Valle Regia. D. Mariæ V milium. Arx V mil.

Quod ad specialiora Pelignorum loca, juxta fontem Sari, ad Septemtrionaliorem ejus ripam *Scontronum* est cum *Valle Regia*: subjectisque locis parum ab amnis alveo *D. Maria Quinque Millium*; supraque *Arx Quinquemilium, de cinque miglia.*

Arx Rasini. Cænobium D. Ioannis. Fossa Casa. Arx D. Ioann.

Propinqua Rasio Amni, de quo alibi, *Arx Rasini* est, *Rocca de Rasino*.

Mare versus incedenti ad Sarum prope littus *Cænobium* occurrit *D. Ioannis*, ubi quondam celeberrima Veneris ædes fuisse fertur: Supra id *Fossa Casa*, cum *Arce D. Ioannis.*

Buca.

Paullo altius ad eundem amnem vestigia cernuntur antiquæ urbis, quæ *Buca* Plinio, *Frentanis* adnumeranti, quod huc usque *Frentanorum* fines ipsius & Strabonis ætate, extenderentur, qui contractiores postea facti. Βοῦκα Straboni, ἡ αὐτὴ Φρεντανῶν: *Bucara* Pomponio Melæ. Βοῦκον Ptolemæi eandem esse cum *Buca* reliquorum, quod Villanovanus censet, non puto; quum supra Istonium inter Sarum & Phiternum eam Ptolemæus collocet; *Bucam* autem reliqui inter Sarum & Aternum: vel, ut propius accedam, inter Sarum & Ortonem.

Furca Palena.

Ad Aventini Amnis initium opidum est *Furca* cognomine *di Paleno, Palena*, quasi *Peligna*. quod ortu suo illustravit *Nicolaus Furcanus*, Eremita, ante annum C L. Lege Blondum.

Letum Palend. Palenum.

Sunt etiam hoc situ Castella *Letum Paleni* & *Palenum*; in quis, uti dixi, *Pelignorum* memoria adhuc videtur conservari.

Altinum. Arx Scalonia. Gessum. Turricella. Pinna Hominis. Mons Niger. Mons Labianus. Falum. Luparella. Quartum. Museratum, &c.

Visuntur ad Sarum opida *Altinum*, *Arx Scalonia*, *Scalogna*; *Gessum*; *Turricella*, *Pinna Hominis*, *Penna di Huomo*, *Mons Niger*, cum vico *Bona-Nocte*, *Buona Notte*, ubi Pons qui Sari ripas jungit: Mox *Mons Labianus*, *Falum*; altiusque in editissimis montis faucibus *Luparella*, munitum natura opidum. Supra hinc *Quartum*; *Museratum*, *Gambatarium*, *Petra*, *Ansara*: Post ad ripam Aventini, qua Viridem excipit, *Casale* Opidum: altiusque ad alteram ripam *Collis Macinæ* cum Falasculo.

Ad Radices Maiellæ, supra Viridis amnis egressum duo sunt oppidula *Civitella* & *Lama*.

Pescum. Constantium. Rivus Sonulus.

In Borealiore Maiellæ Montis latere Campus est, cui nomen *La Pianura della Rocca*, *Rupis Planities*: ubi opida frequentia, *Pescum*, *Constantium*, *Rivus Sonulus*.

Planities V Millium.

Inde perarcta difficilique Via in Planiciem devenitur *Quinque-Millium*, sic à *Quinque Millium passuum* longitudine, quam habet, appellatam, in *Superæquanis Pelignis* valde celebrem, æstivo tempore amœnam, hieme deformem & periculosam.

Ortona, Navale Frentanorum.

Sed relictis montibus, ad Littus redeo. Hic in ora Civitas est antiqua *Ortona*. Sic Plinio hodieque dicitur, quæ Ὄρτων Ptolemæo & Straboni, cui Ἐπίνειον Φρεντανῶν. Idem etiam Ὄρτιον vocat, Prædonibus & Piratis infestum. Servare se gloriantur Cives in augusta æde *D. Thomæ Apostoli* reliquias. Adpellunt huc Naves ex Epiro, Dalmatia alijsque partibus, Merces ad Lanciani mercatum deferentes.

Franca-Villa. Non procul ab Ortona opidum est *Franca-Villa*; ubi Blondus & alij Vrbem *Frentanum* fuisse opinantur. Sed de ea nos supra.

Givianum, & alia. Introrsum dein Majellam versus *Givianum*, *Aretium*, *Arevacrum*; supraque hæc Opida *Casa Candidella*: tum altius ad *D. Martinum*, *Falletum*, & alia. Hinc inter Morum Amnem & Ortonam sunt *Gracum*, & altius *Ariellum*, *Orsonia*, *Ad D. Apollinarem*, *Frisum* *Castellum Novum Lanciani*, vulgo *Lanzano Novo*. Dein supra Mori

Guardagallum. initia duobus fere P. M. Opidum est *Guardagallum*, *Guarda di Gallo*.

D. Viti Lanciani castellum. Lancianum. Prope Feltrinum Amnem in Littore Castellum est *D. Viti Lanciani*: medioque hoc intervallo Civitas visitur *Lancianum*, P. M. ab Saro IV, totidemque distans ab Ora, ob *Anxani* fortean interitum ædificatum. Celebre est Emporium: quo quotannis mensibus Maio & Augusto Italiæ, Inlurici, Siciliæ, Græciæ, Asiæ, & reliquarum Mundi Partium Negotiatores ad frequentissimum

Archiepiscopatus. conveniunt Mercatum. Urbs Archiepiscopum habet, cui nullos subesse Episcopos lego.

Tullonum, &c. In ora dein ad Fori Amnis ostium *Tullonum* est: supraque *Militanicum* & altius *Fara*; ulterius *Rapinum*; Opidumque Maiellæ propinquum *Pinna*; *Penna* vulgo.

Villa Marina. Prætorium, &c. Sequitur inde Lentum Flumen, ad cujus ripam Borealem P. M. ab mari V *Villa Marina* occurrit: supra quam sub Maiella *Prætorium* est opidum: juxta id *Arx Montis Plani*; supraque fontem Lenti amnis *Castellum Menale*; infra in Mediterraneis aliud *Buctanicum*.

Fanum D. Liberatoris. In Borealiore Lenti ripa sub Maiella Cœnobium est amplissimum cum *Fano D. Liberatoris*, ubi antiquissima quædam servantur volumina, Langbardicis litteris exarata.

Sulmo. Hinc tum *Sulmo* Civitas est. Sic Latinis scribitur, Συλμῶν Ptolemæo: Σύλμοι Straboni libro V. Appellationis origo ab *Solymo* Phrygio, Æneæ Comite. Ovidius

Vnde nomen. lib. IV Fastorum:

Huius erat Solymus, *Phrygia comes unus ab Ida,*
A quo Sulmonis *mœnia nomen habent;*
Sulmonis *gelidi patriæ, Germanice, nostræ:*
Me miserum Scythico quam procul illa solo est.

Sic Silius de bello Pœnico libro IX:

Huic domus & gemini fuerant Sulmone *relicti*
Matris in uberibus Nati, Mancinus & una
Nomine Rhetæo Solymus: *nam Dardana origo,*
Et Phrygio genus à proavo, qui sceptra secutus
Æneæ claram muris fundaverat urbem;
Ex sese dictam Solymon; *celebrata colonis*
Mox Italis paulatim attrito nomine Sulmo.

Situs. Hodie *Sulmona* est, teste Leandro: aliquibus male *Sermona* dicitur, notante *Ciofano*, in pulcherrima huius Vrbis descriptione. Septem ab Corfinio P. M. distare scribit Cæsar. Vrbs est pulchritudine loci, frequentia populi, aquarum abundantia in primis nobilis. Mentionem eius sæpe faciunt cum alij, tum Livius,

Ovidij Patria. præcipue lib. XXVI. *Sulmonenses* Plinio noti. Ovidij patria, ipso teste lib. IIII Trist. Eleg. X:

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
Millia qui novies distat ab urbe decem.

Inde, quia *Sulmo* in Pelignis erat, eleganter Martialis I Epig.

Nasone Peligni *sonant.*

Et alibi ipse Alumnus:

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo,
Pelignæ *gentis gloria dicor ego.*
Quem sua libertas ad honesta coëgerat arma:
Quum timuit socias anxia Roma manus.
Atque aliquis spectans hospes Sulmonis *aquosi*
Mœnia: quæ campi iugera pauca tenent:
Quæ tantum, dicet, potuistis ferre poëtam;
Quantulacumque estis vos, ego magna voco.

Episco-

Episcopatus.

Episcopum habet, qui *Valvensis* dicitur, quod *Sulmonensis* ager cum parte quoque vicinorum *Valva* nominetur. Legendi Blondus & Raffanus. Nobiles ibi sunt Familiæ, non paucæ; quæ vulgo:

Amone.	*de Corbo.*	*de Ranaldo.*
d'Aristotile.	*de Martino.*	*Risso.*
de Canibus.	*de Matteis.*	*Sardo.*
de Capite.	*Meliorati.*	*de Sanita.*
Capugrassi.	*Merlino*	*de lo Tinto:*
Columbino.	*Quadraro.*	& aliæ.

Pratula. Populum.

Iuxta flumen, quod Sulmone provolvitur, oppidum est *Pratula*, Abbatiæ S. Spiritus fratrum Cælestinorum. Sequitur aliud *Populum*, oppidum perhonestum, prope quod Aternus ligneo ponte transitur; ubi Arx utramque fluminis ripam supra modum munit. Ibidem pons fuisse videtur tribus à Corfinio P. M. de quo Cæsar lib. I bell. Civ. cuiusque mentio apud Lucanum lib. II & Strabonem libro V, quem à Corfinio distare scribit XXIIII stadijs.

Corfinium. Res gestæ.

Incedenti per Planciem tribus à Populo P. M. occurrunt Veteris *Corfinij* vestigia, quæ nunc *Campi de S. Pelino*, vel, ut aliter, *Pentinia*. Meminit honeste *Corfinij* Strabo libro V, *Vestinos*, *Marsos*, *Pelignos*, *Marrucinos*, & *Frentanos* ob negatum ius Civitatis à Populo Rom. defecisse: iisque bellum intulisse Sociale, memorans; quo *Corfinium Pelignorum* caput (μητρόπολιν inquit Strabo, *Caput Imperij* Velleius) omnibus Italis communis Civitas appellata, *Italica*que (Ἰταλία vitiose legitur apud Diodorum) novo nomine dicta, ubi Arx & Propugnaculum belli contra Romanos esset, ubi & in conventibus Imperatores deligebantur. Bellum hoc *Marsicum* dictum est, quod biennio amplius duravit, donec Civitatis Romanæ jus ijs Populis concederetur. *Corfinium*, Livio, Cæsari, Lucano, Silio, alijs; Κορφίνιον Diodoro, Appiano, Straboni, Ptolemæo: Ὀρφίνιον Dionysio Halicarnassæo fere esse putat Fr. Sylburgius. *Corfinienses* Plinio. Scribit ad Ortelium Celsus Cittadinus, *Corfinij* hodie nihil remanere, quam Vicum cum Ecclesia & paucis Domibus, vulgoque appellari *S. Pelino*. Ingentium Aedificiorum ruinas passim ibi cerni, addit Leander.

Toccum. Cantalupum. Lucus. Turris. Caramanicum. Arx Morisii. Casanum.

A Populo dein, si Majellam versus pergas quarto fere milliari prope Aternum amnem, *Toccum* est: & post in mediterraneis *Cantalupum* circa montis pedem, ubi Oleum Petronicum colligitur. Haud procul *Lucus* est, paulloque altius in Aterni ripa Castellum *Turris*; & ad confluentes Rafentam & Ortam, de quibus alibi, *Caramanicum*, Antonij Monachi Prædicatoris fama inclutum. Supra sub Maiella *Arx Morisii* est; paulloque inferius *Casanum*.

Chieti olim Teatea. ubi fuerit.

Hæc intus sunt; ad oram reverto. Edito in Colle ab Mari VII P. M. Vrbs est Archiepiscopalis, quæ vulgo *Chieti*, vel *Civita Chieto*. Sic Leander, Collenutius & Niger hodie vocari scribit, quæ Τεατέα Straboni & Ptolemæo. *Teatinos* habet Plinius: *Teates Apulos* Livius lib. VIII. *Marucinis* hanc urbem tribuunt Strabo & Ptolemæus: velle videntur idem Plinius Siliusque lib. VIII.

Marrucina simul Frentanis æmula pubes
Corfini populos magnumque Teate trahebat.

Item Statius ad Marcellum de Vesvij Conflagratione:

——— *Necdum letale minari*
Cessat Apex: procul ista tuis Tifata, Teate,
Nec Marrucinos agat hæc insania montes.

Res gestæ.

Sic apud Antoninum *Teate Marrucinum*; & corrupte in Itineraria Tabula *Tea Nomaructnoccio*, ubi legendum *Teate Marucinorum*; nisi sit *Teanum Marucinorum*. Mirum, quum *Teate* in Australiore Aterni sit ripa, ubi inter eumdem Aternum & Sarum, ex notatione ipsius Ptolemæi, *Pelignorum* fuit Sedes, quur *Marucinis* eam tribuant Tabulæ, ad Septentrionaliorem Aterni ripam habitantibus: nisi velimus *Teatea Marucinorum* diruta, aliam cognominem in *Pelignorum* agris fuisse conditam. Quidquid sit, urbem hanc à Pipino Karoli Magni Patre eversam legimus, quod rebus Langbardicis perpetuo studuisset; restauratam vero postea adeo Normannis ob amœnitatem loci placuisse, ut sedem hic potissimum collocarent, auctore Blondo.

Superaquani.

De *Superaquanis*, quos *Pelignorum* populos nominat Plinius, nihil habeo quod di-

cum; nisi quod *Super Equam* oppidum etiam notum sit libro Limitum: quod, ubi fuerit, ignoro.

Aternum. Fuit haud procul Teate in ostio fluminis Aterni opidum cognomine *Aternum*, Livio lib. xxix & Antonino notum. Strabo etiam *Aternum* opidum cum flumine eiusdem nominis, Piceno vicinum, memorat. Hodie ibi *Piscara* est, exiguum castellum, à quo fluvio etiam nomen, de quo alibi.

Vestini. Pelignis absolutis, *Vestinos* videamus. *Vestini* Latinis, Οὐηστῖνοι Straboni; Οὐεστινοὶ Ptolemæo. Eorum frequens apud Livium, Appianum, Florum, aliosque mentio. Hinc *Vestina Iuventus* Silio celebratur lib. VIII. *Vestinus Caseus* Martiali. De *Vestinis* sic Plinius lib. III cap. XII: *Vestinorum Angulani, Pinnenses, Peltuinates, quibus iunguntur Aufinates Cismontani.* *Confinales ipsis.* Confinales huic genti signare solent Geographi ex Ptolemæi tabulis aliisque Scriptoribus à Septentrione Pelignos, ab Ortu Samnites specialius sumtos, qua Meridies est, Campaniæ Latiique populos; qua Occidens, Præcutinos, Marsos, & Sabinos. Fecit autem, ut semel hoc dicam, eorum vicinitas, ut Loca, quæ Vestinorum, ab Auctoribus nunc Sabinis, nunc Campanis, nunc aliis adscribantur: quemadmodum parebit in Amiterno, Pinna, Angelo: & hinc *Vestinorum* designatio nonnullius esse solet difficultatis.

Amiternum. Vt singularia ordiar cum primis locus apud eos, ubi olim *Amiternum*, nunc maximarum ædium ruinis horridus. *Quorum Populorum.* *Amiternum* Livio, & Plinio. Ἀμίτερνον Halicarnassæo lib. II, Straboni V, Ptolemæo. *Amiternum Samnitium* urbs est apud Livium lib. X. Strabo Emporium nominat *Frentanorum*; *Vestinis* adcenset Ptolemæus; *Sabinis* tribuit Dionys. Halic. Plinius etiam *Amiternos* habet inter *Sabinos*. *Sabinorum* forte an fuit antiquissimis temporibus, quæ postea Samnitium; &, ut specialius dicam, *Vestinorum* facta. *Situs.* *Amiternum* perpetuo montis insidebat dorso, ubi hodieque fundamenta ostenduntur magnorum Operum, Theatri præcipue & Templorum aliquot; ex quibus, quam ampla fuerit, facile iudicare Spectator potest. Laurentius Ananiensis *Pescara* ex eo facit. *Amiternum*, inquit Baptista Fonteius in Cæsia Familia, *quod dirutum Aquilam urbem auxit.* *Unde dictum.* Hinc *Amiterni* Plinio, qui *Amiternini* Livio & M. Terentio Varroni, qui sic dictos notat, quod *circum Aternum* flumen habitarent. *Res gestæ.* A Sp. Consule quomdam expugnatam, cæsis Samnitium CIϽ CIϽ IϽCCC, captisque CIϽ CIϽ CIϽ CIϽ CCXXC, auctor est Livius lib. X; qui & *Amiternos* cum Vmbris, Nursinis & Reatinis, L. Scipioni in Africam ituro militaria suppeditasse auxilia commemorat. *Amiterna cohors* legitur apud Virgilium lib. VII & Silium Italicum lib. VIII. *Clari Viri.* Ortu suo nobilitarunt cum alii, tum *Sallustius Crispus* & *Victorinus*, Martyr sub Nerone, Vrbis Episcopus. *Ager.* *Amiternum Agrum* eiusque *Napos* celebrat Martialis in Apophoretis:

> *Nos* Amiternus Ager *felicibus educat hortis:*
> *Nursinas poteris parcius esse rapas.*

Flumen ex *Amiterno* facit Pomponius Sabinus ad librum VII Æneid. quod Vestinos & Marrucinos, a sinistra habet, supra sunt Peligni: *Error Pomp. Sabini.* ex Livii proculdubio loco, qui libro XXIV, male intellecto, ubi auctor scribit, *Flumen Amiterni cruentum fluxisse:* quæ verba quid velint, vel pueri norunt.

Quinto ab Amiterni Ruderibus lapide alto in monte iacet Episcopalis Vrbs *Aquila*, nunc hujus tractus Caput, ab Sulmone XXX P. M. versus Apenninum sita. *Aquila, unde nata,* Natam volunt ex Amiterni ruinis & Forconii, quod P. M. VIII hinc aberat, altero latere contra Amiternum, versus Piscariam amnem; qui locus nunc quoque magna operum fundamenta ex lapide quadrato habet, appellatus *Forconum*. *à quibus condita,* Condidisse autem perhibent *Aquilam* Langbardos; *auctaque.* Karolum inde Martellum, vel, ut aliis placet, Fridericum II Imperat. mœnibus cinxisse, munisseque; *unde dicta,* Colonis Civium iure, & Civitati *Aquilæ* nomine adsignato ab signo Cæsareo, vel potius ab fausto *Aquilæ* nomine. Ea autem brevi maximis incrementis ita auxit, ut Civitatum reliquarum principatum in hac regione facile nunc obtineat. *Caput Regionis,* Ab Ludovico Montorio Comite aliquamdiu fuit possessa sub auspiciis Ferrandi Aragonum regis. *Principes,* Hodie in ditione est Philippi Regis Hispaniarum. De eius conditione, primordio, nominis ratione, rebusque gestis plura Raffanus, Blondus, Leander, Collenutius lib. III Hist. Reg. & Iovianus Pontanus lib. V Hist. Colitur ab Civibus D. Bernardini, Minorum Ordinis Monachi, Corpus. Claruit *Aquila* ante paucos

annos

annos *Ioanne Aquilano* Prædicatore, Scriptis claro. Ager mira cum aliarum rerum, tum Croci copia est fœcundus.

Clari viri. Ager.

Subter fontem dein Aterni in Apennino *Mons Regalis* est: nec procul inde *Pyrus fastigiata*, de qua nonnihil capite de Fluminibus, ubi de Aterno.

Mons Regalis.

De *Peltuinatibus* & *Aufinatibus Cismontanis*, *Vestinorum* Populis, apud Plinium, nihil habeo quod dicam; nisi *Peltuinos* etiam nominari in antiquo Lapide, qui in Auctario Lipsij ad Smetij Inscriptiones. De *Angolanis* & *Pinnensibus*, quos *Vestinis* idem Plinius concenset, nos iam nunc in *Marucinis*.

Peltuinates. Aufinates.

Hi enim Vestinis succedunt explicandi. *Marucini* Cæsari, Livio, Statio, alijsque Latinis scriptoribus dicuntur; Μαρρουκῖνοι Straboni; Μαρουκῖνοι Ptolemæo: qui *Marrucini* Plinio, *Teatinos* iis adsignanti; cuius rei vestigia, sed corruptissima, etiam deprehendo in Itineraria Tabula; ubi, ut antea indicavi, sic legitur, *Tea Nomarucino ceio*: emendandum *Teate Marucinorum*: Μαρρουκῖνοι Diodoro. Corrupte Μαρρυκῖνοι apud Memnonem, inquit Ortelius. *Marucini*, ut Ptolemæus & alij delineant, ab ortu sunt Peligni cum Aterno; ab meridie Vestini & Præcutini; ab occasu Piceni cum Truento; ab Septemtrione Adria. Res ab iis gestas memorat Livius libro IX, ubi *Marucinos*, Marsos, Pelignos & Frentanos pacem amicitiamque Populi Romani impetrasse scribit.

Marucini. Fines. Res gestæ.

Particularis sequitur delineatio, capto ab arduis circa Piscariam vel Aternum montibus initio. In adscensu igitur illorum sunt *Ratanum*, *Vertorium*, *Carapellum*, mediterranea. Tum infra duobus ab Aterno millibus *Capistranum* est; inter alia duo Castella *Offenum* & *Buxum* (*Busso*) ad amnem, qui vulgo *Capo d'Acqua*, situm.

Specialiora Marucinorum. Ratanum. Vertorium. Carapellum. Capistranum. Offenum. Buxum.

Dein ad Piscariam sunt *Castilio*, *Turris Antonelis*, *Petranicum*, *Alardum*, & *Rosanum*.

Castilio. Turris Antonelis, &c.

Sub Nuriæ, Aterno se commiscentis, fonte Monasterium est *Casæ Novæ*, ædificiorum pulcritudine, reditibusque amplissimis nobile.

Casa Nova.

Ad Septemtrionaliorem Nuriæ ripam opida sunt *Cambatoneum*, *Planellum*, *Muscusonum*, *Mons Silvanus*, & *Spoltorium*.

Cambatoneum, Planellum, &c.

Inter Tanum porro & Sinum amnes, media prope regione, IV ab ora P. M. *Civitas Penne*, *Città di Penne*, nobile & antiquum Opidum. Πίννα Ptolemæo; *Pinna* Silio, *Pinnis* Paullo Diacono lib. II Langbardic. cap. XIX. *Pinnenses* Plinio in Vestinis locantur. Meminit eorum & Valerius Maximus.

Penna.

Non procul dein ab Tavo *Lauretum* in Collibus adparet, Ducatus insigne titulo; itemque *Collis Corvinus*.

Lauretum, Ducatus. Collis Corvinus.

Ad ripam Tavi dexteram jacent *Valvianum*, *Serra*, *Corvinianum*, *Bisentum*, *Pinianum*, *Mons Siccus*, *Casilentum*.

Valvianum, Serra.

Prope Salinum fluvium duobus ab ora milliaribus Opidum Episcopale *Portus S. Angeli*. Ἄγγελος est Ptolemæo, ut censent Orlandus, Volaterranus, Blondus, Leander, alij. *Angelum*, ut quibusdam videtur, Antonini. *Angulani* sunt apud Plinium, in Vestinis eos ponentem.

Portus S. Angeli. Episcopatus.

Propinquo Plumbæ Amnis loco Castellum jacet *Illice*: tum intus ad eumdem amnem *Celinum*, & prope fontem *Schiranum*: nec procul ab ostio Plumbæ *Portus Adriæ*, vulgo *Porto di Adria*, vel, ut alij, *Porto de Atri*. Ἐπίνειον τῆς Ἀδρίας Straboni, ad Matrinum, qui nunc *Plumba*, illud locanti. Supra dein, Castellum *Silnium* est.

Illice. Celinum. Schiranum. Portus Adriæ. Silnium.

Plumbam transgressis inter ipsum & Vomanum amnem medio spatio occurrit *Adria*, vulgo *Atri* (alia ab ea, quæ in Transpadanis) Urbs Episcopalis: arduo montis inlocata jugo. *Adria* Livio, Plinio, Melæ, Silio lib. VIII, Itinerariæ Tabulæ: Ἀδρία Stephano in Πραιτεττία & Eustathio. *Adriam* hanc Plinius VII P. M. ab Mari locat. Livius lib. XI *Coloniam* agnoscit Romanorum; alibi etiam lib. XXV eius faciens mentionem. Hinc *Adriani* eidem Livio lib. XXVII. Ortus hinc *Adrianus* Imperator, ipso teste apud Spartianum. Legendi & Aurelius Victor Paullusque Diaconus, lib. II. cap. XIX, qui imprudenter hanc Urbem confundunt cum ea, quæ in Romanula, de qua suo loco: adserentes inde *Adriatico Sinui* nomen factum. Non bene. De *Adriani* tamen Imperatoris Patria alii aliter. *Adriani* etiam hinc *Agri* mentio apud Livium lib. XXII & Plinium lib. III cap. XIII. Plinius, Strabo, Ptolemæus hanc in *Piceno* collocant, quoniam Matrino amne, ut Strabo vocant

Adria, Episcopatus. Colonia. Clari viri. Ager.

cant

cant & Ptolemæus, vel, ut Plinius, Helvino, vel, ut hæc ætas, Plumba Prætutianam Regionem finiri, & *Picenum* incipere tradunt.

Prætutii. Fines, *Prætutianos* igitur subiungamus, quos post agrum Adrianum Adriamque Coloniam & flumen Vomanum nominat Plinius. *Prætutios*, qui Πρæτουττίοι Ptolemæo, *Prætutianos* alius, ad ortum sunt Vestini, ad meridiem Sabini; qua occasus est, Truentum flumen, qua Septemtrio, Marucini cum Adriatico Sinu. Inde *Prætutianus Ager* Plinio lib. III cap. XIII. *Prætutiana Regio* apud Livium lib. XXII, quæ Πραιτουττία Stephano, χώραν aienti ἀπὸ τῶν Ἀδρίας, de quo ante: addentique ἧς ὁ οἰκήτωρ, Πραιττιανὸς καὶ Πραιττιανοί. *Vina Prætutiana* nobilitatis inter optima gradum habere, notat Plinius lib. XIIII cap. VI.

Specialiora. [illegible] Motula, Mons Viridis, Mons Gualcus, &c. Specialiora huius gentis explicemus. Post Plumbam fluvium in ora ostium est Vomani: cui versus Austrum adsident *Motula, Mons Viridis*, *Mons Gualcus*: sursumque ad fontem amnis, Vici Pagique multi & Castella frequentia: inter quæ *Messinum, Caput Tostum*, & *Poggium*, Opida.

Trans Vomanum in ora sexto lapide Turdini Fluminis est ostium.

Rosenum. Poggium, Vinerentum, &c. Sunt inter Vomanum & Turdinum Opida multa: quorum ab supremo ad infimum hic fere est ordo; *Rosenum, Poggium, Vineretum, Rupes Montortana* (*Rocca di Montorio*) *Montorium, Feratiolum, Collis Vetus, Rapinum, Mianum, Forcella, Cantianum, Transmundium, Castellum Vetus, Castellum Novum, Guardia Vomani, Loccarisium*, & *Morum*.

Teranum Ducatus Episcopatus olim Interamnia. Sequitur Amnis Turdinus: inter quem & Viciolam Turdino se miscentem Civitas est *Teranum*, spatio ab ora XII P. M. Caput Prætutianorum, Ducatus & Episcopatus titulo clarum. Ab situ *Interamnia* Plinio, Ἰντεράμνια Ptolemæo.

Campleum Burgum Novum Bisentum. Ad initium Flumicelli (qui ab Viciola in Turdinum defertur) Castellum est *Campleum*; supraque fontem amnis *Burgum Novum* & *Bisentum*.

Flavianum, olim Castrum Novum. Haud procul Turdino circa littus Opidum est fere desertum *Flavianum*, ubi quondam Vrbs, quæ Ptolemæo Κάστρον, *Castrum Novum* Plinio, Antonino, & Itinerariæ Tabulæ. Reduxit hanc Vrbem apud Strabonem libro V, Manus doctissimi Casauboni. Nam pro monstrosis istis, εἶτα καὶ τρεντεινω, ex quibus nonnulli Flumen fuderunt, restituit, εἶτα Καστρεννόνιον, quod omnino probo. De eo sic scribit ad Ortelium Celsus Cittadinus Anglerius: *Apellatum hoc fuit postea* Castrum S. Fabiani; *& eo diruto ob aëris malignitatem, iussu Iulii Aquavivæ, Arrianorum Ducis* (vulgo de Atri) *ex illius ruinis ædificata fuit sumtibus eiusdem Ducis* Iulia Nova, *Opidum in Mediterraneis, ad tertium fere milliarium*.

Mons Paganus Mosanum &c. Parvo hinc intervallo abest *Mons Paganus*; inque Mediterraneis *Mosanum, Ripatonium, Villantitum*.

Montorium. Comitatus. Poggium Morellorum. Salino fluvio ad Meridiem adlocatum est *Montorium*, titulo Comitatus ornatum.

Supra Montorium deinde *Poggium Morellorum*, *Poggio de i Morelli*; altiusque *Troia* est.

Civitella. Post in montibus haud procul ab amne, dextra, munitissimum est Opidum *Civitella*, super Clivo prælto sita, qua meridiem ex una, ex altera parte Orientem prospectat. Eius descriptio apud Natalem Comitem Historiarum lib. X.

Caropellum Neretum, &c. Iuxta amnem Libratam in dextra sunt *Caropellum* & *Neretum*; in sinistra vero *Torturetum, Ad D. Tomerum*, & *ad D. Ægidium* haud procul à fonte.

D. Floriani. Secundum littus ad Truentum properanti locus occurit ubi Opidum *D. Floriani* erat, superioribus annis ab Iulio, duce Adriano, ob aeris inclementiam subuersum, cui successit eiusdem auspiciis alıud tribus ab ora P. M. *Iulia Nova*.

Columella. Truentum. Ad dextram Truenti primum Opidum est *Columella*. Ductum sequutus Itineris, quod Antoninus describit ab Vrbe Mediolanensi per Italiæ longitudinem ad Columnam vel Traiectum Siciliæ, omnino censeo hoc fere loco fuisse antiquam Civitatem *Truentum*. Accedit & Itineraria Tabula, in qua eodem loco scriptum est, *Castro Trentino*, vitiose pro *Castro Truentino*. Nam & *Castrum Truentinum* habet ibidem M. Tullius lib. VIII Epist. ad Atticum. *Truentum* opidum etiam Plinio Pomponioque notum. *Truentinas Turres* nominat Silius lib. VIII.

Contraguerra. Ancharanum. Supra Columellam sunt *Contraguerra, Ancharanum, Morrum, Murrum*que *Trassinum*.

Mox

Mox ad confluentem cum Truento Castellanum offert sese *Asculum*, antiquissima Civitas, Episcopatus dignitate nobilis. *Asculum* quidem Strabo, Plinius & Ptolemæus in *Piceno* collocant: sed quia ad australiorem Aterni ripam est positum, *Picenum* autem ad Borealiorem initium capit, malui cœptum sequutus institutum *Samnitium* concenere. *Asculum* Cæsari lib. I. Commenta. Silio lib. VIII, Livio passim. Ἄσκλον Ptolemæo; Ἄσκλος Stephano *Asclum* Antonino; *Asculus* Paullo Diacono lib. II Langbardic. cap. XIX. *Asculo Piceno* in Itineraria Tabula, ob vicinitatem. Plinius nobilissimam *Piceni Coloniam* appellat. Iacet plano patuloque campo, munitissimo in loco, mœnibus firmis. Ab una parte Mons sublimis in quo sita est Arx; ab altera Truentus ripis præaltis munit. Res ab *Asculanis* & contra ipsos gestas describunt Livius libro LXXII, LXXVI, & alibi, L. Florus lib. III cap. XVIII aliique Scriptores. Imperium Vrbis diu Romana Ecclesia tenuit, primumque hic ipsius Dominij Temporalis, ut vocant, initium. *Asculani* fuerunt *T. Betutius Barrus*, quem omnium extra urbem Romam eloquentissimum appellat M. Tullius in Bruto; *Ventidius Bassus*, bello Parthico Legionum Romanarum Imperator; de quo cum alij, tum Iuvenalis Sat. VI; *Nicolaus* IIII *P. M*; *Cecus*, Astrologus quam Poeta, melior; *Enoch* Orator eloquens, Orationum aliquot & Epistolarum auctor, *Gratiadeus* Theologus & Philosophus, Scriptis itidem clarus: & alij. Aliud est *Asculum* in Apulia.

Asculum, Episcopatus, cuius gentis, Colonia, Situs, Res gestæ, Principes, Clari Viri.

Per Vallem deinde Castellanam *Amatricum* devenitur, infra Truenti fontem. Ad Castellani ripas Opida sunt *Mons Sanctus*, *Machia*, *Bussartum*, & *Ad D. Viti*.

Amatricum, Mons Sanctus, Machia, Bussartum, Ad D. Viti.

Absolvimus quos littorales aliquo modo dicere possumus Samnitium Populos, *Frentanos*, *Carentinos*, *Pelignos*, *Vestinos*, *Marucinos*, & *Præcutinos*: sequuntur, qui nulla parte oram attingunt, sed plane mediterranei etiam in alteram Apennini partem, quod Regioni Italiæ nulli præterea commune, se extendunt *Hirpini*, & *Samnites* speciatim sic dicti, junctim ob limitum incertitudinem & indiscretam utriusque gentis vicinitatem explicandi. *Hirpinos*, ab Coloniæ Ductore Lupo, qui Samnitibus *Hirpus*, nomen habuisse, auctores sunt Strabo lib. v & Festus libro IX. *Hirpini* Plinio lib. v cap. XI, Livio multis locis, Silio lib. XI: Ἱρπῖνοι Straboni libro V; Ἵρπινοι Ptolemæo & Appiano libro I. Strabo Agrum illis tribuit Lucanis confinalem. Plinius in Secunda locat Italiæ regione, in qua & Beneventum. *Samnium* citra Hirpinos est, a quo tota regio *Samnitium* nomen adepta. Quidam Vrbem fuisse Regionis Caput *Samnium*, nunc deletam ajunt, indeque *Samnites* huius tractus Incolas esse vocatos. Conregionales Hirpinis, Samnitibusque hic, ab Ortu sunt Lucani; ab Meridie, Campani & Picentini: ab Occasu, Sabini & Vestini; ab Septemtrione, Apuli Dauni in Apennino. De *Samnitibus* his sic scribit Plinius libro v cap. XII: *Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixere, Colonia Bovianum Vetus, & alterum cognomine Vndecumanorum, Aufidenates, Æsernini, Fagi, Fugali, Ficolenses, Sepinates, Treventinates.* Alij pro duobus *Fagi*, *Fugali*, legunt *Fagifulani*, de quibus præterea nil habeo.

Hirpini. vbi. Samnites specialiter dicti.

A *Benevento* Archiepiscopali Civitate principium nobis esto. Id *Maleventum* olim dictum, post *Beneventum* dici cœpit. *Beneventum*, ait Plinius lib. III cap. XI *auspicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum*. Βενεβεντός, inquit Stephanus, ἡ καὶ Μαλουεντός, &c. Festus libro II: *Beneventum Colonia quum deduceretur appellari cœptum est melioris ominis caussa. Namque eam urbem antea Græci incolentes* Μαλοέντον (sic legendum) *appellarunt*. Vide Nobiliss. Virum Iosephum Scaligerum. Procopius libro I de bello Gothico ab *Malo Vento* deducit, quem injuriosum & horribilem sæpe patitur. Non defuerunt, qui *Maleventum* prius appellatum putent propter ingentem stragem, hic à Sulpitio Petilioque coss. editam, cuius descriptio apud Livium lib. IX. Imprudenter. *Maleventi* prisci nominis mentionem facit Livius libro IX & X. Idem libro XIIII & Plinius libro X *Beneventum* notant vocari cœpisse, quum eo Colonia deduceretur, boni ominis gratia. *Beneventum* Livio passim, Tacito lib. XV, Antonino, Vibio Sequestro, alijsque notum; Βενεβεντὸν & Οὐενεβεντός Ptolemæo: *Benevento* vulgo. Conditum ab Diomede, testibus Solino in Polyhistore & Servio ad VIII Aeneidos: inde χωρίον Διομήδους apud Stephanum. Olim *Argyrippam* vocatum scribunt Suidas & Cedrenus, non sine errore. De *Argyrippa* alibi. Situ urbs est admodum oportuno & amœno, summa

Beneventum, Archiepiscopatus. olim Maleventum. Conditor. an olim Argyrippa? Situs, vbi & ingeniose,

summa agrorum bonitate præstans. In *Hirpinis*, eorumque *Coloniam* esse scribit Plinius: in *Samnio* ponunt Strabo & Ptolemæus: *Campanum Beneventum* nominat Ausonius his versibus:

Caenea convertit Proles Saturnia: Consus
Ambiguoque fuit corpore Tiresias;
Vidit semivirum fons Salmacis Hermaphroditum:
Vidit nubentem Plinius Androgynum:
Nec satis antiquum, quod Campano in Benevento
Unus Ephebo um virgo repente fuit.

Distantia ab Neapoli. Ab Neapoli *Beneventum* xxx fere M. P. intercedunt. *Coloniam* Civium Romanorum deductam *Beneventum*, quo tempore & Ariminum, auctores sunt Livius lib. xiiii, & Velleius lib. ii, quam ob caussam & *Colonia* Plinio dicitur, & in antiquo Lapide *Colonia* etiam connumerat Coloniarum Liber, quem vide. *Concordia Colonia* cognominatur apud Frontinum. Cives maximam olim virtutis & disciplinæ nobilitatis opinionem apud Romanos habuisse, notum est ex historijs. *Ordo Beneventanus* est in Basi, quæ ibi ante summum Templum:

Colonia.

Incolæ.

CLAVDIO. IVLIO
PACATO. V. C. CONS. CAMP
OB. ÆQVITATEM. IVDICII
ET. PATROCINIA. IAM. PRIVATI
ORDO. BENEVENTANVS
PATRONO. POST. FASCES. DEPOSITOS
CENSVIT. COLLOCANDAM

Plebem Beneventanam nominat alia Basis, quæ in Vico Fabrûm Ferrariorum:

T. AVONIO. MARCELLINO
V. C. CONS. CAMP. PATRO
NO. DIGNISSIMO. OB. IN
SIGNIA. BENEFICIA. QVI
BVS. LONGA. POPVLI. TÆ
DIA. SEDAVIT VNIVER
SA. PLEBS. BENEVENTA
NA. CENSVIT. PONENDAM

Clari Viri. Martyrio *Beneventi* adfectus est cum alijs *Ianuarius*, Episcopus sub Diocletiano Nobilitarunt hanc urbem orto suo *Orbilius* Grammaticus, Magister ætate Ciceronis plagosus; *Gregorius* VIII P. M: *Roffredus* & *Odofredus*, Iurisconsulti celeberrimi. Nobiles hic Familiæ non paucæ, quæ vulgo:

Familiæ Nobiles.

Capo-bianchi.	*Manselli.*	*Pescie.*
Condestabili.	*Mascambruni.*	*Savariani.*
Controvieri.	*Mazzili.*	*Velota.*
Di Gregorio.	*Di Pacca.*	& aliæ.

Via à Benevento Brundusium. Uiam à *Benevento* Brundisium usque Nervam Traianum fecisse, loquitur viæ Terminus, qui Asculi:

IMP.

IMP. CÆSAR
DIVI. NERVÆ. F.
NERVA. TRAIANVS
AVG. GERM. DACIC
PONT. MAX. TR. POT
XIII. IMP. VI COS. V
P. P.

VIAM A. BENEVENTO
BRVNDISIVM. PECVN
SVA. FECIT

Ager suburbicarius vulgo dicitur *Valle*, vel *Destretto di Benevento*; multorum millium. *Beneventum* Vrbs ab Hannibale primum (Videndus Livius lib. XXII, XXIV, XXV & XXVII) direpta, dein ab Totila Gothorum Rege (Blondus lib. VI. Histor.) eversa, & ab Langbardis postea est refecta, qui, tota Italia occupata, sedem & domicilium Imperij sui una cum *Beneventani Ducatus* nomine hic constituerunt, quod annos stetit fere ducentos; donec sublata ab Karolo Magno eorum Dominatione, in potestatem ac ditionem venit Regum Italicorum. Iterum aliquot annis post ab Saracenis vexata est & cremata: ijs deinceps Italia pulsis, instaurata denuo; sed non ita multo post ab Othone II Imperatore vi expugnata est, & vastata. Blondus lib. XIII Histor. Tandem ab Gulielmo Nortmanno, qui Regnum Siciliæ post adeptus, reædificata, Pontificis Romani Imperio parere est jussa: quam tamen aliquanto post rursus ab Friderico II Imp. direptam eversamque esse, Platina in Vita Hadriani IV, & Gregorij IX, & Blondus libro XV & XVII testatur. A quo postea refecta sit, non legitur.

Ager. Res gestæ. Ducatus.

Sex a Benevento P. M. inter Colles Opidum est *Mons Fasciolus*, supraque id *Turris* & *Mons Militus*.

Mons Fasciolus. Turris. Mons Militus.

Circa Vallem, quam Sabbatus perfluit, Benevento propinquam, sunt *Mons Falco, Candida, Serpitum*; supraque altissimis in montibus Tremulis, Episcopalis Civitas *Vulturata*.

Falco. Candida. Serpitum. Vulturata. Episcopatus.

Supra Beneventum ad Calorem visuntur *Iapygium, Cusanum, Castellum Vetus*, & altius *Montella* Opidum, Comitatus titulo clarum.

Iapygium, &c. Montella. Comitatus.

Ad alteram Caloris ripam sunt *Apitium, Mirabella, Taurasum, Cusanum* aliud, *Baniolum (Bagnolo) Cassanum* & *Noscum*.

Apitium, &c.

Sabbatum transgresso se offert, Tripalto Fluvio vicinum, Opidum *Tripalta*, Ferrarijs officinis notum, Marchionatusque dignitate ornatum. Cives Hippolyti Martyris ossa in primario templo servare se gloriantur.

Tripalta. Marchionatus.

Sequitur ad Tripaltum amnem *Silva* Latronibus infamis *Tripaltina*: & supra eam prope flumen *Bonetium*, *Crypta (Grotta) Menarda, Flumartum, Miletum, Amandum, Iunculum*, & in Apennino *Mons Grumus*, quomdam ita dictus, nunc *Crepacorius*.

Bonetium. Crypta, Menarda, &c.

Iuxta Fluvios Tripaltum & Miscanum Opida jacent *Cursanum*, *Mons Calvus*, *Arianum*, Colli aspero & difficili insitum, olim, ut Volaterranus vult, *Ara Iani*, nihil tamen antiquitatis præ se ferens. Titulum nunc habet Comitatus.

Cursanum, Mons Calvus. Arianum, Comitatus.

Haud procul inde trans Miscanum in Valle *Mons Malus, Bonalbergium, Casale Arboris*, & *Castellum Francum*.

Mons Malus, &c.

Pergo porro ad Tamarum Fluvium, cui adsident ad Orientalem quidem ripam *Padula, Ad D. Gregorij, Molinaria, Casale Iani, Rignanum, Ad D. Mariæ, Collis, Cercellum, Coffiannm, ad Crucem Sanctam*: ad Occidentalem vero; *Petra Pulcina, Pavonium, Pestulonium, Farnelum, Campus Lotharius, Monasterium Iulietorum (di Giulieti) Marconium, Saxum Honorij*: & in Apennino *Sepinum*; quod antiquum nomen retinet. *Sapinum* enim dicitur Livio libro X, ubi res ad opidum illud gestas victoriamque Papirij

Padula, &c. Sepinum,

pitij commemorat: Σαίπινον Ptolemæo. *Sepinum* etiam in antiquo Marmore. Hinc *Sepinates* Plinio. *Coloniam* esse docet Frontinus. Inlustravit ortu suo *Angelus Sepinas*, Philosophus & Medicus insignis.

Colonia. Clau. Vit.

Alta-Villa Principatus.

Sequitur *Alta-Villa*, Principatus titulo celebris: supra quam in Apennini jugo *Castellum Vetus* est.

Telesia.

Ad Sabbati dextram infra in planiciem redeunte sub colle Mille Pass. ab amne, antiquum se pandit Opidum *Telesia*. Sic apud Livium, inter Samnij opida libro XXI & XXIV referentem, Antoninum, aliosque scribi video. Τελεσία autem apud Strabonem, Venafro adjungentem: quæ duplici σσ Τελεσσία Ptolemæo. *Telese* est in Itineraria Tabula, pro *Telesia*. *Coloniis* connumerat Frontinus. Hodie *Telese*, Episcopatus titulo florens.

Colonia. Episcopatus.

Limata. Pons.

Haud procul inde ad Sabbatum versus ortum Opidum est *Limata*: hinc ad *Pontem* quatuor intercedunt Torrentes, qui corrivati uno ostio in Sabbatum feruntur: quorum fontibus vicina sunt, *Ad D. Laurentium*, *Ad D. Lupum*, *Pons Landulphi*, & *Casalonium*.

Castellum Posonium. Vesciolia. Saticula. Colonia.

Sabbatum transgredior, cui ad meridiem miscetur Seritella: ad cujus ripas opida visuntur *Castellum Posonium*, *Vesciolia*, *Mons Saticulus*. *Saticula* Livio libro VII & IX: Σατίκολα Diodoro lib. XIX & Stephano. *Coloniam* vocat Paterculus. *Saticulus asper* Virgilij est, referente Servio, in Campania, fortean ob vicinitatem. *Saticulanus Ager* est apud Livium libro ab Vrbe condita XXIII.

Caudium.

In proximo deinde *Caudina Vallis* est, quæ (Benevento, interfluente Amne, P.M. octo ferme abest. nunc *Valle di Gardano* dicta, testibus Collenutio & Leandro. Visuntur ibi antiquæ urbis vestigia, quæ *Caudium* Livio libro IX & alijs in locis, Καύδιον Straboni (male apud eum uno loco Καλύδιον) & Ptolemæo: quorum Interpretes male vertunt *Clusium*. *Caudinum Colonijs* adcensetur Frontino; ubi M. S. Codices, indicante Scriverio meo, *Caudium*, rectius. Hinc *Caudini Populi* circa Hirpinos nominantur Plinio. *Caudinæ Furcæ* vel *Furculæ* Livio, qui libro IX scite depingit, Floro, Valerio Maximo, Lucano, Plinio in Epistolis, & alijs: insigni Romanorum, quorum Legiones sub jugum hic miserunt T. Veturio Calvino & Sp. Postumio Coss. Samnites, ignominia nobiles. Historiam narrant præter alios Livius lib. IX. *Caudinæ Fauces* dicuntur Silio lib. VIII. Hodie *Stretto di Arpaia*, *Angustias Harpadij* nominant ab Opido propinquo; & ubi sub jugum Romani transierunt *Iugum* dicitur *D. Mariæ*. *Caudinum Iugum* etiam est apud Quintilianum.

Colonia. Caudinæ Furcæ.

Harpadium, olim Hirpinum.

Haud procul etiam à Monte Saticulo Civitas est *Harpadium*, vulgo *Harpaia*: Antiquis *Hirpinum*, ut Blondus tradit. *Irpinum* apud Ciceronem est, sine adspiratione.

Ad D. Martini, &c.

Sequuntur ab alia parte Vallis Caudinæ Opida *Ad D. Martini*, *Penna Sturnina*, *Ad D. Angeli Scalaris*, *dalle Scale*.

Alta-Villa. Mons Fredda-nus. Abellinum.

In Valle Amnis, qui de Monte Virginis altissimo in Sabbatum fluit, Opida sunt *Alta-Villa*, *Monsque Freddanus* & in propinqua Convalle vetus Civitas *Abellinum*. Sic Plinio vocatur Ἀβέλλινον etiam Ptolemæo; cui, ut & Straboni, alia est Ἀβέλλα in Campania, ut ibi dictum. Hodie *Avellino*. Hinc *Abellinates* Plinio, *Protropi* & *Marsi* cognominati: *Avelinates* Lucano. In libro Fisci Pontificij Vrbis hujus Antistes *Avellinensis* dicitur Episcopus: alterius in Campania, *Avelinus*. In Glossario Græco-Latino hæc lego: Ἀσομάτος ἀὸς Βαβυλωνικοῦ *Beneventanum*. Nescio an scripserit Ἀβελλινικοῦ, cujus quidem usus in Agro Beneventano, unde *Beneventanum*; sed quod *Abellini* parabatur, unde Ἀβελλινικόν.

Mercuriale.

Altius dein aspero in loco *Mercuriale* est opidum, cujus apud Antoninum est mentio.

Nigra Palus. Serinum.

Hinc in alia Convalle *Nigra Palus*, & *Serinum*: nec procul inde locus, qui *Forino* vernacule, cum *Cæmiterio D. Felicissimi*.

Sora.

Occidentaliora hinc Petam Loca Silari Vulturnique Fontibus vicina: in quis non postremæ classis *Sora*. Sic Latinis scribitur; Σώρα Græcis. Plinius in I Regione memorat, ubi Latium, in quo recenset etiam Ptolemæus; Strabo in Campania Felice. Alij, quibus & ego consentio, Samnitibus tribuunt, cum quod in Vestinis, Samnitium gente, sit, ut alibi dictum: tum quod ab Samnitibus de Volcis capta legatur apud Livium lib. X. Vicina est Liri Amni; populo haud infrequens, ti-

tuloque Ducatus & Episcopatus ornata. *Coloniam* eo ab Romanis ductam, notant Livius lib. IX & X, Paterculus libro I, Frontinus de Colonijs: ideoque *Colonys* annumeratur à Plinio libro III cap. V. *Soram* Cicero pro Plancio *Municipium* vocat. Diu sub Imperio Romano floruit. Direptam crematamque ab Friderico II Imper. auctores sunt Blondus lib. XVII Histor. & Platina in Vita Gregorij IX. Quis postea refecerit, non legi.

Ducatus. Episcopatus, Colonia, Municipium.

Confluunt paullo infra Soram duo Amnes, qui Liri præbent initium; ita ut Peninsulam quasi faciant, in qua præter Soram sunt *Pescum, Posta, Lobrutallium*.

Pescum. Posta. Lobrutallium.

Hinc Peninsulæ ad Ortum peramœna & fertilis est Regio, quam *Cominium* dicunt, ab Antiqua Vrbe *Cominio*, cujus meminit Livius libro X & alibi.

Cominium. Vicalvum, &c. Atina,

Castella hic non infrequentia, *Vicalvum, Alvetium, Ad D. Donati, ad Septem Fratres, Picinestum, Casinarium, Casale Toerum,* & *Atina*, civitas antiquissima, cujus meminerunt Virgilius libro VII inter Vrbes quæ Turnum armis juverunt, Livius multis locis, præcipue libro IX, & Silius libro VIII. Pomponius Sabinus eam in excelso colle describit post Fabateriam versus Iterum. *Atinates* Plinius in prima numerat Regione. Ptolemæus *Atinam* etiam in Latio ponit. In Campania juxta Pomtinas Paludes locat Servius: Alij commodius in Samnitibus: Creat diversitatem hanc vicinitas. *Colonys* concenset Frontinus.

Colonia.

Sub Casali vero ad Melphem modicum invenitur Castellum *Sclavonium, Schiavone*: infraque asperrimo in colle *Arpinum* (*Arpino* hodie inter Soram & Aquinum) Opidum Livio multis locis, præcipue libro IX, alijsque celebratum. Hinc *Arpinates* Plinio in prima Regione, & Silio lib. VIII. *Coloniam* eo deductam scribit Livius libro IX. *Arpinates* Civitate donatos tradit idem libro X & XXXVIII. De *Municipio Arpino* M. Tullius pro Plancio & de Claris Oratoribus. Festus *Arpinum* inter eas numerat *Præfecturas*, in quas Prætor singulis annis Præfectos mittebat, itemque interea *Municipia*, quæ sui erant juris. Celeberrimum hoc Opidum ortu C. *Marij*, septies Consulis, de quo nulli non Scriptores. In huius Agro *Arpinatem Fundum* nominat Cicero ad suam Terentiam.

Sclavonium, Arpinum, Colonia, Municipium, Præfectura, Clari Viri, Arpinas Fundus.

Soræ versus Austrum est *Villa D. Dominici*, ubi Fibrenus Liri miscetur: tribus ab Arpino P. M. ubi *M. Tullium* in lucem editum, ait Petrus Marsus. Ipse sane de Natali loco sic scribit lib. II de LL. *Sed ventum in Insulam est: hac vero nihil est amœnius: ut enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, & divisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit, & tantum complectitur, quod satis sit modicæ palæstræ loci: quo effecto, tamquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret sedem ad disputandum, statim præcipitat in Lirem, & quasi in Familiam Patritiam venerit, amittit nomen obscurius, Liremque multo gelidiorem facit. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, quum ad multa accesserim, ut vix pede tentare id possim, quod in Phædro Platonis facit Socrates.* Paullo vero prius idem his verbis fuerat usus: *Hæc est mea & huius Fratris mei germani Patria: hinc enim orti stirpe antiquissima sumus, hic Sacra, hic Genus, hic Maiorum multa Vestigia: quid plura? hanc vides Villam, ut nunc quidem est, lautius ædificatam Patris nostri studio: qui quum esset infirma valetudine, hic fere ætatem egit in literis: sed hoc ipso in loco quum Avus viveret, & antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum.*

Villa D. Dominici. Patria M. Tullij Ciceronis.

Sub Arpino prope Melphem Opida sunt *Fontanum* & *Arceum*: supraque, ubi duo Liris capita in unum coeunt *Insula Castrum*: olim, ut censent Blondus, Leander, Cittadinus, Niger, & alij, quod inter duos Amnes, *Interamnia* Ἰντεράμνιον Straboni, quod ad confluentes Liris & Casini. *Coloniam* factam docent Livius lib. IX & X, Paterculus lib. I, & antiquus Lapis. Hinc *Interamnates* Plinio, cognomine *Succusani Lirinates*, ut sine copula legit Ortelius. De ijs Inscriptio, quæ apud Onuphrium in Imperio Romano:

Fontanum. Arceum. Insula Castrum, olim Interamnia; Colonia.

P. TVRCIO P. F. STEL. SEVERO
II VIRO. CVRAT. REIP. INTERAMNAT
LIRIN. EORVMDEM. PATRONO. COL
CASSINATES

Turris, &c. Secundum ejusdem fluminis decursum Opida visuntur *Turris*, *Campus Largus*, * Infulesta.*

Aquinum. Occurrit ab his locis versus Ortum procedenti *Aquinum.* Sic Latinis dictum; inter alios Silio Italico libro VIII, Antonino, & Itinerariæ Tabulæ: Ἀκύνιον Ptolemæo: Ἀκουΐνον, inquit Strabo, μεγάλη πόλις ἐστί, παρ' ἣν ὁ Μέλπις ῥεῖ ποταμὸς μέγας. Legendum ex Ptolemæo Ἀκουΐνον. In Latio ponit Ptolemæus, in Prima regione Plinius. *Municipiû* jus habuisse paret ex Ciceronis Oratione pro Plancio. *Coloniam* inde factam, testantur Frontinus & Plinius lib. III cap. v. Hinc *Colonia Aquinas* Livio libro XXVI & Tacito libro XVII. *Aquinates* hinc Silio lib. XII. Nati hic *Pescennius Niger* Imperat. testibus Herodiano & Iuvenale; & *Victorinus*, summus Geometra. Nobilitavit etiam eam Patriam suam *Thomas*, magnus Philosophus; *Aquinas* hinc cognominatus. Nomen retinens collapsa pene jacet, vestigia præferens pristinæ amplitudinis: Comitatus Episcopatusque habens titulum.

Municipium. Colonia. Clari Viri. Comitatus. Episcopatus.

Haud procul inde in vertice Montis locus monstratur, ubi quomdam *Casinum*. Meminit cum alijs Silius Italicus libro XII de Bello Pœnico:

——— *Nymphisque habitata* Casini
Rura.

Casinum. Expressi est & in Itineraria Tabula. *Casinum*, inquit Varro, *Forum Vetus appellant.* Κάσινα Agathiæ libro I; quæ Κασῖνον scribitur in M. S Codice CL. V. Bonaventuræ Vulcanij, fidelissimi Græcarum Litterarum in Academia Lugdunensi Interpretis, Conlegæ mihi amicissimi. *In Casinensi Castro*, inquit Paullus Diaconus lib. I. Rerum Langbardicarum cap XXVI, *quod Narum appellatur*; dicitque L millibus distare ab Sublaco. Pro *Harum* legit Abrahamus Ortelius *Arum* ex Floriacensi, quod *Avarum* apud Marianum Schotum, & *Baurum* apud Blondum lib. VI Dec. cap. I. Κάσινον Strabo præclaram Latinorum Vrbem vocat, & XIX stadijs ab Capua distare scribit: Plinius in Prima numerat Regione: *Casinum* habet Livius circa Campaniam. Romanorum *Coloniam* testatur idem Livius libr. IX. Sic Vetus Inscriptio:

Colonia.

P. TVRCIO. P. F. STEL. SEVÊRO
II. VIRO. CVRAT. REIP. INTERAMNAT
LIRIN. EORVMDEM. PATRONO. COL
CASSINATES

Municipium. Cicero pro Plancio *Municipium* appellat. Ædes hic fuisse scribitur Apollinis; ubi postea magnificum *Casinense Monasterium*, sic ab Vrbe dictum Benedictus Nursinus, Monachorum in Italia Pater, fundavit; situs ibidem cum Scholastica Sorore. De varia Templi hujus Fortuna Paullus Diaconus lib. VI Histor. Helias Capreolus lib. V Histor. Brix Blondus lib. XII & XVII Hist. Volaterranus libro XXI Comment. Vrban. D. Gregorius libro II Dialog. *Casina Arx in Samnio, ubi Monasterium*, inquit Eginarthus, *D. Benedicti*; quod etiam *Casinense* vocat. Prodigium, quod *Casini* accidit, narrat Plinius libro VII Nat. Histor. cap. IV. *Casinas Mons* est in Campania, Platinæ in Vita Pelagij I, P. M.

Ædes Apollinis. Postea hic Monasterium D. Benedicti.

D. Germani Castrum. Sequitur in radicibus Cassini Montis Orientem versus *D. Germani Castrum*, Fontium copia abundans. Incolæ majori ex parte Fabri sunt Aeuum.

Vulturni jam alveum utrimque perlustremus, quatenus ad *Samnites* pertinet.

Valle Rotunda, &c. Circa initium *Vallis* est *Rotunda*: quam sequuntur *Aqua Fundata*, *S. Vincentij*, *Mons Niger*, *Rivus Niger*, *Mons Aquilus*, *Arx Ravinsola*, *Forulum*, *Fanum D. Mariæ Olivetina*, & alia: postea *Venafrum* in Colle. Sic Livio, Plinio, Silio, Antonino, alijs dicitur; quod Οὐενάφρον cum Appiano & alijs, tum Ptolemæo, cui Hirpinorum Vrbs est in Samnitibus. In Regione I Plinius, in Campania locat Acron ob vicinitatem. *Campanum* etiam cognominatur Martiali:

Venafrum.

Hoc tibi Campani *sudavit bacca* Venafri;
Vnguentum quoties sumis, & istud olet.

Præfectura. Colonia. Episcopatus. *Venafrum* unam ex antiquis *Præfecturis*, in quas Præfectos mittere quotannis erat solitus Prætor, tradit Festus. *Colonia* jus postea accepit, uti paret ex Frontino Plinioque

nioque libro III cap. v. *Venafri* vulgo, Episcopatus habens titulum. *Venafranum Oleum* celebratur Iuvenali.

A Vulturno III P.M. *Furnellum* est, frequens & opulentum Opidum. *Furnellum,*

Ex adversum huic Castello Vallis Porcina conspicitur. inque ea magnæ cuiusdam Vrbis Cadaver. *Æserniam* dico, uti vocant Dionysius Halicarnassæus, Strabo (apud quem male Αἴσεργνα in Vulgatis libris) Appianus libro I, Ptolemæus, alij: *Isernia* Silio libro VIII; *Iserninum* Itinerariæ Tabulæ. Vitiose apud Diodorum libro XX Σέρνια, pro Αἴσερνια. *Sernicum* legebatur apud Antoninum & *Servi* sed restituit ex Regio Exemplari V. CL. Hieronymus Surita. De *Sernico* tamen ampliandum censeo, quum *Sernicianum Vinum* inde denominare videatur Plinius lib. XIIII Nat. Hist. cap. VI. Hodie *Sergna*. *Iserním* hinc Plinio & Nonio Marcello. Vulturno Flumini adiacet, auctore Livio libro X ab v. c. Ptolemæus in Samnitibus locat: Plinius *Æsernios* in IV regione memorat. *Colonia* est apud Frontinum, Velleium Paterculum libro I, Florum ex Livii libro XVI, LXXII, & seq. Illustravit Patrum nostrorum memoria hoc Opidum *Andreas Æserninus* I. C. *Æsernia,* *Situs.* *Colonia.* *Clari Viri.*

Occurrunt inde ad Pratellum *Crapiata, Pratum*. *Mastratum, Compulteria*, quam vi captam ab Fabio cum Telesia scribit Livius lib. XXIV. In alijs libris legitur *Compulteria*. *Crapiata, Pratum, Compulteria.*

Ab Æsernia deinde versus ortum XX ferme lapide, *Bovianum* occurrit, nobilissima quondam *Samnii* Vrbs, *Vetus* cognomine: nam aliud fuit *Vndecumanorum*. *Bovianum* Livio passim, Silio lib. VIII, Plinio, alijsque Latinis; *Bobianus* Frontino; *Bobianum* Itinerariæ Tabulæ, inemendatius; Βοίανον Straboni libro V; Βοίανον Ptolemæo: *Boiano* hodie; Opidum Episcopale. *Bovianum* Livius libro IX *Pentrorum* (in alijs Codicibus *Pentrontrum*, & *Pentiorum* legitur) appellat caput; opulentissimum & potentissimum eius gentis Opidum describens. *Coloniam* ab Iulio Cæsare ductam, paret ex Frontino, & Plinio lib. II cap. XII, eam in Regione IV locante. *Bovianum,* *Episcopatus,* *Colonia,*

Adscribam huc iter, quod ab Vrbe Via Salaria per *Vmbriam* in *Samnites Hadriam* ducit Antoninus; commissum cum Itineraria Tabula, vulgataque Nomenclatura. *Iter per Vmbriam in Samnites.*

	Antoninus.	Itineraria Tabula.		Vulgata Nomencl.
	Ab Vrbe Hadriam usque M. P. CLVI sic:	*Roma,* XI.	*Ducato Spoletino,*	
Vmbria.	*Eretum,* M. P. XVIII.	*Ereto,* XIII P.		*Monte Ritundo.*
	Vicum Novum, M. P. XIIII.	*Ad Novas,* XVI.		....
	Reate, M. P. XVI.	*Beate,* VIIII.		*Riete.*
	Cutilias, M. P. XVIII Sic etiam simpliciter Seneca in Quæst. Naturalib. lib. III.	*Aquæ Cutilliæ* VII. Sic etiam vocat Plinius libro XI, cap. XCV.		*Lago di Contiglione,* vel *Lago de Pie de Luco,* ut alij.
	Interocrium, M. P. VI.	*Interocrio,* XII.		*Interdocho.*
	Falacrinum, M. P. XVI.	*Palacrinis,* XVI, Legendum *Falacrinis,*		*S. Silvestri in Phalacrino.*
	Vicum Badies M. P. IX. Forte, *Vicum Martis.*	*Ad Martis,* ...		....
	Ad Centesimum, M. P. X.	Magna confusio. Nam ab Vrbe versus Occidentem hoc Iter primo ducitur; inde reflectitur in Orientem; quum in Septemtrionem primo mox in Orientem fuisset ducendum.		....
Samnites.	*Asculum.* M. P. XII. Alijs Ἄσκλον, & *Asculum* scribitur.		*Abruzzo.*	*Ascoli.*
	Coll... I			

cum; nisi quod *Super Equum* oppidum etiam notum sit libro Limitum: quod ubi fuerit, ignoro.

Aternum. Fuit haud procul Teate in ostio fluminis Aterni oppidum cognomine *Aternum*, Livio lib. xx x & Antonino notum. Strabo etiam *Aternum* oppidum cum flumine ejusdem nominis, Picino vicinum, memorat. Hodie ibi *Piscara* est, exiguum castellum, à quo fluvio etiam nomen, de quo alibi.

Vestini. Peregrinis absolutis, *Vestinos* videamus. *Vestini* Latinis, Οὐηστῖνοι Straboni, Οὐεστῖνοι Ptolemæo. Eorum frequens apud Livium, Appianum, Florum, aliosque mentio. Hinc *Vestina Juventus* Silio celebratur lib, viii. *Vestinus Caseus* Martiali. De *Vestinis* sic Plinius lib. iii cap. x i. *Vestinorum Angulani, Pinnenses, Peltuinates, quibus junguntur Aufinates Cismontani.* Confinales huic genti signare solent Geographi ex Ptolemæi tabulis aliisque Scriptoribus a Septentrione Pelignos, ab Ortu Samnites specialius dictos, qua Meridies est, Campaniæ Latiique populos, qua Occidens, Præcutinos, Marsos, & Sabinos. Fecit autem, ut semel hoc dicam, eorum vicinitas, ut Loca, quæ Vestinorum, ab Auctoribus nunc Sabinis, nunc Campanis, nunc aliis adscribantur: quemadmodum parebit in Amiterno, Pinna, Angelo: & hinc *Vestinorum* designatio nonnullius esse solet difficultatis.

Confinales ipsis.

Amiternum. Vt singularia ordiar cum primis locus apud eos, ubi olim *Amiternum*, nunc maximarum ædium ruinis horridus. *Amiternum* Livio, & Plinio. Ἀμιτέρνον Halicarnassæo lib. ii, Straboni v, Ptolemæo. *Amiternum Samnitium* urbs est apud Livium lib. x. Strabo Emporium nominat *Frentanorum*; *Vestinis* adcenset Ptolemæus; *Sabinis* tribuit Dionys. Halic. Plinius etiam *Amiternos* habet inter *Sabinos*. *Sabinorum* forte an fuit antiquissimis temporibus, quæ postea Samnitium; &, ut specialius dicam, *Vestinorum* facta.

Quorum Populorum.

Situs. *Amiternum* perpetuo montis insidebat dorso, ubi hodieque fundamenta ostenduntur magnorum Operum, Theatri præcipue & Templorum aliquot; ex quibus, quam ampla fuerit, facile judicare Spectator potest. Laurentius Anamensis *Pescara* ex eo facit. *Amiternum*, inquit Baptista Fonteius in Catia Familia, *quod diruta Aquilam urbem auxit.* Hinc *Amiterni* Plinio, qui *Amiternini* Livio & M. Terentio Varroni, qui sic dictos notat, quod *circum Aternum* flumen habitarent.

unde dictum.

Res gestæ. A Sp. Consule quondam expugnatam, cæsis Samnitium ciↄ ciↄ ↄↄccc, captisque ciↄ ciↄ ciↄ ciↄ ccxxc, auctor est Livius lib, x; qui & *Amiternos* cum Vmbris, Nursinis & Reatinis, L. Scipioni in Africam ituro militaria suppeditasse auxilia commemorat. *Amiterna cohors* legitur apud Virgilium lib. vii & Silium Italicum lib. viii.

Clari Viri. Ortu suo nobilitarunt cum alii, tum *Sanctus Crispus & Victorinus*, Martyr sub Nerone, Vrbis Episcopus.

Ager. *Amiternum Agrum* ejusque *Napos* celebrat Martialis in Apophoretis:

> Nos Amiternus Ager felicibus educat hortis:
>
> *Nursinas poteris parcius esse rapas.*

Error Pomp. Sabini. Flumen ex *Amiterno* facit Pomponius Sabinus ad librum vii Æneid. quod Vestinos & Marrucinos, a sinistra habet, supra sunt Pelignis: ex Livii proculdubio loco, qui libro xxiv, male intellecto, ubi auctor scribit, *Flumen Amiterni cruentum fluxisse*: quæ verba quid velint, vel pueri norunt.

Quinto ab Amiterni Ruderibus lapide alto in monte jacet Episcopalis Vrbs *Aquila*, nunc hujus tractus Caput, ab Sulmone xxx P. M. versus Apenninum sita.

Aquila, unde nata. Natam volunt ex Amiterni ruinis & Forconii, quod P. M. viii hinc aberat, altero latere contra Amiternum, versus Piscariam amnem; qui locus nunc quoque magna operum fundamenta ex lapide quadrato habet, appellatus *Forconum*.

Quibus conditis, auctaque. Condidisse autem perhibent *Aquilam* Langbardos; Karolum inde Martellum, vel, ut aliis placet, Fridericum ii Imperat. mœnibus cinxisse, muniisseque; Colonis Civium jure, & Civitati *Aquila* nomine adsignato ab signo Cæsareo, vel potius ab fausto *Aquila* nomine.

unde dicta.

Caput Regionis. Ea autem brevi maximis incrementis ita auxit, ut Civitatum reliquarum principatum in hac regione facile nunc obtineat.

Principes. Ab Ludovico Montorio Comite aliquamdiu fuit possessa sub auspiciis Ferrandi Aragonum regis. Hodie in ditione est Philippi Regis Hispaniarum. De ejus conditione, primordio, nominis ratione, rebusque gestis plura Raffanus, Blondus, Leander, Collenutius lib. iii Hist. Reg. & Iovianus Pontanus lib. v Hist. Colitur ab Civibus D. Bernardini, Minorum Ordinis Monachi, Corpus. Claruit *Aquila* ante paucos annos

annos *Ioanne Aquilano* Prædicatore, Scriptis claro. Ager mira cum aliarum rerum, tum Croci copia est fœcundus.

Clari Viri. Ager.

Subter fontem dein Aterni in Apennino *Mons Regalis* est: nec procul inde *Pyrus fastigiata*, de qua nonnihil capite de Fluminibus, ubi de Aterno.

Mons Regalis,

De *Peltuinatibus* & *Aufinatibus Cismontanis*, *Vestinorum* Populis, apud Plinium, nihil habeo quod dicam; nisi *Peltuinos* etiam nominari in antiquo Lapide, qui in Auctario Lipsij ad Smetij Inscriptiones. De *Angolanis* & *Pinnensibus*, quos *Vestinis* idem Plinius concenset, nos iam nunc in *Marucinis*.

Peltuinates. Aufinates.

Hi enim Vestinis succedunt explicandi. *Marucini* Cæsari, Livio, Statio, alijsque Latinis scriptoribus dicuntur; Μαρουκῖνοι Straboni; Μαῤῥουκῖνοι Ptolemæo: qui *Marrucini* Plinio, *Teatines* iis adsignanti; cuius rei vestigia, sed corruptissima, etiam deprehendo in Itineraria Tabula; ubi, ut antea indicavi, sic legitur, *Tea Nomarucinoceio*: emendandum *Teate Marucinorum*: Μαῤῥουκῖνοι Diodoro. Corrupte Μαρρουκῖνοι apud Memnonem, inquit Ortelius. *Marucini*, ut Ptolemæus & alij delineant, ab ortu sunt Peligni cum Aterno: ab meridie Vestini & Præcutini; ab occasu Piceni cum Truento; ab Septemtrione Adria. Res ab iis gestas memorat Livius libro IX, ubi *Marucinos*, Marsos, Pelignos & Frentanos pacem amicitiamque Populi Romani impetrasse scribit.

Marucini. Fines. Res gestæ.

Particularis sequitur delineatio, capto ab arduis circa Piscariam vel Aternum montibus initio. In adscensu igitur illorum sunt *Rasanum*, *Vertorium*, *Carapellum*, mediterranea. Tum infra duobus ab Aterno millibus *Capistranum* est; inter alia duo Castella *Offenum* & *Buxum* (*Buso*) ad amnem, qui vulgo *Capo d'Acqua*, situm.

Specialiora Marucinorum. Rasanum. Vertorium. Carapellum. Capistranum. Offenum. Buxum.

Dein ad Piscariam sunt *Castilio*, *Turris Antonelis*, *Petramicum*, *Alardum*, & *Rosanum*.

Castilio. Turris Antonelis, &c.

Sub Nuriæ, Aterno se commiscentis, fonte Monasterium est *Casæ Novæ*, ædificiorum pulcritudine, reditibusque amplissimis nobile.

Casa Nova.

Ad Septemtrionaliorem Nuriæ ripam opida sunt *Cambatoneum*, *Planellum*, *Mussusonum*, *Mons Silvanus*, & *Spoltorium*.

Cambatoneum, Planellum, &c.

Inter Tanum porro & Sinam amnes, media prope regione, IV ab ora P. M. *Civitas Penne*, *Citta di Penne*, nobile & antiquum Opidum. Πίννα Ptolemæo; *Pinna* Silio, *Pinnis* Paullo Diacono lib. II Langbardic. cap. XIX. *Pinnenses* Plinio in Vestinis locantur. Meminit eorum & Valerius Maximus.

Penna.

Non procul dein ab Tavo *Lauretum* in Collibus adparet, Ducatus insigne titulo; itemque *Collis Corvinus*.

Lauretum, Ducatus. Collis Corvinus.

Ad ripam Tavi dexteram jacent *Valvianum*, *Serra*, *Corvinianum*, *Bisentum*, *Pinianum*, *Mons Siccus*, *Casilentum*.

Valvianum, Serra

Prope Salinum fluvium duobus ab ora milliaribus Opidum Episcopale *Portus S. Angeli*. Ἄγγελος est Ptolemæo, ut censent Orlandus, Volaterranus, Blondus, Leander, alij. *Angelum*, ut quibusdam videtur, Antonini. *Angulani* sunt apud Plinium, in Vestinis eos ponentem.

Portus S. Angeli Episcopatus.

Propinquo Plumbæ Amnis loco Castellum jacet *Illice*: tum intus ad eumdem amnem *Celinum*, & prope fontem *Sebiranum*: nec procul ab ostio Plumbæ *Portus Adriæ*, vulgo *Porto di Adria*, vel, ut alij, *Porto de Atri*. Ἐπίνειον τῆς Ἀδρίας Straboni, ad Matrinum, qui nunc *Plumba*, illud locanti. Supra dein, Castellum *Silnium* est.

Illice. Celinum. Sebiranum. Portus Adriæ. Silnium.

Plumbam transgressis inter ipsum & Vomanum amnem medio spatio occurrit *Adria*, vulgo *Atri* (alia ab ea, quæ in Transpadanis) Vrbs Episcopalis: arduo montis inlocata jugo. *Adria* Livio, Plinio, Melæ, Silio lib. VIII, Itinerariæ Tabulæ: Ἀδρία Stephano in Πραιτεττία & Eustathio. *Adriam* hanc Plinius VII P. M. ab Mari locat. Livius lib. XI *Coloniam* agnoscit Romanorum; alibi etiam lib. XXV eius faciens mentionem. Hinc *Adriani* eidem Livio lib. XXVII. Ortus hinc *Adrianus* Imperator, ipso teste apud Spartianum. Legendi & Aurelius Victor Paullusque Diaconus, lib. II. cap. XIX, qui imprudenter hanc Vrbem confundunt cum ea, quæ in Romanula, de qua suo loco: adserentes inde *Adriatico Sinui* nomen factum. Non bene. De *Adriani* tamen Imperatoris Patria alii aliter. *Adriani* etiam hinc *Agri* mentio apud Livium lib. XXII & Plinium lib. III cap. XIII. Plinius, Strabo, Ptolemæus hanc in *Piceno* collocant, quoniam Matrino amne, ut Strabo vocant

Adria, Episcopatus. Colonia. Clari Viri. Ager.

cant & Ptolemæus, vel, ut Plinius, Helvino, vel, ut hæc ætas, Plumba Prætutianam Regionem finiri, & *Picenum* incipere tradunt.

Prætutios igitur subiungamus, quos post agrum Adrianum Adriamque Coloniam & flumen Vomanum nominat Plinius. *Prætutii*, qui Πραιτούττιοι Ptolemæo, *Prætutiani* aliis, ad ortum sunt Vomanum, ad meridiem Salinum, qua occasus est, Truentum flumen, qua Septentrio, Marinum cum Adriatico Sinu. Inde *Prætutianus ager* Plinio lib. [illegible] cap. [illegible] *Prætutiana Regio* apud Livium lib. XXII, quæ Πραιτουττιανή Stephano, χώρα αὐτοῖς [illegible], de quo [illegible] addentque [illegible], Πραιτουττιανοί [illegible]. *Vina Prætutiana* nobilitatis inter optima gradum habere, notat Plinius lib. XIIII cap. VI.

Specialiora huius gentis explicemus. Post Plumbam fluvium in ora ostium est Vomani: cui versus Austrum adsident *Motula*, *Mons* [illegible], *Mons Gualius*: summumque ad fontem amnis, Vici Pagique multi & Castella frequentia: inter quæ *Miglianum*, *Caput Iouium*, & *Poggium*, Opida.

Trans Vomanum in ora sexto lapide Turdini Fluminis est ostium.

Sunt inter Vomanum & Turdinum Opida multa: quorum ab supremo ad infimum hic fere est ordo; *Roseianum*, *Poggium*, *Pineretum*, *Rupes Montoriana* (*Rocca di Montorio*) *Mon*[illegible], *Feratolum*, *Collis Vetus*, *Rapinum*, *Miranum*, *Forcella*, *Cantianum*, *Transmundum*, *Castellum Vetus*, *Castellum Novum*, *Guardia Vomani*, *Loccarisium*, & *Morum*.

Sequitur Amnis Turdinus: inter quem & Viciolam Turdino se miscentem Civitas est *Teranum*, spatio ab ora X. I P. M. Caput Prætutianorum, Ducatus & Episcopatus titulo clarum. Ab situ *Interamnia* Plinio, Ἰντεράμνια Ptolemæo.

Ad initium Flumicelli (qui ab Viciola in Turdinum defertur) Castellum est *Campanum*: supraque fontem amnis *Burgum Novum* & *Basilitum*.

Haud procul Turdino circa littus Opidum est fere desertum *Flavianum*, ubi quondam Vrbs, quæ Ptolemæo Κάστρον, *Castrum Novum* Plinio, Antonino, & Itinerariæ Tabulæ. Reduxit hanc Vrbem apud Strabonem libro V, Manus doctissimi Casauboni. Nam pro monstrosis istis, [illegible], ex quibus nonnulli Flumen fecerunt, restituit, [illegible], quod omnino probo. De eo sic scribit ad Ortelium Celsus Cittadinus Anglerius: *Apellatum hoc fuit postea* Castrum S. Fabiani; *& eo diruto ob aeris malignitatem, iussu Iulii Aquavivæ Atrianorum Ducis* (vulgo de Atri) *ex illius ruinis ædificata fuit sumtibus eiusdem Ducis* Iulia Nova, *Opidum in Mediterraneis, ad tertium fere milliarium.*

Parvo hinc intervallo abest *Mons Paganus*; inque Mediterraneis *Mosanum*, *Ripatonium* [illegible].

Salino fluvio ad Meridiem adlocatum est *Montorium*, titulo Comitatus ornatum.

Supra Montorium deinde *Poggium Morellorum*, *Poggio de i Morelli*: altiusque *Treia* est.

Post in montibus haud procul ab amne, dextra, munitissimum est Opidum *Civitella*, super Clivo præalto sita, qua meridiem ex una, ex altera parte Orientem prospectat. Eius descriptio apud Natalem Comitem Historiarum lib. V.

Iuxta amnem Libratam in dextra sunt *Caropelium* & *Neretum*; in sinistra vero *Torturetum*, *Ad D. Tomerum*, & *ad D. Aegidium* haud procul a fonte.

D. Floriani.

Secundum littus ad Truentum properanti locus occurit ubi Opidum *D. Floriani* erat, superioribus annis ab Iulio, duce Adriano, ob aeris inclementiam subuersum, cui successit eiusdem auspiciis aliud tribus ab ora P. M. *Iulia Nova*.

Columella.

Ad dextram Truenti primum Opidum est *Columella*. Ductum sequutus Itineris, quod Antoninus describit ab Vrbe Mediolanensi per Italiæ longitudinem ad Columnam vel Traiectum Siciliæ, omnino censeo hoc fere loco fuisse antiquam Civitatem *Truentum*. Accedit & Itineraria Tabula, in qua eodem loco scriptum est, *Castro Trentino*, vitiose pro *Castro Truentino*. Nam & *Castrum Truentinum* habet ibidem M. Tullius lib. VIII Epist. ad Atticum. *Truentum* opidum etiam Plinio Pomponioque notum. *Truentinas Turres* nominat Silius lib. VIII.

Supra Columellam sunt *Contriguerra*, *Ancharanum*, *Morrum*, *Muriumque Tragimum*.

Mox

Asculum. Episcopatus, cuius gentis. Colonia, situs. Res gestæ. Principes. Clari Viri.

Mox ad confluentem cum Truento Castellanum offert sese *Asculum*, antiquissima Civitas, Episcopatus dignitate nobilis. *Asculum* quidem Strabo, Plinius & Ptolemæus in *Piceno* collocant: sed quia ad australiorem Aterni ripam est positum, *Picenum* autem ad Borealiorem initium capit, malui cœptum sequutus institutum *Samnitibus* concensere. *Asculum* Cæsari lib. I. Commenta. Silio lib. VIII, Livio passim Ἄσκλον Ptolemæo; Ἄσκλ⟨ος⟩ Stephano *Ascium* Antonino; *Asculus* Paullo Diacono lib. II Langbardic. cap. XIX. *Asculo Piceno* in Itineraria Tabula, ob vicinitatem. Plinius nobilissimam *Piceni Coloniam* appellat. Iacet plano patuloque campo, munitissimo in loco, mœnibus firmis. Ab una parte Mons sublimis in quo sita est Arx; ab altera Truentus ripis præaltis munit. Res ab *Asculanis* & contra ipsos gestas describunt Livius libro LXXII, LXXVI, & alibi, L. Florus lib. III cap. XVIII aliique Scriptores. Imperium Vrbis diu Romana Ecclesia tenuit, primumque hic ipsius Dominij Temporalis, ut vocant, initium. *Asculani* fuerunt *T. Betutius Barrus*, quem omnium extra urbem Romam eloquentissimum appellat M. Tullius in Bruto; *Ventidius Bassus*, bello Parthico Legionum Romanarum Imperator; de quo cum alij, tum Iuvenalis Sat. VI; *Nicolaus IIII P. M*; *Cecius*, Astrologus quam Poeta, melior: *Enoch* Orator eloquens, Orationum aliquot & Epistolarum auctor, *Gratia-Dei* Theologus & Philosophus, Scriptis itidem clarus: & alij. Aliud est *Asculum* in Apulia.

Amatricanum, Mons Sancti, Machia. Buffarium. Ad D. Viti.

Per Vallem deinde Castellanam *Amatricanum* devenitur, infra Truenti fontem. Ad Castellani ripas Opida sunt *Mons Sancti*, *Machia*, *Buffarium*, & *Ad D. Viti*.

Hirpini. vbi Samnites specialiter dicti.

Absolvimus quos littorales aliquo modo dicere possumus Samnitium Populos, *Frentanos*, *Carentinos*, *Pelignos*, *Vestinos*, *Marucinos*, & *Præcutinos*: sequuntur, qui nulla parte oram attingunt, sed plane mediterranei etiam in alteram Apennini partem, quod Regioni Italiæ nulli præterea commune, se extendunt *Hirpini*, & *Samnites* speciatim sic dicti, junctim ob limitum incertitudinem & indiscretam utriusque gentis vicinitatem explicandi. *Hirpinos*, ab Coloniæ Ductore Lupo, qui Samnitibus *Hirpus*, nomen habuisse, auctores sunt Strabo lib. V & Festus libro IX. *Hirpini* Plinio lib. V cap. XI, Livio multis locis, Silio lib. XI: Ἱρπῖνοι Straboni libro V; Ἵρπινοι Ptolemæo & Appiano libro I. Strabo Agrum illis tribuit Lucanis confinalem. Plinius in Secunda locat Italiæ regione, in qua & Beneventum. *Samnium* citra Hirpinos est, à quo tota regio *Samnitium* nomen adepta. Quidam Vrbem fuisse Regionis Caput *Samnium*, nunc deletam ajunt, indeque *Samnites* huius tractus Incolas esse vocatos. Conregionales Hirpinis, Samnitibusque hic, ab Ortu sunt Lucani; ab Meridie, Campani & Picentini: ab Occasu, Sabini & Vestini; ab Septemtrione, Apuli Dauni in Apennino. De *Samnitibus* his sic scribit Plinius libro V cap. XII: *Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixere, Colonia Bovianum Vetus, & alterum cognomine Vndecumanorum, Aufidenates, Æsernini, Fagi, Fugali, Ficolenses, Sepinates, Treventinates.* Alij pro duobus *Fagi*, *Fugali*, legunt *Fagifulani*, de quibus præterea nil habeo.

Beneventum, Archiepiscopatus. olim Maleventum. Conditor. an olim Argyrippa. Situs. vbi & in qua gente.

A *Benevento* Archiepiscopali Civitate principium nobis esto. Id *Maleventum* olim dictum, post *Beneventum* dici cœpit. *Beneventum*, ait Plinius lib. III cap. XI *auspicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum.* Βενεβεντ⟨ος⟩, inquit Stephanus, ἡ πρὶν Μαλόεντ⟨ος⟩, &c. Festus libro II: *Beneventum Colonia quum deduceretur appellari cœptum est melioris ominis caussa. Namque eam urbem antea Græci incolentes* Μαλόεντον (sic legendum) *appellarant.* Vide Nobiliss. Virum Iosephum Scaligerum. Procopius libro I de bello Gothico ab *Malo Vento* deducit, quem injuriosum & horribilem sæpe patitur. Non defuerunt, qui *Maleventum* prius appellatum putent propter ingentem stragem, hic à Sulpicio Petilioque coss. editam, cuius descriptio apud Livium lib. IX. Imprudenter. *Maleventi* prisci nominis mentionem facit Livius libro IX & X. Idem libro XIIII & Plinius libro X *Beneventum* notant vocari cœpisse, quum eo Colonia deduceretur, boni ominis gratia. *Beneventum* Livio passim, Tacito lib. XV, Antonino, Vibio Sequestro, alijsque notum; Βενεβεντὸν & Οὐενεβεντ⟨ος⟩ Ptolemæo: *Beneventi* vulgo. Conditum ab Diomede, testibus Solino in Polyhistore & Servio ad VIII Aeneidos: inde χώρἰον Διομήδους apud Stephanum. Olim *Argyrippam* vocatum scribunt Sudas & Cedrenus, non sine errore. De *Argyrippa* alibi. Situ urbs est admodum oportuno & amœno, summa

summa agrorum bonitate præstans. In *Hirpinis*, eorumque *Coloniam* esse scribit Plinius: in *Samnio* ponunt Strabo & Ptolemæus. *Campanum Beneventum* nominat Ausonius his versiculis:

> *Canescente erit Prole Saturnia: Consiss*
> *[illegible] fuit corpore Tiresias;*
> *[illegible] fratrem [illegible] et Hermaphroditum:*
> *Vidi nubentem [illegible] Androgynum:*
> *Nec satis antiquum, quod Campano in Benevento*
> *[illegible] conspiciente fuit.*

De Colonia ab Neapoli. Ab Neapoli *Beneventum* XXX fere M. P. intercedunt. *Coloniam* Civium Romanorum deductam *Beneventum*, quo tempore & Ariminum, auctores sunt Livius lib. XIIII, & Velleius lib. II: quam ob caussam & *Colonia* Plinio dicitur, & in antiquo Lapide *Colonia* etiam connumerat Coloniarum Liber, quem vide. *Concordia Colonia* cognominatur apud Frontinum. Cives maximam olim virtutis & disciplinæ militaris opinionem apud Romanos habuisse, notum est ex historijs. *Ordo Beneventanus* est in Basi, quæ ibi ante summum Templum:

CLAVDIO. IVLIO
PACATO. V. C. CONS. CAMP
OB. ÆQVITATEM. IVDICII
ET. PATROCINIA. IAM. PRIVATI
ORDO BENEVENTANVS
PATRONO. POST. FASCES. DEPOSITOS
CENSVIT. COLLOCANDAM

Plebem Beneventanam nominat alia Basis, quæ in Vico Fabrûm Ferrariorum:

T. AVONIO. MARCELLINO
V. C. CONS. CAMP. PATRO
NO. DIGNISSIMO. OB. IN
SIGNIA. BENEFICIA. QVI
BVS. LONGA. POPVLI. TÆ
DIA. SEDAVIT VNIVER
SA. PLEBS. BENEVENTA
NA. CENSVIT. PONENDAM

Clari viri. Martyrio *Beneventi* adfectus est cum alijs *Ianuarius*, Episcopus sub Diocletiano. Nobilitarunt hanc vrbem orto suo *Orbilius* Grammaticus, Magister ætate Ciceronis plagosus; *Gregorius* VIII P. M; *Roffredus* & *Odofredus*, Iurisconsulti celeberrimi. Familiæ Nobiles. Nobiles hic Familiæ non paucæ, quæ vulgo:

Capo-bianchi.	*Manselli.*	*Pescie.*
Condestabili.	*Mascambruni.*	*Savariani.*
Controvieri.	*Mazzeli.*	*Velota.*
Di Gregorio.	*Di Pacca.*	& aliæ.

Via a Benevento Brundusium. Viam à *Benevento* Brundisium usque Nervam Traianum fecisse, loquitur viæ Terminus, qui Asculi:

IMP.

IMP. CÆSAR
DIVI. NERVÆ. F.
NERVA. TRAIANVS
AVG. GERM. DACIC
PONT. MAX. TR. POT
XIIII. IMP. VI COS. V
P. P.

VIAM A. BENEVENTO
BRVNDISIVM. PECVN
SVA. FECIT

Ager suburbicarius vulgo dicitur *Valle*, vel *Distretto di Benevento*; multorum millium. *Beneventum* Vrbs ab Hannibale primum (Videndus Livius lib. XXII, XXIV, XXV & XXVII) direpta, dein ab Totila Gothorum Rege (Blondus lib. VI. Histor.) eversa, & ab Langbardis postea est refecta, qui, tota Italia occupata, sedem & domicilium Imperij sui una cum *Beneventani Ducatus* nomine hic constituerunt, quod annos stetit fere ducentos; donec sublata ab Karolo Magno eorum Dominatione, in potestatem ac ditionem venit Regum Italicorum. Iterum aliquot annis post ab Saracenis vexata est & cremata: ijs deinceps Italia pulsis, instaurata denuo; sed non ita multo post ab Othone II Imperatore vi expugnata est, & vastata. Blondus lib. XIII Histor. Tandem ab Gulielmo Nortmanno, qui Regnum Siciliæ post adeptus, reædificata, Pontificis Romani Imperio parere est jussa: quam tamen aliquanto post rursus ab Friderico II Imp. direptam eversamque esse, Platina in Vita Hadriani IV, & Gregorij IX, & Blondus libro XV & XVII testatur. A quo postea refecta sit, non legitur.

Ager. Res gesta. Ducatus.

Sex a Benevento P. M. inter Colles Opidum est *Mons Fascolus*, supraque id *Turris* & *Mons Militus*.

Mons Fascolus. Turris. Mons Militus.

Circa Vallem, quam Sabbatus perfluit, Benevento propinquam, sunt *Mons Falco, Candida, Serpitum*; supraque altissimis in montibus Tremulis, Episcopalis Civitas *Vulturata*.

Falco. Candida. Serpitum. Vulturata. Episcopatus.

Supra Beneventum ad Calorem visuntur *Iapygium, Cusanum, Castellum Vetus*, & altius *Montella* Opidum, Comitatus titulo clarum.

Iapygium, &c. Montella. Comitatus.

Ad alteram Caloris ripam sunt *Apisium, Mirabella, Taurasum, Cusanum* aliud, *Baniolum (Pagnolo) Cassanum* & *Noscum*.

Apisium, &c.

Sabbatum transgresso se offert, Tripalto Fluvio vicinum, Opidum *Tripalta*, Ferrarijs officinis notum, Marchionatusque dignitate ornatum. Cives Hippolyti Martyris ossa in primario templo servare se gloriantur.

Tripalta. Marchionatus.

Sequitur ad Tripaltum amnem *Silva* Latronibus infamis *Tripaltina*: & supra eam prope flumen *Bonetium*, *Crypta (Grotta) Menarda*, *Flumartum*, *Miletum*, *Amandum*, *Iunculum*; & in Apennino *Mons Grumus*, quomdam ita dictus, nunc *Crepacorius*.

Bonetium. Crypta. Menarda, &c.

Iuxta Fluvios Tripaltum & Miscanum Opida jacent *Cursanum*, *Mons Calvus*, *Arianum*, Colli aspero & difficili insitum, olim, ut Volaterranus vult, *Ara Iani*, nihil tamen antiquitatis præ se ferens. Titulum nunc habet Comitatus.

Cursanum. Mons Calvus. Arianum. Comitatus.

Haud procul inde trans Miscanum in Valle *Mons Malus*, *Bonalbergium*, *Casale Arboris*, & *Castellum Francum*.

Mons Malus, &c.

Pergo porro ad Tamarum Fluvium, cui adsident ad Orientalem quidem ripam *Padula, Ad D. Gregorij, Molinaria, Casale Iani, Rignanum, Ad D. Mariæ, Collis, Cericellum, Coffianum, ad Crucem Sanctam*: ad Occidentalem vero; *Petra Pulcina, Pavonium, Pestulonium, Farnelum, Campus Lotharius, Monasterium Iulietorum (di Giulieti) Marconium, Saxum Honorij*: & in Apennino *Sepinum*; quod antiquum nomen retinet. *Sapinum* enim dicitur Livio libro X, ubi res ad opidum illud gestas victoriamque Pa-

Padula, &c. Sepinum.

pitij commemorat: Σαίπινον Ptolemæo. *Sæpinum* etiam in antiquo Marmore. Hinc *Sepinates* Plinio. *Coloniam* esse docet Frontinus. Inlustravit ortu suo *Angelus Sepinas*, Philosophus & Medicus insignis.

Colonia. Clari Viri.

Alta-Villa Principatus.

Sequitur *Alta-Villa*, Principatus titulo celebris: supra quam in Apennini jugo *Castellum Vetus* est.

Telesia.

Ad Sabbati dextram infra in planiciem redeunt sub colle Mille Pass. ab amne, antiquum se pandit Opidum *Telesia*. Sic apud Livium, inter Samnij opida libro XXI & XXIV referentem, Antoninum, aliosque scribi video; Τελεσία autem apud Strabonem, Venafro adjungentem: quæ duplici σ Τελεσσία Ptolemæo. *Telesie* est in Itineraria Tabula, pro *Telesia*. *Colonijs* connumerat Frontinus. Hodie *Telese*, Episcopatus titulo florens.

Colonia. Episcopatus.

Limata.

Pons.

Haud procul inde ad Sabbatum versus ortum Opidum est *Limata*: hinc ad *Pontem* quatuor intercedunt Torrentes, qui corrivati uno ostio in Sabbatum feruntur: quorum fontibus vicina sunt, *Ad D. Laurentium, Ad D. Lupum, Pons Landulphi*, & *Casalonium*.

Castellum Pesonium, Pescolia, Saticula. Colonia.

Sabbatum transgredior, cui ad meridiem miscetur Setitella: ad cujus ripas opida visuntur *Castellum Pesonium, Pescolia, Mons Saticulus*. *Saticula* Livio libro VII & IX: Σατίκολα Diodoro lib. XIX & Stephano. *Coloniam* vocat Paterculus. *Saticulus asper* Virgilij est, referente Servio, in Campania, fortean ob vicinitatem. *Saticulanus Ager* est apud Livium libro ab Vrbe condita XXIII.

Caudium.

In proximo deinde *Caudina Vallis* est, quæ Benevento, interfluente Amne, P.M. octo ferme abest: nunc *Valle di Gardano* dicta, testibus Collenutio & Leandro. Visuntur ibi antiquæ urbis vestigia, quæ *Caudium* Livio libro IX & alijs in locis, Καύδιον Straboni (male apud eum uno loco Καλύδιον) & Ptolemæo: quorum Interpretes male vertunt *Clusium*. *Caudinum Colonijs* adcensetur Frontino; ubi M. S. Codices, indicante Scriverio meo, *Caudium*, rectius. Hinc *Caudini Populi* circa Hirpinos nominantur Plinio. *Caudinæ Furcæ* vel *Furculæ* Livio, qui libro IX scite depingit, Floro, Valerio Maximo, Lucano, Plinio in Epistolis, & alijs: insigni Romanorum, quorum Legiones sub jugum hic miserunt T. Veturio Calvino & Sp. Postumio Coss. Samnites, ignominia nobiles. Historiam narrant præter alios Livius lib. IX. *Caudinæ Fauces* dicuntur Silio lib. VIII. Hodie *Stretto di Arpaia, Angustias Harpadij* nominant ab Opido propinquo; & ubi sub jugum Romani transierunt *Iugum* dicitur *D. Mariæ*. *Caudinum Iugum* etiam est apud Quintilianum.

Colonia.

Caudinæ Furcæ.

Harpadium, olim Hirpinum.

Haud procul etiam à Monte Saticulo Civitas est *Harpadium*, vulgo *Harpaia*: Antiquis *Hirpinum*, ut Blondus tradit. *Irpinum* apud Ciceronem est, sine adspiratione.

Ad D. Martini, &c.

Sequuntur ab alia parte Vallis Caudinæ Opida *Ad D. Martini, Penna Sturnina, Ad D. Angeli Scalaris, dalle Scale*.

Alta-Villa. Mons Freddanus. Abellinum.

In Valle Amnis, qui de Monte Virginis altissimo in Sabbatum fluit, Opida sunt *Alta-Villa, Monsque Freddanus* & in propinqua Convalle vetus Civitas *Abellinum*. Sic Plinio vocatur Ἀβέλλινον etiam Ptolemæo: cui, ut & Straboni, alia est Ἀβέλλα in Campania, ut ibi dictum. Hodie *Avellino*. Hinc *Abellinates* Plinio, *Protropi & Marsi* cognominati: *Avellinates* Lucano. In libro Fisci Pontificij Vrbis hujus Antistes *Avellinensis* dicitur Episcopus: alterius in Campania, *Avellinus*. In Glossario Græco-Latino hæc lego: Δερματ@ εἶδ@ Βαβυλωνικοῦ *Beneventanum*. Nescio an scripserit Ἀβελλινικοῦ, cujus quidem usus in Agro Beneventano, unde *Beneventanum*; sed quod *Abellini* parabatur, unde Ἀβελλινικόν.

Mercuriale.

Altius dein aspero in loco *Mercuriale* est opidum, cujus apud Antoninum est mentio.

Nigra Palus. Cemiterium.

Hinc in alia Convalle *Nigra Palus*, & *Serinum*: nec procul inde locus, qui *Forino* vernacule, cum *Cæmiterio D. Felicissimi*.

Sora.

Occidentaliora hinc Petam Loca Silari Vulturnique Fontibus vicina: in quis non postremæ classis *Sora*. Sic Latinis scribitur; Σώρα Græcis. Plinius in I Regione memorat, ubi Latium, in quo recenset etiam Ptolemæus; Strabo in Campania Felice. Alij, quibus & ego consentio, Samnitibus tribuunt, cum quod in Vestinis, Samnitium gente, sit, ut alibi dictum; tum quod ab Samnitibus de Volcis capta legatur apud Livium lib. X. Vicina est Liri Amni, populo haud infrequens, tituloque

tuloque Ducatus & Episcopatus ornata. *Coloniam* eo ab Romanis ductam, notant Livius lib. IX & X, Paterculus libro I, Frontinus de Colonijs: ideoque *Colonys* annumeratur à Plinio libro III cap. V. *Soram* Cicero pro Plancio *Municipium* vocat. Diu sub Imperio Romano floruit. Direptam crematamque ab Friderico II Imper. auctores sunt Blondus lib. XVII Histor. & Platina in Vita Gregorij IX. Quis postea refecerit, non legi.

Ducatus. Episcopatus, Colonia. Municipium.

Confluunt paullo infra Soram duo Amnes, qui Liri præbent initium; ità ut Peninsulam quasi faciant, in qua præter Soram sunt *Pescum*, *Posta*, *Lobrutallium*.

Pescum. Posta. Lobrutallium.

Hinc Peninsulæ ad Ortum peramœna & fertilis est Regio, quam *Cominum* dicunt, ab Antiqua Vrbe *Cominio*, cujus meminit Livius libro X & alibi.

Cominium Vicinium, &c. Atina,

Castella hic non infrequentia, *Vicalvum*, *Alvetium*, *Ad D. Donati*, *ad Septem Fratres*, *Picinestum*, *Gallinarium*, *Casale Toerum*, & *Atina*, civitas antiquissima, cujus meminerunt Virgilius libro VII inter Vrbes quæ Turnum armis juverunt, Livius multis locis, præcipue libro IX, & Silius libro VIII. Pomponius Sabinus eam in excelso colle describit post Fabateriam versus Iterum. *Atinates* Plinius in prima numerat Regione. Ptolemæus *Atinam* etiam in Latio ponit. in Campania juxta Pomtinas Paludes locat Servius: Alij commodius in Samnitibus: Creat diversitatem hanc vicinitas. *Colonys* concenset Frontinus.

Colonia.

Sub Casali Ivero ad Melphem modicum invenitur Castellum *Sclavonium*, *Schiavone*: infraque asperrimo in colle *Arpinum* (*Arpino* hodie inter Soram & Aquinum) Opidum Livio multis locis, præcipue libro IX, alijsque celebratum. Hinc *Arpinates* Plinio in prima Regione, & Silio lib. VIII. *Coloniam* eo deductam scribit Livius libro IX. *Arpinates* Civitate donatos tradit idem libro X & XXXVIII. De *Municipio Arpino* M. Tullius pro Plancio & de Claris Oratoribus. Festus *Arpinum* inter eas numerat *Præfecturas*, in quas Prætor singulis annis Præfectos mitebat, itemque interea *Municipia*, quæ sui erant juris. Celeberrimum hoc Opidum ortu *C. Marij*, septies Consulis, de quo nulli non Scriptores. In hujus Agro *Arpinatem Fundum* nominat Cicero ad suam Terentiam.

Sclavonium, Arpinum, Colonia, Municipium, Præfectura, Clari Viri, Arpinas Fundus.

Soræ versus Austrum est *Villa D. Dominici*, ubi Fibrenus Liri miscetur: tribus ab Arpino P. M. ubi *M. Tullium* in lucem editum, ait Petrus Marsus. Ipse sane de Natali loco sic scribit lib. II de LL. *Sed ventum in Insulam est: hac vero nihil est amœnius: ut enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, & divisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit, & tantum complectitur, quod satis sit modicæ palæstræ loci: quo effecto, tamquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret sedem ad disputandum, statim præcipitat in Lirem, & quasi in Familiam Patritiam venerit, amittit nomen obscurius, Liremque multo gelidiorem facit. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, quum ad multa accesserim, ut vix pede tentare id possim, quod in Phædro Platonis facit Socrates.* Paullo vero prius idem his verbis fuerat usus: *Hæc est mea & hujus Fratris mei germani Patria: hinc enim orti stirpe antiquissima sumus, hic Sacra, hic Genus, hic Maiorum multa Vestigia: quid plura? hanc vides Villam, ut nunc quidem est, lautius ædificatam Patris nostri studio: qui quum esset infirma valetudine, hic fere ætatem egit in litteris; sed hoc ipso in loco quum Avus viveret, & antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum.*

Villa D. Dominici. Patria M. Tullij Ciceronis.

Sub Arpino prope Melphem Opida sunt *Fontanum* & *Arceum*: supraque, ubi duo Liris capita in unum coeunt *Insula Castrum*: olim, ut censent Blondus, Leander, Cittadinus, Niger, & alij, quod inter duos Amnes, *Interamnia* Ἰντεράμνιον Straboni, quod ad confluentes Liris & Casini. *Coloniam* factam docent Livius lib. IX & X, Paterculus lib. I, & antiquus Lapis. Hinc *Interamnates* Plinio, cognomine *Succusani Lirinates*, ut sine copula legit Ortelius. De ijs Inscriptio, quæ apud Onuphrium in Imperio Romano:

Fontanum. Arceum. Insula Castrum, olim Interamnia. Colonia.

P. TVRCIO P. F. STEL. SEVERO
II VIRO. CVRAT. REIP. INTERAMNAT
LIRIN. EORVMDEM. PATRONO. COL
CASSINATES

Turris, &c.

Secundum ejusdem fluminis decursum Opida visuntur *Turris*, *Campus Largus*, *Insuletta*.

Aquinum.

Occurrit ab his locis versus Ortum procedenti *Aquinum*. Sic Latinis dictum; inter alios Silio Italico libro VIII, Antonino, & Itinerariæ Tabulæ: Ἀκύινον Ptolemæo: Ἀκύινον, inquit Strabo, μεγάλη πόλις ἐστί, παρ' ἣν ὁ Μέλπις ῥεῖ ποταμὸς μέγας. Legendum ex Ptolemæo Ἀκούινον. In Latio ponit Ptolemæus; in Prima regione Plinius.

Municipium. *Municipij* jus habuisse paret ex Ciceronis Oratione pro Plancio.

Colonia. *Coloniam* inde factam, testantur Frontinus & Plinius lib. III cap. V. Hinc *Colonia Aquinas* Livio libro XXVI & Tacito libro XVII. *Aquinates* hinc Silio lib. XII. Nati hic *Pescennius Niger* Imperat. testibus Herodiano & Iuvenale; & *Victorinus*, summus Geometra.

Clari Viri. Nobilitavit etiam eam Patriam suam *Thomas*, magnus Philosophus; *Aquinas* hinc cognominatus. Nomen retinens collapsa pene jacet, vestigia præferens pristinæ amplitudinis:

Comitatus. Episcopatus. Comitatus Episcopatusque habens titulum.

Haud procul inde in vertice Montis locus monstratur, ubi quondam *Casinum*. Meminit cum alijs Silius Italicus libro XII de Bello Pœnico:

——— *Nymphisque habitata* Casini
Rura.

Casinum.

Expressi est & in Itineraria Tabula. *Casinum*, inquit Varro, *Forum Vetus appellant*. Κάσινα Agathiæ libro II quæ Κασῖνον scribitur in M. S. Codice CL. V. Bonaventuræ Vulcanij, fidelissimi Græcarum Litterarum in Academia Lugdunensi Interpretis, Conlegæ mihi amicissimi. *In Casinensi Castro*, inquit Paullus Diaconus lib. I. Rerum Langbardicarum cap XXVI, *quod Narum appellatur*; dicitque L millibus distare ab Sublaco. Pro *Harum* legit Abrahamus Ortelius *Arum* ex Floriacensi, quod *Avarum* apud Marianum Schotum, & *Baurum* apud Blondum lib. VI Dec. cap. I. Κάσινον Strabo præclaram Latinorum Vrbem vocat, & XIX stadijs ab Capua distare scribit: Plinius in Prima numerat Regione: *Casinum* habet Livius circa Campaniam.

Colonia. Romanorum *Coloniam* testatur idem Livius libr. IX. Sic Vetus Inscriptio:

P. TVRCIO. P. F. STEL. SEVERO
II. VIRO. CVRAT. REIP. INTERAMNAT
LIRIN. EORVMDEM. PATRONO. COL
CASSINATES

Municipium. Cicero pro Plancio *Municipium* appellat.

Ædes Apollinis, Monasterium D. Benedicti. Ædes hic fuisse scribitur Apollinis; ubi postea magnificum *Cassinense Monasterium*, sic ab Vrbe dictum Benedictus Nursinus, Monachorum in Italia Pater, fundavit; situs ibidem cum Scholastica Sorore. De varia Templi hujus Fortuna Paullus Diaconus lib. VI Histor. Helias Capreolus lib. V Histor. Brix. Blondus lib. XI; & XVII Hist. Volaterranus libro XXI Comment. Vrban. D. Gregorius libro II Dialog. *Casina Arx in Samnio, ubi Monasterium*, inquit Eginarthus, *D. Benedicti*; quod etiam *Casinense* vocat. Prodigium, quod *Casini* accidit, narrat Plinius libro VII Nat. Histor. cap. IV. *Cassinas Mons* est in Campania, Platinæ in Vita Pelagij I, P. M.

D. Germani Castrum.

Sequitur in radicibus Cassini Montis Orientem versus *D. Germani Castrum*, Fontium copia abundans. Incolæ majori ex parte Fabri sunt Acuum.

Vulturni jam alveum utrimque perlustremus, quatenus ad *Samnites* pertinet.

Vallis Rotunda, &c.

Circa initium *Vallis* est *Rotunda*: quam sequuntur *Aqua Fundata*, *S. Vincentij*, *Mons Niger*, *Rivus Niger*, *Mons Aquibus*, *Arx Raviniola*, *Forulum*, *Fanum D. Mariæ Olivetinæ*, & alia:

Venafrum. postea *Venafrum* in Colle. Sic Livio, Plinio, Silio, Antonino, alijs dicitur; quod Οὐέναφρον cum Appiano & alijs, tum Ptolemæo, cui Hirpinorum Vrbs est in Samnitibus. In Regione I Plinius, in Campania locat Acron ob vicinitatem. *Campanum* etiam cognominatur Martiali:

Hoc tibi Campani *sudavit bacca* Venafri;
Vnguentum quoties sumis, & istud ole.

Præfectura, Colonia, Episcopatus.

Venafrum unam ex antiquis *Præfecturis*, in quas Præfectos mittere quotannis erat solitus Prætor, tradit Festus. *Colonia* jus postea accepit, uti paret ex Frontino Plinioque

nioque

nioque libro III cap. v. *Venafri* vulgo, Episcopatus habens titulum. *Venafranum Oleum* celebratur Iuvenali.

A Vulturno III P.M. *Furnellum* est, frequens & opulentum Opidum. Furnellum.

Ex adversum huic Castello Vallis Porcina conspicitur, inque ea magnæ cuiusdam Vrbis Cadaver. *Æserniam* dico, uti vocant Dionysius Halicarnassæus, Strabo (apud quem male Αἰσερνία in Vulgatis libris) Appianus libro I, Ptolemæus, alij: *Æsernia* Silio libro VIII; *Æserninum* Itinerariæ Tabulæ. Vitiose apud Diodorum libro XX *Σεργνία*, pro Αἰσερνία. *Sernitum* legebatur apud Antoninum & *Serni* sed restituit ex Regio Exemplari V. CL. Hieronymus Surita. De *Sernico* tamen ampliandum censeo, quum *Sernicianum Vinum* inde denominare videatur Plinius lib. XIIII Nat. Hist. cap. VI. Hodie *Sergna*. *Æsernini* hinc Plinio & Nonio Marcello. Vulturno Flumini adiacet, auctore Livio libro X ab V. C. Ptolemæus in Samnitibus locat: Plinius *Æsernates* in IV regione memorat. *Colonia* est apud Frontinum, Velleium Paterculum libro I, Florum ex Livii libro XVI, LXXII, & seq. Illustravit Patrum nostrorum memoria hoc Opidum *Andreas Æserninus* I C. Æsernia. Situs. Colonia. Clari Viri.

Occurrunt inde ad Pratellum *Crapiata*, *Pratum*. *Mastratum*, *Compl'u'e ia*, quam vi captam ab Fabio cum Telesia scribit Livius lib. XXIV. In alijs libris legitur *Compulteria*. Crapiata, Pratum, Compulteria.

Ab Æsernia deinde versus ortum XX ferme lapide, *Bovianum* occurrit, nobilissima quondam *Samnii* Vrbs, *Vetus* cognomine: nam aliud fuit *Vndecumanorum*. *Bovianum* Livio passim, Silio lib. VIII, Plinio, alijsque Latinis; *Bobianus* Frontino; *Bobianum* Itinerariæ Tabulæ, mendacius; Βοΐανον Straboni libro V; Βουίανον Ptolemæo: *Boiano* hodie; Opidum Episcopale. *Bovianum* Livius libro IX *Pentrorum* (in alijs Codicibus *Pentrotrorum*, & *Pentiorum* legitur) appellat caput; opulentissimum & potentissimum eius gentis Opidum describens. *Coloniam* ab Iulio Cæsare ductam, paret ex Frontino, & Plinio lib. II cap. XII, eam in Regione IV locante. Bovianum. Episcopatus. Colonia.

Adscribam huc iter, quod ab Vrbe Via Salaria per *Vmbriam* in *Samnites Hadriam* ducit Antoninus; commissum cum Itineraria Tabula, vulgataque Nomenclatura. Iter per Vmbriam in Samnites.

	Antoninus.	Itineraria Tabula.		Vulgata Nomencl.
	Ab Vrbe Hadriam usque M. P. CLVI. *sic*:	*Roma*, XI.		
Vmbria.	*Eretum*, M. P. XVIII.	*Fre'o*, XIIII P.	*Ducato Spoletino.*	*Monte Ritundo.*
	Vicum Novum, M. P. XIIII.	*Ad Novas*, XVI.		....
	Reate, M. P. XVI.	*Beate*, VIIII.		*Riete.*
	Cutilias, M. P. XVIII. Sic etiam simpliciter Seneca in Quæst. Naturalib. lib. III.	*Aqua Cutillia* VII. Sic etiam vocat Plinius libro XI, cap. XCV.		*Lago di Contiglione*, vel *Lago de Pie de Luco*, ut alij.
	Interocrium, M. P. VI.	*Interocrio*, XII.		*Interdocho.*
	Falacrinum, M. P. XVI.	*Palacrinis*, XVI, Legendum *Falacrinis*,		*S. Silvestri in Phalacrino.*
	Vicum Badies: M. P. IX. Forte, *Vicum Martis*.	*Ad Martis*, ...		....
	Ad Centesimum, M. P. X.	Magna confusio. Nam ab Vrbe versus Occidentem hoc Iter primo ducitur; inde reflectitur in Orientem; quum in Septemtrionem primo mox in Orientem fuisset ducendum.		....
Samnites.	*Asculum.* M. P. XII. Alijs Ἄσκυλον, & *Asculum* scribitur.		*Abruzzo.*	*Ascolino*
	...			

Castrum Truentinum, M. P. XX.	*Castro Trentino*, ... Leg. *Truentino*.	
Castrum Novum, M. P. XII.	*Castro Novo*. XII.	*Columella*. *Flaviano*.
Hadriam.	*Hadria*.	*Atri*.

Secundum ab Urbe Hadriam, Via Valeria

Aliud, quod mox apud eumdem Antoninum sequitur, ab *Urbe Hadriam, Via Valeria*.

	Antonius:	Itineraria Tabula:		Vulgata Nomencl.
	Ab Urbe Hadriam usque M. P. CXLVIII, *sic*	*Roma*		*Triveli*.
Latium,	*Tibur*. M.P.XX.	*Tibori*, VIII. Legend. *Tibure*.	*Campegna di Roma*,	
		Varie, V.		*Arceolo*.
		Lamnas, X.		
	Carseolos M.P.XII. Livius lib. X *Carseolos* in agrum Æquicolarum deductam Coloniam perhibet. Ptolemæo itē in Æquicolis Καρσίολοι. *Carseolani* Plinio Populi Æquiculanorum. Strabo *Carseolos* cum Alba in Via Valeria collocat.	*Carsulis*, VI. Legend. *Carseolis*.		
	Albam Fucentiam, M. P. XXV.	Ingens hic iterum confusio in Itineraria Tabula.		....
Samnites,	*Cersinnia*, M.P.XXIII. Alij non meminerunt.	*Cirfenna*.	*Abruzzo*,	....
	Corfinium, ... M.P.XVII.	*Corfinio* .... Progressu hactenus facto in Orientem, ad hanc Mansionem recurritur iterū in Occidentem; magna confusione.		*Campo di S. Pelino*
	Interbromium M.P.XI.	*Inter Primum*		....
	Utrum melius, nondum video.			
	Teate Marucinum, M. P. XVII.	*Tea Nomarucinoceio*, Leg. *Teate Marucinorum*. Confusio.		*Chieti*.
	Hadriam, M.P.XIIII.	*Hadria*.		*Atri*.

Tertium

Tertium denique à *Septempeda Castrum Truentinum*, M. P. LXXIV. *Tertium à Septempeda ad Castrum Truentinum.*

	Antoninus:		Itineraria Tabula:			Vulgata Nomencl.
Picenum.	*Vrbem Salviam*	M.P.XII.	*Vrbe salvia.*	....	*Marca Ancon.*	*Alia.*
			Ad Aquas,	IX,		
			Surpicano,	XV.		
	Firmum,	M.P.XVIII	*Firmo Viceno,* Leg. *Piceno.*	XII.		*Fermo.*
			Cupra Marina	XII		*Grotte*, vel *Gritto.*
Samnites.	*Asculum,*	M P.XXIV.	....		*Abruzzo.*	*Ascoli.*
	Castrum Truentinum,	M. P. XX.	*Castro Trentino.* Leg. *Truentino.*			*Columella.*

Huc item pertinet Pars Itineris, quod ab Vrbe *Via Prænestina Beneventum* ducit Antoninus, nota & explicata superius, Loca continens, *Aquinum*, *Casinum*, *Venafrum*, *Tesnum*, *Allifas*, *Telesiam* & *Beneventum*.

CAPVT XXX.

Apulia Daunia.

HÆc de Samnitibus, quos Distributio mea in Prisca Italia, eaque Orientaliore locarat priore loco cis Phiternum ad Mare Hadriaticum: perlustrandas sistit nunc ordine mea Methodus ibidem trans Phiternum *Apulias*. APVLIA.

APVLIAM nonnulli dictam opinantur ab *A* privativa particula & *Pluvia*, tamquam *Apluvia*: &, si DIs placet, rationem addunt, quod in ea rarissime pluat. Alij nomen ab *Apulo* Rege volunt ortum, huc multis ante Bellum Troianum ætatibus profecto. *Apulia*, inquit Diaconus libro II rerum Langbardicarum cap. XI *à Perditione nominatur. Citius enim ibi Solis fervoribus terra virentia perduntur.* אפוליא scribitur in Chaldica Paraphrasi, Ezech. cap. XXVII. Sic exstat in Veneta Editione in Commentarijs Kimchi. Complutensis Codex rectius אפוליא: de quo Elias, *Videtur mihi*, inquit, esse *Provincia illa, quæ dicitur* אפולייא, *Pouslla*, *in Regno Neapolitano*. *Apuliæ* totius Fines constituunt ad Ortum quidem, Salentini, ad Meridiem, Lucani, Hirpini, Samnites; ad Septemtrionem, Sinus Hadriaticus; ad Occasum Phiternus Amnis. Caracenorum & Frentanorum, de quibus suo loco, terminus. Finibus autem, quos indicavi, concluditur quidquid ab varijs Scriptoribus tributum *Apuliæ*, quæ duplex; cis Aufidum quidem Fluvium DAVNIA; trans idem Flumen PEVCETIA. *Eius Fines.*

Hic antequam ad sequentium me accingam explicationem, monere Lectorem operæpretium duxi, Plinium libro III. natur. Histor. cap. XI triginta sex, aut circiter, enumerare Populos, qui utrum ad *Apulos*, an vero ad *Samnites* sint referendi, non satis constat. Eos hic malui recensere, quam nusquam. De certis quorundam locis, perspicuum est. *Aquiloni* enim, *Abellinates* cognomine *Protropi*, *Campsani*, & *Caudini* suas habuerunt Vrbes inter *Samnites*, quæ vulgo *Agnone*, *Avellino*, *Campagna* & *Vetus Caudium*, quemadmodum præcedente Cap. vidimus: suas etiam habituri, ut duobus sequentibus videbimus, in *Daunia* quidem *Arpani*, *Herdonienses*, *Hyrini*, & *Lirinates*: puta, quæ vulgo *Arpi*, *Cedogna*, *Rode*, *Larino*; accedentibus & *Mateolanis*, quos ad Garganum montem ipse locat Plinius: in *Peucetia* vero *Cannenses*, ubi *Cannæ Veteres*, *Silvini* item prope Andorum, & *Venusini* ubi hodie *Venosa*. Restant igitur XX circiter Populi, qui utrum *Samnitibus* sint

Varij Populi, qui utrum ad Samnites, an ad Apulos referendi, incertum. Aliquo modo certi. Aquiloni, Abellinates, Campsani, Caudini, Arpani, Herdonienses, Hyrini, Lirinates, Mateolani, Cannenses, Silvini, Venusini:

adcensendi an *Apulis*, adhuc ambiguum est; Posterioribus malim, verbis Plinij bene expensis: sed utrum *Daunijs*, an *Peucetijs*, vel qui quibus, adhuc hæreo. Eorum nomenclatura hæc est. *Æcolani* (pro his *Aufeculanos* habere tria Exemplaria testatur Ortelius. Male. Nam Αἰκούλανον urbem habet Ptolemæus, Αἰκουλανον Appianus: *Eclanum* Antoninus xxv P. M. ab Equotutico: *Æculanum* legit Sigonius: Et hinc *Eclanensis Ager* in Libro de Limitibus. Fuerunt forte Apuliæ Dauniæ) Sunt inde apud Plinium; *Ligures*, qui cognominantur *Corneliani*, quique *Bebiani* (Sic Frontinus de Coloniis, uti in M. S. Codice amicissimi mihi Scriverij legitur. *Ligures Bebiani* & *Corneliani* in iro ducti, &c. *Vescellani*, *Deculani*, *Æclani*, *Atrani*, *Æcani*: Horum meminit Lapis, qui Beneventi in Ædibus Alphonsi Materani:

C. OCTAVIO. C. F
PAL. MODESTO
AVGVR. II VIR. L. D. QVÆST
PRÆF. FABR ROMÆ. PRÆF
COH. III. ITYREOS. TRIB. MIL
LEG. IIII SCYTHIC. CVRAT. REI
P. ÆCANOR. ITEM. HONORA
TO. AD. CVRAM. CALENDARI
REIP. CANVSINOR &c.

Afellani porro Plinij sunt qui *Amalphitanos* esse volunt, *Amalphis* in Campania Incolas: alij Cives contendunt esse *Malphu* vel *Melphis* in Lucania. Sed reclamat utrique situs & enumeratio, quæ apud Plinium, Hirpinis Samnitibusque *Afellanos* contententem. Nominantur inde Plinio *Attinates*, *Borcani* (Hermolaus facit horum etiam Auctorem Strabonem: sed *Borcanos* nusquam apud eum reperio) *Collatini*, *Cornenses* (in M. S. sunt *Carrinenses*) *Divini*, *Ferentani* (an qui Φερεντανοὶ Artemidoro apud Stephanum?) *Genusini*, *Larinates* (de his etiam paullo ante eodem cap. scripserat Plinius) *Neretini* (alij ab *Neretinis*, Salentinorum Populis, quos ibidem nominat Plinius in fine capitis) *Matini* (noti sunt & Lucano. Hinc, ut feramus hodie Littorales, *Matinum Littus*, *Matina Palus*, *Matina Cacumina* apud Horatium, cui & *Matinus Mons* notus in Epodis, quem tamen Interpretes in Calabria statuunt. Vide nonnihil capite sequenti, ubi de *Batina* Urbe) *Rubustini* (M. SS. suos Codices *Erbastinos* habere monet Ortelius; sed *Rubustini* Agri mentionem quoque fieri in Libro de Limitibus) *Strapellini*, *Turmentini*, *Vibinates* (Exemplaria quædam *Vibarnates* præferre, suggerit Ortelius, eosdemque etiam placere Hermolao Barbaro ab Oppido *Vibarna*, *Vlartini* denique postremo, inter hos incertioris situs Populos, loco.

Dauniæ Nomen, ut scribit Plinius ab antiquissimo, vel Rege vel Duce, Daunio, Diomedis Socero: qui, ut Festus notat, ex Illurica gente Vir clarus, Patria propter seditionem excedens, hanc Italiæ partem occupavit, eamque cum Diomede Genero est partitus. Plene de ea Strabo, qui tamen in ejus, tamquam non visæ, descriptione indiligentior: Plinius, Ptolemæus, Pomponius Mela, alij. Italis hodie *Puglia Piana* vocatur. *Piana* ab latissimis Campis, & majore, quam in Peucetijs, æquore Agrorum, qui fertiles hic supra modum Tritici aliorumque Frumenti generum. Fines illi ab Oriente Apulia Peucetia, intercurrente Aufido: ab Meridie, Apenninus, cum Hirpinis & Samnitibus: ab Occidente, Frentani, Caracenique, nunc Aprutij, cum Picentinis: ab Septemtrione Hadriaticum vel Ionium Mare. Scribit Plinius lib. III. cap. XI Diomedem in hac Regione delevisse Gentes *Monadorum Dardorumque*, & Urbes duas, quæ in Proverbij ludicrum vertere, *Apinam* & *Trica*m.

Specialiora jam nunc persequar, absoluturus ea per partes suas principes, quas hujus

hujus Regionis ſtatuere ſoleo in *Ora, Monte Gargano, Capitanita.* Ab *Ora* ordiar, ortum ſpectante. [nia loca; in ora;]

Vicenis ab Aufido P. M. Veteris *Salapiæ* locus invenitur. *Salapia* Livio, Plinio, Vitruvio; Σαλαπία Straboni: quæ Σαλαπίαι Ptolemæo. Conditorem ejus Varro Diomedem, alij Rhodium Elphiam tradunt. Meminit ſæpe Livius, præcipue libro XXVI, XXXVI, XXXVII. Plinius meretricio Hannibalis amore inclutam ſcribit. Strabo Ἀργυριππηνῶν ἐπίνειον fuiſſe ſcribit. *Salapinam Paludem* habet hoc tractu Lucanus lib. V. Belli Pharſalici. Quod locum mutarit, Cæli fecit, ut Veteres Auctores memorant, inter quos Strabo, gravitas. Nam quotannis peſtilentia ingruente, M. Hoſtilianus ab S. P. Q. R petijt, ut Urbem quaternis P. M. captandæ ſalubritati introrſum in Continentem transferre liceret. Quo impetrato, novum Opidum in Mediterraneis condi cœptum, quod ab deſolato prorſus priore *Salpe* nunc appellatur. Opidum Epiſcopatus titulo nobile.

[Salapia. Hannibalis amore nobilis. Locum mutavit. Epiſcopatus.]

Sequitur *Lacus Andurianus, Lago di Andoria*, ab Opido vicino *Anduria*, quod *Mandurium* Plinio, *Lacum* etiam deſcribenti, quod ad Margines ſit plenus, neque exhauſtis aquis minuatur: neque augeatur infuſis. Meminit & *Lacus* hujus, cum *Fluvio*: quem hodie *Candilarem* vocant, Strabo inter Salpiam & Sipuntem eum ponens. [Anduria.]

Hinc ad *Manfredoniam* millia octo ſunt. Urbs ea lauta ſane populoque frequens, in rupe Sinus marini, quem Gargani Montis flexus efficit, ſita. Condidit *Manfredus* Rex, Friderici II Imp. Filius, anno circiter CIↃ CC, qui *Manfredoniam* ab ſe denominavit, quum prius locus hic *Capitaniatæ Portus* vocaretur, teſte libro IIII Hiſt. Reg. Collenutio. Conditam conſtat ob Siponti interitum; translata etiam eo *Archiepiſcopi Sipontini* Sede; unde *Sipontini Antiſtitis* nomen hodieque manet *Manfredoniano*. Invictam ad Littus habet Arcem. Moles extra muros in mari jacta, magnæ artis opus, ſecuram præſtat ſtationem navibus, in quas per gradus deſcenditur. Nobiles ibi Familiæ:

[Manfredonia, Situs, Conditor, Archiepiſcopatus, Arx, Moles marina, Familiæ Nobiles;]

Avantaggio.	*Calvano.*	*Minadoi.*
Beccarino.	*Feſta.*	*Nicaſtro.*
Caracʒuolo.	*Florio.*	*Selvagio.*
Ceſſa.	*Gentile.*	Et aliæ.

Ab Manfredonia per oram incedenti M. P. ad Gargani Montis radices ſaxoſa in rupe *Siponti* ruinæ oſtenduntur. *Sipontum* Livio, Plinio, Caſſiodoro, Itinerariæ Tabulæ, quæ *Sipontium* Paullo Diacono de geſtis Langbard. lib. II cap. XXI; *Sipus* Silio lib. VIII Belli Pœnici: Σιπιοῦς Ptolemæo. Audiamus Strabonem lib. VI: Δοκεῖ δ' ἡ καὶ ἡ Σιπιοῦς Διομήδους εἶναι κτίσμα, διέχων τῆς Σαλαπίας ὅσον μ καὶ ρ σταδίους, καὶ ὀνομάζετο γε Σηπιοῦς Ἑλληνικῶς, ἀπὸ ἐκκυματιζομένων σηπιῶν. Innuit non jam amplius ita ab Græcis dici, ſed Σιπιοῦς. Sic Pomponius Mela: *Sipuntum, vel, ut Græci dixere, Sipyus*; quid ſi *Sepius*? Σιπιοῦς, inquit Stephanus, πόλις Δαυνίων. *Siponto* hodieque, teſte Leandro. Dicta, ut ex Strabone audivimus, ab multitudine *Sepiarum*, quæ hic in littus ejiciuntur: quod hodieque videre eſt. Hodie plane conlapſa jacet; monſtrantibus nihilominus ruderibus magnificam fuiſſe Urbem. Summum Civitatis Templum adhuc omnibus ſuis partibus fere integrum. *Sipontum Coloniam* Romanorum fuiſſe ductam notat libro XXXIV Livius: qui ejus etiam meminit libro XXXV. Interitus varie narratur: alijs alio referentibus, ad Saracenorum irruptiones, ad inteſtinas contentiones, ad Terræ-motuum violentiam.

[Siponti ruinæ, unde dicta, Colonia, Interitus.]

A Siponto per littus procedenti Locus *Apeneſti* ſeſe offert, plane nunc deleti. Meminit ſitus Ptolemæus, cui Ἀπενέσται ſcribuntur. Hinc *Apeneſtini* Plinio, qui vitioſe in vulgatis *Apameſtini*. [Apeneſtum.]

Montis Gargani, de quo alibi, Opida ſequuntur explicanda. [Ad Montem Garganum.]

Reperiuntur in eo Lacus aliquot piſcoſi, inter ceteros *Varanus, Varrano*, ambitu M. P. XXX, quem *Caprinum, Cognatium, Iſcitella* Opida coronant. [Caprinum, Cognatium, Iſcitella.]

Tum in fronte Promontorij *Beſtia* eſt Civitas; ſic dicta, pro *Veſta*, cuius hic putatur fuiſſe ædes. [Beſtia.]

Poſt X millia *Veſtice* Caſtellum ſequitur. [Veſtice.]

Flexum Promontorij totum emenſis ſe offert *Rode* Civitas: olim *Hyrium*. Ὕριον, Ptolemæo & Dionyſio Afro; Ὑρίη, Herodoto & Euſtathio; *Uria*, Varroni & Plinio libro III nat. hiſtor. cap. XI: Οὔριον, Straboni, cujus tempore modicum [Rode olim Hyrium.]

erat

Strabo & ex Trogo Iustinus lib. xx. *Sarpi* dicitur Nigro; *Monte S. Angelo*, Erythræo. Hinc *Arpini* Livio. ΑΡΠΑΝΩΝ, *Arpanorum*, Numismata exhibet in sua Magna Græcia Hubertus Goltzius. *Ardanum Agrum* nominat Plinius, in quo satum frumentum non nascitur. In editione Veneta est *Harpanus*: *Arpanum* esse in M. S. Codice & quibusdam excusis testatur Ortelius ab *Arpis* fortean. Putant quidam *Diomediam*, quæ Διομηδία Stephano, eamdem esse cum *Arpis* Vrbem. Sed reclamat ipse Stephanus, cujus quæ in ea voce sunt mutila, sic supplenda censeo: Ἐστὶ καὶ Διομήδεια, πλησίον Ἀργυρίππης. Sunt enim Ἀργυρίππη & Διομήδεια Dauniorum ad Sinum Ionium vel Hadriaticum. Et *Diomediam* potius, quam, quod quidam arbitrantur, *Arpos*, designare puto Virgilium lib. vii Æneid. & Ovidium lib. xiiii. Metam. quum *Diomedis Vrbem* nominant. Vtraque certe ab Diomede est condita.

an eadem cum Diomedia.

Millibus à Foggia xii Occasum versus adparet in exiguo colle Opidum, nunc Episcopale, *Luceria*. Sic Livio, Plinio, Paullo Diacono lib. ii cap. xxi Rerum Langbard. aliisq; Latinis dicitur: Λουκερία, Straboni ceterisque Græcis, Λουκαρία Polybio lib. iii teste Stephano. quæ Λουκαία Diodoro lib. xvii. inemendatius; ut & Νουκερία Ptolemæo, & *Nuceria* Suetonio. *Nucerie Apule* Itinerariæ Tabulæ, vitiosiore Scriptura, pro *Nuceria Apula*. *Luceriam* quidam volunt dictam à *Lucendo*, quod editiore loco sita *lux* quasi & fax esset totius Apuliæ. *Coloniam* eo ab Romanis ductam scribit Livius libro ix, mentionem etiam ejus faciens libro xxii. Fano Minervæ (cui Lanificium curæ est. Nam Lanas optimas tonderi solitas prope nobilem *Luceriam*, canit Horatius lib. iii Carmin. Oda xv) celebris, Strabonis temporibus jam diruta jacebat, post ex veteribus ruinis restituta ab Constantino ii Orientis Imperatore (Legendi Paullus Diaconus lib. v & Blondus libro ix Histor.) denuo excisa, rursus post hanc cladem instaurata Saracenis, ex Africa deductis, (eodem Blondo scribente libro xvii) concessa est; unde vulgo *Luceria de i Saraceni* cognominata: quibus tandem expulsis ab Karolo ii utriusque Siciliæ Rege, novum Vrbi nomen datum est, ut *D. Mariæ Civitas*, *Citta di S. Maria*, diceretur, monumentum Victoriæ ab Saracenis reportatæ, ipso xviii Kalend. Sept. die Virgini Matri sacro. Sed pristinum *Luceriæ* nomen in hunc diem prævaluit. Quingentis ab Vrbe passibus Imperator Fridericus modico in Colle munitissimam exstruxerat Arcem; quæ ingentibus ruinis deformata nunc jacet, & prorsus deserta. Rudera, quæ hodieque passim eo loco, priscam docent Vrbis amplitudinem.

Luceria, Episcopatus. unde dicta. Colonia. Res gestæ. dicta etiam aliquando Civitas D. Mariæ. Arx.

Succedit in Apennino *Teanum Apulum*; sic cognominatum ad differentiam ejus, quod in Campania *Sidicinum*. Τέανον Ἄπουλον Straboni & Ptolemæo: *Teanum*, Livio; *Tianum*, Pomponio Melæ & Antiquis Numismatibus: *Theanum Apulum*, cum adflatu. M. Tullio & priscis Lapidibus. Hodie *Teano* vel *Tiano*. Incolæ *Teanenses* Livio libro viii & ix. *Teanensis Respublica* est in Basi marmorea, quæ in Vinea Cardinalis Carpensis: alibi à me posita. Τυανίτας nominat Polybius libro iii, ubi Vetus Interpres *Calatinos* legit. Nobiles ibi Familiæ:

Teanum Apulum; Familiæ Nobiles;

D'Agnelo.	*Carigli.*	*Di Martino.*
Abenavoli.	*Caluccio.*	*De Monte.*
Baratuzi.		

Ab Luceria P. M. viii itinere Campestri in Septemtrionem Opidum invenitur *Farentinum*, quod Blondo *Ferensuola*, recens omnibus habitum, Colonis infrequens, & magna parte conlapsum: inclutum nihilominus morte Friderici ii Imper. de qua legend. Collenutius lib. iii Histor. Reg. & alii.

Ferensuola, Mors Friderici ii Imp.

Ab Ferensuola itinere xviii P. M. ad exiguum Collem vestigia cernuntur Civitatis *Civitati*, *Civitato*; non ita pridem deletæ. Ædes Cathredalis superest.

Ad Luceriam commeantibus retro juxta latus Apennini versus Orientem, inter alia sunt: *Castellutium*, *Castelluzo*, *Petra-motta*, *Mons Corvinus*, *Vulturnum*, aliud *Castellutium*, *Licellaria*, *Fortinum*, *Castellum Francum*, *Alberettum*, *Biccarinum*.

Civitatum. Castellutium, Petra Motta, &c.

Dein ab Luceria P. M. viii Civitas est opulentissima, *Troia*, fœcundi agri. Instauratam vel potius conditam à Bubagiano, Michaelis Constantinopolitani Imp. Præfecto, circa tempora Stephani viii P. M. tradit lib. xiii Historiar. Blondus. Vetustissima

Troia. Condita.

tustissima Bononiensis Urbis Chronica ab Duce quodam Imperatoris Basilii instauratam produnt. Utrumque verum esse potest. Quum enim Michaeli Basilius successerit potuit Bubagianus utriusque fuisse Legatus, & sub uno quidem cœpisse, perfecisse sub altero. *Romanum* hic fuisse, loquuntur Bononiensium Chronica, ab Consentino Leandroque confirmata. *Hannibalis Castra*, quæ ab Guidone Ravennate, Collenutio lib. III Hist. Reg. & Volaterrano in Cæsar. hic ponuntur, ab nullo veterum scriptorum in hac Regione, sed in Magna Græcia, ut vidimus, nominantur. Habuit hic Concilium Urbanus II P. M. depravatissimos Clericorum mores correcturus, testibus Blondo lib. XXII Histor. & Platina in Pontificum Vitis. Urbs Comitatus & Episcopatus titulo clara.

Secundum Apenninum descendum in Meridiem procedenti quarto lapide Castellum occurrit *Vitiana*: pari que deinceps intervallo *Bovinum* Civitas: inde tertio *Dragonarium* Oppidum: hinc septimo *Asculum* Urbs, titulo Ducatus & Episcopatus inclutá. *Asculum* L. Floro, Tarentinum Bellum scribenti; Ἄσκυλον, Appiano Alexandrino, Ἄσκλον Stephano: *Ascoli* vulgo, sed cognomine *Satriano*, teste Mazzella, ad differentiam alterius, quod in Piceno. Colonia. *Coloniæ* jus habet apud Plinium, & in antiqua Basi, quæ in Hortis Cæsianis:

C. SALLIO. ARISTAENETO. C. V

& post aliquot versus: nam alibi integram potui:

DECVRIONES. ET. PLEBS. COLONIÆ. ASCVLANO

RVM. PROPTER. HVMANITATEM. ABSTINENTIAM

Eversum. Eversum ab Rogerio Guiscardi F. ob defectionem, teste Blondo libro XXII Hist. restauratum est, sed non qua fuerat, amplitudine. *Asculani* nominantur cum in aliis Inscriptionibus, tum in Fastis Capitolinis, *Asculanorum Remp.* præfert Lapis, qui alio a me laudatus loco.

D. Leonardi. Itinere hinc per Campestria versus oram, quatuor ab ea P. M. augustum est *D. Leonardi* Templum, ab Frederico II Imp. fundatum cum nobili cœnobio, quod Equitibus Teutonicis D. Mariæ Prussianæ maximis reditibus ille concesserat: Extinctis iis Commendationis jure locus cœpit haberi.

Inde XIIX lapide *Cidiniola* est, *Cidignola* copiarum Ludovici XII Francorum Regis clade anno CIↃIↃIII mense Maio facta, nobiles.

His Apuliæ Dauniæ, cum Littoralis, tum Gargani Montis, & Capitanatæ Locis Leander Scriptor & Delineator Italiæ diligens enumeratis, quartam quasi adiit partem *Iapygiam*. Servius enim ad illud Virgilii,

Victor Gargani condebat Iapygis *arces*:

notat *Iapygiam* (alia est Salentinorum) *partem esse Apuliæ, in qua Mons Garganus*. Hujus igitur initium ab ipso ponitur *Campus Bassus* Oppidum, Comitatus dignitate clarum in medio Montium, qui eis Apennini sunt juga, positum, à Boviano XVIII P. M. intervallo.

A Campo-Basso Luceriam versus incedenti quarto lapide *Campus Petratus*, *Campo di Pietra*, occurrit: sexto deinceps Oppidum *Petra Catella*, præcelsi Montis impositum vertici: inde quinto *Macia*; itemque decimo-sexto a Campo-Basso *Celenzia*: septimo hinc *Ricca*; e Regione *Cambatissa*: dein octavo *Castellum Motta*, ac postea secundo *Buturaria*.

Ad Apuliam quoque *Vinculaterium*, *Vinculatore* pertinet, ab initio Tiferni Amnis intervallo VI M. P. parique a Boviano. Sequuntur ulterius *Paranellum*, *Buxum*, *Battinum*, *Reccera*, *Mons Sagranus* (*Monte Sagrano*) *Petrella*, *Castellinceum*, *Morronum*, *Iovenisium* *Circa* *ci* *isto*.

Geryon. In Campis porro, qui XVI P.M. patent usque ad Mare, vestigia reperiuntur, teste Leandro, antiquissimæ Urbis, quæ *Geryon* vel *Gerion* Livio libro XXII & alibi: Γηρυόνιον Stephano, cui & Γηρυόνια: *Geronium* est in Itineraria Tabula. Polybio est in Apulia, decem stadiis ab Aufido flumine, & ducentis ab Luceria Urbe distans. Livius item & Appia-

& Appianus Apuliæ adſcribunt. *Cirignola* nonnullis dicitur, teſte Laurentio Ananienſi. Celſus Cittadinus Roma ſcribens ad Ortelium *Geruntæ* vix nomen, ne dum veſtigia ſupereſſe notat.

Hinc ad alterum lapidem *Caſcalenda* ſe offert: poſtque ſex milliaria, aliud recens *Larinum*, loco ab Veteri, quod nunc deletum, milliar. duorum. *Larinum* Ciceroni, Plinio Itinerariæ Tabulæ, aliis: Λάρινον Ptolemæo. Cicero pro Plancio *Larinum* XIIX P. M. diſtare docet ab Theano Apuliæ. Videndus & Plinius. Λάρινα πόλις Λαβινίων Stephano; emenda Δαυνίων. Hinc *Larinates* cognomine *Frentani*, Livio, Cæſari, Plinio, Silioque, cuius & hoc: *Caſcalenda. Larinum.*

Quique iacet Superi Larinas *accola Ponti.*

Larinus Ager eidem Ciceroni eadem Oratione; qui *Larinatis Ager* apud Livium lib. XXII & XXVII. Periit hoc Opidum in vulgatis Melæ libris. Nam ubi libro II *Lucrinum* legitur reponendum eſt *Larinum. Daunij autem*, inquit, *Tifernum Amnem, Cliternam, Lucrinum, Theanum Opida; Montemque Garganum.* Novum *Larinum* Ditionis eſt Vrſinorum, Familiæ Romanæ.

Ab Littore P. M. IV eſt *Leſina*, à Piſcatoribus vicini Stagni primum cœpta; ſed ita progreſſu temporis ampliata, ut frequens & honeſtum factum fuerit Opidum, & Epiſcopum etiam acceperit. Diruta ab Saracenis, reſtituta eſt, ſed non qua quondam amplitudine. Hodie ab Colonis propemodum deſerta, ſedem tamen retinet Epiſcopalem. Nomen Vrbi ab *Leſina*, Illyrici Inſula: unde primi Habitatores in adverſam hanc Continentem migraſſe feruntur. *Leſina. Epiſcopatus.*

In Continenti deinde IV Vrbe Leſina millibus, unoque à Phiterno *Serra Capreola* conſpicitur in alti Montis vertice: decantatum paſſim Opidum, quod Pecudū gregibus, qui in Apuliam hibernandi gratia ducuntur, hac tranſire, adpenſo Portorio, quod *Dogana* dicitur, ſit neceſſe. Epiſcopalem habet Sedem. *Serra Capreola. Epiſcopatus.*

Deinde paullo altius, quædam ſunt Caſtella haud procul à Phiterno: *ad D. Iulianum, Colletorum, Macia, Petra Catella, Gedanum*, & alia parvi momenti: quorum quædam ſuperius etiam memorata. *Ad D. Iulianum, &c.*

Secundum Amnem ſurſum procedenti læva, multo altius prope ipſum Fluminis Fontem *Circus Maior* eſt; juxtaque dein Amnis, *Apuliæ Dauniæ* terminus. *Circus Maior.*

Quæ Ἐρδωνία Ptolemæo in Mediterraneis *Apulorum Dauniorum* Vrbs; Ἐρδωνία Straboni; *Ardonea* Livio libro XXIV multitudinis numero, ut & *Erdoniæ* Antonino; *Ardona* Limitum libello; ea hodie *Codogna* cenſetur Celſo Cittadino in confinio *Apulorum* & *Hirpinorum*. *Cerugnola* voca ut ab Nigro. Ab *Herdonia* ſane vel *Erdonia*, *Herdonienſes* Plinio, *Apulorum* Populi; in antiquis Codicibus ſunt *Herdonenſes*; in vulgatis etiam nonnullis *Erdonienſes* & *Hordonienſes*. *Erdonia.*

Adſcribam hic Iter quod in Itineraria Tabula Littorale ducitur ad Mare Superum cum per utramque *Apuliam* & *Dauniam* & *Peucetiam*, tum *Salentinorum* Regionem: ab *Larino*, quod paullo ante deſcripſi, *Hydruntum* uſque: ea mente, ut corruptiora inibi emendem, obſcuriora inluſtrem, ſimulque Lectorem benevolum mecum in pleniorem ducam Locorum, quæ in *Daunia* dicta, quæque in *Peucetia* & *Salentina* ſunt dicenda, cognitionem: *Iter Apuliarum Littorale.*

	Itineraria Tabula.		Vulgat. Nomencl.
Dauniæ	*Larinum,*	XII	*Larino.*
	Teneapulo,	XVIII	*Teano.*
	Latet *Teanum Apulum.*		
	Ergitium,	XXV	*Arpi.*
	Legendum eſſe *Argos-ippion*, antea monui.		
	Siponto,	VIIII	*Siponto.*
	Sequitur nonnihil confuſionis in *Anxano*, quod Ferentanorum apud Ptolemæum Opidum: & in *Salapiis*, quæ ſequiore hic loco, Ptolemæo ſunt inter Sipontum & Aundenam, in Mediterraneis.		

Apulia	*Fl. Aufidus,*	VI	*Lofanto Fiume.*
	Bardulos,	VIII	
	Videntur *Barulum* vel *Baruli* signari.		*Barlette.*
Peucetia	*Turenum,*	VI	*Trani.*
	Natiolum,	VIIII	ubi *Marfetta.*
	Barium,	XX	*Barri.*
	Turris Cæsaris,	IX	inter *S.Georgium* & *Molam.*
	Dertum,	IX	inter *S.Viti* & *Polinianum.*
	Gnatie, Legend. *Gnatiæ.*	XXI	*Nace* vel *Naze.*
	Spelunis, Legend. *Speluncis.*	XXVIII	inter *Egnatiam* & *Villam Novam.*
Salentini	*Brindisi.* Emend. *Brindisio.*	X.	*Brindisi.*
	Fl. Passum.	....	....
	Balentium,	XV	*Torre di S.Cataldo,* aut circiter.
	Luppia,	XXV	....
	Ydrunte.	VIII	*Otranto.*

CAPVT XXXI.

Apulia Peucetia.

Apulia Peucetia: SIc se habet *Apulia*, quæ cis Aufidum Fluvium Occidentalior, *Daunia* dicebatur: sequitur explicanda jam-nunc, quæ trans eumdem Fluvium Orientalior, cognominari solet PEVCETIA.

Unde dicta. Nomen illi a *Peucetio*, Lycaonis Filio, Oenotri Fratre, XVII ante Bellum Troianum ætatibus huc profecto, ut memoriæ produnt cum alii, tum Dionysius Halicarnassæus libro I Antiquit. Roman. Dicitur nunc vernacula Italorum lingua *Terra Bariana*, *Terra di Bari*, ab Vrbe *Bario* primaria, ceterarumque Capite.

Qualitas. Regio hæc stupenda Agrorum ubertate, admirandaque nobilissimorum Fructuum copia cum reliqua fere Italia committi potest. Sunt tamen ibi, ne quid sit omni ex parte beatum, Loca quædam, quæ pluviis, aquisque laborant, ut merito Horatius *Siticulosam* vocet *Apuliam*, & Persius jure cecinerit Satyra I,

Nec lingua tantum sitiat Canis Apula.

Veteres Incolæ. His locis antea *Aetolos* ex Græcia ortos habitasse ferunt, qui expulerant *Pediculos*. Sic Plinio Iustinoque scribuntur; Πεδίκλοι Straboni, Πελίκλαι corrupte Appiano. Memorant autem Adolescentes eos fuisse IX, totidemque Virgines ex Inlurico ortos, ab iis progenitos fuisse XIII Populos, multaque Oppida condita.

Littoralia Peucetiæ. Ora Regionis huius Littorali primum percursa; post, quæ in Mediterraneis perlustrabo. Ab ea parte, quæ Orientem spectat, ordiar.

Villa Nova. A Portu Brundusino flexus primum est Aquilonem versus per littus Ostuni; de quo IV P.M. in Mediterraneis ab sito, alibi. *Villa Nova* hic, Portus Ostunensis, quo ex illa urbe Merces deferri solent in Naves.

Egnatia. Dein spatio P.M. XIIII. antiquissimæ Civitatis *Egnatiæ* vestigia. *Egnatia* Plinio, Melæ, Antonino; Ἐγνατία Straboni & Ptolemæo dicitur, quæ *Gnatia* Horatio libro I Sat. V. & Antonino alio quam supra loco: *Gnatie* in Itineraria Tabula. κώμη apud Strabonē καταγωγὴ πλέουσι τι καὶ πεζεύουσιν εἰς Βάριον. Hodie conlapsa jacet: sed ejus Bustum non procul ab ora inter vepres & dumeta *Nazo* vocatur Nigro: *Natia*, Ananiensi: *Iovenazo* Collenutio & Pontano: *Anazzo* Ligorio. Celsus Cittadinus & Volaterranus putant ex ejus ruinis extructam *Monopolim*.

Speluncæ. Inter Egnatiam & Villam-Novam, nisi conjectura fallit, *Speluncæ* fuerunt, quarum mentio apud Antoninum. In Itineraria Tabula *Spelunis* scribitur, pro *Speluncis*.

Quarto

D. Steph. arx.

Quarto ab Egnatiæ ruinis milliari modica visitur Arx *D. Stephani*; in maris scopulo, brachij instar in altum procurrente, sita: Equitum D. Ioannis Rhodiorum.

Monopolis. Episcopatus Marchionatus. Clari Viri. Ager.

Altero ab hinc lapide per littus Vrbis Nova *Monopolis* Episcopalis & Marchionatus titulo celebris; non quidem magna sed pulchra, splendida, ædificiorumque magnificentia nobilis. Inlustrarunt nomen Vrbis *Bartholemæus Sibylla*, Monachus, Philosophus, & Theologus; & *Hieronymus* cognomine Monopolitanus, Professor primum Patavij & Neapoli; post Archiepiscopus Tarentinus; Scriptis celebres. Ager Monopolitanus Olei feracissimus.

Polinianum. Episcopatus.

A Monopoli P. M. v per littus *Polinianum*, *Polignano*, succedit, Civitas Episcopalis, edita licet præruptaque & saxosa in rupe sita, lauta tamen & populo frequens. Adserunt Cives servare se *Viti*, *Crescentij*, *Moaesliique Martyrum* Corpora.

Arnestum.

Ab Egnatia xv, à Bario, quod sequitur xxii *Arnestum* fuit, Opidum Antonino notum. *Apeneste* legit Sigonius. Ἀπηνεσταὶ sane, quæ apud Ptolemæum, ad Apuliam Dauniam pertinent. An *Arnetium* sit legendum, dubitat Cittadinus, teste Ortelio.

D. Viti.

Per oram hinc lapide vii pernobilis & antiqua Aedes *D. Viti* succedit.

Dertum.

Inter Polinianum & S. Viti Fanum *Dertum* fuit, quod in Tabula Itineraria nominatur.

Mola. Arx.

Ab D. Viti intervallo P. M. ii *Mola* sequitur in littore, frequens quidem ædificijs, sed colonis agrestibus. Condidit Arcem ibi superioribus annis Marchio Polinianus ad Oræ tutelam.

Turres.

Inter Molam & S. Georgij Fanum, quod ibidem in littore, *Turres* fuerunt, quas nominat Antoninus in Itinere, ab Equotutico Hydruntum. In Itineraria Tabula *Turris Cæsaris* scribitur, cum *Portu* cognomine *Turris*.

Barium. Qualitas. Templum Primatum. Archiepiscopatus. Familiæ Nobiles.

Ab Mola P. M. x antiqua Civitas *Barium*. *Barium* Horatio, Tacito lib. xvi, Pomponio Melæ libro ii, Antonino, Itinerariæ Tabulæ: *Barion*, Plinio libro iii nat. hist. cap. xi. *ante Iapyx*, addenti, *à Dædali Filio*, *a quo & Iapygia*: Βάριον, Straboni & Ptolemæo: Βάρητος, Strabonis Epitomæ: Βάρις, inquiens Stephanus, πόλις, an hanc designet, nescio: Βαρις Cedreno etiam. *Baris* legitur apud Acronem Horatij Interpretem, qui addit ex Theotisto Grammatico hodie *Adbaris* nominari. Alius Horatij Commentator, quem Cruquius edidit, *Barin* hanc notat aliam à *Bario* esse, quod & Xylandro placet ad librum vi Strabonis. *Barri* vulgo. Ea est pulcritudine, populique frequentia, ut Regionis universæ teneat principatum, eique nomen ab se *terræ Barianæ* largiatur. Fanum habet augustissimum D. Nicolai Mireani Antistitis, in quo ipse sepultus perhibetur. Archiepiscopali gaudet dignitate. Familias habet nobiles, non paucas, in quis:

D'Affatati.	*D'Effrem.*	*Di Massimo.*
D'Alisio.	*Filipuccio.*	*Palombi.*
Arcamonte.	*Gerunda,*	*Pascalina.*
Carducci.	*Glori.*	*Rossi.*
Carettoni.	*Lamberti.*	*Taurisano.*
De Caris.	*Lampugnani.*	*Tresca.*
Dottola.	*Di Marsilia.*	

Res gestæ. Ora. Ager. Distantia à alijs locis.

A Basilio & Constantino Imperatoribus Byzantinis olim, ut Blondus memorat lib. xiii. Histor. capta direptaque, demum opibus aucta & ædificijs instaurata, aliquamdiu in potestate ditioneque fuit *Sfortiarum*: à quibus tandem Aragonijs dotis nomine, est restituta. Tradunt Historiographi ab Gulielmo i Siciliæ Rege funditus deletam: cujus cladis mentionem facit & in Itinerario suo Benjamin, ut *Barium* sit idem cum ipsius *Miquoles Devar* רכר מיקולם, Nomen latet in litteris כר. Addit Benjamin suo adhuc tempore Incolis vacuam. *Barium* quoque nobile Syllani morte, Senatoris clarissimi: qui diro Neronis imperio mori iussus, pectus Centurioni præbuit feriendum. Celebris est hæc vrbs inauguratione Regum Siciliæ & Neapolis. Ora hic importuosa. *Barium* Horatio *Piscosum* dicitur libro i Satyra v. Agri Vbertas incredibilis. Strabo à Brundisio *Barium* ɪↄcc Stadiorum spatium designat. Antoninus à *Bario* per compendium Tarentum numerat M. P. lx.

Iuvenatium. Episcopatus.

Sequitur in ora XII lapide *Iuvenatium*, *Giovenazzo*, Vrbs Episcopalis: Agro fertili.

Marfetta. Principatus.

Tertio hinc milliari in ora est *Marfetta*; vel, ut aliis scribitur *Merfitta*, vel *Melfatta*. Principatus hodie titulo floret. Fuit hoc loco *Natiolum*, quod in Itineraria Tabula.

Vigiliæ. Episcopatus.

Inde quinto milliari ad littus præcelsis in rupibus opidum est Episcopale, quod vulgo *Bisegli*: Latinis video scribi *Vigilias*. Apud se servari dicunt Cives Ossa *Mauri Episcopi, Sergii & Pantaleonis Martyrum*.

Tranum. Archiepiscopatus.

Post quintum deinde milliare Civitas Archiepiscopalis *Tranum* se offert. Sic Latini hodie vocant, quæ vulgo *Trani*. In Itineraria Tabula legitur *Turenum*. Volaterranus scribit nonnullis *Trinium* dici apud Plinium: cui tamen *Trinium* fluvius est, non Opidum. *Traianopolim* quondam fuisse nominatam testatur ex Collenutio Leander. Inscriptio supra Portam Vrbis hæc legitur, non magni ævi:

TRANVM A TYRRHENO FILIO DIOMEDIS CONDITVM
ET A TRAIANO INSTAVRATVM.

Aedificia. ac Familiæ.

Ab ædificiis est pulcherrima: sed hodie majore ex parte deserta. Caussam vide apud Leandrum. Arcem Fridericus II Imper. struxit. Hic *Opium* parari scribit Platearius. Nobiles ibi Familiæ:

D'Angelo.	*Cunio.*	*Passasepe.*
Belingieri.	*FlieZario.*	*Sifo i.*
Bonisinmo.	*Filingeri.*	*Staffa.*
Bottoni.	*Lambertino.*	*Stanga.*
Campitello.	*Malardicto.*	*Ventura.*
	Palagani.	Et aliæ.

Portus. Silvæ.

Portus olim satis commodus, hodie arena est oppletus, nemine curante. Silvæ Olearum & Amygdalorum ab hujus Oppidi Agro propemodum Tarentum usque pertinent.

Barulum. Conditor.

Deinceps in ora post VI Lapidem Opidum est nobile & frequens *Barulum Barleta* vulgo. Condidit, ut quidam volunt, Fridericus II Imper. Collenutius ab iis, qui Canusium deseruerant, ædificatum scribit. *Barduli* scribuntur hoc loco in Itineraria Tabula.

Statua. Dignitas.

Medio Opidi Foro Statua ex aere armati Regis, X Pedum altitudine: Eam Incolæ dicunt Imperatoris esse Heraclii: quis autem posuerit, ignorant. *Barulum* inter quatuor Italiæ nobilissima censetur Castella: *Fabriano*, inquiunt Itali, *nella Marca*: *Prato*, *in Toscana*: *Crema*, *in Lombardia*; *Barletta*, *in Puglia*. Et hic sua magnæ Nobilitati Sedes:

Familiæ Nobiles.

Aconciagioco.	*Gentili.*	*Santa Croce.*
Delli Falconi.	*Della Marra.*	*Strazza.*
Galiano.	*Pappaletterre.*	Et aliæ.

Clari Viri. Regionis Littoris facies.

Inlustravit ortu suo Gabriel Monachus, ex Prædicatorum Classe; sub cujus nomine exstant Conciones. Qua usum fuerit proximis annis fortuna, memorat Sabellicus libro ultimo Ennead. Littus vadosum hic & absque ullo Sinu.

Mediterranea Peucetiæ.

Hæc de Littoralibus: sequuntur Mediterranea; non religioso, propter locorum situm, ordine. Ordiar ab Orientaliore plaga, qua Brundisium Tarentumque; progressurus ad Aufidum, qui limes *Peucetiæ Apuliæ* Occidentalior.

Ostunum. Episcopatus.

Iter igitur per Continentem à Brundisio XXIIII P. M. silvis dumisque horridum emensis Civitas occurrit populo frequens, *Ostunum*, Episcopali Sede clarum, parvo in colle situm.

D. Alicandri.

Haud procul inde *Fanum* est *D. Alicandri*, Ecclesię D. Nicolai Barianæ patrimonium.

Martina. Celium.

Post id in colle *Martina*, XVII ab Ostuno P. M, ab Monopoli XVI.

Vlterius in fine collis antiqua succedit Civitas *Celium*, *Cilio*: *Celia* Ptolemæo. In cujus

ejus Agro Crocum nasci scribunt. Ostunum versus quarto lapide *D. Vitus* item in Colle. *Caravinea Caravigo*: ulterius *Cisternum*, *Cisternino*; *Lucus Rotundus*: *Putilianum*, Opidum D. Ioannis Equitum: inde tertio milliari *Castellum Nucis*: *Castel della Nuce*; Re Pecuaria notum: postea vetus Opidulum *Turtum*, nunc non magni momenti: ulterius *Castellum*, *Ioia*, *Gioia*, Comitatus honore splendens: frumento abundans: Arcem hic exstruxit Fridericus II Imper. Venationis ductus studio.

D. Vitus Caravinea, &c. *Turtum.* *Ioia. Comitatus.*

Ioiæ ad dextram x circiter lapide: xxx, Ostuno: xv, Bario *Conversanum* est Opidum, Episcopali Sede Comitatusque titulo clarum: nec non Nobilibus aliquot Familijs, in quis *Della Forza*, *De Manerio*, *Rubiolo*, *De Tarsia*.

Conversanum, Episcopatus, Comitatus, Nobiles Familiæ.

Sexto inde lapide *Noia* visitur, in Comitis Ioiæ ditione, à Bario P.M.x. *Noia.*

Duobus hinc milliaribus, & à Bario x, *Rontilianum* jacet, sub imperio Ecclesiæ D. Nicolai Barianę. *Rontilianum.*

Inde per planiciem amœnissimam incedenti *Aqua-Viva* se offert, Bario P.M. xv. in ditione Comitis Ioiæ. *Aqua-Viva.*

Sequitur inde *Cassanum*: hinc ad octavum lapidem *Altus Murus*, *Alta-Mura*: paulloque post inter montes *Gravina*: de quorum nonnullis etiam in Magna Græcia. cui an Apuliæ Peucetiæ; ea sint concensenda, adhuc ambigitur.

Cassanum Altus Murus Gravina.

Ab Gravina P.M. VIII *Spinaciola* visitur, agri opimi, magnamque frumenti copiam producentis. *Spinaciola.*

Hinc Civitas Episcopalis est *Venusia*. Sic Plinio, Livio, Antonino; Οὐενουσία Straboni, Ptolemæo, Plutarcho vocatur: quod *Venusium* Horatio. Vtroque modo legitur apud Appianum. *Venusie* scribitur in Itineraria Tabula, pro *Venusia* vel *Venusio*. *Venosa* hodie. Dictum volunt quidam *Venusium*, ab *Veneris* cultu ejusque Fano. Locat inter Apuliam & Lucaniam Acron Horatij interpres. Distat Canusio P. M. xv. *Colonus* connumerat Velleius Paterculus. *Venusianos* Populos habet Appianus lib. I. Bellor. Civilium; *Venusinos* Plinius libro III cap. XI. Patria *Q. Horatij Flacci*, Poetæ Lyrici, qui ab ea *Venusinus*. In hanc Vrbem, victis ad Cannas ab Hannibale Romanis, fugit cum Equitibus quinquaginta M. Terentius Varro cos. L. Aimilio Paullo in acie cæso. Legendi præter alios Livius libro XXII & Plutarchus in Vitis Scipionis Africani & Hannibalis. Agrum *Venusinum* describit libro Histor. I. Pontanus.

Venusia. Episcopatus, unde. Colonia. Patria Horatij. Res gestæ. Ager.

Venusinæ Civitati vicinam facit Acron *Batinam*, cujus mentio apud Horatium: eam Apuliæ adscribens, indeque, addens *Matinos Campos* dici, pro *Batinis*. abusive, *Batinos Saltus* habet idem Horatius, qui *Bantini* in Manu-scripto. Βάντια dicitur hæc Vrbs apud Plutarchum in Marcello, & Livium libro XXVII. Vide num quid his lucis ab ijs, quæ supra ubi de Apuliæ Populis in genere, de *Matinis* inquam.

Batina.

Sexto ab Venusia milliari, tertioque ab Aufido *Lavellum* est, Episcopale Opidum; Patria *Tartaliæ*, quo Copiarum suarum Duce diu usus Franciscus Sfortia, Dux postea Mediolanensis.

Lavellum. Episcopatus.

Superius inter asperrimos Apennini Montes est *Acherontia*, Sede Archiepiscopali inclyta. *Agerentia* vitiose Paullo Diacono lib. II. cap. XXI, Langbardic. Hanc alij in Hirpinis locant.

Acherontia. Archiepiscopatus.

Ab hinc P. M. xv item inter Montes *Atella* est; alia, quam quæ prope Neapolin. *Atella.*

Rursum ab Venusia xv lapide Aufidum versus *Cannarum* vestigia visuntur exigua: licet Cathedralis Ecclesia sit *Cannarum*, à qua *Cannensis* Episcopus nominatur. In Argyrippæ Territorio fuisse scribit Tzetza in Varijs suis: In Apulia Dauniorum, Campo Diomedeo ad Aufidi Ostia, Zonaras lib. II. Insignis Clade Romana Vicus, de qua nulli non Scriptores, cum primis Livius libro XXII, Plutarchus in Vitis Hannibalis & Scipionis, Silius Italicus lib. IX.

Cannæ. Episcopatus.

Distabat ab Cannarum Vico xxv stadijs, ut Procopius scribit, *Canusium*. Ita Plinius, Pomponius Mela, Paullus Diaconus, Antoninus vocant: Κανύσιον Ptolemæus; quod Κανύσιον Straboni. Κανύσιον, inquit Stephanus, μεγίστη πόλις τῶν Ἰταλιωτίδων; & addit, Στράβων ἱστορεῖ. Quod verum. Scribit enim ille, quod non procul à mari in planicie duæ sint sitæ Vrbes, quæ, ut ambitus earum docent, quomdam, Ἰταλιωτίδων fuerunt maximæ, Κανύσιον & Ἀργυρίππη. Haud ita procul Mari, πρὸς τὸν ποταμὸν Αὔφιδιον, ut idem Strabo paullo ante dixerat: quod item testantur Plinius & Pomponius Mela. Apuliæ Dauniæ adscribit Ptolemæus; male; quum

Canusium. Situs.

omnis ultra Aufidum ripa, in qua *Canusium*, Peucetijs ab omnibus tribuatur. Nomen *Ganola* quidam retinere notat. Nonnulli circa *Farietum* fuisse censent. *Canusium* idem esse cum *Cannarum* vico adserit Leander: qui si Livium, Plutarchum, Strabonem, Plinium, & alios, utriusque & *Canusij* & *Cannarum* facientes mentionem, bene expendisset, alius proculdubio fuisset mentis. De *Canusina Lana* Martialis in Apophoretis. Plinius libro xxxv cap. vi. de coloribus nativis & factitijs agens, *Canusinum Purpurissum* utilissimum commendat.

Filetum, Episcopatus. Medontum. Palus. Itinere dein per Campestria mare versus occurrit *Filetum*, Civitas Episcopalis; nec procul inde *Medontum*, *Medogno*: unde non magno intervallo Castellum *Palus*.

Butontum, Episcopatu, Marchionatu Clara. Vlterius Civitas est, quæ vulgo *Bitonto* vel *Botonto*; nobilis, frequens, Episcopatus & Marchionatus dignitate clara. *Butontum* Antonino; in alijs libris legitur *Budruntum*: unde *Butuntinenses* Plinio, magna M. S. S. Codicum concordia, & unanimi consensu. Illustrarunt ortu suo *Antoninus* & *Marianus*, Monachi, Ordinis hic Prædicatorum, ille Minorum. *Familiæ Nobiles.* Nobiles ibi Familiæ, quæ vulgo.

D'Abenante.	*Padula.*	*Tacola.*
Barone.	*Persjio.*	*Valeriano.*
Bove.	*Di Pice.*	*Di Veritati.*
Girardi.	*Regna.*	*Vulpiano.*
Di Labino.	*Ripa.*	*Planeta.*
Di Lucio.	*Rogadio.*	Et aliæ.
Di Maggiori.	*Scattglio.*	

Terlitium. Rubi. Abest Bitonto M. P. vii pulcrum Opidum *Terlitium* unde tertio Civitas est; quæ vernacule *Rivo* vel *Rubo*. *Rubi* Antonino. Horatius Canusio se *Rubos* venisse ostendit libro i. Satyra v,

Inde Rubos *fessi pervenimus: utpote longum*
Carpentes iter & factum corruptius imbri.

ubi imprudenter Campaniæ tribuit V. CL. Dionysius Lambinus. Populi Plinio *Rubustini*, qui in Exemplari Toletano *Rubusini*. Inde *Rubea* vel *Rubea Virga* Virgilio libro i Georgic.

Nunc facilis Rubea *texatur fiscina virgi.*

Quarata, Andrium Ducatus, Episcopatus. Silvium. Hinc quatto miliari *Quarata*, uel *Corato*, Marchionis Aquinatis Opidum: inde septimo *Andrium* Civitas, titulo Ducatus & Episcopatus incluta. Fictilia *Andry* vasa ob elegantiam operis in summa apud omnes sunt existimatione.

Opidum haud procul hinc fuit, quod *Silvium* Antonino, Itinere à Benevento Tarentum; Σιλούιον Straboni & Diodoro: unde *Silvini* Populi Plinio. Scribitur & *Ad Silvianum* Antonino; Itinere Beneventano Hydruntum.

Canusium. Montes deinde versus incedenti Itinere secundum Aufidum millium xii. exiguo in colle, tribus ab ipso amne miliaribus, ab Lauello autem novem, *Canusium* *Canusio*, invenitur, non tamen Vetus illud, de quo supra: quum id in planicie fuerit situm; hoc autem in Colle sit, nullo prorsus Antiquitatis argumento nobile.

Sequitur ad tertium lapidem *Aufidus*, medius inter Peucetiam & Dauniam limes; de quo alibi.

Iter Benevento Hydruntum per Apulias. Referam huc Iter; quod à Benevento Hydruntum describit Antoninus.

Antoninus:	Itineraria Tabula.	Vulgata Nomencl.
A Benevento Hydruntum M. P. CLXV.		*Benevento.*
Daunia. *Aeclanum*, M. P. XXV, In alijs libris legitur *Eclanum*. Αἰκλάνον Ptolemæo. Hinc *Aeculani* Plinio, & *Eclanensis*	*Eclano*, XVI.	

Apulia	*Ager* libro de Limitibus.			
	Sub Romulam. M. P. XI. Eadem cum *Romula* Livij libro x. Stephano Ῥωμυλία dicitur.	*Subromula,* *Aquilonia,*	XI. VI.	
	Pontem Aufidi M. P. XXII Alij Codices *Ponte Aufidi*; alij *Fonte*; nonnulli *Pontaufido*; quidam *Pentaufido*.	*Ponte Aufidi,* Vitiosis admodum gyris & circumductionibus.	XVIII.	
Peucetia.	*Venusia*, M. P. XVIII. De ea alibi.	*Venusie,* Legend. *Venusia.*	XXXV	*Venosa.*
	Ad Silvianum, M. P. XX. Sequenti itinere *Silvium.*	*Silutum,* Emenda *Silviano,*	XXV.	
	Sub Lupatia, M. P. XXI. *Sublupatia*, Sigonius: *Sub Luparia*, vel *Sub Lupantia*, Surita.	*Sublubatia,*	XX.	
Salent.	*Canales*, M. P. XIII. Meminit & D. Athanasius in concilio *Sardiano*,	Maximum hic Intervallum		
	Hydruntum, M. P. XXV.	*Ydrunte,*		*Otranto.*

CAPUT XXXII.

Salentini.

ORDINE in Prisca Propriaque Italia, qua Orientem spectat, versus Mare Hadriaticum trans Phiternum, post Apulias, explicanda succedit SALENTINORUM Sedes. SALENTINORUM Regio.

Hanc varijs olim nominibus appellatam fuisse libro VI refert Strabo. Primum enim *Iapygia Messapiaque*; inde *Calabria* & *Salentinorum Regio* fuit dicta. *Iapygia* (Ἰαπυγία Aristoteli, Herodoto, alijs) ab *Iapygibus*, qui nominis Auctorem *Iapygem* quemdam Dædali filium, scribuntur habuisse ab Strabone libro VI, Appiano libro I. Bellor. Civilium, Plinio libro III, Solino, alijs. Hinc *Iapygium Promontorium*, de quo suo loco. *Messapiam* (Μεσσαπίαν) dictam notant Solinus, quem dixi, & Servius ad VIII Æneid. ab *Messapo*, Græcorum Ductore; cujus etiam meminit Virgilius eodem libro, sed alio, quam qui Servio in oculis, loco. Μεσσαπία unico S. scribitur Stephano: cujus hæc verba. Μεσαπία χώρα Ἰαπυγίας, προσεχὴς Τάραντι. *Calabria* (sic enim postea vocatam memoriæ prodit Solinus) unde dicta, alibi exposui. *Salentinos* (Σαλεντίνους) Festus ab *Salo* dirivat, quod *Salentini* pene circumquaque mari ambiantur. Alij appellatos sic volunt ab Fœdere, quod inter Idomenæos & Cretenses in *Salo*, id est, Mari initum fuit: quoniam in hanc oram *Lytium Idomeneum* commigrasse, testis est Virgilius libro III Æneid. *Salentinos* ab *Lytiis* conditos tradit Solinus. Referam huc quod Isacio in Lycophronem notatur; Μεσσαπίη, scribenti, alio nomine Ἰαπυγη, postea Σαλαπία, postremo Καλαβρία nominata est. Addit idem alio loco ὁ Ταλεντίαν etiam nuncupatam. *Salantinos* per A legunt vetusta apud Hubertum Goltium Numismata. *Sallentini* per duo LL scribuntur

Varia Nomina.

Messapia.

Calabria, Salentini.

buntur in Fastis Capitolinis; & apud Stephanum Σαλλεντῖνοι. *Salentinorum* frequens mentio apud Livium, præcipue libro II, XV, III. *Salentinorum* Populos nominat Plinius lib. III cap. XI *Aletinos, Basserbinos, Neretinos, Valentinos, Veretinos.* De *Aletinis, Neretinis*, & *Veretinis* ad suas Vrbes. *Basserbini*, ubi fuerint, ignoro. *Valentini* nominati vel ab *Vibone, Valentia*, quæ in Bruttijs; vel à *Valentia*, Vrbe ibi deleta, quod innuere videtur Isacius. *Salentini Campi* & *Salentina Littora* sunt apud Pomponium Melam: illi etiam apud Virgilium libro III Aeneidos. Nomen item huic Regioni *Apuliæ* datum legimus. Vnde *Apulia* dicta, alibi dictum. Recentissimum nunc Italis ab *Hydrunte, Terra Hydruntina*, vulgo *Terra d'Otrànto*.

Apulia. Iapygium. Terra di Otranto. Fines.

Habet hæc Regio ab Meridie Tarentum & Mare usque ad Promontorium Salentinum, ab Oriente idem Promontorium cum Mari Ionio: quod etiam & Hadriatico, qua Septentrio est, adluitur ab Hydrunte Brundisium usque: qua Occidentem respicit Apulia illi adjacet Peucetia, cum Magnæ Græciæ portione. Sic Peninsula quædam his terminis efficitur, Ionio Hadriaticoque mari circumscripta, latitudine inter Brundisium & Tarentum XXX P. M. ut Plinius; vel XL ut alij. Quo modo Peninsula hæc totius Italiæ specimen referat, exponit eleganter Galateus de Iapygiæ Situ. Strabo latitudinem diurnum ait esse expediti Viatoris iter. Littus omne ab Tarento Brundisium ambitu P. M. CC, vel, ut alij CXC, colligitur; magisque in hybernum Solis exortum quam æstivum procurrens.

Forma. Latitudo. Ambitus.

Qualitas.

Tota *Iapygia* saluberrimo gaudet aere, cœloque sudo & sincero, præterquam in ora, quæ ab Lacu Hydruntino Brundisium usque: ubi plerisque in locis juxta mare sunt Paludes. *Non sunt Flumina*, inquit Antonius Galateus, *non Valles, non Lacus, nec ubique Torrentes, qui ingentes pluvias receptare possint. Instituit Natura certis in locis Voragines; hæ cavæ sunt Fossæ, nulli videntur hiatus, ideo nulli animalium perniciosæ sunt. Hæ Aquas aliquamdiu continent, donec à cæcis quibusdam spiramentis ex intimis terræ recessibus spiritus eructet, atque erumpat. Hic magno impetu atque ingente fragore aperit aquis aditus: illas per subterraneos meatus in mare profluere credibile est, ut & multa flumina, quæ terra absorbet, deinde iterum emittit, aut occulte in mare projicit, ut dicunt de Nilo, & de Alphæo, Helide & Arethusa. Explosa est ab Aristotele Veterum Philosophorum sententia, qui Tartarum intra terram ponebat: locus enim aquarum, ad quem omnes decurrunt, mare est. Hæ Voragines crebræ, ubi plani & latissimi sunt Campi: ut sunt Mandurini. Si hæ non essent, magnam Regionis partem aut Paludes obtinerent, aut incultam esse Regionem foret necesse: nam per Sementis tempora Noti flare solent, & pluvias ciere.* Regio fertilis & opima, XIII, ætate Strabonis, honestissimis superbiens urbibus, quæ jam tum illius tempore præter *Brundisium* & *Tarentum* ita perierant, ut exigua essent Opida. Hodie *Aletium* principem obtinet locum. Incolæ moribus sunt simpliciores.

Incolæ. Scriptores.

Describunt hunc Italiæ, vel, ut Horatio in Odis dicitur, *Terrarum Angulum* Strabo; & fusissime, peculiari libello *Antonius Galateus*, Philosophus & Medicus.

Ad singulorum jam-nunc venio explicationem, ab Littoralibus, quæ ad Australius Apennini latus, initium sumturus; sicque totam oram circumiturus; ingressurus inde Mediterranea.

Cœnobium, D. Viti.

Post Tarentum, Via P. M. V nobile Cœnobium est, ab *D. Vito*, cujus ibi caput servari volunt, dictum.

Monacitium

Ad quintum inde lapidem *Monacitium*, *Monaciccio* se offert, M. P. ab littore: Arcem habens invictam.

A Tarento introrsum per continentem mille passibus & amplius plurimæ quoque Villæ reperiuntur, quas Regionis Incolæ *Casalia* vocant, cum singulis Turribus ad Agrorum tutelam & contra Piratarum incursiones. In his est *Litianum*, ab Monacitio quatuor P. M. dictum, ut quidam volunt, ab Lytijs, quorum meminit Solinus: vel Lytio Idomeneo, cujus Virgilius lib. III Æneid.

Litianum, Leuranum, Pulsanum, Maruncium, D. Petri.

Sequitur inde *Pulsanum*, & *Leuranum*, Fontibus nobile.

Vlterius ab Monacitio IIII, ab Mari III Castellum est *Maruncium*, nec procul ab littore antiquum *D. Petri* Fanum.

In ora tum *Gallipolis*, P. M. ab Tarento XLII. *Gallipolis* Melæ Plinioque, *quæ nunc Anxa*, addenti. *Anxa* etiam Livio libro XXIV sunt in Apulia. Hodie *Callipoli*. Alijs *Callipolis* scribitur, tamquam *Vrbs pulcra*. Sed vere ab *Gallis Cenonibus*, ut indicat Plinius;

Plinius dicta, quibus expulſis ſucceſſerunt Græci. Munitiſſimum habet natura ſitum. Scopulo enim inſidet ſeu Inſulæ modicæ, quæ mari undique cingitur; Continenti Ponte adhærens, ſaxis fulto ingentibus. Deſcripſit peculiari libello hanc Vrbem *Antonius Galateus*, de quo paullo ante, nimius tamen ibi in Vita Moribuſque ſuis delineandis. Nobiles ibi Familiæ. Situs. Familiæ Nobiles.

Chriſogiovanni.	*Pepi.*	*Sermaiſtri.*
De Magis.	*Rocchi.*	*Valderavano.*
Nandy.	*Scaglioni.*	& aliæ.

Per bella Alphonſi Senioris numquam ab fide deſcivit. Quinto poſt captum ab Turcis Hydruntum anno ab Venetorum claſſe capta & direpta eſt. Epiſcopum habet qui per vices nunc originis gentiſque Græcanicæ, nunc Latinæ creari ſolitus. In Sacris adminiſtrandis Inſtituta Rituſque Græcorum plurimum obtinent. Ager optimus eſt & fertiliſſimus. Res geſtæ. Epiſcopatus. Ager.

Hinc P. M. xxx per littus Promontorium eſt *D. Mariæ* quod *Salentinum* & *Iapygium* Veteribus dictum, alibi dixi. Promontorium D. Mariæ.

Ab Capite D. Mariæ per oram M. P. xx Civitas ſuccedit *Caſtrum*, quod cladem memorabilem accepit anno CIↃ IↃ XXXVII à quodam Solimannicæ Claſſis Præfecto. Epiſcopatus dignitate gaudet; Mercatoribus frequens, Olei coemendi. Caſtrum.

A Caſtro deinde per oram Millia xx *Caput* eſt *Leucæ*, cui nomen ab Opido, quod Straboni & Lucano libro IV *Leuca*, *Leucas* in maritimo Antonini Itinerario. Dicta putatur ab albedine & nuditate ſcopulorum. Epiſcopatus hodieque titulo floret. Ab Leucæ Promontorio *Saſon*, Inſula maris Ionij non procul Apollonia Epiri Opido, abeſt. L. P. M. Caput Leucæ. Epiſcopatus. Saſon Inſula.

Ex his locis breviſſimam in Græciam eſſe tranſmiſſionem ſcribit Plinius lib. III nat. hiſt. cap. II: quod intervallum LX circiter milliar. pedeſtri continuare tranſitu, pontibus factis, primum Pyrrhus Epiri rex cogitavit; poſt eum M. Terentius Varro, quum Cn. Pompei claſſibus bello Piratico præeſſet: *utrumque tamen*, inquit Plinius, *aliæ curæ impedierunt.* Virgilius lib. III Aeneidos:

Provehimur Pelago vicina Ceraunia juxta,
Vnde iter Italiam, curſuſque breviſſimus undis.

Quos verſus explicans Servius ejus Interpres, inter montes Ceraunios & Italiam intervallum eſſe tam exiguum notat, ut commode ſpatio mediæ noctis tranſmittatur: quum non amplius inter Italiæ Græciæque Continentem ſit, quam LX P. M. intercapedo.

Haud procul *Baſta* fuit Opidum, cujus mentio apud Plinium lib. III cap. XI. *Vaſta* dicitur Galateo, qui de eo ſic ſcribit: *Hinc* (ab Vrbe D. Petri) VII *M. P. abeſt Vaſtæ opidum, totidem ab Hydrunto diſtans: alij Vaſtas dicunt, alij Vaſten, alij Vaſtan: & hæc nunc viculus eſt, vix quindecim focis habitatus. Vrbs mediocris ac juſti fuerat ambitus; ejus pars in humili clivo, pars in plano poſita erat. Extra urbem innumera reperiuntur ſepulcra, fictilibus vaſculis elegantiſſimarum formarum, & oſſibus & cineribus hominum plena, & in quibuſdam Arma ænea vetuſtate conſumpta & anuli aurei rudes, nec ſatis perpoliti.* Reperta fuit ibidem ſuperioribus annis Inſcriptio marmorea, Characteribus & lingua (ut Pontanus, Hermolaus Barbarus, Accius Syncerus, Charneus, Summontius, & alij, qui eam viderunt, illius temporis docti Viri exiſtimarunt) Meſapia, ſolæ & unicæ ex tota illa lingua antiquiſſimæ reliquiæ. Partem ejus poſui ſupra capite hujus libri decimo-octavo; totam videre licet apud Martinum Smetium fol. XI. numero III. Baſta. Qualitas & Situs olim. Antiquitates.

Quarto dein ab Leucæ Promontorio milliari per mare *Hydruntum* occurrit. Sic Plinio & Antonino dicitur, quæ Ὑδροῦς Straboni libro VI, Appiano lib. I. Bell. Civil. Procopio libro I Belli Gothici, Ptolemæo Stephano, alijs. *Hydrus* Melæ, ubi pro *Mons* legendum forte *Mox* lib. II. cap. IV: *Idrus* Itinerariæ Tabulæ: *Hydron* Caſſiodoro libro I Variar. ad Theonem, *Foa*, inquienti, *Tyrus eſt Hydren Italica: non nomine, ſed hiſtoria; ob purpuræ nempe utrobique piſcaturam.* Plinio etiam, ut & Antonino *Hydrus* videtur dici; ſed diverſas urbes eſſe apud Plinium contendit Pintianus. Hodie *Otranto.* Caput Regionis, cui nomen à ſe præbuit *Terra Hydruntinæ*, ut antea dictum. Hydruntum.

Dignitas. dictum. Vrbs est vetustissima, cœloque potitur clementissimo. Præter Portum satis capacem, Aquilone flante non satis tutum, Arcem habet in Saxo, quo mari imminet, tutissimam, opus Alfonsi II. Cives, *Hydrentini*. Lapis Neapolitanus:

M. BASSÆO. M. F
PAL. AXIO
PATR. COL. CVR. R. P
II. VIR. MVNIC. PROC. AVG
VIÆ. OST. ET. CAMP. TRIB. MIL. LEG
XIII. GEM. PROC. REG. CALABR.
OMNIB. HONORIB. CAPVÆ. FVNC.
PATR. COL. LVPIENSIVM. PATR
MVNICIPI. HYDRENTINORVM
VNIVERSVS. ORDO. MVNICIP. OB
REM. PVBL. BENE. AC. FIDELITER. GESTAM
HIC. PRIMVS. ET. SOLVS. VICTORES
CAMPANIÆ. PRÆTIS. ET. ÆSTIM
....
PARIA. GLADIAT. EDIDIT
E. L. D. D. D

Archiepisco. patus. Clades. Archiepiscopali superbit dignitate. Ab Saracenis & Turcis, ex Aulone Macedoniæ Opido, duce Achamato, profectis misere direpta est anno CIↃ CCCC LXXXI tertio Eidus Sextilis; Civibus omnibus ad internecionem cæsis, in Valle propinqua quę *Martyrum* vocatur, Puerisq; & Mulieribus in acerbissimam abductis servitutem. Recepta iterum de Turcis, ab Alfonso II Aragonum Rege, paullatim mœnibus refici, novisque Colonis, qui ex diversis locis eo commigrarunt, frequentari cœpit. Vide Leandrum Albertum, Antonium Galateum, & alios. Ager. Ager illi amœnus & fertilis.

Roccai. Hydrunte P. M. VIII munitissimum est in maris scopulo Castellum *Rocca*. Munivit Gualterius Brehena, teste Galateo in Iapygia.

Vicus D. Cataldi. Octavo hinc miliario per oram Vicus sequitur *D. Cataldi*, ubi Turris Aletio tamquam Portus usum præbens: à quo P. M. VIII distat. *Cataldus* Tarentinorum fuit Archiepiscopus. Valentium. Floruit haud procul hinc *Balentium*, quod in Itineraria Tabula.

Brundisium. Hinc tum VIII fere P. M. Civitas est *Brundusium*. Ita apud Livium Cæsarem, Tacitum, Silium, Plinium, Solinum, Melam, Antoninum aliosque Latinos Scriptores vulgo dicitur, quum in ipsorum exaratis manu Codicibus & Antiquioribus Editionibus *Brundisium* plerumque scribatur. Sic in Termino Viæ, qui Aiculi descriptus legitur apud Onuphrium Panuinium:

IMP. CÆSAR
DIVI. NERVÆ. F
NERVA. TRAIANVS
AVG. GERM. DACICO
PONT. MAX. TR. POT
XIII. IMP. VI. COS. V — In alio Exemplari
P. P — IIII. COS. II
VIAM. A. BENEVENTO
BRVNDISIVM. PECVN
SVA. FECIT

Brindisi

Brindisi legitur in Itineraria Tabula pro *Brindisio*. *Bryndisium* Veteribus Nummis. Βρενδίσιον est Ptolemæo: Βρεντήσιον Stephano. *Barnadis*, ברנדי״ש vocatur Beniamino in Itinerario. *Brindisi* hodie. *Brinde* nuncupant ad annum CIↃ IↃ XXXVIII mense Septembr. Ephemerides Karoli V, quæ apud me M. SS. servantur. *Brunda sive*; inquit Paullus ex Festo, *quidam Poetæ brevitatis caussa Brendam dixerunt*: in alijs libris *Brundam* scriptum reperio. *Brunda* vel *Frenda* est apud Arnobium lib. I Βρέντη antiquum Opidi nomen fuisse videtur N. V. Iosepho Scaligero; cui vox illa Cretensium Idiomate *Cervus*. Βρενδεσῖνοι, Cives. Lapis, qui ibi pro foribus adium Diomedis Athenæi Medici:

ЄΥΚΡΑΤΙΔΑC ΠЄΙCΙΔΑΜΟΥ
ΡΟΔΙΟC
ΦΙΛΟCΟΦΟC ΕΠΙΚΟΡЄΙΟC
ΤΟΝ ΤΟΠΟΝ ΤΗC ΒΡЄΝΔЄCΙΝΩΝ ΒΟΥΛΗC .
ЄΙC ΤΑΦΗΝ ΨΗΦΙCΑΜЄΝΗC

EVCRATIDAS. PISIDAMI. F. RHODIVS
PHILOSOPHVS. EPICVREVS

L. P. D. D. D.

Σὸ Ἔθνικον, inquit Stephanus Βρεντεσῖνος: cujus & hæc. Ἀπὸ Βρέντου Ἡρακλέους, ἢ ὡς εὐλίμενος οὖσα· ἔνι γὰρ στόματι λιμένες πολλοὶ συγκλείονται. ὡς ἐοικυῖα τοίνυν κεφαλῇ ἐλάφου, οὕτως ὠνόμασται. Βρεντέσιον γὰρ παρὰ Μεσσαπίοις ἡ τοῦ ἐλάφου κεφαλὴ, ὡς Σέλευκος ἐν δευτέρῳ γλωσσῶν. Conditam primum scribit Trogus ab *Aetolis*, qui Diomedem sequuti fuerant; hos autem expulsos fuisse ab Apulis. Aerem habet Clementissimum. Portus olim illi inclutus, ut eum vocat Florus; ex quo Romanis tutissimus quondam fuit, ut omnes docent historiæ, in Græciam transitus. De eo prętet alios Ennius meus, libro VI Annalium:

Conditores. Aer. Portus.

Brundisium *polcro præcinctum præpete portu*:

Laudat Agellius lib. VI. cap. VI. Hinc εὐλίμενος Stephano. Describunt eum Lucanus, Strabo, Sabellicus, Leander. Nunc repletus est: adeo ut vix Triremibus per eum currere liceat. Obturasse dicitur Ioannes Antoninus, Princeps Tarentinus, bello, quod inter Alfonsum & Venetos gestum est: oneraria Nave ingentibus onusta lapidibus in ipso ore demersa: timens, ne Vrbs in Venetorum seu Alfonsi potestatem deveniret. Ferdinandus & Alfonsus conati sæpe sunt demersa effodere; sed frustra. Ad Portum quomdam Fontem fuisse Navigantibus incorruptas præbentem aquas, auctor est Plinius. Adhuc in Vrbe juxta Portum binę stant Columnę ingentes; quę qua de caussa fuerint erectæ, incertum. Arx Vrbi munitissima, quam *Castellum Insulæ*, *Castel dell' Isola* vocant, Ferrandi Primi Neapolitanorum Regis opus. Patria scribitur *M. Pacuvij*, Poetæ antiquissimi. Tantis opibus, tantaque quomdam potentia, scribente Floro, ut Salentinorum habita fuerit Caput, & frequentata ab Asiaticis Græcisque populis: nunc deserta propemodum & conlapsa jacet: odijs & dissensionibus labefactata civilibus. Archiepiscopum habet, cui unitus est Archiepiscopus Ocrensis. Nobiles ibi Familiæ non paucæ: in quis.

Fons. Columnæ. Arx. Patria Pacuvij. Dignitas. Archiepiscopus, Familiæ Nobiles.

Del Balzo.	*Fornari.*	*Salvatore.*
Caracciolo.	*Pando.*	*Scolmafora.*
Catignani.	*Di Raimondo.*	*Tomasini*
Di Fiorenza.	*Sacchi.*	*Villa-Nova.*

Res gestæ. Colonia.

Quod ad res gestas. Strabo ab *Cretensibus* initio habitatum refert, è Cnosso cum Theseo huc profectis: eorum autem regio habitam imperio; ab *Lacedæmoniis* postea fuisse occupatam Phalante Duce, quem Tarento pulsum ab suis *Brundisini* receperunt. *Coloniam* deinde Populi Romani *Brundisium* esse deductam notat Livius lib. XIX, quæ Bello Punico II & milite & pecunia Populum Romanum plurimum

mum adjuvit, ut idem scribit lib. XXVII. Eo in loco Cn. Pompeius ab C. Iulio Cæsare obsessus, præsidijsque disiectis vix urbe elapsus in Thessaliam fugit. Historia ab multis descripta, Cæsare præsertim ipso lib. I belli Civilis. Ager ipsi fertilissimus oleique feracissimus. Antoninus a *Brundisio* Tarentum ad littus numerat M. P. XLIIII. Ad hancusque Vrbem Via Appia perducta legitur. Alibi dixi.

Ager. Via Appia.

Videndum jam, quo modo se habeant *Salentinorum* Mediterranea.

Messania.

Via Brundisio Tarentum versus P. M. VIII ad radices exigui collis Opidum est *Missagno*; Latine scribentibus *Messania*. Putat Leander hic olim fuisse *Messapiam*, quam cum Aletio Plinius in Mediterraneis locat hujus Regionis; cui nomen inde impositum *Messapiæ*.

Lecianum. Oria.

Quatuor inde P. M. *Letianum* invenitur, *Lezano* vernacule: & ulterius in Colle *Oria* Tarentum spectans, unde tamen P. M. XXIV abest. Οὐρία apud Strabonem libro VI dicitur Herodoto, qui addit conditam ab *Cretensibus*. Locus Herodoti est lib. VII, ubi tamen hodie non Οὐρία, sed Υ'ρίη legitur: quo pertinere videtur, quod notat Eustathius Υ'ριον pro Υ'ρίη dici solitum. Οὐραῖον ipsi Straboni: ea enim docto Scriptori Scriptura ex sententia Causaboni reponenda, quum vulgo sit Θυραῖον. Nolim tamen dissimulare multos *Vriam* & *Thuraam* vel *Thuream* distinguere, & duo facere Opida. *Varia* extat in Vulgatis Plinij Codicibus libro. III. cap. XI legendum *Vria*: Sic apud Livium lib. X, ubi Cleomenes in Italiam profectus *Thuream Salentinorum* Vrbem legitur cepisse; scribendum fortean est *Vriam*. Spectat *Vriam* Arx in Colle valida, Marchionis ex nobili gente Balciorum.

Francavilla.

Ab Oria P. M. V situm est ad radices collis, qui Tarentum spectat, Opidum *Franca-villa*, quam etiam Marchio Balcius possidet.

Crotalia.

Inde P. M. VIII ad radices ejusdem Collis Opidum occurrit *Crotalia*, Tarentinorum Ecclesiæ D. Cataldi subjecta.

Rudia.

Tractu hoc, ut Ptolemæi indicant Tabulæ, *Rudia* fuit. Quæ *Rudia* Plinio, Ρ'ουδία Ptolemæo; Ρ'όδαι Stephano; Ῥωδαῖοι Straboni lib. VI: *Rudiæ* dicuntur Pomponio Melæ. Ab Lupijs vix duobus millibus distare scribit Galateus, hodieque *Ruie* nominari. *Rusce* habet Hieronymus Columna in Ennij Vita, locum dicens esse, ubi lateritiæ Moles, Aggeres, Rudera, Busta, fictilibus vasculis ossibusque plena, ostenduntur.

Ennij Patria.

Ennij mei Patria. Pomponius Mela libro II; *Ennio Cive nobiles Rudiæ.* Strabo lib. VI: Ἐχεδάνης δὲ πόλιν ἡ σαι πρότερον ἐπὶ Ρ'ωδαίων, πόλεως Ἑλληνίδος, ἐξ ἧς ἦν ὁ Ποιητὴς Ἔννιος. Silius Italicus lib. XII.

———Rudiæ *genuere vetustæ*:

Nunc Rudiæ *solo memorabile nomen Alumno.*

Hinc hominem *Rudium* appellat *Ennium* M. Tullius in orationem pro Archia Poeta; & *Rudinum* Ausonius in Monosyllabis:

Vnde Rudinus *ait: Divum Domus altisonum Cæl.*

Eusebius tamen in Chronicis ad annum quartum Olympiados CXXIV *Ennium Tarenti* natum notat. *Calabros Montes* generatim nominat Ovidius lib. III de Arte amandi:

Ennius emeruit, Calabris *in* Montibus ortus.

Pergendum. *Rodinus* ager est in Libro Limitum.

Lupiæ, quarum paullo ante memini, Pomponio Melæ & Antonino dicuntur: Λουπίαι Straboni libro VI: quæ *Lupia* Plinio, cui & *Statio militum*: Λουπία Pausaniæ, *Luppia* Itinerariæ Tabulæ; Λύπιον Appiano Alexandrino lib. III: Λουππίαι Ptolemæo, qua etiam fere scriptura leguntur in nonnullis Plinij editionibus *Lippia*: Hermolao Barbaro *Lubiam* castigante. Sed restituendæ Ptolemæo Λουπίαι, Plinio *Lupia* uti meliores ipsius præferunt Codices. *Lipiæ* sunt in Epist. D Paullini de Nicetæ obitu: inemendatius etiam. Ptolemæus in Tabulis hoc Opidum XXV. ab Tarento distare, & maritimum esse demonstrat. Strabo mediterraneum dicit. Vterque vere: si quidem non in ipso situm littore, sed in continente fuerit, haud procul tamen ab ora. Sane non procul ab Aletio abfuisse, paret ex Antonino, *Lupias* scribente ab Hydrunte esse XXV P. M. quot quoque sunt, aut paullo minus, ab Hydrunte Aletium. Nulla nunc *Lupiarum* vestigia. Nam qui *Aletium* ipsius inædificatum fundamentis censent, inter quos Galateus, falluntur. *Aletium* enim & *Lupias* diversas urbes fuisse, clarum ex Plinio Pomponioque Mela.

Iam

Iam quod *Aletium* Plinius, Ἀλήτιον Ptolemæus nominat; hodie *Leze* & *Leccie* vulgo vocatur. *Valetium* corrupte apud Pomponium Melam. Hinc *Aletini* Populi Plinio libro III. cap. XI. Brundisio distat M. P. XXIV; ab mari, VIII; ab Iapygio Promontorio XXX. Dictum creditur nonnullis ab *Lytiis* quibusdam, huc ex Asia profectis; alijs autem ab *Litio Idomeneo*, cujus meminit Virgilius lib. III. Æneid. ubi plura Servius. *Salentinorum* hodie primaria: non Episcopo solum, quem vulgus *Lecciensem* appellat, decorata; verum etiam Concilio totius Apuliæ Regio, Foroque perpetuo: Procerum totius hujus tractus Domicilium, multorumque Sedes Nobilium; in quis:

Aletium. Distantia ab alijs locis, unde. Episcopatus, Concilij Regij Domicilium, Procerum sedes, Nobilium familiæ.

Aielli.	*Di Giorgio.*	*Perroni.*
De Atmeni.	*Delli Guidici.*	*Petraroli.*
Ammirati.	*Guarini.*	*Della Porta.*
De l'Achaia.	*Guidani.*	*Prati.*
Della Barrera.	*Lobelli.*	*Prioli.*
Baroni.	*Maramonti.*	*Raino.*
Carbonerii.	*Di Mattei.*	*San Biasi.*
Castromediani.	*Mereschalchi.*	*Saracini.*
Corsi.	*Della Monica.*	*Scisio.*
Dello Doce.	*De Moscio.*	*Tafuri.*
Delli Falconi.	*De Muro.*	*Verardi.*
Franconi.	*De Noia.*	*Zimara.*
Frisari.	*De Paladini.*	

Nobilitavit ortu suo *Robertius*, Aquinatium Episcopus, cujus Conciones typis editæ. *Clari Viri.*

Vlterius *Hydruntum* est, de quo ante. *Hydruntum.*

Inde tum M. P. VIII, flexu ad caput D. Mariæ, VI ab mari, Castellum est *Busardum*: ab eo III, *Andranum*: hinc totidem *Tricassum*; hinc item III *Alexanum*: ulterius 10 P. *Mons Sardus*: hinc *Villa S. Mariæ*, plurimique alij Vici. *Busardum. Andranum. Tricassum. Alexanum. Mons Sardus. Villa S. Mariæ.*

Civitas inde *Minervium*, ab mari P. M. XII, Episcopatu nobile. *Minervium.*

Itinere ab Monte Sardo ad alterum lapidem *Galianum*, *Gagliano*, invenitur.

Hinc ad septimum via, quæ Vxentum ducit, Pagi se offerunt plurimi, quibus Græci habitant; Gens moribus linguaque ab Italis diversa. *Episcopatus.*

Peragratis inter pulcerrimos Vicos octo millibus Episcopalis Civitas in colle edito succedit *Vxentum*; Οὔξεντον Ptolemæo: hodie *Vsento*, *Vgenti*, *Ugento*, variante scriptura. Ampliorem olim fuisse antiqua monstrant Ædificiorum rudera. Nunc perexigua est. Subarbium in plano jacet. Abest ab Iapygiæ Promontorio M. P. XX: totidem ab Gallipoli. Ejus in agro *Fanum D. Mariæ*, quo loco *Veretum* olim, ut docti censent Viri. *Veretum* Itinerariæ Tabulæ: Οὐέρετον Ptolemæo. Βάρις etiam quomdam, teste Strabone lib. VI. Hinc *Veretini* Plinio libro III cap. XI in fine. Hodie, ut dixi, *S. Maria*, teste Leandro, cognomine quoque de *Vereto*: quod item ad Ortelium Roma scribit Celsus Cittadinus. *Vetranam* nominat Ciofanus in libr. XV Metamorph. Ovidij. Alij pro eo *Vsano* vertunt. *Galianum. Vxentum, Episcopatus. Fanum D. Mariæ, olim Veretum.*

Sexto ab Vxento lapide *Specianum* sequitur: ultra tertio, *Ruffanum*; inde quinto, *Coranum*; hinc totidem *Corlianum*, *Coregliano* vel *Corliano* vernacule; Hydrunto P. M. XIII, in dorso modici collis situm. *Specianum. Ruffanum. Coranum. Corlianum.*

Dein à Gorliano V. P. M. nobile Castellum est in Valle amœnissima, quod vulgo *S. Pietro in Gallatina*. *S. Petrus in Gallatina.*

Abest hinc mille passibus *Soletum*, Plinio notum lib. III, cap. XI; qui suo tempore desertum scribit. Nomen hodie retinet, Leandro teste in aspero & aquarum indigo situm jugo. Amplum fuisse docent Murorum vestigia: nunc parvum est opidulum, quod quomdam, ut ajunt, erat Episcopale, nunc etiam, inquit Galateus, caput Comitatus. Nominat post Soletum Plinius *Fratuertium*, cujus nullum hodie indicium. *Soletum. Episcopatus. Fratuertium.*

Ad tertium deinde milliare *Sternatia* succedit; Hydrunto P.M. XIII. *Sternatia.*

Inter Sternatiam & Hydruntum multi passim Vici, Pagi, Castellaque reperiuntur:

tur: inter alia *Scurianum*, octo P. M. à *Basiardo*, unde Castrum *Nota* munitissimo situm loco conspici potest.

Hinc tum senis passuum millibus *Convertinum*; ab eo quaternis *Leuranum*; unde totidem *Vehta*: senis ab ea *D. Ioannatij* Castellum, *S. Gianaczo*, hinc totidem *Turris* ab Vria pari intervallo distans.

Tum itinere mare versus ab Messania v milliari *Cilinum*: inde quarto *Curtialorum*; hinc octavo *Lettum*, ex impari intercapedine *Capta*; ultraque quarto milliari *Gunanum* invenitur.

Itinere ab D. Petri Tarentum versus ad v lapidem *Galatina*, aliis *Galatana*, *Galatena*, *Galata*: ortu *Antonij* sui, qui *Galateus* inde, Philosophi, Medici, Oratoris, Poetæ, Cosmographi nobilis. Ab *Galata* Gallipolin IX sunt M. P. Hæc Vrbs septem res habere, inquit Galateus, se jactat crocei coloris: *Crocum* ipsum, *Mel*, *Caseum*, *Vinum*, *Oleum*, *Caricas*, & *Vvas passas*.

Ab Galatina sex P. M. **Paravita** Castellum abest: ab mari septem.

Ad lævam vero ab Galatina P. M. tribus: ab ora Sinus Tarentini, quatuor: ab Lupijs, quindecim: ab Tarento, quadraginta quinque, Vrbs est antiquissima *Nardum*: populo frequens & lauta: in amœnissima jacens planicie. *Νήρητον* Ptolemæo. Ab *D. Cæsarea* nomen habere scribit Galateus. Hinc *Neritini* vel *Neretini* apud Plinium Populi in Salentinis, libro III cap. XI: in fine. Nam ibidem alij sunt *Neretini*, Hirpinorum Populi. Episcopum habet, qui Latinorum vulgo *Neritonensis*. Abest ab Gallipoli M. P. novem; ab mari, quatuor. Ducatus dignitate nobilis. Ortus hinc *Franciscus Nardus*, Philosophus & Theologus scriptis clarus.

Nerito Tarentum versus XXV M. P. *Casalnovum* abest. *Mandurtam* hic fuisse putant Leander, Galateus & Ananiensis. Quæ *Manduria* Plinio *Salentinorum*: *Μανδύριον* est Stephano *Iapygiæ*: *Μανδόνιον Messapiorum* Plutarcho. *Manduris* meminit Livius libro XXVII.

Ad *Apulias* proprie pertinet Iter, quod ab *Equestico Hydruntum* ducit Antoninus hoc Modo, per M. P. CCXXXV:

	Antoninus:	Itinerariria Tabula:		Vulgata Nomencl.
Apulia, *Daunia*,	*Ecas*, M.P. XVIII.	....		*Puglia Piana* ....
	Erdonias, M.P. XVIIII.	*Erdonia*.		....
Peucetia,	*Canusium*. M.P. XXVI.	....		Perijt.
	* * *			
	Rubos, M.P. XXIII.	*Rubos*, XIIII.	Magna hic confusio.	*Rivo*.
	Budruntum, M.P. XI.	*Butuntos*, ..		*Bitonto*.
	Barium, M.P. XII.	*Barium*, XX.		*Bari*.
	Turres, M.P. XXI.	*Turrris Cæsaris*, IX.		Inter *Molam* & *D. Georgii*.
	....	*Dertum*. IX.		Inter *Polinianũ* & *S. Viti*.
	Egnatiam, M.P. XVI.	*Gnatie*. XXI.		*Nazo*.
	Speluncis, M.P. XX.	*Spelunis*, XXVIII. Leg. *Speluncis*.		Inter *Egnatiam* & *Villam Novam*.
	* * *			
Salentinorum,	*Brundisium*. M.P. XIX.	*Brindisi*, X. Legend. *Brindisio*.	*Terra d'Otranto*,	*Brindisi*.
		Fl. Pastum.		
		Balentium. XV.		
	Lupias, M.P. XXV.	*Luppia*, XXV.		Nulla hujus Oppidi hodie vestigia.
	Hydruntũ, M.P. XXV.	*Idrunte*, VIII.		*Otranto*.

CAPVT

CAPUT XXXIII.

Flaminia vel Romanula.

ITALIAM *Priscam* & *Propriam*, tam Septemtrionaliorem, quam quæ Meridionalior, ad utrumque Mare, intercurrente Apennino, Tyrrhenum & Hadriaticum in XII nobilissimis Regionibus vidimus: perlustranda succedit *Nova*. Eam sic appello, quod *Prisca* sensim adcreverit, Italiæque etiam nomine, cum ævo senescente, cœperit audire & innotescere. *Italia Nova.*

Hæc autem duplex statui à me solet vel Planior, vel Montibus innexior. *duplex; Planior & Montibus innexior.* Planior & ab montibus liberior olim propriè *Gallia* dicebatur *Cis-Alpina*. *Planior, Gallia Cis-Alpina.* *Gallia* quidem ab *Gallis Boiis*, *Senonibus*, *Insubribus*, *Cenomanis*, alijsque, à quibus quidquid Alpium radicibus Rubiconisque fluentis intercipitur, pulsis veteribus colonis, occupatum, longoque post tempore fuit habitatum. *unde Gallia,* Sunt illi, qui remotiorom gentium primi Romanis arma intulerunt, Vrbemque Romam captam incenderunt; scribentibus Polybio, lib. II, Livio libro V, Trogo Pompeio lib. XX, & alijs. *Cis-Alpina* vero dicta, quod priscis Italis, Romanisque Scriptoribus, de ea differentibus cis esset Alpes: quum alia trans Alpes, de qua libro præcedente, habitaretur. *unde Cis-Alpina.* *Cis-Alpina* hæc, qua Septemtrionalissima Montibusque adhæret propius, *Sub-Alpina* cognominatur Plinio libro XVI. cap. XII: *ubi Sub-Alpina.* qua Australissima, ab nobili ibidem urbe, *Ariminum* Livio, cujus libro XXVIII hæc verba: *Ariminum, ita Galliam appellabant, Sp. Lucretio obtigit.* *ubi Ariminum,* Ad Carnos usque suos extendebat limites. *Togatam* enim ab Venetis & Carnis coli scribit Pomponius Mela. *Citerior* etiam appellatur *Gallia* Sallustio, Cæsari, Hirtio; ob caussam jam antea indicatam. *quare Citerior,* *Veterem* quoque *Galliam* nominat Ausonius ad Gratianum Imperatorem scribens; quod Romanis multo prius, quam Trans-Alpina fuerit cognita. *quur Vetus,* *Italia Gallica*, γαλατικὴ vocatur Appiano in Hannibalicis. *quur Italica,* *Galliam* autem κατ' ἐξοχὴν nuncupat Livius libro XLV, & alibi. *Gallia per excellent.* *Mediterraneam Italiam* vocat Notitia Provinciarum; non quod, ut falsa quibusdam mens est, Mediterraneo adposita mari, sic enim nomen illud potius mereretur Italia Prisca, hactenus a me delineata, undique mari cincta: sed quod hæc in locis mediterraneis: cincta, qua Septemtrio, Occidens, Meridiesque sunt, Alpibus & Apennino tumescente; qua Oriens est, Mari Hadriatico. *unde Mediterranea.*

Polybius & Plinius toti huic tractui Gallico formam tribuunt triangularem: cujus Apicem faciunt Alpes & Apenninus Montes: Basin, Sinus Hadriaticus. *Cis-Alpinæ, Forma,*

Florentissimum Italiæ latus appellat Tacitus. Vbique arboriferam hanc Regionem, pecori pascendo aptam, & multis irrigari fluvijs, testis est Plutarchus in Camillo. *Qualitas,* Describunt accurate pleneque Strabo lib. V. Polybius libro III, alijque. Audiamus hic M. Tullium Philippica III: *Nec vero de virtute, constantia, gravitate Galliæ taceri potest: etenim ille flos Italiæ, illud firmamentum Imperij Romani, illud ornamentum dignitatis.* Pereleganter autem naturam ejus delineat Karolus Sigonius libro I de Regno Italiæ: *Regio*, inquit, *est in Italia cum vetera Agrorum Vrbiumque nobilitate, tum spectata Virorum Armorumque potentia celebris, Galliæ olim Cis-Alpinæ nomine appellata: Hanc Alpibus & Apennino monte tribus à lateribus, quasi quibusdam altissimis mœnibus cinctam Padus interfluit, Fluvius eximia magnitudine sua, & fabulosis Græcorum Poetarum carminibus inclitus.* Et post Padi descriptionem: *Campi vero adeo culti & uberes intercedunt: ut satis constet haud temere alios repertiri aut natura feraciores, aut rebus necessarijs ad hominum vitam instructiores.*

Addit deinde idem Sigonius antiquos ejus Principes fuisse *Ligures* & *Etruscos*, mox *Gallos*; postremo *Romanos*: his *Gothos* successisse: Gothis iterum *Romanos*, Romanis *Langbardos*. *Principes olim,* Videndus & Sabellicus libro Historiæ Venetæ I, Decade IIII. *Mores Cis-Alpinorum quondam*

Hanc Italiæ partem multum adhuc frugalitatis antiquæ (quæ scilicet in Trans-Alpinis Gallis erat, Cis-Alpinorum progenitoribus) retinere scribit Plinius ad Iunium Mauricum suum.

Qui qualesque quondam habitarint, parebit in ipsis partibus. *Antiqui Incolæ,* Polybius libro II de ijs universim agens, inter Padum & Alpes habitasse scribit *Laos*, mox *Lebetios*,

 dehinc

de hinc ingentem *Insubrum* nationem; post non longe ab ripa fluminis *Cenomanos* Loca vero Mari Hadriatico vicina antiquum ex Paphlagonia genus habuisse *Venetos*: rursus inter Padum & Apenninum, primo *Ananes*, post *Boios*, inde *Ægones*, postremo *Senones*, juxta Hadriaticum mare extremos omnium Gallorum incoluisse, eorumque caput fuisse *Senam*. Comprehendebantur olim sub ea *Ligures*, quos antiquitus ad Padum usque habitasse, veteres tradunt: hodie per Apennini juga excluduntur.

An in Cis-Alpina Ligures.

In ea ex D. Augusti Divisione *Regiones Italiæ* sunt *Octava, Nona, Decima, & Undecima*.

Partes ex Augusti divisione.

Gallia porro *Cis-Alpina* versus Occasum duplex est Straboni, Plinio, alijs, vel *Cis-Padana* vel *Trans-Padana*; illa quod cis: hæc, quod trans-Padum. *Cis-padana* nobiliores Partes hodie *Flaminia* & *Æmilia*.

Cis-Alpinæ distributio.

FLAMINIA, unde.

Primo loco FLAMINIAM dabo, sic dictam ab *Via Flaminia*, quam C. *Flaminius*, Consul Romanus, opere munivit, ut Strabo libro v & Livius libro IX notant; cum, Liguribus devictis, paceque cum finitimis gentibus firmata, ne miles inerti otio languesceret, Viam ab Vrbe Roma per Etruriam & Vmbriam usque Ariminum lapide stravisse tradentes. *Flaminia* meminerunt cum alij, tum Capitolinus in Gordiano. Hodie, Karoli Magni Imperatoris & Romani Pontificis beneficio atque auspicijs, ROMANVLA dicitur vel ROMANDIOLA, quod præ reliqua Gallia Romanorum ritibus, legibus & institutis firmius inhæreret, Imperijque Romani dignitatem, nomen & maiestatem acrioribus armis contra Langbardorum tyrannidem defendisset. Vide eleganter Leandrum in ejus delineatione.

quæ & nunc ROMANVLA.

Fines.

Romanulæ Limites ex communi sententia ad Septemtrionem quidem Paludes Veronenses & Patavinæ, usque ad Fornaces, Ostium Padi ultimum, una cum parte Maris Hadriatici: ad Orientem Isaurus, qui vulgo Folia, una cum Piceno; ad Meridiem Apenninus, cum Etruria. In Occidentali variatur. Quidam ultra Vatrenum flumen cis Forum Cornelij non procedunt; transiliunt nonnulli (inter quos Peregrinus Priscianus Ferrariensis libro I de Antiq. Ferr.) Scultennam, nunc Panarium; in eo plerique, quorum numero Leander Albertus, sistunt. Hos sequar; Longitudinem ejus cx milliariorum, aut circiter, positurus inter Foliam & Panarium, quos dixi: Latitudinem autem XCVI milliar. vel paullo minus, inter Apenninum & quarum memini, Paludes. Quæ vero hucusque ultra Padum, docet Leander. *Romanulæ* igitur appellatio multo latior hodie, quam olim *Flaminiæ*. *Flaminia* namque desinit appellari hæc Italiæ pars ad Ariminum. Ibi enim *Viæ Flaminiæ* finis: initium autem *Æmiliæ*, adeo ut quæ nunc *Romanula* incidat in nonnullam *Flaminiæ*, in maximam vero *Æmiliæ* partem.

Longitudo. Latitudo.

Qualitas.

Quod ad Regionis qualitatem, Agros habere optimos scribit Leander, omniumque frugum, tam quæ ad vitam necessariæ quam quæ ad humanas voluptates opportunæ & delitias, fertiles. Campi hic latissimi; fructiferis arboribus omne genus consiti: Colles peramœni; Vitibus, olea, Ficu nitentes. Silvæ munificæ, herbidaque prata cum dumis Venationi apta: salubres passim aquæ; Salinæ cum circa littus, tum intus frequentes: Mare Fluminaque plurima navigabilia, & piscibus fœcunda: Metallorum fodinæ: innumeraque præterea naturæ dotes eximiæ, quæ, nisi longissima narratione, commemorari haud possent.

quæ Togata:

Flaminia vel tota vel pars ejus etiam, Plinio & Ptolemæo notantibus, *Togata* dicebatur: quod illi, ut Italiæ pleræque, *Toga*, Romanorum vestis, esset communis. Statuit *Togatæ* Fines Plinius quidem inter Anconam & Ariminum, ulterius etiam ab Rubiconem usque diffiniens: Ptolemæus autem uno latere placentiam, altero Rubiconem ejusdem ponit terminum, tum hinc usque Ravennam per oram Hadriæ Gallos Bojos complectens.

Veteres incolæ.

Romanula igitur, ut quę dixi docent, duplex, *Cispadana* & *Trans-Padana*. *Cispadanam* coluisse quondam *Senones* & *Bojos*, auctores sunt Polybius & Ptolemæus. De *Senonibus* verba feci in mea Gallia cap XXIII. Eorum in Italia caput fuit *Sena*. Scribit Trogus lib. XX. *Gallos Senones*, quum in Italiam venissent, sedibus expulisse *Tuscos*, & *Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam* condidisse Videndus & Livius lib. V. De *Bojis* dixi ibidem cap. XXVI & XXXIV. Vtrique ex Gallijs in hanc Italiæ partem, Alpibus superatis, penetrarunt.

Senones.

Boji.

Sed

Specialiora Romanulæ.

Sed particularia *Romanulæ* videamus; orsi ab *Isauro* Amne; qui, *Folia* vulgo, limes inter Picenum est & Flaminiam.

Poggium Imperiale.

Ab *Isauro* igitur modico spatio, in colle, qui uno latere spectat Orientem: Septemtrionem & Hadriaticum Mare altero, superbum isitur Palatium, *Poggio Imperiale* vulgo vocatum, quod Fridericus III Imperator primum fundamento lapidem, petente id Constantino Pisauri Domino, jecerit: auctum postea, & ædificiis splendidis ornatum ab Francisco Maria Roboreo, Vrbini Duce, Pisaurique Dynasta.

Puteus.

Sursum hinc ad Pisauri sinistram *Puteus* est, *Pozzo* vernacule.

Mons Lurus.

Tum inter Isauram & Concam Amnes *Mons Lurus*, cæsis Nicolai Picinini copijs apud Blondum & alios inclutus.

Mons Pisauri: Granaruolum, &c.

Ad Viam Flaminiam descendenti *Mons* se *Pisauri* offert in meridiem prospectans, antiquis *Promontorium Focariæ* dictus, quatuor gestans Opida, quæ vulgo *Granaruolo, Castello di Mezzo, Gabizze, Firenzuola.*

Tomba, &c.

Dein ad alteram viæ ripam è regione Montis ex colle modica quædam passim est cernere Castella, quæ vernacule *Tomba, Pian del monte, Monte Calvo, Pie del Campo Sasso, Carbaro, & Macerata di Monte Feluro.*

Catholica Vicus. Concæ urbis vestigia.

Ad occasum pergenti ipsa in Via sub Monte Pisauri, *Catholica* Vicus occurrit, Arce superbiens. Spectantur hic sub aquis mari tranquillo Mœnia, Turriumque & aliorum ædificiorum fastigia demersæ superioribus annis urbis *Concæ*.

Grataria.

Intus excelso in Colle Palatium eminet, ab grato aere dictum, *Grataria*, Sigismundi Malatestæ, Pandulphi Filij, Pisauri Dynastæ, opus.

Vltra Catholicam primo flumen est *Vintinella*; dein *Conca*, quod Plinio Lucanoque *Crustumium.*

S. Ioann. Marinian, &c. Certaldum. Planianum. Planum Meledi.

Hic in Collibus sunt *S. Giovanni in Marignano, Mondiano, Saludetio, Monte Gridolfo*: tum aspero in Monte *Cermano, Tauleto, Pian di Castello, Castel Nuovo, Monte Tavelso, Certaldo, Piagnano. Certaldum Petri Turci*, viri docti; *Planianum Francisci Planiani*, summi litteratique Ducis est patria. Sequitur *Pian di Meledo*, cunis *Karoli*, qui sub Innocentio VIII P. M. Legionibus fuit Præfectus, nobile.

Petra Rubia, Carpenum. Castellaria. Mons Cerognonius.

Sunt etiam hoc situ *Petra Rubbia*, & *Carpegno*: ab eo mons *Carpenianus*, quem ab Apennino Marecia fluvius dividit: reliquos Italiæ, ab Apennino abscissos, altitudine sua vincentem. Sub eo sunt *Castellaria, Monte Cerognono*, ubi multa veterum ædificiorum vestigia, & *Monasterium Sestinum.*

Ad D. Clementem, &c.

Trans amnem porro Concam conspiciuntur *S. Clemente, Aggello, Ceriano, Monte Scutulo, Albareto, Gesso, Tomba di Gasana, Monte Zardino, Sasso, Monte Germano, Monte di Tassi, Monte Copiolo:*

Fanum Trinitatis.

Descensu dein ad Viam Flaminiam *Fanum est Trinitatis.*

Seravalle.

Sunt etiam ibidem Castella *Seravalle, Verruchio, S. Marino.*

Mons Magius, &c. Ad D. Leonem.

Hinc en Agro Montis-Feltrij sursum nonnihil, hæc cernuntur, *Monte Maggio, Macerata, Pietra Acutula, Torano & Sanctum-Leo.* Civitas hæc Episcopalis, vertici insidens præcelsi montis, qui undique, præterquam quo latere aditur, rupibus circumcisus: adeo ut naturali situ Vrbs invicta videatur. Meminit præter alios Luitprandus in historijs libro VI.

Scaulinum Vitum.

Sequitur hinc *Scaulino Verruchio, Coane, Pena de Billi* & *Maiolo.*

Conaria, &c.

Situ quoque hoc sunt *Ciconaria, Montirono*, & *Mercato di Ranchi.*

Ariminum. Vnde. Situs. Qualitas. Publica ædificia.

In ora conspiciendum se præbet maritimum Oppidum antiquæ notæ, *Ariminum.* Sic Cæsari, Livio, Lucano, Tacito, Plinio, Pomponio Melæ, Antonino dicitur; Ἀρίμινον Polybio, Straboni, Ptolemæo, Appiano passim, Procopio lib. III, Agathiæ lib. I: quod hodie truncato capite *Rimeni* Incolis; *Rumelen* Germanis. Nomen illi ab Amne, quo adluitur, cujus alibi facta est mentio. Alij aliunde trahunt: quorum sententias, quod parum habeant fundamenti, non referam. Inter eos sane explodendus mihi Annius Viterbiensis, qui nonnihil nobis auctorum subornavit, ad ostentandum, quod alioqui felicissimum ipsi fuit, ingenium. Vrbs in planicie sita, imminentibus ab meridie collibus amœnis & frugiferis; ab Ortu Occasuque latissimi lætissimique se pandunt Campi, Frumenti feraces: pulsatur, qua Septemtrio est, Hadria. Rerum omnium copia supra modum abundat. Ædificia habet memorabilia, cum primis ad portam, quæ Orientem & Pisaurum spectat, Arcum Triumphalem cum suis Elogijs; Theatri partem ex latere cocto, mare versus

In littore post *Portum Cesenaticum*, qui exiguis tantum navigijs excipiendis est idoneus, opidum jacet loco palustri, cœloque gravi *Cervia*, quam *Phycoclem* olim dictam, doceri ex Ravennatis Ecclesiæ Privilegijs, idque referre Ioannem Petrum Ferretum Ravennatem, Milensem Episcopum, tradit Leander. Videndus & Rubeus in Ravennatium historia, & apud eum Pyrrhus Ligorius. *Cervianti* majori ex parte salarij sunt Artifices, tanto quæstu, ut Pontifex annuatim inde habeat LX millia Coronatorum. Antiquum non est, quum primus omnium, ni fallor, mentionem ejus faciat Blondus lib. X Histor. Cathedrale Templum, licet vilior ipsi sit structura, magnis tamen reditibus est dotatum. Ante fores Templi Sepultura visitur, antiqua forma pyramidali, in cujus uno latere duo pueri mœsti jacent, facem accensam una manu: altera coronam, tenentes: adposita Inscriptione, non magni ævi. Licet ob incommodiorem situm sit infrequens, Episcopali tamen superbit dignitate, sub Archiepiscopo Ravennate. Inter Episcopos fuit *D. Hierontius* Martyr, cujus ossa Calij perhibentur servari. Scribitur *Cervia* primum ad *Ecclesiæ Ravennatis* patrimonium pertinuisse; post in potestate fuisse *Bononiensium*; hinc in *Foroliviensium*, item *Polentanorum* Ravennæ Principum ditionem devenisse: mox *Malatestas*, statimque *Venetos* habuisse; hodie denique *Pontifices Romanos* agnoscere Dominos.

Cervia. Civium negotiatio. Templum. Episcopatus. Principes.

Vltra Cerviam in ora quinto lapide *Savij* fluminis, de quo alibi, ostium sequitur. Classem hac in ora ad tutelam Superi maris collocatam habuisse Augustum, auctor est Suetonius.

Savij fluvius.

In ipsa mox AEmilia ad pedem Collis juxta fluvium Sapin Vrbs *Cæsena* conspicitur. Sic Plinio, Antonino, & alijs; Καίσαρνα autem Ptolemæo, Καισηνα Straboni vocatur: quæ hodie plerisque *Cæsena*, alijs *Cesnadigo*, tertijs denique *Cesna*, dissyllabicōs. *Curva* etiam cognominatur cum ab Antonino in Itinere ab Arimino Dertonam, tum in Itineraria Tabula, ubi *Cesena* scribitur. *Flavia Curva Papia* dicitur in Vita S. Mauri Episcopi. Secundam in *Cæsena* sine diphthongo scribendam, docet in Orthographia Aldus Manutius Paulli F. cum ex alijs, tum ex sequenti Inscriptione, quæ nescio an in rerum fuerit natura: ego certe, notas habens hujusmodi Patriciorum artes, de fide valde dubito. Est autem talis:

Cæsena.

A. LVCRETII. HISTORICI. AC. POETÆ
CONDITORIS. VERISSIMI
CVI. OB. EXCELLENTIAM. INGENII
STATVA. CONDONATA
AC. CIVITATI. CAESENÆ
ROMAN. COLONIÆ. DEDVCTÆ
IN. HOC. SACRO. MONTE. DEDICATA

Dictam sic volunt ab *cædendo*, quod exiguo amne *cæsa*: aut quod amnibus duobus, Sapi & Rubicone, sit divisa. Plinius in VIII. Regione. Ptolemæus in Togata nominat Gallia: Procopius libro I. de bello Gothico *Cæsenam* ab Ravenna stadijs CCC abesse tradit. Civitatibus, quæ majoris quam Opida dignationis censeri solent, adcenset in magno illo Itinere, quod Mediolano per Picenum & Campaniam ducit ad Columnam, id est Trajectum Siciliæ, Antoninus, ut non immerito Aldus Manutius indignetur *Cæsenam* ab Hadriano Turnebo, homine Trans-Alpino, *minimum & frigidissimum* dici *opidum*, quum & Strabo inter nobiles Civitates eam numeret. Hodie sane Civitas est admodum frequens: annis superioribus à Bernardo Rubrio Parmensi, quum angustius habitaretur, auguste, qua Occidentem Septemtrionemque spectat, aucta. Arx urbi ex Colle, qua Auster est, valida imminet, ab Friderico II. Imperat. teste Collenutio libro IV, condita. Hospitale etiam visitur ibi sumtuosissimum. Incolas habet nobiles, ingenio opibusque pollentes. *Cæsena* sub fide *Romanorum* diu floruit, Langbardis totam Italiam occupantibus. A *Britonibus* post, quos Cardinalis Gebennensis, Gregorij XI Legatus in Italiam adduxerat, magnis adfecta est calamitatibus, &, patum aberat, desolata, scribentibus Blondo, Platina,

Vnde dicta. Vbi. Antiqua dignitas. Arx. Hospitale, Incolæ. Res gestæ,

tina, aliis. Dein a Bononiensibus in deditionem accepta hinc aliquamdiu dominatu pressa Sufenatiorum, Ordelaffiorum, Malatestarum, tandem in Pontificum Romanorum venit potestatem, quorum Alexander VI eam filio donavit Cæsari Borgiæ, ante quem maxima Civium pars factionibus erat divisa Tibertorum & Martinellorum.

Episcopatus. Bibliotheca. Ager.

Episcopatus titulo floret. Videre est ad D. Francisci Bibliothecam insignem, Malatestæ Novelli opus, omnis generis MSS. libris, inter quos quidam rarissimi, abunde instructam. In vestibulo Symbolum legitur Malatestarum hoc: *Elephas Indus non curat culicem.* Ager suburbicanus Vino generoso, quod Cæsennate vocat Plinius libro XIIII, cap. VI, est nobilis.

Forum Saracenum.

Haud procul Cæsena Opidum est, quod Latine scribentibus *Forum Saracenum*, vulgo autem *Mercato Saracino*; ab Negociatoribus ex finitimis agris commerciorum gratia frequentari solitum.

Sarsina, Plauti Patria. Municipium.

Tum altius ad Apennini radices Vrbs est *Sarsina: Plauti*, Poetæ Comici, Patria. Sic Latinis nominatur, Σάρσινα Straboni: quæ vulgo nomen retinens, *Sarsina Sassinam*, non *Sarsinam* scribendum docet Iacobonius in Historia Cæsia: & suffragantur Inscriptiones & Fasti Triumphales, in quibus *Sassinates* sculpuntur. *Municipii* etiam *Sassinatis* meminit Lapis, qui ad Summum ibi Templum:

D M
SEX. TETTI. SEX. L
HERME
VI. VIRI. PATR
COLLEG. CENT
MVN. SASS
TORASIA. C. F.
SABINA
CONIVGI. INCOM
PARABIL. ET. SIBI
HAVE: HERME. HOMO. BONE

Videtur ibidem Ara marmorea ad Apennini radices: posita D. M. CETRANIÆ P. F. SERVERINAE, SACERDOTI DIVAE MARCIAN. cujus sinistrum latus MVNIC. SASSI etiam facit mentionem. *Sarsinates* leguntur apud Plinium libro III natur. Histor. cap. XIIII. ubi tamen antiquiores codices *Farfinates* habent: sed priorem scripturam præferendam ordo Alphabeticus clamat, à Plinio in Populis recensendis usurpari plurimum solitus. Gaudentius Merula haud procul fonte Rubiconis statuit: Plinius in VI Regione, Strabo in Vmbris locat. Sic Martialis:

Nympha sacri Regina lacus, cui grata Sabinus
Et mansura pio munere templa dedit:
Sic montana tuos semper colat Vmbria fontes,
Nec tua Bajanas Sarsina *malit aquas*: &c.

Episcopatus. Bobium, Forum Bosorum. Ager.

Vrbs est Episcopalis, cujus Præsul aliquando fuit *Vicinus* Ligur. Corpus ejus in Ecclesia Cathedrali servare se perhibent Cives. Episcopatui Sarsinæ Castell subsunt XX, quem Regionis tractum una cum Civitate nunc vulgo *Bobium* vocant, tamquam *Forum* seu *Bosorum* agrum. De *Sarsinatium* auxiliis, quæ contra gentes quasdam ex Alpibus irruentes pro Populo Romano contraxerunt, scribit Polybius lib. II. Imperio diu *Malatestarum* habita, tandem ad *Pontifices Maximos* cum Arimino pervenit, donata postremo ab Leone X *Alberto Pio, Carpensi Comiti*. Ager Vrbis uber Vite, Olea, Arboribusque omnis generis fructiferis.

D. Maria in Balneo. D. Petri in Balneo.

Vlterius secundum Sapin ad Opidum Via ducit *D. Mariæ in Balneo*, sic ab aquis medicatis dictum.

Visitur mille hinc passibus in Valle, quam Sapis perfluit, perhonestum opidum *D. Petri in Balneo.*

Vallis quam dixi, tota Comitum, qui *à Balneis & Iaciolo* cognominabantur, olim fuit possessio: post universa fere ditionis facta est *Florentina.*

Supra

Saianum.

Supra vallem opidum adparet *Saianum*, quod in potestate Malatestarum.

Pinetum.

Hinc in ora post Sapis ostium Nemus est vastissimum, Pinis miræ altitudinis frequens. *Pinetum* vocat Paullus Diaconus libro XVI.

Candianum Amnis. Pharea. Classis Ravennas.

Extra Pinetum *Candianus* Amnis, nunc Paludis ostium sequitur. Turris hic olim fuit *Pharea*, *cujus usus*, inquit Plinius lib. XXXVI cap. XII *nocturno Navigantium usui ignem ostendere ad prænuncianda vada Portusque introitum.* *Classem* autem ibi ab Augusto ad tutelam Maris Superi collocatam, celebrant varij Scriptores, cum primis Suetonius in Augusti Vita cap. XLIX, & Tacitus lib. IIII Annalium. *Ravennas* dicebatur *Classis*, quod vicina esset *Ravennæ*, quæ illi versus Occidentem. Videndi Spartianus in Didio Iuliano, Vegetius lib. IV de re militari cap. XXX, sequentique, & alij. Classi vero CCL navium tutissimam ibi stationem fuisse auctor est Dio, & ex eo Iornandes. Hinc *Præfectus Classis Ravennatium* in Notitia Imperij; qui in Notis Magnonis Paullique Diaconi sic notatur, P. CL. R. Fecit quomdam Portus celebritas, quum valde frequentaretur, ut ædificia fuerint adstructa, quæ post etiam mœnibus circumdata formam Opidi non contemnendi effecerunt. Nomen illi ab *Classe*, quam dixi, impositum *Classis*. Fuit, ut multa alia; tamque plane interijt, ut præter sumtuosum D. Apollinaris Fanum nulla Aedificiorum vestigia supersint. Quin & ipsius Portus facies ita perijt, ut Sidonij ævo & ante illud spaciosissimos Hortos ostenderet, Arboribus plenos, de quibus non Vela, sed Poma pendebant. A Blondo libro Romæ restauratæ III locus, ubi olim *Classis* fuit, *Candiano* vocatur; ab *Candiano* Amne, qui nunc Palus. Non procul ea loco, ubi *Classis* Opidum fuit, vestigia cernuntur *Cæsareæ*, cujus Blondus meminit libro VIII Historiarum. Visitur jam ibi Monasterium *S. Mariæ Porticariæ*, tribus ab Classe P. M. Opidorum *Classis* & *Cæsareæ*, Civitatisque *Ravennæ* talis erat ad celeberrimam Navium Stationem Situs, ut *Ravenna* ipsi esset ad occasum, *Classis* ad ortum; medium autem versus meridiem ad intimum Stationis recessum obtineret *Cæsarea*; ita ut continuata quasi ab *Ravenna Classem* usque videretur Civitas: ut mirum non sit, toto illo spatio innumera spectari Antiquitatum audera. Ex ijs, quæ dixi, patet Iornandem male ex tribus, *Ravenna*, *Cæsarea* & *Classe*, *trinominem* facere *Ravennam* his verbis: *Trino Vrbs ipsa vocabulo gloriatur, tergeminaque positione exsultat, id est prima Ravenna, ultima Classis, media Cæsarea, inter vrbem & mare plana mollitie, arenaque munita, vectationibus apta.* Alia enim *Ravenna*, ut dixi, alia *Cæsarea*, alia *Classis*. Ab *Cæsarea* autem *Cæsaris Via* apud Sidonium lib. I. Epist. V. quæ Ravennam ducebat, eamque vel ab Novo Portu discernebat, vel cum eo potius connectebat, ut suo loco videbimus.

Classis opidum. Candianum. Cæsarea. Situs Classis, Cæsareæ, & Ravennæ.

Forum Pompilij. Situs. Principes.

Relicta ora, intus in Æmilia via, quam Torrens interrumpit Avesa, Opidum est, quod Plinio *Forum-Pompilij*, vel *Popilij*. Vtra scriptura præferenda sit, adhuc ambigo: ad posteriorem magis inclino, quod vulgata appellatio *Forlimpopoli* nonnihil suffragetur. Habent quidam Plinij codices *Forum Populi* corrupte. Iacet in Æmilia Via, campis peramœnis. Vnum est ex quatuor *Foris*, quæ Æmiliæ memorat Plinius. *Fora dicebantur, quod in his olim Magistratus Populi Romani Fora agere solebant*, Auctorum primorum his plerumque imposito cognomine. *Pontificibus*, in quorum olim fuit ditione, eripuit *Grimoaldus Langbardorum Rex*, pridie Paschatis, anno ab Christo nato DCC. Legendus Paullus Diaconus lib. V. Histor. Langbard. qui solo aquatum notat. Restauratum inde ab *Foro-Liviensibus* evertit iterum *Ægidius Carilla*, Hispanus, Cardinalis, totiusque Italiæ Legatus Pontificis Maximi, qui tunc Avenione sedem habebat, adeo ut & Aratrum solo induceret, Salemque insereret anno CIƆ CCCLXX, Episcopali sede in Forum Truentinorum translata. Post XX vero annum reædificatum legitur qua nunc est forma, ab *Simbaldo Ordelasso*, Foro-Liviensium Principe, addita post insigni Arce. Habuit inter Antistites *Rofillum*, Sanctorum Classi adscriptum. Genuit Forum hoc *Antonellum Armutium*, qui ex Rustico per gradus munerum militarium ad Præfecturam pervenit Equitatus Pontificij, acceptis præmiorum loco *D. Mauri* & *Talamellarum* opidis. Consulenda Iacobi Volaterrani Cardinalis Commentaria.

Episcopatus olim. Arx. Classi Vis.

Bretinorium olim Forum Truentinorum.

Mille quingentis ab Foro-Pompilij Passibus opidum in Colle jacet *Bretinorum*, quod Plinio *Forum Truentinorum*. *Brittanorum* legunt Marius & Blondus; ex vulgari fortean Latinum facientes. FORODRVENT. ostendit antiqua apud Goltzium Inscriptio

ſcriptio. *Petram* urbem habet in Piceno Procopius libro II de Bello Gothor. quam *Brentinore* vulgo dici ſcribit L. Aretinus in ſuo de ijſdem lib. III. Poſita cernitur in tumulo, Arcem habens munitiſſimam, Friderici II Imp. opus. Vrbs muris ſalubritatis, ferax ingeniorum, fixis ibi propter ſummam loci amœnitatem ſedibus, poſt pacem cum Pontifice factam, Fridericus Ahenobarbus, rogatu Alexandri III P. M. *Eccleſiæ* reſtituit. Inde in *Foro-Livienſium* venit ditionem: poſt *Malateſtarum*, cujus gentis ultimus *Novellus Eccleſiæ Romanæ* reddidit. Donavit tandem filio *Cæſari Borgiæ*, cum multis alijs, Alexander VI. P. M. Poſt eius exceſſum factionibus *Saxeorum* & *Zatulorum* pene diſcerptum tandem in poteſtate *Comitum Carperſium* eſſe cœpit. Epiſcopalem habet ſedem, quæ eo ex Foro-Pompiliano tranſlata, ut antea dixi. De hoc opido lege omnino quæ ſcribit Landinus Commentario ad Dant. in Purgator. Can. XIV.

Situs. Arx. — *Principes.* — *Epiſcopatus.*

Duobus ab Foro-Truentinorum verſus meridiem millibus Opidum adparet ſub colle *Polenta*, Gentis Polentanæ, Ravennæ quondam Principum, origine clarum.

Polenta.

Poſt oſtium Bedeſis Amnis, de quo dixi cap. XI, ſequitur antiquiſſima Civitas *Ravenna*. Sic Livio, Tacito multis locis, Plinio, Melæ, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, alijſque Latinis, atque etiam vulgo hodieque dicitur: Ῥάβεννα Straboni lib. V. (cui & Ῥάουεννα paullo poſt) Appiano lib. III & V, Agathiæ; Ῥάβεννα Stephano: quæ Ῥάβενναι Ptolemæo; Ῥάουεννα Hermippo apud Stephanum. Nonnullis *Navennam* dici ab *Navibus*, ſcribit H. Rubeus in ſua Ravennatium hiſtoria. Apud Zoſimum *Rhene* vocatur, quod Aquæ eam ex omni parte circumfluant. Iornandes trinominem facit in hiſtoria Gothica; dici tradens *Ravennam*, *Claſſem Cæſaream*. *Claſſem* & *Cæſaream* alia ab *Ravenna* fuiſſe opida, paret ex præcedentibus: niſi quis velit *Claſſem* ab Iornande dici *Novum Portum*, *Cæſaream* vero *Cæſaris viam*. Conditores faciunt alij alios: quidam *Tubalem* Lamechi filium: nonnulli, inter quos Iacobus Voraginenſis, *Filios Nimrodi Tyranni*: Carinus *Pentapolin Troianum*, ab eoque *Pentapolin* dictam; ſimulque, ne fruſtra tale Auctoris nomen habere videretur, quinque vicinarum urbium imperio fuiſſe præpoſitam. Quadratus in Marco & Olympiodorus ab *Reno* conditam notant; quorum ſententiam rejicit Zoſimus libro V. Strabo lib. V. ab *Theſſalis* cœptam tradit; poſtea vero Sabinorum Vmbrorumque ditione habitam, quos primi urbis coloni ſibi conjunxerunt, quum perpetuis Tuſcorum incurſionibus pares eſſe non poſſent: Hinc *Sabinorum* eam *Coloniam* nominat Plinius. Quidquid ſit, antiquam Civitatem teſtantur omnes; & diſertis verbis Zoſimus quem dixi. Sic Claudianus:

Ravenna. — *Conditores.*

Dixit, & antiquæ muris egreſſa Ravennæ.

Veterem etiam *Civitatem* appellat Sidonius Apollinaris lib. I. epiſt. V. Immunitam, vel ſuis munimentis ſenio terræve motu, vel aquis imminutam Portis Muriſque novis muniiſſe Claudium Imperatorem, teſtatur Titulus Portæ Marmoreæ, quam Speciosam, vel Auream vulgus ob architecturæ vel artificij pulchritudinem appellat, quondam inſculptus:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. FIL
CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II.
DESIG. III. IMP. III. P. P. DEDIT

Amplificatores.

Ab *Galla Placidia*, Theodoſij Magni Cæſaris Filia, amplificatam; item ab *Valentiniano* II, ac *Tiberio*, Gallæ Placidiæ Filio, plurimum auctam, Muris paſſim refectis, alijſque præclaris Monimentis relictis, quin & XII ipſi Civitatibus ſubjectis memoriæ prodit Blondus libro III. Hiſtoriar. *Oſtrogothorum* etiam *Reges*, cum primis *Alaricus* & *Theodericus* ſupra modum eam exornarunt Regijs, Templiſque ſumtuoſiſſimis paſſim exſtructis. De *Odoacro* etiam vide Paullum Diaconum, Iornandem cap. LVII, Ennodium in Panegyrico. De Situ multa Strabo libro V; Littori adjacere maris Hadriatici, paluſtri in loco, Aquis ubique ſubtus intercurrentibus, ideoque Pontibus ac Lembis peragrari ſolere: Paludes tamen Aerem nihil inficere, propterea quod crebris cum Fluviorum, tum Maris inundationibus ſordes abluantur:

Situs.

luantur: eamque ob caussam, teste eodem Strabone, Gladiatoribus educandis exercendisque locum hunc Romanos Principes præcipue diligere solitos. *Paludosam* appellat Silius libro VIII:

> *Quique gravi remo limosis segniter undis*
> *Lenta* paludosæ *proscindunt stagna* Rauennæ.

Paludicolam etiam vocat Sidonius lib. VII, Epist. XVII. Hodie Paludes adeo exsiccatæ, ut nunc undique patentes & fructiferi Campi appareant, frumenti mira ubertate fœcundi. De situ item Sidonius lib. I. Epist. V: *Oppidum duplex, pars interluit Padi, cetera pars alluit. Qui ab alveo principali molium publicarum discerptus objectu, & per easdem derivatis tramitibus exhaustus sic dividua fluenta partitur, ut præbeant mœnibus circumfusa præsidium, adfusa commercium.* De *Pado* quod dicit: Ravennam is per Padusam trahitur: urbem alioquin Amnes duo cingunt: unus dextrum latus *Besedus*, alter Dignitas. lævum tenet *Montonus*. Dixi cap. XI. *Piceni* caput aliquando fuisse, testatur vetus Inscriptio, quæ Romæ in domo quondam Augustini Masei:

CRONIO. EVSEBIVS. V. C. CONSVLARIS.
ÆMILIÆ. ADDITA. PRÆDICTÆ. PROVINCIÆ
CONSVLARI. VIGILANTIA. ET. IVSTITIA
EIVS. ETIAM. RAVENNATIVM. CIVITATE. QVÆ
ANTEA. PICENI. CAPVT. PROVINCIÆ. VIDEBATVR
VICARIO. ITALIÆ. QVÆ. POSTEA. SVPRADICTO
VIRO. OB. TESTIMONIVM. ANTEACTI. HONORIS
EST. ATTRIBVTA. PETITIONE. SENATVS. CON
TEMPLATIONE. VITÆ. ADQ. ELOQVENTIÆ
EIVS. AB. IN VICTISSIMIS. PRINCIPIBVS
EST. DELATA

Templa hæc urbs habet nobilissima, imprimis Archiepiscopale vel Cathedrale Templa. *S. Anastasii*, opus rarum, splendidum, immensi pretii. Succedit illi, quod *D. Vitali* sacratum, forma rotunda constructum. Ibi inter alias columna est tantæ raritatis, ut propemodum omnia pretiosorum lapidum genera, veluti porphyritidis, ophitis, granati, iaspidis rubentis viridisque, ac citrini, aliorumque colorum, item achatæ; rubini, chalcedonij, reliquorumque id genus in se contineat: cui vix alia similis invenitur. Iuxta Templum hoc non procul *Theatrum* vetustum est *C. Cesaris*, & Ædes Divis *Gervasio Portasioque* ab *Galla Placidia* constituta. Inter varia ibi Sepulcra, ipsius etiam *Gallæ*, Filiorumque duorum visuntur, pretiosissimi Marmoris, artisque singularis. Circa Forum *D. Mariæ in Porticu* peramplum visitur *Cœnobium*, & *Dantis Aldigerij*, Etrusci Poetæ nobilis, sepulcrum marmoreum, à Bernardo Bembo Veneto, Ravennatum quondam Prætore excitatum. Alia cum Templa, tum eximia Antiquitatis Monimenta, ut Sepulcra, Tymbos, Inscriptiones, magno numero prætereo. Adeundus, qui pleraque descripsit, Desiderius Spretus libro III. Spectatur ibi inter alia in Cratere Fontis, *Herculis Horarii* vel *Astrologi* Statua; qui, posita clava, velut Atlas innixus genu sinistro, è terra semet erigens, ambobus lacertis atque cervice gestat Horologium solare, semirotundum & convexum: in cujus concauitate per gnomonis seu umbilici solis umbram horæ diurnæ lineis distinctis demonstrabantur. Addita est Inscriptio:

HIERONYMVS DONATVS PRÆFECTVS HERCVLIS HORARII RELIQVIAS
EX HERCVLANÆ REGIONIS ANGIPORTV IN FORVM TRANSTVLIT,
ET RAVENNATIVM ANTIQVITATI D. D.

Arx ibi munita, Turribus aliquot per tormenta bellica dejectis, bello cum Gallis Arx. gesto. Portum habuit non incelebrem; qui *Novus* appellatus ad differentiam ve- Portus. teris illius capacissimi, de quo, quum de *Classe* agerem, verba feci. De eo sic scribit

bit Sidonius lib. I. epiſtola ſæpe laudata : *Ravennam paullo poſt curſu dextbrtore ſubeuntes: quo loci veterem Civitatem Novumque Portum media via Cæſaris ambigas, utrum connectat an ſeparet.* Vbi *Via Cæſaris*, quæ ab *Cæſarea* Opido, de quo ante, huc ducebat, *Ravennamque* Vrbem vel ab Novo Portu ſeparabat, vel potius connectebat. Et hinc nonnulla interpretatione juvandus Iornandes, cujus verba ante poſui : ut *Trinominem* facienti Vrbem, *Ravennam, Claſſem, Cæſaream* : *Claſſis* ipſi ſit *Novus Portus*, vetus ſcilicet nomen retinenti; *Cæſarea* autem *Cæſaris Via*, quæ inter Novum Portum & Ravennam veterem. *Novus* hic *Portus Portellio* nunc vulgo dicitur; *comparationis*, quod priore illo multo minor. Aquæductum Theodorici Regis opus *Ravennæ fuiſſe* ſcribit Caſſiodorus in Chronico : *Aviene Iunio & Probo Coss. D. N. Rex Theodoricus Aquam Ravennam perduxit, cuius formam ſumtu proprio inſtauravit, quæ longis ante fuerat ad ſolum reducta temporibus.* Sic vetus Chronog. *Anno Anaſtaſii Aug. XVII. Theodoricus Aquam Ravennam perduxit.* Meminit & Sidonius Epiſtola ſæpe indicata. Vrbs eſt Archiepiſcopalis. Archiepiſcopus, Canonici, Monachique ſunt ditiſſimi, totamque ferme ditionem ſibi vindicarunt. Inluſtrarunt ortu ſuo *Ravennam* multi cum eruditione, tum aliis virtutibus praſtantes viri : quorum non pauci Antiſtites ibi fuerunt, etiam in Divorum numerum relati. Enumerat eos Leander Albertus. *Ravennates* item fuerunt : *Ioannes XVII P. M. Caſſiodorus Senator; Faustinus*, Martiali notus; *Aſpaſius*, temporibus Alexandri Imperatoris Sophiſta, Pauſaniæ ac Hippodromi diſcipulus, quem Sudas, adverſus Ariſtonem & alios æmulos Orationes multas ſcripſiſſe perhibet; *Petrus Damianus*, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis; *Gulielmus*, excellens Medicus, ſcriptis Paulli Vergerij laudatus; *Ioannes Grammaticus*, inſignis Orator : *Deſiderius Spretus*, qui de amplitudine, vaſtatione & inſtauratione Vrbis non indocte ſcripſit : *Ioannes Petrus Ferrettus*, Milenſis Antiſtes, qui multa elucubravit, de Inſtitutis Eccleſiaſticis nominatim, & de eorum honeſta diſciplina; Breviarium inſuper ab Vrbe condita ad ſua uſque tempora, treſque Decades Hiſtoriarum Ravennatium. *Ravennatium* frequens in lapidibus mentio. Habuerunt *Ravennam* initio *Theſſali*, & evocati ab iis *Vmbri Sabinique*. Hos ejecerunt poſtea *Galli Boij*; Boios *Romani*, quibus, imperio ſtante, conſtanter adhæſit. *Coloniis* adcenſet Strabo libro V. Duxit eam Octavianus Auguſtus, quum Claſſem eo loci tuendo Mari Supero collocaret. Occidentis imperio Sedem, relicta urbe Roma, conſtituit eam Honorius : quod inſtitutum Succeſſores quoque illius cuſtodierunt tam Imperatores Romani, quam Reges Gothorum. *Gothis* Italia ejectis, hic ab Narſete *Exarchorum Magiſtratus* eſt conſtitutus, Duce *Fl. Longino Patricio*, quem Iuſtinus Imperator Narſetis loco Italiæ præeſſe voluit, anno ab Chriſto nato CIↃLXIX. Duravit *Exarchatus* in Italia annos CLXXV, uſque ad Leonem III, ſub quo *Ravennam Aiſtulphus* Langbardorum Rex cepit : qui à *Pipino* Francorum Rege bello victus vrbem *Romano Pontifici* dedit, una cum *Exarchatu* toto, qui hæc Opida Locaque continebat, *Cæſaream, Ariminum, Ceſenam Forum Livii, Forum Pompilii, Faventiam, Forum Cornelii, Bononiam, Agrum Mutinenſem*, cuius opidum ſemirutum jacebat, *Regium Lepidi, Parmam, Placentiam*, aliaque. *Exarchatu* rurſus ab *Langbardis* occupato, poſtquam *Deſiderium* ipſorum Regem ſuperaſſet *Karolus Magnus*, ſub populari aliquamdiu fuit Imperio, quod non ita multo poſt *Bononienſibus* ceſſit; inde *Venetis*, quibus ad Ripaltam cæſis, tandem *Pontifici Romano* cum Cervia reddita eſt *Ravenna*; cujus adhuc, fruſtra ab Venetis recepta, ditioni eſt ſubjecta. Legendi Procopius, Agathias, Blondus, Sabellicus, Platina. Pugna ad *Ravennam* commiſſa, qua Iulius II. P. M. commiſſus cum Ludovico XII Galliarum Rege ad ſedecim millia ſuorum militum amiſit, incidit in ipſum Paſchatis diem anni CIↃIↃXII. Deſcribunt multi. *Raſponorum* & *Lunardorum* Factiones *Ravennam* ingenti calamitate adflixerunt, quæ temporibus Leonis X P. M. enatæ cædibus ac flammis, urbem non ſemel funeſtarunt. Paſcua ad vrbem optima : ex quibus magna Lactis, Butyri, Caſei copia. Miram eſſe *Ravennatis Vitis* naturam ſcribit Strabo a Palude celeriter produci, multumque fructus ferre, ſed intra quadriennium aut ad ſummum quinquennium, perire. *Vinum Ravennate* vituperat Martialis lib. III.

Sit Ciſterna mihi, quam Vinea, malo Ravennæ:
Quum poſſim multo vendere pluris aquam.

Aquæductus. Archiepiſcopatus. Martyres. Clari viri. Regimen. Ager.

Commendat

Commendat contra idem Poëta *Ravennates Asperagos:*

Mollis in aequorea quae crevit spina Ravenna,
Non erit incultis gratior Adsparagis.

Eosdem quoque laudat Plinius. De *Ranis Ravennatibus* sic canit idem Martialis lib. III. epig. LI:

Quum comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat Crocodilus angusta:
Meliusque Ranae *garriant* Ravennates,
Et Hadriaticus dulcius culex cantet.

Municipales Ranas nominat Sidonius lib. I. Epist. VIII. ad Candidianum. Plinius lib. IX. Natural. histor. cap. LIV. optimi saporis Rhombum haberi *Ravennae* captum tradit. Concludam meas de Ravenna notas cum salsis Sidonij de ea verbis, quae exstant indicata à me Epistola: *Te Ravennae felicius exsulantem auribus Padano Culice* (Nam Ravenna in Padi paludibus sub aëre calido sita, culicibus infestatur) *perfossis Municipalium Ranarum loquax turba circumsilit: in qua palude indesinenter rerum omnium lege perversa Muri cadunt, Aquae stant; Turres fluunt, Naves sedent; AEgri deambulant, Medici jacent; algent Balnea, Domicilia conflagrant; sitiunt Vivi, natant Sepulti: Vigilant Fures, dormiunt Potestates; foenerantur Clerici, Syri psallunt; Negociatores militant, Milites negociantur; student pilae Senes, aleae Iuvenes, armis Eunuchi, literis Foederati. Tu vide qualis sit Civitas, ubi tibi Lar familiaris incolitur: quae facilius Territorium potuit habere, quam Terram.* Videre est extra urbem Ædem rotundam, D. Mariae Virginis, antiquissimam & pulcerrimam, forma rotundam. *Aedes D. Virginis extra Ravennam.*

Intus, haud procul tamen ab Mari, Opidum Vmbrorum erat *Butrium*, Plinio notum, Βούτριον Straboni, Ptolemaeo, Stephano. Reliquiae eius in exiguo Castello, quod hodieque *Butrio* vernacule, prope Cotignolam & Lucum. Terminus hic erat Vmbrorum, qui hinc ad Æsin usque amnem fines habuerunt, auctore Strabone libro V. Alibi plura. *Butrium.*

Introrsum in Æmilia Pontis ruinae visuntur, quo per Roncum fluvium Via illa solebat iungi. Prope est Ædes cum Fossa loco edito super Amnis ripam, ubi olim *Roncum* fuit Opidum, cujus meminit in Mediolanensi Historia Bernardinus Corius. *Roncum.*

Rursum ad collis radices in introitu faucium *Meldola* iacet opidum munitum & lautum, agrum habens copiosum. Diu in potestate fuit Malatestarum, Principum Ariminensium: à quibus in Venetorum, ab his in Pontificum venit cum Arimino potestatem. Concessit Alberto Pio Comiti Carpensi Leo X. Cladem accepit maximam ab Karolo Borbonio, Exercitus Karoli V Imperatoris Praefecto, quum Romam infestus tenderet, anno CIↃ IↃ XXVII. *Meldola.*

Vlterius inter montes exiguum occurrit Castellum *Cuserculum*, ubi Pons Amnem jungit. *Cuserculum.*

Ad alteram ripam visitur *Civitella*: indeque secundo lapide *Galeata*. Hinc *Saltus Galliani, Aquinates* cognominati Plinio, in Octava Regione. *Civitella. Galeata.*

Ad exitum Vallis arx munitissima colli insidet *Planetum*: juxtaque sub ea *D. Mariae Planetinae Fanum*: denique inter Montes altius *Castellum D. Sophiae*. *Planetum. D. Sophia.*

Rursum in Æmilia Via Montoni Amnis dextra Civitas est *Forum-Livij*. Sic Plinio, Antonino, Itinerariae Tabulae, alijsque dicitur, quod hodie κατ' ἀποκοπὴν *Forli*. Nominatur & in Latino Ptolemaeo; licet in Graeco non habeatur. Memorat primordia eius ex antiquissimus Annalibus Leander; conditum esse ab *L. Hermio*, Veterano milite; eum Ducis sui, *Livij Salinatoris* cos. nomen dedisse. Servat in Vrbis foro memoriam rei Statua, cum Elogio: *Forum-Livij. Conditor.*

Livius ecce fui Romanus conditor Vrbis
Huius, & hanc volui Terram coluisse Quirites
Magnanimos, Populisque dedi cognomen & arma.

Vrbs natura & situ, rerumque omnium ubertate praestans inter duos Amnes Roncum ab ortu, & Montonum ab occasu sita: aere fruens optimo. Templum Cathedrale *S. Crucis*; item *S. Domini*, *S. Francisci*, *S. Mariae Carmenta* notissima sunt. Praetorium hic sumtuosissimum in Foro, ab Ægidio Cardinale aedificatum, & semirutum Catharinae Sfortiae iussu in caedis mariti ultionem. In eo Pictura duorum *Situs. Templa. Praetorium.*

Nnnn manibus

manibus junctis vel fœdus incuntium, vel injurias remittentium cum Inscriptione non magni ævi: *Sextus Tit. Livius Saltnator cos. S. R, jussu Claud. Neronis Collegæ reconciliatus jusjurando pollicetur, se Rempubl. contra Annibalem ac Asdrubalem fratres egregie defensurum.* [*Episcopatus. Clari Viri.*] Episcopatus gaudet titulo. Inlustrarunt ortu suo *Forum-Livij* multi præstantes Viri *D. Valerianus*, Eques & Martyr: *Stephanus Nardinus* & *Christophorus*, Ecclesiæ Romanæ Cardinales: *Ioannes Rufus Theodotus*, Archiepiscopus Consentinus, Ecclesiæ Romanæ Thesaurarius, & Karoli v. Capellanus: *Ludovicus, Thomas Astius, Alexander Nugatius*, ipsius urbis Episcopi; *Nicolaus Astius*, Ricineti; *Bartholemaus Moratinus*, Fori Truentinorum; *Antonius Arculanus*, Cariatis; *Antonius Numalius*, Æserniæ; *Philippus Arculanus*, Alatri; *Hieronymus Theodulus*, Calçis Hispaniæ Antistites. Edidit insuper *Forum-Livij Cornelium Gallum*, Poëtam celeberrimum: *Hieronymum*, Prædicatorij Ordinis Theologum, & Historicum; *Raineruм Arsenetum*, Iurisconsultum maximum, Bartoli Saxoferratensis Præceptorem; Iurisperitos item, *Franciscum Rubrium, Nereum Morandum, Ioannem Sellenum*, & *Gulielmum Lambertellum*: Medicos *Iacobum Turrium, Guidonem Pepum Stellam, Bartholemaum Lombardinum*: Historicos, *Flavium Blondum*, multis scriptis celebrem & *Paullum Quirinum*, qui res *Foro-Liviensium* memorabiles collegit, scriptisque prodidit: Item *Guidonem Bonatum* Astrologum summum; *Hieronymum Mansurium*, Philosophum excellentem: *Iacobum Alegrettum*, Poëtam jucundum; *Faustum Andrelinum*, Poëtam item suavissimum, ab Ludovico XII Francorum Rege Laurea coronatum: *Vgolinum* denique *Orivetanum*, Musicum, Scalæ Modulorum in manus articulis inventorem. Nihil hic dicam de celebribus in re militari Ducibus; quos Leander Albertus recenset. [*Sanctorum Reliquiæ.*] Servare se aiunt *Foro-Livienses* ossa *D. Mercurialis*, Episcopi quomdam Vrbis & Patroni, item *D. Sigismundus Regis*, eiusque Coniugis & Filiorum duorum; *D. Roffili*, Foro-Pompiliensium Antistitis, *D. Grati* Diaconi, *D. Marcelli* Subdiaconi, & *B. Iacobi* Veneti, ex ordine Prædicatorum Monachi. [*Res gestæ.*] In fide olim fuit *Populi Romani*: sui deinde juris & tutelæ facta sub imperio *Exarchorum* in tantum sensim crevit opibus & potentia, ut non solum cum Finitimis sæpe bella gereret, sed & in alias Civitates jus sibi usurparet. Cervia, Foro Truentinorum, Foroque Popilij subactis; conditis item cum alijs, tum Sadurano, Melidonio, Caminateque opidis. In potestatem deinde redacta est *Bononiensium* anno CIↃCCXLVIII; & aliquanto post CIↃ CC XCVI ab *Ordelaphis* possessa, qui urbis primum Vicarij, deinde Principes à Populo sunt appellati. Tandem multis fracta calamitatibus imperio subjugata *Pontificum Romanorum*. Legendi Bernardinus Corius, Blondus in Historijs, Platina in Vita Innocentij VI. Factionibus aliquamdiu gravissime laboravit *Numaliorum* & *Moratinorum* perniciosissimis. [*Ager.*] Agrum habet, qui Frumenti, Vini, Olei feracissimis; Coriandrum etiam, Anisum, Fœnum-Græcum, Cuminum, Rubiam, Glastum, aliaque hujus generis gignens.

[*Castrocarum.*] Ad Æmiliæ dextram in Apennini latere, quod Septemtrionem spectat, *Castrocarum* est; Veteribus, uti volunt Blondus, Rassanus, Leander, *Salsubium*, quod ibi Aquæ salsæ Fons exsiliat. Olim sub *Foro Liviensium* fuit; post sub *Florentinis esse* cœpit.

[*Duadola. D. Cassiani. Porticus.*] Sequitur inde *Duadola*, honestum Opidum; tum altius inter montes *D. Cassiani* Fanum; & inter asperrima Iuga *Porticus*, ab Ambrosio Monacho Scriptis celebri inlustratum.

Ad Fluvij, qui vulgo *Lamonis*, quemque Plinius & Antoninus *Anemonem* vocant, dextram, [*Traversaria.*] Vicus est *Traversaria*, Ravennatus agri; a præclara *Traversariorum* gente factus, nisi hinc ipsa traxerit nomen.

Non procul deinde, ad alteram Amnis ripam *Baniacavallum* est, antea *Tiberiacum* & *ad Caballos* dictum, ut memoriæ produnt Blondus, Sabellicus, Niger, Rubeus, Leander, qui & *Gabeum* olim appellatum tradit ex Tabulis Ecclesiæ Ravennatis, judicioque Ioannis Petri Ferretti Milensis Episcopi. Opidum est perelegans, lautum & opulentum, ditioni subjectum Ferrariensis Principis.

[*Faventia.*] Succedit in Æmilia Via Civitas *Faventia*. Sic Livio lib. LXXXVIII, Silio libro VIII, Spartiano in Hadriani Vita, Capitolino in Ælij Veri, Antonino, Tabulæque Itinerariæ dicitur; Φαυεντία Straboni libro V, Appiano lib. I bel. Civil. Ptolemæo, qui in Gallia Togata ponit, Agathiæ libro I. de bell. Gothico; Φαβεντία Stephano; *Faventina Civitas* Cassiodoro in Varijs: quæ hodie *Faenza*. *Faventinos* habet in

Octava

Octava Italiæ Regione Plinius. Honesta est & frequens: Salinis Saxonicis non male comparari solita. Secat eam Amnis Anemo. Inter opera publica Templum habet magnificum, Cathedrale & Episcopatus titulo celebre: Arcem ab Friderico II Imperatore conditam, Pandulpho Collenutio teste libro IIII Histor. Reg. Pontem lapideum, sane pulcrum, duabusque Turribus munitum; quo & Vrbs Suburbijs cohæret, & Æmilia Via continuatur. Astor Manfredus Vrbem ab Friderico II nudatam auctioribus firmavit mœnibus, altaque & lata cinxit fossa, idemque Prætorium in Foro splendidum construxit. Figulinis celebrata est passim *Faventia* præstantissimis, quæ etiam Aretinis præferuntur. Vber inde Incolis quæstus. Populus studiosus admodum reipublicæ, animis omnium ad pacem & quietem spectantibus, factionesque detestantibus. Ex *Faventia* originem maternam fuisse *Ælio Vero*, Imperatori, scribunt Spartianus & Capitolinus. Ingenia tulit multa. Fuit inter alios *Mengus*, summus Philosophus & Medicus, qui in Logica Paulli Veneti Commentaria scripsit. Primis temporibus in fide semper fuit *Imperij Romani*; post *Bononiensibus* aliquamdiu paruit: hinc Factionibus *Lambertatiorum* & *Giremeiorum* apud eos exortis, in libertatem se urbs recepit: post anno CIↃ CC LXXXVI in *Manfredorum* venit potestatem; inque ea mansit usque ad *Cæsarem Borgiam*; qui, Manfredis eiectis trucidatisque, ope Alexandri VI P. M. Patris, Vrbis dominatum occupavit; à quo tamen, mortuo Pontifice, rursum ea defecit, *Manfredo* adhuc uno superstite in urbem reducto, Principeque salutato, qui postea in *Venetos* Vrbis imperium transtulit: his autem ab Ludovico XII Gallorum Rege cæsis, in *Pontificum* ditionem est reversa. Magnis calamitatibus adfecta legitur ab *Gothis*, à *Britonibus*, ab Friderico II, Imperatore, qui anno CIↃ CC XL post longam arctamque obsidionem, Muros solo æquavit: Arce, de qua dixi, in ea, præsidij caussa, ædificata. Consulendi Blondus & Sabellicus. Ager illi opimus, frumenti vinique fertilis; maxime vero Lini candidissimi, à Plinio etiam celebrati.

Qualitas, Situs, Templum Episcopale, Arx, Pons, Prætorium, Figulinæ, Incolæ, Clari Viri, Res gestæ, Ager.

Supra Faventiam, quarto lapide, fructiferis adsitum collibus visitur *Oriolum*. *Oriolum.*

Infra Oriolum, vetus opidum, quod Marzanus torrens adluit, *Modiana* spectatur: *Mutilum* Livio libro XXXI & XXXIII; *Mutila* Obsequenti de Prodigijs. Iuris est hodie Florentinorum, olim Comitum Guidonum. *Modiana.*

Inde supra Faventiam prope flumen Anemonem *Vallis* se offert *Lamonis*, sic hodie ab Fluvio, quem dixi, corruptius nominata pro *Anemonis*, quidquid hic de *Lamonibus* ex suo suppositio Sempronio adferat audax Viterbiensis. Amœna est, colonis referta, opidis plena castellisque: in ijs *Bresegella*, ortu clara insignium Ducum; inter quos principis loci cum *Dionysius Naldus*, primum Alfonso, Ferrandinoque Neapolitanis Regibus, post autem Venetis militia sua fidus; tum *Vincentius Naldus*, item *Carlinus Galassius* & *Ioannes Raboni*. Horrendam accepit calamitatem hoc Castellum anno CIↃ IↃ IX ab Francisco Alidosio, Copiarum Iulij II P. M. ductore, spoliatis vinctisque contra fidem publicam Civibus.

Vallis Lamonis. Bresegella, Clari Viri.

Opida sunt ibidem alia *Rontana*, *Castilio*, *Grataria*; item Vici *Marate*, *Bifurcatum*, & alij.

Rontana, Castilio, Grataria.

Sub Apennino inde *Crispinum*, ubi Abbatia magnis decorata prærogativis. *Crispinum.*

Infra Viam Æmiliam sub Faventia non ignobile opidum est *Solariolum*, Sigismundo Gonzagæ Cardinali ab Leone X P. M. donatum. *Solariolum.*

Ad dextram Senij Amnis parvum quidem, sed nobile opidum est *Cotignola*, alta septum fossa, murisque firmissimis anno CIↃ CCCC LXXI ab Ioanne Aucutho Præfecto, cui cum Baniolo ab Gregorio XI donatum teste in Mediolanensi historia Corio. Originem hinc traxit incluta *Sfortiarum* gens, uti docet Petrus Cotignolanus, Ioannes Simoneta, Bernardus Corius, Franciscus Philelphus, Sabellicus, Platina, & alij, qui multos alios referunt hinc oriundos. Principatum opidi diu habuerunt *Mediolani Duces*; inde in *Pontificum Maximorum* fuit ditione; hodie in *Ferrariensium Ducum*, si bene memini, est potestate.

Cotignola. Clari Viri. Principes.

Secundo hinc lapide *Lucus* opidum, cum Civibus, tum rebus tuendæ vitæ necessarijs abundans; inseptum tamen. Territorium cui inædificatum, stagnare solitum fertur ab Aquis, ex Apennino defluentibus: quod argumentum, novum esse, fabulamque censendam, *Lucum* hic olim fuisse *Dianæ*. Principes eius olim *Bononienses*, inde *Pontifices Maximi*, mox *Ferrariæ Reguli*. Ortu superbit *Vincentij Archerij*, ex Præ-

Lucus. Territorium. Principes. Clari Viri.

ex Prædicatorum familia Monachi, Scriptis clari, qui ibidem obijt anno CIↃ IↃ XI. Ager illi magna frumenti, tubiæ, vinique copia uber.

Haud procul Luco *Zagonaria* visitur, Florentini exercitus clade nobilis; scribentibus Blondo libro XXII Historiar. Sabellico libro I Ennead. cap. X & Platina in Vita Martini V. P. M.

Duobus inde P. M. in Senij ripa locus monstratur, ubi olim Castellum fuit *Cunium*, rebus ab Alberico Cuniate magno duce contra Britones, qui in Italiam irruperant, gestis nobile. Eversum legitur a *Bononiensibus*, qui illud possidebant anno CIↃ CC XXVII, instauratum inde Alberici Comitis tempore, post denuo excisum, planeque deletum, manentibus vix memoriam loci Fossa, qua cingebatur, Templo, paucisque tectis, quæ tamen recenter excitata.

Prope vestigia videre est opidum *Barbianum*, quod Cuniatum Comitum patrimonium, ab Ioanne XXIV P. M. anno CIↃ CCCC X excisum.

Ad Viam Flaminiam recurrenti *Pons D. Proculi*, Senio in locatus, se offert; duplici Bononiensium strage anno CIↃ CC LXXV ab Faventinis, Lambertatiorum & Foro-Liviensium auxilijs, inlata celebris.

Pontem transgresso *Castellum* occurrit *Bononiense*, lautum & opulentum, à Bononiensibus anno CIↃ CCC LXXXVIII conditum, testibus Hieronymo Albertutio in Chronicis, alijsque rerum Bononiensium Scriptoribus.

Sursum ad Apenninum *Susenana* visitur, Maginardi Patria, qui Faventiæ, Cesenæ, Forique Cornelij principatum tenuit, titulo tamen Capitanei.

In ipso Apennino *Palatiolum* est, ditionis olim Vbaldinorum.

Succedit rursus in Æmilia Via ad ripam Amnis Saterni *Imola*. Sic hodie, testibus Leandro, Sigonio, alijs, dicitur, quod olim *Forum Cornelij*. Ita vocant M. Tullius libro XII Epistola ad Cassium, Plinius lib. III nat. hist. in VIII ponens regione, Antoninus in Itinerario, Procopius lib. II de Bello Gothico, quod Φόρον Κορνήλιον Ptolemæo, in Gallia Togata locanti; Φόρον Κορνήλιον Straboni lib. V. Meminit & **Arula marmorea Romæ, in ædibus Alteriorum juxta S. Marcum:**

D . M .

C. PAPIRIVS. C

LIB. FELIX. FORO

CORNELI. MILIT.

COH. VI. VIG. AN

VI. VIX. ANN. XXIII

M. IIII. D. XI

HERES. EIVS. B. M. F

Inde *Foro-Cornelienses* Plinio. *Imolæ* nomen ab Arcis appellatione natum, post *Forum-Cornelij* ab Antiocho Narsetis Præfecto excisum, docent Blondus libro VIII Historiar. & Pomponius Lætus lib. II. Ædificatum quidam fabulantur (nam sine probato Auctore) ab Troianis, post eversum Ilium. Conditor proculdubio *Cornelius* quidam, qui juris dicundi gratia eo Roma missus erat. Sita est ad Santernum Amnem, agro frumentario, vini, olei, aliarumq; frugum ferace: Fossa, Aqua, muro satis munita, non absimilis Witebergæ, nobilissimæ Saxonum Civitati. Incolæ lauti, opulenti, acris ingenij, virtutis eximiæ, summæ industræ, quocumq; animum adplicent, ad litteras, militiam, mercaturam, alia. Episcopatus gaudet dignitate. Claros genuit viros, non paucos: in quis *Benevenutus*, Philosophus & Poeta, Dantis inlustrator: item *Ioannes ab Imola* dictus, & *Alexander Tartagnus*, summi Iuris consulti: *Hieronymus Claruttius*, Poeta, *Vrbanus*, Grammaticus: *Ioannes Antonius Flaminius*, Orator & Poeta, cujus filius *M. Antonius*, summus Philosophus, Græcis litteris pereruditus, uti scripta probant. Quos laude militari inclutos habuit, omitto. Multorum loco sint *Beltramus* & *Lippus Alidosij*: *Franciscus & Ioannes Saxatelli*; *Guido Vasnus*, ejusque filius *Dominicus*. In fide olim *Populi Romani* quum diu floruisset, post in *Langbardorum* est redacta potestatem; quibus Italia profliga-

profligatis, in ditionem venit *Bononiensium*, sub quibus varie ab Alidosijs, Manfredis & Galeatijs habita, tandemque ab *Romanis Pontificibus* subjugata, uti pluribus docent ipsorum Annales. Legendi & Dantes in Paradiso, Cantico xv: Blondus lib. xxi Historiar. Marius Æquicola in Historia Mantoana; Leander Albertus, qui hæc accurate: aliique. Fœde non ita pridem vastata lacerataque ab Saxatellorum, quibus Ioannes Princeps & Vainorum, quibus Guido præerat, factionibus; quum alioqui maximo universæ Italiæ ornamento esse potuisset.

Septem ab Imola millibus Santerni ripæ adsidet opidum, quod Latine scribentibus *Tausignanum*; olim *Venetorum*, post Ecclesiæ Romanæ potestatis, ortu clarum *Petri Tausignani*, præstantis Medici. *Tausignanum, Clari Viri.*

In colle hinc modico Castellum est *Rium*, ab *Francisco Alidosio*, Cardinale & Bononiæ Legato, Fratribusque ejus *Opizone & Rictardo*, Opizonis denique filijs *Cæsare, Nicolao, Octaviano*, & *Alexandro* valde nobilitatum. *Rium. Clari Viri.*

Mille quingentis à Tausignano Passibus *Geregnanum* Vicus est, *Ioannis* cognomine *Tausignani*, Episcopi Ferrariensis, patria. *Geregnanum, Clari Viri.*

Hinc inter Apennini Colles Opida visuntur aliquot & Vici: in quis *Fons, Casula, Saxatellum*, unde *Saxatellorum* apud Foro-Cornelienses origo. *Saxatellum.*

Ad aliam Vatreni ripam in monte *Caput est Ronci*, ulteriusque *Planum Caldulum*. *Caput Ronci.*

Descensu tum ad radices Apennini *Florentiola* se offert, Opidum novum, ab Florentinis, quibus subest, conditum, lautum & elegans. Putant quidem *Fidentiam* olim dictam, nuncque corrupte *Florentiolam* appellari pro *Fidentiola*. *Florentiola.*

Haud procul inde cis Apennini juga *Casale Fumineſium* adparet in Agro Bononiensi. *Casale Fumineſium.*

Padusam repetenti pandit se *Massa Lombardorum*, circa annum CIↃ CC XXXII, Friderici II Imperatoris principatu condita, ab Familijs quibusdam Langbardicis, ob censuum acerbitatem ex agris Brixiano Mantuanoque profugis. *Massa Lombardorum.*

Prope est *Consilice*, voce corrupta, tamquam *Caput Silicis*. Huc usque enim Via *Silice* strata, longitudine ab Imola P. M. XII, perducebatur. *Consilice.*

Propter Amnem Silerum in Agro Bononiensi *Castellum Guelphum* jacet, nobilis Familia Malvetiorum. *Castell. Guelphum.*

Ad eumdem *Castellum D. Petri* est; anno CIↃ CC conditum à Bononiensibus. *Cast. D. Petri.*

Ad aliam ejus ripam in colle, qui Æmiliam spectat, opidum visitur *Dotia*: sequiturque in montibus *Flagnanum*. *Dotia. Flagnanum.*

Claternam transgressus offert se locus, ubi quomdam Opidum *Claterna*. Sic Ciceroni lib. XII Epist. ad Cassium, Plinio, Antonino, Pomponio Melæ, alijs; Κλατέρνα Ptolemæo dicitur: quæ Κλιτέρνα Straboni: *Glacerima* & *Glacerina* in quibusdam Antonini libris, corrupte. Cœpit ejus inclinatio jam inde ab Gratiani temporibus, uti docet in Bononiensium historia Leander. Superant hodie Fani cujusdam veteris Muri & Via lapide strata. *Claterna. Excidium.*

Occurrit hinc ab Æmilia Padusam versus eunti Castellum *Medicina*, à Bononiensibus anno ab Christo nato CIↃ CCC XXVI ædificatum. *Medicina.*

Altero latere *Brutium* est opidum opulentum, muris à Bononiensibus cinctum anno CIↃ CCC LXIII. Patria *Antonij à Butrio*, præstantissimi Iureconsulti. *Brutium. Clari Viri.*

Ultra Viam Æmiliam hinc ad Apennini colles *Varignana* est, opidum *Petri Varignani* Medici ortu nobile. *Varignana.*

Ad Idicem fluvium trans Æmiliam in tumulo Castellum adparet, quod vulgo *Britti*. Arx olim, ut censet Leander, urbis *Brintu*, cuius meminit apud Blondum lib. II Histor. Agnellus in libro de Rebus Ravennæ, qui eam commemorat Civitatibus Archiepiscopo Ravennati suffraganeis. Supersunt præter Abbatiam pervetere aliquot antiquorum Operum vestigia. *Britti.*

Visitur haud procul inde *Vetianum*; unde nomen antiquæ *Vetianorum* Bononiensium familiæ. *Vetianum.*

In adversa Idicis ripa *Camburatium* est. *Camburatium.*

Ad Sapinam Amnem itinere, quo Bononia itur Florentiam Vicus est *Planorum*, cui nomen à *Planore* Virgiliano fabulatur Annius Viterbiensis ad fictitium Semproniũ. Docent vestigia Arcem hic fuisse, quam propter opidanorum defectionem anno CIↃ CCC LXXVII Bononienses cum *Loiano, Zapelino, Monteque Marmio* diruerunt. *Planorum. Loianum. Zapelinum. Mons Marmius.*

Scaricalasinum. Occurrit post Loianum eodem itinere *Scaricalasinum*, à Bononiensibus conditum anno CIƆ CCXLVI.

Caurenum. *Petra Mala.* Hinc eadem via pergenti, læva, prærupto in colle, Opidum se offert *Caurenum*; ultraque *Petra-Malæ* vicus.

Bentivolium. Succedit mox X à Bononia P. M. *Bentivolium*, sumtuosa Villa cum Turre, sic ab Ioanne Bentivolo II Restauratore nuncupatum: antea *Pons Poledranus* dicebatur.

Malalbergum. Inde ad *Malalbergum*, ubi initium Padusæ; quod antea, ut Peregrinus Priscianus libro I Antiquitatum Vrbis Ferrariæ tradit, *Maletum* audijt.

Turris Vedlini. Hinc ad Turrim Fossæ naviganti *Turris Vedlini* ab læva relinquitur, à Bononiensibus anno CIƆ CCXLII condita.

Poggium Lambertinorum. *Ad D. Prosperum.* *Ad D. Venantium.* Haud procul inde *Poggium Lambertinorum*, nobilis Bononiensium gentis, item *ad D. Prosperum* & *ad D. Venantium* antiquæ Familiæ Bononiensis Platensium Patrimonium: ultra *Galerus* Vicus.

Plebis. *Centum.* Sequitur mox opidum olim præclarum *Plebis*; indeque spatio P. M. superato Rheno, *Centum*, cujus appellationem aperit Leander. Meminit Blondus libro X Histor.

Castellum D. Georgij. *Corticella.* Via, quæ Bononia Ferrariam ducit *Castellum* est *D. Georgij*, à Bononiensibus exstructum, ultraque tum *Corticella*.

Bononia. Hinc tribus millibus nobilis & antiqua jacet *Bononia*. Sic Ciceroni lib. XII, Epistola ad Cassium; Livio passim, nominatim lib. XXXIX; Tacito lib. XII, & seq. Straboni lib. V; Ptolemæo; Plinio lib. III; Appiano lib. III bell. civil. Dioni lib. XLIX; Suetonio in Augusti, & Neronis Vitis; Pomponio Melæ lib. II; Trebellio Pollioni in Censorino; Procopio lib. XIII. de Bello Gothico; Paullo Diacono lib. VI; Antonino in Itinerario, & alijs appellatur: quæ *Bologna* vulgo. Sic Inscriptiones Romanæ:

In Angulo Domus cuiusdam prope S. Mariam Pacis:

POMPONIVS . Q. F
LEMONIA . FORTVNATVS
BONONIA . MIL . COH
VIII . PR . 7 . PERPENNÆ
MIL . ANN . IX . VIX
ANN . XXIIX
T . F . I

Ad Sanctum Blasium de Fossa:

Q . ENEIVS . Q . F
LEM . MONTANVS
BONONIA
MIL . COH . II . PR
7 . IVLI . SECVNDI
MILIT . ANN . XV
VIX . ANN . XXXIII
T . P . I

Via Cassia, ex Onuphrio:

CLAVDIÆ . VENERIÆ
A . GELLIVS . A . F . DVM
SECVNDVS
BONONIA
FECIT . ET . SIBI
IN FR . P . VI . IN . AGR . P . IX

Unde dicta. Dictam putant quidam à *Bono Thuscaniensi*; alij à *Boiis Gallis*, quasi *Boionam*, inde euphoniæ gratia *Bononiam* esse factam. Videndi Volaterranus libro IV Commentar. Vrbanorum, Petrus Marsus ad librum VIII Silij Italici, alijque. Glar. in Clem. I. de Magistr. ludens *Bononiam* scribit appellatam, quod super omnia *bona*, adeoque *bonorum* notitia nimis sit amabilis. *Cognomen.* *Felsina* cognominatur apud Plinium lib. III. cap. XV. Le-

xv. Legendus & Livius libro xxxiii. Galliæ Togatæ facit Ptolemæus: Æmiliæ, Zosimus: Plinius Octavæ tribuit Regioni. Ptolemæus eam describit Climate vi, gradu Longitudinis xxxiii medioque Latitudinis fere xliiii. Apennini radicibus adposita, ad Amnem Rhenum, Aposa torrente mediam Vrbem interlabente: tota Orienti exposita, qua Auster est, montes imminent vitiferi: qua reliquæ partes, Agri patent longe lateque, omnis generis frugum feraces. Cœlum illi non admodum salubre. Circuitus vii milliarium; olim multo minor. Speciem habet onerariæ Navis, cujus partes explicat Leander. Portas habet xii. Potens est nobilitate, ædibus magnifica, porticibus frequens. Multa sunt Vrbis hujus ornamenta; & præclara, cum quæ rei divinæ, tum quæ Civium utilitati serviunt, ædificia. Primi ordinis sunt Divorum *Petri Petronijque*; illius, Ecclesiæ; hujus, Vrbis Patroni, Fanum: *Petri*, Episcopi Sedes est; *Petronij*, maximum & ornatissimum: inde *S. Michaelis*, mirabilissimum; *S. Francisci*, splendidissimum: *S. Salvatoris*, elegantissimum, *D. Ioannis Montani*, pulcerrimum: *D. Stephani*, vetustissimum, olim Isidi & Serapidi dicatum: Alterius, Curia Senatus amplissima; Turrisque altissima intra Vrbem, *Asinellæ* nomine nota, ad quam adscensus est per gradus lineos ccccxlviii. Vicina est *Garisenda*, inclinata nonnihil; arte an casu, dubium est. Inter publica medij ævi monimenta notatu dignum illud, quod *Henrici*, Sardiniæ & Corsicæ Insularum Regis, Henrici ii Romanorum Imperatoris Filij, non solum captivi à Bononiensibus, verum etiam in ipso defuncti & honorifice sepulti, statuaque honorati, servat memoriam, his verbis: *Orto inter Bononienses & Mutinenses bello, Cæsar Henricus Secundus Romanorum Imp. Filium Henricum, Sardiniæ & Corsicæ Insularum Regem, Mutinensibus suppetias ferre jubet: qui insto apud D. Ambrosij Pontem certamine à Bononiensibus capitur, nullaque re ut dimittatur, impetrat, quum Pater minis, deinde precibus & pretio de precatoribus uteretur, quum tantum auri pro redimendo filio polliceretur, quantum ad mœnia Bononiæ circulo aureo cingenda sufficeret. Sic captivus* XXII *annos, Menses* IX, *Dies* XVI *tenetur, aluitur que regio more publica Bononiens. impensa; sic defunctus munificentissime ac pientissime funeratus, hic tumulatur. Præterea simulacrum hoc in perpetuum & hosti & captivo monumentum S. P. Q. Bononiensis posuit Anno salutis* M. CCLXXII, II *Id. Martij. Hoc volebam, ut scires: abi ac vale. Positum ære publico, Ioanne Francisco Aldrovando Dictatore.* Monimenta spectantur in varijs Templis insignium Iuriconsultorum, Oratorum, aliorumque. In S. Dominici Templo siti sunt *Ioannes Lignanus*, *Ioannes Andreas*, *Ioannes Calderinus*, *Bartholemæus Salicetus*, *Alexander Tartagnus*, *Petrus Ancharanus*, & *Ioannes Crottus* Montis-Ferratensis: in Claustro, *Florianus Sampetrinus*, *Dinus Mugellanus*, *Cynus Pistoriensis*, *Ioannes Imolanus*, *Hippolytus Marsilius*, *Hieronymus Zanetius*; omnes Iuris-consulti: item *Ioannes Garzonius*, *Ioannes Antonius Flaminius*, & *Ioannes Andreas Garisendus*, Oratores: *Iacobus Petra Melara*, Medicus & Astrologus; *Alfonsus* Lucensis Statuarius: ante Fanum *Rolandini Passagerij* & *Ægidij Fusarij*, Iurisconsultorum stant sepulcra. In S. Francisci collocati leguntur *Rolandinus Romancius*, *Odofredus*, *Accursius* Iuris-peritissimi: In Servorum Templo *Ioannes Ananias* & *Ludovicus Gozadinus*, ICC. Apud Eremitas duo *Nicolaij Falij*, Philosophi. In Porticu Cœnobij D. Salvatoris, *Antonius Codrus Vrceus*: In D. Ioannis Montani *Karolus Ruinus* IC. Domus Civium sumtuosissimæ. Visuntur ibi Vetusta Langbardorum ac vasta ædificia. De ejus initijs multa tradunt fabulose Hieronymus Albertutius in Annalibus Latinis, Ioannes Garzonius in Histor. Bononiensi, alijque; item, quos obtrusit Reip. litterariæ Annius Viterbiensis non necessarios, Manethon, Cato, Sempronius. Quidquid sit, *Colonia* est *Romanorum* Livio libro xxxvii, Tacito lib. xii, Velleio Paterculo, Plinio, Pomponio Melæ, alijs: facta anno ab V C. ɪↄ lxv, M. Fulvio Nobiliore & Cn. Manlio Vossone coss. Festus *Bononiam Municipium sui juris* appellat. Romanis fidi *Bononienses* in *Antoniorum* erant clientela, ut alij in aliorum; teste Suetonio in Cæsare cap. xvi. Bello Civili exorto Antonianas aliquamdiu sequuta legitur partes. Post-illa Gratiano imperante, quum in libertatem se vindicare conaretur, ab Asclepio Cæsaris Præfecto in potestatem est redacta: non multo post rebellans ab *Theodosio Imp.* tota propemodum est subversa; anno demum ab Christo nato cccc xxxiii hortatu D. Petronij iterum ab *Theodosio* ii instaurata, magnaque sui parte aucta, & nobili Academia est ornata. Mansit deinde Vrbs in fide *Roma-*

Situs cœlestis & terrestris;

Circuitus, Forma, Fertx, Qualitas,

Publica. Ædificia, Sacra.

Profana,

Monumentum Henrici Sardiniæ Corsicæque Regis.

Sepulcra doctorum Virorum.

Privata Ædificia.

Colonia,

Municipium,

Res gestæ,

de *Romanorum Imperatorum* usque ad Leonem III, sub quo *Langobardorum* subdita ditioni; iisdemque vi erepta a *Pipino* Francorum Rege, & ab hoc statim *Pontifici Romano* attributa: mox in *Cæsarum* potestatem iterum redacta ab *Karolo Magno* & *Lothario* I, fidei te denuo *Pontif. Max.* commisit, salvo tamen jure principatus sui: à quo tempore forma Reip. sæpius mutata, *Lambertatiorumque* & *Geremeiorum* factionibus concussa partim per Duces suos *Pepulos, Vicecomites, Bentivolos*: partim per
Magistratus, *Legatos Præsidesque Pontificios*, magna varietate fuit administrata. Regitur Civitas ab Legato Pontificio, cui adjunguntur XI viri ex Nobilitate, qui singulis duobus mensibus creantur & appellantur *Consules* vel *Confalonieri della Giustitia*, qualicumque
Episcopatus, Academia, libertatis specie. Episcopatus floret dignitate. Academiam instituit D. Petronij hortatu Theodosius Imperator, anno CCCCXXIII, qui in Privilegio, quod ibi legitur, eam *scientiarum omnium Fontem*, & *Arcanorum suorum Armarium* nominat. Condapsam quodammodo renovavit *Karolus Magnus*. Fridericus Barbarossa odio Bononiensium transferre conatus est Patavium. Eam paullatim summorum Pontificum Cæsarumque munificentia ita exornavit, ut bonarum artium parens atque altrix, Legumque nutrix censeri cœperit. Sed & ex Lotharij Imperatoris Decreto *Legum & Iuris Schola unica fuit & sola Bononia*. Quamquam vero, quum Ius Romanum toto ferme Occidente celebraretur, multæ Civitates ejus interpretationem susciperent: nullo tamen loco vel illustriorum Doctorum cum laude; vel majore Iuventutis celebritate id fiebat, quam *Bononiæ*, adeo ut nec Scholæ Auditoribus, nec Ædes Habitatoribus in Vrbe sufficerent, quemadmodum ex Clementis P. M. Decreto docemur. *Bononienses* etiam primi Pandectas inventos ex superiore loco exponere, primumque Glossas in eos scribere instituerunt, ut *Irnerius, Bulgarus, Hugo, Martinus, Iacobus*, alijque. De ea sic scribit Laonicus Chalcondylas: *Bononia opibus & reliqua felicitate præcipuis Italiæ Vrbibus non cedit; litterarum vero studio superat.* Petrus Anchoranus eam *veram studiorum Matrem* vocat, ut nulla Italiæ Civitas litterarum gloria cum ea comparari queat. Azo, *Bononia*, inquit, *Legalium studiorum semper Monarchiam tenuit*. Glossa l. fin. C. de Testamentis *Legum Nutricem* appellat. Baldus mille annos ante suam ætatem floruisse scribit. Decrevit Clemens V. in Concilio Viennensi, ut in Academia Bononiensi, præter omnium liberalium artium studia, Hebraica, Arabica, Chaldaica Linguæ publice traderentur. Docuerunt ibi *Ioannes Andreæ, Cynus, Azo, Bartolus, Accursius, Marius Socinus, Saliceius*, & alij. Est Bononiæ *Collegium Hispanorum*, in quo aluntur
Collegium Hispanorum. multi studiosi, & Rectorem ipsi creant, qui secundas ab Academiæ Rectore tenet, de quo Didacus Covarruvias lib. III Variar. Resolut. cap. I & Hieronymus Gygas in tractatu de Pension. quæst. XXIII. Est &
Germanorum Societas. *Germanorum* (Superiores intelligo & Inferiores) *Societas*, qui singulis annis binos Procuratores, Consiliarios quatuor legunt.
Bibliothecæ. Bibliothecæ publicæ sunt duæ: una ad S. Salvatorem, Hebraicis, Græcis, Latinisque libris instructa; Altera apud S. Dominicum, in qua plurimi libri Iurisconsultorum, & illa Pandectarum Exemplaria, quibus usus est Georgius Haloander Zuicaviensis: item Archetypon Bibliæ Esdræ in albo Corio ab Esdra Scriba tempore Cyri conscriptæ.
Martyres. Martyres aliosque Sanctorum numero adscriptos *Bononia* recenset *Argeum, Cajum, Vitalem, Agricolam, Hermetum, Proculum, Iulianam* Viduam, *Benentum* Abbatem, *Guarinum* Episcopum Prænestinum, & alios.
Clari Viri. Pontifices. Cardinales. Archiepiscopi. Pontifices dedit *Honorium* II, *Lucium* II, *Gregorium* XIII: Cardinales, *Bartholomæum Medioxaccam, Iacobum Insulanum, Nicolaum Albergatium, Achillem Grassum, Laurentium Campegium*: Archiepiscopos, *Bartholomæum*, Armeniæ; *Aegidium*, Galatiæ Cretæ; *Franciscum Pictorpasium*, Mediolani; *Felicem Trophimum*, Theatis:
Episcopi. Protonotarii Apostolici. Auditores Rotæ. Advocati Consistoriales. Theologi. Quid dicam de Episcopis, cum qui patriæ hic suæ (nam Episcopatus floret titulo *Bononia*) tum qui alijs in locis præfuerunt? Quid Protonotarios memorabo Apostolicos? quid Auditores Rotæ? quid Advocatos Consistoriales, quos *Bononia* tulit? Doctorum sane Virorum, qui Scriptis suam Patriam nobilitarunt; incredibilis est apud Leandrum numerus. Theologi; *Angelus, Alexander, Bombologninus, Bartholomæus Comatius, Eustathius Platensis, Gerardus & Michael Sereni, Paulinus Matutanus, Thomas Trentaquatrius*:
Iurisconsulti. Iurisconsulti; *Agamemnon Marscotus, Albertus Kampontius, Alexander Paltronius, Andalus Andalius, Andreas Bovius, Andreas Manzolinus, Antonius Butrius, Bartholomæus Salicetus, Bartholomæus de Pratis, Bartholomæus Bologninus, Bartholomæus*

meus Panzabiius, Bartholemæus Arculinus, Sebastianus & Bernardinus Zambecarij, Bernardus Pineus, Bonifacius Fantutius, Bonsignorus Bonsignorius, Bornius Salanus, Bulgarus Bulgarius, Christophorus Poggius, Aegidius Fuscherarius, Florianus Sampetrius, Florianus Dolphius, Franciscus Ramponus, Franciscus Malvetius, Gaspar Calderinus, Gaspar Rengerius, Hieronymus Zanetinus, Hieronymus Crassus, Iacomatius & Iacobus Butrigarij, Iacobus Balduinus, Iacobus Phagianinus, Iacobus Belvisius, Iacobus Bovius, Ioannes Andreas à S. Hieronymo, Ioannes Calderinus, Ioannes Sulimanus, Ioannes Platcanus, Ioannes Bonsignorius, Ioannes Barberius, Ioannes Arborcus, Ioannes Fantutius, Ioannes Sangeorgius, Ioannes Salanus, Ioannes Campegius, Ioannes Antonius Bottonus, Guido Baysius, Hippolytus Marsilius, Lambertinus Ramponius, Laurentius Pineus, Ludovicus Bologninus, Ludovicus Mozottus, Ludovicus Gozadinus, Ludovicus Ludovitius, Malagnanus Aeliguido, Martinus Sulimanus, Matthæus Matthesilanus, Melchior Meglius, Odofredus Odofredus, Paullus Eleazarius, Paullus Voltanus, Petrus Canedolus, Petrus Anzolanus, Petrus Bonpetrius, Raphael Primaditius, Richardus Salicetus, Richardus Malumbra, Rolandinus Passagerius, Rolandinus Romancius, Thomas Formaginus, Troilus Malvetius, Hugolinus à Prato, Vincentius Paleotus, Vincentius Salvedus: Medici; Christophorus Honestus, Dominicus Varignanus, Astor Tausignanus, Gaspar Varignanus, Hieronymus Raynutius, Ioannes Blanchinus, Ioannes Garzonius, Iacobus Monticalvus, Ludovicus Leo, Mundinus Lucius, Nestor Morandus, duo Nicolai Fabij, Petrus Zanetinus, & Petrus Varignanus: Historicij; Benedictus Morandus, Ioannes Garzonius, Hieronymus Albertutius, Nicolaus Fabrutius, Guido Ghisilerius, Guido Gusnicellus, N. Hunestus, Petrus Crescentius, Semperbanus, Thomas Castellanus: Philosophi; Alexander Achilinus, Bartholemæus Manzolus, Hieronymus Gazo, Laurentius Spata, Tiberius Bazelerius, Ludovicus Boccaferrius, Florianus Cersolus: Arithmetici; Scipio Ferreus, & Ioannes Maria Cambius: Astrologi; Iacobus Benatius, Iulius Machiavellus, Marcus Scribanarius: Chiromanta; Bartholemæus Cocles: Oratores & Poëta: Andreas Magnanius, Angelus Cospus, Bartholemæus Blanchinus, Benedictus Morandus, C. Rusticellus, Camillus Paleottus, Iacobus Cruceius, Ioannes Baptista Pius Andalius, Ioannes Andreas Garisendus, Lucius Pomponius, Laurentius Rossius, Petrus Megiius, Philippus & Philippinus Beroaldi, Philippus Phasianinus, Pompeius Fuscararius, Rufus denique, cujus mentio apud Martialem: Antiquarij: Alexander Calcina, Bartholemæus Massinus, Gaspar Fantutius, Ioannes Philotheus Achilinus: Architecti; Aristoteles Albertus, Ioannes Beroaldus, Ioannes Accursius, & Iacobus Raynutius: Pictores; Hercules, Franciscus Francia, Ioannes Maria Chiodarolus, Marcus Antonius Raymundus, Amicus Aspertus, Blasius Pupinus: Statuarij; Dominicus Aymon Varignana, & Hieronymus Cortellinus. Nec defuerunt Bononiæ Mulieres litteratæ, inter quas Ioanna, Matthæi Blanchetti Filia, Bonsignori Bonsignorij uxor; Novella, Ioannis Andreæ Filia, Ioannisque Lignani Conjux, quæ Patre per alia occupato munus ejus ex suggestu docendi sustinebat. Genuit & hæc Vrbs Militiæ Duces præstantissimos, quorum qui sequuntur nominatissimi: Agamemnon Senensis, Albertus Gallutius, Albertus Platensis, Annibal Bentivolus primus & alter, Antonius Maria Cignanus, Bartholemæus Manzinus, Baptistorius Pelacanus, Camillus Gozadinus, Aeneas Blanchinus, Gaspar Malvetius, Iacobus Pepolus, Ioannes Ignanus, Ioannes Pepolus, Ioannes Ludovicus, Iulianus Malvetius, Gualengus Ghisilerius, Hector Panicinus, duo Hercules Bentivoli, Hercules Malvetius, Hermes Bentivolus, Ludovicus Malvetius, Lucius Malvetius, Pompeius, Ramaciotti filius, Romeus Pepolus, Ramaciottus Scaricalasius, Spinatius vel Alexander Clarius. Thomas Ramponus, Hugo Pepolus, & alij; quorum omnium præclara militiæ gesta ab alijs fuse commemorantur. Celebrarunt porro Bononiam suis scriptis Scipio Balbus, Antonius Codrus Vrceus, Nicolaus Brutius. De ea sic Hadrianus Cardinalis:

Medici. Historici. Philosophi. Arithmetici. Astrologi. Chiromantæ. Oratores & Poetæ. Antiquarij. Architecti. Pictores. Statuarij. Mulieres litteratæ. Militiæ Duces. Bononiæ Illustratores.

Vrbs antiqua, ingens, Etruscis Regia quomdam
Felsina; *tum Boijs fato irrumpentibus impar,*
Accepisse novum fertur Boionia *nomen:*
Verum ubi sunt Boij Romano milite pulsi,
Barbariem excussit, cæpitque Bononia *dici.*
Subditur ad Boream radicibus Apennini,
Planicie adclive procumbens Solis ad ortus,
Inter aquas Sapinæ & Rheni; quarum utraque in Vrbem
Ducta vehit revehitque rates, pistrinaque versat,

Aemilia

Aemiliæ decus, & belli pacisque patrona:
Dives opum variarum, & nullius indiga cultus,
Musarum domus, atque omnis nutricula Iuris.

Insula Rheni. Aliorum Poëtarum Encomia prætereo. Haud procul Vrbe apud confluentes Rheni & Labinij amnium in Insula quadam exigua tres Romanorum Exercituum Duces *M. Antonius, M. Aemilius Lepidus, C. Iulius Cæsar Octavianus* convenientes junctis manibus conjurationem inierunt, Populique Romani Imperium inter se diviserunt. Nec magno Bononia intervallo *Olivetum* est, locusque, qui quomdam *Batiditium* Castellum. Batiditium. Hæc de clarissima sufficiant Civitate: pergendum jamnunc ad reliqua.

Caselicium. In adversa Rheni ripa *Caselicium* Vicus visitur.

Rubriorum Villa. Hinc per Vallem Rheni ad magnificam *Rubriorum Villam* venitur, à *Bartholemæo Rubrio* loco commodissimæ amœnitatis cœptam, ab *Mino* ejus Filio auctam; inde, quum bellorum injurijs lacerata esset, ab *Ludovico* Mini filio restitutam.

Castellum Episcopi. Succedit hinc *Castellum Episcepi*, Opidum olim, nunc Vicus.

Saxum Glosina. Inde altissimam rupem, quæ ferro secta, emenso offert se *Saxum Glosina*, *Sasso di Glosina*: sequitur mox *Pagus Vergatus*. Vergatus.

Balnea Porrectana. Altius inde *Balnea Porrectana*, *Bagni della Porretta*, Opidum non contemnendum, calidis Aquis, de quibus alibi, nobile.

Garnalio, Capronum, & alia. Iis finitimi sunt Pagi, qui vulgo *Garnaglio, Caprono, Capugnano, Casula, Casio, Bargi, Castiglione, Monte Aguto, Baragazza, Bombiano.*

Crispelianum. Decimo à Bononia lapide *Crispelianum* est Opidum, altiusque millibus quatuor in colle non magno *Bacianum, Bazzano*, Arce, quam Ioannes Bentivolus II fecit, munitum.

Mons Velius. Savinianum. Duobus P. M. à Baciano *Mons Velius* est, *Monte Vellio*: inde *Savinianum occurrit*.

Mons Maior, &c. Fuerunt & olim hoc tractu alia quædam Opidula à Bononiensibus eversa, *Mons Maior, Mons D. Ioannis, Mons D. Petri, Mocia, Bonaciarium, Zapoïnum*, & alia.

Castr. Piumatium. Mille ab Æmilia Via Pass. *Castrum* est *Piumatium*, *Castello Piumazzo*, quod quibusdam olim *Castellum Columbanum*, alijs *ad D. Columbanum*, Bononiensium opus anno CIↃ CCXLVII.

Cast. Francum. Hinc V milliari in ipsa Via *Castellum Francum* visitur.

Forum Gallorum. Haud procul inde floruit olim vel Vicus, vel Opidum, quod veteribus *Forum Gallorum*, Ἀγορὰ Κελτῶν Appiano libro III bell. Civilium, Hirtium Consulem eo divertisse scribenti. Meminerunt Frontinus & M. Tullius libro XII Epist. ad Familiar. Alij alio fuisse loco contendunt. Mihi, & alijs, verisimile, si non *Castellum Francum*, sane haud procul inde fuisse.

Castell. D. Ioannis in Persiceto. Clari Viri. *Castellum D. Ioannis in Persiceto*, quod etiam in Agro Bononiensi, peramplum olim fuit, sed à Bononiensibus ob defectionem ad miseram conditionem præcipitatum. Nobilitarunt ortu suo *Gasparus*, Ordinis Prædicatorum Monachus, Imolanus Episcopus, & *Andreas Bernardus*, scriptis clarus.

Castell. D. Agathæ. Vlterius ad alterum fere lapidem *Castellum* est *D. Agathæ*.

Manzolinum. Hinc Æmiliam repetenti *Manzolinum* exiguum Castellum se pandit.

Crocetta. Crevalcore. Tertio à Castello D. Ioannis lapide *Crocetta* Vicus est; cujus læva via *Bon-portum* ducit, dextra, ad Opidum *Crevalcorem*, quod prius *Alegralcore*, *Antonio* nobili Pictore clarum.

Norantula. Austrum versus inter Crevalcoris Viam & Æmiliam *Norantula* visitur, insigni quomdam sumtuosoque Cœnobio, quod Anselmus, Arhaulphi Langbardorum Regis Cognatus, circa annum IↃ CCLXXX condiderat, superbiens. Opidum olim in *Bononiensium*, post in *Ferrariensium* cœpit esse ditione.

Romanula Trans-Padana. Fines. Hactenus *Cis-Padanam* perambulavimus *Romanulam*: sequitur *Trans-Padana*; cui ab Ortu Mare Hadriaticum; à Septemtrione Paludes Patavinorum, Vicentinorum, & Veronensium; earumque pars usque ad Padum ab Occasu; à Meridie Padus. Habitarunt olim, indicante Polybio libro II, *Trigaboli, Egones, Ananes, Boi, Senones*, de quibus alibi. Veteres Incolæ.

Spina. Hic ad Primarium, quod primum Padi in Hadriaticum pelagus fluentis ostium, *Spina* fuit opidum: Σπῖνα Straboni & Stephano, cui sic dictum ab Amne *Spino*, qui prope fluebat. Initium Vrbis, progressum & excidium describit Dionysius Halicar-

Halicarnassæus libro I Antiquit. Romanarum. Plinius ab *Diomede* factum notat libro III, cap. XV. Dionysius *Pelasgos* Conditores tradit. Strabonis ætate jam ex Vrbe in Vicum degenerarat. Locus hodie partim *Vallis*, partim *Dorsum Spinæ* nuncupatur.

In Padi ripa *Vicus D. Alberti* est; Castellum prius, anno CIↃ CCCC ab Nicolao Marchione conditum. [*Vicus D. Alberti.*]

Spatio XX Mill. ab D. Alberti, passim multi Vici Pagique: in quis *Humana*, *Fossa Putula*, *Longastrinum*, *Filium*, cui nomen ab directo Amnis cursu sex fere millium: ulterius sunt *Rotta*, & *ad S. Blasium* è regione Fossæ Ziliolæ Bastiæque. [*Humana, alijque Vici.*]

Quarto inde Milliari Castellum *Argenta* cernitur, cui, ut quidam volunt, nomé ab *Argento*, quod Incolæ quotannis Ravennati pendunt Antistiti. De ipsius Dominis legendi Blondus libro XX Histor. Platina in Vita Benedicti XII, Sabellicus lib. VIII, Ennead. IX. [*Argenta.*]

Altero ab Argenta lapide ad Padi ripam sumtuosum Ferrariensium Principum Palatium est *Boccaleo*: inde ad tertium milliare *Cossandolum*. Haud procul hinc *Hospitaletum*, *Monasteriolum*, *Ad D. Nicolaum*, alijque Vici. [*Boccaleo, Palatium.*]

In Insula, quam duo Padi cornua faciunt, quæque *Polesino di San Georgio* vernacule, tribus à Cosandolo millibus Palatium spectatur splendidissimum *Calcagninorum*, cognomine *Benvegnantium*, aliaque præclara ædificia; item *D. Georgij Burgum*, ad quod translati primo *Fori Alieni* (quod haud procul inde fuit ubi nunc *Vicoventia* Pagus) coloni. *Forum Alienum* memorat Tacitus. Vide & Bocatium libro de Fluminibus. *Allieni* dicitur Numismatibus. *Burgum* hoc *D. Georgij* quomdam etiam *Ferrariola* legitur nuncupata; cujus in Archivo Inlustrium Marchionum Academiæque Bononiensis Codicillis, ab Theodosio Imperatore concessis, mentio, [illegible] [*Palatium Calcagninorum. D. Georgij Burgum. Forum Alienum.*]

In eadem Insula juxta littus Stagnum spectatur ambitu millium XII, in quo Civitas *Comaclum*, Priscis, ut quidam volunt, dicta *Cymaclum*, ἀπὸ τῶν Κυμάτων, quod in Vndis sita. De rebus ab ea gestis, ejusque excidio Blondus in Historijs. In ditione est *Atestinorum Principum*. Piscibus Cephalis, Anguillis, alijsque capiundis, Salique coquendo dant operam *Comaclini*. [*Comaclum.*]

Sequitur hinc ad secundum Padi ostium alia Insula, in qua multi Vici, nominatim *Massa*, *Fossa Arborum*, *Milianeum*, *Miliarinum*, & *Medelana*; supraque *Portus*, *Belriguardum*, *Vicoveria*. [*Massa, alijque Vici.*]

In Insula ad Gaurum, tertium Padi Brachium, Pagi frequentes: in quis *Arianum*, & *Codicorum*, sic dictum tamquam *Caput Gauri*; *Maxentia*, & *Pomposa* Monasterium. [*Arianum. Codicorum, &c.*]

Ferrariam videamus: cui unde nomen datum, valde variatur. Quidam à *Frattis*, quæ lingua vernacula *Virgulta*, *Prunaque Silvestria*: nonnulli à *Fabro* quodam *Ferrario*: sunt qui à *Ferro* dirivant, quotannis ab Incolis olim Census nomine Ravennatibus pendi solito: uti *Argenta* ab *Argento*: *Auriolum* ab *Auro* præstando. Veritati maxime consentaneum *Ferrariam* nuncupatam ab *Ferrariola*, quæ, ut supra dixi, trans Padum erat, Colonis, huc ex Theodosij Imperatoris decreto translatis anno CCCCXXXIII: quo tempore Vicus fuit absque muris ab Smaragdo Exarcho, uti Blondus & Volaterranus memorant; circa annum IↃ XCV fossa mœnibusque septus; paullatimque ita auctus, ut tandem in nobilissimam Civitatem commutatus fuerit; Vetere Præsulatu ab Vitaliano P. M. huc circa annum IↃ CLVIII traducto, alijsque duodecim Pagis finitimis illi subjectis ab Constante II Imperat. qui multa ipsi largitus est Privilegia. Legendi Blondus, Sabellicus, Peregrinus Priscianus, alij. Hodie *Ferrara* audit. Conditam ab *Trojanis* cum Mutina, Cremona, Ateste, Vicentia, Placentia, Verona, Aquileia, Concordia, Mantua, & alijs, adserit ex novitijs Scriptoribus Gabriel Venetus. Adsidet ripæ Padi Amnis, quo qua Ortum Austrumque respicit, adluitur. Cœlum ipsi crassius, ob situm palustrem. Plateas habet rectas, longas, amplas, quarum plerasque Leonellus Marchio primum coctis stravit lateribus. Ædificijs cum publicis, licet non magnis, tum privatis supra modum est ornata. Maximum est Vrbis Fanum. Arx illi duplex, una ad flumen, altera è regione S. Georgij, Ducis Sedes; utraque satis munita. Populo frequens, rebus ad vitam necessarijs abundat. Non inamœna inter pri- [*Ferraria. Vnde. Conditores. Situs. Qualitas. Ædificia. Arces.*]

Dignitas. Familiæ. Res gestæ.

ter primas Italiæ Vrbes merito censenda; Caput Sedesque Ducatus Atestinæ familiæ, nobilitatis & antiquitatis stupendæ. Familias habet celebres & opulentas. Legitur olim in fide fuisse *Cæsarum, Pontificum Romanorum,* & *Exarchorum.* His aliquoties auxilio fuit contra Langbardos, quorum Regem Desiderium quum Karolus Magnus debellasset, Opidaque Exarchatus Romano tradita essent Pontifici, hæc *Cæsareo* fere paruit *Imperio*: dein circa annum cIↄ I ab Henrico III Imp. bello subacta, & *Mathildæ Comiti* adtributa, ab eaque rursum *Pontifici Romano* donata, & aliquamdiu possessa; tandem circa annum cIↄ cxcv *Marchionum Atestinorum* subdita est imperio, rursusque anno cIↄ Iↄ xcviii Clementis viii P. M. opera *Sedi Apostolicæ* restituta. Consulendi præter alios Platina in Paschale II. Concilium hic celebrarunt Eugenius IIII. P. M. anno cIↄ cccc xxxviii; cui Græcorum Imperator Ioannes Palæologus & Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus interfuere. Gravi Terræmotu concussa est anno cIↄ Iↄ LXX, & intra bidui spatium prope funditus vastata. Principes enumerat à prima origine Leander Albertus, & apud eum alij. Academiam ibi instituit Fridericus II Imperator in Bononiensium contumeliam. Floruerunt in ea magna Ingenia: *Angelus Aretinus, Bartholemaus Salicetus, Felinus Sandeus, Andreas Alciatus, Guarinus Veronensis, Theodorus Gaza, Cælius Calcagninus, Baptista Guarinus, Nicolaus Leonicenus,* alijque. Bibliotheca est apud Carmelitas, non contemnendam habens veterum Codicum copiam. Nobilitarunt Vrbis nomen Viri maximi: *Antonius Beccarius,* Scodræus Episcopus, Ordinis Prædicatorum Monachus; *Felinus Sandeus* Episcopus IC, *Hieronymus Savonarola, Franciscus Silvester,* summus Antistes Sodalitatis Prædicatorum; *Io. Maria Riminaldus,* IC; *Peregrinus Priscianus,* Patriæ Inlustrator, *Ludovicus Ariostus,* Poëta, Auctor Orlandi Furiosi; *Cælius Calcagninus,* Orator & Poëta; *Lilius Gregorius Giraldus,* Latine Græceque doctissimus, & memoriæ tenacissimæ; *Ludovicus Bigus,* Poëta; *Alexander Guarinus*; *Casparus Sardus,* Historicus. Planitiem habet circa se maximam, sed sterilem.

Principes. Academia. Bibliotheca. Clari Viri. Ager.

Francolinum. Corbula. Crispinum. Fossa Pelasella. Orcanus.

Visuntur in Agro Ferrariensi nobiles Pagi, inter quos *Francolinum,* non spernendum olim Propugnaculum, de quo Volaterranus libro IIII Vrbanorum Commentar. Sunt item *Corbula* & *Crispinum*: item *Fossa Pelasella,* victoria nobilis contra Venetos anno cIↄ Iↄ IX; intra quam Pagus pulcer est *Orcanus.*

Pons Lacus obscuri. Oculus Bellus. Ficarolum. Adria.

Pergenti per Padi ripam occurrunt Pagi, *Pons Lacus obscuri, Oculus Bellus,* & alij.

Sequitur inde *Ficarolum,* quomdam *Vicus Aricoli* dictus, ut vult Priscianus lib. I. Antiquit. Ferrar. sine auctore certo.

Inter quartum Padi ostium & Athesim spectantur antiquæ Civitatis *Adriæ* vestigia. *Adria* Livio, Trogo, Tacito, Plinio, reliquisque Latinis; Ἀδρία Straboni & Polybio; Ἀτρία Ptolemæo, & emendatioribus Plinij Codicibus, teste Hermolao Barbaro in Castigat. Αἰδρίαν quoque dictam notat Stephanus. Scribit Torellus hodieque *Adri* vocari in agro Ferrariensi. Stephanus ab *Diomede* conditam adserit.

Conditores. Dignitas.

Venetorum Vrbs Ptolemæo; *Tuscorum,* Plinio; *Colonia Romanorum,* Livio; *Tuscorum,* Polybio lib. IIII; *Græcorum,* Trogo libro XX. Inlustris admodum fuit olim; adeo ut *Adriaticum* Mare nomen inde sortitum, testibus Livio, Polybio, Trogo, Strabone, Plinio, Eustathio; quem honorem *Adriæ Marucinorum,* de quo supra dixi, tribuit Aurelius Victor in Ælio Hadriano; sed solus. Restant paucissima ejus rudera: quod non mirum, quum jam Strabonis ævo pene perisset.

Rhodigio. Castellum Venetum. Lendenaria, &c.

In eadem Insula Opidum est *Rhodigio,* dives; *Bartholemai Roverella,* Ravennatium Archiepiscopi, & *Ludovici Calij* ortu superbiens. Visitur ibidem *Castellum Venetum*: ulterius *Lendenaria* & *Abbatia.* Alia minoris momenti prætereo.

CAPVT

CAPUT XXXIV.

Æmilia vel Langbardia Cis-Padana.

[*Æmilia vel Langbardia Cispadana.*] PRIOREM *Galliæ Cis-Padanæ* portionem perlustravimus in Flaminia: succedit percurrenda posterior in ÆMILIA vel LANGBARDIA, quæ ab situ CISPADANA, ratione alterius, quæ trans Padum, de qua capite sequenti. Generalia prius dabo, post specialiora persequar.

[*Apellationes.*] Varias adferunt nonnulli appellationes; quas non omnes probare possum. Quod *Bianora* fuerit dicta ab *Ocno Bianore* nobili Tuscorum Duce: quod Bianoræ pars Ravennam usque *Felsina*, ab Etruriæ Principe, cui id erat nominis. quod item suis temporibus *Doria*, *Aurelia* & *Aemilia*, ab *Doria*, Tusca Familia, Romanisque Ducibus audierit, tradunt suppositi ab Annio Viterbiensi, Reique publicæ litterariæ obtrusi, Cato & Sempronius. *Aemiliam* nihilominus vocat Paullus Diaconus lib. II de Gestis Langbardorum cap. XVIII. *Lang-bardia* cum sequente Provincia appellatur ab *Lang-bardis*, ex Germania huc Iustiniani principatu profectis; qui ad utramque Padi ripam multos annos suas cum imperio habuerunt, ejectis incolis, Sedes. Hodie Euphoniæ gratia *Lombardia* dicitur. Hæc, de qua nunc sermo, vocatur ab situ *Cis-Padana*; vulgo *Di qua del Po*.

[*Fines.*] Fines ejus ab Ortu Scultenna seu Panarius fluvius cum Romanula, superiore capite explicata: ab Septemtrione Padus: qua Occasus est Padus idem cum Alpibus, Galliam Vlteriorem ab Citeriore dirimentibus; qua Meridies, Apenninus cum Etruriæ Liguriæque portione.

[*Qualitas.*] Regio hęc ob admirandam amœnitatem, incredibilem rerum omnium copiam, gratam deliciarum varietatem, stupendam ingeniorum excellentiam, cum primis Italiæ censenda. Colles ibi videre jucundissimum, vite, ficu, olea, alijsque arboribus gravidos; Campos tritico, hordeo, faba, ceterisque frumenti generibus convestitos; Incolas rei litterariæ juvandæ, tractandis armis, mercaturæ exercendæ plane ad naturam factos; Vrbes lautas, & ab natura arteque bene munitas; Opida Pagosque populo frequentes.

[*Vrbes, Opidaque:*] Specialiora memoraturus a Panaro, de quo inter Fluvios, ordiar.

[*Bondenum.*] Quo loco is Padum ingreditur, Castrum est Ferrariensium Principum, *Bondenum*; olim, uti censet Blondus, *Bodincomagum*, quod & *Industria* vocabatur tempore Plinij, ubi, ut ipse inquit, præcipua Padi altitudo incipiebat; lingua Ligurum *Bodincum* vocari scribens Padum, quod fundo careret: sequius sentiunt alij, inter quos Marius Niger & Leander Albertus. Quidquid sit, *Bondenum* Opidum est satis lautum; superioribus annis ab Leonis X P. M. milite occupatum; post autem CIↃ IↃXXI ab Alfonso Atestino, Ferrariæ Duce, recuperatum.

[*Castellum Finale.*] Ad dextram Panari ripam *Castellum Finale* situm, ab Mutinensibus conditum anno CIↃ CCXIII; *Nicolai*, Prædicatorij Ordinis Monachi, & *Scipionis Balbi*, quos sua scripta nobilitarunt, patria.

[*Mutina. Bon-portus.*] Haud procul inde *Bon-Portus*, Fossæ Mutinensis spectans cum Panaro commistionem.

Fossæ ripam pergenti offert se *Mutina*: Livio multis locis, Ciceroni in Epistolis ad Cassium, Tacito, Plinio, Silio Italico, Floro in Spartac. bello, Pomponio Melæ, alijsque nota: Inscriptionibus item,

Mutinensi, apud Carolum Sigonium de antiquo Iure Italiæ:

Q. AMBILIVS. T. F
POL. TIRO. MVTIN
MILES. COHORT. VII. PR
7. GRÆCINI. VIXIT. ANN
XXXII. MILITAVIT. ANN. XII

Romanæ, in ædibus Colotianis.

M. BALLONIO
M. F. POL. PAVLLO
MVTINA
MIL. COH. X. PR. 7
FRONTONIS. MIL
ANN. VIIII. VIX. ANN
XXXVI. T. P. I

Motina quibusdam Antonini Codicibus: Μούτινα Dioni libro LXIV, Straboni lib. V, Appiano Alexandrino libro III & V bellorum Civilium, Ptolemæo. Vulgo *Modena* à *movendo*, ut quidam insulse conjiciunt; eo quod diluvio quomdam tota fuerit submersa; qua de re dignus auctore suo Versiculus,

Mutina *submersa fuit olim gurgitus undis*:

vel quod ab veteris Vrbis, quam Langbardi omnino delerunt, vestigijs hodie nonnihil sit *remota*. Ptolemæo Galliæ Togatæ Vrbs: Plinio in Octava Regione. Sita est haud procul Apennino. Attingit eam Formigo torrens. Olim altiore versus Montes fuit loco; docentibus id veterum ædificiorum vestigijs. Lauta est & splendida. Fores Ecclesiæ Cathedralis admirandæ sunt, cum ob alia, tum ob insignes Adami Evæque ex marmore statuas. Episcopatus floret dignitate. Academiam habet non ignobilem, in qua docuit *Azo* Iuris-consultus, qui se Iuris arcana in hac Vrbe reserasse scribit ad l. unicam C. de stud. liberal. art. Vrb. Rom. & Constantinopol. Quomodo autem eo venerit, explicat ad Titul. C. de Municip. & Originar. his verbis: *Quum essem Bononiæ, ibique juris præcepta compluribus Auditoribus traderem, cursumque mei magisterij fere in triennium traherem, quodam die occurrit mihi* Mutina, *quæ Iuris alumnos semper diligere consuevit, benignissimoque vultu talibus me adloquuta est: Quid hic facis Iuvenis? quur tantis & tam importabilibus injurijs agitaris? non convenit adolescentiæ tuæ tam graves tamque adsiduas molestias sustinere: accede igitur ad me, quum tui similes consuevi dulciter affectuoseque amplecti, & te ac socios tuos ab his omnibus liberabo. Statimque mihi prope centum marcas obtulit argenti pro munere. Cui petitioni vix post multas contentiones tamen adnui, & me ad ipsam iturum promisi*, &c. Bononienses vero quum hoc intelligerent, velut aliud agentes, decrevisse ait, ne quis suorum Professorum proximo biennio extra Bononiam Iurisprudentiam doceret. Ipse tamen *Mutinam* profectus, non solum viva voce plurimos erudivit, verum etiam in tres posteriores libros Codicis Commentaria conscripsit. Dedit *Mutina Herculem Rangonum* ab Leone X; *Iacobum Sadoletum*, Virum exquisitæ eruditionis, *Gregorium Cortesium* ex Ordine Benedictinorum, *Thomam Badiam*, Sodalitatis Prædicatorum, a Paullo III P. M. Cardinales lectos. Nobilis est & *Karolo Sigonio* Viro doctissimo, magnoque Historico. Genitrix item *Vgonis Rangoni*, Regiensium Præsulis; *Francisci Mariæ Molzæ, Ioannis Francisci Furnij*. Bellica laude celebres produxit *Nicolaum Rangonum* & *Gerhardum*; *Hannibalem* & *Guidonem* Nicolai filios. Multas habet nobiles Familias, in quibus præ ceteris inlustris *Rangonum* gens. Quod ad res gestas: *Tusci*, qui primum condiderant, expulsis, ab *Gallis Boijs* est occupata: his profligatis, ab *Romanis*; qui *Coloniam* eo, ut & Parmam duxerunt, anno ab V. C. IↃ LXXI, Q. Fabio Labeone & M. Claudio Coss. Clare Livius lib. XXXIX. Ejus, ut *Coloniæ*, mentionem faciunt Polybius libro III, M. Tullius Philippica VII, Plinius libro III, cap. XV, Pomponius Mela libro II, cap. II. Obsedit in ea anno IↃ CCXI M. Antonius D. Brutum; post ab Cæsare Octaviano, juvene adhuc, itemque A. Hirtio & C. Pansa Coss. liberatum; M. Antonio ibidem castris exuto & fugato. Mox inita ab eodem Octaviano, M. Antonio & M. Aimilio Lepido Triumviratus societate, male fuit habita. Magnis adfecta cladibus ab Constãtino Magno, quod faveret Maxentio, post Victoriã est restituta; Sacrisq; Christianis susceptis,

Vnde.
Situs.
Qualitas.
Episcopatus, Academia,
Clari Viri,
Familiæ nobiles
Res gestæ,

susceptis. *Geminianum* Episcopum spectatæ virtutis Virum tulit. Ab Gothis ferro igneque vestata, ab Langbardis omnino est subversa deletaque. His ab Karolo Magno Italia ejectis, a quibusdam Civibus, quorum nominibus portæ fuerunt insignitæ, ædificari de integro quasi cœpit, remotiore nonnihil loco ab veteris Vrbis vestigijs, quæ sui initio juris suæque potestatis. Romani solum nominis auctoritatem sequens, multa contra vicinos, præcipue Bononienses, pro Finibus suis gessit. Postea circa annum CIↃ CCLXXXVIII Dominos agnoscere cœpit *Atestinos*, Ferrariæ Duces, voluntate Civium ipsiusque Præsulis: anno CIↃ CCCXII *Mirandulanos*, auctoritate Cæsaris: anno CIↃ CCCXIX *Bonacolsios*, Mantuæ Tyrannos, Guelphorum ope, vi coacta: anno CIↃ CCCXXXI *Pios*, usurpato nomine primum Capitanei, deinde Principis. Hos sequuti rursum anno CIↃ CCCXXXVI *Atestini*, Ferrariæ Marchiones, venia Pontificis Romani, qui imperarunt usque ad annum CIↃ IↃ X, quo Iulius II. P. M. Vrbem cepit, & *Maximiliano* I. Imperatori cessit, à quo deinceps anno CIↃ IↃ XIV *Leoni* X P. M. pro decem millibus aureorum nummum pignori data. Anno denique CIↃ IↃ XXVII, quum in Hadriani mole Clemens ab Cæsarianis obsideretur, *Atestinorum* armis est recepta, à quibus aucta ædificijs, mœnibusque & fossis munita, ad splendorem, qui jam-nunc, sensim excrevit. Hæc cum antiquis, Livio præsertim, novisque Scriptoribus, Blondo, Corio, Platina, Sabellico, Volaterrano & Leandro; tum ex ipsius Vrbis Bononiæque Annalibus, paucis descripta. Mira Agri est fertilitas ab Frugibus, Tritico, Faba, & alijs, Vinoque optimo, quod *Tribianum* dicitur. Ager.

Per Padi lævam incedenti quinque à Bondeno P. M. *Stellata Arx* se offert, ab Nicolao III Atestino, Ferrariæ Marchione, condita; ab Legionibus autem Iulij II P. M. & Venetorum majore ex parte subversa. Stellata Arx.

Succedit inde nonnullo intervallo Castellum *Sermitum*; *Serninus*, Blondo Leandroque judicibus, apud Antoninum in Itinerario. Sermitum.

Hinc in Padi ripa recens Opidum visitur *Roverum*, lautum & elegans. Roverum.

Spacio, quod inter Panarum, Seciam, Padum fluvios, Viamque Æmiliam, nonnihil est opidorum, in quis non postremæ classis haud procul Finali, munitissimum est *D. Felicis*, de cujus Dominis variaque fortuna legendi sunt Corius & Leander. D. Felicis.

Spectatur eodem situ locus, qui Adcolis *Bocca Civitatis*, quo loco quomdam *Ansa Regina* fuisse perhibetur; agro, uti scribit Peregrinus Priscianus, Bondenino; testantibus id ingentium ædificiorum vestigijs. Ansa Regina.

Occurrunt inde post Campos Nacros, de quibus alibi, ingentia Arva, in quibus lautum honestumque Opidum *Mirandula*. Conditum fertur principatu Constantis Imperatoris, Magni Constantini Filij. Mens illa cum alijs, tum Francisco Pico, Ioannis Pici Patrui Vitam scribenti. Primus auctor perhibetur *Manfredus*, qui Euride Constantij Filia clam in uxorem abducta, huc locorum confugerat; mox ab eodem Constantio, Aquileiam cum copijs cogitante, Eques creatus: indeque, re cognita, Comes & Marchio factus, ibi auspicijs ipsius Castellum ædificavit, nomine ob admirabilem ejus rei casum *Miranda* imposito, quæ post *Mirandula*. Auxit brevi ea familia, ut paucis post annis Patres-familias in ea nobiles essent XL. Majoris partis nomina hæc sunt: *Prendi parte, Lanfranco, Paganello, Manfredi, Pontio, Guido, Costante, Azolino, Possio, Aldobrandino, Arnero, Giovanni, Marcello, Constanzo, Corrado, Bonifacio, Matteo, Oderio, Egidio, Nevo, Opizzone, Roberto, Gualfredi, Capino, Azzone, Costantino, Baolo, Berardo, Artuso, Panaro, Lanzono.* Ab ijs *Curia Quarantula* vocata est. Diu hic Principes egerunt *Pici*, à prima ejus conditione usque ad annum CIↃ IↃ LVIII, quo Galeottus, Ludovici Pij filius, *Mirandulæ* imperio pro certis quibusdam in Gallia reditibus sponte cessit Henrico Francorum Regi. De his & pluribus consulendum Mutinensium Annales, Merulæ, Æquicolæ, Corijque Historias; Leandri Italiam, aliorumque Scripta. Sita est loco amœno, qui frumenti, vinique supra modum fertilis. Incolæ humani, venusti, liberales, tractandis armis strenui. Ex *Picis* celeberrimi & eruditione præstantissimi fuerunt *Ioannes Picus*, & *Ioannes Franciscus* Nepos. Mirandula. Conditio. Unde dicta. Situs. Incolæ. Clari Viri.

Vltra Mirandulam altero lapide, in dextra Seciæ ripa Castellum visitur novi nominis *Concordia*, cujus imperium *Pici Mirandulani* multos annos tenuerunt. Concordia.

 Excidit,

Excidit, cæsô Ioanne Francisco, Galeottus Picus Ludovici Filius, anno CIↃ IↃ XXXIV.

Spilibertum. Æmiliam Viam versus pergenti supra Mutinam per dextram Panari ripam post VIII M. P. *Spilibertum* se offert. Opidulum non ignobile ad *Rangones* pertinens, olim *Spinum Lamberti*, uti testatur antiquæ notæ Codex, in quo vita Hadriani, I P. M. qui ex Gallijs redux hic obijt, perscripta servatur, in Nonantulæ Cœnobio.

Viniola. Quarto dein lapide *Viniola* est, quæ Luitprando Levitæ Papiensi libro II Histor. *Neviola* vocatur.

Marenum. Succedit hinc *Maranellum*; mox secundo lapide *Marenum*; & in Apennini jugis duodecimo ferme *Pattanum*, hinc quarto *Lo.ortanum*. Inter Montes Arx est. Sexto ab ea milliari Æmiliam versus *Castellum Novum* jacet: hinc quatuor millium intervallo *Formigo*: Altius *Spectanum* & *Floranum* sunt: item in Apennino *Foianum* cum *Turre Ansferina*.

Pattanum. Lo.ortanum. Castellum Novum, &c.

Marzalia. Post illa rursum in Æmilia Via ad Seciam exiguum visitur Castellum *Marzalias* per quam sursum procedenti occurrit *Macreda*, quintoque inde milliario *D. Mariæ Saxatinæ Fanum*, sic dictæ ab *Saxulo*. nobili Castello, quod hinc quingentis abest passibus, ad Apennini radices, læva Seciæ ripa.

Macreda. D. Maria Saxatina.

Busonis. Negonum. In ipso Apennino haud procul Petra Bisoniana, Castellum est *Busonis*. Inde trium milliariorum intervallo Opidum est *Negonum*, agro Parmensi finitimum.

Care. Succedit hinc Opidum *Care*, in Apennini, necnon Parmensis & Fiviciani Agri confinio situm.

Aquarium. Sequitur mox *Aquarium*, Agro Mutinensi vicinum, medicatis aquis notum.

Menatium. Tertio hinc versus meridiem lapide *Menatium* est, alto in montis jugo, propter Apenninum.

Piolum. Inde spatij tantumdem est ad *Castellum Piolum*: mille hinc passibus *Lingoncius pagus*.

Carpi. Itinere deorsum ad planitiem, Seciam transgressis offert se nobile Opidum *Carpi*: quo fere loco Ἄκαρα Strabonis exstitisse censet Leander. Habuit ejus principatum diu *Pia* gens ex Manfredi & Euridis, de quibus supra, posteris.

Novi. A Carpis *Novi* succedunt, Arx olim munitissima.

Corregium. Haud procul inde *Corregium* spectatur, honestum Opidum. Putant quidam hic *Regiates* fuisse, quos Plinius nominat lib. III cap. XV; ubi tamen *Vegiates* reponendos esse, suadet litterarum ordo, à Plinio cum ibi, tum alijs locis observatus. Imperium ejus apud *Corregiam* gentem; cui an ab Opido, an vero huic ab ea nomen, incertum est.

Regiolum. Eodem tractu, ubi Crustulus Taranæ fossæ commiscetur, Castellum est non magnum *Regiolum*.

Gonzaga. Est ibidem *Gonzaga*, Vicus, ubi splendidissima *Gonzagarum*, Principum Mantuanorum est Villa.

Cœnobium D. Benedicti Podolironi. Hinc amplum, nobileque & opulentum Cœnobium *D. Benedicti Podolironi*, à Bonifacio Mathildis Comitis Patre conditum, & ab eadem Mathilde, cujus ibi sepulcrum est, auctum. Consulendi Platina in Benedicto X, Benevenutus Imolanus Commentationibus in Dantem, Bernardinus Corius de Henrici IIII temporibus, Æquicola lib. I Histor. Gonzag. & alij.

Luzaria. Guardistallū. Post Transinariæ vel Taranæ Ostium *Luzaria* visitur pagus: inde *Guardistallum*, duobus Concilijs sub Vrbano II & Paschale II P. M. nobilitatum; testibus Platina in ipsorum Vitis & Blondo lib. XIIII Histor.

Brixillum. Vlterius in Padi ripa *Brixillum* occurrit. Sic Plinio libro III, Plutarchoque in Othone, Βρίξιλλον Ptolemæo, Tacito, Suetonio, Antonino, Paulloque Diacono vocatur, quod vulgo *Bresello*. Civitas olim, docentibus id apud Leandrum *Ravennatis Ecclesiæ* Codicillis. Captam ab Anthare Langbardorum Rege, æquatis solo mœnibus, tradit Paullus Diaconus, Eutropium continuans, libro XXVIII. Adeundus & Blondus libro VIII Historiarum.

Tannetum. Læva Lenciæ ripa *Tannetum* est. Sic Livio multis locis scribitur; itemque Plinio, qui hominem ibi repertum ait CXX annos natum; Antonino, & Itinerariæ Tabulæ, inter Regium & Parmam locantibus: *Tanetus*, Polybio; Τάνητον, Ptolemæo: vulgo

vulgo *Tanedo*. Hinc *Tanetani* Populi, apud Plinium. Eversum ab Cefe Langbardorum Rege, scribit Paullus Diaconus. Restauratum formam, qua jam-nunc est, Vicique speciem induit.

Ad eamdem ripam sursum versus, *Montecium* jacet, & in medio *Baniolum*, *Novilaria*, *Ad D. Martinum*.

Montecium, Baniolum, &c.

In dextra Seciæ *Campus Cajanus* spectatur cum *Soleria*: ex-adversum Montecio, *Ceritus* vel *Cherumbus*, lautum Opidum.

Ceritus.

Iter per indicatam Seciæ ripam continuanti Castrum se offert firmissimum, *Ruberia*, doctis *Herberia* a *Boiardis*, ut quidam volunt; ab *Rubris Parmensibus*, ut alij, conditum: varios expertum dominos, anno CIↃ IↃ XXIII pervenit ad *Ferrariæ Duces*: inclutum *Antonio Codro*, viro Græcarum Latinarumque literarum doctissimo.

Ruberia.

Æmilia dein via pergenti, dextra Seciæ ripa omissa, *Regium Lepidi* occurrit, ripæ Crustuli lævæ adpositum. *Regium Lepidi* M. Tullio Epistola ad Cassium, alijsque; *Regium Lepidum*, Tacito; Ῥήγιον Λέπιδον, Straboni lib. V; Ῥήγιον Λεπίδιον, Ptolemæo, cui *Colonia*; *Regium* simpliciter Antonino: Hodie *Reggio* vocatur. Sine adspiratione scribendum monet in sua Orthographia Manutius. *Forum Lepidi* eo loco fuisse quomdam notat Festus. Incolæ *Regienses*, ab *Lepido* apud Plinium: quemadmodum *Regini*, ab *Regio Iulio*. Urbs est lauta, nobilis, frequens; solo sita valde fertili, loco pulcro, amœno, planeque regio, unde illi, quorundam judicio, nomen. Condidisse feruntur *Tusci*, quibus, ut Livius & Polybius tradunt, ejectis occuparunt *Galli*; hisque, *Romani*; quorum auspicijs *Coloniam* (legendus idem Livius lib. XXXV) eo duxerunt Trium-Viri M. Æmilius Lepidus, à quo cognomen accepit, T. Ebutius Carus, & L. Quinctius Crispinus. Ab *Langbardis Gothisque* vastatum, ijs Italia profligatis, restauratum est circa annum IↃ CCC. Liberum suique juris usque ad annum CIↃ CCLXXXVI, inde *Comitum* & *Principum* haberi cœpit imperio, primo *Canossanorum*, hinc *Atestinorum*, *Cæsarum*, *Regum Galliæ*; mox *Pontificum Romanorum*: inde *Foianos*, *Scaligeros*, *Gonzagas*, *Galcatios*, & *Othobonos* habuit Dominos; à quibus ad *Atestinos* redijt, ab his ad *Pontifices*; Hadriano VI mortuo; rursum ad *Atestinos*. Adeundi Corius parte II Histor. Blondus & Antoninus in Histor. Placina in Vita Bonifacij IX, Sabellicus lib. IX Ennead. IX. Episcopatus floret dignitate. Nobilitarunt hanc Urbem *D. Maximus*, Episcopus: *Guido Sagiranus*, *Philippus Calbus*, *Iacobus Columbus*, *Karolus Ruinus*, *Franciscus Beius*, *Iulius Scarlatinus*, Iurisconsulti; *Sebastianus Corradus*, Latinæ Græcæque litteraturæ doctissimus; *Bartholomæus Crotius*, Poeta. Celebris est Calcaribus, quæ hic fabricantur venustissimo; & etiam alijs rebus, quæ ex ossibus confiunt supra modum polite. Ager per-quam uber, tritico, faba, hordeo, ceterisque frugibus; Vino item cum albo, tum helvolo abundans.

Regium Lepidi, Qualitas, Situs. Conditores, Regenses. Episcopatus, Clari Viri, Opificia, Ager.

Supra Viam Æmiliam ad Amnis Seciæ dextram sunt, *Lora Bosium*que; & sub Apennino *Castellum Novum* interque colles tribus ab Secia P. M. *Castellaranum*; & ulterius *Carpinetum*, Balistæ monti vicinum; præter-ea *Toanum*.

Lora, &c.

Ab Ruberia, de qua ante, tribus P. M. non procul ab Secia spectatur *Salvaterra*: post in Apennino tribus supra Castellaranum P. M. *Castellum D. Valentini*, juxta que Seciam ad primos Apennini colles *Dinantianum*, & ulterius *Casale Magnum*.

Salva-terra.

Haud procul inde *Turricellæ* & *Scandianum*, quod Opidi Dynasta *Matthæus Maria Boiardus*, Civis Regiensis, Vir doctus inlustravit.

Turricella. Scandianum.

Sequitur altius in montibus *Caranum*, inde *Cianum*. Fuit hoc loco Νουκερία, quæ Ptolemæo Galliæ Togatæ Vrbs, testantibus id cum Nummis antiquis, qui hic inveniuntur, tum *Rivo Luxuria*, *Rivo de Lusera*, nominis memoriam, aliquo modo servante.

Caranum. Cianum, olim Nuceria.

Succedunt inde *Levicianum*, *Sarzanum*, & *Castellum Novum*.

Levicianum.

Ab Æmilia Via sursum prope Lenciam fluvium conspiciuntur *Borzanum*, *Ad D. Paulli*, *Albinea*, *Mozadella*; altiusque *Gessum*.

Borzanum. Ad D. Paulli,

Iuxta sunt *Arundinaria*, *Rhaßena*; propiusque ad amnem *Canossa*, munitissimum Castellum, de quo Blondus libro XIII Histor. & Platina in Vita Gregorij VII.

Arundinaria. Rhasena, Canossa.

Bibianellum. Cast. Vitreum. Mons Ianus. Mons Lucius. Colurnum.

Sunt eo tractu quatuor Apennini colles; in quibus totidem opida, ab Mathilde Comite fundata, *Bibianellum, Castellum Vitreum, Mons Ianus, (Monte Zano) Mons Lucius.* (*Monte Luzzo*) omnia sub ditione *Comitum Canossæ.*

In dextra Parmæ fluminis ripa à Pado sursum versus situm est *Colurnum*, cui nomen ab Torrente *Lurno*, quasi, ut nonnullis mens, *Caput Lurni*, hic in Parmam, qui Vrbem ab Suburbijs discernit, exeuntis.

Parma. *Vrbs. Qualitas. Situs. Publica Ædificia. Clari viri.*

In Æmilia porro Via, quinque ab Apennino P. M. *Parmam* est videre. Sic Livio, M. Tullio Epistola ad Cassium, Plinio, Antonino; Πάρμα, Straboni, Ptolemæo, Agathio lib. v dicitur. Nomen illi ab Amne *Parma*: ex aliorum mente, ab figura, quod *Parmam*, hoc est, breve scutum referat. Ædificijs est splendida, plateis ornata rectis largisque; rebus ad vitam necessarijs adfluens; Incolarum nobilitate, civiumque frequentia celebris. Situ est admodum plano, cœlo summe salubri; adeo ut Plinius *Parmienses* tradat, tres quidem annos cxx, duos vero cxxx vixisse. Eam neque hiems, neque æstas adfligit. Castrum habet munitissimum: Principum & inlustrium Familiarum Palatia non pauca. In Foro satis amplo, Fons pulcerrimus; & Templum ad imitationem S. Petri Romani exstructum; Campana tribus imposita columnis; Turris persimilis Bononiensi. Separatur ab suis Suburbijs fluvio cognomine. Conditam ab *Chryso* Trojano, Pallantis Comite, & ab eo *Chrysopolin* dictam scribit Sicardus Cremensis. Albertutius libro de Vrbibus Italiæ *Chrysum* illum Placentinum fuisse memorat. Notat Isidorus Clarius plerasque ibi Familias ab Romanis originem trahere. Patria *Cassij Poëta*, & *Macrobij*. Genuit & Parma *Blasium*, excellentem Philosophum & Astrologum; *Albertum Galeottum, Bernardum Parmensem, Gulielmum Aremundum, Iacobum Arenanum*, Iuris-consultos, Scriptis claros: *Gerardum Blancum*, Cardinalem circa annum cIɔ cc LXXX; *Guidantonium Arcimboldum*, Mediolani Archiepiscopum, & inde Cardinalem; *Hieronymum Palavicinum*, Laudensem Antistitem, *Bernardum Rubrium*, Tarvisinum Episcopum: *Ioannem*, Generalem Ministrum Ordinis Minorum, & *Ioannem*, Prædicatorij Ordinis Menachum: Theologos, scriptis celebres: *Gregorium Anselmum*, Medicum & Philosophum: item *Antonium Camaldulensem*, Græcæ Latinæque litteraturæ doctissimum, *Franciscum Marium Grapaldum, Thadeum Vgolettum, Nicolaum Brucium, Franciscum Carpesanum*. Militares Viros dedit cum primis *Rubrios*; puta, *Orlandum, Petrum, Petrum Mariam, Guidonem*. Episcopatus floret titulo. Incolæ venusti, nobiles, Martij, animosi, genio ingenioque præstantes. De ijs Iulius Cæsar Scaliger:

Episcopatus. Incolæ.

Inventum medijs præclarum nomen in armis,
Prædita quo sit gens ignea Marte docet.
Ingenium rapidum facili flammatur ab ira;
Sed viget in patulo pectore purus amor.
Magnanimo precium est non displicuisse pudori,
Hoc satis officio cedere turpe putat.

Dendrophori.

Dendrophori Parmenses nominantur in Inscriptione, quæ in ipsorum opido mutila:

PRÆF. LEG. XX. VALEN
VICTR. PRIMIP. LEG
X. GEM. PIÆ. FIDEL
CENT. LEGION. III. SCY
THICÆ. XI. CLAVD. XIIII. GEM
VII. GEM
PATR. MVNICIPIORVM. FORODRVENT. ET. FORO
NOVANTR. PATR. COLLEGIOR. FABR. ET. CENT
ET. DENDROPHOR. PARMENS. COL. CENT. MERENTI
EXERCITORES. RATIVM. VLPIAN

Ab

Ab *Thuscis*, ut multæ his locis aliæ Civitates, condita, à *Boijs* inde possessa, lapsu temporis *Romanos* habuit Dominos: qui anno ıↄ LXX, quo tempore Mutinam, eo *Coloniam*, ut Livius tradit libro XXXIX, duxerunt. Calamitatem ab L. Antonio inlatam deplorat M. Tullius Philippica ultima. Conlapsa, auctoritate Romani nominis libera cum alijs cœpit esse: sequuta nunc *Cæsares*, nunc *Pontifices Romanos*, *Bononensibus* semper amica & conjuncta. Gravem passa est totum biennium obsidionem ab Friderico II Imp. circa annum cıↄ ccXLVIII, quod partium esset *Pontificiarum*. Eo inde profligato, varios habuit Regulos, *Corregios*, *Scaligeros*, *Atestinos*, *Vicecomites*, *Galeatios*, *Sfortias*, *Gallos* denique, quibus cum sæpe de Vrbis dominatu certavit *Pontifex Romanus*, qui ope & auxilio Karoli V Imperatoris, Gallis tota Italia pulsis, rerum solus deinceps in Vrbe est potitus. Hodie suos habet *Duces*, quorum primus à Pontifice Maximo institutus est *Petrus Aloysius Farnesius*, Pauli III P. M. Filius, quo crudeliter intra biennium cæso, subrogatus est *Octavius* Filius, eique defuncto *Alexander*, Belgicæ Gubernator; cui mortuo successit ante aliquot annos Filius. Legendi Pandulphus Collenutius lib. IIII. Histor. Regni Neapolitani. Blondus libro VIII. Historiar. Platina in Vita Innocentij IIII, Merula libro IV & VIII Histor. Sabellicus, & alij. Haud procul Vrbe Amphitheatrum fuit, ut Agathius refert libro I Belli Gothici. Ager suburbicarius amœnus est, & frugum vitiumque optimarum fertilis, aquis medicatis pascuisque lætissimis felix: cujus *Caseus* & *Vellera* summam merentur commendationem. Laudat *Vellera* Martialis: Res gestæ. Amphiteatrū. Ager suburbicarius.

Tondet & innumeros Gallica Parma *greges*.

Idem, censuram instituens Lanarum:

Velleribus primis Appulia, Parma *secundis*
Nobilis, *Altinum tertia laudat ovis*.

Lanam Gallicanam vocat M. Terentius Varro lib. VIII de lingua Latina.

Supra Viam Æmiliam ad lævam Lenciæ ripam *Guardasanum* visitur: & ulterius in Apennino ad fontem Amnis *Belvedersum*. Guardasanum. Belvedersum.

Altius ultra Bagantiam torrentem & Parmam fluvium *Zisanum* occurrit; & ad Parmæ initia *Berzum*, Zisanum. Berzum.

Iacet in læva Tari amnis *Carona*: ulterius *Forum Novum*. Carona. Forum Novū.

Remotiore loco ad dextram Bagantiæ ripam *Casecum* se offert, & in Tari læva *Petra Malians*: hinc *Belfortium*; & in Apennino *Casale*: ad Tari denique fontem Castellum *Zize*. Casecum, &c.

Ab Tari ostio pergenti læva Padi ripa Castellum occurrit *Arx Alba*; dein *Regariola*: inde ad Lardæ ostium *Polescum*; mox *Caput Vrsi*. Alba Arx, &c.

Dextra Tari ripa sursum *D. Secundi* Castrum est cum Arce valida: altius *Gruninum* & *Nasetum* adparent. D. Secundus.

Supra Leciam torrentem *Borbum*, *Copianum*, *Mons Arsinus*, *D. Maria* visuntur. Borbum.

Ad dextram Conij Amnis *D. Andreas* est: interque Conium & Sestronium fluvios *Fontanellatum*: juxta Arx *Lanzanum*. D. Andreas, &c.

Hinc, Æmilia via transita, Castellum *Guelfum* sequitur, ab *Guelfis* nominatum Conditoribus: Octavo inde lapide sursum *Septonium salsum*, ab aquæ salsæ fontibus dictum. Guelfum. Septonium salsum,

In ipsa Via Æmilia Burgum est *Sancti Donini*: infra dein, Padum versus, *Turricula* spectatur. S. Doninus. Turricula.

Rursus supra Viam Æmiliam *Mons Lanzonis*: & altius *Varanum Malagrorum*, *Varan de i Melagri*: ultraque *Viani* & *Apecium*: hinc inter altos montes *Landesium* & *Coparinum*: mox *Bardi*: superius *Teinm* & *Tamucola*; juxtaque Conij fotem *Casaletium*, *Casaleio*; item *Ruinum*, *Rovino*; sub quo *Carisium*. Mons Lanzonis Varanum. Malagrorum, &c.

Infra Viam Æmiliam in planicie dextra Sestroni ripa *Sorania (Soragna)* jacet, Marchionatus titulo nobilis. Sorania. Marchionatus.

Inter Sestronum & Longenam torrentem *Castellum Novum* visitur; & sub Via *Gibellum*, Opidum à *Gibellinis* exstructum ad Castelli Guelfi æmulationem. Castellum Novum. Gibellum.

Hinc ad Æmiliam incedenti altero lapide *Buxetum* se offert; ab Gallis anno cıↄ ıↄ XX direptum. Buxetum.

Ad D. Columbanum. Firenzola.

Succedunt inde *ad D. Columbanum*; & in Æmilia Via *Firenzola*; Φιδεντία Ptolemæo: *Fidentia* Livio lib. XXVIII & Antonino, uti volunt Leander & Georgius Fabricius. Videtur & Antonino dici alio loco *Fidentiola Vicus*. Hinc sane *Fidentini* Plinio.

Visolengum.

Sequitur haud procul Apennino *Visolengum*.

Arquatum. Lucantanum.

Ad Viæ Æmiliæ lævam in primis Apennini collibus Castellum jacet *Arquatum*: mille hinc passibus Vicus amœnus abest *Lucantanum*, *Lugagnano*.

Curia Maior. Pontinurum.

Dein sub Æmilia Via Castrum adparet *Curta Major*; spatio dehinc aliquot milliar. *Pontinurum*, *Ponte-nuro*, à *Ponte*, qui *Nuræ* fluvio ibi impositus. Per ripam

Monticellum.

hinc eius amnis secundam ad *Monticellium* devenitur.

Roncoverium, &c.

Æmiliam Viam transgressis prope radices Apennini offerunt se *Roncoverium*, *Roverium*, *Nucetum*, *Torciaria*, *Feltnum*.

Placentia.

Venimus tandem ab ostio Nuræ secundum Padum, ad vetustam nobilemque Civitatem *Placentiam*, Sic Livio multis in locis, Cornelio Tacito lib. XV, XVII, XVIII, & alibi, Silio lib. VIII, Plinio, Antonino, Trebellioni Pollioni in Aureliano; Πλακεντία Polybio, Straboni lib. V, Appiano lib. I & II, Plutarcho in Vita Scipionis

unde dicta.

& Hannibalis, Ptolemæo, alijsque: quæ vulgo *Piacenza*. Dictam volunt (inter quos Bentius Alexandrinus) a *Placentulo* quodam Trojano, Conditore; deinde, ut notat Hieronymus Albertutius Bononiensis in libro de Civitatibus Italiæ, à *Peucentio* Gallo Instauratore *Peucentiæ* nomen accepisse. Alijs tamen magis placet à *Placendo* vocatam, ob loci amœnitatem, pulcritudinem, copiamque rerum omnium admirabilem. *Veterem nobilitatem*, inquit Ambrosius in Epist. *ipso adhuc nomine*

Situs.

servat. Iuxta Padum, à quo distat circiter M. P. jacet, loco peramœno; agrorum bonitate, Civiumque, inter quos *Landi*, *Scoti*, *Anguisccioli* & *Fontani*, claritate superbiens. Muri novi sunt; Propugnacula ampla, Munitiones insignes. Inter Pla-

Publica Creta, Aix.

teas *Farnesia* principis est loci. Quod spectetur dignum est Monasterium novum, sumtuose nuper exstructum ab Philippo Hispaniarum Rege. Arcem habet munitissimam, ab Duce eius I cœptam, & ab Imperatore Karolo V absolutam.

Fons, Episcopatus, Gymnasium, Clari Viri.

Fons in urbe vetustus & limpidus, ab Augusto Cæsare nomen habens. Episcopatus gaudet titulo. Gymnasium habet omnium disciplinarum. Claros produxit viros varios: antiquioris notæ *Tincam*, hominem facetissimum, cuius in Bruto meminit M. Tullius, item *L. Calpurnium Pisonem*, C. Iulij Cæsaris Socerum: recentioris autem *Gregorium* X *P. M.* *Americum*, *Vincentium Baraterium*, *Thomam Radinum*, Theologos; *Raphaelem Fulgosum*, Iurisconsultum; *Gulielmum*, Medicum; *Georgium Vallam* & *Ioannem Castronium*, Græcæ latinæque linguæ peritissimos; *An-*

Res gestæ.

tonium Cornacianum & *Nicolaum Fontanum*, Poetas. Quod ad gesta: antiquissi-

Colonia.

mum illud, quod *Colonia* legatur Romanorum. Ea de re sic scribit Asconius Pædianus in Pisonianam: *In Annalibus eorum, qui Punicum Bellum Secundum scripserunt, tradi video Placentiam Coloniam deductam pridie Kal. Ianuarij Ti. Sempronio Longo & P. Cornelio Scipione Patre Africani* COS. *primo anno eius belli, Vrbis* IↃ XXXVI. *Sex millia hominum, novi Coloni deducti sunt, in quibus Equites. Deducendi fuit caussa, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiæ tenebant. Deduxerint* III *Viri P. Cornelius Asina, P. Papirius Maso, & Cn. Pompeius, alias Cn. Cornelius Scipio: eamque Coloniam* LIII *deductam esse invenimus. Deducta est autem Latina.* Factum illud sub adventum in Italiam Hannibalis, notat Velleius Paterculus lib. I. Videndi & Polybius libro III, Plutarchus in Hannibale, Plinius lib. III cap XV, Florus Epitoma libri XX. Meminerunt item ut *Coloniæ* Livius libro XXXI & Tacitus lib. XXIX. M. Cicero

Municipium.

in Pisonem *Municipium* vocat: Festus *Municipium sui juris.* Hanc Livius libro XXVII Populo Romano, quum bellis adfligeretur Punicis, cum XVIII alijs Colonijs subsidia contulisse memorat; frustraque ab Hannibale obsessam magis, quam oppugnatam; ac deinceps, ut idem Livius docet libro XXXI, ab Gallis Insubribus, Cenomanis, & Boijs, excitis Salyis Ilvatibus, reliquisque Liguſticis populis. Hamilcare Pœno Duce, qui ijs in locis de Asdrubalis exercitu substiterat, magna ex parte

Principes.

direptam atque per iram fuisse incensam. Instaurata denuo *Nomini* addicta fuit *Romano*, quamdiu majestas ejus, Exarchatusque Ravennatis dignitas fuit incolumis: quibus conlapsis, ad reliquarum eo tractu Vrbium exemplum *Gothicum & Langbardicum* (videndus Procopius libro III belli Gothici) suscepit jugum; quo rursum excusso,

cusso, captoque Langbardiæ Rege Desiderio auspicijs Karoli Magni, primum *Italiæ Regum*, deinde *Cæsarum* subjecta fuit Imperio: post libera quodammodo facta, sub fide constituta Imperij Romani, partim suorum Civium, partim Exterorum dominatu oppressa, ut *Palavicinorum*, *Landorum*, *Scotorum*, *Galeatiorum*, *Sfortiarum*, magna fortunæ varietate, suaque haud mediocri calamitate, ab *Gallis* demum CIↃ CCCCXCIX subacta; inde anno CIↃ IↃ XII à *Pontifice Romano*, iterumque ab *Gallis*; quibus Italia bello Sociali profligatis *Ecclesiæ Romanæ* fuit restituta; licet ab *Karolo* V *Cæsare* aliquamdiu possessa, & per Præsides vicariosque administrata. Anno tandem CIↃ IↃ XLV *Ducem* cum Parma à Paullo III P. M. ex *Aloysij* accepit. Consulendi Merula, Corius, Blondus, Sabellicus, Simoneta, Platina, alij. Pulcherrimum fuit extra Vrbem Amphitheatrum, quod bello Othoniano, uti Tacitus testatur, in acerrima oppugnatione conflagravit. Urbis ager vini, olei, frumenti, omnisque generis fructuum fertilissimus est, propter copiam aquarum: multos habens fontes, fluvios, rivulos, pascuis irrigandis facientes. *Placentini Casei*, qui in omnem Europam exportari solitus, summa est bonitas, summaque commendatio; uti & *Parmensis*, atque *Laudensis*. Habet & Ager *Placentinus* aquæ salsæ fontes, ex quibus Sal candidissimum conficitur: item Ferri-fodinas, Saltusque venatu Ferarum aptissimos.

Ducatus. Amphiteatrum. Ager.

Non procul extra Placentiam *Vicum-Viæ*, Empotium, fuisse, paret ex Livio libro XXI.

Vicumvia.

Læva Trebiæ ripa sursum Opida se pandunt quæ vernacule *Rivalgare*, *Ponizza*, *Arvia*, *Ritia*.

Rivalgare, &c.

Spectantur inde *Rassivane*, *Apepian*, *Cela*, *Crose*, *Boriano*, *Mombruno*.

Rassivanum, Apepianum, &c.

Dextra Trebiæ *Ronconero* & *Bobio* (ubi nobile D. Galli Abbatis Cœnobium) *Vmberti IC.* ortu nobile.

Ronconerum, &c.

Haud procul *Organasso* est, & altius *Ottuno*, cum *Gioveno*.

Organassum, &c.

Ad confluentem cum Avanto Algretiam Opidum jacet *D. Ioannis*.

D. Ioannis

Ad Apenninum dehinc *Tarvelum* est: ulterius *Besenasco*; infra *Albian* & *Stella*; mox ad caput Copis amnis *Bricolaro*; dextraque Copis antiquum Opidum *Clastidium*. Sic Livio libro XXI & XXXII; Κλαστίδιον Polybio & Straboni; quod vulgo *Chiesteggio*. Apud Plutarch. in Marcello male Κλαστίδιον scribitur. Livius libro XXXVI uno in loco *Ligurum*, altero *Gallorum* dicit; propter vicinitatem.

Tarvelum &c. Clastidium.

Altius inde quæ vulgo *Troncoxara*, *Torre*, *Albiano*, *Pancaran*, *Nazzan*, *Vorco*.

Troncoxaria, &c.

Dextra tum torrentis Staforæ lautum Opidum *Voghera*, Latine scribentibus *Viheria*, quasi *Vicus Iria*. *Iria* Plinio & Antonino; Εἰρία Ptolemæo.

Voghera.

Supra dein sunt *Riva* & *Sessima*.

Ripa. &c.

Ad Curonem torrentem Opida spectantur, quæ vernacule sermone *Ponte Curone* & *Caselle*, quod Frontino *Cassium*.

Pons Curonis. Casella.

Succedunt ulterius *Muleta*, *Castellazzo*, *Tauriga*, & *S. Cassano*.

Muleta, &c.

Iuxta caput Scriviæ, qui Latinis *Iria*, *Castellum Novum* est, ab Gothis ædificatum, opulentum Opidum; *Vincentij Bandelli* eiusque Nepotis *Matthæi* natalibus decoratum.

Castellum Novum.

Non procul inde *Sale* est Opidum, Gothorum item opus.

Sale.

Hinc in Apennini flectentis se jugi cubito *Dertona* Civitas est, non admodum formosa. Sic Plinio lib. III nat. hist. cap. V, alijsque Latinis Scriptoribus vocatur; Δερτῶνα, Ptolemæo; Δερτῶν, Stephano: Δέρθων Straboni: *Tertona*, in Libro Notitiarum: quæ *Tortona* vernacule. *Tertrionensis Civitas*, & inemendatius *Tetrionensis* legitur apud Paullum Diaconum. Condita perhibetur ab *Liguribus*; vel, ut alij volunt apud Hieronymum Albertutium, ab *Gallis*, & ab his primum *Antilia*, deinde *Terdona* ad tribus donis, id est miraculis eius urbis denominata: quorum primum in Saxo, quod copiose oleum emittebat; secundum in Fonte, quotannis festo Natalis D. Ioannis Baptistæ largissime fluente; tertium, quod paullo ante, quam nobiles aliquot viri mortem essent oppetituri, panis sectus sanguinem stillaverat. Ego hæc in medio relinquo. Apud Plinium *Colonia* est *Romanorum*. *Colonia Iulia Dertona* legitur in Goltzij Thesauro. Ab Friderico Ahenobarbo Cæsare funditus olim eversa, post ab Mediolanensibus ad pedem collis in planitie restituta. Videndi Blondus, Corius, Annales Laudensium. In colle, qui Vrbis Ar-

Dertona. Conditores. unde dicta. Colonia. Excidium. Restitutio. Publica

[Margin: Episcopatus. Ager.]

cem habet, Ædes est pervetusta D. Virginis Matris. Episcopalis est Sedes, quam præter alios *D. Martianus* nobilitavit. Servari volunt corpus eius in Æde Do. Apploniæ, Virginis & Martyris. Ager suburbicarius bonus & fœcundus, tritici, hordei, aliarumque frugum, vini item & glasti fertilis.

[Margin: Seravallis.]

Post Dertonam in Montis jugo, dextra Serviæ Amnis, Opidum est *Seravallis*, sic nominatum, quod angustas hic montium Vallisque fauces, tamquam sera, claudat.

[Margin: Bissata. Totila. Gibellinum.]

Altius hinc *Bissata Insula*, & ad Apenninum *Totila* spectatur.

Ad confluentem cum Pado Serviem Castellum quomdam fuit *Cibellinum*, ab Matthæo Vicecomite Mediolani Regulo conditum anno CIↃ CC XIII in *Gibellinæ factionis* gratiam.

[Margin: Garesium, Marchionatus Bonisium.]

Incipit dextra fluminis Tanari peramœna Vallis, longa M. P. VII, circa principium nobile Opidum quod vulgo *Caressia*, Latine loquentibus *Garesium*, olim *Mons-Cardinus* dictum, Marchionatus titulo nobile.

Transito *Petriolæ* Castello Vallis *Bonisci* occurrit, ab Opido *Bonisco*, quod ibi, dicta.

[Margin: MONS-FERRATVS, unde dictus.]

Incipit mox à Tanaro peramœna & fœcunda Regio MONS FERRATVS, sic dictus, uti censet Leander, quasi *Mons ferax*, ab modicorum Collium, quos habet, fertilitate: vel à *Ferro*, similitudine quadam, quod uti Ferrum cetera Metalla vi ac duritie vincit, ita ille finitimos ubertate cum aliorum fructuum, eorumque nobilitate & suavitate, tum vero vini, longo superet. Fuerunt olim in hoc tractu septem

[Margin: Marchionatus,]

Marchionatus, tum ab Othone II Imperatore instituti; *Montis-ferrati, Cevæ, Poncioni, Busshi, Saluttiarum, Savonæ, & Finarij*, singuli septem filijs Alerami Saxonum Ducis adsignati. *Montis-ferrati* Marchionatum tenuit primum *Palæologa stirps* usque ad annum CIↃ IↃ XXXIV: quo, defuncto San georgio Palæologorum ultimo, Karolus V Imperator *Mantuæ Ducem* legitimum *Montis-ferrati* Heredem declaravit. Erectus

[Margin: Ducatus, Descriptio,]

fuit Marchionatus in Ducatum anno CIↃ IↃ LXXV ab Maximiliano Imperatore, primusque *Montis-ferrati Dux* dictus est *Gulielmus* III, Mantuæ Princeps. Describit *Montem-Ferratum* Merula lib. VI. Antiquitatum Vicecomit. hoc modo: *Mons est perpetuis expansus jugis, totus amœnus & fructifer, omniumque rerum ad vitam utilium fertilis, & colonis admodum frequens. Incipit diurno fere itinere ab Alpibus, planicieque separatur, quæ inter hos Colles & Alpes intercedit. Nihil hic incultum quidquam propter summam Soli bonitatem oportunitatemque. Lævam Tanarus, dextram Padus adluit, nec ullius alveum Regio egreditur. Quanto magis autem ab Amnibus abscedunt Colles, tanto maiores amœnioresque Campi inter eos panduntur, quos haud male* Mesopotomiam *queas dicere, quippe quod amnibus utrimque sint conclusi.*

[Margin: Specialiora: Bassiniana.]

Quod ad specialiora: haud procul Tanari, Pado semiscentis, ostio *Bassiniana* cernitur, *Bassignana* vulgo: Plinio, *Augusta Vagiennorum*; Βαλεσῶν, Ptolemæo.

[Margin: Bondicomagum.]

Circa hæc loca *Bondicomagum* olim ad Padum fuit, cuius in Padi descriptione meminit Plinius libro II natur. hist. cap. XV, & in Ligurum Cis-Apenninorum commemoratione lib. III. cap. V. Unde dictum, alias notavi. Putat Leander fuisse, ubi nunc *Odolengo*: probans id ex antiqua inscriptione. Censet idem finiti-

[Margin: Industria. Valentia.]

mam illi, in Mediterraneo tamen, *Industriam* fuisse, Plinio item nominatam.

Antiquum hunc Opidum *Valentia* sequitur; Plinio *Valentinum*, quod & *Forum Fulvij*.

[Margin: Pomarium. Fraxinetum. Casale D. Evasij. Episcopatus, Arces,]

Colli dein *Pomarium* insidet cum Arce. Haud procul inde *Fraxinetum* & *Casale D. Evasij*, Civitatis jus adeptum ab Sixto IV anno CIↃ CCCCLXXIV: Episcopatus fulgens dignitate: Sedes Marchionum *Montis-ferrati*. Duplex ibi Arx; Vetus, Marchionum quomdam domicilium, & Nova, quam exstruxit Vincentius Gonzaga, Mantuæ *Montis*-que *Ferrati* Dux, anno CIↃ IↃ XC, quæ vulgo *La Citadella*. Ortu

[Margin: Clari Viri,]

superbit *Othonis*, ex nobilissima Alerami progenie, & *Theodori Palæologi*, Cardinalium; *Bernardi Romani*, Primi Vrbis Episcopi; *Georgij Caratopici*, Theologi & Philosophi; aliorumque. Consulendi Platina, Blondus, Leander, alij.

[Margin: Burgetum.]

In Tanari dextra *Burgetum* est.

[Margin: Mons Castelli. Taranum. &c.]

Post Bassinianam mediterranei Colles undique nitent Opidis, inter quæ, vernacule dicta, *Monte Castello, Pavon, S. Salvatore*, ubi Arx munitissima, *Gerella, Suizan, Castelletto, Lugo, Monte Magno*.

[Margin: Pons Sturæ.]

A Casali per Padi ripam pergenti multa occurrunt Opida *Ponte di Stura*, cum Arce vali-

ce valida: In colle dein, *Camino*, mox *Galbiano*, ab *Gabienis Liguribus*, quorum meminit Plinius libro III, cap. XV conditum; intus supra Casale *Fanum* est *D. Georgij*; item *Occimiano*, antiqua Marchionum Montis-ferrati Sedes.

Caminum. Gabianum. D. Georgij. Occimianum.

Situs finitimo *Borgo di S. Martino*, *Mon-Calvo*, *Galliano*, aliaque sunt plura.

Mons Calvus, &c.

Ad confluentes Bormiam Tanarumque *Alexandria* visitur, cui nomen ab *Alexandro* III, P. M. cognomen à *Palea*: quod, quæ nonnullis mens est, stramineam hic coronam Imperatores designati quomdam accipere consueiint. Fabulæ. Conditam anno CIↃC LXXVIII mense Maio, notant unanimi consensu Blondus libro XV Histor. Merula lib. III, Volaterranus libro IV Commentar. Vrban. Platina in Vita Alexandri III, Corius in Histor. Vernacula, Annalium Mediolani & Laudæ Auctores; à *Mediolanensibus*, *Placentinis*, & *Cremonensibus*. Sita est inter duos Amnes, Tanaro suburbia divellente, amœnissimo loco, ubi quomdam *Roveredo*. Incolæ animi ingenijque excelsi. Diu in *Vicecomitum* fuit potestate, post in *Sfortiarum*; inde in *Franciæ Regum*, quamdiu quidem illi Mediolanensibus imperarunt: nunc *Regis Hispaniæ* subest ditioni. Calamitatem magnam passa est, quod Gallis faveret, ab Francisci Sfortiæ Mediolanensium Ducis cohortibus, anno CIↃ IↃ XXII. Episcopatus gaudet dignitate. Ortu floret *Georgij Merulæ*. Trans Tanarum medio ponte est *Borgolium*, ipsa *Alexandriæ* suburbia, sic ab vico *Borgolio* dicta, qui ibi ante urbem conditam.

Alexandria, Unde. Conditio, Situs, Principes, Calamitas, Episcopatus, Clari Viri. Borgolium.

Bormia transmisso, sursum, læva ripa, *Boscum* est, *Al Boscho* vernacule, Marchionatus quomdam titulo nobile. Monasterium ibi est Ordinis Prædicatorum, à Pio V. P. M. erectum, positis Inscriptionibus.

Boscum. Marchionatus olim.

Altius inter Bormiam & Burdam *Incisa* est: olim Λιβαρνα Ptolemæi, *Liburna* Plinij.

Incisa.

Altero ab Alexandri milliari *Maricorum* visitur Opidulum.

Maricorum.

Supra Alexandriam est *Nicea*, *Paleæ* cognominata, cum *Felicino* honesto Opido: deinde *Morum*.

Nicea, &c.

Visuntur ulterius Castella *Solerium*, *Quadringentum*, *Arx Annonis*, vulgo *Novi*, & *Arx Arassi*.

Solerium, &c.

Moro Amne superato, *Asta* Civitas antiqua se pandit. *Asta* Plinio, Claudiano, & Cassiodoro libro II Variar. Ἄστα Ptolemæo; Vulgo *Asti*. Vrbs nobilis, dives, frequens, splendida; sita ad Morum. *Colonia* est Plinio & Ptolemæo. Patronum habet *D. Secundum*. Ortu nobilis est *Conradi*, Sodalitatis Prædicatorum Magistri, Theologi, Scriptis clari, quæ in Bibliotheca ibi Prædicatorum. Primum in *Vicecomitum* fuit potestate; post dotis nomine ad *Gallos* pervenit; hodie conditionibus Pacis Cameracensis in *Sabaudiæ Ducis* est ditione. Calamitates passa graves, ex contentionibus odijsque civilibus. Ager ipsi fœcundus.

Asta. Qualitas, Situs, Colonia, Clari Viri, Principes, Calamitates, Ager.

Haud procul *Rivulus Francorum* est, sic ab ejus gentis strage dictus. Consulendus Paullus Diaconus libro V. Histor. Langbard.

Rivulus Francorum.

Succedunt mox *Guarnacum*, *Monticellus*, *ad D. Victoriam*; & altius *Pollentia*. Sic Livio, Plinio, Silio, Prudentio, Claudiano, alijsque dicitur, quæ Πολεντία Ptolemæo, unico λ. Hodie *Palanza*. Dictam quidam volunt vel à *præstantia* nativi coloris vellerum; vel à *potentia*; quod ad lævam Tanarum haberet; stadijs LXXX ab Asta fluentem: ut scribit Corius libro IIII Histor. Liguriæ adcenset Ptolemæus: in Alpibus Cottijs locat Iornandes. *Colonia Romanorum* est apud Livium, cum Pisauro, Mutina, Placentia, Parmaque deducta: M. Antonij conflictu nobilis, quo Cn. Plancius Cos. fusus & occisus; infausto item Stiliconis prælio, quod cum Alarico Gothorum Rege commisit, celebris. Legendi præter alios Blondus & Sabellicus. Ager oves nutrit lectissimæ lanæ: *Pollentinæ Nigræ* maximum precium tribuit Plinius. Laudat & Martialis:

Guarnacum, &c. Pollentia, Unde. Colonia. Res gestæ. Ager.

> *Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno:*
> *Sic placeant Tyriæ, me mea tinxit ovis.*

Sic Silius libro VIII de bello Pœnico:

> ——— *Fuscique ferax* Pollentia *Villi*.

Altius dein *Ceva*, Opidum honestum; Marchionatus quomdam.

Ceva.

Itinere hinc Albam versus, mille quingentis ab ea passibus *Rodum* se prodit, Picorum Mirandulæ Castellum.

Rodum.

Sequitur

Alba. Sequitur ad lævam Tanari *Alba*. Sic simpliciter veteribus quibusdam dicitur, hodieque: quæ *Alba Pompeia* (fortean, quod à *Pompeio* restaurata) Plinio, cui inde *Albenses Pompeiani* nominantur. Sic Inscriptio apud Onuphrium Panuinium, qui *Coloniam Romanam* factam credit.
Colonia.

Q. MANLIVS. Q. F. CAM

SEVERVS

ALBA. POMPEIA

Qualitas. Principes. Episcopatus. Ager. Amplitudine superat Casalem D. Evasij; clementia cœli inferior. Marchionum *Montis-ferrati* prius, nunc *Ducum Mantuæ* subjacet Imperio. Episcopatus floret dignitate. Ager omnium fœcundissimus, qui *Languvilla* vulgo. Videndus Procopius libro I. Goth.

Aqua. Haud procul Alba Opidum est, quod *Acqui* vulgo. *Aquæ Statyellorum* Plinio libro III cap. V, in Liguribus ponenti: Α᾽κυδισατιλλα Straboni libro V: In vulgatis est, ἢ Διαφονητα ε Ιέλλα; legendum, Α᾽κύαι Σατιέλλαι: *Aquæ* simpliciter Antonino: ab *Aquis* proculdubio & Fontibus, qui hic sunt, calidis & medicatis: Sunt enim in hoc Opido Thermæ publicæ, cum Mensis lapideis & gradibus. Incolæ *Statellates* Livio, Ligurum populos facienti; *Statiellenses* M. Tullio libro II Epistolar. Hinc *Statellas Ager* Livio lib. XLII. Conditam ab *Statielis*, Alpina gente, colligitur ex Plinio. Antiquitatem testantur vetusta mœnia. Olim frequens: hodie Civium dissidijs ad summam devenit calamitatem. Episcopatus gaudet dignitate.
Vnde. Conditores. Calamitates. Episcopatus.

Bastanium. Crutimilium. Carni. Mons Regalis. Supra Aquas Opida sunt, quæ vernacule *Bestagnano*, *Crutimilio*, *Carnilio*, & *Montevi*, Latine scribentibus *Mons Regalis*, ab situ, qui in monte, dictus. Civitas mediocris, natura loci murorumque crassitudine tuta.

Dianum. Canacinm. In Borbi læva *Diano* visitur; & ad fontem, quo protuit, *Canacchio*.

Mons Calerius. Sequitur inde *Monte Calerio*, Opidum cum Italiæ multis committendum.

Cherium. Occurrit mox *Cherium*, frequens olim, sed bello inter Karolum V & Franciscum I misere adflictum.

Villa Nuova, &c. Carmaniola. Succedunt inde *Villa Nyova, Puerino, Roviglìasco, Carmagnuola*, Opidum ortu *Francisci Buxonij*, viri militaris, clarum.

Carmania. Fossanum, &c. Carade. Convicina sunt *Carmagna, Fossano, S. Moro, Casalgrasso, Polonciara, Reconigi, Moreta, Rana, Savigliano, Lagnasco, Centale, Carade*, ubi Pons Padi ripas jungit.

Salutium. Episcopatus. Clari Viri. Hinc sursum versus *Salutium*: Σαλῦναι Ptolemæo, ut quidam censent. Civitatis jus largitus est Julius II. P. M. qui Episcopum Primus dedit Bartholemæi Roborei filium: ab eo tempore Episcopatus dignitate cœpit florere. *Genitrix* cum aliorum, tum *Francisci Cavacia* & *Francisci Vacca* ICC. Calamitatem ingentem accepit ab Francisco I. Galliarum Rege, anno CIↃ IↃ XLII. De *Principibus* ejus Leander.
Principes.

Verculum, &c. Haud procul Salutio sunt, quæ vulgo *Verculo, Costilgole, Busche, S. Pietro, Castel Dolfino*.

CAPVT XXXV.

Langbardia Trans-Padana.

LANGBARDIA TRANS-PADANA. SIC se habet Æmilia vel Langbardia Cis-Padana: offert se jam-nunc Italiæ Novæ, ejusque Planioris pars illa, quæ trans Padum LANGBARDIA cognominari solet ab situ TRANS-PADANA. Appellationis *Langbardiæ* caussam hoc loco non repetam. *Regionis Trans-Padanæ*, universaliter sumtæ, mentio in Basi Statuæ, quæ in horto Ducis Vrbini:

C. LVXILLIO. C. F. POMPT
SABINO. EGNATIO
PROCVLO. CN. CVR. RER
PVBLICAR. PISAVR. ET. FANEST
LEG. LEG. X. GEM. GORDIAN
IVR. REG. TRANSPAD. CVR
VIAR. ET. PRAEF. ALIMENT
CLODIAE. ET. COHERENT
LEG. PROV. ACHAIAE. PRAET
AEDIL. CAERIALI. QVAEST
PR. PR. PROV. CRETAE. CVR
TRIB. LATICL. LEG. IIII FLAV
PATRONO. COLONIARVM
PISAVR. ET. FANEST

Regio hic ex distributione Octaviani Augusti, XI, cui, ut ait Plinius, Maria cuncta fructuoso alveo important.

Fines Langbardiæ Trans-Padanæ ab Ortu Mincius & Sarca fluvij, cum dextra Benaci Lacus ripa; ab Septemtrione Alpes Italiam ab Helvetia separantes: qua Ocasus est, eædem Alpes Italiam ab Gallia dirimentes, ducta usque ad Varum linea: qua denique Meridies, magna Padi portio. *Fines.*

Totam Regionem his coloribus delineat Leander: Naturæ luculentissimis dotibus varie locupletatam esse: Campos enim latissimos, & tritici, aliarumque frugum, item vini nobilis abundantia beatos habere: Lacus insuper immensos & altos, insignia Flumina, tam Piscium capturæ, quam navigationi oportuna: felicem denique ibi esse ingeniorum excellentiam, quæ cum ad litteras & arma, tum ad mercaturam promtissima. *Qualitas.*

Habitarunt quondam hanc Italiæ partem plurimæ gentes, docentibus Livio, Strabone, Plinio, Ptolemæo, *Tusci, Cenomani, Insubres, Mesauci, Bechuni.* Singulis certæ quondam fuerunt Sedes; de quibus hodie nihil explorati, nisi ex mera coniectura, tradi potest. Antiquissimi fuerunt *Tusci*, de quibus plene supra. His profligatis plerique, qui sequuntur, cum *Venetis*, *Ananibus*, *Boiis*, *Egonibus*, & *Senonibus*, qui suis locis explicantur, successerunt. *Cenomani*, Κενομανοὶ Ptolemæo; *Cenomanni* duplici NN Plinio. Hos in migrasse in hæc loca ex Gallijs, Thuscis ejectis, scribunt Polybius, Trogus, Livius. Facessant quæ de ipsorum origine fabulatur fabulosissimus Annij Viterbiensis Berosus. Eorum memoriam servari vult Chrysostomus Zanchus in suo de Orobijs libello, in opidulo Bergomatis Agri, quod *Cenum* vocant in Valle Seriana. *Insubres* Livio lib. XXI & multis alijs locis, Tacito, Plinio, Fastisque Consularibus; qui Ἴνσουβροι Straboni & Ptolemæo: Ἴνσοβαρες Stephano: Padi adcolas esse &, Ἴνσοβρες etiam dici, addenti: Ἴνσοβαρες Polybio: sunt & Ἰνσόμβροι apud eumdem. Leguntur quoque Ἴνσοβροι apud Stephanum ex Polybij XV. Scudus aliique *Mediolanenses* interpretantur. Venerunt & hi ex Gallijs, teste Livio libro V. *Insubres* Leander his quasi finibus circumscribit: ut ipsis ad Orientem sit Addua cum Lario: ad Meridiem Padus: ad Occasum Ticinus, ab Septemtrione Rheti Vennonetes. P. Iovius *Insubriam* Ticino amne claudi tradit, uberrimisque diffusam campis ad Abduam usque sese extendere, ita ut Vrbs *Mediolanum* quamdam Vmbilici speciem præbeat. *Mesauci* Plinio noti lib. III, cap. XIX. Sedes ipsis proculdubio fuit in Valle, quæ & nunc *Mesauca*, inter altissimos, asperrimosque montes. *Bechuni*, Βεχουνοὶ Ptolemæo, qui *Focunates* Plinio: ut censet Hermolaus, in Valle Sulsia, cui ab Divo Bartholemæo nomen, eos collocans. Leander Vallem Serianam colere notat. Fuerunt procul dubio & alij multi. *Rhæti Vennonetes*, *Cantiani*, *Camuni*, *Breuni*, *Taurisci*, quos nonnulli superioribus addunt, pertinent proprie ad Germaniam. *Veteres Incolæ. Tusci. Cenomani. Insubres. Mesauci. Bechuni. Particularia.*

Pincipium descriptionis sit *Mantua*. Sic Ovidio, Silio, Martiali, Statio, Plinio dicitur: Μάντουα Straboni & Ptolemæo: Μάντουα Stephano: quæ *Mantoa* hodie. Meminit eius Cippulus marmoreus apud Gentilem Delphinium: *Mantua.*

C . RVTILIO . C . F
SAB . HOMVN
CIONI . MANTVA
MIL . COH . VII . PR
7 . VALLI . MIL
ANN . XIIII . VIX
ANN . XXXII
H . B . M . F . C

Conditores. *Galatheam* vocat Allegorice Virgilius in Eclogis, ut notat Servius. Vide Petri Nanni Miscellanea libro VI. Conditam ferunt quidam ab *Manto*, Tiresiæ Vatis filia: nonnulli ab *Ocno Bianore*, Tuscorũ Rege, & Mantus ipsius Matris nomine nuncupatam. Virgilius libro X. Æneidos:

Ille etiam patrijs agmen ciet Ocnus *ab oris,*
Fatidicæ Mantus *& Tusci filius amnis,*
Qui muros Matrisque dedit tibi Mantua *nomen:*
Mantua *dives avis: sed non genus omnibus unum.*
Gens illi triplex: populi sub gente quaterni:
Ipsa caput: populis Tusco de sanguine vires.

Cui loco inlustrando videndi, præter Servium, Æquicola, Patriæ Præco, & apud eum Leonardus Aretinus, Epistola ad Ioannem Franciscum Gonzagam, Virgilium non infeliciter explicans. Catoni Sempronioque Annianis parum apud me fidei. *Quando condita.* Initium Vrbis ponunt varij varie. Aretinus, quem dixi, CCC circiter ante Romam conditam annis: ante Mediolanum; CCCC. ante Cremonam & Placentiam, IↃCCC. sed infirmo fundamento: Leander anno ante bellum Trojanum LX. non firmiore. Quidquid sit, antiquissima ipsi est origo. Posita est in medio Paludum, quas Mincius, ex Lacu Benaco egressus, creat, nec nisi Pontibus, qui eximij admodum, aditur: hinc ob naturam loci munitissimis Italiæ concensenda. *Qualitas.* Ampla est, & magnifice publicis privatisque ædificijs ornata, rectisque plateis decora. *Templum, Forum, Arx, Curia, ibique Crypta.* Templum Cathedrale pulcerrimum. Forum satis amplum, in quo Horologium summi artificij. Arcem habet munitam. In Curia, quæ splendidissima, Locus est, qui *La Grotta* vulgo, rebus preciosissimis, multisque Antiquitatum monimentis ab Isabella, Francisci Marchionis ultimi Conjuge, refertus. Videre ibi est duos Cupidines excellentis operis, Cornu insigne Monocerotis, precij magni Gemmas, Vasaque aurea & argentea innumera. *Vngari.* *Vngari* Locus vocatur, ad perpetuam rei memoriam, quod *Vngari* aliquando Vrbem everterint. *Episcopatus, Incolæ, Concilia, Clari Viri.* Episcopatus floret dignitate. Incolæ ad Litteras, Arma, Mercaturam apti promtique. Concilium hic habuerunt *Nicolaus* II. & *Pius* II. PP. MM. Ortu superbit *Virgilij*, Poëtarum apud Latinos Principis, *cujus ingenium*, inquit Munsterus, *tantum omnes efferre debent, quam imitari nulli possint*. Natus tamen in Vico *Andis*, hodie *Petola*, altero ab urbe lapide. Hinc Silius lib. VIII:

Mantua *mittenda certavit pube Cremona:*
Mantua *Musarum Domus, atque ad sidera cantu*
Evecta Andino, *& Smyrnæis æmula plectris.*

Produxit quoque Mantua *Franciscum*, *Sigismundum* Francisci ultimi Marchionis Fratrem, *Pyrrhum* Fratrem Ludovici, *Herculem* Friderici Primi Ducis Fratrem, Gonzagas omnes, Cardinalium ordini adscriptos: *Georgium Andriassum*, Regij Lepidi Episcopum: *Baptistam*, Carmelitatum Sodalitatis Antistitem, Theologum & Poëtam: *Marcum Guacium*, Historiographum: *Matthæum Silvaticum*, summum Philosophum. Militares Duces cum alios, tum ex nobilissima *Gonzagarum* gente, memorant alij. *Sancti.* Sanctos numerat *Mantua Ioannem Bonum*, Eremitam: *Osannam Andriassam*, Dominicanam: *Matthæum Carrarium*, Prædicatorij Ordinis Monachum. *Principes & Res gestæ.* Imperium primum fuit penes *Tuscos*, Vrbis auctores: hinc penes *Gallos Cenomanos:* post quos *Romani* rerum ibi sunt potiti. Maximam sub Triumviratu cladem tulit. Quum enim *Cremona* victoribus diripienda esset concessa, propter vicinitatem magnam Agri sui partem amisit. Hinc Virgilius:

Mantua

Mantua *veh misera nimium vicina Cremona*,

Respublica Mantuana nominatur in Inscriptione, quæ apud Onuphrium Panuinium his verbis concepta:

C. VALERIO. C. F
PAP. MARIANO
HONORES . OMNES .
ADEPTO . TRIDENT
FLAMINI. ROM. ET. AVG
PRAEF. QVINQV. AVGVR
ADLECTO. ANNON. LEG. III
ITALIC. SODALI. SACROR
TVSCVLANOR . IVDICI
SELECTO. DECVR. TRID
DECVRIONI . BRIXIÆ
CVRATORI. REIP. MANT
EQVO. PVBL. PRAEF. FABR
PATRONO . COLON
PVBLICE

Successerunt Romanis *Gothi*, & *Langbardi*; quibus profligatis, Vrbs ad *Imperatorum* potestatem est retracta: ea rursus labante, in libertatem se cum multis aliis vindicavit, quam optinuit, donec ab Othone II. Imperatore *Theodobaldo* Comiti Canassano donaretur. Subrogatus illi *Bonifacius* Filius, eique sine mascula prole defuncto *Beatrix* conjunx, cum *Mathilde* Filia, quæ *Mantuam* summopere ampliavit. Libertatem iterum nacta post aliquot annos ditioni subjecta est *Sordelli Vicecomitis*, qui Primus omnium post Mathildem Comitem Mantuæ principatum gessit: quo circa annum CIↃCC LXXIV mortuo, *Duces* habuit suos, primo *Bonacolsios*, annos fere LV. deinde ab anno CIↃCCC XXVIII. *Gonzagas*, qui adhuc summæ rerum præsunt. Plene Leander, qui accurate Principes commemorat ad sua usque tempora. Videndi & Blondus, Sabellicus, Corius, Æquicola, Francisci Vigilij ac Bandelli Funebres Orationes. Veneno hic perijt Karolus Calvus, Magni Filius; Hebræo Medico pecunia corrupto. De *Mantua* sic Facius lib. III. Danticorum:

Noi summo alla citta, che se tu ispij
Manto n'ha il pregio, e Virgilio corona
Chiusa dal Po, da Menzo, & da piu Rij.
Quivi il Corpo di Longin dimora
In santo Andrea, & con gran riverenza
Si fa la Festa sua, & vi s'adora.
L'honore, la grandezza, & la potenza
Della citta tien quello di Conzaga:
Tre Fratei sono, & son d'una conscienza.
Molto e la Terrabella, e grand', e vaga,
E' l bel suo porto intempo di pace,
L'entrata e buona di quel che si paga.

Extra Vrbem videre est *Team*, Villam suburbanam, nobilem & ornatam: ab Friderico I. Mantuanorum Duce exstructam. *Tea, villa suburbana.*

Transito Lacu, quinque milliaribus ab Mantua Villa visitur *Marmirolum* ab Friderico I. quem dixi, magno artificio, magnoque sumtu ædificata. *Marmirolum.*

Secundum Mincium adverso itinere *Vallecium* Opidum se offert, ubi Pons amnis ripas jungit. *Vallecium.*

Altius dein ad erumpentem ex lacu fluvium munitissimum est opidum *Pischeria* cum Ponte: ab Scaligeris, Veronæ quomdam Principibus, conditum. *Pischeria, &c.*

Post eam ad dextram Lacus ripam tertio lapide *Parencum*: hinc altero *Lagisum*, inde mille quingentis passibus *Cisanum*, parique mox intervallo *Bardolinum* sequitur. *Parencum, &c.*

Vlterius secundo milliari in sinu Lacus Opidum *Garda*, unde Lacui, qui *Benacus* olim, nomen. *Garda.*

D. Vigil. Ab Garda his mille quingentis passibus ad *D. Vigilium* pervenitur.

Turris, &c. Altero hinc lapide *Turris* est: hinc item duobus P. M. *Paium*: inde pari spacio *Castelletum*: paulloque deinceps majori *Brenzonium*: mox *Portus*; post quem *Fons frigidus* & *Casinum* cum *Valle Soni*. *Sonum.* Fuit hic olim *Vicus Soni*, cuius hodieque adparent rudera.

Masesinum, Navenum, &c. Ab Casono ad *Masesinum* millia sunt quatuor; inde totidem ad *Navenum*; idemque hinc spatium ad *Cornu bonum*; nec majus dein ad *Turbulum*: à quo mille passibus Amnis Sacra defluit in Lacum ex montibus Tridentinis.

Arcus, Drenna, &c. Dextra Sarcæ ripa multa sunt Castella, multi Pagi; nominatim *Arcus*, *Drenna*, *Madrucium*.

Vocianum, &c. Post, ad exigui Lacus inter montes dextram *Vocianum*; & altius in Valle *Poncionum*: & circa fontem amnis *Ad D. Mariam*.

Goitum, &c. Iam ab Vrbe Mantua per lævam Mincij ripam decimo lapide *Goitum* Opidum occurrit: inde quinto *Volta Caprianaque*.

Dehinc per lævam Benaci à Pischeria P. M. VIII. ripa Lacus adeo prominet, ut *Sermio.* peninsulam fere erect, ubi *Sirmio* Opidum, Catulli ortu versibusque celebratum:

Peninsularum Sirmio, *Insularumque*
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter, quamque lætus inviso,
Vix mihi ipse credens Thyniam, atque Bithynos
Liquisse campos: & videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis,
Quum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus Larem ad nostrum,
Desideratoque adquiescimus lecto.
Hoc est, quod unum est, pro laboribus tantis.
Salve o venusta Sirmio, *atque hero gaude;*
Gaudete vosque ludiæ Lacus undæ;
Ridete quidquid est domi cachinnorum.

Ad quem locum Iosephus Scaliger: *Scaligerorum Principum amœnissimus secessus* Sirmio *a Theodorico usque Scaligero Gotho, quem* Diedrich von Berna *vocant Germani, ad Avum usque meum Benedictum Scaligerum, qui profugit ad Gentilem suum Matthiam Regem Vngariæ, cognomine Corvinum.* Scribit apud eumdem Parthenius de *Sirmione* hoc modo: *Nunc quidem est angustum cum Theatri lateritij relliquiis Opidum. Olim autem Vrbs neque exigua, neque obscura, à Pannonicis sive Vngaris aliquando instaurata, ut ego in quodam eleganti atque antique Grammatici cujusdam Epigrammate comperi.* Meminit & Antoninus. Hodie *Sermione*.

Ripaltella, &c. Sequitur quarto fere lapide per ripam *Ripaltella*: mox primo *Desencianum*: & ulterius *Cornu Spinæ*: dehinc altero *Padengaum*: paulloque supra mille pass. *Monica*: *Salodium.* mox *Dusæum*, *Arx Minerbæa*, *Pons Dusanus* & ulterius nobile Opidum *Salodium*, vel, ut alij vocant, *Longa Salona*.

Haud procul hinc *Barbaranus* amnis sequitur & ab eo milliari quarto alius, *Bornicus*: paulloque altius *Madernum*: postea Fluvius *Tusculanus*, quo transito Vicus co- *Benacum.* gnominis invenitur, ubi vestigia *Benaci* Opidi, a quo priscum Lacui nomen. Inundatione jacet subversum. Meminit fortean Vopiscus in Probi Principis vita: *Posteri Probi vel odio invidiæ, vel timore Romanam Rem fugerunt, & in Italia circa Veronam ac Benacum ac Larium, atque in his regionibus Larem locaverunt*: nisi quis velit Lacum ibi designari. Hinc *Benacenses*, Opidi Incolæ, vel Lacus Adcolæ (prius malim) in Inscriptione, quæ apud Onuphrium Panuinium:

IMP . CAESARI
DIVI . ANTONINI . AVG
PII . FIL . DIVI . HADRI
ANI . NEP . DIVI . TRA
IANI . PARTHICI . PRO
NEP . . DIVI . NERVAE
ABNEP . M . AVRELIO
ANTONINO . AVG . AR
MENIACO . PONT . MAX
TRIB . POT . XVIIII . IMP . II
COS . III . BENACENSES

In alia, quam idem Onuphrius profitetur se *Tusculani* super Lacum Benacum vidisse, & accurate descripsisse:

IMP . CAES . M . AN
TONINI . PII . GERM . SAR
MATICI . FIL . DIVI . PII . NEP . DIVI
HADRIANI . PRONEP . DIVI . TRA
IANI . PARTH . ABNEP . DIVI
NERVAE . ADNEP . M . AVR . COM
MODO . ANTONINO . PIO . FEL
AVG . SAR . GER . MAX . BRIT
P . M . TR . POT . XIIII . IMP
VIII . COS . V . P . P . NOBI
LISSIMO . PRINCIPI
BENACENSES

Succedunt inde *Viavetrum, Boiacum, Villa, Carnianum*; unde quinque millium itinere ad *Pratum famis* devenitur. *Viavetrum, Boiacum, &c.*

Visuntur mox Flumina *Campio, Brosa, Linion* & *Ponalis*: hinc nobile Castrum *Riva*; altera in ripa *Turbulum* est. *Riva. Turbulum,*

Lacu relicto, Padum persequar. Iuxta eum, post Ostium Mincij, *Burgum* est situm, ab Mantuanis ædificatum, anno CIↃ CXI, ut Æquicola notat libro I. Histor. Mantuan. *Burgum,*

Sequitur introitus in Padum *Ollij*, de quo supra. Itinere secundum eum adverso, dextra, se pandunt Opida *Macheria* & *Aqua Nigra*. *Macheria, Aqua Nigra.*

Supra Macheriam sunt *Ad S. Martinum, Rodondescum, Casaletium (Gazzoletto) Castellum Vgonis, Casalmorum, Rodecum, Castellum Ziphraum*: inde *Nugularia*, *Ceresaria*, *Publica, Medole, Volta, Sulphurinum*. *Ad D. Martinum &c. Nugularia, &c,*

Rursus ab Ostio Clisij, per dextram eius sursum post Aquam Nigram *Martana* est; & altius *Asola*, castellum à Brixianis eversum anno CIↃ CXXV. *Martana,*

Dehinc *Aqua Frigida, Carpenodulum*, *Ad D. Georgium*, *Mons Clarus* ab Imperatore Friderico II subrutus: mox *Castilio Stiverorum* (*Castion dalle Stivere*) cum Arce; item *Calcina* & *Lonatum* Opidum. *Aqua Frigida, Carpenodulum, &c.*

Interius in mediterraneis *Poponacium* est, altiusque *Pozeum, Calvalcazesium, Calvalzesium, Musculon*, & *Ripa* ad ostium Lacus Idrini; in cuius dextra *Idrum*, unde Stagno nomen. Alij *Hydrum* vocant, ab *Hydra*, quam Hercules hic obtruncasse falso à quibusdam perhibetur. *Poponacium, &c, Idrum,*

Post confluentem Ollio *Clisium Canedum* cernitur; unde *Canedolorum* nobilis Bononiæ gens. *Canedum,*

Sequuntur altius *Castellum Gofredi* & *Volonium*. *Castellum Gofredi.*

Læva Clisij sursum post Navilium flumen varia visuntur Opida, quæ vernacule *Monastero*; *Romadello*, cognomine *di sotto*, inferum; *Casal-Moro*; *Romadello di sopra*, superum; *Calvisano*, Latinis *Forum Calvisij*, à *Q. Calvisio*, ut quidam augurantur conditum; cuius mentio apud Cæsarem in Ephemeridibus. *Monasterium, &c. Calvisanum,*

 Altius

Malpaga, &c. Altius dein inter Clisium & Navilium amnem *Malpaga, Montron, Castagnedulo, Borgo Saiolo, Pavon, Guidazuola, Gavardo.*

Sabium, &c. Iuxta fontem Navilij *Sabium* est inde *Muntin* & *Vasium.*

Ludronum. *Ludronum* in editissimis montium jugis est situm.

Gambara, &c. Ab Ollio Melaque, qui ipsi commiscetur, Opida se pandunt *Gambara, Prato Albuino, S. Cervaso, Civole, Pauno, Ottolengo, Bede, Leno, Isolella, Mazzanello, Ponsano, Bagnuolo, Panzarata, Le Chiavigne,* Latine scribentibus *Clavinia; Felur, Verzian, La Torre, S. Gegnesio.*

Brixia. Tum ad Montis radices nobilis est Civitas *Brixia.*

Sic Livio multis locis, Plinio lib. III. natur histor. cap. XVIII. & Iuniori in Epistolis, Nazario in Panegyrico, aliis; Βρηξία Straboni & Ptolemæo dicitur: quæ hodie *Brescia.* Meminerunt & Antiquæ Inscriptiones: quarum

I Romæ juxta S. Blasij ad Viam latam:

D . M
C. NIGIDIO . C. F
FAB . MARCELLI
NO . BRIX . MIL
COH. I. PR. 7. LEPIDI
MIL. AN. V. VIX. ANN
XXIIII. D. RESTIANVS
IVSTVS . B. M. F

II Noviomagi in Gelriæ Ducatu, in Ædibus, quæ quomdam fuerunt V. CL. Gerarti Falcoburgij; a me ibi descripta:

Q. . . . BISIVS . SECVND
Q. F. DOMO . BRIXSÆ
MIL. LEG X. G. 7. COMINI
CELSI . AN . XIX. ST. VII
HERED. . EX . T . C

Origo. De Origine varia traduntur, sed parũ explorata. Aliis certiora forte apud Livium, quem multi sequuntur. Notat is ab *Cenomanis* (inemendatiores Codices *Germanos* præferunt) conditam; cum Elitovio & Beloveso Ducibus ex Galliis, per Taurinos & Alpes Iulias in Italiam transgressis. Hinc *Cenomanorum* genti tribuitur etiam à Plinio & Ptolemæo, quin & Livius libro XXXII. *Brixiam Cenomanorum* signat *caput.*

Qualitas. Civitas est pervetusta, dives, populosa, ampla, validis munita muris, Arce superbiens inexpugnabili: pulcra ædificiis cum publicis, tum privatis. Eam Amnis perlabitur

Situs. Garcia, quem aliqui Melam vocant: de quo alibi. Ad Situm pertinent hæc Catulli Poetæ:

Flavus quam molli percurrit flumine Mela
Brixia, *Veronæ Mater amata meæ:*

O dulci

O dulci jucunda viro, jucunda parenti
Salve, teque bona Iuppiter auctet ope.

Castrum habet munitissimum è vertice Vrbem despiciens, & egregio firmatum ab Venetis Præsidio: Templa magnificas Monasterio stupenda; Hospitale pulcrum. In Palatio Capitanei hæc leguntur: Arx. AEdificia publica

Hic locus odit, amat, punit, conservat, honorat;
Nequitiem, pacem, crimina, jura, probos.

Templum & Episcopi Palatium, quin tota Civitas, eiusque Territorium, omnia inquam, passim lectissimis Marmorum Inscriptionibus, Statuis, Statuarum titulis & elogiis, variorumque Epitaphiis sunt plena. Incolæ locupletes, lauti, nobiles, solertis ingenii. *Iuventus Brixiana* nominatur in Inscriptione, quæ in Hispania legitur Cazagi in Sacello D. Mariæ: Antiquitates. Incolæ. Res gestæ.

M. PVBLICIO. M. F
SAB. SEXTIO
CALPVRNIANO
EQVO . PVBLICO
FLAM. DIVI . IVLI
PRÆF. AEDIL. POT
QVÆSTOR . ÆRAR
SACERD. IVVEN. BRIX
COLLEGIA
CENTON. ET. FABROR

Sic *Synagogæ Brixianorum* mentionem facit Lapis, qui apud Onuphrium Panuinium:

COELIÆ . PATERNÆ
MATRI. SYNAGOGÆ
BRIXIANORVM

Familliæ Nobiles ibi non paucæ; in quis principem habent locum *Gambaræ, Martinengi, Madii, Advocati, Averoldi, Luzagi & AEmilij*, qui ab Romanis orti. Fidem coluisse legitur perpetuo *Populo Romani*; præsertim Bello Punico post cladem ad Trebiam Amnem ab Hannibale inlatam. *Colonia* deducta est cum reliquis TransPadanis ab Cn. Pompeio Strabone, anno IↃCLXV; & postea cum aliis ab C. Cæsare Dictatore Civitatis jure donata. Vide Pædianum in Pisonianam, Plinium lib. III, cap. XIX, Suetonium in Iulij Cæsaris Vita. Eo pertinent Inscriptiones: quarum ibi Familiæ nobiles. Colonia.

I. in Ædibus Episcopi

COLL. FABR. ET. CENT
SEX. SEXTIO. ONESIGENI
ORNAMENTIS
DECVRIONALIBVS
BRIXIÆ. VI. VIR. AVGVSTAL
PATRONO. COLLEGIORVM
FABROR. ET. CENTENARIOR. ET
DENDROPHORORVM

II. ad Turrim Palatij:

COLLEGIA. FABR. ET. CENT
L. CORNELIO. PROSODICO
VI. VIR. AVG. BRIXIAE ET
VERON. SACERD. COLLEG
IVVENVM. BRIXIAN
PRIMVM. INSTITVTI
OB MERITA. EIVS
HONORE. CONTENTVS. IMPENDIVM
REMISIT. IS. IN. TVT. HS::I
N . D

Deinceps in *Imperatorum* fuit potestate. quamdiu salva stetit sua Romano Nomini maiestas. Post ab Radagiso Gothorum Rege incendio vastata, anno CCCCXIII hinc ab Attila Hunnorum principe subversa, sed refecta anno CCCCLII, imperante Martiano: mox ab *Langbardis* possessa usque ad captum ab Karolo Magno Desiderium: quo exstincto, successit *Francorum Imperium*. Inde ab Othone Saxone

Cæsare libera Imperij Romani Civitas est facta, anno cIↃ cxxxvI: mox ab Henrico vI direpta, muris nudata, suisque spoliata Privilegijs: ab *Scaligeris*, Veronæ Ducibus, opera Guelforum est capta. His successerunt *Vice-comites*, Mediolani Principes; à quibus sæpe vexata ad *Venetos*, defecit; quibus ab *Gallis* rursum ademta, paullo post ijs est restituta. Opibus hodie floret, *Vrbis veneta Sponsa* cognominari solita. Fidem Christianam suscepisse traditur ab *D. Apollinari*, Ravennatium Præsule. Episcopatus habet titulum. Viros genuit *Brixia* præstantissimos; *Martinum Colocerum*, Martyrem; *Corradum Donatum* & *Sebastianum Madium*, Sanctorum numero adscriptos: *Vbertum Gambaram*, Cordinalem: *Gaulam*, ex Ordine Prædicatorum & *Cerardum Madium*, Patriæ Episcopos; *Altobellum Averoldum*, Antistitem Polanum: Item Theologos, *Albertum Mandugasinum*, qui floruit circa annum ab Christo nato cIↃ ccccxl; *Bernardinum Gadolium*, Abbatem Camaldulensem, *Lucam Bernardum*, *Iacobum Brixianum*, *Gratianum* & *Franciscum Samsones*, *Theophilum Bonum*; *Antonium* denique *Locatellum*: Iuris-consultos: *Laurentium Calcaneum*, *Bartholemaum*, *Brixianum* cognomine: *Lanfrancum Orianum*: *Stephanum Federicum*: *Andream Brixianum*: Medicos, *Franciscum Caballum*, & alios: Historicos, *Antonium Brixianum*: & *Corradum VVengerum*: Philosophos & Litteratores: *Carolum Valgulium*, *Calpurnium*, *Bonifacium Bembum*, *Petrum Lazarinum*, *Ioannem Britannicum*. Dedit & præclaros Militiæ Duces: in quis *Gerardus*, *Ioannes Franciscus*, *Bruno* Ioannis filius, *Gambara*: *Matthaus Madius*: *Casper*, *Antonius*, *Marcus Antonius Baptista*, *Martinengi*: *Thaddaus* & *M. Antonius*, *Metellani*: *Aloysius Advocatus*: Pictores celebriores: *Octavianum Pandricium*, *Bartholemaum Textorinum*, *Vincentium Brixianum* cognomine. Historiam Vrbis, simulque dignitatem & splendorem multis prosequitur *Capreolus*. De ea sic Baptista Mantuanus:

Episcopatus. Sancti, Clari Viri. Illustrator.

> Brixia, *magnorum genitrix animosa virorum,*
> *Gallia seu genuit, seu te Germania mater:*
> *(Nam genus abscundit tenebris adoporta vetustas)*
> *Tu Cenomanorum quomdam Regina fuisti:*
> *Vive diu Veneti sub majestate Senatus:*
> *Atque age sub Divo placidissima tempora Marco.*

Ager. Territorium late patet: opidis, vicis, pagis stipatum, aquis irriguum saluberrimis: uberrimum tritici, siliquorumque frumenti generum, item vini oleique fertile, neque carens ferri ærisque fœcunditate.

Reggiattum, &c. Mons planus, &c.

Occurrunt extra Brixiam versus montes *Reggiate. Bottesino, Virle, Novolara.*

Altius inde ad Melæ dextram Castella jacent *Mon-piano, Conciso, Serezzo*: ad lævam *Chorio, Villa, Vncino.*

Brocinum, &c. Haud procul inde *Brozzo* & *Lodrio.*

Tissattum, &c. Ad Mormæ fontem *Pessazza*: postq. nonnullum intervallum *Borato* & *Coio*: succedentibus inde post Melæ Ostium in Ollij læva *Regna, Balci, S. Bassam, S. Cervaso, Verola Vecchia, Scarlarolo, Cadignano, Minerbe, Favenzano, Cignano, Quinzenello, Corteselle, Boldenizzo, Ponte del Castello, Logrado, Torbolo, Travais, Cocaglio, Carabo, Rozzadello, Spedaletto* (*Hospitaleto*) *Manduola, Monastero, Roato, Castegnaro, Caladugo, Passeram, Gusago, Lata*: in ejusdem Ollij dextra *Senega, Fianello, Ponte-Vico, Montesello, Quinzano* (quod patria *Ioannis Francisci Stoa*, Poetæ nobilis & *Dominici Phœnicis*, Fratrum) *Codalunga, La Pieve, Verola Vecchia, Motella, Villa Grana, Gabiano, Ogica, Barche, Orzi Nuovi*: *Orcos Novos* vocant Latine scribentes, & nonnulli *Vrceanum*, ante *D. Georgij* dictum, egregie munitum ab Venetis, Arce structa: Episcopatus titulo insignitum.

Seneza, &c. Quintianum, Clari Viri. Orci Novi. Episcopatus.

Fodianum, &c. Clarium. Episcopatus. Obferunt inde se *Fodiano, Campizzo, Padernello, Farfengo, Barbarica, Cauriolo, Geriola, Favanzano, Rudiano, Vrago, Ludriano, Castrozago, Chi..rio*, Latinis *Clarium*, ab *Aquis claris* denominatum, frequens & amœnum, Præsulatu clarum; *Palazzuolo*, ubi pons Ollij ripas nectit.

Isinum. Succedunt mox *Capreolo, Sarnego, Isco*, quod Lacui antiquitus *Sebino*, nomen hodie largitur.

Pisonium. &c. Ad Ollij Lacui concurrentis finem Castellum est *Pisogno*; & ad concurrentem cum Ollio *Griniam, Bueno*: mox *Cividale* & *Breno.*

Dosiolum. Iuxta Padum ab Ollij ostijs, ut eo redeat locorum commemoratio, primo *Dosiolo* est per

est: per lævam eiusdem amnis sursum incedenti *Bozzolo* occurrit: supra confluentem Clisij *Platina*, opidum ortu *Baptistæ Platinæ*, qui Vitas scripsit Romanorum Pontificum celebre, de quo ipse in Conone. Platinam sequuntur ad eamdem ripam *Ostian* & *Labina*, *Bebriacum* Tranquillo in Vitis Othonis & Vitellij Imperatorum, Tacitoque libro 11. Historiar. cui Vicus inter Cremonam & Veronam. Lipsius legit apud Tacitum *Bedriacum*, ex Vaticano Codice. Testatur Pulmannus in quibusdam membranis exstare *Betriacum*: sic apud Plutarchum Βητρίακον: Φρηγδίακον est apud Iosephum corrupte. Audiamus & antiquas Glossas in Iuvenalis Sat. 11. ad illud Poëtæ. Platina, Platinæ Patria. Labina, olim Bebriacum.

Ille tenet speculum——— ———

Occiso, inquit, Galba Imperatore, Otho invasit Imperium: qui tam probrosæ curæ in poliendæ forma fuit, ut humecto pane faciem liniret ad sollicitandum candorem: utebatur & speculo. Hunc incomparabilis vitæ bello Civili Vitellius vicit apud Bebryacum Campaniæ. Horum bellum scripsit Cornelius, scripsit & Pompeius Planta, qui ait Bebryacum vicum esse, à Cremona vicensimo lapide. alias Bebriaci, idest Pontici, unde Pelles Bebrinæ. Galba enim Ponticus fuit. Expendant hæc locorum gnari.

Vlterius *Sabioneda*, cui originem suam debent Familia nobilis *Comitum Persicorum*, Cremonensium; & *Vitalianus* Vitalani, Ducis militaris. Sabioneda, &c.

Altius deinconspiciuntur *Sozzanello*, *Robecco*, *Scandolera*, *Boedolla*, *Castell Visconte*, *Cadibalbi*, *Romenengo*, *Zanello*, *Trigolo*, *Casaletto*, *Soncino*, quod Incolis stipatum, varias passim cum ab Friderico Ahenobarbo, tum ab alijs calamitates, varios habuit Dynastas, *Mediolanenses*, *Francos*, *Venetos*, postremo *Karolum* v. Imperatorem; qui illud, defuncto Francisco Sfortia II. Mediolanensium Duce, donavit *Maximiliano Stampæ*, Patritio Mediolanensi, cum titulo Marchionatus. Nati ibi *Paulus Barbus*, Prædicatorum Ordinis, Scriptis clarus, *Bernardinus Corvus*, *Guido Zappa*, Orator & Poëta. Sozzanellum, &c. Soncinum. Calamitates. Principes. Clari Viri.

Visuntur inde *Galignan*, *Villa Nuova*, *Pumenengo*, & altius *Calze*. Galignanum, &c.

Ad lævam Padi ripam ab Ollij ostio post Dosiolum, de quo ante, *Viadana* se pandit, Latine scribentibus *Vitelliana*, ab *Vitellio* Imperatore, quæ Blondo Platinæque mens est, nominatum. Viadana.

Succeduntinde *Casal Maggior*, *Torrigella*, *Castel de i Ponzoni*, & *Cortese*. Casale Maior, &c.

Superato Navilio, Padi incola, ad *Cremonam* devenitur. Cremona.

Antiquum Opidum: nomen retinens, notum Livio multis locis, Straboni libro v. Tacito, Plinio lib. III. cap. XVIII. Ptolemæo, aliis. *Troiam* ante dictam, & ab Hercule Iasonis comite in memoriam victi ab ipso ad Padum Gigantis conditam, matrisque Nomen antiquum.

triuſque nomine *Climenam*, lapſuſque temporis *Cremonam* nuncupatam pervetuſta tradunt Chronica. Pado tam vicina, ut ab exundatione eius detrimentum ſubinde patiatur. Plinius in Decima locat Regione: Ptolemæus in Cenomanis. Plateas habet latas: Ædificia ſplendida, cum privata, tum publica: cum primis Arcem validam, hoſtibuſque formidabilem: & Turrim, ſtupendæ altitudinis, anno CIↃ CC LXXXIV. conditam, Europæ mirabilibus conſenſeti ſolitam. *Colonia* Romanorum facta, T. Sempronio & P. Cornelio coss. anno IↃ XXXVII. ingruente in Italiam Hannibale, uti propugnaculum eſſet, memoriæ proditur ab Livio & Tacito. Sequentibus annis ab externis bellis intacta manſit, Civilibus infelix, ut Tacitus loquitur: multas magnaſque perpeſſa calamitates Antonianis præſertim temporibus, quum Victor Octavianus Veteranis ſuis *Agrum Cremonenſem* adſignaret. Hinc Virgilius in Eclogis:

Situs, Publica Opera, Colonia, Res geſtæ,

Mantua veh miſeræ nimium vicina Cremonæ.

Sic M. Valerius Martialis:

Iugera perdiderat miſeræ vicina Cremonæ,
Flebat & abductas Tityrus æger oves:
Riſit Tuſcus eques, paupertatemque malignam
Reppullit, &c.

Principes,

Poſt ab Gothis miſere vaſtata, item ab Lang-bardis toto propemodum everſa, anno IↃ CXXX. Mox quum Italiæ Regibus aliquamdiu paruiſſet, ſui juris, aliatum Vrbium exemplo, ſub Imperij Romani nomine eſſe cœpit. Bello implicata civili, quod inter Guelfos & Gibellinos geſtum, ſplendorem amiſit cum libertate; alijs atque alijs imperium rapientibus *Palavicinis*, *Doverianis*, *Cavalcabis*. Tandem in *Galeatiorum*, hinc in *Sfortiarum* ditionem redacta, ab *Ludovico* XII. Galliarum Rege occupata, ex pacis legibus *Venetis* ceſſit; á quibus decennium poſſeſſa ad *Gallos* redijt: quibus Italia profligatis, *Sfortiæ*, Mediolani Duces, ſucceſſerunt. His deficientibus cum tota Inſubria ad *Karolum* V. eiuſque Heredes, Hiſpaniæ Reges, eſt devoluta. Conſulendi Sabellicus, Paullus Diaconus, Blondus, Corius, Merula, alij. Ob Fidem, quam ſuis Principibus ſervare conſuevit, *Fida* meruit cognomen. Epiſcopatus floret titulo. Magnorum Virorum genitrix: in quis primi loci *Franciſcus Sfondratus*, Cardinalis: *Euſebius*, D. Hieronymi diſcipulus: *Micolaus*, Epiſcopus Placentinus: *Gulielmus*, Sodalitatis Eremitarum Magiſter, & Epiſcopus Navarræ: *Franciſcus Regatius*, Minorita, Epiſcopus Bergomi: *Moneta*, Prædicatorij Ordinis, Profeſſor Iuris Bononienſis, Auctor Summæ Caſuum Conſcientiæ: *Orlandus*, eiuſdem Ordinis: *Apollinaris*, *Cremonenſis* cognomine: *Ioannes* & *Martinus Boſiani*: item *Richardus Malumbra* & *Hieronymus Ponzonius*, Iuriſ-conſulti: *Gerardus Sabuloneta*, Medicus & Philoſophus: *Ioannes Baliſtarius*, Blondi Præceptor: *Petrus Somentius* & *Daniel Cajetanus*, Linguarum doctiſſimi. His adcenſendi *M. Furius Bibaculus* & *Quintilius* antiqui ævi Poëtæ. Ante mœnia fuit Mephitis Templum, quod vel loco vel numine defenſum, notat Tacitus: quum Vitellianis temporibus tota Civitas diriperetur, omniaque ſacra profanaque in igne conſiderent. Ager illi planus & campeſtris: tritici, milij & aliarum frugum fructuumque, Vini item linique ferax.

Epiſcopatus, Clari Viri, Mephitis Templum, Ager,

Ab Cremona ſecundum Navilij, moxque Ollij ripam ſuperiora petenti ſe offerunt *Braganegra*, *Grugno Torto*, *Paduno*, *Farferico*, *Caſal Botroam*, *Caſal Moran*, *Fieſe*, *Corte de i Cavalcabò*: *Salverola*, *Sorreſina*, *Trivoli*, *Rivolta*, *Fontanella*, *Iſſa*, *Antignan*, *Barbar*.

Braganegra, Grunium, &c. Turris Paſſerū.

Succedunt deinde *Torre dalle Paſere*, *Paloſco*, *Telgato*, *Calepio*, *Livere*, *Ciolo*, *Gurlago*, *Calcina*, *Laminella*, *Grumello*, *Spino*.

Crypta. Piceleo.

Ab Adduæ; Pado ſe miſcentis, oſtio ſurſum incedenti *Crypta* occurrit: inde ultra Lecium Orcum *Piceleo* cum arce munitiſſima, cuius, atque adeo Opidi auctor Philippus Maria Vicecomes, Dux Mediolanenſis.

Viciara, Rivoltella, Caſtione, Margera,

In Serij amnis dextra ſurſum *Vizzaga* & *Rivoltella* viſuntur: item *Caſtiglione*, Opidum ab Cremonenſibus conditum contra Cremenſes, teſte Corio parte I.

Sequuntur *Marghera*, *Iſſa*, *Ottonengo*, *Camiſan*, *Torre Coſſo*, *Romano*, *Monaſterio*, *Martinengo*, *Chiſalba*, *Malpaga*, *Gavermago*, *Padreno*, *Baſlia*, *Scanzo*, *Coſta*, *Gandino*.

Mons Dodon,

Ad Adduæ ripam lævam ſurſum ad oſtium Secij amnis eſt *Monte Dodon*: inde *Abbadia di Cerete*, & *Rivolta*: mox Opidum nobile *Crema*. Fuit hic olim,

ut

ut locorum periti adserunt. Φόρος Ἰεντουΐτων, Opidum Ptolemæo notum, Cenomanis adcensenti. Latini Interpretes vertunt *Forum Diuguntorum*. Condita fertur *Crema* ab Catholicis Civibus Vrbis *Parrhasij*, post deletam *Crematam*que (unde loco nomen) ab Archiepiscopo Mediolanensi: vel, uti aliis placet, ab Henrico IIII. Imperatore, patriam, anno CIↃCCCCLI. Sita est in perpulcra planicie, mœnibus firmissima. Amplitudine, elegantia, divitiis, ædificiorum splendore, Civium frequentia, rerum omnium copia multas Italiæ Vrbes superat. Censetur inter nobilissima Abbatia Cerreti, Riparia, Conditores, Appellatio, Situs, Qualitas,

Italiæ Castella: unde vulgo, ut alias notavi: *Barletta in Puglia, Prato in Toscano, Crema in Lombardia*. Prima *Cremæ* mentio incidit in ævum Friderici Ahenobarbi Imperatoris: ab cuius milite, auxilio Cremonensium, Laudensiumque, misere legitur habita, anno CIↃCLX. Corio scribente, parte I. Instauratam mox ab eodem Imperatore, ut Blondus memorat libro XIV. Historiar. *Cremonensibus* adtribuit Henricus ipsius filius CIↃCXCI. eodem Corio notante parte II. Occuparunt inde imperium eius *Palavicini, Benzoni, Turriani, Doveriani, Vicecomites* Mediolanensium Reguli. *Veneti, Francorum Reges*, rursumque *Veneti*. Præsulatum retinet Vrbis, quam antea dixi, subversæ, sed vehementer imminutum & truncatum. Genuit claros Viros, in quis agmen ducunt *Benzoni*. Ager illi optimus, supraque modum fœcundus: non pauci ibi aquarum rivuli, in quis optimi proveniunt Pisces, præsertim Mustelæ, & qui voce patria *Marsoli*. Calamitates, Principes, Episcopatus, Clari Viri, Ager,

Haud procul Crema in Mediterraneis pandunt se quæ vulgo *Vaila*, *Mazzanega*, & *Barian*, quod *Barra* Plinio, Orobiorum esse Vrbem, interiisse, indeque Bergomates originem duxisse ex Catonis sententia notanti. Decimo ab Vrbe Bergamo distat lapide, apud Zanchum. Vailates. Mazanica. Barianum,

Sequuntur *Morengo*, *Cologno, Orguano*, *S. Maria della Basella*: cui unde nomen, aperit Leander. S. Maria Basilliana,

Visuntur hinc sursum vorsum *Campagnuola & Seriato*.

Occurrunt dextra Abduæ ripa adverso itinere *Spirio, Pandino, Rivolte*, quod *Ripa-Alta* Historiographis, Cladem Venetis ibi anno CIↃ IↃ IX. pridie Eidus Maii inlatam delineantibus. Campaniolum, Spinum, &c. Ripa-Alta.

Offerunt se inde *Acquadello, Galvazzano, Cesaren, Trivilio, Caravaggio*, quod Victoria Francisci Sfortiæ, Mediolanensium exercitus Præfecti contra Venetos, nobilitavit. Consulendi Blondus, Simoneta, Platina, Corius, Sabellicus. Aquatellum, Galvazanum, &c. Caravaginm,

Dextra Brembi, Abduæ concurrentis, ripa superiora petenti adparent *Arceno, Bolcetto, Cesarino, Verdel Maggiore, Spira, Verdel Minore, Como Nuovo, Stezza, Seiato, Ossio, Ossio di sopra, Cologno, Dalino, Albigna, Trevolo*. Arcenum,

Spectatur hinc *Bergomum*. Sic Trogo, Plinio, Orobiorum stirpis ex Catone aienti, Bergomum,

ti, Paullo

ti, Paullo Diacono, alijsque; item Inscriptioni, quam in Mediolani historia ponam: Βέργομον Ptolemæo: quod iamnunc, antiquum retinens nomen, *Bergamo*. Conditum ab *Gallis Cenomanis* nomen indicat; quorum prisca lingua, ut hodie nostrate, *Berg*, *Mons*; quod in iugo montis situm. Insulsos esse, qui *Pergamum* scribunt, & nescio quos Græcos somniant conditores, notarunt alij. Loco situm est amœnissimo. Ambitus cum quatuor Suburbis, quæ coniacent, non minor quam Mediolani. Facius lib. III, Cantico III.

Conditio. *Situs.* *Ambitus.*

Passati al Sere, la Lama, e'l Brenno,
Trouamo il Bergamo in su la costa
Ch' è parlar grosso, & è sottil di senno.
La lor Città però, che è si ben posta,
In fronte pregio porta, pregio, è fama;
Ch' alcuna volta da Milan s'accosta.

Ædificia. *Episcopatus.* *Incolæ.*

Ædificiis superbit splendidis, cum publicis, tum priuatis. In D. Mariæ Sepulcrum est magnificum, ex Marmore, *Bartholemæi Colconij*, strenui militiæ Ducis, cum equestri eius statua. Episcopatus floret dignitate. Incolæ sermonis quidem rusticani; sed ingenii magni, cunctarumque artium capaces. Doctum est & elegans Carmen de *Bergomatum* Indole Moribusque Viri nobilissimi Iulii Cæsaris Scaligeri:

Ingenium, corpus, mores, obtutus, amictus,
Tecta, cibus, gressus, guttura, sermo, sonus:
Omnia crassa modis insignibus; omnia dura,
Sic valeant silices ut superare suos.
Ista domi: sed vicinus si aspergat acetum;
Artibus atque dolis vincitur ipsa suis.

Clari Viri.

Splendore suo *Bergomum* inlustrarunt: *Gulielmus Longa. Familia*, Cardinalis: *Gerardus*, Savonensis Episcopus; *Thomas Cataneus*, Cerviæ Præsul; *Cosparinus Bargizza*, *Petrus Almaduranus*, *Ioannes Ceresolas*; Theologi: *Albericus Rosates*, *Matthæus Forestus*, *Ioannes Suardus*, *Gabriel Alexander*; Iurisconsulti: *Bonifacius Clusonius*, *Guido Carrarianus*, Filiusque eius *Michael*, *Ioannes Augustinus Turrius*; Medici: *Bartholemæus Ossanus* & *Iacobus Philippus*; Historiographi: *Ambrosius* denique *Calepinus* primus Dictionarij Auctor; qui eam suo cœpto consequutus est felicitatem, ut Opus, quod rude & impolitum edidit, licet ab Viris doctissimis sæpe supra modum sit auctum & inlustratum, varijs etiam adpositis linguis, semper tamen ipsius nomino fulgens prodeat, quod paucis contigit. Tanti est, felicia rebus æternum duraturis ponere fundamenta. Est item Bergomas *Damianus*, Prædicatorij Ordinis Monachus, stupendus componendorum ex ligno segmentorum & vermiculatorum Emblematum artifex. His adcenseri digna Bergomensis illa Lucretia, singulare pudicitiæ exemplum, *Antonia, Virgo* (Elogij, quod ab Civibus in Palatio positum, verbis dicam) *non minus animi, quam corporis pulcritudine pollens: quæ quum à Friderico Imperatore violentum in se stuprum parari videret, mortem pro conservanda pudicitia vilipendens, gladiaque violatori erepto intrepidum sibi pectus transfodiens, singulari Castitatis exemplo Vrbem hanc perpetuo illustravit*, CIↃ C LXIIX. In Prædicatorum Cœnobio Bibliotheca est insignis, quam Alexander Martinengus, Malpagæ Dinasta, instituit. Sub Conditorum, quos *Gallos* dixi, primo constituta potestate, inde ab *Romanis* inditionem est redacta. *Reipublicæ Bergomatis* sub Trajano Imperatore mentionem facit Lapis Brixianus ad S. Faustum:

Bibliotheca. *Res gestæ & Principes.*

P. CLO-

P. CLODIO. P. F.
FAB. SVRÆ
Q. FLAMINI. DIVI
TRAIANI. PONTIF.
II VIR. QVINQ. TRIB. LEG
II ADIVTRIC. PIÆ. FID
CVRAT. REIP. BERGOM
DAT. AB. IMP. TRAIANO
CVRAT. REIP. COMENS
DAT. AB. IMP. HADRIANO
COLLEGIA
FABROR. ET. CENT

Successu temporis ab Attila Hunnorum Duce vastatam, uti Paullus Diaconus scribit libro XV ad Eutropium, possederunt diu *Langobardi* sub Præsidibus, qui *Duces Bergomates* audiebant. Post hos *Italiæ Reges* habere cœpit Dominos; inde sui facta juris exemplo reliquarum Civitatum sub *Imperatoribus* floruit *Romanis*. Duravit status ille usque ad *Philippum Turrianum*, à quo per vim anno CIↃCCLXIV occupata, variosque inde experta Regulos, *Galeatios, Scaligeros*, *Suardos*, *Picininos, Malatestas*, aliosque, & multis concussa calamitatibus ad *Venetos* defecit; inde ab *Gallis Sfortiisque* subjugata, tandem ab *Venetis* est recuperata. Diaconum vide, quem dixi item Merulam, Blondum, Corium, Simonetam, Æquicolam, Capreolum, aliosque. Ager suburbicarius supra modum fertilis; præterquam qua Septemtrio, ubi totus asper, montosus, sterilis. Ferrum habet & Cotarias, lapidemque *Cadmiam*, ex quo æs confit. Consule Plinium lib. XXXIV natur. hist. cap. 1. Vellera suppeditat magni precii. *Ager.*

Valles circa Bergomum, Vini Oleique suavissimi feraces, sunt passim multæ, in quis primas facile tenet *Seriana*. Sunt in ea, quæ vulgato Idiomate *Sersago, Gorle, Alzano, Nembri, Albe, Desenza, Gazaniga* & *Barlo*. *Valles variæ. Sersacum, &c.*

Post *Brembanam* Vallem pandunt se inter montes, cum aliis, Vici Castellaque *S. Pietro* & *Menio*. *S. Petri Fanum. Menium.*

In Valle *D. Martini* visuntur *Pontida, Cesano, Caurino, Callozzo, Rosino* & *Lorentino*. *Pontida, &c.*

In *Mancana* Valle sunt *Villa di S. Pilegrino, S. Giovanni, Platia*, & *Roncola*. *Villa D. Peregrini &c.*

Inter Brembum & Adduam *Caverniato* invenitur. *Caverniata.*

Læva Brembi ripa superiora versum incedenti occurrunt *Brama, S. Cervasio, Ranize, Caurio, Filaço, Bonare di sotto, Bonare di sopra, Temo, Castelletto*: dextra vero, *S. Cervase, Cereto, Putanengo, Medolago, Cerignano, Colza, Torre di Cesare, Calepio*, & ulterius validissimum Opidum *Leucum*, Mediolanensium subditum potestati. Ab eo proximo Lacui nomen: secundum quem incedenti usque ad Larium offerunt se *Abbatia, Mandello, Lierna, Varrena, Bollano, Correno, Prona*, & alia. *Brama &c. Ad D. Servasium &c. Leucum. Abbatia, &c.*

Vbi Abdua Lario miscetur *Volegro* visitur, octoque ab eodem lacu milliaribus *Morbigno*; quod Latine scribentibus *Morbinium*; Iovio autem *Morbonium*, ob cœli gravitatem. Sequuntur inde *Sacco, Rasura, Podestan, Albare, Gerola*: item ad Abduæ dextram *Telamona, Colorina, Toro, Fusine, Cedrasco, Casolo, Bossagia*, doctioribus *Albosagia*; *Piatedo, Boffetto, Ponte di S. Giacomo, Stazzona, Tirano, Lovere, Iovo, Mazzo*: spatio inde XV M. P. inter asperrimas rupes *Grosio, Lopie, Cipina, Bormio*, Civibus frequens. Secundo hinc lapide, *Bagni di S. Martino*. *Volonium. Morbinium. Saccum &c. Grosium. &c. Bormium.*

Ab Abduæ capite in Lario, læva ripa sursum versus *Martello* & *Troana* reperiuntur: haud procul inde in monte *Caspano*, dives nobileque Opidum: succedunt hinc *Ardeno, Baio, Barbeno, Castiono*. *Martellum. Caspanum, &c.*

Ad finem amnis Malengi, qui cognominem percurrit Vallem, *Sondrium* jacet, lautum frequensque Castrum. *Sondrium.*

Vlterius dein *Pendulasco, Tresivo, Ponte, Chivre, Giero, Teglio, Boale, Rianzono, Villa, La Madonna da Tirano, Versio, Grossuto, Grosso, Sondolo*, & alia. *Pendulascum &c.*

Iuxta caput in Lario Meiræ fluminis, *Turris Volonii* fuit, vulgo *Torre di Valogno*, quam superioribus annis exciderunt Grisones. *Turris Volonii.*

Vallis ibi incipit Clavennæ, cui nomen ab Opido nobili *Clavenna*. Sic Paullo *Clavenna.*

Diacono dicitur lib. VI Langbard. cap. XXI, *Clavena* Antonino; quod *Chiavenna* Italis, *Cleven* Incolis.

Novate, &c. Inter Volonium & Clavennam *Nova* visitur. Dextra Clavennæ Meræque fluminis sursum *Coltisana* & *Stampa*; sinistra, *Piur*, Latinis *Plurium*: ulterius *Vesperanum* est, vernacule *Vespram*. Ab Clavenna Liræ læva sursum *Tauretium* jacet, vulgo *Taure*.

Castellum Novum Ostij Adduæ. Vbi Addua Pado confluit, in ripa læva, *Castellum* conspicitur *Novum*, ab Ostio fluminis cognominatum, *Castel Nuovo di Bocca di Adda*. Subversum ab Mediolanensibus Placentinisque anno CIↃ CLXXXIX, restauratumque à Parmensibus in gratiam Cremonensium, memorat Corius.

Cammaracum, &c. Visuntur inde *Camarago, Codogno, & Castellono*.

Lauda, Mox in Abduæ ripa *Lauda* Civitas se pandit; vulgo *Lodi*. *Laus* simpliciter Antonino, *Laus Pompeia* Plinio lib. III. cap. XVI, *Insubrum* notanti urbem, & Itinerariæ Tabulæ: *Laus Nova* fortean Ciceroni. Meminit *Laudis Pompeiæ* Cippus ad Viam Flaminiam erectus in Villa Iulia, haud procul Roma:

DIIS. MANIBVS
L. TITI, L. F. PVPINIA
MACRI. VI. VIRO
DECVRIO
LAVDE. POMPEIA
VIXIT. ANNIS
XXX
TITIA. RHOPE
MATER. ET
SALVIVS. VICTOR
CONLAC. F

unde dicta. Nomen Vrbi impositum memorant Mediolanensium Chronica ab *Laudo* Mediolanensi, Civitate ob seditionem profligato, & cum suis in hæc loca profecto. Eadem mens Merulæ, lib. III Histor. Vicecomitum. Blondo alijsque fabulosa hæc censentur. *Conditores,* Plinius *Bojos Gallos* facit Conditores. Polybius tamen, Strabo, Trogus, alij, Vrbes ab Gallis conditas recensentes, hujus, quod mirum, nullam faciunt mentionem. Quidquid sit, sive *Laus* solum initio fuerit dicta, sive *Laus Pompeia* simul; cognomen putat Leander inditum à *Cn. Pompeio Strabone*, Cn. Pompei Magni Patre; qui vel Colonos huc deduxisse, vel Vrbem restaurasse existimatur. *Qualitas, Incolæ, Episcopatus, Clari Viri,* Civitas est perhonesta, dives, rebus, quæ ad vitam necessariæ, abundans. Incolæ armis tractandis, exercendæque mercaturæ apti. Episcopatus floret titulo. Claros genuit Viros, non paucos: inquis *D. Bassanus*, Vrbis Præsul, Divorum adscriptus classi, *Raimundus Summa-ripensis*, Civitatis item Antistes; *Iacobus Arrigineus*, Prædicatorij Ordinis Monachus; *Ambrosius Vineatus*, *Matthæus Vegius*, & alij. *Colonia,* *Coloniam Romanorum* facit Onuphrius Panuinius. *Res gestæ,* Antiqua Vrbs eversa funditus legitur ab Mediolanensibus, anno ab Christo nato CIↃCLVIII, ob Civiles dissensiones: anno vero XLIX post ab Friderico Ahenobarbo Imperatore, hostiliter in Mediolanenses animato, nova, tertio à priscæ Vrbis ruinis lapide, ædificata: quæ sensim civibus, ædificijs, opibus crescens, libera diu suique juris fuit, sub auctoritate tamen *Imperij Romani*: post quum Gibellinorum & Guelforum in Italia Factiones essent exortæ, *Principes,* communi totius populi consensu Respublica decennali magistratu anno CIↃ CCL *Vestarino* est commissa: ab *Philippo Turriano*, Mediolani Tyranno, anno CIↃCCLXIV, occupata, rursus anno CIↃ CCCXXI ad *Vestarinos* una cum Principis titulo communibus suffragijs est translata: quibus amotis, in potestatem *Mediolanensium Ducum* anno CIↃ CCCXXXV est redacta, frustra aliquoties ad *Venetorum* adspirans clientelam. Legendi, præter Merulam, Corium, aliosque, ipsius Vrbis & Mediolani Annales. *Regi* nunc *Ager.* paret *Hispaniarum*, ut *Mediolanensium Principi*. Ager urbicus valde uber, & rei pecuariç peridoneus; Tritici, Silignis, Milij, Lactis, Butyri, Casei supra fidem, Vini, Lini, aliarumque rerum ferax.

Turricula, &c. Ab Lauda sursum procedenti occurrunt quę vernaculo Idiomate *Torretta*, *Co-*

mora, Calgagno, Villa, Migne, Busna, Muzzano, Zoloben, Persico, *Pau*, *Merlino, Corrazo, Cornilitano.*

Succedunt, Mutia amne superato, *Irocazzano*, & *Cavaion*: dein ad dextram Melgolæ ripam *Septara*; ad lævam Mutiæ *Albignano*; medioque horum fluminum *Melzi, Melpum*, ut, nonnulli putant, Plinio: opulentia præcipuum, abdenti, sed deletum ab Vicinis, eo die, quo Camillus Vejos cepit.

Irocazzanum. Cabasonium. Melzi, olim Melpum

Occurrunt hinc *Brianzago*, & *Pezzono*; & ad sinistram Adduæ *Cassano*: altius *Cropello*, mox, Navilio transito, *Vetena*, *Gorgonpiola, Tornice*, *Inzago*: sequuntur inde *Massa, Vavaro* Merulæ lib. VI Viecomitum *Vaprium*, Poetæque Ligurino *Vavare*. Intus sunt *Bassano, Ciesa, Castellazzo, Cambiago, Homa, Cavernago*; & altius *Gurnago, Meirate, Ornago, Roncello* & *Monvtero.*

Belinciacum, &c. Vavarum.

Vlteriusad Abduam validissimum est Opidum *Trecium* à Barnaba Viecomite conditum anno CIƆCCCLX.

Trecium.

Altius adhuc *Rocca di Cusano, Busnagna, Beinsio, Oldenigo, Mizzago, Canton, Rusnello*, & *Coinago.*

Arx Cusani, &c

Dein propter Abduam, sursum, *Portesino*: intusque *Osnago, Idro disotto* & *disopra, Infernum* & *Supernum*; *Cauzi, Patcano, Novato, Cernusciolo, Robia, Imbersago*; & secundum Adduæ ripam *Brivio*, quod Latinis *Bripia*: dein *Rocca d'Airono, Ogina, Rovega*; & altius *Calca.*

Portesinum, &c.

Rursum in Padi ripa, post Adduæ confluentia, *Guardamei, Somasia, Hospitaletto, Ori.*

Guardameium, &c.

Ad dextram Lambri, sursum, *Lauda Vetus* conspicitur, cujus antea memini: mox *Bissone, Mota, Tavazzono, Casal Pusturlengo, Mulazzano*, *Gerzignano*, *Medi, Celosora Magno*, Latinis *Agelius Fori Magni*: *Linato, Pescara, Gonzaga, Panachia, Lucino, Rodeno, Luntdi, Rugacesa, S. Petrino, Lambrato, Segrato, Vogna, Lesato, Vimodro, Protello, Casina Bianca, Casina di Puobi.*

Bissoneum &c.

Iterum trans Navilium, offerunt se *Cologno, Cernusculo Busero, Membrugie*, *Caponago*; & in Brigantinis Montibus, *Pessono, Banugato, Monenze, Casa di Baston, Imbrazzta, Pescarola, Comonreggio, Vil Mercato*, Latinis *Vicus Mercatus*, nonnullis *Vicus Martius* ex Inscriptione, quæ ibi in æde D. Stephani: HERC. IN VIC. VOT, MARTIVS. IVSOR. ALLVCIVS. L. D. D. D.

Colonium. Cernusculum, &c. Vicus Martius.

Adparent dein *Oren, Passica, Arcon, S. Martino, Lesino, Vella, Vsina, Bernaregio*: juxtaque Lambrum *Canonica.*

Orenum. Tapsica, &c.

Intus *Campo Florentino, Triasio, Monte, Aia*, *Cazzeno. Bessoza, Casale, Misericordia*, *Lomagna, Monte Seggio, Torresella, Cassago, Cremella, Rovagnato*, *Hoe* & altius *Anono*, *Ogione, Cisuisi, Ello, Sara.*

Visitur ultra Lacum Puscianum, de quo alibi, Vallis Assina, in qua *Cantium*, vulgo *Canzo*: & altius *Osso, S. Agatha, Castelino* & *Siarena.*

Cantium. &c. Ossum, &c.

Rursum in Padi ripa post Lambri ostium *Cignol*, *S. Giacomo, Vena, Belgioioso*, castrum opulentum, ditionis Comitum Barbianorum.

Cisnislum. &c.

Sequuntur hinc *Mettona, Saggiarella, S. Columbano*, quod ab Friderico Ahenobarbo Imperatore anno CIƆCLXIV conditum. pessime superioribus bellis, inter Karolum V & Franciscum Galliarum Regem gestis, habitum.

Mettona. D. Columbani Opidum.

Per ripam Lambri sursum incedenti *Vlliantum* se pandit, cum *S. Angelo*, quod ab Regina Scaligera, Barnabæ Viecomitis Coniuge, anno ab Christo nato CIƆCCCLXXXI ædificatum.

Vlliantum. D. Angeli Castellum.

Secundum Ticinellum *Turris* spectatur *Tertia*, quæ vulgo *Torre del Terzo*: eo transito, *Landriano* & *Gregnane*: hinc ultra D. Angeli rivum *Cuselle*, Andreæ Alciati Villa; moxque *Arcegnano, Cignano, Pizza Gragia*, versusque Lambrum, *Riozzo, Balgape, Carpiano, Cornare*: & ad Lambrum, *Melignano*, quod ab Mediolanensibus anno CIƆCCXLIII muris cinctum, Marchionatus titulo nobilitatum.

Turris Tertia, Cusella. Milignanum: Marchionatus Arx. Vgboldonianum

Succedunt deinde, rivulo transito, *La Rocca, Vboldono*, *Locato*, *Opera*; *Ponte Sesto* (*Pons Sextius*) *S. Giuliano*. juxtaque Lambrum, *Cotrono*, *Zevida*, *S. Donato*, *Chiaravalle, Ronchetto, S. Maria in* [illegible], *Castellazzo*, *Viglino*, altiusque, *S. Martino*, *Bistighera, Trivuitio Mesenita, Monlio*: dein haud procul Mediolano, *Casinello*, *Bianchetta, Casoneto, Cimiano, Casengo, Tura*: transque Navilium, *Martesana, Broco*, *Precentana*: circa dextram alvei ripam *Suese* & *Bresso* [illegible] in meditullio *Bicoca*, quam Gallorum

Bicocca.

clades anno CIↃ IↃ XXII cœpit nobilitare: mox *Prechetto, Torretta, Sesto, Peluca, S. Rocco* & in mediterraneis *Balsamo, Cinosello*, juxtaque Sueías *Cusano*.

Moncia. Lambro adsidet nobile opidum *Moncia*, vulgo *Monza* : Paullo Diacono libro IIII Rerum Langbardic. *Modoetia*, Insubrum scribenti Vrbem, XII P. M. ab Mediolano. *Moguntiacum* dicitur, nonnullis consentibus, Lapidi, qui Mediolani ad D. Victorem: *olim Moguntiacum.*

C. SERTORIVS. L. F
OVF. TERTVLLIANVS
VETERANVS. LEG. XVI
CVRATOR. CIVIVM. ROMAN
MOGVNTIACI

Medium opidum perfluit Lamber. Auxit supra modum, structa etiam splendida Basilica, nobilitavitque Theodoricus I. Gothorum in Italia Rex; teste, ante Blondum lib. VIII Histor. Paullo Diacono, qui addit, Theodolinam Reginam condidisse hic magnificum D. Ioannis Fanum, & sumtuosam Regiam, Sedem diu Langbardiæ Regum. Lapsu temporis muris nudatum refecit Azo Vice-comes anno CIↃ CCXXXV, scribente Corio. Imperium diu fuit penes *Mediolani Principes*. Donavit superioribus annis Imperator Karolus V *Antonio Levæ*, Hispano, virtutis ergo. *Principes.*

Novates. Visuntur ulterius *Nova, Massago, Desio, Vedono, Biasin, Lisono, Macchi, Seregna, Sevese*: in ripa Lambri: *Suigo, Albi, Cararo, Chanca, Meda, Mocarello, Marliano*, alijs *Marianum* seu *Manlianum*. *Marlianum.*

Veranum. Incinum. Mox *Verano* & *Incino*, ubi Parochialis ædes, *Plebem* vocant *Incini, La Pieve di Incino*. Censet hic fuisse *Licini Forum* Leander, cujus meminit Plinius apud quem & *Laccini*, Octavæ Regionis in Italia populi; tribus, teste Ortelio, exemplaribus *Licinos* præferentibus, *Fori Licini* procul dubio Incolas.

Canacum, &c. Cantium. Alsiatum. Patria Rufi. Sequuntur *Canago, Carrenna, Monsular, Figino, Arosi* ; & in collibus *Inverigo*: juxtaque Sevesam *Cantu*, recentioribus *Cantium*; item *Brena, Cernagio, Clorago, Noble, Fabrica, Alzato, Alsiatum* Latinis, *Alciatum* V. CL. Andreæ Alciato, qui ab *Alciato*, Parthaonis Ætoliæ Regis filio, dictum indicat. Patria *Virginij Rufi*, teste Plinio, *Alsiam* nominante locum.

Infimanum. Mons Orfanus. Moguntium. Spectantur mox *Infimano, Matteorfan*, Latine scribentibus *Mons Orfanus* ; *Parazisin, Monguzzo*, verius forte an *Moguntiacum*, de quo supra. Sic sane volunt Merula & Corius. Andreas autem Alciatus *Moguntium* sibi videri scribit *Montem Acutum* potius appellandum. Haud procul inde est *Cnisamo*.

Supra Serium Lacum visuntur *Erba* & *Crevena*.

Erba, &c. Circa Britiæ amnis principia *Morbio, Canosso*, & *Vacallo*.

Morbinum, &c. Mulgrato. Pliniana. Per lævam Leuci lacus incedenti offerunt se *Mulgratone*, altiusque circa Larium tamquam in Peninsula *Belasio*: hinc Comum versus pergenti *Nessio, Caren*, *Pliniana*, fons à Plinio nominatus; qui de eo libro II, cap. CVI. In eius ripa sursum *Torno* est, frequens olim Vicus ; sed ab Comensibus male habitus jamnunc ad pristinam fortunam redire incepit. *Tornus.*

Parlasca. Sequitur *Parlasca* Vicus; *Hironymi Parlasci*, olim apud Bononienses Hæreticorum Inquisitoris, ortu nobilis.

Comum. Conspiciendum se juxta præbet *Comum*.

Comum Trogo lib. XX, Livio libro XXXVII, Plinio lib. III natur. histor. Ammiano lib. XV, & alijs; Κῶμον, Straboni libro IV & V, atque Ptolemæo : *Como* Tabulæ Itinerariæ & Cassiodoro, apud quem accurata ejus descriptio : Hodie *Como*. Apud Ottonem Frisingensem & Chunradum Lichtenavium ubique depravate *Cuma*, Incolæque *Cumani* vocantur. Trogus ab *Gallis* conditum memorat, cum Mediolano, Bergomo, Brixia, Tridento, Verona, Vicentia : Plinius ab *Orobys*, Alpium incolis, ortum tradit. Condiderunt procul dubio, ut alia hoc tractu, *Tusci* ; quibus pulsis, occupatum fuit ab *Gallis*. Vetus excisum perhibetur ab *Anselmo Pusterula*, Mediolanensium Archiepiscopo, aliudque hoc loco conditum, Cancri specie; quod ego, in medio relinquo. Vrbs parva, sed nobilis & opulenta, rebus omnibus adfluens, *Conditores. Qualitas. Incolæ.*

adfluens, Incolasque habens industrios & diligentes. Muros, qua Mediolanum spectat, constructus ab Ioanne Vicecomite, Archiepiscopo & Principe Mediolanensi, anno CIↃ CCCLIV, à quo & *Castellum Turris Rotundæ* excitatum. Ab Marcello deditione quomdam captum, tradit Livius libro jam laudato. *Coloniam* fuisse mediocrem, sed Pompeium Strabonem, Magni Patrem, Colonos restituisse; Rhætos eam vastasse, C. Scipionem tria millia hominum addidisse, Cæsaremque quinque millia, in quis quingenti erant Græci Civitate donati; hos *Novum Comum* vocasse, memoriæ prodit Strabo libro V. Scribit & Appianus lib. II bellorum Civilium Cæsarem (legendus item Suetonius in eius Vita) *Novum Comum* condidisse in Alpibus, & qui illic magistratum gessissent, Cives Romanos esse voluisse. Hinc frequens Magistratuum Coloniæ mentio in Inscriptionibus. Vnam dabo, quæ ibi in æde D. Andreæ. Publica Opera: Res gestæ Colonia.

D. M
C. VIRI
TERENTIANI
VI. - VIRI
COMI

Nominantur *Municipes Comenses* in Lapidea Tabula, quæ in templo Vici Intemeani, in Agro Comensi: Municipium.

L. CÆCILIVS. L. F. CILO
IIII. VIR. A. P
QVI. TESTAMENTO. SVO. HS. N. XXX. MVNICIPIBVS. COMENSIBVS
LEGAVIT. QVORVM. REDITV. QVOTANNIS. PER. NEPTVNALIA. OLEVM
IN. CAMPO. ET. IN. THERMIS. ET. BALINEIS. OMNIBVS. QVÆ. SVNT
COMI. POPVLO. PRÆBERETVR. T. F. I

& quæ sequuntur. Sic *Reipublicæ* nomine decoratur in Inscriptione Brixiana, quæ paullo ante posita, ubi de Bergomo. Ab *Gothis Langbardis*que diu possessum, *Karoli Magni* manu & auspicijs in *Cæsarum Romanorum* venit potestatem: sub quibus libera aliquamdiu *Romani Imperij* fuit Civitas: *Ruscorum Vitanorum*que factionibus multos annos vexatum ad extremum in *Mediolanensium* ditionem est redactum, similemque cum Mediolanensibus expertum fortunam, nunc *Francia*, nunc *Hispania* Respublica. Principes. Calamitas.

Episcopatus, Clari Viri,

nia Regum paruit Imperio. Consulendi Merula, Corius, alij. Ingentem Patrum ævo calamitatem accepit ab Cæsaris Legionibus, quod fusos acie Gallos intra mœnia recepisset. Episcopatus floret dignitate. Patria cum *Iöviorum, Benedicti, Paullique*, Episcopi Nucerini Scriptis nobilissimi; tum *Plinij* Avunculi, Naturalis Historiæ conditoris, & Poetæ *Cæcilij*, de quo Martialis:

> *Poetæ tenero meo sodali*
> *Velim Cæcilio Papyre dicas:*
> *Veronam veniat,* Novi *relinquens*
> Comi *mœnia, Lariumque littus.*

Ager.

Ager illi ab meridie peramœnus & fertilis: adversa parte Lacui adsidet, qui ab eo *Comacenus* apud Antoninum, antiquis *Larius*, de quo alibi.

Cernobium.

Ab Como lævam Lacus ripam sursum ambulanti exhibent se, post Presam amnem, *Cernobio, Multravasio, Vrio, Cartalag.io, Breno. Arzento, Galbiano*; superatoque Perlana fluvio, *Lava, Turre, Promontorio, Torre, Leno*: & in monte paullo altius, *Abbatia di Acqua Fredda, Grianto, Menasio, Nobiale.* Vlterius, *Acqua Serta, Arzenico, Cremia. Pianello.*

Mussum, Marchionatus.

Visitur hinc in celso difficilique monte *Musso*, quod rebus ab Ioanne Iacobo Mediceo gestis nobilitatum, Marchionatus induit sub Karolo v dignitatem. Sequitur in ripa *Dungo*; hinc torrente, non magni nominis, transito, *Gravidona*, *Domaso, Giera, Sorgo.*

Papia olim Ticinum,

Relicto Lacu, Padum repetam: ubi post Lambrum Ticini sequitur Ostium; supra quod quarto lapide Vrbs est *Papia.* Sic (quasi *Pietatis* aut *Piorum* virorum. *Patria*, uti Sacco videtur: alijs alia placent Etyma) Latinis hodie, quin & Paullo Diacono lib II Langb. Hist. cap. XV; vulgo autem *Pavia* nuncupatur: quæ *Ticinum* Tacito lib. III alibi, Plinio, alijsque; *Τίκινον* Straboni lib. V & Ptolemæo: *Ticinus* apud eundem Diaconum, loco indicato. *Flaviam Papiam* nominari scribit in Nummo Argenteo Angelus Breventanus in Regum Langbardorum Tabula: *Secundam Romam* appellari in vetere saxo, notat Henricus Farnesius.

Conditores, Unde.

Conditam adserit Plinius lib. V. cap. ab *Levis* & *Marieis Liguribus*; alij ab *Gallis Boijs* & *Cenomanis*, Ticini amnis adcolis, à quo illi nomen. Sunt qui Auctorem ejus ferunt *Ticinum* quemdam Gallum. Fabulis, quas hic Bursellius adponit, referendis Lectori non ero molestus.

Temperies, Publica Opera.

Admiranda Vrbi est cœli temperies: ipsa tamen parum amœna & populosa. Castellum ibi ab Ioanne Galeatio Vicecomite factum, hodie semirutum, in quo nobilissima est Bibliotheca. Fora ibidem duo, cum Platea, quæ in Arcem ducit, amplissima. Templum D. Petri aureum habet cœlum, & monumentum *D. Augustini* marmoreum. Visitur ante Ecclesiam Cathedralem Statua ex ære equestris: *Antonini Pij Imperatoris*, an *Theodorici Gothi*, an *Odovacris Heruli*, an alterius, incertum.

Academia,

Sua nobilis est Academia, quam Karolus IIII Imperator fundavit anno CIↃ CCCLXI: petentibus id Galeatio II Barrabaque Vicecomitibus, Mediolani Principibus. De ea multi scribunt Doctores. Docuit ibi provectioris jam ætatis Baldus, mortuus ibidem anno CIↃ CCCC XX, Aprilis IV, & sepultus in Minorum Cœnobio.

Collegia,

Duo ibi Collegia Litteratorum: unum à Pio II P. M. erectum; alterum ab Karolo Borromæo Cardinale.

Episcopatus, Clari viri,

Episcopum habet *Papia*, exemtum. Claros viros tulit plurimos: in quis *Ioannes* XIIX P. M; *Thesaurus Beccaria*, Vallis Vmbrosæ Abbas, Martyr, teste Volaterrano libro XXI Commentar. Vrbanorum; *Cato Saccus*, *Syllanus Niger*, *Lanfrancus*, *Iacobus Gualla*, Iurisconsulti: *Antoninus Gaynerus* Medicus; *Luitprandus Levita*, Historicus: *Ennodius*, Poeta.

Res gestæ,

Principes,

Romano succumbente Imperio, cladibus adfectam magnis ab Attila Hunnorum Rege, & Odovacro Herulorum Principe, *Gothi Lanbardique* armis subegerunt, sedemque Regni lectam multis præclari operis ornarunt ædificijs. Iis ab Karolo Magno profligatis, *Italiæ Regibus* paruit usque ad Ottonem I Augustum, à quo fracta *Berengariorum* potentia, suæ restituta legitur libertati: cui tuendæ, anno CIↃ CCLIX *Præsuli Ravennati* se commisit: nacta inde: Principes an Tyrannos?) *Turrianos, Languscos*, *Beccarias*, tandem in potestatem est redacta *Vicecomitum* & *Sfortiarum*, Mediolani Ducum: post cum universa Insubria *Karolo* V *Imperatori* cessit, qui de eius principatu armis decertavit anno CIↃ IↃ XXV cum Francisco Galliarum Rege; defendente tunc fortissime *Ticinum*, ab Rege obsessum, Antonio Leva Hispano. Paret hodie *Hispaniarum Regibus*, sub Mediolanensi comprehensa statu, Vi-

tu. Videndi Paullus Diaconus varijs Historiæ Langbardicæ locis, Luitprandus Levita lib. III Histor. Platina in Vita Leonis I P.M. Blondus II & XVIII Histor. Corius Parte I & III, Iacobus Wimphelingus in Histor. Merula libris V, VI, VIII & IX Histor. Vicecomitum; & alij. Scripsit Antiquitates *Ticinenses Iacobus Gualla*, IC. de quo antea dixi; Encomiumque Vrbis *Henricus Farnesius Eburo.* Via, qua Mediolanum itur, Vivarium est, quadrata forma, circuitu XX milliar. Italicorum, vulgo dictum *Il Barro*; desinens ad nobile sumtuosumque Carthusianorum Monasterium, vulgo *La Certosa*. Ager optimus, supraque modum fertilis tritici, vini, reliquorumque fructuum; tantæ passim ubertatis, amœnitatisque, ut vulgo *Il Giardino di Milano, Mediolani Hortulus*, audiat.

Illustratores, Quæ extra Vrbem.

Ager.

Post Vivarium, cuius memini, occurrunt *Mandrino, Vidigulsi*, & *Ticinello* fluvius; lævaque ejus ripa *Metuno*. Vltra Ticinellum, *Cavagnera, Sitan, Campo Morto, Basiá, Figenaschi, Ferrabo, Bisson, Moirago, Cassin, Bazzaello, Assagon Sarriano.* Ad Ticinellum rursus incedenti offerunt se dextra ripa, *Chiarella, Binasco*, (*Ad Bacinas* Alciato, alijs *Binæ*) *S. Nuovo, Caizzan, Sportan, S. Giacomo, Interciso*, & *Rovido.* Rursus ad Ticinellum *Rosa, Benda, Vignan, Vermizzo.* Haud procul inde *Zelo, Cado, Gazzano, Bonhola, Terzano, Corsico.*

Mandrinum, &c.

Cavaneria, &c.

Clarella. Binasium, &c.

Rosa &c. Celium, &c.

In conspectum mox venit *Mediolanum.*

Mediolanum.

Sic Latinis omnibus Scriptoribus, Livio, Trogo, Tacito, Ammiano Marcellino, Paullo Diacono, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, alijs; Μεδιόλανον Polybio, Straboni Plutarcho in Vita Marcelli, Procopio lib. II Histor. Goth. Ptolemæo, cui & Μεδιολάνιον: quod Italis hodie *Milano*; Germanis **Mey-landt**. *Vrbs Melana petens*, inquit Gotfridus Viterbiensis, pro *Mediolano*. *Olanum* ab Conditore dictum, notat suppositius Cato. Sunt qui prius *Insubriam*; alij, qui *Albam*: quidam, qui *Peutheciam* vocatam volunt, ut scribit Castilioneus. *Insubria* meminit apud Abrahamum Ortelium Nummus antiquus M. Valerij Messalæ. *Mediolanum* ab *Gallis Insubribus* conditum: auctores sunt Livius, Trogus, alij; qui, Belloveso Duce, in Italiam profecti, pulsis Tuscis, fundamenta istic Vrbis locarunt: anno, ut quidam computant, ante Christum natum CCCXXXIX: ut alij, CCCLXXX. Quidquid sit, antiquissima est. Nomen illi natum, judicio V. CL. Isaaci Casauboni ad lib. IV Strabonis, ab Santonum in Gallijs Vrbe, *Mediolanio*: quod, magni viri sententiæ subscribens, libro III indicavi, cap. XXXIV, Guiennam explicante. Vocem quidam ajunt esse Germanicæ originis, quasi **Mey-land** ab Agro vernante, qualis Maiomense solet esse; vel **Mid-land**, quod medium esset & velut umbilicus, uti etiam Jovius indicat, Insubriæ, Ticino amne clausæ; vel denique **Maegde-land** sive

Antiqua Nomina.

Conditores.

Quando conditum.

Vnde dictum.

Meidel-landt/*Virginis Regio* vel *Terra*, ab Minerva, cujus ibi templum fuit, quod olim S. Salvatori, post D Virgini, hodie D. Teclæ. Elegantes adponam ea de re versus doctissimi viri Andræ Alciati:

Bituricis Vervex, Heduis dat Sucula signum:
His populis patriæ debita origo meæ:
Quam Mediolanum *sacram dixere* Puellæ
Terram: *nam vetus hoc Gallica lingua sonat.*
Culta Minerva fuit, nunc est ubi numine Tecla
Mutato, Matris Virginis ante domum.
Lanigeræ huic signum Suis est, animalque biforme
Acribus hinc setis, lanitio inde levi.

Vbi notandum etiam illam opinionem, qua nomen Vrbi impositum contenditur ab Heduis & Biturigibus, ejus Conditoribus; quorum illi *Porci*, hi *Arietis* sive *Vervecis* signo usi, suæ memores originis, unum *Lanatæ Suis* ex duobus factum civitati huic dederunt, & ex eo nomen *Mediolani* fecerunt. Respicit eo Claudianus in nuptijs Honorij & Mariæ:

Iam Ligurum terris spumantia pectora Triton
Adpulerat, lassosque fretis extenderat orbes:
Continuo sublime volans, ad mœnia Gallis
Condita, lanigeri suis *ostentantia pellem*
Pervenit.

Male vulgo legitur *lanigeris ovis*. Sic Sidonius Apollinaris libro VII Epistolarum:

Rura paludicolæ temnis populosa Ravennæ,
Et quæ lanigero de sue *nomen habet.*

Situs.

D. Ambrosius alijque nomen dirivant ab Apro, qui *media* parte *lanatus* in Vrbis fundamentis fertur repertus. Situs illi inter Ticinum Abduamque, haud procul Alpibus, peropportunus; natura cœli solique temperatus. De ea sic Strabo lib. V: Ἴνσουβροι δὲ καὶ νῦν εἰσί. Μεδιολάνιον δ' ἔσχον μητρόπολιν, πάλαι μὲν κώμην. ἅπαντες γὰρ ᾤκουν κωμηδόν· νῦν δ' ἀξιόλογον πόλιν πέραν τοῦ Πάδου συνάπτουσάν πως ταῖς Ἄλπεσι.

Qualitas.

Sane inter maximas Europæ censetur Vrbes, mercatura opibusque florens: splendore superbit Ædificiorum, Templorum magnitudine, Prætoriorum amplitudine, pulcritudine Vicorum; mœnibus, propugnaculis, armamentarijs supra modum instructa: spacium complectens immensum, Suburbia habet longa, lataque, quorum nonnulla cum magnis Civitatibus committi possent, altis fossis, non secus ac

Aedificia publica.

Vrbs ipsa, undique cincta. Post Ædem Sacram, quam *Domum* vocant, magnifice specioseque ad Forum exstructam, D. Laurentij Fanum est ingens in ruinis Tem-

Templum Herculis, Thermæ Herculeæ.

pli Herculis excitatum, quod Maximianus Herculeus Imperator in Patria, ut tradunt quidam, sua sumtuosissimum exstruxerat cum Thermis, quæ ab ipso Herculeæ. Exstant etiamnum sedecim striatæ Columnæ peraltæ, magnificentissimi operis vestigia. Arcem ibi videre est, omnium fere, quę in hoc terrarum orbe munitissi-

Arx.

mam. cui *Porta Iovia* nomen; inexpugnabilem, quaque in Europa nihil celebrius. De-

Xenodochium.

scribit accurate Fr. Schottus Itinerar. Italici lib. I. Xenodochium ibi vel Nosocomium suburbanum, via Bergomati, jugerum aliquot spatio amplissimum; ab Sfortijs inchoa-

Curia Vetus.

tum, nondum absolutum. Est & Curia Vetus, ubi exiguum D. Gothardi Fanum, nobilibus aliquot Vicecomitum sepulcris decoratum. Multæ sunt in hac Vrbe prisci ævi

Academia.

Inscriptiones, aliaque veterum monumenta. Academiam habet antiquissimam, ubi etiam *Virgilius* litteris operam dedisse creditur. Meminit ejus sæpe *Aurelius Augustinus*, quem volunt ibi Eloquentiæ fuisse Professorem. Floruerunt ibi *Iason* IC, *Hermolaus Barbarus*, *Franciscus Phileiphus*, *Georgius Merula*, *Cælius Rhodiginus*, *Hieronymus Cardanus*, *Guasparinus Bergomas*, ab Philippo Vicecomite accersitus, & alij. Ad Prędicatores tam

Bibliotheca. Incolæ.

insignem esse Bibliothecam scribit Leander, ut celeberrimis Italiæ non cedat. Magna semper Civium, qui mire navi & industrij, hic fuit frequentia: uti & olim: ut

Artifices.

non immerito πολυάνθρωπον vocent Plutarchus in Vita Marcelli & Sudas. Artificum diversa ibidem genera, tanta frequentia, ut vulgato Proverbio dicatur, *Che chi volesse rassettare Italia, si ruina Milano*; *Mediolanum* scilicet *destruendo*, *Italiam instrui*

Clari Viri.

posse, nimirum quorumvis artificum copia. *Mediolanum* Patriam agnoscunt; Imperatores

peratores *Didius Iulianus* & *Maximianus Herculeus*: Pontifices *Alexander* II, *Vrbanus*, *Celestinus* V, *Gregorius* XIIII; Cardinales, *Simon Borsenus*, *Ioannes Antonius Sangeorgius*, *Brandus Castilioneus*, *Scaramucia* & *Augustinus Trivultij*, *Iacobus Simoneta*, *Ioannes Moronus*, *Ioannes Angelus Medices*: Archiepiscopi plurimi, quorum hi occurrunt; *Barnabas*, *Anatelonius*, *Cajus*, *Calocerus*, *Datius*, *Castritianus*, *Calimerus*, *Monas*, *Mirocles*, *Protasius*, *Maternus*, *Eustorgius*, *Dionysius*, *Auxentius*, *Arrianus*, *Ambrosius*, *Simplicianus*: Iurisconsultos dedit, *Salvium Iulianum*, Didij Iuliani Imperatoris Avum paternum, *Obertum Ortinum* Feudorum Scriptorem, *Gerardum Catapistum*, *Vincentium Glossatorem*, *Paullum Ficazarum*, *Ioannem Lignanum*, *Pileum Modiensem*, *Sigismundum Homodeum Christophorum* & *Guernerum Castilioneos*, *Iasonem Maynum*, *Philippum Decium*, *Andream Alciatum*, & alios: Produxit item *Cæcilium*, Comicum Poetam, & *M. Valerium Maximum*, Astrologum, de quo Lapis ibi ad S. Simplicianum:

M. VALERIVS
MAXIMVS
SACERDOS
D. S. I. M. STVD
ASTROLOGIÆ
SIBI ET
SEVERIÆ APR
VXORI
H. M. N. N. S

Genitrix etiam *Sabæ* & *Bonaventuræ Castilionei*, qui de antiquis Gallorum Insubrum Sedibus scripsit: item *Ioannis Iacobi* & *Camilli Gilinorum Tristani Calci*, *Galeatij Cappellæ*, *Ioannis Stephan. Cottæ*, *Platini Platonis*, *Lancini Curtij* & *Andreæ Bilij*. Ortu quoque superbit multorum, qui militari gloria clari, cum aliorum, quos longum esset commemorare, tum *Virginij Rufi*, de quo non solum Tacitus, Dio, Plutarchus, Quintilianus, & Plinius in Epistolis, verum etiam, quod sequitur, Epitaphium:

Hic situs est Rufus, *pulso qui Vindice quondam*
Imperium adseruit, non sibi, sed patriæ.

Archiepiscopatus floret dignitate. Primus Ecclesiæ Antistes fuisse perhibetur *Barnabas* Paulli Apostoli in sacrosancto Munere Collega. Vrbs primo multos annos sub imperio fuit *Gallorum*, donec auspicijs M. Marcelli Cos. Virdumaro Insubrium Rege Clastadium debellato, in ditione cœpit esse *Romanorum*. quorum Imperatores sæpe sedem hic suam Regnique habuisse ob loci opportunitatem commoditatemque bellandi contra Gallos Germanosque, notum est exemplis *C. Iulij Cæsaris*, *Nervæ*, *Trajani*, (quem ferunt Regiam hic ædificasse, qui locus adhuc *Palatij* nomen servat) *Hadriani*, *Maximiani Herculei*, & aliorum, quos, senescente jam Roma, plurimum hac urbe delectatos fuisse constat; quorumque præsentiaque ita crevit, ut Procopius eam post Romam ceteras facile superare Vrbes scribat, magnitudine, Civium copia, reliquisque fortunæ bonis. Ab ijs tanta ibi publicorum operum, qualia Romæ, quorumque pleraque temporis longinquitate perierunt, copia: de quibus paucis agit Ausonius.

Archiepiscopatus. Res gestæ & Principes.

Et Mediolani *mira omnia, copia rerum,*
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia, antiqui mores: tum duplice muro
Amplificata loci species, Populique voluptas
Circus *& inclusi moles cuneata* Theatri:
Templa, Palatinæque *Arces, opulensque* Moneta,
Et Regio Herculei *celebris sub honore* Lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,
Mœniaque in valli formam circumdata limbo.
Omnia quæ magnis Operum velut æmula formis
Excellunt: nec juncta premit vicinia Roma.

Sub Imperatoribus *Mediolanum Reipublicæ* gloriatum est nomine, quod expressum non solum in Tabula confracta, quam posui in mea Hispania libro II cap. XVII; verum

rum etiam in Inscriptione, quam ipsa servat Vrbs in Ianua S. Ambrosij, Porta Vercellensi:

D. S. I. M
P. ACIL. PISONIANVS
PATER.PATRATVS
QVI. HOC. SPELEVM. VIOL
IGNIS.ABSVMPTVM
COMPARATA. AREA.A. REPVBL
MEDIOL.PECVNIA.SVA
RESTITVIT

Sub Imperatoribus *Patronis* inter alios *Reip. Mediolanensis* fuit *L. Fabius Cilo.* Vir maximis functus honoribus, uti de eo testatur Lapis, qui Romæ apud Carpenses:

L. FABIO. M. F. GAL. CILONI
SEPTIMIO. CŌS. PRAEF. VRB
LEG. AVGG. PROPR̄. PANNON
SVPER. DVCI. VEXILL. LEG. PRO
PR̄. PROVINCIAR. MOESIAR. SVPER
PONTHI. ET. BITHYNIÆ
COMITI. AVGG. LEG. AVGG. PRO
PR̄. PROV. GALATIÆ. PRAEF
AER. MILITARIS, PRO
CŌS. ITEMQVE. LEG. PROV. NARBONENS.
LEG. LEG. X̄V̄Ī. ET. SAMOSATE
SODAL, HADRIANAL
FR. VRB. TRIB. PLEB. Q̄. PROV
CROETÆ. TRIB. LEG. X̄I. CL.
X. VIR. STLITIB. IVDICANDIS
MEDIOLANENSES
PATRONO

Ad hunc sub Imperatoribus statum pertinet Elogium *Q. Audacij* V[?]viri *Augustalis*, quod Madoetiæ in æde S. Ioannis Baptistæ.

D. M
AVDASIÆ
Q. F. CALES
Q. AVDASIVS
ACMAZON
V̄I VIR.AVG.MEDIOL
ET.FORO.POL.PATER
QVÆ.VIXIT.AN.V
M.IIII.DIES III

Et ne sacros quidem Magistratus defuisse, docet Inscriptio Bergomensis, quæ in Sacello D. Petri apud ædem D. Alexandri, mentionem faciens *Flaminis Divi Traiani* Vrbe Mediolanensi.

C.COR-

C. CORNELIO
C. F. VOT
MINICIANO

Et post paucos versus:

BERGOMI. PATRONO
FLAMINI. DIVI. TRAJANI
MEDIOLANI
PLEBS. VRBANA

Privatorum Elogia prætereo. Debilitata Cæsarum, ut eo redeam, potentia, variorum hæc Vrbs Barbarorum impetu convulsa est & labefactata; Gothorum, Hunnorum. Langbardorum: quibus, Karoli Magni auspicijs, Italia exactis, fidei se commisit *Francorum Regum*; inde *Germanorum Cæsarum*, quorum plerique Ferream Coronam, Imperij solemnia, accipere ibi, in vetusta celebrique D. Ambrosij æde, consuerunt; uti singulorum exemplis probat Leander Albertus. Tandem sub Fridericis I & II Cæsaribus, quibus perpetuo rebellavit, novos sortita est Dominos, *Galeatios Vicecomites*, qui deinde, anno CIↃ CCC XCV *Duces* à Wencestao Imperatore nominati. *Vicecomitum* Stemma legitur apud Merulam libro V Historiæ Vicecomitum Volaterranum libro IV Commentarior. Vrbanorum, & Onuphrium Panuinium libro IV Romanorum Principum, eorumque, quorum maxima in Italia fuerunt Imperia. His deficientibus *Sfortiæ* Ducum Insignia sunt adepti, consentientibus Civium suffragijs, & accedente Romani Imperij auctoritate; quod *Galeatij* numquam obtinere potuerant. Horum stirpe Majorum nostrorum ævo exstincta, successit Karolus V Imperator, qui Principatum ad *Reges Hispaniæ*, Successores, transtulit. Vide Procopium libro II: Paullum Diaconum lib. XV. & XVI Histor. Rom. ad Eutropium continuatæ, item libro III. Hist. Langbard. Sebastianum Munsterum Cosmogr. libro II: Merulam lib. I, II, III & seqq. Vicecomitum: Volaterranum in libris Commentar. Vrbanor. varijs locis: Platinam in Vitis Leonis I, Hilarij, & aliorum; Blondum libr. Histor. III, IV, V, VIII, XI, XV: Corium Part. I & seq. Leandrum Albertum in Langbardia Trans-Padana: Annales Mediolanensium & Laudensium: aliosque. Memoratu dignum est, quod de Attila, Vrbem hanc cum Victoria ingresso, scribit Sudas: eum, quum Vrbem cepisset, ibique reperisset Picturam, in quo ante Pedes Romanorum Principum, in aureis solijs sedentium, occisi Scythæ jacebant, accivisse statim Pictorem, & se quidem in solio sedentem; Romanos vero Principes sacculos humeris gestantes, & ante suos pedes aurum spargentes, pingere jussisse. Complectitur *Ducatus Mediolanensis* suo ambitu CCC milliaria. Dicitur Hispaniæ Rex ex hoc statu proventum habere octoginta aureorum millia. Administratio Caussarum Civilium & Criminalium pendet ab Senatu Mediolanensi: in quo XVI sunt Doctores, & nonnulli Prælati Patritijque Mediolanenses. Ab Vrbe Roma distare mill. IↃ XXVIII, notatur in Itinerario Antonini. Incredibilis agro est fertilitas, copiaque rerum omnium stupenda.

Ducatus. Eius ambitus. Ager.

Dextra Mediolani parte, quę lęva Sevesæ fluminis, adparent, quæ lingua vulgari *Mirabelio, Vergano, Quarto, Frisiana, Bruzzano, Vialba, Bola, Nova, Noia, Corma, Cassina Matta, Carbagna, Sinago, Castelletto, Cesata, Solera, Limia, Boisio, Cervato*: & ad amnis Luræ dextram *Cad'fatti, S. Dalmasio, Mombello, Cesa, Mesnite, Barlassina, Canago, Lazate, Rovellasca, Birago, Lenta, Crivello, Bricola*; altiusque *Chiasse* & *Mandrusio*.

Mirabellum & alia.

Læva Mediolani, ad Oronæ dextram, conspiciuntur *Cagnola, la Certosa, Misoco, Rose, Cassina dei Pero, Hospitale, Paltanello, Reozo, Mazzo, Torreta, S. Maria, Rossa, Carono, Leina, Poltano, Zacona, Orugio, S. Lorenzo, S. Vettore, Legnano*, ubi Pons in Orona, *Cerro, S. Maria, Serona*, ad sinistram Luræ: ulterius, *Germano, Rovello, Aip, Orona, Marcia, Castellago, Mezza, Prospiano, Carbona, Gorla, Loro, Rovelasca, Venian, Senegra, Abiagnazzo, Lunicipino, Trada, Somalle*: & in montibus *Castiglione, Venegono Inferiore & Superiora, Canosio, Bellegazzo, Apiano, Guenzo, Lomazzo, Borgoro, Solerona*; altiusque, *Sulbia, Rocca, Cagno, Monello, Pianasca*. Visuntur eodem tractu *Ponte Vidon, Vedano, Rovera, Binago, Mocagna, Malno, Lagurno, Lignanetto, Cazzan, Rodere, Bisuchio, Imbrusa, Viglavi, Salno, Monte, Arso*.

Cagnola, & alia.

Deorsum

Tillura, & alia. Deorsum Papiam versus inter Vivarium, cujus ante memini, & Fossam Belriguardi *Tistura* & *Caporate* cernuntur: inferius trans fossam, *Belriguardo*, *Zelata*, *la Motta*: altiusque *Bessi*, *Farangia*, *Ozeno*; superiusque *Abia Crassa*, *Abia Crassa.* quod *Albiate* apud Merulam lib. v, Opidum, quum situs non incommodi, dives quomdam & frequens Supra Albate *Robecco* spectatur, altiusque *Brena*.

Bruſiate, Rosate, &c. Ab Albiate læva fossæ, quæ ex Ticino Mediolanum trahitur, videre est, quæ vernacule, *Brusa*, *Rosa*, *Terzago*, *Cesano*, *S. Christoforo*: hinc supra Mediolanum, Oronæ sinistra, *Maddalena*, *Lampognano*, *Fagnan*, *Polieto*, *Treno*: intus *Baggio*, *Morrano*, *Cusago*, *Barreggio*, *S. Pietre*, *l'Olmo*, *Cassina*, *Quinto*, *Casadella Quarta*, *Luferna*, *Arsano*, *Venazzago*, *Pregnano*, *S. Stephano*, *Nerviano*, *Parabiage*, *Cosorrezzo*, *Buslo picciolo*, *Canegra* (*Canegra.* Latine loquentibus *Casa Nigra*) *S. Giorgio*, *Villa Cortese*, *Buslo grande*, *Selva Longa*, *Castellazzo Orica*, *Sulbia*, *Fagnano*, *Arna*, *Cassano*. Porro in Oronæ læva *Castellazzo*, *Borgoro*, *Boiadello*, *Cara*, *Peverazza*, *Sultano*, *Carnago*, *Travaino*, *Carenghi*, *Mortezon*, *Schiano*, *Gorra*, *Caron*, *Lizza*, *Biozeto*, *Bosti*, *Varesia*, *Varesium.* quod Latinis *Varsisium*, *Vallesium*, & quibusdam *Vicus Varronis*: sequuntur mox *Induino*, & *S. Ambrogio*: ab Albiate per dextram ejusdem Fossæ Mediolanum versus pergenti occurrunt *Castelletto*, *Castelletum.* *Fagnano*, *Bestagno*, *Albaire*, *Corbetta* (*Corbetta.* Latine apud Alciatum *Curia Picta*) *Ceriano*, *Cisitano*, *Siditano* (*Desiderianum.* *Desideriano* nominant Latine loquentes, tamquam ab *Desiderio*, Langbardorum Rege, conditum) *Vittone* (*Vicus Tadonis* Alciato) *Mazzenta* vel *Masitia* (*Vicus Tadonis. Maxentia.* cui nomen a *Maximiano* creditur natum, vel *Maxentio* tyranno) *Ossona*, *Busalora*, *Misero*, *Bugiono*, *Terbigno*, *Mala*, *Tata*, *Castano*, *Magnago*, *Biena*; & prope fossæ caput in Ticino, *Tinella*, *Lona*, *Pezzoldo*, *Ferna*, *Samara*, *Casa Vergara*, *Arna*, *Carlano*, *Galerato*, *Galeratum.* (quibusdam *Galliorum Area*) altiusque *Bettolino*, *Albiza longa*, *Arna*, *Albiza*, *Abiegazzo*, *Carda*, *Villa*, *Fost*: mox in edito monte *Fanum D. Mariæ Montanæ*. *S. Maria Montana.* Tum rursus ab Ticino sursum versum *Golla Secca*, *Gallam Siccam* *Galla Sicca.* vocant Latini, & altius *Seslo*, Latinis *Sextium*, *Sextium,* & quibusdam *Sextum Kalendas*, quod hic eo die singulis mensibus Conventus celebrari consuerint ab rusticis: intus offerunt se *Soma*, *Cesora*, *Mezzana*, *Arsago* (*Arsagum.* nonnullis *Ara Cæsaris*) *Besna*, altiusque *Vergia*.

Sfortiaca. Gambolate. Visitur ulterius amœnum Prædium *Sfortiaca*, sic ab *Ludovico Sfortia*, Mediolani Duce nominatum: juxta est in mediterraneis *Gambolate*, ubi *duas Colomnas*, quarum Ammianus meminit libro xv, fuisse quidam opinantur. Pagus est lautus; uti & *Gropetum*, *Gropetum.* qui non procul inde.

Vigevanum, Sequitur ad Ticinum amnem *Vigievano*, Civitatis jus adeptum anno CIↃ IↃXXX ad Clemente VII P. M, in gratiam Francisci Sfortiæ, Mediolanensium Ducis. *Vicus Veneris* Corio, Carinum laudanti, dicitur; Merulæ lib. v. Histor. Vicecomitum & Simonetæ in Sfortiadibus *Vigevanum*; Volaterrano lib. IV Comment, Vrban. *Vegevanum*; Dominico Machaneo in Verbani Lacus descriptione *Viglivenum*, Incolæque *Viglivenses*; aliis *Vergeminum*: Mediolanensium Ducum opus, quibus frequens hic habitatio. *Principes.* Captum Ludovicus XII Francorum Rex *Ioanni Iacobo Trivultio* donavit, cum Marchionis titulo: ejectis Gallis, Maximilianus Sfortia *Cardinali* tradidit *Sedunensi*: recepto ab *Francisco Rege* Mediolani Ducatu, in ejus quoque potestatem rediit; ab eo in *Francisci Sfortiæ* ditionem; cui *Karolus* V in universum Mediolani imperium successit. *Qualitas,* Civitas est lauta, rerum omnium copia abundans. *Clari Viri.* Patria *Petri Candidi*, qui Plutarchi Parallela & Appianum Alexandrinum, aliaque fecit Latina. Genuit & *Hieronymum Fantonum* Theologum, Scriptis clarum. *Ager.* Agrum habet uberem: frumenti, vini, reliquarum frugum fœcundum.

Vallis Plumbana. Succedunt in læva Ticini ripa *Valle di Piomba*, *Borgo del Tesino*, & ulterius *Castelletto*.

Mortaria. Inter Amnes Ticinum & Goniam Opidum est *Mortaria*. Sic, quum antea *Silva bella*, dici cœpit tempore Karoli Magni, victoriam hoc loco desiderio Rege, cum multa Langbardorum strage morteque, adepti; teste, præter alios, Corio parte 1. De eo Facius Vbertus lib. III, Cantico V:

Giunti à Mortara *quivi vedemo à pienos*
Che per i molti morti *il nome prese,*
Quando gli due compagni venner meno.

Burgum Lavetium. Sequitur inde *Burgum Lavetium*, *Borgo Lavezza*; Latine loquentibus *Forum Libertiorum*, vel *Lebuorum*. *Lebui* Livio Galliæ Cis-Alpinæ Populi; Λεβέτιοι, vel, ut alii legunt,

gunt Λεβίκιοι apud Polybium, Sigonio indicante, libro singulari de Iure Italiæ: Inemendatius *Libici* Plinio; Λίβικοι, Ptolemæo: uti censet Gaudentius Merula.

Barbariga. *Laumellum,*

Dextra est *Barbariga*; medioque hoc spatio *Lumello.* Sic vulgo audit, quod *Laumellum* Paullo Diacono lib. III. Hist. Langbard. Antonino in Itinerario, & Ammiano Marcellino libro XV, apud quem tamen *Lacmelium* legi notat Gaudentius Merula, scripturam illam magis adprobans. Γαυμέλλον vitiose Ptolemæo. Censet Xylander Ἰκτεμούλον, Vercellensis agri, forte dici apud Strabonem & Plinium, quorum judicio Auri ibi sunt fodinæ. Eversum scribit Corius Parte II ab Mediolanensibus anno CIↃ CC XV. Ab *Laumello Laumellina* nuncupatur totus inter Ticinum & Gomam Tractus.

Calamitas. *Ager,* *Novaria,*

In Agro Laumellino Civitas est *Novara.* Sic vulgo dicitur; quæ *Novaria* Tacito, Plinioque: Νουαρία Ptolemæo & Procopio. Cippus oblongus Romæ ad domum Matthæi Porcarij:

C. LIVIVS. C. F.
IVSTVS
NOVARIA. MIL.
CHO. IIII. PR
Ↄ. LICINI. MILIT
ANN. XVIIII
VIX. ANN. XXVII
H. S. E. T. F. I

An *Aria, Lybia, Leonina* quomdam; disputent ex supposititio Catone alij. Ab *Elio* Trojano, Veneris filio, fertur condita cum Vercellis, *Novaria*que dicta, quasi *Nova Ara*, eidem Veneri consecrata. Plinius ex *Vertamacoris* Vocontiorum scribit ortam. In modico sita colle, diu sub *Mediolanensium Ducum* fuit ditione; inde ab *Turrianis, Vicecomitibus, Sfortiis, Franciæ*que *Regibus* possessa, cum Ducatus capite Mediolano in potestatem venit *Caroli* V, *Regum*que *Hispaniæ.* Fruitur ea certis legibus *Parmensium Princeps.* Episcopatus gaudet dignitate. Pernobiles habet Familias *Tornellorum, Caballatiorum, Brusatorum*que, quorum intestinis bellis misere est labefactata. Traditus est venditusque in Vrbis Castro ab Helvetijs Gallo Mediolani Dux Ludovicus Sfortia, anno CIↃ IↃ. Claros genuit Viros *Albutium Silonem*, magnum Augusti principatu Oratorem; *Petrum Lombardum*, Episcopum Lugdunensem, Sententiarum Auctorem; *Ioannem Mariam Cataneum*, Poetam. *Novariensem* quoque nonnulli faciunt *Petrum Comestorem*, Ecclesiasticæ Historiæ Scriptorem. Viros Militares prætereo. Habuit circa annum CIↃ CCCVIII *Dulcinum*, hæresiarcham, in quem ejusque Conjugem animadvertendum censuit Clemens V P.M. Ager ipsi partim planus & fertilis, partim sterilis & montosus.

Conditores, unde dicta, *Situs,* *Res gestæ & Principes,* *Episcopatus,* *Familiæ nobiles,* *Clari Viri,* *Ager,* *Triverium, &c.*

Haud procul inde Monti Gaciarono adsident *Triverio, Cazzola, Crepacore.*

Ad Seneciæ fluminis in Pado ostium *Bremidum* jacet: Ad dextram ripam sursum *Palestri* & *Romagnano*, victoria Populi Romani duce C. Marij & Q. Catuli de Cimbris relata nobilitatum. Iuxta est *Camariano*, sic dictum quasi *Castra Mariana*, ut vult Alciatus: vel, ut alij, quasi *Arcus Marianus*, cujus etiam nunc exstant vestigia.

Bremidum, *Palestrum.* *Romanianum.* *Camarianum,*

Visuntur eo tractu nonnulla Opida, quæ Lacubus conjacentibus nomen indiderunt, *Mona, Trina, Comabio, Corzino, Varrano.* Interius sunt *Le Croci* & *S. Pancratio.* Haud procul inde *Biendrono* spectatur; statim *Barbia*; mox *Gavira* à quo *Gaviratius Lacus* cognominatus: dein *Cellano* & *Co Lago*, *Caput Lagus*: alia latere *Azza*, Latinis *Actiacum*: & ulterius *S. Francesco.*

Menatium, & alia *Biendronum.* *Gaviratium,* *Brusinum planum, &c.*

Consident utrimque Lugano Lacui *Brusino piano*, duobus hinc milliaribus *Marco*: parique intervallo *Porto*: mox *Brusino Cisso*, & *Riva.* Offerunt se paullo post *Marozzo, Bissono, Campiono, Hosten, Cima* vel *Cacumen Lacus, Corlezza, Lichime, Valsoldo.* Est etiam hoc situ *Gandrie*: & intus *Sonvigo, Lugano*, à quo Lacui nomen. Arcem habuit olim munitissimam: tribus hinc millibus *Mili*: ultraque pari spatio *Murco.* Tribus ab Murcotio millibus *Casoro*, totidemque hinc *Caslano.*

Luganum. *Mili.* *Murcotium,*

Ad Verbanum, de quo suo loco, venio. Post Sextium, ubi stagnum se pandere incipit, *Lisanza* se offert; mox, tamquam in peninsula, vetus Opidum *Anglerta*, sic dictum, quod *ad Glaream* Verbani situm. Conditum volunt alij ab *Angio* Troiano, alij ab *Anglo* Ascanij filio; fabulis nixi: nonnulli ab *Anglis* & Saxonibus, qui cum Langbardis huc profecti creduntur. Deletum legitur ab Gothis, instauratum inde non eodem loco, neque prisca amplitudine. Situm est in amœna planitie. Ortu superbit primo & incunabilis *Vicecomitum*, de quibus alij. Possidetur nunc ab *Bonromæis*, Patritijs Mediolanensibus. Sequitur inde *Ranco*: mox medio curvantis se ripæ sinu *Incusa*; summoque in cornu *Ispra*. Succedent inde *Arole*, *S. Catharina*, *Cerro*, *Laveno*; post amnem Tressam *Luino* & *Degmeza*; mox *Machaneum*, vernacule *Maccagno*, patria *Domini Machanei*, Scriptis noti. Occurrunt dein *Monte Scepazzolo*, *Poggio*, *Sasso del Pino*, *Zeno*, *Martignoni*, *Vira*, *Magadino*. Dextra Ticini ripa sursum Vicus invenitur, qui vulgo *Cra*; dein *Ossogna*, & *Biasca*: ulteriusque *Belinzona*: Paullo Diacono & Gregorio Turonensi *Castrum Bilinctionis*. Bonaventura Castilioneus *Berinzonam*, *Bellizonam*, aut *BellinZonam* quoque nominari notat, id est *Breunorum Castrum*; vel *Breunizonam*, tamquam *Breuni Agri Zonam*. In faucibus jacet Opidum inter montes, non una Arce validum. Muetij ripam sursum legenti conspiciendum se præbet *Rogoretum*, quod vulgo *Roveredo*, Arcem habens munitissimam. Offerunt se haud procul inde *Poiesen*, *Capegno* & *Fam*

Sic fere se habent, quæ ad ripam Lacus Verbani dextram: perlustranda sequuntur, quæ ad sinistram. Supra Ciconiolam, ubi crescere Lacus incipit, lapide quarto, nobile Castrum est *Arona*, cum Portu commodo. Arceque, si necessarijs instructa, inexpugnabili. Succedunt inde *Lessa*, *Bugira*, *Stressa*, *Palanza*, Vicus valde frequens, *Intra*, *Bighinzolo*, *Visi*, *Eugiabio*, alijque Diœcesis Novariensis Pagi. Mox *Canero* Opidum, fertilis agri; hinc *Carmino*, edito in loco; *Fanum D. Eusebij*, in colle; postque caput saxosæ rupis *Borgo di Canobio*: quod ita portubus, turribus, ædificijs instructum, ut Civitatis potius formam referat, quam Pagi. Quatuor á Canobio P. M. *Brissacum* jacet; nec procul inde pagus *Ascona*, cujus priscam opulentiam frequentiamque magna veterum ædificiorum vestigia testantur, vastæque murorum ruinæ: Hinc secundo lapide *Locarno* visitur, Pagus frequens, Diœcesis Novocomensis. Circa postremum Lacus angulum in planitie *Gordula* monstratur, prope Verciascæ fluminis ostium: quo superato per campos opimos *Contrasium* aditur. Sequitur eodem itinere *Belinzona*, moxque *Lepontina Vallis*. Suggerit inde Vallis Dolia, quæ vernacule loquentibus *Vegnoso*, *Cordanco*, *Cono*, *Zumano*, *Sunco*, *Mogeno*, *Laveleva*, *Brontal*, *Marzono*, *Brolio*, *Sornico*, *Frisio*, *Maggia*. & *Verizzino*: Rovana autem, quæ *Cerentino*, *Rusico*, *Caurino*, *Campo*, *Lugnasco*. Ad Athisonem descendenti Castrum adparet *Domodoscella*. Ὄσκελλα Ptolemæo, quod volunt Blondus, Dominicus Machaneus, Ægidius Tschudus, Castilioneus, Leander Albertus, Iosias Simlerus, alij: *Thum* dicitur Germanis. Ab *Oscis* originem fabulatur supposititius. Cato. Honestum est Opidum, Arcem habens munitissimam: uti & *Voconia* prope fauces Vallis Anciascæ, ab Oscella millib. VII. Adsident hinc Lacui Ortano, qui & D. Iulij, *Orta*, *Bussono*, *Omegna*; Pagique *Meno* & *Armeno*, cum alijs, non magni nominis.

Descriptis quæ Lacui Verbano utrimque conjacent, locis, ad Langbardiæ recurrendum censeo planiciem, cis Padum. Ibi ab Amnis Senciæ ostio sursum, sinistra ripa, *Balzola* jacet; mox *Villa Nuova*; hinc Civitas antiqua *Vercellæ*. Sic Latinis scribitur, Tacito lib. I. Histor. Plinio lib. III cap. XVI, Silio lib. VIII belli Pœnici; Οὐέρκελλαι Straboni lib. V, & Ptolemæo, cui Lybicorum Civitas; Βρεκέλλαι Scholastico lib. III, cap. VII: quæ hodie *Vercelli*. De ea Martialis Epigramm. ad Domitium:

> *Aemilia gentes, & Apollineas* Vercellas,
> *Et Phaethontai qui petis arva Padi.*
> *Ne vivam, nisi te, Domiti, permisso libenter:*
> *Grata licet sine te sit mihi nulla dies.*

Conditam volunt, qui fabulis creduli, ante Trojæ excidium, ab Venera, Trojana nobili, cum Eltio filio huc locorum profecta: & ab ea *Vercellam*, tamquam *Veneris Cellam* fuisse nominatam. *Maropolam* etiam ante dictam testatur Paradinus: qua fide?

Lisantia. Angleria, unde dicta. Situs. Principes. Rancetum. Incusa, & alia. Machaneum. Mons Scepazzolus, &c. Belinzona. Arces. Rogoretum, &c. Arona. Palantium. Canerum. Canobius Pagus. Brissacum. Ascona. Locarnum. Gordula. Contrasium, &c. Vegnosum, &c. Cerentinum, &c. Domodoscella. Voconia. Orta, & alia. Balzola. Villa Nova. Vercellæ. Conditores.

fde? Nam Mediolanensium Annales, quos laudat Leander, non magnæ hic rei. Plinius *Vercellas* Lybicorum ex Sallyis (de quibus in Gallia) ortas tradit. Annij Viterbiensis nugas insuper habeo. [Qualitas.] Quamvis Hieronymus scribat eam raro habitatore suo tempore jacuisse semidirutam; hodie tamen Vrbs est honesta, nobilis, & Episcopalis. [Episcopatus.] Concilium hic celebravit Leo IX. P. M. adversus Berengarium, Archidiaconum Turriensem, uti in Decretis legitur. [Concilium. Clari Viri.] Claros genuit Viros, non paucos; inter alios, *Eusebium*, Episcopum, Divorum adscriptum numero; de quo Elogium ibi legitur in Ædibus Episcopi. *L. Valerij Crescentis Vercellensis* mentionem facit Inscriptio, quæ Budæ in Hungaria, in pavimento Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ.

D . M
L . VALERIVS . L . F
ANI . CRESCENS
VERC .
MIL . LEG . II . ADI . P . F
7 . COMINI . PAVLINI
ANN . XXXX
STIPENDIORVM . XVIIII
T . F . I . H . F . C
H . S . E .

Lelij item L. F. *Ani. Paullini Vercellensis*, cum alijs, Fragmentum Tabellę marmoreæ, quod Romæ in Hortis Euryali Rufini, ad Busta Gallica, Civilibus olim dissensionibus misere jactata legitur, maxime *Titionum* & *Advocatorum*; [Res gestæ.] quorum hi victoriam adepti, tandem anno ab Christo nato CIↃ CCCX dominatum ejus rapuerunt; post successu temporis in *Marchionum Montisferrati*; hinc *Ducum Mediolanensium*, tandem in *Allobrogum Principum* potestatem redacta. [Principes.] Legendi Merula, Corius, & alij. [Nundinæ.] Quotannis Nundinarum conventibus bis frequentatur, præcipuaque Negociatio est pecuaria & lanaria. [Ager.] Agrum *Vercellesem*, qui uberrimus, frumentique, vini, aliarumque frugum fertilis, etiam Aurifodinis fuisse divitem, patet ex Plinij naturali historia, lib. XXXIII, cap. IV.

Ab Vercellis læva Seciæ ripa procedenti Castellum occurrit *D. Germani*, ortu nobilitatum *Antonij*, ex Prædicatorum sodalitate, Divis conscriptum. [D. Germani.] Succedit *Burgum*; dextraque prope Sarvum amnem *Andurnum*, & altius inter montes *Biella*, Latinis *Buggiela*. Læva dein *Betullum* est, vernacule *Bedulo*. [Burgum. Andurnum. Buggiela. Betullum.] Nomen natum credit Alciatus ab Arbore *Betulla*, quæ ad Vasorum circulos expetitur.

Rursus in Padi ripa, quingentis ab ora passibus *Tridinium* est Opidum, Italis *Trino*, magnum beneque munitum: [Tridinium.] patria non solum *Brolia*, strenui militiæ Ducis, verum etiam *Nicolai Faletti*, excellentis Poetæ. Ducis est Mantuani. Haud procul inde in Padi dextera Castella visuntur *Morano* & *Fontanella*; item *Palazzuolo*; altiusque *Crescentino*, patria *Vbertini Crescentinatis*, qui suis Commentarijs Valerium Maximum & Epistolas M. Ciceronis inlustravit. [Moranum. Fontanella. Palatiolum. Crescentinum.] Intus est *S. Maria di Locedo*, nobile olim Cœnobium, ab Montis-ferrati Marchionibus ædificatum. [D. Maria Locedi.] Vlterius inter paludes est *Livurno*; prope Duriam *S. Giorgio* & *Salugia*, Opida non magni momenti. [Livurnum. S. Georgij Fanum. Salucia.]

A Pado læva Duriæ ripa sursum pergenti *Verolengo* se offert; altiusque *Rivarella*, inque mediterraneis inter Montes *Ivrea* Civitas. [Verolengum. Riparella. Ivrea. olim Eporedia.] Sic hodie dicitur, quæ *Eporedia* Tacito lib. VII, Plinio lib. III, cap. XVI, alijsque Latinis; Ἐπορεδία Ptolemæo, Salassorum in Insubria Vrbem facienti, in cujus quibusdam Codicibus Ἐλορεδία vitiose scribitur; Ἐπορεδία Straboni; *Eporedia* Ciceroni in Epistolis, multitudinis numero; *Eporizium* denique Libro Notitiarum. Appellatur in docto Latinorum vulgo *Lamporegium* & *Hipporegia*. Scribit Plinius *Eporediam* Sibyllinis libris à *Populo Romano* condi jussam: *Eporedicas* enim Gallos vocare *bonos equorum domitores*: unde & Romanorum *Colonia* apud Strabonem & Velleium Paterculum. [Conditores. Colonia.] Situs illus editus inter duos montes: secaturque ab amne Duria. [Situs.] Arcem habet; & Templum antiquæ notæ, Divæ Virgini sacrum, in quo *D. Besti* reliquias servare se ajunt Cives. [Publica Ædificia.]

Clari viri. Ager.

Ortum ipsi debent cum alij, tum *Ioannes Stephanus*, & *Bonifacius* Fratres, ipsorumque nepos *Philibertus*: ex nobili *Ferrariorum* omnes familia, Cardinalium Collegio adscripti; primus ab Alexandro VI, secundus ab Leone X, tertius a Paullo III, PP. MM. Ager varius: ad Austrum non infertilis; qua Septemtrio est, perasper & horridus, pascendis tamen gregibus non idoneus.

Augusta Pretoria. Situs. Colonia. Antiquitates.

Eporediam excipit Vallis *Augustæ Prætoriæ*, de qua suo loco. Nomen illi ab Vrbe Cognomine Sic Plinio dicitur, Salassiorum Coloniam notanti; Αὐγοῦστα Πραιτωρία Straboni & Ptolemæo: quæ Italis Osta, Germanis Augst. Situm est Opidum in aditu Vallis, juxta geminas Alpium fauces, inquit Plinius libro III, cap. XVI, Grajas atque Pœninas, de quibus alibi. Cæsarem Augustum (unde dicta) tria Romanorum millia ibi collocasse, quum prius eo loci castra habuisset Varro, à quo reliquiæ Salassorum erant deletæ, scribit Strabo. Meminit *Coloniæ Augustæ Prætoriæ* Ti. Imperatoris Nummus. Videre ibi est Arcum Triumphalem: sed Imaginibus suis nudatum, & Inscriptione. Eam nonnulli fuisse augurantur, quæ apud Plinium libro III natur. Hist. cap. XIX, corrupta admodum, sic restituenda:

IMP. CÆSARI. DIVI. F. AVGVSTO
PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIB. POT. XVII.
S. P. Q. R
QVOD. EIVS. DVCTV. AVSPICIISQ.
GENTES. ALPINÆ. OMNES. QVÆ. A. MARI
SVPERO. AD. INFERVM. PERTINEBANT
SVB. IMPERIVM. P. R. REDACTÆ. SVNT
TRIVMPILINI. CAMVNI. VENNOTES. VENNONETES
HISARSI. BRVNI. NAVNES. FOCVNATES
VINDELICORVM. GENTES IIII.
CONSVANETES. VIRVCINATES. LICATES CATTENATES
ABISONTES. RVGVSCI. SVANETES
COLLVCONES. BRIXENTES
LEPONTII. VIPERI. NANTVATES. SEDVNI
VERAGRI. SALASSI. ACITAVONES. MEDVLLI
VCENNI. CATVRIGES. BRIGIANI
SONTIONTII. EBRODVNTII. NEMALONI
EDENNATES. EBVSANI. VEAMINI
GALLICÆ
TRIVLATTI. ECTINI. VERCVNNI
EGVITVRI. NEMENTVRI. ORATELLI
VERVS I. VELNANI. SVETRI

Quorum omnium explicatio cum apud alios, tum apud Iosiam Simlerum de Alpibus.

Massadium. Danasum. Fanum D. Martini. Clavasium. Vulpianum, & alia.

Haud procul Augusta ad ripam Duriæ lævam *Mazzadium* conspicitur: inde relictis cum Valle montibus rursum in Padi ripa fluminis Orci est Ostium, cujus dextrę nobile Opidum adsidet *Danasum*, altiusque *D. Martini*, unde Comitibus *San-Martinis* nomen. Orci læva *Clavasium*: jacet, cum *Vulpiano*: & in montibus *Marcinascum*: interiusque *Strambinum*. Sunt item eodem tractu, quæ vulgo *S. Benedetto di Fruttera*; ultraque & citra Sturam, cum alijs, *Caselera*, *Grangia*, *Lanzo*, & *Belengerio*.

CAPVT

CAPUT XXXVI.

Venetia vel Marca Tarvisina.

DIXI de Lang-bardia Trans-Padana: occurrit trans Padum, in occidentalioribus Novæ planiorisque Italiæ Partibus VENETIA, vel MARCA TARVISINA. VENETIA vel MARCA TARVISINA.

Habitarunt hic olim *Euganei*, quibus nomen, si Etymon ex Græcia petendum, ab genere nobili clarisque Natalibus. Quæ de *Euganeorum* origine apud Catonem & Sempronium Annianos, quia parum solida, omitto. Eorum multifaciunt mentionem; cum primis Livius lib. I. ab V.C. & Plinius libro III natural. Histor. cap. XVIII, eorum Opidum Veronam scribens; item cap. seq. ubi Catonem Latini juris *Euganearum gentium* opida XXXIV enumerasse, memorat. Ab *Euganeis Euganei Colles* Lucanus de bello Pharsalico libro VII: Veteres Incolæ, Euganei.

Euganeo, *si vera fides memorantibus, Augur*
Colle *sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,*
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi.

Oves mollissimæ Lanæ apud *Euganeos*, notat Iuvenalis:

——Euganea *quantumvis mollior* agna.

Euganeos his sedibus profligarunt, ut Livius notat libro I, *Veneti*, à quibus tota Regio *Venetia* dicta. Legitur apud Strabonem libro V duplex de *Venetorum* origine sententia; eos vel ab *Enetis*, Galliæ Populis, Oceano adcolis, descendisse; vel ab *Enetis*, qui post bellum Trojanum, auspicijs ductuque Antenoris, ex Paphlagoniæ finibus huc commearunt. Quod ad priorem opinionem, *Venetos* celerrimos olim Galliæ ad Oceanum fuisse populos, docui lib. III, cap. XXXI, quod Brittanniæ delineationi datum: Quod ad posteriorem, in eam, quum inlustrior, (nam quæ non gens ab devictis Trojanis originem mentitur?) plerique inclinat Scriptores: uti Sophocles apud Strabonem lib. XV, Polybius, Cornelius Nepos, Pompeius Trogu lib. XX, Cato apud Plinium libro III, cap. XVIII, Livius libro I ab V. C. alijque; maxime vero Poetæ. Sic Virgilius lib. I: iisque pulsis, Veneti.

Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi:
Vnde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arva sonanti:
Hic tamen ille Vrbem Patavi, sedemque locavit
Teucrorum; & genti nomen dedit: armaque fixit
Troia: nunc placida compostus pace quiescit.

Sic Silius Italicus libro VIII de bello Pœnico:

Tum Troiana manus tellure antiquitus orti
Euganea, profugique sacris Antenoris oris,
Nec non cum Venetis *Aquileia superfuit armis.*

Tertia de *Venetorum* origine sententia, quæ apud Catonem & Sempronium, ab Viterbiensi suppositos, frivola omnino est, merasque sapit fabulas. Memoriam *Venetorum* cebrat etiam, cum alijs, Tacitus lib XI. Licet hos Populos quidam scribant vel *Enetos*, vel *Henetos* plerique tamen *Venetos* appellant. Marka Tarvisina, unde dicta.

Postrema Regionis denominatio *Marka Tarvisina* fuit. Quur *Marka*, dictum supra cap. XXIII, ubi de Marka Anconitana. Cognomen dedit Vrbs *Tarvisium*, sedes olim & domicilium Marchionum Langbardici nominis, qui huic Tractui cum imperio præerant. Consulendi Blondus, Volaterranus, Rassanus, alij. *Tarvisinum* appellant Cassiodorus libro X Variar. Procopius, Paullus Diaconus, & Regino. *Tarvisinos Montes* indidicat apud Plinium libro III, cap. XVIII Pintianus: ubi alij Codices habent *Taurisanos*. Hodie vernacule *Marka Trevigiana*.

Quod ad Fines, scribit Leander ab Occidente *Venetiam* claudere Mintium, Benacum, & Sarcam flumen; à Septemtrione, Montes Taurisanos, Italiæ Germaniæque discrimen; ab Oriente Timavi Ostium, partemque Hadriatici maris : ab Meridie Fines.

ridie, Ostium Athesis, Paludesque Melarianas ac Brigantinas: hos autem *Venetiæ Veteris* terminos esse, non *Marka Tarvisina*, quæ multo erat angustior, suamque habebat longitudinem inter Mincium Alsamque fluvius: trans Alsam enim Forojuliensem Agrum adnecti: præterea *Markam Tarvisinam*, quæ nunc vocatur, nonnulla continere loca Cenomanorum, &c. Videndus etiam Paullus Diaconus lib. II. Histor. Langbardicæ cap. XIIII.

Qualitas. Regio est, uti videre est apud eumdem Leandrum, pernobilis & lauta, ditissimis Opidis, urbibusque splendidissimis nitens, Colunius & ingenio tum ad litteras omnemque disciplinam, tum ad rerum publicarum administrationem aptissimis, & manu armisque, quum tempus exigit, promtis, nec minus in re facienda cumulandisque divitijs solertibus. Campos habet amœnos, ac frumenti ceterarumque frugum, item omnigeni fructus ac vini maxima fertiles. Non desunt calidi frigidique fontes, ad medicinam mortalium utiles. Adest Metallorum ubertas: multi nobiles amnes & lacus; cœlum salubre, jucundum & temperatum: tantis denique & tam multis munificæ naturæ dotibus adfatim ornata est & locupletata, ut inter principes Italiæ Regiones optimo jure censeri possit.

Sacchetta. Seravallis. Specialiora delineaturus, initium statuam haud procul ostio Mincij Padoque, in *Sacchetta*; quæ Caprianorum patrimonium: secundum Padi ripam deorsum *Seravallis* est Arx munita, ab Mantuanis anno CIↃ CC XX condita, teste Æquicola libro I Comit. Mantuanorum. Celebris est armorum militarium officina. *Hostia.* Haud procul inde monstratur *Hostia*, Opidum frequens, opulentum; arce, fossis, mœnibus, paludibus bene munitum. *Hostilia* Tacito lib. II. & III Histor item Antonino, & alijs. Padum adluere scribit Plinius. *Hostiliensis loci* meminit Cassiodorus Variar. lib. II ad Dromanarios. Instauratum ab Veronensibus, notat Blondus. Imperium ejus penes Mantuanorum Principem.

Bastion. Turris Culicum. Pons Molinus. Turris Media. Inter Tartarum Minciumque multa sunt loca, cum alijs, ad Ostium amnis, læva, *Bastiona*, & *la Torre dalle Zinzale*, Latinis *Turris Culicum*: dividitque se infra, post XII fere stadium in duo Cornua, quorum unum tendit ad *Pontem Molinum*, alterum ad *Turrim Mediam*. *Mons Vzaticus, & alia.* Supra Paludem, ultra Turrim Culicum hæc se offerunt Castella, quæ vernacule, *Monte Vzatico, Castellaro, Ponte Polero, Erba, Ferrazzolo, Poscia, Grezano, Sfagna, Nugarolo, Castion Mantcaro, Monte Zancano, Tornezzo, Villa Franca, Sancto Zeno, Gersa, Borgetto, Vallezzo*: sequuntur altius *Saliozze, Castel Nuovo*, & *Cazalca Selle*. Inferiora versum inter dextram Tartari ripam, Menacique lævam *Fons Molinus* est, & *Castilio D. Michaelis*. *Fons Molinus, &c. Insula Scaligera.* Haud procul inde *Sanguinedo, Norage, Alpreto, Solazuolo, Isola della Scala*, Vicus Opidum referens, amœnissimus olim *Scaligerorum*, qui condiderunt, secessus: sequuntur *Vigazze, S. Maria, Pingiano*, & *Butta Preda*: dein, Ostio Menaci transito, *Castagnaro* & *Carpo*: ultra quem *Villa Bartholemea*, mox *Athesis*, de quo supra: *Lineacum.* Ejus læva *Lignago* occurrit frequens & amplum Opidum, *Veronensis* quomdam *ditionis*, nunc *Venetis* subjectum, qui præsidium in eo habent firmissimum: Succedunt *Ango, Rovecchiara di Sotto, Gollozo, Manrega, Rovecchiara, Ronco Torre di Magnan, Pezzo, Gegno*, altiusque *Verona*.

Verona vocatur Livio, Tacito, Silio, Plinio, Paullo Diacono, Antonino, Itineraria Tabulæ, alijsque; Οὐηρῶνα Ptolemæo: quæ Οὐήρων Straboni; Βέρωνα Stephano. *Verona.* Nomen hodie retinet. Germanis Dietrichs Bern vocatur. Meminit *Verona* Cippus, qui Romæ repertus è regione Templum Teutonicum, ad Agonem,

M. APICIVS
M. F. PVB
PVDENS
VERONA
MIL. COH. XII. PR.
MIL. ANN. XVI
VIXIT. ANN. XXXII
H. S. E.

Ab *Vera*

Ab *Vero*, nobili Etrusca familia, dictam fabulantur apud Annium Viterbiensem Cato & Sempronius. Alij nomen natum volunt à *Brenno*, Gallorum Duce, priusque *Brennonam* nuncupatam, post autem lapsu temporis *Veronam*. Ptolemæus *Cenomanis* tribuit; *Libuis* Livius; *Euganeis* Plinius: hodie *Markæ Tarvisinæ* concensetur. Aerem habet tenuem. Non absimilis Helvetiorum Basileæ, natura, situ, pulcritudine ædificiorum est nobilis; æquo solo recumbens, ad Meridiem; Ortum. Occasumque conversa brumalem, tellure ad Septemtrionem leniter adsurgente, jugisque Theatralem pene formam exprimentibus. Athesi amne non tam dividitur, quam munitur & circumquaque cingitur. Silius lib. VIII:

Unde dicta. Quorum populorum. Aer. Situs.

Tum Verona *Athesi circumflua & undique solers.*

Mille Antiquitatum vestigia veterem testantur Urbis magnificentiam & divitias. Vias habet rectas & amplas, coctili stratas lapide; Templa circiter XXXV, quorum præcipua pervetusta Ædes Cathedralis, & *D. Anastasij*; Monasteria Monachorum & Monialium X; Pontes quatuor insignes, fluvio impositos. In summo clivo duæ sunt Arces nobilissimæ, *D. Petri*, & *S. Felicis*, quarum illa Athesi pene incubat, ab Cane Scaligero excitata; hæc eminentiore loco & quasi Vallis supercilio sedens Urbis mœnia despectat, & longe lateque in circum-Padanos Agros, totamque fere Cis-Alpinam Galliam pandit prospectum. Sunt item aliæ Arces; *Castellum Vetus*, & quæ vulgo *Citadella*. Amphitheatrum ibi visitur, omnium maximum, & quo nullum fere integrius; media Urbe adsurgens: de quo plene & accurate Taurellus Sarayna, Iustus Lipsius, Franciscus Schottus, & alij. Civitas hæc Episcopatus gaudet dignitate. Ortu gloriatur Antistitum XXXVII, qui Sanctorum numero adscripti: in quis *D. Zeno*, Scriptis etiam clarus: & *Petrus*, Martyr, cujus Vitam ad posteros transmisit Ioannes Antonius Flaminius. Incolæ magnifici, splendidi, jucundo adspectu, ingenij summi, maximeque ad litteras idonei. Genuit *Verona Catullum* & *Aemilium Macrum* Poetas, *Plinios*, *Cornelium Nepotem*. De *Catullo* Martialis:

Publica Opera. Arces. Amphitheatrum. Episcopatus, Sancti. Incolæ. Clari viri.

Tantum parva suo debet Verona Catullo:
Quantum magna suo Mantua Virgilio.

De eodem *Plinijs*que Eobanus Hessus:

Magna tuo salve maior Verona Catullo
Plinius *hic cunas unus & alter habet.*

Maiorem tamen *Plinium* Novocomenses sibi vindicant. *Macrum* laudat Ovidius:

Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo
Quæque nocet serpens, quæ iuvat herba Macer, *&c.*

Veronensis etiam fuit *M. Vitruvius*, nobilis Architecturæ Scriptor. Natalem quoque locum *Veronam* agnoscunt, Theologi; *Petrus Scaliger*, Episcopus, cujus præter alia leguntur Euangelistam Matthæum commentaria: *Rathenius*, item Vrbis Antistes: *Leonardus*, ex Novarula familia, multis functus honoribus, variarumque doctus linguarum: *Ludovicus, Franciscus, Alexander*, fratres, ejusdem familiæ: *Celsus Maphæus*, qui difficilem illam & elegantem Quæstionem typis editam disputavit, Vtrum Resp. sine peccato Iudæos recipere queat gratia fœnoris exercendi, & an Pontifex Maximus Permittere, ut id fiat, sine peccato possit: Iurisconsulti: *Ioannes Madius, Iacobi* I *&* II *Lazaroli*: *Bartholomæus Cepolla*, qui Cautelas concinnavit: *Christophorus Lanfranchinus*: *Taurellus Sarayna*, qui Veronam patriam descripsit, ejusque originem, amplitudinem, imperium, antiqua monimenta, aliaque, quatuor peculiaribris libris: Medici: *Hieronymus Fracastorius*: *Ioannes Baptista Montanus*: *Hieronymus* ex Familia Turria. His omnibus adcensendi, *Guarinus*, inter primos Latinæ linguæ Instauratores locandus: *Matthæus Bossius, Domitius Calderinus, Antonius Pantheus, Hieronymus Veritatius, Adamus Fumanus, Marcus Medices, Rochus Cataneus*: plerique editis ab se monimentis celebres. Nec defuerunt omni memoria præstantes, bello Duces: inter quos *Petrus Verinus*, ejusque Filii *Ludovicus* & *Iacobus*: *Ludovicus* II ex eadem gente, cujus crebram historia faciunt mentionem: *Antonius*, ex nobili Æmiliorum Familia; *Georgius Cavallus*: *Bartholomæus San-Sebastianus*: *Paullus Luciasius*: & alij.

Nobiles Familiæ. Nobilibus superbit Familijs Marchionum *Malaspinarum*: Comitum *San-Bonifaciorum, Sarcgorum, Pompeiorum, Iustorum, Bevilaquarum, Novarulorum*; item gentibus, quæ vernaculo Idiomate *Pellegrini, Medici, Marcobruni, Monti, Mafei, Negari, Redolfi, Turchi, Dionysii, Miniscalchi, Curt, Guagnini, Spoluerini, Sabanti, Alberti, Guarienti, Cartolari, Ciceri, Giulari*; alijsque.

Res gestæ & Principes. Condidisse feruntur *Tusci*, apud alios (in quis principis loci Livius lib. V & Trogus) *Galli Cenomani*, in Italiam Brenno Duce transgressi: quibus ejectis, in fide diu fuit & potestate *Romanorum*: quorum auspicijs *Coloniam* eo duxit Cn. Pompeius Strabo, Magni Pater, uti probat cum alijs argumentis, tum sequentibus Panegyrici ad Constantem Imperatorem verbis Onuphrius Panninius: *Pugnacissimo Præfecto; ut quam Coloniam Cn. Pompeius aliquando deduxerat, Pompeianus everteret, o miserabilem Veronensium calamitatem*: item Taciti in Historijs: *Quæsitum inde, quæ sedes bello legeretur; Verona potior visa patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua præualebant: simul Coloniam copijs validam auferre Vitellio in rem famamque videbatur.* Eo pertinet Inscriptio, quæ in Arcu antiquo, pro Vrbis porta aliquando usurpata, hodieque *Porta Bursarea* vulgo dicta: quæque docet *Veronam* ab *Aurelio Licinio Gallieno Imperatore* restitutam, & ab eo nomen accepisse *Coloniæ Augustæ Novæ Gallienianæ*:

COLONIA. AVGVSTA. VERONA. NOVA. GALLIENIANA. VALERIANO. II. ET. LICINIO.
CONS. MVRI. VERONENSIVM. FABRICATI. EX. DIE. III. NON. APRILIVM
DEDICATI. PR. NON. DECEMBRIS. IVBENTE. SANCTISSIMO. GALLIENO. AVG. N.
INSISTENTE. AVR. MARCELLINO. V. P. DVC. DVC. CVRANTE. IVL. MARCELLINO

Ab *Attila*, Hunnorum Rege, post vastata, varijs inde subdita fuit Tyrannis, quorum agmen duxerunt facile *Gothorum Reges*: hos expulerunt *Langbardi*; Langbardos, Karolo Magno Duce, *Franci*: post quos, *Berengarijs* ab Othone I Imperatore Italia ejectis, sui juris facta quietem aliquandiu habuit sub auctoritate fideque *Romani Imperij*. Per vim adeptus *Actiolinus Romaninus* Præfecturam in Dominatum convertit, exacto *Azone Atestino*, quem S. P. Q. Veronæ Prætorem designarat. Eo defuncto circa annum CIↃ CC LIX communibus Civium suffragijs *Scaligeri* magistratum gesserunt cum titulo Vicariorum & Principum, annos propemodum CXXVIII: quibus exturbatis partim, partim veneno necatis, suæ ditionis fecerunt *Galeatij*, inde *Carrarienses*. Hos exterminarunt *Veneti*, in quorum etiamnum potestate constanter & tranquille perseverat. Videndi Paullus Diaconus lib. XV Histor. ad Eutropium, & II. Hist. Langbard. Blondus, Sabellicus, Merula, Taurellus Sarayna, Corius, Leander Albertus, & alij. Addam Elogium, quod in Vrbis Porta munitissima.

VERONA.

VERONA. NON. MINVS. NOBILIS. QVAM. ANTIQVA. CIVITAS. AC. PRISCÆ. VIRTVTIS. MEMOR VENETÆ. REIP. BENEFICIO. NON. SOLVM MVROS. TEMPORIS. CORRVPTOS. INIVRIA. IN. MELIVS RESTITVIT. SED EA. QVOQVE. SIBI. TEMPLORVM. VIARVM. PONTIVM. AC. PORTARVM. ORNAMENTA ADIECIT. VT. PVBLICORVM. ÆDIFICIORVM. MAGNIFICENTIA. NVLLI. VRBIVM. POSTPONENDA VIDEATVR. TANTVM. ILLI PROFVIT. BONORVM. PRINCIPVM. TVTELA. AC. FAVOR.

Ager Vrbi circumiectus optimus est: tritico, oleo, vino, pecoribus, vellerum item preciosorum, ceterarumque frugum copia abundans; nobilissimas etiam habens lapidicinas: item flumina, stagna, lacus, in quis *Benacus* omnium amœnissimus: præterea insignes salubrium aquarum scaturigines, lectissimos medicinalium herbarum thesauros præcipue in monte Baldo, quibus legendis undique eo confluit Æsculapij proles. *Territorij Veronensis* longitudo, quæ à Bruchelio Opido sumitur Rivam usque in ultimo Benaci recessu positam, LXV est milliarium: latitudo ab Turre Confinium Rivoltellam usque XL. Inter *Veronam* Hostiliamque *Campi* sunt *Veronenses* spatio XX milliar. multorum victorijs nobilitati: de quibus Franciscus Schottus Itinerarij libro I circa Vrbem ad quartumque lapidem Tractus visitur, qui vulgo *Campagna di Verona*, incultus & saxis horrens. *Veronensium* Agris anteaquam excedam, coronidis loco Scaligerorum Patris Filijque hic adponam de sua *Verona* versus:

Territorium Veronense. Campi Veronenses.

Campania Veronensis.

Iulij Cæsaris Scaligeri:

Italiæ canimus semper-florentis ocellum.
Calliope neque at grandius ulla loqui.
Aucta deis, auctura polo Verona Quirites:
Quot cives, tot habens sidera digna Iove.
Non animi, non ingenij vigor acrior usquam:
Nulla creat plures Martia terra Duces.
Transferre in cœlum voluit sibi Iupiter: atqui
Clarior in nostris maluit esse locis.

Iosephi Scaligeri, Iul. Cæs. F.

Ocelle Mundi, sidus Itali cœli,
Flos urbium, flos, corculumque amœnarum:
Quot sunt, eruntve, quot fuere, Verona:
Brenni smaragde, Transpadane berylle,
Gallorum iaspis, margarita Benaci,
Apex supremus elegantiæ rerum,
Et meta summa, Dædalæque naturæ.
Quam fronte prona fascibusque summissis
Vrbes adorent: & libenter agnoscant
Sublime maiestatis arduæ lumen:
Nisi orba lucis viveres, salutisque,
Injuriosa servitute prædonum.
O Diva, nam quæ vorticosa tempestas?
Quis turbo? quæ æstuantis aura fortunæ
Te mutat alium, quisve casus affligit?
Quæ tristis, exspes, cassa lucis, atrata,
Squallentis obsoleta sordibus luctus
Mæres, ut orba, quæ flet unicum mater?
Regina tot rerum, & tot urbium princeps,
Vbi tuorum est lux vetusta sceptorum?
Et aureo splendore fulta maiestas?
Totoque maior orbe, par polo fastus?
Illique magni gloria tua fasces?
Vbi Quirites heu tui, tui cives,
Delecta pubes, flosculus juventutis?
Vbi divi alumni principes, Iovis semen?
Proceres beati: debitum genus cælo?
Fulmen duelli: terror Adriæ magni:
Opum hosticarum Martiale tormentum:
Tutelo patriæ, spes labantium rerum;
Pacis sequestri: civibusque devoti,
Scaligera soboles: qui Feretrium tantis
Tot olim opimis, teque, Diva, mactarunt:
Quis tot triumphos, tot trophæa, tot laurus?
Quis sceptri honores, atque nomen Augusta
Accepta debes: quæque mole sublimi
Educta Mausolæa provocant cælum?
Proh sortem acerbam, proh volubilem casum;
Quanta è supremo culmine è statu rerum
Quanta excidisti? non tibi obfuit tantum
(Nec posse credam) nauta Iapidis ripæ:
Quantum una, sudos quæ tibi dies, quæque
Fortuna præter propter invidet lucem.
Ast o venusta mater o parens salve,
O mea creatrix: vosque rite maiorum
Salvete manes. Ille ego nepos vester,
Pila, atque lusus, ludicrumque fortunæ
Currens parentis exulis cursum:

Pro

Pro farre salso, proque adoreo libo,
Pro ture, proque februo parentali,
Hic vos saluto lætus. Este felices,
Pioque, manes o, nepote gaudete.
Vt, quam ruinæ me superstitem vestræ
Par est dolere, tam ne læter, ut resto
E messe tanta semen: è procellisque,
Tantæ domus tabella, naufragij tanti.

Pontanum, & alia.

Supra Veronam, secundum Athesin procedenti, læva *Pontanum* se offert Opidum, altiusque *Barcum* & *Catenum*: nec procul inde *Motium*, & *Ignatium*, *Formicarium*: & ad Athesis fontem, *Lamium*.

Locis, quæ ripæ Athesis sinistræ adsident, obiter perlustratis, veniendum ad ea, quæ dextræ. Initium sit ab Ostio, quo Hadriatico se miscet Pelago fluvius: ubi *Turris Nova*, contra vectigalium fraudatores ædificata: hinc sursum eunti occurrunt

Turris Nova.

Caput Bastiona, & alia.

quæ vernacule *Capo di Bastiono*, *Rocca di Campo Nuovo*, *La Torre Marchesana*: altius Athesis dextra, *Castel Baldo*; succedente mox Opido non ignobili *Portu*, cum Vico pulcerrimo *Cereta* (læva inde *Avella*, *Castroque D. Bonifacij*: ulterius *Villa Nova*, *Porcitia*, *Verona*, quam paulo ante delineavi.

Pelusium.

Supra Veronam dextra *Pelusium* est; mox *Licena*, *Poveredo*, Latinis *Roboretum*, *Petra*, *Bisino*.

Tridentum.

Sequitur ulterius *Tridentum*; Italiæ ab Septemtrionalioribus Ianua. *Tridentum* Trogo lib. XX, Antonino, alijsque dicitur, quo Τελδέντε Phlegonti & Ptolemæo, in Cenomanis locanti, uti & in Inscriptione, quam supra posui. cap. XXIV, quo Vmbria explicatur, nisi quis velit in Auferendi casu ibi usurpatum, ab Recto *Tridens*. Vernacule *Trento*; Germanis **Triendt**. Hinc *Tridentini* Plinio, in Mediterraneo Regionis X eos numeranti; Τελδεντινοὶ, Straboni. *Tridentinæ Regionis* meminit Cassiodorus lib. V Variar. ad Feltrinos. Dictum quidam volunt ab *Tridente* Neptuni, cui quomdam Vrbs sacra; vel à *Tribus* Torrentibus, *Fersina*, *Saleto*, & *Persio* (qui mihi anno CIↃ IↃ LXXX, mense Septembri, quum hæc loca peragrarem, fere fuit fatalis) ad Vrbem hanc in Athesin confluentibus; vel denique à *tribus* Alpium cacuminibus, quæ altissima, *trium dentium* instar, Vrbi imminent. Inter editos situm est montes, in planicie fertili & peramœna; in extrema Italiæ ora Germaniam versus: Athesi ab Occidente, torrentibusque, quos dixi, qua Oriens, circumflua. Vrbs est parva quidem; sed nobilis, opulenta, populo frequens, muris vallata lapideis, vias habens latas: ædes supra magnitudinem magnificas, Arcem conspicuam, beneque munitam, cum Palatio stupendo & Viridario perpulcro. Incolæ Itali partim, partim Germani, sermone moribusque sunt diversi, plerique tamen bilingues: humani, placidisque moribus. Ab *Tuscis* primum condita, vel, ut Trogus adserit, ab *Gallis Cenomanis*, diu sub ditione fuit *Populi Romani*; inde ab *Gothis* vexata multosque annos possessa, quibus Italia emotis, in *Langbardorum*, hisque victis, in *Cæsarum* fuit potestata. Anno denique CIↃ CCCLXXVII ab Wencaslao *Pontifici Romano* donata, *Præsulum* suorum hactenus habita fuit imperio. Videndi Platina in Gelasio, Blondus lib. IX, Corius, alij. De gestis *Ducum Tridentinorum* scripsit Pyrrhus Mantuanus. Concilio celebris est Oecumenico, quod cæptum anno CIↃ IↃ XLVI, finem hic habuit decimo septimo post anno. Inlustrarunt Vrbem præter alios Cardinales duo, *Hugo Candidus*, & *Bernardus Clesius*. Laceratus hic avorum memoria anno CIↃ CCCLXXV ab Iudæis *Simon*, Christianus Puer, duos natus annos, coriarij cujusdam filius. Describunt Vrbem præter Leandrum Albertum aliosque, Ioannes Poncio, Andreas Vegas, & Paullus Gerardinus. Ager vini generosi feracissimus. Antoninus ab Opitergio iter ducit Tridentum usque per M. P. CX.

Vnde. *Situs.* *Qualitas.* *Incolæ.* *Conditores. Resgestæ. Principes.* *Concilium.* *Clari Viri.* *Simon puer Martyr.* *Scriptores.* *Ager.*

Secmatianum. &c. *Bolzanum.* *Casa Nova.* *Maranum.*

Extra Tridentum versus Septemtrionem fluvius est paullo ante memoratus *Fersena*; ad quem quæ vernacule *Secomzano*, *Parchiaso*, *Veso*, *Canazzo*. Est & aliud juxta flumen, in cujus dextra *Valese*, *Fespergo*, & *Guidono*; læva vero *Chiusa*, *Septum* Latinis; & haud procul inde nobile Opidum *Bolzano*, quod *Banzanum* Blondo libro XI Histor. & Heliæ Capreolo Histor. Brix. libro IV. Opidum frequens, mercatu nobile annuo; ad Sarcam, Athesis incolam, situm. Vlterius *Casa Nova* est, & altius *Maranum* Italiæ quidem, sed Germanis habitatum.

Hactenus quæ utrique Athesis ripæ consident, indicavi, regressus per eumdem amnem Volturnum versus, reliqua dabo. In Leneri, qui ad Castellum Baldi petit Athe-

Colonia. Mons Bellus. Clari Viri. Leonicum. Clari Viri.

tit Athesin, læva, sursum, non temnendum est Opidum *Colonia*; inde *Mons Bellus*, frequens Castrum; *Guidonis*, Episcopi Ferrariensis natalibus clarum: ad fontem Amnis *Brendulum* jacet; nec procul inde ad fluminis dextram *Leonicum* adparet, multis Italiæ non cedens; *Nicolai* & *Omniboni* patria, qui monumentis suis posteritati inclaruerunt.

Ateste, Colonia.

Succedit *Ateste*. Sic Tacito in Historijs, Plinio lib. III nat. Hist. cap. XIX, Coloniam facienti Romanorum, Antonino, apud quem Miliar. numerus inemendatior, dicitur. Ἀτέστε Ptolemæo: quæ *Atestia* Inscriptioni Romanæ, in Vinea Cardinalis Carpensis in Monte Quirinali:

L. CASSIVS. L. F
ROM. NIGER
DOMO. ATESTÆ
MILES. COH. I. PR
MILITAVIT. ANN. XVII
VIXIT. ANN. XXXVII

Incolæ.

Hodie vulgo *Este* vocatur. Incolæ *Atestini*, quos controversiam aliquando de Finibus cum Vicentinis habuisse, indicat Lapis in Agro Veronensi, apud Villam, quæ *Lobia* nominatur, Leonicum, cujus supra memini, versus:

SEX. ATILIVS. M. F. SERRANVS
PRO. COS. EX. S. C
INTER. ATESTINOS ET. VICENTINOS
FINIS, TERMINOSQVE. STATVI
IVSSIT.

Res gestæ. Marchionatus. Atestina Familia.

Subversum anno CIↃCCXLVII ab Actiolino Romanino, pulso Actio, loci Marchione scribunt Corius parte II & Leander Albertus in Marka Tarvisina. Origo hinc *Atestinæ familiæ*.

Mons Silicis. Res gestæ & Principes.

Non procul Ateste Opidum visitur, quod vernacule *Monselice*, Latinis *Mons Silicis*: *Acelum* Plinio; *Acilum* Paullo Diacono: Ἄκεδον Ptolemæo; cui reponendum Ἄκαλον, nonnulli arbitrantur. Excisum ab *Langbardis* cum Patavio, scribunt Paullus Diaconus libro IIII. Histor. Langbard. & Blondus libro VIII. Histor Azonem Atestinum anno CIↃCCLVI *Actielino Romanino* ereptum *Pontificis Legato* tradidisse; annoque CIↃCCCXVIII *Canem Magnum Scaligerum* occupasse, priusque *Montem Divitiarum* fuisse nuncupatum, memoriæ produnt idem Blondus lib. XVIII Histor. & Corius Parte II & III. Inde anno CIↃCCCXXXVII in *Venetorum* venit potestatem quibus paruit usque ad annum CIↃIↃIX. Eo cum alijs in *Maximiliani Imp.* ditionem redactum; tandem anno CIↃIↃXVII ad *Venetos* redijt.

Roboretes. Montaniana. Clari Viri.

Occurrunt inde *Roboretes*, vulgo *Rovere*; moxque *Montaniana*; tantæ frequentiæ, ut Civitas potius sit, quam Opidum, ortu superbiens *Bartholemæi Montaniani*, præstantissimi Philosophi & Medici, quod libri ab ipso editi, cum primis, qui de Infirmitatibus & Balneis, abunde testantur.

Custodia.

Sequitur inde Bacchilio fluvius, de quo alibi. Mille ab eo passibus, sexto supra Vicentiam lapide, Austrum versus, Castellum est *Custodia*: dictum, quod ibi quomdam noxij homines custodiri consuerint in vastis Latumijs, ad cædendos ædificijs faciundis lapides. Qua de re legenda apud Leandrum Epistola Ioannis Georgij Trissini, loci adcolæ, harumque rerum curiosi *Colozza* vulgo audit.

Vicentia. Unde. Situs. Qualitas. Publica Opera.

Conspiciendam se præbet altius *Vicentia*. Sic Trogo Pompeio, Tacito libro IV Annalium, alijsque: *Vicetia* Plinio & Antonino: Βιcητία & Βιτητία (variat enim lectio) Æliano; Ὀυίκετια, Ptolemæo: quæ vulgo *Vicenza*. Dicta, ut Baptista Paliarinus auguratur, vel ob gentis incolæ *victoriam*, vel ab *Villis centum*, ex quibus junctis facta fertur Civitas. Sita juxta radices collis, duobus amnibus, qui navigabiles, Rerone & Bachilione inæqualiter divisa. Non usque adeo elegans & magna: sed populosa, rerumque omnium copia abundans. Quatuor ibi notatu digna. Palatium Prætoris magnificum: Pons unius Arcus: Saxum solidum Aræ majoris in Ec-

Incolæ, in Ecclesia D. Laurentij, stupendæ longitudinis; Theatrum denique , vulgo *L'Academia*. Cœnobium ibidem D. Coronæ , ubi pulcerrima Bibliotheca. Incolæ, qui *Vicentini* in memorato paullo ante lapide, ingenijs sunt vividi; ad litteras, militiam, mercaturam promtissimi; faciendæ rei perpetuo sudantes : splendide vivunt, *Familiæ nobiles,* honeste vestiuntur. Nobiles habet & antiquas Familias, uti videre est apud eundem *Episcopatus, Clari viri,* Paliarinum libro v & vi. Episcopatus gaudet dignitate. Inlustrarunt hanc Vrbem suo ortu *DD. Fortunatus* & *Felix* Martyres; *A. Cæcina,* Consul Romanus , & Vitellij Imper. Legatus , apud Tacitum lib. III Historiar. *Palemon* , cuius Eusebius meminit: *Ioannes, Isuardus, Bartholemæus,* Vrbis Præsul , *Vincentius Colcæus, Hieronymus Plegafeta* , omnes Prædicatorij Ordinis Monachi; *Antonius Luscus* , *Mathæus Bissarius*, *Georgius Trissinus*, Oratores & Poetæ. *Res gestæ, Principes,* Ab *Tuscis*, vel, ut scribit Trogus, ab *Gallis* condita , sequenti ævo in fide diu stetit *Populi Romani* , usque ad *Attilæ* tempora; à quo vastata, post in *Gothorum* ; inde in *Langbardorum*, postremo in *Italiæ Regum* fuit potestate. Ijs pulsis, libertate sua sub auctoritate *Imperij Romani* est usa usque ad Friderici II Imper. principatum, à quo direpta cremataque varios habuit Dominos, *Carrarienses* Patavinos, *Scaligeros* Veronenses, *Galeatios* Mediolanenses , *Venetos*. Tandem *Maximiliani* I *Imperatoris* armis infestata, ejusque fidei subjecta, *Venetis* ad extremum est reddita. *Inlustratores,* Consulendi Blondus lib. XVII & seqq. Histor. Corius Parte II, Merula libro IIII Vicecomit. Taurellus Sarayna libro II, Helias Capreolus libro VIII. Histor. Brix. Describunt Vrbem Baptista Paliarinus lib. VI, & Zacharias Li·ius. Fecit M. Antonius Sabellicus Carmen, quod *Vicentinus Crater* inscribitur. *Ager,* Ager ipsi ut amœnissimus; ita vini, frugum, aliarumque rerum fertilissimus; præcipue Mororum, quorum frondibus Bombyces aiuntur. *inque eo Lapidicinæ.* Haud procul urbe duæ nobiles Lapidicinæ, in Monte, qui *Cornelius* Latinis, vulgo *Covelo*.

Caldogno, Villa Genna Supra Vicentiam Opidum est, quod vernacule *Caldoggio*, altiusque ad Bachilionis scaturiginem, *Portelletto*, & *Villa Genne*, Sabellico libro III *Villa Genua*.

Patavinum, Succedit tandem explicanda Civitas antiquissima *Patavium*, flos & decus Vrbium, quascumque tellus Itala continet. Sic autem Livio multis locis, Tacito lib. II & III Histor. Plinio libro III, cap. XVIII, Pomponio Melæ lib. II, Solino in Polyhist. Antonino, Itinerariæ Tabulæ, ubi vitiose *Patavis*, pro *Patavio*, alijque Παταύιον Straboni lib. V; Παταύιον Ptolemæo & Æliano dicitur; quæ hodie *Padua*.

Unde, Ptolemæo etiam alio loco Βαιτούιον nominatur. Nomen natum quidam putant à *Padi* vel *Paludum* vicinitate, sicque dictum quasi *Padavium*. Facius Vbertus lib. III Cant. IIII:

Da Pado,

Da Pado, *o da* Palude *prese il nome*,
Che prasso ne assai questa Cittade:
Brenta la cerchia, chiude come un pome.

Alij ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, ab *volando*, dirivant, quod captato augurio fuerit condita: nonnulli à *petendo*, quod avem Antenor, Vrbis, ut dicam, conditor, telo petiverit: Incertis omnes conjecturis. Condidisse memoratur *Antenor*, Troja profugus, apud Virgilium lib. 1 Æneid. cujus versus initio hujus capitis laudavi, Livium libro 1 ab V. C. Pomponium Melam, Solinum in Polyhistore, alios. Legitur de *Antenore*, quod sequitur, Epitaphium, non magni ævi, in D. Laurentij æde: Conditor.

Inclitus Antenor, *post diruta mœnia Troja*,
Transtulit huc Henetum Dardaniumque fugas:
Expulit Euganeos, Patavinam *condidit* Vrbem,
Quem tegit hic humili marmore cæsa domus.

In Porta etiam Portelij hæc leguntur: *Hanc antiquissimam Vrbem, litterarum omnium Asylum, cujus agrum fertilitatis sumen natura esse voluit, Antenor condidit, anno ante Christum natum* CIↃ CXVIII. *Senatus autem Venetus his belli propugnaculis ornavit, anno à Christi adventu* CIↃ IↃXVIII. Sita est Vrbs loco fertili & plano; placidissima cœli fruens temperie, summa soli bonitate; Euganeorum Montium amœnitate, Alpium Marisque vicinitate, beatissima. Perfluit eam Brenta amnis, de quo alibi. Ambitus duplex hodie, olim triplex: Exterior sex millia, ducentosque passus continet, cum sex Portis magnificis: Interior tria millia passuum, altissimus, superne deambulacrum habens perpetuum. Magnifica porro, splendida, rebus omnibus, quæ ad vitam necessariæ, adfluens, Silice strata ab Vberto Carrariensi, Duce III, anno CIↃ CCCXL: Fossis, Vallisque, & Propugnaculis undique bene tuta. Audiamus hic Fr. Guicciardinum lib. Histor. VIII: *Patavium*, inquit, *nobilissima, & antiquissima Vrbs: Gymnasij præstantia celebris, triplici muro circumdata, & quam Brenta atque Bachilio amnes alluunt: ambitu fortasse tanto, quanto alia vel è maximis Italiæ Vrbibus: in fertilissimo solo, salubri ac temperato cœlo sita: quæ quamvis jam supra centum annos Venetorum, Carrariensibus exactis, imperio premeretur; tamen superba atque ampla Ædificia, multaque Antiquitatis vestigia memoranda retinet, ex quibus pristina Vrbis amplitudo, splendorque cognoscitur:* & quæ sequuntur. Recte monet magnus Scriptor de Ædificiorum superbia atque amplitudine. Habet sane ea *Patavium* Sacra, Profana, Publica, Privataque: magnifica & sumtuosa. *Templum Cathedrale*, ab Henrico Imperatore structum, XXII sub se habet *Basilicas* intra Vrbem, ob splendorem tali matre dignas, plurimas etiam superiores. *Monasteria Virorum* sunt XXIII: *D. Iustinæ*, Benedictorum: olim *Concordiæ*, vel, ut alij censent, *Marti*, ut item nonnullis videtur, *Iunoni* sacratum; caput Episcopij; hodie plane novum, XXII M. aureorum reditus superare fertur: *Pratalea*, ejusdem Ordinis, in Collibus Euganeis, sexto ab Vrbe milliari: *S. Ioannis* in Viridario, Canonicorum Regularium S. Augustini, pulcerrimum: *S. Maria Angelorum*, Eremitarum tertij Ordinis S. Francisci: *D. Hieronymi de Fesulis*, Mendicantium: *Cruciferorum*, Prioratus: *S. Maria Magdalena*, Eremitarum D. Onofrij: *D. Antonij Viennenses*, Camalduensium: *D. Benedicti Novelli*, Benedictinorum, qui ab D. Iustinæ differunt, vestium candore, morumque severitate: *D. Augustini*, angustissimum, Prædicatorum, XII columnis suffultum, sex Arcubus maximis: ubi sepulcra Carrariensium: *S. Maria in Vantio Vico*; Sacerdotum Secularium: *S. Mariæ Gratiarum*, ad Pratum vallis: Prædicatorum: *Capucinorum*, prope Portam S. Crucis, observantium primi Ordinis Franciscanorum: *D. Antonij Vlysiponensis*, Franciscanorum; *Iunonis* olim, inde *B. Mariæ*, tandem *Antonij* tectum habens plumbeum, duas turres, pavimentum marmoreum: *D. Francisci*, Minoritarum: *Eremitarum*, D. Augustini: *Carmelitarum*, ad Portam Candæ longæ: *Servorum S. Mariæ*; olim ædes Iacobi Carrariensis ob crimen perduellionis publicatæ: *Iesuitarum*, extra pontem S. Sophiæ: *Sacerdotum Iesu*, olim Fratrum Equitum Alemannorum: *S. Salvatoris*, novum, cum amœnissimis Hortis, Clericorum Regularium. *D. Paulli:* & *S. Francisci Parvuli*. *Virginum Sacrarum* intra mœnia numerantur collegia XXIX: inter quæ excellunt *D. Stephani*, & *D. Magdalenæ Conversarum*, seu *Illuminatarum*, ad ædem S. Sophiæ. *Palatium* ibi, *Henrici Imp.* opus, in quo Ius dicitur; tota Italia nominatissimum, nullis fultum columnis, plumbo tectum. *Curia in-*

Situs. Ambitus. Qualitas. Opera publica, ut Templa. Cœnobia Virorum. Virginum. Palatium. Curia.

ria insuper publici consilij, cum Porticu, columnis marmoreis suffulta, saxo constructa, plumbeis item laminis intecta:

Fora,

Fora maxima sunt v: primum congressibus & deambulationi Nobilium civiumque dicatum est; alterum, *olitorium*; tertium, *frumentarium*; quartum *lignarium*; postremum *palearium*.

Pontes, Porticus, Areæ, Nosocomia,

Pontes xxxiix, ex lapide, fornicati, supra Brentam: *Porticus* amplissimæ: *Areæ* spatiosissimæ: *Nosocomia* iii, *Lazarettum*, peste infectis adtributum; *S. Lazari*, Leprosis; *S. Francisci*, reliquis ægrotantibus: *Xenodochia* totidem, *S. Antonij de Vienna*; *S. Leolini*, ad Pratum Vallis, juxta Portam S. Crucis: & *S. Iacobi*; omnia pauperum peregrinorum:

Orphanotrophium, Domus Dei, Mons Pietatis.

Est & *Orphanotrophium* in Vico Omnium Sanctorum: & *Domus Dei*, Expostitijs Infantibus dicata: *Mons Pietatis* institutus est anno cIↃ CCCC XCI, exterminandæ Iudæorum Fœneratoriæ qui pro centenario xx exigere consueverant: Ærarij sors xxxiix Aureorum millia ex Civium liberalitate superat. Præficiuntur septem Domibus, quæ oportuno Vrbis loco sitæ, Viri Nobiles: datis Fidei jussoribus annuatim, qui pro pignoribus mutuo dant; infra xxx solidos, gratis, supra, quinque tantum fœnoris nomine pro Centenario exigentes, ad ministrorum impēsas, quæ tria millia aureorum quotannis superant, sustinendas: quod superest, in pauperes annuatim dividitur, sorte semper manente, & ex pijs eleemosynis, præsertim quæ festo Paschatis colliguntur, quotannis crescente: res nulli non institutæ laudabiliter Reipublicæ imitanda.

Domus,

Domorum quatuor millia hodie suo ambitu complectitur: Ante bellum Maximiliani Imp. i, quod gestum anno cIↃ IↃ XIX, extra Murorum ambitum in Suburbijs tria millia Domorum connumerabantur: Monasteria Virorum quatuor; Virginum sex; Templa quinque; Xenodochia septem: quæ postea ab Venetis solo sunt æquata, ne hostibus deinceps, ab Vrbis detrimentum, receptacula essent. Inter *Domos* eminent *Regia Carrariensium*, urbe media; *Dottorum*, ad D. Firmi, cum Colosso lapideo; *Capilistarum*, ad D. Danielis cum Equo Trajano.

Episcopatus.

Episcopatus superbit *Patavium* dignitate. Primus Præsul memoratur *D. Prosdocimus*, Græcus, D. Petri Discipulus: Reditus ad xi aureorum millia adsurgit.

Incolæ,

Incolæ summis præditi sunt ingenijs, ad arma, litteras, omniumque virtutum studia promti.

Familiæ nobiles,

Familiæ Patavinæ primum dispersæ anno CCCCXXI in Rivum Altum migrarunt, Alarici West-Gothi, qui Romam everterat, metu; magis adhuc, Attila inundante, anno CCCCLVI: Et hæc Venetæ Vrbis nobilitatisque fuerunt seminaria. Sub Henrico IV firmata Rep. Patavina, quatuor Familiæ Principes exstiterunt, *Ateistina, Honaria, Carrariensis*, (cujus propago stirps *Comitum Anguillariæ*, itemque *Papafavorum*) & *Campisamperia*. Florent etiamnum hodie, *Transalgarda, Sforzatea, Capilista, Tada, Comitum Baonorum, Comitum S. Bonifacij, Lionellorum, Daulorum, Dottorum, Maltraversorum, Nontanorum, Vici Aggeris, Rustica, Trapolina, Malfattorum, Zacchorum, Cortusiorum, Capivacciorum, De S. Cruce, Sanguinaciorum, Peraghinorum, Leoniorum, Buzzicharinorum, Discalciorum, Lignamineorum, Trivisanorum, Cumanorum, Zabarellarum, Vigontiorum, Musatorum, Cattentorum, Scardeoneorum, Dalesmaninorum, Scrovinorum, S. Andreæ, Limineorum, Consiliviorum, Caldenaciorum, Solimanorum, Bolpariorum, Ridiorum, Beraldorum, Bigolinorum, Soncinorum, Rubeorum, Obiciorum.*

Clari Viri, floren. Imperio Romano,

Quid de *Litteratis* dicam?

Vrbs magnis celebrata Viris: hac Livius *ille*
Historia Pater est genitus: servantur eodem
Illius ossa loco, statuis tutiloque superbo;
Hic, ubi juncta foro, nullis fulcita columnis
Plumbea marmorei pulcre stant tecta Palati.
Hic etiam Paullus *Iuris Legumque peritus,*
Et statuas alij meruerunt Vrbis Alumni.
Hæc quoque Valerio *Patria est, qui Iasona laudat:*
Hæc Patria Asconio *&* Stellæ: *Prætoris in Arce*
Effigies quorum & titulos spectare licebit:
Atria Romanum referunt ubi picta Senatum.

De *Livio* canit etiam libro I Epigrammatum Martialis:

Censetur Apona Livio *suo Tellus.*

Leguntur & hæc ejusdem Tumbæ insculpta: *Anno Christi* cIↃ CCCC XIII *T. Livij ossa in plumbea capsula ad D. Iustinæ ædem fuerunt reperta, & insigni pompa in* Forum-

Forum Iudiciorum ad occidentalem partem reposita cum effigie ejusdem anea & Inscriptione:

V . F
T . LIVIVS
LIVIÆ . T . F
QVARTÆ. L
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI. ET. SVIS
OMNIBVS

T. Livius quarto Imp. Cæsaris anno Vita excessit, atatis sua LXXVI. Item, quæ sequuntur, sub Veteri statua in antiqua Lapide:

Ossa tuumque Caput Cives tibi maxime Livi,
Promto animo hic omnes composuere tui.
Tu famam æternam Romæ Patriaque dedisti,
Hinc oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat Patria hac; &, si majora liceret,
Hac stares totus aureus ipse loco.

Alia, quæ ibi ad Tumulum, in quo ipsa ossa, prætereo. Nobilitarunt & prisco sæculo *Patavium* ortu suo *C. Valerius Flaccus*, Argonauticorum Scriptor, de quo idem Martialis:

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, *Antenores spes & alumne Laris:*

L. Aruntius Stella Poëta, & *Volusius* Annalium Scriptor; hic æmuli Catulli, ille Martialis carminibus noti: *Q. Asconius Pedianus*, Grammaticus insignis, Orationum aliquot Ciceronis inlustrator: *Iulius Paullus*, IC. qui Alexandro Imperatori in corrigendo Reip. Romanæ statu adfuit. His adcensendus *C. Cornelius*, Augur Patavinus, qui in collibus Euganeis prope templum Geryonis sedens, Pharsalicæ Pugnæ faciem inter Cæsarem & Pompeium lymphatus vidit: reciprocas belli vices narravit; Cæsarem vicisse, exclamavit: uti testantur Iulius Obsequens, Agellius lib. XV, cap. XVIII, Lucanus de bello Pharsalico, libro VII, Plutarchus in Cæsare. Idem Tiberio Imperium præsagijt, jactis in Aponi fontem talis aureis, summum numerum ostendentibus, scribente Suetonio. Addendus & *Maximus Olibius*, qui Plutoni sacram illam & ingeniosam dedicavit lucernam, quæ per multos annos sub terra arsit, juxta Atestem, municipium Patavinum, anno CIↃ IↃ inventa in urna fictili, inter duas ampullas, aureo alteram, alteram argenteo liquore plenas, cum versibus elegantissimis urnæ majori insculptis. Edidit quoque *Patavium*, post Imperij Romani cladem, plurimos magnæ celebritatis viros: in quis famam sibi suis scriptis conciliarunt *Marsilius Mainardinus*, Minorita, Theologus; qui Ludovici Bavari partes contra Ioannem XXII P. M. tutatus est, edito libro acutissimo de Potestate Papæ & Imperatoris, anno ab Christo nato CIↃ CCC XXIV, sub titulo, *Defensor Pacis*, quem Albertus Pighius in Ecclesiastica Hierarchia oppugnavit: *Iacobus Alvarottus*, qui in Vsus Feudorum scripsit; *Franciscus Zabarella*, Episcopus primum Florentinus, inde Cardinalis: *Ludovicus Cortusius*, qui Repertorium Iuris concinnavit; *Antonius de Rosellis*, Iudiciorum, Torturæ, Indulgentiarum, Legitimationis, Successionum ab intestato, & Vsurarum enarrator; & alij, Iurisconsulti: *Petrus Aponensis, Conciliator* dictus, hæreseos & magiæ nomine ab æmulis accusatus; *Marsilius*; *Iacobus Dondus*, qui de fluxu & refluxu maris, deque sale conficiendo ex aquis Aponi candidissimo absque coctione, scripsit; *Michael Savonarola*, & alij, Medici: *Albertinus* denique *Musatus*, *Rolandinus*, *Lupatus*, *Xiccho Polentonius*, *Typhus Odaxius*, *Petrus Montagnana*, *Io. Antonius Maginus* & alij, Historici, Poëtæ, litterarumque humaniorum doctissimi. Genuit & claros militia Duces, *L. Cassium*, Centurionem, ab Augusto, cui mortem minabatur, in exsilium pulsum: *Boriscum*, Tribunum militum, qui Sertorium sequutus,

Ipso, Duces militares.

tus, ab Catilina cæsus: *Cæcinnam Petum*, qui Scriboniani, Illurici Legati, partes contra Claudium sequutus, eo militum proditione obtruncato, Romam est pertractus, Arria uxore semper comitante; Ibi dilectu mortis dato, Arria, ne super viveret, gladio, quem sinu abditum gerebat, pectus suum confodit, eundemque marito porrigens,

Si qua fides, vulnus quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pete, dolet.

Meminit præter Martialem Plinius Iunior libro III, Epist. ad Nepotem. Gener ejus fuit *Thraseas Petus*, Patavio quoque oriundus. Vir Consularis & Sacerdos, Philosophus, Poëta, Orator summus, Senecæ æqualis, virtutis existimatione ipsimet Neroni invisus: morique jussus, dato mortis arbitrio, præcisis utriusque brachij venis exspiravit: Legendus Tacitus. Cives inter præcipuas artes *Lanificium* exercent hodie, uti & olim, quemadmodum constat ex Strabone libro V, qui scribit *Patavium*, Vrbium eius regionis esse præstantissimam; addens, non multo ante suum ævum censos ibi fuisse 500 Viros equestres, & antiquitus ad bellum *Patavinos* misisse CXX militum millia; item multitudinem Mercium, quas Romam ad mercatum mittere soliti, cum aliarum rerum, tum Vestimentorum, ostendere, quantum & viris & opibus præstarent. De *Tunicis Patavinis* Martialis:

Opificia.

Vellera quum sumant Patavinæ multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potest.

Academia.

Academiam habet *Patavium* nobilem, quæ Natales suos debet Karolo Magno Imperatori, vel, ut alijs placet, Friderico II; Adolescentiam Vrbano IV, P. M: maturitatem illustrissimæ Venetorum Reipublicæ. Clarissimum est omnium Disciplinarum Artiumque Emporium:

Iuris Legumque corona,
Et sacræ Themidis, Iustitiæque Domus.

Scribit de ea in hunc modum Iason IC: *Si quem neque Vrbis Patavinæ vetustas movet, quam constat à Trojano Antenore conditam esse, neque amplitudo, sive triplicem murorum ambitum, interfluente Timavo, consideres, sive Prætorium, omnium, quæ in orbe memorantur, dignissimum; moveat saltem Patavinæ Academiæ gloria. Est enim totius Italiæ celeberrima, & veluti Atheniensis Areopagus, quæ semper Viros in omni ingenuarum artium genere claros & celebres fovit, auxitque, ac nobilium Auditorum frequentia semper abundavit, non modo illorum, qui Venetæ ditioni subsunt, sed etiam exterarum gentium ac remotissimarumque nationum.* Ornata est longa consuetudine ijsdem, quibus Bononiensis, Privilegijs, uti testantur Bartolus §. hæc autem tria, Proœm. D. Baldus Auth. Habita, C. Ne filius pro patre, Fr. Zabarella Cardinalis Clement. Dudum, de sepult. Anchoranus, reliquique Iuris Canonici Doctores in c. quum de diversis, De Privilegijs in Sexto: & utrum ea Privilegia, si Bononiensi Academiæ adimantur, etiam huic adempta censeri debeant, pulcre disputat Castrensis. Professus ibi jus Civile quatuor integros annos *Bartholomæus Salicetus*: edidit ibi ad gloriam Academiæ Commentaria *Paullus Castrensis* in universum fere Ius; quæ *Prælectiones Patavinæ* ab Iureconsultis nuncupantur: dedicavit ibi Commentaria in Clementinas; itemque Observationes in Panormitanum & Alexandrum de Imola *Zabarella Cardinalis* clarissimo Iuris utriusque Collegio Patavino. Sunt & *Patavij Collegia* litteraria, gratuita, IX, sustentandæ Studiosorum inopiæ instituta; *Foro-Iuliensium* ad D. Antonij; *Feltrensium*, ibidem; *Spinellium* & *Riadium*, apud Pontem Corvum; *Campionis*, in Vico Vignalium; *Neapolitanorum*, apud S. Katharinam, vetustissimum; *Thomæ*, Philologi, Ravennatis Medici, juxta Pontem Molitorum; *Brixianorum*, apud S. Luciam; *Cypriorum* denique, ab Archiepiscopo Græco non ita pridem conditum. Habent suum ibi *Hortum* Medici, Simplicium, forma sphærica, amplum & irriguum; Sebastiani Foscari & Nicolai Teupuli auspicijs cœptum. Videre ibidem est *Bibliothecas* varias, Græcis Latinisque libris abunde instructas: unam, apud S. Ioannem in Viridario; alteram, apud S. Iustinam; tertiam, apud S. Antonium. Amica perpetuo sociaque *Populi Romani*, uti patet ex Livij lib. XLI & M. Tullij Philippicis, *Colonia* deducta multo meliore fuit conditione, quam aliæ Coloniæ, nam *Patavinis* jus etiam Suffragiorum datum legitur, tamquam Civibus Romanis. Videndus Asconius Pædianus. Capta direptaque cum alijs ab *Attila*

Collegia gratuita.

Hortus Academicus.

Bibliothecæ.

Res gestæ.

Colonia.

Hunnorum

Hunnorum Rege, annisque centum post ab *Langbardis*, qui & igne cremarunt, cum *Karoli Magni* principatu partim sub *Regibus* cœpit esse *Italiæ, Francis*que *Cæsaribus*, partim sub *Berengariis*: sui tandem juris quodam-modo facta imperante Othone I, Prætorem ex suis creavit & Populi Præfectum. Duravit hæc Reipubl. forma usque ad *Fridericum* II, cujus jussu auspicijsque Vrbem occupavit *Actiolinus Romaninus*: post quem Dominos habuit *Carrarienses, Scaligeros, Galeatios*, & circa annum ab Christo nato CIↃ CCCC IV *Venetos*: quibus adhuc paret, tamquam pia Mater, præ senio virium non satis compos, piæ Filiæ (nam *Patavinorum Colonia, Venetia*) non tam imperio, quam ministerio regenda. Consulendi lib. XV. ad Eutropium, & IV. Langbard. Histor. Blondus lib. II, VIII, XVII & XVIII, Sabellicus, Merula lib. I Histor. Vicecomit. Corius part. II & III, Æquicola, Leander Albertus, & alij. De laudibus, situ, antiquitate, & statu totius Vrbis: nec non Viris præclaris ex ea ortis, inibique sepultis, ceteris item omnibus, quæ ad eam pertinent, justum scripsit volumen *Bernardinus Scardeonius*, Canonicus Patavinus. *Ager Patavinus* frumenti, variorum fructuum, vini etiam generosissimi ferax: unde Martialis:

Principes. Scriptores. Ager.

Pictaque pampineis Euganea arva jugis:

Venationibus insuper, Aucupijs & Piscationibus frequens. Mirabilem rerum omnium copiam Incolæ triviali celebrant Proverbio: *Bologna la grassa, Padona la passa*. De Agricolis vulgo circumfertur:

Vildanos generat tellus Paduana Diablos.

Describitur *Ager Patavinus* apud Bernardinum Scardeonium his terminis: *A Meridie Athesis fluvius procurrit: à Septemtrione Muso amnis parvus dilabitur; ab Oriente æstuaria Venetiarum; ab Occidente vero Colles sunt Euganei & Ager Vicentinus. Patet omnis hic circuitus* C LXXX P. M; *in quo sexcenta & quadraginta septem Villa seu Pagi*, & quæ sequuntur. Dicere solitus scribitur ab Cælio Rhodigino Constantinus Palæologus; *nisi sciret à sanctissimis viris affirmari, in Oriente Paradisum esse, arbitrari se non alibi eum reperiri posse, quam in persuavi Patavina amœnitate.*

Iter Patavio *Venetias* secundo amne una nocte peragitur. *Venetiæ* (vulgo *Vinegia*) multitudinis numero nominatæ, quod Conditores vel non unius Vrbis fuerint Cives, ut quidam volunt: vel quod varij Venetiæ Regionis populi, relicta ob summam Attilæ omnia vastantis crudelitatem & sævitiam continente, in modicas has Stagnorum Insulas, tamquam in Arces quasdam, migrarint: Patavinis quidem in Rivo Alto fundamenta circa annum CCCC LVI (alij alium edunt) feliciter orsis; alijs autem, quæ convicinæ, gentibus opus cœptum paullatim in summum splendorem emolientibus. Videndi Blondus in libris de Rebus Venetorum; itemque libr. I. & II. Histor. Italiaque inlustrata: Volaterranus lib. IIII. Comment. Vrbanorum; Sabellicus lib. I. Dec. I. de Reb. Venet. Io. Iovianus Pontanus libr. Histor. sui temporis I: Candidus in Comment. Aquileiensium. Ludit de Venetiarum nomine eleganter his versibus Nicodemus Frischlinus:

Venetiæ.

Aut Venus à Venetis *sibi fecit amabile nomen*;
Aut Veneti Veneris *nomen & omen habent.*
Orta maris spuma fertur Venus: *&* Venetorum
Si Videas Vrbem, creditur orta mari.
Iuppiter est illi genitor: sed Mars pater huic est;
Mulciberi conjunx illa, sed ista Maris:
Complet amore sui Venus *omnia, qui* Venetam Vrbem
Non amat, hunc numquam debet amare Venus.

Vrbs, modicas complexa Insulas circiter LX, sita est in intimo Sinus Hadriatici recessu, medijs in stagnis, quæ in æstu singulis senis horis irrigua: adfuso, qua Oriens est, Pelago, quod tamen, ne sua violentia vel ira sit noxium, præjectis alijs quibusdam Insulis, tamquam aggeribus cohibetur. Georgius Sabinus: Situs.

Ambit aquis Nereus pro muro spumeus Vrbem,
Fluctibus est omni tutus ab hoste locus.

Sic Georgius Fabricius Chemnicius:

Pro portis illi Nereus, pro mœnibus aquor.

Licet non muris, non propugnaculis, non turribus ullis sit munita; loci tamen natura

 tura

[Canales.] tura est tutissima. Quamplurimis dividitur Canalibus. Vicis pene omnibus sui [Pontes.] sunt Rivi, conjungentibus ipsos Pontibus ex lapide lignove circiter ccccl. Inter Canales principis loci, qui vulgo *Canal grande*, longitudinis trium milliarium, qui Vrbem totam in duas quasi dirimit partes; circa medium Pontem gestans visendum. Ita commoditas passim Vrbem vel pedibus percurrendi, vel Cymbis, qua- [Ambitus.] rum numerus octo dicitur millium. Vulgus *Gondolas* appellat. Ambitus Vr- [Qualitas.] bis VIII circiter milliarium. Imperij magnitudine, populi frequentia, opum splendore, mercium varietate, inlustris: Ingenijs excellentibus virisque eruditissimis beata: bonis Legibus laudabilibusque Institutis ornata. Bene Poëta:

Vrbs Venetum fœcunda viris, veneranda Senatu
Purpureo, & magnæ virtutibus æmula Romæ.

Frumenta, quod ex diversis orbis partibus advehitur, vinis multiplicis generis, inter quæ generosum illud, quod vulgo *Malvaticum* vocant, alijsque rebus humanæ vitæ necessarijs, ita adfluit, ut recte *Paradisus Deliciarum* ab Iasone appelletur, [Regiones vel Parochiæ.] ad l. 45. D. de verbor. obligation. Regiones ibi seu Parochiæ LXIV. Ædificia [Ædificia.] cum publica, tum privata ibidem magnifica, splendida, sumtuose ornata. Inter [Templum D. Marci.] Templa preciosissimum illud, quod *D. Marco Evangelistæ* dicatum, auro multis locis ornatum; cuius pavimentum tessellatum, & marmore varij generis in frustula contuso compositum. In Choro Columnæ IIII marmoreæ, quæ adhibito lumine sunt pellucidæ. Supra Portas Statuæ æneæ Equorum quatuor; Constantinopoli, quum Veneti eam occupassent, advectæ. Intueri mihi datum hic, præter alia singularia, Thesaurum D. Marci immensum & admirandum: in quo Mitra Ducalis gemmis plurimis interrexta; in apice Carbunculis est precij inæstimabilis: sunt ibidem Coronæ Regiæ aureæ XII; Thoraces aurei totidem; Rubini, inter quos duo extremæ magnitudinis, Adamantes, Smaragdi, Chrysolithi, Hyacinthi, Vniones, aliæque gemmæ numero incredibili: duo, præter illa, Monocerotis Cornua, tertiumque minus; Vasa, omnis generis ex Agate, Chalcedonio, Auro, Argento: indicata omnia cum ab alijs, tum ab Leandro Alberto, qui totum Templũ uni- [Monasteria.] versis suis partibus accurate describit. Habet insuper Vrbs Monasteria Monacho- [Oratoria. Hospitalia.] rum XXXIX; Cœnobia Monacharum XXVIII, Oratoria XVIII; Hospitalia, ut vo- [Turres.] cant, XVII; Turres c XV, in quis eminentissima, quæ in foro *D. Marci* contra Basilicam, intervallo pedum LXXX, lata quaquavorsum XL pedes: alta CC XXX, fastigio aureis vestito tegulis, quod Sole splendente quam longissime ab Istria Liburniaque [Fora.] navigantibus conspicitur. Fora numerantur ibi LIII, in quis primarium *D. Marci*, ubi præter Templum, Turrim, Palatium, aliaque, duæ visuntur Columnæ cum Statuis DD. Marci alati, & Theodori Martyris, intenta hasta Draconi incubantis. In ipso Intercolumnio supplicia sumuntur de Condemnatis. Stant & in Foro [Fontes.] Mali tres cum Velis nauticis. Numerantur item Venetijs Fontes publici C XLVIII: [Statuæ. Portæ.] Statuæ marmoreæ C LXIV, æneæ XXIII; Equi ænei IX; Portæ æneæ X. Ab his omnibus excipiuntur circumvicinæ Insulæ, in quibus adhuc Monasteria Virorum [Armamentarium.] XI, Vestalium I, Turres XIIII, Statuæ V. Armamentarium (vulgo *Arsenale*, tamquam *Ars Navalis*) cujus circuitus duorum circiter milliarium, describit Daniel Barbarus in Commentario ad Vitruvij libros, laudans illud ab insigni Triremium & Navium adparatu, Instrumentorum omnium copia, Tormentorum & Machinarum multitudine, Munitionum & Armorum omnis generis thesauro, infinitorum Artificum serie, rerum ordine, facili usu, promtaq; ad omnes necessitates expeditione. Quid dicam de Navi Reip. pulcerrima, quæ vulgo *Bucentaurus*? Ea vectus quotannis ad Maris introitum, ubi Castella Æstuarij, Princeps, Senatu Primoribusque Vrbis comitatus, ceremonijs ab Episcopo peractis, Mare sibi despondet; injecto ad perpetuandum Dominium aureo Annulo. Iuxta Armamentarium locus est, *Tana* vulgo dictus; funium rudentumque ad naves intorquendo- [Scholæ.] rum officina. Scholæ monstrantur VII, *Caritatis, Ioannis Evangelistæ, Misericordiæ,* [Bibliothecæ.] *S. Marci, S. Rocchi, S. Theodori, & Passionis.* Bibliothecam, à Bessarione Cardinale Nicæno legatam, auxit supra modum Senatus. Sunt & aliæ, *S. Ioannis & Paulli, S. Francisci, S. Stephani, Servorum Mariæ, S. Georgij Majoris. S. Dominici, S. Antonij,* quæ fuit Pici Mirandulani. Visuntur & privatorum, *Iacobi Contareni, Danielis Barbari, Ioannis Delphini, Rochi Contareni, Sebastiani Erici, Ludovici & Marci Antonij Mocenigorum,*

rum, Hieronymi de Mula, Ludovici Balbi, Aldi Manutij, Paulli Parutæ, Ludovici Gradenici, Francisci de Ponte, Ludovici Michaelis, Iacobi Marcelli, Ludovici Lolini, Francisci Sorantij, Ludovici Malapetræ, Iosephi Zarlini, Augustini Amadei. Antiquitatum maximus est numerus apud *Ioannem Grimanum*, Patriarcham Aquileiensem, *Andream Lauredanum, Gabrielem Vendramium, Leonardum Mocenigum*, & alios. Inter Ædificia, post Ducis *Palatium*, maxime conspicua sunt *Monetaria*, vulgo *Zeccha, Rivus altus, Ri-alto; Domus Germanorum, Il Fontego de Todeschi; Iudæorum Habitatio, Ghete; Palatium Procuratorum D. Marci:* item *Marci Michaelis* apud S. Antonium, *de Forlani, de Grui, de Trivisani, Mal petri, Patriarchæ Aquileiensis, Georgiorum de Prioli, de Capelli, de Pisani, de Lauredani, Nicolai de Ponte, de Leni, de Contarini, Iustiniani, de Gonella, de Grimani, de Cornari, de Micheli, de Soranzi, de Foscarini, de Emi, de Mozenigi, de Bragadini, de Molini, de Barbarigi, de Nani, de Negroni, de Tesoli, de Mori, Vendramini, de Donati, de Delphini, de Fodoni, de Gussoni, de Troni, de Capelli, de Pisani, de Bonaldi, de Danduli, de Coccinai;* item *Ducis Vrbinatis, Ducis Ferrariensis, Ducis Mediolanensis, Regis Cypri*, & aliorum. Scribit Donatus Ianotius vicies mille propemodum Lares seu Familias in hac Vrbe esse, quarū singulæ si binos homines præstent, qui ferendis armis sint idonei, numerus efficietur XL millium: Patricios ad tria millia reperiri addens. Horti sunt CLVII, in quis præcipui *Casparis Erici, Andreæ Michelis, Francisci Bo[illegible], Cæsaris Ziliolis, Petri Boselli, Francisci Tede, Monasterij B. Mariæ Virginis, Thomæ Contareni, Andreæ Pasqualigi, Leonardi Mori, Grimanorum, Iacobi Contareni, Maffei Medicis, Augustini Amadi, Alexandri Victoris, Andreæ Danduli, Gritti Mocenigi, Vendramini, & Cornari.* Adscribam huc, qui ad D. Marcum legitur, Dialogismum inter Advenam & Senem.

Antiquitates. (margin)
Palatia. (margin)
Domus. (margin)
Horti. (margin)

A. *Dic, antique Senex,* Venetæ *quis conditor* Vrbis?
S. *Iuppiter:* A. *Vnde Arces?* S. *Attica:* A. *Scorta?* S. *Venus:*
A. *Mœnia?* S. *Neptunus:* A. *Nummi?* S. *Dido:* A. *Bellica?* S. *Mavors:*
A. *Artes?* S. *Mercurius:* A. *Iura?* S. *Minerva dedit.*
Non mirum est, si altas inter caput extulit Vrbes;
Cum tot cœlestes composuere Deæ.

Datus Vrbi Primus Episcopus, *Obealtus Maximus*, anno CCLXXIV. cui deinde alij successerunt, usque ad annum CIↃ CCCCL, quo Episcopatus ab Eugenio IV P. M. in Patriarchalem dignitatem est conversus. *Primas* enim *Dalmatiæ* vocatur, alios habens Suffraganeos Præsules. Catalogus Episcoporum & Patriarcharum est apud Leandrum; & visitur in Palatio ipsius Patriarchæ. Genuit hæc Vrbs multos insignes, clarosque eruditione Viros: inter quos Pontifices recensentur, *Gregorius* XII, *Eugenius* IV, *Paulus* II: Cardinales fuisse legimus; *Petrum Maurocenum, Marcum Landum, Antonium,* Gregorij XII Nepotem, *Ioannem Amedeum, Ioannem Baptistam Zenonem, Dominicum Grimanum, Marcum Cornarium, Marinum Grimanum*, Dominici Nepotem, *Gasparum Contarenum, Petrum Bembum, Franciscum Cornarium*, Marci Fratrem, *Franciscum Pisanum, Ioannem Grimanum*, Marini Fratrem: Item *Pantaleonem Iustinianum*, Primum ex Latinis Patriarcham Byzantinum; *Hermolaum Barbarum*, virum doctissimum, Aquileiæ Patriarcham; *Laurentium Iustinianum*, Episcopum Castelli, inde Primum Patriarcham Venetiarum & Dalmatiæ Primatem; quem in Patriarchatu sequuti sunt *Maphæus Contarenus, Andreas Bondimerius, Gregorius Corarius, Ioannes Barotius, Maphæus Gerardus*, postea Cardinalis, *Thomas Donatus, Antonius Surianus, Ludovicus Contarenus, Antonius Contarenus, Hieronymus Quirinus. Veneti* Patriæ suæ Præsules fuerunt: *Vrsus Paduarius*, IV ordine, *Ioannes Sannutius* V, *Maurus Vincentius* VI, *Dominicus Paduarius* VII, *Crassus Faccius* VIII, *Ioannes Sannutius* IX, *Laurentius Timens Deum* XI, *Dominicus Maurus* XII, *Dominicus David* XIII, *Vrsius, Magadicius* XV, *Dominicus Paduarius* XVI, *Petrus Quinavallensis* XVII, *Gregorius Gregorius* XVIII, *Marinus Cassianus* XIX, *Dominicus Gradonicus* XX, *Dominicus Gradonicus* XXI, *Dominicus Contarenus* XXII, *Henricus Contarenus* XXIII, *Vitalis Michael* XXIV, *Bonifacius Falletrus* XXV, *Ioannes Popillanus* XXVI, *Vitalis Michael* XXVII, *Philippus Casiolus* XXVIII, *Marcus Nicolaus* XXIX, *Vitalis Michael* XXX, *Marcus Maurocenus* XXXI, *Petrus Pinus* XXXII, *Gualterus Agnus Dei* XXXIII, *Thomas Arimondus* XXXIV, *Thomas Franchus* XXXV, *Bartholemæus Quirinus* XXXVI, *Simeon Maurus* XXXVII, *Iacobus Contarenus* XXXIX, *Bartholemæus Quirinus* XL, *Michael Chalergus* XLI, *Angelus Delphinus* XLII, *Nicolaus Maurocenus*

Episcopatus. (margin)
Patriarchatus. (margin)
Clari Viri. (margin)

nus XLIII, *Ioannes Barbus* XLIIII, *Paullus Fuscarus* XLV, *Ioannes Amadeus* XLVI, *Angelus Cavarius* XLVII, *Ioannes Lauredanus* XLVIII, *Franciscus Faletrus* XLIX, *Leonardus Delphinus* L, *Franciscus Bembus* LI, *Marcus Landus* LII, *Franciscus Mari petrus* LIII, *Laurentius Iustinianus* LIV, & ultimus, Primus, ut ante dixi, Patriarcha creatus anno CIↃ CCCCLI. Alibi Antistites fuerunt *Henricus Contarenus*, Castelli; *Dominicus Dominicus* & *Petrus Aemilianus*, Vicentiæ; *Fantinus*, Patavij; *Petrus Monteus*, Brixiæ; *Iacobus Zeno*, Feltrij Bellunique; *Dominicus*, Torelli. Inter Duces eruditionis etiam laudem consequuti *Andreas Dandalus*, qui insignem scripsit historiam; *Karolus Zeno*, & alij. Iurisconsultos dederunt Venetiæ *Marcum Lippamanum*, *Barbonum Maurocenum*, *Ludovicum Fuscarum*, *Vitalem Landum*, *Candianum Polanum*, *Nicolaum Canalem*, *Laurum Quirinum*: Historiographum, *Andream Navagerium*: Oratores; *Zachariam Trevisanum*, *Leonardum Iustinianum*, *Franciscum Barbarum*, *Hieronymum Donatum*, *Hieronymum Georgium*, Equitem Auratum: Polyhistores; *Manutios* & *Io. Baptistam Egnatium*: Poëtas, *Andream Maurocenum*, *Hermolaum Donatum*, & alios. Nusquam autem plures, qui rei bellicæ scientia gloriam sibi conciliarunt immortalem. Ex ijs, qui maximis potiti victorijs nomen Venetum terra marique plurimum auxerunt, memorantur cum primis *Ioannes* & *Raynus Polani*, *Marinus Grandonicus*, *Dominicus Mauro[illegible]cenus*, *Ioannes Basilius*, *Thomas Falerius*, *Reinherus Dandulus*, *Rugerius Permarinius*, *Ioannes Tre[illegible]isanus*, *Petrus Thomas Ioannes Grittus*, *Nicolaus Balestrerius*, *Marcus Bonus*, *Andreas Troca[illegible]us* *Leonardus Quirinus*, *Marcus Onissorus*, *Rainerus Zeno*, *Laurentius Theupolus*; *Andreas Zeno*, *Marcus Gradonicus*, *Marcus Michael*, *Gilbertus Dandalus*, *Iacobus Dandalus*, *Ruggerius Maurocenus*, *Ioannes Superantius*, *Benedictus Iustinianus*, *Petrus Zeno*, qui primus omnium Dux in Turcas ab Venetis ivit: Successores nactus *Marinum Falerium*, *Andream Co[illegible]nem*, *Petrum* & *Marcum Canales*, & *Marcum Iustinianum*. Addendi *Andreas Maurocenus*, *Simon Dandalus*, *Nicolaus Gradonicus*, *Pancratius Iustinianus*. Summam laudem Classis Præfectura meruerunt *Nicolaus Pisanus*, *Ioannes Delphinus*, *Paullus Lauredanus*, *Marcus Michael*, *Ioannes Sanutus*, *Marcus Cornalis*, *Bernhardus Iustinianus*, *Dominicus Michael*, *Cregus Molinus*, *Michael Delphinus*, *Iacobus Maurus*, *Marcus Iustinianus*, *Karolus Zeno*, *Michael Iustinianus*, *Petrus Hemus*, *Fantinus Georgius*, *Marcus Grimanus*, *Ioannes Barbus*, *Victor Pa[illegible]ba[illegible]us*, *Franciscus Bembus*, *Petrus Lauredanus*, *Andreas Mocenicus*, *Stephanus Contarenus*, *Aloysius Lauredanus*, *Victor Capellus*, *Ursatus Iustinianus*, *Iacobus Lauredanus*, *Nicolaus Canalis*, *Petrus Mocenicus*, *Hieronymus Canalis*, *Vincentius Capellus*, *Andreas Trevisanus*, Eques Auratus, *Laurentius Amulius*, & alij. Civium frequentia *Venetijs* plane stupenda. Numerus trecentorum circiter millium censetur. Triplicis illi sunt generis: *Patritij*, quos penes Imperij & Reip. administratio; *Cives*, qui Scribarum & aliorum honorum munera gerunt; *Artifices*, qui mechanicas exercent Artes. Præter hos, *Mercatores* ibi innumeri & advenæ, qui vario cultu ex omnibus mundi partibus negociationis gratia confluere soliti: Turcæ, Æthiopes, Slavi, Arabes, Syri, Cretenses, Cyprij, Macedones, Germani, Vngari, Hispani, Galli, alij. Familiæ nobiliores recensentur hæ:

Incolæ.

Familiæ nobiles.

Avantij.	*Cadamusti.*	*Falerij.*	*Landi,*
Baduarij.	*Canasij.*	*Faletri.*	*Lauredani.*
Baldi.	*Candiani.*	*Feni.*	*Legæ.*
Barbadici.	*Capelli.*	*Fisij.*	*Leoni.*
Barbari.	*Carari.*	*Foscari.*	*Lollini.*
Barbi.	*Cicagni.*	*Foscarini.*	*Lombardi.*
Baroci.	*Commenduni.*	*Cabrielli.*	*Longi.*
Bassadonna.	*Contareni.*	*Gardanigi.*	*Madazi.*
Batay.	*Cornelij.*	*Gargoni.*	*Magni.*
Bembi.	*Dandali.*	*Georgij.*	*Malpetri.*
Beneditti.	*Delphini.*	*Gerardi.*	*Manolesci.*
Bernardi.	*Diedi.*	*Grimani.*	*Marcelli.*
Bizamani.	*Dodi.*	*Gritti.*	*Marini.*
Bolani.	*Donati.*	*Gusani.*	*Massoli.*
Bragadini.	*Erici.*	*Iustiniani.*	*Mauri.*

Mauroceni,

Mauroceni.	*Orsi.*	*Raymundi.*	*Tradonici.*
Micheli.	*Participati.*	*Raynerij.*	*Valaresci.*
Minij.	*Pasqualigi.*	*Sagrei.*	*Valerij.*
Mocenigi.	*Pisani.*	*Salomoni.*	*Vendaremeni.*
Morosini.	*Pisauri.*	*Severiani.*	*Venerij.*
Muli.	*Polani.*	*Soranci.*	*Vitturi.*
Mulini.	*Ponti.*	*Steni.*	*Zacharia.*
Nani.	*Pontremuli.*	*Suriani.*	*Zeni.*
Natali.	*Premari.*	*Tepholi.*	*Ziani.*
Navagerij.	*Prioli.*	*Throni.*	
Orseoli.	*Quirini.*	*Trevisani.*	

Prima *Veneta Reipublicæ* administratio fuisse fertur *Consularis*: altera *Tribunitia*, per annos CCLII: Postea anno Iↄ CCVII sub *Ducis* cœpit esse imperio. *Dux*, *Doge* vulgo, Reip. caput, *Senatus* est Princeps, eique nihil injussu *Senatus* nec pace agere, nec bello quidquam licet. Ipse *Senatum* consulit. *Senatus* auctor decernit: Decreta tamen *Ducis* nomine promulgantur. *Duci* de publico certa penduntur stipendia: eoque defuncto, statim in locum defuncti ex *Senatorum* numero alius per suffragia sufficitur. *Senatus*, vulgo *Gran Consiglio*, Basis est totius Status: ejus membra Nobiles omnes, XXV annis majores: quibus mira in dicendo libertas, summa in consulendo integritas, eximius recti verique cultus, studium conservandæ libertatis augerque di Imperij incredibile, insignis in adversis constantia. Præter *Ducem Senatum*que alij multi sunt *Magistratus*, quos sermone consultius censeo memorare vernaculo, quam Latino: Reip.forma.

III *Pregadi.*	XXVI *Auditori Nuovi.*	XLIX *Signori sopra i Conti.*
IV *Collegio.*	XXVII *Auditori Novissimi.*	L *Proveditori di Comune.*
V *Savi grandi.*	XXVIII *Signori di Notte Civili.*	LI *Sopra le Camere.*
VI *Savi de Terra Ferma.*	XXIX *Signori di Notte Criminali.*	LII *Dieci Officij.*
VII *Savi de gl' Ordini.*	XXX *Quarantia Vecchia.*	LIII *Cazude.*
VIII *Consiglieri.*	XXXI *Quarantia Nova.*	LIIII *Dieci Savij.*
IX *Consiglieri da basso.*	XXXII *Collegio di XXV.*	LV *Ragioni Nuove.*
X *Procuratori di San Marco.*	XXXIII *Quarantia Criminale.*	LVI *Ragioni Vecchie.*
XI *Consiglio de Dieci.*	XXXIV *Signori all' Acque.*	LVII *Datio dal Vino.*
XII *Avogadori di Commune.*	XXXV *Signori alle Biave.*	LVIII *Ternaria Vecchia.*
XIII *Censore.*	XXXVI *Signori alla Sanita.*	LIX *Signori alla Grascia.*
XIV *Petitione.*	XXXVII *Dogana da Mare.*	LX *Dogana da Terra.*
XV *Forestiero.*	XXXVIII *Cinque della Pace.*	LXI *Panni a Oro.*
XVI *Mobile.*	XXXIX *Giustitia Vecchi.*	LXII *Cinque alla Mercantia.*
XVII *Procuratore.*	XL *Consoli de Mercatanti.*	LXIII *La Secreta.*
XVIII *Proprio.*	XLI *Sopra Consoli.*	LXIIII *Tre Camere de Monti.*
XIX *Essaminatore.*	XLII *Sopra le Pompe.*	LXV *Avogadori Fiscali.*
XX *Cathaveri.*	XLIII *Alla Farina.*	LXVI *Camerlinghi di Comune.*
XXI *Piovego.*	XLIV *Governatori dell' Entrate.*	LXVII *Estraordinarij.*
XXII *Sindici.*	XLV *Sopra Datij.*	LXVIII *Tavola dell' Uscita.*
XXIII *Sopragastaldi.*	XLVI *Giustitia Nova.*	LXIX *Messetaria.*
XXIV *Superiori.*	XLVII *Sette Savij.*	
XXV *Auditori Vecchi.*	XLVIII *Signori al Sale.*	

Quæ Munera totamque Venetorum Rempublicam plenius explicant cum *P. Bembus*, *C. Contarenus*, *M. Sabellicus*, *Baptista Egnatius*, aliique, tum *M. Franciscus Sansovinus*, docto libro, cui Titulus, *Del Governo & Administratione di diversi Regni & Republiche*. De Opibus hujus Civitatis judicare quis potest, quod ex solo Vectigali annuatim vicies centena millia Ducatorum capiat; eiusque Duci, ut maiore fulgeat pompa, singulis annis XXXV millia aureorum numerentur, quos in adparatus regios & magnificentiam expendat. Cœpit Rerum, quas summa laude feliciterque gesserunt *Veneti*, gloria ab iis, qui mare infestum habebant: quibus classe sæpe

Opes & Reditus.

Res gestæ.

ſæpe ſuperatis & in poteſtatem redactis, Inſulas cœperunt & Nationes externas ſubigere. Creſcente imperandi cupiditate, obſervatis diligenter Vicinorum, vel diſſidentium inter ſe, vel ab ſuis Principibus oppreſſorum occaſionibus, in finitimam itum eſt Continentem; ubi lapſu temporis mirum in modum fines ipſorum ſunt propagati. Nervoſe Paullus Iovius: *Paruere eis ab initio*, inquit, *quo tempore claſſibus maxime valebant, Iſtri, Liburni, Dalmatæ, atque Illuriciora: multæ item nobiles Græciæ Vrbes, cum Eubœa, Cretaque Inſulis. Mox tranſgreſſis in proximam Continentem, Patavium, Verona, Tarviſium, atque Vicentia, quæ ab infirmiſſimis Regulis tenebantur, acceſſerunt. His quoque Ravenna addita eſt, Regia quondam Gothorum, atque alterum totius Italiæ Navale pulcerrimum. Quo rerum ſucceſſu erecti, & terreſtribus auctis opibus non multo poſt Philippo Vicecomiti pluribus bellis defatigato, Brixiam & Bergomum ademere. Ceſſit & eis Crema, Franciſco Sfortia concedente; extinde Venetorum potentia cunctis in Italia maximo terrori eſſe cœpit*, & quæ ſequuntur. Quæ omnia, pluraque, quæ addi poſſent, adeo ſunt vera, ut *Venetiarum Vrbs* hodie omnium Vrbium clariſſima cenſeatur & florentiſſima, Mundi Theatrum, commune totius Orbis Emporium, Victrix domitrixque tot tantorumque Hoſtium, Hadriatici Regina Maris, Italici nominis gloria decuſque. Quamvis multa bella geſſerit, variamque fortunam mille annorum ſpatio ſit experta, in externi tamen Hoſtis poteſtatem numquam devenit. Divini plane ſunt Verſus Actij Synceri Sannazarij:

Viderat Hadriacis Venetam *Neptunus in undis*
Stare Urbem, *& toto ponere Iura Mari:*
Nunc mihi Tarpeias quamtumvis Iuppiter Arces
Objice, & illa tui Mœnia Martis, ait:
Si Pelago Tibrim præfers; urbem adſpice utramque:
Illam Homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

De Hexaſticho illo Epigrammate refert in Sannazarij Vita Ioannes Baptiſta Criſpus, auditum à ſe ex Aldo Manutio Paulli F. Poëtam ab S. P. Q. Veneto pro ſingulis verſibus ſingulos centenos aureos, honoris gratia, dono accepiſſe.

Vaticinium de Venetijs.

Concludam cum Vaticinio, quod de *Venetorum Vrbis* fato ſcripſit Gauricus, inſignis Aſtrologus:

Virginei partus ſaclis bis octo peractis,
E pelago emergens tellus fœcunda colonis,
Præbebit miſeris alimenta è frugibus altis:
Nec Nautæ piſces capient in littore ſicco,
Sed varios pueri flores, & gramina pingues
Læta boves, baſia non remis pulcra Iuventus
Certatim ludent, mœſto ſpectante Senatu.

Quibus verſibus Venetis Dominium Poëta pollicetur uſque ad annum CIↃ IↃ CCCLXXX; Vrbem prædicens ex Inſula in Terram Continentem commutatum iri. Tempus docebit. Ego quidquid rerum humanarum eſt optima Dei Omnipotentis providentia gubernari ſcio, cujus ſolius eſt mutare Imperia, alioque transferre: quem penes arbitrium, Civitates ut floreant, ut pereant. Cingit Urbem magnus *Inſularum* numerus: in quis præcipuæ *Iudaica*, diſtans dimidio fere milliari, longitudine mille paſſuum: Templis ſuis, Cœnobijs, ſplendidis nitens ædificijs; cultiſſimiſque hortis plena. Dicitur & *Oſſoduro*. *Muranum*, mille diremtum ab Urbe paſſibus, ambitu tria colligit milliaria: Incolis frequens; ſitu jucundo & amœno, XIV habet Templa. Domus ſingulæ Hortis mire conſitis ornantur. Celebre vitreis Vaſis, quæ ibi XXIV Officinis excellenti artificio maxima copia elaborantur, in diverſas orbis partes exportari ſolita. *Methamaucum*, vulgo *Malamocco*, Ducis Veneti ſede quomdam nobile portum habet profundiſſimum, quem Meduacus fluvius efficit. Aliæ minorum gentium ſunt *D. Georgij* Monaſterio Hortoque celebris; *S. Iacobi, S. Nicolai, S. Bernardi, S. Helenæ, Majorlanum, Torcellum, S. Franciſci dal deſerto, Lazaretum Novum* & *Vetus, S. Clementis, S. Angeli, Concordiæ, S. Claræ, S. Iuliani, S. Secundi, S. Chriſtophori, S. Michaëlis*, &c.

Inſulæ, *Iudaica*, *Muranum*, *Methamaucū*, aliæ,

Viginti quinque ab Urbe Venetorum Paſſ. millibus *Portus* eſt *Clodianus*; juxtaque *Chioglia*: quæ *Foſſa Clodia* Plinio & alijs: ab *Clodio*, Albanorum Duce, condita; uti cenſet Volaterranus libro IIII. Commentar. Vrbanorum. Quidam tamen apud

Foſſa Clodia.

apud Sabellicum libro III. De Situ Vrb. Venet. produnt ædificatam ab Atestinis Situs.
& Silicentibus. In longum protenta stagnis marinis undique circumfunditur.
Civitatis Ius adeptum est hoc Opidum anno CIↃ CV, translato huc Methamaucе-
no Episcopatu. Natus ibi *Petrus Calestus*, Monachus, cujus de Vitis Divorum vo- Episcopatus,
lumina Bononiæ servantur in Dominicana Bibliotheca. Adsident Vrbi passim Clari Viri, Salinæ.
Salinæ.

Relictis cum Venetorum Vrbe Insulis, in Continentem revectus ad Brentam
redeo, in cujus dextra supra vicum Liminam, Opidum visitur *Cittadella*; à Patavi- Cittadella.
nis conditum anno ab Christo nato CIↃ CI; nobile, lautum, frequens. Excipit hoc
aliud, quod vulgo *Marostica*; supraque *Bassanum*, Carrariensium, qui quomdam Pa- Marostica. Bassanum.
tavij principatu potiti, ortu clarum. Succedunt inde *Cisinum* Castrum, ad fluvium Cisinum.
cognominem, cujus fonti *Pemecum* adsidet Opidulum. Supra Cisinum, haud pro- Temecum.
cul amne, *Grinium* sequitur, cui nomen præterlabente fluvio. Inde Castrum est Grinium. &c.
Bavanum; altiusque *Tusopum* & *Caldonatium*.

Stagna repeto, ubi ad Musonum amnem Opidum se pandit *Mestrium*, *Mestre* vul- Mestrium.
go, *Menstra*, Sabellico lib. VIII, Ennead. IX. Opidum olim, quam nunc, opulentius:
occurrunt inde adverso Musono, *Villa Nova*, *Campus D. Petri*, & juxta fontem Opi- Villa Nova. &c.
dulum *Collis Musoni*. Ad dextram ripam interius *Castellum Francum*, supraque no- Castellum Francum.
bilius *Asilum*, quod ex nonnullorum judicio Ἄκεδον Ptolemæi. Asilum.

Fluvius inde Silis in conspectum venit. Ad ejus ostium modica visuntur vesti-
gia *Altini*, urbis antiquæ; Tacito, Plinio, Pomponio, Antonino, Itinerariæ Tabu- Altinum.
læ, alijsque memoratæ: Ἄλτινον item non solum Ptolemæo; & Herodiano, sed &
Straboni, cui situm, uti Ravenna, in Paludibus: quod verum, Stagna enim ibi, fi-
nitque Septum Marium, quibus Silis immergitur. Ad Situm pertinent Martialis Situs.
Silla lib. I:

> *Aemula Baianis* Altini *littora villis;*
> *Et Phaethontei conscia silva rogi:*
> *Quæque Antenoreo Dryadum pulcerrima Fauno*
> *Nupsit ad Euganeos sola puella lacus.*

Sola? Nondum enim erant Venetiæ, quibus solis jam Ius ibi & Imperium. *Alti-* Incolæ.
natium meminit Lapis, qui Feltriæ ad lævam, quum Cathedrale Templum ingre-
deris:

C. FIRMIO . C . F
MENEN. RVFINO
EQ. PVB. LAVREN. LAV
DEC. FLAMIN. PATRONO
COLLEGIORVM. FABR
CENT. DENDR. FELTRIÆ
ITEM. QVE. BERVENS
COLLEG
FABR . ALTINATIVM
PATRONO

Deletum ab Attila, & ob ejus interitum ædificatum fuisse in proxima Insula *Tor-* Excidium. Torcellum.
cellum, notant Ioannes Candidus libro III, Gregorius Amaseus Aquileiensi Hist.
& alij.

Inter Silin & Musonum Castellum jacet, quod vulgo *di Novale*, frequens & no- Castellum Novale.
bile.

Silin ascendenti *Tarvisium* occurrit, vulgo *Treviso*. Urbs ædificijs splendida Tarvisium. Situs.
opibusque potens, editiore jacet loco, in Campo spatiosissimo, amne Sili divisa; Qualitas.
Fontium amœnitate salubritateque stupenda: antiqui sæculi Scriptoribus non no-
minata; ideoque non magni ævi. Primam ejus memoriam habent Gothorum
Historiæ. Cives humanitate sunt singulari, ingenijs igneis, quæque percipiendis Incolæ.
litteris, mercaturæ, alijsque honestis studijs promtissima. Episcopatus floret di- Episcopatus.
gnitate.

Clari Viri. gnitate. Nobilitavit hanc Vrbem ortu suo *Totilas* Gothorum rex, cujus pater ejus situ supra modum capiebatur. Genuit item, præter alios, *Benedictum* XI P. M. & *Ponticum Virunium*, Virum Latinis Græcisque litteris doctissimum, uti scripta Aer gestæ, & principes, probant. Post Gothos sedem hic suam posuerunt Langbardorum Marchiones, unde toti Regioni *Markæ Trevisinæ* nomen inditum, ut initio capitis dictum. Pressa deinceps Actiolini tyrannide, *Imperatorum Italiæ*que *Regum*, inde *Carrariensium*, hinc *Scaligerorum*, postremo *Venetorum* subdita est imperio & potestati. Videndi Paullus Diaconus lib. v Hist. Langbard. Merula lib. vi & VIII Histor. Vicecomit. Candidus lib. vi & vii Com. Aquileiens. Corius parte III, Taurellus Sarayna lib. II, Andreas Mocenicus, Leander Albertus, & alij. Magna hic Agrorum est ubertas, ingens rei pecuariæ studium, copia tritici optimi (unde panis conficit candidissimus) Vini nobilissimi, aliarumque rerum admiranda. Facius Vbertus libro III, Cantico II:

Noi trovamo Treviso *nel camino,*
Che da chiare Fontane tutta ride;
Et dal piacer d'Amor, che quivi è fino.
Il suo contado la Piava recide,
E'l Silio: è ciascun d'essi alcuna volta
A chi li passa per gran piova uccide.
Questa per se il Venetiano l'ha tolta.

Casa Corba. Supra Tarvisium haud procul Silis fonte Castellum jacet *Casa Corba.*

Piavis inde sequitur fluvius, qui Priscis *Anaxus*, ut supra docui. Objecta visitur Aequilium. faucibus ejus Insula *Aequilia*, in qua quondam *Aequilium* fuit Opidum, ab Heraclianis conditum, ubi hodie *Citta Nova*, teste Leandro; vel, uti censent M. Niger Heraclia. & Iulius Faroldus, *Iesolo*. Fuit eodem situ quomdam & *Heraclia*, cujus auctores Concordienses & Altinates, post suarum urbium cladem. Desertum fuit utrumque Opidum tempore Pipini, Italiæ Regis, à Patre Karolo Magno cum validis copijs in Venetos missi. Tunc enim illi, ut belli calamitates declinarent, adsumtis suis omnibus, Venetias migrarunt. Consulendi Blondus & Sabellicus. *Aequilium* inde & *Heraclia* à Pipino occupata, post autem ab Hunnis cremata, hodie paucis vix vestigijs se produnt. Ab unam Anaxi vel Plavis ripam Opida se offerunt, quæ vernacule *Venetto*, *Limina*, *Aquorio*; & in excelsis montibus *Feltro*, quod Latine scriben- Feltrium, &c. tibus *Feltrium*, Antonino (qui Venetiæ tribuit) *Feltria*: Episcopatus gaudet dignitate; *Victorini*, qui cum alijs eximius Latinæ linguæ restaurator, patria. *Feltrinos* habet Cassiodorus lib v. Var. qui *Fertrini* Plinio lib. III cap. XVIII, inemendatius. Altius inter montes juxta Plavem parvum quidem, sed nitidum conspicitur Opidū, quod vulgo *Cividad di Belluno*. Vlterius sunt *Perarolo*, *Pieve*, *Valle*, *Bastagno*, *Cadore*, *Zolto*, *Lo-* Bellunum. *rentaga* (*Laurentiacum* Latinis) *Tre Ponti*, *Aurono*, *Comeri*. Ad ripam Plavis alteram Opida sunt *Madino* & *Vettoro*: supraque ad *Calori*, qui Plinio *Varamus*, in Anaxo ostium, *Teseca*; dein *Belluno*, quod Plinio lib. III, cap. XVIII *Belunum*; Βελοῦνον Ptolemæo: Civitas Episcopatus jure nobilis.

Turritium. Opitergium. Ad Liquentiam venio flumen, cujus ripis adsident hinc *Turritium*; inde, ubi Muteca ipsi miscetur, *Opitergium*. Sic Tacito, Plinioque; ὀπιτέργιον Ptolemæo dicitur, quod appellatione corruptiore *Oderso*. Ἐπιτέργιον legitur emendatius apud Strabonem libro v, quum Ὀπιτέργιον sit scribendum, monente etiam Cl. V. Isaaco Casaubono. Meminit antiquus Lapis:

L. ARRIVS. T. F
SEX. VIR
OPITERGI
SIBI. ET. SVIS
T. F. I

Colonia fortis. *Opitergini Coloni* memorantur apud Lucanum in Pharsalicis libro IIII:

Hic Opiterginis *moles onerata* Colonis
Constitit.

Referi

Refert Cæsar *Opiterginos* sibi necem in suis navibus adferre maluisse, quam in Pompei venire potestatem. *Opitergium* ab *Attila* subversum tradit Blondus libr. II Histor. instauratum deinde *Rotarem* Langbardorum Regem cremasse, notant Paullus Diaconus lib. IIII Histor. Langbard. & Sabellicus lib. III de situ Vrb. Venet. quorum etiam ille lib. V, Rerum Langbardic. hic autem lib. V, de Antiq. Aquil. indicant ab *Grimoaldo* excisum. Vestigia supersunt veteris fortunæ, à me visa, quum hæc loca peragrarem. *Opitergini Montes Portusque* sunt apud Plinium. *Res gestæ.*

Iuxta Moteci scaturiginem *Conegianum* jacet; Opidum frequens, rebusque ad vitam necessarijs abundans. *Conegianum.*

Succedit ad Orientalem Liquentiæ ripam Ostium Meduni, ad quem una quidem ripa, quæ vulgo audiunt *Colveri*, *Pordonono* (Latinis *Portus Naonis*) altiusque *Prata*, & intus *Porciglie*, quod cum *Brognara*, haud procul inde, Comitum Porcilianorum patrimonium, *Sacile*, Opidum ditissimum, splendidisque ornatum ædificijs: altera vero *Portus Bufaletius*, *Civilonium*, & ulterius inter montes Castrum non ignobile *Sera-Vallis*, celebris armorum bellicorum officina; Opidum opibus populique frequentia cum multis Italiæ Civitatibus committendum. Dextrorsum incedenti inter Colles mille ab Seravalle passibus *Ceneda* occurrit, quam Ἄκεδον Ptolemæi censet Cynthius, ejus alumnus; *Acedensem* inde se nominans. Memoria ejus apud Agathiam libro II & Paullum Diaconum in Langbardicis non semel. *Cenita* est apud Fortunatum in Vita D. Martini. Episcopum habet, penes quem Civile etiam loci Imperium. *Cenetensis Episcopi* in Istria (quæ vicina Venetiæ) meminit Synodus VI Constantinopolitana. Itinere ab Sera-Valle Sacilem versus *Cordinianum* adparet, monti inlocatum, insigne Propugnaculum. *Portus Naonis. Porcilia. Sera-Vallis. Ceneda. Cordinianum.*

Sequitur in ripa Liquentiæ *Motta*, Castellum non magnum, sed frequens, quæ *Motta* Sabellico libro VIII, Ennead. XI, notum natalibus *Hieronymi Leandri*, Cardinalis. Intus ad eundem fluvium, supra Mottam, *Pratina*, *Penegaia*, *Lamiduna*, *Prodolo*, *Cusani*, *Zopola*. *Motta. Clari Viri.*

Ad Amnem Limenem, qui Limes, ut alibi à me dictum, inter Markam Tarvisinam & Forum Iulium, *Concordiæ* rudera monstrantur in æde S. Stephani paucissimisque tugurijs. Nota est Plinio, Pomponio Melæ, Antonino; Κονκορδία Ptolemæo. Apud Strabonem libro V pro κὴ ὀρδία, vel saltem ὀρδία, reponendum Κονκορδία. Legendus de ejus exidio Blondus libro II & III. Supra Concordiam ad eundem fluvium Castellum est *Sextum*, vernacule *Sesto*. *Concordia. Excidium. Sextum.*

CAPVT XXXVII.

Forum Iulij.

QUÆ in Nova, eaque planiore & ab montibus liberiore Italia, Meridionaliora versus sunt Provinciæ, percurri: pandunt se jamnunc ad Borealiorem plagam cis Tergestinum quidem Sinum FORVM IVLII; ultra vero, *Istria*. *Forum-Iulii.*

Vide.

Nomen huic Regioni vel ab *Foro-Iulio*, urbe primaria, uti Blondus censet lib.viii Histor. vel, ut alij volunt, ab *Iulio Cæsare*, qui aliquot Legiones hac adversus Germanos duxerit, cujus rei monimentum ferunt ostendi in marmore antiquo, quod in monte Crucio. Italis hodie *Friuli*; Germanis, **Friaul**: Venetis alijsque *Patria* nuncupatur. Caussam indicant Candidus lib.i & Amasæus in Aquil. Commentar. *Aquileiensem* etiam appellatam fuisse ab *Aquileia* Metropoli, patet ex Historijs.

Fines.

Regio est ex distributione Augusti xviii. Fines illi apud Leandrum & Candidum ab Ortu Istria; ab Aquilone, Montes Iapidij: qua Occasus, Alpes Vindelicæ Noricæque; qua Auster, Sinus Hadriaticus.

Situs.

Tradit idem Leander, incipere à planicie, quæ mari adposita, moxque paullatim crescere in Colles, tandem in montes altissimos evehi; qui propemodum undique fines adeo claudunt, ut eadem planities, montium jugis vallata, tamquam muro, Theatrum videatur, faucibus autem unis pateat, per quas, uti Porta Sontij fluminis trajectu, ab Tarvisio aditur.

Qualitas, & Dotes.

Beant Regionem Cœlum temperatum; Aer salubris; Campi lati, irrigui, fructuumque omnigenorum fertiles: Prata nitidissima; Pascua pecoribus gratissima; item Vites vina generantes generosissima, etiam Plinio celebrata laudataque libro xiiii, cap.vi; Silvæ quoque tam materia cædenda, quam Venationibus munificę; Montes Metallorum, Marmorumque variorum, nec non preciosorum lapidum feraces: & præter hæc omnia Portus quamplurimi.

Indigenæ. Resque ab Indigenis. & Principes.

Indigenæ ad humanitatis artes, Mercaturam, aliaque honesta studia aptissimi. *Foro-Iulienses Trans-Padani* leguntur apud Plinium lib. iii natur. Histor. cap. xviii. Inhabitarunt primum *Euganei*, inde successu temporis *Veneti*, mox *Galli*; uti in Marka Trevisina demonstravi: postea sub *Populi Romani* fuit imperio, cujus majestate inclinante in *Langbardorum* venit potestatem. Ijs successerunt *Imperatores*, his *Berengarij*; quibus excisis in ditionem redijt *Imperij Romani*. Donavit bonam ejus portionem *Aquileiensi Ecclesiæ* Otho Imperator; reliquamque cum Istria Conradus. Fecerunt tandem sui Iuris *Veneti*, circa annum cIↄ ccccxx; qui hodieque ibi dominantur; licet pleraque *Comitibus, Dominisque* subsit peculiaribus. Consulendi Paullus Diaconus lib.v Hist. Langbard. Candidus lib. iii, v, vii, viii Comment. Aquil. Amasæus, Sabellicus lib. ix Ennead. ix, & alij.

Specialiora Fori Iulii. Portus Gruarius.

Ut specialioribus explicandis me accingam; Ad Orientalem Limenis, quem limitem antea dixi inter Markam Tarvisinam & Forum Iulium, ripam *Portus Gruarius* invenitur; Plinio libro natur. Hist. iii, cap. xvii *Portus Romatinus*. *Romatianæ Civitatis* Episcopum *Niceam* nominant Vsuardus in Martyrologio ad ix Kalendas Iulij,

Iulij, & Honorius Augustodunensis. *Romatinum* Plinio Carnorum fluvius est, qui hodie omnium doctorum judicio *Lemenis appellatione notus*. Ulterius dein *Sumaga*: & in adversa amnis ripa *Cordevas*: alriusque in mediterraneis *Prodolo*.

Tiliaventa sequuntur inde flumina duo, quorum Majus, vernacule nunc *Taiamenta*; Minus, *Stella*; ut suo loco dixi. Ripam Majoris Occidentalem legenti occurrunt *S. Vito*; *S. Vito &c.* supraque in mediterraneis *Cosani*, *Zopola*, *Valvasone*: & in montibus *Spilimbergum*, *Spilimbergum.* natura loci opereque munitissimum altius *Castel Nuovo*: Orientalem autem, *T. sina*, Opidum dives frequensque, remotius, *Madrisio*, *Varmo*, *Varco di sotto*, supra, *Belgrado*; ulteriusque *Codroipo*, & *Cucagna*; inde in arduo difficilique monte nobilissimum Opidum *S. Danieli*: *S. Danieli.* juxta fontem denique fluvij Castellum *Duganta*.

Stellæ, de quo monui, margini adpositum est *Palatiolum*, *Palatiolum.* Opidum non inhonestum; supraque juxta Stagnum Cornatum, aliud vernacule *Marano*, *Maranum.* quod frequentia divitijsque clarum. *Varanum* Sabellicus, *Marianum* Candidus putant antiquis dictum. Ego, quod ingenue fateor, neutrum apud probatos Scriptores legi: *Magravia* quidem apud Ptolemæum est, sed Promontorium & Vrbs Corsicæ. *Maranum* diu ab Venetis possessum, post cladem Abduanam dolo proditum est *Maximiliano Cæsari*. *Principes.* Quum rursus fraude cepissent *Veneti* quidam *exsules*, accedente iis *Petro Strozza*, tandem *Senatui Veneto*, magna pecunia cesserunt. Secus stagnum ad amnem, qui huc defluit, *Castellettum* est; *Castell. ant. Grad.* in ipsis autem æstuarijs Insula *Gradus*, cui quomdam Vrbem cognominem fuisse inædificatam ab Aquileiensibus, post vastatam ab Attila patriam, indeque *Novæ Aquileiæ* appellatione insignitam, & ibidem Aquileiensem Ecclesiam auctoritatem prius & jus Primatus habuisse, scribunt, præter Blondum, Volaterranus libro IIII Comment. Vrbanor. & Candidus lib. III & IV Comment. Aquil. *Gradus* Vrbs, maximis sæpe calamitatibus adfecta, infrequentius hoc tempore habitatur.

Ad Tiliaventum magni sternuntur Campi, quibus insidet Vrbs nobilis *Vtinum*, *Vtinum.* vulgo *Vdene*, Germanis **Weyden**. Conditum hoc Opidum volunt apud Leandrum Albertum quidam ab *Austracis*, quod *Austriæ Duces* diu hunc tractum possederint: alij *Attilam*, Hunnorum Regem, ejus auctorem tradunt; addentes *Hunnium* potius appellandum: quidam ab *Vdinis*, Scythiæ apud Plinium populis, in hæc loca profectis factum notant, eamque ob caussam *Vdinum* nuncupandum: nonnulli denique priscæ adserunt originis, argumento cum Arcis ab Iulio Cæsare refectæ, nominisque ejusdem *Iuliæ*; tum multarum, quæ hic indies inveniuntur, Antiquitatum. Aliorum opiniones prætereo. Arbitratur tandem ipse Leander, post indicatas variorum sententias, antiquum esse Opidum, ejusque mentionem fieri apud Plinium duobus locis, lib. III natur. Histor. cap. XIX, & lib. XXXV, cap. XII; sed priore *Attina* legitur; posteriore, *Mutina*: priore, mihi facile persuaserim vitiose scriptum *Attinam*, pro *Vtina*, præcipue quum ex Venetis hæc Urbs interijsse tradatur: loco posteriore, quod *Mutina* litteris omnibus exprimatur, nobilia vasa clarissimæ Vrbi adimenda non censeo. Niger credit Ptolemæi aliorumque *Forum Iulium* esse: non bene, ut ex sequentibus parebit. *Vtinum Montem* dicit se vidisse Otto Frisingensis libro IIII ab Attilæ militibus in modum aggeris comportatum in obsidione Aquileiæ: quem alij ab Iulio Cæsare factum perhibent. Quidquid statuendum sit de prima origine, Vrbs est ampla & magnifica; *Qualitas.* rebus omnibus necessarijs adfluens. Ambitus ejus milliarium est quinque. *Ambitus.* Claros viros genuit *Clari Viri.* non paucos. *Vtinenses* fuerunt *Leonardus*, *Petrus Cavalcantius*, *Benedictus*, *Paris*, *Franciscinus*, *Thomas* & *Leonardus* II, omnes ex Prædicatorum familia, Theologi: *Iacobus Turrianus*, & *Antonius Bre…* Iurisconsulti: *Paullus* ex Eremitanorum Ordine, Logicis & Philosophicis scriptis clarus: *Iacobus Candidus*, Scriptor Aquileiensium Comment. quæ ab *Gregorio Amaseo* magna parte sunt aucta. Gregorij filius fluit *Romulus*, Bononiæ Professor Artium Humanitatis, qui multa edidit. Subversa Aquileia circa Friderici II Imperat. tempora migrasse scribunt huc Candidus *Res gestæ, & Principes.* & Amasæus *Patriarchas*: sub quibus crevit supra modum ex nobilissimis Italiæ Familijs, quæ domestica seditione pulsæ, fortunis adsumtis, sedes ibi quietas legerunt, semperque habuerunt. Potentia *Patriarcharum* labante in *Venetorum* venit potestatem anno CIↃ CCCCXX; quibus magna clade anno CIↃ IↃ IX adfectis, in *Maximi-*

liani I lapsum est ditionem: dein mutato sæpius imperio, tandem ad *Venetos* redijt; in quorum tutela nunc tranquille quiescit.

Fagnana. Supra Vtinum ad primos colles pergenti hæc se offerunt Opida, *Fagnana*, *Vill' Alta*, *Murgo*, *Mel*, *Braccias* altiusque *Pers*, *Colorede*, *Trigesimo*, *Taro*, *Artegna*, *Artenia* Paullo Diacono in Langbardicis; ulterius inter montes *Pramper* & *Cemona*, quæ *Glemona* eidem Diacono, Blondoque & Sabellico.

Ad Tiliaventum dein est *Osopum*, quod eidem Diacono *Osopium*; & ulterius *Ventionis Vicus*, vulgo *Venzone*, qui hoc tempore Venetorum, Ducumque Austriæ, Stitię & Carinthiæ terminus.

Sequitur inde *Aquileia*. Sic Livio, Tacito, Plinio, Pomponio Melæ, Antonino, Itinerariæ Tabulæ, alijs vocatur. Ἀκυληία Straboni lib. IV & V, itemque Stephano. Ἀκυλεία, Ptolemæo; Ἀκελεία, Eustathio: quæ *Aquilegia* vulgo; Aglar Germanis. Hinc *Aquileiensis Sinus*, Ptolemæo Eustathio & Stephano; qui *Tergestinus* Plinio; hodie *Golfo di Trieste*, ut alibi dictum. *Romatianam Civitatem*, cujus Episcopum Niceam nominat Vsuardus, eamdem esse cum *Aquileia*, censet Vir eruditionis summæ, infinitæque lectionis Baronius. Ortelius V. Cl. cui hic adsentio, *Romatianam Civitatem* eamdem facit cum *Romatino* Plinij *Portu*, qui nunc *Gruarius*, de quo supra. Dicta, ut quidam volunt, ab fontibus *aquarum* perennibus, quibus abundat; vel, ut alijs visum, ab *Aquila*, militari Romanarum Legionum Signo; vel, quæ nonnullis mens, ab *Aquilone* Illiensi, quem ferunt in Italiam venisse cum Antenore. Conditam ab *Romanis* memorat Strabo libro V, munitionis loco contra Barbaros. Livius libris XXXIX & XL *Coloniam* scribit *Latinam* in Agro Gallorum, deductam ab III. Viris P. Scipione Nasica, C. Flaminio, & L. Manlio Acidino: inde Fundis extra Vrbem non paucis nomina adhuc Romana manere, sed corruptiora, docent Amasæus & Candidus. Sita ad Natisonem fluvium, Plinio in Decima est Italiæ Regione; Ptolemæo, in Carnorum Mediterraneis, in Agro Gallorum, Livio lib. XL; in Venetia, eidem lib. XXXIX; ἔξω, quod mirum, τῶν Ἐνετικῶν ὅρων, Straboni lib. V: quibusdam vitium subesse putantibus. Distare ab Mari LX Stadia, indicat idem Strabo. Ab Urbe Roma Mediolanum numerantur apud Antoninum M.P. IↃXXVIII; inde vero *Aquileiam* CCLX. Varia ducuntur apud Antoninum ab *Aquileia* huc illuc Itinera: propter celebritatem. Urbs enim olim fuit ampla, copiosa, mœnibus firmissima; Templis, magnifico Theatro, alijsque operibus publicis & privatis supra modum ornata. De ea Ausonius:

Non erat iste locus: merito tamen aucta recenti
Nona inter claras Aquileia *cieberis Vrbes:*
Itali ad Illuricos objecta Colonia Montes;
Mœnibus & Portu celeberrima.

Augustum amœnitate loci captum mensibus octo apud *Aquileiam* cum Conjuge habitasse, auctor est Suetonius; eumdemque hic controversias Herodis & Filiorum audisse, deque ijs judicasse, refert Iosephus. Quin & Tiberij aliorumque Imperatorum sæpe fuit domicilium; unde sensim tantum incrementi cum opibus, tum ædificijs est adepta, ut *altera* diceretur *Roma*. Hodie infrequens est Colonis, & ad solitudinem propemodum perducta, quæ quondam summo fuit splendore, summaque amplitudine. Fidem sequuta legitur constantissime (quod multis doceri potest exemplis) *Imperij Romani* usque ad *Attilæ*, Hunnorum Regis, tempora: à quo totum obsessa triennium magna Annonæ inopia laborans, tandem capta est & vastata, obtruncatis triginta fere septem hominum, qui in ea degebant, millibus; reliquis Gradus insulam fuga elapsis. Post ab *Narsete* restituta, in *Langbardorum* aliquamdiu fuit potestate, usque ad Karoli Magni in Italiam adventum; ex quo *Italiæ Regibus*, deinde *Imperatoribus* paruit. Post sub ditione *Patriarcharum*, quos diligenter enumerat Leander Albertus, esse cœpit: ab ijs ad *Venetos* venit, sub quibus jam nunc pace alta & tranquillitate fruitur. Addam huc insignem Karoli Sigonij locum libro I Historiæ de Regno Italiæ: *Ecclesia, ait, Aquileiensis, cujus Patriarcha secundum à Pontifice locum obtinet, à Marco Evangelista, Petri Apostoli, & Hermagora, Marci Discipulo, instituta, quum innocentissimos plerosque Antistites obtinuit semper; tum præclaros multos sanctitate homines tulit. Vrbs ipsa, quum olim opibus &* gratia

gratia Populi Romani ac Principum, præterea nobilitate ædificiorum ac Civium magnificentia floruisset : nihil tamen ex antiqua fortuna nisi nomen atque ipsum Patriarchale decus retinuit. Neque enim ab Attila, Hunnorum Rege, eversa, licet Narsetis opera restituta, vetere Incolarum celebritate frequentata deinceps fuit. Aquileia permultos genuit Viros illustres: in quis, *D. Syrus*, quem D. Hermagoras Ticinensibus dedit Episcopum, adtributis ipsi Collegis, Iuventio & Pompeio Diaconis, Chrysantio & Fortunato Presbyteris: *Epiphanius*, Ticinensis item Episcopus: *Erasmus* & *Tecla* Valentiniano nati, Martyres; *Cromatius*, ad quem multas scripsit Epistolas D. Hieronymus; *Rufinus* Sacerdos & *Paullus* Diaconus, Scriptis clari: *Pius* II. P. M. *Patriarchas*, qui Sedem non solum pia cura, verum etiam ortu suo nobilitarunt: indicat, ut jam monui, cum alijs Leander Albertus. Scripsit de vetustate *Aquileiæ* libros VI M. Antonius Sabellicus. *Aquileiensia* etiam Commentaria composuit Iacobus Candidus, quæ Gregorius Amasæus multis additis insigniter auxit. Clari Viri Scriptores.

Supra Aquileiam Septemtrionem versus, inter montes ad Natisonem Civitas jacet, quæ *Forum Iulium* Tacito non uno loco: Φόρος Ἰούλιος, Ptolemæo; *Castrum Iuliense*, Paullo Diacono: hodie vulgo *Cividal d'Austria*. Caussam mutatæ appellationis notat apud Leandrum Candidus libro II Comment. Aquileiens. Quum enim Vetus *Forum Iulium* primum à Theodorico Gothorum Rege, dein ab Cancano Pannonum Tyranno eversum esset, uti memoriæ produnt Paullus Diaconus & Blondus: instauratum iterum ab *Fesimunda Austria*, Luitprandi Langbardorum Regis Vidua. Cives in memoriam tanti beneficij *Civitatem Austriæ* ab ea dixerunt. Iacet in faucibus Italiæ loco natura munitissimo: Pontem habens in flumine percurrente lapideum. Ab ea universæ Regioni nomen. Forum Iulium. hodie Civitas Austriæ. Vnde. Situs.

Sequuntur in Montibus *Cuca, Pretesta, Attins, Cergne, & Cucogne*: haud procul inde ad Turrum Amnem *Saffimbergo*: secundum eundem Turrum ad Alpes pergenti *Savorgnano* occurrit; & prope fontem, *Tapoco*: descensu inde per Amnem offert se *Dorso*; Civitatisque vel Foro Iulij dextra *Rosaccio* & *Cormons*; mox *S. Martino de Cirna*. Cucum. &c.

Occidentaliore Sontij ripa sursum Propugnacula visuntur duo contra Turcarum excursiones ab Venetis exstructa *Gradisca* & *Falsana*; sic ab finitimis pagis terminata: posterius deseri cœpit, metu Turcarum cessante; prius etiamnunc colitur. Gradisca. Falsana.

Amne transito pandit se in ora maris nobile divesque Opidum præcelso in monte, quod vulgo *Monte Falcone*, ab Theodorico Gothorum Rege conditum, priusque *Verrucæ* notum appellatione: scribentibus Blondo libro III Hist. Sabellico lib. I. Ennead. VIII Candidoque & Amasæo lib. III Comment. Aquileiens. Mons Falconis.

A Monte Falconis juxta littus excelso in jugo munitum conspicitur Castellum *Duinum*; moxque in minore colle *Mocolanum*; deinde *Pucinum*; Vino nobile, quod Plinius lib. XIIII natur. histor. cap. VI in censura Vinorum summopere commendat. Duinum. Mocolanum. Pucinum.

Succedit ad littus *Tergeste*. Sic Cæsari in Commentarijs & Plinio vocatur: Τεργέστη Straboni lib. VII; Τέργεστον Ptolemæo; *Tergesta* Lapidi, quem post dabo: Τέργεστρα Stepheno; Τεργεστρεινῶν πόλις Diodoro & Dionysio: quod hodie *Trieste*. Sic dictum volunt, quod *ter egesserit* radicem, id est, ter fuerit subversum. Facius Vbertus lib. III, Cantico II. Tergeste. Vnde.

Vedi Trieste *con le sue pendice;*
E al nome udio, che cosi era detto,
Perche tre volte ha tratto la radice.

Plinius in decima locat Italiæ Regione, ex distributione Augusti; Ptolemæus in Istris, secus Maris Hadriatici flexum Strabo distare scribit Aquileia stadijs CLXXX; Plinius M. P. XXXIII. *Coloniam* faciunt Romanorum Plinius & Ptolemæus. Pertinent eo Inscriptiones duæ, quarum Situs. Distantia ab Aquileiensium Vrbe. Colonia Romana.

I. In ipso Opido in basi Turris Ecclesiæ S. Martyris:

L. VARIO. PAPIRIA
PAPIRIANO
II. VIR. I. D. Q. Q
PRÆF. FABR. ROMÆ ET
TERGESTE. FLAM. HADR
PONT. AVGVR
COLLEGIVM. FABRVM
PATRONO. MERENTI

II Patavij in Foro Iulij:

D. M
Q. CÆDIVS. P. F. PVB
SEXVIR. TERGESTÆ
V. F. VINISSA. Q. F
MAXVMA. VXOR
APVSIDIA ... C. F
SECVNDA. MATER
C. CÆDIVS. P. F
FRATER

Principes. Tributariam *Venetis* fecit Henricus Dandalus ipsorum Dux; teste Blondo libro XVI Histor. Post in *Austriæ Ducum* fuit imperio usque ad annum CIↃ IↃ VII, quo *Venetis* iterum subjecit Bartholemæus Alvianus: biennio post ad *Austriacos* est retracta. Episcopatus. Episcopatus gaudet dignitate.

Mugila. Senis ultra Tergestam millibus, etiam Plinij indicio, amnis est *Formio*, antiquus auctæ Italiæ terminus; de quo alibi. *Risanus* nunc audit; *Mugilam*que interfluit Opidum.

Goritia. In mediterraneis contra Duinum inter montes, haud procul Natisone, *Goritia* jacet. Sic hodie vocatur Opidum, quod judicio Leandri Alberti *Iulium Carnicum* Antonino & Ptolemæo. Alij de *Iulio Carnico* aliter statuunt. Faciunt inde *Villacum* Carinthiæ Opidum, in Alpibus situm, Aventinus & Pyramius; *Zuglium*, Simlerus; *Velam* vel *Felam*, ut Germani pronunciant, Lazius lib. XII Reip. Rom. Certe quum Plinius lib. V Nat. Hist. cap. XIX, *Iulienses Carnorum* in decima videatur collocare Italiæ Regione, atque adeo sub Istria complecti: *Iulium Carnicum* nulli loco magis convenit, quam *Goritiæ*. Amasæus libro de Venet. finib. *Goritiam* notat, ubi quomdam *Noreia*, quod Straboni Plinioque Tauriscorum Opidum. *Noritiam* notat Candidus lib. III Comment. Aquil. Principes. *Goritia* suos habet Principes, qui Ducibus Austriæ parent. Qualitas. Opidum est opibus & nobilitate clarum.

Griforium, & alia. Succedunt inde *Grifsor*, *Rincan*, *Dorus*, *Cernice*, *Focezo*; indeque supra Tergestam sub Alpibus *Castel Nuovo*, ultraque magnus Pagorum numerus.

Iter Antonini. Adscribam hic iter, quod Antoninus ducit ab Arimino Aquileiam usque, ut ex eo cognoscamus quorundam locorum distantias, quæ non solum ad *Flaminiam* pertinent, *Langbardias*que tam *Cis-Padanam*, quam *Trans-Padanam*, sed etiam ad *Markam Tarvisinam* & *Forum Iulij*; nobilissimas Italiæ Regiones; proximis capitibus à me explicatas.

Antonius:	Itineraria Tabula:	Vulgata Nomencl.
Flaminia,	*Flaminia,*	*Romagna,*
Ab Arimino	*Arimino,* XII.	*Rimino*
	AdConfluentes, VIII.	. . . .
Cæsenam, Civ. M. P. XX.	*Curva Cesena,* VII.	*Cesena.*
	Foro Populi, VII.	*Forlinpopulo.*
	Foro Livy, X.	*Forli.*
Faventiam, Civ. M. P. XXIIII.	*Faventia,* III.	*Faenza.*
	Sinnum fl. VI.	*Seno,* fiume.
Forum Cornelij, Civ. M. P. X.	*Foro Cornelij,* VII.	*Imola.*
	Silarum fl. VII.	*Schieza,* fiume.
	Claterna, VI. Sigonius etiam ponit inter Bononiam & Imolam.	Perijt præter veteris cujusdam Fani muros, & viam lapide stratam.
	Isex fl. IIII.	*Idex,* fiume,
Bononiam, Civ. M. P. XXIV.	*Bononia,* XVII.	*Bononia.*
	Foro Gallorum, VIII.	

Mutinam,

Æmilia,	*Mutinam, Civ.* M.P.XXV.	*Cis Padana,*	*Mutina,*	XVII.	*di qua dal Po,*	*Modena.*
	Regium, Civ. M.P. XVIII.		*Lepido Regio,*	XI.		*Regio,*
			Tannetum,	II.		*Tanedo.*
	Parmam, Civ. M.P.XIX.		*Parna,* vitiose,	XV.		*Parma.*
	Fidentiolam, vicum, M. P. XX.		*Fidentia,*	X.		*Fiorenzola.*
			Florentia,	XV.		. . . . .
			Alia est ab ea, quæ in Etruria: magis est, ut vitium subesse credam.			
	Placentiam, Civ. M. P. XXIV.		*Placentia,*	XX.		*Piacenza.*
Gallia Transf-Padana,	*Laudem, Civ.* M.P.XXIV.	*Langbardia, Padana;*	*Laud. Pompeia,*	XVI.	*Langbardia, di la dal Po,*	*Lodi.*
	Mediolanum, Civ. M. P. XVI.		*Mediolanum,*	XXXVI.		*Milano.*
			Como,	. . .		*Como.*

Hactenus Iter hoc ductum apud Antoninum & in Itineraria Tabula ex Ortu Occidentem versus: ab Como porro seditur versus Ortum, & inde ad Boream pergitur adeo ut non tam necessitatis caussa & festinantioribus videatur conscriptum Viatoribus, quam delectationis gratia compositum, iis scilicet, quibus animus erat principes perlustrare Italiæ Civitates.

Gallia Transf-Padana,	*Bergomum, Civ.* M. P. XXXIII.	*Transf.*	*Bergomum,*	XX.		*Bergamo.*
Venetia,		*Marka Trevisana,*	*Leuceris,*	XXXV.	*Marca Trivigiana,*	Prope Cauriolú.
	Brixiam, Civ. M.P.XVIII.		*Brixia.*	XXXII.		*Brescia.*
	. . . .		*Ariolica,*	XIII.		*Lonado,* aut circiter.
	Sirmionem; Mansionem, M.P.XXII.					*Sermione.*
	Veronam, Ci. M. P. XXXIII.		. . . . .			*Verona.*
	Vicentiã, Ci. M. P. XXXIII.		*Verona,*	XXXIII.		*Vicenza.*
	Patavium, Ci. M.P.XXVII.		*Vicentia,*	XXIII.		*Padua.*
	Altinum, Ci. M.P. XXXIII.		*Patavis,*	XXX.		Petiit ad Silis ostium, ubi vestigia.
			Altino.	XXX.		
Forum Iulium,	*Concordiam Civ.* M. P. XXXI.	*For. Iulium,*	*Concordia,*	XXX.	*Friaul,*	Collapsa jacet in æde D. Stephani, paucissimisque Tuguriis.
	Aquileiam, M. P. XXXI.		*Aquileiam,*	. . .		*Aquilegia.*

CAPUT XXXIIX.

Istria.

RESTAT in Nova, eaque pleniore Italia, versus ortum, ultra Tergestinum Sinum, ISTRIA: Latinis Græcisque Scriptoribus satis nota: nomen hodie servans: Germanis **Hister-reich**/ quasi *Istriæ Regnum*, dicta. *Iapydiam* quondam fuisse nuncupatum, indicat non obscure Plinius lib. XXXII. *Istria* nominarunt, eodem notante, Colchi, Asiæ populi; qui ad Argonautas persequendos missi feruntur ab Aceta Rege. Perhibentur enim hi à Ponto Istrum ingressi, & Savi amnis alveo penitus invecti, navibus per iuga montium usque ad littus Maris Hadriatici comportatis, quum Argonautas nullibi reperissent, sive metu Regis, sive tædio longæ navigationis, juxta Aquileiam consedisse, *Istri*que ex amnis nomine, quo ab mari concesserant, fuisse appellati. Ego hujusmodi conjecturas in medio relinquo: non minus, quam quæ apud supposititium Catonem, aliosque cum sequutos, qui *Istriam* volunt appellatam ab *Istro* principe, quem Ianus, Italiæ olim Imperator, in hæc loca misisse fertur. ISTRIA. Nomen. Unde.

Peninsulæ formam refert; pleraque, inter duos sinus Tergestinum & Carnarium, mari cincta Hadriatico: ab Septemtrione Alpibus munita Carnicis & Noricis; ab Occasu anteaquam in mare excurrere incipiat, Formionem habens amnem; Arsiam vero flumen, ab Ortu. Latitudo XL P. M; Ambitus, CXXII, ab Formione, quem dixi, ad Fanaticum usque Promontorium, vel initium Carnarii sinus angulum extensa. Forma & fines. Latitudo. Ambitus.

 Tota

Qualitas. Tota Regio asperior est; Collibus tamen potius, quam Montibus ornata: qui vini, olei, aliorumque fructuum feraces; Frumenti ceterorumq; Leguminum infœcundiores; exceptis Agris *Pisino* & *Humagio*. Mons ibi est, qui *Major* vulgo, benignus Herbarum Simplicium, quas avide extranei quæsitum huc properant Medici genitor. Salem *Istria* abunde præbet: Piscibus etiam dives, ob sinuum & Insularum, quæ conjacent, copiam. Ad D. Vincentium vastissimæ sunt Silvæ, Materia navibus fabricandis munificæ. Saxifodinæ ibi non inutiles. In Rovinienst Agro Marmor cæditur, quod *Istricum* dicitur, maximi per Italiam precij.

Incolæ. Incolæ re sunt tenuiore; Venetis omnem negociationem ad se trahentibus. *Istrorum* sæpe meminerunt Antiqui, Ennius, Livius, Florus, alijque, qui *Istricum bellum* descripsere.

Scriptores. Luculentam *Istriæ* delineationem habet Cassiodorus lib. IV Variarum. Ejusdem Chorographiam scripsit Petrus Coppus.

Specialiora: *Iustinopolis.* Specialiora videamus. Per oram incedenti occurrit statim *Iustinopolis*, Vrbs Chersonesi primaria. Sic doctis vocatur, quæ vulgo *Cabo d'Istria*. Nomen prius ab *Iustino* Imperatore. Legendus Sabellicus lib. II. Ennead. VIII. Habent confirmandis ijs Incolæ Inscriptionem, non magni meo judicio ævi, quæ cum apud Leandrum & alios legitur; tum in Auctario V. C L. Iusti Lipsij, qui ab Nic. Florentio profitetur se accepisse.

D. N. CÆSAR. IVSTINVS. P. SAL. PIVS
FELIX VICTOR AC TRIVMPHATOR
SEMPER. AVGVST. PONT. MAX. FRANC.
MAX. GOTTH. MAX. VANDALIC. MAX.
COS. III. TRIB. VIII. IMP. V.
CONSPICVAM HANC ÆGIDIS INSVLAM
INTIMA ADRIATICI MARIS
COMMODISS. INTERIECTAM VENERAN
DÆ PALLADIS SACRARIVM QVONDAM
ET COLCHIDVM ARGONAVTARVM
PERSECVTORVM QVIETEM OB
GLORIAM PROPAGANDAM IMP.
S. C. IN VRBEM SVI NOMINIS EXCEL
LENTISS. NVNCVPANDAM HONESTISS
P. P. P. DESIGNAVIT. FVNDAVIT.
C. R. F. Q. ET GENTE HONES
TISS. REFERTAM

Posterio-

Posteriore deinceps nomine cœpit dici, quod Foro Iulio egressis in *capite* aditque Regionis occurrat. Parvam occupat Insulam, quæ passibus longa mille, latitudine modica: trino teli jactu divisa ab Continenti, cui jungitur Pontibus, qui versatiles. Arcem habet in medio, quatuor munitam turribus. *Castellum* vocant *Leoninum*. Blondus libro VII Histor. a Bucelino Gallo quondam crematam tradit quo aucto-re, mihi non constat. In *Venetorum* hodie est ditione. Ornamentum attulit Vrbi non exiguum *Petrus Paullus Vergerius*, Vir doctissimus.

hodie Caput Istriæ. Situs. Arx. Excidium. Principes. Clari Viri.

Succedit in ora quinto fere lapide Castellum *Insula*; Continenti Ponte lapideo nexum. Sequitur mox *Piranum*: Sic Græci vocabant, notante Leandro, quod Itali-ci *Castellatium*, & postea *Castellerium*: vulgo *Castelier*. Quingentis hinc passibus ad *D. Simonem* devenitur: inde millia quinque *Piranum* abest, ad collem montis: totidem hinc, *Salvorium*; pari propemodum intervallo *Vinacum* in scopulo, qui marinis undis circumfusus. Ab Vinaco millia duo numerantur ad *D. Peregrinum*; hinc ad *D. Ioannem della Corne* passibus mille: totidemque dein, ad *D. Laurentium* vulgo *di Dala*: mox ad alterum lapidem ipsa *Dala* & ad tertium *Civitas Nova*, olim *Æmonia*, uti censent Volaterranus Leander, & Dominicus Niger, sine Auctore.

Insula. Castellerium, & alia. Civitas Nova.

Post Quietum fluvium tria millia sunt ad *Portum Cervarium*. Visitur quarto inde lapide *Parentium* Civitas. Sic Plinio dicitur, Antonino & Itinerariæ Tabulæ; Παρένθιον. Ptolemæo & Stephano: quod hodie *Parenzo*. Iacet in Peninsula, mœnibus turribusque egregie munitum: Portu maximis excipiendis navibus oportuno. Direptum flammisque exustum ab Genuensibus, Venetorum hostibus, anno CIↃCCCLIV, prodit Corius parte III.

Portus Cervarius. Parentium. Situs. Calamitas.

Sequitur mox Opidum *Orser*, Latinis *Vrserium*, Diœcesis Parentinæ.

Vrserium.

Superato Lemo, *Rovinium* occurrit Opidum in Insula, cujus ambitus mille passuum: Portus habet duos.

Rovinium.

Offerunt se mox quæ vulgo *Le Colonne, Portesuol, Murazzer* indeque Promontorium *Cisanum*. Putat Leander hic olim fuisse *Nesactium* Plinij: Ptolemæus Νέσακτον vocat; *Nesactium* legitur apud Livium. Niger tamen ex *Nesactio Castellum Novum* fabricat ad Arsiam flumen.

Cisanum, & alia.

Muratio *Phalsaviam* tria sunt millia, hinc ad *Vallem Bandoniam*, duo: totidemque, ad *Marcodainum*; tria inde, ad *Portum Polæ*.

Conspiciendam deinde se præbet in alto difficilique Monte Vrbs Episcopalis *Pola*, priscum nomen retinens. Straboni, Plinio, Ptolemæo, Antonino, alijsque nota. Plinius *Colchiam* vocat: conditam olim ab *Colchis exsulibus*. *Polam* enim *Exsulum Civitatem* Colchorum lingua volunt dictam. Addit Plinius suo seculo *Iuliam Pietatem* appellatam, quum, quod auguror, ab *Iulio* Cæsare Octaviano Augusto esset renovata. In solo plano sita, Tergeste millibus circiter C abest; Ancona, trajectu maris Hadriatici, mil. CC.X. Direptam & crematam ab *Andrea Theophulo* Venetorum Duce, memorat Blondus & Sabellicus. Genuit *Maximianum*, Ravennatum Archiepiscopum, qui ejus Ecclesiæ Præsulum Annales concinnavit ad suaúsque tempora. Amphitheatrum videre est in suburbanis locis ex quadrato lapide; aliudque amplissimum Ædificium, vulgo *Zadro* dictum; cum multis alijs Antiquitatum variarum monimentis.

Pola. quæ & Iulia Pietas. Situs. Calamitas. Clari Viri. Antiquitates Pola [illegible]

Succedunt ad littus quarto Pola milliari *Brancorso*: inde totidem, *Isola di S. Maria di Gratia*: decimoquinto, *Veruda*: uno, *Olmo*; duobus, *Olmeselio*: quinto hinc, *Medolin*; sexto, *Molette*: duodecimo, *Arsia* flumen, de quo alibi.

In Mediterraneis porro Istriæ supra Iustinopolin, in Montibus, Iustinopolitanæ Diœcesi subjecta sunt, quæ vernacule *Raspo, Roggio, Bule, Mimian; Ningum* Antonino: in cujus nonnullis exemplaribus *Mingum* expressum est, quod ad hodiernam appellationem magis accedit; *S. Lorenzo, Portole, Grisignana, Pinguento* (Πικουεντὸν Ptolemæo) & *Pietra Pelosa*.

Raspum, &c. Ningum, vulgo Mingum. Pinguentum.

Reperiuntur ibidem, quæ minoris momenti, *Piemonte, Castel Nuovo, Cervical, S. Servo, Mocco, Meterta, Suertenic Stapa, Sannofez, Povera*; *Sdrigna*, quam Blondus in sua Italia *Stridonem* appellans, multis modis probare conatur. *D. Hieronymi* esse Patriam; ab Leandro refutatus. Hinc inter Quietem & Arsiam fluvios in montibus apparent *Valle, Duo Castro, Montagna, Pisino*. Occurrunt inde *Landa, Treviso, Galignana, Pedena*

Sdrigna. Pedena.

(Opidum

Episcopatus. (Opidum Episcopali fulgens dignitate) *Sombra*, *Costiac*, *Lupoglan*, *Dragù*, *Chirizzo*, *Termo*, *Castel Nuovo*, *S. Vicenzo*.

Algona. Terra Nova. A Promontorio Fanatico Arsiam versus incedenti supra Carnarium sinum edito in loco *Algona* jacet; & haud procul inde *Terra Nova*: Opida Istriæ, simulque Oræ hic Italiæ extrema.

Iter Istricum. Iter adscribam, quod Antoninus ducit ab Aquileia Polam usque, commissum cum Itineraria Tabula, vulgataque Nomenclatura:

Antoninus:		Itineraria Tabula:		Vulgata Nomencl.
Ab Aquileia *Fontem Timavi*,	M. P. XII.	*Fonte Timavi.*	XIIII.	*Tivvino.*
Tergeste,	M. P. XII.	*Tergeste*,	XLVIII.	*Trieste.*
Ningum,	M. P. XXVIII.	. . . .	.	*Mimian.*
Parentium,	M. P. XVIII.	*Parentio*,	XXX.	*Parenzo.*
Polam,	M. P. XXXI.	*Pola.*		*Pola.*

CAPVT XXXIX.

Liguria.

LIGVRIA. Vnde. HACTENVS Planiorem & ab Montibus liberiorem Italiam, qua debui fide, quaque potui diligentia delineavi: sequitur Montosior, cui duas tribui in mea Distributione Regiones, *Liguriam* & *Pedemontium*.

LIGVRIÆ unde nomen varie disceptatur. Quidam (inter quos Paullus Diaconus lib. II Langbardic. cap. XV) ab *legendis Leguminibus* trahunt; alij ab *Ligone*, uno ex fabulosis Iapeti ducibus; suppostitij ab Annio Viterbiensi Berosus, Cato, Fabius Pictor, & Sempronius ab *Ligure*, Phaethontis Ægyptij Filio. Λιγυεία & Λιγυστική Græcis scribitur: Hodie *Riviera di Genoa* vocatur, ab *Genua*, clarissimi nominis Vrbe.

Fines. Ampliores illi quondam fuerunt, quam hodie, limites. Iustinus ex Trogi lib. XX versus Orientem ultra Arnum producit; Pisas illi tribuens: ad Occidentem ea protensa legitur, ut & Narbonensem Galliam ad Oranum usque fluvium comprehenderit, multo trans Alpes: unde Ligures Transalpini in Epitome Liviana lib. XLVII. Videndi & Ptolemæus, Strabo lib. IV, Livius lib. XII, & XLIV, alijque. Hodie fines ipsi ab Occasu Alpes, Galliam Narbonensem ab Italia dividentes; ab Ortu; Etruria, Macra interfluente: qua Meridies est, cognomine pulsatur Mari: qua Septemtrio, Apennino clauditur. Quantitas. Plinius auctor est, inter Macræ ac Vari ostia millibus P. CCXI oram patere. Ptolemæus hoc spatium quatuor graduum esse tradit: gradus singuli M. P. XLIIII continent: hinc mensura redit milliariorum CLXXVIII, à qua nec multum abscedit Blondus, binis millibus superans. Qualitas. A Monœco ad Etruriæ confinia, ut Strabo notat lib. IV, totū littus continuum, & importuosum; imminent undique rupes immanes & præcipites. Intus omnia fere montosa, silvosisque saltibus horrida: frequentissimam ædificandis navibus materiam vastasq: arbores producentia. Λιγγύριον, *Lingurium*, quod Electrum alijs, hic proveniebat.

Incolæ. Genti equo militare usus infrequens: pedestribus maximeque tumultuarijs prælijs summe valebat; æreis, Græcorum more, Parmis utens: unde Græcæ esse originis ratiocinabantur. Hinc etiam *Sagulis Ligustici* nomen fuit. De ijs Florus lib. II; cap. III: *Ligures imis Alpium jugis adhærentes, inter Varum & Macrum flumen, implicitos dumis silvestribus, major aliquanto labor erat invenire, quam vincere. Tutum locis & fuga, durum atque velox genus, ex occasione magis latrocinia quam bella faciebat.* Livius lib. XXXIX singulatim arduum hujus Regionis situm, ritusque populorum memorat, quum Ligures hostem velocem, levem, ac repentinum dicit; in quo vincendo difficultatis laborisque plurimum, prædæ haud multum esset, ob aspera montanaque loca. Virgilius lib. II Georg. duram eorum atque laboriosam vitam haud obscure notat, quum ait:

Adsuetumque malo Ligurem.

Huc pertinet quod de hac gente Lucanus lib. I belli Pharsal.

Et

Et nunc tonse Ligur, *quondam per colla decora*
Crinibus effusis toti prælate Comatæ.

Ligures comatos vocat Dion, qui Alpes Maritimas colebant.

Ligures duplices. Ingauni. Intemelij.

Ligures Strabo bifariam secat libro IIII; τῶν Λιγύων, inquit, τῶν μὲν ὄντων Ἰγγαύνων, τῶν δὲ Ἰντεμελίων; addens duas eorum Colonias mari adpositas, unam Ἀλβιγγαύνων; alteram, Ἄλβιον Ἰντεμέλιον. *Albingaunos* novit Vopiscus in Proculo; *Ingaunos Ligures*, Livius lib. XXVIII, XXX & XL, ubi multa de rebus, quæ ab ipsis gestæ. *Intemelios* Populos habet idem Livius lib. XL. Perierunt illi apud Tacitum in Vita Agricolæ: *Sequens annus gravi vulnere animum domumque ejus afflixit. Nam Classis Othoniana licenter vaga, dum in templo, Liguriæ pars est, hostiliter populatur, matrem Agricolæ in prædijs suis interfecit:* pro *in templo* repone *Intemelios*. Plinius lib. IIII natur. hist. cap. XIX *Ligurum* celeberrimos Colonos ultra Alpes nominat *Sallvos, Deceatos, Oxubios*; Ὀξυβίους & Δεκιήτας habet etiam Polybius apud Strabonem: sunt & Ὀξύβιοι Stephano noti: citra autem *Venenos*, & Caturigibus ortos *Vagiennos, Statyellos, Vibellos, Magellos, Euburiates, Casmonates, Veliates*. De *Sallyis, Deceatibus, & Oxubijs* ego in Provincia mea libro III, cap. XXXIX: *Venenorum, Vibellorum, Magellorum, Casmonatum & Vellatum* nescio an quis præter Plinium alius meminerit. *Euburiates* etiam apud Florum memorantur libro II Hist. Rom. cap. III. De *Vagiennis, & Statyellis* alibi a me dictum. *Vesturiorum*, Liguriæ populorum, fit mentio in Antiquissima ex ære Tabula, qua sculptum Decretum Arbitrum Finium regundorum inter Genuates & eosdem *Vesturios*. Augustinus Iustinianus putat hos habitasse cum locum, quem hodie *Voltaggio* appellant, in Genuatium territorio. Ἰφίκωοι apud Stephanum Liguriæ Populi, quos quoque Ἀρβασίνους dici tradit: Ἀρβάξανοι leguntur alio in loco.

Coloni ultra Alpes. Citra:

Res gestæ.

De Rebus vel contra *Ligures* ab varijs, Romanis præcipue, vel ab ijs contra varios bene feliciterque gestis legendi preter Dionysium Halic. Livius lib. XX, XXIX, XXXIX, XLI, XLII, XLIX, Diodorus Siculus lib. XI, L. Florus lib. II, cap. III, Eutropius lib. III, Auctor de VV. Inlustr. cap XLIII, Orosius lib. IIII, cap. XI & XII, Strabo libro IV, Augustinus lib. III de Civit. Dei cap. IX, & alij.

Specialiora:

Ad Specialiora venio. *Ora Genuensis* hodie duplex, Occidentalis & Orientalis; quæ vulgo ab Metropoli, quæ in medio utriusque, *Riviera di Genova, Di Ponente, & di Levante*. Occidentalem prius explicabo.

Nicæa. Conditores. Situs. Unde. Arx.

Haud procul Varo, qui inter Italiam & Galliam limes, *Nicæa* est. Sic Plinio dicta, quæ Νίκαια Ptolemæo: *Nicia* Antonino, varijs locis: *Nizza* hodie. Urbs maritima, quondam ab Massiliensibus condita, ut Plinius & Ptolemæus notant, dorso Alpibus innitens, partim in juga, partim in planiciem porrecta. Nomen Græcum ab νίκη. *Nicium* hic fabulatur Annius ad Berosium, Etruriæ Larthem. Urbs jamnunc munitissima, firmam habens Arcem in colle, ditionis Sabaudiæ Principis.

Cemelion, dirutum.

Non procul in montibus agro Cemeno, editiore loco vestigia sunt urbis, quæ Κεμένελεον *Vediantiorum* Ptolemæo; *Cemelion Vesdiantiorum*, Plinio; *Cemenelum* Antonino, *Gemenelium* Itinerariæ Tabulæ. Inde Populi *Cemelevenses*, de quibus ego lib. III, cap. XXXIX. Sunt tamen, qui Rudera illa Veteris putant *Nicææ*.

Olivula. Anaon. Avisio.

Inter Nicæam & Portum Herculis, qui sequitur, ponit alios etiam Antoninus in Itinerario Maritimo ab urbe Arelatum usque, *Olivulam*, *Anaonem*, & *Avisionem*. Pro prima statione legit Surita *ad Olbiam*; inter quam & Antipolim Strabo *Navale Cæsaris Augusti, Forum Iulij* nuncupatum, statuit; sed remotius abit, versus Gallias, quam itinerum ratio patitur.

Portus Herculis Monæci.

Portus autem *Herculis Monæci*, quem Nicææ statuo hic successorem, Tacito in Historijs, Plinio & Antonino nominatur, qui simpliciter nunc *Portus Herculis* Valerio Maximo & Ptolemæo, nunc Μονοίκου λιμὴν Straboni & eidem Ptolemæo (nam utrumque unum illi est, ejusdemque loci) simplicius Μόνοικος Stephano; *Arx Monæci* Virgilio libro VI, ubi Servius; *Arx & Portus Monæci* Ammiano lib. XV: *Arces Monæci Herculis* Panegyrico, qui Maximiano Imp. ductus: *Herclemannicus*, & alijs modis, mendose, pro *Hercules Monæcus* vel *Herclemonæcus* Antonino in Itinerario, quod dixi. Hodie *Monaco* apud Blondum & Leandrum, qui *Portum Herculis* disjungere non debueret à *Portu Monæci*; illum *Villam Francam* faciens; hunc *Monæcum*. Strabonis ævo statio fuit, ut ipse auctor est, nec multarum, nec magnarum navium capax,

capax. Stationis huius meminit Lucanus lib. I, qui in eam venisse Iulium Cæsarem, quum in Italiam tenderet, memorat:

Quaque sub Herculeo sacratus nomine Portus,
Vrget rupe cava pelagus; non Corus in illum
Ius habet aut Zephyrus: solus sua littora turbat
Circius, & tuta prohibet Statione Monœci.

Supra Portum Herculis Monœci ad alterum lapidem editis in montibus *Torbia* jacet, vel *Turbia:* Τρόπαια Σεβάςȣ Ptolemæo, uti censent Blondus, Bracellius, Leander.

Arx Bruna. Hinc propter littus, post *Arcem Brunam*, quæ *Rocca Bruna* vulgo, & Mentonium, *Vintimiglia.* locis sterilibus, offert se *Vintimeglia*, olim, ut vult Leander *Albium Intemelium*: sic dictum Straboni, ut antea monui, Plinio & Tacito lib. XVII, apud quem, ante CCL. V. Iusti Lipsij castigationem, erat *Albintimilium* ut & Ausonio: quod Ἀλβιντιμίλιον Ptolemæo, corrupte; *Albentimillum* Itinerariæ Tabulæ: *Intimelium* simpliciter Ciceroni lib. VIII Epist. An *Intimelium* hodie *Vintimiglia* dicatur, dubitat doctissimus Ortelius: qui videat *Vintimillij* hoc tractu etiam mentionem facere Varronem lib. III, de re Rust.

D. Remus. Tertia ab Vintimilia lapide *D. Remi* est Opidum, *S. Remo*; peramœno & fertili agro; qui citris, palmis, medicis, limonibus, alijsque fructiferis arboribus mirum in modum ornatus.

Tabia. *Clari Viri.* Occurrit mox Castellum *Tabia*: ambitu exiguo, sed nomine celeberrimum, ob generositatem vinorum Apianorum, de quibus alibi. Patria *Ioannis Tabiani*, qui Summam Casuum Conscientiæ scripsit.

Costa Balana. Ponunt hoc fere loco *Costam Balænæ* Antoninus & Itineraria Tabula.

Portus Mauri. Succedit X milliari *Portus Mauri*, ut Antonino dicitur: hodie *Porto Mariso*; nomine magis, quam re Portus.

Vallis Onelia. Altero dehinc *Vallis Onelia*; pagis vicisque multis nitens: Vlterius quarto *Dianium, Dian;* *Dianæ* procul dubio memoriam servans.

Cervum. *Andoria.* *Albinganum.* *Situs.* Relictis inde Opidis *Cervo* & *Andoria*, per oram *Albinganum* devenitur. Sic Plinio dicitur lib. III, cap. V, & Antonino: quod Ἀλβιγγαυνὸν Straboni; Ἀλβίγαυνον Ptolemæo, ut & Tacito lib. XVIII: Hodie *Albenga*. Vrbs antiqua, situ plano, quingentis à mari passibus, gravioris cœli, præsertim quum in flumine vicino Centa maceratur Cannabis. Hinc vulgus *Albengana piana, se fosse sana, si dimandarebbe Diana.* *Qualitas.* *Calamitas.* De Diana antea dixi. Alioqui opulenta est, rebusque necessarijs adfluens. Captam direptamque anno CIↃ C LXXV à Pisanis, restaurarunt Genuenses. Civitatis jus illi tribuisse, *Episcopatus.* *Clari Viri.* Episcopumque primus dedisse legitur Alexander III, P.M. Alij ad Innocentium III referunt. Inclyta est ortu *Proculi* Imp. Spartiano & Eutropio scribentibus.

Ceriale, & alia. Mox percursis *Ceriali, Burgetto, Ovo,* & *Petra*, aperit se *Finarium*, Opidum nobile, haud procul mari; in faucibus Vallis, ubi valida arx colli imposita tutelam ejus tenet. *Finarium.* *Vide.* *Marchionatus.* *Finarium, della Finezza dell' Aria* dictum censet Blondus. Marchionatus, qui penes familiam Carettorum, titulo & dignitate est celebris.

Naulum. *Episcopatus.* Septimo hinc lapide *Naulum, Noli* vulgo, est; ab Genuensibus Sabatijsque conditum, infrequentius nunc habitatum. Civitati factæ Episcopum præfecisse perhibetur, ab his Innocentius IIII, ab illis Alexander III P. M. Portus hic eximius; ubi Promontorium, quod vulgo *Capo de Noli.*

Vada. Quinque inde milliaribus *Vada* sic simpliciter Bruto dicitur lib. XI. Epist. ad Ciceronem, & Σάβατα Ptolemæo; *Sabbatia*, Pomponio: quæ junctis vocibus Σαββάτων ὐάδα Straboni, cui hinc Alpes incipiunt: *Vadum Sabbatinum* Plinio: in antiquis ejus libris *Vadorum Sabbatiur.*; *Vada Snada*, Antonino, ut melioribus codicibus, *Vada Sabbatia*, & *Vada Sabatis*: *Vada Sabates* scriptum est in Itineraria Tabula pro *Sabatis*: *Vadi* hodie Leandro, confusius hic scribenti; *Vai* (diverse enim pronunciatur) Paradino; *Vnada* & *Vae* Nigro, ex *Sabbatis* & *Vada* duas urbes facienti. Quoquo modo sit scribenda, intelligendus de ijs Brutus ad Ciceronem scribens: *Constitis nusquam prius, quam ad Vada veniret, quem locum volo tibi esse notum. Iacet inter Apenninum & Alpes, impeditissimus ad iter faciendum.*

Savona. *Qualitas.* Millia hinc V *Savona* est Civitas, Livio nota lib. XXXVIII, cui & *Savo* dicitur libro XXVIII. Prius nomen retinet. Vrbs antiquissima, ædificijs ornata magnificis, præcipueque

pueque nobilissima Iulij II. Pont. R. Domo. Variorum Principum ditionis superio- *Principes,* ribus sæculis fuit; *Genuensium, Vicecomitum, Sfortiarum, Mediolanensiũ, Gallorum*; quandoque etiam libera suique juris: nunc cum pleraque Liguria sub *Genuensium* est imperio, qui anno CIↃ IↃ XXVIII. multas ob causas ipsorum Portum corruperunt. Patria est *Gregorij* VII. *Sixti* IIII. & *Iulij* II. PP. MM. item *Petri* & *Raphaelis Riariorum* Sixti Neporum; *Marci Vgerij*. *Augustini Spinolæ*, Cardinalium: *Cæsaris*, Patriarchæ Constantinopolitani: *Octaviani*, Episcopi Viterbini: *Sfortiæ*, Lucensium Præsulis; & aliorum. *Clari Viri.*

Virgium mox est, Opidum, quod & *Virago* & *Voragium* quibusdam dictum: sunt & qui *Viam Virginis* vocatum diu tradunt. *Vicum Virginis* lego in itiner. Tabula. Celebre est satis: Patria *Iacobi*, Genuensium Archiepiscopi, scriptis nobilis, defuncti anno CIↃ CC XCIIII. *Virgium.* *Clari Viri.*

Succedunt inde quæ vernacule *Vutro, Sestro di ponente*, & *Corneglianò*; vicus insignis, gentis ex Genua nobilis Spinolæ.

Hinc salutato *S. Petro Arenoso*, qui vulgo *S. Pier d'Arena*, subit *Genua*. Insignis *Genua,* primum Vrbis Portus offertur, ad Africum & Austrum patens, ingenti mole ad securam stationem præmunitus. Imposita illi potens ipsa superbaque Civitas. *Genua*, Livio, Plinio, Antonino, Tabulæ Itin. Γένυα, Straboni, Ptolemæo, aliis. Γενόα, inquit Stephanus, πόλις τῶν Λιγύρων, Σ'Γαλλία καλεῖται νῦν, ὡς Α'ρτεμίδωρος. *Ianua* dicitur Luitprando Ticinensi, & eius ætatis Scriptoribus: Hodie *Genoa* & *Genova*. Incolæ *Incolæ,* *Genuenses* plerisque; aliis etiam *Genuates*. τὸ ἐθνικὸν, ait Stephanus, Γενοάτης. *Genuates* etiam appellat elegantissimum illud decretum Finium regundorum inter *Genuates* & Veiturios, quod *Genuæ* visitur in ænea tabella, ab rustico terram fodiente reperta anno CIↃ IↃ VII. mense Februario, & in summo templo collocata: incisa est literis Romanis antiquissimis minutulis: longa palmas duas & paullo amplius, lata sesquipalmam. Quod ad situm: Fronte Meridiem Cirnumque spectat insulam; amplissi- *Situs,* me circa litus consurgens, dorso Septemtrioni obverso, leniter in planitiem; veluti ad quiescendum descendens, montium innixa radicibus, quorum à tergo contra sævorum Septemtrionum afflatum vallo munitur: non tota montosa, nec vicissim tota plana, sed mixta specie. Circuitu palmos colligere tricena quina millia, supra *Circuitus,* nongentos quinquaginta quinque, Nebianus Episcopus tradit. Palmus haud multo minor antiquorum est pede. Hinc mensura totius urbis si palmos septenos passui demus, milliariorum erit quinque: sin senos, sex, demptis quadraginta quinque palmis: nec moles, nec portus in hanc dimensionem venit. De Nominis ratione & etymo multi multa frigide. Somniantur varij: Ianus Genius Priscus, primus Italiæ Rex: Ianus, Rex Trojanorum: Ianus Bifrons: cuius insigni Civitas utitur: Ianus Geminus ex Phaetontis Comitibus Ægyptius: Genus, Saturni filius, Genua, Promethei Filia: additur & Ianua, quod quasi sit porta & ostium Italiæ: quin nec Genu omittitur, quod ea quasi genu habeat recurvum ab littore maris. Ego nihil adfirmare possum. Antiquissimæ sane censenda est originis. Portui olim castellum ab *Portus,* Lodovico XII. Galliarum Rege, anno CIↃ IↃ VII. quo loco nunc est Lupanar, fuit impositum. *Briglia* dicebatur, nota notione: cuius præsidio civitas in officio contineretur; sed quum frenum hoc infestum equus ferox non ferret, Antoniottus Adurnius dux, libertatis conservandæ gratia, ad fundamenta dejecit: opus alioquin *Parochiæ,* stupendum ingentique sumtu factum. Vrbs Parochias habet XXXII. Palatium Se- *Palatium,* natus pulcrum est, & ab quingentis militibus Germanis custoditum. In medio areæ Statua marmorea *Andreæ Auriæ*, forma gigantis, tempora circum laurea coro- *Statua Andreæ Auriæ,* na redimiti, triaque Turcarum capita pedibus calcantis. *Ladarsina* locus navibus fa- *Ladarsina, Arsenale,* ciendis consecratus. Portui marino adjacet Domus, quæ *Arsinale* vulgo, fabricandis triremibus dicatus: ibi Fons incredibilis pulcritudinis ob materiam, quæ tota marina. *Peggio* vicus est in maris littore, in quo Palatium Centurionis Adami: Civis *Peggium, Palatium Adami.* Genuensis, latissimusque hortus cum admirabili fonte: Prædium denique cuius *Laterna,* situ nihil pulcrius. *Laterna* turris est excelsa, lumen præbens nocturnum navigantibus, cuius limini inscriptum: *Anno à Christo nato* CIↃ IↃ XLIII *restitutæ libertatis anno* XVI *instaurata Turris hæc, olim structa à maioribus nostris, &* CIↃ IↃ XII. *in oppugnatione arcis Laternæ diruta*, Genua de se, ad S. Andream:

Sum munita viris, muris circumdata miris:

Et virtute mea pello procul hostica tela,
Si pacem portas, licet has tibi tangere portas:
Si bellum quæres, tristis victusque recedes.
Auster & Occasus, Septemtrio novit & Ortus,
Quantos bellorum superavi Ianua motus.

Cives.

Jncolæ magna valent in Negotiando industria, nullas non mundi plagas adire quæstus gratia soliti. Ipsam urbem elegantissime depingunt Franciscus Petracha, M. Antonius Sabellicus, Natalis Comes lib. Histor. sui temporis III. & XXX. Munsterus lib. II. Cosmog. Laurentius Schraderus in Monumentis Italiæ.

Res gestæ, & Principes.

Captam dirutamque ab *Magone*, Amilcaris filio, refert Livius libro XXVIII. restauratam ab *Lucretio* S.P.Q.R. iussu, narrat idem lib. XXX. Direpta iterum ab *Rhotare*, Langbardorum Rege, capto Desiderio, Pipino, Karoli filio, Italiæ Regi se subjecit; mox *Imperatorum*, qui Carolo Magno successerunt, arbitriis devota: à quibus potestatem accepit Præfectos sibi legendi, qui Remp. regerent. Quo pacto ab Consulibus, Prætoribus, Populi Præfectis, Abbatibus, Antianis, ut vocant, & Ducibus, mirum quanta varietate, multos annos fuerit gubernata: & qualis Reip. forma, institutis Concilio Nobili, Duce uno, Gubernatoribus octo, totidem Procuratoribus, Syndicisque quinque, cœperit anno CIƆ IƆXXVIII. plene exponunt Leander Albertus in Liguria & alij.

Clari Viri.

Viros illustres Genua plurimos edidit: inter ceteros *Innocentium* V. & *Hadrianum* V. Romanos Pontifices, ex nobili familia Flisca: quæ eadem plus XXX. Cardinales genuit, multosque Præsules alios, uti Archiepiscopos, Episcoposque. Cibonum è gente magnifica fuit *Innocentius* VIII. P.M. è Fregosia *Paullus*, cum *Frederico*: è Flisca, *Nicolaus*: ex Saulia *Bendinellus*: omnes Cardinales. Alios huius classis prætereo. Genuenses etiam fuerunt Viri eruditione scriptisq. clari: *Augustinus Iustinianus*, Nebiæ Episcopus, qui ingens volumen de rebus Genuensium vernacula lingua edidit: *Ioannes Balus*, Vocabularij, quod Catholicon dicitur, auctor: *Andalotius Niger*, *Iacobus Cepa*, *Iacobus Bracellius*, qui situm locaque huius Regionis diligenter est persequutus: *Gothardus Stella*, *Baptista Fregosus*, *Stephanus Bracellius*, *Antonius Gallus*, *Iacobus Furnius*, *Hieronymus Palmarius*, *Bartholemæus Iustinianus*, *Nicolaus Brignalius*, *Bartholemæus Facius*, qui præter alia de rebus ab Alfonso I. Neapolis Rege, gestis libros scripsit XII. *Franciscus Marchio*, L. C. *Sperindeus Palmarius*, *Aloysius Spinosa*, qui de Reip. est commentatus: *Dominicus Saulius*, & alij. Quid dicam de præstantissimis re militari Ducibus, *Lamba*, *Philippo*, *Pagano*, *Luciano*, *Oberto*, *Petro*, *Andrea Magno*, *Philippino*, & aliis, quos vel una domus dedit Auria? *Christophorus* etiam *Columbus Genuensis* fuit: qui, Occidentalibus Jnsulis repertis, *Admirantis* nomen obtinuit ab Hispaniæ Principibus.

Archiepiscopatus.

Archiepiscopatus floret dignitate, sub quo sunt Episcopatus *Lunensis*, *Bobiensis*, *Aprumacensis*, vel *Brumacensis*: *Metenensis*, vel *Maranensis*: & alij. Præter *Augustinum Iustinianum*, & *Iacobum Bracellium* etiam S.P.Q. Genuensis rerum domi forisque gestarum Historias atque Annales libris XXIII. composuit *Petrus Bizarus Sentinas*.

Ager.

Vrbis ager, quamvis saxis asper: lætus nihilominus, Vineis præsertim.

Nervium, & alia.

Hactenus Occidentalis fuit Ora Genuensis: sequitur Orientalis. Egressis Genua, occurrunt *Nervium*, *Buliascum*, *Saulum*: Modici vici: moxque *Recca* (in Itineraria Tabula hoc loco est *Recina*) & *Camolium*. Tractus autem littoris ab Genua *Camolium* usque universus tanta ædificiorum, quæ cum in collibus, tum vallibus exstructa sunt, copia nitet: ut oram navigio legentibus una perpetuaque videatur Civitas.

Portus Delphini.

Haud procul Sumario Promontorio, cuius antea memini, *Portus* est *Delphini*, quem nominant Plinius & Antoninus: hodie *Porto Fino*.

Fanum D. Margaretæ, Claverium.

Sex inde milliaribus paullo ultra *Fanum D. Margaretæ* Sinus se pandit Rapallinus, ab *Repallo*, Vico nobili, dictus. In initimo eius recessu *Claverium* vel *Claverum* est, *Chiaveri* vulgo: Opidum, quod annis ante se natum CL muro cinctum non fuisse, scribit Blondus: Nebiæ Antistes, conditū perhibet ab Genuatibus anno CIƆCLXVI. Nundinario mercatorum conventu certis anni temporibus ob summam loci opportunitatem frequentatur.

Lavania, *Lavagno*, vicus est ad fluvium cognominem: cuius in Ripa etiam sunt *Ripa Rubra Mulinum*que: & juxta fontem *Arx casa*. *Lavaniæ* originem attribuunt illustris Familiæ, Genuensis Comitum Fliscorum, qui & *Lavaniæ comites*. *Lavania* quibusdam putatur Λιβάρνα Ptolemæi: male, quum Λιβάρνα Ptolemęo trans Apenninum

[illegible] cum pello [illegible] hostica tela,
[illegible] hac [illegible] reportat:
[illegible] nullasque recedes.
[illegible] Ortum,
[illegible]

[illegible] mundi plagas adire qui- [illegible] Franciscus Petracha, M. [illegible] pporis 111. & xxx. Munsterus [illegible] Italiæ. Captam dirutamque [illegible] restauratam ab *Lucretio* [illegible] ab *Rhotare*. Langbardorum [illegible] Regi se subjecitmox *Imperatorum*, [illegible] quibus possessionem accepit Pe- [illegible] pacto ab Consulibus, Prætoribus, Po- [illegible] Ducibus, mirum quanta varietate, [illegible] Reip. formas, instituto Concilio Novo [illegible] Procuratoribus, Syndicisque quin- [illegible] exponunt Leander Albertus in Liguria & alij. [illegible] *Innocentium* V. & *Hadrianum* V. [illegible] Flisca: quæ eadem plus xxx. Cardinales ge- [illegible] Archiepiscopos, Episcopos [illegible] e gen- [illegible] P. M. [illegible] Flisca, [illegible] Cardinales [illegible] Ge- [illegible] Nebiæ [illegible] *Ioan-* [illegible] *Iacobus* C- [illegible] est persequutus: [illegible] *Gallus, Iacobus* [illegible] *Bartholomæus* [illegible] gestis libros scripsit [illegible] I. C. [illegible] qui de R [illegible] est con- [illegible] de præstantissimis re [illegible] Du- [illegible] *Andreæ Magno*, [illegible] & aliis, [illegible] etiam *Calcondas* [illegible] fuit: qui, Occidentalem [illegible] nomen obtinuit [illegible] *Princi-* [illegible] quo sunt Episco- [illegible] *Augustinum* [illegible] S.P.Q. Genu- [illegible] pe- [illegible] libros XXIII. compo- [illegible] *Senatus*. Vr- [illegible] nihilominus, [illegible].

[illegible] Ora Genuensi [illegible] Egressis Genua [illegible] *Saulem* [illegible] in Itineraria Tabula [illegible] & *Camelio* [illegible] ab Genua *Cary- [illegible]* [illegible] ædificiorum [illegible] vallibus exsi [illegible] navigio [illegible] perpetuaque videatur Civitas.

Hinc [illegible] Promon- [illegible] *Portus* est *Delphini*, quem [illegible] Plinius & Anto- [illegible].

[illegible] *Margareta* Sinus se pandit Rapallinus, ab *Rapallo*. [illegible] recessu *Clavarium* vel *Clavarum* est, *Chiavari* vulgo: Oppidum [illegible] muro cinctum non fuisse, scribit [illegible] Nebia [illegible] ab Genuatibus anno CIↃCLXV [illegible] Nundinarum [illegible] temporibus ob summam loci oppor- tunitatem frequentatur.

Lavania [illegible] fluvium cognominem: cujus in Ripa etiam sunt [illegible] *Lavania* originem [illegible] lustris Familia, [illegible] Comitum Fliscorum, qui & *Lavaniæ comites*. *Lavania* quibusdam [illegible] Ptolemæi; male, quum [illegible] Ptolemæo trans Apen- ninum

Digitized by Google